MASTER NEGATIVE
NO. 93-81638

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

CATHOLIC CHURCH

TITLE:

THESARUS RESOLUTIONUM...

PLACE:

MONACHII

DATE:

1872-

Master Negative #
93-81638

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

936
M89
Q
Mühlbauer, Wolfgang, comp.
Thesaurus resolutionum s.c.
concilii quae consentanee ad Triden-
tinorum pp. decreta aliasque canonici
juris sanctiones prodierunt usque
ad annum 1871...
Monachii 1872
81831
Q.
v.1

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8.6.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

GUIDE TO CONTENTS

for

THESARUS RESOLUTIONUM S. C. CONCILII

REEL	MASTER NEGATIVE #	DATE	VOLUME
1	93-81636	1872	1
2	93-81637	1875	2
3	93-81638	1879	3
4	93-81639	1883	4

REEL 3
VOLUME 3



AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VOLUME 3

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: CATHOLIC CHURCH
v.3

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: _____

_____ Illegible and/or damaged page(s): _____

__✓__ Page(s) or volumes(s) misnumbered: 1316 NUMBERED 131

_____ Bound out of sequence: _____

__✓__ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: ANDOVER - HARVARD THEOLOGICAL LIBRARY
Entire volume

_____ Other: _____

FILMED IN PART
FROM A COPY
BORROWED FROM
ANDOVER-
HARVARD
THEOLOGICAL
LIBRARY

f949 Tr

יהוה

INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX
169.
כדברך
תבינני
JOH. XVII.
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

THESAURUS
RESOLUTIONUM S. C. CONCILII

QUAE CONSENTANEE AD

TRIDENTINORUM PP. DECRETA

ALIASQUE

CANONICI JURIS SANCTIONES

PRODIERUNT USQUE AD

ANNUM MDCCCLXXVIII

CUM

OMNIBUS CONSTITUTIONIBUS ET ALIIS NOVISSIMIS DECLARATIONIBUS SS. PONTIFICUM

AD CAUSAS RESPICIENTIBUS.

PRIMUM AD COMMODIOREM USUM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATUS

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MÜHLBAUER

OLIM CÆREMONIARII ECCL. METR. MONACENS., NUNC PAROCHI
NIEDERTAUFKIRCHENSIS.

REVERENDISSIMIS ILLUSTRISSIMIS EPISCOPIS EORUMQUE VICARIIS, CAUSARUM PATRONIS
AC ALIIS IN ECCLESIASTICO FORO VACANTIBUS APPRIME UTILIS ET NECESSARIUS.

TOMUS TERTIUS.

MONACHII. MDCCCLXXIX.

TYPIS & SUMPTIBUS **ERNESTI STAHL.**

NEO-EBORACI ET CINCINNATII.
FRIED. PUSTET.

36,294

C.

Cadaver.

1) Exhumatio non licet gubernio laico e loco immuni et sacro.

Cum Titius pulmentum quoddam sibi paratum degustasset acribus doloribus correptus in persuasione propinati sibi a filio veneni violenter decessit ejusque cadaver humi conditum est.

Verum perlata veneficii fama fiscus pro sui officii munere exhumandum esse Titii cadaver existimavit et illud peritorum inspectioni subjiciendum, ut de corpore delicti constare posset.

Cum autem ageretur de actu laicae jurisdictionis exercendo in loco sacro, non omisit fiscus debitam petere facultatem ab Episcopo loci pro cadaveris exhumatione, quam Episcopus facultatibus apostolicae Sedis praemunitus ultro concessit.

At (ignoratur quomodo id acciderit) in facultatis literis fisco ab Episcopo concessis error nominis cadaveris exhumandi irrepsit: namque expressa in iis fuit facultas effodiendi cadaveris Sempronii.

Effosso tamen cadavere Titii vestigia veneni patefacta sunt. Quare, processu criminali peracto, Titii filius reus repertus morte est damnatus. Ab hac damnationis sententia jam pluries confirmata ad supremum tribunal pro causae revisione appellavit. Ejus porro defensor inter alia contendebat violatam fuisse ecclesiasticam immunitatem ex duplici capite, tum quia facultas facta fisco non erat effodiendi cadaver Titii sed Sempronii tum quia Episcopus in ejusmodi facultatis literis protestationem non emiserat, quae praescribitur in capite *Praelatis de homicid. in 6,* quae protestatio facienda injungitur etiam in literis, quibus s. Sedes ejusmodi facultates Episcopis impertitur.*)

*) Literae, quibus facultates per sacram Congregationem immunitatis Episcopis extra Italiam in re de qua agimus tribuuntur, sunt sequentis tenoris:

Illme ac Rme Domine uti Frater.

»Liber promptusque justitiae cursus exigit, ut in ecclesiis aut locis immunibus et praecipue nosocomiis legalis sumatur recognitio super eos, qui vulneribus forsan ex scelere sauciati aut jam morte deleti ibi adhuc detinentur. Hac sane de causa SSmus Dominus Noster per Emos et Rmos Patres sacrae hujus Congregationis super ecclesiastica immunitate praepositos benigne indulget, ut Amplitudo Tua pro arbitrio et prudentia veniam dare queat Ministris curiae laicalis ad effectum praefatos vulneratos necnon cadavera transferendi tuta sub custodia in opportunum et finitimum locum, ubi commode ab ipsa saeculari curia, cum assistentia tamen ecclesiasticae coelibis personae, omnia et singula acta ad necessariam corporis delicti assumptionem reorumque inculpationem perfici poterunt, ut ad omnes legales usus adhibeantur, sicque absque ulla immunitatis laesione crimina puniantur et coerceantur. Ita igitur Amplitudo Tua vel ecclesiastici ministri ad placitum Tuum delegati utantur facultate, quae ad triennium tantum a Sanctitate Sua tribuitur et cum praeservatione insuper a quacumque irregularitate, dummodo per Te vel per ipsos delegatos ecclesiasticos assueta emittatur canonica protestatio ad formam *cap. Praelat. de homicid. in 6.* Quod si vulnerati ita graviter decumbant, ut mortis discrimen ipsis imminere videatur dum in proximiorem locum sint transferendi, poterit Amplitudo Tua laicalis curiae ministris facultatem facere accedendi ad Immune, ubi adstante clerico in coelibatu existente a Te deputando, ut supra, assumptionem corporis delicti et inculpationem excipiant et utrisque actis utantur in prosecutione judicii, ea imposita conditione, ut

Supremum itaque tribunal seipsum incompetens agnoscens ad judicandum super hoc exceptionum capite, quod respicit ecclesiasticam immunitatem, illud judicandum remisit s. Congregationi immunitatis et propositis dubiis:

I. *An sit laesa immunitas eo quod per errorem nominis, habita ab Ordinario facultate (instante fisco pro extractione a loco immuni cadaveris cujusdam nomine Titii qui ex dolo erat occisus), in rescripto Ordinarii et fortasse in supplici libello notaretur nomen Sempronii pro Titii?*

II. *An in casu ob omissionem protestationis ad verba cap.: Praelatis* sit pariter laesa immunitas?

Quibus S. C. Im. die 19. Novembris 1849 re cognita respondit:

Ad utrumque negative.

Ac non acquievit defensor huic resolutioni et favore rei iterum novam audientiam postulavit; quae eidem concessa est, dummodo intra viginti dierum spatium suas allegationes deduceret.

Defensio rei.

Ut ostenderet rei defensor violatam fuisse in processu conficiendo ecclesiasticam immunitatem, ut processus confecti nullitas comprobaretur, duobus indicatis exceptionum capitibus insistebat: praemissa enim quadam resolutione s. Congregationis immunitatis, qua declaratum fuit: cadavera exhumari non debent pro capienda informatione absque licentia, ajebat, Titii cadaver extractum fuisse e loco sacro a laicali curia, nullo ecclesiastico praedita permissu. Nam etsi rogatus fuerit Ordinarius a fisco de facultate educendi e sepulchro cadaver cujusdam Sempronii, nihilominus cum non istud, sed illud Titii re ipsa fuerit eductum, patere inquiebat id sine facultate factum fuisse. Invasit ergo fiscus ecclesiasticam immunitatem.

Ad alterum caput quod spectat, ajebat, quod cum Ordinarius fisco facultatem facit effodiendi cadaver, ut crimen probetur, ne in periculum deveniat sese poenae sanguinis immiscendi, oportet ut sibi caveat expressa protestatione juxta verba capitis: *Praelatis de homicid. in 6.* Omnes enim irregulares evadunt qui alienae mortis quomodocumque vel physice vel moraliter fuerint participes, *cap. 24. de homicid. volunt. vel cas.* Id insuper observare debent Episcopi ex praescripto literarum quibus ejusmodi facultates eisdem indulgentur. Proindeque, ajebat, cum rescriptum a fisco obtentum hujus protestationis fuerit expers, utpote contra jus emissum, irritum esse censendum: ideoque omnia curiae saecularis acta adversus reum de quo agimus capite damnatum nullitate laborare, quia sine debita facultate gesta erant.

Ea quae ex officio ex adverso adducebantur.

E contra ex officio observabatur, in praesenti casu errorem nominis qui irrepsit non secumferre denegationem facultatis. Namque cum fiscus tum Ordinarius unice intendebant cadaveris effossionem illius, cujus filius N. veneficii reus accusabatur: itaque ad rem non pertinebat nominis aequivocatio, cum de subjecto et intentione constaret. *Barbosa de axiomat. jur., Soccin. ad regul. 158 et 159 de regul. diver., Card. Tusc. ad verbum: Error consul. 324. per tot., Ricc. Collect. 1496* et s. *Rota dec. 447. p. 3. recen.* et alibi.

Ad alterum caput quod attinet circa omissionem protestationis observabatur, ejusmodi protestationem faciendam esse ne ecclesiasticus in irregularitatem incurrat ex defectu lenitatis. Quae protestatio in praesenti casu locum non habere videbatur, non enim Episcopus adversus reum agebat, quemadmodum sermo est in *cap.: Praelatis*, in quo haec statuuntur: »Praelatis vel clericis quibuscumque, qui de laicis suis malefactoribus querelam penes saecularem judicem deponentes petunt emendam sibi fieri et provideri ne contra eos talia de caetero praesumantur, protestando expresse, quod ad vindictam seu poenam sanguinis non intendunt, imputari non debet; quamvis alias in tali casu de jure debeat poena sanguinis irrogari, si judex mortem illis inferat, justitia exigente. Alioquin si Praelati aut clerici propter metum (quia judex ad poenam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem et ipsorum bona libere depraedandi.«

Quod si ejusmodi protestatio emittenda sit in iis omnibus causis in quibus Praelatus vel clericus posset videri poenae sanguinis cooperari, et etiam id ad praesentem de quo agimus casum protendi, hoc unum sequi animadvertebatur, scilicet: Ordinarium ex protestationis omissione, qua fassus non est, se non intendere poenam sanguinis, ad summum incurrisse in irregularitatem ex defectu lenitatis; non autem sequi nullitatem rescripti.

His animadversis sub consueta dubitandi formula iterum propositum est

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. Congregatio ecclesiasticae immunitati controversiisque jurisdictionalibus praeposita re in examen revocata die 13. Augusti 1850 respondere censuit:

Ad utrumque in decisis.

Ex iis colliges:

I. Jus nullimode inesse laicae potestati effodiendi cadaver e loco immuni, quamvis laica potestas illud quaerat, ut justitia publica suum sortiatur effectum.

II. In concedenda ab Ordinariis facultate exercendi laicam jurisdictionem in loco immuni servatis servandis juxta apostolicas facultates eos emittere debere protestationem juxta caput: *Praelatis*, quoties in venia concedenda ipsi videri possint poenae sanguinis cooperari.

III. Praeter excommunicationem in quam ipso facto incurrunt immunitatis violatores, acta processus, quae ex violatione loci immunis fiunt irrita esse.*)

IV. In praesenti casu violatam non fuisse immunitatem ex venia sufficienter obtenta.

2) Exhumatio et sepultura in proprio electo sepulchro.

In oppido N. die 29. Julii 1869 obiit quaedam mulier nomine Rosa: postridie antequam ejus cadaver efferretur quaestio coepta est, in quo sepulchro defuncta mulier sepelienda esset. Siquidem Aegidius quidam testatus est, se duabus horis ante cadaveris delationem coram Canonicis paroecialis et collegiatae ecclesiae stetisse, tribus attestationibus munitum, ut manifestaret voluntatem defunctae mulieris volentis se deferri in templum N. Ordinis Fratrum minorum de observantia: seque fuisse arroganter repulsum, quin ipsi Canonici legerent vel audirent, qui essent illi, qui haec testarentur. Hinc, nulla interposita mora, cadaver delatum est atque sepultum in ea paroeciali ecclesia.

Quum franciscalis coenobii custos id non pateretur, ad episcopalem curiam confugit, quae regularium jura, prima fronte, tueri visa est. Sed, re in longum protracta, supplicem libellum obtulit s. Congregationi Concilii expostulans, ut cadaver Rosae defunctae exhumaretur e paroeciali templo et asportaretur in templum regularium, sumptibus Canonicorum, praevia restitutione emolumentorum funerum.

His precibus acceptis juxta morem rogatus est Ordinarius pro informatione et voto, audito capitulo ejus collegiatae ecclesiae et transmissa particula synodi dioecesanae de his rebus disponentis.

Ordinarius, prima sua opinione mutata, adhaesit expositioni a capitulo factae, inquit enim: »Expositio tum juris tum facti enarrata a capitulo in praesenti causa non mihi spernenda videtur. Et ratio potissima repetenda est ex eo, quod depositio illa duorum testium nimis serotina et expiscata ap-

---

laici ministri in ambobus iis casibus processum incipiant ab inculpatione a vulneratis emissa, quae, si personam ecclesiasticam respexerit, praedictis ministris ab ulteriorum actuum confectione sese abstinendi legem ferat: et interim Amplitudini Tuae tausta omnia deprecantur.«

Similes facultates in re, de qua agimus, conceduntur Episcopis pontificiae ditionis et integrae Italiae.

*) Inter alias plures quae afferri possent resolutiones sequentem adducimus quae emissa est die 30. Septembris 1704 in causa *Oritana*, de qua in libro 6. Literarum S. C. J. ita legitur: »In examine processus constructi super homicidio Matthaei N. patrato in territorio castri Chiae per Joannem Paulum N. in carceribus novis Urbis detentum institutum fuit ex parte s. Consultae pro declaratione super infrascriptis dubiis:

I. *An constet quod recognitio corporis delicti fuerit facta in loco immuni?*

et quatenus affirmative,

II. *An judex inciderit in excommunicationem?*

et quatenus affirmative,

III. *An acta in eodem processu per eumdem judicem postea facta sustineantur necne, quamvis non fuerit antecedenter sequuta declaratio?*

Emi Patres praevio examine processus de mandato S. C. in ejusmodi causa per infrascriptum compilati censuerunt:

Quoad I. et II.: Affirmative.

Quoad III.: Non sustineri acta concernentia corpus delicti.

paret, et ideo in dubium revocata ob rationes a capitulo allatas, vel potius explicanda de sepulcro gentilitio cujusdam Restituti, quo defuncto, frui posse putabat, sicut et parentes ab initio sustinebant eo tumulari debere. Etenim si revera extitisset haec formalis electio, profecto parentes non latebat, ac statim eam deduxissent coram capitulo, potiusquam circa locum convenire. Ab initio et ego dictae depositioni fidem praestiti et ideo affirmative custodi dicti conventus scripsi, sed audito capitulo rem se aliter habere video. Addam quod admittere indiscriminatim has depositiones est contra leges sanitarias, quas ad declinandas et in odium coemeteriis omnes has depositiones sibi procurarent. Particula vero synodi ad rem faciens sic se habet: *Ne fraudi sit locus, sepulturae electio constabit vel scripto eligentis vel duorum testium fide vel unico ipsius confessarii testimonio, dummodo non sit pro sua ecclesia. Sub excommunicatione Papae reservata interdictum est sacerdotibus tum regularibus tum saecularibus quempiam inducere ad vovendum, jurandum, promittendum ut in suis ecclesiis eligat sepulcrum vel electum non mutet.*«

Affirmabant praeterea Canonici collegiatae ecclesiae, suam ecclesiam auctoritate, tum civili tum ecclesiastica, publicum coemeterium fuisse enunciatam.

Jura Canonicorum.

Monebant Canonici Rosam repentina morte decessisse, quamquam diuturno morbo affecta erat: ita ut neque extremis religionis sacramentis muniri potuerit.

Adducebant praeterea tres testes, qui die 4. Februarii 1870 testati sunt, postridie repentini obitus Rosae, ejus parentes se contulisse ad Canonicum parochum, eum aliosque Canonicos exorantes, ut permitterent, ejus defunctae mulieris cadaver sepeliri in templo coenobii s. Francisci, promittentes, se daturos quaedam cerae aliaque nonnulla funeraria emolumenta capitulo, quum defuncta mulier, dum vivebat, suam voluntatem non patefecisset ubi sepeliri cuperet, an in paroeciali ecclesia, communi coemeterio, vel potius in franciscali ecclesia.

His autem attestationibus deductis mole sua ruere inquiebant Canonici adversas attestationes exordio litis expiscatas, quae Rosam sepulturam elegisse affirmarent.

Sed, facta etiam hypothesi, Rosam elegisse sepulturam, hanc electionem illegitimam esse contendebant tum ex eo, quod anno 1850 Provincialis franciscalis Ordinis id temporis prohibuit, quominus in eo templo cadavera humarentur, donec sepulturae essent expurgatae: ex qua prohibitione arguebant Canonici, fratres renunciasse juri sepeliendi: tum praesertim, quod collegiata ecclesia constituta fuerat commune coemeterium; quo constituto cessassent sepeliendi jura in aliis ecclesiis.

Jura Regularium.

Compertissimi juris esse inquiebant regulares, quemquam a jure non impeditum posse sibi eligere sepulturam in quavis ecclesia jus sepeliendi habente. Inter ejusmodi ecclesias recenseri illas fratrum minorum, quibus ex speciali privilegio hoc jus competit, cap. *Ubicumque,* cap. *Nos, de sepulturis,* Extravag. *Super Cathedram.* Nec secus statuisse synodum dioecesanam, quae ita quoque constituerat: *Liberum est cuique sepulcrum eligere in ecclesia, quae jure tumulandi potiatur*: hisque accedere peculiarem constantemque consuetudinem.

Neque aliquam juris solemnitatem requiri subdebant regulares ad ostendendam voluntatem eligentis sepulturam, sed sufficere simplicem probationem sive per scripturam propria manu exaratam sive per confessarii testimonium sive per depositionem duorum testium; Ferraris *Bibliotheca canonica verbo*: *sepultura,* aliique; quibus consonat particula dioecesanae synodi.

Jamvero in facto constare contendebant, Rosam antequam moriretur elegisse sibi sepulturam in templo fratrum minorum.

Sane adducebant plures testes omni exceptione majores, inter quos virum ejusdem mulieris defunctae et filium, qui testati sunt, Rosam, in diuturna sua infirmitate, pluries voluntatem efficaciter patefecisse, se omnino sepeliri velle in templo fratrum minorum: qua de causa, si opus esset, vendi quoque deberet quidam fundus, ut ejus voluntati fieret satis: hoc esse factum in eo oppido publicum, ita ut in disputationem deduci non posset.

Duos praeterea adducebant testes, qui declararunt, nullimode veniam se a Canonicis petiisse, ut defuncta mulier sepeliretur in ecclesia fratrum minorum, sed annunci-

asse mortem et patefecisse defunctae voluntatem.

His autem positis prono alveo fluere, non modo cadaver exhumandum esse atque asportandum Canonicorum sumptibus sed etiam funebria emolumenta, quae Canonicis obvenerant, fratribus minoribus esse restituenda, cap. *Cum liberum, de Sepulturis,* in quo Alexander III. sic legitur scripsisse: »*Ad audientiam nostram pervenit ex conquestione Abbatis et fratrum s. Martini Laudonensis, quod cum presbyter quidam corpus cujusdam mulieris (prout in ultima voluntate disposuit) ad eandem ecclesiam sepeliendum deferret Monachi s. Vincentii Laudonensis corpus ipsius violenter rapere et in ecclesia sua sepelire minime dubitarunt . . . . Mandamus, quatenus si ita esse inveneritis praefatos Monachos compellatis, ut ossa praefatae mulieris et beneficia, quae occasione sepulturae ipsius recepisse noscuntur, memoratis fratribus cum integritate restituant et de caetero talia facere non praesumant.*« Huic juris capiti multae ss. Congregationum resolutiones consonant, quae his in adjunctis restitutionem cadaveris faciendam esse decreverunt, necnon in dioecesi, de qua agimus, dispositio dioecesanae synodi sic statuentis: »Quando extra propriam ecclesiam seu sepulcrum designatum tumulatum fuit cadaver, si petatur, nostra accedente facultate, effodiendum est, ut suae restituatur ecclesiae. Ii vero per quos haec injuria lata fuit plectantur amissione cujuscumque lucri percepti vel percipiendi ex funere.«

Jussum Provincialis fuisse adimpletum, qui iterum jampridem praeceperat, ut sepulturae fieret locus: atque multa cadavera ab eo tempore humata ibidem fuisse regulares adnotarunt.

Neque obstare civile decretum, quo templum collegiatae ecclesiae declaratum erat commune coemeterium, quum nihilominus defuncti fideles qui elegissent sepulturam in templo fratrum minorum semper in eo templo sepulti essent.

Quum itaque manifestum appareret, Rosam sepulturam elegisse in ecclesia fratrum minorum, quumque horum ecclesia jure sepeliendi gauderet, violata per Canonicos voluntate defunctae, exhumationi et restitutioni cadaveris esse locum concludebant et funebria emolumenta a capitulo percepta restitui debere.

His deductis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. An et ad quem spectet jus tumulandi et funeris in casu?

Et quatenus affirmative favore fratrum minorum de observantia,

II. An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris et emolumentorum in casu?

Resolutio. S. Congregatio Concilii die 24. Martii 1871 respondere censuit

Ad I: *Affirmative favore ecclesiae fratrum de observantia.*

Ad II: *Quoad emolumenta affirmative, detracta quarta funeraria; quo vero ad exhumationem cadaveris ad mentem: et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. In facultate fidelium esse plenissime positam sepulturae electionem in sacris locis in quibus jus sepeliendi exercetur.

II. Ejusmodi electionem absque ulla juris requisita solemnitate per duos testes posse probari vel etiam per unum confessarium, dummodo in suum commodum non testetur.

III. Eos, qui praesumant violare electam sepulturam, alio in loco cadaver sepelientes, damnari debere propriis sumptibus, debita pompa, ad cadaveris restitutionem in sepulturam electam et omnium emolumentorum.

IV. In themate praesumptionem hujus violationis non videri intervenisse, sive quod non satis voluntas defunctae mulieris initio esset Canonicis patefacta sive quod sub umbra publici coemeterii praesumptio aliquo modo tecta maneret.

V. Quare aequum esse judicatum, ut funebria emolumenta cederent ecclesiae fratrum minorum, subducta quarta funeraria pro ecclesia paroeciali.*)

*) Mens s. Congregationis circa exhumationem cadaveris secreta mansit, fortasse ob politicas vicissitudines: quum enim oppidum illud recenter invasum a Subalpino gubernio esset, prudentia duce, existimatum non est jubere exhumationem cadaveris, ut voluntas defunctae impleretur. Haec enim exhumatio cadaveris juberi potuisset, etsi praesumptio sepeliendi ex parte Canonicorum deesset: per eam enim exhumationem executioni mandabatur voluntas defunctae mulieris, non obstante lege communis coemeterii, quae in eo oppido lex mortua manserat. Notum enim est in jure, quanti in materia funerum facienda sit observantia seu consuetudo.

Restituendum esse cadaver ecclesiae, in qua defunctus sepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta. S. Congreg. Episcop. et Regular. 1. Februarii et 31. Maji 1647, 5. Februar. 1649., 14. Januarii et 1. Apr. 1650 ac 22. Septembris 1657.

Caducitas.

1) Beneficii.

Vd. t. II. p. 216: *Nullius s. Pauli*; p. 351. d.

2) Causae excusationis.

Vd. infra n. 4.

Faventina.

Sufficit ad caducitatem vitandam ipsa etiam erronea credulitas et falsa opinio ac levis quaelibet causa et fatua, uti admonent *Mans. consult. 227. n. 37. et 40, Palma Nepos. alleg. 368 n. 26, Rota in Sutrina Caducitatis 1. Aprilis 1791 §. 8. cor. Resta.* Hinc etsi in errorem incidisset aliquis excusatione dignus arbitratur quoniam gravissima caducitatis poena tunc solummodo est infligenda, quum nulla ejus avertendae ac evadendae ratio suppetat, *Rota cor. Molin. dec. 271 n. 24* et in *Faventina Caducitatis 11. Maji 1792 §. 5. cor. Acciajuoli.*

Die 19. Nov. 1825.

Nucerina.

Ad caducitatem excludendam sufficit etiam erronea et falsa opinio ac levis quaelibet causa. *Rot. in Sutrina Caducitatis 1. Aprilis 1791 §. 8. cor. Resta* et *s. Congregatio in Faventina 19. Novembris 1825. §. Inde.*

Die 27. Jan. 1827.

Reatina.

Materiam caducitatis ita in jure esse odiosam, ut causa quaelibet licet inepta et fatua ad illam evitandam sufficiat, ut ajunt DD. Leuren. *in For. benefic. p. 2. cap. 2. §. 7. q. 739, Rota coram Malvasia dec. 9. num. 4. et coram Olivat. dec. 353. num. 66.*

Die 6. Aug. 1841.

3) Constat.

Vd. t. II. p. 351 d., p. 236 n. 31; p. 185 n. 27.

Romana.

Felix Amadori testamento quod condidit die 1. Februarii 1639 postquam Franciscum fratrem suum haeredem ex asse nuncupaverat perpetuo instituto fideicommisso vocationis compendio donavit. Quod si aliquando exaruisset »*la linea de' miei parenti*« quos omnes ad successionem vocabat, repertita tertio quoque verbo conditione »*che sia dottore di legge, e sacerdotte, ed entri in prelatura*« tunc ne unquam deficeret insigne pietatis opus, quo viduis, pupillis aliisque egenis tutamen ac defensionem paraverat, voluit, ut in lege doctor eligeretur, qui esset vel statim sacerdos fieret quique Auditoris munere penes praesulem haeredem fungeretur; necnon inter causarum patronos unus nominaretur nuncupatus »*Sollecitatore*« Et ne praesul haeres aliis distractus curis pauperum causarum patrocinium negligeret, plura cavit.

Universae haereditatis administrationem concredidit piae congregationi s. Hieronymi.

Haud longo annorum circulo testatoris conjunctorum exaruit genus; nam defuncto Francisco primo universali haerede successit tantum Ugulinus Amadori, qui suae agnationis propagandae causa a s. m. Innocentio X. gratiam obtinuit fruendi testatoris haereditate in statu etiam conjugali, obsignatis in id apostolicis literis. Eo vita defuncto sine liberis jus nominandi s. Rotae tribunali concessum initium habuit; et usque in hanc diem juxta fundatoris legem servatum est.

Cum vero initio anteacti saeculi imminuti essent redditus haereditatis Amadori sententia Congregationis particularis a s. m. Clemente XI. deputatae sub die 8. Octobris 1717 definitum fuit: *Stante diminutione reddituum dictae haereditatis Advocato Jacobo Lanfredino per s. Rotae auditorium ad hujus haereditatis successionem praeelecto citra ullam obligationem gradum praelatitium assignando fore annua scuta 872.*

Hic tamen Lanfredinus assumpto praelatitio gradu hujus sacrae Congregationis secretarii munere functus est ad annum usque 1731, quo ad s. purpuram est evectus.

Plura sunt exempla, quibus probatur, summos Pontifices derogasse favore nominatorum oneri ascendendi ad s. presbyteratus ordinem et celebrandi missas per seipsos quemadmodum a s. m. Pio VI. indultum fuit Praesuli Grisolino, qui exeunte anno 1808 diem clausit extremum. Nullum affertur exemplum apostolicae dispensationis pro ineundo conjugio, si demas illud, de quo superius memini, concessum Ugulino Amadori agnationis propagandae causa.

Et sequuta vacatione meruit a s. Rotae auditorio ad successionem eligi advocatus Vincentius Landucci. Sed cum eo tempore nulli percipi poterant haereditatis fructus, quorum pars ex principali rescripto titulo *supraviventiae* ad decennium tributa fuerat defuncto Praesuli Grisolino, altera pars ex locis montium constabat, quorum functionum solutio suspensa erat, eaque erat acerbitas temporum, ut exteri, qui aut sacerdotio insigniti aut praelatura vel etiam s. purpura decorati essent, extorres fierent ab Urbe jam sacrilego ausu occupata, hinc novum Landuccius indultum obtinuit, cui tum defectus omnium reddituum tum temporis circumstantiae pronam apud sacratissimum Principem viam sternebant.

Et voti compos factus est rescripto die 22. Februarii 1809: *Sanctissimus attentis expositis ac praevia derogatione, uti in supplici libello petitur, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita; contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus etc.*

Res ita se habuit fere decennii tempore. Tunc ex inito ab advocato Landucci matrimonio putantes unus et alter nobiles Viri Etrusci, nimirum Comes Jacobus Piccolomini Primicerius metropolitanae ecclesiae Senensis et sacerdos Andreas Moronti Canonicus Volaterranus novae nominationi viam patere ad eam obtinendam insteterunt penes s. Rotae emeritissimum decanum.

Injuria id actum esse putans Landuccius novas summo Pontifici obtulit preces. Re ita ad sacram Congregationem delata meum esse Emmum protectorem Congregationis s. Hieronymi rogare, ut auditis praesertim collatoribus de novis precibus referret. Quid ille senserit habent Emmi Patres in summario ex parte Praesulis Piccolomini distributo unacum allegatione ejus favore. Habent etiam in altera allegatione pro advocato Landucci rationum momenta, quibus innixus caducitatem a se propellere nititur; causa sub triplici dubiorum formula proponitur, et ne nimius sim, breviter quae ex utraque parte adducuntur perstringam.

Agitur in primo dubio *de caducitate* quam a *Landuccio* incursam sustinent Praesulis Piccolomini defensores, cum voluerit ac tertio quoque verbo repetierit testator, ut successor in haereditate *Prima di pigliare la mia eredità sia sacerdote, e celebri la messa.* Si hoc ipsum sub poena caducitatis exequi omnino voluit, sequitur. ut qualitas sacerdotalis per modum *conditionis* fuerit requisita, utque advocatus Landucci, qui ex contractis nuptiis voluntarium posuit impedimentum pro conditionis executione, in caducitatis poenam inciderit, per votum *Rotae decis. 88. 1. coram Crispo, in Nucerina Immissionis 1. Julii 1757 §. 2. coram Paraeciano* et *Romana Caducitat. 8. Maji 1771 §. 5. coram Manellio.*

Quin inquirendum sit bona vel mala fide Landuccius praedictae conditionis implementum neglexerit. Cum enim ille probe nosceret testatorem jussisse, ut si qui ejus praescripta pessumdarent *subito immediamente succeda quello che succederebbe segli trasgressori, ed inobbedienti fossero morti*, inutilis prorsus evaderet investigatio de bona vel mala fide cum nudum ac simplex factum transgressionis viam caducitati sternat, *Valente de ultimis volunt. vot. 30. part. 2. n. 14., Molin. de primogenitur. lib. cap. 16. num. 32, Rota in Romana Caducitatis 8. Martii 1771 §. 6. coram Manelio.*

Nec putant in aliquo suffragari Landuccio posse dispensationem a summo Pontifice obtentam sub die 22. Februarii 1809. Haec quippe dispensatio, cum cohibita sit intra

limites petitionis ex praescripto: *Benigne annuit pro gratia juxta petita*, nequit ad alium casum in ipsa petitione non comprehensum nimirum ad facultatem ineundi conjugii extendi. Porro non solum in precibus a Landuccio Sanctissimo oblatis nulla excidit mentio de futuris nuptiis, sed immo illae ita conceptae fuerunt, ut alienum exhibeant Landuccii animum a maritalibus amplexibus. Nam sese nominavit *possessore della praelatura Amatori*, dum postulavit dispensationem dumtaxat *dall' obligo del sacerdotio, ed alla personale celebratione.*

Nec quidem conciliari potest qualitas praelatitia nec possessio ipsius praelaturae cum viro uxorato. Noluit ergo Landuccius dispensationem pro contrahendis nuptiis postulare, qui jam sese tamquam Praelatum Amadori habebat quique illius praelaturae possessionem nancisci curabat, sed tantum dispensationem a sacerdotio et personali celebratione exoravit eamque dumtaxat concessit summus Pontifex juxta petita.

Id ipsum voluntatis argumentum praebent exempla a Landuccio in precibus allata, ut facilius Pontificem ad gratiam concedendam induceret. Ea enim exempla casum tantum respiciunt dispensationis a sacerdotio numquam vero ad contrahendas nuptias; quin immo dum caetera memorantur, silentio praetermittitur exemplum Ugonini Amadori, qui a s. m. Innocentio X. contrahendi matrimonii gratiam obtinuit. Si itaque nec Landuccius voluit petere dispensationem a coelebatu, si nec illam voluit concedere Pontifex, qui annuit pro gratia juxta petita, nequit commode ex mutato consilio dispensationem ipsam ad casum gratiae nec petitae nec concessae pertrahi, cum longo distet, quod quis *actu* sacerdos non sit, ab altero casu, quo quis *habitu* sacerdos fieri nequeat ob initum conjugale foedus. Stricte quippe interpretandae sunt pontificiae dispensationes nec ad alios casus non comprehensos extendi possunt vel ex identitate vel ex majoritate rationis. *Piton. discept. ecclesiast. 30. num. 7., Rota coram Ansaldo decis. 30. num. 27., in Romana Nullitatis pensionum 19. Februarii 1753 coram Matthaejo.*

Odiosam contra defensor Landuccii dicit caducitatis poenam, ad quam incurrendam necessarium foret, ut testator expresse matrimonium suis haeredibus prohibuisset et Landuccius scienter et mala fide testatoris praeceptum violasset. Nam quaevis vel levissima causa poenam caducitatis excludit, ut tradunt *Honded. cons. 58. num. 37, Menoch. cons. 903 num. 11., Card. de Luca de fidecom. disc. 157. num. 5., Rot. rec. part. 17. decis. 380. num. 10. et decis. 271. num. 24. cor. Ansaldo.*

Quin immo ipsa testatoris voluntas suadere videtur fundatorem non principaliter respexisse ad praelatitii gradus honores vel ad ecclesiasticas dignitates sed id primum cordi fuisse, ut pauperum defensioni prospiceret, unde sequitur, ut cum ipsius voluntas adimpleri possit secus ab abjectis qualitatibus Praelati et sacerdotis, nequeat caducitatis poena contra nubentes ex testamenti litera derivari, praesertim cum hanc poenam de casu ad casum extendi vetant *text. in L. commodissime ff. de liber. in post.* et *Rot. coram Ansaldo decis. 127. num. 6. coram Olivatio, decis. 575. num. 13.* et in *Bononien. Immissionis 12. Januarii 1753 §. 14. coram Fiquereso.*

Addit Landuccii defensor plurimum immutatas esse rerum circumstantias, praesertim ob diminutos quam maxime redditus haereditatis, ita ut usque ab initio anteacti saeculi immunes declarati fuerint possessores ab onere assumendi praelaturae insignia, atque inde deducere autumat, non posse ex nuda testamenti litera interpretatio desumi cum plurima in eo scripta sint a testatore cujus menti adversabatur casus dumtaxat sui haeredis, qui et Praesul et sacerdos esset. Nec prohibitio extranearum mulierum trahi potest ad alium casum a jure improbatum, quo libertas ineundi matrimonii coerceatur, *Sanchez. de matrim. lib. 1. disput. 34. num. 14., Guttieres. de matrimonio cap. 21. num. 5, Rot. Rec. part. 4. tom. 2. decis. 493. num. 39.*

Ad secundum *dubium* quod attinet rite expletam nominationem sui clientis putat defensor Praesulis Piccolomini. Ea siquidem facta est ad formam testamenti fundatoris de viro Senensi nobilitate conspicuo et de cujus doctrina testimonium reddidit s. Rotae auditorium, cujus examini sese subjecit: atque ita dicit *in tertio dubio* fructus legati pii deberi Praesuli Piccolomini a die initi per Landuccium matrimonii, quia posita caducitate ipsius Landuccii et legitima nominatione Piccolomini, ex fundatoris voluntate sequitur ut statim primus privetur et alter fruatur suae haereditatis emolumento.

E contra Landuccii defensor putat in nullam caducitatis poenam suum incidisse clientem, illegitimam dicit nominationem Primicerii Piccolomini ac fructus omnes suo clienti esse addicendos.

Dubia proponuntur:

I. *An constet de caducitate Vincentii Landucii in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An constet de legitima nominatione Primicerii Piccolomini in casu?*

III. *An et a quo tempore debeantur fructus legati pii in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative et amplius.

Ad. II. Affirmative et amplius.

Ad III. Affirmative favore Praesulis Piccolomini a die nominationis.

Die 13. Febr. 1819.

4) Non constat.

Vd. t. II. p. 351. d.

Ariminen.

Extat in archivio parochiae s. Juliani de Musano dioecesis Ariminen. copia simplex testamenti Nicolai Chierici conscripta die 27. Decembris 1713 ab Antonio Paolini ejusdem ecclesiae parocho, qui dicitur ab eodem testatore Chierici rogatus ad scribendum et publicandum testamentum; in quo legitur fundatio cujusdam pii legati trium missarum in singulis hebdomadis a rectore parocho ecclesiae s. Mariae di Cento ejusdem dioecesis sive per se sive per alium celebrandarum tum diebus festis tum in votiva commemoratione B. M. V., congrua pro legati manutentione dote assignata.

Quamvis autographum testamenti non inveniatur, attamen ex tabella in sacrario ecclesiae s. Mariae di Cento posita et ex ephemeride pii legati de onere parochi s. Mariae quoad missarum celebrationem satis constat.

In visitatione anno 1823 Vicarius apostolicus qui tunc temporis dioecesim Ariminen. administrabat sanationem, absolutionem et liberationem ab ulteriori rationis redditione pro tempore transacto in satisfactionem legati Chierici indulsit et utendo facultatibus a s. Congregatione Concilii tributis decrevit, quod si parochus non possit in nonnullo die festo legatum satisfacere missam in altera die transferat, eum absolvens et liberans in hoc casu ab onere et poena a testatore injuncta et comminata, firma in ceteris obligatione etc.

Anno 1851 Pompilius Fiorentini parochus ecclesiae s. Juliani de Musano et Vicarius foraneus s. Paulae cum examini subjecissent libellum onerum missarum legati Chierici, quarum celebrandarum onus incumbit Petro Rianchi hodierno s. Mariae di Cento parocho, compertum habuere, decem ab anno 1849 ad annum 1850 irrepsisse missarum omissiones, quarum octo notantur ob arbitrariam earum translationem de uno die in alterum, aliae duae vero ob dolosam earum inscriptionem, quatenus missae celebratae ab ipso rectore asseruntur in ecclesia s. Mariae di Cento, cum constet iisdem diebus eum Sacra litasse in ecclesia s. Juliani di Musano.

Quamobrem supplici oblato libello parochus Fiorentini postulat, ut praevia relati s. visitationis decreti revocatione parochus Bianchi caducatus a legato Chierici et idem legatum suae ecclesiae devolutum declaretur ad formam testamenti.

Episcopus, audito Vicario foraneo s. Paulae qui conciliationem partibus suadendam censet, votum suum parocho Bianchi propitium pandit rationibus inferius recensendis. Quoad decretum s. visitationis haec adnotat: »Quidquid sit de dicta facultate translationis missarum saltem quoad ejus durationem, certum est hac in dioecesi, sicut in aliis, et viget consuetudo inter parochos proximiores quod occasione festorum in una ecclesia sacerdos missam celebraturus illuc mittatur a parochis vicinioribus; quibus in circumstantis Archipresbyter s. Mariae de Cento vel ipse personaliter vel capellanus legati Chierici debent extra propriam ecclesiam celebrare, cum difficillimum plerumque sit alium habere sacerdotem mittendum: ideoque missa alia die remittenda, sicuti etiam in casu infirmitatis capellani pii legati.«

Addit: »Archipresbyterum s. Mariae de Cento, postquam alius Archipresbyter de Musano litem movit, dilıgenter curasse legati Chierici adimplementum, quod adamussim omni tempore praestare non poterit ob sa-

cerdotum in loco carentiam. Ceterum (concludit), ab Emis Vestris expectandum judicium de missarum translatione atque de modo imposterum servando ab Archipresbytero s. Mariae de Cento circa revisionem libelli legati Chierici.«

Prima agenda quaestio in eo est: an testamentum Chierici sit necne admittendum. Negat parochus Bianchi, ex quo ejus simplex tantum copia nulla authenticitatis nota munita habeatur, et manu scripta parochi ecclesiae de Musano, qui ad legatum interesse habebat, ut adeo scriptura suspicione non careat, quo in casu omnino esse rejiciendam docet *s. Rota in decis 9. num. 4. part. 3. decis. 379. part. 13. recent.* Affirmat autem parochus Fiorenti, quia agitur de scriptura a viro probo et fide digno, uti est parochus, exarata et subscripta, *s. Rota decis. 193. num. 5. part. 6. recen.*, in archivio parochiali asservata, *Reiff. lib. 2. Decretal. tit. de fide instrum. §. 4. num 102. et seqq.*, et diuturna observantia confirmata, eadem *s. Rota decis. 379. num. 11. part. 12. rec.* Observantiam autem comprobat non solum ex s. visitationis libris ac ex tabello onerum, sed etiam ex montis turmentarii erectione, ex aliarum celebratione missarum, ex dotium distributione aliisque piis legatis, quae omnia ab eodem Chierici demandata, in vim dumtaxat illius testamenti, et ad normam ibi praescriptam quotidie exequutioni committuntur. Idipsum suadere decretum s. visitationis anni 1852., in quo legati Chierici ac dispositionum in testamento contentarum explicita mentio fit.

Ad vim autem hujus decreti quod attinet, illud non sustineri vel saltem revocandum esse contendit parochus Fiorentini, utpote voluntatis testatoris eversivum, accedente praesertim ejusdem prohibitione.

Perpendit e contra parochus Bianchi, decretum latum fuisse a visitatore apostolico speciali ex facultate eidem tributa illudque confirmandum etiam inposterum censet ob rationes quas Episcopus in sua relatione exponit.

Quibus utrimque praejcatis parochus Fiorentini lege testamenti innixus sustinet parochum Bianchi in poenam caducitatis a legato pio incidisse illudque sibi devolutum decerni oportere. In hoc quidem claram esse voluntatem testatoris, qui pro unica etiam omissione caducitatis poenam ipso facto incurrendam comminat usest. Exploratum pariter esse, ceu fidem facit etiam Vicarius foraneus s. Paulae ab eodem testatore legitimus quoad legati adimplementum revisor constitutus, parochum Bianchi nedum celebrationem statis diebus omisisse, sed quod magis est, falso ac dolose his eum adnotasse in libello missas quas tamen non celebrasse constat. Agi itaque non de simplici omissione, cui excusandae legitima aliqua causa afferri posset, sed de dolosa adnotatione missarum quae numquam celebratae sunt, in quo quidem excusatio admitti nequit, quia fraus et dolus nemini patrocinari debent. Hisce accedere, ecclesiam parochialem s. Juliani de Musano, cui etiam prospicere voluit testator, valde exiguo, diviti autem censu potiri paroeciam s. Mariae di Cento; quod etiam causa est, ut devolutio legati facilius decernatur.

Quibus occurrens parochus Bianchi supposita etiam testamenti existentia perpendit in jure caducitatis poenam uti odii plenam non incurri, nisi dolus in omissione evidenter probetur, ad eamque vitandam quamlibet levissimam ac erroneam sufficere causam. Observat in facto non solum abfuisse dolum et erroneam credulitatem, sed justam imo non defuisse causam de uno in alium diem missarum celebrationem transferendi, nimirum ob servitium alteri ecclesiae diebus festis, in quibus omissa est celebratio, praestitum ac sacerdotum deficientiam; sed bonam etiam probari fidem sive ex antiqua consuetudine, sive ex decreto visitationis anno 1823. edito; eo vel magis quia de caducitatis poena nulla mentio fit in legati libris et in onerum tabella, dum ipse assertum testamentum ignoraret.

Queritur post haec haud rite peractum fuisse libelli missarum examen, cum inibi nec revisorum nomen subscriptum nec ulla adnotatio facta appareat. Nihil autem quoad falsitatem in missarum adnotatione cujus insimulatur animadvertit. Videndum tamen utrum uni adversarii parochi et Vicarii foranei attestationi adhaerendum sid; aliud enim non profertur testimonium, quod quidem, cum de re notoria agatur, missae enim alibi iisdem diebus celebratae asseruntur, reperire difficile plane non fuisset. Ceterum falsae illae adnotationes, et si consisterent, fortasse errori potius quam dolo tribui possent. Praetereundum demum non est, non locum ubi

missae celebrari debeant sed earum tantum applicationem in testamento diserte praescriptam esse, si excipias missas votivas de B. M. V. quas celebrari mandavit testator nell' altare maggiore di s. Maria di Cento, ut adeo dolosa fortasse dicenda non erit hujusmodi missarum adnotatio, quatenus etsi alibi celebratae sint eas tamen juxta mentem testatoris applicaverit parochus Bianchi, uti praesumendum est, nisi contrarium probetur.

Ad modum quod attinet ab eodem parocho de Cento inposterum servandum quoad revisionem libelli missarum, quatenus testamentum admittatur, ratio ibi praescripta adimplenda foret. Quamvis enim quadraginta et amplius ab hinc annis contraria obtinuerit observantia et demandatum revisionis munus parochus de Musano et Vicarius foraneus non confecerint, attamen cum perspicuae sit fundationis lex et agatur de actibus facultativis haud inducta videtur praescriptio favore ejusdem parochi de Cento, ut ab obligatione qua tenetur sese eximere valeat.

Quibus pro utraque parte breviter disputatis dantur

Dubia:

I. *An constet de caducitate ac devolutione in casu?*

II. *An sustineatur decretum s. visitationis anni 1823 seu potius sit revocandum in casu?*

III *An et quomodo sit providendum quoad futurum relate ad verificationem adimplementi legati Chierici in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Aff. ad 1. partem, facto verbo cum SSmo ad cautelam; neg. ad 2.

Ad III: Aff. ad formam testamenti.

Die 11. Aug. 1855.

Senogallien.

Quaeritur: num sit locus caducitati ob alienationem fundi et concessionem in emphytheusim? Aperta sane est testatricis voluntas, quae alienationem et locationem fundi prohibent. Porro defunctorum voluntates modis omnibus servandas esse decernit *can. Ultima voluntas. quaest. I.*, verum haec caducitas cum poena sit incurri non posse videtur nisi in casu voluntariae alienationis. Sodalitium ss. Sacramenti fundum alienavit imperante Principe eumdemque in emphyteusim concessit ex mandato supremae Inquisitionis, cujus jurisdictioni subjicitur sodalitium. Nulla hinc culpa sodalitii intercessisse videtur, quae inflictae poenae locum faciat, cum unus et alter contractus non ex acto libero et voluntario, sed coacto et ex imperio, cui resistere nefas erat, processerit. Aut igitur nudum factum alienationis est inspiciendum et certe tunc caducitati factus est locus; aut quaerendum est de culpa, sine qua non datur poena et certe sodalitium nihil ex suo arbitrio contra testatricis voluntatem peccavit, et nequit proinde caducitatis poena mulctari.

Nec praetereundum est quod Emus Episcopus in sua *informatione* observat: *Fundum de quo in precibus testatricis voluntati obnoxium modo non esse putarem. Attento enim decreto secretariae status omnia indistincte bona ecclesiastica vendere licebat. Pretium insuper fundi modo extat apud municipium. Hinc si proprio aere sodalitas fundum redemit, iterum testatricis vinculum non reasumpsisse videtur.*

Die 12. Julii 1817.

Romana.

Nec unquam aliquis in caducitatem incurrisse censetur, nisi concurrant positiva culpa, malitia ac dolus. *Cardinalis de Luca de fideicomm. disc. 88. n. 11, Rota cor. Ansal. dec. 261. n. 24. cor. Alolin. dec. 1081. n. 19. et cor. Olivat. d. dec. 603. n. 1. et 2.*

Die 14. Apr. 1821.

Caeremoniarius.

(Distributiones, Victus.)

Vd. *Capellani colleg. ecclesiae* (electio in vicarios curatos); *Distributiones.*

Ravenaten.

Clemens Grattarola mansionarius metropolitanae ecclesiae ac caeremoniarum magister Archiepiscopi Ravennatensis in supplici libello pridem sacrae Congregationi porrecto exposuit, se tempore, quo eidem Archiepiscopo Pontificalia sive in civitate sive in dioecesi occasione pastoralis visitationis celebranti aut alias solemnes functiones peragenti in enunciato munere magistri caeremoniarum assistit, consuevisse a capitulo punctari, quod immerito fieri authumans supplicavit, capitulo injungi, ne ipsum deinceps ea de causa a chori ecclesiaeque servitio absentem punctaturis subjiceret, sed omnes ei traderentur quotidianae distributiones, quemadmodum Canonicis Archiepiscopo assistentibus pacifice persolvuntur Cum autem eminentissimi PP. sub die 13. Septembris superioris anni de petitione hac censuerint agendum esse de causa in folio descripta, hodie orator bina dubia, quae ad calcem hujusce restrictus apponentur, decidi postulat.

Summa rationum, quibus iste caeremoniarum magister contendit, se a punctaturarum lege immunem esse aut saltem ex apostolica benignitate indulgendum sibi fore. ut controversas quotidianas distributiones lucretur, in his potissimum videtur versari, primo scilicet, quod dum Archiepiscopo in munere caeremoniarum magistri assistentiam praestat eidem metropolitanae ecclesiae censeatur inservire, juxta glossam in *cap. »de caetero« de cleric. non resid.*, *Moneta de quotid. distribut. par. 2. qu. 8. n. 5.*, secundo, quod sicuti Canonici, qui a choro absunt, ut Archiepiscopo Pontificalia celebranti assistant, quotidianas distributiones percipiunt, quemadmodum pluries resolutum fuit a s. Congregatione et signanter in *Januen. sub mense Novembris 1616 lib. 11. decr. pag. 185, in Amerina »Distributionum« 3. Febr. 1529 lib. 14. decr. pag. 26.* et in *Verulana Punctaturarum 10. Julii 1694 l. 44. decr. pag. 315.*, ita debeat ipse quoque easdem quotidianas distributiones lucrari; tertio, quod redditus omnes suae mansionariae in quotidianis tantum consistant distributionibus vixque ad annuam summam scutorum triginta sex ascendant, stipendium vero sibi ratione muneris magistri caeremoniarum ab Archiepiscopo constitutum annua scuta octodecim non excedat; quarto, quod magister caeremoniarum capituli nunquam consueverit punctaturis subjici, sed distributiones quotidianas tempore, quo ratione sui muneris a choro abest, sine ulla capituli contradictione hactenus perceperit, et quinto demum, quod capitulum ab Archiepiscopo jussu supremi hujus consessus auditum nedum oratoris petitioni non contradicat.

At adversus haec duo potissimum in jure notanda sunt: alterum nempe, quod onus assistendi Archiepiscopo in Pontificalibus cuilibet canonicatui et praesertim Cathedralium comperitur adnexum, uti satis colligi videtur ex rescriptis sac. Congregationis editis in *Burgen. lib. 3. decr. pag. 54.* et *6. Octobris 1625 lib. 12. decr. pag. 316.* et in *Murana Assistentiae 28. Januarii 1673 lib. 28. decr. pag. 18.* Contra vero munus magistri caeremoniarum, licet in *Caeremoniali Episc. lib. 1. cap. 5.* moneantur Episcopi curare, ut caeremoniarum magistri ex gremio suae ecclesiae, si fieri potest, assumantur, nulli tamen canonicatui vel beneficio de jure addictum est itaut nemo ex Canonicis vel beneficiatis queat ad illud suscipiendum obstringi, ut notat *Nicol. Floscul. verb.: »Magister« n. 1.*

Alterum vero est, quod Canonicis Archiepiscopo assistentibus nulla pro onere hujusce assistentiae merces est constituta; caeremoniarum autem magistris debet certum quoddam et competens stipendium assignari ac insuper applicanda sunt praeter alias praerogativas emolumenta aliqua extraordinaria, juxta ejusdem Caeremonialis Episcoporum praescriptum *lib. 1. cap. 5. n. 8.*, ubi sic cautum legitur: »Ut autem ipsi caeremoniarum magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant animumque diversis curis et perturbationibus defatigare non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti omni studio et diligentia ac toto pectore in commissam ipsis curam et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria, item aliquibus privilegiis et praerogativis decorentur, ut promptiori animo suo muneri satisfaciant ac libros necessarios sibi comparare possint.«

Quocirca, cum oratori consentanee ad praemissam caeremonialis censuram fuerint pro munere magistri caeremoniarum sustinendo assignata ab Archiepiscopo annua scuta octodecim, cumque, si stipendium ejusmodi tenue minusque congruum reputetur, sive ab Archiepiscopo sive a capitulo supplendum sit, donec ei aliunde provideatur, uti cum aliis tradit *Nicol. in Floscul. verb.*: »*Magister*« *n. 1.*, perpendendum superest, num ejusdem oratoris petitioni refragetur canonici juris sanctio ac laudabilis sacri hujus tribunalis stilus, juxta quem nullus Canonicus seu beneficiatus a choro absens ratione muneris sibi commissi quotidianas distributiones lucratur ubi pro dicto munere aliquod percipiat stipendium, quemadmodum de Canonico munus Vicarii generalis Episcopi obeunte tradunt *Pignatt. consult. 115. n. 29. Garz. de benef. part. 2. cap. 2. n. 357.*, *Monet. de distribut. part. 2. qu. 11. a n. 83.* et consonat resolutio sac. Congr. in *Bitecten. 18. Decembris 1627 lib. 13. decr. pag. 366* et in specie Canonici tempore divinorum officiorum organum pulsantis vel cum musicis psallentis, quod distributiones quotidianas amittat, si pro ejusmodi munere certum aliquod obtineat stipendium, rescripsit eadem sacra Congregatio in »*Sancti Severini Visitationis sacrorum liminum*« *15. Novembris 1659 lib. 21. decret. pag. 802* et in *Adjacen. 11. Julii 1671 lib. 27. decr. pag. 144.*

Omnibus itaque ponderatis una cum Archiepiscopi relatione rogantur EE. PP. pronunciare:

I. *An Clemens Grattarola caeremoniarum magister Episcopi Ravennaten., quando ratione sui officii assistit eidem Archiepiscopo Pontificalia exercenti tam in ecclesia cathedrali quam in aliis quibuscumque civitatis locis, ejusdem suburbiis necnon extra civitatem in locis suae dioecesis in actu visitationis gaudere debeat distributionibus quotidianis?*

Et quatenus affirmative,

II. *An ex gratia indulgendum sit, ut dictas distributiones lucretur in casu?*

S. C. resp.:

Negative ad utrumque in casu, de quo agitur, praeterquam quando assistit Archiepiscopo in Cathedrali.

Die 1. Aug. 1739.

Lucana.

Capitulo ecclesiae collegiatae s. Michaelis Archangeli in Foro Lucensis dioeceseos s. Sedi immediate subjecto praeest Decanus, qui ante suppressionem a gallico regimine patratam anno 1808 stipendium ex capitulari massa solvebat capellanis qui chorali servitium praestabant, erantque ad ejusdem capituli nutum amovibiles. Ast ex quo die 8. April. anni 1820 s. m. Pius VII. ad vitam Collegiatam revocavit, confirmatis amplissime omnibus juribus ac privilegiis, quibus antea cumulabatur propriosque redditus singulis capellanis aeque ac Canonicis assignavit, datis ea super re apostolicis literis in forma Brevis, factum est, ut dicti capellani non amplius amovibiles esse existimarent. Quod ut rite declararetur supplices petierunt ab hac s. Congregatione, cujus judicio etiam alia quaesita chorale servitium et capituli jura respicientia subjecta fuere.

Absoluta res omnis fuit in coetu diei 3. Sept. 1825 ubi hisce dubiorum formulis propositis:

I. *An capellaniae in ecclesia collegiata s. Michaelis sint beneficia ecclesiastica, ita ut capellanis canonica institutio danda sit in casu?*

2. *An jus ad capellanias nominandi spectet ad capitulum in casu?*

3. *An et ad quem spectet jus dandi capellanis bullas institutionis in casu?*

4. *An et quot missas conventuales capellani canere teneantur in casu?*

5. *An et quomodo pro missa conventuali eleemosyna capellano celebranti sit praestanda in casu?*

6. *An capellani obsequi et in chorali servitio subditi Canonicis esse teneantur in casu?*

Sequentia data fuere responsa:

Ad 1. Affirmative in omnibus facta per Archiepiscopum canonica erectione.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Affirmative ad Decanum Capituli.

Ad 4. Affirmative pro tertia parte juxta petita.

Ad 5. Affirmative ex massa distributionum ad formam constitutionis: *Cum semper oblatas.**)

Ad 6. Affirmative in omnibus.

Ast, quod ad pacem ordinemque tutandum inter Canonicos et beneficiatos statutum fuerat, sensim dissociationibus ac jurgiis ansam praebuisse dolet. Nam capitulo auctoritatem ac regimen adhuc sibi adsciscere obnitenti tum quoad divina ac choralia munia tum quoad temporalia negotia haud amplius faciles sese praebere debere capellani arbitrati sunt quum novam perpetuitatis praerogativam in suis titulis adeptos se ipsos putarent morale corpus a capitulo sejunctum atque independens constituere: qui ideo ut rite id statuatur supplicem exhibuere libellum S. H. O.

Archiepiscopus super hisce de more rogatus dum suam abstinuit pandere sententiam tamen animadversiones a capitulo in scriptis acceptas una cum scitu opportunis tradidit. Praestat itaque breviter referre ea, quae ipsum capitulum habet ut sua tueatur jura. Et primo animadvertunt, ex distincta bonorum assignatione immerito a capellanis argui ipsos prorsus independentes a capitulo evasisse ut nullam inde super eos auctoritatem illud exercere valeat. Id siquidem adversari demonstrant tum Pontificis menti tum rectae rationi ac juri. Reque vera in literis apostolicis nihil aliud innuitur nisi ut capellani suos distinctos a capitulo redditus habeant, de independentia autem eorum ne verbum quidem adjectum fuit, quin imo capitulo omnia antiqua jura ac privilegia confirmata iisdem literis sunt. Atqui dubium non est, ante suppressionem capitulum suam omnimodam auctoritatem in capellanos exercuisse, prout etiam indubium est eos nec corpus morale seu collegium unquam efformasse, utpote qui omnibus signis ac requisitis illud constituentibus caruerunt. Quod autem antiquitus ipsis non competebat nec pariter post novum invectum rerum ordinem sibi arrogare posse consequens est. Siquidem, si excipias jus eos ad libitum amovendi, caetera quoad capitulum sarta tectaque servata esse tenendum est; caeteroquin expresse juribus capitulo competentibus derogandum fuisset; quod tamen cum non fecerit Pontifex, noluisse pariter id censendum est; nec enim ipse praesumitur jus alteri quaesitum abstulisse.

At vero, quod uni capitulo jus sit constituendi in ecclesia collegium quodque sine ipsius consensu neque Episcopus possit facultatem tribuere beneficiatis efformandi alterum collegium*) seu corpus morale, probabilius esse docet *Scarfanton. elucubr. ad Ceccop. lib. 1. tit. 4. n. 5. et seqq.*, ubi ita se habet: In dubium revocari solet an Episcopus possit sua ordinaria auctoritate indulgere beneficiatis facultatem sese coadunandi et constituendi collegium sine consensu vel consilio capituli; et quamvis Rota hunc articulum indecisum reliquerit, videtur negativam esse probabiliorem, quia cum capitulo Canonicorum jus assistat constituendi in ecclesia cathedrali collegium ac resistat ne illud faciant beneficiati, hoc esset quoddammodo statuere contra jus, quod Episcopo non licet sed tantummodo hoc est reservatum summo Pontifici. Cui consonat etiam *Pignatell. tom. 9. consult. 118. n. 3.* Et merito id statui posse videtur: ipsi enim non faciunt unum corpus cum Canonicis, sed in ecclesiis considerantur uti singuli, quia nequeunt sibi caput efficere, eorum officium est mere servile, ideoque capitulis subesse debent, prout animadvertit cit. auct. *sub. n. 1. loc. cit.* addens *n. 2. et seq.*: »cum quodammodo monstrum praeseferat, quod in una eademque ecclesia biceps corpus existat Canonicorum et beneficiatorum, *Abb. in cap. Dilecta n. 1. et 2. de excess. praelat.*, nisi praedicti beneficiati sive capellani speciale indultum et privilegium haberent . . . . repraesentandi collegium . . . . . vel saltem immemorialem vel quadragenariam cum titulo.« Verumtamen tam longe abest capellanis posse unum vel alterum ex hisce titulis opitulari ut potius utrumque favore capituli existens perempforie iisdem obstet.

Quod si dicti capellani morale corpus non constituunt, nec pariter de jure libere administrandi necnon sese congregandi, de quo agit secundum dubium, constare posse consequens est. Ipsos enim a capitulo dependentiam profiteri opus esse patet tum ex

*) Vd. t. *I. p. 695.*

*) Vd. t. *II. p. 139 n. 11.*

praemissis tum etiam ex ipsius apostolici Brevis mente, quae satis eruitur ex actibus exequutionis ipsius Brevis, quod sane elusorium redderetur, si libera pollerent et se congregandi et proprios redditus administrandi facultate. Quin etiam ideo se congregandi facultate destituuntur, quin subsunt capitulo. Ad rem *Rota in decis. 76. n. 22. et seq. par. 7. recen.*, ibi: »quo vero ad alterum caput sententiarum rotalium continens beneficiatis non competere jus se congregandi justitia desumitur ex iisdem fere rationibus, quibus fuit comprobatum non competere jus statuendi . . . . . et dum ipsi considerantur tanquam singuli nec collegium constituunt, sed subsunt capitulo, sine superiori licentia non est permissum ipsis facere congregationes, ut in his terminis de beneficiatis ecclesiae Gerunden. est decisio.«

Et clarius in alia *decis. 112. et seq. part. 7. recent.* id ipsum statuitur, ibi: »In hac causa fuit resolutum quod beneficiati hujus ecclesiae non faciunt collegium neque possunt propterea collegialiter se congregare: nota secundo quod licet sint plures clerici beneficiati in eadem ecclesia tamen non per hoc dicuntur constituere collegium seu facere capitulum, cum non possint exigere signa collegii nec collegialiter se congregare.« Hisce adde dispositum statuti ipsius ecclesiae quod sub *cap. 6. §. 9.* sic se habet: »Statuimus et ordinamus, quod capellani . . . . teneantur celebrare et alia facere juxta ordinationem Decani et capituli Canonicorum sub poenis per eosdem Decanum et capitulum imponendis«; et in *sequenti §. 10.* absolute iidem capellani prohibentur« condere statutâ nisi de consensu Decani et capituli Canonicorum«. Quaquaversus igitur res inspiciatur, patet quod nonnisi quam cum capituli seu Decani dependentia ac auctoritate se congregare valent. Quoad locum vero, num scilicet admittendi sint in sacrario, animadvertunt perangustum illud esse ceteroquin unicum, ubi conveniunt omnes ecclesiae ministrare tam tempore choralis servitii quam aliarum functionum, quae multiplices esse solent ob curam animarum; proinde locum illum incongruum ad sessiones habendas dicunt, et nonnisi quam in magnum incommodum ecclesiae et paroeciae id cederet.

Nec minus abnorme esse dicunt quod in tertio quaeritur dubio, ut scilicet nullum jus capitulum habeat circa fallentias. Id siquidem primo respui contendunt ab hac ipsa S. C. in responsione sexto loco data, quae sane conformis videtur declarationi quam capitulum protulerat quamque refert *fol. 6. Augusti illius anni §. Igitur*, ad cujus insuper tramites ipsius exequutorem decrevisse patet dum statuit: sciant omnes et singuli praedictae insignis collegiatae ecclesiae capellani beneficiati se obstrictos esse ad obsequendum suis Canonicis et capitulo seque insuper in chorali servitio subditos Canonicis eisdem esse teneri, prout ad praestandum obsequium, atque insuper ad praestandum in chorali servitio obedientiam eos in Domino hortamur et apostolica auctoritate jubemus.

Secundo a jure etiam refelli addunt: »jus enim mutandi, prout monet *Scarfanton. lib. 1. lit. 3. n. 39.*, venit in sequelam juris praesidendi in choro. Atqui ad capitulum hoc jus pertinere dubium non est, quod reapse illud solet exercere seu per digniorem seu per alium Canonicum specialiter deputatum. Et magis in themate juri absonum id patet si animadvertatur capitulum exemptione frui et collegiatam omnimodae Decani auctoritati subjectam esse, ita ut iste jurisdictionem ordinariam et contentiosam exerceat super ecclesia ejusque clero. Jam vero quemadmodum nefas esset Episcopo choro interessenti denegare jus privativum corrigendi et mulctandi delinquentes in choro, ita nequit id denegari capitulo et praecipue Decano, qui eadem pollet in themate jurisdictione; si enim iste jus non haberet capellanos aliosque ecclesiae ministros ejusdem servitio mancipatos mulctandi quoties suis muneribus deficiunt, jam inanis esset ejus jurisdictio, ut optime in his terminis tenuit *Rota dec. 693. n. 8. coram Seraphin., decis. 66. n. 14. coram Ludovis. et decis. 253. per tot. par. 6. recen.* Demum id confirmant exemplo ecclesiae cathedralis, in qua licet ejus beneficiati constituant corpus morale atque universitatem, nihilominus quoad punctaturas, vigilantiam ac earundem punctaturarum revisionem subsunt Canonico ad id deputato.

Ultimo loco jus sibi caeremoniarum magistrum habendi desumunt Canonici ex immemorabili ac jugi ipsius ecclesiae consuetudine; ad quam rite probandam licet impares esse fateantur ob deperditos in invasione gallica plures libros decretorum,

tamen ex aliquibus repertoriis id supplere posse existimant, quae inter animadversione dignum referunt illud anni 1618 ubi memoratur decretum anni 1584 praescribens nominationem caeremoniarii ex capellanorum numero necnon alia bina ejus generis decreta dierum 7. Martii et 4. April 1661. Id ipsum quoque ultimis temporibus nempe ab anno 1779 usque ad praesens observatum fuisse ex capitularibus libris erui dicunt. Quibus si adjiciatur dispositio constitutionum in *cap. 5. sup. rel.* necnon recepta consuetudo aliarum Collegiatarum Lucanae dioeceseos luce meridiana clarius patere concludunt, ineluctabile jus capitulo inesse unum ex capellanis assumendi in caeremoniarum magistrum eosque ad id muneris praestandum consequenter teneri.

Praestat modo aures praebere argumentis quae orator a capellanis assumptus ad eorum jura tuenda profert. Justitiae consonum esse (ipse ait) ut primum dubium affirmativo dimittatur rescripto. Certum enim est capellanis s. Michaelis in foro corporis moralis seu universitatis qualitatem non deesse, in vim apostolicarum literarum 8. April. 1800. Et reapse nemo melius concedentis Pontificis mentem poterat interpretari quam Lucanus Archiepiscopus qui pontificii Brevis exequutor fuit renunciatus. Jam vero in omnibus exequutionum decretis, quibus actum est vel de assignatione bonorum vel de jure eligendi deputatos vel de statuendo tempore ac modo celebrationis missarum, semper collectivo nomine corporis moralis capellani sunt nuncupati, idque confirmavit etiam s. m. Pontifex Leo XII., qui universitatem illos declaravit: sequitur ergo quod ipsi morale corpus seu universitatem constituant.

Ejusdem vero a capitulo independentiam pluribus adductis rationibus vindicat dictus defensor. Ex separata etenim ac distincta massa capellanis attributa, ex nullo jure quod Canonici habent in ejusdem administratione, ex libera electione deputatorum quam perficere capellani debuerunt ut cum Archiepiscopo statuerent quid expedire collegii bono videretur, ex separatione redditu um chorales distributiones constituentium a capellanis peracta independenter a capitulo ac demum ex facultate praestituendi modum et tempus celebrationis missarum concludi posse videtur capellanos veram ac propriam universitatem constituere a Canonicorum collegio distinctam ac prorsus independentem.

Hanc autem ex generali consuetudine methodum probat servari in iis ecclesiis, in quibus beneficiati propria habent bona a massa capitulari divisa, exemplis adductis Basilicarum Urbis nempe s. Mariae transtyberim ac s. Laurentii in Damaso, quam quidem consuetudinem utpote generalem capellanorum etiam s. Michaelis in foro collegio opitulari debere nemo non noscit, s. *Rota in recen. p. 10. decis. 200. n. 2. cor. Seraph. decis. 639. n. 5.* Invocat demum Lucani Archiepiscopi Sardii testimonium qui cum rogatus in alia causa Lucana capellaniarum a s. Congregatione fuisset, ut suam super capellanis s. Michaelis aperiret sententiam, in haec verba respondit: »In ipsis collegium ecclesiasticorum chori servitio legitime addictum propriis bonis et privilegiis gaudens recognoscere coactus fui.«

Unicam dependentiam quam habere a Canonicis capellani debent eam esse inquit, quae circa chorale servitium servatur, dummodo dispositiones hac super re a capitulo edendae rationabiles sint nec beneficiatorum juribus praejudicium inferant. Id namque decrevit s. Congregatio *in Lucana Capellaniarum*, in qua proposito dubio:

An capellani obsequi et chorali servitio subditi Canonicis esse teneatur in casu?

respondit: Affirmative.

Ex hac autem re judicata novum argumentum exurgere asserit capellanorum independentiae favore, nam si eorum obedientia ad chorale cohibetur servitium, in caeteris exulare debet omnino juxta tritissimum illud: exceptio firmat regulam in contrarium. Jam vero obedientiam in chorali servitio capellani capitulo praestare minime recusant atque idcirco postulant ut rescripto modus adjiciatur: »salva dependentia a capitulo in servitio chorali.«

Inde deducit, injuria prorsus summa Lucanum Archiepiscopum in exequendo s. Congregationis decreto disjunxisse verbum »obsequi« ab aliis »subditi esse in servitio chorali teneantur«, quia id repugnat propriae et germanae significationi particulae »Et«, quae copulativa habetur in jure et subsequentia antecedentibus nectit, *Barbos. in tract. de dict. usufrequent.*

Quamobrem verbum *obsequi* latiorem non potest habere sensum quam aliud *subditi esse*, sed ambo ad chorale servitium restringuntur. Idque magis magisque tenendum

in themate ait, quia si s. Congregatio verbo *obsequi* universalem obedientiam significare voluisset inutile prorsus erat ut capellanis subjectionem praeciperet in chorali servitio, nam si in omnibus a fortiori in iis quae ad chorale servitium spectabant obedientia ipsa praestari ex jure debebat. Nec praeterit idem orator quod Lucani Archiepiscopi interpretatio pontificium Pianum Breve funditus everteret, quod uti patet ex decretis exequutorialibus capellanis permisit, ut absque ulla a capitulo dependentia propria curarent negotia.

Post haec respondet exceptioni a Canonicis propositae, quod absurdum sit ut duo moralia corpora in eadem existant ecclesia. Hoc enim juris principium tum locum sibi vindicare ait, quando duo moralia corpora iisdem juribus pollerent. Tunc enim confusio oriretur, sed nulla ordinis in themate perturbatio metui potest si beneficiati propria curent negotia et quoad illa libere disponant praesertim cum nihil inde detrimenti divinus cultus patiatur cui satis provisum fuit decreto s. Congregationis, quod beneficiatis injunxit, ut in chorali servitio obsequi et subditi esse Canonicis tenerentur. Quod si reapse absurdum esset, ut duo moralia corpora in eadem ecclesia existerent, haud certe Pontifices summi illud perdurare scivissent in ecclesiis praesertim quae in Urbe existunt.

Nec ullum facessit negotium (prosequitur capellanorum orator) quod Piani Brevis exequutor illam capellanis dependentiam imposuerit quam ante Collegiatae suppressionem servabant. Argumentum namque istud nihil faciendum est, quia nimis probaret scilicet capellanias adhuc manuales esse, et tamen contrarium censuit s. haec Congregatio in *Lucana Capellaniarum,* ubi rogata:

An capellaniae in ecclesia collegiata s. Michaelis sint beneficia ita ut capellanis canonica institutio danda sit in casu?

respondit: Affirmative in omnibus facta per Archiepiscopum canonica erectione. Animadvertendum deinde est dependentiam istam ad servitium chorale dumtaxat restringi veluti s. hujus Ordinis res judicata decrevit.

Ad alterum deinde dubium gradum faciens contendit capellanorum defensor constare favore collegii beneficiatorum de jure libere administrandi redditus eisdem assignatos necnon de jure sese congregandi in sacrario ecclesiae pro moderandis negotiis ejusdem administrationis. Nam ad administrationem quod attinet, Lucanus Archiepiscopus capellanis bona concessit, veluti patet ex decreto exequutoriali diei 4. Julii 1820. Quousque igitur decretum istud suis viribus stabit, jus erit beneficiatis propria bona libere administrandi praesertim cum s. Congregatio, praeter servitium chorale, in caeteris beneficiatos a Canonicorum jurisdictione immunes declaravit.

Jus vero sese congregandi probat quia fas scilicet est collegiis coetus habendi, *Bald. in cons. 370. n. 12. volum. 2.* Atque hanc facultatem concessam in facto ab apostolico exequutore capellanis fuisse. Neque enim hi proprios nominare administratores, deputatos ex proprio gremio eligere ac demum praestituere modum ac tempus celebrationis missarum valuissent, nisi sese congregandi jus datum ipsis fuisset. Necessarium vero esse ait, ut haec facultas inposterum etiam perduraret, secus haud possent dispositiones peragere quae ad rectam pertinent administrationem bonorum ipsis assignatorum. Hic etiam generalis et peculiaris consuetudo a capellanis invocatur, quarum prima ex eo depromitur quod in Urbis ecclesiis beneficiati propria gaudent massa, altera ex facto capellanorum ipsorum qui ex eo temporis momento quo in assignatorum sibi bonorum possesionem venere libere semper ea administrarunt atque ut propria pertractarent negotia sese congregare consueverunt.

Concludunt demum maxime conveniens esse, ut iisdem sacrarii usus pro congregationibus habendis concedatur, quia quum de ecclesiasticis personis atque ecclesiasticis negotiis agatur aequum est ut in ecclesiastico loco congregentur, scilicet in sacrario, quia nullus alius locus s. Michaelis ecclesiae adhaeret. Neque ex congregationibus hisce aliquid impedimenti vel sacris functionibus vel capitularibus conventibus paratur, quia capellani sacrarii usum reposcunt pro iis dumtaxat horis, in quibus nec sacrae functiones peraguntur nec capitulares coetus habentur.

Super tertio dubio, scilicet super privativo capellanorum jure signandi fallentias et retinendi librum in quo ipsae signantur, ita ratiocinatur laudatus orator. Fallentiae nil aliud sunt, nisi quotidianarum distributionum privatio. Atqui distributiones ca-

tamen ex aliquibus repertoriis id supplere posse existimant, quae inter animadversione dignum referunt illud anni 1618 ubi memoratur decretum anni 1584 praescribens nominationem caeremoniarii ex capellanorum numero necnon alia bina ejus generis decreta dierum 7. Martii et 4. April 1661. Id ipsum quoque ultimis temporibus nempe ab anno 1779 usque ad praesens observatum fuisse ex capitularibus libris erui dicunt. Quibus si adjiciatur dispositio constitutionum in *cap. 5. sup. rel.* necnon recepta consuetudo aliarum Collegiatarum Lucanae dioeceseos luce meridiana clarius patere concludunt, ineluctabile jus capitulo inesse unum ex capellanis assumendi in caeremoniarum magistrum eosque ad id muneris praestandum consequenter teneri.

Praestat modo aures praebere argumentis quae orator a capellanis assumptus ad eorum jura tuenda profert. Justitiae consonum esse (ipse ait) ut primum dubium affirmativo dimittatur rescripto. Certum enim est capellanis s. Michaelis in foro corporis moralis seu universitatis qualitatem non deesse, in vim apostolicarum literarum 8. April. 1800. Et reapse nemo melius concedentis Pontificis mentem poterat interpretari quam Lucanus Archiepiscopus qui pontificii Brevis exequutor fuit renunciatus. Jam vero in omnibus exequutionum decretis, quibus actum est vel de assignatione bonorum vel de jure eligendi deputatos vel de statuendo tempore ac modo celebrationis missarum, semper collectivo nomine corporis moralis capellani sunt nuncupati, idque confirmavit etiam s. m. Pontifex Leo XII., qui universitatem illos declaravit: sequitur ergo quod ipsi morale corpus seu universitatem constituant.

Ejusdem vero a capitulo independentiam pluribus adductis rationibus vindicat dictus defensor. Ex separata etenim ac distincta massa capellanis attributa, ex nullo jure quod Canonici habent in ejusdem administratione, ex libera electione deputatorum quam perficere capellani debuerunt ut cum Archiepiscopo statuerent quid expedire collegii bono videretur, ex separatione redditum chorales distributiones constituentium a capellanis peracta independenter a capitulo ac demum ex facultate praestituendi modum et tempus celebrationis missarum concludi posse videtur capellanos veram ac propriam universitatem constituere a Canonicorum collegio distinctam ac prorsus independentem.

Hanc autem ex generali consuetudine methodum probat servari in iis ecclesiis, in quibus beneficiati propria habent bona a massa capitulari divisa, exemplis adductis Basilicarum Urbis nempe s. Mariae transtyberim ac s. Laurentii in Damaso, quam quidem consuetudinem utpote generalem capellanorum etiam s. Michaelis in foro collegio opitulari debere nemo non noscit, s. *Rota in recen. p. 10. decis. 200. n. 2. cor. Seraph. decis. 639. n. 5.* Invocat demum Lucani Archiepiscopi Sardii testimonium qui cum rogatus in alia causa Lucana capellaniarum a s. Congregatione fuisset, ut suam super capellanis s. Michaelis aperiret sententiam, in haec verba respondit: »In ipsis collegium ecclesiasticorum chori servitio legitime addictum propriis bonis et privilegiis gaudens recognoscere coactus fui.«

Unicam dependentiam quam habere a Canonicis capellani debent eam esse inquit, quae circa chorale servitium servatur, dummodo dispositiones hac super re a capitulo edendae rationabiles sint nec beneficiatorum juribus praejudicium inferant. Id namque decrevit s. Congregatio *in Lucana Capellaniarum*, in qua proposito dubio:

An capellani obsequi et chorali servitio subditi Canonicis esse teneatur in casu?

respondit: Affirmative.

Ex hac autem re judicata novum argumentum exurgere asserit capellanorum independentiae favore, nam si eorum obedientia ad chorale cohibetur servitium, in caeteris exulare debet omnino juxta tritissimum illud: exceptio firmat regulam in contrarium. Jam vero obedientiam in chorali servitio capellani capitulo praestare minime recusant atque idcirco postulant ut rescripto modus adjiciatur: »salva dependentia a capitulo in servitio chorali.«

Inde deducit, injuria prorsus summa Lucanum Archiepiscopum in exequendo s. Congregationis decreto disjunxisse verbum »obsequi« ab aliis »subditi esse in servitio chorali teneantur«, quia id repugnat propriae et germanae significationi particulae »Et«, quae copulativa habetur in jure et subsequentia antecedentibus nectit, *Barbos. in tract. de dict. usufrequent.*

Quamobrem verbum *obsequi* latiorem non potest habere sensum quam aliud *subditi esse*, sed ambo ad chorale servitium restringuntur. Idque magis magisque tenendum

in themate ait, quia si s. Congregatio verbo *obsequi* universalem obedientiam significare voluisset inutile prorsus erat ut capellanis subjectionem praeciperet in chorali servitio, nam si in omnibus a fortiori in iis quae ad chorale servitium spectabant obedientia ipsa praestari ex jure debebat. Nec praeterit idem orator quod Lucani Archiepiscopi interpretatio pontificium Pianum Breve funditus everteret, quod uti patet ex decretis exequutorialibus capellanis permisit, ut absque ulla a capitulo dependentia propria curarent negotia.

Post haec respondet exceptioni a Canonicis propositae, quod absurdum sit ut duo moralia corpora in eadem existant ecclesia. Hoc enim juris principium tum locum sibi vindicare ait, quando duo moralia corpora iisdem juribus pollerent. Tunc enim confusio oriretur, sed nulla ordinis in themate perturbatio metui potest si beneficiati propria curent negotia et quoad illa libere disponant praesertim cum nihil inde detrimenti divinus cultus patiatur cui satis provisum fuit decreto s. Congregationis, quod beneficiatis injunxit, ut in chorali servitio obsequi et subditi esse Canonicis tenerentur. Quod si reapse absurdum esset, ut duo moralia corpora in eadem ecclesia existerent, haud certe Pontifices summi illud perdurare scivissent in ecclesiis praesertim quae in Urbe existunt.

Nec ullum facessit negotium (prosequitur capellanorum orator) quod Piani Brevis exequutor illam capellanis dependentiam imposuerit quam ante Collegiatae suppressionem servabant. Argumentum namque istud nihil faciendum est, quia nimis probaret scilicet capellanias adhuc manuales esse, et tamen contrarium censuit s. haec Congregatio in *Lucana Capellaniarum,* ubi rogata:

An capellaniae in ecclesia collegiata s. Michaelis sint beneficia ita ut capellanis canonica institutio danda sit in casu?

respondit: Affirmative in omnibus facta per Archiepiscopum canonica erectione. Animadvertendum deinde est dependentiam istam ad servitium chorale dumtaxat restringi veluti s. hujus Ordinis res judicata decrevit.

Ad alterum deinde dubium gradum faciens contendit capellanorum defensor constare favore collegii beneficiatorum de jure libere administrandi redditus eisdem assignatos necnon de jure sese congregandi in sacrario ecclesiae pro moderandis negotiis ejusdem administrationis. Nam ad administrationem quod attinet, Lucanus Archiepiscopus capellanis bona concessit, veluti patet ex decreto exequutoriali diei 4. Julii 1820. Quousque igitur decretum istud suis viribus stabit, jus erit beneficiatis propria bona libere administrandi praesertim cum s. Congregatio, praeter servitium chorale, in caeteris beneficiatos a Canonicorum jurisdictione immunes declaravit.

Jus vero sese congregandi probat quia fas scilicet est collegiis coetus habendi, *Bald. in cons. 370. n. 12. volum. 2.* Atque hanc facultatem concessam in facto ab apostolico exequutore capellanis fuisse. Neque enim hi proprios nominare administratores, deputatos ex proprio gremio eligere ac demum praestituere modum ac tempus celebrationis missarum valuissent, nisi sese congregandi jus datum ipsis fuisset. Necessarium vero esse ait, ut haec facultas inposterum etiam perduraret, secus haud possent dispositiones peragere quae ad rectam pertinent administrationem bonorum ipsis assignatorum. Hic etiam generalis et peculiaris consuetudo a capellanis invocatur, quarum prima ex eo depromitur quod in Urbis ecclesiis beneficiati propria gaudent massa, altera ex facto capellanorum ipsorum qui ex eo temporis momento quo in assignatorum sibi bonorum possesionem venere libere semper ea administrarunt atque ut propria pertractarent negotia sese congregare consueverunt.

Concludunt demum maxime conveniens esse, ut iisdem sacrarii usus pro congregationibus habendis concedatur, quia quum de ecclesiasticis personis atque ecclesiasticis negotiis agatur aequum est ut in ecclesiastico loco congregentur, scilicet in sacrario, quia nullus alius locus s. Michaelis ecclesiae adhaeret. Neque ex congregationibus hisce aliquid impedimenti vel sacris functionibus vel capitularibus conventibus paratur, quia capellani sacrarii usum reposcunt pro iis dumtaxat horis, in quibus nec sacrae functiones peraguntur nec capitulares coetus habentur.

Super tertio dubio, scilicet super privativo capellanorum jure signandi fallentias et retinendi librum in quo ipsae signantur, ita ratiocinatur laudatus orator. Fallentiae nil aliud sunt, nisi quotidianarum distributionum privatio. Atqui distributiones ca-

pellanorum non ex capitulari massa sed ex ipsorum capellanorum massa depromptae sunt. Atqui caetera bona massam efformantia capellanorum administrationi subsunt independenter a capitulo; ergo in quotidianis etiam distributionibus, quae pars sunt dictorum bonorum, nullam sibi jurisdictionem arrogare potest capitulum; unde nec fallentias signare vel signaturae assistere Canonici valent, quum nullum jus habeant super distributionibus circa quas versantur fallentiae. Idque obtinet ex generali consuetudine in Romae, Liburni, Feroniae atque in oppidi Camajoris ecclesiis et obtinuit etiam ad haec usque tempora in ecclesia s. Michaelis in Foro. Quamobrem nonnisi per injuriam Canonici possent antiquissimo hoc privativo jure capellanos expoliare.

Neque ex obedientia, quam beneficiati erga Canonicos in chorali servitio praestare tenentur, punctandi vel punctaturae assistendi jus exurgit favore Canonicorum, nam jurisdictio quam in servitio chorali Canonici in capellanos exercent id solum secumfert, ut poenis indictis illos ad obediendum adigere valeant. Quin dicas quodsi Canonici punctaturae saltem non assisterent, beneficiati distributiones etiam absentibus in choralis servitii praejudicium possent elargiri. Etenim id praesumi maxime potest de optimis viris quibus divinus cultus maxime cordi est, praesertim quum eorum plurimi intersit ut absentes distributiones non lucrentur, quae in commodum cedunt utilitatemque praesentium.

Incassum vero Canonici contenderent punctaturae assistentiam ipsis denegari non posse, quia quandoque beneficiatos ad inobedientiae poenam luendam punctaturae ope damnantur. Nam injustum est et absurdum ut distributionibus quotidianis quae ratione laboris et assistentiae in divinis debentur ceu monet *Piton. discept. eccles. 125* beneficiati in poenam priventur, injustum inquam, quia eo ipso quo praesentes sunt capellani quotidianas distributiones debent ex justitia lucrari; absurdum vero quia unius poena ceteris prodesset, quin majus praestarent servitium, ob beneficiati praesentiam qui ad distributionem admittendam damnatur.

Postremo animadvertit nullam adduci posse a Canonicis rationabilem specificam causam, ob quam privativum punctandi jus capellanis ademerint, quia inconvenientia de quibus ipsi generatim loquuntur nunquam sibi locum vindicarunt, eo quod beneficiati semper obsequentes erga Canonicos fuerunt, veluti capituli Decanus testatur. Quod si signandi vel signaturae assistendi jus Canonici non habent, conveniens est, ut fallentiarum liber penes collegium beneficiatorum maneat.

Quoad quartum dubium paucis sese expedit verbis capellanorum assertor. Ait enim nullam invocari posse a Canonicis legem quae capellanos cogat ad magistri caeremoniarum munus obeundum; quin imo quoties ad id assumi velint opus est ut gaudeant certa mercede, quae multis caeremoniarum magistris tribui solet etiam ex praescripto Caerem. Episcopor., ut videre est in *lib. 1. cap. 5. n. 8.* Idque particulariter ecclesiae s. Michaelis in Foro consonum esse dicit, quia etsi ante suppressionem Collegiatae capellani amovibiles essent ad nutum et stipendium ex canonicali massa perciperent tamen pro caeremoniarum magistri munere exercendo mercedem assequebantur in annua quantitate modiorum sex frumenti. Paratos vero sese ultro capellani declarant munus ipsum obire, dummodo Canonici ipsis consultam mercedem rependant.

Hisce utrinque perpensis enodanda veniunt

Dubia:

I. *An et quomodo capellani s. Michaelis in Foro constituant corpus morale seu universitatem a capitulo distinctam in casu?*

II. *An favore ejusdem universitatis capellanorum constet de jure libere administrandi redditus eidem assignatos et congregari valeant in sacrario ecclesiae pro moderandis negotiis ejusdem administrationis in casu?*

III. *An constet de jure capellanorum signandi fallentias independenter a capitulo et retinendi librum in quo eaedem fallentiae signantur in casu?*

IV. *An et quomodo liceat Canonicis cogere capellanos ad obeundum munus magistri caeremonarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative quoad administrationem tantum.

Ad II: Quoad liberam administrationem affirmative, in reliquis affirmative petita venia a Decano capituli.

Ad III: Affirmative cum omnimoda dependentia a capitulo.

Ad IV: Affirmative soluta congrua praestatione.

Die 25. Sept. 1847.

Lucana.

Jam a saeculo decimo sexto in ecclesia ss. Paulini et Donati in civitate Lucana erat simul paroecia et Collegiata coalescens Priore, cui immiuet cura animarum, necnon 10 Canonicis et 12 capellanis. Jam tum separata erat administratio, quae parochiae oneribus et expensis satisfaciebat, Lucano vocabulo *Opera* nuncupata, et alia, quae rebus ad capitulum pertinentibus prospiciebat.

Collegiata tum primum exiguis dotata redditibus exiguum etiam chori servitium Capitularibus imposuit. Sed anno 1679 cum capitulo pinguissimum ducentorum de camera ducatorum beneficium perpetuo unitum ab Innocentio XI. fuisset, insimul statutum est, ut dimidia Capitularium pars singulis cujusque mensis quindecim diebus per vicem choro inserviret, omnes vero omnibus per annum festis diebus, qui tamen communes dies sub anno 1784 a s. hoc Ordine ad solemniores tantum reducti sunt.

Sic se res habebant in postrema Gallorum irruptione, qua in communem ruinam ss. Paulini et Donati Collegiata correpta fuit. At pace iterum restituta apostolicae literae incip: *Summus Pontifex* ad Archiepiscopum a s. m. Pio VII. datae sunt die 8. Aprilis 1820, quibus Lucanae dioecesis collegia in pristinum statum revocata fuerunt per haec verba: *Nos tibi tanquam apostolico Delegato mandamus, ut bona redditusque praedictos in dotationem capitulorum et capellanorum cathedralis ecclesiae et collegiatarum ecclesiarum, coenobiorum utriusque sexus necnon in supplementum congruae parochorum et pro expensis necessariis ad divinum cultum in respectivis ecclesiis parochialibus (quas expensas praefinire redditusque in eas erogandos administrare ad eos pertineat, qui institutionibus illis vulgo Opera nuncupatis praesunt) aequa et convenienti proportione assignes et attribuas juxta inferius indicandam instructionem nostram, decernentes ut singulae paraeciae et regularium utriusque sexus communitates tam redditus et bona quam coenobia et monasteria de novo regularibus praedictis respective adsignanda tamquam sua possideant et retineant.* His literis adnexa fuit instructio ibidem memorata cum nota, qua cujuslibet coetus bona et capitis annua pensio determinabatur.

Antequam vero in eadem Collegiata functiones chorales persolvi coepissent, statim quaestio suborta erat, cui onus competeret exsolvendi expensas officii choralis, an videlicet Operae administratori, vulgo *Operario*, an capitulo, per aequam Capitularium contributionem. Hinc ab Archiepiscopo tunc temporis precaria lex interim statuta fuit.

Nunquam vero adhuc inter Operae administratorem et capitulum eo res perductae fuerunt, ut hujusmodi controversia componeretur. Interim anno 1823 sub die 24. Januarii laica postestas, consentiente ecclesiastica, aliquas leges evulgavit, quibus sacra Lucanae ditionis res regeretur.

Quae quidem leges ortam jamdiu controversiam magis implicarunt auxeruntque. Tandem collegii Prior Bartholomaeus Bartelloni s. huic Ordini eamdem detulit, ut sapientissimo EE. DD. judicio dirimeretur: eoque mox ad aliam dignitatem translato instantiam instauravit hodiernus Operae administrator addiditque alia quaestionum capita, quae sequuntur, scilicet an capitulum e capellanoum coetu vicarios curatos eligere, an capitulum omnibus diebus posset alterius ex capellanis personam adhibere, ut caeremoniarum magistri munus exerceat, tandem cui competat jus nominandi, eum qui in divinis officiis agendis organa pulsat, ad capitulum seu potius ad Operarium. Utriusque partis commenta super propositis dubiis retulit Archiepiscopus, quae praestat brevi calamo exponere.

Ad primam de expensis quaestionem quod attinet monendum est, Canonicos non recusare, quin ipsi in se recipiant onus solvendi potissimum publica vectigalia Principi et annuum salarium proprio cancellario aliisque omnibus, qui suam capitulo operam locant: comparandi ceram pro publicis supplicationibus, pro ea praesertim, quae agitur in festo Corporis Christi, tandem providendi ea omnia, quae anterior bonorum capitularium administratio postulat. Lis est praecipue circa expensas, quae propius tangunt functiones in choro a capitulo celebrandas. Hujusmodi est cera pro missis conventualibus et pro aliquibus ex horis canonicis, necnon thus quando

eo opus est; merces iis tradenda, qui tintinnabula pulsant, et acolythis, qui in chorali officio capitulo inserviunt, quique pro majore functionum dignitate aliquoties extra ordinem invitantur; tandem intortitia in die Purificationis B. M. V. et palma Priori dari solita in dominica olivarum.

Jam vero Operae administrator pluribus ex capitibus probare nititur, harum expensarum obligatione capitulum dumtaxat obstringi. Et primo ex antiquis constitutionibus capitulo datis jam ab anno 1555; constat siquidem articulo primo 40 *staria grani similia ab Opera s. Donati separata fuisse et capitulo applicata*, ut distributionum massa, ex quibus Capitularium praebenda usque ad gallicam perturbationem conficiebatur, magis ampliaretur. Articulo vero 17. legitur: »*Item quod merces duorum acolythorum praedictorum et similiter expensae pulsationum nostrarum campanarum et aliae expensae in futurum fiendae in servitium ecclesiae dividantur pro medietate inter Priorem et Canonicos et pro alia medietate inter dictos capellanos exceptis tantum festivitatibus Titularium capellanorum, qui teneantur etc.*

Id ipsum porro observatum fuisse usque ad gallicam subversionem duplici probat monumento: alterum est ex prioratus tabulario elicitum, ubi declaratur, quod ab Innocentio XI. chori servitium adauctum est pluries capitulo coacto. Altero continetur fides archivistae congregationis ecclesiasticae.

Demum nihil ab antiquis hisce dispositionibus diversum constitutum fuisse probat in Collegiatae restitutione, quin immo quae post id temporis consequuta sunt intentionem suam magis explere: quippe perpetuo de impensis ad parochialem administrationem necessariis Operae impositis oblocuta sunt, nunquam de Collegiatae officiatura aut chorali servitio. Ita sane in Brevi pontificio pro Collegiatae restitutione lato non aliud imponitur Operae onus, quam pro *expensis necessariis ad divinum cultum in respectivis ecclesiis parochialibus*. Deinde in reddituum assignatione conficienda Operae s. Paulini adscripta fuit eadem summa, quae adscripta fuerat Operi ecclesiarum s. Alexandri itemque s. Petri Somaldi, quae mere paraeciales sunt et minoribus forte expensis obnoxiae. Item Archiepiscopus Sardi, illius Brevis executor, praecepit expresse, ut administratio Operae parochialis separata foret ab ea quae capituli est.

Consonant leges a laica potestate editae non sine ecclesiasticae auctoritatis consensu, quae, ut articulo I. legitur, voluerunt, ut Operae parochiales distincto ac separato patrimonio uterentur. Et quamvis proxime subjungant hujus patrimonii redditus erogandos esse in fabricam ecclesiae et divinum cultum, attamen art. 68. vetant operariis, ne aliquem sumptum capessant. Jamvero in casu adest titulus, applicatio nempe pinguissimi beneficii a s. m. Innocentio XI. capitulo facta, unde exauctum chori servitium, exaucta inservientium salaria: adest consuetudo, ut nuper se probasse defendit Operarius. Consonat et ipsa ratio, quae dictat expensas ab iis merito persolvi, quorum functionibus exequendis et necessariae sunt et revera inserviunt.

Quid plura? Binas ad effectum sustinendi controversas expensas assecutum fuisse capitulum assignationes a s. Sede propugnat Operarius. Prima sistit in annua emphyteutica praestatione, quae derivat ex fundo quodam pertinenti ad unicam separatam praebendam, quae in collegiata ecclesiastica erat ante gallicam invasionem; quique a communi clade servatus est ex eo, quod emphyteuta post factam singulis ecclesiis novam assignationem petierit sub an. 1826 conscientia stimulis perculsus, ut percepti fructus sibi condonarentur, super decurrendis autem imminutio; factum est, ut audiretur super hac instantia commissio, quam vocant, ecclesiastica, ut de usu doceret, in quem hujusmodi redditus applicari possent. Hinc itaque die 18. Februarii 1826 rescriptum editum est, quo fructus decursi aliis locis piis applicati fuerunt, fructus vero decurrendi ad summam *di stara 21 e* $^1/_2$ reducti capitulo dati sunt per haec verba: *Imposterum vero attento consensu illorum, qui rebus administrandis praepositi sunt, ut Dei cultus laudabilius floreat, potestatem faciat Canonicis s. Paulini, in quorum dominio erat fundus, exigendi annuum libellum ab oratoribus debitum.*

Altera assignatio fluit ex bonis ecclesiasticis Lucani patrimonii, quae supererant post factam assignationem. Deputatus supplicavit, ut residualia bona collegiatis ecclesiis s. Michaelis, s. Paulini et Camajore assignarentur. Quibus precibus cum annuisset Pontifex die 30. Julii 1835 factum est, ut collegium s. Paulini redditum obtinuerit scutorum octoginta, quibus mox additus est

eadem die alter scutorum quadraginta, cum onere tamen super utroque persolvendi vitalitiam pensionem scut. 72. cuidam addicto commissioni ecclesiasticae. Hinc itaque concludit operarius assequutum fuisse capitulum scut. 120. in totum scut. 137 pro expensis capitularibus, de quibus quaeritur, quibusque praefatus redditus apprime satisfaceret.

Capitulares ea in proprium usum, pro augmento distributionum, inverterunt contra mentem concedentis.

Ad haec omnia suas responsiones opponunt Canonici suorumque jurium momenta ex iisdem fere fontibus hauriunt. Et primo quidem quaeruntur, quod operarius actionem contra unos Canonicos et non simul contra Priorem et capellanum instituat, licet universi eadem navi ferantur. Deinde quoad constitutiones anni 1555 animadvertunt ex iisdem onus expensarum officii choralis in capitulum diserte non rejici, quin imo cum opera ante Collegiatae institutionem extaret, praesumendum ajunt, quod omnium ecclesiasticorum sumptuum onera eidem adhaeserint.

Quoad praestationes vero aliquibus ex iis, qui choralibus officiis operam praebent, aliquando persolutas inter meros actus facultativos accensendas esse dicunt ideoque nullam consuetudinem nullamque legitimam obligationem exinde profluere; praesertim cum consuetudo ipsa exhibeat actus difformes, interruptos neque constantes et univocos, adeoque rejiciendos ad *Rotam rom. decis. 331. num. 13. part. 16. rec.* Tandem, quidquid sit de constitutionibus et subsequente observantia, hodie nullum habent robur, cum per Brevem pontificium et patrias leges jus vetus fuerit abrogatum et novum inductum.

Haec duo itaque sunt attendenda; jamvero, sumunt Canonici, haec ipsa nedum non nocent, ut obloquitur operarius, quin imo suam causam mirifice adjuvant. Certum est a potestate ecclesiastica et laica, collatis consiliis, in qualibet ecclesia institutam fuisse operam *pro expensis necessariis ad cultum divinum in respectivis ecclesiis*. Porro generalia verba quaslibet expensas continere debent, quas divinus cultus solet exigere. Atqui nil ad divinum cultum magis et propius pertinent quam ea, quae pro chori officiis obeundis sunt eroganda. Cum itaque ex una parte nullum verbum de Canonicis factum fuerit et ex alia disertissime necessarii in divinum cultum sumptus operis et operariis impositi fuerint, inferunt Canonici, nonnisi per summam injuriam hujusmodi onus in capitulum posse refundi. Quod si generatim obligationes sunt strictissime interpretandae ad *textum in L. Obligationum substantia* et *L. Arianus ff. de actionibus et obligationibus*, id magis tenendum pugnant in themate, ubi nec Princeps et multo minus Pontifex fundum taxavit pro expensis, de quibus sermo est; quod ferme favere debuisset, si voluisset ab iis operas et operarios eximere.

Quin obstet aequalem summam operis duarum ecclesiarum mere parochialium adscriptam fuisse. Cum enim adsignationum norma deberent esse peculiares cujuslibet ecclesiae necessitates, jam concludendum est, duas illas ecclesias majori necessitate laborasse ac operam s. Paulini. Exemplum potius ducendum ajunt ab ecclesia collegiata s. Michaelis, ad cujus formam tam in servitio chorali quam annuis praebendis aliisque omnibus comparata fuit ecclesia s. Paulini. Jamvero in illa ecclesia operarius sine ulla controversia hujusmodi expensas exsolvere nunquam adhuc detrectavit. Pariter, quum ex praedictis vel umbra justi tituli ex Canonicorum sententia dispulsa fuerit, jam perperam auxilium quaeri in art. 68. legum a Principe latarum sub anno 1823 inferunt Capitulares.

Tandem ad communes juris canonici regulas confugiunt, quibus ecclesiastica et laica potestas sese conformasse dicenda est. At vero ex illis in comperto est expensas ecclesiarum primo solvendas esse a fabrica, si fundos ad hoc destinatos habet; hisce deficientibus a parocho vel a capitulo, si ecclesia collegiata sit, dummodo tamen congrua Canonicis substentatio supersit, ducto augmento ab ecclesiae reparatione. *Ferraris Biblioth. V. Ecclesia addit. ad art. 3. n. 9.* Jamvero in hoc casu existit opera, quae idem est ac fabrica: et Canonicorum redditus ita tenues sunt, ut vix decenti eorum substentationi sufficiant.

Ad duas adsignationes quod attinet, propugnant eas non fuisse sibi praestitutas ut chori expensis, quibus jam per operam consultum fuerat, satisfacerent, sed potius ut haberent, unde expensas capitulares perferrent, nempe publica vectigalia, mercedes,

aliaque omnia, quae supra singulatim exposui. Praesertim vero circa praestationem *di stara 21 e mezzo di grano* perperam ex illa clausula: *ut Dei cultus laudabilius floreat*, deduci ab operario clamant, quod Pontifex expensas chorales intellexerit; quando aliunde constat eos redditus proficisci ex bonis, quae ad capitulum attinebant, et laudabilius cultus floret, quoties Canonici ditiori praebenda aucti diligentius ac splendidius choralia munera exercent. Quoad aliam vero scutatorum 80 et 40 animadvertunt ex ipsa operarii confessione, hanc summam Canonicis designatam fuisse non titulo *lucrativo*, *sed oneroso*, nempe sub conditione annuam pensionem certae personae solvendi.

Sequitur quaestio, qua contendit operarius a coetu capellanorum jus esse assumere duos Vicarios curatos necnon aedituum Collegiatae. Atque inprimis tuetur hac in re ideo se legitimam habere personam, quod summopere interest operariorum, eosdem ex capellanorum gremio desumere; aliter enim si sacerdotes exteros adsciscere cogerentur, majorem pinguioremque iisdem mercedem, ad quam opera tenetur, adsignare oporteret.

Praemonet autem ex bulla institutionis Leonis X. curam animarum neque actualiter neque habitualiter penes capitulum residere, sed penes unum Priorem qui bini presbyteri coadjutrici vicaria opera utitur eosque ad nutum eligit removetque. Antequam gallus miles res ecclesiasticas perverteret, de suo Prior eisdem mercedem praebebat, sed post id temporis Pontifici placuit, certam scut. Lucensium 60, praeter habitationem, iisdem ex ecclesiastico patrimonio mercedem stabilire; in caeteris autem rebus nihil innovatum esse asseverat operarius et aliunde hujusmodi asserta non impugnant Canonici.

Jamvero, cum Vicariorum hujusmodi ministerium non sit beneficium, arguit operarius, eisdem applicari non posse canonicas de incompatibilitate regulas. Illud tantum quaerendum esse clamat, an hujus muneris partes cum capellanorum beneficio concilientur. Quod sane exploratum affirmat tum ex quo, alternativum cum sit chorale servitium in collegiata s. Paulini, integrum semper sit binis parochi vicariis ex capellanorum coetu assumptis ita rem componere ut dum unus choro mancipatus est alter rebus parochialibus operam navet et hac ratione utrique officio facillime satisfiet, tum ex constanti consuetudine vigenti in Lucana dioecesi, ut in illis collegiis, penes quae sistit animarum cura, vicariorum munera ubique vel a capellanis vel etiam Canonicis substineantur; speciatim vero idipsum factum perpetuo fuisse in ecclesia s. Paulini monumentis conficit omni exceptione majoribus, unde constat nedum a tempore, quo constitutiones anni 1555 conditae sunt, ad annum usque 1808, sed post res etiam restitutas nullo fere tempore evenisse, ut qui vicariam obtineret capellanus insimul aut aliquando Canonicus non esset.

Tertio tandem recolit a Canonicis penes Archiepiscopum Stefanelli reclamatum fuisse.

Quae dicta sunt de capellanis curatis multo magis de aedituo dicenda pergit; quippe nemo non videt hujusmodi munus non esse beneficium et sacrarii commodo simulque chorali assistentiae satisfieri facili negotio posse, modo hic antequam chorum ingrediatur omnia in promptu et ordinata relinquat, quae ad cultum occurrere possent, et majoris cautelae gratia clericum in sacrario teneat, qui sua vice fungatur, quemadmodum in allati decreti calce sanciebat Archiepiscopus de aedituo tunc temporis eo munere perfungente. Adest autem et hac in re antiquissima et nunquam interrupta consuetudo, ceu certis ostenditur monumentis.

Quando itaque in perditissima hypothesi, concludit operae administrator, haec momenta non arriderent EE. PP., illud saltem sibi confidit obtinere, ut precarium illud Archiepiscopi Steffanellii decretum de aedituo perpetua sanctione stabiliatur.

Aegre vero ferunt Canonici, ut vir laicus, cujus munera ad meram operae administrationem limitantur, in res capitulares sine ulla persona et actione sese intendatur. Nihilominus non omittunt suas rationes producere, ut adversam illi sententiam defendant. Confugium itaque habentes ad sacros eos canones, qui beneficiorum incompatibilitatem districte adstruunt,*) inde deducunt, capellanos, quorum praebendae canonicam erectionem adeptae sunt ex decreto hujus s. C. sub die 8. Januarii 1827, non posse, si ad vicariam animarum curam vel ad sacrarii custodiam assumantur, unius muneris partes adire, quin alterius negligant ac omittant. Neque juvat reponere capellanos esse binos, ideoque unum posse choro inservire, alterum parochialibus rebus satagere. Nam primo

*) Vd. *Beneficium* (incompatibilitas)

non semper evenit, ut dum unus vacat a choro vacet simul et alter; deinde multi sunt dies, nempe solemniores, quibus omnes Capitulares chorum accedere debent et confessiones excipere. Hinc itaque optimo jure ab Archiepiscopo Stefanelli juxta auctoritatem Alfonsi Liguori sancitum esse clamant, ut ex capellanorum coetu inposterum neque curati neque aeditui adsumantur. Quod et magis congruum apparet, si animadvertatur coadjutores curatos pingui scutatorum sexaginta censu cum habitatione donari.

Ceterum consuetudinem ex adverso allatam attendi non posse in casu, cum sit abusus et corruptela; quae licet anteactis temporibus tolerabilior videretur subsequenti tamen tempore, quo vocum choralium numerus imminutus est, nullatenus substineri poterit.

Atque haec eadem, quae de curatis edixerunt, accommodant aedituo, qui, cum sacrario adesse debeat, ne quid in functionum celebratione desideretur, non potest simul choro interresse, neque vero patiendum est, ut data quaque necessitate, a choro cum populi offensione et Capitularium evagatione egrediatur.

Super his quae hinc inde de incompatibilitate disputantur videat EE. PP. sapientia, pensatis opportunis juris principiis, num revera eadem derivari posset in themate sive ratione ejusdem tecti, sub quo disputata munera expleri deberent, sive ratione residentiae, quam eadem diversa munera important. De priori incompatibilitatis capite firmat *Rigant. in regulam* I. cancell.*) *p. 8. n. 111*: »*Pro obtinendis etiam duobus beneficiis difformibus sub eodem tecto***) *etsi residentialibus nulla est necessaria dispensatio, si concurrat consuetudo per plures actus servata et per spatium quadraginta annorum continuata.*« De altero docet idem *Rig. loc. cit. n. 15,* »*quod si unum beneficium expostulat residentiam praecisum seu continuatam et alterum requirat residentiam discontinuam adhuc ambo erunt incompatibilia.*« ***) Quin suffragari hac in re valeat consuetudo *(Id. Rigant. n. 28.)* Cum itaque animarum cura continuam exigat residentiam ambigi posse videretur, an ea, etsi tantum coadjutrix et ad nutum amovibilis, retineri queat a beneficiato chorali. Etenim »ad inducendum incompatibilitatem (ait *Gartias de benef. part. 11. cap. 5. §. 1 n. 181*) debent esse beneficia perpetua saltem aptitudine, ut sunt beneficia manualia seu natura amovibilia, quae etiam cum dentur in titulum et possint esse perpetua inducant incompatibilitatem sicut perpetua. Item cum sacrarii custodia singulis momentis reposcere queat custodis personam, neque haec cura chorali beneficio competi posse videretur. Verumtamen animadvertere erit, haec omnia supponere existentiam veri beneficii, etsi aptitudine tantum perpetui: in casu erit EE. PP. definire num tale censeri queat sive officium coadjutoris sive alterum aeditui, ad quae ulla absque institutione ad placitum dumtaxat Prioris assumantur presbyteri cum salario per Operam persolvendo.

Quaeritur tertio loco, num capitulum in omnibus chori functionibus alterum ex capellanis adhibere possit, qui caeremoniarum magistrum agat, simulque an possit lucrari distributiones. Condendit scilicet Operarius neminem ex capellanis caeremoniarum magistrum agere posse, nisi diebus festis tantum solemnioribus, idque in eum finem contendit, ne scilicet Opera gravetur majori expensa favore hujus caeremoniarii, prout nuper factum est, quando illius stipendium ex lib. 23. adductum est, al libel. 45.

Intentionem suam fundat in bino decreto lato ab Archiepiscopo Sardi cum consilio Congregationis a synodo nuncupatae, alterum die 18. Julii, alterum die 8. Octobris 1822. Hinc si, praeter hos dies, in officio caeremoniarii inservierint capellani, eos distributionibus privandos esse propugnat. Porro praefata decreta perperam hodie impugnari dicit veluti sibi non communicata a capitulo, quod in actis cancellariae non reperiantur: reperiuntur enim satis indicta in regestris ejusdem cancellariae, ac praeterea exhibentur omnibus praedita authenticitatis notis et praesertim ipsius Archiepiscopi subscriptione, praesumi vero non potest eum noluisse capitulo communicare, dum, hoc contradicente, edita fuerunt, ac caetera omnia ipsius Episcopi decreta sicut et praesentia in plures annos fuerint observata, dum capellanum Giannotti uti a choro absentem considerarunt quoties in festis ordinariis et minus solemnibus in caeremoniarii officio inservivit, detractis ei pro rata distributionibus.

*) Vd *t. II. p 818.*
**) Vd. *t. II. p. 383. n. 17.*
***) Vd. *t. II. p. 595. III.*

Nec movetur porro ex rescripto a s. hoc Ordine edito ad preces examussim praefati Giannotti, qui dum magistri caeremoniarum oneri satisfaceret distributionibus non privari postulabat. Porro s. Ordo respondit sub die 16. Junii 1827: »*Dummodo caeremoniarius vere altari inserviat ejusdem ecclesiae non indigere petito indulto*,« quod iterum confirmatum est 1838. Hoc enim rescriptum editum fuisse perpendit redicitis binis praesertim circumstantiis, quas si novisset s. Ordo ita rescripturus non fuisset. Hujusmodi ex ipso sunt nuper memorata decreta Archiepiscopi Sardi, quae juri ac ecclesiae bono conveniunt undequaque ac retributa per capitulum caeremoniario merces annua sex scutatorum. Cum itaque ex principiis ab hoc s. C. praestitutus *in Nullius Putignani 6. Maji 1741 dub. 4, Ferent. 7. Junii 1760. §. 1, S. Severini Visit. sac. lim. 18. Nov. 1659*, qui organa pulsant vel musicos modos extra chorum canunt, distributiones amittant, si pro his muneribus mercedem recipiant, ex paritate rationis deducit idipsum dicendum esse de caeremoniario. Hinc rescripta ex adverso elata reponenda esse ex noviter deductis concludit.

At vero Canonici hujus s. Congregationis rescripto confisi paullum hac in quaestione immorantur. Itaque, postquam operarii personam hac etiam in controversiae sede pernegant, respondent, hanc crambem iterum non esse recoquendam. Neque enim res de substantia erat, ut caeremoniarius commissionis synodalis et Archiepiscopi Sardi votum enarraret, minime (ut ajunt) decretum, siquidem uti tale nunquam fuit indictum, idque vel ex eo apertum putant, quod ejus autographum in cancellaria non reperiatur. De tenuissima mercede vero, quam caeremoniario adsignarunt, reponunt, hoc liberalitatis indicium nihil officere, eo magis, quod distributionum jacturam nullatenus compensaret. In una *Pisana Jurisd. et jurium 27. Junii 1839* quaesitum fuit sub octavo dubio cum formula:

An et quomodo caeremoniarum magistri Archiepiscopo et capitulo inservientes gaudere possint distributionibus in casu?

ac licet in facti narratione exponeretur hujusmodi officiales mercedem pro eo munere percipere, responsum fuit:

Affirmative in omnibus, dummodo in Metropolitana tantum munus exerceant.

Ultimo loco contendunt inter se capitulum et operarius, utri eorum competat jus nominandi organi modulatorem, vulgo *Organista*. Jam vero ad se pertinere mordicus propugnat operarius. Si enim, ait ille, respicias tempora ante gallicam irruptionem praeterita, adsunt in operae archivio quaedam statuta de anno 1801. Sive autem respicias tempora, quae Collegiatae restitutionem subsecuta sunt, occurrunt constitutiones a laica potestate editae de ecclesiasticae consensu die 24. Jan. 1823, de quibus jam saepe locuti sumus.

Ex his satis apertum putat Operarius in utraque epocha, quae attendi posset in themate, jus, de quo quaeritur, operae fuisse attributum.

Binas hinc spernit exceptiones a capitulo deductas ex contraria consuetudine, quae viguisse perpetuo dicitur, et ex qua contribuit et ipsum pro salario ejusdem organi moderatoris.

Ad I. quod attinet, consuetudinem, si existit ante gallicam usurpationem, interruptam fuisse monstrat binis allatis exemplis de anno 1733 et de anno 1738, quibus organi moderator nominatus est ab operario: subinde eam nova lege anni 1823 sublatam omnino clamat, quae prorsus hodie attendi debet, quaeque perperam abrogata diceretur ex una vel altera nominatione, quam arbitrario sibi adjudicavit capitulum circa annum 1834. Argumentum porro si valeret ex retributo per capitulum stipendio, non certo quidem, sed pro ratione functionum capitularium, quibus organi moderator operam suam praebet, jam non est cur et sodalitia in eadem ecclesia erecta, quaeque organo utuntur, et ipsa, retributa congrua mercede, hujusmodi jus sibi non vindicent, quod tamen nec somniarunt unquam. Quin imo argumentum hujusmodi sui favore retorquet operarius ostenditque cumulatis in id documentis et ante suppressionem stipendium certum quotannis operam organorum moderatori suppeditasse et etiam nunc suppeditare. Profecto ad quem jus administrandi pertinet, ad eumdem etiam spectare illud nominandi ac amovendi presbyteros ac capellanos animadvertit *Pignat. t. 9. caus. 143 n. 45*, quia talis nominatio est de praecipuis juribus ac pars ipsius administrationis; porro non debet cui plus licet quod minus est non licere.

At vero capitulum hic etiam paucis ver-

bis sese expedit; tueturque ab immemorabili sese in hac juris possessione fuisse, antequam Collegiata a gallico milite dissolveretur atque etiam postquam res ad pristinum statum revocatae fuerunt. Constat enim ex libris capitularibus a Canonicis hujus officialis nominationem elicitam fuisse. Ejusdem tenoris est aliud decretum huic simile diei 4. Junii 1714 necnon et tertium diei 2. Maji 1795 pro quodam Antonio Michaeli; anno tandem 1838 decreto statutum est, ut Josephus Galli, donec viveret Aloysius Michaeli, organi pulsator, sine pensione organa modularetur, eo vero mortuo cum iisdem oneribus et emolumentis ipse succederet. Addunt praeterea Canonici sese organorum modulatori semper annuam mercedem persolvisse, at vero nihil magis rationi consonum, quam quod eum tuo arbitrio eligas vel expellas, quem tuo sumptu in aliquo munere retines.

His autem rationibus satis arbitrantur eliminatum quidquid contra statutum afferri praesumatur. His positis erit EE. VV. dirimere

Dubia:

I. *An et cui inhaereat onus persolvendi expensas pro officio chorali et capituli functionibus necessarias in casu?*

II. *An et quomodo capellani Collegiatae eligi queant in vicarios curatos in casu?*

III. *An et quomodo iidem capellani eligi queant in aedituos ejusdem ecclesiae in casu?*

IV. *An et quomodo jus competat Canonicis eligendi capellanos in caeremoniarum magistros in casu?*

Et quatenus affirmative:

V. *An et quomodo praefati capellani distributiones lucrari valeant, dum caeremoniarum magistri munere perfunguntur in casu?*

VI. *An et cui jus competat nominandi pulsatorem organorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative operae, traditis tamen a capitulo eidem operae tum frumento tum summa assignata in supplemento cum oneribus.

Ad II. et III: Non expedire et servandum esse decretum Archiepiscopi diei 18. Februarii 1838.

Ad IV. et V: Affirmative in omnibus.

Ad VI. Affirmative operario.

Die 2. et 20. Mart. 1844.

Continuatio Lucana.

Capitulares Collegiatae ss. Paulini et Donati Lucanae civitatis, quamvis acquieverint responsionibus ab EE. Patribus sapienter latis super reliquis quinque dubiis, quae idcirco hic referre supervacaneum existimavimus, attamen haud silendum sibi existimarunt propter detrimentum, quod capitulum in suis bonis sentiebat ex responsione ad primum dubium nuper relatum. Idcirco supplicem dedere libellum cum novis jurium suorum allegationibus.

Quoad novae audientiae beneficium benigniter exceptae Capitularium preces ablegatae fuerunt ad Archiepiscopum Lucanum ut suum circa iteratam controversiam panderet votum, audito operario seu operae administratore in scriptis. Antequam s. Congregationis mandata faceret Archipraesul ad plures abiit. Ideoque ab eo, qui Vicarii capitularis munere fungitur, epistolas accepi sub die 20. April. volventis anni, in quibus tamen suum adaperire votum abstinuit, transmissis operarii allegationibus ad rem facientibus ut ex ipsis ac ex rationibus a Capitularibus adductis EE. PP. ingenio et perspicacia, qua pollent, judicium proferrent. Itaque in eo quod hodiernam controversiam respicit pro pleniori rei notione folium diei 2. Martii 1844 seorsim damus; quae vero hinc inde denuo deputantur, breviter modo subjicimus.

Quum s. Congregatio declaraverit, ajunt Capitulares, ut operae inhaereret onus persolvendi expensas pro officio chorali ac capituli functionibus, nulla allata est ratio cur ipsum capitulum favore ejusdem operae cedere teneretur quaedam sua bona. Fieri hinc potuit, ut falsae causae ex adversa parte allatae innixa praefatam cessionem decrevit. Qua de re ostendere satagunt quod nonnisi per injuriam capitulum ss. Paulini et Donati expoliaretur dominio eorum bonorum, quae ex titulis omni exceptione majoribus acquisivit.

Et re quidem vera si sermo sit de stariis 21 cum dimidio frumenti, ea sibi quotannis provenire instant ob decretum dominium cujusdam fundi, quod ante gallicam invasionem ad capitulum spectabat. Declaratum

confirmatumque id ipsum fuit ab apostolica auctoritate, quae anno 1826, adposcentibus iis, apud quos emphyteusis reperiebatur, condonationem fructuum, quos ex praedicto fundo antea perceperant nec solverant, ita quod eos in posterum percipiendos per s. poenitentiariam respicit »potestatem fecit Canonicis ss. Paulini et Donati in quorum dominio erat fundus exigendi annuum livellum ab oratoribus debitum.« Consonat exequutor apostolici rescripti, qui in suo decreto sub die 7. Junii ejusdem anni eadem ferme retulit verba. Post haec netas esset ambigere de Capitularium Lucanae Collegiatae potiori, quo dari possit, jure exigendi supra relatas frumenti mensuras, idque evidentius patet ex natura annui canonis, quod ex lege ab emphyteuta non rependitur nisi ei, penes quem dominium directum resideat, *arg. §. 3. Instit. de loc. cond. leg. 1. ff. de ager. vectigal. idest emphyt. petat., Maschat. Instit. canonic. lib. 3. tit. 18. de loc. et cond. n. 26.* Neque hic referret quod in citato pontificio rescripto subdantur verba, »ut Dei cultus laudabilius floreat«; etenim quicumque sit sensus qui hujusmodi verbis dari velit haud valet subvertere jura capituli, quod cum solum sit potest de re sua disponere eamque administrare ad tradita per *Bartol. in leg. 17. ff. de acquir. possess.*

Secundo loco veniunt scutata annua quadraginta, quae capitulo adsignata fuerunt ab ecclesiastica administratione Lucae existenti sub die 30. Julii 1835 praevia apostolica auctoritate. At sciendum in facto est, Capitulares praefatam summam recepisse sub gravissimo onere pensitandi quotannis scutata duo supra septuaginta favore cujusdam Aloysii Cecconi, usquedum vita frueretur. Falso autem asseritur, quod pensio isthaec praegravet etiam alia octuaginta scutata annua postmodum iisdem Canonicis elargita, de quibus infra; nam exequutores pontificiae concessionis praeceperunt, ne illa adderentur, nisi prius pensionis onus assumeretur. Cum itaque ex oneroso titulo jus acquisierint ad redditum scutatorum quadraginta modo nonnisi contra omnia jura eodem privarentur. Quamvis autem hujusmodi onus juxta resolutionem s. Congregationis inposterum una cum annuo redditu, de quo agitur, transferri debeat ad operam, haud tamen evanescit laesio jurium Capitularium, qui amitterent summam solutam in praeteritum supra scutata quadraginta ex propriis redditibus spemque deponerent aliquam ex illis assequendi utilitatem post mortem pensionarii.

Tertio demum loquendum de redditu scutatorum octuaginta. Hic pariter perpetuo concessus fuit a laudata ecclesiastica administratione vi pontificii rescripti Canonicis ss. Paulini et Donati sine ulla conditione, vel ut jus illum percipiendi aliquando amitterent aut ad alium quemcumque transferrent; qui imo tum redditum scutatorum quadraginta, de quo supra, tum alterum, de quo fit sermo, retinere debent tanquam bona ad proprium matrimonium spectantia prout legitur in exequutoriali decreto.

Colligitur ex his, Canonicos Lucanae Collegiatae minime esse exturbandos a dominio bonorum legitime quaesitorum. Quod si contrarium fieret et operae praefata bona addicerentur, multa inde manarent, quae haud essent rationi consentanea. Siquidem deessent necessaria ad sustinendas ceteras capitulares expensas, quarum obtutu adsignata fuit summa annualis scutatorum octuaginta in nuper citato decreto exequutoris apostolicarum literarum. Praeterea ansa operae daretur addicendi sibi omnia ea bona, quae inposterum Collegiatae elargiretur aut eidem cederet quocumque titulo etiam oneroso, quod quantum absonum rationi sit ac laedens jura collegii quisque per se videt.

Haud recte hic opponeretur, subsumunt Capitulares, quod denegata praedictorum bonorum cessione onerandi ipsi essent expensis necessariis pro officio chorali ac capitularibus functionibus, quemadmodum alias probare adnixus fuit operarius ex consuetudine, ex titulo, ob quem post gallicam invasionem iterum dos assignata fuit operarum administrationibus vi Brevis apostolici diei 18. April. 1820 necnon ex legibus latis a potestate laica, ecclesiastica accedente auctoritate. Evanescunt prorsus operarii praesumptiones, imo in operam supradicta onera retorqueri apparebit, si omnia rite perpendantur. Et primum circa consuetudinem inficiari nequit, ab antiquis temporibus a capitulo faciendas fuisse quasdam expensas pro officiis choralibus, sed praetereundum non est, ob hanc rationem quadraginta staria frumenti separata fuisse ab opera et capitulo applicata, uti relatum accipimus a constitutionibus capitularibus, quae ex adverso in medium adductae fuerunt. Jam vero quum hic redditus gallicae perturbationis

tempore ceterorum bonorum ecclesiasticorum sortem subierit neque subsequentibus temporibus ad capitulum unquam redierit, ratio dictat, ut cesset quoad ipsum expensarum obligatio regressumque faciat ad operam, quae eadem antea obstringebatur.

Nec aliter consequitur, si expendatur titulus redintegrationis bonorum factae favore operarum Lucae existentium, postquam gallicus miles Italiam deseruit. Certum quidem est in Brevi pontificio ac in decreto exequutoriali nullam fieri mentionem de veteribus consuetudinibus capitulo inhaerentibus, ad quas iterum excitandas necesse foret, ut expresse de ipsis inibi haberetur sermo; neque in themate praesumi potest Pontificem voluisse, ut capitulum vetera onera resumeret, quin bona assequeretur ad eadem sustentanda. Incassum autem operarius ad rejiciendas expensas a se tanquam administratore faciendas profert exemplum aliarum ecclesiarum parochialium tantum, quarum Opera eandem summam recuperavit, quam adepta fuit Opera ecclesiae ss. Paulini et Donati. Hoc enim repetendum est ex provida distributione facta ab exequutore Brevis apostolici, qui prae oculis habuit singularum ecclesiarum necessitatem, atque hinc factum fuit, ut aliae etiam majorem, aliae minorem receperint summam. In casu de quo agitur potius exemplum sumendum est ab ecclesia s. Michaelis, quae cum sit parochialis ac collegiata et quum ejus Opera summam scutatorum ducentorum acquisierit, quae attenta majori hujus ecclesiae necessitate parum differt a summa, quam assequuta est Opera ss. Paulini et Donati, obnoxia est expensis pro choralibus officiis ac capituli functionibus.

Quod spectat ad leges laicas contentas in decreto diei 24. Jan. anni 1823 ac relatas in citato folio anni 1844, si rite perpendantur, potius Capitularibus favent. Sacer autem cultus amplectitur functiones tum parochiales tum capitulares, quae absolvendae erunt ejusdem Operae expensis, neque alia inter illas admitti debet distinctio, quia distinguendum non est ubi lex non distinguit. Quinimo ex articulo 3. evidens est Operam ecclesiae ss. Paulini et Donati vi legis a se invocatae adstringi ad omnes sumptus pro sacro cultu faciendas. Eo vel magis erit admittendum, si animadvertatur eandem Operam diviti frui censu, adeo ut commode hasce impensas possit sustinere, quum contra Capitulares imparem bonorum redditum percipiant, non modo ad se ipsos congruenter exhibendos, sed nec etiam ad reliqua perferenda capituli onera.

Sed etiamsi daretur, quod Capitulares teneantur ad subministrandos sumptus pro functionibus, de quibus quaestio, necessarium in hac hypothesi ipsi ducunt, clare praefiniendas esse expensas, quae capitulum pro officio chorali et Operam pro parochialibus functionibus praegravare debent, ne inposterum novae lites excitentur et Operarius plura etiam a capitulo impendenda petat, quam quae in praesentiarum praesumit. Profitentur Capitulares magnam occurrere difficultatem in ejusmodi ineunda distinctione, ast si omnis eliminari velit confusio, proponunt ut Opera ecclesiae ss. Paulini et Donati ad faciendas expensas pro parochialibus functionibus sequatur normam quam tenent Operae ecclesiarum parochialium ss. Alexandri et s. Petri Somaldi, quae eandem ac illa ab exequutore Brevis Pontificis pecuniae vim receperunt, ac sejunctis hoc pacto choralibus eae a capitulo forent sustinendae.

Obstat nihilominus Operae administrator qui ad ejus jura vindicanda eadem advocat argumenta, quae in prima causae propositione desumere studuit ex capitularibus constitutionibus, ex consuetudine capitulo adversa circa sumptus impendendos pro chorali officio, ex legibus latis a potestate laica necnon ex ratione ob quam Capitulares a. 1826 assequuti fuerunt annua frumenti staria viginti et unum cum dimidio et annua scutata octoginta aliaque quadraginta currente anno 1835.

Atque circa hos annuos redditus, eos adeo inter se fuisse copulatos, ut unus sine altero obtineri nequiret a capitulo, cui impositum fuit onus solvendi vitalitiam pensionem annuorum scutorum 72 favore non unius tantum, sed plurium officialium ecclesiasticae commissionis Lucanae. Haec autem pensio ob munus publicum adeptum ab uno ex praedictis officialibus cohibita postmodum fuit ad tenuem summam scutatorum quadraginta et conjuncta censenda sit cum scutatis octoginta, probat in confessione ipsorum Capitularium, qui anno 1840 in quodam suo decreto asserunt, annuam pensionem ab ipsis solvendam praegravare etiam summam scutatorum octoginta. Insuper Archiepiscopus

Stefanelli anno 1838 sacram absolvens visitationem accepit a capituli camerario rationem reddituum Collegiatae, et in ea dum loquitur de annuo censu capitulo concesso ad sustinenda onera pensionis annuae ac capitularium expensarum ipsum designat pertingere ad scut. 120, quae complectuntur summam scutatorum 80 et 40. Quare si haec insimul conjuncta esse debent, par eorum debet esse usus pro expensis capitularibus in choralibus officiis, quemadmodum alias fuit demonstratum.

Perperam autem prosequitur operarius Capitulares se tuentur solo dominio, quod in praedictis bonis acquisierunt, quin prorsus animadvertant usum, in quo eadem bona sunt impendenda, idest in explendis capitularibus functionibus ac chorali officio; et quum ipsi haec onera fere recusent, non solum justitiae consonum fuit quod s. Congregatio alias resolvit, nempe operae tradenda esse praefata bona, cujus erat omnia subadministrare, quae pro sacris functionibus tum paroecialibus tum capitularibus forent necessaria et verum etiam sublati fuerunt omnium litium fomites, qui secus posteriori aevo inter capitulum et operam exarsissent.

Tandem sine ullo fundamento concludit operarius Capitulares asserunt, operae patrimonium superfluis gaudere redditibus, qui impenduntur in supravacaneos usus; nam si inspiciantur libri, qui administrationis rationem continent, evidens erit operam carere mediis necessariis pro quotidianis impensis; et si in futurum prospicere debeat choralibus officiis, quin cedantur bona quae adjudicata ipsi fuerunt, minime poterit nova comparare sacra suppellectilia, quum ea, quibus modo sacri administri utuntur, divino cultui amplius inservire propter vetustatem nequeant, neque occurrere omnibus expensis pro servitio atque officiis paroecialibus faciendis.

Hisce denuo perpensis erit EE. VV. dirimere

Dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?

S. C. resp.:

Recedendum a decisis et a retento capitulo frumento et assignamentis provideat expensis officii choralis et ejusdem capituli functionibus.

Die 27. Novb. 1847.

Camaldulenses.

(Ordinis S. Benedicti.)

Contra Monachos hujus ord. ejus officia et dignitates ambientes et eorum complices vd. constit. Clem. PP. VIII. diei 3. Sept. 1596 in Bull. r. t. III. p. 64. Ed. Luxbg

---

Camera Apostolica.

I) Confirmatio Statutorum etc.

Vd. Bull. r. t. V. p. 76. etc. Ed. Aug. Taur. 1860; t. V. p. 116, 203, 315, 320, 418, 420; t. VI. p. 265; t. VII. p. 128, 203, 207, 310, 375, 865, 894.

2) Jurisdictio Episcopi in ejus Officiales.

(Conc. Tr. c. 14. sess. 7.; c. 11. s. 14 de reform.)

Descripta in folio Congregationis diei 9. Junii anni proxime praeteriti hac causa vertente inter Episcopum Carpenctoracten. ex una et ministros R. C. A. ex altera partibus rescriptum fuit: *Dilata ad secundam et audiantur ministri Rev. Cam. apostolicae in Urbe*, quibus quidem certioratis, proposita eadem causa sub die prima Decembris ejusdem anni dilata fuit ejus resolutio; sed instante Episcopo pro ejusdem causae expeditione sub die 15. mox dicti mensis rescriptum fuit: *Ad secundam post Reges etiam unica.* Itaque hodie reproponuntur EE. VV. definienda eadem dubia alias proposita:

I. *An praesidi aliisque officialibus rev. Camerae apostolicae Carpenctoracten. competat exemptio a jurisdictione episcopali in causis non concernentibus eorum officium, in quibus ex dispositione Concilii Tridentini jurisdictio est reservata Episcopo?*

Et quatenus affirmative,

II. *An exemptio extendatur ad camerales clericos in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Ex deductis negative.

Die 26. Jan. 1709.

Camerarius Apostolicus.

De reform., declarat. et extensione jurisdictionum et facultatum S. R. E. Cardinalis Camerarii vd.: Constit. Clem. VIII. diei 18. Decb. 1599 in Bull. r. t. III. p. 100 etc. Ed. Luxbg.

Cancellaria.

1) Apostolica.

(Regulae, Ordinationes et Constit.)

Vd. *Constit. Urbani VIII.* diei 21. Oct. 1623 in Bull. r. t. IV. p. 22. Ed. Luxbg.; t. V. p. 24.; tom. IV. p. 2. Ed. Romae; *Constit. Clem. XII.* diei 24. Julii 1730 (t. XIV. p. 1. Ed. Luxbg.); Tom. II. hujus operis p. 817. c.

2) Episcopalis.

Vd. *Concursus* ad parochiam etc. dioecesium unitarum (decr. *Tuscanen.* §. *Demum etc.*); Concil. Trid. sess. 6. c. 1; sess. 23. c. 1.

3) Pro singulis dioecesibus.

Terracinen.

Ex quo ineunte saeculo XIII. a s. mem. Honorio III. ecclesiae Terracinen. unitae fuerunt Setina et Privernen. perpetuus extitit controversiarum fons super potestate, reverentia, honore, primatu, antiquitate et cathedralitate. Sed caeteris acrior fuit controversia super cathedralitate, de qua disceptatum fuit in *s. Rota die 23. Junii an. 1702*, ubi constitit de subjectiva unione Setinae et Privernen. ecclesiae facta Terracinen., cum primam nullum habuisse Episcopum, secundam vero quinque tantum fruitam fuisse censuit s. illud Tribunal ceu pandunt decisiones *784 et 785 cor. Molines.*

Ut tot dissidiis sopitis quidem, sed minime extinctis ac tot animorum exasperationibus finis imponeretur, Benedictus XIII. felic. record. duplici motu proprio praevia avocatione causae cathedralitatis *primum mense Majo anno 1825* Setinam ecclesiam ad cathedrae honorem restituit, et qua opus esset ex integro erexit, quatuor vero post menses Privernensi pristinam qualitatem Cathedralis reddidit.

Verumtamen tanti Pontificis paterna sollicitudo minime valuit diuturnas compescere disputationes, quae imo acriores ad hanc usque diem exarserunt. Etenim quae primum Setinis mota fuerat lis a Terracinensibus super obreptione literarum apostolicarum s. m. Benedicti XIII. recruduit posterius, sed adverso marte tum e particulari Congregatione trium s. R. E. Cardinalium tum a s. Rotae auditorio Terracinenses discesserunt, ut testantur decisiones *629 et 630 cor. Olivat. editae die 26 Junii 1767*. Forsan hujus causae novae disceptationi occasionem praebuere resolutiones, quae praecedenti anno 1766 prodierunt ex s. hac Congregatione. Disputata enim die prima Martii in strenuo partium conflictu fuerant sex dubia, in quorum primis quatuor succubuere Privernates et Setini, qui juncto foedere super privilegiis et praeeminentiis dimicabant, in duobus vero postremis decretum fuit, synodum Privernaten. paulo ante celebratam obligare Terracinenses et sustineri suspensionem ab Episcopo inflictam Archipresbytero et quinque Canonicis Terracinen. ob desertam synodum contra Antistitis imperium, quia vulnus eorum praeeminentiae in ordine sedendi inflictum fuerat.

Post negatam oris aperitionem acriores ad hanc usque diem exarserunt controversiae super juribus et privilegiis trium illarum Cathedralium aeque principaliter unitarum. Etenim aequali partium studio in *s. Rota die 9. Maji 1768* disceptatum ac statutum fuit in qualibet Cathedrali confici posse oleum sanctum, ut ex *dec. 681 cor. eod. Olivat.* Rursus die *16. Martii 1771* in hac Congregatione loco *Congregationis* super seminariis dimicatum est a Privernatibus et Terracinensibus de aperitione oris adversus literas apostolicas s. m. Benedicti XIII. et erectione seminarii, ac denegata oris aperitione secundae locum non esse dixit s. hoc Tribunal *ex eousque deductis*, quae tamen quoad seminarium quaestio iterum efferbuit anno 1816 coram EE. VV. quaeque resoluta fuit favore Setiae, adjuncto tamen aliquo modo favore Terracinae, ut videre est in folio diei 24. Augusti memorati anni 1816.

Nec satis. Sequenti enim anno 1772 supplices fuerunt Terracinenses apud Clementem XIV. felicis recordat. impugnantes residentiam Vicarii generalis in civitate Setiae; fuerunt eorum preces s. huic Congregationi ablegatae: exquisita fuit Episcopi informatio, quae Setinis favebat; sed minime definita causa fuit, quamobrem latet, nisi quia forsan defuncto interim Episcopo gravior excitata fuit contentio super residentia Vicarii capitularis. Volvente enim anno 1775 inchoata primum in hac s. Congregatione et deinde definita contra Setinos a s. Congregatione Episcoporum et Regularium lis fuit distributis utrinque juribus super residentia in civitate Terracinae Vicarii capitularis duobus propositis dubiis:

I. *An sede episcopali vacante Vicarius capitularis electus a capitulo Terracinen. possit residere Terracinae ibique cognoscere et judicare universas causas graviores totius dioecesis tam Terracin. quam Setinae et Privernen.?*

II. *An idem Vicarius capitularis possit deputare in civitate Setina Vicarium cum limitatis facultatibus cognoscendi causas minores dioecesis Setinae tantummodo in casu?*

Et ad utrumque respondit s. illa Congregatio: *Affirmative*, quod judicatum confirmatum fuit sequenti ineunte anno 1776.

Post hanc rem judicatam res siluit usque ad annum 1804 quo Terracinenses et Privernates iterum cum Setinis conseruere manus super jure residendi Setiae Vicarium generalem et cancellarium generalem, quod postremi sibi adstruebant jus privativum et cujus fere biscentennaria possessione fulciri asserebant. Actum hinc prius cor. R. P. D. auditore SSmi de tribunalis deputatione et commissa fuit causa ad s. Congregationem Episcoporum et Regularium, quae tamen ob publicas quae subsequutae sunt calamitates prosequuta non fuit. Sed an. 1818 iterum Privernates preces SSmo porrexerunt eorumque votis annuens sacratissimus Princeps praevia avocatione causae eam remisit ad s. Vestrum ordinem. Exquisita fuit Episcopi informatio, quam exemplatam habent EE. PP. in *summario* pro Terracinensibus et Privernatibus impresso. In altero summario Setinorum prostant dispositiones synodorum, quae leguntur a *num. 24. ad 28.* Indicta itaque haec fuit vadimonio dies, in qua causa sub duplici dubiorum formula proponitur magna utriusque partis animorum contensione distributisque scriptis.

Terracinenses et Privernates in *primo dubio*, in quo quaeritur: an privativum jus competat Setinis retinendi unicum Vicarium generalem et unicam cancellariam generalem pro tribus unitis dioecesibus, ita ut sit eis

danda manutentio, huic privativo juri resistere dicunt juris dispositionem, bullam Benedicti XIII. et rem judicatam. Et quoad juris dispositionem, de qua primum sermo est, in *cap. 6. de off. ordin. in 6*, extra quamlibet dubitationis aleam ponitur facultas Episcopo competens in *quolibet* loco suae dioecesis vel per se vel per *alium* sedendi pro tribunali causasque ad suum forum pertinentes cognoscendi, *Pignat. Consult. can. tom. 9. consult. 72. numer. 14., Grat. in discept. for. cap. 892. numer. 7., Constant. Vot. 232. num. 2., Rot. cor. Veral. dec. 306, num. 2.* et cor. *Molin. dec. 784. num. 84.* Quinimo sicut potest nullum Vicarium generalem adhibere, si omnino per se gerere valeat, ita potest etiam plures Vicarios habere pro majori dioecesum commodo, locorum distantia et difficultate, *cap. Quoniam de off. Ordinarii, cap. Ad haec de off. Arch., Abb. num. 10. de off. Deleg., Barbos. de off. et pot. Episc. par. 3. alleg. 54. num. 125, Rot. cor. Socc. dec. 2138. num. 15.*, quae praesertim itineris incommoda et viarum regionumque pericula locum in praesenti casu habere videntur.

Nec prodesse ajunt Setinis biscentennariam et etiam immemorabilem observantiam ad manutentionem obtinendam. Agitur enim primo de actibus facultativis Episcoporum, qui Setiae plerumque retinuerunt pro suo arbitrio Vicarios generales et cancellariam generalem. Jam vero actus facultativi nec necessitatem nec obligationem inducunt, *Prosper. de Territ. separat. quaest. 28, num. 4.*, atque tum *ex Constant. cit. Vot. 832. num. 29. et 30.* tum *ex s. Rot. cor. Emerix. dec. 1235.*, qui libertatem Episcopi tuentur quoad locum residentiae Vicarii generalis, quae non tollitur ex praecedentibus deputationibus et residentia in uno factis cum sint actus facultativi, si concurrant mandatum superioris, necessitas aut coactio, et text. in *cap. Cum eccl. de causis possessionis ect., Prosper. dis. eccles. quaest. num. 13.*

Minus vero valent in casu actus hi facultativi ac immemorabilis etiam possessio ad obtinendam manutentionem in jure, quod asseritur privativum quodque sublatum fuit a *s. Conc. Trident. sess. 25. cap. 6. de reform.*, a quo post quamlibet consuetudinem etiam immemorabilem sublatam arbitrio Episcopi relictus fuit locus residentiae et tribunalis in sua dioecesi, ut fuso calamo demonstrant praesertim *Pignat. tom. 5. consult. 76., Barbos. de jure eccles. univers. lib. 2. cap. 16. num. 28.* allegantes plures s. Congregationis declarationes et resolutiones editas etiam in strenuo partium conflictu. Et revera s. Rota actibus mere facultativis tribuit palatium episcopale, thronum, tribunal, Vicarium generalem et carceres Setiae existentes, quae proinde nullius roboris esse dixit ad evincendam hujus ecclesiae cathedralitatem, ut in *dec. cor. Molines num. 63. et 64.* Id ipsum quoad Terracinenses sensit super confectione olei sancti, quorum jus deductum ex observantia, utpote ab actis facultativis constituta, excludit, ut ex *dec. cor. Olivat. num. 14.* Hanc possessionem vero pacificam negant in facto tum ob rem judicatam tum ob existentiam in aliis etiam civitatibus cancellariarum et residentiam Vicarii generalis, quae per aliquod temporis in discrimen revocari nequeunt.

Pauca quoad secundum defensionis caput. Repugnare asserto privativo juri Sentinorum ait Terracinensium et Privernatum defensor Bullam s. m. Benedicti XIII., qui arbitrio Episcopi reliquit in *civitate Priverni residere aut retinere Vicarium generalem aut specialem, functiones episcopales temporibus et diebus eis benevisis peragere, semper tamen eorum arbitrio . . . . et quod* (Privernenses) *obligati sint . . . . emere seu construere aliquod decens palatium, in quo praefatus Episcopus ad ejus arbitrium commode et decenter habitare valeat* —, quod sane praestiterunt Privernates; atque hinc Episcopi modo Terracinae Vicarios generales habuerunt causasque judicarunt prout ipsis magis libuit.

Postrema vero defensionis pars tota consistit in re judicata s. Congregationis Episcoporum et Regularium, in qua antiquissima et immemorabilis asserta Setinorum possessio in retinendo Vicario generali et cancellaria totius dioecesis semel iterumque profligata fuit et in qua statutum est posse Vicarium capitularem residere Terracinae causasque totius dioecesis cognoscere et judicare, deputato tantum Setiae Vicario cum limitatis facultatibus cognoscendi minores causas solummodo Setinae ecclesiae. Hanc autem rem judicatam locum habere contendunt etiam in praesenti casu nedum ex *paritate rationis* cum modo nil aliud opponatur nisi observantia et possessio, sicuti in alia actione, sed etiam ex *potioritate rationis*, cum absurdum sit denegare modo in Episcopo arbi-

trium illud illamque facultatem, quae tunc cognita fuit ac firmata in Vicario capitulari.

Post rejectum in primo dubio privativum jus possessionemque Setinorum et post probationem *in genere*, ex arbitrio Episcopi pendere unius Vicarii vel plurium deputationem *in specie*, tuentur Terracinenses et Privernates sibi respective competere jus habendi proprium Vicarium et cancellariam, de quibus sermo est in *secundo dubio*, cum id consonum sit bullae s. m. Benedicti XIII. Quoad modum vero addendum putant *arbitrio Episcopi* pro nunc, ut scilicet indicetur sermonem esse de arbitrio aequi et boni viri. Locorum namque distantiae, itineris difficultates et pericula omnino exigere dicunt generalem Vicarium et cancellariam in qualibet ipsorum civitate principali, quibus sane in circumstantiis Episcopi arbitrium veluti in obligationem resolvitur, ut tradit *Barbos. de off. et potest. Episc. alleg. 54 numer. 126., Pignatel. consult. can. 414. tom. primo* et prout definivit et mandavit *s. haec Congregatio in Sutrina et Nepesina 11. Maji 1584, in Civitatis Castellanae et Hortanae die 8. Junii 1624.* et *in Valven. et Sulmanen 4. Septembris 1604.* Addunt postremo ipsos jam fundos constituisse, ut Vicarii et cancellarii deputandi commode ac decenter vivere possint absque ullo Episcopi incommodo et impensa.

Setini e contrario controversum esse dicunt arbitrium Episcopi super plurium Vicariorum deputatione. Sunt enim, qui cum adversariis hanc facultatem Episcopo tribuunt, sunt vero haud minoris notae doctores, qui id negant inter quos *Pax Jordan. lib. 12. tit. 7, Sborzzius de Vica. lib. primo quaest. 46, Garg. de benef. par. 5. cap. 8., Cardinalis de Luca ad Trid. discept. 4. num. 7, Lauren. in for. benef. de Vicar. Episc. quaest. 31. et 32.* Exploratum tamen apud omnes est, cessare quodlibet in Episcopo arbitrium, si ex consuetudine centennaria praesertim et immemorabili in aliqua civitate Vicarius generalis jurisdictionem exerceat super universa dioecesi et civitatibus aeque principaliter unitis ibique universae totius dioecesis acta asserventur, quia civitas illa jus istud ex consuetudine privative sibi acquisivit. *Pignatell. Consult. can. 64. num. 2. tom. 7, Sborz. de off. et pot. Vic. lib. 1. cap. 10. num. 9,* Vantius *de nullit. sent. ex def. jurisdic. num. 110.*, et idipsum ex *sess. 25. cap. 6. Concil. Trident.* deducit *Grat. discep. forens. cap. 892. num. 16. et seqq.* Et ratio est quia centennaria et immemorabilis praesumit quamcumque meliorem titulum de *mundo*, ut ajunt, ac proinde transactionem, rem judicatam et privilegium, *Leg. hoc jure* §: *Diutius de aq. quotidian., Grotius de jure belli et pacis lib. 2. cap. 4. num. 10. Res. consul. 12. num. 32, Rot. in Romana Location. super devolutione et associatione 13. Martii 1789* § *6. coram eminentissimo Cesarei* et s. haec Congregatio *in Viterbien. Juris eligendi 19. Septembris 1797.* §: *Ambigi non potest.*

Jam vero residentia Vicarii generalis et existentia tribunalis in civitate Setina *antiquissima et immemorabilis* dicitur in motu proprio Benedicti XIII. edito anno 1725 ibique enunciatur nec tribunal nec carceres Episcopos habuisse Terracinae. Eadem antiquissima Setinorum possessio legitur in *decis. 784. coram Molines et decis. 630 coram Olivat.*, in qua perperam institerunt Terracinenses pro aperitione oris adversus literas laudati Pontificis, asseriturque num. 7. *Episcopum Pontificalia solum gerere in ecclesia Setina, ibi Vicarium generalem retinere et vix Foraneum habere Terracinae.* Idipsum ostenditur ex antiquissimis inscriptionibus ex *Giorgi* in opere de *eccl. cath. Setina pag. 25.* et synodorum dispositionibus, ex longa serie Vicariorum generalium et actuum pertinentium ad quodvis genus et quamlibet civitatem etiam aeque principaliter unitam, ex factis Vicariorum aliarum civitatum, qui se incompetentes declararunt causasque ad Setinum tribunal remiserunt, ex appellationibus interpositis a Vicariis Terracinensi et Privernensi ad Setinum et demum ex instauratione archivii generalis Setini facta anno 1675. auctorante praefecto archivorum, ad quod ut deferrentur jussum est omnia acta et instrumenta aliarum duarum civitatum dioecesis cum expressa prohibitione illa imposterum extrahendi absque expressa vel Vicarii generalis vel Episcopi licentia.

At si Episcopi Terracinenses in una Setiae civitate habuerunt curiam, tribunal, cancellariam, cathedram fixam, carceres et Vicarium generalem, negari a nemine potest, eos ordinariam et generalem in una Setina civitate exercuisse jurisdictionem in universam dioecesim et principaliores etiam civitates. Id enim praeter facta hucusque

memorata evincit etiam Vicarii generalis nomen, qui nimirum ille est ac dicitur qui cum generali potestate constituitur in eodem loco et tribunali, ubi residere et jus dicere solet Episcopus, quia unum idemque tribunal constituit eamdemque exercet jurisdictionem, *cap. Putamus de consuet. in 6, Reiffenst. in decret. lib. 1. tit. 28. de off. Vic. num. 14. et seqq., Marant. in specul. par. 4. dist. 5. n. 8, Laurent. in for. benef. tom. 2. quaest 3, Sborzzius de Vic. lib. 1. quaest. 28. num. 7. et quaest. 69. num. 2. et seq., Barbos. alleg. 54. num. 127.*

Id probe noverunt Terracinenses, qui dum anno 1772. preces s. m. Clementi XIV. dederunt s. huic dein Congregationi ablegatas reclamantes in eis contra residentiam Vicarii generalis in Setina civitate, litem deseruerunt postquam Episcopi informationem legerunt, qui Setinorum antiquissimam possessionem et privativum jus protuebatur.

Diluuntur deinde exceptiones deductae ex residentia Vicarii generalis vel Terracinae, vel Priverni per aliquod breve tempus et ab exercitio actuum in iis locis. Etenim cum actus hi sint perturbativi et injusti, nil valent, nisi supervenerit altera centennaria, quae jus ex primis jam quaesitum tollat. Pari debilitate laborare dicitur exceptio contra privativam possessionem deducta ex actibus facultativis. Licet enim hi non pariant praescriptionem, quae aliena est ab actibus facultativis, attamen in linea praesumptiva maximi roboris sunt ad inducendam nimirum praesumptionem privilegii vel alterius cujuscumque tituli magis validi: *Rot. in Sedun. Unionis super regularitate 5. Aprilis 1756.* §. *9. cor. Caprar. dec. 380.* §. *6. et 11. cor. Olivat.* et alibi passim.

Ex his concluditur rejiciendam esse Privernatum et Terracinensium instantiam in secundo dubio.

Breviter perstrinxi PP. EE. quae fuso calamo et summo studio in utriusque partis distributis juribus exponuntur quaeque severiori examine subjecta viam sternent ad tutum reddendum judicium super duobus dirimendis dubiis:

I. *An civitati et ecclesiae Setinae competat jus privativum retinendi unicum Vicarium generalem et unicam cancellariam generalem pro tribus unitis dioecesibus, ita ut sit ei danda manutentio in casu?*

II. *An et quomodo ecclesiis Privernen. et Terracinen. competat jus habendi Vicarium et cancellariam generalem in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus et amplius.

Ad II: Affirmative arbitrio Episcopi et amplius.

Die 15. Septbr. 1821.

Ad. dub. 1: An cancellarius episcopalis Tuscanen. retinere possit penes Episcopum in quocumque loco commorantem substitutum approbandum ab Episcopo pro conficiendis actis respicientibus solam ecclesiam Tuscan.?

2: An acta per ipsum Episcopum extra eccles. Tuscan. commorantem gesta et respicientia solam Tuscan. ecclesiam retineri debeant per cancellarium episcopalem Tuscan., etiamsi perficiantur per acta cancellarii Viterbii?

3: An acta per ipsum Episcopum commorantem in ecclesia Tuscan. gesta ac respicientia solam Viterb. ecclesiam vicissim confici et retineri debeant per cancellarium Viterb.?

4: An acta examinis habendi coram Episcopo in civitate Viterbii pro collatione paroch. et aliarum dignitatum Tuscan. conficienda sint a cancellario Tuscan. seu potius ab alio quocumque arbitrio Episcopi, ita ut sit standum vel recedendum a decisis diei 16. Mart. 1771. quoad dub. III.?

5: An reliquae scripturae spectantes ad ecclesiam Tuscan. necnon expeditiones et commissalia bullarum et acta s. visitationis ecclesiae Tuscanen. privative expediri, peragi ac retineri debeant penes acta cancellarii Tuscan.?

6: An Vicarius capitul. eccl. Tusc. sede episc. vacante compellere possit cancellarium ecclesiae Viterb. ad sibi gratis tradendas scripturas originales vel earum copias privative respicientes ad eccles. Tuscan.?

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative salvo tamen arbitrio Episcopi.

Ad 2—6: Praevio recessu a decisis diei 16. Mart. 1771. Episcopum posse adhibere in conficiendis actis alterutrius ecclesiae quemlibet ex notariis sibi benevisum, juxta tamen resolutionem in Hortana 8. Junii

1624, *) ita tamen, quod si acta perficiantur a cancellario Viterb. pro dioecesi Tuscan., teneatur ille vel autographum vel copiam auth. soluta dumtaxat mercede scripturae tradere cancellario Tuscan. in cancellaria Tuscan. servandam et vicisim ad idem teneatur cancellarius Tuscan., qui acta conficiat ad dioecesim Viterb. spectantia.

Die 11. Jan. 1783 ad 5—10.

*) *Resolutio Hortana haec est:* Ad dub.: An Episcopus volens in civitate Castellanae cognoscere causas civitatis Hortanae et illius dioecesis (aeque principaliter unitae) et sic e contra possit per se ipsum illas cognoscere scribente notario, quem maluerit, nec solum processus causarum verum etiam visitationem? S. C. resp.: Episcopum in una ex dictis civitatibus existentem posse per se ipsum cognoscere causas alterius civitatis vel dioecesis abhibito notario sibi beneviso tam in processibus scribendis quam in actis visitationis conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim sed raro et aequa ex causa fiat et in arduis tantum et gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur.

Die 8. Junii 1624.

Cancellarius Episcopalis.

(Munus.)

(Vd. p. 33. §. *Ad dub.)*

Romana et Aliarum.

Gravem nimis controversiam EE. PP. sapientissimo judicio hodiernis comitiis proponimus.

Plures identidem prodierunt romanorum Pontificum constitutiones circa asservationem scripturarum ac instrumentorum in publicis archivis ad id institutis. Pluries etiam disceptatum deinde est inter Episcopos et communitates quaenam scripturae conservari deberent in publicis archiviis, quaenam in cancellariis episcopalibus. Ad hanc componendam quaestionem actum primum est apud s. Congregationem die 9. Dec. anni 1625, iterum die 9. Julii 1825, quibus definitum fuit, ut in cancellaria episcopali*) conservarentur scripturae omnes rogatae a cancellario episcopali tanquam cancellario illius curiae et adjectus fuit cathalogus earundem scripturarum. Factum proinde est, ut cancellarii episcopales etsi notarili privilegio destituti tamen supra memoratis resolutionibus innixi, jus sibi addixerint rogandi acta omnia et scripturas locorum piorum ac ecclesiasticarum personarum in citatos cathalogos relatas.

Immo eousque res pervenit, ut nonnulli Ordinarii leges synodales decretaque condiderint, quibus nedum praefatam rogandi facultatem suis cancellariis tribuebant, sed etiam privativum jus rogandi, idque tum ex quodam decreto edito anno 1640. a Card. Barberino S. R. E. Camerario tum ex resolutione s. Congregationis in Urbanien et Vaden. 15. April. 1758. aliisque dispositionibus latis a variis archiviorum praesulibus et nuperrime anno 1840. a cl. me. Card. Gamberini qui tunc temporis erat a secretis status pro negotiis internis; etsi varia non deessent decreta a Congregatione tum Immunitatis tum Episcoporum et Regularium edita quae praefatum jus privativum denegabant.

Hinc frequentes Notariorum querelae, quibus jura sua laesa conclamabant quaeque tandem ad s. Sedem delatae fuerunt. Summi autem Pontificis imperio quaestio enodanda ablegata fuit ad amplissimum hunc Ordinem, qui ut rite in re tanti momenti procederet nonnullis mandavit pontificiae ditionis Episcopis ut jura cancellariorum in medium proferrent. Quae Episcoporum responsa exstant apud acta s. Congregationis, nimis longum esset hic omnia exscribere. Innuere tamen sufficiat quosdam ex auditis Episcopis et jura cancellariorum depromere tum ex monumentis supra relatis tum ex consuetudine quae in propria cujusque dioecesi invaluit, nonnullos vero, qui, quamvis fateantur promiscue praedictas scripturas rogatas fuisse a notariis et cancellariis, attamen convenientius utiliusque esse locis piis existimant si cancellariis dumtaxat hujusmodi juris privativa tribuatur. Quae cum ita sint, ut muneris nostri partes expleamus, subjicimus, quae contendentes in suis allegationibus hinc inde disputant, in quibus etiam fuse perlegent EE. VV. pontificias constitutiones ceteraque monumenta quae supra, ne patientia vestra abuteremur, tantummodo recensuimur.

*) Vd. *t. I. p. 1086 n. 3; p. 1092 n. 4.*

Tabellionibus assumptus patrocinator in tres partes defensionem suam dispersit juxta trium dubiorum formulas, quae in hodiernis comitiis EE. VV. judicio cribrandae proponuntur.

In prima contendit cancellarios uti tali officio solummodo praeditos haud rogari posse de publicis instrumentis actuum et contractuum notarilium, qui ecclesiarum aut locorum piorum interesse respiciunt. Quod ut evincat, ita ratiocinatur. Ad hoc ut quorumcumque privatorum bona securitate munirentur ac ne fraudes et lites eorum turbarent contractus, sed hi publica inniterentur fide, instituti fuerunt tabelliones; hanc ob causam eis tributa fuit facultas ut »de omnibus contractibus et ultimis voluntatibus per quoscumque et inter quoscumque et super quibusvis spiritualibus, beneficialibus aut profanis rebus . . . . . faciendis ut super eis instrumenta conficere possint eorumque rogatis plena et indubia fides cohibeatur.« Ita praecepit Julius II. die 1. Dec. anu. 1507 in sua constitutione: *Sicut prudens Paterfamilias* eumque suis sanctionibus sequuti sunt posteriores alii romani Pontifices.

Atqui notarii quod possint proprio fungi officio debent a romano Pontifice omnimode adprobari. Nam jus tabelliones creandi adnumeratur inter jura regalia juxta *Cardinalem de Luca de regalibus n. 144.* et quamvis hoc jus aliquando exercitum fuerit ab inferioribus magistratibus, hujusmodi tamen privilegium ab ipsis vetustioribus temporibus abrogavit regula XIV. Cancellariae*), Julius II. in praefata constitutione necnon constitutio: *Sollicitudo pastoralis* lata die 5. Aug. ann. 1588 a Xysto V. aeternae memoriae, qui insuper erigi mandavit publica archiva, ad quae deferri deberent omnia instrumenta a tabellionibus confecta, iis etiam comprehensis, quae ad ecclesias et loca pia spectarent. Accedunt quaedam generales leges Innocentii XIII. et Benedicti XIV., quae audiunt bandi generali, quibus ea confirmantur, quae Xystus V. circa archiva publica disposuerat, ac jus creandi tabelliones solummodo romano Pontifici reservatur.

Id ipsum colligere fas est a motu proprio s. m. Pii VII. die 31. Maji 1822 evulgato. Praeterea in eodem motu proprio quaedam in notario desiderantur, quae cum desint in simplici cancellario, illius officium exercere hic nequibit, nisi insimul notarili diplomate sit donatus sub poena nullitatis actuum, ut declaravit secretaria status ad hoc requisita in quadam sua epistola sub die 17. Sept. ann. 1840.

Neque hic asserere quis audeat, ab hujusmodi legibus excipiendos esse episcopales cancellarios, quum conficiunt scripturas, quae concernunt interesse ecclesiarum et locorum piorum quamquam scripturae illae officium notarile requirant, nam nos distinguere non debemus, ubi lex non distinguit, et incongruum videtur, ut bona ecclesiarum piorumque locorum iis cautelis destituantur, quas provide romani Pontifices pro negotiis privatorum sanciverunt.

In secunda suae defensionis parte laudatus Vindex gradum facit ad demonstrandum nonnisi per injuriam episcopales cancellarios etiam tabellionatus diplomate praeditos posse sibi arrogare jus privativum celebrandi omnes actus ac contractus ecclesiarum aut piorum locorum singularum dioecesum. Ut quis enim aliquo fruatur privilegio, debet illud in medium offerre ac probare illud fuisse sibi legitime concessum; secus evanescit, *leg. Si quis ex aliena 5. ff. de judiciis, Ciarlin. contr. 42. n. 26, Barbosa ad cap. 1. de privilegiis n. 5.* Jam vero cum nunquam dictum privilegium a legibus concessum fuerit Episcoporum cancellariis, hoc sufficeret ad illud omnimode rejiciendum.

At quaedam insuper accedunt leges, quibus tabellionum jura vindicantur contra privilegium, quod sibi gratis asserunt adversarii. Huc spectant verba supra relata constitutionis Julii II. et Xysti V. qua statutum fuit ad publica archiva deferendas esse scripturas a »quibuscumque tabellionibus . . . . . jam confectas vel deinceps celebrandas inter

*) Vd. *t. II. p. 824.*

quascumque ecclesiasticas et cujusvis ordinis regulares et saeculares personas quavis ecclesiastica . . . . . dignitate . . . fulgentes, ecclesias, capitula. collegia, conventus, monasteria, hospitalia et quaecumque alia pia et non pia loca.« Id ipsum clarissime repetunt jam relatae sanctiones auctoritate Innocentii XIII. et Benedicti XIV. emanatae. Accedit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 10. de ref.* facultatem facere Episcopis interdicendi tabellionibus aut non idoneis aut quandocumque in officio delinquentibus repertis usum proprii muneris perpetuo vel ad tempus »in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis et spiritualibus« quod profecto innuit tabelliones facultatem habere suum officium exercendi etiam in causis ecclesiasticis et spiritualibus, nisi talis dispositio inepta dici velit.

Pontificiis legibus consona est ratio, tum si loca pia tum si notarii ipsi spectentur. Si enim cancellarii episcopales notariatus diplomate muniti jus privativum haberent conficiendi instrumenta omnia, quae ecclesiarum piorumque locorum respiciunt negotia, istorum conditio inferior esset quam privatorum hominum; quippe forsan uti haud raro cogerentur imperitiori tabellione ac mercedem a lege statutam ad summum ei persolvere pluraque inde recipere damna, quum contra privati habeant facultatem selegendi peritiorem notarium, cum eo de minori mercede paciscendi ac ita meliori modo, quo possunt, suis negotiis consulendi. Insuper jam supra demonstratum est cancellarios non posse rogari de instrumentis, quae notarile requirunt officium, et cancellarii exercitium nihil ipsis prodesse, nisi a Pontifice tabellionatus diploma antea obtinuerint, qua Auctoritate apostolica quum gaudeant etiam alii notarii, nulla suppetit causa, cur posita pari conditione aequalique auctoritate horum exercitium perstringatur, damnum ipsis inferatur, praesertim post motum proprium anni 1822, a quo magnae impensae ac laboris onera imponuntur iis, qui ad notariatus officium aspirant.

Haud obstant hic plura Episcoporum decreta, quibus praeceptum est, ut ecclesiarum piorumque locorum instrumenta conficiantur a suis cancellariis. Haec siquidem decreta nullius sunt ponderis, quia inferioris potestas haud minuere valet auctoritatem a summo Imperante concessam. Extat hac ipsa in re de qua agitur luculentissimum s. Congregationis Immunitatis oraculum in *Tudertina 20. Dec. 1667*, ubi legere est: Non potest Episcopus prohibere, ne ceterii praeter solum cancellarium episcopalem possint rogare de instrumentis, quae commodum locorum piorum concernunt.« Idemque pluries decrevit s. Congregatio Episcoporum et Regularium, praesertim in decisionibus ad rem habitis *die 15. Oct. 1613, 8. Nov. 1632, 20. Maji 1661* ac nuperrime *die 3. Martii 1827*. Docent id ipsum *Pignat. Consult. 9., Ferraris V.: Notarius in add. n. 52.*

Neque pariter vulnus recipiunt jura notariorum ex resolutionibus s. Congregationis ann. 1625 et 1825, quarum perfugium valde invocant adversarii. In ipsis enim actum tantummodo fuit de scripturis asservandis vel in archiviis publicis vel in curiis episcopalibus, ac male ex iisdem arguitur jus cancellariorum conficiendi locorum piorum scripturas et instrumenta. Quod etiamsi daretur, nemo illud privativum cancellariorum asseret, si ad mentem revocet sanctiones Xysti V., Innocentii XIII. et Benedicti XIV. quibus mandatum fuit, ut scripturae et instrumenta omnium ecclesiarum omniumque locorum piorum ad archivia deportarentur, eodemque tempore animadvertat hanc s Congregationem custodem ac vindicem esse legum romanorum Pontificum. Ne igitur dicatur ipsam pugnare cum pontificiis sanctionibus executione et observantia munitis, in proprio sensu accipienda sunt ejus verba, quum dixit asservandas esse in cancellaria episcopali scripturas rogatas a cancellario tamquam illius curiae cancellario. Hoc vero ut conficiat, altius rem repetit tabellionum defensor ac adducta discrepantia inter cancellarios et notarios tam quoad originem tam quoad naturam et rationem officii, concludit, munus cancellariorum episcopalium esse inire acta cancellariae atque scripto mandare jussiones, edicta, responsa et sententias Episcopi, minime vero peragere actus notariles.

Tandem ex eo, quod notarii summi Imperantis auctoritate ad tabellionatus officium assumuntur, deducit, haud prohibere posse Ordinarios, ne ab illis conficiantur scripturae ac instrumenta ecclesiarum piorumque locorum, quod etiam confirmat resolutionibus s. Congregationis Immunitatis necnon Episcoporum et Regularium, quas supra innuimus.

Haec quoad tabelliones.

A cancellariis frustra hucusque jurium allegationem exspectavimus, quamquam sese allaturos saepe polliciti sint variasque diuturnas comperendinationes obtinuerint; neque nos ad incitas reducti valuimus aliquid in controversia tanti momenti ex officio animadvertere.

Dubia:

I. *An cancellarii episcopales uti cancellarii tantum, quin ad formam Motus proprii diei 30. Maji 1822 muniti sint privilegio tabellionatus, rogari possint de publicis instrumentis actuum et contractuum notarilium, qui confici debent juxta formas a dicto Motu proprio requisitas, quando interesse ecclesiarum locorumque piorum concernunt, videlicet alienationem patrimoniorum sacrorum et dotium monialium, transactionum, erectionum, emphyteuseon et aliorum hujusmodi in casu?*

II. *An iisdem cancellariis competat jus privative celebrandi omnes actus et contractus de quibus in primo dubio, etiam in vim resolutionis s. Congregationis Concilii diei 9. Julii 1625 et aliarum resolutionum alias latarum in casu?*

Et quatenus negative,

III. *An saltem Episcopus prohibere possit, ne caeteri notarii praeter unum cancellarium suum celebrent instrumenta, de quibus in primo et secundo dubio, tam generaliter ferendo legem vel vulgando edictum, quam specialiter, veluti injungendo in decretis et rescriptis, vel alio modo directo vel indirecto, ut instrumentum celebretur per acta cancellarii sui in casu?*

S. C. resp.

Ad I., II. et III.: Dilata ad primam omnino et infallanter.

Die 7. Aug. 1847.

Continuatio.

Qui superioribus comitiis imparatus cancellariorum episcopalium orator controversiae hujus decisionem ad hodierna prolatari ab EE. PP. humanitate obtinuit, modo haec fusius legenda in allegatione quam typis impressam distribuit jura pro suis clientibus in medium satagit proferre.

Sive ex jure communi (ita ratiocinatur) sive ex jure non scripto sive ex Tridentina synodo, veluti diversae ferunt doctorum sententiae, Episcopis jus esse in sua dioecesi creandi notarios, indubium est. *Piasec. prax. Episcop. tit. de pers. judic. part. 2. c. 4. n. 45, Passerin. de stat. hom. tom. 2. quaest. 187. art. 2. n. 13., Giarlin. controv. forens. libr. 1. cap. 63. n 14., Bellett. disquis. cleric. p. 1. §. 29. n. 10., Fagnan. in Comment. in decret. ad cap.: Sicut te. Ne cleric. vel Monac. n. 53., Tusch. practit. quaest., Grass. de effect. cleric. effec. 9. n. 26.*

Nec hujusmodi jus opponitur Principis potestati, quia plurimum differunt notarii Principis ab Episcoporum notariis. Illi (si Principi lubeat) in tota, qua late patet, ditione tabellionatum possunt exercere, hi vero in episcopali creantis dioecesi tantum; illi insuper omnibus laicorum negotiis et super privatis ecclesiasticarum personarum rogant, hi nonnisi super rebus, quae ecclesiae et locorum piorum interesse concernunt. *Pilaja decis. pontif. lib. 1. decis. 7. n. 64.* Illi quoad vixerint tabellionis munere funguntur, hi Episcopi morte rogandi facultatem amittunt. *Gonzalez. in reg. 8.*) cancell. gloss. 5. n. 17.* Unde stante maxima hac differentia nihil detrahitur regali Principis juri si in sua dioecesi notarios creet Episcopus.

Ab immemorabili vero hac fuisse Episcopos facultate usos compertum similiter est. Neque enim aliud sunt cancellarii, qui inter episcopales recensentur, nisi episcopalis curiae notarii. Ipsi siquidem omnes tum judiciales tum extrajudiciales actus ad dictam curiam spectantes conficiunt. Hinc semper in judiciis cancellarii et episcopalis notarii nomina indiscriminatim sunt usurpata, immo vero quoties de cancellario facta sit mentio semper additur: *seu notarius Episcopi*, ut pateret notarii publici facultatem cancellarii muneri inhaerere. *Ferr. Biblioth. can. sub verbo:* Notarius *n. 14., Zamboni Resolut. s. Congregationis sub verbo*: Cancellarius. Nec opus est, ut Episcopus suo cancellario notariatum expresse conferat, quia jure inest hujusmodi facultas in cancellarii officio. *Monacell. form. leg. pract. for. eccl. form. 2. n. 6.*

Accedit oraculum s. Congregationis ad rem magis magisque firmandam. Neque

*) Vd. *t. II. p. 820.*

enim supremus iste senatus decrevisset in resolutionibus annorum 1625 et 1815 instrumenta dotis monialium, locationis, emphyteusis, permutationis et alienationis bonorum episcopatus, aliarum rerum ecclesiasticarum sive ad loca pia sive ad legata pia etiam laicalia pertinentium rogari posse a cancellariis episcopalibus tamquam cancellariis, nisi probe novisset ipsos eorum muneris gratia tabellionatus privilegio donari.

Idque clarissime professa est archiviorum praefectura, quae saepe ab Episcopis rogata ut eorum cancellario tabellionatus impertiretur diploma semper respondit opus esse hac concessione. Quanti vero faciendae sint istiusmodi declarationes nemo non noscit, utpote quae ab archiviorum praefectura jurisdictionem in notarios habente latae fuerunt.

Ceterum episcopali notarios creandi juri nullum intulere praejudicium sive pontificiae leges annorum 1721 et 1748 sive regula 13.*) cancellariae sive denique Motus proprius Pianus anni 1822. Ad pontificias namque leges quod attinet animadvertendum est Innocentium XIII· et Benedictum XIV. earum latores notarios creandi facultatem ademisse gubernatoribus, collegiis, universitatibus aliisque personis cujuscumque gradus et dignitatis tam ecclesiasticae quam saecularis, quae facultatem ipsam sibi arrogabant in vim bannimenti Cardinalis Cajetani. Eorum autem ex numero Episcopos non esse apprime patet, quia Episcopi non a dicto bannimento sed a jure scripto vel non scripto suas repetunt facultates. Hinc est quod Episcoporum jus sartum tectum mansit, praesertim quum pontificiae leges dictum jus expresse reservaverint favore illorum, qui independenter a bannimento Card. Cajetani notarios creabant.

Quoad regulam XIII. cancellariae annotat cancellariorum orator, eam haud certe loqui de ordinaria facultate, qua ex jure Episcopi pollent, sed de facultate extraordinaria creandi notarios, qui officium suum ubique terrarum possent exercere, quod quidem privilegium Pontifices summi condere consueverunt, teste *Fagnan. in cap. 8. ne Cleric. vel Monach. n. 7.* Concessum siquidem, ut prosequitur laudatus Orator, dici non potest quod ex jure competit. Ita vero regulam hanc antiquissimam interpretatos fuisse doctores apparet ex eo quod omnes pro certo posuerint Episcopos posse in sua dioecesi creare notarios.

Restat Motus proprius Pianus. Ejus statutum: Notarios esse creatos ad vitam Sanctitatis, sane protendi non posset ad Episcoporum notarios, qui exercere tabellionatum valent quousque Episcoporum vita perdurat. Accedit in §. 3. expressam fieri a legislatore mentionem de iis, quibus jus creandi notarios adimebatur, quorum sub nomine cum Episcopi minime veniant, concludendum est quoad eos nihil novi constitutum fuisse, juxta tritissimum illud, quod lex voluit expressit, quod tacuit noluisse censenda est. Maxima vero differentia intercedit Episcopos inter aliosque a Motu proprio contemplatos. Nam hi notarios creabant ad vitam, illi vero quoad ipsi vixissent. Unde opus omnino fuit ut creandi notarios facultate collegia, universitates ceterique privati destituerentur, secus contradictio quam maxima extitisset jus inter et factum. Ex jure enim solus Pontifex notarios potest ad vitam creare: in facto vero alii etiam id perfecissent. Nec praetereundum Motum proprium eos respicere qui habent *il privilegio di nomina;* illumque proinde invocari non posse contra Episcopos, qui non ex privilegio sed ex jure facultatem habent creandi notarios.

Deinde autumat qui cancellarios tuetur omnem hac super re dubitationem eripere tum relatas declarationes archiviorum praefecturae tum aliam declarationem s. R. E. Camerarii Cardinalis Galeffi cl. me.

Rationem vero non deesse inquit, cur cancellarii regulis a Motu proprio Piano quoad ceteros notarios praescriptis non subjiciantur. Ad cautionem enim quod spectat inutilis ea redditur statim ac contractus ecclesiae et locorum piorum cancellarii stipulari nequeunt nisi Episcopi accedente consensu et juxta normas ab eo traditas; quare metui nequit ex hujusmodi stipulationibus. Quoad examen vero observat s. Tridentinam synodum facultatem Episcopis tribuere examinandi notarios apostolica etiam auctoritate creatos illosque non idoneos repertos vel perpetuo vel ad tempus suspendendi; unde infert sat esse, ut Episcopi cancellarios suos examinent ad hoc ut notariatum valeant exercere.

*) Vd. *t. II. p. 823.*

Ultimo denique loco contendit, quod etiamsi cancellarii tabellionatus privilegio destituerentur, ea tamen instrumenta conficere valerent, quae ecclesiarum et locorum piorum interesse respiciunt, quia haec omnia rogandi facultatem ipsis uti cancellariis independenter scilicet a qualitate tabellionis nonnullae res judicatae s. H. Congregationis tribuerunt: eoque fortius id locum sibi vindicare in themate debet. Quia immemorabilis observantia, quae meliorem effecit de mundo titulum, cancellariis opitulatur, veluti ii affirmant Episcopi quorum literae extant in actis s. Congregationis.

Non adeo tamen sollicitum se praebet de declarationibus eminentissimorum virorum qui erant a secretis status annis 1822 et 1840, tum quia ut ait falso laborant supposito quod cancellarii episcopales jure notarii non sint tum quia rebus judicatis et immemorabili observantiae praeter fas contradicunt. Concludit ergo cancellarios uti cancellarios, quamvis tabellionatus diplomate ad formam Motus proprii Piani muniti non sint, rogare posse instrumenta quae locorum piorum interesse respiciunt.

Gradum deinde faciens ad alterum dubium demonstrare adnititur cancellarios privativo jure pollere eos conficiendi de quibus agitur actus. Quod ut efficiat ad resolutiones recurrit ab s. H. Congregatione editas anni 1625 et 1825, quae cum clare constituerint cancellarios dictos actus posse rogare, satis aperte declarasse videntur jus istud ceteris non competere notariis qui cancellarii qualitate carerent. Et hanc re ipsa fuisse s. Congregationis mentem probare studet facto Emi Card. Gamberini, qui Praesul erat a secretis s. H. Congregationis quum resolutio prodiit anni 1825, quique Urbevetanis infulis decoratus edictum promulgavit, in quo dictam resolutionem ad unguem refert.

Praeterea ut rem istam magis magisque in propatulo ponat decretum implorat a s. Congregatione editum in *Urbanien. Rogituum anni 1754,* in qua proposito dubio:

An et in quibus casibus constet de privativa notarii et cancellarii curiae episcopalis Urbaniae rogandi omnes actus inter vivos et ultimae voluntatis tam bonorum ecclesiasticorum quam locorum piorum ejusdem civitatis in casu?

responsum datum est:

Affirmative ad formam resolutionis in Comen. et juxta elenchum datum in app. Concil. roman. Dubitari itaque non posse ait quominus cancellarii episcopales ad formam rei judicatae s. Congregationis privilegio fruantur easdem scripturas privative rogandi.

Summa vero sapientia id constitutum fuisse affirmat, quia quum agatur de actis ad episcopalem curiam spectantibus aequum est, ut ab ejus curiae officiali conficiantur. *Monacell. formul. leg. pract. for. eccl. form. 13. n. 3.* Necessarium praeterea ex sequenti argumento id ipsum asseverat. Nam ante quam Episcopi suum praestent consensum alicujus contractus stipulationi, oportet ut noscant conventiones jam confectas, ne aliquid detrimenti capiant ecclesiae vel loca pia. Sed omnes hae conventiones in episcopali archivio asservantur. Expedit igitur quamquam maxime ut novi etiam contractus per acta cancellarii absolvantur, quo nemo melius et citius ad Episcopi notitiam perducere valet contractus antea initos. Perpendit insuper Episcopum prohibere non posse, quominus pro substantiali sui consensus conditione imponat, ut hujusmodi contractus per acta cancellarii sui celebrentur. Id enim privati etiam homines perficere valent. Nec praeterit utilitatem quae ecclesiae et locorum piorum favore ex hoc privato jure promanat, eamque inde proficisci ait, quod Episcopi plerumque cancellariis imponere solent ut minori vel etiam nulla taxa, praesertim si agatur de locis piis angustia census afflictis, contentos· esse se praebeant.

Ad constitutiones pontificias quod attinet, quas notarii contendunt sibi facultatem concedere rogandi actus ad ecclesias et loca pia spectantes, animadvertit illas nullo in pretio habitas fuisse in *Urbanien. Rogituum* justissima forte de causa, quia notarii scilicet actorum, quae conficiebant, apographa maximo ecclesiae et locorum piorum damno ad archivia episcopalia non deferebant. Quousque igitur res judicata isthaec in sua validitate manebit, contendit privativum jus cancellariis competere rogandi instrumenta quae ecclesiarum et locorum piorum interesse attingunt.

De tertio dubio nil disceptandum existi-

mat, quia ejusdem solutio ex anterioribus pendet. Aequa hinc lance librantes EE. VV. jura utrinque allata videant quanam responsione dimittenda sint.

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative injuncto tamen notariis onere tradendi curiis Ordinariorum copiam simplicem omnium actorum.

Ad III: Provisum in secundo.

Die 28. Aug. 1847.

Continuatio.

Acri partium certamine in comitiis diei 28. superioris Augusti pugnatum est inter tabellionum coetum pontificiae ditionis et cancellarios episcopales, super jure publica rogandi instrumenta omnium actuum et contractuum notarilium, qui interesse ecclesiarum locorumque piorum concernunt. Sed quam tulit sapientissimus ordo vester consultissimam sententiam haud quaquam cancellariis arisit, qui ideo, nulla interposita mora, sua rursum expereundi jura petierunt obtinueruntque ut ipsis hodierna comitia ad novum certamen subeundum statuerentur. Verumtamen incassum hucusque cancellariorum jura exspectavimus et nonnisi quum hoc folium typis commissuri eramus supplicem ab eis accepimus libellum, quo instabant ut causae propositio post reges comperendinaretur, asserentes haud fieri potuisse, ut brevi temporis intervallo ab ultima propositione dilapso documenta opportuna colligerentur ad universalem consuetudinem rogandi adstruendam, quam causae summopere favere confidunt.

At notarii obstantes petitae dilationi atque optimo juri confisi, quod satis superque in praeterita allegatione resumenda explanatum arbitrantur, rogant ut tandem aliquando editae decisioni supremus calculus adjiciatur. Viderint EE. VV. ea quae praestant justitia ac humanitate, quid potius in hoc rerum statu agendum expediat, dum solvenda iterum subjiciuntur.

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I., II. et III.: Ad primam post reges omnino et infallanter.

Die 27. Novb. 1847.

Continuatio.

Per appellationem a cancellariis interpositam rediit iterum causa. Literas ad mentem EE. VV. concinnatas Ordinariis pontificiae ditionis transmisimus, quos de hoc potissimum admonitos voluimus, ut *si quid favore cancellariorum deducere* censuerint *id quam citius perficere non praetermitterent.*

Porro varias habuimus ab Episcopis relationes allegationesque cancellariorum, quas ut gravius de iis judicium ferant EE. VV. censuimus typis fideliter committere ac seorsim distribuere. Interim EE. VV. precamur ut, quoniam jura universa utrinque a contendentibus copiose allata sunt in primis causae propositionibus, ea recolant in foliis diei 7. et 8. Augusti superioris anni. Dantur iterum enodanda

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis et ad mentem: mens est, ut consulatur SSmo pro sanatione, quatenus opus sit pro interesse partium omnium et contractuum a cancellariis peractorum.

Ad II. et III: In decisis.

Die 15. Julii 1848.

Canes Clericorum.

Canes venatici teneri et ali non possunt ab Episcopis sub poena excommunicationis per tres menses; neque a presbyteris sub poena excommunicationis per duos menses; neque a diaconis sub poena privationis ab omni officio, *cap. Episcopum. 1. de clerico venatore*, ibi: »Episcopum, presbyterum aut diaconum canes aut accipitres aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si presbyter, duobus, si diaconus, ab omni officio suspendatur, quam suspensionis poenam etiam ad subdiaconum extendit *glossa in cit. cap. Episcopum*, verb.: *Voluptas*. Minoristas vero clericos arbitrio judicis plectendos tradit Ancharanus et Hostiensis in summa num. 4. quia tenere et alere canes pro venatione omnibus clericis est prohibitum, *cap.*: *Omnibus Servis Dei 2. de clerico venatore*; *Concil. Lateranense IV. cap. 15.*, *Concil. Agathense cap. 55.* et *Concil. Wormatiense cap. 17.* Canes in ecclesia inferri non possunt; *Conc. Mediol. I. part. II. tit. de ecclesiis et earum cultu*, *Conc. Mexican. lib. 5. §. 28.*

Propter inconvenienta secuta ex parvis caniculis, quae voluptatis gratia tenebantur in monasteriis monialium, facta fuit circa id prohibitio generalis, ne amplius intus habeantur neque masculi neque feminae; s. Congreg. Episcop. et Regular. in *Mutinensi 3. Februar. 1597* et in *Justinopolitana 22. Septembris 1651.*

Canon.

(Reductio non concessa.)

Inter bona cujusdam capellaniae praediolum recensebatur cultum quidem ex parte frumento, arboribus autem destitutum, quod aestimatum est scutatis 120 ac 14 circiter mensuras annuas frugum reddebat respondentes redditui scutatorum 5.

Capellanus hujus praedii possessor preces s. Sedi admovit, ut illud in perpetuam emphyteusim dare posset cuidam Augustino, qui persoluturus erat capellano annuum canonem in frugibus scut. novem vel decem, atque insuper agrum vitibus arboribusque intra biennium consiturus erat, cum onere exinde rependendi eidem capellano quartam uvarum partem. Omnibus rite peractis, quae de more servari debent, s. Congregatio opportunas concessit facultates Ordinario ad propositum perficiendum contractum, salvo jure vicesimae et sextae cum omnibus consuetis et piae causae proficuis pactis et conditionibus ac praesertim conditione, ut melioramenta cederent solo. Cum autem nullus alius oblator comparuisset, capellanus ad instrumenti stipulationem devenit et emphyteusis perpetuae investituram praedicto Augustino contulit sequentibus pactis utrinque susceptis: 1. ut emphyteuta intra biennium vitibus arboribus consertis integrum agrum ditare deberet: 2. ut praeter responsionem annuam quartae uvarum partis rependeret canonem in determinata mensura frugum scutat. circiter novem, qui canon praestandus esset liber omnino ab omnibus impositis et imponendis vectigalibus: his pactis non impletis locus fieret poenae *caduci* atque melioramenta solo cederent, quin emphyteuta compensationem aliquam exigere posset: 3. ut nunquam utile praedii dominium alienari posset sine capellani pro tempore consensu et solutione laudemii: 4. ut praetendere emphyteuta non posset quamcumque canonis imminutionem ex quovis fortuito casu praeviso vel non praeviso. Denique emphyteuta hypothecae vinculo

subjecit alterum praedium in securitatem canonis nunciumque misit cuilibet juri sive praesenti sive futuro redimendi dictas praestationes.

Hoc inito contractu alacri animo Augustinus novam agri culturam aggressus est, quae scopus praecipuus utriusque contrahentis esse videbatur, et sine quaerela canones accurate annos novem persolvit.

Verum post hoc tempus supplex s. Congregationem adiit exponens se contractui consensisse existimans feraciorem esse praedii terram: cum autem modo nosceret vix canonem frugum idem praedium exhibere, quem capellano persolvere tenebatur, ex gratia postulabat, ut canon coarctaretur ad quartam omnium praedii fructuum partem. Testimonium insuper agrimensoris addebat quod *peritiam* vocant; in qua, facta praedii descriptione, agrimensor testabatur, si novis impensis nova melioramenta solo fierent, praedium reddere ad summum posse 45 annuas mensuras frumenti, cujus quarta pars annuis scutatis circiter quinque poterat aestimari.

Rogatus de more Ordinarius, ut capellaniae rectorem aliosque interesse habentes audiret simulque suum votum emitteret circa justam reductionis causam, retulit dumtaxat, capellanum petitioni obsistere, atque a sua proferenda sententia ipsemet Ordinarius abstinuit.

Ea quae militabant favore emphyteutae.

Observabatur *ex officio* praesentem controversiam levis quidem esse momenti, si facta inspiciantur; at non ita esse si juris quaestio fiat. Et sane in praesentia agebatur de vera propriaque emphyteusi, ut demonstrant nomen contractui inditum, canonis vocabulum adhibitum ad annuas praestationes significandas, prohibitio alienandi utile dominium irrequisito domino, solutio laudemii, poena *caduci* etc., Card. de Luca *de Emphyt. disc. 31. n. 9. et 10.* Jam vero in genere circa annuam praestationem ex hujusmodi contractu pensitandam receptum est, canonem modicum esse debere ex nativa contractus indole. Namque antiquitus ejusmodi contractus objectum inculta arva esse consueverunt, quae alicui concedebantur cum onere persolvendi aliquod tributum in recognitionem dominii: et licet tractu temporis etiam agri fertiles contractui emphyteutico subjecti fuerint, ut tradit Valasc. *de jure emphyt. q. 1. num. 6. et q. 2. n. 5:* nihilominus modicitas canonis adeo propria hujusce contractus haberi perrexit, ut si fructibus canon aliquo modo respondeat in locationis conductionisque contractum converti doceant auctores. Card. de Luca *loc. cit. n. 8.*, qui contractus diversam habet ab emphyteusi naturam *L. 1. C. de jure emph.*)*

Quamvis autem auctores in diversas abeant sententias in determinanda proportione canonis respectu fructuum, tamen conveniunt in tenuitatis ejusdem conceptu. Fulgin. *de contr. emphyt. q. 28. n. 4.*, Pacion. *de locat. cond. c. 45. n. 35.*

Hinc fit ut pensionis excessus adeo contractum impetat, ut illum pessumdare videatur, ut monet Barbosa in *cap. Cum dilecti n. 17. et 20. de emphyt.*, Fulgin. *de contr. emphyt. q. 28;* ac proinde secumfert laesionem enormam vel enormissimam. Nam ad laesionem in contractu emphyteutico aestimandam ob dictas rationes diversa norma habenda esse videtur ab ea quae servatur in contractibus emptionis, venditionis et locationis conductionis. In hisce enim contractibus pensiones persolvuntur in correspectivum vel rei vel fructuum: dum e contra in emphyteusi canon persolvitur dumtaxat pro recognitione dominii, quod in alio est quodque dicitur in dominium directum. Ex quo apparet canonem ab emphyteuta praestari debere in obsequium dumtaxat domini. Quare quoties contractus in damnum vergat ipsius emphyteutae ob canonem qui

*) Loco citato sic Zeno Imperator constituit: »*Jus emphyteuticarium neque conductionis neque alienationis esse titulis adjiciendum, sed hoc jus tertium esse constituimus ab utriusque memoratorum contractuum societate seu similitudine separatum, conceptionem item definitionemque habere propriam et justum esse validumque contractum, in quo cuncta, quae inter utrasque contrahentium partes super omnibus vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scriptura interveniente habitis, placuerint, firma illibataque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri, ita ut, si interdum ea, quae fortuitis casibus eveniunt, pactorum non fuerint conventione concepta, si quidem tanta emerserit clades, quae prorsus etiam ipsius rei, quae per emphyteusin data est, faciat interitum, hoc non emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed rei domino, qui, quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur. Sin vero particulare vel aliud leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus laedatur substantia, hoc emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum.*«

excedat etiam in modico fructuum compendium enormis certe laesio haberi dicenda est.

Porro in praesenti casu ejusmodi laesio haberi videbatur. Namque pro sterili agello scutat. 120 aestimato, qui vix annua scutata 5 capellano suppeditabat, solvere tenetur emphyteuta viginti mensuras frumenti quae scutatis novem vel decem tempore initi contractus respondebant. Ejusmodi enim excessus annuae praestationis, sive consideretur realis praedii valor sive realis ejus redditus, enormem laesionem attigisse videtur etiamsi laesio eo modo aestimetur, quo aestimari solet in reliquis contractibus juxta *legem 2. C. de rescind. vendit.*

Neque aliter sentiendum videbatur si justitia canonis perpenderetur ad normam novissimae peritiae ab Augustino exhibitae. Ex ea enim peritia colligebatur praediolum reddere posse 45 mensuras annuas frumenti; porro ejusmodi redditus in potentia ab agrimensore aestimatus est, atque ideo ut ad effectum deveniret, multos exigebat labores et impensas, non solum pro ordinaria cultura agri, verum etiam pro extraordinaria in ima fundi parte, quae aquis redundabat. Hinc si a praedicto redditu demas vectigalia tum imposita tum imponenda necnon correspectivum laborum ac industriae emphyteutae ac denique ob oculos vicissitudines tempestatum habeantur: difficile admodum videbatur tantum superesse frugum ut solvendo canoni sufficeret, ita ut vitari posset praejudicium enormissimae laesionis, ea ratione aestimandae, quae propria sit hujus emphyteutici contractus. Quare in similibus adjunctis s. Congregatio Concilii modo reductionem canonis, modo rescissionem contractus decrevit, ut in *Fabrianen. Rescissionis contractus 20. Decembris 1816* et in *Senogallien. Transactionis 8. Maji 1819.*

At contractus rescissio in praesenti casu deteriorem reddebat Augustini conditionem ob jacturam expensarum et laborum in meliorem praedii culturam, quae cedere solo debebat; proindeque unum supererat, ut ipsi succurreretur per aequam canonis imminutionem. Intollerabile enim malum videtur, quod emphyteuta inevitabilem patrimonii sui eversionem subire debeat ob tributi solutionem, quod licet modice fructus excederet attamen in perpetuum ejusdem substantias auferret et alium sine legitima causa ditaret, ceu saepe perpendit s. Rota.

Ea quae emphyteutae adversabantur.

E contra plura ad normam juris *ex officio* pariter adducebantur, quae ostendebant locum non esse imminutioni canonis. Namque licet ex vetusta origine contractus emphyteutici canon modicus esse soleret, qui in obsequium domini dabatur ob concessa sterilia arva: tractu tamen temporis mos invaluit, ut annuus canon fructibus praedii responderet. Quod quidem hodie in usu maxime est; praesertim vero circa ecclesiasticas emphyteuses quae moderari ac regi debent juxta constitutionem seu *motum proprium* Benedicti XIV. diei 23. Novembris 1742 et juxta decretum s. C. Episc. et Reg. diei 18. Martii 1835.*)

Hoc autem posito cum natura ejusmodi contractus immutata quodammodo sit et cognatione quadam consocietur cum locatitiis contractibus, ut tradunt auctores, receptum est enormem non admitti laesionem, nisi certo constet pensionem rei locatae seu in emphyteusim datae duplo plus esse fructibus majorem, juxta tradita per Rotam in *Tyburtina Laesionis 10. Decemb. 1832* et in *Camerinen. Reductionis canonis 15. Martii 1837 §. 6. coram de Cursiis.* Cum enim emphyteusis sub generico locationis nomine soleat comprehendi, eadem norma dirigi convenit, qua locationis contractus regitur, praesertim vero quando agitur de casibus in quibus canones fructibus rei respondeant, ceu eadem s. Rota tradidit in *decis. Associationis 5. Julii 1771 §. 10. coram Origo et in ejus confirmatoria 10. Maji 1772 coram Ratto.* Quibus accedit praxis s. C. Concilii quae in defectu laesionis ultra dimidium reductionem canonis denegandam esse censuit, ceu patet ex *Mauraten. Emphyteusis 23. Septembris 1788*, in *Firmana 17. Maji 1817 et 24. Augusti 1819*, in *Senogallien. Reductionis canonis 27. Augusti 1834* ac recenter in *Tusculana Reductionis seu affrancationis canonis 8. Augusti 1863.*

Porro inspecto emphyteutico contractu inter capellanum de quo agimus inito et Augustinum nullum videbatur adesse fulcrum, quo laesionis querela juxta praestitutam doctrinam sustineri posset. Inspecto enim redditu, quem capellanus percipiebat in annuis scut. quinque, et canone convento

*) Vd. *t. I. p. 446. q.* et *p. 448.*

in scutat. annuis novem vel decem, non solum canon duplum redditus non excedebat sed vix ac ne vix quidem illud attingebat. Si vero juxta peritiam ab ipsomet Augustino productam res consideraretur, jam patebat canonem multo minorem fore redditu, si diligentiori cultoris industriae praedium subjiceretur. Nam indoles hujus contractus ejusmodi est, ut considerandi obveniant non modo fructus, qui actu sunt, sed etiam illi qui obtineri poterunt causa melioris culturae, ceu post *theoricam* Paul. de Castro *in authent. Si quas ruinas C. de sacros. eccles.* docuit Rota *in decis. 1186 n. 2. coram Emerix junior., in Camerinen. Reductionis canonis 15. Martii 1837* et alibi.

Quibus accedebat et alia observatio, qua aestimanda videbatur favore emphyteutae conventa uvarum divisio, cujus ratione idem emphyteuta tamquam colonus partiarius habebatur ac utiliter perpetuo r edditus cum capellano dividebat veluti societatis jure, Voet. *ad pandect. l. 19. lit. 2. n. 8.*

Denique observabatur, quod, si de laesione indubie constaret, recolenda tamen essent verba *Legis. 2. Cod. de resc. vend.*, quae venditori optionem tribuunt vel recipiendi supplementum pretii vel contractum rescindendi. Quae juris dispositio extensa etiam est ad emphyteusim, sive dominus directus sive dominus utilis laesionem objiciat, prout Barbosa in *L. 2. C. de resc. vend. n. 72.* aliique. Quare etiam in hypothesi extantis laesionis injuria videbatur concedi Augustino canonis diminutio, quin capellano simul tribueretur jus eligendi contractus rescissionem.

Adductis insuper aliis exemplis, causa scilicet *Camerinen. Reduct. canonis,* ter in s. Rota agitata ac denique incunctanter definita die 15. Martii 1837 necnon altera recenter resoluta in s. C. C. in *Tusculana Reductionis seu affirmationis canonis* die 3. Augusti 1863, propositum est resolvendum

Dubium:

An et in qua summa sit locus reductioni canonis in casu?

S. Congregatio Concilii re cognita die 28. Januarii 1865 respondere censuit: *Negative in omnibus.*

Ex iis colliges:

I. Contractus emphyteuticarios, in quibus canon cum rei fructibus comparatur, naturam induere contractus locat. conductionis.

II. Quare pro ea parte in qua ejusmodi contractus conveniunt iisdem legibus regun-tur. Ubi enim eadem est legis ratio, eamdem convenit esse legis dispositionem.

III. Hinc nemo de enormi laesione conqueri potest, nisi probet canonem constitutum duplo plus majorem esse fructibus rei in emphyteusim acceptae.*)

*) In *Lege 16 ff. de minor.* §. 4. legitur: »*Pomponius ait. In pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire.*« Nec laesionis quaerela tunc locum sibi vindicabat, nisi de metu, machinatione vel dolo constaret. Invaluit postea ut dolus ex ipsa re argui posset, quod videlicet nimium appareret pretii discrimen: quod ne in incerta quadam aestimatione versaretur, Imperatores Diocletianus et Maximianus constitutionem ediderunt, quae habetur in *lege 2. cod. de rescindenda venditione,* hisce verbis: »*Rem majoris pretii si tu vel pater minoris distraxerit, humanum est, ut vel, pretium te restituente emptoribus, fundum vero datum recipias auctoritate judicis intercendente, vel, si emptor elegerit, quod deest justo pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit.*« Quae dispositio ad omnes bonae fidei contractus extensa est, inter quos et emphyteusis recenseri solet.

Canones.

Vd. Decretales.

1) Dispensatio et observatio.

Vd. infra n. 3.

Joannes VIII. PP. Episcopis provinciae Bituricensis.

Quia Burdigalensem urbem sed et totam pene provinciam quorumdam vestrum literis, sed et Leonis apostolicae Sedis apocrisiarii, expressa relatione didicimus, diversis cladibus sed praecipue incursibus Normandorum deletam et in solitudinem partim gladiis partimque captivitate deductam: necessaria rerum (ut cum sancto Papa Gelasio Decessore nostro dolentes gementesque fateamur) dispositione et apostolicae Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare et retro praesulum decessorumque nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum pro instaurandis ecclesiis relaxanda deposcit. adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus. Ecce enim de civitate ad civitatem Episcopi transmigrent, sancti canones provide sanciunt, sed si hujusmodi sanctiones sine ulla discretione vel dispensatione ducimus observandas, nullam compassionem fratribus exhibemus; quos gentilium gladios passos causa fidei christianae servandae videmus egentes, angustiatos, afflictos, hac illac palantes incedere, praesertim cum nonnulli eorum ita sint per Dei gratiam illustrati, ut non solum scientia sed et moribus, non solum verbis sed exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotharius Burdegalensis dudum Antistes (ut testatur vestra fraternitas) extat necessario duximus, eundem virum alii ecclesiae praeponendum et incardinandum Bituricensi videlicet, quae et vacans esse nobis denunciata est et tanti viri digna regimine, ne per minus idoneum rectorem salubre salvandarum animarum desit ei praesidium: et Nos econtra ingentis culpae involvamur annexu, si tanto urgente discrimine tantae minus consulamus ecclesiae, propugnatori hanc probabili minime committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconvulsis, quas ubi nec rerum nec temporum urget necessitas jure convenit observari, vacante sede Frotharium fratrem et Coepiscopum nostrum in sede Bituricensi praeficiendum ordinamus sacerdotem: ita ut in ea incardinatus et quodammodo auctoritatis apostolicae privilegio radicatus caetera metropolitanae Bituricensis ecclesiae et dioeceseos jura tamquam Deo contemplante obtineat, dispenset et ordinet, omni posthac querimonia invidorum prorsus ablata. Cui vos tamquam proprio Metropolitano convenit obedire et competentem exhibere, secundum pristinum morem, reverentiam et honorem. Sane latere vos nolumus, sic Nos ista interveniente non modica barbarica necessitate nunc concedere, ut tali necessitate remota consuetudinarie ulterius non requiratur, quod removeatur etiam illud, quod necessitas imperarat.

Optamus sanctam fraternitatem vestram in Christo nunc et semper valere.

Data VII. Cal. Novembris, indictione X.

Dat. die 7. Novembris anno Domini 876 pontif. Joannis anno IV.

(Bull. r. t. I. p. 340 Ed. Aug. Taur. 1857.)

2) In eorum interpretatione magis Canonistis quam Moralistis etc. deferendum.

Vd. *Confessar. Regularium* (approb. Episcopi, dec. *Hildesimen* §.: *Addit etc.*)

3) Observatio.

Vd. supra n. 1.

Nicolaus I. PP. Episcopis per Gallias constitutis.

Absit, ut cujuscumque usque ad ultimum vitae suae diem, qui in fide catholica perseveravit, vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quaelibet exposita debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula, quae dumtaxat et antiquitus sancta romana ecclesia conservans vobis quoque custodienda mandavit et penes se in suis archiviis et vetustis rite monumentis recondita veneratur. Absit ut scripta eorum quoquomodo parvi pendenda ducamus, quorum videmus Deo auctore sanctam ecclesiam aut roseo cruore floridam aut rori-

fluis sudoribus et salubribus eloquiis adornatam. Si enim ipsorum decreto caeterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod Sedes apostolica probat hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit hactenus inefficax habeatur, quanto potius quae ipsa pro catholica fide profanis dogmatibus repellendis, pro variis et multifariis ecclesiae necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debet honori praeferri et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi?

Quamquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi ubi suae intentioni haec suffragari conspiciunt illis indifferenter utantur et solum nunc ad imminutionem potestatis Sedis apostolicae et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes Nos habentur, quae non solum quorumcumque romanorum Pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis praeferre noscuntur. At nunc ubi suis animis resultare et privilegia tantopere Nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universae ecclesiae profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est, ubi universa fabricae moles inuititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum Pontificum romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur ascriptae, ergo nec Gregorii sancti nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquid institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur ascriptum: ergo doctrinam eorum et sanctiones de codicibus suis evadant; ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptae?

Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas divinas scripturas novi et veteris testamenti jam recipiemus, si istos duxerimus audiendos? Etiam neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potius quam ad resistendum semper parati sunt, dicentes, quod inter canones inveniatur capitulum sancti Papae Innocentii, cujus auctoritate doceatur a Nobis utrumque testamentum jam esse recipiendum, quamquam in ipsis primitivis canonibus nullum eorum contineatur ex toto insertum. Quibus ad haec asserendum est: quoniam si vetus novumque testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti Papae Innocentii prolata videtur esse sententia; restat nimirum quod decretales epistolae romanorum Pontificum sunt recipiendae, etiamsi non canonum codici compaginatae: *quoniam inter ipsos canones unum beati Leonis capitulum constat* esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta Sedis apostolicae custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit noverit sibi veniam negari. Ait enim capitulo quinto suorum decretalium: Ne quid vero sit, quod praetermissum a Nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatae recordationis Innocentii quam omnium Decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestrae dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo vero, omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis praetermisit, quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo omnium Decessorum nostrorum nullum Pontificum romanorum, qui ante se fuerit, excepit, cujus ita non praeceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit veniam sibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil interest, utrum sint omnia decretalia Sedis apostolicae constituta inter canones conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint et illa eis intersint, quae firmitatem his quae desunt et vigorem suum assignent. Praesertim cum synodalia gesta, inter quae ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a Nobis omni cultu debito venerantur.

Consonat autem huic beatissimo Papae Leoni sanctus et foecundissimus in decretis suis Papa Gelasius, ita inquiens: Decretales epistolas, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum, quia non dixit: decretales epistolas, quae inter canones habentur, nec tantum: quas moderni Pontifices ediderunt, sed quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus etiam illa tempora vir sanctus comprehendit, quae crebrescentibus paganorum persecutionibus ad Sedem apostolicam deferri causas Episcoporum difficillime permittebant.

His ita divina favente gratia praelibatis ostendimus, nullam differentiam esse inter ea decreta, quae in codice canonum habentur Sedis apostolicae praesulum, et ea, quae prae multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia et omnium Decessorum decretalia constituta atque decretales epistolas, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter esse suscipiendas et custodiendas, eximios praesules Leonem simul et Gelasium mandasse probavimus.

Anno 865. (Bull. t. I. p. 322. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Canonum statuta ab omnibus custodienda dicitur in *cap. 1. de constitution.*, potissimum autem ab Episcopis, qui sunt custodes sacrarum regularum, ubi habetur in *cap. Cum scimus 9. quaest. 3.*; quique in sui consecratione se ad id arctissimo obstringunt juramento, ut in *cap. Ego N. de jurejur.*, *Bened. XIV. de synodo dioeces. lib. 7. c. 65. n. 1.*

Nulli proinde sacerdotum licet canones ignorare; quandoquidem eorum neglectui corruptionis moralis christianae primam causam adscribere non verebatur *Christianus Lupus praefat. in scholia.* Canones editi ad formandos mores, vitia eluenda atque rite regimen ecclesiae instituendum, tametsi aliquid juris positivi contineant, praecipuum nihilominus, quod in iis occurrit atque decernitur, potius juris naturalis ac divini interpretatio, declaratio atque ad particulares casus et causas applicatio, quam juris positivi nova constitutio dicenda est.

4) Qui sunt?

Synodus generalis indicitur ad definiendum, quid credendum sit, et hujusmodi definitiones dicuntur *dogmata*, et quid agendum sit, et istae leges dicuntur *canones*. Sed Concilium Tridentinum fere semper primas appellavit *canones*, et alteras decreta.

Canonia.

Nomen *canoniae* non est aliud nisi nomen quod abstractum conceptum refert, quemadmodum enim ab *amico* dicimus *amicitiam*, ita a *Canonico* dicimus *canoniam*. Quare sub canoniae nomine non aliud significatur nisi jura et officia communia Canonicorum, cujusmodi sunt jus in praebenda eo modo quo titularis eam possidet, non autem prout eam possideat commendatarius aut administrator, jus suffragii ferendi activi et passivi in re ad capitulum pertinente; jus ad honorificentias ab ecclesiasticis legibus statutas, cujusmodi est sedes in choro, insignia canonicalia, praecedentia prae inferiori clero etc., officium debite psallendi, missam conventualem celebrandi etc., officium prospiciendi divino cultui in propria ecclesia ejusdemque decori etc., quae sunt correlativa dictis juribus. Haec omnia continentur sub canoniae conceptu. Cum itaque in complexu horum jurium et officiorum, quorum radix est realis possessio praebendae canonicalis in titulum collatae, seu incardinatio, investitura in praebenda, si talis detur praebenda, canonicalis licet appellata, ex cujus possessione non dimanent dicta jura et officia, Canonicus qui eam possidet non erit verus perfectusque Canonicus, poterit tamen magis vel minus accedere ad perfectam canoniam, prout magis vel minus participet dicta jura. Si autem dictis juribus destituatur et subeat choralia officia, erit praebendatus choralis; si vero praeter choralia officia fruatur extrinsecis Canonicorum insignibus et Canonici nomine erit Canonicus honorarius. En quomodo etiam in canonico jure optime cohaerent,

quae in philosophia traduntur de rerum essentiis.

Non est praetereundum tamen, quod apostolica Dataria in expediendis literis collationis alicujus praebendae canonicalis, quae honoraria appellari soleat, non eam appellat praebendam honorariam absolute, sed utitur hisce verbis: *Praebenda honoraria nuncupata, vel: Canonicus honorarius nuncupatus;* et hoc non sine ratione, quia possessio titularis praebendae canonicalis esse solet fundamentum et radix canoniae eo modo quo dixi.

Quid autem dicendum de illis capitulis quorum Canonici aut praebendam non habeant aut loco praebendae habeant stipendium a gubernio vel ab aliis quibusvis?

Si de primis agatur, illi non erunt Canonici juxta conceptum ss. canonum, sed reducuntur ad Canonicos honorarios quibus honores tribuuntur ab Episcopo ob peculiaria officia quae eisdem committat ad imitationem officiorum Canonicorum. Si de secundis agatur, stipendium est loco praebendae, etsi stipendium sit potius quaedam retributio ob officia praestita aut praestanda nec praeseferat eam firmitatem, quam ecclesia in suis sapientissimis institutionibus semper intendit.

Canonicatus.

1) Aetas adipiscendi.

Vd. t. I. p. 279 etc.; p. 283; t. II. p. 236 n. 31 etc.; *Canonicatus* (erectio ex beneficiis — decr.: Pisana; fructus percip. a Canonico ordine canonicatui adnexo non insignito.)

Aderat in insula Gaudi insignis collegiata ecclesia, quam in Cathedralem nuper erexit SSmus D. N. apostolicis literis die 14. Septembris 1864. Pius fundator nomine Basilius duas canonicales praebendas illi Collegiatae adjunxerat anno 1746 et pro utraque praebenda de qua est quaestio hanc legem praestituit: ut jus *praesentandi Canonicos pertinere deberet ad ipsum Basilium fundatorem quamdiu vixerit, eoque vita functo . . . ad majorem natu marem seu foeminam ex filiis et descendentibus in infinitum quondam Catharinucciae viduae Francisci Bugeia.* Haec quidem quoad passivum vero edixit: *quod praesentatio fieri possit in personam minoris et minori aetate constituti, dummodo sit aetatis duodecim incoeptorum, oriundus seu descendens ex oriundis hujus insulae Gaudi . . ; esse debeant ex descendentibus Catharinucciae Vella Burgeia si fuerint idonei . . ; semper praeferantur adstrictiores in gradu consanguinitatis dictae Catharinucciae . . ; si vero occurrente vacatione plures concurrent in aequali gradu, eo casu liceat praenominatis patronis eligere ex eis unum sibi benevisum . . ; ejusmodi canonicatus et praebenda in perpetuum habeant naturam jurispatronatus laicorum etiamsi jus nominandi et praesentandi transiret in ecclesiasticas personas seu loca pia.*

Dictae Catharinae quatuor fuerunt filii, scilicet Joannes, Anna, Josepha et Clara: vacante in praesentia canonicali praebenda quaedam Rosa descendens ex linea Joannis et tanquam natu major ex universa Catharinae progenie praesentavit nepotem ex suo filio Salvatorem tresdecim annos natum et nondum clericum: quidam Joannes, tamquam natu major ex linea Annae, item quidam Josephus tanquam natu major ex linea Josephae singuli praesentarunt sacerdotem Josephum, qui per lineam Clarae ex dicta Catharina pariter descendebat, sed remotiori gradu distare videbatur quam Salvator.

His duobus praesentatis accessit nomine proprio quidam clericus Franciscus, qui preces curiae episcopali porrexit tanquam ex Catharina descendens et sua jura in medium deducenda reservabat ad eam obtinendam praebendam.

Primus praesentatus, nempe Salvator, de sua idoneitate aliquatenus anceps, preces SSmo obtulit, ut quatenus stricto jure canonicam institutionem in praebenda obtinere non posset, ea sibi concederetur ex canonica

aequitate, cum ad hoc causae canonicae suppeterent.

Remissis de more his precibus Episcopo pro informatione et voto, utque auditis iis quorum id interesset de resultantibus referret, alter praesentatus Josephus sacerdos restitit petitioni, cujus exauditio in sui damnum cessisset, tertius, scilicet Franciscus clericus, protestatus est adversus quemvis concurrentium actum, se non audito.

Episcopus autem post expositam rerum historiam nonnulla animadvertebat, videlicet: evecta collegiata ecclesia ad Cathedralis honorem sibi videri praebendam canonicalem cadere sub Tridentinam dispositionem *sess. 24. c. 12. de refor.* licet in casu nostro a fundatore etiam minores fuerint ad eam vocati: eo vel magis, quod praebendae ejusdem ecclesiae primaeva sua constitutione essent omnes presbyterales et missae conventualis celebratio expleretur per turnum: ideo sentiebat cum supplicante Salvatore dispensandum esse super aetatis defectu, ut in similibus casibus s. Congregatio declaraverat et nominatim in *Balneoregien. die 21. Junii 1760* et in alia *Balneoregien. die 20. Decembris 1854.**) Plures autem concurrere causas hanc dispensationem impertiendi, videlicet fere nullum detrimentum divini cultus, cum capitulum constaret viginti quatuor individuis alternis vicibus choro inservientibus: mentem explicitam fundatoris, qui aetate minores quam par sit ad canonicatum etiam vocavit: supplices ferventesque patronae preces: dotes Salvatoris qui et orphanus et optimae spei esset adolescens: denique romani Pontificis verba qui in erectione Cathedralis jura omnia patronorum sarta tectaque voluit. Et praeter caetera adnotabat, quoties inter alios concurrentes exaudirentur preces Salvatoris, omittendas non esse providas dispositiones quae in aliis casibus praescriptae sunt, ut in *Pergulana die 20. Decembris 1851,* ut scilicet deputaretur administrator ecclesiasticus, qui expletis oneribus reliquos canonicatus redditus erogaret pro Salvatore, ut in seminario educetur usque ad aetatem 21 annorum, quin idem in canonicatus possessionem immittatur usque dum in *sacris* non sit initiatus.

Et hoc subjungebat esse capituli votum.

Hisce habitis literis, prout moris est, rescriptum fuit Episcopo ut praefigeret partibus terminum ad deducendum jura sua coram s. Congregatione, quodquidem praestiterunt Salvator et Josephus causidicis in Urbe constitutis.

Defensio Salvatoris quoad primum dubium.

Contendebat causidicus ex universa progenie, quae a Catharina descendebat, tantum Rosam, utpote natu majorem, jus praesentandi in praesentia habuisse, cum fundator edixisset: *quoties vacatio occurrerit, nominationem spectare debere ad majorem natu marem seu foeminam ex filiis, nepotibus, posteris et descendentibus in infinitum quondam Catharinucciae:* in facto autem constare ex omnibus descendentibus natu maximam esse Rosam: hanc autem praesentasse Salvatorem, qui proximiori gradu prae caeteris Catharinae jungebatur: quin imo etiamsi alii eodem gradu reperirentur, unica extante patrona, utpote natu maxima ex universa progenie, illum sibi benevisum praesentare prae caeteris potuisse.

Neque obstare, subjungebat, status mutationem, qua Collegiata in Cathedralem transiit, quasi vero opponeretur lex Tridentina *sess. 24. de refor. c. 12,* qua edicitur: *In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus habeant adnexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus.* Namque ejusmodi status mutatione jura patronorum non tolli, cum ea non destruat, quae cum novo ecclesiae statu compatibilia censentur, ceu cum caeteris docet *Card. de Luca de Canon. et cap. disc. 6. n. 5,* et *de jure patronat. disc. 66. n. 11. et 12.,* ubi inter caetera inquit: »Si dicta erectio fiat in Collegiatam vel in Cathedralem, facta censetur absque patroni praejudicio et consequenter sibi remanet jus praesentandi ad canonicatum *eo modo,* quo sibi competebat in jure praesentandi unum vel plures rectores seu beneficiatos, *Seraph. decis. 1444, Buratt. decis. 462 n. 30. et 31.*«

Eo vel magis quod non solum patroni huic juri nominandi adolescentem non renunciarunt, sed etiam eo tempore illud jus exercuerunt, cui obstitisset pari modo Tridentina lex *cap. 12. sess. 24. de refor.* in quo edicitur: *Hortatur etiam sancta synodus ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magi-*

---

*) Cf. *t. II. p. 297: Civitatis Castelli.*

stris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico. Neque id mirum, quandoquidem fundatoribus licet conditiones apponere in limine fundationis, etiam contra jus.

In praesenti praeterea casu illud maxime favore patronorum militare orator testabatur, quod in bullis erectionis, quibus Collegiata insignis transiit in Cathedralem, expresse praeservabantur patronorum jura: Pontifex enim inquit: *Aliorum autem canonicatuum et beneficiorum quorumcumque respectivas fundationes et patronatus leges confirmamus et observari mandamus.*

Quoad secundum dubium.

Verum facta etiam hypothesi, dicta jura obstare, quominus Salvatori canonica institutio traderetur, eam concedendam esse contendebat orator per dispensationem.

Ad hoc probandum utebatur exemplo citatae *Balneoregien. die 21. Junii 1760*; quod quidem exemplum cum de duriori casu agat, ex eo *a fortiori* favore Salvatoris concludi posse videbatur: nam in *Balneoregien.* lex fundationis facultatem tribuerat patronis praesentandi simpliciter *habilem*; praesentatus autem fuerat adolescens decem annorum: in praesentia autem lex fundationis facultatem dedit patronis nominandi etiam adolescentem duodecim annorum et praesentatus est Salvator aetatis tresdecim an. praeditus caeteris conditionibus a fundatore praestitutis.

Post haec nonnulla orator adducens harum dispensationum exempla in mentem revocabat principium illud penes s. Congregationem receptum, quo, si inter plures nominatos adsit aliquis inhabilis, qui prae caeteris majore jure polleat, non censetur irrogata caeteris injuria, si hic per apostolicam dispensationem habilis fiat: pari enim jure aestimatur habilitas, quae per dispensationem superveniat. *)

*) Orator, ut removeret insuper difficultatem ex carentia primae tonsurae petitam, ob quam inhabilis ad ipsum canonicatum Salvator erat, juvabatur etiam ex peculiari *Motu-proprio* Pii VI. die 25. Junii 1777 quo pro Melitensi dioecesi haec inter alia statuit:

»*Cum autem contingat non raro, ut ad unum idemque beneficium aut ecclesiasticam capellaniam multi ex testatorum voluntate sint vocati compellaturque proinde Episcopus omnes ad primam promovere tonsuram, ut omnes beneficii et capellaniae ecclesiasticae capaces efficiat, unde inutilis exurgit clericorum numerus, cum beneficium aut capellania nonnisi uni possit conferri, volumus ideo, ut in posterum, quoties id contigerit, quicumque se ad beneficium seu capellaniam jus habere putaverit, congruo tempore coram Ordinario se sistat, qui, si idoneum quoad scientiam et bonos mores omnique canonico impedimento carere compererit, literas testimoniales ejusdem favore super idoneitate ad primam tonsuram expediat, quarum vigore jus habere praetendens ut etiam in concursu clericorum causam agere valeat coram judice ecclesiastico, perinde ac si prima tonsura fuisset initiatus; quae demum illi conferri poterit, qui in causa victor extiterit et per judicis sententiam beneficium seu capellaniam obtinuerit, reputabiturque ad hunc effectum* arctatus *ut arctatorum privilegiis potiri valeat.*

*) Vd. *t. II. 405. o. p.*

Defensio Josephi sacerdotis quoad primum dubium.

Josephi orator initio contendebat, juspatronatus de quo agimus esse *gentilitium lineare*, ita ut illi omnes jus aequale praesentandi haberent, qui in unaquaque linea ex Catharina profluente majores natu reperirentur, scilicet non unice senior ex universa progenie jus nominandi haberet, sed singuli majores natu, qui in singulis lineis extarent, in quocumque reperirentur gradu; de qua re ita *Pitonius de contr. patr. alleg. 100. n. 663.*: »Quando concursus est inter lineas praerogativae gradus non servatur nisi discretive in qualibet linea et unusquisque proximior de sua linea succedit pariter cum altero proximiore et de altera linea, licet inter eos gradus inaequalitas comparative vigeat.« Quare in praesentia tot patronos seu voces inquiebat orator, quot erant lineae ex Catharina producentes: atqui Josephus sacerdos duas sui favore habuit voces ex duabus distinctis lineis: ergo alterum praesentatum Salvatorem vicisse dicendus est: compertum enim est eum inter praesentatos esse instituendum, cui major patronorum numerus suffragatur, *cap. Quoniam de jurepatr.*

Sed praeterea contendebat orator praesentationem Salvatoris ex sese esse ineffacem et nullam, eo quod esset inhabilis ad canonicam institutionem obtinendam, quo casu, etiamsi a pluribus patronis fuisset praesentatus, universum juspatronatus consolidari censetur in iis, qui habilem praesentarunt, *Milevitana Beneficiorum 10. Junii 1712 coram Aldrovando §. Omissa.*

Porro, subjungebat, fundatorem vocasse descendentes ex Catharina expressis verbis: *si fuerint idonei*, atqui idoneitas canonica *)

ad ecclesiasticum beneficium obtinendum exigit, ut, qui illud affectet, sit *clericus:* *) de qua re *Pyrrhus Corrad. Prax. benef. l. 1. c. 5. n. 100. et seqq.* scripsit: Quoad quartum requisitum dicimus, quo beneficium ecclesiasticum sit, clerico non autem laico conferendum: quandoquidem beneficium est res ecclesiastica, quae sacerdoti vel clerico datur in ordine ad sacrum ministerium in perpetuum concessa, mediante canonica institutione; quia sicut non potest beneficium ecclesiasticum a laico conferri, ex eo quod sit jus spirituale, ita ex eadem ratione neque a laico jurium spiritualium incapace potest obtineri . . . . quare, etiamsi sit in aetate legitima constitutus ad beneficium simplex obtinendum, tamen nec beneficium liberae collationis obtinere nec ad illud, si fuerit de jurepatronatus, praesentari, *si actu non sit clericus*, aliquo modo poterit, licet in continenti postmodum promoveatur, *dec. penes Buratti 21 n. 1.* ubi, quod praesentatus ad beneficium jurispatronatus cum non esset clericus tempore praesentationis de eo coram Ordinario factae, praesentatio non fuit valida, cum hoc requireretur in praesentando etiam ad simplicia, adeo ut non sufficeret si in continenti fieret clericus etc. et sicut esse debet quis clericus tempore dictae collationis, ita tempore praesentationis.« Atqui Salvator praesentatus fuit clericali tonsura non initiatus: ergo etc.

Sed frustra quaerimus, prosequebatur orator, de idoneitate Salvatoris ex lege fundationis; indoles enim beneficii de quo agimus immutata est per erectionem Cathedralis: in omnibus enim ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus habere debent adnexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus, ita ut nonnisi ad eos idonei recipi possint, urgente Tridentina lege *sess. 24. c. 12.*: »*Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit aut in tali aetate, ut infra tempus a jure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeat.*«**)

Et ad rem adducebat orator resolutionem S. C. C. die 12. Februarii 1644 emissam ad dubium his verbis conceptum:

An canonicatus de jurepatronatus laicorum in ecclesia collegiata ante s. Concilium Tridentinum absque aliqua expressione ordinis sacri erectus, si postea erigatur dicta Collegiata in Cathedralem cum reservatione Canonicis jurium, quibus antea utebantur, possit idem canonicatus retineri absque susceptione alicujus ordinis sacri?

Cui s. Congregatio respondit: *Retineri non posse canonicatum absque susceptione ordinis sacri.*

Et in eundem sensum cedere inquiebat duas *Balneoregien.* supra citatas necnon causam *Pergulanam die 20. Decemb. 1851*; in hac enim disserebatur de idoneitate adolescentis duodecim annos nati et nondum clerici, qui nominatus fuerat ad praebendam, olim titulo simplicis capellaniae, sub conditione tantummodo suscepti clericatus, erectam in ecclesia Patrum Erem. s. Augustini, quae tamen a s m. Pii VII. in Cathedralem evecta est. Disputatum idcirco est super dubio:

An Joannes Antonius Bedini indigeat dispensatione super defectu aetatis, ita ut et quae aetas requiratur ad assequendum canonicatum Droghini nuncupatum in casu?

Et responsum prodiit: *Affirmative.*

Neque forte dicas, pergebat defensor, Tridentinam dispositionem in praesentia minime urgere, quod in apostolicis literis Cathedralem erigentibus dictum esset: *aliorum autem canonicatuum . . . . . respectivas fundationes et patronatus leges confirmamus et observari mandamus.*

Hae enim aliaeque similes clausulae adhiberi assolent ad excludendam liberam et alternativam Sedis apostolicae et Ordinarii collationem, et ad servanda quaevis patronalia jura, quae tamen cum nova beneficii indole non repugnent Quid porro magis ab officio Canonici Cathedralis, quam infantulus, qui sui muneris ratione in divinis officiis per seipsum psallere, missas conventuales canere, in senatum Episcopi cooptari eidemque Episcopo Sacra ac Solemnia peragenti assistere deberet?

Hinc esse quod S. C. C. in superiori resolutione allegata, quamvis ageretur de jurepatronatus laicali absque aliqua ordinis sacri expressione, erecta collegiata ecclesia in Cathedralem, *cum reservatione facta Canonicis jurium, quibus antea utebantur*, respondit: *retineri non posse canonicatum absque susceptione ordinis sacri.* Item in *Balneoregien. anni 1764*, quamvis in literis apostolicis

*) Vd. *t. II. 434. §: Secundo.*
**) Vd. *t. II. 175. n. 22.*

Innocentii XII. legeretur clausula: *sine aliquo eorum,* (qui antea jura habebant), *praejudicio*: item in *Pergulana*, quamvis in literis Pii VII. statueretur: *Salvo cujusvis generis patronatus jure, adeo ut, qui necessariis praediti requisitis subinde ex patronatus jure erunt acciti, in canonicatus possessionem immittantur cum iisdem honoribus et oneribus ac caeteri Canonici.*

Quare, concludebat orator, praesentationem Salvatoris ex sese viribus carere, utpote qui inhabilis ad canonicatum Cathedralis assequendum: eo vel magis quod fuerit praesentatus nulla adjecta conditione dispensationis, de qua re haec scribit *Pitonius loc. cit. alleg. 2. n. 16:* »Praesentatio autem incapacis et inhabilis est penitus nulla, quando non fuit facta sub conditione dispensationis, tam si patroni praesentaverint incapacem *scienter quam ignoranter.*« Et non solum Salvator sine ulla conditione fuit praesentatus, sed neque intra tempus ad praesentandum utile per dispensationem curavit se habilem reddi prout fuisset necessarium, juxta ea quae inter caeteros docet *Pyrrhus Corradus loc. cit. l. 4. c. 6. n. 26.*

Quoad secundum dubium.

Gradum faciens orator ad secundum dubium pluribus auctoritatibus insistebat, non debere concedi Salvatori dispensationem utpote quae cessisset in praejudicium seu injuriam sui clientis valide et legitime praesentati, quique insuper sacerdotali ordine esset insignitus: namque principium viget penes S. C. C. nunquam dispensationem concedi inhabili praesentato in praejudicium alterius habilis ut in *Montisfalisci* die 28. Martii 1857. §. *Post haec,**) in *Perusina* die 14. Martii 1774 §. *Praesentis* et passim. Maxime cum dispensatio abnormitates supra indicatas non tolleret, ut ponderatur in *Aretina Canonicatus* die 18. Mart. 1775.

His copiose utrinque adductis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. *An sustineatur nominatio favore Salvatoris . . . . in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sit locus dispensationi favore ejusdem Salvatoris in casu?*

III. *An et cujus favore danda sit institutio in casu?*

Sacra Congregatio Concilii die 25. Maji 1867 causa cognita respondere censuit

Ad I: *Affirmative favore Salvatoris, qui teneatur tonsura clericali insigniri intra quatuor menses et procedere ad ulteriores ordines suo loco et tempore, deputato interim ecclesiastico administratore usque ad susceptionem subdiaconatus, qui administrator, satisfactis oneribus, superextantes redditus eroget favore Salvatoris juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

Ad II. et III: *Provisum in primo.*

Ex quibus colliges:

I. Quamvis ex lege fundatoris vocari possint clerici ad canonicatum in ecclesia collegiata consequendum, qui aetatem canonicam assecuti non fuerint, hoc tamen locum habere non posse in ecclesiis cathedralibus, obsistente Tridentina lege.

II. Commutato statu collegiatae ecclesiae in Cathedralem jura patronorum novo nobiliori ecclesiae statui aptari debere eamque idcirco immutationem subire, quam natura sua exigit immutatio subjecti.

III. Colliges praeterea sanctam Sedem congruam dispensationem non concedere personae praesentatae ex jure inhabili, quando aliae habiles pari jure ex praesentatione a patronis facta polleant.

IV. Congruam tamen dispensationem identidem concedere personae praesentatae ex jure inhabili, si causae canonicae concurrant, quamvis aliae habeantur nominatae habiles, dummodo hae non idem jus ex nominatione acquisiverint.

V. Sicut enim sancta Sedes non concedit gratiam in detrimentum juris acquisiti a tertio, ita e converso eam non impediri quominus habilem reddat illum, qui vi suae nominationis caeteros excludat.

VI. In praesentia autem, omissis caeteris, Salvatorem fuisse unicum praesentatum ab ea patrona, quae, utpote ex universa Catharinae progenie major nata, jure gaudebat ad canonicatum vacantem praesentandi.

Causae, quae in re canonica frequentissimae erant et adhuc frequenter excitantur, sunt illae quae versantur in materia jurispatronatus, adeo ut non longe a veritate aberrares si diceres, sublatis juribus patronatus causas ecclesiasticas pro tertia ferme parte cessaturas. Non haec eo sensu dico, quasi vero existimandum sit jurapatronatus hac de causa abroganda esse. Namque quaestiones, quae excitentur frequenter circa aliquod disciplinae ecclesiasticae caput, eo ipso ostendunt illud disciplinae caput in usu et vigore persistere: existimamus enim neglectae disciplinae indicium esse, quando ea quae in codicibus scripta reperiuntur nunquam vel fere nunquam in judicium deducantur. Quod quidem ex eo quoque dignoscitur, quod si omnia disciplinae capita abrogarentur nulla amplius excitaretur juridica quaestio.

Attamen in nostris causis parce admodum quaestiones has referimus, quia pleraeque omnes ex Italiae dioecesibus deveniunt et in multis catholicis nationibus haec jurapatronatus non modo non adsunt sed omnino ignorantur: tum quia in facto persaepe sunt adeo implexae, ut ipsa peculiaris enarratio facti magnam partem nostri operis absumeret sine utilitate.

Anno 1528 Petrus Mola canonicatum sub invocatione s. Christophori instituit in ecclesia cathedrali N., sibi et suis juspatronatus tam activum quam passivum reservans. Et quoad jus activum haec constituit: *Reservato tamen mihi toto tempore vitae meae et post me filiis meis masculis legitimis et ab eis descendentibus masculis usque in infinitum, Seniori semper descendentium jurepatronatus. . . . Ubi vero deficeret linea masculina legitima et ut supra eorumdem descendentium meorum, quod etiam juspatronatus, de quo supra, transeat et perveniat in filias foeminas ipsorum descendentium legitime procreatas. Et ubi nec foeminae superfuerint tunc juspatronatus perveniat et transeat in alios de Mola proximiores masculos, et ut supra senior eorum habeat nominare et praesentare Canonicum ut supra et prout supra.*

Denique declaravit, intentionem suam esse ut ejus frater *possit, quandocumque sibi videbitur et prout eidem placuerit, nominare sive eligere quem maluerit esse patronum dictae praebendae canonicalis post me et filios et descendentes meos masculos, et illud jus in illum vel illos transferre prout sibi melius videbitur et placuerit etiam extra familias de Mola.*

Quoad jus passivum statuit, ut *aliquis alius non possit ad ipsam hujusmodi canonicalem praebendam nominari, praesentari, confirmari et institui nec admitti, si aliquis fuerit ex descendentibus praedictis, qui voluerit ipsam praebendam acceptare, et qui ex ipsis descendentibus possit ad ipsam praebendam nominari, praesentari et institui etiamsi non fuerit sacerdos nec in sacris ordinibus constitutus, sed tantum simplex clericus primae clericalis tonsurae, fructus et redditus percipere possit, dummodo ipsi praebendae in divinis deserviri faciat donec pervenerit ad ordinem sacerdotalem et si cessaverit deservire seu deserviri facere per mensem continuum, tunc et eo casu sit ipso jure et facto privatus ipsa praebenda, et tunc liceat patrono ut supra et imo debeat alium ex descendentibus praedictis ad ipsam praebendam nominare et praesentare. Et ubi non esset aliquis ex ipsis descendentibus vel esset et nollet ipsam praebendam acceptare, tunc nominetur et praesentetur alius, sed qui sit sacerdos et non aliter nec alio modo, vel saltem qui possit et debeat intra annum ad sacerdotium promoveri, et ubi essent plures ex descendentibus praedictis, qui vellent dictam praebendam acceptare, tunc nominetur et praesentetur et instituatur senior eorum.*

Petrus Mola hujus canonicatus institutor unicum habuit filium masculum a quo duae foeminae Camilla et Theodosia ortum habuere: ab his originem duxerunt tres familiae, quae in praesentia extant: idest familia B. a Camilla; familiae autem C. et S. a Theodosia. Harum familiarum senior usque adhuc nominavit et praesentavit.

Vacante canonicatu hac ultima vice harum trium familiarum senior nominavit sacerdotem Aloisium, virum omnino extraneum ab his familiis.

Huic nominationi obstitit Comes Portapuglia adserens clericum Antonium filium suum tresdecim annos natum ad praebendam canonicalem vocari, cum ejus mater a Petro Mola originem duceret.

Aegro animo id tulit non modo sacerdos Aloisius nominatus a seniore, verum etiam Jacobus B. vir pertinens ad primam, quam indicavi, patronorum familiam, insistens apud curiam episcopalem, ut, nisi admitteretur nominatio sacerdotis Alosii, se nominaturum filium suum Mansuetum decennem, qui dubio procul clerico Portapuglia esset praeferendus, cum hic nonnisi per quadruplex, Mansuetus autem per simplex medium foeminarum cognatus Petro Mola existeret.

*) Vd. *t. I. p. 302.*

Deveniente causa ad s. Congregationem Concilii haec a partibus disputata fuerunt.

Defensio sacerdotis Aloisii.

Hic contendit, juspatronatus agnatitiam tantum indolem praeseferre, ita ut lex fundationis, quousque adesset masculorum linea, praescriberet nominandum esse aliquem ex familia; cessante vero linea masculina Patroni quem vellent nominare et praesentare possent.

Ut hoc ostenderet, consideravit primo legem fundationis quoad juspatronatus activum et deinde quoad jus passivum.

Quoad jus activum animadvertit, Institutorem Petrum primo loco invitasse agnatos ex linea recta, secundo loco invitasse agnatos ex linea collaterali ordine successivo, servata praerogativa gradus et aetatis, id patere ex exposita lege fundationis, in qua ab Institutore vocata est ad exercendum juspatronatus quaedam masculorum catena, ideoque praeseferre agnatitiam qualitatem ut saepe docuit s. Rota.

Neque obesse, subjungebat, foeminas pariter vocatas fuisse ad exercendum illud jus: nam ad solas foeminas illud coarctasse fundatorem, quae in jure pro agnatis reputantur et cunctis agnationis juribus gaudent: eas namque solas vocatas fuisse, quae essent filiae postremi descendentis masculi: *ubi vero deficeret linea masculina legitima et ut supra eorumdem descendentium meorum, juspatronatus transeat et perveniat in filias foeminas ipsorum descendentium:* exploratum autem in jure esse, foeminas a masculis immediate progenitas omnia conservare jura agnationis donec vixerint, *Rodulphus allegat. 15. num. 9.* Foeminam enim, usque dum in alienam familiam non transeat per nuptias, jura propriae familiae retinere: immo in aliam familiam translatam, quousque vivat, jura agnationis retinere juxta *consilium* Ancharani, cui alii consonant Auctores. Solas autem eas foeminas vocatas ab Institutore fuisse, non vero earum filios, arguebat Aloisius ex conjecturis desumptis ex pronominibus: *meas, ipsorum.* Deficientibus autem his foeminis, cum fundator constituerit ut transiret juspatronatus in alios collaterales proximiores de Mola, idem jus agnatitium confirmari.

Maxime vero, quod fecerit facultatem fratri de jurepatronatus disponendi si cessasset linea masculina ejusdem fundatoris: quod quidem nunquam fecisset si voluisset etiam foeminarum filios.

Considerans praeterea Aloisius legem fundationis quoad passivum juspatronatus animadvertit, fundatorem voluisse, ut nemo nominari et praesentari posset, nisi qui ab ejus descendentibus masculis ex masculis derivarent: hinc masculum a foemina descendentem exclusisse, cum extraneus esset a linea masculina filiorum ipsius.

Denique haec confirmabat ex facultate facta fratri, ut supra exposui, disponendi pro libito de jurepatronatus post dictos masculos, ex quo Aloisius arguit: fundatorem vehementer dilexisse agnatos ex linea recta derivantes, parum agnatos ex linea collaterali, nihil vero curasse cognatos, eo quod nihil pro his constituerit.

Ex quibus aliisque conjecturis concludebat, masculos ex descendentibus foeminis non posse jus passivum invocare ad obtinendum canonicatum.

Ad removendam vero difficultatem depromptam ex celebri recepta Fulgosii doctrina, qua traditur per descendentes masculos intelligi debere tam masculos ex masculis quam masculos ex foeminis, praeterquam quod in praesenti lege fundationis locum habere non possit, animadvertit, instrumentum fundationis conscriptum fuisse anno 1528, antequam scilicet haec doctrina Fulgosii in foro reciperetur; quando videlicet sub nomine masculorum communiter intelligebantur masculi ex masculis tantum, proindeque tenendum fundatorem ita sensiisse. Ad rem s. Rotae tribunal in *Perusina Fidecommissi 8. Martii 1776 coram Riminaldo*, quae, inter ejus decisiones impressas, est decisio *547*, *n. 19 et 20:* ibi enim legitur: »Opportuna his accedit animadversio, quod sub tempus conditi a comite Rainerio testamenti, idest sub annum 1548, is erat communis loquendi usus, ut descendentium masculorum nomine ii non venirent masculi qui ortum ducerent per foeminas: ejusmodi autem usus potissime tradebatur ex lege duodecim tabularum, quae in materia successionis descendentes ex foeminis pro descendentibus non habeat, propterea quod nec sui essent neque agnati, ut testatur Baldus ... Quamvis autem Fulgosius praecitatis doctoribus multo antiquior esset, cum floruerit tempore Constantiensis Concilii, quod celebratum fuit infra annos 1414 et 1418, attamen ejus opinio pandita

in *Consilio 85*, quod ad sui clientis opportunitatem scripserat, consecutis temporibus post acerrimas doctorum contentiones invaluit, ut testatur idem *loco cit. cap. 28 n. 2.* Sed sacrum nostrum tribunal in Fulgosii opinionem concesisse non antea scimus, quam sub annum 1573 in causa *Cavallicen. Baroniae de Thors 28. Januarii 1573 coram Oradino impress. in part. 1. diversarum decis. 6.* Quum itaque res sit in facti specie de interpretanda voluntate testatoris, conveniens magis est, ut inspiciatur tempus conditi testamenti ad cognoscendum quid testator senserit, quam ut admittatur opinio, quae hac nostra aetate receptior videtur. Porro anno 1548, quo comes Rainerius testamentum scripsit, jus illud obtinebat, ut appellatione descendentium masculorum venirent masculi per virilem sexum. Oportet ergo eum tribuere praedictis verbis intellectum, qui versari potuit in animo testatoris tum cum testamentum obsignavit, ut optime *Soccin. Sen. cons. 6. n. 3. v. 1*, *Menoch.* et.«

Post hanc ingeniosam ratiocinationem supererat Aloisio removere gravem difficultatem proficiscentem ex consuetudine opposita: ad quam removendam animadvertit, triplicem esse consuetudinem, quam observantiam quoque appellamus, aliam *praesumptivam*, aliam *interpretativam* et *praescriptivam* aliam: excludebat in praesenti themate primam, quia observantia praesumptiva locum habet, cum non extant tabulae fundationis: excludebat interpretativam, quia haec locum habere potest, quando dubium aliquod occurrat in tabulis fundationis; quod si ex aequitate haec interpretatio induci velit, clara existente lege fundationis, non interpretatio sed destructio voluntatis testatoris appellari deberet, ceu ponderat *Pitonius Alleg. 47. n. 61.*

Excludebat denique Aloisius observantiam praescriptivam dicens cum *Card. de Luca de Jurep. disc. 6. n. 11,* ad eam necessarium esse »longum et longissimum tempus aliaque requisita, illud praesertim, quod observantia sit clara et univoca non autem desumatur ex actibus aequivocis.« Cum autem ex adverso adducerentur tres actus ab anno 1754, quibus canonicatus collatus erat illis, qui in eisdem patronorum familiis extabant, inquit Aloisius, ejusmodi observantiam non esse nec claram nec univocam, sed aequivocam, cum illi praesentati fuerint de familiis, non ut passive vocati, sed quia sponte a patronis fuerunt praesentati.

Post haec nonnulla in facto adducebat contra clericum Antonium contendens canonicatum juxta legem fundationis exigere qualitatem sacerdotalem, qua Antonius carebat.

Defensio clerici Antonii.

Antonius in sua defensione evertebat initio aedificium ab Aloisio constructum: animadvertens enim naturalem dilectionem in omnes sive masculos sive foeminas descendentes ferri inquiebat, nisi meridiana luce clariora afferantur argumenta, quae oppositum ostendant, pro agnatione aeque ac cognatione hisce in quaestionibus mentem fundatorum intelligendam esse, quod docet *Richer. in L. 2 tit. 32.* §. 9583 et 9590 ac passim tradidit s. Rota.

Porro in praesenti themate ejusmodi argumenta penitus deesse, imo contrarium posse ostendi, cum foeminae explicite ad juspatronatus fuissent vocatae.

Quod si fundator subjunxit: *Et ubi nec foeminae superfuerint tunc juspatronatus perveniat et transeat in alios de Mola*, et iterum: *etiam extra familias de Mola*, id ostendere potius voluisse fundatorem comprehensos tum agnatos tum cognatos, cum sub appellatione *domus* et *familiae* illi omnes comprehendantur ut passim hisce in quaestionibus legitur tum in foliis S. C. C. tum in decisionibus s. Rotae, nominatim in *Reatina Capellaniae 19. Januarii 1756 coram Bussio* ubi *n. 3.* ita s. Rota ad rem edisserit: Laurentius, quamvis per medium foeminarum descendens, est in illa inclusus et contemplatus, cum in hac indifferenti materia, sive attenta canonica aequitate sive novissimo authenticarum jure perspecto, appellatione familiae tam agnati quam cognati indiscriminatim comprehendantur.« Cui consonant quae docet *Pitonius de controv. patron. alleg. 75 n. 6*, contendens verba illa: *de domo, de agnatione* esse intelligenda demonstrative non taxative »quatenus stant demonstrative ad sanguinem praedilectum, idest agnatos, incipiendo ab illis, volendo eos praeferri omnibus aliis; non autem stant taxative, ita ut illis extinctis voluerit (fundator) posse praesentari extraneos ad exclusionem cognatorum, cum praesumpta voluntas adsistat ad favorem continuationis sanguinis, qui idem est in agnato et in cognato, neque ratio agnationis

militat in jurepatronatus passivo, et si etiam militaret, operaretur donec extant agnati, non autem per posterius in eorum defectu, quod esset odium suorum consanguineorum neutiquam praesumendum.«

Ex quo celebrem Fulgosii doctrinam in foro receptam, quae ita se habet: »Sub vocabulo descendentium masculorum comprehenduntur etiam masculi ex foeminis, cum ipsi etiam descendentes sint masculi; ideoque militet ad eorum favorem ipsamet vocabuli significatio ac proprietas. Quamobrem ad excludendos masculos ex foeminis requiruntur demonstrationes clarae atque perspicuae, quaeque in alium sensum detorqueri minime possint.«

Confirmabat autem Antonius expositam doctrinam in praesenti themate per observantiam, aperte ostendens, ita intellectam esse legem fundationis usque in praesens, enarrans nonnullas praesentationes ad eum canonicatum factas et judiciali sententia in contentione partium confirmatas ob eam rationem, quia praesentati de dictis familiis judicati fuerant *passive* vocati.

Haec quidem adversus sacerdotem Aloisium disputavit Antonius: pauca vero adversus Mansuetum adhuc decennem. Satis enim sibi fuit animadvertere, fundatorem vocasse descendentes quin adderet *agnatos* seu *semiagnatos*: atque id unum enixe voluisse, ut in concursu plurium descendentium praelatio daretur seniori: ipsum autem Mansuetum aetate minimum esse.

Hisce aliisque deductis proposita quaestio fuit coram S. C. C. in comitiis habitis die 19. Decembris 1868 atque responsum prodiit: *Dilata, ad mentem.*

Mens s. Congregationis fuerat, ut de qualitatibus nominandorum et instituendorum a fundatore requisitis tam in facto quam in jure dissereretur.*)

Relata itaque integre particula illa legis fundationis, quam superius integre jam retuli, quae respicit qualitates nominandorum, nonnulla quoque adjecta sunt ex officio circa conditiones requisitas ad obtinendum canonicatum cathedralis ecclesiae. Namque in antiquo jure controversum erat, quaenam aetas requireretur ad canonicatus, praebendas et portiones ecclesiarum cathedralium, aliqui docentes satis esse septennium, alii contra requiri aetatem quatuordecim annorum saltem inchoatorum, ut tradit cum aliis Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ. p. 3. tit. 14 n. 5.**)

Verum ad canonicatum assequendum in ecclesia cathedrali hac ratione disposuit Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 12 de ref.*: »*Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit, aut in tali aetate, ut intra tempus a jure et ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat.*«

Animadversum tamen est, canonicatum, de quo agimus, fundatum fuisse ante Tridentinam legem: ideoque huic dispositioni Tridentinae non videri subjectum, ex eo principio, quod legitur in *cap. ult. de Constit.* his conceptum verbis: *Leges et constitutiones futuris dare formam negotiis, non ad praeterea facta trahi, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.* Hinc legi apud Gallemart *in Trid. cap. 12. sess. 24. de ref.* s. Congregationem haec declarasse: »*S. C. C. censuit, hoc decreto non comprehendi canonicatum jurispatronatus laicorum ante Concilium fundatum, in cujus fundationis limine fuerit cautum, ut descendentes a fundatore possent ipsum obtinere etiamsi non sint in sacris ordinibus constituti, sed simplices tantum clerici, donec ad sacerdotium promoveantur.*«

Quod si S. C. judicaret, non obstare minoritatem aetatis quominus assequerentur sive Mansuetus decennis sive clericus Antonius Portapuglia praebendam canonicalem, disquirendum superesse, uter utri esset praeferendus. Porro consideratum est, utrumque in praesentia sacra tonsura esse initiatum, ita tamen ut Mansuetus vacata praebenda insigniri tonsura postulaverit obtinueritque: utrumque per foeminas descendisse a Petro Mola, ita tamen, ut Mansuetus esset fundatori proximior et Antonius remotior; qui tamen esset natu major. Quod si fundator voluerit, ut in plurium descendentium concursu senior praeferretur, tamen perpendendum esse, utrum seniorem inter aequales gradu vel potius seniorem, nulla gradus habita ratione, praeferre voluerit.

Dubia.

I. An constet de legitima nominatione favore sacerdotis (*Aloisii*) in casu?

*) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*

*) Vd. *t. I. p. 279. n. 3. I; p. 280. II.*

Et quatenus negative.

II. An, cui et quomodo adjudicanda sit canonicalis praebenda s. Christophori in casu?

S. Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habitis die 27. Februarii 1869 respondere censuit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Affirmative favore clerici Portapuglia cum conditionibus expressis in tabulis fundationis.*

Ex quibus colliges:

I. In materia jurispatronatus laicalis (quae in foro dicitur *indifferens* in comparatione ad civilia fideicommissa) sub appellatione descendentium masculorum intelligendos esse tum masculos ex masculis tum masculos ex foeminis nisi apodicticis argumentis hi secundi exclusi demonstrentur. *)

II. Idque locum habere sive agatur de jure activo nominandi sive de jure passivo nominandorum, cum haec duo jura soleant esse correlativa.

III. Eos, qui fruantur jure passivo, si negligantur a patrono nominante, posse jure proprio cuivis nominationi obsistere, cum nominati censeantur ab ipso fundatore.

IV. Colliges praeterea, Concilium Tridentinum praescribens, ut nemo ad canonicatum ecclesiae cathedralis recipiatur nisi ordine sacro fuerit insignitus aut infra annum insigniri valeat, coercuisse fundatorum facultatem, qua ante fruebantur, constituendi Canonicum, qui simplex esset clericus et in minima aetate constitutus.

V. Facultatem nominandi simplicem clericum, etiam aetate minimum, ad canonicatum ecclesiae cathedralis non fuisse per Tridentinum decretum directe abrogatam, sed quoad electum impeditam manere, cum decretum prohibeat ne in Canonicum recipiatur ecclessiae cathedralis.

VI. In praxi, hisce in casibus, hanc regulam servari, ut clericis minoribus legitime aliunde praesentatis facile indulgeatur a s. Sede fructuum perceptio, adimpletis per alium oneribus, donec ad canonicam pervenerint aetatem, qua et sacro ordine insigniri et divinis officiis tamquam Canonici inservire valeant.

VII. Fundationes veteres, quae hac ratione jam prospexerint, nullam invenire difficultatem; ideoque nulla indulgentia s. Sedis clericum Antonium in praesenti themate indiguisse.

Supremis quibus decessit tabulis diei 25. Martii anni 1720 Joseph G. ex omnibus bonis suis duos canonicatus in ecclesia collegiata S. erigi mandavit, ea tamen lege ut juspatronatus tam activum quam passivum ad tres familias ab ipso designatas in infinitum spectaret. Cavit tamen inter caetera pius fundator, ut *magis idoneus et habilis in actu vacationis* ex dilectis familiis praelationem haberet; quin immo subdidit, quod si in ipsis personae non adessent sacerdotali ordine insignitae, *clericus ex eis magis idoneus et habilis esset praeferendus.*

Jamvero vertente Octobris mense anni 1872 per mortem Aloisii C. vacare contigit unus ex praedictis canonicatibus, ad quem assequendum optarunt tres juvenes descendentes ex familiis a testatore vocatis, at omnes clericali tonsura destituti. Verumtamen alter ex his causae renuntiare visus est, eo quia propter morbum, quo afflictabatur, semetipsum physice ineptum reputavit ad beneficium assequendum: alter vero Emericus M. cum in aetate canonica quatuordecim nempe annorum reperiretur, activo et passivo polleus jure, seipsum praesentavit atque ab apostolica Sede expetivit, ut suiipsius nominationem acceptaret, ac in vim pontificii rescripti formalem et materialem possessionem consequi valeret: tertius demum Hector G. aetate canonica destitutus ad praefatum canonicatum assequendum praesentatus a majori patronorum numero cum clausula; *in omni meliori modo a jure canonico exquisito*, infra quadrimestre preces SSmo obtulerat ad dispensationem obtinendam ab aetatis defectu.

Hisce acceptis precibus a Congregatione EE. et RR. negociis praeposita de more literae datae sunt Episcopo Administratori apostolico S. pro informatione et voto, audito capitulo, ac ut referret in qua praecise aetate reperiretur orator et an jus alteri quae-

*) In praesenti themate defensio sacerdotis Aloisii erat quidem ingeniosa, sed non aperte excludebat masculos ex foeminis Facta praeterea hypothesi, masculos ex foeminis a jurepatronatus fuisse exclusos, ut ipse contendebat, eo ipso jure nominandi et praesentandi exclusus censendus quoque fuisset ipse Senior, qui Aloisium nominaverat; et ideo Aloisius si non sibi, ratione quasi possessionis, damnum, certe aliquod intulisset patronis nominantibus, quorum jus nominandi in alia judicii sede potuisset impugnari.

situm laederetur, necnon utrum nominatus fuerit ab omnibus patronis.

Tum Ordinarius tum capitulum Hectoris precibus favorabile emiserunt votum, quibus tamen restitit Emericus existimans dispensationem in themate sui juris laesivam esse; hinc die 23. Maji anni 1873 decretum editum fuit ut causa haec in plenis EE. PP. comitiis disceptaretur et reapse omnibus rite completis discussa fuit sub dubiorum formula, quae in calce prostat.

Votum Canonistae.

Hac super quaestione sapiens editum fuit a jurisconsulto pro veritate votum, in quo duo probare satagebat, l. scilicet jus libere canonicatum conferendi in praesenti specie devolutum esse ad Ordinarium. Quod si 2. paulisper concedi velit devolutioni haud locum factum fuisse, dispensationem Hectori esse largiendam.

Ad probandam primam assumpti partem principium statuebat orator, quo vetatur in jure praesentatio laici ad ecclesiasticum beneficium, quemadmodum post *cap. Cum adeo de rescriptis et cap. Ex literis de transact.* docet De-Luca *in discept. 46. n. 4. de jure patron.*, ibi: »Certum est de jure, quod laicus non potest in beneficio ecclesiastico praesentari.«*) Atqui ex facto indubitanter eruebatur juvenem Hectorem a patronis et Emericum a se praesentatum laicos esse, quare nullius roboris nulliusque valoris praesentationes hujusmodi reputandas esse censebat. Quibus expensis nullius momenti judicabat exceptionem, quae huic regulae a DD. adjicitur, scilicet laicum a patronis praesentari posse, sub conditione, quod *clericetur* infra terminum a lege statutum, ad tradita per Pitonium *allegat. 100 n. 437. de controv. patron.*, ibi: »Patroni possunt praesentare laicum coram Ordinario sub conditione, quod clericetur, cum in hoc casu praesentatio collata videatur in tempus, quo praesentatus erit capax per assequutionem clericatus ante institutionem.« Cui concordat de Luca *de jurep. discept. 45 n. 7.*, ibi: »Non prohibetur patronus praesentare unum de genere, quamvis laicum vel incapacem sub conditione capacitatis, quoties ista superveniat durante tempore dato ad praesentandum ex deductis per *Pirh. Corrad. in prax. benef. lib. 4 cap. 6 n. 31 et 32, Rota ...*«**) Etenim Emericus, etsi laicus, absque ulla reservatione semetipsum nominaverat et praesentaverat; Hector vero quamvis praesentatus a patronis cum reservatione illa: *in omni meliori modo a lege canonica exquisito*, quae verba etsi reservationem *si clericetur* continere valeant et debeant, in facto tamen erat clericali tonsura destitutus. Hinc cum ambo infra quadrimestre neglexerint clericari, manifesto apparebat ipsorum praesentationes nullius esse roboris et per consequens legalium effectuum expertes, ut docet Pitonius *loc. cit. allegat. 41 num. 27. circa fin.*, ibi: »Praecipuum fundamentum, ex quo movebar ad concludendum praesentationem Micuti esse omnino nullam, in eo consistebat, quod facta fuerat de laico, qui clericatum obtinuit elapso quadrimestri et sic tempore non habili, cum ad validitatem praesentationis habilitas seu clericatus praesentati requiritur, ut superveniat infra terminum quadrimestris.« Fortius autem istiusmodi admittendum erat argumentum, quia ab ipsis fundationis legibus clericatus conditio exquirebatur praecipiente testatore personas *habiles et capaces in actu vacationis* nominandas esse ex dilectis familiis descendentes. Age vero sub nomine isto indubium est non alias certo venire posse personas, quam aut sacerdotio aut clericali tonsura insignitas. Unde cum facto juris concordat factum hominis atque non solum vacationis tempore verum etiam infra quadrimestre juvenes ambo clericali tonsura carentes extassent, procul dubio affirmari poterat utriusque praesentationem invalidam reputari debere, proindeque inutiliter quadrimestri praeterlapso jus libere canonicatum conferendi ad superiorem fuisse devolutum.

Neque in casu ad excusandos patronos a privationis poena juris ignorantia hac in re posset afferri. Siquidem omissa hujusmodi quaestione a DD. controversa certe et indubie statui poterat, ignorantiam legis fundationis allegari non posse patronosque pro ea vice privari potestate alterum eligendi ex deductis per DD. praesertim per Pitonium *loc. cit. allegat. 2 n. 10.*, ibi: »Pone hic quod patroni praesentaverint non qualificatum aut incapacem ex lege fundationis, quam ignorabant: numquid excusari valeant a poena privationis? Negativa regula est amplectenda, quia non potest allegari ignorantia legis fundationis et paria sunt hic scire et scire teneri apud Marant. *resp. 23*

*) Vd. *t. II. p. 529 d; p. 433. ll.*
**) Vd. *t. II. p. 236. n. 31; p. 175. n. 22.*

n. 8 et 9 p. 3., Card. de Luca de jure patron. discurs. 47. sub. n. 4, Cavaller. decis. 231. num. 3, ita ut praesentantes non idoneum aut non qualificatum juxta legem fundationis*) priventur potestate eligendi pro ea vice et durante etiam quadrimestre jus illud accrescit alteri vel aliis patronis, qui bene praesentarunt etiam paucioribus et etiam uni, iisque non extantibus devolvitur ad Superiorem. *Lambertini lib. 2. p. 1. q. 12. art. 4. n. 17 et n. 23. vers.: et idem dicerem; Cavaller. decis. 231. n. 20; Corrad. in prax. benef. lib. 4. cap. 6. n. 3; Rota in Firmana Altaris 30. Januarii 1614.*«

Multoque minus patronis opitulari poterat exceptio de pendentia litis, quae quadrimestris tempus remorari posset. Siquidem praetermissa hac super re juridica quaestione in facto constabat litem contestatam fuisse elapso jam quadrimestri. Quapropter omnibus perpensis pleno veluti alveo fluere videbatur, jus libere canonicatum conferendi in themate ad Ordinarium fuisse devolutum.

Ad secundam thesis partem progrediens orator recoluit Emericum a nemine patronorum fuisse praesentatum, sed in vim jurispatronatus tum activi tum passivi semetipsum nominasse. Jamvero vetita semper fuit a sacris canonibus praesentatio, quam patronus ad ecclesiasticum beneficium de seipso peragit et veluti superbiam praeferens constanter reprobatur et prouti non facta habetur.

Difficultatem autem non facessit in specie Panormitani theorica post *cap. Per nostras de jurepatr.* et hodie apud omnes recepta, qua statuitur patronum posse seipsum praesentare *per viam precum;* etenim tum si facta tum si jura recte perpendantur, ad casum nostrum applicanda non esset. Non in facto, quia Emericus antea seipsum nominavit et tantum Pontifici preces porrexit, ut suiipsius nominationem acceptaret. Non in jure, cum ipsa tantum locum habeat in casu, quo unicus extat patronus. Ad rem Pitonius *loc. cit. allegat. 32. num. 1. 2. 3*, ibi: »Cum ex censura sacrorum canonum ambitus in beneficiis sit acriter damnatus, proinde statutum fuit per Innocentium III. in *cap. Per nostras de jurepatr.* hujusmodi prohibitionem militare etiam in patrono respectu ecclesiae seu beneficii de suo jurepatronatus, ut nequeat seipsum superiori praesentare ad effectum obtinendi institutionem, in quo tamen, ut pede inoffenso patronus procedere posset, cautelam tradidit Panormitanus in dict. *cap. Per nostras*: quod nempe per *viam precum* supplicaret Ordinario, ut sibi conferret beneficium, ita petendo ex gratia non ex justitia, quae cautela communiter recepta fuit in foro, eaque mediante patronus declinat ab ambitu, secundum ea, quae sequendo Panormitani traditionem exponunt Lambertini *de jurepatr. p. l.* Hanc tamen opinionem de caetero aequam et rationabilem limitavit Lambertinus ubi supra artc. 4. n. 7. ut locum haberet, quando patronus est unicus.« Nec insuper Emericus ad suam praesentationem sustinendam ad juspatronatus passivum confugere poterit: praeterquamquod enim ipsius vocatio directe et immediate a fundatore non descendebat, jus aliorum patronorum, tam activo quam passivo patronatu gaudentium et in themate concurrentium, ipsum ab hujusmodi refugio excluderet. Quapropter cum Emerici nominatio prorsus nulla et inefficax extasset concludendum erat, nullum effectum parere potuisse ad preces Hectoris refragandas juxta vulgatissimum juris principium firmatum in *L. 4. ff. de re jud.*: *quod nullum est, nullum parit effectum.*

Urgebat praeterea orator Emericum potestatem praesentandi pro illa vice amisisse, quia et contra jurisprudentiae canones et fundationis leges semet in statu etiam laico proindeque inhabilem praesentavit ad ecclesiasticum beneficium ex notatis per Pitonium *loc. cit. allegat. 2. n. 10*, cui consonat s. Concilii Congregatio in *s. Angeli in Vado Canonicatus 22. Septembris 1855.* §: *ad tertium*, ubi haec perleguntur: »Tralatitium in jure est leges fundationis religiose in beneficiorum collatione impleri et custodiri debere juxta monitum Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 5. de reform.* adeo ut nulla sit nominatio ac praesentatio ejus, qui juxta fundationem non sit qualificatus, cui ideo institutio ab Ordinario deneganda est, *s. Rota decis. 527. num. 2. coram Gregor., decis. 682. num. 3. coram Coccino.* Quin imo hoc in casu patronus, qui inhabilem ac non qualificatum juxta leges fundationis, quas ipse ignorare non potest, praesentavit, nisi intra quadrimestre suam non variaverit nominationem, amittet pro illa vice potestatem praesentandi, quae devolvitur ad superiorem juxta communem DD. sententiam de qua late Ferraris v. jurispatronat. art. 4 n 88.«

*) Vd *t. II. p. 185. n. 27.*

Neque quidquam prodesset oggerere ea quae de Emerico dicta sunt pari jure Hectorem pertingere, videlicet ejus praesentationem nullam esse et patronos qui eum praesentarunt jus nominationis pro illa vice amisisse. Siquidem Hector a patronis nominatus fuerat in omni meliori modo a lege canonica exquisito: jamvero jus canonicum non solum legitimam exigit aetatem, verum etiam et ecclesiasticam tonsuram: quapropter cum patroni eum praesentassent dicta sub conditione, argui non poterat ipsorum praesentationem nullam et inefficacem esse coram lege. Quod si *intra terminum juris* habilitationi haud locus factus fuerat, culpae Hectoris non esse tribuendum ex dicendis manifestum fiet, hinc de novo praesentare valent juxta doctrinam Viviani necnon Rotae coram Serafin. et praesertim S. C. Concilii in *Montisalti Dispensationis 8. Aprilis 1843* §: *neque*, ibi: »Cum patroni sub conditione dispensationis praesentaverint, quae reapse infra quadrimestre petita fuit, adhuc integrum illis jus est ad aliam nominationem devenire ex illo recepto principio, quod pendente recursu tempora non currunt.«

Ex quibus omnibus concludere fas est Emericum a praesenti judicio esse repellendum, cum et praesentatio ipsius nullitate laboret et jure nominandi pro hac vice destitutus reperiatur. Fortius id in themate tenendum est cum praesentatus a minori patronorum numero, quamvis habilis sit, se opponere non valeat ad hoc ut inhabilis praesentatus a majori parte sub conditione capacitatis *intra terminum juris* se habilitet, quia ex obtenta dispensatione nullum ipsi damnum obvenire potest ceu tradit Fargna *de jurepatr. p. 2. can. 3. cas. 6. n. 7*, ibi: »Praesentatus a minori parte patronorum habilis non potest se opponere et impedire, quod praesentatus a majori parte patronorum inhabilis sub conditione capacitatis intra terminum juris se habilitet, sicuti enim non potest impedire, quod major pars variando praesentet alium habilem intra eumdem terminum, aut si eadem major pars peteret expectari et differret praesentationem usque ad finem termini, ut fieri posse docet De Luca *de jurepatr. disc. 45. n. 8*, praesentatus a minori parte non potest impedire, quod interim praesentandus obtineret capacitatem: ita nec poterit impedire quominus praesentatus a majori parte capacitatem intra terminum juris consequatur. Ratio autem evidens est, quia summus Pontifex concedendo gratiam dispensationis super defectu aetatis praesentato a majori parte patronorum vere et proprie nullum praejudicium infert praesentato a minore parte, illud enim vere et proprie adesse dicitur, quando tollitur jus certum, et de praesenti radicatum, non vero jus mere eventuale et in spe, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 55. num. 20, Card. de Luc. de jurepatr. disc. 70. num. 17. Praeceptor meus in parergon. n. 20.* Tum quando tollitur jus mere eventuale adesse dicitur praejudicium mere eventuale, quod non meretur nomen praejudicii nec est ulla consideratione dignum . . . . .« Atqui in facto est, Hectorem a majori patronorum parte fuisse praesentatum cum conditione saepius recitata, necnon *intra terminum juris* dispensationem uti inhabilem et incapacem a summo Pontifice exquisivisse. Ergo Emerici oppositio nihili ex dictis facienda foret etiamsi habilis et capax esset ad beneficium obtinendum. Inutiliter autem adversarius oggereret Hectorem intra terminum a sacris canonibus requisitum dispensationem non obtinuisse, proinde ipsum legitime impedire posse petitae dispensationis assequntionem, l. quia per ipsum non stetit, ut adimpleretur conditio, hinc veluti impleta habenda foret ad tramites principii juris tum civilis tum canonici, firmati in *L. 161 ff. de regulis juris* et in *reg. 66 de regulis juris in 6*, ibi: »Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset;« 2. quia etsi per ipsum stetisset adhuc et inhabilis Emerici oppositio rejicienda foret ex notatis a s. Congr. Concilii in *Imolen. Jurispatronatus et institutionis die 20. Decembris 1822* §: *nec*, ibi: »Immerito resistit petitae dispensationi, qui et ipse indiget dispensatione, ut idem beneficium consequi valeat.«

Verumtamen etsi Emericus legitimus esset contradictor, ne sequeretur quidem ipsi potius quam Hectori concedendam dispensationem. Revera Emericus a nullo patronorum favore sustentatur, cum contra Hector non modo a patronorum plralitate, verum etiam et ab ipso Ordinario sustineatur. At neminem latet in dispensationibus istius naturae plurimi faciendum esse tum patronorum tum Ordinarii suffragium, ut notat S. C. Concil. *in Callien. et Pergulana Dispensationis 24. Jul. 1824* §: *praeferendus*, ibi: »Episcopi vero et patronorum favor ab hac s. Congreg.

plurimi semper habitus est;« et in *Montisalti Dispensationis 8. April. 1843* §: *propterea*, ibi: »Accedit Episcopi votum ac patronorum consensus. Plurimi autem Antistitis patronorumque favorem a s. Congregatione semper habitum fuisse haud ignoratur.« Post haec inutile foret oggerere in concedenda dispensatione potius favendum Emerico quam Hectori, cum ille una tantum egeat dispensatione, iste vero duplici; scitum enim est apostolicam Sedem solere ab uno vel duplici impedimento dispensare, quoties causa adsit legitima neque ex ea alterius jus laedatur, dum e contra in deficientia legitimae causae aut ex laesione alterius juris numquam dispensat nec dispensandi animum habet. Ad rem s. Concilii Congregatio post *cap. Si quando de rescriptis* in *Florentina Canonicatus 1. Martii 1834* §: *Nunc vero*, ibi: »Id praecavendum curat apostolica Sedes in dispensationibus, ne quid detrimenti jus cujusquam patiatur, quod firmum omnibus et incolume praestari curae eidem maxime est.« Atqui si Hector dispensatione petita donetur nullius jus violatur, cum pro eo stet favor patronorum, capituli et Ordinarii, dum e contra si Emerici preces excipiantur laeduntur jura tum patronorum tum Ordinarii, ad quem jus canonicatum conferendi devolutum fuit, necnon capitulum ipsum offenderetur. Ex quibus concludere fas est Hectori dispensationem largiendam esse, si paulisper concedi velit devolutionem ad Ordinarium haud locum habuisse in casu.

Defensio Emerici M.

Ex adverso patronus, qui Emerici jura protuebatur, contendebat huic praelationem in themate esse concedendam. Quod ut ostenderet afferebat Tridentini dispositionem in *sess. 23. cap. 6. de reform.*, ibi: »Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere.« Quam porro aetatem omnino requiri et sufficere pro canonicatu in collegiata ecclesia adsequendo communiter canonistas docere tradit Van-Espen *jus eccles. universale part. 2 sect. 3. tit. 2. cap. 1. n. 13*, ibi: »Quia synodus Tridentina nullibi exigit, quoad canonicatus in ecclesiis collegiatis, specialem aetatem, communiter receptum est non requiri nisi 14 annorum.«*) Cui concordat de Luca *de benef. discept. 95. n. 11.* Quibus in jure animadversis, huic dispositioni sese aptare testator portendebat per recitata fundationis verba, praescribendo in sacerdotum deficientia nominandum esse clericum *magis habilem et idoneum**) ex vocatis familiis. Cum igitur Hector aetatis impedimento detineretur et Emericus ab hoc prorsus liber esset, hunc concludebat praeferendum esse praesertim cum et eodem distaret gradu ac adversarius a communi stipite necnon optimis polleret moribus et qualitatibus.

Quod si parumper concedi vellet clericatum actu non susceptum aliqualem difficultatem gignere posse, semper verum erit Emericum uno tantum, Hectorem vero duplici impedimento detineri. At tralatitii juris est sanctam Sedem longe difficilius induci ad dispensandum super duplicibus quam super simplicibus impedimentis, ut perbelle docet Sanchez *de matr. lib. 8. disp, 23. n. 2.* et *eodem libr. disput. 3. n. 23.* De Luca *de emphyth. discept. 15. n. 6.* Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2 cas. 203. n. 13*, ibi: »Ubi plura obstant impedimenta difficilius concedi solent dispensationes et rescripta . . . . .« Quapropter etsi dispensationi locus esset in praesenti specie, potius Emerico quam Hectori esset tribuenda.

Verumtamen nec Emericum aliquo impedimento premi, prosequebatur patronus, cum clericatus intra quadrimestre *actu* non susceptus nullum obstaculum parere possit. Re enim vera doctores unanimiter affirmant clericatum *actualem* non requiri intra quadrimestre, sed sufficere, ut eo elapso adsit tempore institutionis, praesertim cum alter aeque vocatus quadrimestris tempore quaquaversus habilis non sit. Hanc autem assertionem firmare conabatur auctoritate De Luca *de lit. leg. resp. 22*, ubi inter cetera habetur: »clericandus puer**) praesentari potest ad beneficium jurispatronatus, quia pro promoto ad hoc habetur, cum sit clericus jam in actu primo et signato, mox clericus efficiendus in actu secundo et exercito per ordinationem.« Unde cum testator *magis idoneos et habiles* ex praedilectis familiis vocasset cumque clericatus in habitu sive in potentia sufficiat, dum alii passive vocati pendente quadrimestri habiles non sint, aperte patebat habilem in concursu inhabili praeferendum esse nec posse in themate

*) Vd. *t. II. 280. II.*

*) Vd. *t. II. p. 404. o; p. 411. q.*
**) Vd. *t. II. p. 433. kk.*

unum habilitari in praejudicium alterius ex deductis per Piton. *de controvers. patron. alleg. 65. n. 4.*

Neque difficultatem facessere in themate praesentationem suiipsius ab Emerico peractam, recolebat enim patronus in praesenti quaestione agi de jurepatronatus admixtam habente qualitatem passivam, hinc nihil poterat officere, quominus daretur ipsi institutio: siquidem in jurepatronatus hujusmodi passive vocatus nulla indiget praesentatione, imo etiam invitis patronis institutionem jure optimo sibi vindicat, uti tenet de Luca *de jurepatr. disc. 20. 3*, ibi: »In hac disputatione non dubitatur de vera et recepta conclusione, quod, ubi juspatronatus admixtam habet qualitatem passivam, a fundatore vel ab alio legitime adjectam, quod scilicet praesentari non possint nisi personae de certo genere vel certam qualitatem habentes, ut non possit patronus talem legem spernere ac alium praesentare, quodque aliter faciendo actus remaneat invalidus atque habens qualitatem, spreto patrono institui debeat tamquam praesentatus ab ipso fundatore . . .« Eadem ferme habet idem auctor in *discept. 20. n. 7. et discept. 29. n. 2. eod. tit.* Quare concludebat non modo Emerici praesentationem a seipso factam sustinendam esse, verum etiam et efficacem se habere ad Hectoris preces rejiciendas.

Hisce aliisque deductis proposita fuerunt resolvenda

Dubia:

I. An et quomodo concedenda sit dispensatio favore Hectoris G. seu oppositio Emerici M. efficax habenda sit in casu?

Et quatenus negative ad utramque partem,

II. An et quomodo sit locus devolutioni favore Rmae curiae in casu?

S. Congregatio EE. et RR. re mature perpensa et discussa sub die 1. Maji 1874 respondere censuit

Ad I et II: *Eminentissimus Abbas Ordinarius procedat jure devolutionis et amplius.*

Exinde colliges:

I. Ad obtinendum canonicatum in collegiata ecclesia sufficere aetatem quatuordecim annorum.

II. Vetitam ac nullam reputari a sacris canonibus praesentationem laici ad beneficium ecclesiasticum, nisi tempore a jure statuto habilis reddatur, sive jure ordinario sive per dispensationem.

III. Patronos laicos posse praesentare ad vacans beneficium actu incapacem de genere vocatorum, posthabito idoneo de ipsomet genere, dummodo infra terminum juris habilis reddatur vel dispensationem obtineat.

IV. Patronum posse seipsum praesentare ad beneficium *per viam precum* petendo nempe ab Ordinario ut sibi ex gratia beneficium conferat, secus praesentatio sui ipsius esset ipso jure nulla.

V. Ignorantiam legis fundationis in patrono non admitti proindeque si quis contra ipsam praesentavit inhabilem amittit pro illa vice jus praesentandi, nisi infra quadrimestre nominationem variaverit.

VI. Quadrimestri elapso patronis laicis ad praesentandum concesso, ac non nominato idoneo, jus ad superiorem devolvi.

2) Applicatio bonorum.

Vd. t. II. p. 370. n. 15; p. 888. n. 102.

a) In usum valetudinarii cohortis.

Assignatio bonorum et reddituum praebendae canonicalis existentis in ecclesia cathedrali Cochensi favore valetudinarii cohortis regii corporis christianissimi.

Pius VII.

Servus servorum Dei.

§. 1. Christi Domini vices gerentes in terris viscera etiam misericordiae indui nos oportet, quibus ipse sibi factum denunciat quidquid erga minimos suos pietatis causa geratur, curamque proinde infirmorum, quos suam refere sacratissimam personam conclamavit, singulari studio intentaque sollicitudine prolatus ubi opus sit pontificiae benignitatis thesauris urgere, commendare et protueri nos decet. Hinc vel a primis ecclesiae temporibus clarioribus privilegiis omnique impensissimae tuitionis cultu publicae illae aedes auctae perleguntur, quae data vix ecclesiae pace pauperibus, peregrinantibus egrotisque cumprimis excipiendis, fovendis liberaliterque ac laute recreandis ex christianorum pietate patuerunt. Pientissimis hisce studiis incensus carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus minime passus est desiderari, ut saluberrima id genus diversoria rebus omnibus instructa sint atque apparata.

§. 2. Quoniam vero cunctis oneribus sustinendis attrite post miserimam temporum conversionem regii aerarii vires impares dignoscantur, preces ad Nos perferendas curavit, ut pro valetudinario in statione lectissimae praetorianorum cohortis constituto in quo regii corporis custodes aegrotantes opportune curantur unius canonicatus cathedralis ecclesiae Conchensis redditus et proventus adsignari indulgeremus, cumque Nos finis hujusmodi sanctitatem agnoverimus laudati regis desideriis benigne obsecundare censuimus.

§. 2. Ex certa igitur scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine unum canonicatum sive actu forsan vacantem sive primo loco quomodolibet vacaturum dummodo non sit ex iis, quae praebendae officii nuncupantur, vigore praesentium literarum supprimimus, extinguimus et annullamus, ita ut canonicatus hujusmodi collativus imposterum esse desinat ac in titulum collativum conferri nequeat, illoque sic suppresso, extincto et annullato omnes et singuli dicti canonicatus fructus, redditus et proventus memorato valetudinario in antedictam cohortis praetorianorum ad regii corporis custodiam honoratorum constituto in ipsius dotationem ac opportunam manutentionem perpetuo unimus, applicamus atque appropriamus.

§. 4. Quocirca venerabili fratri moderno et pro tempore existenti Episcopo Conchensi ejusdemque cathedralis ecclesiae capitulo, ut supraenunciati canonicatus annuos fructus, redditus et proventus personae a rege designandae ad effectum illos in manutentionem antedicti valetudinarii erogandi libere atque integre persolvi faciant harum quoque tenore perpetuo similiter committimus et mandamus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 30. Septb. 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 243. Ed. Romae.)

b) In usum collegii puerorum.

Vd. t. II p. 382. f.

Applicatio bonorum canonicatus vacantis in ecclesia metropolitana Caesaraugustana pro regali collegio puerorum vulgo Ninos ejusdem loci.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper Nobis pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici expositum est, quod, cum vacaverit actuque vacet quidam canonicatus in metropolitana ecclesia Caesaraugustana erectus per obitum bonae memoriae Aloisii Gorraiz ultimi illius dum viveret possessoris, praedicti canonicatus fructus perpetuis futuris temporibus applicare intendit regali collegio puerorum vulgo Ninos nuncupato cantorum regalis capellae in ejus aula existentium, si Nostra et hujus s. Sedis ad id facultas accedat. Nobis propterea ipsius Ferdinandi regis nomine supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Ferdinandi regis votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes hujusmodi supplicationibus inclinati canonicatus praedicti fructus, redditus et proventus memorato regali collegio puerorum cantorum regalis capellae, dummodo onera praedicto canonicatui adnexa accurate adimpleantur, ac sine praejudicio alieni juris, si forte sit, auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum assignamus et applicamus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 10. Decembris 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 259. Ed. Romae).

3) Beneficium est.

Beneficium vocatur canonicatus et est jus spirituale proveniens ex electione seu receptione alicujus in Canonicum et est verum beneficium, si habeat suam praebendam, ut convenit ex *cap.*: *Relatum 9. de praebend.*, ibi: quia non est congruum, ut praebenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus.

4) Collatio

Vd. *Canonicus* (vox); *Beneficium* (collatio, t. II. p. 397. n. 25).

a) Canonicorum suffragia.

Pisana.

Vd. infra: *b.*

Pisanae metropolitanae ecclesiae capitulum alternativo cum suo Archiepiscopo fruitur jure conferendi canonicatus et praebendas. Sequuta ineunte hoc anno vacatione canonicatus in mense ad capitulum spectante, cum duo clerici praebendam postulassent, quorum alter utpote ex sorore nepos consanguinitate*) jungitur cum uno ex Canonicis, qui suffragium ferre debent in electione, orta est quaestio: utrum haec sanguinis conjunctio consanguineum a votando repellat. Re ad capitulum dilata duos e gremio elegit, in quorum doctrina plurimum fidebat, ut praevio maturo examine votum suum super exorta quaestione proferrent. At quae electa prudenter fuit via, ut noscere posset capitulum ubi tutius figeret pedem, causa majoris fuit haesitationis. Nam dissentientibus inter se Canonicis deputatis in diversam abiere sententiam, ita ut coacto iterum capitulo unanimi voto hujus s. Congregationis sapientissimum oraculum exquirendum duxerint Canonici, ut ita et rectum in electione judicium et suae erga s. Sedem devotionis novum specimen redderent.

En quomodo in precibus SSmo oblatis proposita fuit quaestio:

Sanctitatem Vestram enixe ac humiliter exorant, ut a sacra Congregatione Tridentini Concilii Interprete declaretur: an in concursu postulantis nullius Canonici votantis consanguinei Canonicus alterius postulantis consanguineus votum in electione facienda praebere queat? Statim super hisce precibus rogavi Archiepiscopi sententiam, utque audito capitulo et Canonico del Bono, qui consanguineus ille est de cujus suffragio quaeritur, referret de consuetudine et exemplis transmissa particula constitutionum capitularium. Quae in jure et in facto deducta sunt tum a praedicto Canonico de Bono ad jus ferendi suffragii sibi tuendum tum ab altero ex Canonicis consultoribus ad illud negandum transmittit Archiepiscopus, qui in sua informatione aliquid innuit de exemplis, de quibus inferius redibit sermo; nihil vero habet de capitularibus constitutionibus, utpote quae de hac quaestione minime loquuntur. A voto autem ferendo sibi abstinendum putat, *ne ut ipse ait uni potius aut alteri videar dissidentium Canonicorum parti favere.*

Porro hujusce quaestionis solutio pendere deberet vel a dispositione juris communis vel a peculiaribus capituli constitutionibus vel demum a consuetudine. Nihil dicam de constitutionibus, quia pacificum est inter partes eas de hac re prorsus silere. Ad primum quod attinet, certum receptumque ex jure est, id esse proprium canoniae,*) ut Canonicis tribuat indistinctum et aequale jus vocis quoad omnia, quae in capitulo fiunt et collegialiter expediuntur. Ita post *glossam in cap. 1. Verb.: vel quasi de elect. tradunt Barbos. de Canon. et Dignitat. cap. 12. num. 19, Fagnan. in cap: Cum M. cap. 9. de consitut. n. 26, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 15. num. 25.* et s. Congregatio *in Senen. Vocis in capitulo 27. Februarii 1767.* Si ergo Canonicus jus certum habet ad suffragium ferendum sequitur, ut ad inducendam contra ipsum limitationem necesse sit, ut concurrat expressa legis dispositio, quae ex causa consanguinitatis Canonicum a ferendo suffragio repellat.

At si deficit expressa isthaec dispositio juris contra Canonicum del Bono, praesto est legitima sacrorum canonum interpretatio quae cum oriatur ex lege in duriori casu sancita locum etiam sibi vindicat in praesenti, ut ajunt qui Canonicum del Bono a jure nominandi exclusum dicunt. Sane Innocentius III. *in canone: Cum Canonici 35. de officio et potest. Jud. delegat.* in causa Canonici Januensis omnes alios Canonicos ab officio judicis exclusos voluit non alia de causa, quam quia erant unius litigantis socii ac proinde alteri litiganti suspecti: »*Ut exceptis Canonicis Januensibus* (sunt verba canonis), *quos cum sint ejus socii merito habeat pars adversa suspectos.*« Si ergo summus ille Pontifex a judicando rejiciendos esse putavit omnes Canonicos, quia socii tantum alterius litigantis merito pro suspectis habebantur, quanto magis in praesenti casu, in quo non socius in officio, sed is, qui alteri ex concurrentibus vinculo sanguinis conjunctus est, judex quodammodo esse deberet quoad merita unius alteriusque postulantis beneficium.

*) Vd. t. *II. p. 413. s. I.*

*) Vd. *Canonia, p. 47.*

Hanc ipsam interpretationem sequuta est s. Congregatio, cum ad ejus judicium delata est quaestio, utrum Canonici familiares Episcopi suffragium ferre possent in comitiis capitularibus, in quibus ageretur de negociis ad ipsum Episcopum spectantibus. Nam censuit abstinendos esse a voto omnes familiares et Vicarium generalem, quos praesumpta erga Antistitem affectio suspectos reddebat. Ita decretum est in *Mediolanen. Januarii 1587* et in *Pharen. Residentiae 28. Aprilis 1674.*

Ita pariter s. Pius V. *) sua constitutione cujus initium: *Quanta* quaeque extat in bullario *sub num. 50.* prohibuit Episcopis, ut beneficia in eorum manibus resignata suis consanguineis aut familiaribus conferrent. Nam facile contingere poterat, ut nimia affectio vel ex sanguine vel ex familiaritate causam daret fraudibus in hujusmodi resignationibus quae pararent viam minus rectae beneficiorum collationi.**) Hinc in praesenti casu in sanguine conjunctus suo suffragio concurrat in electione; si praesens sit in capitularibus comitiis, verendum esset, ne immoderata erga conjunctum affectio fraudibus et circumventionibus rectum interciperet inter utrumque concurrentem judicium.

Sed e contra haud levis momenti sunt, quae ex jure favore Canonici del Bono afferi possunt. Ipsi favet expressa legis dispositio, quae omnes Canonicos ad suffragium ferendum vocat in quovis actu capitulari, ita ut si convocetur capitulum praetermisso aliquo ex Canonicis nulla sit et inefficax capitularis resolutio. Ut vero quis suo privetur jure et a sua deturbetur possessione, expressa requiritur legis dispositio nec satis sunt vel simplex interpretatio vel argumenta ex legibus ad alios casus respicientibus deducta, ut odiosa induci possit privatio. Cum igitur nullo ecclesiae canone repellatur consanguineus a votando et ex consanguinitate suspicio tantum nimii favoris erga conjunctum oriri possit, tanti haec esse non potest, ut consanguineus suo jure expolietur. Ita sentit *Wanespen. tom. V. cap. 7. de vitio accept. person. §. 6: Verum quia in consanguineo patroni vel collatoris etiam concurrere possunt merita et qualitates ad causam spectantia, sive quae ipsum beneficio seu ministerio ecclesiastico dignum reddant, ipsa consanguinitas per se spectata non obstat, quominus ipsi sine personarum acceptione collatio fieri queat, considerando nimirum (ut requirit justitia distributiva) solas conditiones personae, quae faciunt ad dignitatis vel debiti causam.* Id ipsum tradunt *Pignatel. consult. 53. num. 6. tom. 6., Piton. discept. eccles. 137. part. 4. num. 16*: »*Canonicus in electionibus ratione naturalis affectionis non prohibetur dare suffragium pro fratre.*«

Hinc etiam frequens occurrit casus beneficiorum de jurepatronatus, cujus nominatio uni tantum personae tribuitur, quae non prohibetur conjunctum sibi sanguine, caeteris concurrentibus exclusis, eligere ac praesentare. Idem *Piton. Cons. supracitat. n. 16: Pater non prohibetur praesentare filium ad beneficium jurispatronatus seu votare pro illo in universitate, ad quam pertinet jus praesentandi.* Quod si in hujusmodi casu consanguinitas non obstet nominationi faciendae ab unico patrono sanguine conjuncto eo minus obesse poterit in electione capitulari, in quo non solus consanguineus, sed omnes Canonici pari suffragio eligere debent.

Nec Canonicus del Bono sibi quidquam timendum putat vel *ex canone 35. de offic. et potest. judic. deleg.* vel ex *Piana constitutione*, de quibus supra Ex juris quippe dispositione derivat, ut is judex esse non possit, qui sit uni ex litigantium suspectus. Recte igitur Innocentius III. a delegatione exclusos voluit Canonicos Januenses in causa Concanonici, quia inde suspecti erant alteri ex litigantibus, ut ferunt verba ipsius canonis: »*merito habet pars adversa suspectos.*« Plurimum vero differt casus a casu. Nam in eo, de quo loquitur Innocentius III. agebatur de judice delegando, nec delegari poterat qui suspectus esset ex *can. Quod suspecti 3. quaest. 5, canon.: Cum speciali* et *cap. Secundo de appellat.*« nec quisquam ex Canonicis Januensibus jus ullum habebat ad judicandum, unde sine injuria poterat quisquis alius delegari. At in praesenti casu non de judice delegando res est et Canonicus *del Bono* jus habet ad ferendum suffragium, quo sine injuria nequit privari.

Quod vero s. Pius V. prohibuerit Episcopis beneficia in eorum manibus resignata consanguineis et familiaribus conferre, *) hoc ex peculiari constitutione procedit, ac pro-

*) Vd. t. *II. p. 413 s. I.*
**) Vd. t. *II. p. 852. l; p. 397. d.*

*) Vd. t. *II. p. 413. s. I.*

inde semper eo redit difficultas, ut necessaria sit expressa legis prohibitio. Quin imo ex hac ipsa constitutione, quae de praeciso tantum casu resignationis loquitur et quae non extenditur ad alios casus dno sequi videntur, nimirum qnod consanguinitas et familiaritas per se spectata non officiunt exercitio juris conferendi beneficia et quod nequeant ad diversos casus trahi quae in peculiari tantum casu snnt constitnta. Ita docte respondit s. m. Benedictus XIV. *in synodo dioeces. lib. 13. cap. 24. §. 6:* »*Quoties igitur paraecia per resignationem vacaverit, si eandem suo vel resignantis consanguineo aut familiari Episcopus conferat, aperte peccat in literam Pianae constit. prohibentis, ne beneficia in Episcoporum manibus resignata personis supradictis conferantur: at si iisdem conferat paraeciam, quae per obitum vacaverit, nullatenus Pianam bullam laedit, quippe quae nonnisi de vacationibus per resignationem loquitur. Etenim in vacationibus per resignationem facile irrepere possunt eae fraudes dolosique circuitus, qui nullo modo aut saltem difficilius in vacationibus per obitum occurrere possunt. Itaque patet primo quam prudenter constitutum fuerit discrimen inter unum et alterum vacationis modum: deinde quomodo gerere se debeant Episcopi, cum hujusmodi casus contigerint, absque eo quod Congregationem de illis consulant: denique cui regulae tuto adhaereat eadem Congregatio in responsionibus dandis ad ejusmodi postulata, si quae forte proponi contingant.* Tandem resolntiones hujus sac. Congregationis *in Mediolanen. Januarii 1587* et in *Pharen. Residentiae 28. Aprilis 1674.* respicinnt casum de qno s. Tridentina synodus disposnerat, cnm in *sess. 25. cap. 6. de reform.* Episcopis jus tribnit convocandi capitnlum illiusque votum exquirendi dummodo non agatnr »*de re ad suum vel suorum commodum spectanda*«

Haec ex jure adnotanda censui, ut possint facilius Emmi Patres propositam dirimere qnaestionem. Quo vero ad constitntiones capitulares, ut praemisi, nihil habent super iis, qui suffragium ferre possint in capituli comitiis, ac proinde dici debet id sub juris communis dispositione relictum esse. Tandem aliquid addendum superest quoad *consuetudinem*, de qua panca adducuntur exempla. Ea diligentissime refert Archiepiscopus in sua informatione, quam exscribo: »Canonicus del Bono adfert ad sui favorem acta capitnlaria anni 1807, ex quibus patet ab ipso lata fuisse suffragia absqne ulla oppositione in electione etiam Canonici dell' Hoste licet sibi in secundo consanguinitatis gradu, ntpote sni Amitini, conjnncti.

Alter vero ex dnobus relatoribus canonicis, sacerdos mempe Gaspar Lanfranchi Chiccoli, profert acta capitularia anni 1796, ex quibus habetur, qnod Archipresbyter Dominus Cosi-del Vollia tunc *sese voluntarie a ferendo suffragio abstinuit* cnm de electione Canonici Josephi ex fratre nepotis agebatur, ac etiam acta anni 1806. in quorum regestu dictum Canonicum Josephum *sese a ferendo suffragio abstinuisse* commemoratnr in electione Vicarii capitularis respectu praefati Archipresbyteri. Addit praeterea ex dnorum testium relatione, quae hic pariter adjungitnr, capitulum rejecisse suffragium Canonici Decani Thomae Gaspari, dum anno 1778 in deliberationem venerat electio sui fratris in Vicarinm capitnlarem. De hac tamen asserta rejectione animadvertendum est, nihil omnino in capituli regestis illius temporis expressum inveniri. Quinimo praedictae electionis processus ibidem describitur, in quo simul cum aliis Canonicis sessioni interessentibus adnnmeratur etiam dictns Canonicus Decanus et proposita per scrutinium electio Canonici fratris dicitur quidem *non adprobata*, sed ne verbum quidem, qnod dictus Canonicus Decanus a capitulo discesserit vel quod de ejnsdem facnltate ferendi suffragium fuerit dnbitatnm.

Dubium proponitur:

An Canonicus del Bono in electione, de qua agitur, rejiciendus sit a ferendo suffragio in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 19. Septb. 1818.

b) Ab apostolica Sede.*)

Vd. t. II. p. 430: *Neapolitana.*

c) Per concursum pro cura anim. exercenda.

Vd. *Cura anim. exercenda a Canonicis; Canonicat.* (collationis jus n. I. II. III.; electio per compromissum, decr.: *Quadalax.*) *Concursus.*

Aliphana.

Tres in civitate Pedemontis Aliphanae dioecesis existnnt ecclesiae collegiatae, s. Mariae majoris videlicet, ssmae Annnnciati-

*) Vd. *t. II. p. 429 ii; p. 440. ss.*

onis de Vallata et s. Crucis de Castro propriis eorum nominibus appellatae, quarum unaquaeque cnram animarum habet adnexam. Usque ad annum 1600 cura haec exercebatur a Canonicis alternatim per hebdomadas, quo tamen tempore decrevit Episcopus ut uni Archipresbytero cura incumberet animarum in ecclesia s. Mariae Majoris, in aliis Collegiatis mandavit Canonicis ut unum praesentarent idoneum sive de gremio sive extra, apud quem animarum cura remaneret. At s. Congregatio EE. et RR. appellantibus a decreto Canonicis die 20. Febr. 1601 aliter judicavit, ut infra indicetur. Cujus resolutionis executionem et observantiam s. ille Ordo praescripsit die 10. Octobris 1608 datis literis Vicario capitulari, qui aliter sentire videbatur.

Quam sane methodum executioni demandatam fuisse testantur Antistites Aliphani in relationibus ad limina de statu ecclesiae. In iis enim anno 1611 legitur: »Oppidum Pedemontis satis populatum est ibique residet Episcopus ob aeris civitatis Aliphanae inclementiam: habet tres collegiatas ecclesias, in quarum dnabus sex adsunt Canonici pro qualibet, in alia vero dnodecim, et omnes curam habent animarum.« Anno vero 1626 haec ad rem referebat Episcopus: »animarum curam exercent Canonici alternative singulis annis cum Episcopi approbatione.« Idemque reperitur in relatione annorum 1634 et 1641. Pressins autem in relatione anni 1648 ab Episcopo Petro Paulo Medices accurata traditur earum Collegiatarum origo et describitur indoles quoad curam animarum: »Terra Pedemontii... in tres secatur partes, nempe Pedemontium ipsum, Vallatam et Castrum; in hac terra ante Sixtum IV. plures erant parochiales ecclesiae, quas dictus Sixtus ad quatuor tantum redegit, nunc tres, eas in Collegiatas erexit earumque curatos Canonicos creavit. Prima Collegiata est Pedemontii sub titulo s. Mariae cum Canonicis duodecim et Archipresbytero, ubi Canonici immemorabiliter resident, in choro puncta habent et exacte ecclesiae inservinnt. Secunda Collegiata est Vallatae sub titulo Annunciatae cnm Canonicis sex, et tertia est s. Crucis in Castro, quae et sex Canonicos habet. Qui omnes ab anno 1475. in quo fuerunt creati ut curati curam animarum indistincte gesserunt usqne ad annum 1601, quando s. Congr. decrevit, ne cura divagaretur, ut singulis annis per unumquodque capitulum dictarum Collegiatarum eligerentur duo Canonici ad curam exercendam; electi autem cum praetendant esse curati non se subjiciunt examini pro animarum cnra, sed tantum Episcopo praesentantur.«

Hac arrepta occasione s. hic Ordo in suis responsionis literis Vicariae perpetuae demandavit erectionem, a qua tamen sententia recedit habito paulo post recursu Canonicorum, uti patet ex altera ejusdem Episcopi relatione anni 1654; ibi enim ait quod, cum responsum fuisset a S. H. O. ut in singulis dictis Collegiatis formarentur Vicarii perpetni pro stabili animarum cura, ac etiam paulo post fuissent praesentatae literae s. Congregationis ut supersederemns, utique ad nova mandata supersedimus et adhuc supersedemus. Quod iterum dubium de erectione Vicarii perpetui cnm esset excitatum anno 1726 ab episcopalis curiae promotore, dum ageretur in hac eadem s. Congr. de deputatione duorum annalium Vicariorum, quorum unius electionem in Collegiata s. Mariae Majoris ad se devolutam putabat Episcopus, etsi Metropolitani sententia secus fuisset judicatum, haud recedendum censuit s. hic Ordo ab edito decreto per s. Congregationem EE. et RR. anno 1601. Propositis enim sequentibus dubiis:

I. *An ad capitulum et Canonicos s. Mariae Majoris Pedemontis spectet cura habitualis ejusdem ecclesiae?*

Et quatenus affirmative,

II. *An iidem Canonici possint in fine cujuslibet anni devenire ad electionem duorum Canonicorum pro exercenda cura actuali vel debeant eligere sacerdotes extra gremium capituli?*

III. *An dicta electio sit approbanda ab Episcopo?*

Data est resolntio

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative ad primnm dubii partem et ad secundam negative.

Ad III: Affirmative et amplius. Quae sane methodus absqne contradictione servata est usque in hodiernam diem. Licet enim anno 1811 jubente laica et militari potestate fuerit in rectorem perpetunm depntatus Archipresbyter in praefata s. Mariae Majoris ecclesia, cessata tamen occupatione res po-

pulo et capitulo patente ac Episcopo auctorante in pristinum statum sunt restitutae.

Ceterum quod spectat ad curam animarum, omnibus Canonicis dictarum ecclesiarum competere posteriores etiam Episcopi in ipsarum statu describendo fassi sunt. Aegidius enim Isabelli anno 1745 exponebat, quod penes eosdem Canonicos in fine cujuslibet anni ad hujusmodi munus electos praevia approbatione et confirmatione Episcopi exercetur. Et enucleatius anno 1753 referebat Innocentius Sanseverino: »In hac Pedemontii civitate et oppido non longe ab eo posito a s. m. Callixto III. de anno 1475 ex pluribus curatis ecclesiis quatuor fuerunt erectae Collegiatae, tres in civitate et quarta in vicino oppido. Ex tribus praedictis Collegiatis temporis progressu duae in unam coaluerunt insignem Collegiatam in ecclesia sub titulo s. Mariae Majoris cum numero duodecim Canonicorum, comprehenso Archipresbytero. Altera, quae pariter insignis nuncupatur, fuit erecta in ecclesia ss. Annuntiationis cum numero sex Canonicorum, quibus de anno 1719 a s. m. Clemente XI. sex alii fuerunt adjuncti. Tertia fuit erecta in oppido nuncupato Castro cum sex similiter Canonicis. Sane praefatae tres Collegiatae et Canonici fuerunt erecti cum onere curae animarum; postmodum vero pro populi commoditate duo ex Canonicis ab aliis respective fuerunt electi et singulis annis eliguntur praevia Episcopi confirmatione pro Sacramentis administrandis in qualibet ex dictis Collegiatis.« Atque haec confirmantur adamussim ab Episcopo successore Philippo Sanseverino in relatione anni 1760, in qua insuper addebat: Equidem Collegiatis praefatis earumque Canonicis omnibus indistincte ab ipsa erectione onus curae animarum pro respectivae parochiae districtu incumbit; necnon ab alio Episcopo Sanseverino, cui nomen Franciscus Ferdinandus, in relatione anni 1773. Posteriorum vero Episcoporum relationes haud latum est invenire usque ad annum 1859, quo suam transmisit Episcopus Puoti, cujus particulam ad rem dedi procuratori Canonicorum, qui eam in summario distribuit. In parochiali vero ministerio. licet duo pro rectiori gubernio deputentur in qualibet ecclesia, ceteros etiam Canonicos ab onere curae nunquam fuisse liberatos praesumitur, ab administratione praesertim Sacramenti poenitentiae, quod omnes Collegiatarum Canonicos antea, non aliter ac ceteri parochi, parochianis administrasse dicitur absque peculiari facultate et approbatione in Aliphani Episcopi literis anno 1786 ad capellanum majorem datis et ad S. O. ab hodierno Episcpo transmissis, quas legere datum est in summario Canonicorum.

Quod autem attinet ad canonicatuum collationem videtur indubium quod fuerit primum electionis forma servata Canonicis Collegiatarum a Sixto IV. tributa per suas literas *Officii nostri ratio* diei 29. Martii 1474 qua ante Collegiatarum erectionem fruebantur presbyteri ecclesiis Castri Pedemontis et Casalium addicti cum potestate audiendi confessiones parochianorum et dandi sacramenta ecclesiae. Hoc etenim patet ex Laudo Episcopi Sanfelice, qui praeterea cavebat »ut nullus futurus presbyter a praedictis possit intrare dictam ordinationem et gaudere beneficii, quo alii gaudent, nisi primo sit aetatis viginti quinque annorum et sciat bene cantare et legere, approbatus per quatuor probos viros et a procuratoribus, qui tunc erunt, et ipso approbato reperto dictae aetatis sufficientia prout supra declaratur, percipiat cum aliis etc. et observet ea quae alii presbyteri observant.«

Quamdiu vero hujusmodi forma duraverit nihil certi statui potest. In relationibus Episcoporum ad limina altum hac super re servatur silentium usque ad annum 1696. Hoc enim anno Joseph Episcopus Lazzara conqueritur de provisione canonicatus in Collegiata s. Crucis de Castro facta ab apostolica Sede favore cujusdam Vincentii Riselli quem juvenem inexpertem et ignarum appellat »licet pro obtinendo canonicatu, ita ibi, fuerit examinatus ab examinatoribus synodalibus et ab ipsis approbatus, nescio tamen qua conscientia ducti, cum sit vere ignarus, dum ego non potui assistentiam examini praestare, stante quod ad portas mortis eram. Affertur praeterea bullae cujusdam exemplar aeque ab apostolica Sede expeditae favore Michaelis Angeli Pagani de canonicatu in Collegiata s. Mariae Majoris anno 1701, praemissa pariter aequitatis examinis forma, necnon literae Card. Prodatarii datae Episcopo Aliphano anno 1707 ad habendum concursum secondo la forma prescritta dal s. Concilio di Trento pro collatione archipresbyteratus in eadem s. Mariae Majoris ecclesia, quae documenta in Canonicorum summario circumferuntur. Alia non apparent collationum formae vestigia usque ad annum 1753.

Quo quidem anno labente Innocentius Episcopus Sanseverino post memoratam superius relationem exponebat abusum ejusmodi canonicatum in dictis curatis Collegiatis sine ullo examine conferendi, parique modo binos ad curam exercendam quotannis destinatos deputandi parum ut plurimum idoneos et moribus non integris et sequens remedium proponebat: »Ad hujusmodi vero abusus et praejudicia in posterum evitanda nimium conducere arbitrarer in futuris vacationibus in mensibus reservatis vel aliis ad s. Sedem pertinentibus attestationem idoneitatis ad dictos canonicatus concedere iis tantum qui habiles et idonei fuerint judicati praevio examine non quidem ad formam concursus, sed ad animi instructionem et ad habendam notitiam sufficientiae ita tamen ut nolentibus examini sese subjicere attestatio pro simplicibus tantum beneficiis et canonicatibus sine cura non denegetur, in vacationibus vero spectantibus Ordinario praevio eodem diligenti examine morum et scientiae collationem decernere in magis idoneum.« Cui postulato, utpote quod ageretur de utiliori ac tutiori admittenda provisionis forma favore dignioris et magis idonei in beneficiis curam animarum habentibus, libenter assentita est s. Congregatio.

Haec autem provisionis methodus licet videri potuerit de privato tantum examine explicata est in facto per concursum ab ipso insequenti anno 1754, quamvis in edictis evulgandis adjecta fuerit clausula »ad animi instructionem«, discrimine facto ab edictis pro aliis ecclesiis simpliciter parochialibus, in quibus illa clausula desideratur, uti difformia probant exemplaria ab Episcopo transmissa. Eamque fuisse clausulam adhibitam in canonicatuum praedictorum collatione fidem faciunt tum particulae relationum ad Limina sive anni 1759 sive anni 1778 (cujus postremae symbolam attulit hodiernus Episcopus), in quarum prima legitur: »canonicatus omnes praevio examine ad animi instructionem providentur«, in altera vero: »canonicatus conferuntur praevio concursu ad animi instructionem«, tum notula indicativa singulorum ejusmodi concursuum a curiae actis extracta et ab eodem Episcopo transmissa in summario Canonicorum legenda. Utrum ab ipso anno 1754 ad 1795, non obstante praefatae clausulae adjectione. in hujusmodi collationibus fuerit necne servata forma concursus ad formam Concilii et Benedictinae constit.: *Cum illud*, licet videatur pro certo non posse affirmari, quamquam in affirmativam sententiam inclinare faciant plures, quae a Canonicis producuntur et ab ipso mittuntur Episcopo, relationes et scripta Episcopi Gentile ad Siciliarum regem ejusque ministros et capellanum majorem, id tamen non controvertitur ab anno 1795. ad annum 1847. pacifice fuisse servatum ad Tridentini praescriptum ut longa bullarum provisionum apostolicarum et episcopalium series evidenter ostendit.

Ita se res habebant cum, vacato canonicatu in Collegiata Vallatae, die 6. Novemb. 1851. hodiernus Episcopus, oblata Canonicis illius Collegiatae quadam electionis forma in Canonicorum summario videnda, ipsorum concursu juxta propositam methodum novi Canonici provisionem explevit, omissa forma concursus antea servata. Facti .postea poeniteutes Canonici, agmine facto cum Canonicis alterius Collegiatae s. Mariae Majoris de hac nova methodo conquerentes S. H. O. adierunt ineunte mense Aprilis anni 1852 pluribusque rationum argumentis allatis auteactam methodum servandam s. Ordinis oraculo et auctoritate postulabant.

Precibus ad Episcopum de more remissis ab eodem exquisivi ut cum voto promotoris fiscalis referret de vera ecclesiarum collegialitate, consuetudine quoad canonicatuum collationem, penes quem resideret habitualis animarum cura et utrum expediret, ut eadem juxta mentem ss. canonum ab uno rectore stabiliter exerceretur. Pluribus autem mensibus elapsis nulloque adveniente Episcopi responso rogatu Canonicorum datae sunt Episcopo novae literae mense Januario anni 1853. Ad exitum vergebat annus quando silente adhuc Episcopo novisque adveuientibus oratorum querelis de alia expleta collatione in eadem ecclesia, pendente recursu pro voluntatis libito nulla servata forma concursus, opportunum judicavi per Nuncium apostolicum, datis literis die 29. Novembris ejusdem anni 1853, eundem Episcopum monere ut responderet literis sac. Congregationi et ab eodem exquirere quo jure, pendente capituli recursu, processerit

ad novam canonicatus collationem, de qua in precibus Canonici querebantur.

Tandem excitatus Episcopus sua mittebat postulatis responsa cum voto promotoris fiscalis et documentis ad rem facientibus, quorum quantum ad causam attinet superius mentionem feci, ad s. Congregationem mense Aprilis 1854. per ipsum Nuncium apostolicum allata; qui in illis transmittendis addebat sese hortatum fuisse Aliphanum Episcopum ut »quae supra controversia de collatione canonicatuum sentiebat, libere aperiret, interim vero a quacumque canonicatus collatione sese abstineret. Tam scriptis quam verbis Episcopus ille id facturum spopondit, atque etiam de sua in hujusmodi re agendi ratione defensionem suscepturum declaravit.«

Praemissa siquidem excusatione per complicazione di diverse circostanze, quae maturius respondere literis s. Congr. eum impedierant, plura exponit Episcopus causae meritum concernentia quae referam in enucleandis inferius adductis a promotore argumentis, quippe quae in unum consentiunt. Narrat deinde sese ob pacis amorem intendisse in id, ut compositionem cum Canonicis iniret eamque se obtinuisse putabat per statutorum confectionem, quibus carere ait utrumque Canonicorum collegium, postea vero Capitulares eidem tradidisse libellum. Omnem controversiam sic extinctam existimasse addit ideoque ad collationem processisse ne devolveretur etiam ad Metropolitam collatio ob temporis lapsum attento etiam defectu contestationis litis coram s. Congregatione, quod se perficere potuisse ait absque vitio attentatorum. Quoad causae vero meritum concludit sese supremo s. Ordinis judicio pariturum.

Novis post haec superventis Canonicorum querimoniis super edictis ab Episocpo vulgatis ad novas canonicatuum provisiones a Dataria, cui reservatae erant, praeter suetam formam obtinendas, necnon super inflicta suspensione ab audiendis confessionibus ob non petitam peculiarem approbationem uni ex Canonicis s. Mariae Majoris iterum Episcopo literas dedi ut super allato recursu referret. Mense vero ab expeditis hujusmodi literis nondum elapso preces datae sunt s. Ordini nomine Canonicorum alterius Collegiatae s. Crucis, qui conquerebantur duos e gremio fuisse per Episcopum eadem, qua supra, de causa suspensos ab excipiendis parochianorum confessionibus vacatisque praeterea duobus in ea Collegiata canonicatibus apostolicae Sedi reservatis, nullo praemisso concursu, Praesulem commendasse Datariae novos candidatos ut contra formam usitatamfierent collationes, ita ut rursus Episcopum rogare debuerim quo jure pendente appellatione ac post transmissas recenter literas s. Congregationis ad collationes canonicatuum procederet et Canonicos suspenderit ab excipiendis confessionibus. Silentium at vero servante Episcopo et monitionibus in irritum cessis necesse fuit, instantibus Canonicis, per Nuncium apostolicum iterum eumdem Episcopum monere atque excitare ut faceret satis literis s. Congregationis.

In suis quas illico dedit responsionibus animadvertit inprimis se nullo canone ligari quominus potuerit et possit lite pendente providere canonicatus, quippe cum id non substantiam, sed qualitatem attingat beneficii. Subdit se nunquam spopondisse fore ut in posterum a collationibus abstineret (etsi contrarium referant literae Nuncii apostolici superius exscriptae) et si spopondisset, se non violasse promissa, cum agatur de collationibus Datariae reservatis, cujus erit a collationibus si maluerit abstinere.

Quoad vero suspensionem ab audiendis confessionibus praefato Canonico Giribano inflictam sese jure in hac re gessisse reponit quia, cum curam tantum habitualem habeant Canonici et nullam aliam obtinuerit Giribonius in literis provisionis, haud quaquam habent a jure potestatem audiendi confessiones. Ceterum esse subjungit indulgentiae et moderationis argumentum, si alios toleravit et tolerat, eamque facultatem ex tacita solum Episcopi delegatione promanare; cumque hanc delegationem generali revocaverit edicto nec tamen se Canonici abstinuerint, concludit eos esse monendos ut consulant conscientiae suae ac valori et reverentiae sacramento debitae utque a frivolis et quotidianis recursibus ac appellationibus contineantur, »excusatio enim frivola non excusat inferiorem quominus teneatur obedire Superiori, et ut de contemptu puniatur«, ex *cap.*: *Cum appellationibus frivolis de appellat. in 6.*, *cap.*: *Cum parati essemus lib. 2. de appell. tit. 28.**) Iisdem prorsus argumentis licet separatis literis respondet quoad recursum Canonicorum s. Crucis, adjiciens eos nullam hactenus habuisse partem

*) Vd *t. I. p 623. n. 31.*

in controversia cum aliis Collegiatis ideoque nihil attentasse dum binos ex ipsis ab audiendis confessionibus suspendit: imo jure suo fuisse usum ob recusatam generali edicto renovandi patentales literas obedientiam: formam vero concursus haud esse necessariam in provisione canonicatuum illius ecclesiae curam tantummodo habitualem habentium ex auctoritate *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 2. n. 51. et seqq. et cap. 3. lib. 3.*

Quibus acceptis, urgente nunc defensore Canonicorum causae propositionem, controversia proponitur concinnatis dubiorum formulis ad calcem exscribendis. Cumque declaraverit Episcopus per suum in Urbe negotiorum gestorem se nihil habere quod addat iis quae deducta sunt a promotore fiscali ea breviter primum exponam, deinde summam argumentorum, quae in allegatione distribuenda collegit Canonicorum defensor de more subjiciam.

Praejacta declaratione quod nulla quaestio super vera Collegiatarum natura moveri possit, utpote quae in Collegiatas erectae per Sixtum IV. ab anno 1474 uti tales recognitae sunt ab executoribus concordati usque ab anno 1843, plura congerit inprimis promotor fiscalis ad rejiciendam concursus necessitatem in provisionibus canonicatuum, de quibus est controversia, tam in jure quam in facto. Monet primum in jure formam concursus non requiri, quando animarum cura in collegiatis ecclesiis per Canonicos vel hebdomadarios exercetur, ex *Reclus. de concurr. part. 1. tit. n. 79*, *Paris. de reb. ben. lib. 8. cap. 9. n. 49.*, *Barbos. de off. et potest. Ep. all. 60. n. 30*, *Piton. disc. 104. n. 35*, *Garc. de benef. part. 9. cap. 2. n. 180*, *Ventriglia part. 2. adnot. 5. §. 2*, *Corrad. de re ben. lib. 2. cap. 7. n. 1. et lib. 3. cas. decim.*, *Massobr. prax. hab. concurs. req. 1. dub. 7. n. 7*, *Leuren. in for. ben. part. 1. q. 206. n. 9*, *Rigant. ad regul. cancell. tom. 1. p. 346. n. 24.* aliique passim. Quod sane consequitur ex resolutione s. Congregationis in *Patavina* et aliis juxta ea quae tradit *Fagnan. lib. 1. decret. cap.*: *Cum sit ars de act. et qual. num. 19.* In collegiata siquidem ecclesia, quae habet curam animarum, illa non pertinet ad singulos Canonicos sed ad collegium seu capitulum unicam rectoris personam repraesentans: alias enim sequeretur absurdum quod una sponsa eodem tempore plures sponsos haberet, ut observat *Corrad. de re ben. lib. 2. cap. 2.* et *Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 5. n. 62.*, quod sane importat haud esse necessarium examen per concursum ex *cav. 18. sess. 24. de reform. Conc. Trid.* ea potissimum ratione quia in hujusmodi ecclesia non datur vacatio ex traditis a *Fagn. cit. cap.*: *Cum sit ars.*

Huc accedit quod, quando animarum cura est in ecclesia cathedrali vel collegiata, habitualis penes capitulum sed collegialiter residet et pro actuali Vicarius debet deputari et Dignitates atque Canonici uti singuli considerati neque actu habitu dici possunt curati juxta monita per *Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 1. n. 102.* Concursum autem non requiri in beneficiis curatis habitu tantum, quia non aliter aestimantur quam beneficia simplicia, utpote quae populo carent ac proinde jurisdictione parochiali, sed in iis tantum quae actu sunt curata ex *Reclus. de concurs. part. 1. tit. 2. n. 57*, *Zerola in prax. Episcop. V.*: *Beneficio part. 1. §: Ad quartum* et *Corrad. lib. 3. cap. 3 de re benef. §: Decimus octavus.*

In facto autem observat ad capitula Collegiatarum Pedemontis habitualem curam spectare casum esse definitum per hunc S. O. in *Aliphana Curae animarum 12. Januar. 1726 ad 1. dub.*, accessoriam scilicet, non principalem nec actualem, a qua habitualis absorberetur, actus enim potentiam absorbet: Quod sane concordare cum definitione edita in regno ab executoribus concordati, cum statuerunt de cura uni dignitati vel canonicatui adnexa eam censeri toti capitulo competere: curatam insuper qualitatem unicuique canonicatui per Canonicos attributam ex primaeva erectione praeterquam juri repugnet, non satis constare ex Laudo Episcopi Sanfelice quod adnexa esset ecclesiis, quae ante Collegiatarum erectionem in Castro Pedemontis et Casalibus proximis extiterunt; sed vage tantum de curae exercitio in Laudo praefato disponi, quin tamen parochiales eae nominentur ecclesiae, eoque minus illae, quarum incidit quaestio: aetatem vero 25 annorum fuisse praefinitam ad numerum participantium coercendum, minime vero ad qualitatem curatam denotandam, maxime cum forma electionis in praedicto Laudo et subsecuta Sixtina constitutione statuta parochialibus beneficiis esset

contraria: haec autem omnia confirmari tum ex ipsa constitutione Sixti IV., qui dum eas ecclesias in collegiatas erexit de illarum parochialitate ne verbum quidem fecit, tum ex bulla Episcopi Santoro anni 1581, qui archipresbyteratus dignitatem erexit eidem assignando canonicatum in Collegiata s. Mariae Majoris, in qua bulla legitur de Archipresbytero, cui cura imminet animarum, quin tamen ex hoc sequatur, ut ipse ait, praefatas Collegiatas haud posse dici et esse vere parochiales, hoc enim non controvertitur, non inde tamen argui unumquemque ex Canonicis esse curatum in titulum, ita ut in canonicatuum provisione requiratur forma concursus.

Neque in contrarium Canonicis juvari posse subsumit relatione Episcopi Gentile facta anno 1794 regiae camerae vulgo di santa chiara, quia primum illa contradictione convincitur cum relatione ad limina ab eodem transmissa anno 1778., in qua affirmabat quod canonicatus conferentur praevio examine ad animi instructionem, quae sane forma canonicatibus vere curatis haud aptatur; deinde quia verba ab ipso adhibita »cura effetiva e ministeriale« aequivocatione non carent, utpote quae dignoscuntur abhorrentia ab usitata canonistarum dicendi ratione, et contradictionem sapiunt; si namque Canonici dicuntur Curati in titulo, non intelligitur qua ratione ministerialem curam exerceant tamquam ministri et Vicarii capituli, quod forsan sonat ministerialem curam habere; quia tandem fallaci nititur ratiocinatione, cum exinde deducere videatur jus eligendi vicarios annuales, ex quo nempe curati sunt omnes Canonici, ceu deducit ex alia ejusdem Episcopi relatione ad capellanum majorem anni 1786, dum contra nequit controverti habitualem etiam tantummodo curam habentes vicarium eligendi potestate gaudere: nec melius juvari Capitulares declaratione regiae camerae, utpote quae falso praeprimis fulcitur supposito ab Episcopo insinuato, ideoque judicati vires nunquam nanciscitur, deinde obiter tantum et accessorie de qualitate curata non tamquam objectum principale pertractatur, ac demum nullius momenti reputari debet utpote ab incompetente tribunali prolata. Quae tamen, ubi vim obtinerent, haud majus exinde Canonicis praesidium adjungit, quia possessione reali carent curae actualis, cum duo semper fuerint ab ipsis deputati quotannis, qui exclusive concionem habent ad populum, morientibus assistentiam praebent, cadavera soleant associare ac stolam induere privative quoad dignitatem aut seniorem de capitulo quatenus hoc intersit, matrimonii et baptismatis sacramenta ministrant, ita ut in registratione alicujus baptismatis administrati per Canonicos adjecta legatur expressio »de licentia actualis curati.«

Quoad canonicatuum vero collationem advertit ex testimonio Episcopi Sanseverino in relatione ad limina anni 1753. nullo praevio examine hoc ante tempus canonicatus ejusmodi conferri consuevisse, quin contrarium suadeant aut productae collationis literae anni 1701. aut epistola Cardinalis Prodatarii anni 1707 ob stylum Datariae indicendi examen ad animi instructionem etiam ante invectam legem concursus ex traditis per *Reclus. de concurs. part. 1. tit. 2. n. 66. et 88.*, cum non desint exempla, ut ipse ait, di proviste fatte anteriormente al Sanseverino senza la forma del concorso, et anno 1679 in synodo Episcopi Lazzara ad cap. IV. in apposita nota legantur ejusdem Episcopi querimoniae de hisce canonicatibus absque examine collatis. Ab anno vero 1753 provisiones habuisse locum praevio examine ad animi instructionem tuetur tum ex particulis relationum ad limina anni 1753 et 1778 tum ex diversa forma servata ex tunc indicendi concursus pro parochialibus et pro controversis canonicatibus tum demum ex actis concursuum quorum transmisit extractum; et anno tantum 1795. coepisse formam concursus ab Episcopo Gentile observari, ut factis relationibus non contrairet, eoque forsan obtentu ut canonicatus eriperet ab invasione, attentis enatis controversiis cum s. Sede et legibus evulgatis. Quam tamen praxim eo ipso temporis momento contradictam agnosci, quo commendatus est s. Sedi ex voto regiae camerae pro canonicatu assequendo in Collegiata s. Crucis, quae ejusdem naturae est ac aliae Pedemontis, Philippus Constantinus absque concursu, quin Episcopus contradiceret.

Hanc autem arbitrio et negligentia Episcopi Gentile methodum invectam ecclesiae ac Successori subdit non praejudicare ex traditis a *Rota in Caesaraugustana post Monacell. part. 2. dec. 23. n. 3.* eamque consuetudinem exinde toto illius episcopatus

tempore nihili esse faciendam; eamdemque servatam ab anno 1822 in gubernio illius successorum, utpote falso supposito subnixam, nullo pariter in pretio habendam; corruit siquidem omne quod in sequelam suppositi insubsistentis observatum est, *Rota dec. 10 de praeb. in antiq. n. 3. et dec. 159. n. 20. cor. Carillo*, maxime cum invaluerit contra jura Aliphani episcopatus et regulas ecclesiasticae disciplinae. Consuetudinem praeterea destrui ex actibus contrariis compertum cum sit, profert chartulam pro memoria repertam in actis cancellariae, quae tribuitur Episcopo Puoti, ibi dicitur concursum fieri solere ad animi instructionem, eaque occasione scripta fuisse tenet, quae de valore concursus habiti anno 1832 contigit disputari coram regiis administris, ac insuper affirmat eumdem Episcopum Puoti pluries ab examine dispensasse provisos regia nominatione de canonicatibus similiter curatis et archipresbyteratum tandem absque concursu semper fuisse collatum: ex quibus omnibus arguit inductam concursus formam contrariis actibus fuisse sublatam ipsamque consuetudinem vel nunquam praescriptam vel demum abrogatam ideoque locum non esse concursui nisi ad animi instructionem.

Huc autem ubi pervenit fisci promotor, observat examinis formam ab Episcopo Sanseverino fuisse in conferendis canonicatibus invectam ex patenti ac rationabili motivo quod, cum parochiarum redditus tenues essent et inscitia dominaretur in clero, omnes concursum refugientes canonicales praebendas appetebant: nunc autem, adauctis paroeciarum redditibus et penitus immutata cleri conditione utiliorem esse proclamat methodum ab Episcopo servatam die 6. Novembris 1851, qua parochis praemium laborum et quies paratur, eligendorum idoneitas habetur ac sublimatur dignitas capitulorum, quae in partem electionis advocantur. Quo loco nititur ostendere formam praescriptam ea collationis occasione non fuisse violatam, quia cum concursus ad animi tantum instructionem habendi sint nihil aliud requiritur ex natura actus quam notitia sufficientiae, quam alia quacumque instructoria methodo comparari non est impermissum.

Quod tandem respicit facultatem audiendi confessiones, monet inprimis hac de causa Capitulares actuali curae validius insistere ut hac facultate independenter a peculiari Episcopi approbatione exercenda ab eodem non priventur nisi praevio regulari processu; deinde fatetur in hujus facultatis possessione reapse Canonicos reperiri, licet ejusmodi possessio remoto tempori non sit adscribenda, quoniam anno 1679. in synodo habita ab Episcopo Lazzara, qui canonicatus absque praevio examine conferebat, statutum fuisse asserit ut ad hoc Canonici subirent examen et approbationem obtinerent: arguit autem ex una tacita Episcopi delegatione usum facultatis repetendum, tum quia ea usi sunt extra fines paroeciae, tum quia suspensiones pluries datae sunt nullo juris ordine servato ac nemine reclamante, tum demum quia patentes approbationis literas in ipso primordio regiminis hodierni Episcopi non recusarunt accipere. Quin praescriptio valeat allegari a Capitularibus quadragenaria, velut ipse prosequitur, quoniam haec interrupta fuisset anno 1811, cum regio decreto cura animarum uni concredita fuerit Archipresbytero, licet postea capitulo et Canonicis restituta; de qua tamen agendi ratione redarguit Episcopum Gentile, eumdem insimulando di poca buona fede, ex quo totius rei hujusmodi rationes omiserit exponere s. Congregationi in relatione status ecclesiae, quam transmisisse ait anno 1819: cujusmodi interruptionem exinde quoque deprehendit quod Episcopus Puoti in tractatis, quos habuit cum regiis Administris ab anno 1832. ad 1835, repetitis vicibus in suis literis asseruit curam habitualem esse penes capitulum, actualem vero a duobus annalibus deputatis exerceri.

Quod autem non vi curae animarum actualis sed ex tacita Episcopi delegatione confessiones exceperint Capitulares horum ex facto desumit.

Suas animadversiones concludit promotor votum aperiendo de rectore perpetuo in tribus Collegiatis erigendo, tum quia hoc dicit ss. canonibus consentaneum, tum quia per modum facti Capitulares ipsi rejecerunt onus, ut ait, in mansionarios, tum demum quia hac ratione tollitur inobedientia Canonicorum erga proprium Episcopum et majori parochianorum consulitur utilitati.

Defensor autem Canonicorum, praemissa generali juris regula de servanda necessario forma in quacumque provisione beneficiorum a jure communi vel legitima consuetudine aut statuto vel fundatione praescripta, *Ferraris in biblioth. can. V.*: Beneficium *art.*

III. n. 14., triplici ex capite concursus necessitatem satagit adstruere, ex jure communi scilicet, ex consuetudine, ex ultimo statu.

Ac primum ex jure novissimo *Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. de reform.*, quo loco sancitur formam concursus observandam etiam ubi cura animarum ecclesiae incumbens per unum vel plures administretur, ita ut in beneficio etiam simplici, cujus rector curam exercet per se in aliquo loco alicujus ecclesiae parochialis, forma requiratur concursus juxta tradita per *Leuren. in for. ben.* et *Garciam de benef. par. 9. cap. 2. n. 191.* Hinc in eo totus est ut ostendat, allatis documentis, canonicatibus trium Collegiatarum curam inesse, quod comprobat tum ante Collegiatarum erectionem presbyteros eam habuisse ex aetate 25 annorum et praevio examine requisito in eligendis juxta laudum Episcopi Sanfelice a Callixto III. confirmatum et ex bulla erectionis Collegiatarum s. m. Sixti IV. qui presbyteros curatos Canonicos creavit, tum post erectionem praefatam ex cura per Canonicos alternis hebdomadis exercita usque ad annum 1601, cum ex decreto S. C. EE. et RR. duo e gremio in singulis ecclesiis deputari coeperunt quotannis ad curae exercitium, quin tamen Canonici omnes liberarentur ab onere curae. Et reapse ex tunc usque modo curam quemlibet retinuisse asseverat in iis, quae per omnes administrata nullam ingerunt confusionem.

Cujus rei veritatem nititur confirmare ex invecta forma concursus in provisione canonicatuum post Concilii publicationem, ex judicio Episcoporum de habituali et actuali cura Canonicis omnibus inhaerente per saecula prolato, ex juribus parochialibus haud interrupte deductis in actum, ex sacramentis, praesertim poenitentiae, vi tituli semper administratis, ex forma servari solita in possessione Canonicorum ceteris parochis communi et ex celebratione missae pro populo per turnum a Canonicis omnibus impleta, quod praecipuum est argumentum beneficii parochialis ex judicio s. Congr. in *Fundana Applicationis missarum 13. Septembris 1721**) et *Pientina 17. Febr. 1731.* Juri autem non repugnare curam habitualem et actualem simul penes Canonicos omnes in solidum residere in Collegiatis et Cathedralibus, ubi unus vel plures pro exercitio deputantur amovibiliter, arguit cum *Barbosa de paroch. par. 1. cap. 1. num. 54. et seqq.* et *Scarfanton. ad Ceccoper. tom. 3. addit. 10. n. 18 et seqq. et dec. 14. n. 10. in fin. tom. 1.*; quibus addit auctoritatem s. Congr. in *Baren. Curae animarum 3. Febr. et 27. Aug. 1703* et in *Assisien. Curae animarum 16. Novembr. 1706.* *)

Etsi namque, prosequitur, in eadem et unica parochiali ecclesia plures parochi, unus privative quoad alium, dari non possint absque juris reluctantia, nullum tamen sequitur absurdum ex quo plures in solidum curam administrent, quippe cum, quamquam cura seu jus parochiae substantialiter sit quid individuum, illius tamen exercitium nullo refragante jure patitur divisionem in plures ex traditis magistraliter a *Lotter. de re benef. lib. 1. qu. 20. n. 114. et seqq.*, *Corrad. in prax. ben. lib. 3. cap. 2. n. 54*, *Leuren. in for. ben. part. 1. qu. 130. n. 4.* et *Rota cor. Mattaejo apud Monacell. dec. 5. n. 2. et seqq. et cor. Millino post Garc. dec. 66. n. 13*; quin ideo sequatur ut omnes sint curati singulariter sumpti, sed tantum in solidum: eos vero, qui deputantur amovibiliter, nec habitualem nec actualem habere curam et omnimodam proinde residere in capitulo et Canonicis, qui intitulantur in ecclesia, vindicat post *Lotterium loc. cit.* cum *Piton. in cit. discept. 104. n. 29. et seqq.* et *Barbosa de paroch. loc. cit. n. 53. et seqq.*; alias enim in ejusmodi ecclesiis quaereretur incassum cura actualis.

Tum omnimodam sane curam et habitualem et actualem Canonicis omnibus indistincte competentem ex primaeva erectione derivat tam ab aetate 25 annorum demandata quam a tenore bullarum collationum. In Collegiatis enim etsi parochialibus curam scilicet habitualem et accessoriam habentibus aetatem 14 annorum sufficere tradit ex auctoritate *Corrad. in prax. ben. lib. 2. cap. 12. num. 8. seqq.* et *Rot. post Garc. dec. 66. num. 14:* tenorem vero bullarum idem clarissime ac evidenter importare suadet cum *Corrad. loc. cit. cap. 2. num. 49*, ultra quod simplex verbum *curae* in literis collationis actualem natura sua secumferre, non autem habitualem observet cum *Barbosa de off. et pot. paroch. part. 1. cap. 1. num. 76. et seqq.*, *Murga de benef. q. 2. num. 338 et 658*, additis in id rationibus petitis a *Riccio in tract. resol. quotid. for. eccles. resol. 388.*

*) Vd. *t. I. p. 962.*

*) Vd.: *Cura animar.*

num. 3. et a *Rota cor. Millino post Garc. dec. 66. num. 10.* Hinc repetit causam denegatae erectionis rectoris perpetui in hisce Collegiatis contra votum plurium Episcoporum tam a S. C. EE. et RR. anno 1601 quam ab hoc S. O. anno 1726 et revocationis ejusdem tum anno 1648 a s. Congregatione tum anno 1817 ab Episcopo Gentile, cum enim cura animarum profluat in Canonicos ex primaeva erectione, nonnisi deputationem Vicarii amovibilis et patula dispositione *Trid. Conc. cap. 16. sess. 25 de reform.* iis in ecclesiis locum habere posse probat cum *Ventriglia in prax. rer. notab. part. 1. adnot. 20. §. 2. n. 4 et 5*, *Lotter. de re ben. lib. 1. q. 33. num. 91, et Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 4. n. 72 et seqq.* et confirmat auctoritate s. Congregat. in *Camerinen. 26. Januar. 1726*, *Assisien. 16. Nov. 1706.* et ipsa *Aliphana 12. Januar. 1726. ad 2. dub.*, utpote quia cura radicatur in collegio, a quo fluit et refluit juxta *Lotter. loc. cit. num. 74.*

Nec movetur opinione doctorum sententium in Collegiatis et Cathedralibus, in quibus cura exercetur ab ipsis Canonicis vel hebdomadariis alternatim, non requiri concursum in provisione canonicatuum, ducto argumento ex *cap. Cum sit ars de aet. et qual. apud Fagnan. n. 19.*, ubi refert declarationem s. Congr., sive quod ejusmodi declaratio non omnibus aptatur Collegiatis, sed iis tantum, quibus cura animarum adnexa est accessorie non principaliter, per viam scilicet unionis, non autem ex primaeva erectione juxta distinctionem traditam a *Leuren. in for. ben. part. 1. q. 153 et 206. n. 7*, *Card. de Luca de benef. disc. 95. n. 14. et de jurep. disc. 7. n. 15*, *Piasec. in prax. Episcop. part. 2. cap. 5. art. 3. n. 33*, *Corrad. de re ben. lib 2. cap. 12. n. 82 et seqq.*, *Garc. de re ben. part. 9. cap. 2. n. 194.* et *Reclus. de concurs. part. 1. tit. 2. n. 75*, sive etiam quod post editas literas encyclicas s. Congr. diei 16. Nov. 1720: *Ad tollendam* et constitutionem maxime Bened. XIV: *Cum illud*, quibus aliter sancitum est, contrariam doctrinam palam professi sunt recentiores auctores et praesertim *Gaudentius de Janua de visitat. Praelator. dubit. 8. cap. 3. sect. 4. n. 18. §. 8 et 9*; *atque Reclus. de concurs. part. 1. tit. 2. n. 83*, ubi verbis expressis excusat auctores contrarium edocentes quia ante Bened. XIV. scripserunt.

Protuetur concursus necessitatem ex legitima consuetudine quam maximi momenti esse in materia collationum ac omnino attendendam, etsi non considerabilis temporis, monet cum *Tondut. Quaest. et resol. benef. part. 3. cap. 127. n. 11* et *Card. de Luca de ben. disc. 67. n. 6* et *disc. 95. n. 14*, quamvis ageretur de beneficio simplici ex doctrina *Corrad. in prax. ben. lib. 3. cap. 4. n. 4*, et *Reclus. loc. citat. part. 1. tit. 2. n. 59 et 74*, vel de Vicariis. non obstante const. s. Pii V. contrarium statuente cum decreto irritanti ut ait *Rigant. ad reg. IX. cancell.**) part. 1 §. 2. n. 97, additis rationibus desumptis a *Rigant. loc. cit.*, *Piton. de controv. patron. all. 5. n. 15. et 22.* et *alleg. 95. n. 22.* ac *de Janua. loc. cit. §. 8*, quia scilicet valde laudabilis dicitur forma concursus, tendens ad majus ecclesiae bonum, Tridentinorum Patrum menti conformis, animarum saluti proficua et privilegiatissima, ideoque ab ipso romano Pontifice servari solita. Quod autem formae concursus, quae probabiliter post Concilii publicationem inducta videtur, consuetudo post annum 1753 aut certe ab anno 1775 illis in ecclesiis obtinuerit usque ad annum 1847 pluribus ostendere satagit allatis in id monumentis; illamque sic invectam servare visa est s. Congr. in *Tricaricen. Concursus 2. Jun. 1731* ac in novissimo *Germaniae concordato* servari debere in canonicatuum collatione cautum fuisse monet *art. 22* Uti vero consuetudine abrogativa concursus introducti non posse defendit cum *Piton. de controv. cit. all. 5. n. 19. et seqq.* ob irritans Tridentini decretum et contra facile contrarium induci valere spatio etiam decem annorum, quantum requiritur ad firmandam consuetudinem praeter jus ad monitum *Scarfanton. in voto dec. 55. n. 53*, ubi addit n. 52. annos 40 sufficere ad consuetudinem inducendam contra jus, si aliqua pro eo militaret rationabilitas; eo fortius hic concludit in materia servandum, cum de consuetudine agatur secundum jus, quadragenariam vero non modo ad formam invectam servandam, sed etiam ad naturam beneficiorum principaliter curatam determinandam sat esse propugnat cum *Card. de Luca de ben. disc. 14. n. 13 et 14.*

Elicit tandem concursus necessitatem ab ultimo statu ex *cap.*: *Consultationibus de jurep.* attendendo in judicio praesertim possessorio super manutentione; status enim

*) Vd. *t. II. p. 820.*

praesens habetur tamquam subjectum possessionis, ita ut censeatur ab initio impressus ex auctoritate *Lotter. loc. cit. lib. 1. qu. 36. n. 32.* et inelidibilis sit ultimus status et quasi possessio faciendi concursum, nisi per concludentissimas probationes in contrarium, ex doctrina *Piton. cit. all. 5. n. 25*, maxime cum ultimo statui respondeant praecedentes et etiam antiqui videantur ut ait ipse conformes et naturae canonicatuum consentanei, ita ut fundatam habeant Capitulares assistentiam juris in dispositione Concilii *cap. 18 sess. 24 de reform.*, unde remaneret infecta, si adesset contraria possessio ex traditis per *Piton. loc. cit. n. 35,* a quo non recedendum observat, quo tutius ac securius canonicatus provideantur in persona digniori et magis idonea, quae fuit mens ipsius Episcopi Sanseverino in relatione anni 1753, maxime cum electionem dignioris juxta communem sententiam esse servandam in provisione beneficiorum etiam simplicium ostendere nitatur cum *Thomassin. de vet. et nov. eccl. discipl. part. 2. lib. 1. cap. 40. n. 2 et seqq.* et *Ferraris in V.*: Beneficium *art. 5. n. 18 et seqq.**)

Facta dein hypothesi, quod forma concursus servanda non esset, non ideo tamen affirmat canonicatus ejusmodi liberae collationis evadere sed primaevam electionis formam Canonicis explicite concessam in Sixtina constitutione anni 1474 eisdem nunc cessante forma concursus esse de jure restituendam; quippe quae, cum desierit propter examen et concursum invectum Tridentini lege, nihil aequius et justius esse proclamat quam ut sublata forma concursus res in pristinum statum adducatur, maxime cum juris dispositioni sit apprime conforme juxta regulam generalem, qua statuitur ut in beneficiorum provisione, secluso jure communi vel legitima consuetudine, necessario debeat observari forma a statuto vel fundatione praescripta, *Ferraris V.*: Beneficium *art. 3. n. 14.*

Transitum hinc faciens ad collationes praeter formam suetam expletas lite pendente nullas et irritas easdem renunciat ob violatam eatenus servatam formam concursus praesertim cum ageretur de beneficiis curam animarum habentibus, tum ex ipsa censura Conc. Trid. et Benedictinae constit.: *Cum illud*, tum auctoritate *Corrad. in prax. ben. lib. 3. cap. 4. n. 2 et seqq., Barbosa de offic. et pot. paroch. part. 1. cap. 2. n. 135 et 153 in addit., Tondut. loc. cit. part. 3. cap. 166. n. 23.* et *Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 5. n. 139;* sin minus claro et inexcusabili vitio attentatorum laborantes infirmandas juxta monitum *Card. de Luca de ben. disc. 72. n. 2:* eas tamen ut sanatione validentur haud abnuere Capitulares affirmat in id intendentes ut episcopali dignitati prospiciatur. Quo loco non omittit animadvertere videri alienum a veritate quod Episcopus affirmat. Datariam scilicet decreto suo contrarium statutum firmasse in literis favore Fabritii Giribono; quo siquidem pacto contigerit expedito praeter suetam formam se latere quidem asserit, eam errori ministrorum inferiorum tribuendo, sed authenticum exhibet ipsius Datariae decretum, quo expedito fuit demandata juxta statum praecedentem.

Facultatem denique excipiendi confessiones parochianorum in omnes Capitulares exinde derivat, quod omnes curam habeant tum habitu tum actu nec per deputationem Vicariorum amovibilium liberentur ab onere curae ad monitum *Piasecii in prax. Episcop. part. 2. cap. 3. art. 2. n. 20.* Nec in casu rectoris perpetui spoliari posse ait exercitio curae si totum illud privative non probetur apertis verbis transfusum in Vicarium ejusmodi et curam eo casu ad utrumque cumulative pertinere, capitulum scilicet et Canonicos ac Vicarium constitutum defendit adducta s. Congregationis auctoritate in *Camerinen. 9. Febr. 1726* et *Piasec. loc. cit.*, certo autem certius asseverat amovibiles Vicarios non spoliare parochum principalem jure administrandi omnia Sacramenta ex *Piton. discept. 104. n. 52* Cum igitur omnes Canonici Pedemontis habeantur ac sint vere curati et canonicatum assequantur per concursum non secus ac ceteri animarum rectores, quo probata remansit eorum idoneitas quoad scientiam quam quoad mores, sponte sua sequi subsumit ordinariam facultatem excipiendi parochianorum confessiones absque ulteriori licentia Ordinarii ex clara dispositione *Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de reform.* cum *Barbosa ibi num. 17. et seqq.* necnon *de offic. et pot. Ep. part. 2. all. 25. n. 17 et seqq., Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 5. n. 104, Piasec. loc. cit. part. 2. cap. 1. art. 2. n. 3, Leuren. in for. benef. part. 1. qu. 434. n. 2, Pignatell. Consult. 30. n. 36. tom. 10, Marga de benef. qu. 2. tit. 8. n. 47* et licet eam facultatem ex justa causa suspendere valeat Episcopus, revocare tamen non posse probat post Suarez, Reginaldum et Barbosa cum Marga *loc. cit. n. 492.*

Haec insuper facultas etsi jure ordinario cohibeatur ad paroeciae districtum vel ad oppidum et civitatem, in qua sita est parochialis, juxta resolutiones s. Congr. in Tridentina 17. Aug. 1600 et alias, ex consuetudine tamen eam extendi posse ad totam dioecesim observat cum *Lambertinio Instit. eccl. 86. n. 13*, quam consuetudinem viguisse sustinet in Aliphana dioecesi usque ad hodierni Episcopi gubernium eaque usos fuisse Canonicos aeque ac ceteros parochos, etiam ex dispositione synodorum anni 1676 et 1679, uti apogrypham traducens adnotationem in hac ultima synodo productam a promotore fiscali, quod comprobat authentico ipsius synodi exemplari tempore insuspecto Canonicis tradito, eamque additionem praeterea, si vera esset, haud afficere pluribus ostendit. Qua sane facultate nullo non tempore post fundationem maximo cum emolumento et satisfactione parochianorum usum esse ultra quod de facto agatur notorio Episcopum Gentile comprobat testimonio jam tum ab anno 1786; cohibita vero per hodiernum Episcopum, patentes equidem ad hoc accepisse Canonicos ultro sibi aeque ac ceteris dioecesis parochis oblatas admittit, ast non alia de causa quam quod facultatem extendebant ad totam dioecesim, monialibus non exceptis, ad annum. Quo demum elapso cum etiam pro districtu paroeciae peculiarem facultatem exigeret ab ipsis Episcopus et Canonici recusaverint ne contra textum Conc. *in cap. 15. sess. 23 de reform.* agere viderentur, hinc plures habuisse causam memorat episcopalis rigoris partes usque ad suspensiones decretas absque alia causa quam non petitae licentiae; quod sane fuit in causa ut peculiare de hoc dubium institueretur una cum aliis dirimendum: in quo tamen conflictu declarat expresse per hanc ordinariam facultatem nunquam in mentem venisse Canonicis quod Episcopus nequeat ex justa et canonica causa eos ab illius exercitio suspendere, sicut de aliis omnibus animarum curatoribus est constitutum.

Postremo loco diluere satagit objectum Episcopi de carentia constitutionum capitularium: has equidem habere Collegiatas ostendit tam quoad chori servitium quam quoad curam animarum, sed Episcopi mentem eam fuisse affirmat, ut singuli Canonici peculiarem titulum assumerent, proprium haberent altare et missam pro populo festis diebus celebrarent ac si singuli ipsorum distincti essent parochi ad quam proinde methodum in praxim traducendam peculiaria statuta conficienda fuisse; quod tamen cum fieri nequiret et nequeat citra ss. canonum violationem, ideo nullam adesse causam concludit cur de statutis conficiendis agatur. Qua de causa abstinendum censui a peculiari rogationis formula, non aliter ac de proposita per fisci promotorem erectione rectoris perpetui ob plura superius exposita. Erit autem EE. VV. prudentiae decernere, libratis utrinque deductis, quid super hocce negotio sit definiendum.

Proponuntur igitur

Dubia:

I. *An in collationibus canonicatuum trium Collegiatarum sit servanda forma concursus a s. Concilio Tridentino praescripta in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An Canonici dictarum Collegiatarum erint redintegrandi in jure eligendi ad formam Sixtinae constitutionis anni 1474. in casu?*

III. *An collationes praeter suetam formam concursus expletae lite pendente sint infirmandae seu potius sit locus earum sanationi in casu?*

IV. *An praedicti Canonici manutenendi sint in exercitio facultatis excipiendi confessiones in districtu paroeciae in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Consulendum SSmo pro sanatione et ad mentem.

Ad IV: Affirmative salvo jure Episcopi uti erga ceteros parochos ad formam ss. canonum et amplius.

Die 15. Mart. 1856.

d) Juxta conventionem ab apost. Sede et ab Episcopo.

Vd. *Canonicat.* (collatio ab Episcopo.); p. 66.

In oppido G. dioecesis N. est ecclesia aliarum vetustissima. Ab immemorabili haec constabat, praeter clericos inservientes, quatuor dignitatibus, nempe Archipresbytero

*) Vd. t. *II. p. 411. q.*

cum animarum cura, Archidiacono, Cantore et Primicerio. Delitescet in tenebris quid anteactis saeculis in hac ecclesia servatum fuerit; ast hoc unum exploratum esse videtur quod sub anno 1626, aucto clericorum inservientium numero, memoratis dignitatibus placuerit viginti tantum Canonicos admitti.

Adiverunt causa hujus rei Episcopum sacra visitatione tunc temporis fungentem, ut suum assensum praeberet; quod indubie praebuit aspiciens rem in divini cultus augmentum cessuram fore. Insimul nonnulla redacta fuere statuta circa qualitates et Canonicorum promotionem. Inter caetera statutum fuisse repertum est: »ut gradatim procedatur . . . . et id intelligi debere pro Canonicis haud pro Dignitatibus circa canonicatuum dictorum creationem; quod Canonici hujus oppidi cives esse deberent non autem advenae . . .«*)

Usque ad annum 1674 acta perhibent haud in pace res processisse quoad jus succedendi. Siquidem anno 1663 acris exarsit quaestio coram tribunali sacrae Rotae. Et anno 1674 legitur in actis quod ad sedandas contentiones, dissidia et lites motas et maximis expensis diu agitatas concordi voto placuit Episcopo, Dignitatibus et Canonicis alios duodecim presbyteros uti mansionarios assumere, ea adjecta conditione, ut ab Episcopo prima vice eligerentur, dein vero post cujusque eorum obitum alii de clero succederent juxta temporis anterioritatem in assumptione ad sacerdotium jure suo, absque nova provisione aut ulla declaratione.

Ejusmodi decretum concordiae editum fuit ab Episcopo tempore s. visitationis et S. C. Congregatio illi robur adjunxit rescribens Episcopo sub 21. Maji 1675: »*Eminentissimi Patres concordiam hujusmodi tamquam tendentem in augmentum divini cultus laudaverunt et confirmandam esse censuerunt.*«

Hoc ipsum in posterum confirmatum fuisse ab Episcopis nonnullis apparet; et observantia quaedam accedit, ex qua eruitur mansionarios ad canonicatus vacantes juxta ordinem antianitatis admissos fuisse. Et hoc modo usque ad annum 1818 ventum est; quo conventione inita inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem illius ditionis factum est ut ecclesia oppidi G. dignitate Collegiatae donata fuerit.

Post haec visum est Episcopo illius temporis ad illum et ad s. Sedem in vim articuli 10. initae conventionis spectare provisionem canonicatuum et mansionariatuum. Hinc per literas eum exhortante Archipresbytero nonnulla vacantia contulit beneficia et dein, nullo reclamante, hoc ipso jure usus est in ceteris vacationibus, etsi jugiter nominaverit juxta ordinem antianitatis. Placuit tamen Episcopo qui dioecesi praeerat anno 1859 deserere antianitatis ordinem, duos promovens presbyteros; quae promotio Capitulo G. displicuit; ejusque procurator protestationem emisit coram episcopali curia contra promotionem ejusmodi.

Episcopus id aegro animo ferens suspendit a divinis ex informata conscientia*) protestationis auctores praecipuos qui tres fuerunt illosque ad recessum in domum religiosam damnavit ut spiritualibus exercitiis vacarent. De qua re illico recursus habitus est ad S. C. Congregationem, quae mense Martii 1860 rescripsit: *Episcopo pro informatione et voto et referat de causis inflictae suspensionis, transmissa copia decreti aliisque documentis ad rem facientibus*

Verum quaestio istaec, perturbationis politicae causa, usque ad annum 1870 siluit; et hoc vertente ad S. C. Congregationem libellus transmissus fuit, quo capitulum, reformata priore instantia, petiit »*ut ad participationem admitterentur presbyteri loci inservientes juxta antianitatis ordinem, absque ulla in Ordinario electionis facultate, sartis tectis manentibus collationis juribus, quae ad s. Sedem pertinerent.*«

Hoc accepto quasi novo libello per S. C. Congregationem rescriptum fuit: *Audiatur Episcopus super expositis*; qui respondit tandem sub die 15. Decembris 1871. Retulit inprimis ecclesiam G. per praedictam conventionem inter duas auctoritates nempe ecclesiasticam et civilem recognitam fuisse ut veram Collegiatam sub die 23. Augusti 1842. Et prosequebatur: in vim hujus recognitionis et articuli 10. *concordati*, quo constitutum fuerat ut canonicatus liberae collationis tum Cathedralium tum Collegiatarum conferrentur a s. Sede et ab Episcopis alternatim per sex anni menses, Ordinarius F. Praedecessor anno 1842 contulit octo canonicatus quos putavit esse in sua potestate. Anno 1848, ait, Ordinarium G. contulisse canonicatum presbytero G.; et

*) Vd. *t. II. p. 401. n.*

*) Vd. *t. I. p. 643. n. 59*; *Suspensio.*

tandem annis 1850, 54, 59 se contuiisse unam dignitatem et quinque canonicatus. Retulit etiam idem Ordinarius res tranquille processisse usque ad annum 1859; et anno 1860 mansionarios nonnullos illius ecclesiae (iidem qui recursum habuerunt ad S. C. Congregationem) emisisse contra illum protestationem nomine capituli ob collationes duorum canonicatuum a se factas. Quam protestationem capitulum, cujus nomine factam esse dicebatur, haud recognovisse. Subjunxit quoque Ordinarius mansionarios illos et alios numero tresdecim per seipsos signa canonicalia assumpsisse et absque ulla canonica institutione sese nuncupasse Canonicos.

Verum ex libellis nunc nomine mansionariorum, nunc nomine capituli oblatis necnon ex literis informationis Ordinarii dubitari forte poterat, utrum capitulum vel nonnulli ex mansionariis nomine capituli hujusmodi litem foverent. Quapropter sub die 27. Januarii literae missae fuerunt ad Episcopum ut Canonici capitulariter collecti dicerent, utrum ipsi mandatum dederint ad litem instituendam. Capitulum sub die 26. Februarii 1871 capitulariter collectum retulit causam non fuisse a legitimis Canonicis introductam, sed a mansionariis qui se Canonicos nominaverunt. Verumtamen die sequenti iterum collecto capitulo in majori numero decretum fuisse, *sustinendum esse recursum ad S. C. Congregationem.* Hisce omnibus absolutis sub die 11. Maji 1871 rescriptum editum fuit: »*Ponatur in folio et notificetur Episcopo causum proponendam esse in plenis comitiis, ideoque liberum ipsi esse infra terminum quadraginta dierum deducendi ulteriora jura sua per promotorem fiscalem curiae coram s. Congregatione et moneat capitulum, ut infra praedictum terminum deducat pariter jura sua, quatenus velit.*«

Orator capituli et mansionariorum antequam intima causae momenta attingeret, objectionem rejecit ex recenti capitulorum clade ac bonorum publicatione desumptam, quasi idcirco disputandum non esset de successione ad canonicatus qui evanuerunt. Attamen primo *in jure* collegium non desiisse probavit ex *Piton. disc. eccl. 2. n. 17.* In facto autem nihil obsistere quominus capitula coetus habeant, functiones peragant ut antea et ecclesiastica jura exerceant. Re autem vera etiam post bonorum publicationem Episcopus novos in titulum hujus ecclesiae sacerdotes adlegit. Tum quiquid sit de *praebenda*, hodie de *canonia**) disputatur quae ab illa differt juxta *Piton. disc. eccl. 17. n. 14* nec umquam esse desiit.

Accedit quod maxima actorum pars in hoc judicio omnino dimicare cogitur *ne pensionem amittat.* Ante publicationem bonorum plerique ex hodiernis Canoncis non Episcopi collatione, sed anterioritatis ordine successerunt. Idcirco anno 1860 ante bonorum publicationem lis exarserat. Si juxta Episcopi propositum uti Canonici actores agnoscendi non essent, plane sequeretur pensionem eis adimi debere. Omnino igitur disputandum contendit de jure succedendi, a quo pendet validitas admissionum.

Huc pertinet, ait orator, alia Episcopi exceptio, quod actores legitimam judicio sistendi personam non habent, utpote non ab Episcopo electi; et quod major capituli pars a lite dissentiat. Atqui inficiatur hunc majoris partis dissensum, quia cum s. Ordo capitulum convocari juberet ut veritas erumperet duo supra viginti, partim Canonici partim mansionarii judicium sustineri mandarunt. Sex tantummodo Episcopo adhaeserunt. Absurdum putavit autem de legitima actorum persona dimicare, quia definitum praesumpsit Episcopus quod definiendum esset utrum ille an capitulum Canonicos admittere debuisset. Caeterum illius objectio numquam mansionarios afficeret, quorum maxime interest sibi jus succedendi confirmari.

Hisce praemissis ad causam veniens quaerendum proposuit utrum vacantes participationes beneficiorum more ab Episcopo conferri debeant seu potius a mansionariis jure passivo occupari ordine anterioritatis. In quo duo potissimum attendit: hoc perpetua consuetudine viguisse et juris fundamentis consuetudinem niti.

Ad consuetudinem evincendam hujus receptitiae ecclesiae declarationes profert editas anno 1626 »*ut procedatur gradatim . . . et id intelligi debere pro Canonicis haud pro Dignitatibus circa canonicatuum dictorum creationem. In promotione cujusvis Canonici procedatur gradatim et ille coadjuvetur ad quem promotio spectabit.*« Protulit testimonium Cardinalis de Luca, qui hanc esse promotionum rationem pro ecclesia G. narravit in *disc. 99 de Canon. num. 1.* Protulit etiam concordiam anno 1676 a S. C. Con-

*) Vd. *p. 47.*

gregatione probatam, quae capitulo adcenseri decrevit sacerdotes »*successuros juxta temporis anterioritatem.*« Addidit rotalem sententiam anni 1742 quae »*nullum jus competiisse*« Episcopo judicavit admittendi presbyteros ad portiones, sed hoc jus »*competiisse et competere privative capitulo et Canonicis insignis collegiatae ecclesiae.*« Deinde procedens usque ad aetatem nostram demonstravit nominationes capituli semper in antiquiorem collatas.

Cum consuetudinem, concordiam et rem judicatam exposuisset, intrinsecam rei justitiam tuitus est, contendens in presbyterorum coetu seniores ad promotionem jus habere *ex can.*: *Nullus dist. 16* et hoc demonstrare censuit judicio S. C. Congregationis: quippe transactione inita anno 1765: »*Emi Patres concordiam hujusmodi, tamquam tendentem in augmentum divini cultus laudaverunt et confirmarunt.*« Et contendit orator ex variis testimoniis, omnes Episcopos obligari a transactione quam s. Sedes *in forma specifica* confirmavit.

Deinde unicam Episcopi objectionem funditus aggressus est de mutatis legibus et juribus collegii post annum 1842. Ait enim Episcopus conventionem anni 1818 jussisse ut »*canonicatus liberae collationis in capitulis sive cathedralibus sive collegiatis respective conferrentur a s. Sede et ab Episcopo.*« Et hunc in casum incidisse ecclesiam G. quae anno 1842 *uti vera Collegiata recognita fuit.*

Ac primo animadvertit capituli defensor conventionis articulum nil aliud disponere, quam quod s. Tridentina synodus sanciverat, scilicet beneficiorum collationes ad Episcopos pertinere. Hoc tamen non delere inferiorum jura si justitia et consuetudine nitantur. Nec objiciendum ait illius conventionis exequutores omnes consuetudines deletas censuisse. Ast quamvis in genere per conventionem consuetudinibus derogatum fingeretur, nihilominus ait primo conventionem ecclesias non afficere, secundo collationes et beneficia complecti, minime vero admissiones ad participationem: tertio jura patronatus evertere non potuisse.

Et primum quod attinet, proposuit capitulum G. *receptitii* simul et *collegiati* qualitatem retinere etiam post actum anni 1842. Nec novum esse, ait, duplicis qualitatis concursum in collegiis illius regni, ut animadvertit *Cardinal. de Luca de Canon. disc. 17. num. 1. et disc. 18. n. 1*, in quibus exiguus dignitatum vel Canonicorum numerus veram Collegiatam constituit et sua cuique praebenda est: caeteri participantes ex communi acervo ad receptitium collegium pertinent. Quod ex *Cardinal. de Luca disc. 19. de Canon.* contingere narravit in ecclesia G. Atqui nihil in duplicis qualitatis concursu mutatum fuisse contendit orator actu anni 1842. Haud enim novum aliquid jussit, sed antiquum agnovit et confirmavit iis verbis: »*ecclesia recognita est veluti Collegiata.*« Ideoque manere, ait, verum capitulum in Dignitatibus, receptitium in participationibus. Et hoc exemplo illustrat. Scilicet in causa *Oritana Participationis* 6. Martii 1847 cum de collegii qualitate disputaretur S. C. Congregatio Nuntium apostolicum de voto rogavit. Hic autem quamvis conventiones exequutorum decrevissent »*ecclesia sub titulo ss. Trinitatis oppidi M. recognita fuit qualis vera Collegiata*«, fuse exposuit qua ratione utriusque qualitatis concursus eveniret concludens: »*Ecclesia M. naturam praesentat collegiatae erectae in praeexistenti ecclesia receptitia, cuique praeterea conservata et annexa remansit eadem receptitia.*«

Pergit secundo loco ostendens conventionem ad casum aptari non posse, quia disponit de »*canonicatibus liberae collationis.*« Ait enim collationem non admitti, nisi probetur beneficii natura ex *Corrad. in prax. benef. lib. 1. cap. 2:* et capituli G. participationes non esse beneficia in titulum collativa. Hoc dilucide fatebatur anno 1626 Episcopus N. cum numerum Canonicorum definiret »*absque titulo collativo inservientium.*« Et animadvertit nullam umquam beneficiorum institutionem evenisse, quod luculenter confirmatur ex facto, quia semper viguit in capitulo illo »*communis acervi*« participatio. Atqui ubi deest bonorum divisio, deest praebenda ac portioni tantum locus esse potest. *Barbosa de Canon. cap. 12. n. 3, Piton. disc. eccl. 17. num. 36.* Itaque conclusit orator post annum 1842 mutari non potuit portionum provisio, quia semper beneficia et collatio defuerunt.

Tertio demum articulum conventionis ad casum non pertinere contendit, quippe qui agens de canonicatibus *liberae collationis* omnino distat ab omissionibus quae ex justitia et patronatu derivant. Haec jura minime

eversa fuisse testatur interpretatio edita illico post conventionem iis verbis: »*Patroni iidem admissi et recogniti fuere ab ultimo concordato . . . . patronatus particulares sive sint ecclesiastici sive laicales confirmati sunt favore patronorum legitimorum.*« Atqui legitimum patronatum non modo per titulum evinci, sed etiam per antiquam possessionem conficit textu *s. Conc. Trid.* in *cap. 9. sess. 25. de ref.*, illum autem ex justitia derivantem haberi juxta *Gagliard. de jurep. cap. 4. num. 1. seqq.* Nec obstat titulum non produci, ea enim est centenariae vis ut fundatio probata censeatur teste Rota *in decis. 127 num. 1. seq. coram Buratto.* Concludit propterea probationem pro capitulo G. abundare, quia duobus saeculis et ultra producitur.

Postquam haec adversus objectionem de abrogato jure animadvertisset, alia de novissima observantia perpendit. Episcopus ait se participationes post annum 1842, capitulo haud resistente, contulisse. Respondit orator primum nominationum notulam ab Episcopo editam fuisse corrigendam, ita ut hae duodecim annorum lapsum quatuor vicibus non excedant. Deinceps capitulum conclamavit. In jure vero hoc factum vel ad interpretandum vel ad praescribendum afferri. Atqui adversus evidentiam esse nequit interpretationi locus et nil evidentius quam quod participationes beneficia non sunt et conferri nequeunt. Addit praeterea non sine causa duodecim annis capitulum siluisse, cum minis et exemplo suspensionum, ut ait, deterreretur. Quod si factum ad praescriptionem afferatur, absurdum esse contendit hanc duodecim annis conficere *ut Rota animadvertit in Neritonen. 2. Decem. coram de Vais §. 9.*

Postremo quidquid hac de re Episcopus opponit verbo confici posse putat. Vis enim observantiae in eo est ut alias saepenumero ac diu in iisdem factorum adjunctis perinde gesta res fuerit ac modo geri exposcitur. Atqui duodecim annis dum Episcopus nominavit, ut semper mansionarios juxta anterioritatis ordinem jure pollentes admitteret, capitulum probare quidem non poterat quod Episcopus alienam provinciam invaderet, sed nullam in passivo patronatu jacturam fecerat. Verumtamen anno 1859 Episcopus extraneos admittere voluit et capitulum restitit. Observantia vero duodecim annorum non modo illi non profuit, sed extraneorum admissionem luculenter exclusit.

Pro curia episcopali ex officio animadversa haec fuerunt: nempe capitulum et mansionarios totos in eo fuisse, ut antiquissima suae ecclesiae statuta in praesenti quaestione vires atque efficaciam exererent. Verumtamen si probare contigerit ipsa nulla atque irrita fuisse ab initio nec tractu temporis convalescere potuisse causae cadant necesse est. Jamvero quod nulla, cassa atque irrita fuerint hujusmodi statuta, in eo praecipue quod ad praesentem refertur quaestionem, dubitari haud posse videtur. Sane statuta quae a capitulo arcent extraneos et ad ipsum admittunt solum cives, servato tantum ordine antianitatis, adversantur juri communi, hinc ea non consistere tradit Rota *in dec. 290. num. 2. p. 2. recent. et dec. 710. num. 4. coram Manzanedo.* Atqui talia sunt statuta, quae in themate ex adverso proferuntur et exaltantur.

Neque dicas in ipsis condendis Episcopi auctoritatem accessisse, quandoquidem in iis, quae juri communi aperte refragantur, nil valeat Episcopi auctoritas, sed apostolicae Sedis confirmatio intercedat oportet. Imo cum agatur de excludendis ad consequendos canonicatus sacerdotibus, qui non essent de gremio mansionariorum et civica qualitate haud pollerent; ideoque agatur de excludendo per modum regulae, certo personarum genere, specifica opus est s. Pontificis confirmatione, *De Luca de jurepatr. discuss. 67. num. 12.*

Frustra autem hic oggeres hujusmodi negocio s. Pontificis confirmationem accessisse anno 1674 per organum s. C. Congregationis. Illa enim confirmatio haud statuta respexit quoad Canonicorum promotionem et succedendi jus sed concordiam inter Episcopum, Dignitates, Canonicos et sacerdotes oppidi G. initam, qua ad participationem alii quatuordecim presbyteri mansionariorum nomine admissi fuerunt et in qua de ordine in hujusmodi admissionibus servando, minime vero de admissione ad canonicatus actum fuit. Quare ad rem minime facere in omnium oculos insilit.

Itaque cum res vitiosa fuerit ab initio, perperam ex adverso consuetudinem invocari. Etenim consuetudo in re a lege reprobata etsi immemorabilis legem abrogare nequit; sed neque *subsistere* nec ex ea proinde praesumi posset apostolicum beneplacitum, quod numquam praesumitur in dispositione juri contraria. Quapropter cum nulla atque irrita

fuerint usque ab initio statuta, queis maximopere et capitulum et mansionarii innituntur, mole sua ruat necesse est ipsorum aedificium.

Neque regeras ipsis Collegiatae qualitatem tunc collatam haud fuisse, sed tantum agnitam, hinc nulla status immutatio nullaque juris amissio invecta: 1. quia falsum est quod antea erecta erat in Collegiatam ceu patet ex decis. coram Taja, 2. quia hoc etiam parumper admisso semper praetensum eligendi jus in auras abivit in vim articuli 10. conventionis initae inter auctoritatem civilem et s. Sedem, ubi praefati juris abrogatio aperte sancitur. En ejus verba: »*canonicatus liberae collationis in capitulis sive cathedralibus sive Collegiatis respective conferentur a s. Sede et ab Episcopis; scilicet sex primis mensibus a s. Sede, aliis vero sex ab Episcopis.*«

Huc re perventa incassum Canonici oggererent hujusmodi conventionis articulum themati aptari non posse eoquod portiones ecclesiae G. seu admissiones ad participationes massae communis indolem ecclesiastici beneficii haud praeseferunt deficiente *erectione* et bonorum *divisione* seu *praebenda*. Nam indubium est participationes beneficiorum naturam accepisse per actum illum anni 1842, qui ecclesiam G. uti Collegiatam agnovit; quod confirmatur per observantiam subsequutam ex qua habetur ab illo tempore usque ad annum 1859 tum a s. Dataria apostolicae tum a curia episcopali plures canonicatus, nemine contradicente, collatos fuisse ut Episcopus animadvertit. Minime posse sustineri in jure quod dicitur de bonorum divisione censendum est eo quod neminem latet massam communem loco praebendae existere, quod innumeris exemplis demonstrari posset. Attamen animadverti etiam posset hujusmodi divisionem in canonicatibus minime necessariam. Etenim aliud est in jure *canonia*,*) aliud *praebenda*, quarum altera quidem sine alia esse nequit, sed canonia etiam sine praebenda admitti potest. *Differunt*, ait Pitonius *discept. eccles. 17. num. 14, inter se canonia et praebenda; quoniam canonia est jus quoddam quod provenit et competit ex electione et receptione in fratrem et per eam quis consequitur jus interveniendi in choro et capitulo, lucrandi distributiones quotidianas et ea demum omnia faciendi quae ad Canonicos pertinent: cap. dilex. 19. de praeben. Praebenda autem est jus ordinatum et institutum pro Canonico ad utendum et fruendum rebus et juribus ad hoc deputatis, ut docet Rota etc.*

Verum etsi momento temporis admittere luberet hujusmodi participationes haud sumpsisse naturam ecclesiastici beneficii, nil tamen capituli et mansionariorum causa proficeret, quandoquidem adserta eorum jura ac privilegia per apostolicas literas »Impensa« deleta omnino fuissent. En verba hujusmodi brevis apostolici: »Ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium decernimus et mandamus, ut inposterum ad portiones suscipiendas in ecclesiis receptitiis illi tantum admittantur sacerdotes et clerici, qui a venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aut Ordinariis locorum pietate ac doctrina commendatiores fuerint inventi. Jubemus proinde, ut quoties aliquis in possessionem juris praestitutae portionis assequendae in *receptitiis* ecclesiis fuerit immittendus, specimen antea ingenii ac morum de iis habeatur, qui in illam admitti desiderant et examen de ipsis instituatur coram Ordinariis ipsis vel eorum Vicariis generalibus et tribus saltem ex synodalibus examinatoribus, eoque rite peracto Ordinarius pro sua fide et integritate, quos digniores judicaverit, eos eligat atque in possessionem immittat juris praestitutae portionis assequendae. Eos vero sic electos literisque Ordinariorum commendatos veluti certae cuidam ecclesiae receptitiae aggregatos et adscriptos ac in possessionem juris praestitutae portionis assequendae immissos agnosci volumus, adempta cuilibet ac praesertim competitoribus non electis facultate interponendi appellationem ad Metropolitanum seu ad Episcopum provinciae antiquiorem, pro quibus dumtaxat causis usum appellationum hujusmodi interdictum declaramus.*) Confidimus vero summopere, venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos ac Ordinarios locorum nedum nostris hisce praeceptis, quae pro meliori ecclesiarum hujusmodi ministerio protulimus, magna semqer voluntate studioseque obsequuturos imo vero pro rei gavitate studium omne adhibituros, ut ministri cujusque ecclesiae rationibus accommodati

*) Vd. *p. 47.*

*) Vd. *t. I. p. 594 n. 13; p. 607. n. 20; p. 628. n. 40.*

adsciscantur, qui et sui muneris partes diligenter gerant et instituendis populis iisque in coeli semita dirigendis opera, consilio, sollicitudine praesto sint.«

Accessit his omnibus et politica auctoritas qua firmatum fuit quod *dispositiones in breve contentae erunt adamussim et religiose adimpletae.* Proindeque si verum est quod lex posterior veterem abrogat, *leg. posteriores ff. de legib.*, licet de ea nulla mentio exciderit, certum esse nil amplius valere ecclesiae G. statuta, qualibet antea firmitate fuerint roborata. Ita ut sive placeat considerare participationes uti beneficia ecclesiastica vel non res semper in idem recidat idest adserta capituli jura et privilegia in tenues auras abiise vel in vim conventionis initae sub anno 1818 vel in vim apostolici brevis »*Impensa*« anni 1819.

Et incassum oggererent haec nil obfuisse suis juribus, eo quod eorum patronatus non a privilegio provenit, sed ab aliis titulis dimanat. Ut enim huic objectioni obviam iri possit, titulum juris eligendi aliquantisper inquirere oportet. Jam vero illud inquirendo animadverti posse videtur, ipsum oriri vel ex justitia et veri jurispatronatus praeseferre indolem vel ex gratia et dumtaxat electionis indolem importare, quod stricta regitur interpretatione et ad concedentis libitum potest revocari ceu scribit *Gagliardi de jurepatron. cap. 4. n. 1. cap. 8. n. 21. 35.* Atqui eligendi jus ex privilegio mere gratuito capitulo G. anno 1674 quaesitum fuisse ex praehabita factorum historia liquido apparet. Tunc enim temporis *ad sedandas contentiones, dissidia et lites motas* Episcopus, communi totius cleri suffragio, hoc statuit: »*capitulum praedictum constans nunc ex quatuor dignitatibus et viginti uno Canonicis ... augendum duximus atque adjungimus et aggregamus duodecim sacerdotes .... per nos hac prima vice dumtaxat ex eis magis idoneos eligendos et deputandos, posthac vero et deinceps post eorum et cujuscumque eorum obitum alios de clero successuros, juxta temporis anterioritatem in assumptione ad sacerdotium jure suo absque nova provisione aut declaratione.*«

Ergo nullimode fas est tituli onerosi vevestigium reperire in memorata concessione anni 1675 cum nec fundatio nec dotatio sed nonnisi episcopalis benignitas eligendi jus Canonicis G. indulserit. Jam vero hujus tituli ex gratia quaesiti naturam haud immutari per immemorialem electionum possessionem decrevit *s. Rota in Caesenaten. seu Ariminen. Molendini 16. Jan. 1743 cor. Calcagnino. In decis. 79. num. 25. coram Olivatio;* et affabre tradit *Pitonius de controv. patron. all. 47. num. 65.*

Cum itaque jus eligendi quo se pollere jactat capitulum G. non ex jurepatronatus, sed ex episcopali liberalitate originem ducat illud radicitus avulsum dicendum post conventionem anni 1818. Quinimo omnimodam eligendi juris amissionem propugnari posse videtur etiam ex novissima immutatione ecclesiae G. quae anno 1842 uti Collegiata agnita fuit. Rem primum implicite evincit praesumpta capituli voluntas. Siquidem explorati juris est patronum qui consentit ecclesiam in Collegiatam converti nominandi facultatem amittere prout docent *Schmalzgrueber in jus eccles. univers. p. 4. tit. 38. num. 45, Reiffenstuel ad lib. 3. decret. tit. 33. num 125.* Atqui Canonici G. non solum siverunt ut eorum ecclesia ceu Collegiata declararetur, sed etiam hujusmodi negocium enixe procurarunt, ceu ipsorum patronus innuit.

Quare concludi necesse est praetensum capituli et mansionariorum jus vel numquam juridice extitisse vel per conventionem anni 1818 et per apostolici brevis *Impensa* censuram penitus eversum atque deletum.

His praemissis peritiae EE. CC. s C. Congregationis sequens oblatum fuit dirimendum

Dubium:

An constet de jure capituli admittendi mansionarios ad canonicatus vacantes servato anterioritatis ordine in casu?

S. Congregatio Concilii die 11. Maji 1872 causa cognita respondere censuit:

Sacerdotes actu in possessione participationis canonicatus vel mansionariatus non esse amovendos, salvis canonicis exceptionibus, quatenus aliquis sit iis obnoxius: quoad admittendos inposterum servetur dispositio brevis: Impensa. Facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges:

I. Jus electionis oriri posse vel ex justitia vel ex gratia; et in primo casu illud praesefere indolem veri jurispatronatus; in secundo tantum electionis indolem importare

eo quod ad concedentis libitum revocari possit, dum stricta regatur interpretatione.

II. Jus electionis in themate ortum fuisse ex privilegio mere gratuito haud ambigendum videtur, cum per concordiam Ordinarium inter et Canonicos ejusmodi norma obtinendorum canonicatuum constituta fuerit.

III. Statuta capitularia quae *specificam* non obtinuerunt apostolicam confirmationem nullius esse roboris quatenus excludant per modum regulae certum personarum genus a consequendis ecclesiasticis beneficiis, eo quod juri communi adversentur.

IV. Consuetudinem in re a lege reprobata, etsi immemorabilem, abrogare legem nequire; neque ex ea praesumi posse apostolicum beneplacitum, quod numquam praesumitur in dispositione juri contraria.

V. Non esse opus bonorum divisione in capitulis ut praebendae induant beneficii ecclesiastici naturam; eo quod neminem latet massam communem existere praebendarum loco.

VI. Valde inter se differre *canoniam* et *praebendam*: per primam enim Canonicus electus jus consequitur ea omnia faciendi quae ad Canonicos pertineant; per secundam vero habet jus ordinatum et pro eo institutum ad utendum et fruendum rebus et juribus ad hoc deputatis.

e) Ab Episcopo.

I. In mensibus pontificiis ex apostol. facultate.

Vd. *Canonicatus* (erectionis formula); t. II. p. 413; p. 838. d.

Potestas conferendi canonicatus Archiepiscopo Mogentino conceditur certis sub conditionibus et reservationibus.

Venerabili Fratri Emerior. Joseph Archiepiscopo Mogentino S. R. J. principi Electori.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis Frater.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Etsi valde ad gratificandum omnibus propensi simus, tamen maxime curemus ne exinde incommodum aliis aliquod ac justa de Nobis querendi causa possit existere. Idcirco nunc has ad te venerabilis frater literas mittimus, ut, cum tibi super in Wormatiensi tuae fidei commisso epsicopatu ac dioecesi potestatem concessissemus conferendi omnes canonicatus ceteraque beneficia ibidem vacatura, quorum nostra esset collatio, intelligere possis intra quos limites eadem potestas a Nobis ad te transmissa contineri debeat, ne fortasse plus tecum quam par aequumque sit cum alterius damno fuisse videamur.

§. 2. Sacrae enim mem. Benedictus XIV. Praedecessor Noster suae aequitatis ac sapientiae esse indicavit, sibi sanctaeque huic Sedi hanc legem imponere, ut in collatione canonicatuum caeterorumque beneficiorum, quae in civitate ac dioecesi Wormatiensi sunt, Palatini subditi habiles atque idonei extraneis ac non subditis praeferentur.

Idipsum postea sa. mem. Clemens XIII. itidem Praedecessor Noster confirmavit et cum Archiepiscopo Trevirensi S. R. J. principi electori, ad quem Wormatiensis episcopatus administratio delata tum fuit, indulsisset, ut ab ipso canonicatus et beneficia in ea civitate ac dioecesi pontificiis mensibus vacatura conferri possent, certiorem per peculiares literas fieri eundem Archiepiscopum voluit qui illorum collationis usus esse deberet ne scilicet subditos palatinos idoneos prae extraneis ac non subditis praeteriri contingeret.

§. 3. Nunc cum Nos Wormatiensi episcopatu auctam fraternitatem tuam eodem etiam indulto, quo antea Trevirensis gavisus est, frui nostra benignitate voluerimus perlatis hisce literis notum facimus tibi Nos ab ea lege nequaquam recessisse, sed cum ejusmodi onere, quo haec sancta Sedes teneri voluit, illam collationis in te facultatem transmisisse, nimirum ut quotiescumque canonicatuum aliorumque beneficiorum in Wormatiensi civitate ac dioecesi pontificiis mensibus vacatio contigerit eorumdem per te Nostri vice conferendorum illam legem retineas, qua Nosmetipsi uteremur, subditorum palatinorum qui habiles sint prae caeteris et non subditis, ut jam diximus, omnino rationem habituri. Quod Nos quidem dum ad te perscribimus ea forma, tenore ac valore intelligimus quo Clemens XIII. Praedecessor Noster, cum ad superius memoratum Trevirensem de hac re perscriberet, intellexit.

§. 4. Haec sunt, quae te venerabilis Frater ex Nobis scire necesse esse duximus, ne jam suscepta in ista Wormatiensi civitate

ac dioecesi conferendorum beneficiorum norma perturbaretur; minime enim dubitamus, quin libentissime laturus sis concessam tibi a Nobis gratiam ejusdem aequitatis finibus contineri. Demum persuasum esse tibi magnopere cupimus uberiores etiam Nostrae in te benevolentiae fructus tibi semper pro opportunitate praesto futuros, ac in hujus pontificiae voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi venerabilis frater peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 9. Septembris.

(Bull. r. t. IV. p. 32. Ed. Romae.)

II. Jure devoluto.

Vd. t. II. p. 413. n. II.

Camerinen.

Defuncto die 1. Junii 1809. presbytero Ignatio Petrucci vacavit canonicatus sub invocatione s. Jacobi Apostoli erecti in insigni Collegiata Terrae Apyri ex fundatione laicali Baldini, cujus juspatronatus ad capitulum ipsius Collegiatae pertinet. Cum die prima sequentis Octobris in qua expirabat terminus patronis ad praesentandum a jure concessus capitulum neminem elegisset Archiepiscopus die decima nona ejusdem mensis jure devoluto presbytero Joanni BaptistaeTosti canonicatum contulit. Aegre id tulit capitulum praetendens se non oscitantem in praesentando sed impeditum a laica potestate fuisse, quominus nominationem faceret. Quare Tostius ab Episcopo provisus e re sua duxit apud Datariam instare, ut literas apostolicas *pro devoluto* obtineret. Ne id consequeretur obstitit capitulum interposita in officio Datariae protestatione cum clausula: *Nihil transeat.* Instante presbytero Tostio, ut laceraretur; Emus et Rmus Cardinalis prodatarius controversiam omnem huic sac. Congregationi delegavit. Exquisita est sententia Archiepiscopi, qui in sua informatione affert rationum momenta, quibus suum jus devolutum fulcitur. Causa in vadimonio esse caepit et pluries instante capitulo dilata a me est causae propositio. Hodie latitat adhuc capitulum et presbyter Tosti impressam EE. VV. distribuet allegationem.

Cum certum sit canonicatum hujusmodi esse de jurepatronatu laicali, quod a capitulo Collegiatae Apyri exercetur, et rursus constet intra terminum quatuor mensium nullam capitulum fecisse praesentationem, exploratum in jure est ad Ordinarium devolvi jus nominandi, ut ad *text. in cap. 2. de concess. praebend.* et in *cap.: Laicus de jurepatron. in 6.* docet *Vivian. de jurepatron. part. 3. lib. 14. cap. 6. num. 37.* et *Rota in Senogallien. Archipresbyteratus 22. Martii 1762.* §. *2. cor. Olivatio.* Eo itaque redit quaestio num capitulum fuerit impeditum, ut ipsum nulla culpa teneatur neque impedimentum vincere potuerit.

Tota allegatio presbyteri Tosti in hoc versatur, ut demonstret capituli culpa evenisse impedimentum. Nam preces obtulit praefecto imperiali, ut ei liceret ad praesentationem venire. Recursus hujusmodi ad laicam potestatem reprobatus a sac. canonibus nec etiam requirebatur ab ipsis legibus, quibus tum jura ecclesiastica conculcabantur. Nam per ipsas permittebatur libera nominatio in his beneficiis, quae erant de jurepatronatu privatorum. Quare si capitulum sine necessitate recursum habuit ad laicam potestatem certe ejus culpae verti debet si in exercitio juris praesentandi impeditum fuerit.

Deinde ostendere studet presbyter Tosti facile capitulum vincere potuisse hoc impedimentum si maturius recursum habuisset vel nominationem coram Episcopo fecisset vel prorogationem termini ad praesentandum postulasset vel tandem Archiepiscopo denunciasset se in praesentatione facienda impeditum iri.

Dubium proponitur:

An provisio Episcopi sit servanda in casu?

S. C. resp.:

Affirmative attenta contumacia.

Die 2. Decbr. 1815.

III. Modus et forma conferendi.

Vd. *Canonicatus* (erectionis formula.)

Dilecto etc. J. U. D. N. familiari nostro clerico loci N. etc.

Grata familiaritatis obsequia, quae Nobis hactenus impendisti et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, necnon literarum scientia, vitae ac morum honestas aliqua laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam juvari percipimus,

Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratias liberales. Cum itaque canonicatus et praebenda Nostrae cathedralis ecclesiae N. quorum collatio, provisio et omnimoda dispositio ad Nos hac vice spectare dignoscuntur et quos quodam N. qui extra romanam curiam de mense N. diem clausit extremum possidebat vacaverint et vacent ad praesens Nos volentes tibi praemissorum obsequiorum et idoneitatis intuitu gratiam facere specialem canonicatum et praebendam praedictos sicut praemittitur vacantes cum plenitudine juris canonici ac omnibus suis fructibus, proventibus, juribus et pertinentiis universis tibi auctoritate ordinaria tenore praesentium conferimus et de eisdem providemus. Teque coram Nobis personaliter constitutum per anuli et bireti capiti tuo impositionem investimus et in realem, corporalem et actualem possessionem auctoritate nostra per N. cui vices nostras committimus immitti mandamus, amoto quolibet alio illicito detentore, recepto prius per Nos et per te praestito ad sancta Dei Evangelia corporali juramento, quod Nobis et successoribus Nostris Episcopis obediens eris et fidelis et sanctae matri ecclesiae: eisdemque canonicatui et praebendae ac ipsi ecclesiae cathedrali secundum ipsius statuta, laudabiles consuetudines et ordinationes deservies et deservire facies in Divinis juraque et libertates praedictorum manutenebis et pro posse defendes nihilque quod ad dictum canonicatum et praebendam pertinet alienabis sed alienata et distracta ad jus et proprietatem eorumdem reduces et pro juribus reduci procurabis. Quocirca mandamus omnibus Dignitatibus et Canonicis rev. capituli, ut te in fratrem et Canonicum recipiant et stallum in choro locumque et vocem in capitulo tradant et assignent teque in talem habeant, tractent et portionem de redditibus universis faciant prout habent alii Canonici respondere: emissa tamen primo per te ipsum professione fidei*) coram Nobis aut Vicario nostro generali et postea coram capitulo. Et ita conferimus, providemus et assignamus ac exequi mandamus omni etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.

Loco † Sigilli.

N. *Cancellarius episcopalis.*

*) Vd. *Professio fidei.*

(Correspond. de Rome 4. Aug. 1857. n. 72. p. 325.)

N. Episcopus N. — Dilecto etc.

Cum per te Nobis praesentatae fuerint literae apostolicae sanctissimi in Christo Patris et D. N. Pii divina providentia Papae IX. in pergamena scriptae cum plumbo pendenti cordula canapis more romanae curiae quas qua decet reverentia recepimus tenoris sequentis videlicet (et hic inseratur tenor bullae) et successive Nobis instantiam feceris, ut ad ipsam literarum executionem procederemus, Nos volentes mandata apostolica exequi juxta formam in dictis literis praescriptam de expositis et contentis in eis debitam capi mandavimus informationem, qua diligenter capta et constito Nobis legitime ex actis narrata sanctissimo Domino Nostro esse vera et verificata teque esse habilem et idoneum ad dictum canonicatum et praebendam, prout idoneus repertus fuisti a nostris examinatoribus (si beneficium esset cum cura animarum et provisio expedita cum clausula: in forma dignum, dicatur:*) prout idoneus et dignus repertus fuisti a nostris examinatoribus synodalibus) proinde dictum canonicatum cum praebenda ut supra vacan. tenore praesentium auctoritate apostolica, qua in his fungimur, cum omnibus suis fructibus, proventibus, emolumentis et distributionibus ac annexis tibi conferimus et assignamus, amoto quolibet alio illicito detentore, quem amotum esse praedicta apostolica auctoritate per praesentes decernimus, recepto et per te praestito corporali juramento etc. (ut in formula praecedenti). In Quorum etc.

Datum etc.

(Correspond. de Rome 4. Aug. 1857. n. 72. p. 326.)

f) Jus.

I. Civibus est.**)

Forolivien.

Inter caetera, quibus cummulata est a fel. record. Adriano VI. civitas Foroliviensis, illud enumeratur privilegium, quo omnia beneficia tam civitatis quam ejus districtus sive simplicia sive curata quovis tempore vacantia nulli nisi ex Foroliviensibus civibus progenito

*) Vd. *t. II. p. 419. v.*
**) Vd. *t. II. p. 401. m; p. 412. r.*

possent conferri. *Nec non*, sunt verba Pontificis, *quaecumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura in civitate, districtu ac dioecesi Foroliviensi consistentia, quorum fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedant, in antea vacatura clericis ex civibus Foroliviensibus natis dumtaxat, idoneis tamen, per ordinarios collatores conferri debeant; et aliter de illis factae collationes nullae existant.* Quod privilegium ad solos Cathedralis canonicatus virtute rescripti ab immort. mem. Bened. XIV. ad instantiam capituli Foroliviensis restrictum perpetuo literarum apostolicarum robore ac firmitate, ita postulantibus ipsis Canonicis anno 1816 a summo Pontifice sanctae mem. Pio VII. fuit communitum.

Interea tamen in tribus ex quatuor concorsibus qui ab anno 1816 habiti sunt in cullatione praebendarum canonicalium per concursum praeter cives Forolivienses videntur admissi et alii nec cives nec dioecesani licet ex iis neminem vacantes praebendas assecutum fuisse constet. Praeterea anno 1839 quamvis in concursu ad poenitentiariam pro conservatione privilegii adversus exteros protestationem emiserit ut asserit capitulum unicum tamen qui adstitit in concursu Dominicum Vasi Foropompilii progenitum ex parentibus Brictinoriensis dioeceseos in proprium collegium nulla admota querela exceperunt Capitulares. Nec praetereundum est, datum fuisse anno 1843 Archidiacono illius capituli coadjutorem R. D. Franciscum Liveram oriundum e Castrocaro adjecta tamen clausula: *illis* (bullis superius memoratis) *alias in suo robore permansuris latissime hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus.*

Vacatio secuta die 31. Augusti 1843. cujusdam praebendae canonicalis, quae ex literis apostolicis anni 1839, utpote primo loco vacata post illarum datam, jam erecta et instituta erat in theologalem praebendam hodiernam excitavit controversiam. Indixit enim Episcopus juxta praescriptum Tridentini ac recentioris bullae Bened. Papae XIII. quae incipit: *Pastoralis officii*, concursum,*) ad quem cum omnes vocaverit nulla facta mentione privilegii praedicti seu exclusione illorum, qui civicam qualitatem non haberent, servata in similibus casibus forma a suis antecessoribus adhibita comparuit et inscriptus fuit inter caeteros Aloysius sacerdos Giammarchi Archipresbyter in ea parte Forolivien. dioecesis dominio Etruriae subjecta, ubi etiam natalia traxit. Quo cognito a Capitularibus acriter conclamarunt et duo ex illis, praepositus nempe atque decanus nullo praevio actu capitulari coram episcopali curia totius nomine capituli solemniter protestati sunt pro tuitione sui privilegii adversus admissionem seu inscriptionem pro concursu cujuslibet qualitatem civicam non habentis.

Hisce tamen non obstantibus, habitus fuit statuta die concursus, in quo et ipse Archipresbyter Giammarchi sui periculum fecit licet a cancellario ostensa ei fuerit capituli protestatio. At in hac animarum divisione satius duxit Episcopus cum examinatoribus a scrutinio abstinere et sigillo occlusis concurrentium schedis sapientiam EE. VV. postulare, ut decernant, utrum privilegium praefatum extendatur ad canonicatus etiam per concursum conferendos: cui dubio et alterum mox additum est, utrum qualitate civica destituti ab alea concursus arcendi omnino sint.

Episcopus porro idem dum capituli momenta ex s. Ordinis jussu transmitteret ita subdit: »Nihil addam de bene multis adversus ea, quae vel scripta vel acta sunt a Canonicis deputatis, utrum observari possent. Unum tantum postulo ab EE. VV. nimirum ut dignentur legere allegata, quae hic adnecto.« Ex his alterum continet fidem baptismatis hodierni Canonici Poenitentiarii R. D. Dominici Vasi, quem demonstrat Foropompiliensem ex parentibus Brictinoriensibus, alterum est testimonium cancellarii episcopalis, quo firmat nullum alium sese exhibuisse concursui indicto pro poenitentiaria anno 1839 praeter R. D. Dominicum Vasi nullamque tunc in actis intercessisse capituli querelam.

Jamvero duo sunt, quae defendit Episcopus in primo dubio; primum scilicet privilegium, quod jactant Capitulares, eos non afficere canonicatus, qui per concursum sunt conferendi quippe non contineat expressam derogationem peculiaribus et praesertim pro theologali praebenda constitutioni Bened. XIII.: *Pastoralis officii*, qua expresse jubetur, omnes absque exceptione ad concursum vocari: ea scilicet ex ratione, ut tutius in concurrentium copia provideatur beneficio curato per electionem dignioris, qui facilius

*) Vd. *p. 66. c.*

haberi poterit inter plures quam inter pauciores et quia hic est finis praecipuus indictionis concursus, ut monet Bened. XIV. in *synod. dioec. lib. 13. cap. 9. num. 16, constitut. s. Pii V. »In conferendis«* *) et demonstrat *Reclus. de concurs. part. 1. tit. 8. num. 112.* idque exigit major ecclesiae utilitas, quae semper procuranda est. Privilegium autem genericum non afficit casus et leges particulares.

Animadvertit insuper, hanc civium vocationem non ex fundatione, sed ex privilegio inesse canonicatibus; quod minus late quam illa accipiendum est: quodvis enim privilegium cum sit odiosum restringi debet praesertim cum vergat in alterius praejudicium ex *cap. Is qui* et *cap. Si quis 2 de filiis presbyt. in 6*, prout esset in themate, ubi per illud arctaretur facultas episcopalis et major ecclesiae utilitas laederetur: quod numquam solet Pontifex concedere, argum. *ex cap. Super eo 15 de officio Delegati* et *cap.: Licet de offic. Ordinar.*; vel cum exorbitet a jure communi; tunc enim non sufficit verborum generalitas sed mentio specialis requiritur, ut ait *Rota in decis. 100 num. 24. part. 11. recent.*, ac quovis in dubio ad juris consuantiam quantum fieri potest est reducendum, *Rota decis. 165. part. 16. recen.*

Nec officiunt verba: *tam cum cura quam sine cura*, quae leguntur in bulla Adriani VI. Hanc enim privilegii latitudinem arctasse s. m. Benedictus XIV. et Pius VII. censendi sunt, quum nulla facta de beneficiis curatis mentione privilegium pure reduxit ad canonicatus, eo magis, quod juris praesumptio et sacrorum canonum dispositio faveat ecclesiae vel beneficii libertati, *Piton. alleg. 97. num. 2, Rota in Monasterien. Pastoratus 7. Martii 1747. coram Aldovrando* et in *Urbevetana Jurispatr. 14. Junii 1757 cor. Bussio* et *Reclus. de concurs. part. 2. tit. 3. num. 5.*

Alterum quod tuetur Episcopus pro libera exterorum admissione ad concursum est in observantia privilegio contraria fundatum. Constat enim in pluribus, qui habiti sunt, concursibus post datas s. m. Pii VII. literas admissos fuisse extraneos; et quidem sub anno 1830 in concursu ad primiceriatum ille idem Aloysius Giammarchi, quem ab hodierno concursu excludi contenditur, libere admissus fuit et approbatus in scrutinio uti ex illius concursus actibus patet. Constat imo nedum ad concursus aleam admissos extraneos fuisse sed insuper canonicales praebendas esse assecutos itaque ita sane accidit sub anno 1839 in collatione poenitentiariae in persona Dominici Vasi, qui minime erat civis Foroliviensis aut certe minime natus ex civibus Foroliviensibus, uti praescribitur in literis concessionis; itemque factum nuperrime de anno 1843 cum Pontifex posthabito privilegio coadjutorem dedit hodierno Archidiacono Franciscum Liverani omnino extraneum. Porro si haec pacifice prorsus ac nemine contradicente facta sunt, jam nemo non videt vel privilegium numquam extitisse (si observantia haec sumi velit uti interpretativa) vel cessasse prorsus ubi semel extitisset; siquidem ex lege privilegium admittatur per contrarium usum et quidem etiam per unicum actum, ut docent *Rebuff. de decim. quaest. 23. num. 113* et *Card. Tuschus. tom. 6. lit. P. concl. 656. num. 10.* juxta *text. in cap.: Cum accessisset de constit.*, multo magis decennali praescriptione, maxime si occasio illo utendi se obtulerit, ex *Barbosa de offic. et pot. Ep. alleg. 26. n. 13. part. 2.* et *Masobr. in praxi concurs. requisit. 1. dub. 8. n. 23.* Quin imo vel ultimum statum sufficere ad probandam libertatem beneficii ejusque liberam collationem, docet *Rota decis. 395. num. 8. part. 9. recent.*; quia quando ultimus status convenit libertati est omnino anteponendus, *decis. 493. num. 9 part. 19. recent.*, etiamsi per unicum actum fuerit inductus, *dec. 394. num. 3. part. 5. recent.*

Quin aliquid observantiae detrahatur per protestationes, quas in adversum efferunt Capitulares. Eas enim vel numquam habuere locum vel si emissae sunt aliquando, uti unica vice ante concursum de quo quaestio factum est, informes omnino, irregulares ac proin despiciendae, eo magis quod etiam regulariter factae episcopale jus variare non potuissent.

Quoad alterum dubium, resolutum edicit Episcopus ex praecedenti. Quod si istud juxta capituli mentem definiatur, contendit tamen extraneos a concursus alea non esse omnino arcendos. Siquidem non exclusivum et privativum omnino jus oriatur de jure ex passiva vocatione ad beneficia sed praelatio tantum ita ut quatenus tempore provisionis extet idoneus inter qualificatos, hic praeferatur non qualificato licet digniori,

*) Vd. *t. II. p. 425.*

juxta *text. in l. In ecclesiis cod. de Episc. et cler.* et *cap.: Si proponente de rescr.* ac tenent *Recl. de Conc. part. 1. tit. num. 109. ad 113* et *Conrad. in praxi benef. lib. 2. cap. 10. num. 38. ac num. 67 et seqq.* Deficientibus vero qualificatis cum nequeat beneficium vacuum manere rectore, praesertim curatum, et jus et ratio dicunt, ut extraneus admittatur. Quare cum casus adesse possit, ut vel desit omnino qualificatus vel saltem is non sit idoneus merito, etiam extraneos ad concursum admitti posse concludit.

His at vero enerviter contradicunt Capitulares. Ac imprimis sustinent privilegium ad quoscumque indistinctim canonicatus protendi: ac proinde eo magis beneficia etiam curata complecti, quod secus Pontifex cum animo sane privilegium concedendi nullum tamen concessisset cum de ipso jure communi cives, originarii ac dioecesani habeant praelationem ad beneficia, ceu tradunt adamussim *Corrad. in praxi benef. lib. 2. cap. 10. num. 38. et seqq., Recl. de concur. part. 1. tit. 1. num. 109. et 110.* et s. Congr. *in Portuen. Parochialis 26. Junii 1763. §.: Salvuccius.* Profecto nec privilegii nomen concessio promeretur, si praeter generalem legem nemini aliquid speciale indulgeret, ex *c. 25. qu. 1. de privil. 6. uti docet Rebuff. in prax. benef. ubi agit de differentia inter privil. reser. et mandat. n. 11.*

Deinde quod ex jure favore civium foret interpretandum, expresse cavetur in literis Adriani VI. per adjecta verba: *tam cum cura quam sine cura:* ex quibus nemo ibit inficias, praebendas etiam per concursum conferendas intelligi. Quin relevet omnimoda illorum reticentia in rescripto fel. record. Bened. XIV. per summum Pontificem Pium VII. confirmato. Praeterquam enim restrictio beneficiorum concessa est ad petitionem privilegiatorum, quos minime praesumendum est sibi voluisse praejudicare, certum esse debet praefatum rescriptum, ubi non correxit expresse privilegium, in suo robore illud reliquisse juxta literas concessorias, quibus relatio habebatur: ac praeterea ex communi sensu verborum, quibus usus est Pontifex, omnes venirent canonicatus; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Accedit privilegium, juri communi conforme, quale est in themate, ut beneficia civibus potius conferantur quam exteris, esse latissime interpretandum juxta tradita per *Rotam in dec. 400. n. 33. part. 1. recent.*

Quae autem ab Episcopo disseruntur quoad derogationem expressam sanctionibus peculiaribus ac praesertim Benedictinae constitutioni, quae incipit: *Pastoralis officii*, advertit capitulum haud habere locum in themate: tum quia quaelibet constitutiones pontificiae non exclusa memorata Benedictina beneficia per concursum conferenda respicientes nihil aliud continent quam generales sanctiones canonicas pro meliori hujusmodi beneficiorum provisione: quibus tamen omnibus abunde derogatum est per clausulas effraenatissimas cum decreto irritanti, quibus literae pontificiae sunt communitae, quo casu concessa sustinentur etiamsi non fuerit derogatum in specie, *Rota dec. 5. num. 4. part. 14. recent.*, tum quia opus non erat speciali derogatione, ubi expresse privilegium impertiebatur Pontifex circa beneficia *cum cura et sine cura*: sic enim necessario cuilibet contrariae juris dispositioni derogabatur.

De consuetudine parum sollicitum perpendit capitulum ex monumentis ab archivio capitulari depromptis ostendi nullo unquam tempore aliquem extraneum in gremium Canonicorum fuisse receptum, etsi aliquis interdum in sinum illorum obrepere conatus est, fuisse continuo juridice deturbatum. Quoad receptionem autem Dominici Vasi in Canonicum poenitentiarium advertit unicum fuisse in concursu ac capitulo universo fuisse persuasum eum esse civem Foroliviensem, prout reipsa vere civem illum demonstrant ad effectum fruendi privilegio, attento parochiali beneficio, quo diu fuerat auctus in ipsa civitate: per assecutionem enim beneficii residentialis clericus acquirit privilegium civilitatis et gaudet omnibus privilegiis civibus concessis, ut tradunt *Barth. in l. 1. num. 14. ff. ad municipal., Oldrad. cons. 32., Sard. cons. 301. num. 7., Grass. de effect. cleric. in praelud. num. 369, Bellett. disquisit. clerical. tit. 1. §. 20. numer. 15. et seq., Rota in Bononien. Canonicatus 21. Junii 1610. cor. Penia., in alia 28. Junii ejusdem anni coram Coccino* et in *recent. part. 9. dec. 127. num. 7. et seqq.*

Demum recolit sub ipso anno 1839., quo Vasius assumptus est ad canonicatum, jam solemiter protestatos fuisse Capitulares in habito concursu adversus exteros atque hujus protestationis vi rejectum fuisse Minar-

dium quemdam civem Faventinum. Quoad vero coadjutoriam Liveriano concessam, cum ex relatis adjectam habuerit derogationem »pro hac vice tantum« jam ex ea potiusquam destrui confirmari imo gravius privilegium universo jure docemur. *Lambert. de jurep. lib. 3. quaest. 7. n. 5., Rota in recen. par. 9. dec. 164. num. 20.*

Hisce positis videt quisque elatam consuetudinem, quin capituli privilegio praejudicet, in illius potius praesidium accedere, ceteroquin in quavis damnata hypothesi spernendam, quia requisitis caret a lege volitis, praesertim temporis annorum quadraginta, uti statuitur *in cap.*: *Cum de beneficio de prueb. in 6, Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 14. num. 39, Rota in recen. part. 9. dec. 162. n. 20.*, et quia paucis actis hac illac effusis continetur, quin nequeunt legem concessioni contrariam constituere, et quia querelis et contestationibus Capitularium sociata est, quae gravem efficaciam habent, etsi non solemnes, cum privilegii integrae communitati concessi vel unus de gremio contradicens impedire possit amissionem ex *cap.: Accedentibus 15. de privilegiis, Pirhing. lib. 5. decret. tit. 33. num. 174.* et quia demum privilegio universo civium coetui concesso renunciare aut obesse facto suo capitulum nequivisset. De ultimo statu sciunt omnes non attendi, quando constat de veritate in contrarium, sed in re dubia tantum procedere, *Rota dec. 736. n. 3. p. 3. recen.*

In secundo dubio admitti non debere extraneos una cum civibus ad concursum probant Capitulares auctoritate *Ferraris* verbo: »*Concursus artic. 1. num. 33, ibi: Ad concursum parochialium non tantum dioecesani sed etiam exteri debent admitti, nisi adsit aliquod privilegium, quod beneficia non conferantur exteris*« est communis doctorum; *et sic decisum fuisse a s. Congr. Concilii* refert *Franciscus Monacell. t. 1. tit. 5. form. 10. n. 1. tit. 5. form. 10. n. 1.* Hinc ajunt tunc solum licere Episcopo extraneos admittere ubi semel ac iterum indicto habitoque concursu nemo ex civibus vel compareat vel reperiatur idoneus. Idque comprobant ex paritate rationis: ut enim repetita vice debet Episcopus ex ss. canonum sanctione indicere ac habere concursum pro curato quocumque beneficio, minime privilegiato, ac tum demum nemine vel comparente vel doneo reperto, ei liberum est conferre beneficium alicui, quem idoneum judicaverit, ut refert decisum a s. Congr. *Garcias de benef. part. 9. cap. 2. n. 51, Barbos. de off. et potest. parochi part. 1. cap. 2. n. 51.*, sic in vim privilegii adamussim servandum esse urgent in casu.

His positis subjiciuntur

Dubia:

I. *An constet de privilegii extensione ad canonicatus per concursum conferendos in casu etc.?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus exclusioni exterorum a concursu in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Negative, firmo tamen jure praelationis favore Foroliviensium, quatenus fuerint approbati in scrutinio.

Die 2. et 30. Aug. 1845.

II. Civibus exclusivum non est.

Casertana.

Quum vacans nuperis temporibus extiterit canonicalis praebenda in cathedrali ecclesia Casertana sacerdotes dioecesani una cum sacerdotibus Casertanis ad illam optarunt. Sed cathedrale capitulum assertam immemorabilem invocans consuetudinem, in cujus vim contendebat canonicatus cathedralis ecclesiae Casertanis unice conferri debere pro dioecesanorum exclusione penes Episcopum instabat. Anceps hic haesit: quamobrem e re sua duxerunt sacerdotes dioecesani sacram hanc Congregationem adire ad hoc ut declaret sibi etiam jus esse ad canonicatus. Rogatus Episcopus pro informatione et voto in haec verba respondit: Quoad meam sententiam fateor, me hac super re aliquamdiu ancipitem fuisse. At cum noverim consuetudinem a capitulo propugnatam in aliis quoque hujus regni dioecesibus invaluisse, animi tranquilitatem recuperavi et nullum adversus eam arbitratus sum inducere novitatem. Hodierna die hujusmodi controversia est definienda, distributis hinc inde allegationibus, quarum summam prae meo referam officio.

Qui capituli et communitatis Casertanae

jura protuetur haec habet: Fundationis lex vel apostolicum privilegium extraneos sacerdotes etiam dioecesanos a canonicatuum Cathedralium assequutione repellit. Deperditus quidem, temporis injuria, unus vel alter ex titulis hisce permansit, eorumdem tamen supplet defectum immemorabilis ac nunquam interrupta consuetudo, de qua testantur primiores inter Casertanos cives. Quae quidem attestationes attendi debent, tum quia dicti testes qualitatibus pollent requisitis a notissima glossa in *cap. 1. de rescript. in 6.*, tum quia de rebus deponunt, quae non singulorum civium commodum atque utilitatem respiciunt sed universitatis. *De Luca de jurepatr. disc. 58. num. 7.* Eo fortius vero fides est illis praebenda, eo quod nulla extet in episcopali Casertae archivio bulla.

Quodsi urget alia deessent argumenta ad hanc probandam consuetudinem extraneorum exclusivam, illius existentiam comprobaret institutio cujusdam canonicatus a s. Rocho nuncupati peracta anno 1742 ab Episcopo Casertano Josepho Schinosi et confirmata anno 1764. ab altero Episcopo Casertano Januario Albertini dum canonicatus ipsius augeret praebendam. Ambo namque jussere ut dictum canonicatum assequendi jus Casertani tantum sacerdotes haberent. Atqui nulla alia praeter immemorabilem ratio impellere potuit memoratos Episcopos ut ita sese gererent; secus enim optime quum noverint liberam beneficiorum collationem ecclesiae cordi quam maxime esse, canonicas leges non posthabuissent, sed illas ultro libenterque servassent in novi canonicatus fundatione.

Nec dubium quin immemorabilis, de qua sermo, ad novissima usque tempora fuerit servata atque adhuc servetur. Id enim patere tum ex superius adductis documentis tum ex depositione Vicarii foranei oppidi quod audit »Lagno.«

Probata immemorabili consuetudine (ita prosequitur Casertani capituli orator) fundationis legem vel privilegium apostolicum extraneis sacerdotibus impedimento esse quominus canonicatus Cathedralis obtineant. Nemini namque non notum, eam esse immemorabilis vim atque efficaciam, ut qui eam valeant in sui favorem adducere jus habeant quemcumque titulum de mundo meliorem uti forenses loquuntur invocandi, *Murga Comment. ad constit. 8. n. 16., Pignattell. tom. 7. consultat. 3. n. 4, Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 24. n. 223, Pyrrh. Corrad. prax. benefic. lib. cap. 10. n. 94, Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 12. num. 44, Gonzalez. in reg. 8. cancell.**) *gloss. 33. n. 4., Piton. discept. ecclesiast. discept. 61. n. 27., s. Rota in Derthusen. jurisdictionis 28. Januarii 1697. cor. Pio §. 11.*, et in *Recen. part. 2. decis. 11. num. 7.* Atque optima id ratione statutum. Impossibile etenim est actum aliquem exclusivum ac privativum in aliorum praejudicium immemorabili temporis spatio iteratis ac pene innumeris vicibus gestum constanter fuisse, quin titulus adfuerit ad illum exercendum validus.

Nec objici recte posse, in facultativis (veluti est beneficiorum collatio) immemorabilem attendi non mereri, si contradictio et acquiescentia defuerint. Id enim obtineret, quatenus immemorabilis per modum praescriptionis adduceretur; diversimode vero tenendum, quando in via praesumptiva affertur, scilicet uti praesumptio melioris cujuscumque tituli. Hoc quidem in casu quae objicitur juris regulam locum nullatenus vindicare docet *Card. de Luca de regul. disc. 51. num. 12.* et *de judic. disc. 51. num. 70*, ibi: »In facultativis regula est, ut praescriptio non detur, nisi oppositio cum subsequuta acquiescentia sequatur vel nisi adeo diuturnum sit tempus, ut ejus lapsus concedat facultatem allegandi titulum absque necessitate probationis.« Unde extraneis sacerdotibus onus incumbit demonstrandi dictam melioris cujuscumque tituli praesumptionem in themate exsulare vel quia nunquam exactis saeculis sacerdotes dioecesani ad canonicatus aspirarunt vel quia in eorum concursu sacerdotes Casertani semper fuere uti digniores electi.

Ceterum non deesse addit exempla dioecesanorum sacerdotum, qui canonicatus petierunt et repulsam sint passi ab Episcopis Casertanis. Queis addendus est etiam parochus Tartaplione qui etsi a regia potestate ad canonicatum propositus illum assequi non potuit ab Episcopo. Ex quo etiam apparet contradictionem et acquiescentiam in themate non defuisse.

Atque incassum obtrudi dioecesanos quan-

*) Vd. *t. II. p. 820.*

doque sacerdotes in Canonicorum collegium fuisse cooptatos, idest Donatum Trotta, Franciscum Rossi, Hieronymum Araldi, Michaelem Amico. Nam quoad Donatum Trotta parochus Casollae (suburbium hoc est communitatis Casertae partem constituens) testatur, familiam Trotta anteactis temporibus ibi suos habuisse lares atque ibi extinctam mansisse; et ex altera ejusdem parochi fide eruitur dictum sacerdotem in eodem oppido capellam fundasse ibique fuisse sepultum. Quoad Franciscum Rossi, parochiales nativitatis et mortis fides demonstrant, illum etiam in oppido Casollae lucem vidisse. Quoad Hieronymum Araldi, Casertanum iste se civem in quodam publico actu dum viveret professus est. Demum quoad Michaelem Amico, Casertanum illum episcopalis curiae testimonium de susceptis minoribus et sacris ordinibus evincit.

Porro nihil praejudicii ex immemorabili consuetudine ecclesiam sentire contendit, primo quia originarii loci in quo debent residere residentiam magis observant quam extranei, *Garcias de benef. part. 7. cap. 9. num. 7*, *Salzed. in pract. cap. 54. num. 4.* §. *Secundo*, quia originarius patrias consuetudines et mores melius agnoscit quam extraneus, *Salzed. dict. quaest 54. num. 5.* Tertiò quia major est reciprocus amor inter originarium atque concives, qui proinde proniores sunt ad ejusdem amplectanda consilia monitionesque sine odio excipiendas. *Azor. Instit. moral. quaest. 63. art. 2.* Nec dictae consuetudini jus refragatur. Profecto si ex fundationis actu vel pontificio rescripto privativum jus ad nonnulla beneficia aliquibus personis tribui potest idem licitum retinere debet in vim consuetudinis immemorabilis, quae adamussim praesumptionem praesefert fundatorum voluntatis vel apostolici privilegii, uti superius probatum. *Murga de beneficiis quaest. 3. sect. 13. num. 853*, *Gonzalez in reg. 8. cancell. glos. 8.* §. *1 num. 3.* et formiter discusso articulo *s. Rota in Recen. decis. p. 5. n. 8. et seq.* Eo vel magis vero consuetudo ipsa debet in themate sarta tecta servari tum quia beneficia fundata sunt ex Casertanorum bonis ac proinde ex praesumpta voluntate majorum ad ea retineri debent vocati Casertani dumtaxat, *s. Rota in Recen. part. 3. decis. 232. num. 11.*, tum quia aliae non desunt in Neapolitana ditione collegiales vel cathedrales eclcesiae in quibus hujusmodi obtinet consuetudo praesertim in dioecesi Murana.

Demum animadvertit idem orator maxima dissidia inter capitulum et cives Casertanos futura si consuetudo immemorabilis sacerdotes extraneos etiam dioecesanos a canonicatibus removens in nihilum redigatur; neque enim Canonici et cives Casertani aequo possent animo perferre ut bona, quae a suis majoribus ea sub lege certo certius donata ecclesiae fuere ut in sacerdotum originariorum alimoniam inservirent, in extraneorum substentationem convertantur, praesertim quum aditus dictis extraneis pateat in plura alia aeque pinquiora beneficia quae extant in dioecesi.

Qui dioecesanorum partes agit, prae primis arguit jus commune, quod praecipue hisce in controversiis prae oculis est habendum, tanta evidentia favere nedum inclusioni dioecesanorum sed vel etiam exterorum ut veluti imoralis, ambitiosa et rationi adversa contraria praetensio omnino sit proscribenda; dedecet enim sanctuarium Dei jure haereditario possideri. Ita Innocen. III. *cap.: Ad decor. de instit.* et Clemen. VI. in *ep. ad Galliarum Regem.*; urgetque juris hanc dispositionem apprime congruere duplici fini ex quo beneficia conferuntur; si enim ex una beneficium datur propter officium, id est ad praestandum ecclesiae condignum servitium pro munerum diversitate et importantia, ceu monet *Lotter. de re benef. lib. 1. q. 7. num. 10. cap. ult. de res. in 6.*, sique ex altera ad hoc instituta sunt beneficia, ut pauperibus et bene meritis conferantur uti ex epistola s. Symmachi Papae ad Caesareum Arelatensem Episcopum, *Rigant. in reg. IX. cancel.**) *num. 16*, *Lotter. de re benef. lib. 9. q. 6. num. 26.*, quisque videt nihili faciendam esse civicem qualitatem pro beneficiorum assequutione, dummodo quis ecclesiae condigne inservire valeat vel de ecclesia benemeritus extiterit.

Ad summam ait praelationem pro civibus non absolutam, sed ceteris paribus admitti posse, juxta *cap.: Nullus dist. 61*, *cap.: Hortamur dist. 71*, *Garzias de benef. pag. 7. cap. 9. num. 5*, *Ursaya tom. 2. p. 2. dist. 7. num. 5.* Quod tamen intelligendum de aequitate quadam et congruentia non autem de necessitate, ceu explicat *Cardin.*

*) Vd. *t. II. p 820.*

de Luca de benef. disc. 69. num. 12, *Rigant. in reg. 17. cancel.**) *num. 121.*

Nec juris communis dispositioni refragari conventiones inter s. Sedem et utriusque Siciliae Reges initas, in quibus nimirum id unum statuitur, ut beneficia regnicolis dumtaxat conferantur prout legere est in *cap. 8. concordiae anni 1818.*

Jamvero si haec sancita pro forensibus valent, a fortiori valere debere disserit defensor favore incolarum ejusdem dioecesis, qui unum eumdemque patrem ac pastorem colunt, unam eamdemque familiam constituunt, ita ut pro ipsis haudquaquam procedat regula, quod ceteris paribus cives forensibus praeferentur, uti saepius sacer iste Ordo definiit et praesertim in *Maceraten. Resignat. benef. 8. Aug. 1778.* §.: *Ad quartum.***) *In Aquin. Paroch. 19. Januarii 1765.* §: *Grossium*, *Rota in Compostellana Paroch. 12. Martii 1756.* §: *Quod adeo*, *cor. Emo Bussio* et *decis. 217. num. 6. p. 17. recen.*

Id vero eo vel magis procedere subdit si de ecclesiae cathedralis canonicatibus ceu in themate peragatur. Hujusmodi enim Canonici senatum Episcopi efformare in dioecesis administratione moderanda neminem fugit, ideoque permaxime expedire imo necessarium omnino esse, ut senatus iste viris ex universa dioecesi collectis coalescat; ita enim dioecesis necessitates facilius cognoscuntur, cognitis efficacius consulitur, Tridentina dispositio hac super re *sess. 24. cap. 12. de refor.* sarta ac tecta manet omnesque in domo Dei cum consensu ambulabunt. Cui rationabili principio plausisse ait vel ipsum utriusque Siciliae Regem duobus in decretis diei 18. Julii 1767 et 8. Martii 1769.

Ceterum adurget defensor privativa hujusmodi jura ex adverso praetensa, praeterquod libertatem collationis imminuerent, quae tantopere ecclesiae bono interest ut integra et inviolata servetur, quamdam servitutis speciem inducerent, ut inquit *Card. de Luca de jurepat. dis. 22.*, *Mantic. decis. 321. p. 9. tom. 2. num. 42. et 43. recen.*

Quinimo sicut de jurepatronatus favore communitatis invehendo ageretur in themate, ideoque usurpationis suspicio oriri posset ex Trid. *sess. 25. cap. 9.*, hinc nonnisi rigorose et concludenter probanda forent hujusmodi jura, *Menoch. de praesumpt. lib. 3. praesumpt. 90. num. 2. et seq.*

Qua deficiente probatione in casu suapte natura sequi concludit, dioecesanos aeque ac cives Casertanos Cathedralis canonicatus jure ac merito appetere atque obtinere posse eoque magis in praesentiarum cum haud pauci ex oppidanis civitati ipsi in omnigenis ecclesiasticis officiis deserviant neque desint, qui gratuitum episcopali seminario servitium per annos praestiterint et adhuc praestent.

Ad eis itaque intercipiendam hujusmodi facultatem Episcopique arbitrium ad Casertanos cives dumtaxat eligendos correctandum nonnisi singularissimum et exceptionale privilegium apostolicum adduci posse contendit, quod juri communi, derogaret ceu monet *Rigant. in reg. XVII. cancell.**) *n. 126*, *Salzed. de supplicat. ad SSmum p. 1. cap. 10. n. 69*, *Cened. pract. quaest. canon. 18.*

Perperam vero ad consuetudinem confugere subdit Casertanos cives ad hujusmodi fortasse privilegii praesumptionem derivandam; praeterquam enim quod ipsa in facto non substitit substineri haud posset in jure. Non subsistit in facto, quippe quia sunt per saecula regestra bullarum institutionalium, ex quarum serie haud interrupta tantummodo erui posset quin suppleri queat per nomina etiam centena millia Casertanorum, qui canonicatus possederunt: id enim ad summum evincere posset a Casertanis plerumque canonicatus obtentos fuisse, numquam vero eis privative collatos exclusis omnino dioecesanis.

Eo magis quod ex historico Esperti et aliis testibus fide dignis ac de re optime edoctis multorum dioecesanorum vel forensium nomina constant, qui canonicatus possederunt. Constat item alios ex oppidanis sub anno 1833. absque ulla exceptione ad concursum admissos fuisse pro theologali praebenda; aliis autem hujusmodi canonicatus ab Episcopo oblatos fuisse nuperrimis hisce temporibus. Quinimo ipsum piissimum Regem sub anno 1843. cum de canonicatu conferendo sui jurispatronatus ageretur Episcopo indixisse constat »di praesentare una terna di ecclesiastici di cotesta dioecesi che

*) Vd. *t. II. p. 825.*
**) Vd. *t. II. p. 861.*

*) Vd. *t. II. p. 825.*

ne sono degni.« Denique his concinnunt plures cives Casertani testantes nunquam praetensi juris pertinentiam in civitate auditam fuisse. Hisce positis consuetudinem in facto haud consistere firmat.

Sed nec subsistere in jure posse ait: consuetudo enim in re a lege reprobata etsi immemorabilis legem abrogare nequit multoque minus ex ea praesumi posset apostolicum beneplacitum, quod numquam praesumitur in dispositione juri contraria, prout nuperrime definit sacra haec Congregatio in *Baren. Canonicatus 20. Decembris 1858.* §: *Res itaque.* Denique substineri in jure haud valet eo quod extrema ad ipsam vere constabiliendam omnino desiderantur. Deficit enim contradictio judicialis, deficit subsequuta acquiescentia dioecesanorum: quae omnia prorsus requiri in hujusmodi consuetudine docet *Gratian. discep. foren. cap. 208*, *Pignatel. consult. 55. tom. 3. n. 11*, *Rota in decis. 231. n. 11. part. 14. recen.* et sacer iste Ordo in *Perusina diei 22. Novembris 1831.* §: *Ex plurium.*

Praeterea monet defensor frustraneos omnino esse conatus omnes ad juridicam revincendam hujusmodi consuetudinis existentiam cum ex facto provisionum apostolicarum tenuis in auras abeat.

Et oppido quidem: quoties enim Sedes apostolica hujusmodi canonicatus instituit, nunquam de hoc jurepatronatus passivo mentionem fecit, ceu fidem perhibent authentica apostolicae Datariae regestra. Atqui neminem latere potest in literis institutionalibus ad beneficia juri passivo subjecta clare exprimi debere clausulam »de jurepatronatus attenta fundatione seu dotatione« uti docent *Lambert. de jurepatr. pass. 3. lib. 2. art. 10. q. 11*, *Matheucci Official. curiae eccles. cap. 28. numer. 33*, *Corrad. Prax. benef. lib. IV. cap. 7. num. 23*, dum e contra ad beneficia liberae collationis datur institutio, nulla habita mentione jurispatronatus etiam attenta fundatione seu dotatione uti docet idem *Corrad. ibid. numer. 23.* Hinc exsulet oportet apostolici privilegii praesumptio, notum quippe cum sit praesumptionem veritati locum cedere debere.

Et optimo sane jure inquit orator, cum neque ipsa formalia statuta, quae forenses excludunt, etsi ab Ordinario confirmata, ullius roboris esse pluries in similibus casibus fuerit dijudicatum, eo quod Ordinarius (sunt verba s. Rotae *in decis. 475. n. 2. cor. Ubaldo*) non potest etiam cum capitulo statuere contra jus, sed requiritur confirmatio apostolica, *cap.*: *Quod super major. et obed.* Ita sacra Congregatio in citata *Baren. Canonicatus 20. Decembris 1856.*

Demum concludit orator, quod etsi hujusmodi consuetudo extiterit numeris omnibus absoluta jamdiu per apostolicas sanctiones abolita atque omnimode abrogata fuisset per celebre breve, quod incipit: *Impensa* *) a s. m. Pio VII. editum sub anno 1819, quo seclusis antiquis vigentibus legibus sive quoad civicam qualitatem sive quoad triennalem servitium generice statutum fuit, ut in posterum ad portiones admitterentur, qui ab Ordinariis locorum pietate ac doctrina commendatiores fuerint inventi.

Quin oggeri possit apostolicas hujusmodi sanctiones de ecclesiis dumtaxat receptitiis rem habuisse minime vero de collegiatis et cathedralibus, cum in utroque casu eadem militet ratio. Et sane ita applicavit Cathedrali Melphictensi sub die 17. Octobris 1829. administrator ab ecclesiasticis negotiis in Neapolitana ditione necnon Cathedrali Venusinae sub die 13. Martii 1850. Nec diversimode sentiit sac. haec Congr. ceu videri potest in *Oritana Participationis die 27. Martii 1817.*

Procedit post haec ad diluendas difficultates ex adverso allatas. Et primo quoad praetensam dotationem canonicatuum ex unione capellaniarum ad nonnullas civitatis familias spectantium animadvertit non ex earum redditibus tantum canonicales praebendas coalescere sed imo potiores redditus ab extraneis fundationibus derivare, hinc praeter antiquas veteris Cathedralis praebendas, quae in numero ut fertur quindecim ad Casertam veterem migraverant a Galutia ubi primitus cathedralis ecclesia fundata fuerat scilicet intra territorium Magdalonense, prout constat ex patria historia *Peregrini Camilli discorsi della Campania felice tom. 1. p. 374*, tres alias enumerat praebendas sequiori tempore dotatas et ditatas ab extraneis. Adnotat praeterea capellaniarum proventus additos fuisse veteribus canonicatibus jamdiu existentibus

*) Vd. *p. 82.* §. *Verum.*

ad eorum conditionem aliquantulum meliorandam.

Atqui »ditans ecclesiam jam sufficienter dotatam non deducit ecclesiam de non esse, quia ecclesia sufficienter dodata jam habet esse; ergo non dicitur patronus sed merus benefactor, *Fargna de jurep. p. 1. can. 3. c. 9. n. 2. et 3.* Si quid tandem ponderis canonicatuum dotatio sibi vindicaret ad jus aliquod fundatorum successoribus tribuendum jus istud nonnisi ad peculiares civitatis fundatorum familias spectare posse firmat, minime vero Casertanae communitati competere.

Simili modo nec prodesse Casertanis contendit expensas quas pro curiae episcopalis tanslatione de veteri ad novam Casertam se substinuisse jactant, tum scilicet quia expensas hujusmodi pro ingenti sane parte substinuit piissimus princeps tum quia per hujusmodi Cathedralis translationem haud paucas utilitates tum spirituales tum temporales nacta est ipsa civitas. Quare his commodis contentos eos esse debere concludit, quin insuper appetant canonicatus, qui nihil cum eis commune habent quique ad universos dioecesanos pertinent.

Tandem ad exempla quod attinet in adversum allata, nempe ex fundatione Teni et Schinosi singulares omnino esse hujusmodi fundationes perpendit et ex peculiari fundatorum voluntate derivandas; hinc ab individuo ad genus non valere illationem, ceu fert axioma. Quod adeo verum est ut alter ex praefatis fundatoribus Schinosi non universam Casertanam communitatem vocaverit sed nonnullos tantummodo pagos ac vel ipsam Casertam novam excluserit.

Ejusdem autem furfuris esse alterum exemplum ex Murana dioecesi depromptum concludit: ubi narratur quod cum Episcopus ad cathedralem canonicatum nominasset Joannem Baptistam Ferrone dioecesanum adeo firmam expertum fuisse traditur oppositionem ex parte capituli et municipii privativam favore civium collationem vindicantium, ut necesse fuerit adlectum presbyterum Muranae civitati adscribere, antequam canonicali possessione donaretur. Sciunt namque omnes, quod privilegia dioecesim, imo personam non praetergrediantur. Etsi exemplis quaestio definienda foret, universalis omnium dioecesum contraria observantia miserum hujusmodi casum prorsus absorberet.

Quibus utrinque perpensis proponitur resolvendum

Dubium:

An constet de jure exclusivo communitatis Casertanae ad canonicatus Cathedralis etiam relate ad dioecesanos in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 9. Apr. 1859.

III. In consuetudine consistens.

Vd. supra n. II. p. 90; *Canonicatus* (electionis jus inter Canonicos etc. decr.: *Fodiana).*

Veronen.

Veronense capitulum vetustissima consuetudine, quam etiam confirmaverat s. r. Pontifex Benedictus XIV. opposita constitutione, quae incipit »Regis pacifici«, jure olim potiebatur proprios Canonicos suo arbitrio et prudentia eligendi ac instituendi. Sed hoc ineunte saeculo Gallis dominantibus electionis methodus non absque capitularium jurium jactura immutata fuit ex imperiali decreto, quo jussum ut Episcopus audito capitulo publica proponeret edicta quibus tempus praefiniretur intra quod clerici qui ad vacantem praebendam aspirare vellent suae idoneitatis testimonia exhibere deberent: inter candidatos tres capitulum deligeret, ex quibus demum a suprema auctoritate electio perficeretur. Quoad collationem beneficii ac investituram favore electi faciendam integra capitulo jura asservabantur.

Atque ita veteri consuetudini nova consuetudo successit, quae firmissima mansit tum Gallicis tum Austriacis dominationibus usque ad superiorem annum, quo Veronensis Antistes putans ex recenti conventione inter summum Pontificem et apostolicam Majestatem inita immutatum hac in parte jus fuisse; quadam ex canonicalibus praebendis vacante publica omnibus proposuit edicta inaudito prorsus capitulo ac candidatorum preces et documenta Imperatori transmittere curavit, ut ab ipso electio suo lubitu perficeretur.

Haud aequo animo ferendum id esse existimarunt Canonici, qui imo proprias querelas cito deferre curarunt tum ad Brixiensem tum ad Vincentium Episcopum, quibus ex mente Benedicti XIV. in supra memorata constitutione munus commissum est quaestiones dirimendi, quae forte inter Veronensem Antistitem et capitulum oriri possent. Ini-

micam Canonicis opinionem pandit Vincentius Episcopus Brixiensis sed vero propriam professus est incompetentiam, tum quia idem Vincentius Episcopus jamdiu hac super re pronunciaverat tum etiam quia ex clausulis derogatoriis supramemoratae conventioni adjectis Benedictinae constitutioni derogatum putabat. Provocatum hinc est ad summum Pontificem, qui hoc super negotio consultus ejusdem quaestionis examen EE. VV. committere dignatus est.

Rationes, quae hinc inde ad propria tuenda jura afferuntur paucis complectat.

Animadvertit Episcopus duas esse in praesentiarum quaestiones dirimendas: videndum secundo quanam ratione electio ad vacantes canonicatus explenda sit.

Primam ex hisce facili negotio expediri posse: patulam quippe esse dispositionem artic. XXII. saepe memoratae conventionis, qua apostolicae Majestati jus datum est tum Canonicos tum etiam capitulares dignitates nominandi, excepta tantum prima et quibusdam tantum in casibus etiam secunda dignitate; exceptis pariter praebendis quae jurepatronatus subessent legitime quaesito. »In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suffraganeisque ecclesiis Sanctitas Sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad caeteras dignitates et praebendas canonicales Majestas sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt vel juripatronatus legitime quaesito subjacent.« Ita praefatus articulus.

Quare cum in specie neque de capitulari dignitate agatur neque de canonicali praebenda juripatronatus supposita, sua sponte consequi nominationem ad vacantem canonicatum a supremo Imperante libere perficiendam esse.

Et alteram quoque quaestionem ex verbis et censura ejusdem artic. XXII. absque difficultate absolvi pergit Episcopus. Cautum namque: »Laudabilis vero consuetudo canonicatus publico indicto concursu*) conferendi, ubi viget, diligenter conservabitur.« Adesse quippe in Veronensi dioecesi laudabilem consuetudinem »di conferre i canonicatu mediante publico concorso« haud inficiandum; verum cum ex lege in regno vigente jus publicandi edicta ad Episcopum tantummodo spectet clarum inde fieri ut edicta etiam ad invitandos qui ad canonicales praebendas aspirare velint non a Canonicis sed a Veronensi Antistite pro tempore proponi debeant, ceu etiam et anteactis temporibus factum asseritur. Exacto sed tempore ad preces porrigendas ac propriae idoneitatis testimonia exhibenda omnium candidatorum nomina ac requisita ad summum Principem indiscriminatim mittenda esse, ut liberam qua pollet eligendi facultatem plene valeat exercere. Quod si converso tria tantum nomina ipsi indigitarentur, jam contra indubiam legis sanctionem ea coarctaretur libertas, quam plenissimam et omni lege solutam in nominandis Canonicis eidem concessit suprema Pontificis auctoritas.

Clarius id etiam fieri ex sanctione tum art. XXIV. tum art. XXV. in quibus casus adamussim recensentur, in quibus civili auctoritati jus tantum reservatum est eligendi inter tres candidatos ab Episcopo praesentatos, inter quos casus haudquaquam recensetur ille de quo res est.

Si verum namque est quod »exceptio firmat regulam in contrarium« si inter casus in eodem articulo adnumeratos ille de quo agitur haud invenitur jam prono tamquam alveo fluere, regulam generalem in specie aptandam esse ac proinde non tres tantum candidatos supremo Imperanti fore praesentandos sed omnium candidatorum nomina eidem patefacienda eorumque preces ac requisita subjicienda.

Quin obicem vel ullum parare ceteroquin valeat, quidquid favore capituli sancitum fuerit hac in parte a s. r. Pontifice Benedicto XIV. in sua constitutione »Regis Pacifici.« Hanc enim constitutionem seu alias omnes quae antea vigebant in Austriaca ditione aboletam prorsus contendit Episcopus per solemnem conventionem Pontificem inter et apostolicum Imperatorem adstipulatam, ex qua tantum omnes controversiae inter civilem et ecclesiasticam auctoritatem in posterum dijudicandae erunt ac dirimendae. In promptu sane esse hac in parte artic. XXXV. per solemnem hanc conventionem »leges, ordinationes et decreta quovis modo et forma in imperio austriaco et singulis quibus constituitur ditionibus hactenus lata in quantum illi adversantur abrogata habebuntur ipsaque conventio ut lex statuta deinceps eisdem in ditionibus perpetuo vigebit.« Cui consonant apostolicae literae. »Deus humanae salutis« die 3. Nov. anni 1855 editae et quibus sancitum iterum ut solemnis conventio suum robur exerceat »non obstantibus constitutionibus apostolicis et synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis . . . . necnon quorumcumque ecclesiarum, capitulorum aliorumque piorum locorum fundationibus, etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis ceterisque contrariis quibuscumque.

*) Vd. *p. 66. c.*

E converso capitulum totis viribus contendit ex solemni conventione Pontificem inter ac caesaream Majestatem adstipulatam nihil prorsusque innovatum fuisse quoad Canonicorum electionem. Atque id aeque concludendum esse sive mentem excelsissimorum contrahentium spectes sive verba supramemorata artic. XXII. sedulo perpendas. Memorati articuli verba ita se habent: »Laudabilis vero consuetudo canonicatus publico indicto concursu conferendi ubi viget diligenter conservabitur.« Atque id firmius tenendum pergunt Canonici, si mentem contrahentium inspicias et actus naturam perpendas. Credi namque nequit, quod in solemni conventione qua ecclesiae libertas vindicabatur ejusque jura redintegrabantur, dum ceteris omnibus in paribus civilis auctoritatis interventum in ecclesiasticis rebus coarctare intendebant contrahentes, hac tantum in parte ultra praestitutos fines protendere voluerint.

Nec opponendum, capitularia jura de quibus res est ex pontificia constitutione »Regis Pacifici« dimanare, quae una cum ceteris constitutionibus antea vigentibus ex nova conventione penitus aboleta fuit. Inprimis namque animadvertere praestat (ita Canonici), jus Veronensis capituli proprios Canonicos nominandi ex immemorabili consuetudine dimanare, haud quaquam ex supramemorata constitutione, quae tantum vigentem consuetudinem agnovit ac confirmavit. Praeterea memoratam constitutionem veterem tantum consuetudinem spectare, quae usque ad primordia hujus saeculi in honore fuit, minime vero novam consuetudinem post gallicas leges invectam ac quinquaginta et amplius annorum lapsu fideliter servatam. Neque demum omittendum ex nova conventione legi ac constitutionibus antea vigentibus non absolute derogatum fuisse, sed in quantum illi adversarentur. Quare, ut pontificia constitutio abrogata dici posset in ea parte quae electionem Capitularium spectat clare probandum esset, in nova conventione aliquid adesse, quae supra memoratae constitutioni refragetur.

Deteriori etiam consilio opponi laudabilem consuetudinem canonicatus publico indicto concursu deferendi de qua loquitur art. XXII. Episcopos tantum respicere, quum ad eos ex lege jus spectet vulgandi edicta ad interdicendum concursum. Et re quidem vera praefatus articulus generaliter confirmat consuetudinem non tantum publicandi edicta et indicendi concursum, sed conferendi canonicatus, nullo facto discrimine num ab Episcopo, num potius a capitulo collatio canonicatus perfici soleat. Hinc nisi distinguere velimus ubi lex non distinguit concludendum sane esse (pergunt Capitulares), quod, si ante novam conventionem post edictorum publicationem collatio canonicatus perficiebatur a capitulo ab eodem perficienda sit et in posterum: quod si econverso perficiebatur ab Episcopo, ab eodem sit aeque perficienda, quum praeexistentem consuetudinem confirmaverit hac in parte solemnis conventio, haud vero destruxerit. Sed accedit non novam certe consuetudinem indictam fuisse a conventione, verum praeexistentem tantum fuisse confirmatam, ceu per se ipsa sonant verba supra relata. Quare si ante edictam conventionem Episcopus haud jure conferendi canonicatus potiebatur, absurdum esset contendere, quod hujusmodi jus sibi quaesiverit per conventionem quae non novam consuetudinem inducere sed veterem et praeexistentem confirmare tantummodo voluit.

Incassum demum opponi, quod saepe memorata conventio quoties voluit ut libertas principis in eligendo coarctaretur vel a patronorum vel ab Episcopi praesentatione id expresse indigitaverit, ceu in artic. XXIV. ac XXV. Quod si itaque in electione Canonicorum, de qua agitur, nihil obmussitatum fuit de praesentatione Principi facienda, ex hoc ipso existimandum esse plenissimam hac in parte libertatem eidem fuisse relictam. Etsi enim fingas ex conventione plenam Principi ita in Canonicis eligendis libertatem relictam fuisse, non inde merito concludi posse ejusdem libertatem ab exercitio facultatum com-

minui, quibus hucusque usum est Veronense capitulum. Non comminuitur sane ex praesentatione trium candidatorum: quinimo hoc modo Principi auxilium praebetur ut electio ab ipso perficienda et suis votis consona evadat et in manifestam tum ecclesiae tum status utilitatem cedat. Nec comminuitur pariter ex constitutione canonica et consignatione beneficii, cum haec sint acta mere ecclesiastica, post Principis electionem et in ejusdem exequutionem perficienda. Quamvis nec verum esse Principis libertatem in Canonicorum electione ex solemni conventione ampliatam fuisse ac omni prorsus vinculo absolutam, sed eamdem mansisse, quae antea erat. Id scatere ex verbis ipsius conventionis in artic. XXII. Ad caeteras dignitates et praebendas canonicales Majestas Sua nominare perget »tit.: nominare perget« quo sane dicendi modo satis clare suam voluntatem demonstrarunt contrahentes, ut scilicet res hac in parte et in posterum in eodem statu manerent. Haec enim vis est verbi »perget.« Quare si ante conventionem summus Imperator Canonicos in Veronensi ecclesia post capituli praesentationem eligebat, et nunc etiam Canonicorum electio eadem prorsus ratione erit perficienda.

Quibus praemissis proponitur

Dubium:

An et quae jura competant capitulo Veronensi in collatione canonicatuum post editam conventionem inter summum Pontificem et caesaream Majestatem in casu?

S. C. resp.:

Servetur consuetudo vigens ante conventionem.

Die 30. Jan. 1858.

Continuatio Veronen.

Novae audientiae beneficium Episcopi procurator impetravit; ac interim Episcopus ipse relationem de qua inferius ad capitulum transmisit, in qua contendens consuetudinem ante conventionem vigentem quoad praesentationem ad canonicatus non quidem capitulo, ceu (ut asserebat) falso expositum s. Congregationi fuerat, sed sibi favere nonullas proponebat regulas ad quarum tramites in provisione canonicatuum in posterum procedendum foret. Haud acquiescendum sibi duxit capitulum super expositis ab Episcopo ac praesertim super documentorum authenticitate, atque idcirco novam allegationem confecit, ubi assertam sui favore consuetudinem confirmare et contrariis observationibus occurrere sategit; quam allegationem ad s. Congregationem transmisit. Episcopus etiam relationem ad capitulum transmissam s. Congregationi exhibet.

Ex altera parte capitulum iterum consuetudine insistit, cujus vi, minime obstante legum civilium dispositione, perpetuo Canonicos praesentavit ac deinde a suprema potestate nominatos instituit; perpendes pristinam consuetudinem substantialiter retentam, in accidentali tantum forma fuisse immutatam ut praefatis legibus aliquo modo obtemperaretur.

Porro hujusmodi methodum invectam, statim ac civilis suprema potestas nominationem canonicatuum sibi reservavit, jugiter fuisse servatam et in praesens servari asseverant Capitulares.

In cujus quidem asserti confirmationem longam exhibent seriem ab actis capituli extractam Canonicorum, qui ab anno 1807 usque ad haec tempora hac servata methodo a capitulo praesentati et a suprema potestate nominati fuerunt, ac monent praeter recensitos alios non extare qui Canonici renunciati fuerint in capitulo Veronensi. Exhibent praeterea alia documenta quae idipsum confirmant.

Hinc mole sua ruere perpendunt defensionem Episcopi, quae tota nititur dispositione legum civilium. Nam capitulum jus praesentandi haud a legibus civilibus sed a consuetudine repetit, quae invaluit legibus hisce etiam vigentibus quaeque a postrema conventione approbata et s. hujus Congregationis resolutione confirmata fuit. Singula vero documenta ab Episcopo exhibita expendentes Capitulares observant nihil exinde argui posse ad consuetudinem quae capituli favore viget labefactandam. Haec enim documenta, inquiunt, partim referuntur ad propositiones faciendas ab Episcopis pro Canonicis nominandis, quin tamen probetur eos reapse fuisse praesentatos vel nominatos, partim continent notulas nominum candidatorum, qui forsan a capitulo ipso fuerant exhibiti, ut ad supremum principem pro nominatione mitterentur, partim vero respiciunt praesentationem anno 1857. ab eodem actuali Episcopo factam, unde praesentis quaestionis origo: quod si vero aliquis Episcopus per arbitrium et clam praesentationem fecerit aut in posterum facere velit, cum id capitulum impedire nequeat, non exinde juri derogatum fuisse censendum est.

Cum itaque nullum afferatur documentum peractae ab Episcopis praesentationis cum effectu et aliunde constet neminem ad capitulum fuisse adscriptum ab initio hujus saeculi usque in praesens, qui praesentatus a capitulo non fuerit, concludunt oratores, consuetudinem ante conventionem vigentem ubi servanda sit non Episcopo sed sibi potius favere; quod quidem ad ulteriores controversias eliminandas humiliter a s. Congregatione declarari postulant.

Proponitur itaque

Dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et detur instructio.

Die 9. Apr. 1859.

Cont. Veronen.

Tertio redit praesens quaestio quae nonnullis abhinc annis agitur inter Episcopum Veronensem ejusque capitulum super jure indicendi concursum ad vacantes canonicatus et successivae praesentationis. Primum proposita ac resoluta fuit in Congregatione habita die 30. Januarii 1858 sub dubii formula:

An et quae jura competant capitulo Veronensi in collatione canonicatuum post editam conventionem inter summum Pontificem et caesaream Majestatem in casu?

quod excepit responsum: *Servetur consuetudo vigens ante conventionem.*

Iterum instante capitulo proposita in comitiis diei 9. Aprilis elapsi anni 1859 cum dubio:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

resolutio prodiit hujusmodi:

In decisis et detur instructio:

1. Ut Episcopus audito capitulo publica proponat edicta, quibus praefiniatur tempus intra quod clerici qui ad vacantem praebendam aspirare vellent suae idoneitatis testimonium capitulo exhibere debeant;

2. Inter candidatos tres capitulum deligat qui per Episcopum supremae auctoritate praesententur;

3. Facta ab Imperatore electione institutio canonica detur a capitulo.

Porro Canonici accepto habeutes primum et tertium instructionis praefatae articulum super secundo autem sese minime acquiescere posse significarunt; quamobrem iterum audiri postulant, ut juxta sequentes quas proponuut observationes articulus ille reformetur.

Duplici autem ex capite articulum impetunt; primo quoad praescriptionem *Ternae* conficiendae pro praesentatione; deinde quoad permissam Episcopo candidatorum *praesentationem.*

Scilicet observant Ternae confectionem nec a conventione praescribi nec ex consuetudine comprobari. Falso enim insinuatam edicunt in relatione folii diei 30. Januarii 1858 Ternam confici consuevisse a capitulo candidatorum qui supremae potestati exhiberentur pro electione. Sed praeterea eam impossibilem asserunt, cum enim exigui sint redditus praebendarum capituli Veronensis, plerumque accidit ut desint qui ad eas velint optare, ut adeo perraro daretur casus conferendi vacantem praebendam, siquidem Ternae confectio necessaria foret.

Deinde magis magisque insistunt ut altera deleatur clausula ejusdem articuli qua conceditur Episcopo facultas praesentandi tres a capitulo delectos. Ita enim jus praesentandi si in sensu canonico intelligatur, quod ex consuetudine perpetuo ad capitulum pertinuit, huic adimitur et Episcopo attribuitur, quod adversatur etiam priori resolutioni s. Congregationis.

Supplices postulant, ut deleatur secundus instructionis articulus.

Haec habet capitulum, contra nihil ab Episcopo deductum est. Quae quidem quanti sint facienda erit EE. VV. decernere.

Dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis ultimo loco in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 24. Novb. 1860.

IV. Quibus personis non est danda?

Vd. *t. II. p. 435. mm.*

5) Compatibilis est cum Dignitate et officio theologi et poenitentiarii.

Vd. t. II. p. 974. V; p. 994. XV; p. 1038. c; p. 590. n. 56.

Hatrien.

Anno 1252 auctorante Innocentio IV. Pontifice maximo Hatriensis ecclesia a Pinnen. Cathedrali sejuncta et ipsa in Cathedralem aeque principaliter Pinnensi unitam erecta est ac viginti Canonicorum absque ulla Dignitate numero decorata; ex quibus duodecim quidem totidem distinctas habuere praebendas, caeteri vero redditibus ex communi massa percipiendis aucti sunt. Nunc vero viginti omnes qualibet praebendarum distinctione sublata, quod statuit anno 1609. s. m. Paulus V., aequales habent redditus ex massa communi.

Sequioribus in saeculis anno scilicet 1529. sedente Leone X. ex Ducis Aquavivae loci dynastae largitione aliae cum respectivis dotibus erectae sunt Dignitates, nimirum archidiaconatus ac duo primiceriatus. Ex quo vero tenues erant fundi pro dote hujusmodi Dignitatum assignati a summo Pontifice petiit obtinuitque ipse dux ut praefatae Dignitates perpetuo unitae cum omnibus censerentur canonicatibus, relicata sibi uti patrono facultate quemlibet ex coetu Canonicorum iisdem amplificandi. Ita enim se habent apostolicae Leonis X. literae: »Profecto ut dicta ecclesia Hatriensis magis decoraretur et in illa Dignitatum numerus ad Dei laudem augeretur ... — dictus Andreas Mattheus dux singulas Dignitates in duodecim ducatis auri de camera annuatim dotaverat — per apostolica scripta mandamus dignitates pro uno Archidiacono et uno Archipresbytero ac duobus Primiceriis, qui ex Canonicis dictae ecclesiae Hatriensis sint, quorum Dignitates ipsae una cum quatuor ejusdem ecclesiae canonicatibus et totidem praebendis absque dispensatione apostolica obtineantur, erigere et instituere ac illis sic erectis et institutis pro eorum dote bona per ipsum ducem, ut praefertur, assignanda perpetuo applicare et adpropriare, necnon jus patronatus et praesentandi praedicto Episcopo personas idoneas ad singulas dignitates hujusmodi quoties illas perpetuis futuris temporibus ubicumque etiam in romana curia .... vacare contigerit per ipsum Episcopum ad praesentationem hujusmodi instituendas Andreae Mattheo Duci ac haeredibus ac successoribus praedictis .... perpetuo reservare, concedere et assignare.«

Praeterea indulsit Pontifex dispensationem de retinendis quibuscumque aliis ecclesiasticis beneficiis, ibi: »Necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica (retinendi) cum cura et sine cura, quae Lucas et Rogerius et Bernardinus et Joannes de Nischia (Canonici electi ad quatuor dignitates) etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtineant et expectant, et in quibus et ad quae jus eis quomodolibet competit, quaecumque, quotiescumque et qualiterumque sint, eorumque fructuum et redditum et proventuum veros annuos valores, ac hujusmodi dispensationum tenores praesentibus pro expressis habentes.«

Porro juxta bullam Leoninam factum est ut hisce Dignitatibus ab utriusque Siciliae Regibus qui juribus ducis Aquavivae anno 1760. successere decorarentur indiscriminatim Hatriensis Cathedralis Canonici seu simplices seu officiis insigniti theologali vel poenitentiario vel praecentore ceu longissima observantia revincit. Primum autem de incompatibilitate Dignitatum cum hujusmodi officiis quaestio acta est anno 1814 militari imperio in regno Neapolitano grassante. Cum enim quidam Canonicus Probi Archidiaconatus dignitatem una cum officio theologali retineret, ob praetensam incompatibilitatem, instante ejus competitore Aloysio Ricciconti, theologali officio a regio cultus administro expoliatus fuit. Ast rebus compositis idem Canonicus Probi ex sententia commissionis consultivae et Regis patroni ad instantiam Praesulis tunc temporis Hatriensis Ricciardoni amissum theologale munus recuperavit.

Hisce facti notionibus praemissis ut ad praesentem quaestionem veniam, cum die 18. Maji 1850. ex libera renunciatione Francisci Pretaroli Canonici Archidiaconi theologi munus vacasset, pro ejus provisione concursus habitus est die 11. Novembris ejusdem anni. In hoc concursu duo sese invicem aemulabantur, Linus Romani et Aemilius Ciaperoni. Hic vero cum Poenitentiarii munere fungeretur ac Primicerii Dignitate insignitus esset, sub hac tantum conditione ad concursum admissus fuit, nimirum ut pro opportunitate judicio se subjiciat apostolicae Sedis, an nempe praebenda theologalis sit necne compatibilis, stante loci consuetudine

licet interrupta, sub eodem tecto cum *) illa primiceriatus, de qua orator jamdiu provisus gaudet, cum fructibus canonicatus et praebendae poenitentiariae, eo vel magis, quod nondum praedictam praebendam absolute ac simpliciter resignasse confessus sit. Huic se conditioni subjecit Aemilius. Facto itaque periculo octodecim puncta Romanus, decem et septem Ciaperonius retulit. Qui haud examinatorum judicio acquiescens suas ad s. Sedem detulit querelas simulque de compatibilitate canonicatuum ac dignitatum cum officio theologi aut poenitentiarii quaestio mota est. Jam vero apostolicae Datariae reservato judicio super collatione compatibilitatis tantum quaestio S. H. O. definienda commissa est.

Rogatus Episcopus informationem ac votum, auditis in scriptis Cathedralis capitulo et promotore fiscali, atque praesertim ut referret de annuo redditu et oneribus tam praebendarum canonicalium quam dignitatum ac de consuetudine quoad praeteritum, mandatis hisce obsequutus est ac transmissis capituli relatione ac promotoris fiscalis voto una cum sua epistola, in qua fusa oratione rem pertractat, aliisque documentis ad rem facientibus contrariam Ciaperonio sententiam mordicus sustinere connititur. Quid autem de quaestione sentiat Rex patronus ex his colligitur quae ad apostolicum Nuntium rescripsit regius administer cultus sub die 27. Junii volventis anni.

Itaque quoad redditus non conveniunt Capitulares cum promotore fiscale. Constat enim ex relatione Capitularium redditus communis massae omnium Canonicorum ducto calculo per decennium quotannis conficere ducatos 1423. 00. ex quibus deductis missarum oneribus quisque Canonicus percipit in singulos annos duc. 71. 15. Redditus vero Dignitatum summam conficere duc. 163. 48. quibus in quatuor distributis unicuique Dignitario obveniunt duc. annui 41. 37. Ad officiorum redditus quod attinet liquet ex catasto, theologalem habere ducatos 77. 90, poenitentiariam ducatos 24, 00. E contra promotor fiscalis habita ratione reddituum anni 1850 demonstrat, annuos cujusque Canonici redditus super massa communi summam excedere duc. 100. et cujusque Dignitatis proventus super massa speciali duc. 50 circiter esse.

*) Cf. *t. II. p. 383. n. 17.*

Hujusmodi autem computationi adhaerens Episcopus conquaeritur quod minor capituli pars falso supputans redditus »ut eos exiguos esse ostendat, decennem coacervationem consideravit ad supradictos proventus pro quoque anno constabiliendos. Non est equidem necesse hujusmodi supputatione uti cum extent publica acta contractus, ex quibus reddituum ratio et quantitas facile aperteque dignoscitur.«

Qui Ciaperonii partes tuetur posthabitis falsitatibus queis fiscalis votum scatere dicit quasque detegere atque refutare sategit in 1. num. sui summarii juris quaestionem aggreditur ac primo controversam compatibilitatem ex lege fundationis vindicat, ex bulla nimirum Leonis X. in qua unio hujusmodi dignitatum cum unoquolibet ex canonicatibus Hatriensis Cathedralis indulta est: quod quidem indultum haud ex mera gratia, sed ex pacto oneroso inter eumdem Pontificem et Ducem Aquavivae ortum dicit, atque hujusmodi indulto haud derogatum fuisse ex posteriori Concilii Tridentini decreto erigendi in qualibet Cathedrali Theologi et Poenitentiarii munera. Nam cum nec Theologus nec Poenitentiarius separatam praebendam unquam habuerint, licet eorum munia illico fuerint instituta, profecto tam Theologus quam Poenitentiarius inter viginti numerabantur Canonicos qui ad Dignitates aeque assumi poterant. Quandoquidem ex ipsa juris dispositione non omnia beneficia sub eodem tecto sunt incompatibilia sed ea tantum quae idem ministerium et exercitium in eodem loco requirunt. *Gonzalez. ad reg. cancell. gloss. 50. num. 34.* Dignitates autem in themate nullum habere munus annexum et improprie dici beneficia cum sub dotis nomine venire debeant.

Rem confirmat ex consuetudine cumulandi Dignitates cum beneficiis legitime introducta habente scilicet causam a Leonis X. indulto, quod 45 annorum spatio praeivit Concilium Tridentinum. Ad inducendam autem in themate consuetudinem 40 annos sufficere, imo decem, si legitimam habeat causam, docet *Hojedo de benef. compat. et incomp. part. 2. cap. 2. num. 4.* et *s. Rota* firmavit *in decis. 550. num. 6. cor. Buratt.* ibi: »Consuetudo *) retinendi beneficia incompatibilia debet probari per annos 40 et

*) Vd. *t II. p. 731. n. 76. a.*

per duos actus. Ex ultimo autem statu Hatriensis Cathedralis, qui in 85 annorum periodo concluditur, colligit orator, quinque hujusmodi cumulationum numerari casus absque dispensatione apostolica; unde praecedentem conformen consuetudinem praesumi arguit, quae scilicet ipsum Tridentinum Concilium antecedat, utpote a Leonis indulto originem ducens, *Piton. disc. eccles. 125. num. 37*, *Pignatell. Consult. can. tom. 9. cons. 122. §. 15.* et *s. Rota decis. 57. num. 9. part. 6. rec.*

Neque Tridentinum Concilium huic consuetudini derogasse ex eo arguit, quod neque Dignitates neque officia Theologi et Poenitentiarii in distinctum unquam canonicatum erecta fuerint, atque ideo voluisse quidem Concilium duos Canonicos ad haec assumi officia, haud vero Dignitates ab his muneribus excludi. Quod enim huic praeconstituto juri per Concilium derogatum non fuerit, docent *Barbosa in Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 17. num. 22*, *Garz. de benef. part. 2. cap. 3. num. 246.* aliique passim. Cum igitur tam Dignitates quam canonicatus in Hatriensi ecclesia unum usque constituerint beneficium atque titulum, planum esse concludit, officia Theologi et Poenitentiarii aeque canonicatibus ac Dignitatibus convenire. Propius vero ad consuetudinem quod spectat cumulandi Dignitates cum officiis, utitur auctoritate *Pitonii disc. eccles. 83. per totum*, ubi ad rem inquit, ibi: Quae consuetudo valida est et servanda etiamsi agatur prout in casu isto de retinenda dignitate cum canonicatu qui sit theologalis et lectoralis,« pluribus ibi cit. auctoribus. Qua demum super re recolit defensor, summum Pontificem Nicolaum V. omne quoad Hatrienses canonicatus discrimen sustulisse eosque quoad redditus penitus aequasse, etiam post Theologi ac Poenitentiarii institutionem, quorum officia, licet parvo aucta emolumento, numquam tamen fixum canonicatum habuere; unde quilibet ex Canonicis haud dignitatibus exceptis ad praedicta officia assumi potuisset.

Animadvertit insuper bullam Leoninam non semel tantum aut uni sed perpetuo ac omnibus Canonicis cumulationem permisisse. Atque dum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 17.* de reform. loquitur de dispensationibus non obstantibus, temporaneas tantum dispensationes, non perpetua privilegia circa cumulationem Dignitatum cum canonicatibus rejecisse; ibi autem de pluralitate beneficiorum quae curam animarum habent annexam sermonem esse monet cum *Quintanadueno ecclesiasticon. lib. 4. in fin. ac* S. H. C. apud *Pignatell. Consult. can. 153. num. 21. tom. 10.*

Addit consuetudinem et privilegium in jure aequiparari. *Hojedo loc. cit. part. 2. cap. 11. num. 14*, *Garz. de benef. part. 11. cap. 5. num. 245.* Cum igitur Concilium consuetudini non derogaverit, neque privilegio derogasse censendum est. Praesertim in themate, quia dignitates de quibus agitur sunt mere ventosae ac nullum annexum habent onus quaeque ideo cum officiis Theologi aut Poenitentiarii licite cumulari possunt. Praeterea et hanc unionem Dignitatum cum officiis ex jurepatronatus regio et ex pacto oneroso derivare perpendit. Incontroversi autem juris esse juspatronatus ex privilegio et ex causa onerosa concessum Concilium Tridentinum neque revocasse neque coarctasse citra fundationis legem, juxta ea quae *s. Rota in dec. 499. num. 4. cor. Seraph.* et docet *Barbosa jur. eccl. univ. lib. 3. cap. 12. num. 63.* praesertim cum derogatio fieret privilegio pontificio et regio quod opus habet expressa derogationi juxta regul. cancell. Atqui generalem derogationem non sufficere ubi derogatione speciali opus est, receptum communiter est apud doctores. Demum in dubio dispositionem Concilii non censeri praejudicium inferre voluisse patronis laicis, multoque minus Regibus, ceu docet *Vivian. de jurepatr. lib. 14. cap. 199.*

In hypothesi tandem quod tam Dignitates quam Theologalis redditus uti beneficia proprie dicta habenda sint ea nihilominus cum canonicatu quolibet rite unita reperiri contendit. Cum enim tenues admodum sint redditus tam canonicatuum quam dignitatum ac theologi et poenitentiarii, uti liquet ex computatione proposita a Capitularibus, quam quidem utpote desumptam ex decennali experientia comprobandam esse contendit fretus auctoritate *de Luca disc. 1. n. 5. de praeemin.* et *Fargna de jurepatr. part. 5. can. 9.*, hinc recte cumulari posse attenta scilicet redditnum tenuitate probat cum *Barbosa in Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 14, numer. 28.*, quo in casu unionem fieri posse etiam auctoritate Ordinarii docet *Fargna de jurepatr. part. 5. cap. 9. cas. 4. n. 19, Garz. de benef. part. 3. cap. 2. num. 483.* Praesertim in Neapolitano regno, in

quo beneficia ut plurimum sunt exigui proventus, ceu testatur *Lambertin. de jurepatr. part. 1. lib. 2. art. 15. num. 15.*

Nec tandem praetermittit singula Ciaperonii recensere merita quibus competitori suo Lino Romina autecellere existimat, ut huic in theologalis assequutione praeferatur.

Sed haec rationum momenta, quae juxta morem heic breviter attigi, fuse persequitur allegatio a Ciaperonio distribuenda.

Dubium:

An canonicatus Cathedralis Hatriensis compatibiles sint cum Dignitate et officio Theologi vel Poenitentiarii in casu?

S. C. resp. Affirmative.

Die 17. Decb. 1853.

6) Dignitas estne?

Vd. t. II. p. 523. §: *Canonici.*

7) Electio ad Canonicatum.

a) A Canonicis peragenda.

Vd. p. 64. a; p. 95. III.

Neritonen.

Capitulum collegiatae ecclesiae oppidi Galatonae, Neritonensis dioecesis, jus sibi asserit nominandi novos Canonicos e mansionariorum gremio servato antianitatis ordine assumendos. De hujusmodi jure quod inficiatur Episcopus quaestio jam pendet penes s. hanc Congregationem et suo tempore pertractabitur. In praesenti vero judicio de alio contentionis capite agendum, cui princeps illa quaestio causam praebuit. Nam cum Episcopus, asserto capituli jure posthabito, in duabus postremis vacationibus canonicales praebendas contulisset duobus sacerdotibus, Rubidi et Susana, continuo capitularis procurator Josephus Baglivo protestationem in curia episcopali edidit.

Aliam insuper protestationem transmisit ad nominatos sacerdotes Rubidi et Susana.

Aegro itaque animo capituli resistentiam ferens Episcopus tres praecipuos protestationum auctores, sacerdotes nempe mansionarios Josephum Baglivo capituli procuratorem, Domitium Giuranna et Raphaelem Frezza distinctis decretis diei 1. Novembris. 1859 a Divinis ex informata conscientia suspendit *)

Vd. *t. I. p. 643. n. 59.*

ac praeterea ad recessum in conventum spiritualium exercitiorum vacandi gratia ad suum beneplacitum damnavit. Post sex menses sacerdotum liberationem e claustro imperavit Episcopus, sed firmam manere voluit poenam suspensionis. Contra hanc reclamarunt ad s. Congregationem praedicti sacerdotes et praesentis controversiae argumentum constituerunt.

Interrogatus Episcopus de causis inflictae suspensionis respondit per duas epistolas legendas in summario oratorum num. 8 et 9. In his Episcopus pandit se ad suspensionem et reclusionem trium sacerdotum oratorum processisse in causam protestationum ab ipsis editarum et ope officialis laicae curiae exhibitarum, quas vocat scandalosas, schismaticas et Ordinario necnon s. Sedi injuriosas. Eorum insuper obstinatam voluntatem in tuendis assertis capituli juribus insimulat monens etiam protestationes praedictas absque ullo capituli ejusdem mandato redactas fuisse. Prudenter itaque ob praesentem temporum calamitatem se gessisse existimat, suspensione ex informata conscientia renuentes plectendo ne in publicam revocarentur disputationem jura apostolicae Sedis ab illis temere impugnata, quod quidem non levis scandali occasio fuisset. Praeter haec nihil aliud deductum accepi ab Episcopi procuratore, quem de causae propositione monui.

E contra defensor sacerdotum oratorum, contra Episcopi assertum, quod sine capituli mandato ii egerint, affert actum capitularem in quo aliter omnino diserte enunciatur in eoque nonnullorum Capitularium, qui abdicationem propriis juribus ob comminatas punctiones obsignaverant, retractatio exhibetur.

Paucis vero demonstrare satagit suspensionum injustitiam tum quoad formam tum quoad titulum.

Cum enim res sit de suspensione ex informata conscientia,*) quam ob occultum dumtaxat crimen infligere fas est Episcopis, juxta doctrinas traditas in *Sanctagaten. Suspens. irreg. et privat. beneficii 16. Februarii et 18. Maji 1853*, hinc arguit hanc procedendi formam adhiberi minime potuisse in praesenti casu quo suspensionis causa tota posita erat in protestationibus editis, omnibus sane notissimis, quippe quae et curiae et sacerdoti-

*) Vd. *t. II. p. 643. n. 59; p. 791. d.*

bus nominatis solemni ritu nunciatae fuissent.

Sed titulum ad suspensionem instigendam penitus deficere praeterea probat. Grave enim ad hanc gravissimam poenam requiri facinus monet cum *Pignatell. cons. canon. tom. 4. cons. num. 4.* Quamlibet vero criminis speciem abesse a protestatione, qua quis se sua tueri jura declarat. Omni imo id in themate officii et necessitatis causa factum asserit, ut Capitulares jura sua sarta tectaque successoribus suis amandarent.

Perperam vero protestationem in forma illicitam verbisque injuriosis conceptam traduci. Primo enim verba haec procuratoris Raglivo, si quidem criminosa essent, imputari aliis non debuissent qui actum non scripserunt; deinde a culpa abest, quod Capitulares putaverint nominationem canonicatuum ad se pertinere etiam in mensibus reservatis s. Sedi. Denique advertit defensor non hunc esse Capitularium animum ut hujusmodi apostolicas collationes mensibus reservatis inficiari velint; ac reapse verba haec quae in protestatione exciderunt ad nominatos missa non leguntur in altera protestatione curiae exhibita, nec de hisce juribus mentio facta est in libello penes s. Congregationem ad causam instituendam producto. Hisce vero cumulum imponi ex clausula protestationi adjecta, qua Capitulares dum sua se jura tueri velle affirmant obsequii et reverentiae erga Ordinarium debitae luculentissimum testimonium exhibuerunt.

Sit itaque

Dubium:

An sustineantur decreta suspensionum in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 22. Decembr. 1860.

Continuat. Neritonen.

Novae tamen audientiae beneficium impetravit Episcopi procurator, sed quamvis iterato monitus nullas adhuc deductiones transmisit; hinc diu ac instanter urgente novam causae propositionem sacerdotum, de quorum suspensione agitur, procuratore, mei muneris duxi rem non ulterius comperendinare. Rogo itaque EE. VV. ut benigne reassumant folium in anteacta propositione distributionum, dum diluendum subjicio

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.: In decisis et amplius.

Die 1. Junii 1861.

b) Inter Canonicos et Episcopum jus dubium.

Vd. *Canonicat.* (Canon. suffragia p. 64.); p. 95. III.

Capuana.

Per obitum sacerdotis Michaelis Russo vacavit die 23. Decembris 1846 canonicalis praebenda in collegiali ecclesia s. Michaelis Archangeli, quae in Martinianisii oppido est (vulgo Marcianise) Capuanae dioecesis super qua illius Collegiatae capitulum ex fundatione cujusdam Felicis Foglia patronatus jure seu facultate nominandi ac praesentandi Canonicum ad presbyteralem praebendam jamdiu utitur. Ubi Emo Antistiti Capuano dicti sacerdotis mors innotuit, illico per epistolam die 17. Januarii 1847. Capitularibus significabat perquam sibi gratum fore ut nominatio fieret favore Canonici diaconi ejusdem Collegiatae Thomae Chiara; munere enim Vicarii foranei ille fungebatur. Verumtamen spe sua fraudatus est Archiepiscopus responso a Martinianisiense capitulo accepto die 28. Januarii 1847 haud fieri posse ut electorum suffragia in Canonicum diaconum Chiara confluerent, quem pluribus notis obnoxium asserebant. Ob id forsitan valde indignatus Canonicus fuit Chiara: et si fides Capitularibus est habenda, nominationis cunctatio ad ultimum usque terminum ipsius tantum artibus esset tribuenda, qui vel objurgationibus vel minis vel etiam poenis in nonnullos ex Canonicis sibi infensis adhibitis studuit perturbare comitia ne in alium electio caderet. Quod certum est nominationis actus nonnisi exeunte re ipsa Canonico sex mensium termino hoc est die vicesima Junii prodiisse reperitur.

Porro ex ipsius actus tradito exemplari colligere est Martinianisiense capitulum dicta die frequenti undecim Canonicorum numero comitia habuisse.

Mox hujusmodi actum Marino ipso propria subscriptione munitum, celerius quo fieri potuit, die scilicet subsequenti 21. Junii ad curiam episcopalem capituli Primicerius

remisit per Angelum Rossi ipsius capituli famulatui addictum, qui fidem suam de actus traditione perhibet.

Ast dum spem capitulum ac electus Canonicus Marino fovebant fore ut nominationi consensus ac approbatio Eminentissimi Archiepiscopi accederet, contrarium prorsus praeter expectationem evenit; nam die 23. memorati mensis decretum ab ipso Archiepiscopo editum est ac ad Martianisiense capitulum per apparitorem missum, hisce conceptum verbis: *Attento quod Canonici patroni nullam personam intra legitima tempora juxta text.* cap.: Unic. de jurep. in 6. *nobis nominaverint et praesentaverint servatis omnibus juxta legem et receptam praxim ecclesiastici fori et nostrae archiepiscopalis curiae, vim legis habentem, Nos tenore praesentium omni meliori modo, via, forma etc. decernimus et declaramus elapsum esse tempus a jure dictis patronis concessum ad praesentandum idoneam personam nobis ad dictum canonicatum et hac vice dumtaxat jus ad nominationem amisisse ipsamque nominationem ad nos hac vice pariter spectare juxta praescriptum* cap.: Si vero 12 de jurep. *appellatione quacumque remota, collationemque dicti canonicatus ad nos libere pertinere.*«

Quia aegro tulit animo Canonicorum pars hujusmodi decretum, continuo statuit illud per appellationem delendum esse, hunc-que in finem Ferdinandum Santoro procuratorem constituerunt. Sed Vicarius generalis Martianisium pergens die 27. ejusdem mensis Canonicum diaconum Chiara, quem Archiepiscopus ab initio capitulo commendaverat, in presbyteralis praebendae vacantis possessionem immisit aliumque simul presbyterum Angelum Paoletta in Thomae Chiara locum suffecit.

Reliquum tunc sibi esse cognovit Marinus appellare ad S. H. C., in qua comitem capitulum habuit. Verum factum est ut Vicarius generalis provocationis actum a procuratore exhibitum prorsus rejiceret: quamquam hic ab incoepto minime desistens et accito tabellione adhibitisque testibus iterum institerit ut si forte appellatio recusaretur solemniter hujusmodi repulsa in actis conscriberetur: quod sane, ut praevisum fuerat, evenit. Interim instantibus iis coram S. C. datae sunt Emo Archiepiscopo literae, quibus requirebatur ut audito etiam promotore fiscali scitu omnia opportuna super re quam primum suppeditare vellet.

Jam vero quae habet Vir Emmus in sua responsione perfecte concordant cum fiscalis deductionibus, hoc est, asserit primo capitulum de jure nominationis excidisse ob lapsum legitimi temporis et quia adhibitae non fuere solemnitates a jure canonum requisitae pro legitima praesentatione: authenticum ac legitimum capitularem actum inficiatur: negat etiam relectam fuisse Marini appellationem eamque contra profitetur admissam. Repulisse vero affirmat eam ipsam appellationem factam a Canonicis.

Atque hic exhibet documentum diei 21. Augusti 1847. tabellionis manu exaratum quo septem ex Canonicis ipsius Martianisiensis capituli declarant sese ratam habere ac legitimam possessionem a Canonico Chiara acceptam vi nominationis ab eminentissimo Antistite obtentae post lapsum termini ecclesiastico patrono praestituti. Declarant insuper se nunquam adhaesisse appellationi a nonnullis tantum Canonicis temere interpositae. Sic autem probata sua agendi ratione haud ambigit Eminentissimus Archiepiscopus quin EE. VV. rejecturae sint.

Post haec contestata est lis coram nobis ab utrinque accitis procuratoribus atque concinnata rogationis formula, quam hodie dirimendam EE. VV. judicio submittimus. Sua contendentes proferunt rationum momenta in allegationibus circumferendis, quarum tamen synopsim praestat de more exscribere. Atque ut a Marino exordiamur jurisconsultus qui ejus partes tuetur in id totus incumbit ut nominationis ac praesentationis validitatem mordicus sustineat. Porro perquam facile id sibi successurum confidit, ubi in facto demonstratum fuerit electionem et praesentationem sui clientis locum habuisse tempore ad electionem et praesentationem a jure concesso nondum absumpto, scilicet intra semestre spatium, cum res sit de patrono ecclesiastico, ex *cap. 2. in tit. de concess. praebend.*, quo in casu nulla patet Ordinario facultas conferendi jure sibi devoluto. Atqui, disserit ipse, res compertissima in facto est Martianisiense capitulum non ultra semestre tempus nominationis actum emisisse, nam a die 22. Decembris 1846, qua ob mortem ultimi possessoris vacua evasit canonicalis praebenda, ut consummaretur ejusmodi tempus, dies 22. Junii 1847. ex-

spectanda erat; contra Paschalis Marino electio contigit die 20. Junii ejusdem anni posteroque die electi facta fuit praesentatio; nihil est igitur in quo ob temporis lapsum reprehendi merito valeat actus a capitulo gestus, qui ceteroquin firmus haberi debuisset, licet ad postremam horam dilatus, cum docente *Pichler lib. 3. tit. 9. numer. 10. de iurepatr.* et *Van Espen. tom. 3. part. 2. sect. 3. tit. 4. §. 5*; tempus sex mensium currat de momento in momentum, adeo ut si beneficium vacaverit certa die et hora nonnisi ab eadem die et hora semestris termini tempus incipere statutum sit.

Quamo etsi ad electionis et praesentationis actum post utile tempus Canonici Martianisienses devenissent mensesque etiam varii a termino effluxissent, non ideo tamen minus legitima ac valida agnoscenda esset praesentatio in themate, quum prohibiti ipsi fuerint quominus citius eam perficerent. Tempus enim legitime impeditis nonnisi a die receptae agendi libertatis computandum est nec unquam interim Ordinario conferendi beneficium patronatum fit potestas quum hoc juris nonnisi in poenam negligentium patronorum ipsi tribuatur ad text. in *cap. 5. de concess. praebendae*, *Van-Espen. dict. tit. par. 2. tom. 3. cap. 5. §. 6.* cui consonat *Rotae Auditorium decis. 332. cor. Riminaldo. §. 7. et 8.*

Verumtamen de impedimentis capitulo objectis nec minimum ambigi potest quicumque noverit quod nemini licet ignorare et fraudes adhibitas et structas insidias vimque etiam illatam a Vicario foraneo Capitularibus ad eos de die in diem absterrendos ab electione ac praesentatione facienda; quare nonnisi per summam injuriam capitulum in sui juris exercitio negligentiae redargueretur.

Everso ita primo archiepiscopalis decreti fundamento alterum aggreditur impedimentum in eo positum quod Capitulares praesentaverint Canonicum Marino haud servata lege ac recepta praxi fori ecclesiastici et curiae Capuanae vim legis habente. Utque argumenti hujus levitatem confutet, non aliam ait in clericis praesentandis esse posse legem ac praxim ecclesiae quam quae a sacris canonibus traditur; jure autem a patronis praesentantibus id unum requiri ut ipsi electionis actum ad Ordinarium transmittant, a quo danda institutio est allata ad rem auctoritate *Pichler tit. de elect. §. 7. num. 52.* Atqui, rem ita prosequitur, ad unguem id servatum est: siquidem nemo inficias ibit patronos, peracta vix electione, hominem ad curiam misisse nuncium absolutae jam electionis electique personae necnon electorum nomina in imma actus cera subscripta afferentem. Nec suspicandum sane patronos praesentationem ita perficientes a recta deflexisse regula, quum omnes facile noverint, rite et legitime praesentari possè per se, per procuratorem, per literas, quia praesentatio extrajudicialibus actis accensetur. Ad rem *Schmalzgruber par. 4. tit. 38 de jurep. §. 114.* consonante *Rota in recentior. decis. 176. par. 15. §. 14 et pressius decis. 285. par. 16. §. 3. et seqq.*, ubi aperte traditur pro praesentationis actu certam formam minime esse praescriptam, sed sufficere »quomodocumque voluntas patroni circa praesentandum vacantis ecclesiae Ordinario innotescat.«

Ad consuetudinem vero Capuanae curiae circa praesentationes quod attinet, eam pariter plane servatam fuisse in themate sustinendum. Et perperam contempta quodammodo diceretur ex actu haud exhibito *in carta di bollo* neque in actis perscripto, quum ex perquisitis monumentis in ipsius Collegiatae tabulario asservatis fidem perhibeat Primicerius. Id ipsum confirmat tabulario praefectus, qui in Martianisii pagi provincia est, quatuor ad eumdem canonicatum nominationes referens ab anno 1838 deque singulis testans.

Servatam quoque fuisse superiorem praxim quoad personam, quae destinari consuevit ad nominationis actum unacum officiali epistola curiae offerendum, probatur testimonio hominis qui in casu, de quo agitur, id muneris obivit.

Jam vero post tam longaevam observantiam, plurimis ejusdemque tenoris actibus confirmatam, de legitimitate praesentationis nefas omnino esset ambigere; *Rota decis. 295. num. 19. par. 13. recent. decis. 165. n. 29. cor. Ottobono.*

Ut autem nullis intrinsecus vitiis nutaret archiepiscopale decretum, tot tamen tantaque sunt, queis etiam extrinsecus laborat, ut stare omnino non possit. Sane constat nec capitulum nec nominatum Marinum in jus unquam fuisse vocatos nec quidquam temporis iisdem concessum quo possent jura

sua tueri et electionis praesentationisque validitatem a contrariis exceptionibus vindicare contra apertam canonici ac civilis juris censuram, qua satuitur nihil judicio agi posse nisi citatis ac auditis quorum interest prout videre est *in cap. 1. de caus. concess. et propriet. leg. 8. cod. quomod. et quando Judex.* Constat etiam de possessione data Canonico Chiara non expectato legitimo termino quo a suis clientibus provocari a decreto potuisset, atque de refutata ab ipsa curia appellatione, abutendo dispositione *cap. Si vero 12. de jurep.* vi cujus clausula decreto ipsius curiae adjecta est »*omni appellatione remota*« cum caeteroquin scitissimum in jure sit cuncta in irritum cedere acta quae pendente termino ad appellandum patrantur *ad text. in leg. 1. ff. nihil innov. appell. inter*, cui cohaeret *s. Rotae Auditorium in decis. 586. num. 1. par. 2. tom. 2. recent.*

Rem tamen aliter definiendam arbitratur Canonicus Chiara ex iis rationum momentis quae subtiliter et copiose ab ejus patrono exposita perlegent EE. VV. in sua allegatione. Et hic primo despiciendum esse contendit quidquid ex adverso contra relatum curiae decretum effutitur, scilicet, quod ejusmodi decreto haud praeiverit patroni citatio neque expectatus terminus ad provocandum. Quandoquidem, ait ipse, haec exulare prorsus in themate opus est, quo non de judiciali sententia aut decreto agitur, sed de mera facti declaratione, esse locum videlicet jure ipso liberae beneficii patronati collationi ob negligentiam patronorum. Pervulgati enim juris est, si patronus jus suum exercere neglexerit aut male exercuerit Episcopum non jure novo aut dativo, sed jure suo proprio ac primaevo beneficia conferre. Ad rem *Card. de Lucu de benef. disc. 1. n. 16*, *Leurenius for. benef. par. 2. sect. 3. quaest. 747*, *Van-Espen. par. 2. tit. 25. num. 25. de jurep.*, *s. Congr. in Balneoregien. 8. Junii 1775.* §: *Quoties, in Neapolitana Capellaniae 28. Julii 1837.* §: *Videant.*

Nec tenetur Episcopus jus hoc per sententiam sibi vindicare neque ejusdem notitiam negligentibus patronis nunciare, ceu post textum in *can. 2. de supplic. neglig. Praelat.* docent *Gonzalez. lib. 1. decret. eod. tit. numer. 14*, *Hostien. in summa ejusdem. tit. num. 7.* Et ratio est quia amissa semel facultate nominandi omni jure ipsi privantur sive ad impetrandam morae purgationem sive ad appellationem interponendam. *Barbos. de off. et pot. Episc. par. 3. alleg. 76. reg. 2. n. 54. et seqq.*, *Gonzal. loc. cit. num. 17*, *Pirhingh. lib. 1. tit. 10. de supp. negl. Praelat. §. 1. num. 1*, *Murga de benef. quaest. 3. num. 134.*

Gradum deinde faciens ad memorati decreti justitiam directo demonstrandam vehementer contendit elapsum reapse fuisse semestre tempus quin capitulum electionem ac praesentationem ad canonicatum, de quo res est, perficeret. Haud namque, inquit, exhibetur instrumentum fide dignum perfecti actus; nullum autographi in archiepiscopali curia extat vestigium, quod contrarium suadere valeat; imo ex octo Canonicorum declaratione ceterisque rerum adjunctis validum exurgit argumentum vel pro impugnanda actus existentia vel pro ejusdem actus nullitate adstruenda.

Illi enim Canonici altum de electione et praesentatione silentium tenent.

Nec rem mutare potest vel depositio Angeli Rossi capituli famulatui mancipati vel testimonium Canonici secretarii. Prima namque nullam per se meretur fidem tum ob personae conditionem tum ob narrationis adminicula, quae apprime suadent illum non ex propria scientia sed ex unius primicerii dicto, qui caeteroquin in hac causa suspicioni obnoxius est atque ut eidem morem gereret, talia deposuisse.

Alterum pariter despiciendum est, quia nec veritatis notis suffultum apparet nec saltem vacat suspicione. Animadvertendum enim illud esse subsignatum a minima Canonicorum parte, in suffragantium numero reperiri etiam nomina Thomae Chiara et Paschalis Marino, qui periculo facto de assequendo beneficio contenderunt, perinde ac si fas ipsis esset votum in propria causa ferre, contra *text. in Clementina I. verb. Inhiantes de jurepatronat.*, cui adhaeret *Suarez. de relig. tract. 3. lib. 2. cap. 12. num. 9.*

Hisce, quae nullum irritumque capitularem actum satis ostendunt, veluti fastigium imponit apertissima nonnullorum Canonicorum iterata declaratio qua devolutionem juris admittunt, legitimam Emi Archiepiscopi collationem agnoscunt appellationemque capituli nomine interpositam respuunt.

Nulla praeterea in themate probatur le-

gitima praesentatio Ordinario facta. Quamvis enim haud liceat denegare praesentationem per literas etiam a patronis scriptas fiere posse, tamen ut legitima ea facta dicatur omnino ex lege requiritur, ut ipsae literae Ordinario collatori a persona electa et nominata vel ab altero specialiter deputato peculiarique mandato munito ad effectum institutionis exhibeantur, uti optime ad rem tradit *Van-Espenius part. 2. tit. 25. de jurepatr. §. 30 et seq.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 6. n. 33*, *Riccius in prax. for. eccl. part. 1. resol. 148 et 150.* Quod si aliter actus fiat, non vocatur praesentatio, sed simplex nominatio seu designatio personae, quae proinde si intra utile tempus non praesentetur superiori nullum jus quaesitum parit nominato et Ordinario libera patet collatio beneficii. Hoc enim intercedere discrimen inter nominationem et praesentationem docet *Piton. de controv. patron. alleg. 78. n. 71. ut nominatio* sit actus privatus ipsius patroni, praesentatio vero actus solemnis, qui fit coram superiore potestatem habente instituendi. Atqui utrumque in casu deficit: nam nec Marinus coram Ordinario institit nec famulus specialiter a capitulo fuerat deputatus nec mandato munitus nec exhibitus actus ad effectum institutionis: ergo qualiscumque ea fuisset exhibitio, in nudam ad summum simplicemque nominationem convertebatur.

Quin officiat in documento exhibito perlegi Capitulares eodem statu electum praesentare: nam cum reapse electus seu mandatarius numquam institui petierit, nullius roboris evasisse declarationem illam tenendum est. Accedit actum eumdem haudquaquam fuisse factum juxta neotericas Neapolitani regni leges, propterea jure meritoque a curia despici potuisse. Siquidem usque ab anno 1841. mandatum a Rege fuit ut in quibuscumque actibus utriusque administrationis omnes uterentur papyro publico signo donato, haud exceptis nominationibus patronorum locorum Ordinariis exhibendis in publico instrumentorum tabulario prius registrandis, inflicta nullitatis poena contra hujusmodi legis violatores.

Hisce utrinque disputatis damus dirimendum

Dubium:

An decretum curiae archiepiscopalis Capuanae sit confirmandum vel infirmandum in casu?

S. C. resp.:

Dilata ad primam post proximam et scribatur Emmo Archiepiscopo ut sollicite transmittat exemplar foliorum, quae a capitulo per Angelum Rossi ad curiam dicuntur allata.

Die 10. Junii 1848.

Continuatio.

Porro ad literas in id datas Emus Capuanus Archipraesul die 30. supradicti mensis respondit et ab altera parte accepimus primo testimonium Canonici Primicerii ipsius Martianisiensis capituli.

Accedunt Primicerio decem ejusdem Collegiatae Canonici omnes testimonium perhibentes.

Exemplum insuper ab archivio capitulari coram binis testibus charactere sacerdotali praeditis eductum exhibetur epistolae sub die 21. Junii 1647 a Primicerio conscriptae e cujus tenore deprehenditur Vicario generali missam fuisse ab eodem Primiserio conclusionem capitularem de nominatione facta ad canonicatum presbyteralem favore Canonici diaconi Marino.

Demum id octo ex oppidanis Martianisiensibus coram tabellione deponunt. Rescripto diei 10. superioris Junii demandabatur Emo Archiepiscopo *deponi redditus canonicatus ad effectum tradendi eos cui de jure post exitum causae.* Verumtamen reluctavit curia archiepiscopalis illud exequtioni committere et mox, vadato procuratore Canonici Marino, institit pro ejusdem decreti abrogatione: eo tamen obsistente remissa est instantia EE. PP. ut accessoriam controversiam una cum principali cognoscerent hodiernis quae calantur comitiis. Quare contendentes ex utraque parte memoriale distribuunt urgentque, ut bina EE. PP. definiant quaestionum capita seu totidem quae subsequuntur

Dubia:

I. *An decretum curiae archiepiscopalis Capuanae diei 23. Junii 1847. sit confirmandum in casu?*

II. *An rescriptum s. Congregationis diei 10. Junii 1848. exequendum sit in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Dilata, ad sequentem.

Ad II: Affirmative.

Die 29. Julii 1848.

Continuatio.

Principalis igitur quaestio rursus hodie proponenda erit ut primaevi sui dubii obtineat solutionem. Quo super dubio nihil novi habemus praeter aliud monumentum, ex quo ut verbis utamur procuratoris Marini litisque consortum patet *nominationem a Martianisii capitulo certo certius fuisse Revmae curiae Capuanae utili tempore praesentatam. Nam quamplures Revmi Canonici ecclesiae Cathedralis Capuae aliique praestantissimi viri uno ore testantur, se vidisse Angelum Rossi capituli famulum dum praesentaverat nominationem praedictam et audivisse etiam a promotore fiscali fuisse eamdem praesentationem Vicario generali traditam.*

Haec omnia cum authentico monumento etsi per replicationem in scriptis pridie quam superiora comitia cogerentur fuerint producta, nos tamen, quia tunc temporis nullam de iis rationem habere potuimus, ideo nunc eadem haud voluimus praetermittere. En vero quod superest enodandum

Dubium:

An decretum curiae archiepiscopalis Capuanae diei 23. Junii 1847. sit confirmandum in casu?

S. C. resp.:

Provisum per collationem alterius praebendae favore Canonici Chiara.

Die 26. Aug. 1848.

Fodiana.

Capitulum s. Mariae de Fovea antiquitus collegiale ac Trojano Episcopo subjectum nuperrime ad Cathedralis honorem evectum vel ab immemorabili tempore universo per anni menses Canonicos in sua ecclesia eligere consueverat. Quae quidem eligendi facultas post conventionem inter apostolicam Sedem et Siculam Majestatem anno 1818 solemniter stipulatam ad quatuor priores alterius semestris menses fuit coarctata, quemadmodum commissio ejusdem conventionis interpres definivit. Verum die 23. Junii anni 1855 factum est, ut SS. D. N. P.P. Pius IX. postulante supremo utriusque Siciliae Imperante Fodianam ecclesiam cathedralitatis dignitate decoraverit. Inde praesentis controversiae origo. Fodianus siquidem Antistes quamcumque eligendi facultatem Canonicis ademptam fuisse contendit ex eo quod eorum ecclesia cathedralis fuerit renunciata; capitulum ex adverso antiquum jus acriter protuetur. Utriusque deductiones paucis referam.

Adlectus Episcopi orator in antecessum praemittendum censet Fodiani capituli historiam, quam in suis allegationibus circumferendis fuse et eleganter describit. Ibi maxima monumentorum copia fretus commonstrat varias rerum vices, quibus obnoxium fuit praefatum capitulum. Recolit imprimis Fodianam ecclesiam vel ab anno 1066 Trojano Episcopo per apostolicas literas Alexandri II. fuisse subjectam. Id aegro animo ferentes Fodiani clerici supremi Pontificis auctoritatem adierunt, qui mandavit ut ad bonam frugem contumaces revocarentur. At in apostolicum Delegatum praedictam ecclesiam s. Mariae adeuntem violentas manus injicere Fodiani non dubitarunt et »pugnis cum plurimis contuderunt, duris alapis caeciderunt et eo in terra prostrato per capillos ipsum diutius pertrahentes et vestimenta dilaniantes calcibus amarissimis percuserunt et sanquine cruentarunt . . . et literas apostolicas igne cremarunt,« ut ipse refert Caelestinus III. qui proinde Fodianum clerum anathemate percutit. Quam poenam in perduelles anno 1220. Honorius III. iteravit ejusque sententiam de ecclesiae subjectione erga Trojanum Episcopum anno 1227 Gregorius IX. auctoritate apostolica confirmavit.

Post haec enarrat Fodianum capitulum ecclesiasticis censuris iterum iterumque perculsum Episcopo Trojano tandem cervicem flexisse sed, ut jus conferendi beneficia sartam sibi praeriperet, literas nomine Clementis III. confixisse, quae in sui favorem vel a die 6. Maji 1157. perhibebantur editae. Illico obstitit Arnaldus, qui tum temporis Trojanam ecclesiam moderabatur. Res apostolicae Sedis judicio defertur sed Fodiani Canonici jactatum privilegium exhibere detrectant. Hinc Joannes XXII. anno 1320. antiquas censuras in Fodianum clerum renovandas decrevit. Tum denique Capitulares Clementinas literas produxerunt coram Arnaldo, qui eis permotus ac styli romanae curiae fortasse ignarus an. 1324. indulsit »quod dictus Archipresbyter et capitulum habeant electionem Archipresbyterum seu cantorem, ut praemittitur, eligendo.« Verum ejus successor Bisnagius de rei veritate subdubitans apostolicas Clementis III. literas examinandas jussit, quas tamen exhibere ca-

pitulum recusavit. Illico Episcopus ad romanum Pontificem provocavit, qui an. 1334 Cardinali Almerico peculiari jussu mandavit, ut de Clementinarum literarum genuitate judicium ferret. Apostolicus Delegatus pro tribunali sedens vel ab initio sub jurisjurandi religione Canonicos interrogavit, utrum ipsi privilegii productionem confirmarent. Ad incitas extremas Capitulares redacti Clementinae constitutionis falsitatem detegi animadvertentes »eorum propria voluntate renuntiaverunt liti praedictae et probatis et productis pro eorum parte factis et specialiter privilegio exemptionis eorum praedictae ac praescriptioni per eos allegatae et quibusdam consuetudinibus vel statutis ecclesiae Fodiannae.« Nihilominus controversae literae Romam missae sunt, iisque prudenter investigatis ita Clemens VI. an. 1347. definivit »in cancellaria ipsa compertum est dictas literas . . . fore falsas. Quapropter praedictas literas falsas esse decernimus et etiam declaramus quaecumque ex eis secuta sunt cassa, irrita et inania.« Ex quibus deducit orator quamlibet beneficia conferendi consuetudinem fuisse omnino deletam quam capitulum ex falsitatis crimine sibi vindicare adnitebatur.

Literarum falsitate in propatulo posita nil aliud supererat Canonicis, quam ad Trojani Episcopi pietatem convolare. Quam viam ipsi revera inierunt universa ejus arbitrio ac gratiae remittentes. Paterno affectu et pastorali sollicitudine prodigos filios Episcopus amplectitur eosque gratiis ac privilegiis exornat inter cetera concedens »quod quandocunque ipsius ecclesiae vacabit de cetero archibresbyteratus electio ad cantorem Collegiatae et Canonicos pertineat.« Hinc assertum eligendi jus non ex jurepatronatus aut ex oneroso titulo aut ex transactione cum Episcopo inita sibi capitulum quaesivit: sed eidem fuit indultum ex episcopali benignitate. Quae tamen haud fregit Canonicorum pertinaciam. Qui quidem adversus Episcopum iterum rebellionis vexillum extullerunt meriti proinde, ut Callixtus III. an. 1456. monitorialibus literis in eos animadverteret.

At cum in crimine adhuc insordescerent, opus exinde fuit ut an. 1538 anathematis poena iterum plecterentur adhibito quoque in contumaces saeculari brachio. Sed temporis progressu Canonicorum audacia eo devenit, ut ipsi an. 1776 Clementi XIII. tria canonicalia beneficia conferenti acriter obstiterint. Hinc quammaxima scandala ex capitularibus electionibus, adversus canonicas sanctiones peractis, in gravissimam populi perniciem derivare solebant, quemadmodum inferri datur ex compluribus testimoniis, quorum vim Episcopus Monforte complexus an. 1829. miserum Fodianae plebis statum describit.

Quibus sic stantibus utriusque Siciliae princeps vel ab an. 1798. eligendi jus Fodianis Canonicis confirmat, quousque tamen certa definitione non coerceatur.

Quod profecto factum est per solemnem conventionem inter romanam Sedem et Neapolitanum Regem an. 1818. initam, in cujus articulo X. sancitur: »Canonicatus liberae collationis in capitulis sive cathedralibus sive collegiatis respective conferentur a sancta Sede et ab Episcopis, scilicet sex primis anni mensibus a s. Sede, aliis vero sex mensibus ab Episcopis.«*) Quare exceptis patronatis beneficiis reliquorum collatio romano Pontifici et Ordinariis tribuitur. Et re quidem vera universa capitulorum jura deleta fuisse quoad Salernitanos Canonicos in terminis definierunt novae conventionis interpretes, qui ipsissimum decretum ad Fodianum capitulum traducere. Verum eidem ex Episcopi consensu indultum fuit, ut quatuor per anni menses eligendi jure polleret. Hinc in collationis literis Fodiani Episcopi diserte cavent praefatum jus anteactis temporibus ad capitulum quidem spectasse ex praescriptione, »post ultimum vero concordatum nostri regni anni 1819 ex nostro beneplacito et consensu.«

Sed cum Fodiana ecclesia cathedralis fuerit renunciata universum eligendi jus peremptum fuisse contendit. Quod probe Capitulares noverunt, qui splendidissimum cathedralitatis honorem idcirco repudiabant. Sed cum res in eo foret, ut executioni mandaretur, Fodiani Canonici supplicem libellum sac. Congregationi consistoriali porrexerunt adprecantes confirmationem sui juris, quod non ex jurepatronatus, sed dumtaxat ex Episcopi liberalitate sibi quaesitum fuisse profitentur. Verum rejectis capituli precibus demum eo tenore nova Fodianae ecclesiae fundatio fuit peracta, ut antiqua consuetudo penitus deleretur. Siquidem apostolicae literae veterem ecclesiae statum perspicue evertunt ac Fodiano Antistiti amplissimam committunt jurisdictionem secundum commune jus et hodiernam praxim Neapo-

*) Vd. *p. 77. d.*

litanarum dioeceseon, revocatis ad eosdem tramites capituli juribus. Quin immo speciatim cavetur nominationes ita fore peragendas ut norma et ratio unice haberetur ad apostolicas literas: *In supremo*, quibus sancita fuit memorata conventio.

Hisce in facto notatis titulum juris eligendi inquirens animadvertit illud oriri vel ex justitia et veri jurispatronatus indolem praeseferre, vel ex gratia et dumtaxat electionis exercitium importare, quod stricta regitur interpretatione ac ad concedentis libitum potest revocari, ceu scribit *Cagliardi de jurep. cap. 4. num. 1. cap. 8. num. 21. et 35.*

Atqui eligendi jus ex privilegio mere gratuito Fodiano capitulo an. 1347. quaesitum fuisse ex praehabita factorum historia liquido apparet. Tunc enim temporis Canonici praetextu quarumdam literarum falso fabricatarum electionis privilegium exercuisse fatentur, cui deinde nuncium miserunt cognoscentes aperte quod justitiam non fovebant. Nihilominus Episcopus eisdem benigne indulsit eligendi facultatem, quam summus Pontifex confirmavit. Nec vola igitur nec transactionis vestigium reperiri fas est in memorata concessione anni 1347.

Frustra autem capitulum confugit ad bullam an. 1214. latam a Philippo Trojano Episcopo qui una cum redditibus quatuor ecclesias eidem concessit adjiciens »quas vos aedificari fecistis.« Etenim invocata episcopalis litera capitulo datur, cujus proinde praebendas jam fundatas praesumit.

Insuper ecclesiarum redditus non ex Canonicorum perculio sed ex Episcopi donatione dimanant. Ceterum ante gratiam an. 1347. ab Henrico Trojano Praesule obsignatam capitulum gratuitum Clementis III. privilegium unice jactabat. Igitur non fundatio aut dotatio, sed nonnisi episcopalis benignitas eligendi jus Fodianis Canonicis creavit. Cujus tituli ex gratia quaesiti naturam haud immutari et per immemorialem electionum possessionem decrevit *s. Rota in Caesenaten. seu Ariminen. Molendini 16. Junii 1743. cor. Calcagnino in decis. 59. num. 25. coram Olivatio* et affabre tradit *Pitonius de contr. patr. alleg. 47. num. 65.* Quin immo comperta gratuiti tituli origine quamlibet praescriptionem nullam vim sibi posse vindicare scribit *Gagliardi op. cit. c. 8. de jurep. num. 1.*

Cum itaque eligendi jus quo pollebat capitulum non ex jurepatronatus (ut ipsi Canonici exacto saeculo apertissime confessi sunt) sed ex episcopali liberalitate originem ducat hinc illud radicitus avulsum dicendum post conventionem anni 1818, ceu in supremo ejusdem tribunalis peculiari decreto sancitum fuit. Quod si posteriori tempore ejusdem juris exercitium aliquot mensibus Fodiano capitulo superfuerit, id ex Episcopi beneplacito dumtaxat esse repetendum insequentes collationis literae luculenter edicunt.

Verum omnimodam eligendi juris amissionem propugnat ex novissima immutatione Fodianae ecclesiae, quae anno 1856 ad cathedralitatis fastigium fuit evecta. Rem primum implicite evincit praesumpta capituli voluntas. Siquidem explorati juris est patronum qui consentit ecclesiam in collegiatam converti, nominandi facultatem amittere prout docent *Schmalzgrueber in jus eccl. univers. part. 4. tit. 38. num. 45.*, *Reiffenstuel ad lib. 3. decret. tit. 38. num. 125.* Atqui Fodiani Canonici licet initio inviti, postea tamen cathedralitatis negocium enixe procurarunt archipresbyterum ad hoc delegantes. Eo vel magis quod capitulum probe senserit ex nova suae ecclesiae in cathedralem erectione eligendi jus penitus deleri, uti liquet ex superius narratis.

Item contendit implicite eligendi jus evanuisse ex mutatis conditionibus. Hujusmodi enim privilegium, quod ecclesiae servitutem imponit, canonicis sanctionibus adversatur prouti declararunt Innocentius VIII. 10. Cal. Septemb. an. 1485, Hadrianus VI. apud *Gagliardi op. cit. cap. 8. num. 14.* ac *Tridentina synodus in c. 9. sess. 25. de reform.*, ex cujus sanctione universa gratuita privilegia superiori tempore permissa non sunt amplius attentenda ceu monet *Reiffenst. in lib. 3. decret. tit. 38. num. 12.* Et revera assertum eligendi jus interiisse post conventionem anno 1218 initam iterum iterumque definitum est.

Hinc memorata concessio invalida ac irrita luculentissime renunciata hodie amplius asservari nequit mutatis omnino concedentis ac petentium conditionibus. Privilegium siquidem creaverat Trojanus Antistes: ideoque illud ferre non debet Fodianus Episcopus, qui nullo prorsus vinculo cum concedente conjungitur. Indubium sane est privilegia ut amplissima, mutato regimine,

tertios minime officere, ceu perbelle definivit in casu consimili *Rota dec. 313. num. 4. et seqq. part. 4. tom. 1. recen.*, cui consonant *de Luca in disc. 10. de jurisdict. n. 5. in disc. de feud. num. 22.*, *Gagliardi loc. cit. num. 5.*, *Pitonius in disc. 9. n. 13.*

Thesim suam confirmat ex eo quod in novae Cathedralis fundatione antiquum collegium fuerit suppressum, deletum ac exstinctum: quod apertissime portendunt apostolicae literae. Jam vero veteris collegii extinctio antiquum privilegium perimit omnino, quemadmodum doctissime traditur apud *Scarfant. animadv. ad Ceccoper. tom. 2. Vot. decis. vot. 59.* Quod juris principium exornat *Pitonius disc. eccl. 9. num. 28.* et solemniter sancivit *Rota in dec. 1445. num. 2 et 7. cor. Seraphino* ita decernens: »Consuetudo vero ante erectionem non facit ad rem quia mutato statu mutatur jus et ejus effectus.« Quocirca unacum collegio antiqua ejusdem facultas implicite extincta prorsus est dicenda.«

Verum et explicita ratione praefati juris abrogatio perspicue sancitur in apostolicis literis, quarum vi Fodiana ecclesia Cathedralitatis honorem est assecuta. Hae siquidem de praebendarum collationibus ita praecipiunt: »Norma et ratio unice habeatur ad apostolicas literas sub plumbo, quae incipiunt:« In supremo apostolicae dignitatis culmine«. At in vim allegatae bullae sancitur: »Canonicatus liberae collationis in capitulis sive cathedralibus sive collegiatis respective conferentur a s. Sede et ab Episcopis.«

Oggerunt tamen Canonici sanctionem hujusmodi nullatenus attingere Fodianas praebendas, quas minime liberas sed patronatas contendunt. Ast pergit, posita adversariorum interpretatione, supervacanea et absurda fieri pontificiae constitutionis verba et ad confusionem potius quam ad legis perspicuitatem apposita. Eo magis quod novae erectionis negocium ita ab apostolica Sede executioni soleat committi, ut prius apprime comperta explorataque sit ecclesiasticorum beneficiorum indoles ac natura. Hinc in erectionis literis adhibendum fuisset vocabulum »institutionis,« non vero »liberae collationis.« Accedit authentica memoratae conventionis interpretatio, quae Fodianae ecclesiae jura revocavit ad Salernitani capituli speciem. Hinc anno 1829 definitum est Fodiani Capituli jus exerceri »per mera concessione pontificia e non in vigore di patronato.« Quae pontificia concessio revocata fuit per novissimas literas, quibus Fodiano capitulo ea tribuuntur jura »quae alia hujusmodi capitula in ea regia citra Pharum ditione ordinarie praeseferunt legitimeque in usu tuentur.«

Incassum autem ad expressam et peculiarem derogationem Fodianos Canonicos confugere affirmat, qua procul jus alteri quaesitum sartum tectumque perseverat. Praeterquam quod enim in extrema constitutione sanciatur »Non obstantibus de jure quaesito non tollendo . . . . Nostris et cancellariae apostolicae regulis«, contendit in themate quamlibet expressae derogationis necessitatem exsulare. Res siquidem foret de ecclesiastico jurepatronatus, in quo contraria dispositio non solum supremi Pontificis bene vero et ipsius Legati a latere pro derogatione in perpetuum habetur, *Fagnanus in c: Cum propter de jurep. num. 52.*, *Vivian. in praxi jurisp. lib. 14. c. 2. num. 6.* et *c. 1. n. 133.*, *Schmalzgrueber in jus eccl. univ. par. 3. tit. 38. num. 254.*, *Rigantius in reg. 42. cancell.*) num. 80, 81.*, *Reiff. in lib. 3. decr. tit. 38. num. 63.*, immo derogationis necessitas nec requiritur in laico jurepatronatus, quod tamen ex privilegio originem ducat, ceu docet idem *Vivian. loc. cit. lib. 14. c 2. num. 12.* Ceterum exploratissimum dixit nulla derogationis mentione opus esse in actibus ad publicam ecclesiae utilitatem constitutis, qui necessario effectu alicujus privilegii peremptionem importent, uti notat *Rigantius in reg. 18. canc.**) num. 55.* At publicae utilitatis intererat capitulares elections delere, quae tot dissidiorum ac criminum fontes extiterunt quaeque posita veteris collegii suppressione omnino evanescebant, ceu diserte tradit *Scarfanton. loc. cit. vol. 59. num. 10. et sequ.* et firmat *Rota dec. 1445. num. 4.*

Denique derogationis necessitatem omnino explodit ex eo quod satis superque in themate concedentis scientia appareat. Siquidem ex actis s. Congregationis consistorialis liquido constat capitulum sui privilegii confirmationem petiisse; ejus tamen preces rejectas fuisse.

---

*) Vd. *t. II. p. 832.*
**) Vd. *t. II. p. 825.*

Adjicitur responsum: »non expedire« prouti videre est in praefatae Congregationis tabulario. Hinc explicat triennale Fodiani capituli silentium, querelas non Romae sed in Sicula tantum ditione coram laica potestate propositas ac enixas curas, ut controversum eligendi jus in executoriali decreto sanciretur. Ita enim refert Luceriensis Antistes a summo Pontifice delegatus.

Ex adverso capituli patronus fuse demonstrat Fodianos Canonicos eligendi jus oneroso titulo antiquitus sibi quaesivisse ac post annum 1818 quatuor per anni menses perpetuo conservasse. Ad rem conficiendam praemittit doctrinam ad tramites *Tridentini Concilii in cap. 9. sess. 25. de reform. ubi aperte sancitur praefati juris titulum ostendi »ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.«*

Quae quidem immemorialis temporis probatio conjungenda decernitur cum efficaci praesentationum exercitio per haud intermissum quinquaginta annorum intervallum, si agatur de universitatibus vel communitatibus. Atqui pergit electionum Fodiani capituli jus hominum memoriam longe superare, perennem et efficacem suam vim habere vel ab anno 1334 jusque in praesens exercuisse et transactionis instrumento ad sedanda dissidia cum Trojano Episcopo eodem anno stipulato literis apostolicis Clementis VI. die 26. Octobris 1347 editis luculenter fuisse confirmatum. Cujus quidem generis argumentum tanti roboris esse contendit, ut juspatronatus veluti ex ipsa fundatione aut dotatione probatum censeatur, licet nullum exhiberi valeat hujus facti instrumentum prouti docet in terminis *Barbosa in alleg. 72. num. 28. et 29. de offic. et potest. Episcop. part. III.*, cui concinit *Gonzalez. ad reg. 8. cancell.*) gloss. 18. num. 45. et seqq.* Quod si centies milliesque s. Rotae tribunal definivit ad jurispatronatus titulum probandum satis superque existere quasipossessionem centum annorum quanto magis istam dispositionem in themate procedere dicendum, cum Fodianum capitulum per quinque et ultra saeculorum spatium pacifice et cum effectu eligendi jure usum fuerit, quin ullus unquam ex adeo longa Episcoporum serie contradixerit.

Quin immo hujusmodi nominationes tanta temporis diuturnitate peractae et in personis potentibus juxta Tridentinae synodi mentem plenissimam portendunt jurispatronatus probationem, etsi immemorialis praesto non esset uti affabre tradit *Rota in decis. 1141. num. 9. et 10. cor. Seraphino.* Quocirca Tridentinae synodi doctrina eligendi facultas, qua pollent Fodiani Canonici, non tamquam gratuita, abusiva ac privilegiata erit traducenda sed vera, realis ac justa renuncianda.

Ad rem magis ac magis confirmandam memorat vehementissimam quondam exarsisse controversiam Episcopum Trojanum inter ac capitulum quoad exemptionem ab ordinaria ejusdem Episcopi jurisdictione. Cui dissidio finem tandem aliquando imposuit solemnis transactio die 13. Septembris anno 1347 inter litigantes conventa et apostolicis literis firmata, qua ad novas lites praecavendas expresse sancitum fuit ut sartum tectumque eligendi jus asservaretur Canonicis, qui sua ex parte memorato exemptionis privilegio pacis studio nuncium remiserunt. Jam vero tralatitii juris est transactionem esse contractum stricti juris, ideoque ad casum inibi expressum vim suam dumtaxat exserere quemadmodum *ad text. leg. 3. tit. de transact.* definivit *s. Congregatio in Novarien. die 14. Maji 1768. §: Addunt, Nullius Sublacen. Erectionis Canonicatus die 28. Januarii 1769 §: Absonum.* Cujus juris ratio illico dimanat ex transactionis indole, quae correspectivum et onerosum titulum praesefert et relate ad successores proprio jure venientes, ceu eadem s. Congregatio tradidit *in Romana Subsidiorum dotalium die 18. Novembr. 1769 §: Id autem* et in *Casalen. Concordiae die 18. Decembris 1822 §: Nec.* Consituto sic jure capituli ecclesiae Fodianae contendit ejus defensor nullam jacturam passum jus illud fuisse vel per concordatum anno 1818 cum s. Sede initum vel per bullam *De utiliori* vel per breve *Impensa*)* vel tandem per erectionem in Cathedralem Fodianae ecclesiae. Ac primo sanctiones concordati ad examen revocans id quod proposuit efficere conatur. Ait namque articulum VIII. et X. illius concordati, in quibus ponitur beneficia a s. Sede et Episcopis juxta varia temporum discrimine esse conferenda,**) expresse loqui de beneficiis simplicibus *liberae collationis*, et artic. XVIII. ejusdem concordati, dum sancit jus Episcoporum conferendi paroecias servato concursu

---

*) Vd. *t. II. p. 820.*

**) Vd. *p. 82. §: Verum.*
**) Vd. *p. 77. d.*

a canonibus praescripto, id limitare ad paroeciae liberae collationis, aperte vero jura patronatus sive laici sive ecclesiastici in paroeciis servanda jubere. Quod ipse confirmat ex decreto diei 20. Julii 1818, quo in primis abolentur tum lex lata anno 1807 atque etiam anno 1813 edita, jurapatronatus particularia per eas sanctiones extincta ad vitam revocantur iisque omnia jura tum utilia cum honorifica juxta leges canonicas tribuenda jubentur. Hic autem animadvertit Fodiani capituli orator memorari in citato decreto jura patronorum a concordato anni 1818 fuisse adprobata. Quibus positis prono alveo fluere deducit jus eligendi Canonicos quod competit Fodiano capitulo ex jurepatronatus antiquissimo, cujus non extat memoria, et titulo transactionis confirmato, nullimode per concordatum et decreta subsequentia deletum fuisse.

Ulterius procedit orator et adducto capituli Salernitani exemplo defensionem suam magis magisque confirmari monet. Memorat namque ex decreto diei 24. Octobris 1818. relato in actuum collectione part. III. num. 139 jus eligendi Canonicos et Dignitates ad illud capitulum spectans abrogatum ex vi concordati declarari, eo quod uti aperte decretum innuit nullo jurepatronatus innixum esset; nihilotamen minus facultas datur capitulo consentiente Archiepiscopo in exercitio juris sui prosequendi.

Neque obstare ait quod jus eligendi quolibet anni tempore Fodiano capitulo competens ex decreto diei 28. Augusti anni 1829 per regios administratores edito ad quatuor menses fuerit coarctatum. Namque illud decretum falsa omnino causa innixum arguit, cum ideo fuerit denegatum capitulo Fodianae ecclesiae jus eligendi quovis vacationis mense, eo quod ex plura concessione, non ex jurepatronatus *aut titulo vere oneroso* transactionis jus illud comparatum putabatur et injuria causam clientis sui causae Salernitani et Neapolitani capituli aequiparatam contendit. Licet autem injustum ac laesivum jactet hoc decretum, se tamen nihil aliud postulare impraesentiarum recolit, quam ut ejusdem decreti sanctio servetur. Unde si qua concordati sanctio clienti suo fuisset applicanda, eam per citatum decretum jam peractum et executioni mandatum fuisse animadvertit.

Haec omnia illustrat ac perficit ex decreto commissionis executricis die 25. Augusti 1847. pro capitulo Cathedralis Andriae.

Post haec quamlibet difficultatem, quae ex apostolico brevi *Impensa* sibi oggeri posset, diluere contendit.

Ad id praemittit non facile esse praesumendum Pontificem maximum juspatronatus quod titulo oneroso innititur sustulisse, cum satis nota et pervulgata sit doctrina Concilii Tridentini: »*legitima patronorum jura tollere aequum non est.*« Neque reapse sublatum esse ex brevi *Impensa* jus illud tuetur cum nonnisi per errorem ad subjectum suum memoratum breve possit converti. Illud enim latum est pro ecclesiis *receptitiis seu civilibus*, in quibus scilicet jus eligendi ad solos cives coarctatur. Atqui nemo unquam Fodianam ecclesiam inter *receptitias sive numeratas sive innumeratas* et cum qualitate *civilitatis* recensendam putavit. Deinde breve illud neque directe neque indirecte juspatronatus attingit. Namque uti perlegere est in ipso brevi nihil aliud praestituitur, nisi modus quo in ecclesiis *receptitiis* electio fieri debeat, nempe per examen et concursum coram Ordinario vel eorum generalibus Vicariis et tribus saltem synodalibus examinatoribus peragendum. Jam vero amicali foedere jungi posse juspatronatus et praefatum examen nemo denegabit, uti revera in beneficiis, quibus cura animarum adnexa ad tramites Tridentinae sanctionis.

Tandem ab hac lege collationes canonicatuum in ecclesiis cathedralibus et collegiatis eximi ex authentica declaratione commissionis concordati interpretis die 13. Martii 1830, quemadmodum testatur Forelli in opere cui titulus: *Chiave del concordato vol. 2. part. 11 pag. 124.*

Licet autem in apostolicis erectionis literis mentio fiat bullae *De utiliori*, haec tamen effectus respicit ab hodierna quaestione omnimode sejungendos. Ita enim a capite usque ad calcem est exarata et jurispatronatus, collationis, capituli canonicatus nec vola nec vestigium existat: et tota, qua late patet, ea bulla dioecesum et episcopatuum elenchum atque circumscriptionem complectitur.

Nec quidquam bullam erectionis officere, immo suum jus exinde confirmare Fodiani capituli defensor tnetur. Duo imprimis ad rem suam in ea bulla deprehendit, quorum primum jubet, quoad singularum praebendarum collationem ea executioni mandanda

quae in brevi: *Impensa* et bulla: *De utiliori* praecepta reperiuntur. Jam vero ex hisce apostolicis sanctionibus nihil contra jus capituli Fodiani opponi posse superius demonstravit. Alterum capitulo Fodiano omnia et singula privilegia, jura et honores concedit, quibus alii Canonicorum coetus in regia citra Pharum ditione ordinarie perfruuntur. Ex quo arguit orator noluisse Pontificem juribus quaesitis eos expoliare, quos multis suae munificentiae largitionibus cumulavit. Id magis elucere putat si ortus, progressus et perfectio erectionis consideretur, quae ad solam petitionem Siculi Principis fuit inchoata et ad exitum perducta. Quibus adjicit executorium decretum apostolici Delegati, quo memorata singula jura ac privilegia abunde confirmantur.

Illud tandem aggreditur quod in hac controversia maximum et ab adversario gravius urgetur, utrum nempe jus et exercitium electionis ex immutatione ecclesiae collegiatae in Cathedralem diminutionem passum sit. Quod ipse negat ex eo quod mutatio quaelibet ecclesiae status in melius haud ullum inferat detrimentum juripatronatus, uti monent *de Luca in disc. 66. num. 11. de jurepat. in summa jurispat. num. 136, Lotter. lib. 2. quaest. 8. num. 95.* A qua universali juris sanctione tantum excipi contendit episcopalem dignitatem, nisi aliter apostolica auctoritate cautum sit. Omnes vero dignitates et canonicatus, non excepto Archipresbytero, Theologo et Poenitentiario juripatronatus subjectos manere. *S. Rota in decis. 172. num. 30. 31. cor Buratto* et ceteris omissis s. haec Congregatio in *Salernitanae Canonicatus Poenitentiarii 25. Junii et 21. Julii 1753.* Explicat vere contrariam Barbosae aliorumque doctorum sententiam de casu, quo patronus assensum praebeat, ut ecclesia patronata cum amissione juris nominandi ad Cathedralis dignitatem evehatur. At Fodianum capitulum juri suo renunciasse dicendum non est, dum novam erectionem nec postulandam curaverit. Neque in cathedralibus ecclesiis ullimode repugnat juspatronatus, uti affabre exornat *Roch. de Curt. in verb.:* in Ecclesia *num. 1. quaerit.* Quinimmo patronorum jura licet ex gratuitu privilegio non vero ex oneroso titulo quaesita non tamen evanescere in erectione ecclesiae ad Cathedralem expresse tradit *Rota in decis. 1444. cor Seraphino.*

Hisce utrinque deductis id solum superest, ut EE. VV. ea qua pollent sapientia dirimant

Dubium:

An sit locus prosecutioni electionis faciendae a capitulo ad canonicatus seu potius constet de jure liberae collationis favore Episcopi in casu etc?

S. C. resp.:

Dilata et exquiratur informatio R. P. D. Secretarii s. Congregationis consistorialis.

Die 7. Julii 1860.

c) Per compromissum factum inter Canonicos et Episcopum.

Quadalaxarien.

Constat ex relationibus status ecclesiae ad LL. Apostolorum transmissis quarta Jul. anni 1837 tum 26. Junii anni 1840 capitulum Cathedralis coalescere ex quinque Dignitatibus, nimirum Decano, Archidiacono, Cantore, Scholarum Magistro et Thesaurario, decem praeterea Canonicis, ex quibus sex de *gratia* quatuor vero *de officio* vulgo dicuntur, nimirum Poenitentiario, Magistrali, Doctorali et Theologo ac tandem sex portionibus integris totidemque dimidiis portionibus.

Anteactis temporibus ad omnes has praebendas jus nominandi ac praesentandi spectabat ad Reges Hispaniarum exceptis tantum quatuor canonicatibus *de officio* nuncupatis, ad ipsos electio fiebat ab Episcopo, Dignitatibus et decem Canonicis.

Post immutatum regimen in iis regionibus civilis auctoritas in Mexicano conventu statuit, ut in quavis provisione quinque sibi proponerentur cum jure tres ex iis ad minus excludendi, quin unquam apostolicae Sedis auctoritas legem hanc confirmaverit. Ex hoc factum est, ut tredecim in ecclesia Guadalaxariensi vacarent praebendae, quatuordecim tantummodo Capitularibus remanentibus, quorum aliqui infirmi, alii autem senectute pene confecti sunt, alius demum in Hispania patria sua plurimis abhinc annis degit.

His praemissis en quid habeat Episcopus in sua epistola cujus duplicatum dumtaxat nuper a s. Congregatione super negotiis ecclesiasticis extraordinariis ad EE. VV. fuit remissum: »Cui quidem gravissimo malo (nimirum vacationis tot praebendarum) cum per latam a generali Mexicano coetu decima sexta Maji anni sopra millesimum octiesque centesimum tricesimi primi legem neu-

tiquam liceret occurrere: unacum praedictae cathedralis ecclesiae capitulo, quot quantaque exinde orirentur incommoda, eidem exponere legumlatorum supremo conventui aequum duxi rogans simul, ne in tanti momenti negotio ecclesiae coarctaretur libertas nec facultatis nobis in hisce conferendis beneficiis a jure canonico concessae cum maximo ipsius capituli, totius cleri, imo universae dioecesis detrimento impeditum maneret exercitium.

Quod ut de divina sperandum erat pietate assecutus, die 13. Aprilis anni 1837. Cantorem ad decanatus, quatuor antiquiores Canonicos ad archidiaconatus, cantoriae, scholastriae et thesaurariae Dignitates, sex demum portionarios (duobus tantum exceptis, illo scilicet, qui extra Mexicanae reipublicae territorium absque ulla fere remeandi spe degit et alio adversa valetudine ita impedito, ut quinque abhinc annis nec choro interesse nec missam potuerit celebrare, quod ipsemet tunc nobis literis significavit, ad altiorem nollens gradum promoveri) ad totidem vacantes canonicatus, ascensus jure, quod *strictioris scalae* vocant, electos canonice institui; quo factum est, ut magistralis, poenitentiaria, doctoralis, quinque integrae totidemque dimidiae vacarent portiones. Publico itaque edicto concursum indixi, ut quicumque sese ad tredecim praebendas idoneos existimarent inter 40 dierum, intra nonaginta vero qui magistralis aut poenitentiariae aut doctoralis canonicatum optare vellent peremtorium terminum accederent. Expletis tandem de more ad trium horum optionem literariis exercitiis id unum nobis supererat, digniores inter candidatos ad eos necnon ad tredecim seligere portiones.

Triduo vero ante electionem quarto nempe Calendas elabentis Martii capitulo ad designandam, ut moris est, electionis diem congregato hanc unus ex Canonicis proposuit quaestionem: quid ubi paria hinc inde essent vota faciendum: (duodecim quippe eramus ad electionem conventuri). Pluribus nunc ex Capitularibus caeteris non dissentientibus rationi aeque ac juri consonum visum fuit, hunc deferre mihi ut Praesuli honorem, quod in votorum pari numero meum tanquam decisivum revelarem suffragium, oportet enim (ajebant ipsi) Episcopi, cui notiora esse debent singulorum merita cuique haud ignoti erunt qui forte nos latent candidatorum defectus, prudentiori nos acquiescere judicio. Haec a duobus dignitatibus Decano videlicet et scholarum magistro ad me ab eodem capitulo missis significata sunt. Oblatum mihi honorem acceptandum duxi, quem parvipendere non decebat; quemque si repulissem supremo legumlatorum coetui aut potestatis ipsarum executrici sese in electionibus miscendi occasionem forsan praebuissem. Hoc igitur a me postulabat prudentia illud grate accipere mihi oblatum compromissum, quod quidem inter canonicas vias annumeratur.

Die tandem prima hujus mensis ad electionem a capitulo, meo consensu et approbatione designata, ad locum capitularem unacum quinque Dignitatibus sexque Canonicis in civitate degentibus, ante diem vocatis, accessi. In primis autem quae a concilio tertio Mexicano in erectionis Metropolitanae aliarumque ejusdem provinciae ecclesiarum paragrapho tricesimo tertio his verbis statuta sunt: »*Volumus insuper* ... et *ordinamus, quod portionarii ipsi vocem habeant in capitulo unacum Dignitatibus et Canonicis, tam in spiritualibus quam in corporalibus, praeterquam in electionibus et aliis a jure prohibitis casibus, qui solis Dignitatibus et Canonicis pertinent*, inviolate inposterum observari mandavi; ne, quod bis jam factum fuerat anno scilicet supra millesimum et octingentesimum trigesimo primo et proxime elapso, vocandi ad electiones portionarios (etsi cum hac expressa clausula »*eos ut electores pro hac tantum vice admittimus*«) iteratis actibus evaderet consuetudo; solos autem Dignitates et Canonicos una mecum deinceps vocem in electionibus habituros, juxta allatum Concilii statutum, quod in hac semper et aliis harum regionum dioecesibus, vel a tempore quo Hesperiae Regum vigebat patronatus, in poenitentiariae, theologiae, magistralis et doctoralis canonicatibus observatum fuit; in aliis etenim praebendis solius erat patroni electio et praesentatio. Atque haec circa Dignitates unacum Episcopo et Canonicis suffragandi jus et ab ipsis pene nostrarum ecclesiarum incunabulis orta consuetudo antiquissima a praedictis Regibus vi juris patronatus lata lege innixa eo potissimum inducta fuit, quod decem tantummodo in hisce ecclesiis juxta earumdem erectionem sint Canonici.

Unus autem ex sex Canonicis qui tunc capitulo intererant (cujus tres alii adhaesere

sententiae) respondit, nullam utique contentionem habendam esse in candidatorum ad magistralis, poenitentiariae et doctoralis canonicatus electione; in hisce enim, non secus ac in theologali praebenda, Dignitates fuerant unacum Praelato et Canonicis ab antiquis temporibus suffragati, quorum in hac re possessionem nefas esset perturbari, quoad caeteras vero praebendas non idem ferendum esse judicium nec ullum praeter Episcopum et Canonicos suffragandi jus habere, nisi forte hi, ut suos coelectores sponte admitterent Dignitates. Illud vel maxime suae arbitrabatur favore opinioni, quod tam anno millesimo octingentesimo trigesimo primo, cum de aliquorum ad praebendas tunc vacantes electione pro prima vice ageretur, quam decima tertia Aprilis anni proxime elapsi in Capitularium supra memorato ascensu, qui eo tempore aderant Canonici, non portionarios tantum, verum et Dignitates tamquam suos *coelectores* cum supra relata clausula »*pro hac tantum vice*« admisere, ut ex actis constat ejusdem capituli.

Quid mihi faciendum erat, instante jam electionum hora pridie designata, cum eas et clerus expectaret et populus, cumque antiquissimam Dignitatum possessionem, nullo praematuro examine, nulla habita, ut aequum erat, judicis sententia, perturbari non liceret? In capitulo triduo ante ad designandum electionis diem congregato nulla omnino de re hac quaestio suscitata fuit: duodecim annumerati tunc fuere electores; Episcopus videlicet, quinque Dignitates sexque Canonici, nemine reclamante: quid, inquam, facturus eram tali proposita inexspectata quaestione? Meum erat, ni fallor, praecipere ut, ea non obstante quatuor Canonicorum protestatione, ad electiones ab omnibus convocatis ad illas, sive Dignitates essent sive Canonici, mecum una per vota secreta procederetur; illud tamen ad reclamantium conscientiae tranquillitatem adjiciens me cuncta Vestrae Sanctitati, quam primum fieri posset, fideliter relaturum, tum quoad Dignitatum hac in re suffragia tum etiam quoad votum meum in pari eorumdem numero decisivum, quo, juxta superius allatum et acceptatum a me compromissum, tam in doctorali canonicatu quam in tribus sexdecim collatis portionibus usus sum: contra illud quippe licet in ipso exercendi actu et contra electiones eo modo factas unus ex Dignitatibus et quatuor ex Canonicis rati sese compromittere non potuisse protestati fuerint, opinionem tamen suam ecclesiae paci animorumque concordiae posthabendam dixerunt altumque super re servaturos silentium, hoc unum a me ad conscientiae suae quietem postulantes, quod rationem de omnibus Vestrae Beatitudini redderem.

Vestrum ergo, sanctissime Pater, expectamus supplicesque efflagitamus judicium. Dignare obsecro has approbare electiones et eorumdem beneficiorum collatam a me canonicam institutionem: si quod vero in hisce quavis de causa vitium fuerit, pro communi capituli totiusque mihi commissae dioecesis bono dispensare *in radice* Vestram Beatitudinem precor, simulque quid in posterum faciendum statuere digneris, ne ullus amplius sit dubitationi locus. Supremam etenim in Pontifice maximo omnes nos, nemine prorsus dempto, ultro fatemur auctoritatem; Vestrae decisioni quam libentissime subjiciemur.« Hactenus Episcopus.

Duplicem ex hac facti serie exurgere quaestionem palam est. Altera compromissum respicit seu jus Episcopo tributum decisivum ferendi suffragium in paritate votorum. Altera jus Dignitatum quoad vocem in electione. Nemini dubium, quin ut valide fiat compromissum pro electione omnium consensus requiratur: in cap. enim: *Quia propter* expresse statuitur, ut compromissarii *vice omnium* ecclesiam provideant, *aliter electio facta non valeat*; et communiter sentiunt doctores *ad tit. 6. de electione.* De hujusmodi vero consensu disputant DD. utrum ab omnibus singillatim et expresse praestandus sit vel potius sufficiat, ut quibusdam assentientibus caeteri non se opponant. Singulorum expressum requiri docent *Abbas in cap. In causis de elect. num. 3, Petr. Anchar. in dict. cap. in 2. not., Fagnan. in cap.: Licet de vitanda eod. tit. numer. 68, Pirhing. lib. 1. dec. tit. 6. sect. IV. §. V. num. 204.*, ea ratione, quia in re gravi et onerosa taciturnitas non habetur pro consensu. Contrarium tradit *Vincent. in dict. cap.*: *In causis* hocque probabile putat *Layman. eod. cap. n. 3.* si major et senior *) Capitularium pars compromissum utile judicet, quamvis caeteri haud expresse consentiunt, dummodo nec expresse pariter contradicent, cum possint; cum enim id in magnum praejudicium haud

*) Vd. *t. I. p. 104. k.*

vergere existimet, taciturnitatem pro consensu reputari posse tenet.

Illud etiam statutum a jure est, potestatem datam compromissalis amplius revocari non posse *cum res non esset integra, quia in tractatu jam processerant electores* (seu compromissarii), *cap. in causis 30. de elect.* Idque tradunt doctores, consensum semel praestitum posse, *antequam substantialia, scilicet tractatus et nominatio de aliqua persona eligenda intervenerit, revocari. Engel. lib. 1. decret. tit. 6. num. 43, Reiff. eodem tit. num. 7. et sequentibus.*

Res vero *integra in proposito censetur esse tamdiu, donec compromissarii incoeperint ipsumet negotium compromissi quantum ad substantialia, tractando videlicet inter se de persona eligenda*, prout desumitur *ex cit. cap. In causis hoc tit.* ac notat *Abbas ib. num. 7. citans Innocentium* et *Barbos. numer. 4, Layman. n. 7. et alii, qui omnes concorditer asserunt, si tantum praecesserit solemnitas praeparatoria v. g. missa cantata de Spiritu sancto, adhuc dici rem integram, donec compromisarii de persona eligenda tractare incoeperunt.* Ita cit. *Reiff. hoc. tit. de elect. num. 82.*

Praeterea illud etiam animadvertendum est non valere revocationem compromissi factam etiam *re integra*, nisi fiat a majore parte capituli, ceu docent *Abbas ad cap.: In causis numer. 16. contra Innocentium, Pirhing. tit. de elect. numer. 25, Passerinus cap. 22. num. 27*, quia haec revocatio cederet in detrimentum majoris partis capituli et quia secus quod communi omnium consensu statutum est a paucis contradicentibus rescindi posset contra receptam *regulam 33. juris in 6: mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*

Jam vero in praenotata facti serie neminem unum a compromisso dum explebatur aperte dissensisse non dubitatur. Ast refert Episcopus compromissum a pluribus adprobatum fuisse, caeteris non dissentientibus; quod num ad ejus validitatem satis fuerit ex superius adductis doctrinis pensandum est. Quoad revocationem porro, licet, dum *unus ex Dignitatibus et quatuor ex Canonicis rati sese compromittere non potuisse protestati fuerint* (verba sunt Episcopi), forsan id factum fuerit *re integra*, attamen haec revocatio facta fuit a quinque tantum contra majorem partem electorum. Neque suffragari posse videtur revocationi huic ecclesiae utilitas (quo in casu revocatio compromissi valida esset juxta citatos doctores). Etenim ideo electores in casu paritatis votorum duplex suffragium Episcopo tribuerunt eumque veluti compromissarium elegerunt, quia ipsi notoria praesumuntur requisita concurrentium eorumdemque defectus quae omnia forsan electores latere potuissent.

Ad alterum quaestionis caput progrediendo animadvertendum est, de jure communi Dignitates non esse de capitulo utpote quod a solis Canonicis constituitur, etiamsi ipsae habeant stallum in choro juxta doctrinam quam communiter sequuntur doctores et praesertim *Fagnanus in cap.: Nullus n. 43. eodem tit., Barbos. de Canonicis cap. 37. n. 14. et sequen., Pirh. Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 13. n. 356, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 15. n. 14. et 18.* Ita etiam sentit *Rota coram Seraphino dec. 98. n. 1.. in recen. dec. 708. num. 2.* et post *Card. de Luca dec. 3. num. 9. et 2. lib. 14. tom. 4.* Haec generalis regula favet Canonicis, qui Dignitates excludendas censuerunt ab jure ferendi suffragium. Praeterea vires acquirit in themate haec ipsa regula ex factis praecedentibus. Bis enim post immutatas Mexicanas res electiones locum in Guadalaxariensi Cathedrali locum habuerunt et bis Dignitates ad ferendum suffragium admissae fuerunt non ex jure sibi competente, sed ex Canonicorum placito, cum clausula *pro hac vice tantum.*

Ab hac tamen generali regula tres casus excipiuntur a doctoribus. Primus nimirum est, si dignitati adnexa sit praebenda canonicalis, tunc enim ratione canonicatus dicitur Dignitas de capitulo et habet in eo vocem; *gloss. in cap. Cum in verbo receperat de constit.* et ibi *Felin. num. 18. Innocent. in cap. 2. in fine de instit., Abb. in cap: Dilectus il primo de praeben.* Idque procedit etiamsi esset adnexa praebenda non vere canonicalis, quae est, quando eam habens reputatur pro Canonico et habet vocem in capitulo ut Canonicus, licet non sit Canonicus, ut probat *textus in cap.: Cum in ecclesia de praebend. in 6.* et notant *Vitalin. in Clement. finali num. 46. de praebend., Garz. de benef. part. 11. cap. 5. n 201*, et *Rot. decis. 684. n. 4. part. 1. divers. et cor. Seraph. dec. 474. n. 5.*

Alter casus est, si in ipsa erectione Dignitas effecta fuit de capitulo et cum stallo in choro et voce in capitulo; *Abbas* et *Fellin. in cap.: Cum olim lib. 2. tit. de rejud., Barbos. de Canonic. et Dignit. cap. 37. sub num. 14, Rot. cor. Seraph. dec. 98. num. 1. et 2. et dec. 437. n. 8. et cor. Bichio dec. 203. n. 3.*

Tertius casus est si vel ex ecclesiae statu vel ex legitima consuetudine Dignitates censeantur de gremio capituli aut saltem ex observantia ipsae admissae fuerint ad pertractanda negocia capitularia ac in iis vocem activam et passivam habuerint, quae tamen observantia desumi debet ex interventu in iis actibus, qui proprii sunt capituli, nimirum in condendis ecclesiae statutis, in electionibus, in traditione possessionis novo Episcopo aliisque similibus. Ita communiter *Abbas in cap. 3. de elect.* et *in dicto cap.: Cum olim num. 8. de rejudic.* et ibi *Felin. num. 4. et in cap.: Cum num. 18. de constit.* et ibi *Ripa num. 186., Decius in cap. final. de praebend. in 6., Garz. dict. cap. 5. num. 207. et seq., Barbos. de Canon. dicto cap. 37. num. 14, Rota coram Seraph. dec. 437. n. 8.* et in *rec. decis. 708. n. 3. part. 3. dec. 114. n. 9. et decis. 251. n. 5. et sequen. par. 19.*

Abs re non erit hic referre notabilem doctrinam *Card. de Luca de benef. disc. 46. num. 5. et seq. et num. 9.* qui animadvertit eam esse totius fere Italiae consuetudinem ut Dignitates sint de gremio capituli: ipsae enim ad instar caeterorum Canonicorum intersunt choro aliisque vacant cultum ad ecclesiae servitium respicientibus, aeque habent praebendas et fruuntur de distributionibus quotidianis minutis vel aeque participant de massa distributionum, quae stat loco praebendae: adeout proprie ac substantialiter sint veri Canonici sub nomine Dignitatum abusive in sola scilicet nuncupatione magis qualificati cum aliquibus praeeminentiis supra alios.

Hisce in jure praenotatis ad factum quod attinet haud eruere potui ex relationibus status ecclesiae Guadalaxarien. quando fuerint erectae Dignitates quidve in erectione praefinitum; quid lucrentur sive ex praebendis sive ex massa distributionum, quibus statutis regatur capitulum, utrum Dignitates in omnibus capitularibus actibus, qui proprie spectant ad capitulum, vocem activam et passivam habeant. Quoad chori servitium nihil in specie in iisdem relationibus habetur de Dignitatibus, sed tantum in relatione anni 1831 post enumeratas Dignitates, canonicatus et praebendas octo recensentur capellani ad nutum capituli amovibiles ac generatim dicitur, Capitulares et capellani choro addicti cathedralis ecclesiae *huic jugiter intersunt singulis diebus, missa pro populo solemniter celebratur et pluries alia pro benefactoribus applicatur.* In relatione anni 1840 transmissa haec habentur: *Tam Canonici quam reliqui clero hujus Cathedralis addicti, nisi legitimum obstet impedimentum, ei jugiter ac constanter intersunt.*

Videant tamen EE. PP. utrum ex ipsis verbis superius relatae Episcopi epistolae conjici liceat Dignitates erectas fuisse una cum exordio capituli ac cathedralis ecclesiae. Videant praeterea, utrum jus ferendi suffragium*) in electione sex Canonicorum qui *de gratia* vulgo nominantur ac praebendatorum desumi possit favore Dignitatum ex observantia *ab ipsis pene nostrarum ecclesiarum incunabulis orta* (ceu ait Episcopus) qua Dignitates unacum Episcopo et Canonicis suffragandi jus exercuerunt in electione quatuor Canonicorum *de officio.* Perpendant etiam EE. VV. utrum in casu, in quo *strictioris scalae ordine* ascensus fit ex canonicatibus ad dignitates, censendae sint Dignitates eaedem iis carere juribus quibus fruebantur, dum inferioris gradus praebendam possidebant, an potius putandum sit pro iis militare superius allatam doctrinam Card. de Luca. Haec autem omnia necessario sunt perpendenda cum norma petatur pro futuris electionibus: cui quidem decisioni ultro libenterque se submittunt Episcopus et capitulum pro ea qua pollent erga apostolicam Sedem reverentia.

Quatenus autem EE. VV. irritas existimaverint peractas jam electiones sive ob compromissum, sed duplicis suffragii jus Episcopo tributum, postea revocatum, sive ob suffragium praestitum etiam a Dignitatibus, videant utrum consulendum sit SSmo pro sanatione electionum cum in omnibus inde sequutis et ad quoscumque juris effectus.

I. *An constet de validitate electionum in casu?*

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu?*

---

*) Vd. *p. 64. n. 4. a.*

III. *An et quae dispositio sit decernenda pro tempore futuro in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Esse consulendum SSmo pro sanatione saltem ad cautelam ad quoscumque juris effectus.

Ad III.: Dilata, firmo interim in Dignitatibus jure ferendi suffragium in electionibus donec aliter a s. Sede fuerit provisum, et ad mentem.

Die 3. Aprilis 1841.

Contin. Quadalaxarien.

In comitiis diei 3. Aprilis 1841 proposita fuit causae hujusce species, seorsim typis impressa ac EE. VV. distributa. In ea relatum fuit cathedralis ecclesiae Guadalaxariensis capitulo recenseri quinque Dignitates ac decem Canonicos, quorum sex *de gratia* nuncupantur per Regem praesentandi, quatuor *de officio* per concursum eligendi, necnon sex qui portione integra fruuntur, aliosque sex, quibus dimidia portio tribuitur.

Patet ex ipsa facti specie indictum fuisse concursum et statutam diem electionis vacantium praebendarum nimirum trium canonicatuum *de officio*, magistralis nempe, doctoralis, poenitentialis, quinque integrarum portionum et alterius dimidiae, et quia duodecim erant electores scilicet Episcopus, quinque Dignitates et sex Canonici, a majore parte capituli statutum fuisse ut in paritate votorum praevalere deberet votum Episcopi, cujus est omnium concurrentium merita et defectus noscere prae ceteris eligentibus. Tandem relatum fuit rebus ita compositis in ipso electionis exordio unum ex Canonicis, quem tres alii secuti sunt, admisisse in quinque Dignitatibus jus ferendi suffragium quoad electionem canonicatuum *de officio* prout semper eo jure gavisi fuerunt; at id denegasse quoad ceteros canonicatus *de gratia* et quoad portiones, cum in iis numquam suffragium dederint. Haec tamen protestatio pro tuendis juribus et actus legitimitate fuit emissa; consensus enim praestitus fuit ad vitanda scandala ut omnes votum darent et res tota apostolicae Sedis judicio subjiceretur; a qua etiam norma pro futuris electionibus exposcebatur, quae omnia retulit Episcopus vix electione peracta.

Tria itaque proposita fuerunt dubia:

I. *An constet de validitate electionum in casu etc.?*

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu etc.?*

III. *An et quae dispositio sit decernenda in casu etc.?*

His responsum fuit

Ad I. et II.: *Esse consulendum SSmo pro sanatione saltem ad cautelam ad quoscumque juris effectus.*

Ad III.: *Dilata, firmo interim in Dignitatibus jure ferendi suffragium in electionibus donec aliter a s. Sede fuerit provisum, et ad mentem.* Mens autem fuit, ut scriberetur secreto Episcopo, *qui magis praecise referat an Dignitates unacum Canonicis fuerint erectae, utrum sicut ceteri Canonici praebenda fruantur ac de distributionibus participent et choro inserviant, num vocem habeant in condendis ecclesiae statutis, in electione Vicarii capitularis et in tradenda possessione novo Episcopo aliisque similibus necnon transmittat particulas statutorum ad rem facientium.* Placuit sacratissimo Principi s. Congregationis resolutionem approbare.

Literis sac. Congregationis acceptis ita respondet Episcopus:

Canonicorum ac praebendatorum electiones ac collationes de quibus in praedictis precibus agebatur firmas ac ratas habitura, pro sua benignitate S. V. dignata est rescribere dispensato ac suppleto quocumque defectu aut vitio quod in illis electionibus et collationibus humana fragilitate inciderit nec illos Canonicos et praebendatos esse unquam super iis inquietandos. Similiter in rescripto resolutum est praebendatos tum integrae tum dimidiae portionis in electionibus hujusmodi suffragium nunquam ferre debere. Id enim consentaneum est juri communi ac insuper expressum in § triges. tertio erectionis hujus ecclesiae quae eadem est omnium ecclesiarum hujus provinciae.

An vero Dignitates suffragium habere debeant in hujusmodi electionibus non apparet in rescripto decisum. Dubitatur namque super conditione quinque Dignitatum, quae in hac ecclesia cathedrali vi §§. primi, secundi, tertii, quarti et quinti erectionis existunt, Decani nempe, Archidiaconi, Cantoris, Scholastici, Thesaurarii, scilicet

1) Num sint mere canonicatus condecorati harum dignitatum titulo?

2) Num ex mensa capitulari congruam portionem omnem suam percipiant?

3) Num sint de corpore capituli?

Quod dubium ut solvi posset mihi praecipitur in rescripto mittere (ut obediens mitto) exemplar authenticum erectionis hujusce ecclesiae. Opportune quidem in §§. vigesimo primo, vigesimo secundo, vigesimo tertio et vigesimo quarto et potissimum in §. trigesimo tertio jam in precibus citato et transcripto videtur dubium omne penitus resolutum.

Quantum super quod decisio in rescripto desideratur illud est. Quid faciendum in aequalitate numeri suffragiorum, aliis in gratiam unius, aliis in gratiam alterius candidati suffragantibus? Solorsano de jure indiano tom. secundo lib. tertio cap. decimo quarto num. quinquagesimo primo ait: »Quod in pari suffragiorum numero praevalet pars cui praelatus assentit.« Consonat *Van-Espen, Jur. ecclesiastic. univ. part. prim. tit. octav. capit. tert. num. octavo et tit. decimo cap. prim. num. sexto. Item parte secunda, titulo vigesimo primo cap. primo, num. decimo quarto, adducens bullam executionis novorum episcopatuum Belgii ubi de Canonicis graduatis eligendis agitur.*

Idque secutum est capitulum cathedrale Guadalaxarense tum vi praecedentis compromissi tum ob rationum momenta in supracitatis precibus adducta. SS. D. pro sua sapientia et pacis studio praecipiet super hac re quod in Domino videbitur: idque fideliter obediemus.«

Quoad exemplar decreti erectionis ecclesiae ac statuta in eo contenta animadvertendum est, acta illa respicere erectionem ecclesiae cathedralis Mexicanae ab Episcopo Joanne de Cummaraga factam anno millesimo quingentesimo quarto vigore literarum apostolicarum s. m. Clement. VII. incipien.: *S. Apostolatus ministerio*, quae datae fuerunt anno Incarnationis dominicae 1534. Attamen ea erectio eaque statuta communia sunt caeteris ecclesiis illius provinciae; haec enim adest inscriptio: *Erectio ecclesiae Mexicanae, quae eadem cum caeteris ejusdem provinciae.* In eo itaque executoriali decreto legitur: *in praedicta cathedrali ecclesia . . . . . ad honorem Dei . . . . tenore praesentium erigimus, creamus et instituimus:*

I. *Decanatum, quae dignitas est prima post pontificalem in eadem ecclesia existens, qui curet et provideat, quod officium divinum et omnia alia, quae ad cultum Dei pertinent tam in choro quam in altari quam etiam in processionibus, in ecclesia et extra, in capitulo, ubicumque conventus ecclesiae seu capituli ad illud exsolvendum congregabuntur, cum consilio et ea qua decet honestate ac modestia rite et recte perficiantur: ad quem etiam pertinebit, iis, quibus a choro ex causa discedere convenit, expressa causa et non alias licentiam concedere,*

II. *Archidiaconatum ejusdem civitatis, ad quem clericorum ordinandorum examinatio, Praelato solemniter celebrante ministerium et civitatis et dioecesis, si sibi a Praelato injungatur, visitationem et aliqua quae de jure communi competunt exercere pertinebit, qui in altero tamen jurium vel in theologia ad minus baccalaureus existat in universitate graduatus,*

III. *Cantoriam, ad quam nullus possit praesentari, nisi in musica, saltem in cantu plano, doctus et peritus existat hujus in facistolio cantare et servitores ecclesiae cantare docere et quae ad cantum pertinent et spectant ordinare, corrigere et emendare, in choro et ubicumque per se et non per alium officium erit,*

IV. *Scholastriam, ad quam etiam nullus nisi in altero jurium aut in artibus baccalaureus in aliqua generali universitate graduatus existat praesentetur, qui grammaticam clericos et ecclesiae servitores ac omnes dioecesanos audire volentes per se vel per alium docere tenebitur,*

V. *Thesaurariam, ad quam ecclesiam claudere et aperire, campanas pulsari facere, omnia utensilia ecclesiae custodire, lampades et luminaria curare, de incenso, luminibus, pane et vino ac reliquis ad celebrandum necessariis de redditibus fabricae ecclesiae exponendis ad votum capituli providere pertinebit,*

VI. *Necnon decem canonicatus et praebendas, quas a dictis dignitatibus omnino separatas esse decernimus necunquam unam simul cum dignitate aliqua obtineri posse ordinamus. Ad quos etiam canonicatus et praebendas nullus praesenturi possit, nisi ad sacrum presbyteratus ordinem jam sit promotus. Ad quos canonicatus quotidie (praeter quae in primae et secundae dignitatis festivitatibus, in quibus praelatus vel eo impedito aliqua de dignitatibus celebrabit) missam celebrare pertinebit.*

VII. *Instituimus insuper sex integras et totidem dimidias portiones, et qui ad dictas integras portiones praesentandi fuerint, ad sacrum diaconatus ordinem sint promoti. In quo quidem ordine teneantur in altari quotidie deservire necnon passiones decantare. Qui vero ad dimidias, ad sacrum subdiaco-*

natus ordinem: qui quidem epistolas in altari et choro et prophetias, lamentationes et lectiones teneantur decantare.

VIII. *Et quia non est parvi momenti rectores nominare, ordinamus, quod tot rectores possimus eligere, quot servitio nostrae cathedralis ecclesiae necesse fuerint: qui ad nutum nostrum nostrorumque pro tempore successorum provideri et quando licuerit amoveri possint, qui exerceant in dicta cathedrali ecclesia nostra officium recte et rite, missas celebrando, confessiones audiendo, aliqua sacramenta caute et solicite ministrando.*

IX. *Praesentationem autem dictarum dignitatum, canonicatuum, portionum integrarum et dimidiarum aliarumque dignitatum, canonicatuum et portionum similium futurarum in praedicta nostra cathedrali ecclesia creandarum praefatis catholicis Hispaniarum Regibus ac eorum successoribus, prout de jure eis competit et authoritate apostolica, reservamus eadem authoritate.*

X. *Acolytorum et capellanorum praedictorum electionem seu provisionem ad Nos et successores nostros una cum nostro capitulo pertinere decernimus. Volumus autem quod dicti capellani, qui pro tempore fuerint eligendi, non sint familiares Episcopi nec alicujus personae dicti capituli nec fuerint tempore vacationis.*

XI. *De quibus omnibus videlicet quinque dignitatibus, decem canonicatibus, sex integris et totidem dimidiis portionibus et sex capellanis et sex acolytis et officiis praedictis, quia de praesenti fructus, redditus et proventus decimarum non suppetunt, thesaurariam ex dignitatibus, quinque vero canonicatus et omnes integras et dimidias portiones ad praesens in dicta erectione volumus suspendere. Quod si praefatis quatuor dignitatibus et quinque canonicatibus redditus memoratae quartae partis ad praesens, (quod non credimus) non suppetant, quod defuerit inter eos dividatur secundum valorem praebendarum et non numerum personarum, donec ad majorem quantitatem fructus pervenerint, restituendo ad praebendas praefatas, per nos et nostros successores, ordine nobis considerando, ad potiorem ecclesiae utilitatem, ita tamen, ut cum Deo duce ad piguiorem fortunam fructus et redditus nostrae praedictae ecclesiae pervenerint, quam primum ad dotem thesaurariae suspensae applicatam desuper crescentibus fructibus auctum fuerit, thesaurariam eamdem ex nunc erectam et creatam esse decernimus absque alia nova erectione et creatione personae per eamdem catholicam Majestatem nominandae conferendam. Et consequenter dum fructus, redditus et proventus ulterius augmentum receperint tres integrae portiones et dimidiae succesive suo ordine admittantur. Et demum de redditibus superexcrescentibus sex acolythi pro sex clericulis, qui in quatuor minoribus sint constituti et acolythorum officium in altaris ministerio exerceant, et sex capellaniae simplices pro sex praedictis capellanis similiter provideantur. Postmodum vero officium organistae et perticarii et oeconomi, notarii et canicularii praedictorum dicto numero succesive juxta ordinem literaliter praemissum absque aliquo intervallo augeatur.*

XII. *Et quia secundum Apostolum:* qui altari servit, de altari vivere debet, *omnibus et singulis Dignitatibus, personis et Canonicis et praebendatis et integris et dimidiis portionariis, capellanis, clericulis sive acolythis caeterisque officiis et eorum officialibus juxta numerum supradictum expressis omnes et singulos fructus, redditus et proventus, tam ex regia donatione quam ex jure decimarum aut alio quovis modo ad eos de praesenti aut in futurum pertinentes, videlicet ordine literario, Decano, Archidiacono, Cantori, Scholastico, Thesaurario et Canonicis necnon portionibus integris et dimidiis et omnibus aliis supra notatis et nominandis modo sequenti:*

XIII. *Decano scilicet centum et quinquaginta libras (pesos vulgariter in illis partibus nuncupatos) quarum librarum quaelibet unum castellanum aureum, quadringentos octoginta quinque morapetinos monetae usitatae Hispaniae constituens; Archidiacono centum et triginta valoris ejusdem pesos seu castellanos et cuilibet Canonicis centum, portionariorum cuilibet septuaginta, dimidiis triginta quinque capellanis quidem viginti, acolythis singulis duodecim, organistae sexdecim et notario totidem, perticario totidem castellanos et morapetinos constituentes ex nunc pro tunc ordine literario, prout exprimitur, servato, cum fructus, redditus et proventus superexcreverint, applicamus et assignamus.*

XIV. *Et quia ut dictum est propter officium datur beneficium, volumus et in virtute sanctae obedientiae distincte praecipiendo mandamus, quod praedicta stipendia sint quotidianae distributiones assignatae, distributae quotidie interessentibas singulis horis, nocturnis pariter et diurnis exercitiis dictorum officiorum. Itaque a Decano usque ad acolythum inclusive is, qui alicui horae non interfuerit in choro, stipendio sive illius horae distributione careat et officialis, qui sui officii exercitio vel executioni decrit, multetur similiter singulis vicibus pro rata salarii. Tales vero distributiones, quibus absentes privantur, aliis interessentibus accrescant.*

XV. *Item volumus et eadem authoritate ordinamus ut omnes et singulae Dignitates, Canonici et portionarii dictae nostrae ecclesiae cathedralis teneantur residere et servire in praedicta nostra ecclesia per octo menses continuos aut interpolatos, alioquin Nos vel successores nostri, qui pro tempore fuerint, aut capitulum Sede vacante teneantur, eo prius vocato et audito, si justam et rationabilem causam absentiae non habuerit et allegaverit, personatum et canonicatum sive portionem vacantem pronunciare et de illo vel illa idoneis ad praesentationem tamen praefatae catholicae Majestatis et eorum in regnis Hispaniae successorum providere: justam autem absentiae causam hoc loco definimus aegritudinem dum tamen beneficiatus infirmus in civitate maneat aut in suburbiis ejusdem civitatis. Aut si eam incurrerit extra civitatem, cum rediret aut redire paraverit ad eam, dum tamen hoc probationibus legitimis constet, vel cum de mandato Episcopi vel capituli simul et pro causa et utilitate ecclesiae absens fuerit. Itaque ista tria concurrant in hac sua absentia.*

XVI. Volumus insuper et de consensu et beneplacito serenissimae Majestatis et eadem authoritate apostolica statuimus, decernimus et mandamus quod omnium decimarum tam Cathedralis quam aliarum ecclesiarum *dictae civitatis et dioecesis, fructus, redditus et proventus in quatuor aequales dividantur partes quarum unam nos et successores Nostri Episcopi, perpetuis futurisque temporibus, pro onere pontificalis habitus sustentando et ut decentius et juxta pontificalis officii exigentiam statum nostrum sustentare valeamus absque aliqua diminutione pro nostra speciali mensa habeamus. Decanus vero et capitulum et reliqui ministri ecclesiae, quos supra assignavimus, aliam quartam partem modo praemisso inter eos dividendam habeant, a quibus partibus, licet ex commissione apostolica et longaevo temporis usu, moribus et consuetudine approbata eadem catholica Majestas tertiam partem (lucias in hispania vulganter nuncupatue) habere et recipere integraliter consuevit, volens erga nos suae liberalitatis dexteram extendere prout extendit circa alias partes et circa qualitates infra expressas, Nos et Episcopos successores ac capitulum praedictos, ut magis debitores tanto munere refectos reficeret et ut pro eadem et regiis ejusdem Majestatis successoribus preces effundere teneamur, in nostrae et dictae ecclesiae nostrae et capituli, in sua quarta decimarum parte liberos et exemptos esse voluit. Reliquas vero duas quartae partes iterum in novem dividendas partes decernimus, duas eidem Majestati serenissimae in signum superioritatis et jurispatronatus ac ratione acquisitionis praedictae terrae futuris perpetuis temporibus percipiendas et levandas applicamus.*

Volumus insuper et de ejus celsitudinis instantia et petitione ordinamus quod portionarii ipsi vocem habeant in capitulo unacum Dignitatibus et Canonicis tam in spiritualibus quam in corporalibus, praeterquam in electionibus et aliis a jure prohibitis casibus, qui solis Dignitatibus et Canonicis pertinent.

Duplex in definienda norma, qua providendum sit quoad futurum, reproponitur quaestio. Disputatur in prima, utrum Dignitates votum habeant in electionibus etc. Agitur in altera de vi voti Episcopi in paritate suffragiorum.

Quoad utramque perpendere praestat quod, cum Canonici dicerentur cathedralis ecclesiae membra et caput Episcopus, priscis ecclesiae temporibus adigebantur Episcopo omnia tractare cum totius olim cleri, mox capituli concilio vel consensu, *cap.: Novit 4., cap.: Quanto 5. de his quae fiunt a Praelato absque cons. capituli.* Hinc s. Leo Magnus ad Siculos Episcopos de rebus ecclesiae distrahendis rescribens in can.: *Sine exceptione 52. c. 12. qu 2.* ait: »*Cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum ecclesiae*, et s. Hieronymus *in can.: Olim idem erat 5. dist. 95.* ait: »*Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispensationis dominicae veritate presbyteris esse majores et in commune debere ecclesiam regere.*« Hinc ex ea juris regula communis Episcopis et capitulis Cathedralium erat praebendarum collatio. Verum ex incommodis, quae in regimine ecclesiae oriebantur, haec communio Episcoporum et capitulorum sublata fuit. Bonifacius enim VIII. *in cap.: Non est 3. de consecut. in 6.* declaravit: *Non esse consuetudinem repre-*

hendendam, quod Episcopus in inquirendis, puniendis et corrigendis subditorum excessibus consilium sui capituli requirere minime teneatur. Id etiam obtinuit expresse in beneficiorum collationibus: etenim Caelest. III. *in cap.: Ea noscitur 6. de his quae fiunt a prael. sine capituli consensu* rescripsit *ex antiqua et probata consuetudine vel concessa libertate* fieri posse ut praelati *in ecclesiarum seu beneficiorum collationibus nullum collegii seu capituli consensum debeant requirere.**) Hinc ut monet *Gagliardi in tract. de beneficiis cap. 8. numer. 4.* paucae nunc sunt ecclesiae, in quibus capitula ipsa non amplius jure generali, sed tantum speciali, eoque vario pro variis locorum statutis, pactis fundationum vel privilegiis vel consuetudinibus potestatem habeant conferendi beneficia vel communem cum Episcopis vel privativam absque ullo Episcoporum suffragio.**) Ex statutis pariter vel locorum consuetudine vel privilegiis pendet ut votum Episcopi vel simplex sit vel duplex vel tantum habeat vim ut aequet suffragia totius capituli. *Gagliard. loc. cit., Gonzalez. in reg. 8. sane gloss. 45. §. 2. numer. 51.* ac ceteri doctores apud *Rigantium in reg. 2. §. 3. numer. 237. et seq.*

Hac regula prae oculis habita conciliantur quam plurimae sac. hujus Ordinis resolutiones, quae variae sunt juxta privilegiorum, statutorum ac consuetudinum diversitatem.

Jam vero ex statutis nihil habetur quoad Episcopi votum ac tantum *ex art. 8. et 10.* superius exscriptis patet ad Episcopum spectare electionem et remotionem rectorum, acolythorum vero et capellanorum ad Episcopum cum capitulo. Meminerint autem EE. PP. Episcopum in epistola superiori folio impressa testari *de consuetudine ab ipsis pene earum ecclesiarum incunabulis orta antiquissimae a praedictis regibus vi juris patronatus latae legi innixa*, vi cujus Episcopus ac dignitates suffragium ferebant in electionibus ad beneficia, quae non erant de jurepatronatus. Licet autem in literis nuperrimis non satisfactum fuerit omnibus, quae exquisita fuerant, nihilominus viderint EE. PP. pro sua sapientia, utrum ex statutorum articulis, superius exscriptis, quae respiciunt sive Dignitatum sive Canonicorum erectionem' et perceptionem reddituum, definiri possit quaestio, num Dignitates votum habeant in electionibus praebendarum, quae antea jurispatronatus erant, pro quibus nec ipsi Canonici de gratia suffragium ferebant ob praesentationem patroni. Quoad duplex Episcopi votum in paritate suffragiorum, ita ut praevalere valeat ipsius votum, praeter doctorum auctoritates in nuperrimis literis prolatas perpendent rationum momenta, quae in praeterita causae propositione adducta fuerunt, quo reassumpto folio rogantur dirimere, quod reproponitur

D u b i u m:

An et quae dispositio sit decernenda in casu etc.?

Affirmative et, facto verbo cum SSmo, scribatur Episcopo, qui decretum conficiat, vi cujus inposterum Dignitates votum habeant in electionibus et ut in paritate suffragiorum praevaleat votum Episcopi.

Die 24. Novbr. 1844.

d) Jus quando est Dignitatibus?

Vd. p. 118 §: *Ad alterum etc.* usque ad finem.

e) Jus Episcopi cum Canonicis eligendi.

Vd. p. 118 §: *Ad alterum etc.*; p. 124 f.

f) Jus ex privilegio vel consuetudine derivans postea per conventiones estne sublatum?

Vd. p. 104. b; p. 95. III; p. 77. d.

g) Modus.

In Americana quadam dioecesi nonnulli Canonici ecclesiae cathedralis, inscientibus Episcopo et capitulo, per supplicem libellum ad S. C. C. missum binas proposuerunt quaestiones, quibus authenticum responsum insimul flagitarunt. Quaesierunt ipsi:

1° Utrum in electionibus capitularibus quae secrete vel per scrutinium fiunt exprimi possit electoris nomen?

2° Quatenus negative, utrum electio aliter facta sit nulla?

Hoc libello accepto rescriptum de more est Ordinario, ut audito capitulo de consuetudine hactenus servata referret et transmissa particula constitutionum ad rem faciente mentem suam aperiret et certioraret s. Congregationem de practicis consequentiis quas e solutione dubiorum recurrentes deducere praetenderent.

*) Vd. *t. II. p. 413. III.*
**) Vd. *t. II. p. 400. h.*

Archiepiscopus mandatis hujusmodi morem gerens retulit sub die 18. Julii: »Statuta ecclesiae metropolitanae nullam specialem regulam praescribunt pro electionibus capitularibus faciendis . . . Electiones praedictae fiunt per schedulas quarum scrutinium Archiepiscopus ipse si adest vel qui capitulo praeest secreto omnino perficit et eum, qui majorem suffragiorum partem obtinet, rite electum declarat, quin ullus ex electoribus nomen exprimat, quod nec facile per solam schedulam, in qua nomen electi tantum inscribitur, detegi potest. Nihil ergo non recte factum in praedictis electionibus inveni; sed quid oratoribus ansam fortasse praebuerit, ut preces et interrogationes adjunctas ad hanc s. Congregationem dirigerent, breviter exponam. Anno 1844 unus ex Rmis Praedecessoribus meis rescriptum obtinuit . . . . . *ut in posterum in paritate suffragiorum votum Episcopi praevaleret.* Jamvero, cum in quibusdam electionibus quae anno proxime elapso locum habuerunt, illa paritas suffragiorum recurrerit, rescripto illo, quod ipse Rmus Praecul suo decreto capitulo notum fecerat, mihi utendum fuit ac proinde omnibus Capitularibus necessario patefeci pro utra persona me ipsum suffragasse, ut illa rite et canonice electa ab omnibus haberetur, quod aliqui, nescio qua ratione, aegre tulerunt. Illud etiam ab Antecessoribus meis in more habitum fuisse certissime scio, quod cum, capitulo electionis causa convocato, illi non aderant votum suum per unum ex Capitularibus vel per sacerdotem qui ipsius capituli erat a secretis in schedula bene clausa mittebant: quam cum praesidens acciperet et aperiret, ipsi quidem constare poterat pro qua persona Episcopus suffragaret. Talem morem utpote nec juri nec rationi contrarium ipse quoque servavi, quod aliquibus ibidem displicere cognovi.«

Eodem tempore Illmus Praesul suis literis scripturam adjecit a commissione capitulari confectam quae cum ipsius Episcopi deductionibus penitus concordat. Ex hac quaedam tantum decerpimus notatu digniora.

»Commissio capitularis censet, dubia a recurrentibus promota electiones RR. DD. Canonicorum lectoris et poenitentiarii nuper habitas respicere, in quibus cum Episcopus absens suum misisset suffragium in schedula bene clausa exaratum et propria manu subscriptum manifeste nomen electoris patebat. Id etiam singulare in electionibus praefati poenitentiarii interfuisse, quod cum ex scrutinio suffragiorum prodiret paritas votum Rmi Episcopi praevaluit ac electionem determinavit.

Eadem capitularis commissio insuper tenet, propositis dubiis causam pariter dedisse circumstantias fere similes, quae electiones Archidiaconi, cantoris, magistri scholae, sexti Canonici et secundi praebendati recentius peractas sunt comitatae. In his enim suffragium quoque suum Episcopus miserat eadem forma.

Quod attinet vero ad consuetudinem vigentem, commissio capitularis subdidit: »Cum Indiarum regiones sub Hispanica dominatione essent constitutae, ipse Hispaniae rex patronatusjure quo ex apostolica concessione pollebat ad omnia ac singula beneficia personas sibi benevisas praesentabat: nec alius tunc temporis canonicae electionis obtinuit modus, quo vacantibus beneficiis hujus cathedralis ecclesiae provideretur, quam ille pro canonicatibus, ut ajunt, *appositionis* adhibitus, quique per scrutinium ad formam Concilii Lateranensis III et cap. 42 de elect. exercebatur. Emancipatis autem Indis a regis Hispanici imperio patronatus, quo hic utebatur in beneficiorum collatione, statim desiit atque ab eo usque ad hoc tempus forma scrutinii secreti quae olim in electionibus canonicatuum *appositionis* unice servabatur, ad cetera beneficia vacantia extensa fuit, Episcopis interdum invitatis ad suum dandum suffragium ipsumque in clausa schedula tradendum. Id quoque ex actis capituli compertum est, nonnullos Capitulares absentes saepe saepius collegas aliquos praesentes deputasse ad suffragia suo nomine ferenda: quod reapse factum est in ipsis electionibus supra commemoratis. Hactenus de consuetudine quae in hac cathedrali ecclesia pluribus abhinc annis invaluit.

Inter rationes quas allegabant Canonici recurrentes pro sustinenda electione secreta hae reperiebantur. Distinguebant videlicet electiones in publicas et secretas, atque praetermissis electionibus publicis de quibus in themate non est sermo animadversum est ad electionum secretarum naturam adeo pertinere suffragia secreta, ut, si unum secretum haud fuerit, eo ipso electio sit nulla. Quod ut probarent, allegarunt celebrem constitutionem Concilii Lateranensis, quae legitur in cap. *Quia propter, 42. de elect.*, in qua Inno-

centius III. inter cetera edixit: »Statuimus ut cum electio fuerit celebranda praesentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui *secrete* et singillatim vota electorum diligenter exquirant... aliter electio facta *non valeat* . . .« Ad haec illustranda et confirmanda arbitratum est conferre, quae Tridentina synodus habet in *sess. 25. cap. 7. de reg.*, ubi tradit rationem eligendi superiores regulares, praecipiens sub decreto irritante quod electiones fiant *per vota secreta ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur.**) De quibus juris dispositionibus loquens Ferraris *Biblioth. can. verb. electio art. 4. n. 33* cum aliis auctoritatibus tradit: »Desineret tamen esse secreta et sic non subsisteret electio, etiamsi unus solum votum suum publicaret, permittente capitulo, quia sic per totum capitulum contraveniretur dispositioni Concilii praecipientis sub decreto irritante quod electiones fiant per vota secreta et nomina eligentium nunquam publicentur... sic desineret esse secreta et nulla esset electio si eligentes uterentur schedula aliquo patenti signo signata, ut innotescat scrutatoribus vel uni ex illis, quod tales eligentes elegerunt illum nominatum in schedula; ac proinde sic electus factus de hoc certus tenetur resignare praelaturam sive officium vel petere a SSmo confirmationem cum dispensatione.« Atqui haec in themate contingere est animadversum, cum et schedula Archiepiscopi ex sua extrinseca forma dignosceretur et ex nominis praeterea subscriptione.

Neque opponi posse dixerunt resolutionem S. C. C. editam anno 1844 hujus tenoris: »*Scribatur Episcopo qui decretum faciat ei cujus inposterum Dignitates votum habeant in electionibus et in paritate suffragiorum praevaleat Episcopi votum.*«**) Ajebant enim illam facti speciem nihil habere commune cum praesente controversia; atque aliud esse Episcopum in paritate suffragiorum posse publicare votum suum, et aliud publicare illud pro lubito ante ipsam electionem, quod contingeret, cum illud in scriptis ad capitulum mitteret: ejusmodi enim secundum modum eligentium libertatem violare et esse expresse reprobatum in *cap. 46.* §. *fin. de elect. in 6.*; »Absens quoque (licet nullus de collegio velit esse procurator ejusdem nec ipse, nolente capitulo, extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secrete et singillatim tantummodo exprimendum.« Nonnulla praeterea adducebant Canonici recurrentes, quibus ex usu ejus regionis et ex facto excludere conabantur etiam suffragium praevalens Archiepiscopi in paritate votorum: quae quidem erant parvi momenti.

Qui electionem in themate sustinebant, exordiebantur ab ipsis juris dispositionibus, quae ex adverso sunt deductae. Observarunt itaque primo citatum caput *Quia propter 42 de elect.* praescribens electionum formam sub poena nullitatis minime extendi ad provisiones beneficiorum et canonicatuum, sed tantum respicere electionem praelatorum sive secularium sive regularium qui uti novi pastores ac sponsi ab ecclesiis viduatis sunt excipiendi; quod confirmant ex glossa in *cap. ad verb.*: *viduatis:* »Per hoc videtur quod loquitur *tantum de electionibus praelatorum idest Episcoporum* non Canonicorum. Sed numquid extendemus istam constitutionem ad omnes Dignitates etiam ad non cathedrales et ad plebanatum et ad alias Dignitates, quae praelatos habent in ecclesiis collegiatis? Non videtur, cum ecclesiae per illas Dignitates non dicantur viduatae, cum habeant Episcopum. Satis potest dici quod non extendatur ad alias Dignitates, sed tantum ad episcopatus et regulares praelaturas.«

Cui consonat de Luca qui *de Canonicis disc. 26. num. 4.* tum positive tum negative declarat dictae formae rigorem in provisione seu nominatione ad canonicatus aliaque beneficia non obtinere, subjungens: »quoniam istam per nostrum modum loquendi dicimus electionem, sed vero non est talis.«

Et s. Rota *in decis. 286. part. 6. et decis. 119. part. 9.*

Praeterea ad s. Concilii Tridentini sanctionem quod attinet *in sess. 25. cap. 6. de reg.* quae haec praescribit: »In electione superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium et aliorum officialium ac generalium et Abbatissarum atque aliarum praepositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, inprimis sancta synodus districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec inposterum li-

*) Vd. t. *I. p. 100. c.*
**) Vd. supra *p. 124.*

ceat provinciales seu Abbates, priores aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendae constituere aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit et is, qui ad hunc effectum se in provincialem, Abbatem aut priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat:« est animadversum cum Card. de Luca *in adnot. ad S. C. Trid. disc. 37. n. 1.* ejusmodi sanctionem ad regularium superiorum electiones restringi, ibi enim scripsit: »Super electione superiorum seu praelatorum regularium per istud decretum inducitur id quod de jure communi dispositum non erat, quoniam . . . . forma electionis per scrutinium secretum in jure communi praescripta servanda solum est, quando agitur de electione Episcopi vel alterius praelati ecclesiae viduatae, adeo ut agatur de formali electione ad praelaturam perpetuam in titulum non in aliis actibus.« Idque disertis verbis a s. Rota quoque expressum legimus in *decis. 210. n. 9. part. 9. recent.*, *ibi*: »nullam requiri formam specialem in canonicatus electione, sed sufficere consensum capitularem quoquo modo praestitum, ad cujus expressionem non minus valet factum quam verba etiam sine solemnitatibus.«

Ad objectionem capitis 40 *de elect. in 6.* responsum fuit per hoc excludi quidem capitularis absentis votum per literas expressum in iis quae secreti scrutinii formam necessario exigunt, non autem votum Episcopi qui non tanquam praeses aut membrum capituli, sed uti persona extranea et a capitulo distincta suum tulerit suffragium; Card. de Luca *de benefic. disc. 30. n. 3. et seqq.* Neque mirum ergo esse si praelatus personam gerens a capitulo distinctam, secus ac capitulum, suum praebeat ac publicet votum: eo vel magis quod rescriptum S. C. C. anni 1744 haud ullam Episcopo imponit in suffragio ferendo modi, temporis ac loci limitationem.

His aliisque utrinque deductis causa proposita est die 22. Junii 1872 coram S. C. C. atque responsum prodiit: *Dilata ad primam post proximam*, quo responso significatur, s. Congregationem distulisse resolutionem causae non ad comitia quae immediate sequerentur, sed ad ea quae sequerentur.

Cum vero haec controversia iterum discussa fuerit sub die 17. Augusti ejusdem anni 1872, ex officio enucleatius inculcatum est formam electionis in cap. *Quia propter* praescriptam rigorose sub clausula irritante comprehendere tantum ea beneficia majora ex quorum vacatione suis pastoribus ecclesiae remanent viduatae, uti passim docent canonistae ad *tit. de elect.*, in aliis autem beneficiis minoribus vacantibus, in quibus nec ecclesiae viduae censentur, locum non esse electioni proprie dictae ac perfectae, per supremos juris apices, ceu inter ceteros animadvertit Reiffenstuel *hoc tit. n. 112* scribens: »Ceterum in electionibus inferiorum ut puta Canonicorum Cathedralium licet forma in *cit. cap. Quia propter* praescripta recte observetur nihilominus rigor iste in eorum electione non necessario est servandus: nam per horum mortem non censetur ecclesia viduata, ut omnes censent, cum non habeant ejusmodi generalem jurisdictionem ut Abbas ac verus sponsus ejus videlicet Episcopus adhuc vivat. Unde ad valorem talium electionum satis est, si Capitulares collegialiter congregati per vota majora quempiam ceteroquin habilem eligant quomodocumque consensum suum exprimant; adeo ut sufficiant etiam singulares consensus dummodo praestentur in capitulo.« Idem docent Fagnanus, Passerinus, Pirhing. aliique communiter; dummodo legitima consuetudo formam dicti capitis non induxerit.

Porro est animadversum, in themate de ejusmodi consuetudine non constare: convenire tamen capitulum et Archiepiscopum electiones ad vacantes canonicatus fieri per *schedas secretas*; idque esse passim in usu apud bene ordinata capitula, quamquam secreta suffragia ex jure haud necessaria censeantur, cujus electionis quemdam modum sic describit Scarfantonius *Animadvers. part. 2. tit. 4. c. 6:* »per schedulas ab electoribus scriptas et subscriptas ac sigillatas ita ut foris non appareant nomina eligentium, expresso tantum nomine ejus, quem volunt eligere . . . . deinde ponuntur in bussula, ex qua a Deputatis extrahuntur et facta diligenti inquisitione publicatur electus a majori parte vocalium: et si quis Capitularis votum suum palam dare ausus fuerit, non solum venit arguendus a capituli praefecto, sed pro illa vice in poenam a dando secreto suffragio est privandus.« Cf. quoque Bouix *tract. de capitul. p. 1. sect. 4. c. 8. n. 8.*

Haec quidem respiciunt capitulares con-

suetudines; sed cum in themate ageretur de Archiepiscopo, qui non uti unus de capitulo suum daret suffragium, sed uti persona a capitulo extranea, hisce legibus capituli non teneri asserebatur. Quinimo cum per rescriptum habitum anno 1844*) Archiepiscopi votum in paritate suffragiorum praevalere deberet, notatum est, necessarium omnino esse, ut occurrente suffragiorum paritate ejusdem votum omnibus electoribus patefieret.

His aliisque animadversis iterum proposita sunt coram S. C. dirimenda

Dubia:

I. An in capitularibus electionibus, quae secreto vel per scrutinium fiunt, exprimi possit electoris nomen?

Et quatenus negative,

II. An electiones hujusmodi nullitati subjaceant?

Et quatenus affirmative,

III. An idem dicendum de electionibus in quibus Episcopus votum suum manifestat?

S. Congregatio Concilii causa cognita in comitiis habitis die 17. Augusti 1872 respondere censuit

Ad I: *Providebitur in tertio.*

Ad II: *Prout exponitur negative.*

Ad III: *Suffragia per schedulas secretas esse danda etiam ab Archiepiscopo. Postquam paritas votorum emerserit, Archiepiscopi votum esse manifestandum.*

Exinde colliges:

I. Rigorem citat. cap. *Quia propter 42. de elect.* procedere tantum quando agitur de electione Pastoris seu praelati ecclesiae viduatae, non vero in provisione ad canonicatus aliaque beneficia et officia capitularia, in quibus sufficit consensus capitularis quoquomodo praestitus.

II. Conveniens tamen esse electionem seu provisiones ejusmodi fieri per schedulas secretas.

III. In electione superiorum quorumcumque Abbatum temporalium et aliorum officialium ac generalium, Abbatissarum atque aliarum praepositarum procedendum esse per vota secreta sub poena nullitatis aliisque ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de regul.

*) Vd. *p. 124.*

h) A Patronis appositis conditionibus.

Vd. t. II. p. 362. n. 5.

Senogallien.

Templum sub invocatione s. Medardi in pago Rocchae Contratae, quod hodie Arceviae nomen obtinet, Senogalliensis dioeceseos, jamdiu fundatum, ad Collegiatae honorem Xistus V. evexit eamque octo ditavit canonicalibus praebendis, una videlicet pro Archipresbytero, reliquae *pro septem presbyteris aut in ea aetate constitutis, ut infra annum adeptae per eos canonicatuum et praebendarum hujusmodi possessionis computandum, ad omnes sacros et presbyteratus ordines promoveri possint ac debeant; praeterquam hac prima vice quoad Camillum, qui est in vigesimo secundo suae aetatis anno dumtaxat constitutus.*«

Dein sub die 11. mensis Februarii 1662. quidam Hieronymus Oliverius Arceviensis supremo, quo decessit, elogio nonnulla piae causae legavit praedia jussitque ut ex eorum redditibus praebenda pro uno canonicatu in memorata collegiali ecclesia *juxta formam sacrorum canonum* erigendo constitueretur. Canonicum pro prima vice ipsemet nominavit voluitque, ut deinceps canonicatus gauderent *patronatu Archipresbyter, unus ex proceribus magistratus et secundus Prior* confraternitatis ss. Rosarii. Ex fundationis vero particula eruitur testatorem ipsum quoad onera et praeeminentias semper ad bullam Xisti V. respectum habuisse eumque in Canonicum censeri »*legitime electum, nominatum et praesentatum, qui repertus fuerit habere plura vota favorabilia etc.*«

Mense Aprilis 1843 canonicatus iste vacans remansit patronique, quum ad novam nominationem de more devenirent, in dua abierunt studia; contendebat enim Archipresbyter subdiaconum Franciscum Franceschini dicto canonicatui inhiantem excludendum fore a concursu,*) utpote carentem sacerdotio,**) quod omnimode in nominando desiderari asseverabat. Alii duo videntes tempus utile ad praesentandum jam elapsurum censuerent id subdiacono Franzeschini minime obstare et ideoque collatis votis eum in Canonicum nominarunt et episcopali cu-

*) Vd. *p. 66. c.*
**) Vd. *t. II. p. 236. n. 31.*

riae obtulerunt. Interea temporis hanc s. Congregationem supplici Archipresbyter adiit libello. A Vicario itaque tunc temporis capitulari s. Congregatio ut in more est super oratoris precibus informationem et votum fuit percontata. Novus Emus Senogalliae Episcopus acceptis ab eodem Vicario de re literis sub die 31. Augusti 1844 respondit: quod »*auditi compatroni poenitendum haud censent emissae nominationis, uti propriae conscientiae assentaneae, fundatoris menti conformis et subdiaconi Franceschini idoneitati respondentis.*«

Addidit Franceschini parvi facere Archipresbyteri dissensum quippe satis defenditur nominationis validitas a patulis fundationis verbis queis decernitur canonicatum esse erigendum *juxta formam sacrorum canonum et memorat duo exempla clerici et subdiaconi, qui eumdem canonicatum obtinuerunt.* Retulit praeterea quod »*redditus annui circiter libera scutata viginti contingunt. Oneratur vero praeter quotidianum chori servitium quatuor missarum infra mensem celebratione necnon fisci et communitatis vectigalibus.*« Ad bonum supplicantis jus quod attinet, animadvertebat ea quae in facto recensuimus; de Collegiatae scilicet fundatione et de canonicatu ab Oliverio instituto disserebat. De qualitate presbyterali haec praecise loquebatur: *Num vero idem sit dicendum de presbyteri qualitate ad normam dictae bullae, sapientia vestra id discernet.*

De conditione denique ac bonis Franceschini moribus haec testabatur: »*Non reticebo eumdem Franceschini moribus viro ecclesiastico dignis, ingenii solertia profectuque in studiis honestari necnon diaconatum jam ab elapso Decembri suscepisse nec longe a sacro presbyteratus ordine assequendo.*«

Exigit controversiae status, ut prius de canonicatus indole, utrum scilicet presbyteralis sit, deinde de nominati habilitate ratio habeatur. Atqui, si Archipresbyterum patronum audire lubeat, is asserere minime dubitat, canonicatum ab Oliverio institutum in nominando sacerdotalem qualitatem necessario postulare proindeque Franceschini nominationem invalidam prorsus esse renunciandam, utpote qui, cum simplex esset subdiaconus tempore concursus, ea sane carebat qualitate, quae in praesentato a fundatore requiritur, sacerdotali videlicet charactere.

Porro Tridentina synodus *sess. 25. cap. 5. et 18 de reform.* consulto sancivit, religiose fundationis leges servandas: quam jurisprudentiam secuta est s. haec Congregatio *in Tiburtina 27. Maji 1826* et aliis bene multis necnon *s. Rota decis. 179. n. 9. coram Olivatio.* Neque illas ipsis unquam patronis immutare fas est, uti docet *Abbas lib. 3. decretal. cap. 3. n. 1. de jure patron., Rota in recent. n. 1. part. 5. tom. 2.*

Verum, cum ex legis dispositione et communi canonistarum sententia distinctio jamdiu admissa fuerit, de qualitate sacerdotali actu vel habitu requiratur. Si enim actu, claudicaret oppido Franceschini institutio, utpote, qui nominationis tempore ad subdiaconatus gradum tantum conscenderet; si vero habitu, Franceschini valide praesentatus dicendus esset, cum jam tum foret subdiaconus ideoque in ea constitutus aetate, ut infra annum posset sacerdos consecrari. *)

Jam vero, ut id tuto queat dijudicari, theorica, quam primus omnium invexit *Abbas in cap.: Cum in cunctis* §: *Inferiora num. 40. de elect.*, prae oculis est habenda: nimirum: vel qualitas sacerdotalis adnectitur nominationis, praesentationis, collationis actui et tunc, cum qualitas adesse oporteat secundum tempus verbi et actus cui adnectitur beneficium dicitur actu sacerdotale: vel requiritur tempore prosecutionis seu posteriore ad nominationis, praesentationis, collationis actum et tunc beneficium censetur esse habitu tantum sacerdotale.

Probatissima in jure canonico est regula hujusmodi eamque amplexa deinde semper fuit *s. Rota* in decisionibus quam plurimis *quas n. 2. part. 2. refert decisio 216. et 556. n. 13. et 14. par. 18. tom. 2. rec. et* s. haec Congregatio in bene multis resolutionibus, quas *Fagnanus in cap.: Abbates de aetate et qualitate etc. num. 44.* recenset, novissime vero *in Montis Alti 5. Septembris 1846.* §: *Quod si.* Idipsum videre est apud *Fargna part. 1. can. 5. cas. 13. n. 24. quart. 2. can. 27. cas. 14. n. 9. et seqq.*

Hisce positis queis nam Oliverius in canonicatus fundatione usus sit verbis quaenamque fuerit ejus voluntas est investigandum. Porro quoad onera et praeeminentias ut jam dictum est ad Xisti V. bullam se omnino retulit fundator. Atque Xisti V. bulla decernit, quod Canonici eligendi in collegiata ecclesia Arceviensi aut sint pres-

*) Vd. *t. II. p. 175. n. 22.*

byteri aut in ea constituti aetate, ut infra annum adeptae per eos canonicatuum et praebendarum possessionis ad presbyteratus ordinem promoveri possint ac debeant. *) Ergo satis per se liquet non requiri qualitatem actu sacerdotalem, sed habitu tantum et potentia.

Id insuper evidentius fiet ubi animadvertatur Oliverium piae causae nonnulla legantem praedia jussisse ut ex eorum redditibus praebenda pro una canonicatu in collegiali ecclesia *juxta sacrorum canonum formam* erigendo constitueretur, quae sane verba quemlibet ambigendi locum praecludere quisque facile sibi suadet. Jure siquidem communi ad canonicatum in ecclesiis collegiatis assequendum nullus requiritur ordo sacer, sed satis est prima tonsura ut pluries resolvit s. haec Congregatio et praesertim *in Parmen. Canonicatuum quoad ordines die 29. Aprilis 1837. §: Statuit*, adjiciens ibi, quoad Collegiatas etiam insignes juris communis regulas sartas tectas tuendas esse, quemadmodum tradiderat *Barbosa de Canonic. et dignitat. cap. 13. n. 24.* **)

Franzeschini quinimo suffragatur observantia, cum adsint exempla quod clerici et subdiaconi eumdem obtinuerunt canonicatum; et neminem sane fugit, quanti in beneficiis conferendis observantia sit facienda, quae optima est rerum omnium interpres, ut habetur, omissis ceteris, *in Ipporegien. Jurium canonicalium 4. Junii 1836. §: Colligere*, cui consonat s. *Rota decis. 208. recent. num. 4. cor. Molines.*

Haec quoad canonicatus indolem: modo vero de Franceschini habilitate dignitateque inquirendum. Archipresbyter hic quoque asserere quidem haud dubitat, quod dato etiam, canonicatum in casu presbyteralem actu non esse renunciandum, Franceschini tamen ut eum assequatur idoneus ac dignus dici omnino non possit. Exploratissimum at vero in jure canonico est, neminem ad ecclesiasticam in beneficium institutionem cappessendam posse praesentari, nisi idoneus ac dignus agnoscatur,***) nisi cunctis scilicet polleat qualitatibus, quas ss. canones requirunt. Ita ex communi canonistarum sententia, ut videre est apud *Reiffenstuel in jure canon. lib. 4. tit. 6. de elect. tit. 14. de aetat. et qualit. ordin. praefic.* aliosque quamplurimos: eamque semper tenuit jurisprudentiam s. haec Congregatio ut in *Aesina Capellaniae 20. Junii 1767 §. Nihil autem, in Firmana Beneficii die 17. Februarii 1821. §: Statutum, in Aesina Nominationis 23. Junii 1832* et caeteris missis *in Aretina Praesentationis et concursus 19. Maji 1832*, ubi clare dicitur personae inhabilis praesentationem haud legitimam esse et haberi perinde ac si facta non fuerit. Franceschini autem controverso canonicatu hisce de causis Archipresbyter judicat indignum.

Haec tamen librabunt EE. VV. unacum iis quae Franceschini favore in actis exstant. Sane satis constat ipsum nominationis tempore ad subdiaconatus ordinem jam promotum extitisse. Pariter eumdem probum, in ecclesiastica disciplina versatum et quaquaversus commendatum hominem esse, ex luculentissimo evincitur eminentissimi Episcopi Anogalliensis testimonio, qui, uti supra relatum est, suam ad sacrum EE. VV. Ordinem epistolam ita absolvit: »*Denique non recitebo Franceschini moribus viro ecclesiastico dignis, ingenii solertio profectuque in studiis honestari etc.*« Neminem porro praeterit, habilitatem beneficiati ex Ordinarii attestationibus probari. Sacra *Rota in recent. decis. 81. part. 18. num. 3.* aliisque quamplurimis.

Quod reliquum est EE. VV. dirimere non renuent

D u b i u m:

An constet de validitate nominationis et praesentationis favore Francisci Franceschini factae ad canonicatum ab Oliverio erectum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 6. Maji 1848.

A r b o r e n.

Supremis tabulis die 5. Junii 1826. moriens sacerdos Aloisius Tala metropolitanam Arborensem ecclesiam Canonicus praebendatus haeredem designavit. Inter legata vero, quibus subesse hereditatem universam voluit, illud sibi principem vindicat locum, quo capitulari massae Arborensi argenteos numnos ter mille centum undecim in numerata pecunia necnon argenteos bis mille quatuor centum quadraginta octo circiter in stabilibus

*) Vd. *t. II. p 175. n. 22; p 185. n. 27.*
**) Vd. *t. I. p. 280. II.*
***) Vd. *t. II. p. 404. p.*

bonis assignavit. Vita functo Aloisio testatore die 18. Novembris 1829 capitulum probe animadvertens de haereditate locupletissima rem sane esse nulla interposita mora facto ipso illam adivit, quippe numeratam sumpsit pecuniam ac super haereditate plures iniit contractus. Isthaec autem omnia a Capitularibus gesta fuisse constat, quin loci Antistitem ullatenus consuluerint, si unicum excipias negotium super confectione inventarii, a qua ut absolverentur preces obtulerunt Arborensi Archiepiscopo, ne nimium graves expensas ferret haereditas, quae quum caeteroquin esset notorie lucrosa nulla inventarii scriptione opus esse videbatur, atque huic instantiae benigne annuit Archiepiscopus.

Interea vero nullum de canonicatus erectione juxta testatorum voluntatem peragenda consilium inierant Capitulares, licet ex bonis ejusdem dotis assignatis haud exiguam summam ad annum usque 1831 exegerint, donec eo demum anno, die 17. Martii, in capitularibus habitis comitiis factum est ut de bonorum ad ipsum pertinentium valore necnon de annuis eorumdem redditibus probe instructum capitulum legatum illud, cui canonicatus instructa erat erectio, sese recipere ac illius bona in suam massam committere omniaque eidem adnexa onera suscipere solemniter declaravit. Capituli isthaec constitutio quum Arborensi Praesuli ab ipsius testamenti curatoribus oblata esset, ut canonicatus erectionem ratam haberet, is arbitratus nihil jam amplius ad voluntatem testatoris implendam deesse quam la regolare erezione del canonicato, di cui si tratta, quemadmodum Canonici exequutores in porrectis sibi precibus asseruerunt, die 8. Aprilis 1831 rescripsit: si comunichi al rmo capitolo, affinchè prenda le ultime deliberazioni, in vista delle quali danemo le nostre providenze.

Verumtamen adhuc quatuordecim integros menses moram traxit capitulum, donec Antistite per literas rei exequutionem urgente tandem die 23. Julii 1832 iterum comitia coëgit ac in iis communi suffragantium voto statuit, ut quinque erigendo canonicatui, de quo res erat, apponerentur conditiones.

His conditionibus Episcopo traditis ut eas auctoritate sua ratas haberet atque in ipso erectionis instrumento poni pateretur, Episcopus sentiens eas et graves nimium esse et voluntati testatoris adversari rejiciendas omnino esse existimavit datoque die 3. Julii 1832 responso rationum momenta explicavit, quibus a sententia revocare capitulum satagebat. Res tamen non cessat ex voto prudentissimi Praesulis; siquidem post alios sex elapsos menses Canonici aliam obtulere eidem Antistiti allegationem die 7. Decembris 1831, qua conditiones canonicatui apponendas tueri totis viribus adnitebantur: et Archiepiscopus iterum suas his responsiones opposuit, illud intendens ut in rationis et justitiae semitam revocaret Canonicos. Omnia tamen incassum, etenim die 15. Februarii 1833, tertio remisso chirographo, Capitulares, postquam ea quae saepius protulerant repetierint, capitulum etiam a potestate Episcopi exemptum profiteri ausi sunt. Quum ita se res haberent, Arborensis Antistes, ne pia fundatoris voluntas amplius effectu vacua maneret et de nimia sua benignitate gravissimum illius animae detrimentum irrogaret, decretum edidit die 8. Julii 1833 quo legitimam canonicatus Tola erectionem sanciebat: addita comminatione quod Canonici nominandi jure privati intelligerentur pro ea vice nisi infra decem dies nominationem explerent, ac praeterea curatorum testamenti officium cessatum declarabat et administratione dimissa sibi intra viginti dies ad reddendam rationem ipsos teneri.

Quanto animi dolore Arborens. ecclesiae cathedralis clerum affecerit hoc decretum illico eventus demonstravit, siquidem Calaritano tribunali, cui nomen: Tribunale apostolico di appellazione e gravami, adversus illud querimonias detulit haud mora die 20. Junii ejusdem anni suumque tueri jus in canonicatus erectione postulavit. Verumtamen tribunal illud singulis ex propositis dubiis mature perpensis ita pronunciavit:

1. Capitulum Arborense vere agnovisse et adivisse legatum a testatore Canonico D. Aloysio Tola factum postremo suae voluntatis elogio diei 5. Junii anni 1826.

2. Quatuor conditiones a capitulo exhibitas post decretum Archiepiscopi diei 8. Aprilis anni 1831, quamvis integra res foret, expungendas esse, utpote quia et contrariae testatoris voluntati et pugnantes cum aperta juris dispositione iuveniantur.

3. Cessatum dicendum esse ad statum quaestionis officium quatuor exequutorum testamenti fasque fuisse Archiepiscopo eos

adigere ad reddendam habitae administrationis rationem.*)

4. Optimo jure potuisse Archiepiscopum injungere capitulo, ut intra dies decem praestaret personam in Canonicum eligendam sub facta comminatione amittendi pro hac vice jus praesentandi.

5. Confirmandum esse prout confirmamus in omnibus et per omnia decretum ab Archiepiscopo datum sub die octavo Junii anni 1833 pro erectione canonicatus.

6. Ad erectionis perpetuitatem et fidem conficiendum esse instrumentum fundationis canonicatus s. Aloisii a publico tabellione exaratum juxta stylum curiae et servatis omnibus et singulis de jure servandis.

Apostolici tribunalis sententiae minime acquievisse capitulum atque ab ea provocationem interponere velle audivit Arborensis Archiepiscopus. Quare ut inappellabili oraculo controversia omnis tolleretur ac principali auctoritate in officium revocaretur capitulum, datis SSmo D. N. Gregorio XIV. humillimis literis obsequenter eum precatus est, ut plura decernere dignaretur dubia ad folii calcem, ut moris est, apponenda. Summus Pontifex causam s. huic Congregationi una cum precibus discutiendam remisit 2. Martii 1834; quae die 5. ejusdem mensis scribendum censuit eidem Archiepiscopo, ut audiat in scriptis capitulum et promotorem fiscalem eisque, quatenus nova jura praeter jam allata deducere velint coram s. Congregatione, praefigat terminum ad comparendum et de resultantibus certioret.

Interea suas etiam interposuit supplicationes eidem summo Pontifici Arborense capitulum impense efflagitans, ut totius causae cognitio Calaritano Antistiti committeretur; adeo ut quum Arborensis Metropolita sac. Ordinis mandata sequutus sexaginta dierum terminum ad probationes afferendas constituerit paucis sese expedirent Capitulares.

Transmissum est ejusmodi responsum ab ipso Episcopo s. huic Congregationi una cum aliquot suis animadversionibus ac promotoris fiscalis allegatione et s. Congregatio quoniam Canonicorum appellatio fuerat a summo Pontifice rejecta sibique supplex eorum libellus remissus replicandum censuit: Scribatur eidem Archiepiscopo ut capitulo notificet, quod attenta remissione causae a SSmo ad sac. Congregationem facta eadem, quatenus idem capitulum comparare ac jura sua proferre coram s. Congregatione neglexerit, proponetur ac definietur quamquam deserto vadimonio praefixo alio termino ab eodem Archiepiscopo, qui certioret de resultantibus.

Haec autem omnia penitus spernenda visa sunt: nota enim ac pervulgata est instructio publici juris facta a s. m. Benedicto XIV. post conventionem initam cum augustissimo Sardiniae Rege, quam instructionem suprema auctoritate sancivit Rex Carolus Emanuel fel. rec. humanissimis literis ad eumdem summum Pontificem.

Quibus ad uberiorem totius rei confirmationem addi possunt literae apostolicae s. m. Gregorii XIII. datae die 25. Julii 1579, quae licet tempus remotum respiciant tamen a constanti duorum et amplius saeculorum observantia jus et firmitatem suam mutuantur atque insuper haberi possunt ac si nudius tertius prodissent, quia non aliunde quam ex ipsis literis auctoritatem recepit judex apostolicus appellationum et gravaminum in Calaritana civitate constitutus: hinc sicuti ab eo tempore suam potestatem retinet atque exercet hic judex, ita et in suo pleno robore literas illas consistere negari nequit. In iis porro haec summus Pontifex mandavit: Decernimus et declaramus a quibusvis sententiis definitivis . . . nedum per ordinarios vel alios delegatos judices . . . latis . . . ad dictam Sedem apostolicam libere et licere appellari ac appellationes hujusmodi in romana curia prosequi.

Hinc iis tantum collatis monumentis, quae alias a capitulo tradita fuerunt Arborensi Archiepiscopo et ab eo ad s. Congregationem missa, eadem s. Congregatio statuit causam proponendam in folio hodierna die definiendam. Ut autem in non levis momenti negotio meliori, quo fieri poterit, modo ordini inserviam, singulas ab Archiepiscopo expositas quaestiones sigillatim EE. VV. subjiciam. Contendit ipse inprimis erigendum esse canonicatum sub invocatione s. Aloisii, nulla prorsus addita (si primam tantum excipias) ex conditionibus superius juxta capituli mentem relatis. Hinc animadvertit liberum amplius non fuisse capitulo, postquam die 17. Martii 1831. simpliciter et sine ulla conditione legatum a pio testatore Tola relictum acceperit, novas eidem addere restrictiones, quae quidem testatoris dispositioni

*) Vd. *t. I. p. 185. c; p. 229. b; t. II. p. 1067. II.*

adversentur: maxime quum jam ab eo tempore legatum illud plures annos possederit ejusque haud exiguos fructus perceperit.

Neque his officere ulla ratione posse addit decretum a se latum die 3. Augusti 1831 quippe numquam suae menti occurrere potuisse (ait) ejusmodi conditionum appositionem, a quibus sane pio legato appingendis nedum actus ipse capitularis aperte tunc abhorrebat, sed et canonicatus bonum et testatoris voluntas omnimode refragabantur. Atque hic ad trutinam revocatas conditiones illas singulas lex secunda urget, (de priori enim nulla quaestio) effici quandoque posse ut beneficio illo vacante alterius praebendati nominatio cum ipso capituli dedecore interdum differatur, et redditus interim massae ipsi capitulari addicendos, ac praeterea iniquum esse videtur ut jacentis beneficii fructus adjudicentur patrono illi, qui nullâ sane assignata ecclesiae dote sed ex sola fundatoris liberalitate nominandi jure fruatur.

Nihilo vero dicenda esse prosequitur, quae contra haec opponere conabatur capitulum in sua responsione exhibita die 7. Decembris 1832. Asseruerant enim Canonici sese fructuum applicationem nullimode postulasse qui vacationis tempore perciperentur, etsi per *Van-Espen. par. 5. sect. 3. tit. 8. cap. 6. num. 12.* possit quoque in fundatione apponi, quod fructus ecclesiae, quando eam vacare contigerit, cederent patrono. Asseruerant etiam summam scut. 400 quae solvenda forent Canonico electo onus esse gravissimum adeoque aliqua ratione compensandum, ne alterutri partium praejudicium inferatur. Addiderant, canonicatum sane inter ecclesiastica beneficia esse recensendum*), at beneficium ecclesiasticum dari propter officium**): ejusmodi canonicalem praebendam fuisse institutam a fundatore ad instar ecclesiasticae pensionis pro rata temporis exsolvendae.

Sed bona ad legatum pertinentia, quibus 400 scut. solutio est adnexa, ad capitularem massam omnino spectare, veluti ad legatariam isto aliisque gravatam oneribus et quoad proprietatem et quoad usufructum, quumque testator vacationis casum non consideraverit, praesumi jure nequit hujusmodi praebendam extendere voluisse ad eum qui ecclesiae minime inserviat et animae illius in canonicatus officio non suffragetur.

*) Vd. *p. 63. n. 3.*
**) Vd. *t. II. p. 551. f.*

Verumtamen ait Episcopus ad singula respondens Capitulares, etsi canonicatus vacantis fructus sibi addicendos explicite non postularint, hoc tamen ex apposita conditione suapte natura descendere, ut vel capitulari massae vel ecclesiae saltem accrescerent. Vanespenium porro de patronis dumtaxat fundatoribus loqui, de iis enim *loc. cit. num. 8.* dixerat: Ceterum quia hoc jus in patroni fundatur munificentia, quam ab ipso ejusque parentibus aut majoribus ecclesia recepit . . . sat patet patronis jus hoc non competere ratione juris praesentationis, sed titulo fundationis vel donationis.

Onus illud scut. 400 annua persolvendi satis superque compensari ex locupleti patrimonio ipsi capitulo a testatore relicto, quod praeter bona stabilia in argenteis nummis ter millibus numeratae pecuniae consistit.

Et ad 3. subdit Alexandrum III. in *capite 4. de officio judic. Ordinar.* aperte statuere: Cum nos plerumque oporteat ordinationem ecclesiarum differre . . . fraternitati vestrae mandamus, quatenus si quando in vacantibus ecclesiis . . . de jure personas non poteritis in iis instituere, appellatione remota, petatis oeconomos, qui debeant fructus percipere et eos aut in ecclesiae utilitatem impendere aut futuris personis fideliter reservare. Ex his vero compertum esse concludit, non quidem massae capitulari sed vel ecclesiae ipsi vel futuris personis ad beneficium eligendis vacantium beneficiorum redditus fore addicendos.

Ad 4. urget praebendam nedum in decimis constitui posse, sed et in pecunia et in omnibus quae fructuum locum obtinent ut in praediis rusticis aut urbanis, sive in pascuis aut similibus*) . . . et aliis ejusmodi quemadmodum expresse *Devotus in instit. canonic. Vit. XIV. §. 3.* adeoque sicuti decimatores ita et Canonicum sub invocatione s. Aloisii quoad fructus perceptos et pendentes pro usufructuario censendum.**)

Ad 5. dat quidem capitulari massae praedictorum bonorum proprietatem pertinere, non ita vero usumfructum. Et si vero usufructuarius etiam dici velit, quum tamen ex usufructu singula adnexa onera satisfacere teneatur, nil rem immutari compertum est.

Testatur autem Aloisius Tola quum praedivitem sane eligendo Canonico praebendam

*) Vd. *t. II. p. 1089. XI.*
**) Vd. *t. II. p. 352. n. 32.*

assignaverit atque ita canonicatus vacationem quantum ex se fieri poterat impedierit, praesumi merito potest (ait Episcopus) voluisse etiam, ut nulla perceptione fructuum vacantis beneficii facilius Capitulares adducerenter ad nominationem citius expediendam. Transit post haec ad aliam conditionem expungendam Archiepiscopus suprapositam eamque et voluntati fundatoris primum adversam, quia integram omnino nullis adjectis oneribus scutatorum 100 summam Canonicum habere voluit, aequitati vero tum quia, quum ex capitulo ipso redditus dotis canonicalis ad summam saltem scut. 1200 in singulos annos ascendant, adeoque praebenda soluta ipsi integra supersit non levis pecuniae vis, aequum est ut addicta beneficio bona conservet tueaturque, tum quia patronus, uti est Arborense capitulum. ad servandas potius et instaurandas domos ex canonum sanctione teneretur.

Fatetur equidem (quemadmodum inclamat e contra capitulum) hac posita conditione novum Canonicum facilius domos illas servaturum incolumes, at quod onus testator non imposuit, illud neminem post haec imponere posse respondet: huic deinde incolumitati sane prospectum iri per clausulam quam approbare non renuit: che la casa sia soggetta ad una visita periodica da farsi prima che il Canonico l' abiterà, dopo che avrà cessato di abitarla, e sempre che nasca il bisogno a giudizio del capitulo.

Non absimili ratione conficit laudatus Praesul, quartam etiam clausulam cum testatoris voluntate pugnare adeoque esse rejiciendam.

Stat quidem ex canonistarum sententia atque ex tribunalium, praesertim vero hujus s. Congregationis Concilii praxi, occurrente reddituum imminutione onera etiam reduci solere; at id unum inde sequetur, capitulum nempe, his evenientibus rerum adjunctis, prohiberi non posse, quin a s. his tribunalibus indultum istud efflagitet, nunquam vero posse sibi jus, quod ei non competit, adrogare.

Denique ad postremam clausulam quod pertinet, perpendit gravari haud debere peculiari obligatione futurum Canonicum ad eum sibi laborem sumendum, quippe qui particeps jam sit onerum et bonorum omnium per turnum, quemadmodum ceteri Capitulares, maxime quum testator ipse explicite voluerit »che detto Canonico godesse di tutti e singoli dritti preminenze, e prerogative degli altri Canonici della massa capitulare e consequenter etiam juribus quae vocationis appellantur.

Hinc quamvis sane conveniens ac decorum foret ut Canonicus Tola munus impleret deputati pro celebrando festo in honorem s. Aloisii Gonzagae, quod vellent ceteri Canonici, atque is omni studio incumberet ad festum rite absolvendum, tamen quum hujusmodi onus in testamentariis tabellis illi injunctum non fuerit, Archiepiscopus ait justitiae repugnare ut ea obligatio hac super re Canonico Tola imponatur.

At quae fuse prodit laudatus Antistes Arcovensis nullimode arrident suae Cathedralis capitulo atque hinc post ea quae superius sunt exposita et quibus suas attexuit responsiones Episcopus, nonnulla etiam iterum animadverterunt in allegatione eidem Praesuli exhibita die 15. Februarii 1833.

Scilicet quoad priorem clausulam ajunt, reservari quidem debere ac expresse statui ab ipso fundatore ut patronatus, vacante beneficio, fructus percipere possit, hi namque ceteroquin in alios usus impendi debent: at id obtinet ubi beneficium fundavit: ubi vero ejus beneficii erectionem demandet testamentariis exequutoribus iisque plenissimam largiatur de singulis disponendi facultatem (sicut in themate) tunc quidem exequutorum arbitrio commissum fuisse censendum est.

Vanespenius etiam, ajunt, quamvis alimentorum jus ab ipsa institutoris munificentia deducat adeoque institutori ipsi ejusque filiis dumtaxat illud tribuit ad normam *can. 30. caus. 16. quaest. 2*, attamen s. hanc Congregationem extraneis etiam jus illud porrexisse demonstrat maxime *Cemensi 22. Nov. 1721.* a Bened. XIV. relata. Alexandrum III. addunt ex eo adamussim, quod vacantis beneficii fructus vel ecclesiae bono vel futuris personis tribuendos statuerit, satis ostendisse nullum istud exclusivum jus in iis bonis acquirere.

Denique ut se non administratorem tantummodo bonorum beneficii demonstret, sed proprietarium ac usufructuarium omnino, ad praesumptam testatoris voluntatem confugit, qui quidem, cum recte nosceret quibus malis postremo suae vitae tempore massa capitularis jactata fuisset quumqe iis consulere aliqua ratione cogitasset, sicut Arborensi Archipresbytero fassus est, haud equidem

finem obtinuisse suum dicendus esset ubi non etiam propietatem ac usufructum legati illius capitulari massae assignasset.

De tertia conditione post haec verba facit capitulum.

Addit haud adeo pingues esse legati Tola redditus, quemadmodum in priori responsione Episcopo exposuerat scilicet scutatorum 1200, quippe status ille reddituum, rebus non mature perspectis fructibusque adhuc pendentibus, initus fuerat, sed summam illam ad rationem alterius calculi diligentius exarati esse reformandam.

Postremo ad 5. conditionem deveniens ea omnia quae superius exposita sunt repetit capitulum ac Episcopum satis pie facturum si eam conditionem amplectatur concludit. Haec quoad primum dubium. Nihil sigillatim adnotat laudatus Antistes de tempore quod praecedit vel subsequitur latum a se decretum de erectione canonicatus s. Aloisii, adeo ut antea vel posthac terminum sex mensium patrono ecclesiastico ad nominandum tributum lapsum fuisse atque hinc antea vel posthac jure suo decidisse capitulum judicetur: quare de utroque tempore praestat singillatim inquirere. Jam vero praesentandi jus amisisse cathedrale capitulum etiam antequam decretum illud prodiret pluribus rationibus ostendere conatus fuerat Archipraesul coram Tribunali Calaritano, quas quidem juvat summatim referre.

Pacificum est inter partes (ita tribunal Calaritanum ratiocinabatur) tempus patrono currere a die acquisitionis jurispatronatus juxta *Card. de Luc. disc. 64. de jurep. p. 19. et seq.* Deinde consensum Episcopi causam esse efficientem ad faciendum quem patronum, docent *Fargna de jurep. par. 2. n. 3, Ripa respons. tom. 2. tit. de jurep. resp. 6. a num. 1. ad n. 8., Piton. alleg. 37. n. 3. tit. 1., Corradus in prax. benefic. l. 4. c. 1. n. 5.* et *Sebastianus Berardi c. 1. de beneficior. erectione*, ibi: Nec aliquid refert, an tacita an expressa an in actu an ante actum erectionis ecclesiastica auctoritas intercedat. . . . Agitur enim de consensu, qui eatenus necessarius est, quatenus inde demonstretur ecclesiae placere aut placuisse quod pius fundator faciendum mandavit. At Episcopus Arborensis nedum tacite, sed et expresse etiam suum de canonicatus s. Aloisii erectione consensum centies demonstravit: hoc enim sibi volebant tantae ab eo exhibitae curae, exhortationes, allocutiones, colloquia, scripta, epistolae — quas inter illa principem locum obtinet sub die 17. Julii 1831 ad Arborensem Archipresbyterum missa, qua et ipsum quoque eligendum Canonicum designasse dici potest, dum laetari se admodum significavit. Quibus praejactis sic concludebat laudatum tribunal: Ergo capitulum Arborense statim ac non semel aut bis, sed repetitis vicibus certum redditum fuit de sui Archiepiscopi consensu ad hujus canonicatus erectionem, exercitium acquisivit jurispatronatus et ab illo die acquisitionis jurispatronatus terminus patrono concessus currere coepit, quum patronis ecclesiasticis sex mensium spatium ad praesentationem explendam indulgeatur: *cap. 22. de jurep.*, quo elapso ad immediatum Superiorem jus nominandi pro ea vice devolvitur, *cap. 3 de suppl. neglig. Praelator.;* patet jus nominandi in themate jamdiu amisisse Arborenses Canonicos, ex quo plures a patronatus acquisitione anni transierint, adeoque illud ad Archiepiscopum esse natura sua devolutum. Id ipsum denique confici facilius etiam arbitratur post latum a se erectionis canonicatus decretum, quia plures jam ab ejus promulgatione annos elapsos fuisse est apertissimum.

Neque opponat capitulum (subdit Antistes) ipsum a decreto Archiepiscopi provocasse: etenim certissime constat decretum istud per cancellarium episcopalem legitime denunciatum fuisse capitulo canonice congregato die 14. Junii 1833 et capitulum non interposuisse appellationem nisi die 25. ejusdem mensis, scilicet post elapsos decem integros dies, qui ad provocandum a legibus tribuuntur, atque ideo nullius momenti dici debere hanc ipsam appellationem. Contra ea jus ad canonicatus in themate nominationem sibi adhuc integrum superesse totis viribus contendit capitulum. Enimvero si de tempore decretum praecedente sermo sit, deficiente principali deficere debere etiam accessorium ex tritissimo axiomate compertum est: at jus praesentandi aliquem ad beneficium, beneficio ipsi sane, sine quo stare nequit, est accessorium, quousque igitur beneficium seu canonicatus in casu erectus non fuerit ac constitutus, jus ad illum praesentandi vim exercere suam haud potuisse argumentantur. Accedit devolutionis poenam culpam supponere et negligentiam inexcu-

sabilem patroni, ad quam unice compescendam effugiendamque a ss. canonibus introducta est, *Gonzal. ad regul. 8. cancell.* *) *num. 5., Fargna de jure ap. 3. num. 12., Rosa de exec. liter. apostol. t. 2. addit. ad part. 1. pag. 7. num. 189. et num. 204., Rota decis. 134. sub num. 14. coram Cerro;* hinc unumquodque non improbabile impedimentum jura patroni praeservat a devolutione ad Superiorem ut ait s. Congregatio in *Mantuana 24. Februarii 1720.* §. *5., Vivian. de jurep. par. 2. l. 7. c. 2. n. 7., Castropal. oper. moral. tom. 2. tract. 13. de benef. disp. 2. punct. 5. a num. 3. ad num. 6.* Quaenam porro patronorum negligentia reperiri in themate valeat et quodnam majus adduci queat impedimentum quam patronati beneficii inexistentia, nullum sanae mentis hominem intellecturum unquam dictitant Capitulares.

Denique canonem ipsum, qui patrono ecclesiastico sex mensium spatium nominationi explendae assignavit, fatalem praesentandi diem nonnisi post beneficium erectum statuisse videtur cum ait Episcopo tunc nominationis jura devolvi, si intra tres menses postquam vacaverint (ecclesiae) non fuerit controversia termiuata: *textus cap. 22. de jurep.*

Quoad tempus vero, quod decretum erectionis ab Episcopo latum sequutum est, paucis sese expediunt Canonici; siquidem jam ex eo tempore per appellationem a capitulo interpositam coram Calaritano tribunali res litigiosa evasit: neque hactenus definita lis dici potest; at pendente lite aut recursu ad superiorem magistratum tempus ad praesentandum non currere statuit s. Congregatio in *Montis Alti Canonicatus 25. Aprilis 1789* §. *6.*

Nunc tertium dubium aggredientes ad illud quod 3. loco proponitur ab Arborensi Episcopo pensitandum properemus. Scilicet ille contendit numeris omnibus absolutam rationum redditionem sibi esse a Canonicis testamenti curatoribus intra viginti dies praestandam de bonis omnibus quae Canonici Aloisii Tola haereditatem quaque ex parte pertingunt. Luce enim clarius esse urget Episcopos a jure designari veluti omnium piarum voluntatum exequutores, *Conc. Trid. c. 8. sess. 22. de reform.* Adeoque fabricae cujusvis ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis . . . . et quorumcumque locorum piorum administratores tam ecclesiasticos quam laicos singulis annis teneri reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis (idem *Trid. cap. 9.*). Quinimo Episcopum utpote judicem causarum piarum compellere sane posse exequutores testamentarios ad demandatum munus implendum statuit *Greg. IX. in c. 17. de testam.* etiamsi a testatore id contingeret interdici. Hinc nullius ferme momenti tantopere a Canonicis jactatam testatoris Tola inhibitionem (si quidem ea existere dici potest) faciendam esse prosequitur Archiepiscopus, maxime quum — nemo possit in testamento suo cavere, ne in eo leges locum habeant — *per text. in l. 55. ff. de Legatis 1.* nec privata dispositio testatoris possit generalem constitutionem canonis immutare — ut habet *text. canon. in cap. 15. de testam.* His vero undequaque conformes esse et fortassis rigidiores Sardiniae regni leges ex sola earum lectione evidentissimum fieri. Denique negligentiam ipsam et socordiam curatorum testamenti novum addidisse Episcopo jus in themate concludit, quare ab iis rationum redditionem exigere statuto termino possit; siquidem dilatas defunctorum pias voluntates episcopali decens est studio adimpleri — ut sancivit *Gregorius IX. cap. 3. de testam.*

Verumtamen his haud commoveri se affirmant Arborenses Capitulares atque haec duo perpetuo objicere consueverunt, testatorem scilicet sibi plenissimam dedisse auctoritatem de rebus hereditariis universis pro eorum lubitu disponendi ac Arborense capitulum omnino esse et fuisse perpetuo ab Episcopi jurisdictione exemptum, quemadmodum fusius in postremo evolvendo dubio sermo redibit.

Neque hujusmodi ipsorum petitionibus Tridentinam synodum *cit. cap. 8 et 9.* ullimode adversari addunt; etenim Tridentinum Episcopos omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos exequutores appellasse. Verum diligentiae suae maximaeque in exequenda pii testatoris voluntate sollicitudinis exempla satis superque dedere laudati Canonici exequutores. Enucleatis hactenus propositis dubiis Arborensis Archiepiscopus illud demum impense ab EE.

*) Vd. *t. II. p. 820.*

efflagitat, ut quoniam de exemptione Arborensis capituli a jurisdictione Episcopi iterum mota quaestio est eam tandem controversiam definire dignentur, ex qua assidue Arborensi ecclesiae scandala obvenisse ac obvenire quotidie bonus quisque conqueritur.

Plura hac in re a contendentibus acerrime disputata sunt. Exemptionem suam ab Arborensis Praesulis jurisdictione plane adeo patescere clamat cathedrale capitulum, ut multis ad eam evincendam opus non sit verbis. Profecto jam ab anno 1486 die 11. Martii Ferdinandus Romanus Arborensis Archiepiscopus illud praecipuum inter capituli privilegia se agnovisse confessus est, quo ex Capitularibus nemo in criminalibus causis a solo Episcopo, sed a duobus simul judicibus a Canonicorum gremio quotannis eligendis judicari potest.

Eamdem exemptionem agnovit etiam summus Pontifex s. Pius V. per apostolicum breve die 13. Februarii 1571 editum Archiepiscopo pro Hieronymo Barborà.

Accedit libera bonorum administratio nedum eorum, quae capitulari massae, sed et eorum, quae cathedralis ecclesiae sacrario addicta sunt, hac enim usum semper est plenissime cathedrale capitulum. Neque his verbum ullum opponere unquam Arborensis Episcopus ausus est. Ejusmodi exempla videre archiepiscopalem illam cathedram moderante Rmo Domino Nin die 31. Decembris anni 1740 necnon anno 1745 sub Archipraesule Fontana et anno 1746 die 7. Martii.

At quod maximum est, plures romani Pontifices, quos inter s. Pius V., Gregorius XIII. et Clemens VIII., liberam hanc administrationem capitulo etiam quoad fundos proficiscentes spoliis defunctorum Praesulum ac ex redditibus vacantis cathedrae (qui tunc temporis ajunt ad cathedrales ecclesias integri pertinebant) tribuisse dicendi sunt dum potestatem capitulo fecerunt illos erogandi pro illarum structura, reparatione et manutentione ac etiam ornamentorum et paramentorum emptione idque inconsultis Episcopis, quibus ea in re sese immiscere vetitum erat. Atque ad has Pontificum sanctiones se retulit capitularis resolutio diei 31. Decembris 1740, cum sua jura adversus laudatos Episcopos voluit tueri.

Demum invictum exemptionis suae indicium in eo consistere arbitratur cathedralis ecclesiae clerus, quod Archiepiscopi Arborenses dioecesanam visitationem perficiant duobus eos comitantibus Canonicis, quorum alter ab ipso capitulo est eligendus; idque vetusta consuetudine firmari tenet, sicut testatur capitularis resolutio diei 5. Februarii 1757. Exinde vero ab ipsa quoque episcopali visitatione capitulum exemptum esse merito inferri posse sibi sumit.

At haec singula futilibus cavillationibus esse accensenda propugnat pro viribus Capitularium adversarius promotor fiscalis. Enimvero si quid privilegium illud in criminalibus causis capitulo concessum importat, hoc unum inde sequitur, in ea tantummodo re restrictive ab Episcopi jurisdictione eximi, in ceteris vero contrarium potius obtinere quum ex privilegio ad privilegium non valet illatio, imo exceptio in uno (ut fert vetus adagium): in reliquis regulam omnino confirmat.

Ejusdem ponderis est et aliud ex s. Pii V. bulla desumptum argumentum; quia scilicet nedum in exemptis sed in capitulis etiam Episcopi auctoritati subjectis nequit Antistes capitulares exturbare congregationes etsi ipse nequeat iis vel nolit praesens adesse. Praeter hoc unum nihil sibi velle laudatum Pontificis breve vel ex eo evidentissime constat quod in postrema dioecesana synodo Arborensi anno 1756 habita a Rmo Domino del Caretto, quae in universa sane dioecesi viget plenissime, de metrop. ecclesiae clero praescriptum videre est. Haec autem omnia perpetuo servata esse sicuti in synodo praescripta sunt et hodie etiam servari omnium voce edocemur.

Quid porro de libera ut Canonici jactant bonorum administratione dicendum? Ejusmodi libertatem vehementissime negat promotor fiscalis, at capitulum immo massae suae ac sacrarii bona semper administrasse demonstrat ea ratione ac forma, quae (dependenter sane ab Episcopo) per tres synodales constitutiones eidem commissa fuit. Re quidem vera in laudata synodo sub Archiepiscopo Del-Caretto celebrata haec habentur: Rerum quoque proventuumque cathedralis ecclesiae cura et administratio salvo tamen jure nostro tum rationem ejus exigendi tum ejus formam et modum cum opus fuerit emendandi instaurandique penes Canonicos sit, qui ea diligenter et accurate servent, quae hac de re alio loco constituri sumus. Deinde vero *cap. 26.* tempus praescribitur ac forma rationum redditionem a procura-

toribus cathedralis ecclesiae recipiendi, administrationes utriusque separati libri demandantur, unaquaque vero hebdomoda capitularia habenda esse comitia praescribitur, ut de administrationis negociis necessaria decernantur. Nec in ea tantum synodo, sed et in alia anno 1708 habita cathedram illam moderante Praesule Masones, necnon in tertia anno 1680 sub clarissimo D. De Alagon expressim iisdemque ferme verbis isthaec omnia demandata deprehenduntur. Quare quum Arborense capitulum jam ab annis 1545 iis usum sit constitutionibus iisque obtemperavit mandatis, non libere quidem et independenter, sed cum omnimoda potius a Metropolitano suo subjectione massae capitularis et sacrarii bona administrasse merito infertur.

Neque his aliquid roboris detrahere posse epistolas a s. Pio V., Gregorio XIII. ac Clemente VIII. per breve latas urget Antistitis defensor: siquidem in iis nedum Arborensi Archiepiscopo, sed et singulis Sardiniae universae Praesulibus vetitum videre est »di convertire in propri usi i fondi derivanti dagli spogli degli Antecessori, e s'incarica ai capitoli d'impiegarli in riparazioni, ed ornati della chiesa.« Jam vero si per haec Pontificum decreta immune a jurisdictione Epicopi Arborense capitulum fieri concedatur, jam universa sane Sardiniae regni capitula ab eadem auctoritate amoveri dicamus necesse est, quo nihil concludit inveniri potest absurdius.

Post haec cujus momenti faciendae sint capitulares resolutiones, quae ad istas romanorum Pontificum epistolas se referunt, nemo est, qui non videat, praesertim cum nemo unquam unus judex vel testis in causa propria esse poterit. Quod si laudati Episcopi a Canonicorum audacia hac in re compescenda cessasse visi sunt, id non voluntariae acquiescentiae tribuendum esse propugnat promotor fiscalis, quasi exemptionis jus in capitulo agnoverint, sed vel naturae necessitati, siquidem infra annos quinque duos constat mortem obiisse Archiepiscopos, vel aliis urgentibus causis. Profecto enim nonnisi post decem elapsos annos ab iis capitularibus resolutionibus indicta est memorata synodus a Del-Caretto, in qua quae mox relata sunt assertae capituli exemptioni prorsus adversantur.

Atque his undequaque consonum esse ait promotor fiscalis postremum Canonicorum argumentum, quo dioecesanam visitationem Arborenses Episcopos una cum duobus Canonicis, quorum alter a capitulo est eligendus, obire debere ac obiisse contendunt. Nam inprimis negat omnino consuetudinem, quae hujus assertionis veluti fundamentum ponitur, ullimode existere; siquidem ad illam evincendam demonstrandum fuisse, Episcopos saltem plures annos post Tridentini Concilii publicationem dioecesanam visitationem explesse eo modo quem volunt Capitulares.

Sed quid si daretur etiam ea ratione dioecesim perlustrasse Arborenses Metropolitas, qua contendit capitulum? Nihil profecto aliud inde colligi prosequitur promotor quam eo indulgentiae devenisse Praesules illos, ad quam nullimode tenebantur; numquam vero asserta jura tribuisse capitulo, quod esset demonstrandum.

Rem absolvit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 4. de reform.*, ubi ait: capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum illorumque personae nullis exemptionibus, sententiis et juramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint quominus a suis Episcopis et aliis majoribus Praelatis per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari etiam auctoritate apostolica possint et valeant.« Porro eo loci Tridentinum de iis capitulis loquitur, quae revera ab Episcopi sui potestate libera sunt, teste *Benedicto XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. n. 6.* Jam vero si capitula etiam exempta quoties opus fuerit visitari, corrigi et emendari per Episcopos suos posse constitutum est: qua fronte sese ne visitandum quidem ab Archipraesule suo fore praesumat Arborense capitulum haud intelligere se asseverat fiscalis defensor quippe exemptionem suam, quam jactat, nec evincere potuit adhuc nec unquam evincet.

Sed jam EE. VV. erit dirimere sequentia

Dubia:

I. *Utrum apponendae sint necne legato Tola conditiones quas profert Arborense capitulum in casu?*

II. *Utrum Arborense capitulum amiserit pro hac vice jus nominandi ad canonicatum Tola adeo ut illud Archiepiscopo devolutum sit in casu?*

III. *An curatores testamenti Tola adigendi sint ad reddendam (praefixo viginti dierum termino) rationem Archiepiscopo de administratione numeratae pecuniae ac bonorum omnium, quae ad haereditatem Tola pertinere compertum erit in casu?*

IV. *An Arborense capitulum sit a jurisdictione Archiepiscopi exemptum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Quoad primam et secundam conditionem servetur consuetudo vigens pro canonicatibus de missa, in reliquis negative.

Ad II: Negative et Archiepiscopus statim procedat ad canonicam erectionem praebendae canonicalis; sola qua peracta nomine s. Congregationis praefigat capitulo terminum unius mensis ad praesentandum.

Ad III: Affirmative in omnibus, addita lege ut excepta pensione primi anni scut. 400 caeteri redditus usque ad diem possessionis novi Canonici erogentur ab Archiepiscopo favore seminarii.

Ad IV: Negative et scribatur Archiepiscopo: ad mentem facto verbo cum SSmo super omnibus.

Die 16. Julii 1835.

i) A Patronis mutato uno electore.

Civitatis Plebis.

Extat in ecclesia divis Apostolis Petro et Paulo dicata Montis Leonis civitatis Plebensis dioecesis olim parochiali tantum, hodie ex providentia s. m. Pii VI. collegiali, canonicalis praebenda sub invocatione ss. Angeli et Honufrii, cujus activum jus ex fundationis lege ab eodem Pontifice noviter confirmata municipium illud exercet. Porro cum exeunte mense Februario superioris anni per obitum Thomae Canonici Gori memoratae praebendae vacatio contigisset, tres ejusdem Collegiatae Canonici Agapitus Lucci, Philippus Muziarelli et Angelus Silveri coram provisoria commissione, quae tunc temporis rei municipalis summam in dicta terra moderabatur, pro illius assequutione astiterunt. Verum quatuor viris qui commissioni praeerant sacerdos Carolus Muziarelli loci parochus, germanus Philippi frater, cleri personam gerens, accensebatur. Hic itaque dubitans, an sibi in proxima ad vacantem praebendam rectoris electione suffragium ferre liceret,*) ex quo frater ejus Philippus alter esset ex competitoribus, Praesidis Urbevetanae provinciae votum super hoc requisivit. Ac revera Civiplebensis Episcopus loci Ordinarius Praesidis sententiam aequissimam animo reputans ejusdem rogatu alterum parochi loco deputatum ecclesiasticum Canonicum ejusdem Collegiatae Jacobum Carli pro eo tantum electionis actu suffecit.

*) Vd. *p. 64. a.*

Rebus ita compositis comitiis die 16. Majas ejusdem anni electionis actus locum habuit et Agapitus Lucci majori suffragiorum numero novus Canonicus renuntiatus fuit. Cum vero, quod minime praetereundum, exacto scrutinio duo Muziarelium, unum Silverium retulisse suffragia patuisset, commissionis Praeses, qui ex errore nigrum pro albo huic dederat, voti emendationem postulavit atque ita, consentientibus omnibus, alterum Silverio favorabile additum est votum, unde Muzziarellio par evasit. Hoc tamen haud impedimento fuit quominus provinciae Praeses die 21. ejusdem mensis electionem ratam firmamque declarasset.

Ast vix in vulgus res prodiit, eorum animos concitavit qui aegre ferebant, sacerdotem Lucci caeteris, quos digniores existimabant, fuisse antelatum. Quamobrem instantiam plurimis subscriptionibus roboratam Episcopo dederunt, ne nulliter, ut asserebant, electum canonica institutione donaret. Hujus autem hortatu, rem haud facilis solutionis existimantes, factum est, ut hujusmodi reclamatio summo Pontifici porrigeretur, qui eam sacro huic Ordini cognoscendam definiendamque demandavit.

Mox in eadem studia conspirare coeperunt Carolus et Philippus fratres Muziarelli utpote qui praeconcepta forsan spe fuerant frustrati; hinc supplicibus s. Congregationi datis libellis electionem mullitatis incusabant, alter nempe quia ferendo suffragio injuste prohibitus fuerat, alter ob arbitriam suffragiorum mutationem cum suimet injuria peractam necnon ob simoniae vitium aliaque adjuncta inferius recensenda.

Episcopus quem super his precibus informationem ac votum rogavi una cum partium deductionibus, duobus missis successive epistolis, plura ad rem disserit. In primo enim diei 2. Julii 1850 nonnullis de institutione, oneribus ac redditibus controversi beneficii, qui centum supra viginti scutata annua existimantur, praenotatis ita prosequitur: »*De moribus selecti non est quidem quod vehementer reprehendam, sed nec laude dignum quidquam in ipso intueor: non est enim ad-*

ducendum in dubium, nugis, desidia et otio vitam ejus affluxisse continuo; ignorantia hinc laborare praegrandi nec semel quidem manum quamvis sexagenarium operi cuidam sancto vel curandae proximorum saluti eum praestitisse. Hisce factum est, ut verissime pluries rejectus fuerit a publico concilio cum praebendam meliorem exposceret; nec bonis populus auribus nunc exceperit electionem ipsius, quin imo insimulaverint plurimi vitio simoniaco. Verum rumor ille tristissimus quolibet fundamento vacuus inventus est, cum in examen vocavimus qui inducebantur testes nec alibi simoniam habitasse comperimus, quam in mente eorum qui cogitant de proximo mala quod ipsi sunt mali.

Inde sui animi sensum ita aperit: »*Ulli haud dubium est quin publicum repraesentantes Terrae Montis Leonis privatis magis affectionibus prospexerint in hac collatione, quam meritis postulantium atque servitio ecclesiae et bono populi. Verum qui poterit nullitatis vitio hocce factum taxari, quando vel tonsuratus constitutus in aetate canonica valide non solum sed licite poterat ex bulla erectionis vel forte ex fundatione ad beneficium istud a patronis assumi? Dabo equidem Canonicum Lucci, si elegisset populus, fortasse fuisse eligendum: ast cum lege Principis istud factum sit, nec sine momentis gravissimis hisce temporibus, mea quod referebat, electionem censui esse admittendum servatis servandis: ast deducto negotio ad sanctam apostolicam Sedem sapientissimum judicium ipsius expecto.*

Quibus in altero epistolo diei 23. Septembris ejusdem anni haec addit: »*Mittens quae recinuntur de suspicionibus nec levibus simoniae, quemadmodum ipse orator majore cum moderatione nunc loquitur, quod fusiori calamo illas omnino rejecerim in meis superioribus literis, eadem hac super re dicam de querimonia hac praesenti, nullo mihi videri solido fundamento nulloque momento probabili ipsam constitui, cum certum apertumque sit semper unicum Agapitum Lucii fuisse renunciatum vacantis ejus praebendae rectorem, rejectis aliis, et falsum sit propterea, si hic rejiceretur, secundo loco electum esse oratorem habendum, qui medietatem duntaxat, non majorem partem suffragiorum sit consecutus pro se, quemadmodum est ineptissimum quod petunt contra jura sarta et tecta semper ecclesiae, ad novum nempe consilium esse demandandam ejusmodi praebendati electionem si nullitatis vitio inficere jam factam valeant, centies cum sit definitum, jure devoluto deferri hoc in casu electionem ad Ordinarium.*«

Haec tandem habet de parochi querela: »*Ubi primum Praeses Urbevetanae provinciae cujus jurisdictioni subjacet terra Montis Leonis optare se mihi dixit, ut in iis comitiis, in quibus eligeretur novus is Canonicus, de quo nunc quaestio est, pro illa dumtaxat vice alius deputaretur loco Prioris, qui clerum repraesentaret, quod graviter praesentiam et gravius suffragium ejus ferrent qui concurrebant cum fratre ad idem bravium, monui ego ipse oratorem de prudentia et aequitate consilii, quod a Praeside praedicto proponebatur, atque amplexus est libenter et maxime postquam cognovit ore meo proprio, quod surrogarem ipsi Canonicum Jacobum Caroli in quo habebat fiduciam. Nulla fraus ergo, nulla hic violentia locum vel partem habuit neque arbitrium neque machinatio; et si potestas sit Ordinariis continuo vel infirmandi vel suspendi repraesentantes hosce sui cleri ob rationabiles causas, nec falsum adhuc sit, quod nulla fiat injuria volenti et consentienti quemadmodum factum est in nostro casu, quo doleant jure oratores hercle non video.*«

Haec quoad factum. Ad jus vero quod spectat, qui fratrum Muziarelli partes tuetur totus in eo est, ut probat temere omnino parochum a ferendo in electione suffragio fuisse prohibitum: quod enim in jure civili obtinet, ut ubi agitur de beneficio alioque id genus munere conferendo prosit filio patris suffragium et filii patri, item eorum qui in ejusdem patris potestate sunt, *Leg. Illud et Leg. item eorum ff. quod cujusque universitatis*, locum habet etiam in jure canonico quoad jurispatronatus exercitium, non solum si privatis, verum etiam si collegio, universitati aut communitati fuerit relictum, s. Congregatio in *Hydruntina 27. Martii 1653* et in *Fesulana 8. Maji 1639*, *Rota in Camerinen 2. Julii 1708 cor. Molines* ac praesertim in *Firmana Capellaniae 1. Julii 1678 cor. Bourtemont*, ubi de consimili quaestione res erat, ob eam potissimam rationem, quia hujusmodi electio *non tangit respectu ipsius personae eligendae interesse communitatis.**)

Verum subsumit, si ad illius instantiam qui ad electionem jus habet et contemptus fuit ipsa electio cassanda est, *Passerin. de elect. cap. 11. num. 118. et seqq.*, *Engel in jus canon. lib. 4. tit. 6. num. 11.* et *Schmalzgrueber in decret. part. 2. tit. 6. num. 24. et 25.*, potiori id ratione pro iis valeat necesse qui a ferendo suffragio temere prohibiti sunt. Propterea cum Prior Collegiatae Montis Leonis ut cleri deputatus ab jure ferendi suffragium in controversa electione fuerit superiorum auctoritate prohibitus et pro illius cassatione incunctanter insteterit et perseveranter instet, nullum superesse dubium quin ea debeat cassari. Agi enim de spolio licet forsan absque culpa patrato atque ideo justitiae consonum esse, ut spoliatus omnino restituatur.

*) Vd. *t. II. p. 241*: *Calagur.*; *p. 253*: *Montis Alti.*

Neque parochi exclusionem videri excusatam ob aequitatis ac prudentiae rationes, ea nimirum de causa quo ejus suffragium graviter caeteri beneficii competitores tulissent; non enim prudentiae habenda ratio ubi justitiae detrimentum inferatur. Nec pariter suffragari, Muziarellium Praesidis definitioni acquievisse et ad alterius subrogationem, qui suas vices in electione gereret, consensum praebuisse. Errore enim ductus post Praesidis praesertim prohibitionem, id praestitit; nullo proinde in pretio jactatum consensum habendum esse. Consensus enim praestitus per errorem penitus abfuisse censetur juxta *Leg. Nihil consequi ff. de regulis juris*: cum nil magis consensui adversetur quam error et ignorantia *ex Leg. Si per errorem ff. de jurisd. omn. judic.*

Haud tandem perfugium patere ad eam exceptionem qua dicitur, juris ignorantiam non excusare. Praeterquam enim hic non agitur de ignorantia, sed de errore, quorum alter valde differt ab alio, *quia error in positivo falso judicio intellectus, ignorantia autem consistit in privatione scientiae* ut monet *Reiffenst. de reg. jur. cap. 2. reg. 13. num. 2.*, in specie etiam ignorantiae hanc quidem nocere in lucro captando, minime vero in damno, in re sua visitando, ut distinguit idem *Reiffenst. loc. cit. num. 14. et 15*: in casu autem res erat non de lucro querendo sed de damno, cum per exclusionem a comitiis jure suffragii considerabili parochus fuerit spoliatus.

Ast ipse, prosequitur jurisconsultus, non ex ignorantia, sed ex errore consensit, namque totum id contigit ex falso judicio delegati qui legem casui haud recte applicavit; consensum vero cui causam dederit error nil operari, ad tradita per *Gallerat. de renuntiat. centur. 2. renunt. 119. num. 7.* Consensum siquidem hujusmodi implicitam habere conditionem, *si res ita sit*, et hanc revera expressam conditionem Muziarellium apposuisse, ubi consentit coram Episcopo. Deficiente itaque conditione consensum ejusque effectus corruere tradit *Piton. disc. eccles. 52. num. 3. part. 2.* Eo vel magis, quia hujusmodi consensus renunciationem voci activae praeseferet; renunciationem autem esse stricti juris, ut observat *Passerin. de elect. cap. 11. num. 7.* ac ideo si aliqua subsit ratio ad illam rejiciendam, rejici omnino et improbari debere; rationem autem potissimam haberi in consensus defectu, quem nimirum per erroorem quis renunciavit; nam errans non videtur renunciare, ut opportune monet *Gallerat. de renunt. lib. 3. cap. 9. n. 12.* ac eadem repetit *num. praec. de renuntiatione dubitantis.*

Nec melius ad Prioris exclusionem protuendam regeri ab Episcopo, in potestate Ordinariorum esse *continuo vel confirmandi vel suspendendi vel deponendi repraesentantes hosce sui cleri ob rationabiles causas*; ex hoc enim ipso manifesto erui, nonnisi rationabili concurrente causa hanc potestatem Ordinariis permitti: porro cum unica haec fuerit causa Priorem a comitiis excludendi, quia scilicet ad praebendam vacantem frater ipsius concurrebat, Philippus Muziarelli, colligi inde ex superius disputatis irrationabili prorsus causa, imo ab ipso bono suspensi jure contra rectum rationis usum desumpta, motum fuisse Episcopum.

Pergit inde ad alterum intrinsecum electionis vitium demonstrandum ob suffragii mutationem, non servata scrutinii lege in alterius sui clientis Philippi Muziarelli detrimentum. Publicato, ait, scrutinio seu pandito suffragiorum numero nequit omnino votum variari, ex communi doctorum sententia ut docet *Samuel de elect. tract. 1. disp. 7. controv. 16. num. 1. et 3.* Quod magis prohibetur fieri extra scrutinium, quod omnino erat servandum, si variatio fuisset permissa. Forma siquidem scrutinii omnino requiritur ubi quatuor sunt electores, *Passerin. loc. cit. cap. 16. numer. 19.*, et collegium constituunt, Idem *ibi cap. 10. numer. 7. etc.*, et *Samuel. loc. supra cit.*; atque fortius in themate, quia ita jubent municipalia statuta ex motu proprio Gregorii XVI. die 5. Julii 1831. publicata, quaeque de tempore praefatae electionis vigebant; iis enim forma scrutinii in omnibus consiliariis deliberationibus servanda praescribitur. Cum autem forma scrutinii substantialis sit, ea non servata et ipsum

actum concidere et infirmari;*) vitium siquidem actus posterioris praecedentes inficit, juxta doctrinam *Passerin. loc. cit. cap. 19. num. 78.* praesertim si electionis negotium sit individuum, uti in casu.

Ex hisce optimo jure Philippo Muziarellio reclamationem competere concludit laudatus orator; sed potiori etiam jure competere arguit ex eo, quod injuriam passus sit adaequatus. Nam denegata Luccio confirmatione, quam gravissimis de causis denegandam esse contendit, ipse unus Muziarellius superesset electus, licet medietatem tantummodo suffragiorum obtinuerit. In electione siquidem per collegium facienda non semper pars major ea dicitur, quae majori suffragiorum numero constituitur, sed quae sanior est;**) illa autem sanior censetur quae digniorem praesentet, *Piton. disc. eccles. 4. part. 1. num. 34.*, ut in casu de Muziarellio contigisset, quem caeteris digniorem, imo unice dignum, fuisse ex Episcopi testimonio liquet.

Gradum denique facit ad tertium nullitatis caput, nempe ad simoniam: hanc vero in controversa electione patratam fuisse non tantum ab Josepho Cenci Praeside ob servitiorum intuitum a Luccio acceptorum et deinceps accipiendorum, sed maxime a Felice Marocchi altero ex electoribus ob illicitam pactionem cum Luccio initam retinendi pecus et amentum in praedio canonicatus, probat tum ex publica fama cum ex plurimis testium depositionibus in processu coram Episcopo confecto. Nec inde Episcopi ejusdem assertionem relevare, ex processus compilatione simoniam fundamento destitui, nam cum hac in materia diversum a diversis efformari possit judicium secundum variam DD. opinionem et juxta diversam animi dispositionem, necesse foret ipsum prae oculis habere processum, qui tamen in actis s. Congregationis desideratur.

Interea ut certissimum statuit solam pactionem simoniae conventionalis essentiam constituere, maxime si una saltem ex parte fuerit ad actum deducta, ceu notant *Gibalin. de simon. qu. 1. n. 5., Fagn. lib. 3. decr. cap.: Nobis de simon. num. 6. et 7.* et *Leuren. in for. benef. part. 2. quaest. 863. num. 3.* ita ut sit crimen omnino perfectum et indubie valeat puniri, ut relati auctores observant. Quoad probationes vero licet hae omnino indubiae ac omni exceptione majores requirantur ubi agitur de privatione beneficii jam habiti, leviores tamen sufficere cum res est de beneficio assequendo firmat. *Passerin. de elect. cap. 7. n. 60.* Haec autem extrema adamussim in themate concurrere sibi videntur.

Ex quibus infert controversam electionem cassandam esse novamque fieri debere. Purum siquidem commentum Episcopi assertionem de devolutione retinendum esse: sive enim nullitas ex defectu electionis vel ex alicujus electoris contemptu procedat et tunc locus devolutioni non est, ita *Leuren. in for. benef. part. 2. qu. 319.* et *Passer. de elect. cap. 11. num. 125.*, sive ex simoniae vitio et tunc beneficium Papae reservatur, *Leuren. loc. cit. qu. 589.* Praeterea duas facti animadversiones accedere adnotat, quae magis magisque suadent ut nova demandetur electio rite per municipium explenda. Electio enim favore illius sequuta est, qui omnino indignus ad canonicatum assequendum est reputatus, qui jam pluries in consilio rejectus fuerat: defectum autem ob quem repulsam alias sustinuit adhuc perdurare, ex Episcopi evincit testimonio. Atqui eligere minus dignum relicto digniori*) hoc esse contra jus divinum et bono communi contrarium, esse imo injustitiam et sacrilegium contra ecclesiam commissum clamat cum *Passerin. loc. cit. cap. 30. n. 43.* Idipsum ultimo suadere populi universi justissimam reprobationem, quae cum juris praescripto et ecclesiae spiritui plenissime consentiat plurimi facienda est: electores enim populi hujus mandato abutentes contra ipsius votum atque utilitatem electionem expleverunt.

Aliud omnino sentit communitatis et electi Agapiti Lucci defensor. In antecessum autem animadvertit, quaestionem nullitatis odii plenam per se esse, ubi praesertim omnia confluunt quae ad ejus legitimitatem, formam, justitiam sunt necessaria. *Rota in Firmana Capellaniae 18. Febr. 1755 cor. Amadeo;* ac ideo prorsus rejiciendam si tantisper dubia videatur; notissimum siquidem in jure ex *leg. 13. Dig. de reb. cred.* viam semper tenendam esse per quam actus potius valeat quam pereat. Rem inde tum ab extrinseco tum ab intrinseco introspiciens objecta accusationis capita labefactare conatur.

*) Vd. *p. 124. g.*
**) Vd. *t. I. p. 104. k.*

*) Vd. *t. II. p. 404. o.*

Ac primo contendit non esse in potestate geminorum fratrum cumulative vitium contemptus huc adducere, uni sane electori non convocato contemptus injuriam prosequi licere, propterea quod nemini fas de jure tertii excipere, multoque minus actionem exercere juxta *cap.: Quod sicut. 28. decretal. de elect., Reiffenst. Jus canonic. lib. 1. tit. 4. §. 5. num. 115.* Ipsum inde parochum Muziarelli contemptus actionem unice apud provinciae delegatum, haud coram hoc s. Ordine experiri debere; cum enim res sit de electione per municipalem actum expleta ad solum provinciae praesidem de existenti necne vitio ex speciali sibi commissa jurisdictione judicium spectare ad formam *art. 12. leg. Greg. sulla organizzazione delle communità 5. Luglio 1831. Recepta quippe fert juris regula*, ceu supremus Ordo *in Maceraten. Injunctionis facultatum 9. Julii 1827. cor. Galimbert. num. 2.: jurisdictione privata in aliquem Magistratum a lege collata eum solum de iis causis cognoscere easque definire posse, caeteris exclusis.* Atque peremptorium in facto, parochum Muziarelli Praesidis jurisdictionem jam sponte agnovisse, quippe apud delegationem contemptus vitium jam fuerit persecutus et gubernativam congregationem validam definisse deliberationem.

Haec insuper nullitatis querelam ab altero ex fratre Philippo Muziarellio eadem ratione excludere cum ad municipalis scrutinii irregularitatem referatur. Huic autem specialiter obstare, ait, controversiae inutilitatem; in deteriori enim hypothesi qua electionis nullitas decernatur nil ipsum proficere, quippe qui nudam cum altero candidato paritatem retulerit; stante autem suffragiorum paritate nemini jus ad praebendam acquiri tradit *Piton. discept. 4. num. 41.*

Quaestionem inde ab intrinseco perpendens, licet non de capitulari electione nec de majori eligenda dignitate, verum de simplici minori praebenda quaestio sit, electionem tamen istam juxta severiorem canonum disciplinam expletam esse ostendit. Tum contemptus querelam a Muziarellio propositam ex lege, e consuetudine, ex ipsiusmet voluntate omnino perimi.

Ex lege: Nominatio enim controversa ad laicos communitatem pro tempore procurantes pertinens perinde ac caetera municipalia negotia juxta organicas municipiorum leges erat moderanda. Licet vero Gregoriana lex tunc vigens nullibi literaliter prohibeat fratrem suffragium in comitiis ferre, cum res agitanda proponitur quae fratris germani interesse respiciat, hoc tamen aperte vetant Congregationis boni regiminis ac s. Consultae decreta teste *de Vecchis de bono regim. tit. 11. pag. 129. adnot.* §: *Per quello.*

Atqui hujusmodi decreta numquam abrogata permanserunt, imo ad ea recurrendum in iis omnibus in quibus aliter per novas organicas dispositiones decretum non fuerit: hanc enim clausulam legere est codice administrativo s. m. Pii VII. *diei 6. Julii 1816 tit. 5.* necnon in *Motu proprio* s. m. Leonis XII. ann. 1827. evulgato: *Sull' Amministrazione publica tit. V. disposizioni Communitative artic. 226.*

Nec aliter profecto statuit edictum 5. Julii 1831. s. m. Gregorii XVI. in quo finalis extat articulus generaliter firmans leges ad eam diem vigentes quibus non fuerat derogatum.

Perperam inde ex adverso obtrudi rotalem decisionem quae est *Firmana Capellaniae 1. Julii 1678 cor. Bourlemont.* In ea enim specie validam quidem retinuere Patres electionem, cum nullum probaretur consanguinitatis vel affinitatis vinculum inter electum et alterum ex consiliariis electoribus. Nec pariter ullam facessere difficultatem alteram hujus s. Congregationis resolutionem *quae est Ferentina Capellaniae 1. Martii 1834.* Ibi enim de electione agebatur a capitulo gesta, quae ideo juxta boni regiminis decreta haud moderari debebat: secundo non unus, sed duo Canonici electores a capitulari conclavi inviti repellebantur sub praetextu consanguinitatis cum altero ex candidatis; quae tamen consanguinitas neque in tertio gradu inclusive justificabatur. Addebat, unum ex Capitularibus absentem procuratorem constituisse; procuratorem autem mandati fines excessisse, ita ut ejus veto haud computato nudam paritatem retulerat electus.

Nec minoris ponderis argumentum ad idem probandum observantiam praebere, quae docet alienos a comitiis consiliarios fieri. si fratris, et etsi remotioris agnati vel affinis interesse proponatur disceptandum. Observantiam autem hujusmodi, licet interpretativa foret, legem constituere, juxta tradita per *Spada Cons. 54. num. 37. lib. 1.* post *Rotam decis. 679. num. 9. cor. Cavaler. dec. 103. num. 20. part. rec.* necnon *in Melevi-*

tana seu Barchinonen. Antianitatis 17. Junii 1797 cor. Acciajuli num. 16.

Ex facto demum ipsiusmet contradictoris Muziarelli quaestionem absolvi posse arbitratur strenuus communitatis patronus. Ex eo siquidem quod parochus, nullo cogente, proprii juris dubitationem tantum secutus praesulem rogaverit, ut ipsi significaret, num sibi liceret ad comitia accedere proprio jure, si quod haberet, ex ipso quod in ejusdem Praesentis judicium se totum commisit, si illud haud favorabile retulit, id sibi non alteri imputet.

Nec in hypothesi quod Praeses rem non jure definiret juvari adversarium; ex hujus sane subsequenti acquiescentia ac silentio ipsius consensum argui, quo juri comitiis interessendi valedixit; scientiam enim praecedentem certam ac specificam, quam silentium subsequatur, etiam in praejudicialibus consensus argumentum afferre tradit *Rota cor. Molines dec. 994. n. 3. 4. necnon in dec. 492. num. 23.* et in duriori etiam casu, Lojasius *tit. 1. pag. 1462. lit. E.*

Hinc evanescere omnino contemptus querelam, cum scienti et volenti nulla fiat injuria et qui possunt et volunt interesse electioni, hinc patere, eo non convocato, valide caeteros electores ad electionem processisse. Quin officiat, ipsum errore ductum dubium delegationi proposuisse: nam regula est ex *Paulo in leg. q. de juris et facti ignor.* juris ignorantiam cuique nocere, quam quis proprio facto, propria culpa procuravit, ut luculenter *Rota in dec. 310. num. 25. par. 5. t. 2. dec. 300. num. 4. part. 15. rec.* et melius ad rem *in Leodien. Vicariae 1. Julii 1754. §. ut, cor. Molino.*

Haec autem magis confirmari quia Muziarellius non solum auctor vel ipse fuit ne ad comitia arcesseretur, verum Episcopo annuens alterius deputati sua vice subrogationem permisit ratamque habuit, ita ut ejus consensu ac nomine ea subrogatio commissa habeatur ac ejus virtuali seu tacito mandato suffectum deputatum cuncta explevisse dicendum sit. Mandatum enim perinde ac caeteri contractus consensuales tum tacito tum expresso perficitur consensu, *leg. 53 ff. Mandat, Cujacius ad d. leg. tit. 4. pag. 208. lit. C.* et *Ansaldus de commer. disc. 43. num. 13.* Hisce addit, afferendae injuriae consilium prorsus abfuisse, quia commissionis Praeses, etsi voluisset, haud Muziarelium ad comitia convocare potuisset. Item in prudenti Episcopi fuisse arbitrio mandatum cleri personam gerendi ab eo revocare. Insuper Canonicum Lucii tria habuisse suffragia, ut propterea majoritatem obtinuerit nedum ad praesentium sed et relate ad electorum naturalem numerum computato adhuc Muziarelli suffragio. Tandem ob electi eximias qualitates ac meritorum praeponderantiam necnon ob bonam fidem, qua omnia absoluta fuere, quod libet somniatum vitium convalescere.

Paucis tandem ad ea reponit, quae tum quoad suffragii emendationem tum quoad simoniam ab altero adversario Philippo Canonico Muziarellio objiciuntur; omnem enim contendit dirimi quaestionem, tum quia emendatio suffragii favore Silverii alterius candidati peracta fuit totius aulae consensu, tum quia ante scrutinium licitum Capitulo variare, quippe ante id tempus non perfecta electio, nullum canditatis est quaesitum jus. Ita *Fagnanus ad cap. Publicato de elect. decret. num. 25.*

Simoniae vero objectum omnino despiciendum putat, attentis ipsius electi aetate et moribus ac praeclaris electorum qualitatibus. Hinc tam putidam calumniam jam ab Episcopo post exactum processum dilutam penitus fuisse eique adversarios ipsos, teste eodem Episcopo, ultro renunciasse. Ut enim de simonia in themate constare possit, probandum esset in vim pacti et praecedentis conventionis electionem sequutam fuisse, ad monitum *Pignatell. consult. 43. form. 10. num. 2.* necnon rigidissime de pacto afferenda esset probatio ceu centies definitum. *Dec. 141. num 6. part. 16. rec. dec. 214. num. 7. cor. Laud.* atque alibi. Tandem quaelibet alia excludenda foret interpretatio, cum sola possibilitas ut electio ex alia causa profecta fuerit simoniae labem repellat. Ita *Rota in Rec. dec. 66. par. 17. num. 23.* et in *Pisauren. Spolii 14. Martii 1751. num. 6. cor. Amadeo.* Ex relatione vero ipsorum electorum, justis omnino ac sanctis eos de causis motos fuisse ad Canonicum Lucci eligendum luculentissime evinci.

Haec quae breviori calamo retulimus in allegationibus distribuendis fuse pertractata recolent EE. VV. ut sequens possint dirimere

Dubium:

An constet de nullitate electionis seu praesentationis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 30. Aug. 1851.

k) Simoniaca quando est?

Vd. p. 142 §: *Gradum*; p. 144. §: *Simoniae*; t. II. p. 443.

l) Per sortem.

Vd. t. II. p. 546. c.

Romana.

Canonicus Petrus Giorgini testamentariis tabulis diei 22. Aprilis 1850 ac instrumento diei 18. Augusti ejusdem anni canonicatum instituit in insigni Basilica s. Mariae in Cosmedin Urbis, cujus activum juspatronatus post mortem suam capitulo, passivum beneficiatis ejusdem Basilicae reservavit.

Per obitum primi nominati vacavit canonicatus Giorgini ineunte anno 1856 et die 4. Maji ejusdem anni capitularia comitia pro electione habita sunt, quibus Emmus Titularis una cum suo Praelato Vicario praefuit. Quatuor fuere candidati quorum nomina secretis Capitularium suffragiis commissa sunt. Horum duo exclusi extitere, duo nempe sacerdotes Joseph Antonelli et Felix Fortunati suffragiorum paritatem retulerunt; quod quidem secundo ac tertio experimento super iisdem repetito contigit. In hoc itaque rerum eventu assentientibus omnibus ipsoque Emo Titulari probante decretum fuit rem fortunae aleae committere et conjectis in urnam utriusque candidati nominibus sors cecidit super Josephum Antonelli quem omnes pro electo laeto lubentique animo habuerunt.

Re comperta haud capituli facto acquiescendum duxit sacerdos Felix Fortunati, quippe ratus hujusmodi electionis absolvendae rationem statutis capitularibus et sacris adversari canonibus penes s. Congregationem supplici oblato libello institit, ut suspensa declaretur interim institutio.

Emus Titularis, ad quem preces remissae fuere pro informatione ac voto, audito in scriptis capitulo rem uti narrata est exponit ac peractam electionem sustineri censet. Ac primo conqueritur, oratorem Fortunati, constitutionibus capitularibus posthabitis, non ad ipsum Titularem, sed eo immo prorsus inaudito directe ad s. Congregationem suas detulisse querelas. In statutis enim capituli *tit. 1. num. 4. sancitur*: »*Si aliqua controversia oritur super re quacumque inter capitulum et Archipresbyterum vel alterum ex Canonicis aut ex beneficiatis sive inter unum et alterum de nostro capitulo ad Cardinalem Diaconum seu ad ipsum Vicarium spectat, antequam adeatur ad judices suos, rem amice pertractare.* Quae quidem praescriptio confirmata extat apostolico decreto die 14. Novembris 1828.

Pluribus inde rationibus probatam a se fuisse sortitionem affirmat.

Nec rem capitularibus constitutionibus, ut asseritur, repugnare. *A nostro capitulo penes quod residet curae habitualitas eligitur ex tribus probatis viris praesentatis ab Emo Urbis Vicario (tit. 14. de Can. Vicar. perp.) supradicti beneficiati a capitulo nominantur (tit. XVI. de benef.)*

Nec pariter consistere subdit id quod gestum est a sacris canonibus improbari. Eoque minus in devolutionis poenam incidisse reputat capitulum.

Ad Emi Titularis relationem omnino se refert capitulum in exhibitis precibus, illud postulans, ut ubi electio vitiosa ac ideo irrita declaranda sit atque ob id a nominandi jure capitulum ipsum exciderit, attamen cum dolus abfuerit in eo quod gestum est, liceat sibi ad novam devenire nominationem juxta canonicas leges ac formas peragendam.

Defensor sacerdotis Fortunati in sua distribuenda *allegatione* praeprimis rationibus occurrens ad sortitionis necessitatem comprobandam in specie allatis contendit hanc adhibitam methodum excusari a nullitatis vitio non posse, vel quia omnes electores in sortem consenserint, quippe adamussim vetitum est, ita ut quamvis compromitti inter patronos possit in personam, nunquam tamen compromitti inter patronos queat in re vetita seu in sorte, vel quia triplex suffragiorum experimentum nullum habuerit eventum, id enim impedimento non erat, quominus ad alia comitia electio differetur, in quibus accedente voto Canonici curati, tunc absentis, paritas cessasset. Imo monet in iisdem ipsis comitiis absolvi electio poterat, siquidem Vicarius a suffragio abstinuisset, uti se abstinere praesente Emo Titulari debebat. Ac demum quacumque in scissione suffragiorum aderat remedium a jure definitum, ut nisi semestris tempore electio absoluta fuisset canonicatus provisioni ope juris devoluti consuleretur.

Atqui de nullitate electionis per sortem expletae nullo pacto dubitare fas est. Nam sacri canones in quacumque electione triplicem substantialem formam assignant, praeterea nullam, scilicet per scrutinium, per compromissum*) et per inspirationem. Forma

*) Vd. *p. 115. c.*

autem *accessus* ad electionem tantum romani Pontificis et Abbatissarum cohibetur.*) *Maschat. de elect. lib. 1. tit. 3. §. 2.* Porro electio casu peracta censeri nequit per scrutinium, quia nemo suffragiorum pluralitatem obtinuit, quod est de essentia hujusmodi formae juxta cit. *Maschat. quaest. 4. tit. 6. lib. 1.* Non per compromissum, quia electores praesertim absentes qui etiam in compromissum convenire debuissent in neminem potestatem eligendi transtulerunt, ex eodem *Maschat. ibid.*; compromissum vero in sortem non datur.

Non denique per inspirationem, cujus probationes non adsunt, nec imo inspiratio supponi potest in actu qui contra leges ecclesiae perficitur, ad tex. in *cap.: Quia propter de elect. 46.* Re enim vera aperta est legis sanctio sortis usum prohibentis *in cap. fin. tit. de sortilegiis lib. 3. decretal.* uti Honorius III. capitulo Lucanensi scribit: »ecclesia vestra nuper Episcopo destituta, sicut comperimus, convenientes in unum ut de futuri tractaretis electione Pontificis, circa modum electionis diversos incipientes habere tractatus, unum tandem elegistis ex votis per sortem, qui tres elegit auctoritate vestra per quos vice omnium Lucanensis provideretur ecclesia de pastore, quorum duo magistrum Ricardum elegerunt. Nos tali examinato processu, cum nota non careat, imo multa reprehensione sit dignum, quod sors in talibus, perpetua damnatione damnamus.« Ibique Gonzalez aliique interpretes communiter.

Perperam vero opponi, hujus legis sanctionem obtineri dumtaxat in electionibus canonicis proprie dictis ad majores ecclesiarum Dignitates, minime vero in electionibus impropriis seu nominationibus ad simplicia beneficia jurispatronatus, praesertim cum periculum sortilegii desit, ex quo superior sorti praeest et necessitas urgebat. Omnino enim et quolibet in casu, etiam ad dirimendam vocum paritatem, etiam cum agitur de simplici beneficio, vetitum esse sortis usum aperte traditur *in addit. ad decis. Majoricen. Beneficii 15. Jun 1699. coram Ansaldi, quia nimirum semper is electus et praesentatus erit sive desumptus per sortem et non per judicium patronorum, et regula est quod judicium sortis non habet locum in beneficiis, utpote in casibus non toleratis a jure.* Idem docent *Passerin. tract. de elect. canon. cap. 18.* et *cap. 22. a num. 3. ad finem.* et *Fargna de jurepatr. part. 6. can. 25. cas. unic. num. 4. et seqq.*, ibi: »*Prohibitum est patronis actum praesentationis vel nominationis explere per sortes juxta text. in cap. fin. de sortileg. Qui textus licet loquatur de electione locum etiam habet in praesentatione.*

Hanc porro fuisse sac. Rotae sententiam quamvis ageretur de electoribus laicis et de simplicibus beneficiis pandit decisio in *Pampilonen. Beneficii 23. Jan. 1719. coram Lancetta*, ubi inter cetera ad rem perpenditur, ibi: absque eo quod sustineri saltem valeat praesentatio quod ad illam per sortes deventum fuit in concursu duarum personarum quae aeque habiles ac idoneae fuerant jam antea ab officialibus judicatae, quia non exinde evitantur excessus procedendi per sortes et non per vota et suffragia.

Neque (prosequitur decisio) sui juris praesidium Lazzarus deducere potest ex secundo actu confirmationis die 2. Januarii extra fortunae aleam factae. Nam ex quo nulliter elegerunt et abutendo potestate dicuntur in culpa et pro ea vice eligendi potestatem amiserunt, ut passim habetur de patronis praesentantibus contra legem fundationis. Eadem tradit magistralis decisio in cit. *Majoricen. Beneficii coram Ansaldo*, ubi contraria quaelibet diluuntur objecta nempe quod officia secularia conferri consueverint per sortes; quodque etiam idemmet fastigium fuerit apostolatus in persona s. Matthiae per organum sortis collatum. Nam quae usu ita suadente permittuntur in saeculi officiis, esse penitus improbata quoad ecclesiastica beneficia praefinitum habemus in utroque jure ex *Justinian L. Sacris nostris cod. de Episcop. et cleric.* et ex *Honorio III. d. cap. fin.* Etiam in casu quo eligere debentes essent animi alacritate et studio perpendentes merita plurium praetendentium, data paritate meritorum, et conflictatione proprii judicii in eligentibus, praeelectionem non demandari urnae, tenent Castropal . . . . Nec erat opus discutere factum s. Matthiae. Ultra enim quod tunc temporis non videbatur per sacrosanctum collegium Apostolorum remitti sorti nisi nomine tenus sed divinae providentiae: »Ostende nobis quem elegeris«. Adhuc enim hodie idem Spiritus s. insufflavit in corda summorum Pontificum ut damnarent hujusmodi electiones per sortes.

In tanto itaque auctoritatum pondere

*) Vd. *t. I. p. 95.*

minus deferendum existimat defensor contrariae minus alteriusve privati doctoris opinioni quamvis hos inter Pitonius ejusdem strenuus propugnator *in alleg. 100 in princ. de contr. patr.* ad electores dumtaxat laicos rem cohibeat, quos a poena devolutionis excusatos vellet ubi per sortes elegerint; in casu autem agitur de electoribus ecclesiasticis. Ceterum rationum momenta quibus utitur haud suis consistere viribus vel casui de quo agitur minime aptari; nimirum vel quod sortis usus adhiberi etiam soleat in electione ad officia civilia vel quod *cap. fin. de sortilegiis* loquatur de electionibus canonicis quae quidem in supra relatis decisionibus jam confutatae sunt vel quod optima haec sit ratio evitandi odia et dissidia, quia haec non instabant, nec in casu, ac ceteroquin alia praesto sunt remedia, nempe renovatio scrutinii, gratificatio in obstinata paritate ac demum provisio ecclesiae jure devoluto. Item quod necesse non sit in beneficiis simplicibus eligi digniorem et magis idoneum, quia nihilominus electus diceretur per *coecum* judicium idoneitatis, quod plane non est judicium, quoad patronos autem ecclesiasticos vel ipse *Pitonius cit. loco num. 14.* admittit electionem fieri debere *vero* judicio idoneitatis et non per sortes. Ita demum non consistere in facto quod addit ex simplici nominatione facta per sortes ad differentiam verae electionis et praesentationis non acquiri jus ad petendum beneficium, ex quo nominatio possit revocari ad libitum et nominantes ab ea in totum recedere valeant. Nam ex hac ipsa ratione nominationis simplex jus tribueretur, quum electores renovare scrutinium et a caeca sorte resilire noluerint, ac eo magis in casu nostro in quo electio et praesentatio unico et identico actu conclusa est, et non vigore novi consensus *liberi ac purgato vitio.* Tandem quia sors interventa corrumpit actus qui subsequuntur, juxta ea quae ex doctrina s. Rotae superius relata sunt: »*licet postea fieri debeat praesentatio Ordinario semper tamen is electus et praesentatus erit sive desumptus per sortem et non per judicium patronorum.*«

Sed praeter haec alterum nullitatis caput in electione de qua agitur deprehendit defensor, ex eo nempe, quod ad ferendum suffragium admissus sit vocalis illegitimus nempe Vicarius Praelatus. Quod enim ex admissione vocalis inhabilis et illegitimi electio nulla ac irrita reddatur, tralatitium in jure est, juxta ea quae docent *Piton. discept. eccles. 140. num. 52. et discept. 155. num. 45.* Quod vero Vicarius suffragante Titulari ac praesidente nullam habeat voti partem nec praesidentiae, colligit defensor ex eodem *Piton. cit. discept. 155. num. 57.* Eo vel magis quia non agitur de Vicario generali, sed de Vicario qui intervenit capitulis Urbis in defectum Titularis, non autem quando praesens ipse est. Atqui cum Vicarius generalis nisi sit Canonicus nequeat suffragium ferre in capitulo, eo minus posse Vicarium Titularis in capitulis urbanis, quamvis ex statuto vel consuetudine habeat praesidentiam et votum, probat ex *Scarfanton. de Canon. lib. 4. tit. 1. num 31. et seqq.*, *Petra Comment. ad constit. 1. Leonis M. sect. 2.* ubi jus ferendi suffragium negatum fuisse Vicario generali qui non est de gremio capituli, decisum refert a s. Congregatione in *Hydruntina Nullitatis electionum 2. Maji 1699* quia nimirum »*agebatur de re spectanti ad capitulum (uti in praesenti casu quo electio capitulo reservata est) in quo praecisa consuetudine nullum jus habet convocandi nec interessendi Vicarius*«, et num. 39. subdit: »Non tamen posset Episcopus seu Vicarius etsi juxta solitum intervenientes in capitulo ferre suffragium, quod spectat tantum ad illos de capitulo, et in *lib. Card. Alviati fol. 269* in S. C. C. adnotatur: Cum dubitaretur ab Episcopo Cadicen., an cum ipse ex decreto Conc. Trident. *sess. 26. cap. 6.* capitulum convocat habeat tamen in eo votum: S. C. censuit: non habere.«

Haec quoad primum dubium; ad alterum quod pertinet, capitulum ipsumque Titularem caduci poenam incurrisse ac adeo jure devoluto canonicatus collationem summo Pontifici competere probat defensor tum ex eo quod patronus ecclesiasticus non possit variare publicata nominatione seu electione., *Piton. alleg. 100. num. 28. de contr. patr.*, tum etiam in poenam ob electionem peractam contra sacrorum canonum censuram et legem fundationis, ex qua quidem electio in forma legali et canonica praescripta est, ad monitum *cit. decis. cor. Lancetta*, ac in terminis electionis expletae per sortem docet *Ansaldi in notis ad cit. superius Majoricen. Beneficii.* Quamobrem devolutionis poena omnes afficit qui partem in hac electione habuerunt; nam agitur de jure non singulorum sed penes universitatem collegii manente et ideo non scindibile in singulas personas, qui nul-

liter et contra fundationis legem nominarunt, ad textum *in cap.: Cum in cunctis de elect. §. 3., Vivian. de jurep. part. 3. lib. 6. cap. 7. num. 69.* Quin poena evitari possit praetextu ignorantiae quia ignorantia juris ueminem excusat; *et talis excessus dicitur commissus contra legem, quam electores ignorare non valuerunt*, ut in terminis electionis factae per sortem inquit *Rota in cit. decis. coram Lancetta.*

Ex hisce porro manifesto etiam consequi devolutionem in praesenti casu non fieri ad Emum Titularem sed immediate ad summum Pontificem. Nam quamvis ex recepto jure devolutio fiat gradatim ut monet *Lotter. de re ben. quaest. 18. num. 3.* attamen aptari regula haec nequit in themate ex quo Titularis ipse particeps fuit actus nullitate laborantis ut adeo cum alius non existat gradus jus collationis devolvit immediate ad summum Pontificem necesse sit. Quando enim superior ipse seu Ordinarius fuit in culpa, participat de poena eadem qualibet seclusa acceptatione personarum.

Extant textus expressi *in cap.: Postulastis de concess. praeb. in fin., cap.: Innotuit §. Habito* et *cap.: Congregatio 51. de elect.* Et ad rem *Lotter. lib. 2. quaest. 2, Card. de Luca disc. 24. num. 8. de Canonic., Barbosa de potest. Episc. part. 3. alleg. 126. num. 85 et alleg. 59. n. 13.*, ubi id confirmat quoad titulos cardinalitios immediate s. Sedi subjectos. Ac tandem quod indulta Cardinalium Titularium non comprehendant beneficia devoluta ac ideo canonicatus de quo agitur collationem spectare in praesens ad s. Sedem colligitur ex iis quae docet *Riganti reg. 9. cancell.**) §. *3. num. 116. 124. et 136.* Hinc neminem conqueri jure posse quod sacerdos Fortunati immediate ad s. Congregationem recursum habuerit, posthabito Emo Titulari vel Vicario capituli, ad quos quaestiones antea deferri in statutis localibus praescribitur; nam cum et ipsi Superiores participes fuerint nullitatis electionis, nihil erat reliqui quam directo s. Sedem seu sacram hanc Congregationem adire pro definitione quaestionis.

Quibus ita se habentibus concludit defensor denegandam esse justitia suadente peractae electionis sanationem, quippe quae laederet jus ex devolutione quaesitum summo Pontifici, qui unus gratificare potest in casu; quam quidem gratificationem concedere Titularis nec voluit, *qui processit tantum per viam sortis, quod a jure improbatur, neque per umbram importat gratificationem sed tantum vetitam electionem*, uti ad rem inquit *Piton. discept. 107. numer. 3.* et Rota in iisdem terminis *coram Emeric. jun. dec. 211. num. 4. et recen. decis. 424. num. 15. part. 18*, nec potuit, quare in caduci poenam incidit et jus ob devolutionem ad summum Pontificem delatum est. Laederet praeterea ipsum oratorem Fortunati, qui unus non participavit de culpa nec consensit in sortes ac jus habet, ut vocant *considerabile*, ex electione, licet in paritate suffragiorum, quaesitum ad gratificationem, quae obtineri de stylo consuevit in Dataria *pro electo cum derogatione vocum* in qua qui praevenit jus acquirit, juxta quae docent *Corradi in praxi dispens. lib. 4. cap. 6. numer. 50, Piton. de contr. patr. alleg. 91. num. 20. et discept. eccles. 140. num. 40 et seq.* excluso competitore suo, qui ex hoc ipso quod ratam habuit electionem per sortes a jure suo excidit.

Ex parte sacerdotis Antonelli sequentibus rationum momentis peractae electionis validitas propugnatur. Praemittitur non agi hic de beneficio ecclesiastico electivo proprie dicto in quo servari debeat forma capitis: *Quia propter de electione*, sed de simplici beneficio seu canonicatu cui nulla competit jurisdictio nec animarum cura adnexa est, in quo quidem electio nominationi aequivalet collegialiter tamen explendae juxta ea quae docet *Barbosa jur. eccl. univ. lib. 1. cap. 19. num. 39. et 46., ibi*: »*Licet collegium vel capitulum jus habeat beneficia conferendi, non ideo tamen omnia illa beneficia vel ecclesiae electivae vocantur, sed illae tantummodo electivae dicuntur, in quibus praelatus aut rector animarum instituitur praecedente electione, quam debet sequi confirmatio.*«*)

Atqui ubi non agatur de beneficiis hujusmodi quae electiva nuncupantur uti sorte licere dummodo Superioris accedat auctoritas ceu in themate docent inter ceteros theologos et canonistas *Suarez. tom. 4. de Relig. lib. 2. de superst. num. 13. 14*, *Sanchez. lib. 2. Moral. cap. 38. num. 79.* Superioris etiam enim auctoritate et approbatione interveniente quodlibet partes inter illicitae exsultat pactionis periculum. Immo in ipsis electivis beneficiis, ubi pares omnino meritis

*) Vd. *t. II. p. 820.*

*) Vd. *t. II. p. 546. n. 45.*

comperiantur competitores, rem sorti committere vetitum non esse colligitur ex glossa *in rubrica v.: Sortes causa 26. quaest. 2.*, ibi: *Sed quae fiunt necessitatis causa non sunt illicita, ut si contentio esset de electione aliquorum et esset paritas utriusque in omnibus, exemplo Matthiae, possunt fieri sortes.*

Haec eadem quaestio agitur in adnotat. ad bibliothec. Ferraris v. *Sors.*, ubi praeprimis monetur *cap. 3. de sortilegiis*, quod sortis usum improbat, non absque consilio in rubrica de electione non fuisse relatum, quia nimirum in eo Pontifex de sorte tantum temeraria verba fecit, minime vero de rationabili ac necessaria; ac deinde concluditur: »Ex his non improbabiliter sustineri potest *cap. 3 de sortilegiis* loqui non de rationabili cui praecessisset examen candidatorum neque de necessaria sed de genere sortis superstitiosae, divinatoriae, temerariae. Eo vel maxime, quia in casu sortis rationabilis metui nequit, ut homo indignus eligatur, quae est ratio cur communiter usus sortis improbatur. In eo enim (scilicet casu sortis rationabilis) candidati jam fuerunt missi sub examen industriae, virtutis, literarum.«

Breviter: aliud est eligere per sortem, aliud factam electionem judicio sortis definire: *Atque in hujus doctrinae praesidium affertur auctoritas Natalis Alexandri, qui hist. ecclesiast. saec. 1. dissert. 6. hanc quaestionem ex instituto resolvit hisce verbis*: Probatur usus sortis, si modo episcopatus candidati sint digni et ita pares, ut vix inter eos sit meritorum discrimen. Quia ubi humanae prudentiae judicium deficit divina voluntas consulenda et ejus omnia comittenda providentiae, sic inter Antistites, qui tempore pestis manere debeat, merito sortis usu indagatur, suasore Augustino.

Quod si haec obtinent in electionibus canonicis ad praelaturas et beneficia qualificata, eo magis in electionibus ad beneficia simplicia*) vim exserere consequitur, in quibus canonicam servari formam aut eligi digniorem necesse non est, sed sufficit ut quomodolibet consensus eligentium exprimatur, *Barbosa jus eccles. univers. lib. 1. cap. 19. num. 159.*, et ut patroni dignum seu idoneum nominent, sive ille sint laici sive ecclesiastici, Ferraris *Biblioth. can. v.: Juspatronatus num. 85.* Praesertim vero in casu, cum electores concordi animo in sortes convenerint, Superior sortis usum probaverit et quod maxime ponderandum triplex suffragiorum experimentum praecesserit, quin electio absolvi, stante paritate, valuerit. Non absimilem casum pertractat *Pitonius contr. patr. alleg. 100. num. 23.* ac validitatem electionis propugnat licet conclusae per sortem; et quamvis de electoribus laicis agat, rationes tamen quas affert electoribus etiam ecclesiasticis convenire possunt, ubi de electione non propria et ad beneficia non qualificata res sit, juxta mox deducta.

Tertius casus est inquit ubi per suffragia duo fuerint electi, sed neutrius electio conclusa remansit ob reiteratam paritatem votorum et hoc casu crederem substineri electionem quae postea fuisset expleta judicio sortis ad dirimendam litem inter illos duos. Nam primo occurrunt hic omnia superius deducta circa differentiam inter electiones canonicas et hujusmodi electiones quae fiunt per laicos. Secundo illi duo nequeunt dici electi per sortes, quando fuerunt jam per suffragia electi in paritate, propter quod ambo aeque digni fuerunt habiti judicio patronorum. Et tertio quia per sortem tolluntur odia et inimicitiae et celerius succurritur provisioni ecclesiae, ut quod licitum sit recurrere ad sortem in hac paritate votorum docuit *Glossa* etc.

At vero, subditur, quamvis ex hoc capite nulla censenda electio foret, nihilominus, cum perpensa actuum successivorum serie pateat in electum concurrisse omnium Capitularium consensum, vel ex hoc ipso electio ipsa sustineretur. Redit enim non agi hic de electione propria et rigorose explenda juxta formam *cap : Quia propter de elect.* seu ut Praelatus vel pastor praeficiatur ecclesiae viduatae, sed de electione impropria ad canonicatum, in qua electione sufficit consensus naturalis quomodocumque manifestatus, ut distinguit *Hostien. in cap.: In genesi num. 14 de elect., Lotter de re benef. lib. 2. cap. 12. num. 10., Rota decis. 310. num. 9. part. 9. recent.* Consensus autem Capitularium in themate manifesto apparet tum ex eo quod post peractam sortitionem nemo se opposuit, nemo conquestus est sed imo omnes Antonellium pro electo libenter, testante Emo Titulari, habuerunt, cum etiam ex eo quod hoc in judicio adstant tam propria quam electi jura vindicaturi. Itaque electio quae antea non absoluta ob suffragiorum

*) Vd. *t. II. p. 522. III; p. 886; p. 404 §: Notanter.*

paritatem vel invalida fuerat ob sortis usum suam inde perfectionem ac novum quodammodo robur acquisivit ex nova hujusmodi accessione consensus collegialiter praestiti, juxta ea quae habentur ex glossa in *cap.: Si cui in verbo. Praeter de elect. in 6.* ac firmat *s. Rota in Adrienen. Canonicatus 3. Aprilis 1699.* §: *Altera, coram Lancetta* et in *Leodien. seu Aquisgranen. Decanatus 20. Junii 1701. coram Caprara.* Quamobrem ubi ex renovato hujusmodi consensu sustineatur electio patet difficultatem non facessere admissionem vocalis illegitimi, qualis ex adverso asseritur Vicarius capituli, cujus quidem suffragium determinare non potuit electionem, quae omnium Capitularium conclusa fuit; utile ceteroquin per inutile non vitiatur.

Nec jure objici posse, capitulo integrum non fuisse actum seu electionem ita veluti de novo peragere perinde ac si in vitiosae, ut supponitur, jam expletae electionis poenam a suo jure continuo exciderit ac devolutioni locus factus fuerit. Tralatitium siquidem in jure est ad caducitatis*) et devolutionis poenam evitandam quamlibet sufficere causam etiam levissimam, imo *et colorem ut ajunt credulitatis, Lambertin. de jurepatr. lib. part. 2. quaest. 1. art. 24. num. 2., Piton. discept. eccles. 56. num. 28.* ubi ex communi, ut inquit, doctorum sententia docet ad causandam bonam fidem et justam credulitatem sufficere opinionem unius doctoris ad effectum evitandi poenam devolutionis. Eo magis itaque excusatione dignos videri Capitulares qui per sortes elegerunt, quod quidem legitime fieri aliquando posse non unus sed plures iique magni nominis doctores docent et acriter propugnant; praesertim vero cum peculiaria adjuncta rerum subessent in themate quae hujusmodi agendi rationem uti maxime opportunam ac fere necessariam comprobarent.

Ceterum quatenus nulla ac irrita declaranda foret electio, imo èt in caduci ac devolutionis poenam capitulum incidisse videretur, haec eadem momenta rationum suadere concluditur, ut vel Capitularibus, attenta praesertim eorum bona fide, facultas detur ad novam deveniendi electionem, vel ut confirmetur electio jam facta cum sanatione praetensi defectus. Eo ipso enim quod persona electa omni ex parte habilis est ac digna et concurrit unanimis consensus totius capituli cum quo electio facta fuit, denegari confirmationem a s. Sede non solere, et hanc esse ss. Congregationum praxim tradit Card. *de Luca de regal. disc. 1. num. 64 et 95, Piton. discept. eccl. 156. num. 31. et seqq. ex textu in cap.: Bonae. 4. de postulat. praelator.* ubi allegatur consensus omnium Capitularium qui conspirarunt in electum.

Hisce utrinque disputatis proponuntur

Dubia:

I. *An sustineatur electio in casu?*

II. *An constet de jure devoluto ad sanctam Sedem in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Provisum in primo.

Die 2. Maji 1837.

*) Vd. *p. 6.*

m) Substitutio alterius eligentis pro jus habente.

Vd. p. 139. *Civit. Plebis.*

n) Suffragia.

I. Consanguineorum.

Vd. p. 64. a; *Canonicus* (vox etc.); p. 139. *Civit. Plebis.*

Ferentina.

Jure communi Canonicus consanguineus stato pollet suffragio in collegii conventu, etsi de propinquo adsciscendo agatur, cui beneficium aut aliud id genus muneris conferatur; prodest enim etiam ex civilis juris statuto suffragium patris filio et filii patri item eorum, qui in ejusdem patris potestate sunt.*) Quasi decurio enim, inquit Pomponius, illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quae publici juris sunt, praesumitur, quod unusquisque magis ob bonum publicum moveatur quam ex alia causa particularis affectionis. *L. Illud.* et *L. Item eorum D. quod cujusque universitatis.* Id sane ob oculos habuit Rota quando rite Madagninium a Canonicis ecclesiae Apirensis in Camerinensi dioecesi praesentatum agnovit, licet inter Canonicos, qui eum nominarunt, extaret ipsius evunculus, qui suffragio suo illum juvaret. Rota coram Molines in *Camerinen 2. Jul. 1708.* Cum enim de jure communi Canonicus consanguineus (scripserat Pitonius de ea quaestione *alleg. 30. num. 3. de controv. patron.*) possit votare in capitulo ubi agitur de electione consanguinei ad canonicatum seu praebendam . . . lex fundationis reservatoria juris praesentandi favore capituli Canonicorum, cum debeat intelligi seu interpretari juxta dispositionem juris, sine dubio tribuisse censetur jus praesentandi capitulo et Canonicis absque exclusione consanguineorum prout de jure. Hinc Bertacius tradit, Canonicum in electionibus non prohiberi dari suffragium pro fratre. *De Episcop. par. 3. q. 54.* idque opportune monet *Pitonius discept. eccl. 137. num. 15, Lambertinus de jurepatron. lib. 2. par. 1. qu. 4. art. 17. num. 1., Vivianus de jurepatronat. lib. 6. cap. 9. num. 23.* aliique complures.

Die 27. Apr. 1833.

*) Vd. *t. II. p. 253: Montis Alti.*

II. Dignitatum.

Vd. *Canonicatus* (electio per compromissum etc. decr. *Quadalaxarien* p. 115.)

III. Mutatio.

Vd. p. 139: *Civit. Plebis.*

IV. Vicarii generalis.

Vd. p. 147. §: *Sed.*

8) Erectio.

I. Ex beneficiis.

Vd. t. II. p. 990. XII.

Pisana.

Apostolicis datis literis ann. 1607. fel. rec. Paulus V. Archiepiscopo Pisano mandaverat, ut ex quibusdam simplicibus beneficiis de jurepatronatus nobilis familiae de Lanfranchi canonicatus erigeretur in metropolitana ecclesia Pisana. Supremi Antistitis imperata obsequentissimo excipiens animo Archiepiscopus Pisanus Carolus Antonius Puteus canonicatum institui curavit edixitque in erectionis tabulis diei 28. Novembris ut is qui postmodum hujusmodi potiretur canonicatu ad instar aliorum canonicatuum locum in choro, vocem in capitulo et in processionibus et Divinorum celebrationibus, habitu et incessu haberet imo gauderet in perpetuum omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis et favoribus tam spiritualibus quam temporalibus quibus alii dictae ecclesiae Canonici de jure vel consuetudine gaudent vel gaudebunt, non tamen in fructibus, redditibus, proventibus et distributionibus quotidianis dictae mensae capitularis participare posset ac deberet. Et pro ejus canonicatus dote beneficia praedicta hodie simplicia eorum prius supportatis oneribus canonicatui praedicto perpetuo adnectimus.

Sic rite canonicatu instituto recentioribus hisce temporibus attenta patronorum praesentatione, facta insuper a ssmo Principe super aetatis defectu venia, ejus possessionem nactus est nobilis vir decennis puer Ascanius Baldasserani. Verum cum is non Pisis sed Florentiae commoretur cumque nulla in erectionis tabulis residentiae et choralis servitii mentio occurrat, e contra vero cum qui hujusmodi potirentur canonicatu residere et solemnioribus saltem diebus festis choro interesse plerumque consueverint, suborta suspicio est num canonicatus de quo sermo residentiae et choro interessentiae obligationem secumferret.

Delatas S H. O. preces Vicario capitulari Pisano dedi, ad hoc ut ea omnia accuratissima referret, quae hac in re scitu necessaria forent, praesertim vero super beneficii natura et legitima quoad praeteritum consuetudine. Quibus apprime satisfecit literis sub die 21. Aprilis 1837 datis.

Tandem literis diei 19. Maji anni ejusdem narravit: »Nunquam audivi praedecessores in beneficio, de quo agitur, obnoxios fuisse objurgationibus propter absentias et constat ipsos favore sacrarii absentiae ipsiusmet fallentias non persolvisse, quibus non apparet beneficium rectores suos adstringere.

Haec factorum historia. Interest primum, ut Vicarius capitularis pro successorum in canonicatu moderamine expedit, definire, num canonicatus in themate residentiae onere obstringatur. Jam vero residendi onere adstringi eos qui canonicatum in cathedrali vel collegiata ecclesia obtinent docent Tridentini *Patres sess. 6. cap. 2. de ref.* et pressius etiam *sess. 24. cap. 12. de reform.* versu: *Praeterea.* Cui cohaerent quae habentur *cap.: Extirpandae 30.* §: *Qui vero de praeb., cap. Ex gestis 2., c.: Relatum 4, cap.: Conquerente 6, cap.: Cum ad hoc 16.* et *cap.: Clericus 17. de clericis non residentibus.* Quae quidem juris communis sanctio duplici fundamento innititur. Primum in ipsamet fundatoris voluntate consistit. Statim ac enim fundatores in qualibet ecclesia beneficium constitui curarunt, certis collatis bonis, ut clericus eisdem fruendo certa in eadem ecclesia obiret munia, ex hoc satis apparet eosdem voluisse ut clericus in ecclesia beneficii resideret. Alterum in ipsa ingenita hierarchiae ecclesiasticae antiquissima et ferme

apostolica institutione agnoscitur, qua cautum habebatur ut nemo ordinaretur, nisi certae adscriptus ecclesiae ex qua victum sibi quaereret, quae sane adscriptio residentiam dubio procul praeseferre intelligitur. Porro cum in themate de Lanfranchiis praebendae canonicatus titulo insignitae bona quae ipsius dotem constituunt veluti in cathedralem ecclesiam collata fuisse deprehenditur sequitur inde congruum esse praebendam illam residentiae legem secumferre.

Verum quidem est in ipsius institutione nec volam residentiae nec verbum occurrere: attamen implicite saltem residentiae onus fuisse injunctum sequentibus animadversionibus evinci posse videtur:

1°. Ex iis fundationis verbis: »Et pro cujus canonicatus dote beneficia praedicta, hodie simplicia, perpetuo adnectimus,« Hic enim loquendi modus: »hodie simplicia« innuere videtur beneficia illa quae natura sua adhuc simplicia fuerant aliam postmodum naturam debuisse induere scilicet residentialem.

2°. Hujusmodi canonicatui tributa omnia et singula privilegia sunt queis vel ex jure vel ex consuetudine alii fruebantur Canonici: at vulgatissimum in jure est quem sequuntur commoda sequi debere et incommoda, et insuper: »Secundum commoda quae quisque sentit ita onus subire tenetur« sequitur ergo et possessores hujus canonicatus obstrictos residentiae esse, non secus ac et caeteri Canonici obstringuntur.

3°. Finis et scopus quem sibi proposuit Paulus V. dum imploratae canonicatus institutioni annuit fuit divini cultus augmentum quod ex aucto Canonicorum numero profluebat. At evanesceret prorsus Pontificis scopus si ab omni residentiae lege et servitio praestando immunis canonicatus rector diceretur. Tandem inspecto memorato Tridentino decreto *sess. 24. cap. 12* residentiam ex ipsa beneficii natura inductam censeri debere, quamvis non fuerit expresse demandata, traditur in *Montis Falisci 15. Septembris 1770* §: *Nec inquirendum.*

Hisce rationum momentis et consuetudo quae optima est legum interpres adstipulatur, cujus sane tanta vis est, ut deficiente legis sanctione pro lege non immerito habeatur ex *leg. 32. et 33. ff. de legibus.* Siquidem tum Vicarius capitularis tum ipse Ascanius fatentur: »Per consuetudine il prebendato Lanfranchi suolo intervenire al coro ed alle altre funzioni nelle maggiori, e principali solennità dell' anno, ed anche più frequentemente.« Quare viderentur Ascanius Baldasseroni ejusque successores obligati ut choro interessentiam solemnioribus saltem diebus exhiberent adeoque etiam residentiam.

Porro his objicere non prodesset ex mera sui voluntate per id temporis resedisse Canonicos Lanfranchi: etiamsi enim daretur actus ejusmodi fuisse mere facultativos, de quo (inspecto maxime jure communi) ambigi sane potest, haud novum est actus etiam facultativos obligationem inducere »ubi nempe jura ipsa in favorem ecclesiarum consuetudines ejusmodi foveant.« Uti tradit *Reiffenstuel. lib. 3. decret. tit. 30. §. 9. n. 189.* At nil magis cultui divino adeoque ecclesiae favere videtur, quam ut Canonicus sui ministerii munia exerceat ac sacris explendis solemniis divinisque laudibus operam impendat.

Verumtamen aliter dijudicatum iri, contendit orator. Siquidem erectionis tabulae rite recteque inspectae tantum in favorabilibus canonicatum de Lanfranchis caeteris fuisse exaequatum canonicatibus praeseferunt, dum autem longa oratione privilegia recensentur ne verbum quidem de personali obligatione deserviendi ecclesiae excidisse deprehenditur, ita ut possit concludi exemptos ab hoc onere fundatores rectores voluisse adeoque etiam residentiae.

Porro leges in limine fundationis beneficii constitutas servandas esse, dum possibiles sint atque honestae et juri divino ac naturali non refragentur, satis patet ex *text. ad cap. Significatum 11 de praebend.*, *Trid. sess. 25. cap. 5. de reform.* et sacra haec Congregatio in *Montis Politiani Patrimonii sacri 21. Julii 1821.*

Ad consuetudinem choro solemnioribus festis interessendi quod attinet, eam haud talem esse, quae novum valeat jus constituere propugnat Baldasseronius. Enimvero ut consuetudo vim habeat actus continuos et nunquam interruptos praeseferat necesse est. At in themate aliter sese res habet. Nam in priori sua informatione Vicarius capitularis ajebat: »Ill detto canonicato non obbliga all' intervento quotidiano del coro, una lunga consuetudine dimostra quaesta esenzione mentre a memoria de' viventi gl' investiti di questa prebenda non hanno frequentato il coro.« Dein re melius inspecta

asseruit idem solitos fuisse in solemnioribus choro interesse.

Insuper asseri potest praedecessores voluisse hisce diebus Canonicorum insigniis et privilegiis frui quin tamen de novo jure inducendo cogitarent, etenim constat eos numquam valentias persolvisse quoties abfuerunt. At vero ut consuetudo vim obligationis inducat debet animo induci saltem interpretative novam legem faciendi prout habet *gloss. cap.*: *Cum tanto 11 de consuetudine, verb.*: *sit legitime praescripta*, et ibi *Abbas n. 17*, *Pirhing. n. 28*, *Suarez lib. 7. de legibus c. 14. n. 5 et 6.* Ratio est quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *L. Non omnis 19 ff. de reb. cred.* et cap. *final. de praebendis.*

Sed exemptum prorsus canonicatum de Lanfranchis a residendi obligatione ulterius evinci propugnatur ex imperata exclusione a quotidianis distributionibus percipiendis. Et re sane vera distributionum percipiendarum fundamentum est obligatio divinis interessendi officiis, adeo ut ille qui tali premitur obligatione jus nanciscatur quotidianas assequendi distributiones, si revera intersit prout statutum est *cap.: Licet 32 de praebend.*, *cap. Unic. de clericis non resident. in 6*, *Clement. 2. de aetate et qualit.* et *Extravag.: Cum nonnulli 1. §: Praeterea de praebend. inter commune.* Si itaque obligatio choro interessendi et jus distributionum quotidianarum adeo connexa ad invicem sunt ut unum nequeat ab altero sejungi, jam vi contrariorum fidenter adstruitur imperatam a quotidianis distributionibus assequendis exclusionem choralis servitii obligationem similiter excludere: ac proinde residentiae lege Canonicum de Lanfranchis non teneri.

Neque negari posse, urget orator, perperam haec argui cum stare possit choro interessendi obligatio et praecepta a quotidianis distributionibus assequendis exclusio ex eo quod adjunctus Canonicus nil antiquiori massae capitulari de suo beneficio contulerit. Verum vel de beneficiis agitur ante Concilium Tridentinum erectis, et tunc ecclesiae servitio mancipatis distributiones quae derivant ex celebratione missarum, anniversariorum aliisque omnino debentur. Vel post Concilium Tridentinum institutum beneficium est uti in themate, et tunc providentissimae illi Concilii ipsius legi subjacet, qua cautum ut in canonicatuum erectione tertia pars fructuum et proventuum separetur et in distributiones quotidianas convertatur: quam Tridentinae synodi sanctionem constanter sequuta est s. Congreg. in *Nullius seu Terrae Pontiani 1. Martii 1735*, *in Civitatis Castellanae Punctaturarum 16. Maji 1791*, *in Narnien. Divisionis 29. Novembris 1817*, *in Brundusina servitii chori 29. Maji 1824*, *in Praenestina Distributionum 25. Maji 1833.* At cum hoc servatum in erectione canonicatus de Lanfranchis non sit, sequitur hujus canonicatus naturam non esse eorum de quibus Trid. syn. loquitur quibusque residentiae onus incumbit, sed prorsus alterius quae neutrum requirit, ac proinde ejus possessores cum distributionum percipiendarum jus non habeant neque residentiae et chorali servitio adstringi possunt. Ceterum sua Canonico de Lanfranchis non desunt onera: etenim tenetur singula adimplere, quae quatuor beneficiis adnexa erant, quibus canonicatus praebenda coaluit.

Quod si EE. VV. definierint residentiae legi canonicatum de Lanfranchis obnoxium esse videant num dignus sit orator, qui a residendi obligatione dispensetur. Causa studiorum solere ejusmodi dispensationes impertiri non dubitatur; ac nedum ad ecclesiasticas scientias addiscendas, sed etiam ad studia explenda per se non ecclesiastica, sed quae tamen viam sternunt ecclesiasticis. S. Congr. in *Praenestina* quae habetur *sub num. 95.* inter supplices libell. cura Emi D. Gamberinii editos, dum s. Congr. secretarii munere fungeretur. Quae omnia Canonico oratori suffragantur.

At obstare videtur animadversio, quod studia eadem perficere orator valeat rite et pari utilitate in ipsa beneficii residentia, Pisis videlicet, ubi praeclarissimum celebratur gymnasium; perpendendum tamen erit cum Archiepiscopo oratoris parentes Florentiae ratione officii degere; decere autem, ut juvenis vix decennio major penes ipsos adolescat ac ad virtutis tramites dirigatur.

Quoad demum exclusionem, quae petitur, clausulae illius »dimissa tertia« et quae apponi solet ejus generis rescriptis ex praxi s. Congr. probent EE. VV. num sufficiens ratio sit allata aequalitas, in eo sita, quod a distributionibus quotidianis fundationis lege arceatur. Profecto tertia haec pars, quae remitti debet a Canonicis absentiae indulto auctis, vel est distributionum, si distributionum massa

adsit, ac de iis Canonicus participet, vel est fructuum praebendae, si haec in quotidianis distributionibus consistit. *Barbos. ad Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. de reform. num. 61, S. C. in Nepesina 2. Decemb. 1775* §: *Addit.* Atqui neutrum locum habet in themate, nam neque distributiones ex massa Canonicus Lanfranchi percipit nec ejus praebenda ex quotidianis distributionibus coalescit.

His disputatis dignentur EE. VV. dirimere

Dubia:

I. *An et quomodo residentiae legi obnoxius sit canonicatus Lanfranchi in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit concedendum indultum abessendi Ascanio Baldasseroni in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad tramites juris, servata tamen consuetudine quoad chori servitium pro diebus solemnioribus, taxata ab Ordinario summa pro singulis fallentiis favore fabricae ecclesiae applicandis.

Ad II: Affirmative et attentis peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro gratia ad quinquennium absque solutione fallentiarum.

Die 24. Mart. et 8. Junii 1838.

II. Ex capellania.

Pisana.

Publico exarato instrumento sub die 28. Decembris an. 1825. necnon imperiali auctoritate interposita juxta religionis statuta Cosmas Fedeschi Canonicus ecclesiae collegiatae s. Martini e Petrasancta dioecesis Pisanae instituit capellaniam laicalem sub titulo b. Mariae Virginis a Sole nuncupatae, cui altare dicatum extat in praefata ecclesia. Pro dote dictae capellaniae adsignavit de suis bonis scutata supra mille jurepatronatus tam activo quam passivo collato in quemdam Danielem Fedeschi ejusque liberos masculos in infinitum.

Ast anno 1838 postquam Canonicus Fedeschi condiderat testamentum die 3. Maji codicillares addidit tabulas, quibus mandavit, ut ex bonis pro capellania adsignatis sub eodem titulo erigeretur canonicalis praebenda in ecclesia collegiata d. Martini dotemque auxit usque ad scutata bis mille. Quoad onera vero ab hujus praebendae possessore explenda constituit, ut non solum subire deberet ea, quae jam capellaniae rectori imposuerat, verum etiam cetera, quae expressit in supplici libello ad supremam auctoritatem pro erectione novi canonicatus implorandam de more porrecto.

Pisanus Archipraesul perpendens novi canonicatus redditus ad scutata annua centum, ex quibusdam censibus provenientia, augeri non posse neque interim exaequare summam, quam alii Canonici ex communi percipiunt massa, quae dividi solet in duas partes aequales, quarum una illis adsignatur tamquam certa praebenda, altera efformat distributiones quotidianas, praeterea animadvertens, futuro praebendae possessori imponendum esse onus excipiendi confessiones missamque celebrandi diebus et hora a fundatore praefinita, quae incidit tempore servitii choralis, H. S. Ordini preces obtulit, quibus facultatem petiit erigendi canonicatum.

Eidem Archiepiscopo preces remissae fuerunt rogatusque fuit, ut audito capitulo ac transmissa particula testamenti necnon capitularium constitutionum ad rem facientium referret de qualitate servitii choralis Collegiatae et quam summam amittere debeat novus Canonicus in casu negligentiae. Muneri ille satisfaciens rescripsit, Capitulares in comitiis diei 20. Feb. 1845. apposite habitis dissidentes inter sese fuisse repertos, quin tamen in propatulo ponat eorum dissidentium opiniones; neque inter constitutiones capitulum respicientes ullam extare, quae ad rem faciat. Quoad chorale servitium vero ait, hoc dimetiri posse pro anni medietate, id est diebus 157, inter quos praeter dies festos per annum adnumerandum est tempus quadragesimae atque octavae Corporis Christi.

Hisce in facto praecognitis praestat ponderare ea, quae Archipraesul ad tuendam formam erectionis a se propositam exponit. Si redditus novi canonicatus cumulandi essent cum communi massa, ex qua deinde parem cum aliis novus Canonicus sibi sumeret portionem, damnum inferretur ceteris Capitularibus, qui pinquioribus gaudent redditibus. Ideo jure canonico prohibetur, Canonicos noviter erectos distributiones communis massae lucrifacere, nisi saltem eorum fundatores aequam portionem in massam distributionum

contulerint, ut respondit *Rota coram Emerix. decis. 272. num. 2.* et haec *s. Cong. in Imolen. Distributionum. 8. Maji 1773 ad 1. dub.* et in *Fabrianen. Jurium et emolumentorum 8. Augusti 1829* §: *At vero.* Et *Scarfantonius ad Ceccop. lib. 1. tit. 14.* ait: »Novorum Canonicorum aggregatio non debet converti in praejudicium bursale antiquorum.«

Ceterum cum novus Canonicus inferiores quam alii percipiat redditus et insuper substinere debeat onus audiendarum confessionum et missae celebrationis praedictis diebus et hora, aequum non esse, subdit Archiepiscopus, ut parem ac reliqui Canonici praestet laborem in servitio chorali, eo vel magis quia fundator eum expresse non subjecit chori interessentiae; quinimo, quum perspectum habuerit tempus, quo chorales in Collegiata s. Martini explentur functiones, et voluerit, ut eodem tempore ad Sacrum litandum teneretur, liberum a chorali onere saltem pro aliquibus diebus ipsum declarasse dicendus erit. Jam vero jura sinunt, ex fundatione praebendae fieri posse, ut Canonicus non teneatur singulis diebus choro interesse, uti docemur a *Bonacina distrib. dis. 1. quaest. 1. part. 2. num. 5.* et a laudato *Scarfant. lib. 2. tit. 12. num. 9.*

Quod possessor canonicatus noviter erigendi juxta normam ab Archiepiscopo Pisano adductam habere possit vocem in capitulo, stallum in choro antianitatis ordine ac teneatur persolvere mulctam, si negligat ad chorum accedere diebus ei adsignatis, absonum non est a doctrina hujus sacrae Congregationis relata in Aretina 5. Maji 1703, ubi, cum ageretur de erectione novorum canonicatuum habentium massam a veteribus sejunctam,

Dubio:

An sit locus erectioni quatuor canonicatuum in ecclesia collegiata etc.?

responsum fuit: Affirmative cum conditionibus praescribendis ab eminentissimo praefecto. Quibus conditionibus dempta fuit facultas novis Canonicis ad illa solummodo capitularia comitia accedendi, in quibus ratio haberetur de bonis ac redditibus veterum Canonicorum.

Ex adverso animadvertendum est, Canonicos vi sui muneris teneri psallere in choro et omnibus horis divini officii interesse, uti tradit *Scarfantonius* alias relatus *lib. 2. tit. 8. numer. 17.* et pluries resolvit sacra haec Congregatio, praesertim in conditionibus ab eminentissimo Praefecto praescriptis in supracitata Aretina. Neque obest, novae praebendae Canonicum aliis oneribus juxta fundatoris voluntatem praegravari; nam ex una parte, etiam detracta retributione pro hisce laboribus, congrua certo superest triginta aut quadraginta scutorum a jure taxata, ex altera vero, dum novus Canonicus ad confessiones excipiendas missamque celebrandam ex fundationis lege incumbet, chori interessentiae non tenebitur veluti traditur a *Ciarl. contr. tom. 1. cap. 69. numer. 4.* et *tom. 2. cap. 192. numer. 19.*, *Castr. Pal. part. 3 disp. 3. numer. 7.* et sacra Congregatio in *Senogallien. 17. Novembris 1763 dub. 9.*

Accedit fundatorem, quin novum Canonicum a servitio chorali liberaret, voluisse potius ad choro interessendum illum obligari, uti colligitur ex libello ad supremam potestatem pro fundatione canonicatus misso.

Si placuerit, novum Canonicum aliquibus tantum diebus ad chorale servitium adigere, videant EE. PP. an expediat, ut ipse jure antianitatis stallum in choro habeat ante alios qui omnibus statutis diebus choro intersunt. Jure autem non reprobatur, ut Canonici secundae erectionis novissima in choro occupent stalla, prout docuit s. Congregatio in *Sabinen. Erectionis canonicatuum 18. Novembris 1830*, in *Lauretana Canonicatus 20. Julii 1754.* aliisque.

Tandem pro meo munere adjiciam, ad validam novorum canonicatuum erectionem requiri legitimum capituli consensum, veluti saepius sancivit S. H. O. praesertim in *Hortana Erectionis canonicatuum 26. Martii 1768.* §: *Ad incrementum.* Hunc autem consensum in casu usque adhuc non intervenisse patet ex iis, quae Archiepiscopus transmisit quibusque tantum discrepantem Capitularium sententiam innuit.

Interim EE. VV. dirimendum proponitur

Dubium:

An et quomodo sit locus erectioni novi canonicatus in casu?

S. C. resp.:

Non proposita cum sequenti.

Die 5. Decb. 1846.

Cont. Pisana.

Mandatis hisce apprime satisfaciens Archiepiscopus nuper authenticum actum capitularis deliberationis remisit. Cum itaque in Archipraesulis sententia convenerint Canonici, nil remanet, nisi ut ad trutinam revocent EE. PP. ea quae laudatus Archiepiscopus in sua priori epistola recenset, et dirimant quod redit

Dubium:

An et quomodo sit locus erectioni novi canonicatus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi.

Die 5. et 28. Junii 1847.

III. Causae.

Vd. *t. II. p. 551. f.*

Brugnaten.

Canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad inferendum chorale servitium eriguntur, sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam, *s. Congr. in Asculana Reductionis 22. Januarii 1820.* §: *Verum* et in *Senogalien. Reductionis onerum 28. Aprilis 1827.* §: *Jam vero.*

Civitatis Castellanae.

Canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium eriguntur, sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam. *S. C. in Asculana Reduct. 22. Januarii 1820.* §: *Verum* et in *Senogalien Reduct. onerum 28. April. 1827.* §: *Jam vero.*

Die 12. Mart. 1833.

Civitatis Castellanae.

Canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferenda choralia officia constituuntur, sed ad idoneam quoque et congruentem vitae alimoniam pro personarum ac locorum qualitate ecclesiae ministris suppeditandam. *Trid. sess. 24. cap. 15. de reform., S. C. C. in Senogalien. Reduct. onerum 28. Apr. 1827.* §: *Jam vero.*

Die 25. Maji 1833.

IV. Concessa composita lite de legato.

Nullius Sublacen.

In supremis suis tabulis conditis anno 1749 Angelica Marini haeredem usufructuarium instituit Franciscum Tomasetti virum servata vita viduili eique praelegavit mobilia omnia, jocalia, argenta, linteamina, libros ac suppelectilia domus una cum vacarum societate, adjecta lege, ut idem vir cuicumque actioni ac juri adversus suam haereditatem renunciaret, et post ejus mortem demandavit erectionem canonicatus sub invocatione s. Vincentii Fererii in ecclesia collegiata s. Andreae Sublacen. reservato jurepatronatus Jacobo Ferrari ejusque lineae masculinae hacque deficiente descendentibus per lineam masculinam a familiis Dominici Galli, Philippi Catani et Hortensii Horatii: ac demum jussit, ut ipsa defuncta statim a viro inventarium fieret omnium bonorum suae haereditatis, deputato in executorem testamentarium Praeposito dictae Collegiatae. Secuto testatricis obitu et aspecta die 9. Septemb. ejusdem anni testamentaria dispositione illico vir sequenti die praelegatum repudiavit, utilius putans jura sua experiri quam praelegato acquiescere. Deinde vero cum ad secunda vota transire exoptaret de re componenda agere caepit cum Andrea Ferrari filio Jacobi primo vocati calculatoque haereditatis asse in sc. 1855 recognitisque ipsius creditis in sc. 1500 publica transactio die 6. Decembris 1760 inita fuit, qua facta haeredi usufructuario facultate fruendi usufructu etiam in statu binubo ipse acceptando praelegatum cessit ac renunciavit universis suis creditis ac actionibus favore canonicatus post sui obitum erigendi: quae concordia plene ab hac s. Congregatione sub die 30. Martii 1761 approbata fuit.

Animo deiu repetens idem Franciscus haeres usufructuarius, venditam a se fuisse anno 1747 ex consensu uxoris quamdam domum ad usum fenilis ad hanc pertinentem pretio sc. 200, ac verens, causa hujus alienationis inferri posse suis filiis ex secundo conjugio ortis molestias ob nullam habitam de ea venditione mentionem in d. concordia, nunc supplicat ad omnes futuras lites ac molestias vitandas declarari, erectionem canonicatus faciendam esse ex quantitate dumtaxat capitalium praescripta in concordia, hoc est ex capitali scut. 1805.

Inquit, assem haereditarium firmatum fuisse in scut. 1805, ejus autem credita ascendisse ad scuta 1500; vix ideo superfuisse capitale scut. 300 pro canonicatus dote: addita proinde etiam summa scut. 200 derivante ex dicta domus alienatione futurum non fuisset, ut posset erigi canonicatus ob capitalium inopiam. Patere ideo ingentem concordiae utilitatem, dum haereditas, modico usufructu in beneficium viri jam quinquagenarii dimisso, ab universo aere alieno se liberavit et illius tantum ope idonea reddita dicta summa sc. 200 fieri nunquam potuisset.

Absonum ideo esse quaerere de debito sc. 200 jam abunde compensato cum longe majori canonicatus utilitate: id suadere naturam concordiae, quae actiones omnes hinc inde tollit et extinquit indole sua quaeque non patitur, ut per nova jura vel documenta effluxu temporis reperta rescindatur, quoties bona fide fuit cum idonea compensatione *l. sub praetextu 19. cod. de transact., l. fratris cod. eod. cap. 1. extravag. de transact.* In id demum consensum praebere patronos omnes a testatrice contemplatos.

Alias enim, advertit, enormissimam ex concordia prosilire laesionem, dum intuitu brevis ac tenuis usufructus retrahendi ex residuo capitali sc. 300 vel 500 cessa fuissent conspicua credita sc. 1500, unde gravis excitanda facile foret lis, cujus expensae a canonicatu ferendae longe excederent additamentum sc. 200. Utilius autem esse servare transactionem in qualibet dubietate, ut ita evitentur incerti litium exitus earumque gravissimae impensae, *l. 2. ibiq. gloss. cod. de transact. cap.: finem litibus de dol. et contum.*

Emmus Abbas post deducta hinc inde dubitandi argumenta concludit: »Ceterum cum res dubia sit et ex hoc ipso dubio futurae lites possint exoriri, idcirco censerem annuendum esse oratoris precibus declarando, quod stabilia per ipsum post illius mortem restituenda, quaeque constituere debebunt dotem erigendi canonicatus, sint et esse debeant restricta ad ea quae reperta sunt tempore transactionis initae et communi consensu tunc valutata fuerunt in sc. 1805, eoque fortius, quia patroni ipsi dicti canonicatus, de quorum interesse hic praecipue agitur, hoc ipsum petunt et per hanc sacram Congregationem declarari exorant.

Concordia anni 1760 inita fuit super statu haereditatis tunc firmato in scut. 1805 absque ulla mentione creditorum haereditariorum et praesertim crediti sc. 200 resultantis e venditione controversae domus. Ponderandum hinc an eadem transactio inita ad extinguendum aes alienum haereditatis extendi jure debeat ad extinctionem creditorum haereditatis et praesertim dd. scut. 200 quod sub oculis transigentium non erat et de quo nulla mentio habita fuit.

Advertendum in vim initae concordiae, Tomasetti virum assecutum tum praelegatum sibi relictum tum usumfructum residuae haereditatis sua vita naturali durante: perpendendum ideo, an cessio jurium viro competentium jam satis compensata sit ex dicto praelegato et usufructu vel potius an saltem aequitas postulet, ut de controverso quoque credito scut. 200 compensatio inducatur ex benigna transigentium mente et enixa eorumdem voluntate actiones omnes ac reciprocas quaestionis dirimendi.

Ad EE. PP. ornatos clementia ac aequitate spectat definire:

An et quomodo et ex quibus facienda sit erectio canonicatus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et erectionem faciendam esse adjecto etiam jure crediti scut. 200 ex pretio domus venditae noviter detecto.

Die 28. Jan. et 17. Junii 1769.

Sarsinaten.

Cum universam familiarem substantiam alieno aere obliguritam iri pertimesceret Julianus Petruccius ex oppido s. Petri districtus Bagni in Hetruria iniit cessionis actum die 20. Augusti 1820, quo omnem substantiam suam Francisco Canonico Petruccio ejus filio ultro adicavit.

Joannes Baptista Petrucci alter ex ejus filiis moram haud patiens fratri diem dixit decimum septimum Sept. 1830, ut ad solutionem editae sibi pecuniae deveniretur ac secundam a regio judice Bagni retulit sententiam.

Res cum ita se haberent verens et Canonicus Franciscus bona sua etiam parsimonialia alieno aere praegravante consumpta fore venditionem effinxit illorum tantum bonorum, quae Sarsinae in loco scilicet ponti-

ficiae dominationis possidebat, favore cujusdam Marci Capelli, adjecto privato chirographo, quo fictio venditionis demonstraretur. Posthac vero, ut litibus atque tricis aditus perpetuo praecluderetur, amicae inter fratres habitae sunt conventiones die 17. Septembris anni 1831.

Hae utrinque approbatae atque praesentibus testibus subscriptae vicissim executioni sedulo commissae sunt; nam et traditio bonorum familiarium effecta et binae sorores ad fratrem Canonicum migrarunt et soluta pensio est scutatorum 40 usque ad annum 1832 pro earum alimentis secundum ea, quae pacta fuerant: constat tamen nec solemnes tabulas fuisse unquam celebratas nec nominum liquidationem absolutam.

Interim 28. Aprilis 1832 Franciscus Canonicus decessit a vita in scriptisque testamentariis tabulis de re sua disposuit.

Verum confectis codicillaribus tabulis constituit, ut qui canonicatu potiretur teneretur celebratione tantum duplicis Sacri pro hebdomada, de medio abstulit onus dispendendae eleemosynae ac demum fratris filium Cajetanum prima vice Canonicum nominavit.

Atque jam in eo sumus, ut quaestionis praesentis status dignoscatur. Etenim hac vita functi Canonici dispositionem infensissimo sane animo tulit Joannes Baptista Petruccius atque alte proclamans privatum transactionis chirographum non sustineri.

De more Episcopus Sarsinae ac Brictinori quaesitus ut auditis interesse habentibus ac promotore fiscali scitu necessaria suamque sententiam panderet singula praestitit diligenter. Nonnulla ablegavit documenta a Canonicis ac administratore bonorum praedefuncti Canonici Petrucci, quem ipse Canonicus ad id officii suo testamento vocavit, exhibita, ex quibus panditur status activus et passivus tum patrimonii Juliani patris Canonico Francisco deinde Joanni Bapt. cessi tum bonorum parsimonialium Canonici Francisci, ex quibus nova canonicalis praebenda constitui oportet. Constat videlicet patrimonium Juliani Petrucci consistere scutatis 6700; gravatum vero est alieno aere scutor. 5323 non habita ratione eorum, quae Jo. Baptistae debentur. Is autem titulo alimentorum, quae eidem praestanda erant, usque ad ann. 1830 scut. quinquaginta quatuor annua scilicet scut. 577 petere poterat, super scut. 900 titulo legitimo, demum scut. 320 ex dote materna; quae omnia summam exhibent scut. 1797. Hisce autem adjectis scut. 5323, quo onere patrimonium Juliani premitur, habetur summa scut. 7120, quo statum activum haereditatis Juliani non tantum aequant sed antecellunt in sc. 420. Peculium ex quo juxta Canonici Francisci placitum canonicatus erigendus esset constat sc. 3105, ex quibus deducendae sunt sc. 277, quot ab hoc peculio ejusdem Francisci creditoribus persolvenda essent.

Post haec exponit Episcopus Sarsinatensis Cathedralem novis non indigere canonicatibus, subsellio altero pro novo Canonico deficiente in choro. Animadvertens praeterea cleri quoad individualem numerum parcitatem et praejudicia, quae a canonicatibus laicalis jurispatronatus ecclesiae obveniunt frequenter, atque institutionem canonicatus ad longum tempus esse protrahendam quia statuit testator, suam institutionem non esse executioni mandandam donec vita functae non fuerint superstites sorores ex iisdem canonicatus bonis ad vitam alendae una cum nepote Cajetano usque ad annum vigesimum quintum adeoque pluribus vicissitudinibus et periculis obnoxiam iri hereditatem, demum perpendens quaenam, lite promota, defuncti Canonici turpia facta relevanda sint, quae prudentia et honor sacerdotalis pingere verbis non sinunt, necnon impares capituli vires ad litem subeundam, opinionem tulit non esse rejiciendam summam sc. 200 una cum libris 50 cerae albae elaboratae.

Illud vero animadversione dignum putamus quod nempe arbitretur Episcopus legatum non sustineri quia fundatum in bonis Etruriae sitis ac proinde juxta disciplinas legata ecclesiastica ibi non agnoscuntur nisi accedente in illorum institutione temporalis potestatis consensu; haec enim mera aequivocatio est, cum bona super quibus canonicatus esset erigendus sint bona Sarsinae quae ditionis ecclesiae locus est.

Procurator fiscalis aperto marte transactionis validitatem tuetur plurimis prolatis animadversionibus.

E contra vero cum nominatus ad canonicatus possessionem Cajetanus Petruccius de sua sententia fuerit quaesitus pro rejectione canonicatus stetit inhaerens paternae voluntati.

Explicit hic factorum historia. Ad oratoris jura quod pertinet, propugnat impense Joannes Baptista Petruccius integram adhuc servandam sibi esse facultatem sua nomina vindicandi. Et primo ait cum Canonicus Petrucci per cessionem die 31. Augusti 1820 a patre suo Juliano ejus favore absolutam omnia jura omnesque ejusdem obligationes in se receperit, jam et summam scutorum 2000, quae variis ex titulis Joanni Baptistae filio ille debebat, sibi creditori solvere omnino tenebitur; at Canonicus ad plures profectus nil aliud in patrimonio reliquit quam bona canonicatus erectioni assignata; ex his itaque bonis debitum hoc erit dimittendum; quippe vulgatum est in jure legata, etiam pia, non deberi nisi aere alieno persoluto.

Neque obstat privatum illud chirographum, cui donari praesumitur firmitas transactionis. Etenim illud non exhibet nisi »*Un capitolato, che servir dovea di norma all' istromento da redigersi in seguito* scilicet quae articulo secundo hujusmodi privatae singraphae habentur verba, quae non compensationem jam factam sed faciendam demonstrant; hinc minime habenda sunt veluti transactionem continentia, quum ad transactionem firmandam non sufficiant actus vagi sed certi omnino requirantur cum perfecta ac determinata voluntate *Rota decis. 620. n. 11. tom. 6. cor. Olivat.* Atque transactionem nullas habere vires nequidem quoad promissiones factas contemplatione futurae concordiae, nisi certis ac determinatis actibus constet, tenet *Tranquilli de jure hypost. tom. 6, Rota decis. 40. n. 10. et 11. et decis. 67. n. 6. tom. 1. coram Olivat.* Praeterea deerant termini habiles ad transigendum.

Transactio enim expostulat, ut paciscentes hinc inde aliquid dent vel remittant: ita in *L. Transactio 36. cod. de trans.* et *s. Congr. in Anagnina Erection. capell., Firmana Transact. 13. Junii 1795. §. 13, Auxim. Susp. missar. 18. Sept. 1790. §. 4,* et *Rota decis. 315. n. 16. tom. 3. cor. Olivat.*

In casu vero nihil juris sui praestabit Canonicus; cedebat enim patrimonium quod aeris alieni mole gravatum est, si quod fortassin superextabat, hoc satis certe non erat, ut Joannes Baptista indemnis servaretur in ea summa, quam optimo jure a Canonico repetere potuisset, quippe cum ipse universum aes alienum Juliani patris susceperit istud ad extremum usque quadrantem cogebatur dimittere.

Quod si quid etiam cessisse Canonicum concedi velit, levissimi sane momenti id existimandum erit; adeoque tunc transactio vitio laesionis laborabit. Transactio autem injusta, gravans et alterius juris laesiva, etsi inita fuerit, rescindi debet, ne alicui per pacta et conventiones praejudicium inferatur. Ita *s. Congreg. 22. Januar. 1774. §. 6.* et *Ripana Oner. missar. 9. Jul. 1796. §. 4.* Et dicta *s. Congreg. in decr. tranl. 18. Augusti 1788. §. 9.* laesivam dicit transactionem per quam plus uni quam alteri tribuitur.

Porro etiam ex alio capite nullitatem transactionis petit Joannes Baptista, nempe ex capite doli quo interveniente, uti tradit *Voet. ad pandectas tit. de transact. n. 32.*, transactio destituitur vi sua: contendit vero dolum a Canonico in paciscendo admissum fuisse tum ex eo quod Canonicus bona peculiaria ficte alienaverit, tum ex eo quod promiserit eidem Joanni eum haeredem instituere in bonis peculiaribus.

Hisce argumentis adstruuntur jura Joannis Baptistae Petrucci. Porro ubi eorumdem pondus pensaverint EE. VV. sibi planditur orator fore ut ad controversias omnes pacifice tollendas eam transactionem amplectendam potius existiment, qua spondet se scuta biscentum pro una vice praestiturum fore capitulo Sarsinatensi et donaturum 50 libras cerae albae Protectori s. Vicinio. Nec enim deficiunt justae causae, quae ad alienationem rei ecclesiae ex celebri extravaganti: *Ambitiosae* et *Clementina de religiosis donibus* desiderantur.*) Adest videlicet utilitas si perpendamus transactionem ad componenda dissidia semper utilem haberi, *Rota decis. 5. Aprilis 1824 coram de Cursiis. Eadem decis. 23. Junii 1820. §. 6. cor. Martinez del Campo* et *s. Congreg. Concilii in Firm. Transact. 28. Maji 1791. §. 6, Casert. conc. 19. Dec. 1772. §. 19, Ariminen. 21. Jun. 1604 §. 4.* Sic insuper via praecluditur publico judicio, in quo defunctus sacerdos valde et cum enormi scandalo fama periclitaretur. Adest necessitas, nam Canonici impares essent ad lites substinendas, quae vel ab Joanne Baptista vel ab aliis creditoribus excitarentur, ut et ipsi asserunt et nitide confirmat Episcopus.

*) Vd. *t. I. p. 420. n. 2. b.*

Verumtamen legatum esse omnino agnoscendum plura sunt, quae demonstrant (instat ex adverso promotor fiscalis).

Est adnotandum jura Joannis Baptistae non porrigi ad summam scutatorum 2000, ut ipse certo ponit, sed intra angustiores limites esse coarctanda. Id evincit tum epistola notarii Riozzi, qui transactionem inter Canonicum et fratrem confovit, tum adnotatio a Canonicis facta jurium ejusdem Joannis. Ex his liquet Joannem ex probatis titulis fratris sui creditorem fuisse scutorum 1797, alios vero assertos titulos nullimode extare. Quum vero Joannes patrimonio paterno jam fruatur et patrimonium hoc eidem a fratre cessum constet ex scut. 6700 gravatumque sit aere alieno sc. 5323, sat constat Joannem jam percepisse scut. 1377 adeoque non amplius creditorem accenseri in sc. 1797 sed 420. His positis quaenam praesto illi erit actio adversus defuncti Canonici haeredes vel legatarios ad eam pecuniae vim assequendam? Nulla sane, nam ex quo obtinuit is a Francisco germano patrimonii paterni cessionem sese ad omnia paterna nomina dimittenda paratum dixit et jam in Joanne per confusionem peremptae sunt actiones et Canonicus Franciscus ab omni obligatione, quam contraxerat paterna bona suscipiens, est liberatus.

Argumentis porro, quae ad transactionem infirmandam cumulantur, responsio non deest. Et revera non ineundae transactionis capitula in privata syngrapha anno 1831 vicissim obsignata, sed initae reapse transactionis articulos recenseri satis suadet communis partium conventio qua sancitum: »*che l'atto presente equivalga a quell' istromento publico istesso per la forza obligatoria, che gli danno.*« Praeterea Canonicus, qui peculiaria bona defuncti Petrucci ex ejus placito administrat, testatur cetera omnia impleta fuisse, quae illo in chirographo continentur. Ecquis sane sibi persuadebit (fiscalis promotor petit) Canonicum suppetiisse bona paterna tradita, eaque fuisse accepturum Joannem Baptistam ac pensionem sororibus soluturum, ubi in ea mente fuisset, quod inita adhuc non esset transactio?

A veritate pariter abhorret omnino nihil in ea concordia a Canonico datum vel remissum affirmare: siquidem hic cessit nedum patrimonium ex argenteis 6700 conflatum ac omnia jura haereditaria, queis in patrimonio Juliani Patris potiebatur, sed et cessit ea bona, super quibus ecclesiasticum suum patrimonium (ab omni sane onere alienum) erat constitutum. Assumpsit vero onus alimenta praestandi germanis sororibus, onus quidem Juliani patrimonio inhaerens, et quod a Jo. Baptista nonnisi pro dimidia parte susceptum est, dum vicena scutata annua in singulas sorores praestiturum spopondit.

Quid vero dicendum de laesione quae opponitur? Ex aequiori ss. canonum disciplina sancitum est, ut enormi dumtaxat laesione intercedente transactio rescindatur; tunc autem enormis laesio intercedit, quoties ultra dimidium deteriorem quis suam fecerit conditionem. Ita *Barthol. in l. Si quis cum aliter 36. 4. ff. de verbor. signif., Abbas in cap. Cum causa 6. n. 7. et 8. de empt. vend., Engel l. 1. decret. tit. 36. n. 4, Rota in 1. part. novissima decis. 102. n. 2.* In themate dedit Canonicus Petrucci patrimonium paternum valoris scut. 6700, frater suscepit aes alienum scutatorum 5323 ac insuper amisit jus exigendi sc. 1797, quibus inter se collatis summis exurgit. Joannem amisisse tantum scut. 420., quae cum a dimidio pretio longissime absint nihil detrahent firmatae transactioni.

Ast transactio dolo inita est. Ita in postremo loco orator. Respondit autem fiscalis promotor *dolum non praesumi, sed probandum esse.* Quae vero in medium efferuntur probationes infirmissimae sunt. Etenim primo venditionis fictionem Joannem non latuisse colligere satis ex eo datur, quod sibi parum constans exponat sese ad eam transactionem accessisse spe fretus, ut Canonicus sibi bona peculiaria relinqueret, id est ea, quae ficte fuerant alienata.

Qui sane spem hanc alere potuisset, ubi veram existimaret horum bonorum distractionem? Ad assertam vero promissionem quae a Canonico Petrucci facta dicitur bona sua peculiaria fratri sua concedi, praeterquamquod ea tantum asseritur, extat etiam apud haereditatis curatorem epistola ipsius Joannis, qua ipse fratris consilium arguit derelinquendi quae ex fructibus ecclesiae adeptus fuerat.

Rebus ita se habentibus videat demum EE. PP. sapientia, num legato dimisso expediat potius controversias amice componere uti proponit orator. Quae ad eam concordiam amplectandam suadere videntur jam superius exscripta sunt; unum hic adver-

sus eam animadvertam, scilicet eam enormi laesione laborare, nam pro scutatis nummis biscentis ac libris quinquaginta cerae albae elaboratae ecclesia repudiaret legatum sc. 3139, 97. 4, a quo detrahenda sunt scut. 277 propter onera nonnulla legatum gravantia. Tamen deberent haec compensari cum scutatis 160, quae ab Joanne debita hodie sunt favore haereditatis, quoniam ab anno 1832 defecit in solutione sc. 40 ab eo juxta placiti fidem quotannis ministrandorum ad alendas tuendasque communes sorores.

Quare erit EE. VV. dirimere

Dubia:

I. *An et quomodo agnoscendum sit legatum pro canonicatus erectione in casu?*

II. *An potius et quomodo sit adprobanda transactio a Joanne Baptista proposita in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative facta prius ab Ordinario plena liquidatione et compensatione ad formam articuli 11. transactionis diei 17. Septembris a. 1813. Episcopus certioret de resultantibus.

Ad II: Provisum in primo.

Die 29. Apr. 1827.

Camerinen.

Supremis tabulis quas exeunte anno 1833 condidit Canonicus Ludovicus Peda Camers erigi jussit in collegiata Camerinensi ecclesia D. Venantio Martyri sacra canonicatum, ut ait, sacerdotalem, argenteorum mille summa in totidem frugiferis censibus pro ejusdem dote legata, quae a Canonico ipso administranda fuisset. Juspatronatus vero perpetuum reliquit *al primogenito della famiglia Peda in infinito.*

Justis funeribus testatori persolutis die 9. Septembris anni 1839, quum nemo unus ejusdem voluntati exequendae operam navaret, capitulum calatis comitiis ad diem 12. Maji anni superioris, praevia acceptatione canonicatus, deputatum adlegit, qui ejusdem erectionem urgeret. Ast Nicolaus Peda primogenitus familiae, cui jus nominandi primum deferri debuerat, adversabatur.

Precibus at vero adversantur omnes, quorum interest, ab Antistite pro ejus munere rogati: et inprimis Episcopus ipse: ait etenim: »Nulla causa legitima apparet ob suspensionem nominationis et multo minus canonicatus erectionis. Non bonum publicum quum in hypothesi redditus praebendae canonicalis privato commodo cederent. Non ecclesiae utilitas, quae attento exiguo Canonicorum numero choro inservire valentium officium alterius sacerdotis enixe flagitat: non denique christiana charitas ad familiam inopem substentandam, vel ut filiorum educationi consulatur, quibus media deesse nequeunt vel habito respectu ad pinque domesticum patrimonium vel ad oratoris officium, qui modo conservatoris hypothecarum munus exercet, postquam eodem functus fuerat per decennium Camerini. Oratori quatuor sunt filii, inter quos et foemina. Major decemseptem annorum aetatem, alii duo gemelli tria lustra numerant.«

Obstat etiam capitulum sequentibus de causis. Animadvertit videlicet, duplicem sibi finem constituisse testatorem Peda in canonicatus erectione. Quoad primum, pugnat, respexisse potius futuros in familia sua descendentes, minime hodiernos haeredes, tum quia optime gnarus, neminem modo inter eos sacerdotali charactere decorum extare, dispositionem suam huic etiam casui accommodasset ubi in hac etiam hypothesi consulere familiae suae voluisset, tum quia satis superque jam praesentibus providit haeredibus, quibus integrum patrimonium suum reliquit, nullo gravatum onere praeter canonicatum, de quo agitur, et scutatos nummos tercentos in animae suae piaculum et testamentarii curatoris stipendium, tum quia conspicuum caput transmisit in censibus constitutum, quod sane ex ecclesiasticis, quibus fruebatur vivens, beneficiis derivavit.

Alterum subinde finem numquam consecuturum iri testatorem urget erectionis vel nominationis suspensione concessa. Etenim exiguus extra modum est hodie numerus Canonicorum, quando unus et alter canonicatus ad occurrendum fabricae ecclesiae suspensus extitit: tertius Canonicus rude donatus est; quartus abest omnino, quin spes affulgeat proximi redditus. Gravissimum ex adverso vulnus infligeretur ex petita suspensione juri quaesito capituli per solemnem acceptationem legati et per decretum a Camerinensi Vicario gen. latum necnon expressae voluntati ipsius testatoris de canoni-

catus erectione adeo solliciti, ut vehementer jusserit ad eamdem infra unum ab ejus funere mensem deveniendum fore.

Nihilominus confidit orator propitiam ab EE. VV. resolutionem relaturum. Sane novum non est, ut collationes suspendantur ad id ut interim percipiantur a patronis fructus titulo administrationis, donec aliquis capax ex patronorum superveniat familia:*) uti testantur oracula s. Ordinis in *Derthonen. 19. Augusti 1830,* in *Senogallien. Capellaniae 4. Novembr. 1731*, in *Viterbien. Capellan. 18. Jun. 1755.* Quod si haec in beneficiis etiam ecclesiasticis et ab aevo constitutis concessa sunt, faciliori ratione impertienda erunt in themate, ubi nondum sibi locum vindicavit vera ac solemnis erectio canonicatus, quem uti laicalem perpetuo habendum imperavit fundator.

Porro duplex absurdum cum testatoris voluntate repugnans secuturum modo, si extraneus nominaretur sacerdos, subsumit orator. Alterum, quod canonicatum hodie sibi vindicaret sacerdos ab inclita gente Pedia omnino alienus suoque proinde frustraretur exitu enixum pii testatoris studium »*di provedere un' individuo della famiglia.*« Alterum quod maximum e contra oratoris liberi caperent detrimentum, cum paucos post annos dum ad legitimam pervenerint aetatem beneficio sibi a defuncto expressim tributo frui nullatenus valerent.

Singula dein ex adverso prolata diluenda suscipit. Hinc mirum esse non debere animadvertit, nullam defunctum priori canonicatus institutioni peculiarem adjecisse legem, licet pronepotum suorum aetatem presbyteratus nondum capacem non ignoraret. Sunt etenim ait dies hominum constituti, quos praeterire nefas: *nemo autem est* (ut inquit Tullius de senectute) *tam senex, qui se annum non putet posse vivere.* Quare spei potius, quae cuilibet licet decrepito homini perpetuo inest, diu adhuc lucis usura fruendi, donec ex pronepotibus suis alter legitimam attingeret aetatem, testatoris silentium erit tribuendum. Sane testamentarias tabulas multis jam ante obitum annis subscripserat testator, anno scilicet 1833.

Quae de oratoris fortuna jactantur exagerata fuisse arguit. Haereditas enim Ludovici universa fere constat ex censualibus nominibus, in summa scutatorum circiter sex millium; ex quibus si relicta demas pro canonicatus erectione ac legatis necnon inexigibilia, parum profecto supererit triplicem inter heredem partiendum. Nec enim si divitiis orator afflueret Firmum se contulisset ut publico hypothecarum tabulario praepositi fungeretur munere, homo geminis etiam faeminis praeter memoratos tres filios oneratus. Ceterum sese non egestatis titulo, sed ex sana testatoris voluntatis interpretatione preces admovere contendit, adeoque paupertatis controversiam esse in themate prorsus extraneam.

Nec magis turbari se patitur ex praesumpto chori detrimento, quod oppido si gravissimum, ut profertur, adesset haud passi fuissent Capitulares usque nunc duplicem canonicalem praebendam suspendi ac alterum ex collegis studiorum causa tamdiu abesse a residentia. Suspensio autem implorata non deteriorem quidem faceret ecclesiae conditionem; sed cum agatur de canonicatu nondum instituto res potius in eodem statu relinqueret, quo hactenus steterunt.

Denique incivile et propudiosum quum sit spem in alterius obitu ponere ac senis licet vitae dies numerare, desperatum esse effugium (quod innuit capitulum) decrepitum senem ad canonicatum nominandi et nonnisi per decipulam insinuari, velut testatoris menti consonum, ut consobrinus oratoris senescens modo canonicatu donetur, quum nihil potius sit ab ejusdem patula dispositione alienum. Enimvero agnatos expresse, non cognatos vocasse satis declaravit testator, quando inquit »*che mancando l'agnazione, il diritto di nominare resti trasmesso etc.*« nec cognatis locum patere voluisse ad fruitionem pii relicti, nisi agnatorum linea penitus extincta. Imo cum in remotissimum ac futurum tempus conjecerit cognatorum vocationem ac eorum substitutionem cohibuerit »*ad più degno aei discendenti delle femmine dell' istessa famiglia,*« eum non de hodiernis cognatis adeoque nec de Cesini Cajetano locutum fuisse, sed de cognatis futuris.

Ceterum modum suspensionis, qui proponitur in precibus, testatoris voluntati undequaque consonum esse orator non ambigit concluditque vel ipsum testatorem fortasse hanc facultatem otiosum relinquendi canonicatum, deficientibus idoneis ex familia Peda, tribuisse, dum quamlibet ecclesiasticam

*) Vd. *t. II. p. 588. q; 717. β; 898. g; 917. II.*

auctoritatem exclusit »*in qualunque tempo si faccia luogo alla vacanza, o nomina del nuovo Canonico.*«

His copiose satis per oratorem et capitulum digestis unum recolam: s. Ordinem, quoties aequitate motus patronis impertitus est suspensionem nominationum vel dispensationes, utrumque prae oculis habuisse, nempe et rationem jurispatronatus et patronorum egestatem, ut ex ipsis ab oratore allatis habuisse saepius dumtaxat, respectivam, ceu eruere est ex una *Asculana Dispensat. 23. Maji 1786* et una *Aquen Capellaniae 20. Januarii et 3. Februar. 1787.*

Proponitur dubium:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro suspensione erectionis vel nominationis in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus, et Archiepiscopus curet fieri erectionem et nominationem per patronum facta transcriptione bonorum favore canonicatus.

Die 4. Apr. 1840.

Viterbien.

Postremo suae voluntatis exarato elogio sub die 28. Sept. a. 1843. Aloisius Caroselli Canonicus ecclesiae collegiatae s. Xisti civitatis Viterbiensis cum universo suae hereditatis asse canonicatum erexit.

Cum vero jam ad plures abiisset testator Carosellius, Capitulares omnes s. Xisti die 2. Dec. 1846. comitia habuerunt, ut circa novi canonicatus erectionem suam per suffragia ferrent sententiam. Inde datis suffragiis omnes Capitulares erectioni consenserunt.

Quoniam praedicti Capitulares innixi synodalibus constitutionibus, quas Cardinalis Oddi olim Episcopus Viterbiensis edidit, existimarunt, mediam annatam persolvendam esse a novo Canonico, ideo meum erit, hasce constitutiones EE. PP. oculis subjicere: »Provisi vero de parochialibus (ita in cap. III. de ecclesiarum reparatione, veneratione et immunitate n. IV. habetur) una cum incertis annuum redditum scutorum centum excedentibus et de canonicatibus et beneficiis tam residentialibus quam non residentialibus et simplicibus sitis in ecclesiis collegiatis vel ad illas translatis, cujuscumque valoris existant, itidem teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae collegiatae.« Et numerus quintus prosequitur: »Haec media annata debeatur a praedictis beneficiorum possessoribus ex primo anno fructuum, sive beneficia liberae collationis sive jurispatronatus tam mixti quam laicalis fuerint et ad quemcumque collatio, institutio et provisio pertineat, dummodo collationis, institutionis et provisionis sanctae Sedis minime existant.«

Huic a Capitularibus s. Xisti capto consilio, quo novi canonicatus erectionem ratam habuerunt, rejectis conditionibus a testatore impositis, restiterunt piae voluntatis exequutores a Carosellio designati. Qua de re per supplicem libellum apostolicam Sedem adierunt.

Quas preces ad H. S. Ordinem ablegatas de more ad Emmum Viterbiensem Episcopum remisi ipsum efflagitans, ut auditis Capitularibus tam s. Xisti quam s. Angeli in scriptis suum panderet votum ac praeterea referret de annuo redditu et oneribus praebendae comprehensis distributionibus.

Ipse vero transmissis resolutionibus capitularibus peractis mense Februario currentis anni a Canonicis tum s. Xisti tum s. Angeli reposuit: »Canonicatum ultimis tabulis a defuncto Aloisio Carosellio ejusdem s. Xysti Collegiatae Canonico relictum quotannis reddere scutata centum viginti quatuor et obulos octoginta oneribus omnibus ac etiam distributionibus detractis; modo devenirem ad ejusdem institutionem, comprehendendo in ipsa haereditatis rationes utiles temporaneas. Ast apprime noscens (uti Carosellius ipse bene noscebat, cum omnia haereditatis suae capitalia vendi ac investiri jusserit) temporis successu dominia utilia temporanea deperire ideoque canonicatus redditum permultum imminui, cum eorum venditionem una cum oratoribus procuratam haud obtinere potuerim, consilium inivi dictarum rationum utilium redditus medietatem in ipsa erectione mandare ad effectum investiendi favore Canonici pro tempore, donec ex depositis empta fructifera bona tot redderent, quot actu sunt canonicatus redditus.

Post haec exponit onera et conditiones a fundatore novo canonicatui annexa, inde prosequitur: »Cum s. Xysti ecclesia collegiata acceptaverit canonicatum ad formam

juris non video fieri substitutioni locum. Non conditionate s. Xysti capitulum acceptavit canonicatum, cum dixit: ad formam juris, cui haud nequit obsistere Caroselii dispositio, quae nil contra jus operari potest. Hac de causa magis observationes quam conditiones habendae sunt voces quibus usum sit s. Xysti capitulum et mihi ipsae dicendi formulae arrident; nam s. m. Benedictus XIII. in sua constitutione *Pius et misericors* mediam annatam persolvi voluit et synodalis lex vigens est ipsam a singulis Canonicis dandam esse.

Proposita lege synodali ut s. Xisti ita s. Angeli capituli resolutio acceptans canonicatum a Carosellio relictum absque onere solvendi mediam annatam poterit dicine valida? Nec reponere juvat in utrisque recensitis capitulis reperiri Canonicos, a quibus media annata minime persolvitur, nam vel ante praecitatam constitutionem erecta fuerunt vel intercessit pontificia dispensatio, quae cum minime inveniatur, restat inferre, nulliter fuisse erecta, nisi praedecessorum meorum conniventia praescriptionem pepererit.

Mediae annatae solutio perficienda est etiam jure naturali, cum ecclesia ab ipsis manutenenda sit, ne corruat. Porro nisi media annata solveretur, necesse foret, ut alii redditus aliis usibus destinati absumerentur pro ecclesiae reparatione et en supellectilium mendicitas aliarumque rerum penuria! Quae omnia infausta ne eveniant opinarer, constitutionem s. m. Benedicti XIII. ac synodalia dioecesis praecepta novissimo juri consentanea observari et canonicatum erigendum esse in s. Xysti Collegiata ad formam Caroselii testamenti, mediam vero annatam solvendam esse ad formam juris, cui ipse testator contraire non poterat et sancti Angeli capituli acceptatio legis observationi minime obsistere potuerit, praesertim cum lex clara et evidens sit contra Caroselli testamentum vetans mediam annatam persolvi ac s. Angeli capituli resolutio ipsum canonicatum acceptans absque mediae annatae solutione sit contra s. m. Benedicti XIII. constitutionem ac legem synodalem ipsam persolvi jubentem.«

Subnectam hic resolutionem a Capitularibus s. Xysti noviter editam die 28. Febr. proxime praeteriti, circa quam Canonicus a Secretis illius capituli scribebat ad Vicarium generalem Viterbiensem. Eodem mense Februario die 2. comitia habuerunt Canonici s. Angeli; novem ex Capitularibus erectioni canonicatus juxta formam a Carosellio praescriptam consenserunt, tres vero reperti fuerunt dissentientes.

Explicita factorum serie disquirendum circa jus venit in themate, utrum erigendus sit canonicatus in ecclesia s. Xysti sine conditionibus a testatore jussis et quin novus Canonicus percipiat emolumenta anniversariorum ac piorum legatorum antea capitulo relicta, seu potius erectio praefati canonicatus devoluta sit favore Collegiatae s. Angeli, quod breviter praestabo sub dubiorum formulis in calce exscribendis.

Conditionem, ne novus Canonicus solvat mediam annatam, attendendam non esse judicarunt s. Xisti Capitulares, eo quod adversetur juri communi ac synodalibus constitutionibus, quibus privatam testatoris voluntatem haud derogare potuisse existimarunt. Id autem satis abunde exposuit eminentissimus Viterbiensis Antistes in transmissa ad S. H. O. sua relatione innixus praecipue constitutione Benedicti XIII. incipien.: *Pius et misericors*, ex quo ferme de verbo ad verbum deprompta fuit lex synodalis Episcopi Oddi, quam superius retulimus. Adeo autem verum observandam esse juris dispositionem circa mediam annatam pro ecclesiae fabrica, ut s. Pius V. in sua constit. *Durum nimis* 1. Junii 1570*) quamvis prohibuerit ne in collatione, institutione aut admissione in possessionem canonicatus sive beneficii deductiones ex fructibus seu distributionibus interponantur exceperit tamen, si detractiones hujusmodi pro medietate in usos pios convertantur, ita statuens §. 4. in fin. dictae constitutionis: »Ut ubicumque hujusmodi fructus et distributiones fabricae vel sacristiae aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessae horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.

Circa aliam conditionem, qua Carosellius novum Canonicum liberum voluit a solutione juliorum quindecim sacristiae facienda pro usu capsulae ad chorales aliasque sacras vestes servandas, animadvertunt s. Xisti Capitulares, id fieri non potuisse sine laesione jurium ipsius sacrarii, quod pro capsularum

*) Vd. *t. II. p. 427.*

stabilium constructione scutata quadraginta duo impendit et ita exemit novos Canonicos ab onere sibi comparandi capsulam amovibilem, uti antea facere adigebantur ex proprio aere. Insuper et hanc secundam conditionem respuendam esse ex eo probatur, quod testator putavit sacrarium nihil omnino solvisse ad praedictas capsulas conficiendas, quod falsitate laborat, uti colligere est ex libris administrationis bonorum capitularium. Jam vero credulitas testatoris vitiat dispositionem, quia credens rem esse aliter, quam vere sit, dicitur errare et qui errat non consentit, *leg. si per errorem ff. de jurisdict. omnium judic.* et quod credulitas testatoris semper vitiet quando falsum reperitur id, quod testator credidit, probat *Socin. jun. cons. 98. n. 23., Durand. tract. de condit. et mod. impost. ac jure prohibit. cap. 7. p. 3. n. 5.*

Tertio loco reponebant Canonici Collegiatae s. Xisti, possessorem canonicalis praebendae noviter a Carosellio institutae admittendum non esse ad emolumenta ac distributiones, quae proveniunt ex anniversariis aliisque piis legatis, quae ipsis relicta fuerunt ante erectionem novi canonicatus. Ad id evincendum provocant ad nonnullas H. S. Ordinis resolutiones, videlicet ad *Narnien. 14. April. 1714.*, in qua cum propositum fuisset dubium:

An Canonici secundae erectionis admitti debeant ad participationem emolumentorum extra massam consistentium in relictis benefactorum favore capituli, seu pro funeribus, anniversariis, missis de requiem?

responsum fuit: Negative quoad provenientia ex dispositionibus relictis capitulo ante erectionem novorum canonicatuum.

Ad Nullius seu Terrae Pontiani die 5. Martii 1735 in qua cum inter caetera quaereretur: utrum novi Canonici admitti deberent ad participationem earum distributionum et emolumentorum, quae ex missarum et anniversariorum celebratione vel ex curae animarum exercitio Canonicis antiquis obveniebant, dubium:

An et cui debeantur distributiones et emolumenta de quibus agitur?

dimissum fuit responso: Distributiones et emolumenta provenientia ab exercitio curae animarum et a legatis relictis ante erectionem novorum Canonicorum deberi Canonicis antiquis.

Id ipsum videre est in *Alatrina Erectionis canonicatuum 8. Febr. 1727., Sabinen. 18. Nov. 1730.* aliisque. Neque desunt doctores, qui docent Canonicos novae erectionis haud participes fieri de praedictis distributionibus et emolumentis, quae ante novam canonicatuum erectionem Canonicis antiquis relicta fuerunt, nisi a capitulo voluntarie fuerint aggregati et ad participationem eorundem emolumentorum admissi, ita *Card. de Luca de Canonic. disc. 6. n. 13. et 14, Gratian. discept. 867. fere per tot.* et *Tondut. quest. benef. 68. n. 13.*

Neque audiendos esse addit capitulum s. Xisti exequutores testamentarios, qui petunt, ut declaretur factum esse locum substitutioni favore Collegiatae s. Angeli, ita ut inibi erigendus sit canonicatus, nam pervulgatum in jure est, substitutioni locum fieri non posse, si institutus haereditatem adeat eamque non repudiet. *Grassi de Success.* §: *Substitutio quaest. 9. n. 1.* At Capitulares s. Xysti hereditatem a Carosellio ad erigendum canonicatum relictam jam adierunt in comitiis habitis die 2. Dec. anni praeterlapsi, quum omnia suffragia pro erectione canonicatus lata fuerunt. Quod si illi admittere noluerunt conditiones a testatore appositas, id factum est, quia putarunt eas tamquam juri communi et bono ecclesiae contrarias esse rejiciendas; ceterum ipsis inerat consilium etiam cum hisce conditionibus excipere novi canonicatus erectionem, quoties hoc quoque modo ad normam canonici juris processuros fore declararetur, uti melius animum suum pandiderunt in altero capitulari conventu peracto supradicta die 28. Februarii. Qua de re fingi nequit eos haereditatem pro canonicatus erectione designatam repudiasse quum repudiatio haereditatis juxta significationem legalem sit spernere, respuere, rejicere, non acceptare hereditatem jam delatam, *arg. leg. 10. et 18. de adquirenda haered. leg. 1.* §: *Decretalis ff. de success. edicto, Reiffenstuel. lib. 3. tit 26.* §: *16. n. 527.* et *Maschat. Institut. canonic. lib. 3. tit. 26.* §. *5. n. 72*, eo vel magis quod ipsemet testator voluit substitutioni locum esse.

At contra quoad conditiones a testatore Carosellio jussas in erectione novi canonicatus animadvertendum est, tum ex caesareo tum ex sacro jure nos doceri, ultimas decedentium voluntates adamussim esse servan-

das, ceu post *leg. 1. Cod. de sacr. eccl. canc. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2.* tradit s. Congregatio in *Tolentinaten Commut. volunt. 22. Aprilis 1846*, adeo ut liceat fundatoribus leges quascumque velint in limine institutionis apponere, easque etiam juri communi contrarias, dummodo nec turpes sint nec alias a jure improbatae nec beneficii substantiae adversentur.*) *Lambertin. de jurepatr. lib. 1. part. 1. art. 2. quaest. 9. n. 52, Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. n. 15* et *disc. 65. n. 4, Barbosa de offic. et potest. Episcopi lib. 1. art. 2. glos. 17. n. 28.* et s. Congr. in *Ripana Erectionis canonicatuum 30. Jan. 1830* §: *Longe.* Maxime siquidem juvat ut fideles ita allecti erogent proprias substantias in piis operibus uti monet *Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 32. n. 50.* Ex quibus deduci potest executores testamentarios in themate jure exposcere ut observentur conditiones a pio institutore requisitas eo vel magis quia non desunt exempla aliorum testatorum, qui a se institutos canonicatus a solutione mediae annatae exemptos voluerunt, etsi ipsimet nihil opponant adversus id, quod insuper Capitulares s. Xisti ajebant nempe novum Canonicum haud admittendum esse ad perceptionem emolumentorum, de quibus supra sermonem habuimus.

Sed et alterum ulterius petebant praefati exequutores piae voluntatis Caroselliі, ut nempe declararetur erectionem canonicatus devolutam esse Collegiatae s. Angeli. Et re quidem vera, quum testator voluerit, ut erectio canonicatus tam in Collegiata instituta quam in altera substituta acceptaretur eo modo, qui ab ipso praescriptus fuit, consequi videtur, quod, quum illa voluerit modum adimplere, uti professi sunt Capitulares in comitiis diei 2. Dec., haec vero paratam se ostendat ad ipsum implendum, ad hanc jus canonicatus erigendi sit devolutum. Nam inter conditionem et modum in haereditate aut legatis praescriptum magna convenientia apparet, sicut modus etiam conditionis appellatione denotetur in *leg. libertis omnibus 108., leg. Titio centum 71.* §: *Titio centum 1. ff. de condit. et demonstrat.* Atqui haereditas pro defecta habetur nec debetur quod relictum est, si ipsius honorati facto non impleatur conditio potestativa, *leg. si ea conditione 3. de condit. insertis, leg. 1. et 2. cod. de instit. et substit., leg. in testamento 31. ff. de condit. et demonstr.*; adeo ut si semel professus fuerit, se potestativam conditionem implere nolle, quia sit poenitentiae locus, relictum amittitur, *leg. ultima cod. de condit. insertis* et *leg. si ita fuerit. 13. ff. de manumissis testamento*; dicenda itaque et haec erunt de modo, qui non secus ac conditio ad implementum requirit, arg. in *Leg. testamento 27. ff. de condit. et demonstrat.*

Hisce expositis adprecamur EE. PP. ut habito respectu etiam ad ea, quae circa dominia utilia inter bona erigendi canonicatus recensita exponebat Emus Antistes Viterbiensis, qua pollent sapientia dirimant

Dubia:

I. *An et quomodo erigendus sit canonicatus in ecclesia collegiata s. Xisti in casu?*

Seu potius,

II. *An erectio canonicatus devoluta sit ad ecclesiam Collegiatam s. Angeli in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus ad formam testamenti.

Ab II: Provisum in primo.

Die 24. Apr. 1847.

*) Vd. *t. II. p. 353 etc.*

V. Non concessa ob redditus incertos.

Interamnen.

Postremis, quas die 13. Martii 1841 condiderat Interamnensis civis Carolus Guglielmi testamenti, tabulis haeredes sibi universales dixit »*i poveri orfani della città di Terni*« ad hoc ut hospitio ibidem intra decennium erigendo pie reciperentur. Quum autem ipse germanos fratres ac sorores haberet in statu religioso vitam agentes, voluit patrueles fratres Petrum et Xantem Giansanti munificentia sua cumulare. Hinc Petro ejusque filiis necnon uxori biscentum argenteos annuos donec vita fruerentur ab haeredi sibi conscripto persolvendos mandavit: Xanti vero sacerdotali charactere insignito canonicatum, qui hodiernae controversiae objectum constituit, in cathedrali ecclesia erigendum addixit, ratus fortasse hoc modo fratri suo dilectionis tesseram praebiturum et insimul redintegratum iri Interamnense capitulum de latifundio, vulgo *Palombara* seu *Monumento*, ad quod in vim fideicommissariae legis indictae jam tum ab anno 1696 a quodam Francisco Maria De-Monti Duranti

ipsius substitutionis jure ob lineas finitas vocabatur. Porro fundationis canonicatus legem indicebat.

Sed, forte morte praevento testatore die 24. Martii 1842, nullae conditiones ac pacta circa ipsum canonicatum scripta reperta sunt. Attamen testatoris piae voluntati capitulum obsequens seposito consilio jam inito de latifundio judicialiter vindicando jam suscepto adversus defuncti haereditatem, totum in eo fuit, ut canonicatus erectio quam citius expleretur, datis ad id literis testamentariis executoribus die 29. Aprilis 1842, qui sese paratos ad exequendam defuncti voluntatem responso et ipsi declararunt.

Pluribus mox implexa mansit canonicatus erectio; aegre siquidem vel maxime ferebant praesides domus orphanorum erigendae latifundium *Palombara*, quod in canonicatus dotem edendum cum capitulo convenerant die 6. Augusti 1842, e patrimonio Guglielmi avelli, hinc potius annua pensio capitulo persolvenda promittebatur, ut testatoris voluntas exequeretur. Renuit capitulum praesidum votis obsecundare, videns quanta inde juribus suis jactura obveniret; eodemque tempore ipsum cum Xante contendebat pro indemnitate Canonicis praestanda, si quandoque canonicatu erecto in ejusdem dotem latifundium *Palombara* adsignaretur, dum eo ipso juribus expoliabatur, quae propediem ex integro capitulo fas erat vindicare adversus Caroli haereditatem. Tunc ad ulteriores obtruncandas moras ac difficultates componendas consultius sibi duxit Xantes summum adprecari Pontificem, ut canonicatus erectio in beneficium chorale converteretur ea conditione, ut orphanotrophii moderatores latifundium *Palombara* capitulo cederent in solutum. Preces H. S. O. a Pontifice Opt. Max. remissae ablegatae de more fuere literis Interamnensi Praesuli, ut sacr. Congregationem de omni negocio redderet instructam deque requisitis ad beneficii erectionem necessariis necnon de universae haereditatis censu simulque suum dignaretur votum proferre.

Plenissime Antistes ille mandatis obsecutus, postquam in scriptis audivit orphanotrophii moderatores et Canonicos ipsos capitulariter congregatos et retulit de annuo patrimonii censu millena argentea excedente, putat, ut contentionum finis habeatur, si dos pro beneficii erectione adsignaretur.

Sed orphanotrophii erigendi moderatores testamento iunixi, in quo nihil praeter merum propositum canonicatum instituendi in futurum independenter ab ipsomet testamento et citra ullam obligationem haeredis instituti contineri arbitrantur, in contrariam abierunt sententiam. Hinc ob formalem ad acta emissam ab ipsis protestationem princeps controversia dirimenda s. Ordinis judicio proponitur super erectione canonicatus, ad quod respicit primum dubium coram me concinnatum. Xantes autem alterum disceptandum proposuit, ut quatenus erectio decernatur, definiant EE. PP. utrum et quomodo sit locus commutationi voluntatis.

Quoad primum, canonicatus erectionem urget adscitus a Xante defensor tum ex testatoris voluntate tum ex conditionibus a capituli voluntate pendentibus tum ex factorum adminiculis. Recolit testatorem satis suis verbis jussisse canonicatus erectionem eum in finem, ut Xantes eadem frueretur liberalitate, qua ejus frater Petrus fuit ab eodem donatus. Nec quidquam detrimenti piae causae obvenire ex dicta erectione, eo quod jure haud potuisset Carolus in suo testamento patrueles praeterire, qui ab intestato universam poterant vindicare haereditatem, cum germani fratres germanaeque sorores Caroli religionis voto essent obstrictae. Jam vero id persensisse Carolum patere ait ex eo quod pari liberalitate suos patrueles donatos voluit, cum pari passu quoad utrumque patruelem procedat dispositio.

Magisque ex ipsa finali causa pii nimirum operis erigendi justitiam intentionis suae adstruit: qua subsistente tralatitium esse monet, ut verba, licet dubia, testatorum, benigniorem recipiant interpretationem, maxime si ex testamenti contextu clarius hauriatur, qui fuerit finis et sensus dispositionis, *ad text. in leg. Licet Imperator 74. ff. de Legib.*, *Mantic. de conject. tit. 1. lib. 6. num. 8.*, *Card. de Luca Vot. 25. par. 2. num. 74.*, *Rota decis. 188. par. 19. num. 6. recent., sac. Congregat. in Ferrarien. 29. Novembr. 1778*, in *Lucana 30. Martii 1737* et concurrente favore piae causae, eliminato interpretandi rigore, praesumptiones quascumque deservire ad eam protuendam, utcumque de ea constet, *ad text. in cap.: Relatum de testament. in Authent. Quodsi cod. de testament.*, *Menoch. Consult. 167. num. 21.* et *Cons. 224. num. 66*, Tiraquell. *de privileg. piae causae par. 4. per tot.*, *Clar. in* §: *Te-*

stam. quaest. 7. num. 6., Gratian. discept. 605. num. 28., Rota decis. 240. num. 4., par. 2. Diversor.; et quomodolibet expressam, etiam per nutum, praeferri haeredibus legitimis, etiam ab intestato venientibus, si de iisdem in dispositione nulla mentio recurrat, *leg. quamdiu et leg. Nec is fin. ff. de acquir. possess. leg., ante quam Cod. comm. de success., Card. de Luca loc. cit., Rota decis. 150. num. 14. et seqq. par. 12. recent.*

Quin noceat, testatoris verba non in praesens, sed in futurum indigitare erectionem canonicatus esse faciendam et deficere folium, quo erectionis leges erant conscribendae: etenim si verba institutionis, prout sonant, considerentur, ait voluisse primum testatorem patrueli sacerdoti benefacere et insimul deinde conscientiae suae consulere. Sperabat quippe ita quaestionem, quae super latifundio Palombara ab Interamnensi capitulo agitabatur, facile compositam iri per institutionem causae piae. Quam compositionem summopere testatori cordi fuisse eamque per canonicatus institutionem in cathedrali ecclesia perfici concupivisse fide digni viri etiam testantur.

Conditiones autem licet non inveniantur expresse prout dixerat testator in verbo illo »*nuovo canonicato*«, eo quod nequeat mente concipi novus canonicatus, quin ad alios jam erectos sermo convertatur, idcirco canonicatum favore Xantis iisdem legibus et pactis esse erigendum, quibus existentes instituti fuere.

Conditiones nihil aliud praeseferre potuisse quam tacitationem quaestionis jam a capitulo Interamnensi promotae super latifundio *Palombara* fateri vel ipsos moderatores, dum super negotio ab Episcopo rogati reponunt se scire mentem a testatore oretenus panditam.

Instat quocirca piae voluntatis exequutionem quam facile eventuram iri confidit, si cathedrale capitulum conditionibus a praesidibus modo relatis assentiatur, nimirum si Canonici patiantur latifundium *Palombara* in ipsorum patrimonium reverti, si fructuum compensationi valedicant. Tali pacto rem optime componi posse suadet etiam Episcopus, referens et illud, quod praedecessores orphanotrophii praesides haud opposuerint.

Quoad alterum dubium, quo quaeritur, utrum liceat canonicatus erectionem in beneficium chorale commutare,*) observat tuto posse ad id apostolicum beneplacitum accedere, ex eo quod utrumque objectum, voluntas nimirum benefaciendi patrueli suo sacerdoti et liti finem cum capitulo cathedrali faciendi, etiam per beneficii choralis institutionem assequatur, ita ut defuncti voluntas adamusim impleta maneat. Capituli autem jura perpetuo conticescere, ubi dotem beneficialem super praedio *Palombara* consistere contingat. Nec Xantem solliçitum esse magis de assequendo *canonicatus* honore, quam *beneficiati nomine:* hoc unum sibi sat esse, ut ex testatoris munificentia suis consulatur necessitatibus.

Ceterum hujusmodi commutationi favere etiam unanime capituli suffragiumhaud levis momenti esse putat; maximumque negocium facessere ea ob quae movetur Episcopus.

Contra cum moderatorum orphanotrophii erigendi adsertore animadvertere est, intentionem Interamnensis capituli et sacerdotis Xantis Giansanti nullo modo subsistere posse cum Caroli consilium de canonicatu erigendo in testamento panditum indepens omnino sit ab ipso testamento et a qualibet instituti haeredis obligatione. Cautum in jure esse voluntatem in futurum collatam nec in dispositionem transire nec actus perfectionem importare, sed praeparationem tantummodo indigitare, quae nihil operatur *ad text. in leg. Quidam cum filium.* Ubi *Bald. num. 1. et. 2., Imolen. num. 2. ff. de haered. instituend. in §: Plane Institution. de milit. testam. et leg. 24. ff., Rota decis. 9. num. 10 coram Falconerio sub. tit. de Primogen., decis. 168. num. 2. coram Emerix. Jun., Romana Haereditat. 14. Januarii 1661 coram Verospio.* Multa autem mente concipi, quae postea ex voluntatis mutatione evanescunt, tradit *text. in leg. 4. ff. de adimend. legat., leg. cum hic status §. at oratio ff. de donat. int. vir. et uxor., Rota dec. 581. numer. 11. part. 10. tom. 3. recent. decis. 300. num. 13. ad 15. cor. Priolo.* Neque uti directum ad causam piam illud consilium suum posse sortiri effectum contendit, eo quod in themathe duae insimul piae causae in conflictu venirent, cum haeredis institutio piam quoque amplectetur, quae et ipsa privilegiata est. At privilegium alicui prodesse non posse contra alium qui eodem potitur privilegio adstruitur ex *leg. Verum. 11. §: 6.*

*) Vd. *t. II. p. 617. n. 63.*

advers. quos restitut. in integr. pet. poss., maxime si par haud sit utriusque privilegii causa. Favorabiliorem autem esse causam orphanotrophii, quo caret Interamnensis civitas, prae illo erigendi canonicatum in cathedrali ecclesia neminem latere, cum capitulum viginti quatuor constet individuis qui sane superabundant in explendis sacris ecclesiae muniis.

Pergit inde: et ut ab adversariis canonicatus institutio peti jure valeat, alterutrum ex hisce sibi probandum incumbere omnino contendit, nimirum vel ipsos cohaeredes esse vel in legatariorum numero recenseri. Atqui non primum, quia testator Guglielmi posuit haeredem orphanotrophium intra decennium Interamnae erigendum, non alterum quia ob deficientiam folii, quod Carolus per annum post obsignatas testamenti tabulas cum capitulo redigere poterat et neglexit voluntatis defectum, exurgit et evanescit quaelibet idea in futurum collata, ad *tradita per Vasq. de success. creat. lib. 8. §. 22. limit. 21. num. 6. §: Quin dicendum versus, secundus casus, Constant. Vot. dec. 415. num. 1. in fin.*

Urget, nullam fuisse testanti Carolo voluntatem de novo canonicatu erigendo legatum facere; siquidem dum legata in suo testamento instituit diverso sermone est usus. Dum domesticis legavit dixit »*Lascio a titulo di legato*«: nec aliter scripsit in aliis edendis legatis tum favore Philumenae Canale tum favore Petri Giamanti. Ast dum propositum de canonicatu erigendo significavit, ita scripsit: »*Siccome vado ad erigere.*« Hunc diversum dicendi modum manifeste ostendere testatorem haud voluntatem habuisse instituendi legatum in canonicatus fundatione, traditum cum sit diversitatem voluntatis desumi a diverso disponendi modo, *leg. unic. §: Sin autem cod. de caduc. tollend., Constant. Vot. decis. 410. num. 8., Rota decis. 89. num. 14. par. 4. tom. 3. decis. 620. num. 19. par. 18. tom. 2. Recent. decis. 116. num. 8. et decis. 295. n. 5. cor. Celso.*

Admisso quoque, Carolum legatum instituere voluisse in canonicatu erigendo, nihil exinde proficere posse adversarios subjungit cum compertum sit tum legata tum fideicommissa nuda tantum voluntate adimi posse *ad text. si quis 3. §. Non solum ff. de adim. vel transfer. legatis.* Jam vero saltem praesumptive tenendum testatorem ex non facto quod facere potuisset et forte, melius perpensa suae haereditatis conditione plurimo aere alieno gravata, adimendi legatum voluntatem demonstrasse. Praesumptam vero defuncti voluntatem assistere potius haeredi quam legatario vulgatum in foro esse ex *text. in leg. Si ita scriptum tit. 46. in fin. et leg. Si servus plurimor. 33. ff. §. fin. de leg. et fideicomm. secundo* cum concordantibus apud *Alciat. consult. 121. num. 10. lib. 9., Card. de Luca de legat. disc. 52. num. 16., Bald. in leg.: Cum alienam num. 9. cod. de legat., Jason et Imolen. in leg. Cum praeter §: Evictae ff. de legat. 2., Constant. vot. decis. 431. num. 17., Rota decis. 77. num. 41. par. 10. Recent.* In casu testatorem orphanotrophii erectionem praedilexisse magis quam canonicatus satis superque evincere verba erectionis orphanotrophii.

Hisce omnibus accedere epistolam Aloisii Briccialdi, quem ipse testator dicit »*sciente di tutti i miei interessi,*« ubi deprehendi datum est revera Carolum mutasse voluntatem de novo canonicatu erigendo adeoque haud amplius folium in quo conditiones erant inscribendae redegisse.

Adversus hunc testem licet unicum haud valere nonnullarum foeminarum attestationes, quae ideo favore capituli et Xantis deponunt, quia cum olim essent famulatui Caroli addictae nihil ex defuncti haereditate perceperunt. Foeminis istis accensendos esse alios ex adverso in medium adductos testes, utqote lite pendente expiscatos.

Summis haec attigisse labiis sufficiat. Ceterum fusius Emmi Patres accipiant disceptata utrinque jura in libellis circumferendis, ut dirimant

Dubia:

I. *An et quomodo sit locus erectioni canonicatus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus commutationi Caroli Guglielmi, ita ut canonicatus in beneficium chorale sit convertendus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative.

Die 20. Novb. 1851.

VI. Consensus Capituli.

Vd. infra n. VIII. (formula); p. 155 §: *Tandem;* p. 163: *Viterbien.*

Sabinen.

Legatis scutis quingentis pia mulier *Magdalena Philippi* anno 1618 novum erigi jussit canonicatum in ecclesia collegiata Collis Veteris. In bonis haeredem ex asse instituit dictam ecclesiam collegiatam.

Monumentum canonicae erectionis hujus canonicatus inter antiquitatis tenebras delitescit: convenit tamen eam fuisse peractam. Verum cum ob redditum tenuitatem conquestus fuerit Prothasius Constantini de onerum gravitate, sacra haec Congregatio *die 6. Augusti 1695* benigne commisit Visitatori Emi Episcopi Sabinen., ut *deleto servitio chori* onera missarum ad rationem manualis eleemosynae reduceret, firmo tamen remanente onere missae conventualis a se ipso vel ab alio per turnum celebrandae.

In novissima Suffraganei Episcopi visitatione de hujusmodi canonicatu provisus fuit clericus Antonius Cavelli cum omnibus oneribus in fundatione expressis. Nulla tunc fuit a capitulo data exceptio nullumque in restaurando canonicatu dissidium. Unica tamen quaestio orta est: an provisus participare deberet de legatis, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis, de quibus alii Canonici participes sunt. Haec quaestio est, quae nunc EE. VV. sapientissimo judicio definienda proponitur.

Inquit Canonicus Clavelli, se legitimum esse canonicatus Philippi possessorem: hunc a capitulo pure et libere sine ulla conditione vel restrictione acceptatum fuisse atque unum idemque capituli corpus indiscriminatim constituere. Sibi proinde cum aliis Capitularibus communem esse debere participationem omnium largitionum et legatorum capitulo factorum, nullo habito discrimine, an eadem legata sui canonicatus erectionem praecesserint vel subsecuta fuerint, *Rot. Recent. dec. 364. num. 9. par. 3.*

Onus idem sibi a fundatrice datum fuisse residentiae aliorumque, quae caeteri sustinent Canonici. Primum idcirco sui canonicatus possessorem aeque ac caeteros Canonicos de dictis emolumentis participasse. Haec propterea, tamquam merces meri laboris et servitii, deneganda sibi non esse, cum aequale subeat cum caeteris Canonicis onus ac servitium ex clara fundatricis voluntate, cui consentiens fuit subsecuta observantia.

Contra inquit capitulum, rem esse de ecclesia collegiata erecta cum certo Canonicorum numero, qui nonnisi apostolica auctoritate augeri poterat. Ob hujus idcirco defectum nonnisi mere honorarium censeri canonicatum Philippi, maxime quia ex peculiaribus bonis fundatoris erectus fuit est de jurepatronatus laicali, illius possessor nec vocem habet in capitulo nec arcam nec massam communem et demum numquam de antiquiorum Canonicorum emolumentis particeps fuit. Simplicem ideo receptionem hujus canonicatus a capitulo factam tantum jura honorifica ei dedisse, non vero jura verae et formalis canoniae*) *Monet. de distrib. quotid. par. 2. quaest. 1. num. 11., Barbos. de Canon. cap. 3. num. 15.*

Addit quamcumque novi canonicatus admissionem nullum jus tribuere ad emolumenta ac legata antea capitulo quaesita, *Gratian. discept. cap. 867. num. 39., Tondut. resolut. benefic. cap. 68. num. 13, Card. de Luc. de Canon. disc. 6. num. 13.* et *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1. tit. 14. num. 59.*

Quaerendum itaque tantum esse de legatis ac emolumentis capitulo ex post quaesitis. Verum recte posse capitulum novos Canonicos in erectione ab iis arcere; ex ipsa autem observantia, quae ignotae fundationi praesumitur conformis, aperte constare, Canonicos Philippi numquam de hisce legatis ac emolumentis factos fuisse participes nec ad eorumdem onera subeunda fuisse admissos. Nefas vero esse ab hac inveterata observantia recedere, quae vices fundationis supplet illiusque locum tenet, *L. si de interpretatione ff. de leg., Gratian. discept. for. cap. 867. num. 43.*

Eminentissimus Episcopus, post accuratissimum quaestionis examen, concludit: *Quare cum capitulum Collegiatae Terrae Collis Veteris admiserit Canonicum Philippi in suum gremium sine ulla praeservatione jurium et probetur, hunc Canonicum votum habuisse cum caeteris in capitulo, non video, quomodo eidem interessenti choro ad divina munia obeunda quotidianae distributiones negari possint.***)

Ambigi nequit, in erigendis novis canonicatibus requiri capituli consensum, *Felin.*

*) Vd. *p. 47.*
**) Cf.. *p. 151. Causa: Pisana.*

in cap.: Cum accessisset 15. de constit. et *cap. 18. num. 18. de praebend.*, alias enim erectio penitus nulla et irrita est, *cap. Sicut. 28. de elect.* Hinc sac. Congregatio in una *Aquinaten 20. Februarii 1677.* proposito dubio:

I. *An possit Episcopus erigere praeposituram secundam Dignitatem in dicta Collegiata?*

II. *An in eadem, in qua non est praefinitus numerus Canonicorum, possit erigere canonicatum?*

Respondit: Ad utrumque affirmative de consensu capituli, *lib. decret. 29. pag. 371.*

Et in una *Sabinen. Erectionis archidiaconatus*, num erectio facta sine consensu capituli sustineatur?

rescripsit die 14. Aprilis 1696: Negative et erectionem sine consensu capituli non sustineri, *lib. decretor. 46. pag. 162.* et in *Firmana Erectionis canonicatuum 13. Septembris 1734.*

Ubi autem capitulum contradicat et consensum deneget novae erectioni, id inquiritur, an justa vel injusta sit dissensio; si enim justa, invitum non obligatur capitulum ad admissionem socii, sed potius voluntatis fundatoris fit commutatio, ut in *Aretina Capellaniae seu canonicatus 29. Novembr. 1698. lib. 48. decret. pag. 507.* et in *Maceraten. Commutationis voluntatis 30. Augusti 1704.* Sin vero injustus fit dissensus, tunc capitulo etiam reluctante decernitur erectio, ut in *Caesenaten. Erectionis archipresbyteratus 6. Maji 1723.* et in *Firmana Erectionis canonicatus 12. Septemb. 1734.*

At capitulum novae consentiens canonicatus erectioni, si conditiones adjiciant justas hae plane sustinentur, et sacra Congregatio eas perpetuo approbavit: justam autem semper censuit conditionem, quod novus Canonicus nec activam nec passivam habeat vocem in negotiis ad interesse pertinentibus antiquorum dumtaxat Canonicorum, vel quod non participet de legatis, anniversariis bonis aliisque juribus jam in praeteritum ad capitulum spectantibus ut in *Aretina Erectionis canonicatus 5. Maji 1703*, in *Alatrina 8. Februarii 1727* et in *Tolentina Archipresbyteratus 1. Februarii 1766.*

Sin vero capitulum nullis adjectis conditionibus, sed pure et libere novi canonicatus erectioni assensum praebuit, non eadem est canonistarum opinio de quaestione, num novus Canonicus ad omnia emolumenta et legata capitulo relicta indistincte sit admittendus. Negant aliqui ob legalem juris praesumptionem, quod admissio ab antiquis Canonicis facta censeatur sine ulla proprii juris diminutione ac detrimento, ideoque magis aequitati congruum, ut novus Canonicus ea non lucretur quam ut antiqui Canonici ea perdant, *Tondut. quaest. benefic. cap. 68. numer. 13, Rot. coram Dunocet. junior. decis. 563. numer. 11.* Praesertim si res sit de novis Canonicis, qui propriam praebendam distinctosque fructus habeant, *Card. de Luc. de Canonic. disc. 6. num. 13,* et *Piton. alleg. 64. de controv. patronat. num. 5.*

Advertunt alii novos Canonicos duplicis speciei induci posse, alteram esse illorum, qui vocantur Canonici supranumerarii omnino discreti ab antiquis quique non sunt vere Canonici, sed sola fruuntur honorifica denominatione, hos vero sentiunt non participare de massa distributionum aliisque quae percipiuntur per Canonicos numerarios nec per illorum admissionem augeri antiquum numerum et semper solum integrumque manere jus Canonicorum, qui sunt numerarii, *Rot. in Senogallien. Successionis 30. Junii 1738. cor. Nunez.*, in *Verzellen. Functionum 14. Junii 1738. cor. de Vais* et *s. Congregatio in Urbinaten. Participationis 16. et 30. Januarii 1762.*

Speciem vero alteram illorum esse, qui vere et proprie aggregantur ad capitulum et de ejus corpore fiunt cum omnibus privilegiis et honoribus, per quorum admissionem antiquus numerus augeretur, et de his censet, ipsos nihil differe ab antiquis, ita ut tam novi quam antiqui in omnibus habeantur uniformes active et passive tam in oneribus quam in honoribus singulisque semper aequalis debeatur omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum erectione cautum expresse fuerit, *Card. de Luca de Canon. disc. 37. n. 2, Panimoll. dec. 98. annotat. 1. n. 6.*

Demum alii distinguunt legata et emolumenta, quae ante erectionem novi canonicatus jam capituli erant ex veteribus et novis fundationibus, a caeteris, quae post illius erectionem accesserunt. Excludunt autem novum Canonicum ab illorum participatione, ne deterior antiquorum Canonicorum conditio fiat neve detrimentum his inferatur, admittunt vero ad emolumenta

post erectionem obvenientia quia cum capitulo relictum est aeque inter omnes dividi debeat, *Castren. cons. 170. tom. 1. §: Super secundo*, *Card. de Luc. de Canon. discurs. 6. n. 12.* et *Piton. de controv. patronor. alleg. 65. n. 27*, *Scarfanton. elucubr. canonic. lib. 1. tit. 14. n. 60.*

Sacra Congregatio in una *Narnien. Servitii et punctaturarum 14. Aprilis 1714*, in quo quaestio erat de novis Canonicis pure capitulo aggregatis ac contendentibus aequalem cum antiquis emolumentorum participationem proposito dubio:

An Canonici secundae erectionis debeant admitti ad participationem omnium emolumentorum extra massam consistentium, sive in elcemosinis communitatis, societatum rosarii et sanctissimi Sacramenti pro missis cantatis et procesionibus, sive in relictis benefactorum favore capituli seu pro funeribus, anniversariis et missis cantatis etiam de requie ex pietate fidelium provenientium?

Respondit: *Negative, quoad provenientia ex dispositionibus relictis capitulo ante erectionem canonicatuum recentiorum; et affirmative quoad relicta capitulo post dictam erectionem et quoad emolumenta manualia eidem capitulo in dies largienda.*

Item in una *Nullius seu Terrae Pontiani Praecedentiae et distributionum 26. Martii 1735*, in qua Canonici pure et libere noviter admissi petierant participationem legatorum ac emolumentorum, quae ante novam canonicatuum erectionem Canonicis antiquis relicta fuerant, proposito dubio:

An et cui debeantur distributiones et emolumenta, de quibus agitur?

Respondit:

Distributiones et emolumenta provenientia ab exercitio curae animarum et a legatis relictis ante erectionem novorum Canonicorum deberi Canonicis antiquis.

Verum regula omnis penitus conticescit, quando vel expresse vel ex conjecturis aliud ex mente testatoris colligi possit, *leg. Pater filium 38. §. 6. ff. de legat. 3.* et *leg. civilibus 2. ff. de reb. dub.* Sane si novi canonicatus fundator voluerit suum Canonicum admitti ad participationem omnium emolumentorum capitulo relictorum, idque vel expressis vel ex conjecturis et argumentis conjiciatur, admissio pure a capitulo facta non aliter interpretanda foret, nec a fundatoris voluntate esset recedendum a qua capitulum clare non recessit. Potissima hinc inspectio est, an Magdalena fundatrix vel expresse vel tacite voluerit suum Canonicum ad emolumenta omnia ad instar antiquiorum Canonicorum admitti.

Fundatrix distinctam dotem assignavit erigendo canonicatui. Haec eadem item instituit ecclesiam collegiatam, non quidem jubens, ut novus erigendus Canonicus de omnibus capituli emolumentis particeps esset, sed tantum, ut is ex fructibus suae haereditatis aequalem cum caeteris Canonicis portionem haberet. Perpendendum hinc, an ex hac expressa aequali participatione fructuum excludatur animus aequaliter eumdem admittendi ad participationem aliorum emolumentorum et legatorum capitulo antea quaesitorum.

Ponderandum maxime est decretum sacrae Congregationis *6. Augusti 1695*, quo instante Prothasio Constantini ejusdem canonicatus possessore pro reductione missarum et exemptione a chori servitio *benigne commisit Visitatori eminentissimi Episcopi Sabinen., ut veris existitentibus narratis et vocatis, si qui fuerint vocandi, deleto servitio chori praefatum onus missarum juxta proportionatam extantium reddituum quantitatem ad rationem eleemosynae manualis inspecto regionis more pro suo arbitrio et conscientia gratis moderetur atque reducat. Ita tamen ut orator cum praefato redditu missam conventualem per se ipsum vel per alium celebrare teneatur, et si quando augeatur redditus augeri quoque debeat numerus ipse missarum, quod in actu praesertim visitationis incipere curae esse debebit Ordinario pro tempore.*

Emmi PP. cuncta, ut solent, maturo judicio perpendent ac definire dignentur:

An possessor canonicatus nuncupati Philippi participare valeat de legatis, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis, de quibus participant alii Canonici in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, dummodo resideat et in omnibus ad formam aliorum Canonicorum et conferat tertiam partem pro distributionibus.

Die 28. Apr. et 12. Maji 1770.

Bobien.

Sine Capitularium consensu novos erigi non posse canonicatus docet s. Congregatio *in Hortana Erectionis canonicatuum 26. Martii 1768.* §: *Ad incrementum*, in *Sabinen. Erectionis archidiaconatus 14. Aprilis 1770.* §: *Ambigi* et in *Ripana Erectionis canonicatuum 30. Januarii.* §: *Nec quidquam.*

Die 14. Maji 1837.

Canonicatum erigere Episcopus non potest sine consensu capituli. Sacra Congreg. Concil. *Clodien. 5. Julii 1608*, in *Nazarien. 20. Septembr. 1692.* et in *Sabinen. 14. April. 1696.* Si tamen Canonici irrationabiliter renuant praestare consensum erectioni novi canonicatus, Superior supplet. Sac. Cong. Conc. *in Sabinen. 2. Julii 1696.* Et etiam suppleri petebatur in alia *Almerina 2. Julii 1695*, in qua Episcopus cupiens in executionem legati testatoris duos Canonicos erigere de novo, capitulum assensum praebere renuit ob deficientiam reddituum et ideo fuit rescriptum: *Firmetur status haereditatis*, ut dignosci posset, an capitulum rationabiliter se opponeret necne.

VII. Ab Episcopo.

Vd. supra n. V. VI.

Quamvis Episcopus sine Pontificis permissione non possit cathedrales vel collegiatas ecclesias instituere, uti sentiunt *Garz. de benef. p. 12. c. 5*, *Barbos. de Canon. et Dign. cap. 2*, *Frances. de eccles. cathedr. c. 3. per tot.*, tamen servata ss. canonum consueta forma absque ulla licentia libere potest novum canonicatum erigere, reservato sibi, uti fieri solet, jurepatronatus. *Innocentius in cap.: Cum accessissent de const.*, *Caputaq. decis. 221.*, *Bal. in cap.: Cum M. de const.* Et uti propter fructuum diminutionem potest veteres canonicatus extinguere, *Lotter de re benef. lib. 1. q. 14.* et s. Congr. apud *Pyrr. Corr. in prax. benef. lib. 2. cap. 3. a num. 61*, ita etiam potest vacantem canonicatum propter fructuum redundantiam dividere. *Zerol. in prax. Episc.* verb.: *Beneficium par. 1. vers.: Ad Dignitates assequendas*, circa fin.

VIII. Formula.

Vd. *Canonicatus* (collatio ab Episcopo — formula p. 85. III. —)

Testatorum pias voluntates, ut exequantur, libenter intendimus. Sane sicut accepimus NN. in humanis agens in ultimo cum quo decessit testamento inter alia per eum disposita voluit et mandavit, quod ex suis bonis unum canonicatum cum praebenda in ecclesia cathedrali N. erigeretur et instituretur dictusque canonicatus pro prima vice per dilectum Nobis in Christo N. d. testatoris executorem testamentarium pro futuris vero vicibus per N. nominaretur prout in dicto testamento plenius continetur. Volens propterea idem N. executor praemissa executioni demandari facere Nobis humiliter supplicavit, quatenus auctoritatem nostram ordinariam interponere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati in dicta ecclesia cathedrali N. unum canonicatum unamque praebendam praeter illos, qui ad praesens existunt pro uno presbytero, de clero saeculari, qui ad instar veterum dictae ecclesiae N. Canonicorum locum et stallum in choro ac vocem in capitulo habeat necnon in ea in processionibus ac missarum et aliorum divinorum officiorum celebrationibus caeterisque universis actibus publicis et privatis aliis dictae Cathedralis Canonicis se conformari ac in eam personaliter residere eique in Divinis deservire debeat et teneatur auctoritate nostra ordinaria habito consensu nostri capituli ac alias omni meliori modo quo possumus cum honoribus et oneribus universis perpetuo erigimus et instituimus illique sic erecto et instituto pro ejus dote et praebenda et onerum supportatione bona stabilia fructifera haereditaria d. N. et per d. N. executorem testamentarium assignata in territorio N. vocabulo N. valoris . . . ut constat in actis nostrae curiae tradimus, applicamus et appropriamus ita quod liceat canonicatum obtinenti per se vel per alium nomine dicti canonicatus et praebendae propria auctoritate corporalem, realem et actualem possessionem bonorum hujusmodi cum omnibus juribus et pertinentiis suis libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere illorumque fructus, reditus et proventus, jura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, erigere, levare locare, dislocare ac in suum usum convertere et utilitatem, cujusvis licentia desuper minime requisita.

In quorum etc.

N. Episcopus N.

Lectum, latum et publicatum fuit supradictum decretum erectionis canonicatus die . . . in aula . . . praesentibus NN. testibus.

N. Cancellarius episcopalis.

(Correspond. de Rome 4. Julii 1851. n. 69 p. 300.)

IX. Ex mansionaria.

Vd. t. 1. p. 283. V. a. *Ariminen.*

X. Mutatio non concessa.

Vd. *Canonicatus.* (erectio non concessa, decr.: *Interamnen.* p. 166.)

9. Fructus.

Vd. *t. II. p. 557. n. 52. etc.*

I. Anni primi vacantis cui debentur?

Senen.

Constitutiones quibus regitur metropolitanum Senense capitulum quaequae ab initio nil aliud erant, nisi immemorabiles consuetudines a s. m. Gregorio IX. confirmatae, ex mandato s. m. Pii II., quo cive gloriatur Senensis civitas, per Episcopum Antonium Piccolomini et Agabitum de Cinciis anno 1459. in scripturam redactae fuerunt et ab eodem Pontifice per literas in forma brevis eodem anno datas approbatae hisce verbis: Nos de praemissis omnibus et singulis plenam et veram notitiam habentes et constitutiones et ordinationes hujusmodi ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae fuissent pro expressis habere volentes omnes et singulas constitutiones et ordinationes praefatas per Antonium Episcopum et Agabitum praedictos confectas . . . apostolica auctoritate ex certa scientia tenore praesentium approbamus et confirmamus. Iisdem anno 1660. confirmationem accessisse asseritur s. m. Alexandri VII. qui ab eadem civitate originem duxit.

Jamvero inter quinquaginta sex ordinationes seu rubricas, quibus constitutiones illae coalescunt, adest sub numero 43. peculiaris dispositio, ut sequitur: Item cum valde sint exigua imo quasi nulla Senensis capituli bona communia in tantum quod ex eis nullatenus onera, quae necessaria quandoque capitulo incumbunt, valeant per ipsum capitulum sustineri, nisi aliquo modo procuraret subventionem, statuerunt perpetuo observandum, quod quandocumque aliqua praebenda in Senensi ecclesia vacaverit morte alicujus Canonici seu aliquo quovis modo vel etiam si contingat aliquam praebendam superius extingui vel annullari vel alteri praebendae uniri seu etiam unitae (ut praemittitur) et quandocumque aliter vacantis vel forte vacaturae omnes et singuli fructus et proventus seu redditus bonorum et rerum ipsius unius primi anni integraliter et sine remissione spectent pleno jure ad capitulum in communi, omni in contrarium exceptione remota, pro praedictis incumbentibus oneribus supportandis.

Qui modo metropolitanae ecclesiae capitulum constituunt, hanc dispositionem, de cujus desuetudine initio non constat, ad observantiam revocare cupientes, suarum rationum momenta Archiepiscopo deduxerunt; cum tamen hic ad plures difficultates offenderet tam suas quam capituli animadversiones huic s. Ordini transmittens vestro sapientissimo judicio rem definiendam detulit.

Exponit Archiepiscopus dubitandi ansam, ne licita sit hujusmodi constitutionum ordinatio, sibi subortam fuisse ex *cap. 14. sess. 24. de ref.* necnon ex celebratis constitutionibus Pii V: *Durum nimis anno 1570.**) et Innocentii XII: *Ecclesiae catholicae, anni 1695.* Referre suppetat, quae sancit Pius V., qui revocavit omnia et quaecumque privilegia, consuetudines et statuta quarumcumque ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum ac majorum necnon collegiatarum etiam juramento, confirmatione apostolica aut quovis alio praesidio munita ac etiam supra hominum memoriam et longissimo et quantocumque tempore etiam continuo observata sive pro solvendis ecclesiarum vel praelatorum debitis sive pro supportandis illorum oneribus sive aliis etiam majoribus, maximis et urgentissimis causis concessa et approbata ac etiam multiplicibus vicibus innovata, extensa et moderata, quod vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis et officiis fructus ac etiam quotidianae distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri mensae episcopali seu capitulari alioque loco integre vel partim remaneant seu applicentur aut in communes usus cedant seu inter alios Canonicos et personas ecclesiae seu capituli dividantur.« Innocentius XII. nihil aliud egit nisi Pianam con-

*) Vd. *t. II. p. 426.*

stitutionem renovare et fortioribus vinculis communire.

Post haec prosequitur Archiepiscopus, quod quamvis capituli Senensis constitutiones a Gregorio IX. et Pio II. fuerint approbatae, cum tamen Piana constitutio sit multo posterior, eaedem quoad rubricam, de qua agitur, ex hac abrogatae fuisse videntur.

Contra ea quae ab Archiepiscopo animadvertuntur Metropolitanae Senensis Canonici in jurium suorum tutamen multa congerunt: et primo in genere statuunt: Senensis capituli constitutiones, utpote apostolica auctoritate confirmatas et quidem non in forma communi sed in forma speciali, ob adhibitas clausulas: *ex certa scientia,* et: *plena ac vera notitia* ad tradita per *Ferrar: Privilegium artic. 2. numer. 5* non censeri revocatas per contrarias Pontificum dispositiones, nisi de iis fuerit expresse mentio instituta. *Ferrar. l. c. artic. 3. numer. 48;* id autem eo certius habendum in casu, quia per subsequentem Alexandri VII. confirmationem nedum roboratae, sed et revalidatae fuerunt, si forte eatenus in usu non perstitissent. *Ferr. l. c. art. 4. num. 5.* Quae valent etiam, ut eliminetur praesumptio, quod Alexander VII. abusum noluerit redintegrare; id enim debuisset exprimere, si voluisset. In specie autem et ipsam rubricam exinde confirmatam esse arguunt ex notissimo principio, quod in universali comprehendatur particulare.

Eo vero suas vires impense intendunt, ut demonstrent, per constitutionem Innocentianam, quae illam Alexandri VII. triginta annis insecuta est, nullum causae suae detrimentum inferri. Ut enim omittatur, quod ad evertendam Alexandri VII. constitutionem specialis mentio fuisset necessaria, illud occurrit, quod in dispositione Tridentina, ad quam Pius V. et Innocentius XII. sese retulerunt, mandatur Episcopis ut exceptis illis constitutionibus, quas ut laudabiles probaverint, caeteras ut pravas et scandalosas rejiciant et aboleant. Jam vero Canonici exinde eruunt, hujus legis censurae obnoxias esse constitutiones privata auctoritate factas et aeque eas, quae pravae ac scandalosae reperiantur: at duo haec in themate procul omnino sunt, cum plurium Pontificum auctoritatem statuta jactent, et pravitatis ac scandali incusari nequeant, quin injuria illis Pontificibus inferatur. Id autem confirmatur ex eo, quod circa ejusdem Innocentianae finem Sedis apostolicae judicio reservantur quaecumque dispositiones super hac materia in electione seu postulatione ineuntur.

Et quamvis Concilium ac summi Pontifices abrogatione plectant constitutiones etiam apostolica auctoritate confirmatas, nihilominus, cum Episcopi debeant de earum obreptione aut subreptione cognitionem praemittere sibi suadent applicationem legis non habere locum in casu, quoniam obreptio ac subreptio in apostolicis concessionibus sub forma speciali et certa scientia concipi plane non potest.

Neque merito ab Archiepiscopo opponi tuentur privilegii effectum cessasse, quasi cessarit, nempe praebendarum tenuitas. Nam quando Alexander VII. capitularia statuta confirmabat, non solum irritas declarabat onerosas aliquas conditiones haereditati Salimbeni appositas, quam adibat capitulum, sed etiam per summam munificentiam bonis ad prioratum s. Mariae del Morello in Bononiensi provincia pertinentibus capitulum donabat. Et quamvis hisce accessionibus Canonicorum conditio paulo melior evaderet, tamen praedictam confirmationem amplissime Pontifex largiebatur.

Nec redditus canonicatuum, qui ad scuta 140 quotannis ascendunt, pingues dici queunt in ea civitate, ubi ad decentem vitae cultum tot exiguuntur impendia, hac praesertim aetate, qua communes necessitates multo grandiores ac antiquis temporibus effectae sunt.

Huc accedit, quod mensa capitularis multa et ingentia onera perferre debeat maxime ob beneficia, quorum jurepatronatus gaudet, quaeque plurima esse exhibita notula ostendit. Quare hisce oneribus inspectis privilegium, quo de agitur, sibi titulo oneroso competere arbitrantur, adeoque tale esse, cui neque ab eo, qui illud concessit, possit derogari. *Fag. in cap.: Relatum n. 24., Ferraris l. c. tit. 3. num. 46.*

Praeterea constitutiones capituli Senensis ex motu proprio Pontificis prodierunt, adeoque ab inferiore potestate praescriptionem pati non possunt. *Fagn. c.: Quoniam n. 9.* Eo vel magis quod diserte Pius II. in suo brevi: *Irritum et inane* declaravit, si sciens a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Tan-

dem immerito quaeritur Archiepiscopus collationis jus laesum iri: quominus enim hoc plenissime exerceat, impedimentum parare nequit, si controversa solutione in usum revocata Canonicus fructus primi anni non percipiat.

Post ea quae ab Archiepiscopo et Capitularibus hinc inde deducta fuerunt non alienum fore existimo, si quae in jure seu per hujusmodi controversia traduntur breviter persequenda curavero. Cum Concilii Tridentini mens et summorum Pontificum Pii V. et Innocentii XII. declaratio ea fuerit, ut omnem simoniae notam in beneficiorum ingressu eliminarent et nihilominus aliquid recipi permiserint, dummodo in usus pios converteretur, hinc certissima recepta ubique fuit regula, ut consuetudines ac statuta ante Concilium Tridentinum condita aut etiam post, accedente tamen apostolica indulgentia, utique substinerentur, si quid solvatur in causam piam vertendum, minime vero si in privatam singulorum Canonicorum cederet. Itaque *Bened. XIV. de syn. dioec. l. XI. c. 6. n. 8.* de memoratis sanctionibus edisserens ait: »tunc locum habent cum hujusmodi solutiones non in ecclesiae utilitatem, nec in aliud opus pium erogantur, sed in Canonicos dividuntur.« Consonat *Piton. disc. eccl. 57. t. 3. n. 8. 66. 67. 69,* cujus doctrinam confirmat *Rota in Hidesimen. 19. Januar. 1703. §. 5. coram Kaunitz.* per eumdem transcripta.

Eamdem normam secutus est amplissimus hic ordo; siquidem hujusmodi consuetudinem probavit praesertim in *Leodien. Fructuum Canonicat. 9. Julii 1777.* et in *Segobien. 11. Julii 1590*, quia fructus beneficiato solvendi fabricae ecclesiae applicabantur.

E contra reprobavit in *Trojana 29. Nov. 1695.* rescribens: S. C. censuit consuetudinem introductam vigore asserti privilegii Leonis X. in exclusionem Canonicorum noviter receptorum a perceptione fructuum portionum praebendalium esse illicitam et in casu exposito non esse observandam;« *in Leodien. 30. Septembr. 1730*, ubi multiplices hac super re S. C. resolutiones exscribuntur, ac tandem in *Tricarien. 12. Sept. 1801.* postquam consultissimum R. P. D. secretarii votum excepit, in quo late et erudite hujusmodi articulus expenditur, quodque prostat in thesauro resolut. *tom. 67. p. 227.*

Dum vero permittitur aliquid in piam causam persolvendum, Concilium (sic *Piton. l. c. n. 43. in fin.)* non intellexit usum pium etiam large, sed sricte, nempe de eo, quod erogatur vel in seminarii subsidium vel in pauperum eleemosynam vel in ecclesiae fabricam et sacristiam. Hinc sub nomine usus pii excluditur, quidquid solvitur in mercedem capellanorum et puerorum, qui in choro ministrant, *Garz. de ben. p. 8. c. 5. num. 91*, item quod solvitur pro notariis, cursoribus, campanariis, ut in allata *Segobien. 11. Julii 1590*; item quod solvitur agenti vel syndico capituli, dummodo non sit onus praebendae inhaerens, *Piton. l. c. n. 40.* Et hoc sane plenissime congruit iis, quae statuit Piana constitutio, dum improbat statuta et consuetudines aliquid pensitandi etiam »pro solvendis ecclesiarum vel praelatorum debitis sive pro supportandis illorum oneribus sive pro aliis majoribus maximis et urgentissimis causis.«

Quod autem de statutorum approbatione a Pio II. non in forma communi sed in forma speciali impertita Canonici expendunt videant EE. VV., num quoad controversam rubricam locum habere possit, cum non heic ageretur de privilegio per singulare rescriptum concesso, sed tantum comprehenso in constitutionibus, quae generatim approbatae fuerunt: atque insuper num ob eas clausulas privilegium ipsum revocatum existimandum sit, quas inseruit Pius V. in cit. const. §: non obstantibus, necnon Innocentius XII. in sua const. §. 11, ibi: Quibus omnibus et singulis etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio . . . ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter ac expresse derogamus ac plenissime ac amplissime derogatum esse volumus caeterisque contrariis quibuscumque.

Ad consuetudinem vero quod pertinet, referam verba *Card. Petra tom. IV. const. V. Joan. XXII. n. 28.*, qui de annalibus ita edisserit: Non est tamen praetereundum quod hujusmodi consuetudines et privilegia annalium abrogari solent ex non usu per decennium, ut innixa regulae generali, quod quae consistunt in faciendo, videlicet in exigendo dimidias annatas, per non decennalem usum amittuntur, *L. 1. ff. de nundinis* firmat

Rota in decis. 139. num. 10. et 11. p. 2. divers. De usu tamen satis constare dicitur ex quasi possessione exigendi dimidias annatas alicujus ex beneficiis in privilegio comprehensis.

Tandem ubi EE. VV. judicium Capitularibus propitium proferre existimaverint, controversa facultas ad dimidium fructuum annuorum coercenda videretur, ex apertissima Pianae constitutionis sanctione §. *4*, ibi: »Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus ac distributiones fabricae vel sacristiae aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.« Congruit praxis s. Ordinis, ut in citata *Leodien. 30. Sept. 1730.* §: *Consentanee.*

Hisce praelibatis EE. VV. non dedignentur dirimere

Dubium:

An et quomodo liceat capitulo metropolitanae ecclesiae Senensis ad observantiam revocare rubricam quadragesimam tertiam constitutionum in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 24. Jan. 1846.

II. In distributiones et in qua summa suntne vertendi?

Vd. t. II. p. 994. XIV; p. 1004. i. I; p. 999. XVI. — XVIII; p. 1037. b.

Ariminen.

Parochialem ecclesiam s. Luciae oppidi Sabiniani Ariminen. dioec. in universali rerum ecclesiasticarum clade ineunte hoc saeculo collegii dignitate bonisque spoliatam pristino tandem decori restituit s. m. Leo XII. anno 1828 pinguiori praebenda publico aerario solvenda tribus Canonicis Amatinis (a Fabritio Amati piissimo ac liberalissimo collegii fundatore ita nuncupatis) et totidem mansionariis assignata nonnullis adjectis praeter suetum chorale pensum oneribus in animarum curae levamen. Factum hinc est ut praedicti Amatini Canonici e re sua duxerint partem quotam distributionum quotidianarum ad scutata annua viginti evehere, quae admussim tertiam conflabant partem novae praebendae canonicalis in scutatis sexaginta cuique Canonico constitutae. Nemine ex Capitularibus contradicente statutum reapse id fuit canonicalibus comitiis habitis die 15. Julii 1829 episcopalique sanctione firmatum. Huic distributionum legi putabat capitulum obnoxium perpetuo fore possessorem pro tempore canonicatus, qui fundatus anno 1735 a quodam Petro Francisco Perticari, qui tamen nescimus utrum capitulari legi nunquam paruerit; successor Julius Perticari qui modo eo fruitur canonicatu de jurepatronatus suae familiae, quum iisdem bonis adhuc perfruatur quae in primaeva fundatione praebendae suae canonicali assignata fuere ac in citata bulla pro redditu annuo scutatorum quinquaginta, prout et caeteris Canonicis Amatinis, computata reperiuntur, censuit maxime locum fieri posse distributionum augmento quoad suam praebendam nec aliud amplius sibi pendendum praeter scutatorum 16. 66. 6. summam.

In hoc sententiarum conflictu Archipresbyter et Canonici ad S. H. O. confugiunt supplici postulantes libello ut definiatur contributio a Perticari facienda pro distributionibus. Huic tria alia enodanda subnectunt dubia inter ipsum capitulum et Perticarium exorta.

Ariminensem Antistitem super omnibus audiendum de more censui. Is documenta ad rem facientia partiumque deductiones mihi dedit necnon votum suum undequaque oratoribus propitium ex rationibus inferius recensendis pandit.

Hinc prima quae se offert cribanda quaestio in eo est, ut definiatur utrum a Canonico Perticari distributiones quotidianae in scutatis viginti annuis pendendae sint necne. Jam vero si vel juris dispositio spectetur, si erectionis Collegiatae bullae, si statutum capitulare, si denique fundatoris canonicatus expressa voluntas, parem ceteris Canonicis distributionum assignationem ferre debere Canonicum Perticari rem luculentissimam esse contendunt Archipresbyter ac Canonici. Mandat siquidem sacrosancta Tridentina synodus *sess. 31. c. 3. de reform.* ut in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis tertiam partem fructuum et quoruncumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum . . . separari (debeant) et in distributiones quotidianas converti

non obstantibus exemptionibus etc. Quam doctrinam post Bened. XIV. *instit. eccl. 107. n. 41.*, *Barbosam Jur. eccl. univ. lib. 3. c. 18. 14.* et *Monet. de distrib. par. 1. quaest. 5. n. 25.* constanter sequuta est s. Congregatio in *Civitatis Castellanae Punctaturarum 16. Maji 1795*, in *Narnien. Divisionis 29. Nov. 1817* §: *Insuper* et in *Brundusina seu Ostunen. Servitii chori 26. Junii 1824.*

Hanc insuper legem ad unguem servatam voluit Pontifex Benedictus XIV. praefatam ecclesiam collegiatam instituens; siquidem constituta singulis Canonicis praebenda in scutatis quinquaginta tertiam perpetuo ejusdem praebendae partem secerni mandat in usum distributionum quotidianarum scilicet »fructus (sunt verba bullae) pro rata sexdecim scutatorum et juliorum sex . . . . cum duobus tertiis alterius julii.« Nec alio pariter sensu loquuntur constitutiones capitulares in ipsa prima erectione exaratae juxta citatae bullae praescriptum; disertis namque verbis *in cap. 13. tit. de praebend. et dignit.* statuitur quod praebenda quum scutatorum quinquaginta proventum non excedat, tertia parte detracta, cuilibet Canonico tot census tribuantur, ut unusquisque scutatorum triginta trium et totidem obulorum cum dimidio fructuum percipere possit . . . Ex dictis superius colligitur distributiones constitutas esse in quantitate scutorum sexdecim, juliorum sex et totidem obulorum cum dimidio, quae distributionum divisio extenditur ad canonicatus omnes hucusque erectos.

Atqui res facti est subjungunt Canonici Perticarium longe minus tertia parte ex sua praebenda conferre, dum coercere studet distributiones ad antiquam taxam scutator. 16. 66. 6.; siquidem pingui fruitur ipse praebenda ab eodem fundatore constituta et illa utpote perfrugiferae indolis scutata plusquam octoginta quotannis ipsis Canonicis asserentibus reddit. Quod ergo ex jure ac Pontificis auctoritate sancitum est, vim suam plenissime exercere oportet et est ab omnibus indiscriminatim servandum. Indubium idcirco esse concludunt quod Perticarius etiam teneatur ad eandem fructuum intributionem pro distributionibus quotidianis quam caeteri Canonici solvere capitulari lege sese devinxerunt.

Nec aliquod facessit negotium, ut ipsi adjiciunt, quo in erectionis bulla statuta jam fuerit distributionum quota pars, adeo ut, assignatione semel peracta, impermissum cuivis sit eam immutare. Primo namque animadvertendum occurrit eam assignationem demonstrative, non vero taxative accipiendam esse, scilicet quatenus praebendae scutata quinquaginta haud excederent, secus vero ubi ipsae incrementum obtinuissent, hoc enim in casu distributiones etiam adhibita tertii proportione augendae forent: de quo sane dubitationem omnem submovet initium *cit. cap. 13.* constitutionum capitularium, quae ipsius bullae veluti commentum efformant; illud sic se habet: »Igitur praebenda, quum scut. quinquaginta proventum non excedat, tertia parte detracta, cuilibet Canonico etc. Haec sane verba plusquam fando dici posset quemque suadere putant Canonici vehementem legis rationem urgere in themate, ut auctis praebendis distributiones etiam augeantur.«

Praeterea et illud notatu dignum ducunt Canonici, rem nempe esse in themate de nova dispositione, quae meliorem servitii choralis disciplinam divinumque cultum apprime tuetur; etenim distributiones quotidianae introductae sunt favore cultus divini, ut is in ecclesiis augeatur, *ex cap. unic. de cleric. non resid. lib. 6.* et *Monet. de distrib. quotid. part. 1. quaest. 5. n. 35*, *Barbos. ad conc. Trid. sess. 21. cap. 3. de ref. n. 3.* et quo gravior est poena eo minor ac difficilior evadit choro inservientium negligentia, prout quotidiana docet experientia. Proinde etsi parumper daretur taxative ab initio statutas fuisse distributiones, attamen ob immutatum rerum statum casum adamussim advenisse autumant, quo fas capitulo erat amplissimis uti facultatibus, queis ipsum Pontifex summus in fundationis literis praeditum esse voluit, ut scilicet »facere libere ac licite possent . . . . . quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta licita tamen et honesta, iisdem s. canonibus et constitutionibus apostolicis decretisque praesentibus non adversantia . . . . . ac quoties opus fuerit, illa in melius reformare, alterare, immutare seu alia de novo ex integro condere.« Quae quum adeo re vera lata pateant, prohibent procul dubio quominus de cujusvis actus capitularis validitate quaestio instituatur.

Caeterum ad hoc ut editae capitulari dispositioni pareat Canonicus Perticari, plenum etiam suffragium ipsius canonicatus fundatoris accedere Canonici putant; cum nil antiquius ipsi fuerit quam ut Canonicus, quem instituebat, teneretur nedum »alla frequenza del coro« sed etiam »alle altre leggi ed oblighi a quali sarano soggetti gli altri Canonici.« Jam itaque si fundatorum voluntas a quovis est religiose servanda et ad unquem implenda, fortius huic legi decet obnoxium esse eum qui ex fundatione ipsa commodum sentit.

Nec alia sane ratione factum fuisse existimant, ut in ipsa fundationis bulla quoad omnes indiscriminatim canonicatus eadem distributionum mensura adhibita ac statuta fuerit, licet fortasse majori praebenda prae aliis Canonicus Perticari potiretur, nisi quia is unum idemque corpus cum reliquis Canonicis constituebat idemque cum illis praestare tenebatur chori servitium; quippe recta dictat oratio, quod ubi par omnibus est labor par quoque sit omnibus praemium. Sique aequalitas inter Capitulares tranquille ac jugiter usque ad Collegiatae erectionis tempus fuit servata, nulla sufficiens ratio modo suppetit ut ea perturbetur, cum eadem erectionis bulla, idem statutum idemque chorale pensum quoad omnes perseveret. Quibus concurrentibus adjunctis universalem quoque capitulorum consuetudinem adstipulari existimant Canonici, ut nempe eadem persolvatur distributionum quota ab iis etiam qui canonicatus jurispatronatus possident ac praebenda a communi massa distincta fruuntur, quod probare satagunt testimonio capituli Collegiatae s. Michaelis Archangeli oppidi Lizzola Pisauren. dioecesis.

Haud ita vero sentit Canonicus Perticarius acriterque propugnat distributionum quotam immutandam haud quaquam esse, rationes vel ipse hauriens ex iisdem fere monumentis ab adversa parte adhibitis. Et re sane vera ex Tridentini lege *in cit. cap. 3. sess. 21.* illud liquere contendit, quod semel facta distributionum deductione haud amplius fas sit novam inire rebus in eodem statu manentibus. Non enim alio sensu loquutum fuisse Concilium satis superque eruitur ex postremis ejusdem cap. verbis, quibus statuitur divisionem ab Episcopo etiam tamquam Sedis apostolicae delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam. Atqui id ad unquem adimpletum fuit in ipso Collegiatae erectionis actu in vim bullae Benedictinae superius memoratae, quae mandabat in usum distributionum quotidianarum fructus pro rata sexdecim scutorum et juliorum sex . . . . cum duobus tertiis alterius julii secerni, idque non precario nec demonstrative, sed stabiliter et taxative, ceu suadent verba quae in ipsa bulla subsequuntur: »perpetuo applicet et appropriet.« Ex quibus infert contra jus esse quamlibet in hac materia mutationem, nec enim ab iis recedere licet quae per apostolicas literas ac per fundationis legem constituta sunt, *Fagnan. in cap.: Conquerente n. 24. de cleric. non resid.*, nec quilibet inferior ulla ratione alterare valet quidquid pontificia auctoritate roboratum est, *argum. ex cap.: Cum inferior de majorit. et obed.*, *Rota par. 6. decis. 115. n. 26. recent.*

Et perperam praesidium quaereretur in facultate tributa a Pontifice capitulo reformandi, immutandi, condendi statuta ordinationesque, ut legitime factum agnoscatur distributionum augmentum; siquidem ipse ait, ubi ad trutinam integrum laudatae bullae contextum revocare lubeat, patebit capituli facultatem ad ea tantum, quae ecclesiae servitium, divina officia rerumque temporalium administrationem tangunt, coerceri, scilicet circa processionum funeralium, anniversariorum ac suffragiorum celebrationem, distributionum quotidianarum et aliorum alimentorum quorumcumque exactionem, repartitionem, perceptionem et divisionem poenarum per absentes etc. et in iis etiam praescribitur cum limitatione reformari ac immutari posse dummodo scilicet licita et honesta et iisdem sacris canonibus et constitutionibus apostolicis decretisque Concilii Trid. minime adversantia. Ast de augendis distributionibus ne verbum quidem occurrit, nec sane ratio superfuisset obloquendi, postquam eas Pontifex in quota scutator. 16. 66. 6. auctoritate sua perpetuo statuendas censuit.

Insulsum autem Perticario videtur et illud adversantium fundamentum quo autumant suam praebendam caeteris aequatam fuisse, non quia ceteris parem dotem haberet sed ut intributionis aequalitas inter omnes induceretur, nam Pontifex clare innuit indiscriminatim redditum praebendarum constituisse in scutat. quinquaginta juxta communem existimationem. Clarius vero id innuunt constitutiones capitulares *in cit. cap. 13*, ubi loquendo de praebendis inquiunt: »Igitur redditus praebendarum scutorum quinquaginta proventum non excedat.« Insulsum pariter dicit

aliud argumentum desumptum ex actuali redditum augmento; nam idem predium *di tornature 36* permanet, quin aliquid unquam ei accesserit. Si hinc fructus nunc aucti sunt, id non valori, sed meliorationibus et majori pretio rerum pro temporum conditione tribuendum, quae quantum instabilia sint nemo rerum humanarum vicissitudinibus edoctus non noscit. Quare id potius servari existimat a ceteris capitulis ut nulla ratione habita ad annuos praebendarum proventus semel facta distributionum assignatione ea continuo observetur, quidquid sit de allato exemplo Collegiatae s. Michaelis, quae utpote unica et diversis forsan ob diversas circumstantias moderata statutis consuetudini generali caeterarum ecclesiarum obesse minime valet.

Caeterum ambigendum etiam esse putat Perticarius utrum in augmento quod eorum praebendis accessit justa adfuerit ratio cur Canonici etiam distributionum quotam augerent. Nam si Pontifex eas constituit in scutatis 60, id non canonicalium onerum intuitu tantum fuisse videtur, sed ut etiam pro adjectis oneribus circa animarum curam Canonici emolumentum aliquod haberent, adeo ut si quid hisce oneribus tribuas facile appareat minorem fortasse scutator. 50., prout antiquitus erat, superesse iisdem Canonicis praebendam, quo sane in casu nulla fuisset ratio distributiones augendi. Ast si nihilominus ii liberales esse voluerunt, nihil pro novis oneribus detrahendo vel statuendo id profecto in Canonici Perticari perniciem vertendum haud est, cujus in memorato Leonis Pontificis decreto nulla occurrit mentio nec quoad augmentum nec quoad onera et nemo invitus ad id ad quod non tenetur adigendus est.

Partium deductionibus expositis postulat mei muneris ratio ut ad faciliorem controversiae explanationem sapientiam EE. PP. parumper *ad cap. 3. sess. 21. de ref.* Conc. Trid. revocem, quum illud utrinque veluti praecipuum jurium fulcrum afferatur. Statuitur prae primis in citat. cap. distributiones quotidianas ad tertiam fructuum partem augendas esse, ubi vel nullae sunt vel ita tenues ut verisimiliter negligantur. Hic jam quaeri posset quaenam regula tuto sequenda in dignoscendo, quandonam tenues in sensu legis dicendae sint distributiones ut locus fiat ejusdem legis dispositioni. Hac super re audiendus *Barbosa collect. doct. n. Conc. Trid.* qui commentat relati capitis verba »ut verisimiliter negligantur«, ubi autem essent distributiones sufficientes et tollerabiles, tertiam partem fructuum praebendarum applicandam distributionibus detrahi non posse refert relatum a *Piasec. prax. Episcop. par. 2. cap. 3. n. 7. et 129, Zerola in prax. Episc. par. 2.* verb.: *distrib. quotid., Ricc. prax. rer. for. resolut. 288. n. 2.* S. autem Congregatio in *Aretina 6. April. 1695.* censuit ita demum posse Episcopum tertiam ex praepositurae fructibus partem in distributiones quotidianas convertere vigore *cap. 3. sess. 21.*, si distributiones Cathedralis Aretinae ita tenues sint et verisimiliter negligantur, alioquin remedio illius *cap. 3.* uti ipsum non posse, hinc cum tota regula statuta videatur in iis verbis »verisimiliter negligantur« judicabunt EE. VV. num quam contendit Perticarius solvere quotam distributionum ita tenuis existimanda sit, habito respectu ad praesentem suae praebendae redditum scutator. 80, ut omnino augeri debeat.

Quod si affirmativam EE. VV. tulerint, ponderandum supererit quanam ratione augmentum statuendum sit, vel scilicet illud aequandum cum ceterorum Canonicorum distributionibus et hoc in casu fiet ut Perticarius quartam tantum praebendae partem conferret, quod tridentinae praescriptioni minime respondet: vel si autem legis dispositio adamussim applicari velit aut negativa teneatur sententia, scilicet non esse locum in themate distributionum augmento, tunc, quum diffornis sit contributio inter Perticarium et caeteros Canonicos, difficultas suboritur quoad earundem distributionum partitionem. Concilium *in eod. cap.* statuit divisionem ab Episcopo inter Divinis interessentes servata proportione esse faciendam. Jam vero verbum istud accipiendum non arithmetica sed geometrice, scilicet juxta collatarum portionum proportionem, docet verior canonistarum sententia justitiae distributivae innixa de qua *Gallemart. ad sess. 21. cap. 3. n. 8.* verb: *proportionaliter* et *Pignatell. consult. canonic. 134. tom. 9. n. 35*, ubi etiam refert resolutionem s. Congregationis in quadam Patavina (sine die) qua statuitur quod unusquisque percipere debet tantum de distributionibus quotidianis quantum de sua praebenda detractum fuit.

Sed prae omnibus rem acu tangere videtur cit. *Barbosa in suo opere de canonic. et dignitatib. cap. 21. n. 25.*, quem ideo fideliter placet referre »Quid autem est, inquit ipse, quod Conc. Trid. loco citato voluit debere istam tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum ab Episcopis dividi proportionaliter in ipsa prima fructuum deductione? Circumfertur ea de re declaratio quaedam quae ab Emis Conc. Trid. interpretibus dicitur emanasse, plus dandam esse ex quotidianis istis distributionibus ei cui plus est ablatum ex dignitate vel praebenda pinquiore, adeo ut nihil sit dandum illi, cui nihil fuit ablatum.« Et alias iterum his verbis: »Qui plus conferunt etiam pro rata ejus quod conferunt lucrentur. Quod per se juxta bonam rationem ex ipsa naturali aequitate et jure societatis promanantem, ut scilicet ii qui plus conferunt ex proventibus suorum beneficiorum ad massam contributionum plus quoque percipiant in distributione collatorum. Itaque si in eadem ecclesia fuerit dignitas quae in annuis proventibus habeat mille aureos, fuerit item canonicatus, qui habeat quingentos, fuerit denique alius canonicatus, qui solummodo habeat ducentos, prout contingere potest ubi praebendae sunt distinctae ac separatos habent proventus, ut unicuique istorum detrahatur tertia pars quae convertatur in distributiones quotidianas, aequum et justum est, ut prima fructuum talium distributio fiat proportionaliter hoc est, ut is cui plus detractum ex grosso sui beneficii aliquid amplius accipiat ex distributionibus quotidianis secundum modum et proportionem ejus, quod amplius ipsi detractum fuit.« Quid haec themati conferant judicent EE. VV.

Agitur in secundo dubio de expensis pro ecclesiae cultu, quibus Capitulares obnoxium pro rata fore contendunt etiam Canonicum Perticari, quoties dos scutator. 25 pro sacrario assignata impar evadat idque tum ex jure tum ex fundatoris voluntate. Ex jure, quia quando capitulum non habet redditus destinatos pro sacrario tunc omnes Canonici teneantur oportet aequaliter et pro rata concurrere ad hujusmodi expensas, uti post text. in *cap. 1. de eccles. aedific.* docent *Piton. discept. eccles. 99. n. 81*, quod principium aptatur etiam in themate quo sacrarium aliquid possidet, quia in eo quod deest considerari potest perinde ac si nullos haberet redditus. Idque etiam quia expensae opus sunt ad ministeria in templo explenda etiam a Canonico Perticari. Omnes autem Canonicos ad onera capituli teneri quando onus ipsum et commodum respicit corpus capituli notant in specie *Calderin. caus. 21. in fin. tit. de praeb., Tondut. quaest. benef. cap. 66. n. 6. et seq. par. 1,* quia aequitatis vulgata regula est, ut is qui commodum consequitur onus etiam et incommodum pati debeat ad text. *in cap.: Qui sentit de reg. jur. in 6. leg. secundum naturam ff. eod. tit., Rota cor. Ursino in Novarien. Aggregationis 31. Julii 1682. §. 3.*

Voluntas autem testatoris clara per se in hoc patet, quum ipse expresse voluerit canonicatus possessores obnoxios »alle altre leggi ed oblighi a quali saranno soggetti gli altri Canonici.« Inter canonicalia vero onera et expensas pro ecclesiae cultu recensendas esse, quando sufficiens dos statuta non sit, nemo inficias ire poterit.

Contra vero Perticarius contendit se nullatenus ad hujusmodi expensas teneri. Allegat in sui favorem transactionem quandam inter praebendatos Amatinos et Archipresbyterum ecclesiae s. Luciae initam sexennio post fundatam a Perticario canonicalem praebendam, sed nondum erecta Collegiata. In ea pacto convento statuitur, quod electi (scilicet praebendati Amatini) teneantur sumptibus augmenti construere et collocare stallos in choro . . . . . scamna in sacristia, ... ad sacram supellectilem conservandam, calice, planetis aliisque sacris vestibus propriis uti de hostiis, vino et candelis providere.« Nec ulla de praebendato Perticari mentio occurrit nec in erectionis bulla aliter dispositum reperitur. Unde colligit, ad successores canonicatuum Amatinae erectionis tantum onus ferendi expensas pro sacrario et ecclesiae cultu incumbere. Idque confirmat facto eloquentissimo scilicet ab erectione Collegiatae usque ad praesens nunquam possessores canonicatus Perticari in intributionem pro hisce expensis venisse. Post jugem autem centum annorum observantiam quae immemorabili aequiparatur, *Card. de Luca de Regal. disc. 47. n. 11, Constantin. vot. decis. 308. n. 22.*, nefas profecto esse concludit de onere obloqui, vel ea interpretative vel praescriptive accipiatur.

Tertium dubium mediam annatam respicit ad cujus solutionem contendit Perticarius se

nec etiam adstringi posse tum quia ipsius praebendam in aureis 50 computandam constitutioni Benedicti XIII. minime subjacere putat tum quia ut ipse ait in vim memoratae concordiae onus reparationum fabricae ecclesiae penes unum Archipresbyterum insidet tum demum quia nunquam dictum onus a suis antecessoribus supportatum fuit.

Ast nullo negotio allata argumenta dilui posse existimant Canonici, ubi animus intendatur ad notissimam constitutionem sa. me. Benedicti XIII. quae incipit: *Pius et misericors.* Cavit enim Pontifex ille sacratissimus »ut . . . . . provisi . . . . de canonicatibus . . . . in ecclesiis collegiatis . . . . . cujuscumque valoris existant teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae collegiatae, sive beneficia praedicta liberae collationis fuerint sive juris-patronatus etc.« Exinde apprime noscitur tenuitatem reddituum nullatenus prohibere legis applicationem.

Subinde Pontifex solutioni mediae annatae minime subjecta voluit beneficia Collegiatarum, in quibus reperitur opus seu peculiare patrimonium fabricae sufficienter instructum aut onus seu obligatio reparandi, restaurandi et conservandi ecclesias residet penes communitates locorum vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni. Jam vero nullum ex hisce mediis praesto esse potest in themate et commentitia caeteroquin videtur assertio, onus reparationum ad Archipresbyterum pertinere in vim memoratae concordiae cum ne verbum quidem inibi de hoc fiat.

Denique attenta clausula *sublata* et decreto irritanti quibus constitutionem suam munivit Pontifex haud obstare adversam consuetudinem non solvendi, etiamsi centenariam, arguit *Rota decis. 572. n. 11. cor. Cerro, decis. 9. n. 38. cor. Penia* et eruitur ex s. Congreg. in *Maceraten. Mediae annatae 18. Junii 1831, Recanaten. Reparationis ecclesiae cathedralis 29. Julii 1837.* Sed formaliter nuperime *in Ariminen Mediae annatae 13. Martii 1841.* ad tuendam fabricam ecclesiae cathedralis actum est adamussim de iterum decernendo subsidio mediae annatae pluribus abhinc annis obliterato: et proposito dubio: *An et quomodo sit locus impositioni mediae annatae in casu?*

prodiit responsum: affirmative ad formam constitutionis s. m. Bened. XIII.: *Pius et misericors*, nihil obstante contraria consuetudine quam Episcopus in medium adducebat.

Quarto dubio sciscebantur Canonici utrum gens Perticaria teneatur sub canonicatus nomine praedium praebendae assignatum »di tornature 36« in catasto describere ejusdemque terminos statuere.

Quamvis ex descriptione catastali nec rerum dominium nec possessio probetur ad tradita per *Rot. in decis. 36. §. 7. cor. Molines* et *decis. 278. §. 18. cor. Olivatio,* expedit tamen ut bona describantur nomine ejus ad quem proprietas pertinet, maxime si de pia causa agatur, ne lapsu temporis a laicis veluti res patrimoniales usurpentur ac praescribantur. Quocirca s. Congreg. Immunitatis in *Squillacen. 21. Jan. 1676. lib. 1. decret. pag. 1202* decrevit bona assignata pro patrimonio clericorum de laicorum catasto delenda et inter ecclesiastica bona inscribenda. Atqui praedii proprietatem pertinere in themate ad canonicatum nullum dubium est, quippe in fundationis tabulis habetur, ergo ipsius nomine inscribendum videtur. Finium vero appositio, quae ad identitatem tuendam inducta est, ubi in themate sit demandanda, juxta designationem quae in fundationis instrumento specifice legitur perficienda videtur.

Sint itaque dubia:

I. *An et in qua summa a Canonico Perticari solvendae sint distributiones quotidianae in casu?*

II. *An idem Perticarius teneatur pro rata cum caeteris Canonicis contribuere in expensas quae praeter annua scut. 25 assignata sacrario erogantur pro ecclesiae cultu in casu?*

III. *An idem Perticarius teneatur solvere ecclesiae collegiatae mediam annatam in casu?*

IV. *An familia Perticari obligari possit ad inscribendum in catastalibus tabulis nomine praebendae canonicalis praedium a fundatore assignatum atque ad ejusdem fines statuendos in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in scutatis 16. 66. 6, ita tamen ut Canonicus Perticarius in eadem proportione percipiat de aliorum Canonicorum distributionibus.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Affirmative in omnibus.

Die 18. Decb. 1847.

III. Perceptionis jus et dies, a quo.

Vd. *Canonicatus* (fructus percip. a Canonico ordine canonicatui adnexo non insignito.)

In collegiata ecclesia civitatis P. antiqua inoleverat consuetudo, qua Canonici et beneficiati superstites praebendarum vacantium redditus perciperent atque inter se aequis partibus, deductis oneribus, distribuerent. Consuetudinem hanc confirmavit Pontifex Maximus Gregorius XVI. cum apostolicis literis diei 11. Januarii 1844 ecclesiam illam Cathedrae honore auxit: legitur enim in illis: »Peculiaribus inspectis circumstantiis et aliqua habita veteris, quae super hac re inibi invaluit, consuetudinis ratione specialem impertimur facultatem, ut post hoc tempore vacationis uniuscujusque ex praefatis sive canonicalibus sive beneficialibus praebendis redditus omnes inde mature obvenientes quibuscumque porro deductis oneribus dividantur in totidem aequis partibus ac seorsim respective distribuantur singulos inter superstites sive Canonicos sive beneficiatos Concathedralis P.«

Hac itaque consuetudine freti Canonici illius ecclesiae, die 8. Februarii 1873, supplicem libellum H. S. O. dederunt sequentia exponentes.

Sacerdos Felix, P., cum canonicatu sub titulo s. Gregorii VII. in eadem ecclesia frueretur, mense Julio 1862 obtenta a patrono nominatione ad archipresbyteralem praebendam, quae secunda Dignitas inibi est et curam animarum adnexam habet, ea potitus fuit. Ex hoc factum est, ut canonica institutione et possessione minime instructus et canonicatu s. Gregorii minime dimisso omnes archipresbyteratus redditus, detractis tantummodo libellis 360, quae oeconomo illius praebendae rependuntur, sibi vindicaverit, quin adnexa onera expleverit. Canonici consuetudine innixi petunt, ut fructus a sacerdote injuste percepti in communem massam conferantur.

Exponebant insuper, quod sacerdos Franciscus O. mense Februarii 1861 relata patroni nominatione fructus canonicatus s. Petri sibi adsciscere coeperat, quin tamen canonicam institutionem et possessionem a legitima auctoritate obtinuisset. Verum ineunte anno 1865 facultas ei facta est a legitimo superiore Emo D. N. Pro-Datario percipiendi illius praebendae redditus, in quod, propriis abdicatis juribus, Canonici consenserunt, maximam illius egestatem miserati. Ex eo tempore sacerdos praedictus onera canonicatui inhaerentia ferre coepit et idcirco jure meritoque fructibus beneficii potitur. Repetunt hinc Canonici fructus illos, quos ipse percepit, cum nondum superiorum venia et capituli consensus accessisset, atque oneribus praebendae non ipse sed capitulum obnoxium fuerat.

Denique exponebant Canonici, quod anno 1864 sacerdos Hieronymus B. Primicerius illius ecclesiae apostolicis literis ad praeposituram, quae prima Dignitas est, nominatus fuerat illiusque investituram ab Archiepiscopo assequutus, quin tamen notitiam de hac obtenta Dignitate capitulo ex officio communicasset. Imo actum realis et corporalis possessionis distulit usque ad annum 1873. Jamvero pro isto tempore quod a die canonicae nominationis et institutionis usque ad diem captae possessionis decurrit, Canonici, qui onera praebendae adnexa pertulerunt, redditus etiam ad normam dictae consuetudinis exquirunt.

Canonicorum preces Episcopo ablegatae sunt, ut audito capitulo formiter congregato necnon interesse habentibus de merito propositae quaestionis referret et documenta ad rem facientia transmitteret. Morem gessit Episcopus et iis quae supra diximus confirmatis partiumque deductionibus transmissis animi sui sensa aperuit, de quibus inferius. Tum jussum fuit, ut causa poneretur in folio sub dubiorum formula, quae in calce hujus libelli prostat.

Canonici inquiunt, omni prorsus jure Felicem P. destitui, quo redditus archipresbyteralis praebendae suos facere queat. Ipse enim nulla canonica investitura praeditus et nulla legitimorum superiorum facultate munitus erat, hinc nonnisi contra justitiae et sacrorum canonum normas illius praebendae fructibus potiri valuit. Huc accedit, quod uno eodemque tempore duplici incompatibili beneficio gavisus fuit, archipresbyteratu nempe qui secunda Dignitas est et canonicatu sub titulo s. Gregorii VII, ideoque canonum jura hac in re omnino violavit. Neque ad bonam fidem pro jure suo tuendo confugere posse videtur. Primo enim in re tam clara atque omnibus manifesta ignorantia vel bona fides praesumi non potest, deinde cum stimulis conscientiae lacessitus anno 1864 per proprium confessarium s. poe-

nitentiariam adiisset et indultum de percipiendis archipresbyteratus fructibus expostulasset, s. poenitentiaria sub die 26. Sept. 1864 consideratis expositis auditoque loci Ordinario illud *concedi non expedire* respondit. Quovis igitur, nedum canonico, sed et honesto titulo caret sacerdos P. ut fructus illius praebendae sibi unice vindicet. Restat itaque ut in capituli massam eos refundat juxta consuetudinem superius expositam.

Verum ex adverso Canonicus P. minime inficiatur se rigore justitiae eos fructus in communem acervum conferre debere attamen non ita se rem habere contendit si aequitas inspiciatur. Sane factorum historiam ab origine retexens ait se ad archipresbyteralem praebendam obtinendam, quae 1860 vacavit, solemne specimen fecisse et digniorem renuntiatum esse. Habita sed vero patroni nominatione Episcopus antequam ad institutionem procederet s. Sedis judicium exquirere satius duxit, quo pendente e vivis ereptus est. Tum patronus, ne a se facta nominatio in irritum cederet, archipresbyteratus redditus sacerdoti P. tribuit deductis libellis 360 Hieronymo B. rependendis, qui administrationem illius praebendae curatae a defuncto Episcopo acceperat. Duobus annis ab iis percipiendis abstinuit, veniam s. Sedis ad quam confugerat expectans; cum tamen responsum diu desideraretur, fortasse ob tabellariorum culpam, ut ipse ait, ad s. poenitentiariam ope sui confessarii rem detulit. Jamvero Vicarius capitularis cui remissa res fuerat fructus eum percipere posse ex rescripto s. poenitentiariae edixit, salvis tamen capituli juribus, et solummodo post motam hanc controversiam se rescivisse ait a s. poenitentiaria suas preces omnino rejectas esse. Hinc probare nititur bonam fidem sibi numquam defuisse. Subdit etiam sui canonicatus redditus pertenues esse et illam pecuniae vim, quam titulo archipresbyteralis praebendae a patrono recipit, vix aequare portionem illam, quae sibi obveniret, si dictus patronus vacantium beneficiorum fructus capitulo concederet. Rursus se non exiguam illorum proventuum partem impendisse dicit in ecclesiae cathedralis emolumentum, quae ob temporum vices et vectigalium pondus in extremam decidit paupertatem. Deinde notat se nullum in iis fructibus percipiendis damnum capitulo intulisse: siquidem si eos respuisset, non id capituli, sed patroni bono tantummodo factum esset: immerito igitur de eo coarguitur, quod nisi evenisset, nihil modo Canonici haberent quod a se repetere possent.

Denique sermonem absolvit inquiens se in posterum, si ita s. Congregationi videbitur, numquam redditus archipresbyteralis praebendae recepturum fore, licet hoc in ipsius patroni bonum tantummodo redundet; quos autem hucusque percepit, si nihil jam adducta argumenta suadeant, in communem acervum conferre non recusat. Exoptat tamen ut oeconomo archipresbyterali tandem remoto calumniisque sibi impactis contemptis Archipresbyter ipse renuntietur.

Episcopus autem animi sui sententiam aperiens ait, consuetudinem penes ecclesiam cathedralem invectam et pontificiis literis confirmatam Canonicis favere: utrum vero Canonicus bona fide caruerit necne, se ignorare dicit, cum de factis agatur, quae suam electionem antecedunt quaeque scrutatu difficillima sunt: subdit tamen sibi ante oculos obversari s. poenitentiariae rescriptum, quo petitum indultum omnino denegabatur. Demum quoad archipresbyteralem praebendam cui imminet animarum cura se nihil magis optare dicit, quam ut remedium efficax tandem afferatur et probato alicui sacerdoti, qui eam in titulum habeat, concedatur.

Circa alteram quaestionem, quae sacerdotem O. respicit, animadvertebant Canonici jam dictae consuetudini innixi eadem fere, quae supra contra sacerdotem P. protulerunt. Licet enim anno 1865 s. Dataria, Canonicis consentientibus, indulserit ut redditibus canonicatus s. Petri Apostoli a gubernio receptis frui posset, ista tamen facultas non praeteritum tempus sed futurum respiciebat. Hoc autem eruitur tum ex conceptu cujuslibet rescripti vel conventionis tum ex eo quod sacerdos O. ante praedictum annum nempe 1865 quovis legitimo titulo ad redditus percipiendos destituebatur, si patroni nominationem excipias, quae penes ecclesiam, si caetera non concurrant, nullius prorsus momenti est. Imo neque oneribus, quibus afficiebatur praebenda, eo tempore satisfecit, quae tamen a capitulo expleta sunt.

His autem Canonicorum deductionibus sacerdos O. reponit se quidem anno 1861 nominationem obtinuisse, fructus tamen canonicatus sancti Petri nonnisi anno 1864 exeunte percepisse. Quare per id temporis onera praebendae imminentia non tulit, cum neque emolumentis potiretur. Habita autem anno 1865 venia s. Sedis et Canonicorum consensu ad redditus percipiendos onera adamussim implere coepit, ut capitulum ipsum fatetur. Deinde factum est, ut civile Gubernium etiam pro annis 1861, 1862, 1863 et 1864 fructus canonicales ei tribueret, quosque inopia confectus non rejecit. Subdit autem se capitulo minime denegare pro adimpletis oneribus ab anno 1861 usque ad annum 1864 congruum emolumentum; verum ait se tanta rei familiaris angustia premi, ut aegram vitam vix trahere possit. A canonicatu enim vix libellae 208 sibi redeunt, quae pro vitae sustentatione penitus absumuntur. Episcopus re hinc inde perpensa putat Canonicorum preces excipiendas esse.

Relate ad tertiam quaestionem quae multum ab aliis discrepat quaeque ad Hieronymum B. olim Vicarium capitularem refertur notabatur, quod ipse a s. Sede nominationem habuit, investituram autem ab Archiepiscopo. Attamen Canonici ad sua jura vindicanda praefatam invocant consuetudinem, qua innixi fructus praepositurae exigunt a die canonicae collationis usque ad diem captae possessionis. Tralatitium enim in jure esse dicunt, quod fructus cujuslibet praebendae decurrere non incipiant nisi a die captae possessionis; qua nimirum cum caruerit praefatus B. ab anno 1864 usque ad annum 1873 necesse est ut fructus hujus temporis in mensam capitularem refundat. Neque dici potest Pontificem ei praepositurae contulisse ut gravibus expensis, quibus in obeundo Vicarii munere premebatur, occurrere posset. De hac enim Pontificis voluntate minime constat; ideoque praesumi nequit derogatum fuisse antiquae consuetudini favore capituli inductae, quae verosimiliter a Pontifice ignorabatur. Insuper, subdunt Canonici, praeter curiae emolumenta, quae incerta vocantur, praeter redditus, qui ex proprio canonicatu et ab oeconomia archipresbyterali sacerdoti B. obveniebant, mille libellae a civili Gubernio quotannis ei suppeditatae sunt, quibus necessarios curiae sumptus perferret. Notant etiam quod onera praepositurae inhaerentia hoc temporis intervallo non ipse sed capitulum sustinuit. Nulla igitur causa excogitari potest, qua Hieronymus B. fructus praepositurae ab anno 1864 usque ad annum 1873 communi mensae subducere valeat.

Contra sed vero sacerdos B. se non ignorare fatetur neque consuetudinem illius ecclesiae neque apostolicas literas Gregorii XVI., quae illam confirmant. Verum consuetudinem istam in praesenti themate vim suam minime exerere contendit. Primum enim animadvertit, tunc illam locum habere cum agatur de percipiendis redditibus beneficiorum vacantium. Dicitur enim in bulla Gregorii XVI.: »Peculiaribus inspectis circumstantiis et aliqua habita veteris, quae super hac re inibi invaluit, consuetudinis ratione specialem impertimur facultatem ut post hoc tempore *vacationis* etc.« Jam vero dici nequit vacua illa praebenda, quam quisque per canonicam nominationem et investituram jam fecerit suam. Neque opponant Canonici realem et corporalem possessionem sacerdotem minime cepisse ideoque praebendam illam ceu vacantem eo tempore considerandam esse. Siquidem ex eo quod possessio defuerit minime sequitur praeposituram ceu vacuam reputari. Deinde nemo est qui ignoret sibi culpae ducendum non esse si realem et corporalem possessionem opportuno tempore assequutus non sit; majori enim vi licet quam maxime invitus repulsus fuit. Jamvero minime rationi consentaneum foret, si infortunium et vulnus a Gubernio sibi illatum gravius Canonicorum conatibus redderetur. Hinc est quod principium illud jure canonico receptum ut fructus nempe non decurrant nisi a die captae possessionis*) suas patiatur oportet exceptiones inter quas ea praesertim recensetur si nempe per eum, contra quem agitur, non steterit quominus hanc possessionem iniverit. Quapropter a capienda possessione saepe justis de causis s. Sedes dispensat fructusque praebendae interea concedit.

Silentio autem praetereundum non est summum Pontificem Vicarium capitularem praepositura insiguire voluisse eum in finem, ut ingentes curiae sumptus sustinere aliquo modo posset. Etenim cum superioribus Vicariis capitularibus libellae 125 a mensa episcopali excerptae in singulos menses tribuerentur, e contrario ipsi, qui per decem annos id oneris sustinuit, praefatum emolumentum a Gubernio denegatum fuit. Hinc praecones verbi Dei tum ordinarios tum

*) Vd. *t. II. p. 579. n.*

extraordinarios penes domum suam excepit et propriis sumptibus aluit; hinc labores suos gratis impendit; imo tales subiit expensas, quae vim libellarum 10,000 cumulatim aequant. Jamvero summus Pontifex hisce omnibus consideratis praeposituram ei largitus est, cumque rescivisset praepotenti ratione possessionem capere haud posse, non parvo dolore affectus est. Indignum autem videretur, quod etiam Canonici in id modo convenirent, ut Pontificis voluntatem irritam facerent.

Neque dicant Canonici, se onera illius praebendae tulisse ideoque et emolumentis frui debere: pro expletis namque oneribus aequam mercedem ab eo cui de jure postulaverunt, quae ipsis denegata non fuit. Neque iterum subdant non posse Vicarium capitularem uno eodemque tempore duplici praebenda incompatibili potiri, primiceriatu nempe et praepositura; ipse enim praepositurae fructibus contentus est, sponte remissurus fructus primiceriatus.

Verum haec omnia omittenda esse subdit sacerdos B. utpote ad causae utilitatem parum facientia. Sane Canonici fructus praepositurae exigunt ab anno 1864 usque ad annum 1873. At vero ipse ab anno 1872 fructus praepositurae habere coepit, illos autem quos in antecessum nempe ab anno 1864 usque ad annum 1872 percipere debuisset non solum nondum habuit et id Canonici omnes fatentur, verum etiam neque in posterum illos habendi spes ulla illucescit. Quae igitur Canonici proferunt quoad fructus praepositurae, qui ab anno 1864 usque ad annum 1872 decurrunt, mere hypothetica sunt et casum speculativum attingunt. Tota igitur controversia eo reducitur, ut exquiratur, an fructus praepositurae ab anno 1872 usque ad annum 1873 capitulo cedant, an potius Hieronymo B. Quo facilius autem id intelligatur ad rei historiam redit ipse sacerdos B. inquiens, quod anno 1872, tum quia morbo correptus tum quia posthac ob dioecesis negotia Romam petere debuit, tum quia spes suppetebat obtinendi redditus omnes praepositurae per octo annos non perceptos, distulit corporalis possessionis actum ad sequentem annum nempe 1873, quando scilicet hujusmodi spes in irritum cesserat. Interea tamen tum Episcopo tum capitulo de hujusmodi mora in capienda possessione notitiam dedit simulque protestationem emisit se redditus primiceriatus quibus fruebatur in capituli mensam depositurum, si fructus praepositurae recuperare posset. Contigit itaque, ut inita possessione die 26. Martii 1873 ei redditus tributi sint praepositurae incipiendo a die concessionis enunciati *placet*, quae nempe facta fuerat die 21. Aprilis anni 1872 neque pro isto anno redditus primiceriatus ab eo sunt exquisiti. Tota igitur quaestio circa fructus istius anni versatur: Canonici enim repetunt fructus praepositurae, qui pinquiores sunt, Vicarius autem fructus primiceriatus reddere vellet, praepositurae autem sibi retinere. Canonici eo argumento nituntur, quod nempe Vicarius nondum eo tempore, quod intercedit inter 1872 et 1873, possessionem praepositurae aggressus fuerat; Vicarius autem tum argumentis superius expositis, quae generalia dici possunt, tum aliis deductionibus, quae propius rem istam attingunt, suum jus tueri conatur.

Revera ipse subdit, si ad annum justis quidem de causis possessionem praepositurae inire destitit, hoc quidem magis in capituli quam in suam utilitatem egit. Siquidem si statim anno 1872, quo die *Exequatur* datum fuit, praepositurae possessionem ingressus fuisset, vacans hoc ipso efficiebatur primiceriatus ejusque redditus ad se Gubernium avocasset. Retartata igitur praepositurae possessione id assequi potuerunt Canonici, ut redditus primiceriatus percipere valerent. Cum autem in praesentiarum hisce minime sint contenti, quamdam aviditatem ostendunt simulque bonum receptum in ipsius auctoris damnum convertere conantur. Deinde cum causa morae in capienda possessione Canonicis notificata fuerit, ipsi autem silentium perpetuum adhibuerint (quia nimirum de ipsorum utilitate tunc agebatur), ex implicita quadam eorumdem conventione et adprobatione eam processisse dici debet. Hinc est quod per id temporis Canonici praepositurae onera expleverint, sed ex mandato sacerdotis B., uti pariter ex ejus mandato congruum emolumentum receperunt. Rursus ab aequitatis et justitiae legibus prorsus abhorret, quod Canonici a Vicario repetant 50 vel 60 scutata, quot nimirum constat differentia inter redditus primiceriatus et praepositurae, cum iste de ipsorum mandato Vicarii capitularis munere functus summam saltem libellarum 10,000 amiserit. Aequum igitur non apparet quod iste tantis gravetur impensis, capitulum vero immune abeat.

His omnibus accedit Episcopi sententia, quae Vicario favet omnino.

Certum in jure est, nullum beneficiatum fructus beneficii percipere posse sine possessione. Tralatitiam juris disciplinam meminit Devoti in *instit. lib. 2. tit. 14. sect. 5. §. 36* ibi: »satis non est, aliquem beneficium obtinuisse, nisi is etiam possessionem adipiscatur, ut fructus capiat suosque faciat.«

Hoc praesertim in capitulis attenditur; in iis enim *tertium* aliquid est observandum, scilicet jus collegii, ita ut nemo datum in collegio locum occupet, nisi a coetu *in fratrem recipiatur*. Et quamvis de pontificia collatione agatur, provisus possessionem nancisci nequit, nisi a capitulo inductus. Ita *Lotter de re benef. lib. 1. qu. 19. num. 9.* ibi: »*Neque etiam necessario conveniunt (pruebenda et canonicatus) in ipso articulo collationis aut respectu temporis, ut patet ex praeallegatis textibus, aut respectu collatorum quia receptio in Canonicum radicatur in ipso capitulo, nec ab eo usquam avellitur, ne quis fiat de universitate contra ipsius universitatis voluntatem: super quo est fundata ratio ut etiamsi Papa provideat de canonicatu adhuc exigatur traditio possessionis capitulariter, quae receptionis vim obtineat.*« Atque in *lib. 3. qu. 5. n. 23. seqq.*, ibi: »*Ratio istius formae praescribendae ea mihi videtur, quia cum collegium sit societas non patitur jus quempiam in illud trudi contra collegarum seu sociorum voluntatem: l. qui admittitur ff. pro soc., alias videretur, ut dixi, per Papam praejudicium inferri ipsi collegio, cujus in hoc jus semper intendit salvum esse, Put. decis. 22. lib. 2. Quapropter forma literarum in parte exequtiva haec est, ut capitulum personam recipiat, ut est expressum in cap. Si capitulo 3. de concess. praeb. in 6.*«

Receptionis vero necessitatem, ut Canonicus fructu potiatur, demonstrat de Rosa *de exequut. lit. apost. par. 1. cap. 5. n. 95. seqq.*, ibi: »*Subnectuntur etiam illae clausulae: quod recipiatur in fratrem**) *et cum plenitudine juris canonicalis, ac illa: et stallum in choro et locum in capitulo assignes. Pro quarum explicatione illud tyronibus bene notum memorandum est, quod praebenda et canonicatus non sunt idem, etiam stricte accepto praebendae vocabulo, quatenus beneficium ecclesiasticum importat, sed diversa, nihilque inter se ex propria natura commune habent, circumscripto effectu adnexionis perpetuae, ut notant canonistae etc. Nam canonicatus et jus habendi stallum in choro, locum in capitulo ad cantandum et legendum et vocem in capitulo provenit ex receptione in fratrem, ut in c.: In Gencsi de election. in fine; praebenda autem est jus percipiendi fructus in ecclesia cui praebendatus servit competens ex officio divino tamquam uni ex collegio, ut dicunt omnes canonistae etc. Sic poterit bene stare canonicatus sine praebenda, prout vidi in multis cathedralibus.*« *)

Possessio igitur cum receptione in fratrem omnino requiritur antequam provisus possit praebendae fructu potiri. Nec satis. Non quaelibet enim apprehensio juvat, sed *legitima* exposcitur, atque ut legitima sit, opportet possessionem capitulariter tradi; sin minus, nullitate laborat. In re notissima satis erit Barbosam ita disserentem adducere in *tract. de canon. cap. 15 num. 1 seqq., ibi*: »*Possessio capitulariter capienda est de quocumque canonicatu sive dignitate quae sit de capitulo. In Innoc. etc.*; *et ideo possessio aliter capta non est considerabilis ac proinde nec manutenibilis: Gratian., Rota etc. Unde in eadem Rota in Syracusana Canonicatus 1. Febr. 1623 cor. Pirovano fuit dictum quod cum instrumentum narret tantummodo possessionem fuisse captam coram notario et testibus in stallo canonicali, nulla facta mentione de praesentia capituli tunc congregati, merito possessionis actus remansit invalidus . . . . Ampliatur primo ut procedat etiamsi possessio fuisset capta de mandato exequutoris literarum apostolicarum . . . . . Ampliatur secundo, etiamsi data esset facultas capiendi possessionem canonicatus propria auctoritate. . . . . Ampliatur tertio, etiamsi capta fuisset a Canonicis de capitulo, sed non capitulariter.*« Verumtamen ex altera parte animadvertendum occurrit possessionem capere in canonicatibus ad formalitatem pertinere, hinc justis intervenientibus causis ab ea posse dispensari. Ita Ferraris verbo: *canonicatus.*

Dubia:

I. *An fructus archipresbyteralis praebendae quos ab anno 1862 sacerdos Felix P. percipit in capituli massam refundi debeant in casu?*

II. *An fructus canonicatus s. Petri ab anno 1861 usque ad annum 1865 sacerdoti*

*) Vd. *p. 85. III; 173. VIII.*

*) Vd. *p. 47:* Canonia.

Francisco O. vel capitulo tribuendi sint in casu?

III. *An redditus praepositurae ab anno 1864 usque ad annum 1873 Hieronymo B. vel capitulari mensae assignari debeant in casu?*

S. Congregatio Concilii die 9. Maji 1874 respondit

Ad I. et II: Affirmative favore massae capitularis pro fructibus vere perceptis.

Ad III: Affirmative favore Hieronymi B. ita tamen ut pro tempore, quo ipse praepositurae fructus realiter percepit, capitulari massae fructus primiceriatus restituat, et Episcopus de bono et aequo liquidationem fructuum in dubiis supra propositis curet.

Exinde colliges:

1. Satis non esse aliquem beneficium obtinuisse, ut fructus percipiat suosque faciat, sed etiam requiri ut ipsius possessionem adipiscatur.

2. Quare cujuslibet praebendae vel beneficii fructus non decurrere nisi a die captae possessionis.

3. Hinc fructus a beneficiato perceptos, antequam corporalem possessionem adeptus est, restituendos esse.

4. A Canonicis possessionem canonicalis praebendae capiendam esse praesente capitulo collegialiter congregato, ut valida et legitima dici possit.

5. Verum sanctam Sedem justis de causis a possessione capienda dispensare solere, ut quis praebendae fructus percipere valeat.

IV. Percipiendi ex facultate apostolica a Canonico qui in Episcopum promotus est.

Vd. *Canonicatus* (fructus percipiendi tempore absentiae propter bellum etc. decr. *Leodien.)*

R. Canonicus cathedralis ecclesiae S. ad sedem episcopalem H. promotus anno 1872 sequentes Pontifici preces obtulit: »*attese le sue ristrettissime finanze per i danni sofferti dalle disgraziate attualità dei tempi . . . . voglia degnarsi di accordargli la facoltà di poter proseguire a godere le rendite del canonicato del quale è investito nella Metropolitana di S.*« Et die 25. Februarii ejusdem anni rescriptum consecutus est: »Sanctissimus attentis peculiaribus circumstantiis et speciali ex gratia in exemplum numquam afferenda benigne annuit, ut orator canonicalem praebendam qua in Metropolitana S. fruitur licite ac valide ad beneplacitum Sanctitatis suae retinere ac omnes canonicatus fructus percipere valeat, amissis tantum distributionibus inter praesentes: constitutionibus, sanctionibus, literis apostolicis jam expeditis super provisione ecclesiae H. et aliis quibuscumque minime obstantibus.«

Quaestio exorta est de interpretatione verborum »*amissis tantum distributionibus inter praesentes*«, siquidem capitulum contendebat etiam quotidianas distributiones amplecti locutionem *amissis distributionibus inter praesentes*, ideoque illas in pontificia concessione non contineri. Haec litis contestatio. Praestat ceu moris est praecipua hinc inde argumenta referre.

Quibusdam praemissis de peculiari capituli constitutione statuebant Canonici principium juris vetustissimum, quod habet: dispositiones juri communi contrarias aut jura tertii quaesita laedentes ampliandas non esse sed restringendas. In scripto, de quo quaestio est, de quotidianis distributionibus verbum non fieri, sed tantummodo fructuum. Sub nomine autem generali fructuum distributiones quotidianas non contineri: ex Benedicto XIV. *de synod. dioeces. lib. V. cap. 2. §. 5.* et ex Ferraris verbo: *distributiones art. 1. n. 67. 81. 82.*

Hujusmodi argumentum convalidari ex eo quod Pontifex praeceperit distributiones inter praesentes amittendas ab Episcopo indultario. Has vero non coerceri tantum ad emolumenta funerum aliaque eventualia et incerta, sed omnes complecti eas distributiones quae inter praesentes locum habent. Quamobrem dato et non concesso veram distinctionem quandoque fieri inter distributiones inter praesentes (quam capitulum nunquam vidisse asserit), hanc utpote genericam habendam esse et qua talem inter species sibi subjectas etiam quotidianas distributiones comprehendere, quia distributiones inter absentes non dantur, et cujuscumque sint speciei semper respectu praesentium considerantur.

Nec quidquam facessere, prosequebantur, Pontificem Episcopo huic concessisse perceptionem omnium fructuum . . . . . amissis tantum distributionibus inter praesentes. Ex his namque duobus extremis legitimam consequentiam descendere, quod ipse nequeat

ullam distributionem percipere: non distributiones inter praesentes, quia eas Pontifex expresse exclusit: non quotidianas, quia expresse in rescripto non fuerunt inclusae. Haec ex peculiari distributionum quotidianarum natura confirmabant, quia distributiones quotidianae in capitulo S. non repraesentant partem fructuum in distributiones erogandam, sed proveniunt ex bonis dono datis capitulo qua corpori non singulis Canonicis et sub conditione expresse a donante imposita, ut de his perciperent illi tantum qui chorale servitium praestitissent. Pontificem vero de his mentionem non facere quia non novit, dum necessarium et quasi integrale fuisset eum certiorem reddere. Multo minus aequiparari posse Episcopum hunc rescripto gaudentem vel professoribus qui ob docendi obligationem a choro absunt vel clericis studiorum causa discedentibus. Idque duplici ex causa. Tum quia agitur de re odiosa quae extensionem de casu ad casum non admittit: tum quia professoribus et clericis studiis incumbentibus *) asstitit juris communis dispositio pro omnium fructuum perceptione, dum Canonici ad episcopatum evecti ipso jure canonicalia beneficia amittunt, *cap. cum in cunctis de elect.* §. *Cum vero.* **)

Deterius opponi reddituum de quibus quaestio est distributionem non fieri respectu horarum, sed eos omnes ad participationem admitti qui mille horas expleverint: quamobrem quotidianas distributiones fructuum majorum *(grossi)* speciem praebere. Nam (respondebat capitulum) fructus majores describuntur »*distributiones quae non fiunt respectu horarum et dierum, sed in capita: quaeque annuatim dividuntur praeter minutam ratione servitii divisionem.*« Jamvero distributiones quotidianae in capitulo S. non fiunt per capita, sed illis tantum conceduntur qui mille horis per annum choro interfuerint: et insuper non *praeter* minutam servitii divisionem quae residentiam tantum requirit, sed *juxta* servitii divisionem quae et in choro interessentiam imponit, *Maschat. lib. 2. tit. 40. q. 20.*

Nec, prosequebantur, admittendum esse novum Episcopum vi indulti tamquam in choro praesentem haberi, cum Pontifex in rescriptis quibus lucrandi quotidianas distributiones facultatem concedit aperte clausulam apponere soleat: »*perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset.*« Quapropter cum nihil in hujusmodi rescripto dictum fuerit, tenendum esse Pontificem hoc privilegium indultario concedere noluisse.

Falso demum supposito laborare quae ex adverso afferuntur de tenuitate praebendae ad libellas 98 cohibitae; dum e contra postremis hisce annis, antequam ad episcopatum ascenderet, hujus summae quadruplum Canonicus R. percepit titulo praebendae. Episcopum autem ex eo quod a Pontifice renuntiatus fuerit *Canonicus uti prius* jus amittere ad ditributiones percipiendas, nisi horis canonicis intersit. Nec absenti culpam tantum nocere, cum quaelibet absentia distributionum privationem secumferat et jus Canonici cujuslibet ad distributiones non sit quaesitum sed hypotheticum, hoc est servitio chori subordinatum.

Episcopi patrocinator verba sumebat bullae nominationis ad episcopatum H. ostendebatque in ea Pontificem dixisse »ut statum tuum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicujus subventionis auxilio providere ac specialem gratiam facere volentes motu proprio et ex mera liberalitate nostra ut tu canonicatum et praebendam metropolitanae ecclesiae S. quos modo obtines uti prius ad nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum retinere illorumque fructus, redditus et proventus percipere libere ac licite valeas« et per haec verba explicandum esse rescriptum appositum precibus Canonici R. scilicet eo modo quo pontificalis dignitatis exigentiae ac decentiae melius provideatur.

Hoc in genere. In specie autem disserebat primo loco de natura reddituum capituli S. statuens in eo capitulo redditus quatuor ex distinctis administrationibus confici eosque omnes efformare massam distributionum quotidianarum. Etenim ad quotidianas distributiones pertinere redditus etiam cumuli, quos Canonici vellent inter fructus canonicales reponere, quia hos sicuti alios omnes amittunt, qui mille horis per annum in choro non steterint.

Nec valere quae ajebant Canonici, patrimonium ex praedictis administrationibus conflatum spectare ad totum collegium non ad singulos Canonicos: sub hoc de cumulo dici nequire. Haberi namque pro cumulo paritatem cum aliis administrationibus. Praeterea absurdum esse Canonicos simul sump-

*) Vd. *Chorus* (absentia.)
**) Cf. *t. II. p. 1119. n. 5.*

tos ab integro capitulo secernere. Demum et in bulla Alexandri VI. et in haereditate C. dispositiones singulos Canonicos respicere.

Hucusque de natura redditnum: in rescriptis vero duo observanda esse tum mentem et finem rescribentis tum etiam rescripti verba in sensu gramaticali et juridico. In casu mentem et finem erui ex verbis bullae quibus Pontifex aperte profitebatur se pontificalis dignitatis exigentiam prae oculis habuisse. Atqui demptis quotidianis distributionibus servatae praebendae superessent libellae 82 vel 340, si redditus cumuli praebendae accedant, dum e contra demptis tantum distributionibus inter praesentes fructus annui ad minimum summam attingerent libellarum 1300. Concludebat, ex mente et fine rescripti necessario etiam distributiones quotidianas Episcopo H. integras remansisse.

Insuper animadvertebat tamquam choro praesentem eum esse habendum cui Pontifex in literis ejus favore expeditis dixit: »ut tu canonicatum et praebendam Metropolitanae S. quos modo obtines uti prius retinere valeas.« Quibus verbis ab interessentia fuit dispensatus: quapropter omnes debet percipere fructus quos indultarii percipiunt. Id autem erui ex verbis rescripti: »Canonicalem praebendam ac omnes canonicales fructus peripere valeat, amissis tantum distributionibus inter praesentes.« Per verbum enim *tantum* unicam limitationem apposuisse Pontificem, scilicet quoad distributiones inter praesentes, quia *exclusio unius est inclusio alterius.*

Inutiliter opponere capitulum indultario concessos fuisse fructus canonicatus, quorum sub nomine distributiones quotidianae venire nequeunt. Maschat. vol. 3. pag. 20. Edit. Florentinae anni 1854. »Fructus sunt duplices: Annui seu grossi et simpliciter dicuntur fructus praebendae seu praebendales: et distributiones quotidianae seu praesentiae, victualia seu fructus canonicales, quae dantur propter interessentiam in choro.« Reiffens. in lib. III. decret. tit. IV. §. IV. n. 166. »Distributiones quotidianae sunt illi fructus canonicales, qui propter singulas praesentias in choro dantur Canonicis interessentibus.« Imo distributiones quotidianas repraesentari etiam sub simplici nomine fructuum, *Reiffenst. loc. cit. num. 164.* Id vero optime applicari subjectae materiae, quia redditus canonicatus fere omnes quotidianis distributionibus conficiuntur. Fagnan. lib. 3. decret. de praebenda cap.: Quia in tantum n. 29. »Ex recepta conclusione, quoties fructus omnes canonicatus consistant in distributionibus tantum, qui studiorum vel alia de causa habentur pro residentibus sed non pro interessentibus et ideo alias percipere deberent in absentia fructus praebendae amissis distributionibus, eo casu lucrifaciant distributiones ipsas, perinde ac si Divinis interessent. Textus etc... Hujus autem determinationis duae sunt rationes: altera est quam reddit glossa in dicto capite quia nisi privilegiati ad fructus percipiendos perciperent distributiones, cum ex canonicatu nulli alii redditus percipiantur, privilegium eis nihil prodesset contra textum in cap. *In his de privil.* Altera est ratio magis ex juris canonici propriis terminis desumpta, quia ubi omnes redditus canonicatus constant distributionibus tunc tales distributiones habent rationem praebendae.«

Et revera distributiones capituli S. naturam induere eorum fructuum qui *grossi* appellantur; siquidem quotidianae distributiones non partiuntur respectu horarum et dierum sed inter eos qui servitium adimpleverunt mille horarum tantum proindeque horae canonicae non habentur tamquam mensura, sed uti conditio retributionis. *S. C. in Cotronen. Residuorum 3. Martii 1855.* Canonicorum objectionem de odiosa rescripti natura esse repellendam, quia in themate agitur de re favorabili, cum indultum a Pontifice summo Episcopo H. concessum fuerit per *specialem gratiam et motu proprio.* Jam vero tralatitium esse in utroque jure quod beneficium principis quam plenissime sit interpretandum. *L. ult. ff. de constit. princip.* Beneficium Imperatoris quod a divina scilicet indulgentia proficiscitur quam plenissime interpretari debemus, Inn. III. in cap. *Olim* tit. de verb. signif., cum beneficia principum sint interpretanda largissime *), Reiff. loc. cit. §. VII. n. 210.

Demum differentiam inter distributiones quotidianas et distributiones inter praesentes indicare auctorem latini elem. jur. can. lib. 1. p. 3. tit. 12. §. 7. Et de primis disserere ipsum quod »sunt certae quaedam specierum

*) Reiffenstuel loco citato haec habet: »Generatim loquendo Canonicus absens ab ecclesia sua ex privilegio summi Pontificis potest percipere distributiones quotidianas. Privilegium enim non residendi a Papa concessum idem operatur ac si Canocus vere resideret. Nam ad romanum Pontificem pertinere plenariam ecclesiarum, Dignitatum, personatuum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum dispositionem.«

vel pecuniae praebitiones quas tantum lucrantur qui statutis horis canonicis intersunt;« alteras vero describere »emolumenta quae percipiuntur occasione anniversariorum aliorumque piorum legatorum quaeque dividenda sunt inter eos tantum, qui ad ea persolvenda conveniunt, nisi forte testator expresse disposuerit ut ea legitime absentibus tribuantur. S. C. C. in causa distributionum et proventuum die 20. Decembris 1873.« *) Quapropter absurdum esse contendere cum Canonicis vel distinctionem nullam adesse inter duas distributionum species vel Pontificem ignorasse naturam specialem quotidianarum distributionum quam ipsi effingunt.

Ultimo loco arguebat Episcopus, etiam in hypothesi quod Pontifex quotidianas distributiones expresse excepisset, cum in casu loco libellarum 1300 tantum 340 perciperet, intrare compertissimam juris regulam quod ubi fructus omnes canonicatus in distributionibus consistunt vel praebendae redditus tertiam distributionum partem non attingunt, duae ex tribus partibus distributionum, vel praebendae ac distributionum simul cumulatarum, fructuum naturam inducentes, etiam absenti tribuendae sunt. *Card. Petra ad constit. 9. Bonif. VIII. num. 20. 21.*

His aliisque deductis propositum fuit resolvendum

Dubium:

An et a quo die Episcopo H. in vim pontificii rescripti diei 25. Februarii 1872 redditus praebendae et cumuli tantum debeantur vel etiam distributiones quotidianae solvendae sint in casu?

S. Congregatio causa cognita die 22. Maji 1875 respondit negative ad primam partem, affirmative ad secundam a die praesentationis rescripti.

Hoc rescriptum confirmatum est die 24. Julii 1875. Nam nova audientia a Canonicis impetrata ipsis eadem recinentibus assuetae dubii formulae:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. Congregatio respondere censuit:

In decisis et amplius.

Ex his colliges:

I. Distributiones inter praesentes a distributionibus quotidianis omnimodo distingui; et has prae illis inter canonicales fructus recenseri.

*) Vd. *Distributiones.*

II. Canonicalibus fructibus indultario concessis et distributiones quotidianas concessas intelligi, quoties expresse non fuerint exceptae.

III. Rescriptum quo beneficium Pontifex impertitur quam plenissime esse interpretandum.

IV. Fortius id procedere quando Pontifex motu proprio et per specialem gratiam agere profitetur.

V. Percipiendi tempore absentiae.*)

Vd. *Distributiones; Residentia; Chorus* (absentia.)

a) Propter aegritudinem.

Vd. *Canonicatus* (fructus — restitutio ad Canon. aegrotum.)

b) Propter assistentiam Episcopo praestandam.

Vd. *Canonicatus* (fructus percip. tempore absentiae — belli causa, decr.: *Avenionen*; — negotiorum causa, decr.: *Monaster.*); *Caeremoniarius*; t. II. p. 576 m.

*) Beneficiati et clerici Lateranensis Basilicae distinguunt aliam esse absentiam a chori et ecclesiae servitio et aliam a loco residentiae causa infirmitatis. In primo namqne casu conveniunt Canonicum lucrari nedum fructus sui canonicatus sed omnes etiam quotidianas distributiones utcumque absit a chori ecclesiaeque servitio, cui coadjutor obstringitur incumbere, quemadmodum per *text. in can. Scripsit mihi 7. quaest. 1.* et in *cap.: Ex parte 5. de clerico aegrot.* docent *Pyrhing. in Jus canonic. lib. 3. tit. 6. num. 16.* ibique *Reiffenstuel* § *2. num. 38.* Secus vero in altero casu, nam Canonicus coadjutus sicuti coadjutoria non obstante non excusatur ab onere residendi in loco, ubi canonicatum obtinet, secundum ea, quae tradent *Gonzal. ad regulam 8.**) §. *9. num. 30, Castropal. tract. 13 dis. 1. de benefic. punct. 9. num. 12; Barbosa tom. 1. de Jur. eccl. univers. cap. 15. num. 33;* et *Reiffenstuel. loc. cit. num. 35.*, definivit sacra Congregatio *in Carthaginen. 1. Decembris 1618. ut in lib. 11. decret. pag. 223.*, ita non obstante infirmitate, quae justa et a jure approbata causa est obtinendi abessendi licentiam, canonicales fructus non facit suos, si abest a loco residentiae sine indulto, quod copulative cum infirmitate requiritur, *Garzias de benef. part. 3. cap. 2. num. 340, Pignatell. Consult. 36. num. 2. tom. 3., Rota in Adden, ad decis. 365. num. 8. cor. Ludovis., decis. 348. num. 1. coram Manzanedo et decis. 608. num. 1. part. 1. recen.*

Imo coadjutum abessentem sine indulto nec etiam lucrari quotidianas distributiones, si coadjutor quoque causa infirmitatis absit sine indulto a residentiae loco, definivit sacra Congregatio *in Romana Distributionum 19. Augusti 1730. ad I. dubium,* quod erat: *An distributiones debeantur Canonico coadjuto extra Urbem commoranti, suo pariter coadjutore extra Urbem causa infirmitatis degente?* edito responso: *Affirmative, quatenus uterque habeat indultum abessendi.*

*) Vd. *t. II. p. 820.*

Valven seu Sulmonen.

Sacerdos Joannes Sabatino domo Lagonegro e dioecesi Policastren. pluribus abhinc annis cum Episcopo Valvae et Sulmonae ejus patruo commoratur eique in duplicis dioecesis procuratione inservit. Ineunte enim anno 1854 s. visitationis a Secretis et saepius convisitator fuit renunciatus. Quum hisce muneribus sedulo defungeretur, vacans interea sub anno 1856 canonicatus in cathedrali ecclesia Valvae eidem collatus fuit; nec tamen ab Episcopi servitio absolutus fuit, imo praeter relata munera a secretis et convisitatoris, praeter pensum distributionis et exactionis bullarum s. Cruciatae impositum ei fuit onus »*dela riservata corrispondenza dei parochi.*«

Hisce curis et negociis etsi distentus pro coadjuvando regimine ecclesiae Valvae et Sulmonae, in solemnioribus saepe anni festivitatibus choro divinisque officiis interesse non praetermisit; et Capitulares unanimi voto pro anno 1856. eidem persolverunt ducatos septuaginta, qui respondent potiori canonicali redditui seu »*del ripardimento*« qui redditus derivat ex distributione frumenti »*in otto salme circa di grano per ogni Canonico*«. Verum sub finem insequentis anni 1857. capitulum uti absentem habendum esse Sabatinum contendit adeoque redditus in antecessum persolutos eidem denegavit. Quare necesse Sabatino fuit s. Ordinem adire ut quod ei in Episcopi servitio distento de jure deberetur decerneret: sacer autem Ordo, audita primum Antistitis relatione reque mature perpensa, sub die 28. Septembris 1858. rescripsit: *Canonico oratori deberi fructus omnes sui canonicatus quoties et quamdiu a choro et residentia abest ut proprio Episcopo in absolvendis dioecesis negociis assistat, amissis distributionibus quotidianis; quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent vel si redditus praebendae tertiam distributionum partem non attingant, duas ex tribus partibus distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia parte quae inservientibus acrescat.*

Quin tamen hujusmodi rescripto aliquod Canonici aquiescerent, ejusdem repositionem (aliis licet reluctantibus) expostularunt illud ut obreptitium et subreptitium incusantes. Qua de re auditus de more Episcopus assiduum is servitium quod in multiplicibus praefatis muneribus orator praestitit et quotidie praestat undequaque confirmat; quapropter binas ex tribus canonicalis redditus partes ei jure meritoque tribuendas fore existimat, et nonnisi per calumniam nonnullos Canonicos justissimae petitioni obstitisse.

Hucusque facti species. Porro adlectus a reclamantibus Capitularibus defensor licet monitus nihil ad contradictorum tuenda jura protulit. Praestat itaque quae in allegatione pro Canonico Sabatino distributa disseruntur paucis referre.

Praemittit in facto, ipsum assidue Episcopo adsistere pro absolvendis dioecesis negociis. Nedum enim a secretis est sacrae visitationis pro quo munere explendo necessarium habet continuo Episcopo adhaerere, sive quod ad ejus nutum modo una modo altera ecclesia invisenda sit sive quod actorum regestra de ejus intelligentia sint redigenda et ordinanda sive demum quod multa ab eo paranda sint, quae pro absolvendis singulis concrediti muneris partibus necessaria esse videntur: sed insuper binis defungitur muneribus, quae dubio procul continuam exiguunt praesentiam, imo totum fere hominem absorbent.

Quorum primum est munus distributionis et exactionis bullae Cruciatae, quod maximi momenti esse tuetur juxta ea quae explicat *Ferrar. in biblioth. canon. v. Bullae Cruciatae.* Ipse enim distribuere debet singulis utriusque dioecesis christifidelibus diploma spirituale continens Cruciatae concessiones; idque nedum in singulos annos, sed pluries etiam infra annum, si postulaverint, imo non modo dioecesanis sed exteris quibusque qui in dies adveniunt et de spiritualibus hujusmodi gratiis participare cupiunt. Debet item taxam unicuique pro conditionis qualitate adsignare, eam diligenter exigere et in arcam reponere ut deinde collectam pecuniae vim praevio regulari calculo ad regium gubernium quotannis remittat erogandum ex instituto in captivorum redemptionem. Nec satis esse urget: nam saepe saepius debet idiotis ea extricare quae dubia esse videntur vel quoad onera eis imposita vel quoad favores ex bulla dimanantes. Alterum vero pensum Canonico Sabatino impositum est reservatum cum parochis epistolare commercium, qua super re quantum laboris et prudentiae opus sit, quisque facile percipere poterit, qui parochialis officii innumeras et salebrosas attributiones praesertim circa morum correctionem momento temporis in animum revocaverit.

Nec de horum veritate dubium aliquod oriri posse instat: praeter enim quamquod existunt literae authenticae, queis sacer Antistes Sabatinum ad allata munera explenda vocavit, adsunt insuper innumeri testes plane qualificati utpote vel parochi vel Canonici vel cives spectatissimi, qui interposita etiam jurisjurandi religione Sabatinum iis muneribus reapse et magna solertia perfungi unanimes obsignant.

Quibus in facto praejactis neminem, ait, latere posse, Canonicis in servitium Episcopi assumptis nihil subtrahi vel auferri posse de beneficio ad tramites juris canonici *cap. 7. de cleric. non resident. cap. 15. eod. tit.* ubi haec juris regula statuitur.

Concludit exinde, quod cum ex una parte evidentissimum in facto appareat, Canonicum Sabatino laborioso in Episcopi servitio versari pro absolvendis utriusque dioecesis negociis, ex altera autem manifestissimum e canonum jure erumpat, Canonicis in servitium Episcopi assumptis nihil detrahi vel auferri posse de beneficio, eo quod absentes dici non debeant, sed praesentes, competere Canonico Sabatino redditus canonicales dum ex ea causa a choro abest, et rescriptum quo id declaratur executioni esse demandandum.

Neque aliquid negocii facessere contendit, quod ex adverso opponitur Canonicum nempe Sabatinum haud adsistere Episcopo Valvae sed Sulmonae, eo quod ibi Episcopus residentiam agat. Nam istae dioeceses jamdiu et quidem aeque principaliter unitae existunt, ideoque licet quoad nonnullos forte effectus ceu separatae dici queant quoad Episcopum autem et praecisce quoad residentiam veluti unica dioecesis retinendae omnino sunt ad monitum Cardinalis *de Luca p. 5. annot. ad s. Conc. Trid. disc. 7. n. 2.* et *Gratian. discep. forens. cap. 655. n. 5.*

Ceterum de residentia minime sollicitos esse debere urget, satis enim est ex relata canonici juris censura, Canonicum Episcopo adsistere pro negociis dioecesis, ut indulto frui possit, quod punctim a Sabatino fieri in aprico positum esse arguit.

Item nonnisi per calumniam ex adverso opponi posse instat ipsum non in utilitatem dioecesis sed in commodum Episcopi Sulmonae degere et ab ecclesiae servitio abesse, cum potius negocia dioecesis absolvat, ceu superius fuit animadversum. Quod etsi aliquod fortasse peculiare servitium ipsius Antistitis personae exhiberet, non inde sequi quod privilegio carere debeat, quod pro aliis servitiis revera dioecesis praestitis promeretur.

Ad alteram vero dubii partem transitum faciens scilicet ad modum quo perceptio fructuum ad oratorem spectantium moderanda sit, apertissimam esse monet ipsius rescripti dispositionem, quae id indulget, ut praebendam integre suam faciat amittatque tantum distributiones, vel si omnes fructus in distributionibus consistant, binas ex tribus earum partibus sibi attribuat, tertia dumtaxat deducta praesentium favore cedenda.*) Quam dispositionem pragmaticam esse et a saeculis a s. Ordine constantissime adhibitam propugnat utpote juris communis censurae apprime respondentem, ceu tradit ex una *textus in cap. 7. et 15. de cler. non resident.*, ex altera vero monent *Fagnan. in lib. 3. decret. in cap. Quia tantum n. 29, Barbos. collectan. DD. lib. III. decret. de cler. non resid. tit. IV. cap. VII. de cetero n. 8., Castropalaus disp. M. punc. IX. §. 3. n. 2, Scarfant. ad Ceccop. lucub. canon. lib. 2. tit. XI. num. 15, Ventriglia de resid. Canonicorum annot. XIX. §. 1. n. 6.* Queis adstipulatur s. hic Ordo in millenis decisionibus et praesertim in *Avenionen. 13. Januarii 1635. lib. 15. decret., in Tranen. 11. Maji 1698*, in *Venusina 30. Julii 1763 §. Ponderandum*, quae unanimes docent, quod ubi omnes vel vere omnes canonicatus fructus in distributionibus quotidianis consistunt duae partes assumunt nomen et naturam fructuum et succedunt loco praebendae ad omnes juris effectus, et praecise quoad indultarios, ne secus contingat dari canonicatum sine praebenda, et ne in his casibus frustranea et elusoria evadant indulta legitime concessa.

His in jure praenotatis exploratissimum in facto esse propugnat canonicatus cathedralis ecclesiae Valvae solis constare distributionibus quotidianis: arguit id praeprimis ex propria oris ipsorum Canonicorum confessione, qua nulla major in jure probatio. *Deinde ex artic. 16. constitut. capit.* colligitur, quod omnes et singuli fructus cujuscumque rei *a Camerario colligendi dividi ab eodem debent inter Canonicos cuique attribuendo portionem pro rata punctorum seu servitii.* Jam vero si omnes redditus dividi debent pro rata servitii praestiti, prono alveo fluit,

*) Vd. *p. 194. c.*

eos esse vere distributiones quotidianas, fructus enim et perpetuo ipsi beneficio adnexi sunt ac beneficiato ex sola ratione beneficii absque alio onere vel servitio debentur; e contra vero distributiones rependuntur ex causa actualis servitii interessenti in choro divinis officiis pro rata servitii ipsius, ceu post Gonzalez. *in reg. 8. cancel.*)* §. *7. praem. n. 186*, *Piton. disc. eccl. 1. n. 16.* affabre docet *s. Congr. in Anagnina Distribut. 22. Augusti 1840.* §: *Fructus.*

Hinc suapte natura consequi ait duas ex tribus partibus universorum reddituum ad Sabatini canonicatum spectantium ipsi competere, tertia tantum deducta, quae ceteris Capitularibus choro praesentibus accrescat.

Et nodum in scirpo quaerere adversarios observat, cum quotam sane spectabilem a computo avellere adlaborant, scilicet fructus qui, uti superius relatum, in Cathedrali Valvensi audiunt »*del Ripartimento*« *contendentes fructus istos* indolem praeseferre distributionum quae vere fiunt inter praesentes, exclusis iis qui fictione juris tantum servitium praestant, scilicet quia ex praefata Capitularium attestatione certus punctorum 800 numerus requiritur ad effectum eas distributiones lucrandi. Verum enimvero commentum hoc mole sua ruere ait, si momento temporis rite perlegatur attestatio ipsa; ergo redditus *del ripartimento* eodem jure eodemque modo dividuntur ac omnes alii ratione servitii, idest per modum distributionum quotidianarum.

Porro hoc ipsum firmari pergit ex lectione *artic. 22. 23. et 24.* capitularium constitutionum, e quibus luculenter eruitur, fictam suffragari praesentiam ad lucranda puncta et distributiones: siquidem disponitur quod Canonicus de consensu majoris partis capituli absens praefata puncta ad ripartimentum obtinendum requisita lucretur; itemque edicitur de Canonico ab infirmitate impedito.

Demum his omnibus accedere demonstrat observantiam, quandoquidem Rosarius quidam Russo canonicatu Valvensis Cathedralis auctus sub anno 1842 eumdem retinuit usque ad annum 1847, quin unquam per id temporis Valvae resederit, eo quod a secretis extiterit Episcopi Mirone; et tamen ex regestris dati et accepti liquet, unoquoque anno eidem traditos fuisse redditus ripartimenti. Praeterea constat Capitulares ipsos hodiernos dum adhuc pacato animo erant redditus ripartimenti sub anno 1856, quum primum canonicatum est assequutus, Sabatino pacifice persolvisse, facto sic proprio probantes jus percipiendi *redditus del ripartimento* favore Canonicorum in Episcopi servitio distentorum.

Hisce praejactis proponitur

Dubium:

An et quomodo sit exequendum rescriptum s. Congregationis diei 28. Septembris 1858. favore Canonici Joannis Sabatino in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus.

Die 31. Mart. 1860.

c) Propter bellum aliaque tempora infausta. Vd. t. II. p. 576. m.

Avenionen.

Inde ab anno 1708 sacerdos Amantius de Augier, qui tum pridem canonicalem praebendam obtinuerat in ecclesia cathedrali Avenionen., emissa fidei professione coram R. Vicesgerente supplex sacram Congregationem adiit, ut attentis servitio, quod Eminentissimo Cardinali della Tremoille impendebat, ac ingruentibus tum bellorum calamitatibus ex quibus tutus non erat ad residentiam accessus, EE. PP. indulgere ipsi benigniter dignarentur opportunum indultum lucrandi fructus et proventus omnes in absentia non obstantibus ecclesiae praedictae aliisque statutis et consuetudinibus quibuscumque. Hinc sub die 11. Februarii jamdicti anni 1708 rescriptum prodiit: ut orator veris existentibus narratis a residentia sui canonicatus per annum proximum tantum pro arbitrio et conscientia Ordinarii ex causa praemissa abesse possit et interim omnes ejus fructus percipere amissis distributionibus quotidianis; quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent vel si redditus praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum simul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.*) Nondum anni circulus completus erat, quod orator iisdem allegatis causis sub die 15. Decembris tum sequentis indulti annalem prorogationem assecutus fuit pro arbitrio pariter et conscientia Ordinarii servata in reliquis forma praecedentis indulti. Similem quoque prorogationem per annum obtinuit in Congregatione diei 12. Aprilis 1710, ea tantum superaddita clausula: ut praesens indultum oratori non suffragaretur ad evitandas poenas contentas in edicto eminentissimi Urbis Vicarii contra non residentes, nisi idem indultum exhibeatur infra octo dies in secretaria ejusdem eminentissimi Vicarii. Iterum vero supplex rediit orator sub die 24. Aprilis ejusdem anni 1719 ac expresse prorogationem efflagitavit a prima die tum currentis mensis Aprilis anni 1710. usque ad primam Aprilis 1711, quemadmodum voti compos effectus fuit ad formam praecedentis indulti itemque sub die 14. Martii 1711 ac sub die 5. Martii 1712. alias respective annales prorogationes orator ipse consequutus fuit; renovatis quoque precibus causaque tantum exposita servitutis, quam exhibeat praelaudato eminentissimo della Tremoille, in Congregatione diei 1. Aprilis 1713. alteram orator annualem prorogationem obtinuit cum clausula: *servata in reliquis forma praecedentium indultorum.* Quoniam vero interim exhibitus fuit supplex libellus ad Archiepiscopum pro comprobatione remissus, quo capitulum Avenionense de longaeva ejusdem Canonici absentia conquerebatur proindeque sub die 23. Septembris anni 1713 inscriptum fuit in regesto secretariae consuetum, ut ajunt: *Nihil transeat*, ad ipsius instantiam nisi capituli procuratore prius citato hinc idem ipse Canonicus Amantius confugit ad sac. Congregationem, repetita eadem causa ac sub die 17. Martii 1714 prorogationem saepedictorum indultorum consecutus fuit iis adjectis clausulis: *juxta formam praecedentium indultorum sine tamen praejudicio pendentiae litium ac praesens gratia incipiat a die terminati ultimi indulti.* Sub his supervenit Archiepiscopi Aven. informatio, qua exponere non dubitavit, quod primum ab oratore reportata indulta admitti capitulo non reluctante curavit, caeteroquin vero non adeo erat terra marique interclusus aditus, quin subditi praecipue Sedis apostolicae Avenionem accedere possent. At quia novas annuatim prorogationes orator exhibere non cessabat, semel iterumque monitum ipse fecit ejus procuratorem, ut vel indulta pure gratiosa impetraret aut narratorum veritatem saltem extrajudicialiter deinceps comprobaret, cum de veritate difficilis accessus, grave dubium insurgeret. Subinde vero exposito indulto solam servitii supradicti causam allegante saepedictus Archiepiscopus inquit, nullam in eo admittendo formam servandam esse censuisse, cum facile EE. VV. de veritate certiores essent vel esse possent, constare vero, subtexit, quod orator Amantius neque servitium unius diei inchoavit sed continuis per annos septem indultis donatus fuit, ac propterea nec in manibus capituli professionem emisit; distributiones capitulares vere quotidianas esse idem relator censet, licet quotidie non distribuantur, praesertim portiones vini et frumenti; etenim nihilominus punctationibus subjacent; neque inficiari posse concludit, quod ex capitulari deliberatione recursus fuit expositus in sac. Congregatione adversus Amantium, quidquid sit, an Canonici nonnulli datum retractent consensum, ut latius ex relatione, quae in summario dabitur. Instauratur itaque impresentiarum controversia tum super primo indulto ac successivis prorogationibus: num scilicet causae in ipsis expositae satis verificatae comperiantur cum particulariter super ultima prorogatione, ut asseritur, reportata nequaquam monito procuratore capituli, qui *Nihil transeat*, ut praefertur, inscripserat. Caeterum ex documento exhibito constat, saepedictum Canonicum Amantium fructus sive distributiones massae grossae annuatim percepisse amissis distributionibus quibusdam, quae nuncupantur minutae. Hinc monitis partibus bina proponuntur dubia ex latius adducendis solita sapientia et prudentia resolvenda:

I. *An indultum et prorogationes, de quibus agitur, suffragentur Canonico d' Augier et quae ad effectum faciendi fructus suos?*

II. *An ultimum indultum prorogationis sustincatur vel potius sit reportandum?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam et orator post finem ultimi indulti redeat omnino ad residentiam et amplius.

Die 26. Jan. et 9. Febr. 1715.

Leodien.

(De Canonico qui simul Episcopus propter

*) Vd. *t. II. p. 820.*

*) Vd. *p. 193.* §: *Ad.*

infausta tempora ad residentiam redire non potest.)

Vd. *Canonicatus* (fructus percipiendi ex facultate apost. a Canonico etc. p. 188. IV.)

Cum de anno 1687. vacaverit sedes episcopalis Namurcensis extitit de ea provisus a s. m. Innocentio XII. Ferdinandus Maximilianus de Berlà Canonicus praebendatus necnon Archidiaconus Campiniae nuncupat. cathedralis ecclesiae Leodien. Ut autem novus provisus suum episcopale decus decentius tenere possit, idem Pontifex motu proprio eidem indultum concessit retinendi ad decennium una cum ecclesia Namurcensi canonicatum et archidiaconatum praedictos ecclesiae Leodien. cum clausula: *non obstantibus* etc. et cum altera clausula: *praeviso, quod canonicatus et praebenda et archidiaconatus hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta;* prorogatum ad aliud decennium a SS. D. N. de anno 1707. Verum de mense Februarii 1710 capitulum et Canonici Leodienses hortati sunt Episcopum ad residendum saltem per trimestrem in eorum ecclesia, si lucrari vellet fructus tam canonicatus quam archidiaconatus. Viceversa Episcopus residens in sua ecclesia Namurcen. autumat, sibi liberum non esse adire Leodium inter vigentes bellorum strepitus qua de re recursum habuit ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis, quatenus hoc belli tempore dignetur eidem indulgere integros fructus canonicatus et archidiaconatus absque obligatione residentiae, cujusmodi simile apostolicum indultum eadem de causa difficultatis ad residendum obtinuerunt tres alii Canonici dictae ecclesiae Leodien. impraesentiarum Namurci degentes, exhibens se caeteroquin orator necessarias visitationes obire in districtu sui archidiaconatus.

Requisitus fuit desuper informare Nuncius apost. Colonien. qui ad explorandam veritatem precum oratoris audivit tam capitulum Leodiense quam eundem Episcopum, quorum hinc inde objectiones, nempe capituli et responsiones Episcopi ad S. C. transmisit, prout in sumar. dabuntur. Retulit porro informans, se monuisse tam capitulum ut interim abstineat a quacumque innovatione, quam Episcopum, ut quamprimum visitet archidiaconatum suum, idque saltem quotannis peragat, quod ei liberum est, omnemque operam adhibeat, ut eodem belli tempore sibi permittatur adire Leodium ibique residentiam trimestrem agere, cum caeteroquin residentia sex mensium requisita per statuta capituli Leodien. ad consequutionem omnium fructuum ab eo exigi non valeat, cum gravior sit obligatio residendi in episcopatu, quin et vigore statutorum praesentes censentur Canonici Archidiaconi districtum suum visitantes pro tempore visitationis, alioquin inutile redderetur apostolicum indultum retinendi praebendam et archidiaconatum praefato Episcopo concessum ad sublevandam tenuitatem reddituum mensae episcopalis Namurcensis. In altera vero relatione idem Nuncius transmisit documenta ostendentia Episcopum satisfecisse ejus adhortationibus indicendo visitationem propediem obeundam aliaque explevisse pro gubernio dicti archidiaconatus ac diligentias continuasse, ut sibi Leodium adire fas sit, uti latius ex praefatis relationibus una cum praemissis aliis documentis in summar. exhibendis. Ex quibus orator ipse deprecatur hodie EE. VV. decernere:

An et quomodo oratoris precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.:

Pro gratia juxta modum ad biennium durante impedimento accedendi ad ecclesiam amissa tertia parte, quae accrescat interessentibus, et Episcopus curet interim removere dictum impedimentum necnon visitet archidiaconatum.

Die 5. Sept. 1711.

Cont. Leodien.

Effusis precibus ad sac. Congreg. remissis Episcopus Namurcensis SS. D. N. benignitatem imploravit, quatenus vigentibus infaustis bellorum temporibus eidem indulgere dignaretur absque residendi onere integros fructus canonicatus et archidiaconatus, quos ex apostolico indulto obtinet in ecclesia Leodiensi; idcirco in Congregatione diei 5. Septembris 1711. proposito dubio:

An et quomodo Namurcensis oratoris precibus sit annuendum?

responsum prodiit: *Pro gratia ad biennium, durante impedimento accedendi ad ecclesiam, juxta modum*, videlicet amissa tertia parte fructuum, ita tamen ut curae esset Episcopi removere impedimentum, quo

praepediebatur adire Leodium, ac visitationem archidiaconatus expleret. Sub his insistente praelibato Episcopo pro declaratione, quod biennium hujusmodi computandum esset, ex quo bellorum strepitus invalescere coeperunt, sub die 5. Martii 1712. placuit EE. PP. respondere: *biennium currere a die recursus ad sac. Congregationem, nempe a die 20. Septembris 1710.* Quapropter in Congregatione diei 27. Augusti praelapsi anni jamjam labente hujusmodi biennali indulto iisdemque perseverantibus obstaculi causis orator ipse prorogationem ad annum obtinuit cum solitis clausulis. Nuper vero insurrexit capitulum ecclesiae cathedralis Leodiensis, qui autumat ejusmodi gratiam et consecutivam prorogationem, ut praefertur, ab Episcopo Namurcensi impetratam omnino corruere tum quia nullibi constare asserit mox dictum Praesulem curam subinde adhibuisse pro obstaculi remotione, verum etiam cum praememoratum indultum retinendi simul canonicatum et archidiaconatum viribus careat, quo subreptitie et obreptitie tum expositum fuisse, contendit, earum praebendarum fructus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem non excedere, cum caeteroqui iidem proventus adamussim summam pertingant similium ducatorum plusquam mille, quemadmodum ex documentis, quae in summario dabuntur, liquere autumat. Caeterum saepedictus Episcopus Namurcensis pluribus haec retundere conatur, prae caeteris contendens, nullum praetermisisse studium, quo liberum sibi esset adire Leodium. Hinc ex his aliisque, quae uberius utrinque adducuntur, non dedignentur EE. VV. sapienter resolvere consuetum dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis sub diebus 5. Septembris et 27. Augusti 1712 in casu etc.?

S. C. resp.: In decisis et amplius.

Die 13. Maji 1713.

d) Caecitatis causa.

Vd. *Chorus* (absentiae causae — caecitas, decr. *Spoletana.)*

e) Propter confessiones audiendas.

Vd. p. 154. II; *Chorus* (absentia.)

Auximana.

Antiquitus erecta Collegiata Montis Fani Auximanae dioecesis praeter beneficiatos, qui ecclesiae inserviunt, octo habet Canonicos ac Praepositum, quorum cuilibet sua constituta est separata praebenda, ac praeterea massam possident communiter administratam, cujus redditus ratione majoris minorisve servitii distribuuntur interesse habentibus, et haec massa pinguior est praebendis, quibus unusquisque ex Canonicis fruitur. Singulis autem ex iis adeo inhaeret onus coadjuvandi praepositum in iis, quae sunt parochialis officii, ut cum primum canonicatus possessionem capiunt parochialibus muneribus obeundis juramentum emittere debeant; et quoties inhabiles renunciantur ad audiendas sacramentales confessiones vel jubilationis indultum post expletum laudabile quadragenarium servitium consequuntur ab exercitio praefati oneris juxta episcopalia decreta et rescripta s. hujus Congregationis sive per se sive per alios obeundo eximuntur.

Haec animarum cura, cujus exercitium primario penes praepositum, secundario vero penes caeteros Canonicos tamquam praepositi coadjutores residet, praecipua causa fuit, cur SSmus restitutis rebus per Eminentissimum a Secretis status redintegrari mandaverit die 28. Martii 1820. memoratam collegiatam ecclesiam, quae caeterarum vicissitudines in italico gubernio perpessa fuerat.

Quare in locum residentiae sese conferre debebat Canonicus Franciscus Vagnozzi officium confessarii octo fere abhinc annis exercens in monasterio visitationis s. Mariae loci Offaniae ejusdem Auximanae dioecesis. At moniales supplicarunt Sanctissimum, ut dignaretur confirmare ad alios sex menses praefatum Canonicum in munere confessarii illumque dispensare a residentia in nuper restituta parochiali Collegiata Montis Fani, ita tamen, uti idem Canonicus posset pro suo libitu vel fallentias persolvere vel tertiam partem distributionum amittere vel per coadjutorem aut substitutum residentiali munere fungi, quin res in capituli manibus poneretur. Confirmationem in officio confessarii indulsit Sanctissimus at in reliquis voluit, ut ipsemet Canonicus Vagnozzi recurreret. Hic proinde ad exitum properante semestre concessae absentiae supplicem exhibuit libellum eidem sacratissimo Principi exponens restitutionem Collegiatae et indultum postulans absentiae.

Voti compos factus a secretaria Memorialium rescriptum prodiit, *ut a residentia et*

servitio chori abesse valeat et nihilominus canonicatus sui fructus, redditus ac proventus percipere possit ad sex menses dumtaxat. Eminentissimus Episcopus, cui fuerat concessio pro executione commissa, in rescripto haec addidit: *Relicto interim onere eidem oratori sacerdotem confessionibus audiendis approbatum et idoneum substituendi, qui in obeundis muneribus parochialibus Collegiatae sui ipsius vices gerat.* Et hoc indultum ad alios sex menses iterum a Sanctissimo fuit prorogatum.

Interea Angelus Raffaelli ejusdem Collegiatae beneficiatus a Canonico Vagnozzi rogatus ejus vices gessit quoad aegrotorum assistentiam, quousque audivit se obnoxium futurum iri punctaturis, nisi a supplendis vicibus absentis Canonici abstineret tempore choralis officiaturae. Quamvis enim Canonici ob onus praebendae adnexum absint ad praestandam aegrotis assistentiam, quin fallentiis subjiciantur, non ita tamen sit in beneficiatis iis, qui ex propriae praebendae fundatione hoc onus non habent.

Obtenta indulta Canonicus exhibuit, cum de distributionum massa dividenda aliquid consilii Canonici capere parabant. Sed quia distributiones lucrandi una cum praebendae fructibus facultatem sibi factam a Sanctissimo fuisse contendebat Vagnozzi, negabat vero capitulum, vehemens hinc exarsit controversia, quae dirimenda s. huic Tribunali fuit ablegata. Exoptat itaque capitulum, ut declaretur non solum Vagnozzi quotidianas distributiones admittere debere, verum etiam eamdem mercedem ab eodem esse persolvendam, quam pro substituto in cura animarum impendere debuisset.

Eminentissimus Episcopus, qui fuit de sua sententia rogatus, epistolam transmisit Vicarii foranei, in qua legitur, quae sit ecclesiae illius consuetudo quaeque constitutiones capitulares.

Capitulum plura affert in suis scriptis, ut ostendat indulta a Canonico Vagnozzi obtenta nullitate laborare utpote obreptionis et subreptionis labe infecta; ab hoc vitio e contrario se argumentis defendit Canonicus Vagnozzi, sed ab his referendis consulto me abstineo, tum quia petita a capitulo facultas super iis obloquendi non fuit concessa, sed tantum rescriptum fuit a R. P. D. Auditore Sanctissimi sub die 14. Junii proxime praeteriti: *Adeat s. Congregationem Concilii*, tum etiam quia quaestio definiri valet interpretatione dumtaxat rescripti Sanctissimi, quin obreptitium declaretur, prae oculis nimirum habitis iis indulti verbis: *et nihilominus canonicatus sui fructus, redditus ac proventus percipere et exigere valeat*, utrum scilicet haec facultatem Canonico Vagnozzi dederint percipiendi nedum praebendae redditus sed etiam quotidianas distributiones, et deinceps tuto judicari possit quid percipere ipse valeat quidque amittere debeat.

Docent canonistae, fructus praebendarum ac distributiones quotidianas valde differre inter se, illorum enim nomine venit quidquid percipitur ex bonis vel juribus fixe ac perpetuo ipsi beneficio adnexis ac beneficiato ex sola ratione beneficii absque alio onere vel servitio debitis: distributionum e contra appellatione intelliguntur ii redditus, quibus beneficiatus fruitur ex causa actualis servitii, interessentiae in choro ac divinis officiis. Certum quippe esse tradit de *Luca de canon. et capit. dis. 16. n. 2. et 6.* dictis distributionibus non convenire vocabulum *fructus*; quodque magis praecise confirmat *Gonzal. sup. reg. 8. cancell.**) §. *7. praem. num. 186*, id ipsum tradit *Piton. disc. eccl. 1. 2. 16* et *Rota in addit. ad decis. 576. part. 4. recen. sub num. 52.* docuitque s. haec Congregatio tum in *Dubiis indultorum 6. Martii 1820* tum in *Romana Pensionis 21. Julii proximi praeteriti.* Hinc ea est s. Congregationis praxis, ut quoties conceduntur indulta absentiae vel causa studiorum vel ratione munerum, quae non sunt adnexa praebendae, semper quotidianae distributiones amittantur ab indultariis, si excipiantur addicti s. Sedis servitio sive in ecclesiastico sive in temporali munere, prout jam statutum fuerat a Congregatione particulari deputata a s. m. Innocentii XII. Hinc contendit capitulum, debere Canonicum Vagnozzi amittere tertiam distributionum quotidianarum partem cum expressam facultatem ei Sanctissimus non indulserit lucrandi quotidianas distributiones, quas ex jure amittunt absentes licet ex legitima causa non tamen ex onere vel munere propriae praebendae injuncto in fundatione, sed ut alterum officium exerceant, ex quo etiam lucrum percipiunt, ut in themate esset in Canonico Vagnozzi, qui et integros praebendae fructus et distributiones perciperet et praeterea emolumentum exigeret a monasterio ob confessarii munus.

*) Vd. *t. II. p. 820.*

At favore Vagnozzi animadverti posset praeter fructus omnes sui canonicatus aliquid aliud ei voluisse concedere SSmum, ne caetera rescripti verba scilicet *redditus* et *proventus* nulliter jacerent. Et quoniam praeter fructus et distributiones quotidianas nil aliud percipiunt Canonici Montis Fani, hinc etiam istae aequipollenter concessae videntur, expressi namque et aequipollentis eadem est ratio, *L. cum quid ff. si cert. petat. L. si filius familias ff. eodem*, unde aequipollentia videntur verba: *redditus et proventus.*

Quatenus EE. PP. censeant verba indulti non loqui etiam de distributionibus quotidianis ita ut sint hae a Canonico Vagnozzi amittendae, tunc judicare debebunt, an hic praeterea relaxare aliquid aliud debeat ratione non exercitae curae animarum, quod emolumentum persolvere debuisset substituto deputando juxta Episcopi exequutoriale decretum. Hoc emolumentum ut persolvatur a Canonico absente postulat capitulum.

Et sane etiam ex justa causa e paraecia parochi discedentes relinquere debent idoneum Vicarium, qui cum ejus vices gerat ab eo debitam mercedem exigat congruum aequumque est; dignus est enim operarius mercede sua. *Reiffenst. lib. III. in jus can. tit. 4 n. 28.* Et revera apud Collegiatam Montis Fani invaluit praxis, Canonicum sive absentem jubilatumve vel debita scientia carentem suis sumptibus Vicarium idoneum, qui praepositum coadjuvet, relinquere debere.

Sed Vagnozzi consentiente Emo Episcopo in Vicarium reliquisse asserit beneficiatum Raffaeli; idque retulisse capitulo in aula capitulari degenti ad negotia expendenda.

Negant ex adverso hanc relationem Capitulares eamque non apparere ajunt in publicis libris. Juratam dein attestationem memorati Raffaeli transmiserunt adfirmantis, a Vagnozzio fuisse requisitum pro suis vicibus adimplendis, donec abesset, in infirmorum tantum adsistentia. Cum autem praeterito mense Novembris ei innotuisset ob hujusmodi servitium non eximi a punctaturis illud statim deseruit nec emolumentum sibi promissum pro labore recepit.

Videant itaque EE. PP. utrum quod supra de parochis praescribitur, quorum absentium vices nullus alius ex officio peragere debet, locum habeat in Canonicis Montis Fani, qui omnes ad coadjuvandum praepositum in exercitio curae adstringuntur; ita ut si eorum aliquis, non relicto vicario, a residentia discedat, caeteris, qui illius onera implerunt, mercedem impendere debeat. Et quoniam Canonici separatam non possident praebendam, qua praecise iis assignata sit cura animarum, sed omnes praebendae fructus pro utriusque officii onere percipiuntur, videant EE. PP., utrum in distributionibus quotidianis contineatur etiam emolumentum pro compensatione majorum laborum.

Sit itaque sequens dubium dirimendum:

An et quibus fructus, redditus et proventus sui canonicatus percipere debeat Canonicus Vagnozzi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Die 24. Novbr. et 22. Decbr. 1821.

f) A Canonico, qui professionem fidei non vel non rite emisit.

Vd. *Canonicatus* (fructus percipiendi tempore absentiae propter munus Vicarii generalis etc. p. 200. h.)

Ad dubium 1: An fructus percepti per Priorem Collegii s. Jacobi Tolent. ob omissam professionem fidei coram Ordinario sint restituendi a die captae possessionis?

Et quatenus affirmative,

2. An et quomodo et cui dicti fructus sint applicandi?

S. C. C. resp.

Ad 1.: Negative.

Ad 2: Provisum in primo.

Die 2. Mart. et 16. Maji 1739.

g) Legendi causa.

Vd. *Praebenda theologalis; p. 100. n. 5.*

(Conc. Tr. sess. 5. c. 1. de reform.)

Tridentina sacrosancta synodus piis summorum Pontificum et probatorum conciliorum constitutionibus inhaerens easque amplectens et illis adjiciens, ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate homi-

nibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis, in quibus praebenda aut praestimonium seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii eos, qui praebendam aut praestimonium seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacrae scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et aliis locorum Ordinariis eligendum etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant.

De cetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quae per se ipsos id munus explicare possint, conferantur: et aliter facta provisio nulla sit et invalida. In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur: et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacrae scripturae lectio habeatur, ita tamen, ut quaecumque aliae lectiones vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae propter id minime praetermittantur. Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat ut deinceps ad ipsa sacrae scripturae studia, annuente Deo, transire possint: ideoque illi magistro grammatices vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suae ecclesiae et dioecesi accommodam, ne pia haec, utilis atque fructuosa provisio quovis quaesito colore negligatur. In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacrae scripturae habeatur; qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc ut Sedis apostolicae delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacrae scripturae lectio similiter habeatur: quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris. In gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum principum ac rerum publicarum pietate et charitate ad catholicae fidei defensionem et incrementum sanaeque doctrinae conservationem et propagationem instituatur et ubi instituta foret et negligeretur, restituatur. Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta synodus, neminem ad hujusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus et scientia examinatus et approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur. Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis studeant, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant et fruantur.

h) Propter munus Vicarii generalis et rectoris seminarii gerendum.

Capuana.

Jo. Franciscus Palmerius a s. Sede sub mensem Junii superioris anni canonicatu seu praebenda diaconali provisus in metropolitana ecclesia Capuae cum ejusdem canonicatus possessionem per procuratorem caepisset, animadvertens veterem in dicta ecclesia vigere consuetudinem seu statutum quo Canonici recens provisi et possessionem per procuratorem adepti nequeunt ad ullam fructuum et emolumentorum participationem admitti, nisi prius servitium aliquod choro ecclesiaeque praestiterint, supplicem sacrae huic Congregationi porrexit libellum quo expositis tum recensita canonicatus possessione a se per procuratorem accepta tum memoratis dictae ecclesiae consuetudine seu statuto, addensque, munus Vicarii generalis et rectoris seminarii Montis Falisci nuper sibi fuisse ab eminentissimo Episcopo commissum propter quod se conferre ad residentiam sui canonicatus tunc temporis non poterat; humillime postulavit sibi indultum non residendi una cum facultate percipiendi fructus ejusdem canonicatus impertiri illudque sub diem 28. Septembris 1737. obtinuit »per annum tantum, si tamdiu in supradictis muneribus perduraverit« adjecta clausula: »ut interim omnes ejus fructus a die adeptae possessionis per procuratorem, praemissa consuetudine seu statuto minime obstantibus, percipere valeat, amissis tamen distributionibus quotidianis.«

Subinde vero idem Canonicus Palmerius, cum praevia Archiepiscopi Capuani licentia fidei professionem in manibus dicti eminentissimi Cardinalis Episcopi Montis Falisci emisit, quia capitulum praefatae metropolitanae ecclesiae authumabat, enunciatam fidei professionem in finem lucrandi fructus ei minime suffragari, sed emittendam fuisse coram Archiepiscopo et capitulo ad formam sacri concilii Tridentini *sess. 24. cap. 12. de ref.*

Publicam orthodoxae fidei professionem intra duos menses a die captae possessionis coram Episcopo seu ejus officiali et in capitulo coram Canonicis legitime congregatis per se ipsos fieri debere ab iis, qui dignitates aut canonicatus in cathedralibus praesertim seu metropolitanis ecclesiis fuerunt assecuti, sancivit sacrosancta Tridentina synodus *sess. 24. cap. 12. de ref.*, ibi: »Provisi de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram Episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem (nempe fidei professionem) facere teneantur,« idque ipsum, redintegrata necnon ad quoscumque beneficiatos ampliata mox relata conciliari lege, novissime constituit san. mem. Benedictus XIII.*) in concilio romano *tit. 1. cap. 1.* et ita saepius resolutum fuit a sacro hoc tribunali et signanter *Valentina 1610. lib. 11. decret. pag. 91* et in *Sarzanen. Professionis fidei 14. Januarii 1679 lib. 30. decret. pag. 244*, in causa, cui titulus: *Dubium professionis fidei 7. Augusti 1683 lib. 33. decr. pag. 245.*, in *Calaguritana 22. Septembris 1696 lib. 46. decr. p. 420* et in *Ulixbonen. 2. Octob. 1717 lib. 67. decr. pag. 429.*

Dignitates vero et Canonici sanctioni huic obsequi negligentes, licet quotidianis distributionibus, si choro intersint, voce in capitulo aliisque juribus et praerogativis ex dignitatum seu canonicatuum possessione promanantibus non priventur, juxta resolutiones sacrae Congregationis, et praesertim in Regien., ubi responsum: »Distributiones quotidianas non comprehendi in hoc casu verbis concilii dicto *cap. 12. sess. 24. de ref.*,« ut in *lib. 1. decr. pag. 65.* et in *Nullius 1595*, in qua rescriptum fuit: »Omissionem professionis fidei non privare Canonicum supranarratis possessionis effectibus, sed ipsum et vocem in capitulo et jus praecedendi a die adeptae possessionis habere, nisi aliud obstet, quamvis professionem fidei non emiserit,« ut in *lib. 8. decr. pag. 124*, fructus tamen a die elapsi bimestris decursos non faciunt suos nec quoad eos percipiendos possessio dignitatum quidquam ipsis suffragatur veluti patet ex memorato Tridentini decreto, ubi post injunctum onus emittendi fidei professionem ita subjungitur: »Alioquin praedicti omnes provisi, ut supra fructus non faciant suos nec illis possessio suffragetur« et consonant tum concilium romanum loc. cit. eamdem poenam indicens tum etiam decretum sac. Congregationis in *Alatrina 12. Februarii 1661* ita conceptum: »Sac. Congregatio censuit, oratorem lucratum fuisse fructus duorum mensium a die captae possessionis, reliquos vero usque ad emissam fidei professionem in capitulo suos non fecisse,« ut in *lib. 22. decr. pag. 451.*

Haec in jure communiter recepta sunt; verum quia Canonicus Palmerius in nostro themate fidei professionem intra legitimum duorum mensium terminum emittere non neglexit solumque dubitatio oritur, num dicta fidei professio, praevia Archiepiscopi licentia, in manibus eminentissimi Cardinalis Episcopi Montis Falisci emissa rite valideque ad praescriptum Tridentini expleta censenda sit, praecipue in finem lucrandi fructus canonicatus, duo ad absolutam causae definitionem superaddenda esse videntur, alterum

*) Vd. *Professio fidei.*

scilicet, quod Dignitates seu Canonici justo aliquo detenti impedimento, quominus se ad residentiam intra duos menses conferre ibique coram Episcopo et in capitulo fidei professionem emittere possint, nequeunt ad Episcopum confugere pro licentia enunciatam fidei professionem in alterius manibus emittendi, sed sacram hanc tenentur adire Congregationem, quae licentiam seu indultum faciendi dictam fidei professionem coram eminentissimo Urbis Vicario vel in manibus Datarii, si in curia reperiantur, aut coram alio Episcopo in cujus dioecesi maneant consuevit elargiri, sub ea tamen salutari clausula: »dummodo cessante impedimento ad suam se conferant residentiam ibique eamdem fidei professionem coram Ordinario et in capitulo iterum emittant,« quemadmodum de stylo testatur *Monacell. formul. legal. for. eccles. par. 1. tit. 2. for. 13. n. 5*, et constat ex resolutionibus ejusdem sacrae Congregationis in *Nullius 1597 lib. 9. decr. pap. 4*, in *Regien. 1622 lib. 12. decr. p. 72* et in *Bergomen. 23. Novembris 1630 lib. 14. decr. pag. 349.*

Alterum autem est, quod Dignitates, Canonici caeterique ad fidei professionem emittendam obstricti, si eam statuto tempore emittere negligant aut si minus rite illam expleant, coguntur itidem ad supremum hoc tribunal recurrere pro facultate eamdem fidei professionem, etiam elapso tempore, emittendi aut eam veluti minus rite ac invalide peractam renovandi, juxta decretum editum in *Valentina 1599 lib. 9. decr. pag. 81;* iis vero recurrentibus solet sacra Congregatio dictam facultatem impertiri ac fructus etiam eousque perceptos si in bona fide fuerint condonare, sub onere tamen aliquid pauperibus elargiendi arbitrio Episcopi vel sui confessarii, uti praeseferunt resolutiones in *Novarien. 16. Martii 1630,* ubi sic habetur: »Sacra Congregatio condonavit oratori omnes fructus quos ob non emissam fidei professionem suos non fecit, ita tamen, ut eleemosynam arbitrio Episcopi pauperibus eroget et quam primum eamdem fidei professionem ad sacri Concilii praescriptum emittat,« ut in *lib. 14. decr. pag. 250* et in *Bisignanen. 17. Augusti 1630,* in qua ita rescriptum fuit: »Sacra Congregatio attenta oratoris bona fide benigne eidem condonavit omnes fructus hactenus perceptos ita tamen, ut aliquid eleemosynae arbitrio sui confessarii pauperibus Christi elargiatur« ut in *lib. 14. decr. pag. 316.*

Canonicus Palmerius rectam conscientiae suae voluntatem, qua fidei professionem in manibus eminentissimi Episcopi Montis Falisci peregit, in sui praesidium maxime praetendit, capitulum vero cui praefixus fuit terminus ad deducenda jura in sac. Congregatione hactenus ea non attulit. Ex praemissis itaque dignabuntur EE. PP. deliberare:

An sit concedenda sanatoria ad effectum percipiendi fructus canonicatus in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative erogata in pauperes aliqua eleemosyna arbitrio Archiepiscopi sub obligatione repetendi professionem fidei in manibus ejusdem Archiepiscopi et coram capitulo cum primum advenerit ad residentiam et amplius.

Die 6. Decbr. 1738.

i) Propter deportationem sine culpa peractam.

Nullius Sublacen.

Postulantibus Canonicis collegiatae ecclesiae Trebarum, ut eis restituerentur distributiones, quas percipere potuissent, nisi exules ac deportati fuissent ob recusatum juramentum fidelitatis, per rescriptum diei 5. Februarii 1817. delegatae fuere eorum preces Emo Abbati, ut cogeret eos Canonicos qui praesentes remanserunt, ut has distributiones absentibus ex causa deportationis restituerent. Reclamante vero Archipresbytero et iis, qui praesentes choro fuere Emus Abbas ita in suis literis rem exponit: *Non de fructibus praebendarum nec de quotidianis distributionibus agitur, verum de incertis ut vocant emolumentis ac iis quidem duplici genere, ut patet ex juribus utrinque deductis, quae judicio EE. VV. subjicienda esse censui, nempe quae Canonici eo tempore praesentes afferunt, quae caeteri absentes ad ea responderunt, quibus addidi epistolam ad me postremo scriptam ab Archipresbytero, nempe ab uno ex praesentibus, qua istorum argumenta recentissimo exemplo confirmari a se posse credidit. Hac in causa quid ego sentiam explicabo brevi: quoniam incerta de quibus agitur bifariam dividuntur, ut alia redeant ex piis legatis oneribusque, quibus inter annum satis faciendi certa capitulo sit lex, quamquam si qui ex capitulo haud intersint, non alia ii mulctentur poena, quam ut nihil emolumenti percipiant: alia vero pro re nata ex funeribus, anniversariis aliisque sacris functionibus voluntaria fidelium pietate indictis proveniant, universe quidem utroque de genere statuendum videretur, haud aliis nisi qui coram adfuissent precesque suas in pium opus contulissent jus esse emolumenta eadem percipere.*

Referam EE. PP. quae Archipresbyter et caeteri Canonici praesentes, quae absentes et deportati deducant, quid tandem eminentissimus Abbas super hac controversia censeat.

Archipresbyter et reliqui Canonici praesentes contendunt nihil aliud constituisse sanctissimum Dominum Nostrum neque hanc s. Congregationem definivisse in *Reatina Fructuum et distributionum 18. Martii et 19. Augusti* et in *Ferentina Fructuum et distributionum 9. Septembris utraque anni 1815* nisi ut absentes ex causa deportationis pro praesentibus haberi debere ad effectum lucrandi fructus et distributiones. At hoc intelligi oportere de distributionibus quotidianis, non de distributionibus incertis, quae ex celebratione missarum et anniversariorum, quae solis vere praesentibus debentur, adeo ut nec eas lucrari possint ii Canonici, qui in Pontificalibus Episcopi assistunt, ut statuit s. Congregatio in *Bosanen. 6. Februarii 1734.* In capitulo vero Trebarum observantia inductum est, ut haec incerta emolumenta ne quidem ab infirmis exigantur, propterea quod vera praesentia necessaria est.

Canonici vero absentes respondent, quod quaedam incerta quae ex legatis proveniunt certa sunt et intra annum lucrantur; haec consequuti fuissent, nisi vi expulsi a patria abfuissent et saepe alias ab hac s. Congregatione definitum reperiri, Canonicos ob injustam carcerationem lucrare omnes distributiones. Incerta vero manualia quae ex eventualibus funeribus proveniunt lucrari posse contendunt ex praesumpta benefactorum voluntate, cum una esset populi mens, quae maxime adhaerebat iis ecclesiasticis, qui religionis ac fidelitatis causa tot tantisque malis oppetebantur. Quidquid vero sit de infirmis, certum est in capitulo Trebano Archipresbyterum et Canonicum poenitentiarium, quo tempore ille muneribus prochialibus, hic confessionibus excipiendis detinetur, haec emolumenta lucrare, idcirco quia pro legitime impeditis habentur. Quae sane ratio in ipsos concurrit, cum vi detenti fuerint, quominus choro inservirent.

Eminentissimus Abbas ita concludit: *Sed vereor, ne minus aequum videatur, si totum quidem capitulo persolutum fuerit, quantum antea persolvi consueverat, dum singulis Canonicis nihil obstare, ne si vellent munus impositum obirent: impedimento deinde illato, quod tolli nisi per iniquum perjurium nequiret, iis exclusis, qui se perjuriis contaminare nollent, totum illud emolumentum ad paucos unice redundaret, qui veriti non sunt fidem suam vetito jurejurando obstringere, vel si quem forte alium actas aut casus apud ecclesiam residere permiserit. Extraordinariae quidem haec sunt causae, quae nunc agitur, adjuncta remotaque a regulis, quae in usu quotidiano versantur, eaque commune habent aliquid cum publica religionis fideique erga principem causa.*

Dubium proponitur:

An Canonici absentes ex causa deportationis lucrare possint pro tempore absentiae emolumenta ex legatis et ex funeribus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus.

Die 17. Maji et 14. Junii 1817.

Coadjutor inserviens non potest lucrari fructus praebendae pro praebendato coadjuto pro eo tempore, quo dictus coadjutus culpabilis repertus mansit carceratus.

S. C. C. 15. Decembr. 1618.

k) Litis causa.

Vd. p. 205: *Quoad.*

Mediolanen.

(Conc. Tr. c. 12. s. 24. de ref.)

Joannes Baptista Leuco Canonicus ecclesiae Collegiatae s. Laurentii majoris civitatis Mediolanen. accessit ad Urbem praevia licentia eminentissimi sui Ordinarii et sub fundamento assistentiae liti, quam habebat in sacro Rotae auditorio super quodam beneficio sub titulo ss. Ambrosii et Catharinae ad quod fuerat a patronis praesentatus; praevia attestatione curiali indultum obtinuit ab hac sacra Congregatione abessendi a residentia et participandi de omnibus fructibus sui canonicatus amissis distributionibus quotidianis et cum solita clausula, quod si fructus omnes in distributionibus

consisterent vel si redditus praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective perciperet, amissa tertia, quae inservientibus accresceret, cumque similia indulta pluries repetita fuerint juxta morem semper remissa arbitrio et prudentiae eminentissimi Ordinarii, Eminentia sua eadem approbavit et confirmavit.

His minime obstantibus, cum Canonici controversiam moverint super consignatione emolumentorum sub obtentu potissimum, quod major pars eorumdem proveniunt ex piis testatorum dispositionibus, de quorum proinde natura et indole est, quod inter solos praesentes et interessentes dividantur, et e contra Canonicus praecipue insistat in observantia praeterita, juxta quam a praedictis emolumentis non fuerunt absentes exclusi, quando eorum absentia fuit legitima, disputandum in praesenti proponitur sequens dubium:

An Canonico Joanni Baptistae Leuco debeantur fructus sui canonicatus pro toto tempore suae absentiae et in qua rata in casu?

S. C. C. resp.:

Eminentissimo Archiepiscopo, qui procedat ad formam indulti.

Die 17. Apr. 1728.

l) Negotiorum Episcopi causa.

Vd. supra decr. *Valven etc.* p. 192; *Chorus* (absentia.)

Monasterien.

Christophorus Bernardinus Schedelich canonicatum obtinens in collegiata ecclesia s. Mauritii extra moenia civitatis Monasteriensis petit sibi a capitulo consignari tam fructus quam distributiones non obstante, quod a servitio ecclesiae abfuerit.

Et in eo quidem quod attinet ad fructus instantia Canonici fundatur in hoc, quod ipse ab Episcopo Monasterien. anno 1712 transmissus fuit ad Urbem, ut dioecesum Monasterien. et Paterbornen. negotia tractaret.

Et in eo quod spectat ad distributiones idem probat se binis vicibus ex commissione d. Episcopi visitasse limina Apostolorum, annis scilicet 1712 et 1718, ita ut quoad hoc tempus distributiones sibi non valeant denegari, quod ipsum contendit post annum 1718, quo tempore capitulum eidem controvertere caepit participationem fructuum canonicalium; hujusmodi quippe litigium sibi ait justam suppeditasse absentiae causam, qua concurrente nedum praetendit se admittendum ad fructus sed etiam ad distributiones.

Adversus haec opponitur a capitulo, Canonicum ab anno 1709 a sua ecclesia abesse nec aliud hoc tempore intermedio egisse, quam sacrorum liminum visitationem annis praedictis 1712 et 1717. Addit, quod Canonicus absens pro interesse particulare Episcopi nedum excluditur a distributionibus sed etiam a fructibus, et demum, quod sacra haec Congregatio Canonico Christophoro Bernardo die 13. Maji 1713 indulsit, ut titulo visitationis sacrorum liminum fructus et distributiones per quatuor menses habere deberet, et quod imposterum per alios tres menses abesse posset amissa tertia parte, inferendo ex his omnibus non bene a Canonico peti universi temporis fructus et distributiones sub obtentu litis introductae usque ab anno 1718.

Quoad Canonicos absentes a choro, ut sui Episcopi servitio vacet, iidem admittuntur ad participationem fructuum, sed non ad participationem distributionum, ut late ostendit *Barbosa de Canonicis cap. 25. n. 5. et seqq.*, et saepius resolutum fuit a s. Congregatione et signanter in *Avenionen*) 13. Januarii 1635 lib. 15. decret. pag. 151 a tergo* ibi: »*Sacra etc. censuit Canonicos Archiepiscopo inservientes percipere quidem debere fructus praebendae non autem distributiones quotidianas in illis ecclesiis, in quibus fructus praebendae sunt distincti a quotidianis distributionibus. Quod si in hujusmodi distributionibus universi redditus consistant percipere debere ipsas distributiones, dimissa tertia parte, quae inservientibus accrescat. Verum hujusmodi de causis absentes nullo modo posse recipere eleemosynam pro missis relictam vel elargitam, nisi ecclesiae per se ipsos servitium praestiterint.*«

Quoad Canonicos absentes et missos ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum, iidem admittuntur ad participationem tam fructuum quam distributionum, uti prosequitur *Barbosa de Canonicis et Dignitatibus cap. 24. n. 14* et fuit saepius resolutum a s. Congregatione et signanter in *Culmen. 23. Januarii 1627, lib. 13. decret. pag. 188*, ibi: »*Sacra etc. censuit deberi distributiones quotidianas oratori quoad tempus visitationis liminum*,« et

*) Cf. *p. 194. c.*

in *Regien. 18. Decembris 1627. lib. 13. decr. fol. 362. a tergo*, ibi: »*Sacra etc. alias censuit Canonico a suo Episcopo ad visitanda beatorum Apostolorum limina misso pro toto tempore quo ob dictam causam abfuit distributiones quotidianas deberi.*«

Quoad Canonicos denique absentes, ut assistant liti suos canonicatus respicienti, nonnulli censent deberi fructus et distributiones, *Barbos. de Canonicis cap. 24. n. 25 et seqq.* Aliquando fuit facta distinctio inter negotium quod commode per procuratorem tractari potest et negotium, quod personalem requirit assistentiam Canonici, ita ut in secundo casu debeantur distributiones, non in primo, *Passerin. in cap. unico num. 110 de clericis non residentibus in VI.*, *Rota coram Seraphino decis. 1131. num. 4.* relicta Ordinario facultate judicandi, an lis requirat vel non requirat personalem assistentiam juxta resolutionem s. Congregationis, quae ita se habet: »*petente curato, ut sibi concederetur licentia assistendi liti super juribus ecclesiae in urbe, Congregatio censuit ad sex menses, dummodo tamen lis vere sit pro ecclesia et Ordinario videatur oratori necessarium esse, ut per se ipsum liti assistat.*« Aliquando denique habita fuit distinctio inter litem super titulo beneficii et litem super praeteritis distributionibus, denegando in secundo casu admissionem ad distributiones pro tempore absentiae juxta resolutionem hujus sac. Congregationis in *Aquilana 23. Maji 1626. lib. 23. decret. pag. 5*, ibi: »*Sacra etc. censuit distributiones petitas pro tempore quo prosequitur litem in curia pro consecutione aliarum distributionum ei debitarum non deberi.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An et pro quo tempore Canonico Schedelich debeantur fructus canonicales cum distributionibus quotidianis in casu?*

S. C. C. resp.:

Fructus deberi usque in diem 23. Julii 1718, distributiones vero deberi per quatuor menses anni 1712 et per unum mensem 1718.

Die 15. Maji 1723.

m) Studiorum causa.

Vd. *Canonicatus* (fructus percip. a Canonico ordine canonicatui adnexo non insignito); *Chorus* (absentia.)

Cornetana.

In ecclesia cathedrali civitatis Cornetanae extat canonicatus Milani dictus, cujus fructus annui, demptis oneribus, sexaginta prope scutata exaequant. Pius illius fundator Joannes Milani illud supremo suae voluntatis elogio die 14. Junii 1704 erexit. Recenti hoc tempore cum clericus Nicolaus Aldanesi in diocesano seminario studiorum causa degens canonicatum legitime esset assequutus, statim contendere coepit, se vigore testamentariae dispositionis a fallentiis solvendis omnino immunem esse, qua in re contrarium sibi expertus est capitulum, in cujus vota etiam concessit Archidiaconus penes quem facultas erat praesentatum eximendi a fallentiis, quippe qui praetensionem illam utpote sacrorum canonum sanctionibus minime consentaneam repellere non dubitarit. Agapitus itaque Aldanesi Nicolai pater ut filii sui juri prospiceret preces ad H. S. O. obtulit quibus conquestus de capitulo quod voluntatem testatoris tantopere posthabendam esse duxerit eaque agendi ratione quasi viam praecluserit studiis perficiendis, quibus ut a fundatore probe erat intentum juniores vocati muneris debitam sibi comparare possent scientiam, postulat ut opportunum judicium super re proferatur.

Auditus de more super adjunctis precibus fuit Emus Episcopus, qui sacram Congregationem tum de particula fundationis tum de decreto erectionis canonicatus instructam faceret necnon ea panderet quae retroactis temporibus hac in re servari solitum fuit. Praescriptionibus hisce satisfaciens vir ille eminentissimus, quamquam suo voto abstinuerit, fundationem superius descriptam transmisit. Cum vero sua curia decretum erectionis invenire haud potuisset exemplar tradidit tantum actus acceptationis canonicatus Milani a capitulo factae, cujus conditiones ibidem relatas ab episcopali auctoritate confirmandas esse Canonici illius temporis statuerant. Ibidem de conditione lucrandi distributiones in absentia causa studiorum nullum excidit verbum; solummodo in II. articulo haec habentur: »Quod Canonici providendi teneantur ad interessendum in choro recitationi horarum canonicarum et aliis functionibus ecclesiasticis eodem modo et forma qua intersunt omnes Canonici nostrae ecclesiae cathedralis et in absentia punctari debeant, uti punctantur alii Canonici et punctaturas solvere.« Ad consuetudinem quod attinet, nihil certum et exploratum

habet, hoc unum commemorans, defunctum presbyterum Julium Celli non multis ab hinc annis canonicatus ejusdem possessorem, quo tempore in dioecesano seminario studiorum causa est commoratus, puncta solvisse.

Quaestio igitur in eo est ut statuatur num Canonicus Aldanesi fallentiis persolvendis exemptus judicandus sit. Jamvero cautum in jure est, quod qui choro literarum ac studiorum causa absunt, licet fructus praebendae lucrentur, *(cap.: Licet 33 de praeb. et dignit.)* nullatenus tamen quotidianas distributiones percipere valent, utpote quae iis solum debentur, qui praesentes divinas laudes persolvunt. Ita sane s. Congregatio in conditionibus de beneficiatorum indultis decernendis sancivit, ut indulta causa studiorum pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis essent concedenda uti videre est in Congr. partic. anni 1659 et in *Romana 6. Maji 1820.* Nimis enim devium a recta ecclesiasticae disciplinae ratione foret, quod qui absunt divinisque rebus haud operantur, illud consequantur praemium, quod tantum impensae operae laborique debetur. *Gonzal. in cap. 7. de cleric. non resid. n. 7.* Quae cum ita sint, inquirendum restat num hujusmodi juris censura in casu etiam proposito sibi vindicet locum. Nam disertis verbis exemptio causa studiorum demandata fuit a fundatore canonicatus, quin Canonicus possa essere puntato e multato. Atque liberum est fundatoribus leges quascumque de pio opere pro suo lubitu statuere, eaeque, licet absonae a jure communi, servandae sunt, dummodo nec turpes nec alias a jure ipso improbatae sint, *Lambertin. de jurep. lib. 1. par. art. 2. quaest. 9. num. 52,* s. C. in *Hortana 30. Januarii 1830,* expedit enim quammaxime ut fideles ita alliciantur ad benefaciendum ecclesiis et proprias substantias erogandum in operibus piis ut advertunt *Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 32 n. 14, Piton. discept. eccl. 99. n. 50.* Consequens igitur est, ut dispositio communis juris eo in casu cesset ob inductam ex dispositione hominis exceptionem, quam attendendam monet Fagnanus si ex lege fundationis canonicatus cautum sit, ut absentes in aliquo casu percipiant de distributionibus quotidianis. Tridentinum enim Concilium *sess. 24. cap. 12.* fundationibus non derogavit in cap.: *Licet de Praeb. n. 131, Schmalzgrueb. Jur. eccl. tom. 3. par. 1. tit. 4. n. 100, Moneta de distrib. par. 2. quaest. 13. num. 33.* Hanc sententiam tenuisse etiam s. hanc Congregationem perhibet una *Arboren. Distributionum. 19. Aprilis 1834,* ubi proponebatur casus nostro haud absimilis. Reservat ibi de distributionibus quae a capitulo Arborensi denegabantur duobus Canonicis, quarum praebendarum fundator praeviderat casum absentiae causa studiorum in obtinentibus illas. Proposito hinc dubio:

An et quomodo Canonici fratres Flores de Aracuis tempore absentiae a choro studiorum causa gaudere debeant quotidianis distributionibus aliisque emolumentis in casu?

responsum prodiit: Affirmative in omnibus exceptis eleemosynis missarum per Canonicos punctatores celebrandarum ad formam fundationis.

Superest post haec ut statuatur, num ea quae in secundo articulo acceptationis canonicatus in facto relata tanti sint ponderis, ut fundationis dispositionem enervare valeant. Nam contrariam sententiam rejiciendam prorsus esse censet Capitulum, indubium enim est, ait, quod si Canonici in actu acceptationis id quod ex adverso intenditur voluissent certo certius quando regulam de punctaturis ab absentibus solvendis condebant sequentem adjecissent clausulam »dummodo absentia Canonici Milani non fuerit causa studiorum.« Ast ab hujusmodi limitatione abstinuerunt non obstante contraria eaque expressa testatoris voluntate, quod quidem invicte demonstrat eos ab exemptione comprobanda alienissimos habuisse animos, et cum nihil ibi distinguerint, nihil pariter ab ea dispositione generali excipiendum esse concludunt. Verum animadvertere est quod si admittatur Canonicos ejus temporis illud intendere voluisse, dubium enascitur, num id reapse potuerint cum effectu, scilicet apertam fundationis legem variare vel respuere. Quamquam enim non inficietur capituli consensum requiri ad effectum novos canonicatus erigendi,*) hoc tamen haud secumfert quod possint etiam in fundationis tabulis manus injicere: si enim quidquid a testatoribus statuitur quod juri non adversatur pro lege habendum est, *can. ult. voluntas 13. quaest. 2. L. 1. cod. de ss. eccles.,***) atque Episcopis ipsis qui aliunde a s. canonibus piarum voluntatum cognitores, judices

*) Vd. *p. 170. VI.*
**) Vd. t. II. p. 357. n. 2—6; p. 622 e; 634. h.

et exequutores creati sunt, *Conc., Trident. sess. 22. cap. 8.,* impermissum est proprio lubitu eas immutare, S. Congregatio in *Spoletana 11. Julii 1840.* §. *Ordinario,* eo minus id capitulo licere tenendum erit. Proinde hac in hypothesi dispositio illa vim omnem amittat oportet vel ad summum accipienda veluti juris communis mere commemorativa, quae ad alios absentiae casus a fundatore ipso in testamento praevisos minime autem ad poenam solvendam ab exemptis studiorum causa sese refertur, cui etiam decretum episcopale, quod desideratur, sese undique conformasse tenendum est.

Caeterum eo minus praesumendum videtur capitulum hujusmodi fundationis conditionem respuere voluisse, quo magis veluti injustus ac irrationabilis ipsius dissensus spernendus fuisset: neminem quippe latet, quod ubi inferior qui debet suum assensum praebere minus juste ac rationabiliter illum praestare renuat per Superiorem suppletur et habetur pro praestito prout docet *Scarfanton. ad lucubrat. Ceccoper. lib. 1. par. 1. tit. 14. n. 44. ad. 46.* allegans *Castren. cons. 170. sub num. 2.* vers.: *circa tertium quaesitum tom. 1.* et *Bertachin. vot. 129. n. 3* a quo etiam refertur quod a s. hac Congregatione in una *Sabinen. 14. Aprilis 1696* fuit sancita erectio archidiaconatus facta per Episcopum dissentiente capitulo.

Videant post EE. VV. quanti sit faciendum argumentum a capitulo desumptum ex facto Canonici Celli, qui fallentias solvisse asseritur absens causa studiorum. Quamquam enim magna sit vis observantiae utpote quae in dubio est optima fundationum interpres, *Rot. in nuperrim. decis. 29. n. 18. par. 7* et *decis. 42. n. 35. par. 8.,* quae aliquando deducitur etiam ex unico actu, *Piton. Discept. eccl. 112. n. 39.,* tamen, cum agatur in themate de perspicua fundatoris lege, nescirem utrum quidquam prodesse possit, siquidem in claris observantiam locum non habere optime monet citatus auctor in alio opere *de controvers. patron. alleg. 45. n. 15.* et *alleg. 47. n. 61.* Quibus positis dirimendum est

Dubium:

An Canonicus Agapitus Aldanesi tempore absentiae a choro causa studiorum amittere debeat fructus et distributiones in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 6. Febr. et 6. Mart. 1857.

VI. Percipiendi a Canonico jubilato.

Vd. *Chorus* (absentia); *Canonicus jubilatus.*

Terracinen.

Sacerdos Paschalis Reali Privernensis cathedralis ecclesiae Canonicus quadraginta annorum emensus servitium anno 1822 jubilationis indultum obtinuit cum facultate percipiendi in posterum *fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus,* perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset. Inter cetera capituli emolumenta recensetur quaedam tritici distributio, quae obvenit Canonicis post laudum officia quadragesimae tempore antiphonam: *Libera me Domine* canentibus. Quamquam primo alteroque anno post jubilationis indultum hujusmodi emolumenti particeps factus fuerit Canonicus Reali, nihilominus postea Canonici innixi consuetudini, quam vocat immemorabilem, ecclesiae Privernen. contendere coeperunt neminem sive rude sive alio indulto suffultum participem esse reddendum distributionis *Libera me Domine,* nisi reapse choro intersit et antiphonam canat. At jura sua laesa existimans Canonicus Reali controversiam ad s. hunc Ordinem detulit dirimendam.

Rogatus de more Episcopus, ut audito capitulo referret, quomodo res se antea habuerint, respondit id satis esse obscurum; subdit tamen: »inter contendentes haec habentur pro exploratis et certis:

1. Emolumentum, de quo agitur, anniversarium praefinitum et perpetuum esse.

2. Emolumenta hujusmodi deberi Canonicis privilegio donatis, nisi obsit voluntas testatoris vel ecclesiae particularis statutum vel legitima consuetudo.

3. Nullam in casu nostro esse testatoris legem jussumve, nullum ecclesiae statutum, quo Canonici, qui abesse permittuntur a choro non amissis distributionibus, ab illo emolumento percipiendo arceantur.

Tota igitur difficultas in eo posita est, utrum si legitimae consuetudinis Canonici, qui non intersunt, dum cantatur: *Libera me Domine,* post cetera officia tempore quadragesimae, nullo privilegio juvari queant, quadam tritici mensura seu sacco priventur, quo potiuntur Canonici, qui hujusmodi cantui revera intersunt. Denique votum suum aperiens inquit: »Mihi potior videtur ratio et jus Canonici Reali.«

Canonicos quamvis rude donatos haud esse admittendos ad participationem emolumenti *Libera me Domine*, nisi choro intersint, tum ex immemorabili consuetudine tum ex juris censura suadere nititur capituli defensor in distributa allegatione. Immemorabilis siquidem observantiae tamen esse inquit vim, ut non minus quam lex scripta servari debeat, *Fagnan. in cap. Cum contingat de For. comp. n. 6, sacr. Congr. in Surrentina Praeeminentiarum 20. Decembris 1823.* §: *Juris*, quinimo veluti lex habetur consuetudo, etiamsi decem annorum fines contineatur, si juri non adversetur, *Sperel. dec. 67. n. 41., Rot. in recen. dec. 375. n. 8. part. 2.*

Consuetudinem vero, quae in Privernensi viget ecclesia, non intra decennii limites cohiberi, sed hominum vincere memoriam in propatulo esse censent Canonici. Jam inde enim ab anno saltem 1735 morem invaluisse, ut nihil praefati emolumenti tribueretur Canonicis, qui infirmitate detenti sive jubilatione aut alio indulto praediti a choro abessent, plura ostendunt exempla, quae in capitularibus prostant codicibus. Hanc longissimi temporis observantiam Canonici omnes uno dempto Reali confirmant, atque eorum testimonio eo magis est fides adhibenda, quod hujusmodi punctaturae Canonicorum absentium haud praesentibus accrescant, sed in utilitatem erogentur ecclesiae, *Piton. Discept. eccl. 24. n. 26., Rota cor. Olivatio dec. 230. n. 17.* Denique rem conficere autumant decretum anni 1776, nam Canonici majori suffragiorum numero decreverunt, inductam servandam esse consuetudinem.

Dein ex oraculis hujus sac. Congregationis ostendere conatur idem defensor, Canonicos absentes, licet jubilationis indulto auctos, repellendos esse a perceptione ejusdem emolumenti. Enimvero tametsi hic sacer Ordo Canonicos jubilatos participes faciendos esse putaverit emolumentorum ex anniversariis proficiscentium, quae fiunt inter annum et sunt fixa, nisi aliter caverint testatores, uti demonstrant decreta in *Novarien. Jubilationis 29. Novembris 1681.* et in *Lumen. Sarzanen. Jubilationis 30. Septembris 1684 ad I. dubium relata in Bosanen. Visit. ss. LL. 6. Februarii 1734.* §: *Agendo et sequend.*: attamen eis denegavit portionem emolumentorum provenientium ex funeralibus et anniversariis incertis et extraordinariis *in cit. Lunen. Sarzanen. ad II. dubium.* Similiter *in Romana Jurium canonicalium 5. Maji 1703. lib. decret. 53. pag. 186*, in qua agebatur de Canonico valetudinario, cui tributa fuerat facultas lucrandi omnes fructus et distributiones non secus ac si choro et divinis officiis interesset, respondit, eidem pendere oportere omnia emolumenta atque etiam laudemia, *exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis et in quibus diversimode fuerit a testatore dispositum.* In themate emolumentum nuncupatum *Libera* non fixum, sed adventitium esse ex eo colligunt Canonici, quod modo plus modo minus modo in pecunia modo in tritico tribuatur.

E contrario Canonicus Reali, qui jura sua scripto mihi exhibuit, ut EE. VV. oculis subjicerem, memorata emolumenta fixa renuntianda esse tuetur, cum singulis annis statisque diebus Canonicis distribuantur ac propterea resolutiones a Canonicis allatas ipsemet ad jura sua tuenda enixe invocat additque se participem esse reddendum controversi emolumenti, quamvis adventitium putaretur. Et sane in *Aquipendien. 1. Aprilis 1719* proposito dubio:

An Canonicus vigore indulti jubilationis participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum et associationum cadaverum si functionibus non intersit?

respondit haec sac. Congregatio: *Affirmative ad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis: ad secundam partem negative.*

Item Canonico jubilato solvenda esse emolumenta etiam processionum statuit *in Romana 24. Martii 1703* relata *in Lauretana Jubilationis 11. Junii 1774* §: *Canonico*; concinnato siquidem dubio:

An Jubilato debeantur emolumenta processionum, etsi illis non interfuerit?

rescripsit: *Affirmative.*

Et nuperime *in Verulana Jubilationis 17. Junii 1820* Emi rogati Patres:

An Canonicus jubilatus quamvis absens participare debeat de scut. sex, quae annuatim a communitate persolvuntur ob sacra novendialia?

responsum dederunt: *Affirmative.*

Quocirca concludit Reali, explorati juris esse, Canonicum jubilatum frui debere cunctis emolumentis, quibus gaudent Canonici

choro interessentes, iis tantummodo exceptis, quae extraordinaria sunt et incerta aut ex voluntate testatorum inter praesentes sunt distribuenda. Cumque emolumenta ob cantum versiculi *Libera me Domine* sint perpetua certa et ordinaria ipsique Canonici fateantur firmetque Episcopus, nullam adesse testatoris legem, restat, ut ad tramites resolutionum hujus sac. Ordinis Canonicus Reali particeps reddatur controversi emolumenti, quamvis choro non intersit.

Quin contrarium suadere queat Privernensis ecclesiae consuetudo, ad quam confugiunt Canonici. Initio enim consuetudo cum stricti juris sit, eam de persona ad personam, de casu ad casum protrahere non licet, *L. quis* §. *si quis ff. de itiner. act. priv., sacr. Congr. in Ferentina Residentiae 22. Novembr. 1823.* §: *Videant.* Praeterea ut consuetudo, quae juris communis censurae adversatur, vim suam exerere valeat vel immemorabilis vel saltem quadragenaria nulloque contrario actu intercepta probetur necesse est, veluti post text. *in cap. Irrefragabili de offic. ordin.* tradit *Rot. cor. Molin. dec. 962. num. 17. dec. 1316. num. 19 et cor. Falconer. de Miscell. dec. 74.* § *16.*

At vero consuetudinem, qua innituntur Canonici, nec immemorabilem nec quadragenariam nec continuam existimat Canonicus Reali. Ex adductis enim exemplis Canonicorum, qui rude erant donati, patet, consuetudinem ortum duxisse anno 1750 ac servatam ad annum usque 1763, eamque dumtaxat iterum inolevisse annis 1821 et 1822. Itaque post annum 1763 interrupta dicenda est; siquidem fieri non posse videtur, ut septem et quinquaginta annorum intercapedine nullus ex Canonicis beneficium jubilationis sit assecutus, aut saltem oporteret, ut id Canonici idoneis evincerent documentis, cum allegans consuetudinem eam luculenter demonstrare teneatur, *Sperel. decis. 69. num. 26., Reiffenst. Jus can. lib. 1. tit. 4. num. 179, sac. Cong. in Forolivien. Praecedentiae 16. Septembris vertentis anni.*

Nec ullum subsidium sibi comparare queunt Canonici ex capitulari decreto anni 1776. Praeterquam enim istud decretum ostendit consuetudinem per aliquot annos inductam anno 1776 jam finiisse senescentem, illud accedit quod nullius sit roboris, utpote majori tantum suffragiorum numero latum contra *R. 23. J. in 6* statuentem, quod omnes tangit, ab omnibus esse approbandum. In praesenti enim casu agebatur de actu voluntario ac de privato et singulari cujusque Canonici interesse ad tradita per *Scarf. ad Ceccop. Lucub. canon. tom. 3. add. 1. num. 16. et 23., Rota coram Cerro decis. 473 et 517.*, ideoque etiam minus Canonici dissensus satis fuisset, ne viribus polleret, quod a caeteris gestum fuerat, *Pignat. Consul. 82. n. 6. tom. 10., Reiffenst. ad reg. 29. J. in 6. n. 10.*

Dubium:

An sacerdos Paschalis admittendus sit ad participationem emolumenti in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Continuatio.

Huic rescripto haud sibi quiescendum arbitrantes Canonici cathedralis ecclesiae Privernensis novae audientiae beneficium impetrarunt. Iterum iterumque eis indixi certaminis diem, ut jura sua proferrent, sed nihil mihi hactenus exhibuerunt. Quamobrem instante Canonico Pascalis Reali oraculum EE. VV. exquiritur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.: In decisis.

Die 23. Dec. 1826. et 16. Junii 1827.

Calaritana.

Ex jubilationis indulto Canonico fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus deberi constat, *S. Congr. in Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 15. Septembris 1827* §: *Sed.*, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interessent.

VII. A Canonico ordine Canonicatui adnexo non insignito percipiendi.

Vd. t. II. p. 236. n. 34; t. I. p. 279. n. 3; *Canonicatus* (aetas; fructus percip. temp. absent. studior. causa p. 205, — restitutio etc. p. 212.)

Romana.

(Conc. Tr. c. 6. s. 22. de ref.)

Statuta insignis collegiatae ecclesiae s. Angeli in Foro Piscium sub annum 1493. condita prae caeteris cap. 9. decernunt: »Quod omnes et singuli Canonici intra annum a tempore, quo fuerunt admissi, computandum ad sacros ordines se promoveri facere teneantur, alias nihil participent de sua prae-

benda ut in dicta ecclesia continue consuetum fuit et observatum, sed aliis praebendis accrescat, donec promotio notificata fuerit capitulo vel camerario; de distributionibus vero quilibet Canonicus etiam in sacris ordinibus non constitutus participet.« — Summus autem Pontifex Paulus III. in bulla, qua eadem statuta confirmavit, ut ea majori quodam praesidio communiret ipsorumque revocationem atque derogationem redderet imposterum difficiliorem, ita praecepit: »Et nihilominus confirmationes et approbationes praedictas et illarum vigore literas desuper conficiendas sub quibuscumque suspensionibus, revocationibus eorumdem singulorum statutorum et novarum reformationum hujusmodi quorumvis etiam Imperatoris, Regum, ac intuitu seu contemplatione etiam in favore quorumvis etiam S. R. E. Cardinalium seu etc. pro tempore existentium rom. Pontific. familiarium etiam antiquorum et descriptorum etiam motu proprio ac etiam nominatim de praemissis aut aliis quomodolibet etiam per S. Vestram et rom Pontif. praedictos pro tempore factas et emanatas comprehendi non posse neque debere, et quoties illae emanabant, toties illas in pristinum statum restitutas et repositas esse censeri, eisque seu eorum alicui, nonnisi de totis illorum tenoribus et formis ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit, nullatenus derogari, sicque quoscumque judices etiam palatii apostolici causarum Auditores sententiari, ac sublata eis etc. ac irritum decernere dignemini de gratia speciali.«

Contigit nuper in hac Collegiata vacatio canonicatus, quem diaconalem vocant, cumque s. m. Clemens XII. eumdem contulerit sub mensem Aprilis 1738. Augustino Lhullie vigesimum dumtaxat tunc temporis agenti annum proindeque non valenti ob aetatis defectum sacris ordinibus initiari, apostolicam dispensationem super isto defectu sibi exposita laudatus Pontifex in eadem collationis bulla hisce verbis illi est elargitus: »Nos enim, ut canonicatum et praebendam primodictos ex nunc recipere, et si illos vigore praesentium assequaris, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas de defectu aetatis praemisso ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, ut praefertur, roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis nequaquam obstantibus apostolica autoritate earumdem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Volumus autem, quod canonicatus et praebenda primodictis debitis propterea non defraudentur obsequiis quodque tu cum primum ad aetatem legitimam quemcumque ex sacris subdiaconatus et diaconatus ordinibus suscipiendi perveneris proximis inde futuris temporibus sacros ordines praedictos suscipere omnino tenearis; alioquin te deficiente in aliquo ex temporibus praemissis primodicti canonicatus et praebenda vacent eo ipso.«

Harum itaque literarum vigore canonicatus et praebendae possessionem nactus est Augustinus subindeque chori et ecclesiae servitio vacans tum fructus omnes praebendales tum etiam quotidianas distributiones percepit, at quia post elapsum ferme integrum annum capitulum ejusdem Collegiatae quaestionem movere coepit, nihil illum ex praescripto memoratae constitutionis capitularis de sua praebenda participare posse, quippe qui ob aetatis defectum nequiverit intra anni spatium*) ad sacros ordines promoveri, curavit idem Augustinus controversiam inde exortam per transactionem componi intereaque proximus jam aetati suscipiendis sacris ordinibus idoneae supplicavit sanctissimo Domino Nostro feliciter regnanti, ut tempus sibi in memoratis apostolicis literis ad eos ordines suscipiendos praefinitum prorogare dignaretur, eam nimirum obtendens causam, quod cum primum supra vigesimum aetatis annum esset ipse completurus die 19. Septembris 1740, non posset eo mense, sive ob notam aeris intemperiem sive ob caeptam sub auspiciis eminentissimi Cardinalis Columna ecclesiae s. Angeli in Foro Piscium diaconi tractationem concordiae cum capitulo ad peragendas in religiosa domo congregationis missionis spirituales exercitationes, quae debent sacrae ordinationi praemitti, se conferre.

At ejusmodi precibus ad hanc sacram Congregationem rejectis rogatus fuit praedictus Eminentissimus et jussus eamdem de toto negotio instructam reddere, cumque Eminentia Sua sub spe compositionis inter capitulum et Augustinum conciliandae postulatam relationem ad aliquot menses protraxerit et interea temporis sub mensem scilicet Decembris superioris anni 1740 Canonicus Lhulliè sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, spes vero omnis ineundi optatam concordiam demum evanuerit, oportet modo bina inferius describenda dubia decidere.

*) Vd *t. II. p. 175. n. 22.*

Fructus sui canonicatus deberi Canonico Lhulliè a die solum quo sacro subdiaconatus ordine fuit initiatus,*) caeteros vero perceptos tempore, quo nondum is erat dicto ordine insignitus, restituendos esse authumat capitulum ob claram, ut inquit, memorati statuti sanctionem, cui a summo Pontifice in praefatis literis derogatum haud fuisse pluribus argumentis conatur ostendere, sive quia dispensatio summi Pontificis super defectu aetatis Canonico Lhulliè impertita referenda sit ad titulum et possessionem canonicatus, qui utpote sacrum ordinem habens adnexum absque apostolica dispensatione obtineri nequiret, non vero fructuum perceptionem, quae separari optime potest a titulo ipso canonicatus, sive quia generica illa statutorum derogatio extendi non valeat ad hujus ecclesiae collegiatae statuta, quae sub quibusvis licet amplis derogationibus comprehendi nequeunt, nisi individua et specifica eorumdem facta mentione, sive demum quia Canonico Lhullie, qui legitimam aetatem assecutus distulit sacrum subdiaconatus ordinem suscipere, non debeat quaecunque ea fuerit dispensatio summi Pontificis opitulari.

Contra vero dictus Canonicus animadverti postulat, quaestionem non modo esse, num summus Pontifex iisdem statutis derogasse censeatur, sed potissimum in eo versari, num hujusmodi statuta fructuum perceptionem interdicant Canonicis tantum nolentibus vel negligentibus intra annum Sacris initiari, aut iis etiam, qui ex defectu aetatis vel alia justa ex causa praestare id nequeant; quemadmodum enim *Clementina*: *Ut ii 2. de aetat. et qualit. ordin.* a sac. Con. Tridentino *sess. 22. de ref. cap. 8.* invocata, qua Canonicis praebendam sacrum ordinem adnexum habentem assecutis subtrahitur dimidia pars distributionum, si intra annum, justo cessante impedimento, sacrum ordinem non susceperint, eos non comprehendit Canonicos, qui ex defectu aetatis aut alia justa de causa sacros ordines suscipere prohibentur, utpote qui sine eorum negligentia vel culpa non sint poena ista plectendi, ut pluries ab hac sacra Congregatione Concilii decisum referunt *Barbos. de Canonic. cap. 37. num. 13.* et *cap. 21. num. 12.*, *Pignatell. Consult. 91. num. 20. tom. 3*, ita et statutum, de quo agitur, sic intelligi debere contendit, ut privatio fructuum ibidem indicta Canonicos tantum vel nolentes vel negligentes afficiat non vero eos, qui aetatis defectu aut alio justo detenti sunt impedimento, quominus ad sacros ordines valeant promoveri.

*) Vd *Canonicatus* (fructus — perceptionis jus etc. p. 183.)

Juris quaestionem:

An scilicet is, qui super aetatis defectu est dispensatus, ut canonicatum, cui ordo sacer adnexus est, obtinere possit, in vim ejusmodi dispensationis queat fructus et distributiones canonicatus percipere, donec sacro initietur ordine, non obstante ecclesiae statuto, quo Canonicis ad sacros ordines non promotis fructuum et distributionum quotidianarum perceptio interdicitur?

tractant *Pignatell. consult. 19. tom. 3.*, *Rot. cor. Peutinger dec. 161.* Omnibus itaque perspectis una cum relatione Eminentissimi dignentur EE. PP. rescribere:

I. *An et a quo tempore fructus canonicatus debeantur in casu?*

II. *An rata dictorum fructuum percepta in primo anno sit restituenda in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Deberi a die captae possessionis.

Ad II.: Provisum in primo et amplius.

Die 22. Julii 1741.

Coadjutor datus Canonico non ordinato ad formam statuti requirentis certum ordinem in Canonicis sub poena amissionis ejusdem partis fructuum non lucratur hujusmodi fructus pro coadjuto, quamvis ipse coadjutor esset ordinatus ad formam dicti statuti. Sacr. Congr. Rit. *in Barbastren. 1. Decembr. 1629.*

Coadjutor consequi non potest fructus ex beneficio Coadjuti, Rota *decis. 295. lib. 3. part. 3. divers.*, Navarr. *consil. 2. num. 3. de Cleric. aegrot.*, Barbosa *Juris univers. eccles. loc. cit. num. 56. et in Trid. loc. cit. num. 10.* Immo lucratur etiam distributiones quotidianas absente Coadjuto ad utilitatem ipsius Coadjuti, ut *num. 38.* fuit jam dictum ex declarat. sacrae Congregationis Rit. *in Elboren. 15. April. 1606. et in Colimbrien. 16. Septembr.* ejusdem *anni in respons. ad sextum dub.*

VIII. Percipiendi tempore feriarum.

Vd.: *Feriae.*

Licet Canonici possint libere et licite abesse tribus mensibus non tamen pro

eo tempore lucrantur distributiones quotidianas, solum fructus grossos seu praebendam. Sic declaravit sacra Congregatio Concil. ut referunt *Flaminus de resignat. lib. 1. 9. 10. num. 65*, *Gonzal. ad regul. 8. cancell. §. 9. prooemial. n. 182*, *Monet. de distributionibus quotidianis part. 1. quaest. 2.*, *Barbosa allegat. 53. num. 124.*

IX. Privationem monitio antecedere debet.

Vd. infra *n. XI. a.*

Romana.

Fructibus sui canonicatus privari non potest Canonicus infirmus utcumque abfuerit sine licentia, nisi praeviis canonicis monitionibus, ut rediret ad residentiam, *cap. Clericos, ibique gloss. de cleric. non resident.*, *Garzia de benefic. part. 3. cap. 2. num. 140. et 145. et Rota cor. Rezzonico decis. 163. num. 14. et seqq.*

Die 15. April. 1780.

X. Quales debent esse?

Senogallien.

In ecclesiis cathedralibus aut collegiatis insignibus, ubi adeo tenues sunt praebendae, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, vel ad pauciorem numerum praebendas reducere oportet, ita tamen ut tot supersint quae divino cultui celebrando et dignitati ecclesiae commode valeant respondere, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 15. de reform.*, vel onerum reductionem concedere, quemadmodum suadent exempla *in Taurien. Absolutionis et reductionis 1. Martii 1817.* §: *Petitae* et in *Tranen. Reductionis 24. Julii 1824.* §: *Praebenda;* nam canonicales praebendae non ad sola missarum onera instituuntur, sed etiam ad congruam vitae tuitionem Canonicis qui choro inserviunt suppeditandam,*) *Scarfant. ad Ceccop. Lucub. can. lib. 3. tit. 11. n. 31.*, *s. Congreg. in Nullius s. Martini Suspensionis et nominationis 27. Julii 1822.* §: *Nec.*

Die 28. Apr. 1827.

Nolana.

Canonicales praebendae cum institutae sint ad chori servitium subeundum, earum redditus officio respondeant oportet, *S. Congreg. in Nullius s. Martini Suspensionis nominationis 27. Julii 1822.* §: *Nec* et in *Senogallien Reductionis onerum 28. superioris mensis Aprilis* §: *Jam vero.* Hinc s. Congregatio si praebendarum fructus oneribus ferendis impares deprehendit vel reductionem servitii chori concedere vel legata missarum ad augendos redditus imminuere consuevit, ut *in Firmana Servitii chori et reductionis missarum 9. Augusti 1817.* §: *Videndum* et in *Tranen. Reductionis 24. Julii 1824.* §: *Praebenda.*

Die 18. Aug. 1827.

XI. Restitutio.

a) Ad Canonicum aegrotum vel coecum.

Centumcellarum.

Quum mense Septembri anni 1842 sacerdos Augustinus Ferri cathedralis ecclesiae Centumcellarum Canonicus ab H. S. C. exemptionem a choro poposcisset ob insanabilem oculorum morbum, qui audit *Amaurosi*, datum fuit rescriptum: *Relatum.* At cum Ferri valetudo in dies deterior fieret et in ea versaretur conditione, ut nonnisi difficilime posset vitae functiones adimplere et propria obire munera cumque ad pergravem oculorum morbum alii duo etiam accederent a quibus vehementer excruciabatur uti periti artis juramento testantur anno 1845, iterum supplicem dedit libellum, ut S. O. ob calamitosum praesertim caecitatis vitium dignaretur veniam impertiri.

Rogatus de more Emus Episcopus hic per suum suffragium sub die 11. Januarii 1846. quum retulisset Canonicum Ferri nolle acquiescere rescripto S. C. diei 17. Septembris 1842. subjungit de eodem: *Eminentissimum Episcopum et reverendissimum capitulum consuetis fatigare aggreditur precibus.* Monet quoque, cum idem Canonicus sex abhinc mensibus absit a Centumcellis et Romae absque episcopalis curiae venia commoretur haud ipsum valere aegritudinis notitiam haurire. Et, si quo excruciatur morbo, posse etiam in urbe Centumcellarum suae valetudini consulere, uti post rescriptum diei 17. Septembr. 1842. peregit et sic capituli munia adimplere potius quam Romae otiori. Post quae summatim narrata *ita concludit: Itaque sententiae quae a Rmo capitulo prolata est omnino et libenter adhaereo: atque ibi praesertim ubi consilium proponit aut nominandi coadjutorem aut impetrata apostolica venia renunciandi cum pensione: idque vel magis, cum Ferri aliquas habeat fortunas et pensione ad vitam fruatur.*

Verumtamen Ferrius preces ingeminavit ut susceptam curam ad sua incommoda levanda non interrumperet. Quas preces reapse S. O. die 14. Martii 1846. excipere visus est mitiori rescripto: *dummodo orator redeat ad dioecesim, pro gratia ad tres menses arbitrio Emi Episcopi onerata conscientia.*

Nihilominus perpendens suffraganeus oratorem, postquam Centumcellas die 28. Julii 1845. reliquit, impune Romae per duos circirter annos commoratum fuisse, vadimonium eidem indixit ad causam suae absentiae pandendam.

Et cum reus conventus contumax perstitisset, de privatione medietatis fructuum suae praebendae pro primo suae absentiae anno ad tramites Trident. sanctionis die 28. Novembr. 1846. sententiam tulit.

Ad hanc delendam sine mora appellationem interposuit Ferrius penes H. eumdem S. O. Exceptae sunt Ferri preces die 6. Martii 1847 rescripto: »*U. J. S. in gradu introductae appellationis.*« Sed nihilominus quum Suffraganeus haud desisteret Ferrio ad residendum vocando, ad ulteriores molestias praepediendas die 9. sequentis Julii datae sunt literare Emo Praesuli ut mandaret suspendi acta ab episcopali curia usque ad exitum causae in s. Congregatione.

Duplex hinc in hodiernis comitiis EE. VV. sapientiae proponitur cribranda quaestio, prout in calce videre est: altera scilicet utrum indultum choralis absentiae Ferrio ob infirmam valetudinem sit concedendum: altera utrum eidem suae praebendae fructus sint restituendi.

Porro duplici ex capite capitulum autumat denegandum esse Ferrio utrumque, quod expostulat. Et suae defensionis fundamenta constituit primum in defectu infirmitatis Canonici Ferri, quae secum ferat chori exemptionem: secundo in exiguo choralium numero, qui constat novem Canonicis et quatuor beneficiatis, addens ex ipsis nonnullos in varia incumbere officia quae impedimento sunt quominus chorum adeant, ita ut saepe eveniat sacras haud posse functiones peragi. Quamobrem in medium afferunt doctrinam Barbosae, qui in suo opere *de Can. et Dign. cap. 24. n. 90.* tradit illi Canonico distributiones, etsi choro non intersit, esse pensitandas, qui sit *totaliter caecus*, cum inhabilis prorsus ad chori servitium habeatur. Barbosam sequuntur *Pignatell. consult. 115. numer. 60. tom. 9.* et *Fagnan. in cap.: Cum percussio numer. 12. et seqq. de cleric. aegrotant.* Et *Scarfantonius in lib. 2. tit. 9. numer. 25 et seqq. lucubrat. canonical. ita scribit: Si vero* (clericus) *non sit omnino orbus sed tantum ob visus debilitatem non valeat legere in libro, et soleat per vias ambulare, tenebitur adire chorum et ibi recitare quae sit memoriter. Azor. lib. 3. cap. 11. quaest. 12. tom. 2*, *Garz. de ben. in add. ad 3. part. cap. 2. numer. 515. Unde Canonicus coecutiens non valens persolvere utrumque respondeat uni, faciendo in choro copiam suae praesentiae, quae illustrat, honestat et authorizat, ut inquiunt Trullen. in decis. cap. 7. d. 28. numer. 8. et Sanchez consil. lib. 2. cap. 2. dub. 90.* Hisce consonat *Ferraris biblioth. can. in verb.: Distributiones quotidianae art. 1. n. 15*, ubi, allata s. Congregationis auctoritate, eum inquit choro interesse haud debere et quotidianas lucrare distributiones, qui caecus est, *et propterea missas celebrare et divina officia non potest.* Jam vero subjungunt Canonici non ea Ferrius laborat oculorum infirmitate, quae prohibeat ipsum omnino legere, absque alterius sacerdotis ope missam celebrare ac per Urbis vias sine duce deambulare, quod utique percommode fieri ab ipso probant pluribus adductis testibus, qui id jurato deponunt, unde est quod nonnisi per summam ignaviam pensum chorale evitare studeat. Alterum vero ipsis praebet argumentum exiguus Canonicorum numerus, qui quandoque non permittit sacras peragere functiones. Et sane novum haud est ob Canonicorum defectum a S. C. resolutum fuisse posse Episcopum vel ipsum capitulum jubilatos cogere ad inserviendum choro, ne ecclesiae servitium et cultus divinus detrimentum patiantur: quod factum videmus in *Aquilana 27. Septembris 1659. ad III. dubium lib. 21. decretor.*, in *Sabinen 2. Octobris 1717. lib. 67. decretorum,* idque ad tramites *textus in cap.: Cum ad hoc de cleric. non residentibus*, in quo s. Pontifex Gregorius IX. statuit, quod privilegiati super absentia redire cogantur, si ecclesia patiatur ministrorum defectum. Fortius itaque hoc pacto agendum erit cum Ferrio, qui nullam affere potest rationem, qua merito a choro exemptionem valeat ob-

*) Vd. *p. 156. III; t. II. p. 556. n. 51; p. 551. f.*

tinere; maxime si attendatur culpabilis illius absentia a loco residentiae, ad quam ratione beneficii tenetur et contumacia post decreta sui Antistitis et istius s. Congregationis. Ex quibus concludit capitulum, nulla commiseratione et indulgentia Canonicum Ferri esse dignum: quinnimo canonicali praebenda jam pridem privandum fuisse ne ipse ex sua arbitraria absentia et contumazia praemium percipere videretur.

At vero ad primum capituli animadversionum caput refellendum apponit Ferrius Benedicti XIV. doctrinam, quam tradit in sua *institut. 107. n. 48.* ubi sac. Congregationem refert statuisse *caecum non teneri horis canonicis interesse nec in choro eam officii partem quam memoriter tenet recitare et nihilominus lucrari distributiones quotidianas, perinde ac si interesset.* Ex quibus verbis luculenter evicisse autumat, se penitus non teneri ad chori servitium cum totaliter versetur in caecitatis statu, ut artis medicae professores declarent. *Sane posito, ut observat, quod caecus ex laudata resolutione non teneatur interesse choro ad eam officii partem, quam memoriter tenet, recitandam, nullo certe alio de fine interesse tenetur.* Cum enim alius choralis interessentiae finis et quidem principalis nisi unicus ille sit, ut in choro horae canonicae recitentur, statim ac quisquis legere nequit, ut horas canonicas recitet, a chori obligatione evadere debet immunis.

Posthabitis igitur rationibus ex adverso allatis concludit Benedicti XIV. gravissimam doctrinam in themate potius esse tenendam prout eidem nuperime adhaesit H. S. C. *in Spoletana Exemptionis a choro et distributionum die 5. Decembris 1846.*, in qua fere eadem quaestio proponebatur de quodam Canonico Cherubini, cum in ea etiam haberetur jurata medicorum fides. Et quoniam in ejusmodi causa agebatur de executione s. C. rescripti, cui acriter capitulum contradicebat, easdem afferens auctoritates, quas Centumcellarum ecclesiae capitulum pro sua tuenda causa in medium protulit, ideo proposita sub dubio:

An et quomodo sit exequendum rescriptum diei 17. Februarii anni superioris in casu?

responsum accepit: Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative in omnibus.

Nec scepticum dubitare posse ait de omnimoda legendi impotentia post juratam medicorum ac chirurgorum fidem, quam vel ab initio exhibuit quamque etiam agnovisse s. Poenitentiariam probat rescripto diei 6. Februarii 1846, quo ipsi facultas indulta fuit pro horis canonicis alias preces quotidianas recitandi.

Praeterea nec audienda monet, quae a capitulo objiciuntur tum quoad missae celebrationem tum quoad ejus potentiam circumeundi Romae vias absque ducis ope. Etenim si missam celebrare valeat, id ex eo tantum fieri ait, quod ab hac s. Congregatione die 14. Februarii 1846 missam votivam b. Mariae Virginis diebus festis et missam defunctorum diebus ferialibus in oratorio privato aut in publica ecclesia hora tamen minus frequentata celebrandi facultatem quae extat in actis obtinuerit. Insuper exemptionem, de qua est quaestio, ob id potissimum sibi orator necessariam esse contendit ut relictis Centumcellis alio divertere possit ad plurimas, quibus vexatur, infirmitates sub mitiori coelo curandas.

Alterum autem animadversionum caput quod respicit, licet vel ipse profiteatur S. C. declarasse posse Episcopo potestatem esse ad chori servitium jubilatos Canonicos revocare ob exiguum Canonicorum numerum, tamen observat quod ipsa s. Congregatio attentis peculiaribus circumstantiis ab hac sententia quandoque deflexisse visa est simul ac censuit concedendum esse jubilationis indultum etsi exiguus esset Canonicorum numerus uti factum videmus in *Ripana Jubilationis 29. Novembr. 1710 lib. 60. decretor.*, ubi definivit jubilationem concedendam esse praeposito, licet novem essent Canonici, comprehenso ipso Praeposito et dempto uno qui ad organum pulsandum, altero qui ad fidelium excipiendas confessiones intendere debebat, demptisque aliis tribus, qui altari assistere tenebantur, ita ut tres tantummodo in choro remanerent.

At in themate, inquit Ferrius, non novem sed tredecim esse qui ad chorale servitium tenentur: et exceptis duobus, qui ad animarum curam gerendam sunt destinati, aliis duobus, qui ratione studiorum in seminario degunt, necnon Canonico Poenitentiario, qui fidelium audit confessiones, octo adhuc supersunt, qui certe valent quamcumque explere functionem: futile proinde esse habendum concludit, quidquid de exiguo Canonicorum numero exponit capitulum.

Nunc de fructuum restitutione nonnulla. Haud Canonico Ferri fructus restituendos esse autumat capitulum, quia absque episcopalis curiae venia residentiam deserens Romam se contulit ibique moratur, cum tralatitium in jure sit distributiones non lucrari Canonicos sine legitima causa absentes et in contumaces ita sancitum fuerit a Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref.: Non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse . . . alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum.* Immo, addunt Canonici, nisi ipsi commiseratione summa usi fuissent erga Ferrium in sua contumazia perseverantem, multandus fuisset graviori poena secundum verba Concilii *cit. cap. et sess.*, ibi: *Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.* Ex quibus satis evincunt firmam immotamque persistere debere Suffraganei sententiam, qua Canonicus Ferri jure meritoque suae praebendae fructibus fuit privatus.

Sed haec corruere censet Ferrius, si ad memoriam revocentur quae in facti specie exposita ac probata fuere, unde veluti necessarium consectarium sequitur non esse ulla ratione fructibus suae praebendae ipsum fraudandum, cum vulgatum in jure canonico sit infirmo dandas distributiones esse perinde ac si choro interesset, ita ex *cap. unic. de cleric. non resident. in 6. et glossa* ab omnibus approbata itidem, *in verb.: Infirmitas* sicque respondit s. Congregatio teste *Fagnan. 1. 3. decret. in cap: Cum percussio de cleric. aegrot. num. 29, Barbosa in coll. apostolic. decis.* verb.: *Distributiones quotidianae num. 17, Garcias de benefic. par. 3. cap. 2. num. 362.* et tenuit *Rota par. 1. recent. dec. 61. num. 7. par. 2. decis. 197. n. 1.* et *Annotat. ad decis. 576. num. 125. par. 4. tom. 3. et saepe alibi.* Similiter distributiones quotidianas lucrari Canonicum, qui ad ecclesiam se conferre non potest, quia est caecus et propterea missas celebrare et divina officia recitare nequit decisum reperitur a s. Congr. 20. Julii 1619. uti refert *Ferrar. biblioth. can.* verb: *Distrib. art. 1. n. 15.*

Nec dubitandum existimat vel ab ipso infirmitatis exordio hoc beneficio caecum frui debere post doctrinam Benedicti XIV. *cit. institut. eod. num.* quae sic se habet: *In controversiam venit utrum caeco distributiones ab eo die concedi deberent, quo lumen oculorum amisit, an vero a die quo se tamquam praesentem existimari velle declaravit; S. C. die 29. Januar. 1661. respondit: tribuendas caeco distributiones a die, quo lumine caruit.*

Haec usque disputata prae oculis habentes EE. PP. dignentur dirimere

Dubium:

I. *An concedendum sit oratori indultum exemptionis a choro in casu?*

II. *An et a quo tempore sint oratori restituendi fructus praebendae canonicatus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad triennium, arbitrio Emi Episcopi.

Ad II: Affirmative, dempta medietate fructuum unius tantum anni ad formam sententiae.

Die 10. Junii et 15. Julii 1848.

Angelus N. in minoribus ordinibus constitutus anno 1823 obtinuit canonicatum in quadam insigni collegiata ecclesia: ineunte anno 1834 dicto canonicatu dimisso alterum est consequutus in altera collegiata ejusdem urbis.

Assiduitate et exemplari diligentia Angelus chorali munere perfunctus dicebatur usque ad annum 1850, quo sub insalubri aëre, qui totam eam regionem pervasit, pertinacibus febribus et viscerum doloribus affectus a choro vel a loco residentiae duos vel tres menses annis 1850—53 interveniente Episcopi venia abesse coactus est.

Annis 1854—55 morbo magis magisque ingravescente Angelus ex medicorum praescriptionibus ad recuperandam sanitatem ex sua urbe discedere compulsus est: admotis precibus ad S. C. C. indultum ad quinquennium obtinuit, cujus vi per quatuor cujusque anni menses alibi degere posset: eo indulto cessante anno 1861 preces renovavit et per annum indultum absentiae obtinuit, quod prorogatum fuit perdurante causa absentiae ex infirma valetudine.

Anno 1863 expleto 40 annorum chorali

servitio a S. C. C. indultum jubilationis postulavit: at remissis precibus ad Ordinarium hic votis Angeli non est suffragatus habita praesertim ratione dissensus capituli: et in ea opinione versabatur Ordinarius, ut Angelo facultas daretur abessendi a choro et a residentia aliquot anni menses.

Angelus annuentibus etiam Capitularibus ejusmodi facultatem Romae obtinuit, quae etiam prorogata fuit: at vero nova prorogatione obtenta anno 1865, cum ab Ordinario peteret executoriale decretum habiti rescripti cujus exsecutio de more ejus arbitrio et conscientiae remissa est, ille renuit, ea de causa, quod nolebat id sibi culpae imputari sive a Deo sive a capitulo sive a populo qui exigeret Angeli assistentiam.

Capitulum hac occasione formali libello poenam caducitatis a canonicatu Angelo indicit sibique invicem pro rata portione fructus canonicalis illius praebendae dividit. Hoc autem haud ferens Angelus emissa contra Capitulares protestatione ad S. C. C. confugit postulans jubilationis indultum et fructuum restitutionem quam Capitulares sibi diribuerant.

Praemisso principio indultum jubilationis non concedi, nisi constet de *continuo et laudabili* servitio per 40 annos contendebat capitulum, Angelum neque continuum neque laudabile servitium praestitisse, namque ajebat per undecim annos pluribus mensibus a residentia abfuisse ut febres expelleret: plures annos in seminario degisse ut literas scientiasque addisceret cum primo canonicatu frueretur: immo e seminario egressum in pago N. ad pueros edocendos aliquot annos incubuisse: quam quidem absentiam quamvis laudabilem habuerit causam nihilominus ecclesiae chorali nocuisse: nec ad absentiam honestandam satis esse Episcopi veniam cum generalis sit residentiae lex a qua potest eximere tantum R. Pontifex: eo vel magis, quod libris fallentiarum animadversis plusquam quingentas conventuales missas ab eo celebrandas non ipse celebraverit.

Quoad fructuum privationem dicebatur capitulum protestationem emisisse ut, denegata ab Episcopo rescripti executione, quam celeriter rediret ad oppidum, secus a jure percipiendi fructus esset casurus: ipso autem non redeunte capitulum sibi fructus ejus praebendae divisisse in poenam absentiae et fallentiarum compensationem.

Contra Angelus respondebat, se continuo et laudabiliter choro inserviisse referens Abbatis testimonium, quo ostendebat in priori Collegiata accuratissime choro inserviisse ab anno 1823 ad annum 1833, diligentiam posteriorem alii Canonici secundae Collegiatae testati sunt necnon Episcopus antecessor a quo habuit testimonium his verbis conceptum: »toto tempore, quo praefatae dioecesi praefuimus nempe per decem novem annos Angelum talem optimae et ecclesiasticae vitae rationem tenuisse ut omnibus exemplo esset . . . . Ejus in suae ecclesiae servitio assiduitas, adversa licet valetudine, in pauperum patrimonio administrando solertia aliaque virtutes sociales animos devinciebant;« et alibi; »ad chorale servitium fuit semper assiduus.«

Quod si post annum 1850 aliquando abfuerit, id infirmitati esse tribuendum Angelus jurato testimonio medicorum ostendebat.

Esse autem somnium jactatam e contrario absentiam per undecim annos, cum quatuor tantum annis a 1850 ad 1853 per duos vel tres menses defuerit causa infirmitatis, consentiente etiam capitulo quod nec fallentias signavit nec detraxit; seque abfuisse obtenta ab Episcopo venia: adnotabat autem hanc veniam ratione infirmitatis posse Episcopum concedere juxta dispositionem *cap. unic. de cleric. non resid. in 6*, teste *Garzia*, qui de *benef. p. 3. c. 2. §. 2. num. 406*, tradit: »nec Episcopus potest dare talem licentiam *(abessendi scilicet a choro ex rationabili causa)* nisi in casibus a jure expressis; . . . . et apparet ex sequentibus declarationibus s. Congregationis Concilii: *nec Episcopus potest aliquem excusare a residentia in choro nisi juxta dispositionem c. 1. de clericis non resid. in 6.* Secundo: utrum Ordinarius possit aliquem a residentia in choro Canonicum seu capellanum ex causa legitima excusare juxta *c. unic. de cleric. non resid. in 6.* sine consensu aliorum Canonicorum seu capellanorum quorum interesse videtur propter jus accrescendi, dicto *cap. unico*, quia illud Concilium non sustulit nec requirit capituli consensum ut alias decisum fuit.« Item *Fagnanus in cap.*: *Licet de praebendis in 6. n. 75. et 135.*

Animadvertebat autem, indultum obtentum pro absentia a chorali servitio in praesenti themate comprehendere debuisse etiam indultum a residentia, cum hoc sibi esset concessum, ut sanitatem recuperaret ex malefico regionis aere amissam et reapse pluries se tum ab Episcopo tum postea a s. Sede talem obtinuisse veniam.

Quoad tempus quod studiorum causa in seminario impendit, testimonio comprobat tres tantum annos in eo degisse: atque animadvertebat posse clericum a sua ecclesia abesse ut sacris scientiis imbuatur juxta dispositionem Tridentinam *sess. 5. c. 1. de ref. et cap. 5. de magistris*, docente *Fagnano loc. cit. n. 6.* his verbis: »Nota, obtinentes dignitates licite posse studiorum causa ab ecclesia abesse . . ; item intellige de Ordinarii licentia, quam tenetur ipse Ordinarius impertiri . . ; sed et s. Congregatio Concilii declaravit ejusmodi licentiam ab Episcopo ad quinquennium concedi posse, quod si renuerit, ejus superiorem adeundum esse, qui eum compellat.« *)

At vero etsi hi studiorum anni detraherentur a 40 annorum servitio, jam tamen expletum manere idem temporis spatium.

Quod autem e contrario asserebatur de absentia per aliquot annos causa docendi pueros in pago N. animadvertebat, id a veritate esse alienum et non impediisse quominus choro fecerit satis, cum primus canonicatus servitium exigeret tantum diebus festis de cujus assiduitate supra testimonium exhibuisset.

Quoad missas autem conventuales, quae omissae ab eo dicebantur, ostendebat missas a se non celebratas per alios eas celebrasse.

Propositis autem S. C. dubiis die 5. Maji 1866:

I. An sit concedendum indultum jubilationis in casu?

II. An et in qua summa sint a capitulo restituendi Canonico . . . fructus praebendae in casu?

S. Congregatio respondit

Ad I: *Coadjuventur probationes.*

Ad II: *Dilata et audiatur Episcopus.*

Episcopus auditus nihil retulit de divisione fructuum a Capitularibus facta; sed commemorans pluries prorogatum fuisse indultum subjungebat: ego autem continue apud ipsum Angelum instabam, ut aliquoties, saltem in hyeme, in quo palustres influxus sunt minus noxii, urbem remearet sicque (cum in illa Collegiata pauci numero et ex istis quidam clerici, quidam aegrae valetudinis sint Canonici) pro viribus et choro assisteret ac fidelibus opem spiritualem praeberet, praesertim in administratione sacramenti poenitentiae, cui assidue et magno zelo incubuisse, dum in patria morabatur, mihi fuerat assertum. Ipse vero obtemperare non putavit. Quare mense Augusti anni elapsi cum Angelus mihi exhibuisset novum prorogationis rescriptum a s. Congregatione obtentum pro indulto absentiae ad annum, meae tamen conscientiae remissum, hujusmodi rescriptum reddidi absque decreto executoriali, sed cum declaratione me omnino subjiciendi EE. PP. dispositionibus, si absolutum indultum ipsi elargiri credidissent.

Interea Capitulares, frustra petente et protestante Angelo, fructus illius praebendae sibi dividere prosequuti sunt, quin tamen aliquid amplius coram S. C. deducerent.

Angelus autem plura repetiit quae antea in sui defensionem exposuerat: et ad ea quae eidem objecta fuerant, scilicet quod *aliquot annos impendisset in pago N.* ut pueros edoceret respondebat attestatione municipii pagi illius, tempus illud coercendum esse ad decem tantum menses.

Calculo autem facto ostendere curabat Angelus, etsi detrahi vellent omnes menses et anni, quibus ex causa legitima e choro aut residentia abfuit, impletum in praesens jam esse 40 annorum tempus, cum mense Januario anni 1823 choro inservire incoepisset.

Quoad fructuum vero subtractionem animadvertebatur, absentes qui legitimam obtinuerint veniam neque de negligentia neque de culpa posse insimulari, ideoque neque beneficii fructus eidem denegari posse.

Propositis itaque denuo dictis dubitandi

*) Addit tamen idem *Fagnanus loc. cit. n. 73.* ejusmodi Canonicos absentes studiorum causa, ut indulto fruantur percipiendi fructus (non quidem distributiones) suae praebendae, ea aetate esse debere constitutos ut »*annum aetatis vicesimum quintum non excedant*, ut alias censuit s. Congregatio Concilii et concurrat Superioris licentia.« Item ut addiscant in publica universitate non vero in parvis gymnasiis, de qua re consuli potest *Giraldi jus pont. p. 1. ad cap.*: *Super specula, de Masect. 787. in 9. fin., Card. Petra ad const. X. Bonifacii VIII. n. 6. tom. 3*, item recens opus cl. *Angeli Lucidi de Visitat. SS. LL. vol. II. pag. 367.*

formulis die 22. Decembris 1866 s. Congregatio respondit

Ad I: *Dilata*; *et suppleatur negligentia.*

Ad II: *Dilata et scribatur Episcopo*: *ad mentem.*

Cum autem nulla canonica causa ex parte Episcopi deducta fuisset, quae exsecutionem rescripti impediret, cum nihil amplius ex parte capituli fuisset deductum et e contra exhibita ab Angelo fuissent nova medicorum testimonia de sua gravi infirmitate, quae omnino impediebat quominus ad locum canonicatus rediret, definitivam resolutionem habuit causa.

Dubia:

I. *An et quomodo exequutioni mandanda sint s. Congregationis rescripta ad effectum concedendi indultum jubilationis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II: *An et in qua summa sint a capitulo restituendi Canonico . . . fructus praebendae in casu?*

S. Congregatio Concilii die 21. Martii 1868 respondere censuit

Ad I. *Affirmative in summa liquidanda ex bono et aequo coram R. P. D. Secretario.*

Ex quibus colliges:

I. Jubilationis indultum non concedi nisi constiterit eum qui illud petit jugiter et laudabiliter choro inservisse annos quadraginta.

II. Neque interesse, an hoc tempus expleverit duabus inserviens successive ecclesiis.

III. Rescripta s. Sedis, quae pro gratia exeunt, quorum exsecutio committatur *arbitrio et conscientiae* Ordinarii, debere exsecutioni mandari, nisi nova canonica causa existat, quae executionem impediat. *)

IV. Fructus beneficii aegroto Canonico indebite subtractos et consumptos restituendos esse. *)

*) Frequentissime in ss. Congregationum rescriptis inseritur clausula: *Arbitrio et conscientiae Episcopi*, vel etiam: *arbitrio et prudentiae Emi Cardinalis:* et frequentissime penes ss. canones reperiuntur dictiones: *prudentiae tuae, judicio tuo, discretioni tuae*, uti notat etiam *Fagnanus in cap.: Ne innitaris de const. n. 239.* Valor harum clausularum potest considerari in genere et in specie. In genere consideratus tribuit rationabile arbitrium, non quidem plenum, sed ad normam juris dirigendum: in specie autem consideratus vel majorem vel minorem vel etiam nullam tribuit facultatem pro ratione negotii et rescripti tenore. Sic ex. gr. in rescriptis in quibus dicitur: *SSmus annuit pro gratia, arbitrio et conscientiae Episcopi*, in quibus nihil determinandum reperiatur, gratia censetur facta, cui deest tantum rescripti executio ut plenum habeat effectum; hoc in casu delegatus non potest denegare exsecutionem; nec illa verba *arbitrio et conscientiae* facultatem denegandi exsecutionem tribuunt, nisi forsan alia canonica causa occurrat, quae apud s. Sedem non exposita jure exsecutionem impediat. Namque quando literae supplicantis Romae cognitae sunt seu ut dici solet *justificatae* non potest retardari parata exsecutio per clausulam appositam *arbitrio* ut dixit *s. Rota in Lauden. Vicariae 29. Martii 1694 coram Caprara* et in *Recent. decis. 667. n. 1. part. 18. tom. 2. et decis. 82. n 1. p. 19.*

*) Et hic est animadvertendum, non esse in arbitrio Canonicorum subtrahere fructus praebendae alicui collegae nisi Ordinarii auctoritas interveniat: neque omnibus fructibus absentem esse statim privandum, cum primo anno absens amittat dimidiam fructuum partem, secundo omnes fructus, tertio privetur beneficio juxta Tridentinam dispositionem.

b) A die appellationis.

Sutrina.

Pientissimus sacerdos Gordianus Favernelli Canonicus ecclesiae collegiatae s. Aegidii terrae Tulpharum dioecesis Sutrinae ultimo quo decessit suae voluntatis elogio die 12. Octobris anni 1765 statuit, ut ex omnibus suis bonis in dicta terra existentibus canonicalis praebenda sub invocatione s. Philippi Nerii in eadem sua Collegiata erigeretur. At simul jussit ad erectionis actum haud esse deveniendum nisi post mortem conjugum Lucae Poggioli ac Mariae Angelae Boggi, quibus donec vitae usura fruerentur dictorum bonorum usumfructum reliquit si tamen adderent erigendo canonicatui quamdam eorum domum ac vineam in Tulpharum territorio positam.

Uti testatur Gordianus, praefati conjuges Poggioli et Boggionieam domumque suam canonicatui adjecerunt, publico ad id exarato instrumento die 27. Aprilis anno 1767, in quo jurispatronatus leges omnino confirmarunt.

Atque ideo usumfructum bonorum relictorum Favarnellio acquisiverunt neque ad canonicatus erectionem deventum est, nisi post eorum mortem.

Ultimus hujusmodi canonicatus possessor fuit Aloysius Valentini, qui ad plures abiit die 19. Martii elapsi anni.

Sine mora Capitulares patroni concursum ad vacantem praebendam publice indixere, praestituto octo dierum spatio iis, qui sua

requisita pandere vellent ad eam obtinendam. In medium prodiere Bartholomaeus Galleti jam in sacro subdiaconatus ordine constitutus necnon Aegidius Natali adolescens annorum quindecim, qui licet nondum clericalem tonsuram recepisset clericalem tamen habitum jam induebat, per episcopale rescriptum penes acta s. Congregationis existens, quique sibi nominationem dandam esse contendebat, eo quod cum Maria Angela Boggi sanguine junctus erat. *)

Interim vero tonsurae quoque initiari a suo Antistite supplex petiit Natalius; sed ejus preces in irritum cesserunt. Elapso termino praefixo Capitulares s. Aegidii die 26. Martii praedicti anni 1847. comitia habuerunt, in quibus, omnibus Canonicis consentientibus, qui interfuerunt, nominatio facta est de subdiacono Galletti ac omnino rejecta adolescentis Natali petitio.

Sed hic eadem *die per protestationem* emissam in curia foranea Tulpharum jam sibi praecaverat a quovis Capitularium actu, quo ipsius juribus pessumdatis alium quemvis Canonicum nominassent. Postquam vero prodiere episcopalia edicta, quibus terminus quindecim dierum praefiniebatur obsistere volentibus praesentationi favore Galletti emissae, cucurrit ad episcopalem curiam Sutrinam ac die 12. insequentis Aprilis solemnem ibi aliam protestationem vulgo: *nihil transeat* apposuit, ne contra jura sua Antistes ad institutionem Galletti procederet. Qui nihilominus institutionem ac immissionem in possessionem canonicatus ab eo die 18. dicti mensis Aprilis obtinuit. Tunc etiam novam protestationem penes episcopalem curiam Sutrinam emisit Aegidius contra Capitulares patronos et subdiaconum Galletti jam canonicatus possessorem atque ad H. S. Ordinem convolavit.

Preces pro informatione et voto remissae fuerunt Antistiti Sutrino, qui suis literis ad s. Congregationem redditis defensionem adegit favore subdiaconi Galletti. Quas pro eo rationes exposuerit, accipient EE. VV. in allegationibus distribuendis ab assumptis utrinque patrocinatoribus. Nostrum interim erit argumenta a praefatis allegationibus desumpta per summa capita exponere, ut responsum dari valeat quaesituum formulis de partium consensu concinnatis ac in calcem relatis.

Qui subdiaconi Galletti causam orat, validitatem ejus nominationis hisce argumentis sustinere studet. Scitissimum ait in jure est ad nominationis validitatem duo requiri, quod nempe nominantes jurepatronatus gaudeant et quod in nominato confluant conditiones in fundatione appositae. *) Atqui juxta Favarnelli testamentum ad Capitulares s. Aegidii spectabat jus nominandi et in subdiacono Galletti reperiebantur qualitates ex lege fundationis in nominando necessariae: ergo valida fuit ejusdem nominatio ad tradita per *Rotam in decis. 731. n. 8. cor. Riminaldo.*

Neque audiendus erit Natalius, qui sibi praelationem ex titulo consanquinitatis cum Maria Angela Boggi vindicare curavit supra extraneum Galletti; nam praeter consanguinitatis titulum requirebantur clericatus et saltem minores ordines vacationis tempore. Necnon ceteras conditiones in eo esse oportebat, quas in extraneis fundator desideraverat. Jam vero Aegidius tempore vacationis clericatum nondum receperat, licet aliquando clericalibus vestibus ecclesiae inservisset. Imo nulla umquam suae vocationis signa praebuerat, numquam votum ostenderat militiae ecclesiasticae nomen dandi, ut testatur Antistes Sutrinus in suis literis ad s. Congregationem transmissis. Praeterea quum adolescens esset studiis grammaticae adhuc intentus, haud habilis putari poterat ad canonicatus dotem sedulo curandam.

Et quamvis ad removendum obstaculum deficientis clericatus exemplum Canonicorum Forelli et Valentini in medium adducat Natalius, quorumdam virorum etiam testimonio innixus, qui asseruerunt, eos canonicatum obtinuisse, quin adhuc tonsuram suscepissent, falsum hoc tamen ostenditur ex resolutionibus capitularibus illorum temporum, ex quibus patet nonnisi post clericatus susceptionem ad canonicatum s. Philippi Nerii eosdem fuisse nominatos.

Perperam deinde ad nullitatis vitio incusandam Galletti nominationem affert Aegidius protestationem, quam penes curiam foraneam Tulpharum emisit ipso nominationis die. Siquidem, praeterquam quod multa mendacia in illa exposuerat et capitulo denuntiata non fuit, nisi quatriduo post expletam nominationem, nullius etiam erit roboris censenda, utpote quae emissa fuerat contra fundationis *legem, arg. ex leg.*

*) Vd. *t. II. p. 404. n.*

*) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*

Non solum § 8. Morte, ff. de operis novi nunciat., ubi *Bartol. Franch. de protest. cons. 8. num. 2. et seq. et cons. 17. num. 2, Scaccia de judiciis lib. 2. cap. 11. num. 58.* ac utpote irrationabilis spernenda omnino erit, ad tradita per *Abb. in cap.: Genesi n. 9. in fine de elect., Lavor. var. lucubrat. tit. 4. de electione cap. 17. num. 25, Rota in decis. 439. recent. par. 19. tom. 2. n. 9.*

Neque argumenta desunt ad ostendendam validitatem quoque institutionis subdiaconi Galletti. Institutio enim valida habenda erit, si tria ad juris tramites concurrant, si nempe institutor polleat opportuna potestate instituendi, si instituendus praesentatus fuerit a legitimis patronis, si is denique haud careat qualitatibus ad formam fundationis. *Barbos. p. 3. de officio et pot. Epis. alleg. 72. num. 272, Abb. in cap.: Auctoritate 4. de instit. n. 7, Ferrar. bibl. jurid.* verb.: *Institutio n. 7.* At singula suppetunt in casu; ergo valida fuit institutio, de qua quaeritur.

Frustra hic opponeretur, ante institutionem per Aegidium Natali appositum fuisse *Nihil transeat* in episcopali curia. Nam illud sublatum fuit infirmatumque decreto, quod Episcopus usquequaque re perpensa tulit post instantiam a Galletti factam pro illius laceratione: ideoque exulat attentatorum objecta labes ac robore suo stat institutio. Et dato etiam per hypothesim, quod episcopale decretum haud unquam extiterit, ac propterea inhibitionis, quae audit: *Nihil transeat*, laceratio nec etiam intercesserit, melior non tamen fieret Aegidii causa. Recepta enim apud s. Rotae tribunal fuit consuetudo attentatos actus numquam revocandi si bonum jus succurrat ei, qui attentata perpetravit, ne quod veluti attentatum deletur postmodum iteretur. Clare id docetur *in decis. 171. num. 14, decis. 320. num. 8.* et *in decis. 801. num. 5. cor. Kannithz, ibi:* »*Quatenus constat, ut hic, de bono jure attentantis ex ea ratione, quia denuo concedendus esset prioratus Bohemiae equiti Dubistri et sic ad evitandos inutiles circuitus actus sustineri debet.*« Ita pariter in *Pisan. Bonorum super attentatis 15. Aprilis 1701* §: *Et tamen*, aliisque.*)

Quoad secundum et tertium dubium parum se sollicitum ostendit Galletti defensor, quia munus suum implevisse putat, quum circa primum disputaverit, a quo reliqua pendent. Tantum addit absonum juri esse si Episcopo vis inferatur ad tonsuram conferendam ei, qui tempore vacationis canonicatus illa carebat quique postmodum eamdem petiit temporalis lucri captandi gratia. Verumtamen ab Aegidio Natali suae causae electus orator asserit, nullam fuisse atque ideo infirmandam esse nominationem et institutionem subdiaconi Galletti; quod ut evincat ita ratiocinatur: Fundatorum leges esse omnino observandas omnia jura clamant, *Piton. de controversiis patron. alleg. 40. num. 2.* Ad hoc prae caeteris adiguntur patroni, ad quos jus nominandi pertinet, *Gonzalez. ad regul. cancell. 8.**) *gloss. 9;* adeo ut nulla sit nominatio, nisi peracta ab ipsis fuerit ad normam a fundatore praesignatam. Atqui testator Favarnellius et conjuges Lucas Poggioli ac Maria Boggi jusserunt Capitularibus s. Aegidii, ut ad canonicatum prae extraneis suos consanquineos nominarent; nulla ergo dicenda erit nominatio extranei Galletti nonnisi in subsidium vocati dum inter primo loco vocatos extabat Aegidius Natali cum Maria Angelae Boggis sanquine conjunctus, uti patet ex testimonio Bartholomaei Pucilli Archipresbyteri et parochi Tulpharum.

Quod in subsidium vocati perperam nominentur ad beneficia, existentibus vocatis primo loco et a fundatoribus praedilectis, apertissime docet s. Rotae Auditorium in *Urbinaten. Canonicatus die 25. Junii 1655 num. 1. cor. Meltio.* In ea licet testator solum adprecatus fuerit Capitulares patronos a se constitutos, ut ad novum canonicatum placeret eis praeferre omnibus aliis ipsius consanquineos, quia tamen praetermisso consanquineo Capitulares nominaverant extraneum, nulla declarata fuit nominatio et canonicatus consanquineo fuit adjudicatus. Id ipsum traditur *in decis. Arianen. Beneficii 10. Martii 1651. n. 1.*

Nec audiendi sunt qui ajunt, Favarnellium solam praelationem concessisse consanquineis ita ut in arbitrio sit patronorum vel eos vel extraneos nominare; nam praeterquam quod etiam simplex adprecatio a testatore facta praeferendi suos consanquineos tale iis jus tribuit ut prorsus excludantur extranei, consanquineis existentibus, veluti patet ex s. Rota in allatis decisionibus, praeterquam quod passiva vocatio ex sua natura

*) Vd. *t. I. p. 590. n. 9.*

*) Vd. *t. II. p. 820.*

nil aliud est, nisi jus praelativum in certo genere personarum ad assequendum beneficium, sicuti docet s. Congregatio *in Nolana Concursus 2. Decemb. 1843* §: *Haec quoque* et in *Imolen. Canonicatus 8. Julii 1843* §: *Jurispatronatus*, Favernellius insuper expresse dixit, consanquineos non solum esse praeferendos sed etiam nominandos.

Nec obest, quod Natalius nondum esset tonsura donatus tempore nominationis. Nam primum, antequam nominatio expleretur, tonsuram a suo Antistite petierat ipse, qui jamdiu vestibus clericalibus indutus viam ecclesiasticam fuerat ingressus et quum in sua petitione haud propitium habuisset Episcopum qui adigebatur arctato ad beneficium assequendum clericatum conferre, *Fargna de jurepatr. part. 6. can. 22. cap. 7. num. 5.*, per se certo non stetit, quominus habilis adinventus esset; atque ideo nullum debebat ferre praejudicium, ad tradita per laudatum *Fargna loc. cit. num. 6, Piton. loc. cit. alleg. 68. num. 23, Card. de Luca in miscell. eccles. disc. 25. n. 8, Rota cor. Rembaldo decis. 136. num. 3.* Neque hic audiendus est Sutrinus Praesul, dum asserit ad tonsurae denegationem tuendam nullum Natalium vocationis signum dedisse ac solummodo lucri captandi causa tonsuram postulasse eum, qui ex plurium testimonio bonis erat moribus praeditus Deoque in ecclesia talari habitu ac superpelliceo indutus antea inservierit, quod nequaquam denegat idem Episcopus. Ast dato etiam, quod tonsuram petiisse Natalius animo dumtaxat beneficium assequendi, haud haec fuisset legitima causa cur eadem ipsi denegaretur, quia non fraudi, sed licitae industriae id esset tribuendum, quemadmodum, ad scrupulum omne removendum, monuit *Rota in decis. 463. n. 3. cor. Buratt. et decis. 625. num. 21. cor. Lancetta.*

Praeter ea, quum Aegidius esset passive vocatus, nominandus erat, licet nondum tonsura donatus. Siquidem habilitas de jure non requiritur tempore nominationis, sed collationis vel institutionis tantum, *Piton. loc. cit. alleg. 100. num. 679.*, et falsum est, quod laicus nequeat absolute nominare aut praesentari, dummodo intra legitima tempora sit tonsura initiandus,*) *Leuren in for. benef. part. 2. sect. 1. cap. 2. quaest. 158. num. 1, Corrad. in prax. benef. lib. 4. cap. 6. num. 31, Card. de Luca de benef. disc. 45. num. 7.* Patroni igitur juxta fundationis legem tenebantur nominare Natalium ejusque capacitatem intra legitima tempora, id est sex intra menses expectare, ut docet *Piton. loc. cit. alleg. 42. num. 3, Gagliardus de jurepat. cap. 20. num. 9.*

Atque falso asseret subdiaconus Galletti et cum eo Episcopus Sutrinus, cui placuit testamenti verba subvertere, capacitatem in themate requiri in actu vacationis canonicatus. Nam hoc neque ex voluntate testatoris neque ex jure colligi valet. Testator enim nunquam edixit, quod consanquineus primo loco vocatus clericus esse deberet vacationis tempore; et verba »*già chierico*« referenda sunt ad tempus institutionis, quia ex doctrinis supra allatis sufficit, ut eo tempore capacitas superveniat. Jura autem non sinunt, ut in casu, de quo agitur, quaestio agitari valeat, an capacitas seu clericatus requiratur tempore vacationis, quod locum tantum habere potest, quando contendentes sunt de eodem genere vocato, minime vero inter vocatos primo loco et vocatos in subsidium, ut docet *Card. de Luca de jurepatr. disc. 82. num. 5. Similiter capacitas* non requiritur actu vacationis beneficii quoties hoc, ut in themate, assequendum esset non juris ministerio, sed hominis facto, idest nominatione, praesentatione et institutione, *arg. ex cap.: Dudum*, et *cap.: Eum* §: *Inferiora de elect.* quibus consonat *s. Congr. in Bononien. 18. Novembris 1826.* §: *Verum in fin., Card. de Luca de fidcic. disc. 30. n. 11, Rota cor. Buratt. decis. 682. num. 8. et seqq.*

Accedit ultimus status; nam postremus possessor Valentinius clericus haud erat tempore vacationis neque legitima gaudebat aetate et Capitulares expectarunt, ut habilis redderetur, veluti patet ex actibus capitularibus illius temporis. Jam vero ultimus status in re beneficiaria omnem de medio tollit difficultatem, *text. express. in cap.: Cum olim de causa possess. et propriet., Rota decis. 208. num. 4. et 5. cor. Molines*, aliisque plurimis. Ex eodem ultimo statu demonstratur, falsam esse assertionem Episcopi, qui ait primo loco vocatos a Favarnellio non solum clericos, verum etiam minoribus insignitos ordinibus esse debere, quod nunquam expressit praefatus testator.

Demum ad nullitatem nominationis Galletti probandam advertendum est, Aegidium

*) Vd. *t. II. p. 434.* §: *Secundo.*

protestationem emisisse ipso nominationis die contra nominantes penes curiam foraneam Tulpharum, cujus vis fuit ut actus postea interpositi nulli et irriti essent intelligendi, juxta doctrinam *Rotae in decis. 315. n. 2. et 3. par. 13. rec.*

Nullitate nominationis in comperto posita consequitur vim habere non posse sequutam institutionem; quippe institutio nihil suffragatur, cessante valida praesentatione, *decis. 209. n. 13.* Sed nulla hujusce efficacia clarius ostenditur ex »*nihil transeat*« intra fixum terminum coram Episcopi Sutrini curia apposita. Etenim ulteriores actus per illud Episcopo interdicebantur, nisi prius jura in judicio discussisset, *Rota decis. 97. num. 5. part. 3. et decis. 284. num. 2. et 3. part. 11. recent.* Quod si nihilominus ad institutionem concedendam ipse devenit, attentatorum labem certo contraxit, quae ita purganda erit, ut omnia in pristinum reponantur, tamquam nullis reputatis interpositis actibus *Rota decis. 478. numer. 9. cor. Dunozet, Constant. vot. 129. n. 13. tom. 1.*

Demonstrato hoc pacto nullitate nominationis ac institutionis a subdiacono Galletti obtenta nemo est qui non videat Episcopum Sutrinum teneri clericatum conferre Aegidio Natali; siquidem in eo confluunt omnia requisita, quae in tonsura initiando desiderat *Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. de ref.* ut ex luculentissimis testium depositionibus comprobatur.

Insuper, ut supra innuebatur, quilibet Ordinarius haud potest denegare tonsuram ei, qui arctatus in jure dicitur ad eam suscipiendam ratione beneficii assequendi, quod praeter laudatum Fargna docet *Piton. de controv. patr. alleg. 68. num. 21 et 22.* ibi: *Arctata ratione beneficii, ad quod vocatus reperitur ex lege fundationis, tenetur Ordinarius clericatum conferre.* At non clericatum tantum, verum etiam institutionem in canonicatum tribuere tenetur Aegidio Antistes Sutrinus, quia passive vocatus, si eum patroni nominare et praesentare noluerunt, censetur nominatus et praesentatus per fundatorem eique danda est institutio, *Piton. loc. alleg. 89. num. 26*, *Garz. de benefic. part. 7. cap. 15. num. 2. cum. seqq.*, *Card. de Luca de jurepatr. disc. 18. num. 3, Rota coram Rich. decis. 661. num. 1. et 13.* aliique. Praeterea oppositio seu protestatio, quae fit a passive vocato coram Ordinario, idem valet ac nominatio et praesentatio, eaque idcirco a patronis, ut institutio detur, expectanda non erit, veluti monet idem *Piton. alleg. 85. n. 2*, *Rota coram Pamphil. decis. 99. n. 1.*

Illud nec etiam praetereundum, quod nempe intrusus ad beneficium et malae fidei possessor restituere teneatur fructus ei ad quem beneficium legitime spectat. *Lotter. de re benef. lib. 9. cap. 20*, *Rota decis. 5. de re judic. in noviss.* Atqui ex allatis patet, subdiaconum Galletti intrusum fuisse in canonicatum s. Philippi Nerii et quum perspecta haberet Natalii jura, censendum malae fidei possessorem.

Quin immo ejusmodi fructus restituendi sunt Aegidio a die praetermissae ejus nominationis, quia ex eo tempore juxta legis sanctionem ipsi nominatio, ideoque provisio censetur per fundatorem collata; et fructus restituendos esse a die provisionis, docet laudatus *Lotter. loc. cit.* Hisce hinc inde breviter delibatis, quae fusius perlegent EE. VV. in distribuendis allegationibus, sunt dirimenda

Dubia:

I. *An sit confirmanda seu potius infirmanda nominatio et institutio subdiaconi Galletti in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam,

II. *An Episcopus teneatur conferre tonsuram Aegidio Natali eumque in canonicatu instituere in casu?*

III. *An et a quo tempore sint restituendi fructus canonicatus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Affirmative in omnibus.

Ad III: Affirmative a die appellationis ad s. Congregationem.

Die 26. Febr. 1848.

c) Suspensione injusta sublata.

Vd. t. I. p. 643. n. 59.

Suessana.

Cum quaestio ageretur capitulum inter et sacrarium Suessanae cathedralis ecclesiae de quorumdam agrorum pertinentia (quae

deinde ab hac s. Congregatione die 18. Decembris 1852. dirempta fuit favore sacrarii), Episcopus conventionem quamdam proposuit pro qua sub die 24. Januarii 1852. preces dederat H. S. O., queis sub die 31. ejusdem mensis rescriptum fuit: Audito capitulo referat circa decreti causas. Paruit Antistes s. Congregationis rescripto indicendo capitularia comitia per epistolam diei 26. Februarii praedicti anni.

Reapse omnes Capitulares in ea ferunt sententia »di rimettersi alla giustizia ed equità di Monsignor Vescovo ecc.«

Imo singuli ad episcopalem curiam vocati sub die 26. et 27. Aprilis 1852. renunciationem in separato verbali emiserunt cuilibet defensioni aut appellationi ad s. Sedem excepto Canonico Vitali, qui renunciationis actui subscribere renuit. Nihilominus ipsi Capitulares inposterum deductiones pararunt, ut mandato s. Congregationis mensis Maji facerent satis; sed aliam deinde earum loco fertur eos subscripsisse conclusionem ut Episcopo morem gererent, praeter eumdem Vitalium, qui in praeconcepta adhuc sententia perstitit. Inde factum est, ut hic, qui subscribere hujusmodi conclusionibus sub die 11. Junii detrectaverat, die 14. ejusdem mensis suspensus fuerit a celebratione missae et ab audiendis sacris confessionibus. Quam tamen suspensionem incurrisse videtur eo quod in suspicionem devenerit correlativitatis famosi libelli a parocho Marchegiano contra Episcopum exarati, quam ob causam una cum aliis ecclesiasticis ac laicis viris ad tribunalia Neapolis ductus fuit. Quo tempore supplicem misit Vitalius ad s. Congregationem libellum.

Simul ac hujusmodi preces ad apostolicum Nuntium remissae sunt, illico innotuere Suessano praesuli, qui eas calumniosas existimans statim Vitalio injunxit rectratationem quam hic edidit die 10. Octobris 1852, declarando scilicet se reum calumniae in oblatis ad sac. Congregationem precibus ob idque incidisse in casum excommunicationis reservatum in ea dioecesi contra calumniatores, atque inde irregularitatem contraxisse ob missae celebrationem post incursam excommunicationem ac in novas incurrisse censuras ob colloquium habitum cum quadam moniali sua propinqua. Nihilominus alias deinceps dedit Canonicus Vitali preces H. S. O. sub die 28. Junii 1852. ubi plura lamentatur mala queis obnoxius fuit pro sui capituli juribus tutandis.

Auditus de more Episcopus super hisce precibus singulis accusationis capitibus justificationes subnectit, quae cum a defensore Vitalii relatae sint in sua allegatione distribuenda cum opportunis animadversionibus inibi brevitatis ergo eas perlegere rogantur Emi Patres.

Hisce in facto praejactis haec habet Vitalii defensor: »Quamvis certum in jure sit posse Episcopos suspensionis poenam infligere tamen causas s. Sedi manifestare tenentur, ut de poenae justitia constet, ad monitum *Benedicti XIV. de synod. lib. 10. cap. 2. num. 2.* Atque inde censurarum impositio ita moderari a jure debet, ut nonnisi in casu gravis et lethalis culpae infligi possint ex communi canonistarum et theologorum sententia quos inter *Pirhing.* et *Reiffenst. in jur. canonic. tit. 39. n. 7. et seqq.*, *Tournoly in tract. de censur. art. 1.* Porro Vitalium multo ab hinc tempore non solum suspensum manere, sed privatum etiam extare distributionibus, eleemosynis et beneficii fructibus, quin Episcopus ullam vel levis culpae probationem afferat.

Re quidem vera in prima suspensione indefinite lata nullam legitimam praesto esse ait suspensionis causam, quatenus ob id tantum censura irretitus fuerit, quia subscribere noluit capitulari resolutioni vi extortae, cui subscribendum jubebat Antistes.

Neque legitimam addit dijudicandam esse aliam causam repetendi vel continuandi suspensionem in Vitalium ob meram calumniam absque ullo judicio correlativitatis pro libello exarato a parocho Marchegiano, nam haec accusatio delata fuit judicio solemni ministerii Neapolitani Vitalem absolventis ex capite innocentiae atque ex ejusdem testimonio Antistitis in causa acta apud s. Congregationem Episcoporum et Regularium, asserentis apostillas illius libelli esse characteris Passaretti non autem Vitali, necnon ex peritis romanis calligraphis affirmantibus: ill lorro esser di carattere di Marchegiano, e le apostille di carattere del Passaretti.

Insuper suspensum eum ostendit, postquam dimissus e reclusoriis in patriam reversus fuit post mensem Septembris 1852, cum nempe Episcopus ab eo exegit, ut se calumniae reum declararet pro iis precibus, quas s. Congregationi exhibuerat. Licet

enim Vitalius resistere imperio Episcopi haud valuerit ad evitandam in arcem Morphinam peregrinationem, morbis cum esset fere confectus, nihilominus pro passa coactione eum merito recurrisse censet ad s. Congregationem, ne eidem contingeret quod alteri presbytero contigit in dioecesi Narbonensi, quem ipse Antistes ad triremes calumniae causa per quinquennium relegarat. Ex quo novam Vitalium divexandi causam promanasse conqueritur, nam Episcopus certior factus de hujusmodi recursu eum iterum pro ultima vice suspendit atque inposterum perceptione etiam omnium fructuum canonicatus privavit, ad hoc ut palinodiam recineret.

Potissimum vero de postremo hoc suspensionis actu inquirendum monet, cum adhuc in suo robore persistat. Praemittit enim ad s. Sedem pro justitia confugere, non modo omni culpa vacare, sed immo dignum, necessarium et laudabile esse. Neque vero aliud egisse Canonicum Vitalium, quam reclamare al Padre commune de' fedeli per la lunga sospensione inflitta gli senza causa pei mali patiti con reclusori e carceri. Idcirco haudquaquam a Vitalio Episcopum calumniatum in precibus comprobari, tritissimum cum sit in jure calumniae crimen haud esse si quis ab inferioribus gravatus ad superiores recurrat.

Quandoquidem calumniae crimen haud definiendum aliter venit, quam falsum crimen in judicio scienter et dolose alteri intentum, ex *arg. L. 1. ad S. C. Turpilian.*, *Leuren. jur. canon. quaest. 61*, *Pirhing. lib. 5. vers. 1. sect. de accusat.*, ita ut haec extrema concurrant oporteat, nempe crimen grave, falsum, scientia, dolus, sedes judicialis; quae quidem omnia desiderari hoc in themate palam est. Constat autem apud criminalistas omnes quod qui porrigit delatorios libellos principi ad effectum justitiae contra alterum etiamsi ex integro non verificentur exposita a calumniae crimine immunis est. *De Angelis de delict. et poen. part. 1. cap. 8. num. 18.*, *Gabellus resol. crim. num. 271*, *Guazzinius defen. 29. cap. 2. num. 29*, *Farinaccius cons. crim. lib. 1. cons. 87. numer. 7*; *Honde de cons. 212.* Quod apud theologos etiam obtinet, *Sotus in libro de ratione tegendi et detegendi secretum, condit. 53, s. Alphonsus cum d. Thomas theol. moral. lib. 5. num. 973.* Neque praetereundum Canonicum Vitali spectatissimum esse inter ecclesiasticos viros, de cujus probitate morum, animarum zelo, praedicandi officio ceterisque virtutibus plurima in medium profert probatissimorum virorum testimonia.

Pergit deinde ad injuriam subtractionis fructuum vindicandam. In eo namque legitimam monet esse causam ne Vitalius fructibus privetur, quod absens is fuit causa necessitatis ob injustas sui Episcopi vexationes atque ob defensionis rationem in Urbe peragendae, juxta pragmaticam hujus s. Congregationis editam de anno 1836 et patulam ss. canonum doctrinam.*) Quare fructus debere inquit a die subtractionis ceu eadem sac. Congregatio tradit praesertim *s. Severini Reintegrationis 16. April. 1781* ubi patet ex Tridentini sanctione ad partialem eoque magis ad totalem fructuum privationem deveniri non posse, nisi praeviis citationibus**) et post determinati temporis lapsum etiam in causa voluntariae absentiae.

Idipsum retinendum esse urget quoad fallentias seu distributiones quotidianas: has siquidem venire nomine fructuum atque eas lucrari Canonicos qui a choro absunt ob necessitatem docet *Moneta de distrib. lib. 3. quaest. 9. num. 12.* et *part. 11. quaest. 5.* Injuste autem impeditum fuisse Vitalium, cum per eum non steterit quominus choro adesset.

Ex comprobata itaque injustitia suspensionum arguit, Vitalio tradendas esse eleemosynas missarum lectarum a capitulo retentas. Etenim hujusmodi eleemosynae in satisfactionem legatorum in singulos Canonicos distributorum nonnisi ex massa communi repentendae veniunt.

Atqui has Canonico rependi justitiae est actus ad tradita per *Monetam de distribut. canon. lib. 2. qu. 15. num. 41*, *Barbat. de divis. fruct. §. cap. 15. num. 50.* addita praxi s. Congregationis Concilii necnon EE. et RR. in *Firmana 1856.*

Tandem de damnorum emendatione agens eo jure reparanda esse affirmat a Suessano Antistite quippe qui nullo unquam tempore justum titulum habuit Vitalium ab officio et beneficio suspendendi. Jam vero tralatitii juris est, actionem dari de interesse et expensis litis deque aliis similibus damnis contra injuste excommunicantem et supendentem, ceu probat ex *Moneta de distrib. lib. 2. qu. 15. num. 45;* multoque magis contra Episcopum Suessanum qui durioribus

*) Vd. *p. 203. k.*
**) Vd. *p. 212. IX.*

poenis Vitalium affecit, *s. Rota dec. 260. part. 12. recent.* et *s. Congr. in Perusina Paroeciae 25. Septemb. 1795.*

Quibus in aprico positis enixis s. Ordinem precibus adprecatur, ut futurae praedicti Canonici conditioni prospicere velit, cum in more sit hujus s. Congregationis dum de gravi abusu constat praecipere ne Episcopus in subditum poenis animadvertat inposterum nisi consulta s. Sede apostolica.

Ex parte Episcopi distribuitur memoriale pro dilatione ac dubiorum reformatione. Utrum ejus instantiae deferendum sit necne EE. VV. judicabunt.

Mei autem muneris est sequentia proponere

Dubia:

I. *An Canonicus Vitali sit reintegrandus ad missae celebrationem et ad omnes sui canonicatus fructus comprehensis fallentiis, distributionibus et eleemosynis missarum incepletarum pro legatis sui canonicatus a die suspensionis et subtractionis in casu?*

II. *An sit locus emendationi damnorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus, celebratis tamen missis per Canonicum Vitale.

Ad II: Affirmative et ad mentem: mens est, supplicandum esse SSmo ut dignetur monere Episcopum de tuitiori suae potestatis usu inposterum.

Die 18. Febr. 1854.

Continuatio.

Animo tamen haud fractus Episcopus novae audientiae beneficium petiit obtinuitque ac suam nunc exhibuit defensionem, cujus summam heic ut moris est attingam.

Cum de suspensione inflicta die 1. Januarii 1853 quae viget adhuc hic tantum agendum sit, causae momentum in eo ponit Episcopus seu ejus defensor, num scilicet justa adfuerit hujus infligendae suspensionis causa. Quandoquidem vero suspensio haec inflicta fuit, quia Canonicus Vitali confirmare detrectaveret, imo impugnaverit retractationem a se emissam die 10. Octobris 1852, hinc primo loco probat jure suo usum fuisse Episcopum cum hanc imperavit retractationem. Duo ut rem conficiat tempora distinguit, alterum quod jussionem retractationis sive diem 10. Octobris 1852. praecessit, alterum quod subsecutum est, ac in primo remotam, in hoc causam suspensionis proximam reponit. Itaque contexta rerum historia quae primum illud tempus complectitur reperit ex parte Vitali injurias, contumelias et calumnias in Episcopum impune illatas, ex parte vero Episcopi patientiam, longanimitatem ac mansuetudinem ad extremum usque gradum prolatam. Constat enim usque ad eam diem 9. Octobris 1852 Vitalium quatuor ad sacras Urbis Congregationes misisse libellos addito quinto ad Nuncium apostolicum, in quibus Episcopum uti arbitrarium, violentum et sua abutentem potestate traducebat. Neminem porro latet, injuriarum actione eum teneri qui ea objicit, quae bonis moribus improbantur quaeque ad infamiam et invidiam alteri creandam spectant, communiter doctores civiles et criminales post *text. leg. 15. ff. de injuriis*, *Rainald. sint. rer. crim. cap. 2. §. 8. num. 22*, *Farinacc. de var. et divers. crim. quaest. 105. numer. 15*, *Matth. de crim. tit. 4. de injur. cap. 1.* Nec secus canonistae, *Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 36. de injuriis*, *Schmalzgr. eod. tit. num. 1.* Gravis autem atrocitatis qualitatem injurias induere, habita ratione appicti criminis, personarum tum injuriam inferentis cum injuriam passae, loci, temporis ac modi, *Matth. cit. loc. num. 6*, *Farinacc. ibid. num. 196*, *Menoch. cas. 263. num. 9.* quae singula ad rei gravitatem augendam majorem in modum conveniunt in themate, uti palam est.

Atqui cum injuriosae hujusmodi imputationes falsitate laborent, nec a calumniae nota excusari posse Vitalium. Referuntur quippe accusationes ad coactionem universi capituli, ad comminatam suspensionem, quatenus conclusionem ab Episcopo exaratam non subscripsissent Canonici, tandem ad poenam carceris et sacri recessus Vitalio inflictam ob oppositionem in causa bonorum sacristiae.

Haec plane omnia diluere satagit defensor tum ex declarationibus ab universis Capitularibus emissis, tum ex resolutione H. S. Cong. in causa bonorum sacristiae die 18. Nov. 1852. post opportunas informationes super objectis calumniis tum ab apostolico Nuntio tum ab Emo Metropolita Capuano habitas juxta Episcopi votum decisa, qua quidem implicite saltem declaratum est

nullam ex parte Episcopi adfuisse vim et coactionem, tum ex relatione Nuncii apostolici, tum denique ab examine epistolae ab Episcopo die 26. Febr. 1852 Capitularibus missae unde potissimum coactionis argumentum ex adverso educitur. Plena cuique data fuerat libertas praefinito tantum temporis spatio ne capitulum majores captaret inducias ad eam exhibendam, cum 20 jam dies inutiliter a s. Congregationis rescripto praeterlapsi essent.

Post haec fatue calumniae excusationem quaerere Vitalium ex quo objecta haec summo Pontifici exposuerit, ac si impune mentiri et calumniari liceret in libellis Principi oblatis contra censuram, *text. leg. Item apud Labeonem* §: *Si quis ff. de injuriis*, ibi: »Si libello dato vel Principi vel alii famam alienam insectatus sit, injuriarum erit agendum et *Leg. 1. cod. de injur. et fam. libell.* Consonat jus canonicum *cap. 2. de calumniator.* Hinc communis est omnium DD. opinio, quos plena manu refert defensor, calumniae eum reum se fieri qui libellis Principi vel s. Sedi porrectis famam aliorum absque causa dilacerant et crimina vel delicta falsa denunciant. Ita etiam auctores ex adverso allegati *de Angelis de delict. et poen. part. 1. cap. 83. n. 18, Caball. cas. 271. n. 8, Farinac. cons. 86. n. 7.* nec secus *Ursaya instit. crim. lib. 2. tit. 9. n. 40, Rainald. sint. ver. crim. cap. 11. §. 4. n. 7. etc.*

Quin calumniae excusationem habeat Vitalius sive ex eo quod non in simplici libello denunciatorio Episcopum accusaverit sed in libello appellationis sive ex eo quod dolus malus et animus injuriandi ab eo abfuerit; non enim prima consistit excusationis ratio ex aperta juris sanctione in *leg. 42. ff. de injur. et famos. libell.*, ibi: »Judici ab appellationibus convicium fieri non opportet alioquin infamia notantur,« in quam sententiam conveniunt doctores uti *Brunemann ad eamdem leg.* et *ad leg. 8. ff. de apell., Menoch. de arbitr. jud. cas. 263. de injur. atroc. n. 8.*

Corruit altera tum quia facti veritas latere non poterat Vitalium tum quia hujusmodi calumniosas imputationes dolo malo prolatas fuisse praesumptio est, teste *Matth. de crim. tit. de injur. num. 10.* et firmat *Schmalz. in jus can. lib. 5. tit. 36. n. 8.*

Ex quibus infert jure judicioque agere potuisse Episcopum actione injuriarum et calumniae in Vitalium gravissimisque eum poenis subjicere, quas recenset *can. 1. et 2. de calumn.*, attamen summa eum patientia ac mansuetudine usum fuisse commemorat, de quo praeclarum exhibuit exemplum, cum Vitalium uti complicem libelli famosi parochi Margheggiano in domo religiosa imperio ministri regio detentum ante poenam exactam propriis laribus restituendum curavit. Igitur injuriarum oblitus Episcopus ac die 21. Septembris 1852. revocato Vitalio et ad missae celebrationem et ad canonicalia officia restituto res omnis composita videbatur. At vero cum idem Vitalius ineunte mense Octobris Nuntio apostolico quintum dedisset libellum, in quo veteres refricabantur calumniae in causa id fuit cur Episcopus die 10. Octobris ejusdem anni retractationem imperaverit. Quod quidem jure eum fecisse contendit, cum nil aliud exigeret nisi episcopalis honoris restitutionem, ad quam ex naturali justitiae debito tenebatur calumniator: hinc ejus potius moderationem admiratione dignam esse, qui cum judiciaria media adhibere potuisset disciplinari remedio uti maluit, quamvis de re notaria ageretur.

Constituto ita de legitima causa imperandae retractationis ad tempus quod eam subsecutum est gradum faciens orator, justitiam suspensionis die 1. Januarii 1853 inflictae vindicandam assumit, cujus causam proximam a novis repetit famosis libellis a Vitalio s. Congregationi exhibitis. Constat enim paucos post dies ab edita retractatione ac obtenta censurarum absolutione in quas se uti calumniatorem incidisse fatebatur novos Vitalium dedisse libellos omni injuriarum genere refertos.

Jam vero cum justam Episcopus habuerit causam imperandae retractationis, idcirco aequissimam censendam suspensionis poenam arguit defensor, quando revocata retractatione veteres recinebantur ac novae addebantur injuriae et calumniae.

Perperam vero de monitionis ac sententiae defectu conqueri adversarium, ac si de poena proprie dicta ac non potius de censura ageretur. Ac plane suspensionem hanc non ad ulciscendum crimen, sed ad contumacis emendationem et ad tempus indefinitum latam non poenae sed censurae rationem habere docent *Suarez. de censur. disp. 25. sect. 1. n. 2, Bernardi Comm. in jus*

eccles. part. 2. disc. 3. cap. 7. aliique communiter.

Praeterea nec in jure nec in facto alteram consistere exceptionem vis et metus quo ad retractationem edendam coactus fuisse dicitur Vitalius. Non quidem in jure, cum tralatitii juris sit, vis et metus exceptionem non facile in magistratum qui ex officio procedit admitti, nisi id eum per injuriam fecisse probetur; nam si magistratus jure metum incusserit ratum esse debet, quod gestum est, *textus in leg. 3. ff. quod metus causa* ac tradunt *Donell. in comm. jur. civil. lib. 15. cap. 39. num. 19, Voet. in pandect. lib. 4. tit. 2. num. 10.* ac tenet *s. Rota in Romana Refect. damn. 26. April. 1807. coram Resta §. 6,* in *Romana 6. Martii 1803 coram Quardoqui §. 4.* ac alibi passim.

Despici autem omnino oportere quae de abusu hujusmodi decalarationum seu retractationum in Episcopum objiciuntur. Nulla quippe gratuitis assertionibus adhibenda fides est, quas imo indubia documenta mendaces et solum ad invidiam creandam conflatas aperte revelant. Damna demum quae post id temporis a Vitalio passa dicuntur partim falsa partim exaggerata esse, sin minus, non Episcopo, sed ipsi Vitalio ac ejus pervicaciae imputanda, pluribus allatis documentis probare studet.

Quibus ita se habentibus manifesto consequi, nullum esse reintegrationi locum ac jure suo uti Episcopum si suspensionem a sola missae celebratione adhuc servat, donec Vitalius debitam praestet satisfactionem.

Ad reintegrationem fructuum canonicatus quod spectat obstare factum perceptionis fructuum eorumdem, uti constat ex epocha a Vitalii mandatario subscripta die 15. Octobris 1853. Quo vero ad fallentias, distributiones et missas inexpletas obesse tum rescriptum quo Vitalio venia data est in Urbe litis hujus causa manendi cum clausula »amissis,« tum s. Congregationis decretum diei 26. Sept. 1853. Cum enim Episcopus propositum suum declarasset removendi sequestrum ut fructus praebendae solverentur Vitalio, rescriptum prodiit: »Quoad sequestrationem fructuum provisum per declarationem: »quod a Vitalio accepto habitum fuit, uti ex ejus autographa epistola patet.« Haec quoad primum dubium.

Ad secundum quod attinet, paucis se expedit defensor. Cum enim, ejus sententia, damnorum emendatio a vero dolo pendeat cumque ex dictis redargui de dolo nequeat Episcopus Suessanus plane consequi, actionem de damnis in facto non posse consistere. Prorsus vero rejiciendam esse in jure. Nam traditionali jurisprudentia receptum ac lege sancitum est in constit. *Ad coercendas §. 21. Benedicti XIV.*, haud facile ad damnorum et expensarum emendationem damnandas esse curias ecclesiasticas.

Quam quidem jurisprudentiam exemplo suo confirmarunt s. Congregatio EE. et RR. in causa *Nepesina* di calumnia, violazione di sepolcro etc. anno 1844 et 1845 necnon S. H. Congregatio in causa *Baren. Renunciationis die 18. Maji anni superioris* exacta.

Ex parte Canonici Vitali memoriale reassumptionis distribuitur, in quo ejus defensor in unum ea perstringens quae fuse in prima allegatione disseruit conclusionem suam firmat, nullam scilicet Episcopum Suessanum causam habuisse suspensionis illimitatae et subtractionis fructuum infligendae, re sive in facto sive in jure inspecta. In facto quidem quia quae Vitalius in suis libellis exposuit veritate nituntur. In jure autem quia culpa vacat in bona fide ad s. Sedem contra Episcopos pro gravaminibus provocare.

Quocirca Vitalium ab officio et beneficio injuste suspensum non solum jus ad reintegrationem habere sed pro emendatione etiam damnorum et expensarum contra Episcopum damna inferentem agere possse juxta *text. in cap. 1. de sent. et rejud.* Quin opponi valeat Benedictina constitutio incip.: *Ad coercendas.* Animadvertit enim cautum quidem esse in hac constitutione, non facile esse Episcopos, quotiescumque eorum sententiae infirmantur, condemnandos, dum causam puniendi habuerunt, secus vero quoties constet Episcopos processisse cum aperta injustitia, sine indiciis, sine culpa, uti ex ipsius constitutionis contextu patet. Item porro ita se habere in themate ex his quae alias disputata sunt satis patere arbitratur.

Quae vero heic breviter attigi fuse exposita habent EE. PP. in allegationibus circumferendis, quo probe valeant respondere ad

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis.

Ad II: In decisis quoad damna intrinseca tantum.

Die 8. Julii 1854.

Continuatio.

Spem tamen felicioris exitus haud abjecit Episcopus et impetrato novae audientiae beneficio suam nunc exhibuit defensionem, cujus summam heic, ut moris est, attingam.

In octo distincta capita allegationem distribuit defensor. Primo loco sibi evincendum proponit, a vero abesse quod Episcopus in Canonicum Vitali animadverterit lite pendente coram s. Sede adeoque in spretum legitimae inhibitionis. Hoc autem arguit primo ex eo quod lis super pertinentia bonorum sacristiae finem habuit die 18. Novembris 1852. per s. Congregationis resolutiones; suspensio autem, de qua hic agitur, non prius indicta fuerit quam die 1. Januarii 1853 et sic post elapsum fatale decendium appellationis.

Neque ad litis pendentiam constituendam aliquid momenti habere putat appellationem a Canonico Vitali interpositam; quum enim id nedum absque mandato capituli, quod dumtaxat erat in hac causa legitimus contradictor, sed contra apertam ejusdem voluntatem proprio marte effecerit, nulliter appellavit. Notissimi autem juris est, non appellare et nulliter appellare paria esse ad omnes juris effectus, *s. Rota in Pampilonen. Decimarum 13. Junii 1840. coram Verospio n. 7, Lancellot. de attentat. par. 3. cap. 12. lin. 50. n. 1.*

Sed admissa etiam litis pendentia supra sacristiae bona hanc impedimento non fuisse quominus Episcopus ex alia causa, nempe ob injurias et calumnias in ipsum illatas Canonicum Vitali suspensioni subjiceret. Ubi enim non sit eadem actio, idem jus, eadem res, causa dicenda est diversa ad monitum famigeratissimae *legis 12. ff. de except. reijud.*, ubi traditur »quae nisi omnia concurrant, alia res est.« Quod eo magis obtinet in themate quia Episcopus non ob injurias et calumnias a missae celebratione abstinere jussit Canonicum Vitali, sed tantum ob excommunicationem et irregularitatem quam incurrerat, prout in sua epistola declarat Episcopus.

Receptum autem in jure est, ut ea quae fiunt ad finem honoris Dei et salutem animarum et ad praecavenda peccata a pendentiae litis inhibitione et ab ejus exceptione immunia sint, *s. Rota cor. Ratto decis. 303. num. 18.* et alibi.

Evincendum secundo loco adgreditur, minus veritati congruere, quod Episcopus Suessanus in Canonicum egerit in odium recursus ad s. Sedem. Hoc autem eruere satagit ex ipsa informatione Episcopi, ex qua adversarius defensor urget praesentem controversiam esse dirimendam.

Atque ad rem inprimis animadvertit, informationem illam non excipere suspensionem diei 1. Januarii 1853, de qua in praesens tantummodo agitur, sed aliam dumtaxat comminatam die 10. Octobris 1852, quam Canonicus evitavit per solemnem et juratam retractationem ejus diei. Ex integro deinde illius informationis contextu depromit, non recursum ad s. Sedem, sed calumnias adversus Episcopum prolatas praedictae monitioni causam praebuisse, quae licet coram Pontifice instructae fuerint, quia tamen in publicum per Canonicum propalatae obnoxium ipsum fecerant casui sub poena excommunicationis latae sententiae in illa dioecesi reservato, cujus intuitu tantum muneris sui duxit Episcopus eum a Sacri celebratione prohibere.

Disserit tertio loco de censura excommunicationis, in quam Canonicum Vitali incidisse contendit. Recitat, quoad jus, dioecesanae Synodi particulam, quae inter casus reservatos cum excommunicatione recenset falsos calumniatores, etiamsi damnum non sit secutum, vel judiciales aut publicas scripturas falsificantes. In facto autem documenta revocat in superiori judicii disceptatione producta, ex quibus cum gravitatem tum falsitatem imputationum deducit.

Excommunicationem, de qua res est, esse latae non autem ferendae sententiae probat eam perpendendo tam simpliciter in se quam adnexam cum reservatione. In se consideratam esse latae sententiae ex eo arguit, quod verbum *Reservatos* quod regit et investit excommunicationem uti suum adnexum tempus praeteritum significat; nemo autem est inter canonistas qui in dubium revocet, ex-

communicationem expressam a lege per tempus praeteritum vel praesens esse censuram latae sententiae, quae ipso facto, ipso jure incurritur. Ad tradita per *Schmalzgr. de sent. excommunic. §. 1. n. 10, Suarez. d. 3. de cens. sect. 2. n. 1, Laym. c. 2. n. 3, Valles de sent. excom. §. 2. n. 4.*

Hoc autem multo magis obtinere autumat, si considerentur, prout est in themate, adnexa reservationi. Non enim concipi per naturam rerum potest, quomodo principale, nempe reservatio, ipso jure, ipso facto, in suo genere perfectum et completum et tamen ejus adnexum et veluti accessorium sit adhuc imperfectum et indigeat sententia declaratoria. De majori autem excommunicatione synodalem legem intelligendam esse vix posse quaestionem institui putat, quum nihil vulgatius in jure sit, quam quod lata simpliciter excommunicatione absque ullo adjuncto semper intelligitur de majori, *arg. a text. expres. Greg. IX. in cap. 59. de sent. excom.* Tractat fusiori calamo in quarto capite de suspensione Canonico indicta, quam neque poenae neque censurae naturam praeseferre contendit, sed simplicis prohibitionis Sacri faciendi in linea politiae et correctionis ecclesiasticae indictae. Quod non sit poena eruit ex hujus definitione quam tradunt sive s. Augustinus in *can. poenitentiae 14. dist. 3*, ibi: »Est laesio quae punit, vindicat quod quisque commisit, sive *Cujacius* et *Zoes. ff. de poenis n. 1.*, ibi: »Delictorum sive criminum coercitio sive vindicta inducta ad disciplinae publicae emendationem.« Atqui Episcopus non punivit, non vindicavit injurias et calumnias prolatas, non egit ad publicam emendationem et exemplum sed unice monuit Canonicum ut a Sacro faciendo abstineret ne imposterum sacrilegia et irregularitates multiplicaret. Ergo poenam, juxta ipsum, non inflixit. Hoc etiam ex eo confirmat, quod tempus determinatum non contineat; quod requisitum est substantiale suspensionis in poenam indictae ceu tradit *Suarez. de cens. disp. 25, Berardi in Comm. juris eccles. part. 2. disc. 3. cap. 7.*

Ut rationem censurae excludat animadvertit ad rem, quod prohibitio celebrandi missam, quae directe oritur ab impedimento peccati mortalis vel quae consequitur ut sequela et effectus excommunicationis vel interdicti, non est propria censura lata a canone vel ab homine, sed est prohibitio vel lato sensu suspensio, quae procedit a Deo, ceu tradit *Durand. in speculo juris tit. 21., Novar. Manuale cap. 27. n. 152.* et *Ugolin. de cens. tab. 4. cap. 5.*

Ab extrajudiciali deinde forma ab Episcopo adhibita in themate in prohibitione indicenda Canonico celebrandi Sacrum inducit, actum non pertinere ad jurisdictionem contentiosam, sed ad jurisdictionem politicam et correctionalem, cujus exercitium arbitrio et prudentiae Episcopi remissum est.

Cum enim nil magis contrarium et praesertim in regimine spirituali dioecesis quam scandalum judiciorum, prudens est relinquere magistratui ecclesiastico arbitrium agendi vel in forma judiciali pro delictis vel pro circumstantiis in forma mere politica et correctionali, ceu tradunt *Rainold. Sintax. rer. crimin. proem. §. 7. de legato a latere num. 21. et seq., Longoballius in leg. Imperium 3. part. ff. de jurisdiction., Barbosa in cap. I. de offic. et potest. Episc., Gonzales. in cap. 28. de offic. et potest. num. 2. et 8.*

Totus in eo est in capite quinto, ut evincat, falsum esse, quod reservationes delictorum, praesertim si adnexa sit censura ad forum internum pertineant, nec ad forum externum eorum effectus perduci possint. Hanc esse asserit doctrinam catholicam, quod nempe reservationes casuum ad utrumque forum spectent tum internum scilicet tum etiam externum, praesertim si adnexa sit censura ut in themate ceu tradit *Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione*, ibi: »Neque dubitandum est quin Episcopis omnibus in sua dioecesi liceat graviora delicta sibi reservare, praesertim quoad illa quibus excommunicationis censura adnexa est.

Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.« Et concors est canonistarum sententia, *Ugolin. de offic. et potest. Episcopi cap. 35. §. 1. num. 2.* et in *tract. de censur. tom. 1. cap. 2. §. 19., Schmalzgr. in decretal. lib. V. tit. 38. de poenitentiis n. 48., Giraldi de paroch. p. 1. cap. 1. sub num. 9.*

Adlaborat in sexto capite in evincendo Episcopi Suessani muneris fuisse Canonico Vitali missae celebrationem prohibere. Quum enim pro certo haberet, Canonicum in casum reservatum cum excommunicatione latae sen-

tentiae incidisse, ubi hanc ab aliis praesertim cognitam impune permisisset contemni, officio suo procul dubio defuisset, ad monitum *Innocentii III. in cap.: Irrefragabilis* et *text. exp. in Concilio africano relato in decret. caus. 6. quaes. 2. can. 3.* et docent *Suarez de cens. sect. 3. disput. 67., Suarez. de matrimon. lib. 3. disp. 16. q. t. 2. num. 2., Gonzales. ad cap. 2. de offic. jud. Ord. num. 8.*

Revocat in capite quae jam in secunda causae propositione disseruerat, ut evinceret in praesenti causa agi tantummodo posse de reintegratione ad missam et de perceptione, non autem de reintegratione fructuum canonicalium, quia expoliatus non fuerat Canonicus, sed unice ab eorum perceptione impeditus. De hisce enim tantum concepta erat instantia Canonici ad s. Congregationem remissa per rescriptum diei 19. Septembris 1863. Quum autem secundam de perceptione fructuum ex documentis in supradicta propositione allegatis constet jam finitam esse, altera nunc tantum de reintegratione ad missam pendet apud sacram Congregationem. Ad removendam ab Episcopo imputationem de non exequuto s. Congregationis rescripto autographam exhibet epistolam procuratoris capituli, ex qua constat nedum remissum Canonico Vitali fuisse quidquid de proventibus canonicatus superfluis, detractis oneribus, sed et ipsum procuratorem adhuc creditorem existere adversus Vitale, *Ducat. 6. gr. 26.* pro celebratione missarum, quibus obnoxius est ejus canonicatus.

Ad praesentem causam pariter non pertinere contendit carceres, perquisitiones etc. Haec enim Episcopo imputabilia non essent, quatenus vera vel ad summum in causam jam finitam super sequestratione fructuum referenda. Et ad rem documenta repetit, de quibus ratio habita est alia vice.

Disserit postremo de emendatione damnorum ac verbis insistens constitutionis Benedictinae »*Ad coercendas*« quod judicia sufficiant per escludere nel giudice quella vera e propria calumnia che si ricera per condannarlo«, ibi locum non esse contendit emendationi damnorum ubi verae calumniae extrema concludenter non probentur. Veram autem calumniam tunc asserit verificari, pluribus ad id auctoritatibus allatis, quando quis alterum accusat de delicto quod scit non esse ab eo commissum, dummodo de hac malitia et dolo accusatoris constet pro certo.

Hoc autem posito, in damnatissima etiam hypothesi, quod defensio Episcopi rationem ejus agendi non justificaret, quum non constet in casu pro certo de ejus malitia et quod falsum crimen imputaverit et punierit in Canonico Vitali, ad emendationem damnorum obligari non posse consequitur.

Ex altera parte defensor novas exhibet attestationes ad justificandam authenticitatem documentorum judicis Perrone, quod quidem ad abundantiam tantum factum protestatur: quum enim hic tantummodo quaestio sit de injusta suspensione ab officio et beneficio et de emendatione damnorum in via civili non criminali, quae ex eadem secuta sunt unacum consequentiis judicii, relegationum etc., nullum merito causae obvenire potest praejudicium, quamquam de unius carcerationis documentis nulla habeatur ratio.

Ad causae meritum quod attinet, ea revocat quae in praecedentibus allegationibus disserta sunt, in eo insistens, quod ad damna quae civiliter tantum nempe in simplum et quanti interest repetuntur, non requiritur ut probetur manifestus dolus, sed sufficit ut constet damnum ab injusto damnificante fuisse illatum, ad tradita per Constantinum voto decisivo *413. num. 43. et seqq.* ibique *Rota in Leodien. super damnis. 12. Febr. 1751. coram Vicecomite.*

Ceterum quae summatim hic recensui fuse pertractata recolent EE. PP. in distribuendis allegationibus quo respondeant ad

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: In decisis et amplius.

Die 16. Sept. 1854.

XII. Vacantium perpetuo canonicatuum cui competunt?

Cotronen.

Capitulum ecclesiae cathedralis Cotronen., quod sex constat Dignitatibus, octodecim Canonicis ac octo presbyteris participantibus

quibus quatuor addendi sunt presbyteri qui curam animarum separatim et independenter a capitulo exercent et choralibus functionibus assistere tenentur, duplici olim potiebatur distributionum ac praebendarum massa sub distincta procuratione existenti et cum cuique ex Capitularibus peculiaris addicta esset praebenda, hinc parvi pinquibus, plurimi tenuibus, nonnulli autem minimis perfruebantur redditibus ac honorarii Canonici ac participantes distributionibus tantum gaudebant; quae enormis praebendarum disparitas non levis erat jurgiorum inter Capitulares causa, praesertim quando aliqua ex pinquioribus praebendis vacare contingeret. Huic porro incommodo mederi cupiens s. m. Gregorius XVI. postulante tunc temporis Episcopo Cotronensi per apostolicum breve die 25. Junii anni 1845, quod exequtoriali curiae decreto die 14. Januarii 1846. donatum fuit, statuit, ut ex distributionibus et praebendis una conficeretur communis massa sub una tantum administratione proportionaliter dividenda, ut ita cuilibet ex Dignitariis et Canonicis id obtingeret, quod in conventione inter s. m. Pium VII. et Ferdinandum I. utriusque Siciliae regem inita statutum fuit. Quamobrem unicuique Dignitario ducatos centum octoginta, Poenitentiario ac theologo centum triginta et Canonicis centum attribui voluit, parochis vero ultra congruam ducatos viginti pro distributionibus ratione servitii choralis, participantibus demum quinquaginta annuos ducatos pro quolibet assignavit. Hac vero ratione cum congruis praebendis quoad Canonicos consultum esset, Episcopus chori servitio pariter consulere cupiens minutas ut ajunt distributiones ex fallentiis quae inservientibus accrescerent constituendas edixit.

Praeter hosce tertia quaedam est redditum species singulis Canonicis accrescentium quos residua seu superi vocant, quae nempe conflantur ex fructibus praebendarum vacantium ac ex augmentis quae in libellis vel pensionibus praediorum contingunt.

In hisce autem residuis praesens versatur quaestio. Nam cum Canonicus Phillippus Messina anno 1849 ad Vicarii generalis munus ab Episcopo Asculi et Ceriniotae adlectus obtinuisset a s. hac Congregatione ut a sua residentia per triennium ex dicta causa abesse posset et nihilominus fructus canonicatus percipere valeret, amissis distributionibus quotidianis, Canonici Cotronenses rati residua distributionibus accensenda esse. ea Canonico Messina ejus perdurante absentia persolvere detrectarunt et quamvis Episcopus re mature perpensa auditis interesse habentibus contrarium Canonicis decretum tulisset, a quo numquam formaliter appellatum est, nihilominus a coepto consilio haud recedendum Capitulares duxere. Imo eadem ratione se gesserunt cum altero Canonico thesaurario Cajetano Sculco qui primum abfuit a Cotronensi ecclesia exeunte anno 1851. et sequenti, ut aegroto Episcopo ceu in precibus H. S. C. porrectis asseruit extra dioecesim inserviret postea vero ut apud eumdem Episcopum ad aliam Sedem translatum Vicarii munus gereret obtenta a s. Congregatione absentiae indulto cum sueta clausula: *amissis etc.**)

At vero sub mense Novembris 1851 anno elapso et ultra a die lati decreti quaestionem s. huic Ordini definiendam detulere Capitulares. Quamobrem remissa instantia ad Episcopum, ut auditis partibus quae scitu necessaria erant referret ac animi sui sententiam aperiret, una cum capituli deductionibus accuratam ab eo ac satis diffusam relationem accepi, in qua de residuis speciatim, in quibus praesens quaestio versatur, agens haec habet: »Residua seu vulgo superi, si vocabulum ipsum spectares, non sunt aliud nisi praebendarum quatuor vacantium necnon incrementorum ex diversis eventualibus causis ad massam praebendalem fortuita cumulata accessio, sed spectato ideali conceptu capituli oratoris sub illius vocabuli *residua* contice etiam distributiones mox memoratae et proprie dictae cooperiuntur. Hoc tamen non obstante, hujus Cathedralis Capitulares, nulla unquam discretione facta, in cujuslibet anni fine aequales in partes inter omnes Canonicos et in dimidium inter participantes omnia seu residua seu distributiones confusim ac permixtim sumptas sibi vindicarunt, ita ut nulla nec servitii choralis ratione habita sola sane mera ac pura materialis uniuscujusque eorum praesentia in dioecesi aut in provinciae perimetro, ut aliqui volunt, nedum in loco beneficii, titulus efficax fuerit ad legitime participandum ut supra. Quae sane praxis omnibus prorsus destituitur fulcimentis cum nec constitutiones nec statuta peculiaria heic liceat inveniri.«

Praeter haec residua distributiones etiam

*) Vd. *p. 191. b; 204. l.*

adesse monet, quae conflantur ex eo quod ab integra reddituum massa, ut supra inter Capitulares divisa, superest, necnon a fallentiis queis non interessentes obnoxii sunt. Votum suum hinc pandens censet thesaurarium Sculco et Canonicus Messina ad participationem horum residuorum deductis tamen respectivis oneribus admittendos esse. Cetera plura quae sive quoad bullam pontificiam sive quoad totam servitii choralis rationem fuse pertractat, heic brevitatis gratia omittuntur, quae tamen poterunt EE. PP. si lubeat in summario Canonici Messina n. 9. recolere.

Capitulares ut suam tueantur opinionem contendunt haec residua non praebendarum sed distributionum praeseferre naturam, quamobrem ab illorum participatione Canonicos etiam legitime absentes privandos existimant.

Qui partes agit Canonicorum Messina et Sculco rem ab extrinseco primo conficere satagit, contendens capitulo obstare sententiam in primo jurisdictionis gradu ab Ordinario summaria quidem ratione, sed partibus auditis prolatam primo quia Capitulares nulla appellatione interposita quaestionem coram s. Congregatione detulerint, deinde, quia appellatione deserta per annum et ultra praefatam sententiam in rem judicatam abire passi sunt.

Ad intrinseca autem gradum faciens rationum momenta totus in eo est, ut probet residua de quibus quaeritur non distributionum sed praebendarum naturam praeseferre contra ea quae Capitulares edisserunt. Nam cum residua aliud nihil sint quam vacantium praebendarum acervus, consequi aut fructus omnes loco distributionum usurpari debere, quod tamen nec ipsi admittunt adversarii, aut posita in fructibus praebendali qualitate hanc in residuis sive in fructuum parte denegari non posse. Perperam vero ex adverso contendi, quod in praebendarum ac distributionum fusione, quae vi bullae pontificiae peracta est, distributiones nihilominus propriam retinuerint naturam et qualitatem. Siquidem cum id unum voluerit Pontifex ut nimirum cuique ex Dignitariis et Canonicis id ratione praebendae obtingeret, quod in conventione Pium VII. inter et Ferdinandum I. inita statutum fuerat, cumque ex antiqua reddituum divisione conventionis exequutio impossibilis fuisset, necesse profecto erat ut distributionum acervus ad cumulum praebendarum supplendum accederet. Atqui fieri nullatenus potest, ut quidquid ex distributionibus ad praebendalem massam accessit distributionum naturam retinuerit.*) Quin imo ducta computatione universorum reddituum quibus potiebatur capitulum Cotronense demonstrat orator non partem tantum, sed integram fere distributionum massam (exceptis nimirum duc. 30) in praebendas conversam fuisse, uti opus erat, ut cuilibet Capitulari congrua juxta memoratam conventionem praebenda attribui ac assignari posset. Ex quibus concludit, residua seu fructus praebendarum vacantium distributionibus accenseri non posse, primo quod praebendalis est acervus unde derivant secundo quod antiquae distributiones vel ipsae in praebendas commutatae sunt.

Nullam deinde facessere difficultatem id quod Episcopus asserit scilicet utriusque acervi cumulum majorem esse quam Pontifex in constitutione putavit, ut adeo quod ex nova praebendarum definitione superesset distributionibus destinatum non duc. 30 sed ampliorem quantitatem attingat, primo quia id Canonicos indultarios in casu nullo pacto afficit, quippe qui distributiones non postulant, sed solum residua, quae cum distributionibus confundi nullatenus possunt, deinde quia etsi verum esset quod Ordinarius exponit ac probari posset nova quam proponit fructuum divisio, attamen nihil id juribus indultariorum officeret in praesenti rerum statu. Res namque esset de nova ineunda disciplina adversus Pontificis constitutionem quae suis consistit viribus et absque arbitrio aperitionis oris infringi non potest, ac demum etsi nova constitutio ac Sede apostolica probaretur, haec futurum tantum, non praeteritum tempus respiceret.

Frigide praeterea et inscite hic illic captari ex adverso bullae verba ut in praebendarum divisione servatam distributionum indolem evincant. Primo enim quod objiciunt mentionem de distributionibus fieri in constitutione apostolica cum cuilibet Capitulari redditus assignantur per illa verba: »in consuetas distributionès, si choro interererint;« praeterquam haec verba non levi rasurae et superinductionis suspicione notantur uti monet Episcopus, accedit etiam ibi de parochis tantum constitutionem pontificiam loqui ut eam legenti patet. Econtra agens Pontifex de Dignitatibus ac Canonicis nullam distributionum mentionem fecit quibus integram quam conventio imponit constituendam esse praebendam edixit. Neque melius regeri non de solis parochis constitutionis verba interpretanda esse quatenus ibi dictum fuerit: »conficimus unam tantum communem massam,« nihilenim impedit, quominus ex communi massa aliquid pro distributionibus parochorum, qui praebenda carent, beneficio desumatur. Pariter nihil adversarios proficere ex eo, quod in decreto exequutoriali, cum de distributionibus sermo instituitur, Ordinarius exequutor utatur verbo praesentis temporis »rependuntur,« ac si ad id quod vigore bullae apostolicae in futurum observandum erat, non ad veterem consuetudinem verbum hujusmodi referri oportere: perpendit enim defensor cum qui mutationem inducit in iis quae dum loquitur vigent, haec profecto non uti jam immutata, sed ut actu vigentia exponere debere, quamquam deinceps corrigenda sint.

*) Vd. *p. 177. II.*

Denique etiam in hypothesi, quod residua inter praebendas non adnumerentur, saltem iis fructibus accensenda esse contendit quos vocant frutti grossi, quorum existentiam inter capitulares redditus adversarii supponunt. Siquidem cum in Cotronensi capitulo tria dumtaxat sint emolumentorum genera nimirum praebendae, residua, distributiones minutae, profecto haec reddituum species quae sub nomine dei frutti grossi venit ad praebendas referri nequit, quia et ipsi adversarii hos fructus a praebendis distinguunt ac insuper constituunt, absentibus sine apostolica venia non deberi, quod sane praebendis non convenit, nec distributionibus minutis accenseri potest, quia suapte natura ac vel ipsa nominis discrepantia pugnant inter se.

Igitur restat, ut massae dei frutti grossi vocabulum residuorum aptetur. Assumptum ex jure etiam confirmat. Nam juxta doctrinam *Barbosae de Canon. et Dignit. cap. 21. num. 2, Lotter: de re benef. lib. 1. quaest. 19. num. 37, Ferraris bibl. distrib. quot. art. 1. in add. num. 1. et seq.* necnon s. Congregationis in *Aversana 10. Martii 1635* auctore Zamboni in *artic. distributiones etc.* et *s. Rotae in decis. 336. num. 2. cor. Dunozet.* distributiones quae non fiunt respectu horarum et dierum, sed in capita, quaeque annuatim dividuntur praeter minutam ratione servitii divisionem, ad distributiones proprie non pertinere, sed ad speciem dei frutti grossi perpendit. Atqui haec omnia residuis convenire ex praxi ac consuetudine ac ex Ordinarii voto arguit, quia aequis partibus minime vero ratione horarum, quia annuatim minime vero quotidie vel singulis hebdomadis dividi consueverunt.

Jamvero tralatitii juris esse hujusmodi fructus ab iis etiam percipi qui ficte resident nec intersunt, sive a legitime absentibus, quia praebendales censentur, docent *Petra comment. ad constit. apost. const. 9. Bonifacii VIII. num. 28, s. Rota in dec. 377. part. 12. num. 12 et seq. Recen.* Exploratum imo in facto esse uti ex citata Episcopi relatione constat in Cotronensi capitulo ex consuetudine quotannis residua etiam ficte praesentibus communicari. Atqui consuetudo et observantia maximi habenda est in distributionum materia, quippe quae in dubio juris una ea sat est ad distributionum perceptionem, ceu tradit *Barbosa cit. loc. cap. 23. num. 18.* Hinc sive inter praebendas, uti reapse convenit, sive inter fructus grossos residua recenseantur, quacumque in hypothesi, concludit orator, ea absentibus ex apostolica venia quotannis rependi debere.

Haec quidem communia sunt tam Canonico Messina quam thesaurario Sculco; cum vero huic praeterea residua denegentur, etiam pro eo tempore quo absens fuit ut aegrotum Episcopum sequeretur, hinc peculiariter de hoc agens jurisconsultus, fretus auctoritate *Lotter. de re benef. lib. 3. quaest. 27. n. 182.* et *Barbosae de Canonic. cap. 25. num. 3.*, quod etiam consentaneum est sanctioni *text. in cap.: Ad Audientiam 15. de cleric. non resid.* et *cap.: De cetero 7. eodem tit.*, probat posse Ordinarium cum a dioecesi justis ex causis abscedere cogatur Canonicos ex capitulo cathedrali duos sibi comites adlegere, qui fructus praebendarum in absentia, amissis distributionibus, percipiant.

Calumniae autem proximum esse, quod Canonicus Sculco nulla superioris habita venia nullaque probabili causa abfuerit a residentia, ceu Capitulares asserunt, quod tamen nullo pacto ex documentis probant. Ceterum assertionem hanc ex ipso Episcopi testimonio comentitiam deprehendi, quippe qui retulit, se unum auctorem fuisse ut Canonicus Sculco ob expositam causam residentiam desereret.

Quae cum ita se habeant, reliquum est ut resolvatur

Dubium:

An fructus praebendarum vacantium aliaque emolumentum vulgo »superi« debeantur Canonicis Messina et Sculco in casu etc.?

S. C. resp.:
Affirmative.

Die 3. Mart. 1855.

10) Incompatibilitas.

Vd. *Incompatibilitas.*

a) Cum beneficio non est.

Vd. t. II. p. 608. II.

b) Cum dignitate et officio theologi et poenitentiarii non est.

Vd. p. 100. n. 5; t. II. p. 423. dd.

c) Cum Parochia.

Cf. t. II. p. 610. III; infra lit. *f.* p. 238.

Lucana.

Vetustissimis temporibus ac procul dubio seculo decimo quarto ad Collegiatae honorem evecta est parochialis ecclesia s. Alexandri majoris Lucensis civitatis, quemadmodum coeva testantur monumenta. Hujus ecclesiae divino servitio nedum Prior, qui unica est capituli Dignitas, animarum gerit curam sed insuper sex Canonici totidemque capellani sunt nuncupati. Ex capitularibus constitutionibus anno 1689 ab Ordinario approbatis tum Canonici tum capellani singulis dominicis ceterisque festis diebus vesperas in choro canere nonnullisque aliis sacris functionibus interesse tenebantur et qui suo deerat muneri, distributionibus quae praesentibus accrescerent multabatur. Et quamvis in re tenui semper Canonici versati utpote quorum praebenda, quotidianis distributionibus additis, annua scutata octodecim non excesserit, numquam tamen illorum in suis muneribus obeundis ardor elanguit. Imo quum omni re sacra per Italiam turbata ac pessumdata Collegiatae hujus bona fisco fuissent addicta, perstiterunt illi in ecclesiae suae cultu. Nullis licet ad id terennis emolumentis allicerentur. Quoniam vero in apostolicis literis anni 1820, quibus nonnulla Lucensium Canonicorum collegia in antiquum restituebantur statum ac etiam congrua ex patrimonio ecclesiastico Lucensi augebantur dote, nulla habita fuerat ratio capituli s. Alexandri ita ut istud apostolicae Sedis auctoritate suppressum duceretur, idcirco s. m. Pius VII., cum ex Canonicorum precibus et Lucensis Archiepiscopi literis sibi innotuisset, eidem Collegiatae s. Alexandri *ab aliquorum beneficentia ac pietate novos nunc atque uberiores proventus existere*, datis literis in forma Brevis die 26. Januarii 1821. commisit memorato Archiepiscopo, ut capitulum s. Alexandri *ad priora jura* redintegraret et quatenus opus esset, rursus erigeretur, quaeque illi bona quorumdem liberalitas largiretur, ei perpetuo addiceret necnon *praefatam ecclesiam s. Alexandri majoris esse Canonicorum sedem seu Collegiatam* decerneret, ea tamen lege, *ne ecclesia et collegium praedictum Canonicorum unquam oneri sit patrimonio ecclesiastico Lucensis ducatus.*

Quum res ita se haberet, sacerdos Aloisius Bonifazi ex bonis capellaniae, quae extabat in paroeciali ecclesia *di Montefegatesi* probante Sede apostolica, septimum canonicatum anno 1822 erexit in memorata ecclesia s. Alexandri. Imo quum seipsum pro prima vice suumque dein proximum successorem nominandi ab apostolica Sede facultatem impetrasset, hoc utens jure seipsum nominavit suumque successorem nominandi facultatem sibi reservavit.

Canonicus itaque Aloisius nunc ex delato sibi privilegio nominare exoptat nepotem suum Antonium Bonifazi: huic tamen nominationi obstat s. Alexandri capitulum suumque assensum denegat, nisi memoratus Antonius aut paroeciam antea resignet aut ad residendum et ad singula canonicatus onera explenda sibi eligat coadjutorem. Hic igitur supplicem sacro huic Ordini offert libellum.

Rem pro informatione et voto ad Lucensem ablegavi Archiepiscopum, qui refert imprimis plurimas extare in dioecesi paroecias suo pastore viduatas ac proinde de causa canonica concessionis gratiae ab oratore imploratae ambigi nullo modo posse. »Cum Canonici (pergit Archiepiscopus) ex bulla erectionis nec praebendas nec distributiones aliquas habeant ideoque onera nulla vigore ipsius bullae habent, qua de causa non video, qua lege ad residendum teneantur. Post novam a s. Sede obtentam capituli erectionem nullas constitutiones Canonici adhuc confecerunt, sed regulam sponte normamque sumunt ex veteri codice, in quo variae extant praescriptiones ab Ordinario approbatae quas antiqui Canonici sibi proposuerunt et

quas novi etiam Canonici in suis functionibus peragendis in parte servant. Functiones aliquas infra annum, uti etiam funera eorum qui infra limites paroeciae s. Alexandri decedunt, nonnullaque festa sponte celebrant, quibus omnibus Canonici vi particularium sibi consitutarum constitutionum intersunt choro piasque functiones agunt, sed precario fidelium stipendio conducti vel ex voluntariis distributionibus ex propriis bonis sibimetipsis constitutis, non vero ob canonicas distributiones juxta ecclesiasticas leges constitutas.« Refert denique fundatorem canonicatus non modo votis oratoris assentiri, verum etiam instare, ut orator sui voti compos evadat, annuum vero canonicatus redditum ad scutata quadraginta quatuor, paroeciae autem ad septuaginta sex scutata pertingere. »Quoad vero incompatibilitatem (subdit idem Archiepiscopus) servitii choralis cum parochiali beneficio, cum praefati Canonici s. Alexandri nulla lege ad residentiam teneantur, orator ad suam honestam tuitionem unum et alterum ex enunciatis beneficiis obtinere posse videretur, saltem pro interim et usque dum cessante deficientia sacerdotum id onerum paroeciae, cui nunc praeest, per alium parochum provideri possit.

Hisce quae facti erant praemissis ea nunc rationum momenta quae sacerdotis Bonifazi causam juvare videntur expendenda breviter aggredior. Atque inprimis exploratissimum in jure est et a s. Congregatione pluries definitum, ea beneficia, quae residentiae legem adjunctam habent, adeo inter se incompatibilia esse, ut imo eodemque tempore retineri a clericis nullo modo possint, *Concil. Trident. sess. 7. cap. 4* et *sess. 24. cap. 17. de reformat.*, *s. Congr. in Maceraten. 3. Septembr. 1825.* §: *Verum.* Nisi igitur Collegiatae s. Alexandri canonicatus ab omni residentiae onere prorsus eximerentur, non poterant certe Canonici et ejusdem Collegiatae canonicatum et aliud residentiale beneficium uno eodemque tempore retinere. Jam vero Canonicos s. Alexandri vel antiquissimis usque temporibus, quibus suppressa nondum Collegiata capituli dignitas magis vigebat, residentiale beneficium in Lucensi Metropolitana saepius obtinuisse luculentissima exempla testantur. Quae quidem inquit Bonifazi cum inficiari capitulum nequeat, fateatur necesse est, s. Alexandri Canonicos nulla prorsus ad residendum lege obligari.

Et sane cum ex Archiepiscopi testimonio apertissime constet, ipsius Collegiatae Canonicos esse mere honorarios, quippe qui neque ullas obtinent praebendas neque quotidianas lucrantur distributiones, cumque Canonici honorarii qui stallum dumtaxat habent in choro numquam ad residentiae legem compelli possint, *s. Congr. in Terracinen. seu Setina 19. Januarii 1788.* §: *Recipi*, in *Fulden. 21. Novembris 1767.* §: *Quod* et in *s. Miniatis 24. Novembris 1827* §. *Hinc*, perspicuum profecto est, s. Alexandri Canonicos non adeo ad residentiam obstringi, ut alia beneficia assequi omnino prohibeantur.

Nec quidquam sibi obesse putat sacerdos Bonifazi, eosdem Canonicos consuevisse ex veteribus capituli constitutionibus singulis diebus festis ad vesperas choro interesse. Nam licet summus Pontifex quoad privilegia et dignitates Collegiatae ecclesiam pristino statui restituerit, noluit tamen Canonicos ad ea, quibus antea gravabantur, explenda onera obligari: siquidem amissis in Collegiatae suppressione redditibus novi redditus pro eorumdem Canonicorum stipendio minime substituebantur. Quamobrem de illiusmodi onere nulla in secundae erectionis bulla mentio instituitur, quinimo erecta iterum Collegiata absque ullo reddituum proventu, adeo injunctum onus negligi coeptum est, ut jam in desuetudinem abiisse prorsus videatur.

Denique ad residentiam non teneri, qui redditus nimium tenues ducendaeque vitae impares ex beneficio percipiunt docet *Card. Petra ad constit. 7. Innocent. III. num. 28.* et monet *s. Congr. in Fulden. 21. Novembris 1767.* §. *Quod* et in *Lunen. Sarzanen. 14. Augusti 1824.* §. *Perpendendum.* Atqui ex Archiepiscopi relatione manifeste colligitur, canonicatus s. Alexandri nullis praeditos esse redditibus, canonicatum autem Bonifazi, cui inhiat orator, exiguum quadraginta quatuor scutatorum redditum vix excedere: quo quidem redditu fieri profecto nequit, ut ipse orator prout suae exigit conditionis ratio honeste vitam traducere valeat.

Verum Canonici censent aliter rem esse dijudicandam. Primum enim, inquiunt, revocari in dubium nullo modo potest ecclesiam s. Alexandri insignem esse Collegiatam cum id non modo luculentissimis ostendatur argumentis, sed ne a praesbytero quidem Bonifazi ambigi videatur. Jam vero collegialium ecclesiarum Canonicos ad residentiam omnimode obligari sancitum est a Tridentinis Patribus *sess. 24. de reform. cap. 12*,

ubi haec habentur: »Obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis canonicatus non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis abesse.« Si igitur ex Tridentinae synodus constitutione vel ii ad residentiam obligantur Canonici Collegiatae, qui veterem absentiae probare possunt consuetudinem multo magis ad residentiam obligari debent Canonici collegiatae ecclesiae s. Alexandri, in qua nulla unquam absentiae extitit consuetudo. Praeterea latam a Tridentina synodo legem ad Collegiatas etiam non insignes spectare definivit s. Congregatio ejusdem Tridentinae synodus interpres *in causa Burgos ann. 1573 lib. 1. decret. pag. 33. apud Benedictum XIV. inst. eccl. 167. n. 2.* SSmus Dominus, etiam ex sententia Congregationis Concilii declaravit immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus. In Collegiatis autem non insignibus posse excusare, dum tamen sint rurales, prorsus destitutae et in quibus numquam antea supra hominum memoriam solidum esset residere aut quae adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos aliunde non habentes unde vivant alere non possint. Nec etiam satis habetur tenuitas reddituum si quidem eadem s. Congregatio teste *Fagn. in cap.: Cum omnes de constit. n. 31.* censuit: In collegiatis ecclesiis unumquemque ex titulatis seu Canonicis teneri per seipsum inservire, nisi aliquae ex ipsis adeo modici redditus sint, ut titulares aliunde non habentes unde vivant alere non possint ac praeterea adsit etiam consuetudo non residendi. Si igitur ex s. Congregationis definitione Canonici Collegiatae etiam non insignis ac tenuis redditus a residentiae onere non insignis non eximuntur, multo minus Canonicos Collegiatae insignis ab eodem onere eximi dicendum est.

Deinde quamplurimum in medium afferunt exempla, ex quibus apertissime evincitur s. Alexandri Canonicos saepius pro absentiae indulto sacram hanc exorasse Congregationem. Atque illud inprimis memorant Canonicum nempe Cajetanum Cardosi, cum Parisios se contulisset, ut apud apostolicum Nuntium secretarii munere fungeretur, supplices dedisse s. Congregationi literas ut sibi liceret a suo canonicatu abesse, quin tamen annuum illius redditum amitteret. Delatis autem precibus ita sacer Ordo rescripsit: *Attenta relatione Archiepiscopi pro suo arbitrio et conscientia oratori gratis indulgeat ut a residentia sui canonicatus per annum tantum absque spe ulterioris prorogationis ex causa praemissa abesse possit.* Atqui residentialem certe non appellasset canonicatum neque delationem precum emisisset, nisi illius Collegiatae Canonicos ad residentiam cognovisset obligari. Quod vero pergunt Canonici objicit sacerdos Bonifazi, nonnullos scilicet ex Collegiatae capitulo residentiale beneficium in Lucensi Metropolitana aliquando retinuisse, id suae causae officere potius quam prodesse videtur. Constat enim asserunt Canonici eosdem pro beneficiorum quae uno eodemque tempore retinebant incompatibilitate ab apostolica Sede veniam obtinuisse. At hujusmodi venia opus certe non erat, si s. Alexandri canonicatus residentiae legem injunctam non habuissent.

Caeterum quod exiguitatem reddituum spectat animadvertendum praestat ejusmodi fuisse vel ab ipsis Collegiatae primordiis, nunc autem ex fidelium largitate redditus uberiores quam antea esse, veluti enarrant apostolicae literae anni 1821. Nec valde exigui putandi sunt fructus canonicatus Bonifazi nam ex responsis hujus s. Congregationis patet, tenues dici non posse Capitularium redditus, si annua scutata triginta excedant, *in Amerina 18. Septembr. 1751,* in *Taurinen. 10. Julii 1790*, in *Camerinen. 14. Decembr. 1793.* Ad residentiam igitur obstringitur possessor canonicatus, quem assequi optat sacerdos Bonifazi, cum ejus redditus testante Archiepiscopo ad scutata quadraginta quatuor pertingant.

Praeterea canonicatum Bonifazi incompatibilem esse cum paroecia quam possidet orator, vel ex eo patet quod parochus nequeat animarum curae incumbere simulque munia choralia obire. Cum enim ejusdem canonicatus possessor iisdem ex fundationis lege devinciatur oneribus, quibus subsunt Canonici s. Alexandri, cumque isti ex hodierno instituto quaedam per se ipsos perferre onera teneantur, perspicuum est canonicatum cum paroecia ratione munerum quae forsitan tempore forent aliquando implenda, ab eodem sine apostolicae Sedis venia retineri non posse, *Rigant. ad reg. 1. cancel.*) §: 8. n. 15., s. Congr.in Signina Beneficii 3. Augusti 1771* §: *Incompatibilitas.*

*) Vd. *t. II. p. 818.*

Si EE. VV. de quibus agitur incompatibilia judicaverint, illud quaeso decernant an saltem sit oratori concedenda dispensatio ceu aequitati congruum et ecclesiae utilitati oportunum existimat Archiepiscopus. Hinc proponuntur

Dubia:

I. *An constet de incompatibilitate paroeciae cum canonicatu in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit supplicandum SSmo pro dispensatione in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative ad triennium impletis oneribus canonicatus per temporarium coadjutorem.

Die 24. Apr. 1830.

Terracinen.

De jure ordinario incompatibilis est canonicatus cum parochialitate, quae non sit eidem praebendae adnexa, ex cap.: *Nonnulli 3 de cleric. non resid.* et *cap.: De multa 28. de praebend.*

Die 26. Junii 1841.

d) Cum Prioratu.

Vd. *t. II. p. 590. n. 56. a. I.*

e) Cum Religione.

Vd. *Canonicat. saecul., Regular.* (beneficium saecul. possid. non etc.) *Beneficium*, t. II. p. 440. qq.; p. 868. n. 96. etc.; p. 840. b; p. 803. n. 87.

Pinerolien.

Joseph Antonius Avarrus Canonicus theologus ecclesiae Pineroliensis et in eadem Pro-Vicarius generalis anno hoc ineunte congregationi Oblatorum, quos a b. Maria V. nuncupant, ea in civitate nomen dedit jamque in eo est, ut ex coetus regulis professionem peragat trium votorum simplicium paupertatis, castitatis et obedientiae una cum voto permanendi in congregatione, quae tamen a summo Pontifice atque a Superiore congregationis sunt dispensabilia. Cum vero ad Canonici munera obeunda ac praesertim ad quaestiones de theologia morali juxta dioeceseos institutum in cleri conventibus explicandas lege ibidem residendi obstringatur cumque postquam professus fuerit perfungi ipse per se statis hisce officiis nequeat supplex postulat, secum dispensari a formali residentia sibique indulgere, ut memoratas collationes habeat per idoneum substitutum, prout de consensu Episcopi in praesentia jam fit ab eo, ad quem spectat, post professionem eligendum, assignata eidem congrua fructuum beneficii canonicalis portione.

Aegerrime quidem tulerat Episcopus novum hunc suae vineae cultorem alio secedere parique dolore sodalem amissum lamentabantur collegae. Huic tamen postulationi iidem obstitere quam et a juris regulis absonam et collegio ob ministrorum inopiam perniciosam dicunt: probavit eorumdem sententiam Episcopus enixeque deprecatur Pontificem, ut tam nocivum ecclesiae cathedrali exemplum dari non permittat: non dubitamus, concludit, quin Emi Patres s. Congregationis Concilii oppositioni nostrae et venerandi capituli tam solidis motivis nixae faveant.

Haec ex capituli et ex Episcopi Anneciensis suffragio, qui apostolica auctoritate rem sacram Pineroliensem gerit. Constat quidem ob susceptum religiosae alicujus familiae habitum beneficia vacua non edici, *cap.: Beneficium de Regularibus in 6.*, adeo ut nec si tyro ipse beneficio se abdicaret conferri illud legitime possit collationemque differendam, donec professus is fuerit*) ex Rotae placitis docent canonum doctores, *Rota in recent. part. 2. dec. 542. n. 4, Passerinus de stat. homin. tom. 5. qu. 189. art. 10. n. 70, Piton. discept. 6, Giraud. jus eccl. sect. 540.*

Bene vero ut professus in religione per Sedem apostolicam adprobata amittat statim omnia et quaecumque beneficia sive simplicia sive residentialia jure canonum diserte cavetur cit. *cap. Beneficium, Conzalez. ad reg. 8. cancell.**) gloss. 15. n. 4, Murga de benef. qu. 9. n. 35, Wagnaret. Jus can. tit. de praeb., Suarez. de relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 32.*

Probavit quidem apostolica Sedes lectissimam Oblatorum familiam, in qua id lege sancitum est, ut omnium bonorum cujuslibet Oblati administratio ad congregationem pertineat ipsorumque proprietas penes Oblatos semper remaneat, quin ulla de bonorum beneficiorumque abdicatione praescriptio fiat. Hinc ad oratoris postulationem tuendam

*) Vd. *t. II. p. 1043. n. 2.*
**) Vd. *t. II. p. 820.*

summus ordinis Magister animadvertit, per simplicem professionem, quam Oblati peragunt, non induci beneficiorum vacationem sed solum per solemnem testemque affert Benedictum XIV. const.: *Ex quo dilectus* §: *Denique.* Refert quippe Pontifex, dubitatum fuisse an vota simplicia, quae a clericis regularibus societatis Jesu post biennium probationis emittuntur, beneficiorum vacationem inducerent ac negativam sententiam fuisse communiter receptam. Decreverunt idcirco societatis Praesides in generali congregatione quinta can. 59, ut completo probationis biennio priusquam vota simplicia emittant beneficia renuncient ejusdem tyrones qua ex renunciatione dumtaxat vacua illa denunciantur, *Sanchez. ad praecept. dec. lib. 7. cap. 4. num. 7, Piton. disc. 126. n. 11. 12, Rota in Rec. par. 4. tom. 1. dec. 249, Rigantius in reg. cancell. 46,**) *Laurentius de foro beneficiati lib. 1. qu. 52.* Iis enim in religionibus seu congregationibus, inquit Nigrius *tract. de vacat. benef. cap. 8.*, in quibus emittitur professio votorum simplicium et professi retinent dominium siue usu et administratione, prout est congregatio Missionariorum uti et Oblatorum ex rectoris majoris testimonio, et usum sine dominio, prout est religio Jesuitarum ante quartum votum, nullo modo vacant beneficia ecclesiastica. Verum intelligenda haec sunt de beneficiis simplicibus: si namque agatur de iis, quae residentiae legem injiciunt, tenentur professi, subdit Nigrius, libere illa dimittere in manibus Ordinarii vel alio modo resignare quia rationi non congruit, ut per electionem status perfectionis ecclesia patiatur detrimentum in spiritualibus: aliter Ordinarius potest sic professis servatis servandis terminum competentem decernere, ut ad ecclesiam redeant seu beneficia dimittant, quo elapso potest Ordinarius beneficium alii conferre. *Tondutius de benef. cap. 42.*

Detrimentum porro passuram ecclesiam ex diuturna Canonici Oratoris absentia testatur Episcopus, inclamant Canonici, qui septemdecim se esse asserunt, quorum nonnulli perdita valetudine confectaque aetate arcentur a choro, nonnulli muneribus in rei sacrae procuratione obeundis assidue distineutur, nonnulli adhuc adolescentes in studiorum curriculo conficiendo versantur: divini inde cultus rationem majestatemque ministris dilabentibus perturbatam squalere: id porro vel magis de theologali canonicatu animadverti; cum enim ipsius redditus una cum distributionibus annuas libellas mille et sexcentas vix exaequent, congruum inde et Canonico et illi, qui pro ipso coetibus praesit de theologia morum, stipendium extare denegant: expetitam hinc dispensationem in ordinis perniciem vergere ratione debiti ministerii et necessarii decoris non minus quam theologicarum collationum, quae ab immemorabili consuetudine ob evidentem majorem utilitatem inducta haberi ibidem debent a Canonico theologo loco lectionum sacrae scripturae.*)

Neque silentio praetereundum est sacram hanc Congregationem respondisse, constare de incompatibilitate paroeciae cum Oblatura**) cum disputatum fuisset in comitiis diei 17. Septembris 1831 utrum qui inter Astenses Obtatos Eusebianos cooptatus esset praesse simul posset paroeciae, licet munera parochialia neutiquam ipsum in Congregationis instituto rite exequendo interciperent aliaque de utriusque officii consociatione exempla extarent, imo ex fundatoris voluntate animarum procuratio Oblatis ipsis commendata fuisset.

Hisce perpensis videant Emi Patres an saltem stato quodam tempore definitum privilegium, quod postulatur, impertiri e re sit, habita inprimis ratione legum illius coetus, cujus alumni cum votis dumtaxat simplicibus fidem suam obligent, possunt ubi legitima causa occurrat ex Oblatorum familia recedere: expediret tunc porro, virum bene de ecclesia illa meritum iterum ad pristinum munus admitti.

Proponitur itaque dirimendum

Dubium:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro retentione canonicatus in casu?

S. C. resp.

Negative et post emissam professionem Episcopus procedat prout de jure.

Die 23. Nov. et 14. Dec. 1833.

f) Cum vicariis temporalibus quando adest?

Cf. t. II. p. 602. IV; supra lit. c. p. 234.

Eugubina.

Vetusta ecclesia cathedralis N. in italica urbe extat, cujus capitulum ab antiquissimis temporibus sibi subjectas habuit septem paroecias, duas urbanas et quinque rurales, easdemque antea administrabant ipsi Canonici, deinde vero per vicarios.

Quoad urbanas ecclesias una est ipsa cathedralis ecclesia, altera vero ecclesia s. Joannis quae est etiam baptismalis. Sacerdos Antonius anno 1865 tamquam vicarius praepositus fuit a capitulo regendae ecclesiae baptismali s. Joannis et anno 1857 canonicalem praebendam assecutus est in ea ecclesia cathedrali atque utrique muneri nihilominus satisfecit. Cum vero anno 1863 vacasset paroecia cathedralis, capitulum eumdem Antonium Episcopo proposuit, ut tamquam oeconomum praeficeret huic paroeciae vacanti, relicta paroecia s. Joannis. Id enim existimabat capitulum congruum futurum praemium laboribus Antonii simulque effecturum, ne ipse a chorali officio plus aequo distraheretur ut munera extraneae paroeciae adimpleret.

At vero Episcopus, qui caeteroqui Capitularium vota haud respuisset, de compatibilitate dictorum munerum dubitavit; proindeque Antonio suasit, ut ad s. Sedem confugeret pro sanatione et absolutione quoad praeteritam paroeciae s. Joannis cum canonicatu unionem, habita ratione bonae fidei, ac pro dispensatione quoad futurum ut una cum canonicali praebenda paroeciae Cathedralis praeesse posset. Quod praestitit Antonius supplici oblato libello S. C.

Hujusmodi preces de more remissae sunt ad Episcopum pro informatione et voto, utque audito capitulo referret de annuo redditu et oneribus tam canonicatus quam paroeciae comprehensis incertis utriusque stolae, deque asserta bona oratoris fide ac denique de vera dispensationis necessitate. Sedulo mandatis obsecutus est Episcopus. Sed capitulum omnino denegavit incompatibilitatem dictorum officiorum ideoque necessitatem sanationis quoad praeteritum et dispensationem quoad futurum. Ejusmodi quaestio, quae nullius videbatur momenti, aperuit aditum multiplicibus quaestionibus, in quibus lectores nostri commemoratam quoque reperient veterem ferme communem ecclesiae disciplinam, quae in Italia praesertim id temporis vigebat.

Cum capitulum ex dicta compatibilitate in dubitatione posita sua jura laesa videret, eorumdem jurium vetustam historiam texens ostendere curavit eas paroecias esse capitulo subjective unitas quoad temporalia et spiritualia: se esse verum earum paroeciarum parochum, quas per suos deputatos seu vicarios amovibiles administraret; officium autem simplicis vicarii amovibilis ex jure incompatibile non esse cum ecclesiastico beneficio.

Itaque recoluit ecclesiam cathedralem in ea urbe (uti frequenter in aliis urbibus ad saeculum X. viguisse historici tradunt) universam animarum curam penes Cathedralis capitulum fuisse, donec sub annum 1229 divisa in plures paroecias civitate ipsi Cathedrali pars magis conspicua adscripta fuerit, quam Canonici per se ipsos habitu et actu administraverunt ad annum 1527. Tunc enim primum Praepositus quidam Carolus curae animarum exercitio praefecit quemdam capellanum ac distingui actualis ab habituali cura coepta est, ceu constabat ex solemni tabellionis scriptura.

Quoad paroeciam s. Joannis enarravit, eam urbem N. saeculo decimo subversam rursumque fuisse aedificatam prope quemdam montem translatamque Cathedralem ac novum templum sub titulo s. Mariani eique Episcopum quemdam Theobaldum an. 1043 inter alias ecclesias donavisse *plebem s. Joannis in suburbiis civitatis cum tota sua parochia*: hanc parochiam jam fonte baptismali ditatam baptisterium Cathedralis evasisse. Ejusmodi donationem confirmatam fuisse ab alio Episcopo anno 1192 necnon a summis Pontificibus Innocentio II. anno 1137, Caelestino II. anno 1143, Alexandro III. anno 1178, Lucio III. anno 1181 ac tandem a Gregorio IX. anno 1229. Inde inferebat capitulum, plebem s. Joannis adnexam fuisse ecclesiae cathedrali eo plane modo quo fit cujuscumque beneficii vera unio, antiquas enim ejusmodi donationes veram perfectamque canonicam unionem secumtulisse edocuit cum caeteris auctoribus *s. Rota in dec. 192. n. 5. t. 7. recent.* Idque capitulum confirmabat ipsis Gregorii verbis qui jura Cathedralis in subjectas ecclesias confirmans sedulo distinxit ecclesias *quas canonice possidetis*, quas inter numeravit *plebem s. Joannis de civitate*, a jure quovis patronatus quod ait Pontifex *habetis in ecclesia s. Catharinae etc.*

*) Vd. *t. II. p. 833.*

*) Vd. *p. 199. g.*
**) Vd. *t. II. p. 604. VI.*

Jam vero dictam unionem non solum quoad temporalia sed etiam quoad spiritualia et parochialia jura processisse contendit tum inspecta mente dicti Episcopi Theobaldi, qui Cathedrali donavit plebem s. Joannis cum tota sua parochia, tum inspectis dictorum Pontificum bullis, qui constanter locuti essent de ecclesiis Cathedrali concessis *cum universis earum juribus et pertinentiis*, quae generalia verba »important, ait *Rota in decis. 221. coram Crescentio*, unionem tam in temporalibus quam in spiritualibus.« Et juxta verba *decis. 49. p. 15. recent.* »comprehendunt curam animarum, jura parochialia caeteraque ad ecclesiam unitam spectantia de jure seu consuetudine et important quod unio facta sit accessorie etiam quoad spiritualia; sub dictis verbis venit etiam jus deputandi vicarium ad nutum amovibilem.«

Quin imo capitulum subdidit, ad spiritualia jura evidenter Caelestinum II. allusisse, dum vetuit, ne intra fines antiquos baptismalis ecclesiae s. Joannis sine capituli consensu etiam ecclesiam quis aedificare posset vel in aliis locis sepulturam quaerere vel decimas oblationesque exigere: quas quidem temporales obventiones capitulo concessas fuisse propter spiritualem animarum curam sive ut inquit laudatus Pontifex *juxta Apostolum: quibus spiritualia seminastis eorum carnalia nullo prohibente metatis.*

Nec secus inferendum esse capitulum sustinuit ex bulla Nicolai III. in qua ecclesiae capitulo donatae diserte dicuntur *immediate subjectae* vel ad ipsam Cathedralem *pleno jure spectantes*: in verbis autem *pleno jure* omnia jura spiritualia et temporalia contineri tradidit *Rota in select. decis. apud Monacell. dec. 4. n. 6.* Quare idem Pontifex, ne Canonici, qui id temporis vitam communem regularem agebant, claustrum desererent in eadem bulla constituit, ut in ecclesiis et beneficiis Cathedrali subjectis vicarios capitulum constitueret atque iisdem congruam portionem beneficialium fructuum assignaret qua substentari et onera perferre possent. Per hanc itaque reformationem a Nicolao III. inductam demonstrari concludebat, animarum curam plene in antecessum fuisse et deinceps perseverasse penes capitulum nudo tantum exercitio vicariis demandato.

Atqui dicta jura omnia subdidit quibus potiebantur Canonici tunc regulares translata in Canonicos saeculares fuisse a Leone X. saecularizationis bulla eaque jura integra adhuc permansisse post Tridentinum Concilium. Idque demonstrabat capitulum ex eo quod nunquam per concursum eae paroeciae fuerint collatae nec per bullarum expeditionem nec per formalem possessionem sed per simplicem deputationem a capitulo factam. Hinc Congregationem spoliorum nunquam se immiscuisse in administratione vacantium bonorum, quae capitulo inscripta invenirentur, nec aliquem sine consensu capituli easdem paroecias in titulum sibi adscribere valuisse.

Sed demonstrare insuper sategit capitulum hujusmodi vicarios fuisse ad nutum amovibiles, quod ex pluribus indicatis documentis et factis facile inferebat.

Hoc autem posito vicariorum genere inferendum esse censebat

1. quoad paroecias Cathedrali unitas curam penes capitulum residere; exercitium autem vicariis incumbere,

2. easdem paroecias amisisse naturam beneficii nec posse conferri in titulum cum in simplici stipendio consisterent,

3. eas numquam vacare nec proinde conferri debere per concursum aut per canonicam institutionem, sed per nominationem rectoris principalis et approbationem Episcopi post simplex examen de idoneitate, *Engel. Manual. paroch. p. 2. c. 4*, in quo scripsit: Vicarii temporales dicuntur, quia ad beneplacitum Praelatorum vel rectorum exponuntur et deponuntur; unde et vicarii *ad nutum amovibiles* vocantur. Idque conceditur cum unione beneficii *pleno jure* quoad spiritualia et temporalia, ubi Episcopus non habet institutionem vel investituram, sed ad summum tantum institutionem *authorizabilem* sive approbationem quoad curam animarum juxta *Trid. sess. 23. c. 15* et *sess. 25. de reg. c. 11*, nisi et haec ipsa approbatio vi privilegii aut praescriptionis ad inferiores Praelatos pertineat, *Parnorm. in cap: Cum non liceat de praesc., Barbosa de offic. Epis. p. 3. alleg. 72. n. 185. et alleg. 127.*

Ex quibus cum *Pignatelli t. 10. consul. 141.* concludebat: »Cum cura sit unita collegio, dicitur esse habitu penes capitulum et actu penes vicarium illam exercentem . . . . propterea non implicat, quin possint ipsi Canonici per seipsos curam exercere. Omissa enim regula generali, quod cum id non reperiatur in jure prohibitum debet censeri

permissum *l. 1. ff. de test.*, certum est, quod collegium, cui cura est unita, potest personas idoneas sibi benevisas deputare indistincte atque adeo etiam ipsos Canonicos. Quia collegium dicitur Praelatus singulorum et potest deputare personas, quas vult, illasque mutare et illae personae non dicuntur habere curam animarum, sed ipsum capitulum, ut per *Innocent. in cap.: Cum non ignoret n. 2. . .* et quod possit committi cura uni de collegio cui est unita diserte tradit *Abbas in dic. cap. n. 6.: potest committere jurisdictionem contentiosam et poenitentialem.*«

Neque obstare subjungebat dictam bullam Nicolai III. cum in ea prohibita unice fuerit regularibus Canonicis administratio paroeciarum quae sitae essent extra civitatem ad compescendam scilicet absentiam a claustro; cumque constet post ipsam Nicolai praescriptionem paroecias Cathedralis et s. Joannis administratas a Canonicis fuisse: caeterum Leonem X. transtulisse in capitulum saeculare jura et privilegia Regularium eidemque insuper contulisse jura propria ecclesiarum et Canonicorum saecularium: quare sibi non obesse concludebat prohibitionem factam antiquis Canonicis.

Sed et ipsam rationem incompatibilitatis in praesenti themate longe abesse contendit: cum incompatibilitas oriatur ex pacifica duorum beneficiorum possessione seu ex beneficio et officio perpetuo, juxta textum *in cap. 1 de cons. in 6*: verum in praesenti casu eas paroecias neque beneficia esse, cum essent Cathedrali subjective unitae, neque officia perpetua, cum essent ad nutum amovibiles: eo vel magis quod illae plerumque concederentur in oeconomatum, qui est mera temporalis commenda, quae neque titulum praebet neque incompatibilitatem inducit, *Pirhing. lib. 3. tit. 5. sect. 4. n. 130.* Hinc denegabat petendam esse ab Antonio sanationem quoad administratam s. Joannis paroeciam et dispensationem ut paroeciam Cathedralis administraret. Cum tamen Antonius distrahi posset ab officiis choralibus, in votis ejusdem capituli erat, ut ipse indultum abessendi a choro pro animarum cura obtineret.

Contra Episcopus retulit, occasionem dubitandi de incompatibilitate in casu se nactum primum fuisse ab ipsomet capitulo, quod mortuo praedecessore parocho Cathedralis flagitavit, ut Antonius in ea tamquam oeconomus constitueretur, eo quia arbitrabatur tamquam parochum illum nominare non potuisse. Adduxit deinde testimonium antecessoris Episcopi qui a s. Congregatione rogatus pro informatione super precibus alterius Canonici et parochi s. Joannis pro exemptione a fallentiis anno 1847 retulit: »Neque in antiquis neque in recentioribus Cathedralis constitutionibus supponitur casus quod Canonicus ex gremio ejusdem Cathedralis paraecias vel ipsiusmet ecclesiae cathedralis vel unitam baptismalis s. Joannis administret, cum in iisdem constitutionibus sancitum sit eas per vicarium esse regendas.« Quod quidem testimonium magno pretio ait esse habendum, cum idem Episcopus antecessor et Canonicus et Praepositus jamdiu fuisset in capitulo eodem et rerum capituli apprime gnarus. Animadvertit denique nullam sibi praesto esse rationem, qua capitulum eximi deberet ab universali Tridentina lege in *sess. 24. de ref. c. 17*, in quo haec fuerunt statuta: »*Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte ss. canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi: verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes ea quae bene constituta sunt variis artibus eludere et plura simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens praesenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant mandat observari, statuit ut inposterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus cui conferetur honeste substendandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri: Haecque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam secularia quam regularia quaecumque etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero qui in praesenti plures parochiales ecclesias aut unam cathedrulem et aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere. Alioquin tam parochiales quam beneficia omnia quae obtinent ipso jure vacare censeantur ac tamquam vacantia libere aliis idoneis conferan-*

tur nec ipsi antea illa obtinentes tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant.«

Inquiebat praeterea Episcopus eas paroecias, quae unitae capitulo dicebantur, unitas fuisse tantum quoad temporalium bonorum administrationem, idque deduci ex contractibus per capitulum initis, litibus habitis et aliis hujusmodi.

Ad amovibilitatem quod attinet vicariorum regulariter et ad formam juris communis vicarios perpetuos intelligi; unicum praesentationis actum circa paroeciam s. Joannis qui reperiri potuit post Nicolai constitutionem, idest anno 1647, loqui de vicario sine aliquo amovibilitatis indicio: dolendum esse, tabularium curiae incendio periisse, ita ut alia antiqua documenta ad rem facientia haberi nequirent. Nihilominus ipsam observantiam in amovibilitatem demonstrare contendit, tum quia omnes vicarii (uno alteroque excepto ex justa causa et Episcopi insinuatione amoto) in exercitio parochiali decesserint tum quia in paroeciarum vacatione oeconomus juxta Tridentinas leges ab Episcopo deputari consueverit. Nihili igitur in contrarium aestimandas esse putavit octo vel decem recentiores praesentationes vicariorum, qui in actis cancellariae dicerentur *ad nutum amovibiles*, cum in literis capituli, ut plurimum, vicarii simpliciter dicerentur.

Neque melius inquit jura parochialia sibi capitulum vindicare posse per bullam Leonis X. a Canonicis regularibus derivata, cum his illiusmodi jura sublata jam essent a Nicolao III. Sed praetermissa etiam hac animadversione, licet ea jura integra in Regularibus perseverassent, non ideo sequi ad saeculares transiisse, eo quod alia sit ratio collegii regularis, alia autem collegii saecularis. Regulares enim etiam ratione obedientiae a proprio dependent Praesule, qui eis paroeciae exercitium concedere et auferre ad libitum potest, quique proinde animarum curam proprie habere dicitur. Saecularis vero capituli praepositus, qui talem haud habet jurisdictionem, sine causa sibi arrogaret plenitudinem illorum jurium, quae Regularibus singulari ratione competunt.

Quare concludebat jus capituli in paroeciis de quibus est sermo esse merum jus praesentandi idest juspatronatus, quod anomalum evasisse dicendum esset propter abusus a capitulo in illius exercitio invectos: ideoque indubiam esse incompatibilitatem paroeciarum s. Joannis et Cathedralis cum canonicatu ob personalem residentiam quam singula ea beneficia exigunt.

Conquerebatur praeterea Episcopus de negligentia capituli in eligendis dictis vicariis ad paroecias vacantes, innuens octo tantum dies ad eam nominationem eliciendas concedi juxta *Gagliardi in Barbosa de offic. par. app. 2. in fin. n. 5.* ubi indicatur quaedam resolutio S. C. Episc. et Regul. necnon *Gallemart. in declar. ad cap. 7. sess. 7. Conc. Trid.* et *Bellarminus ad dictum caput.*

Hisce aliisque expositis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. *An et quomodo constet de incompatibilitate canonicatus cum paroeciis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione et sanatione quoad praeteritum et pro dispensatione quoad futurum?*

III. *An et quomodo constet de amovibilitate vicariorum in casu?*

IV. *An et intra quod tempus capitulum nominare teneatur ad paroecias, ita ut et quomodo locum habeat devolutio?*

S. Congregatio causa discussa judicium distulit atque hoc prodiit responsum:

Dilata et coadjuventur hinc inde probationes quoad I. et III. dubium.

Die 23. Jan. 1864.

Continuatio.

Episcopus novam ac copiosam rerum expositionem s. Congregationi subjecit: at quemadmodum prima simplex supplicatio occasionem praebuit quatuor expositis dubitandi formulis, ita nova rerum enarratio alias quaestiones movit, ita ut causa sensim sine sensu in molem concrescere visa est.

Itaque rerum ab Episcopo enarratarum haec est substantia; enarravit scilicet se ut antea capitulum in ea opinione versari Antonium utpote Canonicum non posse tamquam vicarium curam animarum exercere in ea Cathedrali sine apostolica dispensatione suamque opinionem inniti bullae Nicolai III. diei 2. Januarii 1278, qua ille Pontifex prohibuit Canonicis ne amplius officia parochialia exercerent in ecclesiis, quae ab illis penderent, at mandavit, ut constituerentur in illis paroeciis vicarii retributa eisdem portione ejusmodi, *ex qua commode substentari possint et alia incumbentia eis onera supportare.*

Cum autem generalis esset ejusmodi dispositio, omnes comprehendisse paroecias, sive urbanas sive rurales, ex quo sequi Canonicos prohiberi quominus parochialia munera exercerent et easdem vicarias perpetuas quidem existimandas esse non autem temporaneas.

Haec confirmabat his animadversionibus:

1. ex actis in cancellaria asservatis (praesertim vero ex antiquissimo nominationis actu, qui post combustum archivium reperiri potuit, idest an. 1847) constare fuisse constitutos vicarios sine ullo amovibilitatis verbo,

2. constans fuisse factum, Canonicos a tempore dictae bullae Nicolai numquam parochialia officia exercuisse in dictis paroeciis,

3. hanc bullam nunquam fuisse revocatam: Leonem X. confirmasse quidem per bullam saecularizationis Canonicis saecularibus omnia privilegia quibus donati erant Canonici regulares, sed hoc esse intelligendum de privilegiis, quae id temporis illi haberent: atqui id temporis non amplius habebant privilegium exercendi per se parochiale officium,*) quod fuerat eisdem sublatum a Nicolao,

4. quodsi concederetur, Canonicum in ecclesia urbana parochi officium posse exercere, denegari idem jus non posset in paroeciis ruralibus; ideoque eadem suboriri incommoda quae bullam Nicolai id prohibentis provocaverant,

5. ex confessione ipsorum Canonicorum, qui, cum anno 1846 Canonicus quidam curam animarum in eadem cathedrali exerceret ac petiisset a s. Sede exemptionem a fallentiis choralibus, fassi essent, *exercitium fuisse capitulo semper extraneum, cum neque obligatio neque consuetudo unquam fuerit, ut capituli membrum debeat sibi assumere hujusmodi officium:* idque testatum fuisse quoque ab antecessore Episcopo ut superius declaratum est.

Ostendere deinde Episcopus curavit, eosdem vicarios non quidem temporaneos sed perpetuos censeri debere; idque ex eo praesertim, quod tum in antiquis tum in recentioribus constitutionibus capituli sancitum esset, tempore vacationis Episcopum debere nominare ac deputare oeconomum, antequam capitulum nominaret vicarium: quod ex actis cancellariae demonstraretur, fere omnes vicarios perpetuos in facto fuisse, eosdem mortuos esse in paroecia ad quam capitulum eos nominaverat: quod plerique vicariorum deputati fuerint directe ab Episcopis absque ulla capituli praesentatione, atque tales permanserint usque ad mortem: quod aliqui ex dictis vicariis curam acceperint titulo sacri patrimonii absque capituli consensu: quod denique non daretur exemplum, quo capitulum aliquem vicarium amovisset.

Caeterum ne haec contentiosa quaestio protrahatur opinabatur Episcopus, opportunum in praesentia esse, ut illae vicariae declarentur perpetuae; quod licet id se facere posse existimaret jure proprio juxta Tridentinum Concilium attamen cum causa penderet coram s. C. expedire magis existimavit ut id a s. C. decerneretur.

Sane Conc. Trid. *cap. 7. de ref.* statuit: »*Beneficia curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, . . . perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum aut majori vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione etiam super re certa assignanda ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus . . . minime suffragantibus.*« Complures autem esse auctores subjungebat, qui suadeant locorum Ordinariis, ut hac super re mentem Concilii pro utiliori animarum regimine exsecutioni tradant, ceu omissis aliis *Barbosa ad Concil. Trid. sess. 7. cap. 7. n. 15, Card. de Luca in adnot. ad Conc. disc. 9, Fagnanus in cap.: Ex parte de off. vicar. n. 14. et seqq.*, qui eas adamussim causas refert, quibus se moveri in praesenti

*) Qui hanc enarrationem scripsit, fortasse non animadvertit in hac re fallaciam esse potuisse; supposuit enim fuisse Canonicis privilegium ante Nicolai prohibitionem exercitium curae; cum e converso habita ratione disciplinae illius temporis erat proprium Canonicorum officium curam animarum exercere in paroeciis capitulo pleno jure unitis, quae ideo uniebantur, ut capitulum per suos Canonicos vel ad minimum per alios in curam animarum incumberet.

themathe affirmabat Episcopus, nec utiliter afferi posse in contrarium consuetudinem etiam immemorabilem ad impediendam hanc Ordinarii facultatem, *Bellarminus* in declarationibus S. C. C. ab ipso collectis ad *Conc. Trid. cap. 7. sess. 7*, ubi scripsit: *Tollitur consuetudo immemorabilis, ut in beneficio unito serviatur per vicarium amovibilem, nisi Episcopus aliter velit*; item *Barbosa loc. cit. n. 39.* scripsit: *Per hoc decretum (cap. 7.) tollitur consuetudo immemorabilis.* Quin imo quoties ageretur de parochialibus unitis posthabita prorsus consuetudine s. Congregationem vicarios perpetuos constituendos esse decrevisse.

Ad hanc declarationem faciendam seu postulandam se induci testatus est ab abusibus incommodisque.

Et quoad abusus animadvertit, tenuissimam esse congruam seu stipendium quod capitulum vicariis retribueret, ex quo id inconveniens oriebatur, ut difficile Canonici reperirent eos, qui officium vicarii assumerent et iisdem repertis non ea ratione ac dilectione, qua par est, paroeciam administrarent: eosdem Canonicos negligentes esse ad vicarios nominandos, qui tamen praetenderent, se nunquam jus nominandi amittere: negligentes esse ad restauranda paroecialia aedificia, supellectiles sacras, ad exequenda decreta s. visitationis, ad asservandum jugiter suis impensis SSmum altaris Sacramentum.

Inquiebat autem ejusmodi abusus cessatum iri si vicariae declarentur perpetuae, atque emolumenta descripsit quae eventura essent sive illis paroeciis sive dioecesi, cum deessent beneficia ecclesiastica conferenda clericis titulo s. Ordinationis.

Quid si talis perpetuitatis declaratio fieret, determinanda quoque esset major retributio. Ad ostendendam tenuitatem dictae congruae portionis adduxit Episcopus multa documenta et vicariorum plures querimonias, quibus assignatum a capitulo stipendium non amplius sufficiens dicebatur, cum contra ex bulla Nicolai III. capitulum talem portionem rependere debuisset, *ex qua commode substentari possint et alia incumbentia eis onera supportare.* Testatus autem est Episcopus, parochum Cathedralis habere a capitulo stipendium scut. 20 pro onere canendi missam conventualem, de qua infra; praeterea scut. 10 ex incertis oblationibus. Parochum vero s. Joannis scutat. 60 ex incertis oblationibus, parochum vero s. Joannis scutat. 60, insuper scut. 30 ex incertis obventionibus provenientibus praesertim ex attestationibus baptismalibus, quas tamen obventiones cessasse, quia gubernium libros baptismales sibi assumpserat. Qui redditus cum tenues essent, habita etiam pauperum ratione quorum plurimi in his paroeciis essent, concludebat, teneri capitulum ad normam dictae bullae hisce vicariis, divino cultui et templis prospicere et quidquid superesset sibi retinere tantum potuisse, cum bona paroeciarum sibi propria jamdiu fecisset.

Hanc autem congruae assignationem sive augmentum, pro temporum, locorum et personarum adjunctis esse in amplissima Episcopi potestate juxta allegatum *cap. 7. Conc. Trident.* et juxta const. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* *) quae hac super re dici posset derogatoria constitutionis s. Pii V. *Ad exequendum.* **)

Licet autem canonicatuum praebenda constituta esset in scut. 60, tamen certum esse ait eam ascendere saltem ad scut. 150 et in praesentia ad scut. 200. Quare facta tenui imminutione cuique Canonico satis prospici potuisse: quamvis autem s. Pius V. hisce in rebus praescripsit Episcopis, ut vicariis assignarent portionem non minorem scutator. 50 nec majorem scutator. 100, tamen praesenti aetate talem portionem non amplius sufficientem esse, multo autem minus *ad commode vivendum et alia incumbentia onera sustinenda.* Non negabat tamen Episcopus pro variis rerum adjunctis capitulum extraordinaria quaedam emolumenta aliqua vice tribuisse vicariis.

Adnotabat praeterea circa missam conventualem ejusmodi onus canendi singulis diebus ferialibus eam missam impositum fuisse vicario Cathedralis, etsi a capitulo et ab officiis choralibus erat omnino extraneus; hoc onus a multis abhinc annis vicario illi abusive impositum in causa esse cur interdum parochialia aut choralia officia negligerentur ac gravia derivarent incommoda.

Hisce omnibus ample ennaratis variisque auctoritatibus dein corroboratis quaerebat Episcopus, ut firmis manentibus primis quatuor dubitandi formulis aliae quatuor adjicerentur, quas in calce ponimus.

*) Vd. *t. I. p. 695.*

**) Vd. *loco cit. p. 698*, quod Bened. disposuit §. *10.*

Capitulum e converso nova jura adducens corroboravit ea quae antea deduxerat: in medium deduxit duas veteres opiniones jurisconsultorum (quorum unus fuit Salvator Quarantotto) datas anno 1588, qui rogati fuerant a capitulo, num post Tridentinae synodi decreta, tunc recentissima, liceret adhuc capitulo amovibiles servare vicarios? qui affirmativum dederunt responsum. Commemoravit quamdam quaestionem motam anno 1630 a Praeposito capituli et agitatam coram s. C. C. contra capitulum ipsum ob quaedam scandala, quae id temporis Praepositus serpere in dictis vicariis asserebat, quique enarraverat vicarias esse amovibiles neque a Canonicis visitari. Huic accusationi respondit capitulum atque Episcopus rogatus vicariorum amovibilitatem confirmavit. In hac autem causa S. C. nihil aliud respondere censuit, nisi ut Episcopo scriberetur, qui pro sua dexteritate provideret.

Deduxit attestationem quamdam anno 1692 subscriptam ab episcopali cancellario, in qua affirmabatur, nunquam bullas pro vicariis expeditas esse easque ad nutum amovibiles fuisse: deduxit vicariorum confessiones id temporis factas, qui amovibiles ad capituli nutum se esse dicerent et ab omni episcopali jurisdictione immunes: deduxit demum epistolas a rev. camerae spoliorum thesaurario ad subcollectorem dioecesis de qua agimus anno 1692 datas, quibus mandatur, ut vicariorum haereditas ab eodem subcollectore coadunata utpote a jure spolii immunis capitulo restitueretur.

Demonstravit praeterea capitulum, vicarios a se electos confirmationi quotannis subjici: decem et octo exempla remotionis vel suspensae confirmationis ex actis capitularibus adduxit, quorum quidem primus ad annum se refert 1609, quo ostendit non modo vetustissimam vicariorum amovibilitatem sed plenam et exclusivam super iisdem vicariis capituli jurisdictionem. Namque remotio, quae tunc decreta fuit, ad Episcopi instantiam locum habuit, cum eo tempore ea regula satis vigeret, amovibiles vicarios a capitulo deputatos ad nutum capituli removeri quidem posse, non tamen ab Ordinario nisi ex tali causa, ex qua licet perpetui essent legitime possent amoveri, *Fagnanus in cap. 6. num. 39. de stat. Monach.* *)

Haec quidem in facto; in jure autem ostendit capitulum praesertim ex bulla Nicolai paroecias rurales se *pleno jure* possidere, compertum vero esse subdidit beneficia curata pleno jure alicui ecclesiae seu capitulo unita secumferre unionem tum in rebus temporalibus tum spiritualibus: atque ejusmodi plenariam et subjectivam unionem naturam unitorum beneficiorum ita destruere, ut ea reddat beneficia mere manualia, ex qua dimanare amovibilitatem vicariorum, ut docent *Engel in jus can. l. 3. t. 27. n. 11*, *Reiffenst. l. 3. t. 3. n. 8*, *Barbosa de off. Episc. alleg. 72. n. 189*, s. C. C. in *Ratisbonen.* **) *Juris deputandi Vicarium* diei 21. Julii 1713 *lib. 63. decretor. p. 311.*

Item Nicolaum III. in eadem bulla ad Canonicos de quibus agimus data atque eorumdem Priorem jussisse quidem deputari in unitis paroeciis vicarios sed mandavisse, ut per Priorem et Canonicos vicarii instituerentur: *In eisdem ecclesiis et beneficiis per vos instituantur vicarii*: nullum ergo dubium eosdem esse amovibiles, cum contra si perpetui essent Episcopi auctoritate institui debuissent, *cap.: De monachis 12. de praebendis, cap. un. de capell. monachor. in 6*, et *Clementin. cap. 1 de jur. patr.* ***)

*) *Resolutio* quam cit. l. Fagnan. memorat *haec est:* Capitulum ecclesiae Civitat. habet unitas mensae nonnullas parochiales, quibus ab immemorabili deserviri faciant per Vicarios ad eorum nutum amovibiles juxta facultatem sibi expresse a Sede apostolica concessam.

Hi nunc ex declaratione S. C. non possunt deputari nisi praevio examine et approbatione Episcopi: et sic deputati possunt ad nutum capituli et ab ipso quoque Ordinario amoveri. Quaeritur: an amotio ab Episcopo fieri possit sine causa? S. C. censuit: Vicarios ipsos posse a capitulo amoveri ad nutum capituli, ab Ordinario vero nonnisi ex causa legitima atque probata, propter quam etiamsi essent perpetui amoveri possent.

Ea resolutio data est a S. C. C. anno 1585 pro capitulo Civitatensi quod in superiore Italia extat quodque pariter habebat multas paroecias sibi subjective unitas, in quas ex vetustissima consuetudine atque ex privilegiis multiplicibus jurisdictionem exercebat et easdem administrabat per vicarios amovibiles.

Ea Resolutio quae id temporis ad similia facta applicata est derogationem subiit per §. *11.* †) const. Benedicti XIV. diei 6. Nov. 1744.

†) Vd. *t. I. p. 1035.*

**) Vd. *t. I. p. 1022.*

***) Hoc tamen jus instituendi in beneficiis seu in vicariis perpetuis, quae beneficiis aequiparantur, ante Tridentinum Concilium pertinere poterat etiam ad alios praeter Episcopos.

Adversus objectam difficultatem ex deputatione oeconomi quem Episcopus deputabat adnotavit capitulum, non illico a morte vel remotione alicujus vicarii ad novi nominationem procedi posse et interea ne fideles pastore penitus careant ad tramites Conc. Trid. *sess. 24. c. 18. de ref.* et constitutiones tum s. Pii V. *in Conferendis* *) tum Benedicti XIV. *Cum illud*, in recentioribus constitutionibus capitularibus statutum fuisse, ut illico ab Episcopo oeconomi deputarentur, qui novo electo vicario statim ab administratione cessarent.

Atque simili ratione refutavit aut explicavit caetera singularia facta ab Episcopo objecta. Deinde gradum fecit ad ostendendam compatibilitatem canonicatus cum deputatione ad vicarii officium in urbanis paroeciis ac initio animadvertit: prohibitionem Nicolai esse intelligendam dumtaxat de paroeciis ruralibus non vero de urbanis, cum in urbanis paroeciis cessaret ratio prohibitionis, quae fuerat ne claustralis observantia frangeretur. Quamvis autem capitulum adduceret documenta quibus ostendit, post bullam Nicolai quandoque urbanas paroecias per unum ex Canonicis fuisse administratas, tamen haud negabat inolevisse consuetudinem eligendi vicarios extra capituli gremium etiam ad urbanas regendas paroecias, quam consuetudinem servare etiam inposterum desiderabat.

At vero nullatenus inquit posse objici dictam bullam Nicolai ad canonicam incompatibilitatem ostendendam; aliud enim esse dicere canonicatum cum vicaria esse ex jure incompatibilem, aliud autem asserere, Canonicis vicariae munus ex dicta bulla esse impermissum.

Caeterum nec contra dictam prohibitionem in praesenti themate capitulum processisse inquiebat cum Antonius non tamquam vicarius post canonicatum assumptum paroeciam s. Joannis administraverit, sed tamquam oeconomus: et item ut tamquam oeconomus praeficeretur Antonius cathedrali ecclesiae se postulasse, cum ille caeteris peritior reperiretur. Cum autem ejusmodi oeconomatus aliud non esset nisi temporaneum muneris exercitium, nullatenus opus esse neque sanatione neque apostolica dispensatione: non abnuebat tamen capitulum ut idem Antonius indulto muniretur pro chorali absentia, quoties opus fuisset, licet antea utrique muneri diligenter fecisset satis.

Quod attinet ad negligentias, quibus insimulabantur Canonici ad nominationem faciendam, inquit eas nominationes identidem capitulum distulisse ob carentiam sacerdotum, qui paroeciale munus obire possent; eamque esse capituli consuetudinem, ut tales eligeret vicarios, qui haud facile removendi essent; caeterum ejusmodi nominationes una tantum vice sub praesenti Episcopo protraxisse ad sex menses.

Ita negligentiae nota rejecta subdidit eam fuisse Episcoporum praxim, ut quovis tempore praeterlapso salvum tectumque semper Canonicis relinquerent nominandi jus, etiam post decennium: hanc autem praxim nullimode juri refragari, cum paroeciae hujusmodi quae pleno jure capitulo essent adnexae proprie loquendo nunquam vacent, neque quidquam detrimenti animarum saluti afferri cui per oeconomum ab Episcopo deputatum satis prospiciatur.

Caeterum quidquid de hac praxi dici velit, ac si tempus aliquod nominationi faciendae praefigi placeret, sex saltem menses sibi concedendos esse contendit: cum enim in canonico jure specialis temporis praefinitio non adsit, qua talium vicariorum nominatio absolvenda sit, generalem regulam servandam esse, quae ad sex menses moram protrahit, *cap. Nulla 2. de conces. praeb.*

Inauditum demum ac exorbitans esse ait, quod a Giraldio in *Barbos. de off. parochi app. 2. in fin. n. 5* de octo dierum intervallo ad nominandum asseritur. Ut enim colligere est ex rescripto S. C. Episc. et Reg. quod Giraldius citat (quodque ex ejusdem S. C. archivio Canonici rite extractum allegarunt) dictam resolutionem alium prorsus casum respexisse. Et revera cum Assensiense capitulum in paroecia cathedrali duos constituere vicarios deberet et anno 1603 compertum esset, capitulum amoto uno ex vicariis electionem novi data opera negligere Emus Burghesius S. C. Praefectus scripsit Episcopo, ut capitulum ad nominandum cogeret, addebatque, *quod si intra terminum octo dierum non faceret ipse vicarium deputaret nomine s. Congregationis quae declaraverat, duos semper esse vicarios.**)

*) Vd. *t. II. p. 425.*

*) Non sunt rara ejusmodi exempla quibus auctores adscribunt ss. Congregationibus sententiam aliquam, quam fortasse ss. Congregationes numquam

Hactenus capitulum de anteacta quaestione; ad novas vero quaestiones ab Episcopo motas in genere animadvertit Episcopum non posse ex vi ordinariae potestatis vicariorum perpetuitatem in praesenti themate declarare neque posse recte invocare Tridentinum decretum *sess. 7. c. 7. de refor.* cum hoc decretum potius faveat vicariorum amovibilitati quam perpetuitati per verba in eo decreto expressa, *ut per idoneos vicarios etiam perpetuos*: ut enim notant *Pignatellius tom. 9. consult. 143. n. 14* et *Pichler tom. 2. l. 3. tit. 27. decis. 90.* particulam *etiam* designare *casum magis dubitabilem ac minus dubitabilem implicare, Rota decis. 53. n. 16 et seqq. coram Peutinger.*

Rursus in genere animadvertit, pluries petentibus Episcopis vicariorum perpetuitatem a s. C. fuisse denegatam ut in *Ratisbonen.* 29. Julii 1713.*), in *Camerinen.* 26. Januarii 1726, in *Assissien.* 16. Novembris 1707, in *Aliphana* 12. Januarii 1726, in *Nuscana* 14. Aprilis 1764, in *Spiren.* 18. Julii 1761,**) in *Eugubina* 28. Augusti 1773 et in aliis non paucis praesertim vero in recentissima *Baren.* 29. Augusti 1857.

In specie vero adnotabat cum Pichler *loc. cit. in fin.* Ordinariis etiam post decretum Trid. liberum non esse per vicarios perpetuos providere,

1. quando in literis unionis expresse concessum est providere vel administrare paroeciam unitam per vicarios temporaneos;

2. quando beneficium curatum vel paroecia pleno jure idest non solum quoad temporalia sed etiam quoad spiritualia unita sit capitulo, ut apud Gallemart s. Congr. declaravit ad sess. 25. cap. 11 de regular. §: *Ad nutum amovibile*;

3. quando per tempus immemorabile semper fuerit praesentatus et admissus vicarius temporaneus, *Ferraris* verb: *Vic. paroch. n. 8*, *Barbosa Jus eccles. univer. l. 3. c. 6;*

4. quando absit justa causa mutationis, quippe cum Concilium non libitum sed ordinatum boni viri arbitrium Ordinariis concesserit, *Reiffenst. loc. citat. n. 28. in fine*, *Pignatell. loc. cit.*

Porro ejusmodi omnia in sui favorem concurrere capitulum contendit argumenta petens ex iis quae jam deduximus novisque auctoritatibus suas propositiones confirmans.

Sed ad justam mutationis causam considerandam deveniens capitulum animadvertit, objectam tenuitatem congruae, deficientiam lampadis ante ss. Sacramentum aliaque id genus, quamquam per hypothesim vera esse admitterentur, non ad eam tamen consequentiam posse produci, ut vicariorum perpetuitas constitueretur: emendari quidem debere abusus quin jura capituli pessumdarentur.

Verum post haec confutare sategit quae ex adverso fuerant objecta, non omissa animadversione, capitulum non solere removere vicarios nisi ex magna causa, quod Episcopus admiserat, imo hoc facto idem Episcopus usus fuerat ad probandum, vicarios non esse censendos amovibiles.

Ad congruam quod spectat, praeter caetera contendit regulam ex constitutione s. Pii V.: *Ad exsequendum* applicandam in casu esse tres ob causas:

1. quia norma illa a s. Pontifice constituta fuit pro vicariis perpetuis et ideo vicarii temporanei nil amplius hac in re possent exposcere, quam ut perpetuis aequiparentur: nihilque majus proinde ex bulla Nicolai possent sibi jure vindicare,

2. quia Pius VI. fel. recor. literis in forma Brevis quoad omnes paroecias dioecesis de qua agimus providit, ut ad *annua scutata 50 monetae romanae non comprehensis incertis* earum congrua protenderetur,

3. quia S. C. C. capitularibus paroeciis eamdem aptandam esse regulam binis datis diversis temporibus decisionibus declaravit idest tum die 29. Septembris 1783 in quaestione a porocho Montis Luciani proposita, cujus congrua juxta pretia rerum quae tunc obtinebant ad scut. 87 evehebatur, petitae ejusdem congruae augmentum S. C. denegavit, tum recentius die 8. Maji 1824 ad parochi Cesaemurciae recursum, cum constitisset ejusdem congruam intra scut. 43, 50 cohiberi, S. C. rescripsit: *Canonici compellantur ab Episcopo ad praestandum congruae augmentum, saltem usque ad complendum annua scutata 50.*

Quodsi denique congrua augenda quoque esset parari non debere capitulo exitium ut vicariis consulatur, atque augmentum fieri debere inquit juxta dictas literas in forma

cogitarunt: quare circumspectione opus est quando auctores aliquod doctrinae caput firmant dumtaxat per aliquam citationem alicujus resolutionis.

*) Vd. *t. I. p. 1022.*

**) Vd. *t. I. p. 1024.*

Brevis, in quibus Episcopo istius dioecesis praescriptum fuisse legitur: *quoad paroecias vero . . . . tibi . . . . injungimus ut illarum congruam ad scut. 50 monetae romanae non comprehensis incertis, aut plures simul uniendo, si fieri commode possit, aut capellanias, vel ad eosdem patronos spectantes si de ecclesiis de jurepatronatus agatur vel liberas si liberae sint collationis, translatis missarum aliorumque piorum legatorum oneribus praevia etiam quatenus opus sit illorum reductione et unione ad parochiales ecclesias, quarum redditus sic ampliantur augeri cures et studeas.*

Ad missam conventualem quod spectat quae a vicario alterius hebdomadis celebrabatur, pro qua celebratione quotidiana eleemosyna annua retributio vicario rependebat capitulum, animadvertit id ex antiqua consuetudine procedere, quam tum constitutiones capitulares anuo 1755 a s. C. approbatae tum Episcopi confirmarunt. Nec damnum exinde fidelibus derivare, cum vicarius posset quemvis Canonicorum vel mansionariorum substituere. Neque posse dici vicarium esse a chorali officio extraneum, cum contra dici deberet de gremio cathedralis ecclesiae, cum ejus calendario uteretur, mansionariorum insignia deferre posset, atque olim onus, modo jus, haberet chorali servitio interessendi.

Pro asservatione ss. Eucharistiae animadvertit in tribus ruralibus paroeciis adesse praedia constituta pro manutentione lampadis, quoad reliquas paroecias adesse consuetudinem a synodo dioecesana adprobatam, qua constitutum erat, ut si ecclesiae paroeciales huic oneri impares essent earum populum ad supplendum esse adigendum. Quod si fortasse ea consuetudo modo non servetur, negligentiae vicariorum esse tribuendum.

Hisce aliisque copiose deductis atque documentis rite communitis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. An et quomodo constet de incompatibilitate canonicatus in casu?

Et quatenus affirmative,

II. An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum et pro dispensatione quoad futurum in casu?

III. An et quomodo constet de amovibilitate vicariorum in casu?

IV. An et intra quod tempus capitulum nominare teneatur ad vicarias, ita ut quomodo locum habeat devolutio in casu?

Et quatenus affirmative ad III.,

V. An declaranda sit perpetuitas vicariorum in casu?

VI. An et quomodo consuetudo celebrandae missae conventualis sustineatur in casu?

VII. An et quomodo congrua singulorum vicariorum augenda sit in casu?

VIII. An et quomodo capitulum teneatur ad expensas pro manutentione lampadis ante ss. Eucharistiam in ruralibus vicariis in casu?

S. Congregatio Concilii causa discussa die 24. Septembris 1864 respondere censuit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Provisum in primo.*

Ad III: *Affirmative.*

Ad IV: *Affirmative intra sex menses.*

Ad V., VI., VII. et VIII: *Dilata et ad mentem.*)*

Ex quibus inter caetera colliges:

I. Incompatibilem per se idest ex jure canonicatum cum officio vicarii temporalis in cura animarum non esse: quamvis incompatibilem sub aliqua ratione esse possit per accidens sive ex aliqua peculiari prohibitione sive quia Canonicus utrumque munus in facto adimplere rite non possit.**)

*) Haec causa ut indicavi etsi quoad haec quatuor posteriora dubia dilata fuerit, tamen hactenus non amplius fuit proposita nec amplius fortasse proponetur, quod non raro contigit: quibus in casibus dicere solemus: *causa dilata est ad Calendas graecas.*

**) De hac distinctione inter incompatibilitatem juris et facti agetur sub verbo: *Vicarius* (remotio). Cum simplex facti incompatibilitas non sit stricto sensu canonica, non producit eos effectus juridicos, quos vera canonica incompatibilitas juxta textus in *cap.*: *De multa de praebendis* producit. Admissa vero in praesenti themate incompatibilitate facti, ita ut non posset Antonius facto ipso et officium Vicarii simul exercere et officium Canonici, quaeri ulterius posset, utrum indigeret indulto ne fallentiis choralibus subjiceretur: mihi videtur Antonius hoc indulto non indigere quia cura animarum inhaeret illi capitulo ita, ut ipsum capitulum quatenus capitulum est sit eo ipso verus parochus, quod non prohibetur deputare unum ex suis membris ad officium sibi impositum obeundum, eo modo quo non prohibetur deputare aliquem ex Canonicis ad quodvis aliud capituli officium.

II. Eo minus incompatibilem per se censeri debere, si animarum cura insit pleno jure capitulo ad quod Canonicus pertineat, qui tamquam temporalis vicarius fuerit a capitulo deputatus.

III. In praesenti themate juxta frequentem veterem morem in capitulum incubuisse animarum curam, quam antiquitus Canonici singuli in solidum administrare debuissent aut saltem potuissent.

IV. Etsi ejusmodi administratio deinde fuerit Canonicis prohibita, ne nimis a claustrali vita distraherentur, derelicta tamen regulari vita causam prohibitionis cessasse.

V. Laudabilem consuetudinem nihilominus permansisse, (quam universim Concilium Tridentinum commendavit optavitque) ut Canonici non per se cumulative sed per vicarios nomine et deputatione capituli determinatos administrarent.

IV. Quare ejusmodi paroecias numquam vacantes censeri, cum parochus esset ipsum capitulum licet ab exercitio curae abstineret.

V. Invalescente Tridentina lege, quae universim officium contulit Episcopis deputandi illico oeconomos, ubi actualis cura vacaret, jura capituli coercita hac in re aliquantulum fuisse.

VI. Neque videri vi Tridentinae legis Ordinarium in praesenti themate eos vicarios potuisse perpetuos reddere, cum animarum cura pleno jure capitulo inhaesisset in paroeciis subjective unitis.*)

*) Auctores exornantes *caput 7. sess. 7. Trid. Concilii de refor.* non consone loquuntur: neque id mirum cum ipsum caput 7. non sit undequaque determinatum praesertim quoad vicarios perpetuos. Neque argui posset Ordinariorum potestas ex verbis quibus ipsis videtur tribui arbitrium. Namque arbitrium a jure concessum judicibus intelligi debet non absolutum, sed dirigendum juxta sacros canones, ad summum pro rerum ratione de quibus agitur intelligi potest arbitrium quod dicitur boni viri. Itaque sententia praevaluit, ut Episcopi generatim possent cogere capitula, quibus paroeciae fuerint unitae, ut vicarios temporales deputarent ne promiscue sine designato pastore paroeciae regentur, quacumque unione paroeciae fuerint unitae, sive per unionem quam dicunt accessoriam, sive per unionem subjectivam; item possent cogere capitula ad constituendos vicarios perpetuos in paroeciis accessorie unitis, non autem in paroeciis subjective unitis. Inter utramque dictam unionem magnum intercedit discrimen: namque unio accessoria non effecit per se ut capitulum quatenus tale sit verus parochus et officium habeat immediatum curae animarum: sed efficit ut capitulum teneatur ad satisfacienda onera quae cum paroecia accessorie unita sunt connexa. Quare si vicarius perpetuus constitueretur in paroecia subjective unita, eo ipso spoliaretur capitulum jure et officio parochi et verus parochus esse cessaret, cum in vicarium perpetuum tota transeat animarum cura et hic vicarius verus sit parochus, quamvis titulo destituatur; si vero poneretur vicarius perpetuus in paroecia accessorie unita, fere nullam juris laesionem capitulum persentiret, et quoad animarum curam ea fere ratione ac antea se haberet, cum illi competat parochi nomen, quia paroeciam tamquam rem temporalem possidet, cui officium curae animarum reperitur adnexum.

Legi potest hac in quaestione *Fagnanus in cap.*: *Ex parte de officio vicarii*, qui haec tamquam certa tradens eruditam instituit dissertationem, utrum expediat, ut s. Sedes dictos vicarios perpetuos constituendos esse decernat, de qua re fortasse in nostro opere redibit sermo.

VII. Eo vel magis quod graves et singulares causae non apparerent, ut hoc tanto jure praeclaroque officio capitulum privaretur.

VIII. Non enim censeri posse sufficientes causas ad constituendos vicarios perpetuos eas, quae universales sunt quaeque desumantur ex meliori ratione qua prospici paroeciis possit, quaeque omnibus similibus ecclesiis facillime aptarentur.

IX. Colliges demum statuto ab Ordinario oeconomo in vicariis temporalibus teneri rectorem juxta generalem normam ad deputandum proprium vicarium intra sex menses.

11) Jura.

Vd. *Canonia* p. 47; *Canonicus* (vox etc.); p. 103. n. 7. etc.

12) Juspatronatus passivum quoad cives estne in Cathedralibus antea Collegiatis?

Vd. p. 86. I; p. 90. II; t. II. p. 401. m; *Canonic.* (nominat. civium p. 263.)

Ut perenne relinqueret monumentum suae pietatis in Deum et suae charitatis in concives Carolus G. ex oppido N. condito testamento sub die 29. Augusti 1606 plura legavit bona ecclesiae s. Nicolai inibi jam erectae eum in finem, ut collegium Canonicorum erigeretur, qui excepta dignitate parocho conferenda pauciores quam duodecim haud essent. Itaque ille ipse vocavit pro prima vice Canonicos et in posterum eidem capitulo reliquit juspatronatus activum.

Exequutores testamentarii, ut omnino pii testatoris voluntas adimpleretur, omnia retulerunt summo Pontifici Paulo V. tunc temporis regnanti simulque illum exorarunt ut benigne dignaretur s. Nicolai ecclesiam in collegiatam erigere, servato tamen jurepa-

tronatus activo favore capituli, passivo autem favore fundatoris concivium, qui idest nati baptizatique et oriundi essent ex eodem oppido fundatoris. Quod petiverunt haud eis denegatum est, sed appositâ bulla incipiente: *In supremae* diei 21. Maji 1609, praeter alia, quoad Canonicorum electionem in praefata ecclesia statuebatur, ut »electio personarum idonearum ad dictum capitulum cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis spectare debeat pro totidem aliis Canonicis omnibus presbyteris seu clericis in aetate legitima ad presbyteratus ordinem infra annum suscipiendum constitutis, qui omnes Praepositus et Canonici juxta mentem et dispositionem d. Caroli qualificati, nempe boni nominis et famae ac sufficientis literaturae praediti et ad horas decantandas idonei et ex d. oppido vere, naturaliter et non ficte aut ex privilegio oriundi et in eo nati et baptizati esse debeant.«

Usque ad annum 1844 res pacifice ita processerunt, quando ad Gubernii civilis instantiam hujus ecclesiae status immutatus est. Nam Collegiata in cathedralem erecta fuit bulla Gregorii XVI. 8. Junii anni praedicti, quae incipit *Gravissimum sane munus*; in qua legere datum est: »Matricis ecclesiae modo Collegiatae ac parochialis, quae uti dictum est N. extat sub invocatione s. Nicolai Archiepiscopi Mirensis, pristinum titulum Collegialitatis, itemque ipsius capitulum collegiale, pristina tamen servata cum annexis omnibus parochialitate, eodem modo supprimimus penitusque abolemus cum omnibus hucusque impetratis vel quaesitis adhibitisque favoribus, gratiis, praerogativis et privilegiis quibuscumque.« Summus Pontifex Gregorius XVI. eadem bulla statuit insuper ut omnes canonicatus tum illi a Carolo G. fundati tum quatuor adjuncti a quodam Rocco Pirri decorarentur titulo canonicatuum Cathedralium. Voluit etiam ut constitueretur praebenda theologalis et poenitentialis, quae juxta sacrorum canonum praescripta deinceps, praevio concursu, conferrentur. Reservavit quoque per modum regulae Sedi apostolicae collationem primae Dignitatis liberis permanentibus, prout de jure, collationibus praebendarum theologalis, poenitentialis et curatae. Exequutor literarum apostolicarum tandem inter alia disposuit: »Caeteros Canonicos, praeter eos qui de Rocco Pirri seu s. Conradi dicuntur, de quibus nihil innovandum volumus, attento supplemento dotationis, ex bonis Abbatiae regii patronatus . . . . et salvo quantum fieri potest jurepatronatus quo capitulum fruitur, ipsemet rex et capitulum alternis vicibus infra legitima tempra idoneos viros ecclesiasticos nominabunt ab Ordinario instituendos.«

Ex quibus omnibus Episcopus collegit ex literis Pauli V. et Gregorii XVI. exurgere quaestionem: »*An illa praescriptio Caroli G. fundatoris Collegiatae a Paulo V. confirmatae ut videlicet Canonici eligendi sint de oppido N. ibique oriundi, nati baptizatique, regat nunc, postquam illa vetus ecclesia collegiata cum capitulo suppressa abolitaque fuit et ecclesia cathedralis erecta.*«

Prosequebatur autem Episcopus: quod si EE. PP. CC. in affirmativam abeant sententiam hac super controversia expeterem: *ut attento defectu dignorum sacerdotum ex civitate N. in actu, absque ulla spe pro futuro, quia sic fert rei natura, cum non possit sperari quod in civitate 15 vel 16 millium tot adsint probi et docti ecclesiastici qui satis sint explendis praedictis muneribus et aliis quae habentur, dignetur S. C. C. in sua sapientia providere pro omni meliori bono; absque eo quod animadvertatur aequitas non negandi aliis ecclesiasticis dignioribus aditus ad dignitates et officia propriae eorum dioecesis.* Itaque ante S. C. C. quaestio agitata fuit, propositis dubiis in calce relatis, defendentibus Capitularibus juspatronatus passivum pro civibus N. super omnes canonicatus, ad id oppositionem peragente curia episcopali.

Summis viribus capitulum certavit vindicare juspatronatus passivum super canonicatibus omnibus et dignitate pro sacerdotibus oriundis ex oppido N. Quod ut assequeretur recolere coepit bullam Pauli V. ajens, Pontificem supplicatum fuisse ut inposterum eligendi essent Canonici presbyteri vel clerici legitima aetate ad presbyteratus ordinem infra annum suscipiendum constituti,*) *qui omnes ex dicto oppido* (N.) *vere et non ficte oriundi esse deberent.* Quas preces acceptas fuisse a Pontifice liquidum esse, dum in parte *dispositiva* bullae legatur quod essent eligendi Canonici *ex dicto oppido vere, realiter et non ficte aut ex privilegio oriundi et in eo nati atque baptizati*; idque fecisse *juxta mentem et dispositionem Caroli.* Argumentum ejusmodi fortius fieri ex *decreto executoriali.* Nam praesul executor, adhibita omni diligentia ut veritatem assequeretur, circa fundatoris dispositiones inter alia mandavit . . . . »qui omnes Praepositus et Canonici capitulum ejusdem collegiatae ecclesiae constituant . . . ac juxta mentem et dispositionem dicti Caroli qualificati nempe boni nominis et famae ac sufficientis literaturae praediti, ad horas canonicas decantandas idonei et ex dicta civitate N. vere, realiter et non ficte aut ex privilegio oriundi, sed in ea nati et baptizati esse debeant« . . . Quapropter, adjunxit capitulum, in tuto positum est juspatronatus passivum civium N. quia duplici fulcitur canonico fundamento nempe concessione apostolica et voluntate pii testatoris, juxta quam dicta apostolica concessio peracta fuit.

*) Vd. *t. II. p. 175. n. 22.*

Neque opponere valet, prosequebatur capitulum, haud verbum fieri a testatore de originalitate inposterum eligendorum; nam etsi desiderari debeat in testamento dispositio haec, denegari tamen nequit hac super re Sanctissimum supplicatum fuisse ab exequutoribus testamentariis et a Pontifice gratiam juxta petita concessam. Praesumi ideoque debere hanc intentionem testatoris Pontifici notam aliqua ratione fuisse, eo quod clare fatetur se concessionem facere *juxta mentem et dispositionem Caroli.* Praesumptioni isti majus adjungi pondus ex facto Rmi exequutoris literarum apostolicarum; ille enim postquam omnia rite adimpleverit civibus N. juspatronatus passivum reservavit *juxta mentem et dispositionem dicti Caroli.* His omnibus addi vult decretum istud prodiisse tempore, quo parentes et familiares testatoris adhuc viverent; quo illius dioecesis cleri intererat ne quid falsi hac super re moliretur; tamen omnes siluerunt. Ergo colligi debet: vel testatorem ipsum per codicillum, temporis vetusta obliteratum, suam pandidisse voluntatem vel eam oretenus communicavisse exequutoribus testamentariis sicuti pluribus in adjunctis scitum est evenisse.

Verum si totum id minus arrideat, ait, praesto esse consuetudinem hominum memoriam excedentem. Patrimonialitatem beneficiorum consuetudinis immemorabilis vi acquiri posse Gonzalez docere in *reg. 8. cancell. gloss. 9. § 1. n. 3.* Patrimonialia beneficia sunt illa, quae ex apostolica concessione vel statutis seu synodalibus constitutionibus, apostolica auctoritate confirmatis, vel immemorabili consuetudine sunt necessario conferenda natis incolis vel originariis alicujus patriae, civitatis, oppidi vel paroeciae, ita ut illi dumtaxat qui filii naturales et patrimoniales sint provideri debeant de hujusmodi beneficiis et non alii forenses seu extrinseci, qui tales qualitates non habeant. Neque hanc consuetudinem reprobari posse ceu abusum, quasi bona fide justoque titulo careat dum uterque descendat ex bulla apostolica. Proindeque haud absonum videri posse si dicatur, juspatronatus passivum spectare ad cives origine N. seu testatoris voluntatem sive apostolicam concessionem vel tandem consuetudinem respicere quis velit.

His praejactis inani studio objiceretur ejusmodi amissum fuisse juspatronatus ob immutationem status ipsiusmet ecclesiae vi bullae Gregorii XVI. Notum est enim beneficiorum patrimonialitatem verum constituere passivum patronatum, quod ab ecclesia in pari habetur aestimatione ac patronatus activus et consequenter generalibus clausulis extingui nequit, sed expressam expeti derogationem, sine qua standum est generali decreto Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 9. de ref.*: *legitima patronatuum jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est.* Neque adducere in contrarium juvat derogatoriam clausulam quam apposuit Gregorius XVI. in sua bulla, qua ad dignitatem Cathedralis elevavit ecclesiam N. Per illam enim generalem clausulam certum est derogari tantum favoribus et privilegiis suppressae Collegiatae quae cum novo statu Cathedralis compatibilia non sunt; haud vero omnino derogari juribus acquisitis ab illis qui e civitate N. originem ducunt ob testatoris expressam voluntatem *juxta mentem et dispositionem Caroli sub patronatu passivo*, quod cum novo statu ecclesiae conciliari potest.

Ex augmento tandem capitularium reddituum a Rege peracto argui pariter non posse istum canonicatuum fuisse fundatorem sed solum benefactorem, quum Carolus G. totius aedificii bases solus extruxerit.

Verum quamvis id concederetur tamen adhuc incolume permanere ejusmodi juspatronatus civibus N. capitulum ostendere satagit. Quamobrem varios citavit casus in quibus nostris etiam temporibus tum auctoritas civilis tum auctoritas ecclesiastica semper salvum et tutum reliquit jus ejusmodi pro

illis civibus. Nam si casus evenit ut praebenda aliqua vacaret nonnisi dispensationis ope ad illius concursum extranei admissi sunt, quamvis capitulum consensum extraneis eisdem praestaret ob naturalium presbyterorum deficientiam.

Neque regerere fas esse, adjecerunt Capitulares, ex mutatione status ecclesiae in capitulo N. poenitentiarium, theologum et archipresbyterum parochum recensendos esse, quin imo et totum capitulum reputari et esse Senatum Episcopi proindeque eruditis personis constare debere, quae in praedictae civitatis clero non facile reperiri possent. Praeterquam quod id praesumi nequeat in civitate 15000 animarum, dum plures semper adsint doctrina conspicui presbyteri, in facto autem praerogativam Senatus ad nudum verbum in praesens reduci putarunt meramque esse honorificentiam dempto casu, quo Episcopus audire capitulum tenetur pro unione beneficiorum quod raro usuvenit. Archipresbyterum vero, theologum et poenitentiarium quod attinet per concursum satis provisum fuisse, ita ut admittantur etiam forenses si non reperirentur idonei inter cives concurrentes. Quidquid vero sit quoad horum officiorum provisionem, passivum distinxerunt juspatronatus ab activo; atque hoc non illud abrogatum fuisse bulla Gregorii XVI: *Reservata per modum regulae apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis permanentibus, prout de jure, collationibus praebendarum theologalis, poenitentialis et curatae.* Hinc delegatus apostolicus praedictam bullam executioni mandans dixit: *Auctoritate apostolica capituli juspatronatus prorsus quoad Praepositum, theologum et poenitentiarium nunc et in omni futuro tempore abolemus.* Attamen cum de jurepatronatus passivo etiam super memoratis canonicatibus nullum reperiatur verbum neque in bulla apostolica neque in literis apostolicis delegati, illud favore civium N. permansisse dicendum esse. Insuper jus illud recognitum fuisse a s. Sede rescripto diei 21. Decembris 1860; vi cujus Episcopo N. facultas concedebatur admittendi quemdam sacerdotem extraneum ad consequenda illa beneficia ecclesiastica, quae in eadem civitate conferri debebant tantummodo nativis et originariis, sub conditione tamen ne aliorum laederentur jura. Atqui beneficia, quae tantummodo nativis conferri debent, quaeque in civitate N. reperiuntur, ea sunt, quae Carolum G. fundatorem praeseferunt. Ergo esse in propatulo, Capitulares concluserunt, nullimode extraneos admitti posse ad consequutionem canonicatuum Cathedralis N.

Favore autem episcopalis curiae animadversum fuit nullimode apparere ex testamentaria dispositione Caroli G. nativis atque originariis N. reservatum fuisse passivum juspatronatus; proindeque preces Paulo V. oblatas ab exequutoribus testamentariis subreptionis et obreptionis vitio laborare videri. Hinc cum gratia ex falso narratis orta sit, eam inutilem omnino habendam esse clamant DD. et S. C. C. praesertim in *Fanen. Subsid. dotal. 14. Feb. 1761. § 8.*

Pariter nihili faciendam oppositionem, quod nempe Carolus G. sive per codicillum sive viva voce suam hac super re manifestaverit voluntatem, quoniam in memorata bulla nullum unquam fiat verbum nullumque vestigium supersit sive in archivio capitulari sive in dioecesana curia. Quemadmodum enim servatum fuit testamentum, ita et potiori jure servari debebat codicillus vel dispositiones exequutorum testamentariae dispositionis. Quapropter quum ab initio res vitiosa appareat, perperam ex adverso invocari consuetudinem, eo quod obstet juris principium firmatum in *L. 20. alias ff. de reg. jur.*: *quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Praeterea deficere, pro hac stabilienda consuetudine, specificam Sedis apostolicae confirmationem, eo quod consuetudo inducere posset beneplacitum apostolicum, ad summum, in forma tantum communi, *Gratian. discept. for. 245. n. 37, Rota decis. 6. n. 1. coram Buratto;* minime vero in specifica uti opus erat in casu. Siquidem agebatur de excludendo per modum regulae certo personarum genere ad consequendos canonicatus ideoque opus fuisse specifica confirmatione Pontificis ad tradita per *Lotter. de re benefic. lib. 2. quaest. 42. n. 9, de Luc. de jurepatr. discuss. 67. n. 12, S. C. C. in Neritonen. Conferendi canonicatus 11. Maji 1872. §. Neque dicas.*

Et si paulisper concedere placeat argumenta Capitularium suo robore haud esse destituta, in facto tamen est, sicuti Episcopus ait, ecclesiae statum immutatum fuisse a Gregorio XVI. proindeque jus illud prorsus abolitum a pontificia auctoritate. Veteri enim ecclesia collegiata suppressa abolitaque

novum ordinem, novam institutionem novumque penitus jus exurgere, quod Pontificis literae clare expresserunt, ibi: *Matricis ecclesiae, modo Collegiatae et parochialis, supprimimus penitusque abolemus.* Posteaque idem Ordinarius prosequebatur: »Nulla igitur ecclesia a Carolo Giavanti fundata existit. Idem de capitulo sancitum fuit, ac proinde nullum capitulum collegiale subsistit. Oppidum N. in civitatem episcopalem erexit: cives honoribus, privilegiis et praerogativis civitatum episcopalium gaudere voluit. Templum s. Nicolai in Cathedralem erexit, capitulum Cathedralis nomine decoravit. Nihil igitur de illa veteri Collegiata remansit, nova prorsus creatio facta est, ac propterea non debent illae regulae illaeque leges adoptari, quibus illud, quod abolitum est, regebatur nisi Pontifex vellet ut antiqua statuta subsisterent, quod factum non est quoad capitulum Cathedrale et electionem Canonicorum. Voluit tamen Pontifex ut cura animarum servaretur ut antea et ideo claris verbis expressit: *pristina tamen servata una cum annexis muneribus parochialitate*, quod magis confirmat ceterarum abolitionem conditionum. Nam cum plura concurrebant in ecclesia collegiata inter quae juspatronatus activum et passivum et parochialitatem, parochialitas expresse reservatur, juspatronatus activum Canonicorum partim regi tribuitur ratione supplementi praebendarum, partim expresse capitulo confirmatur; de passivo autem nihil statuitur, ergo abolitum una cum collegiata ecclesia censendum necesse est. Hoc ratione non caret. Carolus enim Giavanti jam non potest leges indicere ecclesiae a novo fundatore amplioribus redditibus auctae, ita ut singulae praebendae istius fundatoris ita injuria temporum exiles evaserint ut vix ad triginta quinque libellas reductae sint; ecclesia collegiata erecta a Paulo V., secundum fundationem Caroli Giavanti, ecclesia erat quaedam particularis, quae oppido N. tantum inserviebat, nihilque ceteris oppidis intererat; ast in Cathedralem erecta ecclesia oppidoque civitatis episcopalis titulo decorato, civitas haec ejusque ecclesiae positae sunt caput caeterorum oppidorum et ecclesiarum in illis existentium: constitutio ecclesiae N. interest civibus omnibus totius dioecesis, cujus necessitatibus commodisque respondeat oportet; nequit igitur pristinam constitutionem retinere. Capitulum Cathedrale est Senatus Episcopi cui consilium praestare debet in administratione totius dioecesis; ecclesia s. Nicolai Episcopi Myrensis substantialiter cum suo capitulo immutata est; nequit igitur illa conditio de oriundis in oppido N. ibique natis et baptizatis Canonicis eligendis adhuc vigere.

Quoad autem praeposituram et Canonicos theologum et poenitentiarium quaestio extra aleam posita videtur; in literis apostolicis Gregorii XVI. et in literis executoriis delegati apostolici conceptis verbis exprimitur: *Reservata per modum regulae apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis permanentibus prout de jure collationibus praebendarum theologalis, poenitentialis et curatae*, quibus verbis clarissime patet juspatronatus harum trium praebendarum sublatum prorsus fuisse hasque praebendas liberas a quocumque vinculo solutas. Quod melius declaratum fuit a delegato apostolico in literis executoriis.

In posterum prima dignitas cum vacaverit ab Apostolica Sede providebitur, canonicatus theologi et poenitentiarii tamquam liberae collationis servata forma in pactis conventis inter praelaudatam apostolicam Sedem et Regem anno 1818 conferantur. Et clarius inferius ipsemet delegatus: *auctoritate apostolica juspatronatus capituli prorsus quoad praepositum, theologum poenitentiariumque nunc et omni futuro tempore abolemus.* Nec potest dici hoc in casu jurepatronatus capituli abolito quoad jus activum patronatus permansisse passivum, idest ex oppido N. oriundorum, natorum et baptizatorum; oportere enim in bulla hoc declarari, prout plura declarata sunt, quae apostolicae Sedi visum fuit confirmare ex statutis Pauli V., eo magis quod apostolica Sedes, quae sibi reservavit collationem harum trium praebendarum, vinculata remaneret in eadem collatione, quae libera *prorsus* esse debet nec vinculis quibuscumque ligata.

Praestat insuper haec collationis libertas bono totius N. dioecesis, nam ubi in dioecesi N. viri essent ingenio virtuteque pollentes, idonei propterea prae oriundis ad curam animarum exercendam ac theologi et poenitentiarii munere fungendum, deberent hi postponi, omnino excludi, ut oriundis, natis baptizatisque conferatur beneficium, ac si beneficia haec in commodum istorum erecta essent et non potius ad majorem ecclesiae utilitatem. Hisce perpensis videtur legem illam fundatoris, quod Canonici ecclesiae

collegiatae ex oppido N. oriundi essent ibique nati et baptizati, postquam ecclesia illa suppressa et abolita penitus fuit ac Cathedralis erecta una cum pristina ecclesia, abolitam esse.

Ex Apostolicis literis haec consectaria liquido profluunt et nescio cur usque adhuc ecclesia N. anceps haeret circa electionem et collationem canonicatuum sacerdotibus qui nec oriundi nec nati baptizatique sunt N., ita ut etiam in collatione praebendae theologalis quae anno 1847 vacavit dispensatio quam minime ausum est peti a Sede apostolica, sicut oportebat, petita fuit a regia monarchia jam nunc divina providentia ablata, eo quod ad illam praebendam extraneus sacerdos concurrebat, nullo idoneo reperto ex oriundis, natis et baptizatis.

In collatione praepositurae quae anno 1858 vacabat ipse theologus jam de dispensatione supradicta provisus quoad praebendam theologalem et alius sacerdos hujus dioeceseos fuerunt a concursu exclusi eo quod nec oriundi nec nati nec baptizati erant in civitate et alio sacerdote concurrente, qui haec requisita habebat quique ad dictam praepositurarn concurrere volebat, nescio qua causa excluso dispensatio a concursu impetrata ab apostolica Sede fuit in favorem actualis Praepositi. Denique praebenda poenitentialis ab anno 1865 vacat hucusque eo, quod ex sacerdotibus ad illam concurrentibus vere oriundis, natis baptizatisque in civitate, nullus eorum inventus fuit idoneus ad illam poenitentialem praebendam obtinendam.

Quibus hinc inde notatis prudentiae Eminentissimorum Cardinalium qui S. C. Congregationem constituunt sequentia proposita fuere dirimenda

Dubia:

I. An constet de jurepatronatus passivo super simplices praefatos canonicatus favore civium N. ad tramites bullae Pauli V. in casu?

II. An eidem juripatronatus subjacere etiam debeat praepositura, theologalis et poenitentialis praebenda in casu?

Et quatenus affirmative ad 1. et 2. dubium,

III. An et quomodo attento defectu dignorum sacerdotum N. in vacationibus providendum sit in casu?

Sacra C. Congregatio die 24. Julii 1875 causa cognita respondere censuit

Ad I: Affirmative quoad canonicatus Giavanti a capitulo praesentandos.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative per idoneos sacerdotes et praelative diocesanos.

Exinde colliges:

I. Juspatronatus sive activum sive passivum, quod ex voluntate pii testatoris et apostolica concessione exurgit, duplici fulciri canonico fundamento intactumque manere in commutatione status ecclesiae collegiatae in Cathedralem si novo nobiliorique ecclesiae statui aptari possit.

II. Voluntas pii testatoris (si ex tabulis testamentariis minus clara appareat vel injuria temporum obliterata fuerit) erui posse videtur etiam ex hoc adjuncto ut puta si supersint aliquae concessiones quae videantur factae fuisse a s. Sede juxta illam volluntatem sibi notam.

III. Consuetudinem quoque hominum memoriam excedentem, bona fide justoque titulo suffultam, habere vim legis seu voluntatis pii testatoris, si praecipue originem ducat a tempore quo ejusmodi voluntas patuit coaevis quorum intererat oppositionem facere et non fecerunt.

VI. Juspatronatus passivum haberi ab ecclesia in pari existimatione ac activum; quod nempe extingui nequeat clausulis generalibus, sed expeti expressam derogationem ut infirmetur.

V. Clausulis enim generalibus derogari tantum favoribus et privilegiis Collegiatae suppressae et quae cum novo et nobiliori statu ecclesiae cathedralis compatibilia haud sint, non vero juribus tertiis quaesitis.

13) Mutatio.

I. In beneficium.

Vd. t. III. p. 166. V: *Interamnen.*

II. In coadjutoriam non concessa.

Vd. *Beneficium* (mutatio, immutat.); *Canonicatus* (erect. p. 166: *Interamnen.*)

Terracinen et Privernen.

Parvetusta Magentiae prostat paraecialis ecclesia b. Virgini sacra, quam parochus procurat archipresbyteri titulo insignis: ejusdem praeterea servitio Sacrisque in ea peragendis mancipati prostant etiam septem presbyteri. Quando primum et quibus sub legibus coeptum sit ea ratione Sacra facere in eadem ecclesia in tenebris fere delitescit. Presbyteros praedictos assumptos fuisse traditur, quum gens Adolbrandimia pluribus ditavit fundis praefatam ecclesiam ingentemque imposuit Sacrorum numerum per eos perlitandum. Nunc ii presbyteri una cum parocho Archipresbytero Canonicorum titulo perfruuntur et quotidianum explent officium in choro sicut in ceteris expletur collegiatis, quin pariter notum sit, quo primum tempore quave auctoritate id factum fuerit, quamvis sub initio saeculi superioris id accidisse sit rumor; suaque potiuntur praebenda ac massa distributionum.

Jam vero tenet hodiernus Archipresbyter Xystus Rinaldi inter onera praecipua iis presbyteris adjecta, quum ad ecclesiae illius procurationem adsciti sunt, illud extitisse coadjuvandi parochum in officio paraeciali illudque revera per plures annos praestitisse, a qua methodo nonnisi per abusum desciverunt Canonicorum sibi nomen usurpantes. Quare ut vetus systema reviviscat adeo incolarum spirituali bono conducens utque popularibus ad bis mille hodie auctis debita non desit adsistentia EE. VV. subjicit libellum supplicem.

Propositioni haud abnuit Episcopus. Transmittit autem decennalem statum tum activum tum passivum beneficiorum, unde constat cuique presbytero quotannis redire loco praebendae scut. 70, loco distributionum scut. 30, 45, ex emolumentis incertis scut. 10 et sic in totum scut. 110. 45, quae ab oneribus depurgata referunt scut. 88. 45. Archipresbytero vero ultra redditus aliis presbyteris communes alia scut. 11, 60 ex separatis fundis obvenire: quare percipit scut. 122, 5 et ab oneribus pura scut. 91, 5. Docet praeterea omnes praebendas seu beneficia praedicta esse liberae collationis, nec ullum prostare documentum, unde erui detur, an presbyteri postea Canonici nuncupati parocho adjuvando fuerint ex justitia obstricti. Remittit capituli votum precibus omnino adversum ac demum animi sui sensum sic aperit: Parochum satis amplius non esse in praefata terra, ut omnium spiritualibus necessitatibus occurrat, inficiari nequit, nec ejus praebenda talis est, ut cogi possit ad emolumentum illi statuendum, qui ei suppetias ferat. Pariter certum est magnam proventuram clero et populo utilitatem, si canonicatus inde per concursum illi conferantur, qui scientia polleant, ut muneribus parochialibus fungi possint in parochi subsidium. Nec ex provisione hujusmodi aliquid detrimenti pateretur choralis residentia; nam si aliquis ex coadjutoribus procul sit a choro ob infirmorum adsistentiam vel aliud munus hujusmodi, tunc Archipresbyter choro inservire debet. Et si forte aliquando unus non sufficiat, tunc licet non sint Canonici ultimi ex officio obligati ex charitate tamen tenerentur sicque choro interesse non possent «

In aliis vero literis rogatus idem Episcopus, cur capellanus curatus constitui potius non possit et de quota eidem persolvenda, sedulus respondit: »Si capellanus esset mercede statuendus qui Archipresbytero suppetias ferret in parochialibus obeundis muneribus, vix sufficerent scut. 100 eo vel maxime quia alio in loco esset assumendus. Et hic mihi indulgeatis, oro, si iterum utilitatem petitionis Archipresbyteri, quam remitto, expono. Clerus Magentiae eo quod facillime sperare possit canonicatus assecutionem stimulo caret praesertim sacerdotio obtento studiis sacris vacandi, qui stimulus foret vel maximus in casu proposito, adeoque brevi omnes Canonici doctrina sufficienti ad confessiones audiendas pollerent: item si per aliquos annos duo ultimi Canonici ministeriis ecclesiasticis sedulo ex officio operam navaverint, forsan etiam obligatione soluti animabus juvandis et praesertim rudibus instruendis dabunt operam. Quae quam sint ad Dei gloriam salutemque fidelium procurandam conducentia, nullo negotio agnoscitur; adeoque confido fore ut eos qui zelo inflammati nihil aliud praeter ecclesiae bonum prae oculis habetis, petitioni supra expositae benigne annuatis.«

Momenta, quibus Archipresbyter ex una, praesbyterorum Collegium ex altera parte nituntur, ut alter alterius intentionem eliminent, brevi expediuntur.

Praecipuum Archipresbytero fundamentum est, quod presbyteri ecclesiae servitio addicti nonnisi per abusum Canonicorum insignia ac titulum sibi vindicarint ac in eum principaliter finem fuerint primum adsciti, ut missas celebrarent et parochum in curionali exercitio coadjuvarent. Prioris assertionis argumentum adducit s. hujus Ordinis resolutionem in una *Terracinen 10. Sept.*

anno 1772, ubi in folio de more exarato §: *Proponunt* denunciatur: *Presbyteri terrae Magentiae titulum suae ecclesiae tribuerunt, Canonicorum nomen usurparunt«* quod sane coadjuvari videtur ex defectu solemnis cujuslibet actus erectionis, qui desideratur. Ulterius nullam parat probationem praeter sui asseverationem.

Pergit porro ad damna enucleanda, quae ex omissa a presbyteris animarum cura derivata populo sunt: quibusque hodie occurri posse existimat ea methodo, quam proponit. Parochianos scilicet conqueritur eam adsistentiam frustra expetere pluribus abhinc annis, quam saeculis extantiatis assequebantur; siquidem nequit unus parochus singulis eorum ad bismille et amplius capita ascendentium semper et continuo praesto esse, praeterea clerus frustra hodie desideratur, quo olim floruit apprime oppidum, quando parochiali muneri explendo idoneos esse oportuit ad praedicta beneficia deligendos: dum hodie otio marcescunt presbyteri, quibus certa spes est pinguem obventuram praebendam statim ac sacerdotalem characterem fuerint assecuti. Horum vero omnium faciem prorsus immutatam iri certo confidit Archipresbyter, ubi animarum curam resumant presbyteri, et ea ratione tum incolarum saluti tum cleri splendori facile iri consultum; siquidem triginta annorum spatio (calculum ipse ducit) octo haberi possent in oppido presbyteri sacrarum rerum optime gnari et omnes sacramentalibus confessionibus excipiendis opportuni.

Ceterum nullum inde praejudicium fieri iis, qui modo collegium conficiunt, exploratum arbitratur: posteros vero onus haud fore adversaturos praebendae adjectum, quodque redditibus satis amplis respondet, quibus beneficia potiuntur. Chori servitio grave praejudicium minime pertimescendum esse testatur Episcopus, qui Archipresbyteri votis sua nectere non dubitavit.

At vero collegium acriter obstat inovationi, quam subjicit Archipresbyter. Multa autem primo congerunt collegae ipsi, ut ecclesiam suam vere collegiatam existere demonstrent, deficientibus tabulis erectionis. Hujusmodi sunt praebendae singulis Canonicis assignatae, distributionum massae omnibus communes, quotidiana residentia chorique servitium ab immemorabili praestitutum; Canonicorum titulus ab aetate vetusta in solemnibus quoque actibus tributus, canonicalia insignia ab aevo adhibita, id est, almutia primum, deinde mozetta, Episcoporum silentium, literae demum apostolicae in canonicatuum collatione expeditae. Profecto ejusmodi indicia talia esse ut Collegiatae indolem significare possint, deficiente legitimo fundationis instrumento, eruere est ex *Mascard. de probat. concl. 584. num. 1. et seqq.*, *Barbos. de jur. eccl. lib. 2. cap. 6. num. 5.*, *Lotter. de re benef. qu. 14. num. 54*, *Petra in Commen. ad const. 7. Innoc. IV. sect. 2. num. 15. et seq.* et facit ipsa resolutio s. Ordinis in adversum adducta.

Nec minus insulse jactari, pergunt, Canonicos animarum cura teneri sicut et parochus Archipresbyter: somnium hoc fuisse hodierni Archipresbyteri clamant, quod nullis ne quidem indiciis demonstrari valet, cuique adversatur canonica praesumptio, siquidem de jure ordinario incompatibilis est canonicatus cum parochialitate *) quae non sit eidem praebendae adnexa, ex cap. *Nonnulli 3. de cleric. non resid. et cap. de multa 28. de praebend.*, et refragatur etiam plurium in archipresbyteratu decessorum factum qui potius, quam ullam hac de re mentionem moverent, coadjutorem sibi suis sumptibus adegerunt.

Incommoda et ipsi plurima efferunt, quae separari nequirent a proposita methodo. Sic enim quotidianam residentiam et choralem adsistentiam sensim pessumdatam iri praevident, quando collegium octo constans individuis tres habeat, qui abesse valent ob curam animarum, quoties ipsis placuerit: populus vero sacris solemniis rite celebratis interesse assuetus haud sine admiratione et scandalo sacrorum rituum subversionem cerneret. In resolutionibus capitularibus libertas illa deficeret quae anima est negociorum quando bini coadjutores parocho nimis addicti ab ejusdem suffragio deflectere non auderent: unum itaque concludunt sui commodum respexisse Archipresbyterum, dum preces s. Ordini porrexit, ut ita animarum cura cui in tenui oppido parochus unus adesse commode potest in binos coadjutores rejecta beata otia sibi nancisceretur.

His utrinque disputatis ac prae oculis habita praesertim Antistitis relatione et voto dirimere EE. VV. dignentur

*) Vd. *p. 234. c; 238. f.*

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus Archipresbyteri Xisti Rinaldi in casu?

S. C. resp.

Non proposita cum sequenti.

Die 26. Junii 1841.

Continuatio.

Ut intentionem suam magis magisque conficiat in ista controversia Archipresbyter Rinaldi fidem exhibet signatam a duobus testibus, qui Vicarii generalis munere functos se fuisse referunt in illa dioecesi.

Exinde porro arguere satagit Archipresbyter praefatus presbyteros omnes suae ecclesiae addictos, qui Canonicorum nomine in praesentia utuntur, adscitos ab initio fuisse nedum ad missarum onera implenda, uti jactant, sed etiam ad parocho in animarum cura coadjuvandum; sicut enim nemo sibi persuadebit parochum ipsum sine ulla causa emolumeutorum partem extraneis presbyteris donasse, ita cordatus quisque facile intelliget lucri paraecialis quotam ideo presbyteris illis cessam fuisse quod ii muneris etiam et incommodi partem sibi in correspectivitatem assumpserint.

Contra Capitulares adlecto jurium suorum defensore nonnulla animadvertunt, ut nihil innovari EE. VV. decernant. Primo scilicet ut conficiant Canonicorum titulum ipsis impetere, exhibent monitorium quodquam ab apostolica Camera datum die 3. Martii 1548, quo presbyteri ecclesiae Magentiae mancipati damnantur ad quaedam frumenti rubra Archipresbytero Privernensi solvenda, ibique enunciatur: *Capitulum collegiatae ecclesiae s. Mariae de Magentia.*

Deinde nullam adesse instantem causam conclamant, cur onus a saeculo uni Archipresbytero impositum in Canonicos hodie rejiciatur; siquidem nemo unus unquam conquestus sit tot saeculorum spatio spiritualia subsidia sibi defuisse, quamvis incolarum capita frequentiora ac hodie Magentia quandoque recensuerit. Multo minus vero adjiciendam esse pergunt obligationem concursus aleam subeundi, quae sane cum jure ipso pugnaret, quo *receptum est saepiusque declaratum, non esse locum concursui, quando cura animarum spectat ad ecclesiam collegiatam, et cura exercetur per Canonicos*, teste *Van-Espen in Jur. eccl. univ. part. 2. tit. 22. §. 5.* et Gonzalez *ad reg. 8. can.*) glos. 6. n. 158.*

Quod si revera spiritualis animarum adsistentia subsidium aliquod hodie desideraret, confugiendum esse instant ad institutionem coadjutoris sive parochi ipsius sumptu alendi, sive mediis ordinariis illis vel extraordinariis quae sacri canones suggerunt.

Nihilominus ubi haec EE. VV. satis non fuerint, ut Archipresbyteri instantia rejiciatur, orat Canonicorum defensor, ut congruam dilationem concedant pleniori defensioni parandae, quae hodie in angustia temporis praesto esse non poterat. Interea EE. VV. deprecamur, ut dirimant

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus Archipresbyteri Xisti Rinaldi in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 7. Aug. 1841.

III. Onerum.

Vd. *Beneficium* (adjici etc. t. II. p. 353.)

Florentina.

Testamento quod anno 1747 condidit Maria Magdalena Mazzoni e Comitibus de Urbech ex compendio omnium suorum bonorum erigi mandavit in insigni Collegiata Laurentina, quae extat Florentiae, canonicatum *ab extra* nuncupatum seu supranumerarium sub invocatione et altari s. Catharinae de Riccis. Onus autem nominatim adjecit Canonico pro tempore quotidianae missae in perpetuum, si id reddituum valor pateretur, sin minus tot missas celebrandas voluit, quot essent redditus juxta taxam Benedictinam.

Primum rectorem deinde nominavit ipsum Franciscum Fiori, cui etiam juspatronatum concessit, ita nimirum ut nullo unquam tempore regulis ac reservationibus cancellariae apostolicae vel cuilibet s. Sedis dispositioni subjaceret, sed ab Episcopo auctoritate ordinaria et praevia patronorum pro tempore praesentatione semper rector instituendus esset.

Paulo post supremum testatricis fatum praefati executores praevia Capitularium acceptatione et consensu ad regularem canoni-

*) Vd. *t. II. p. 820.*

catus *ab extra* erectionem devenere juxta mentem fundatricis.

Non multo post anno scilicet 1751 ipse Fiori aliud effecit solemne instrumentum quo exhibito fundo quodam annui redditus scut. 84 monetae Florentinae capitulo imposuit onus tradendi Canonico pro tempore septem scutata in singulos menses titulo distributionum et respective Canonico pro tempore obligationem, se uno tamen excepto, interessendi in perpetuum omnibus choris tam diurnis quam nocturnis ac caetera supportandi onera juribusque pene omnibus perfruendi, quae alios Canonicos chorales seu *ab intra* attingerent. Eodem actu et de jurepatronatus disposuit favore ejusdem capituli titulo donationis inter vivos.

Quae omnia fideliter impleta sunt a rectoribus pro tempore jam ab anno 1766 quo diem obiit supremum dictus Franciscus Fiori ad annum usque 1842, quo Cajetanus Ciaranfi actualis canonicatus rector (quamvis a die 19. Februarii 1825 qua ejusmodi fuerat possessionem adeptus onera per Franciscum Fiori imposita fideliter implevisset) protestationem misit ad capitulum, qua cum nunc primum sui canonicatus naturam sibi compertam esse narraret se ac successores suos in canonicatu non teneri nisi ad dies et onera in primae erectionis actu imposita proclamabat, ea potissimum de causa quod praefatus Fiori neque uti executor neque ut patronus poterat absque apostolico beneplacito*) fundatricis voluntatem immutare. Hanc Ciaranfi praetentionem acriter impugnante capitulo eam insimul, ubi ex damnata hypothesi causa decidisset, apud Archiepiscopum ad quem res fuit pro definitione perlata protestationem emisit.

Archiepiscopus autem de partium consensu quaestionem ad s. hanc Congregationem ex integro dirimendam remisit. Et dum facti circumstantias ut supra expositas confirmat animi sui sensa aperit favore Canonici Ciaranfi iisdem prorsus rationibus inferius a praefato Canonico adducendis innixus. Transmisit deinde quae tum a Canonico Ciaranfi tum a capitulo Laurentiano pro suorum respective jurium defensione in scriptis deducebantur.

Pacificum est inter partes, praeter missam quotidianam expresse injunctam voluisse testatricem ut et aliquod chorale onus a Canonico pro tempore praestaretur. Quale autem quantumve chorale servitium fuerit ipsi in mente praecipere per institutionem canonicatus *ab extra* ac utrum fuerit in potestate primi Canonici insimul ac patroni onera choralia in actu primae erectionis imposita per posterius instrumentum anni 1751 augendi necne, totum constituit disputationis statum, quae EE. VV. judicio hodiernis comitiis dirimenda proponitur.

Canonicatum *ab extra* disserit inprimis Canonicus Ciaranfi fundari suis executoribus mandasse comitissam de Urbech ipsa patulae ejus voluntatis verba testantur: quod idem confirmant tum preces executorum ad capitulum directae tum actus fundationis, tum denique consensus a viro fundatricis elicitus.

Executores autem uti mandatarii reputantur, qui mandati fines praetergredi prohibentur, *Rota rec. part. 15. dec. 299. num. 1.* Nec alias voluntatis interpretatio ipsis defertur quam cum dubiam sese exhibet, *cit. dec. n. 11.* uti ipsa testatrix declaravit, cum non effroenatam illis libertatem arbitriumque commiserit. Quod autem canonicatus *ab extra* erigendus esset, jam ipsa per clarissima verba pronunciaverat; potestas igitur et arbitrium executorum ad media tantum eligenda cohibebatur, quae ad finem volitum conducebant non vero ad finem ipsum subvertendum protendebatur, ut advertit *Rota in Rec. part. 17. dec. 664. n. 15.* Vel tum demum favore executorum amplissimum reserabatur arbitrium, ubi canonicatum acceptare renuisset Laurentianum capitulum. At postquam capituli acceptatio secuta fuerit et canonicatus ut dicebatur *ab extra* ad alia onera non teneretur praeter ea in primo erectionis actu enumerata integrum haud amplius erat Francisco Fiori absque apostolico beneplacito contra patulam fundatricis voluntatem canonicatus statum immutare: non uti executor cum executoris officium eo, quem absolverat, actu finiebatur; non uti patronus, cum id a sacris canonibus sit illi expresse improbatum.

Quin vel minimum officiat reservatio in ipso actu a patrono apposita, redigendi nimirum canonicatum *ab extra* ad collegialem seu ab intra, quoties fundum pro distributionibus sufficientem obtulisset. Si enim reservatio ibi locum habet, ubi competens alicui jus praeexistat, ut monet *Rota in Rec. part. 14.*

*) Vd. *t. II. p. 357. n. 2; p. 362. n. 5; Commutat. ultimae volunt.*

dec. 70. n. 14 et part. 19. tom. 2. dec. 522. n. 9., in casu nullus profecto locus reservationi dabatur, cum nullum patrono jus competeret, eo quod ipsa Testatrix de natura canonicatus *ab extra* clarissime disposuerat.

Nec ullum reservationi pondus potuit adjicere adhibita auctoritas Ordinarii. Cum enim reservatio indubium testatricis voluntatem immutare intenderet nonnisi apostolici beneplaciti interventu sustineri potuisset. Quidquid enim fuerit ante Tridentinum Concilium, certum est post illius sanctionem *in sess. 25. de ref. cap. 5.* nullam dari Episcopo facultatem qualitatibus in fundatione appositis derogandi,*) ne de patroni quidem consensu, ut ait *Rota in Alexandrina Decanatus 12. Junii 1798. coram Orano* et *rec. part. 1. decis. 496. num. 9.* et apposite *s. Congregatio in Tudertina* et *Florentina 12. Martii 1718* ac in *Montis Falisci 31. Maji 1721.* In his definit s. Congregatio beneficiatum non teneri ad onera apposita a patrono, sed ad illa tantum a fundatore praescripta, cum vetitum sit patrono onera superaddere in fundatione non expressa, ex quibus et beneficii status immutari et ejusdem servitutes possint augeri, *Piton. de contr. patron. alleg. 100. num. 148, Abbas lib. 3. decret. cap. 3. num. 1,* immo ea est patroni obligatio, ut prohibeat ne in suo patronatu aliquid immutetur, *Piton. loc. cit. alleg. 72. numer. 19,* leges enim fundationis inviolabiliter servandae sunt, ne alias detur perniciosum exemplum retrahendi laicos ab erogando proprias substantias in opera et loca pia, ut monuit s. Congregatio in *Praenestina Reductionis missarum 25. Maji 1833.* Et decretum Ordinarii semper famulari debere legi fundationis firmat *Piton. de controv. patr. alleg. 66. num. 24.*

Spernit post haec quamlibet observantiam tum ex defectu temporis cum non effluxerint plusquam septuaginta septem anni, sic cumuletur possessio trium consequentium rectorum (se ipso comprehenso usque ad emissam protestationem) cujus cumulativae refragatur juris principium, quod actus antecessorum praejudicium successoribus vetat inferre, *Card. de Luca de Regal. disc. 136. num 8* et *Rota in Rec. decis. 72. num. 62,* tum ex defectu justi tituli, apostolici nimirum beneplaciti, quod defuit profecto in instrumento fundationis, in quo nec de illius necessitate verbum factum est. Nec per observantiam inducitur ejus praesumptio, cum non minus quam centum annorum lapsus requiratur, ut posset legitime illius interventus praesumi.

Quod si aliquis tandem locus observantiae detur in casu, eam profecto sui favore invocat Ciaranfi. Observantia enim prioris executoris et patroni Francisci Fiori, qui se voluit exemptum ab oneribus successoribus in canonicatu impositis, cum non modo cognovisset, sed etiam familiariter cum fundatore conversatus esset, adeoque ipsius mentem non posset ignorare, legem fundationis omnes antecellit. *Carena resol. 10. num. 3, Rochus disp. 103. num. 8 et seq., Piton. loc. cit. alleg. 75. num. 27. et alleg. 100. num. 614 et 615.* et s. Congregatio in *Calaritana Subsidiorum dotalium 5. Junii 1790.*

Quapropter, etsi pro capitulo militaret posterior centum fere annorum observantia, haec tamen, utpote ex actu voluntario et arbitrio profecta, nunquam coactivam posset secumferre qualitatem, *Vivian. de jurepatron. part. 2. lib. 6. numer. 37, Rota coram Crispo decis. 115. §. 36.* et coram *Lancetta dec. 741. n. 25 et 26.* eoque fortius, quia ejusmodi deliberatio anni 1751, cum nulla unquam fuerit apostolica roborata auctoritate, jam per se nullius momenti est reputanda: s. Congregatio in *Albinganen. Capellaniae 2. Martii 1830.*

Haec Canonicus Ciaranfi. At validioribus forsan argumentis jura sua tueri propugnat Laurentianum capitulum. Et primum rationem suam fundat in fundatricis intentione, quae fuit procul dubio instituendi canonicatum *ab extra* supranumerarium (nec aliter velle potuisset, nam in Laurentiana Basilica certus a saeculis existit Canonicorum numerus) quem poterat quidem a quibusdam generalibus eximere oneribus, uti et in aliis factum est in ipsa Basilica jam erectis, ast, ubi id non declaravit, onerum impositionem etiam ad instar aliorum numeratorum seu *ab intra* (quod in casu non excepto absolute jus exigit ac pluries decisit s. Rotae auditorium) potestati et arbitrio executorum reliquit, cum eis amplissimam concesserit facultatem per verba effrenatissima. Arguunt etiam ex onere missae quotidianae ab ipsa fundatrice imposito *residentialem* voluisse canonicatum et ad omnes choros uti caeteros adstrictum praesertim ex lege adjuncta redu-

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 4; 362. n. 5.*

cendi Sacra ad taxam Benedictinam si redditus oneri ferendo impares evaderent: quod certe non dixisset, insimul chorale servitium voluisset et proinde praebendam non tenuem Canonico assignare, ex ea ratione quod ad missas quotidianas scutata sufficerent sexaginta, dum contra bona, quae reliquit, majoris longe redditus erant capacia scutorum nimirum octuaginta quinque quotannis percipiendorum, praeter necessaria ad missarum satisfactionem, sicuti ex ducto post ejus obitum computo cognitum est.

Hoc idem inferendum pariter existimant ex declarationibus postea factis in reductione missarum potius quam servitii choralis. Et paulo quidem post erectionem, cum de evictione constiterit super fundo praebendae canonicalis, missarum celebrationis suspensio decreta fuit, non choralis servitii. Et idem factum est, cum anno 1815 ex rectoris negligentia fundus canonicalis admodum deterior repertus fuerit. Ac tandem in generali onerum reductione civitatis ac dioecesis Florentinae onera etiam canonicatus de quo quaestio reducta fuerunt, missarum scilicet firmo semper ac integro relicto chorali servitio.

Inferunt exinde ex latissima facultate executoribus tributa recte ac legitime fuisse ab illis fundatricis voluntatem declaratam per reservationem in actu fundationis emissam obstringendi servitio quotidiano erigendum canonicatum, ubi tamen redditus augerentur, cum non essent adhuc pergravi Canonicorum choralium oneri respondentes. Quod a jure executoribus concessum est ambiguam Testatoris declarare voluntatem, ut ait *Mantica de conject. ult. volunt. lib. 4. tit. 1. n. 21* et *Bald. in consult. 259. vol. 4*, eo magis id competit, ubi testator ipse eis auctoritatem detulit dubia interpretandi, *Rota dec. 265. §. 7. anni 1752* et magis magisque in casu id concedendum ajunt, ubi omnimodam a fundatrice facultatem sunt consecuti non tantum interpretandi, sed etiam *arbitrandi* ex quo eorum interpretationi standum omnino esse ait eadem *Rota in dec. 17. §. 4 et 6 anni 1819*. Quod majores indubie vires acquirit, ubi spectetur executorum declarationem episcopali auctoritate obfirmatam fuisse, cui de jure facultas est apponendi conditiones diversas ab iis a testatore volitis in limine fundationis, antequam nimirum illius voluntas executioni tradita sit, prout evenit in casu et maxime absit particulare tertii praejudicium et mutatio non circa substantialia, sed ea, quae sunt accidentialia, versetur ex dispositione s. Concilii Trid. in *sess. 22. cap. 6. de refor.*, *Tondut. quaest. benef. n. 11.* et punctim ad rem *Scarfant. in suis animad. ad lucubr. can. lib. 1. tit. 14. n. 36. ad 40.*

Quod si patroni qualitas, praeter illam executoris, in Francisco Fiori spectari velit, maximum jura sua robur nancisci prosequitur capitulum. Licet enim verum sit, quod de patrono ex adverso disseritur, non posse scilicet ab illo, nec de Episcopi consensu et auctoritate, onera fundationis immutari, sive augendo id fiat sive illa minuendo, hoc tamen procedi contendit capitulum eo tantum casu, quo de patronatu gentilitio et familiari agatur: minime vero ubi de patronatu haereditario res sit. Hoc enim casu, cum quilibet patronus instar primi fundatoris habeatur, haud prohibetur quominus novas beneficio patronali conditiones novaque onera *) in praejudicium suorum haeredum ac successorum possit adjicere ad textum in *Clem. Plures de jurepatron.*, *Card. de Luca eod. tit. disc. 60. n. 2*, *Piton. discept. eccl. 53. num. 20 et de controv. patron. alleg. 92. n. 6 et seqq. coram Molin.*, *dec. 563. n. 7* et s. Congreg. in una *Albintimilien Vacationum 19. Maji 1787*, quia cum nemini jus sit quaesitum in eo ex fundatoris vocatione (contra enim contingit in gentilitio) nemini per consequens praejudicium infertur. *Piton. loc. cit. alleg. 54. num. 21 et 23.* et *in alleg. 92. n. 6*; juspatronatus enim haereditarium intraductum dicitur in merum patronorum favorem. Quod etiam tenet *Card. de Luca de jurepatron. disc. 6. n. 22.* et idem *Piton. in cit. discept. 60. n. 20.* ac *Rota coram Ninott. dec. 25. num. 23*; de natura autem haereditaria jurispatronatus in casu minime est ambigendum.

Nec minimum turbantur Canonici ex objecto, quod erecto jam canonicatu juxta verba et mentem testatricis reservatio si in limine fundationis sit facta cum consensu Episcopi dioecesani servanda omnino est, *Vivian. de jurepatron. lib. 2. cap. 8. num. 9*, *de Luca lib. 12. part. 2. disc. 32. num. 10*, *Monacell. Form. leg. tit. 1. form. 1. num. 9.* et ad rem *Corrad. prax. benef. lib. 2. cap. 10. num. 150*, tunc enim conditiones in vim praedictae reservationis posterius appositae retrotrahuntur et censentur appositae in ipso

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 3; 362. n. 5.*

fundationis actu, *Lambertin. de jurepatron. lib. 1. part. 1. quaest. 9. art. 1. num. 71* et *Rota in Genuen. Capellaniae 15. Maji 1728 cor. Verospia* et penes *Durandum dec. 118. num. 6.* In qualibet vero hypothesi, ubi lex fundationis discordat in aliquo ab instrumento erectionis, non attendendam esse, clamant, dispositionem fundatoris sed solum Ordinarii erectionem juxta tradita a *Piton. de controv. patron. alleg. 37.*

Cumulum tandem hucusque de patroni facultate disputatis imponit ratio potissima, qua ex reservationis effectu non substantialia fundationis, sed mere accidentialia fuerint immutata: finis enim a fundatrice volitus integer mansit in casu. Si autem causa finalis integra servatur, non commutari sed potius interpretari voluntas testatoris censetur, ut respondit s. Congregatio *in Leodien. 21. Novembris 1772 §. Ad secundum dubium* et in *Ferrarien. Anniversar. 21. Februarii 1835. §: Quod si.**) Immo potiorem etiam effectum habuit voluntas ac finis fundatricis ex augmento divini cultus et suffragiorum pro ipsius animae requie: quando vero agitur de voluntatis mutatione in melius, nemo censetur praedictae mutationi resistere, *Rota apud Piton. in alleg. 50. n. 16. tom. 2. de controv. patron.*

Ex hactenus deductis exulat prosequitur capitulum jactata ex adverso apostolici necessitas beneplaciti. Quod si ejus etiam necessitas concedatur, minime deterius jus suum evadere posset. Misso enim casu, quod in manibus oppositoris Canonici deperiise potuerit hoc documentum (haec etenim sors aliis quoque tunc temporis contigit) sex annorum lapsu, quibus praefatus Canonicus chartas omnes suo canonicatui relativas apud se, inscio prorsus capitulo, retinuit: abunde pro se facere authumat praescriptionem de qua tum *Card. de Luca de benef. disc. 15. n. 14. et seqq. coram Otthobono*, *decis. 220. n. 22.* tum *Garcias de benef. part. 1. cap. 2. n. 13.* ita testantur: »*praescriptio inducitur per annos triginta vel quadraginta. Quo vero ad beneplacitum apostolicum praesumptum ex lapsu triginta annorum non sufficit solus lapsus temporis, sed praecise necessaria est observantia continua, pacifica et univoca,*« quam non triginta vel quadraginta tantum annorum sed nonaginta duorum pro se jactat capitulum, quibus tum ab hodierno oppositore tum ab illius decessoribus erectionis actus anni 1751 uti legitimus et authenticus servatus est. Et cum agatur in themate de pactis et conventionibus inter ecclesiasticos celebratis, speciale est illa substineri et afficere successores, quantumvis nec a Superiore nec a Sede apostolica essent roborata. *Scarfantonius Dec. Rot. dec. 9. num. 10. et seqq.*, *Galles. ad bullam Urbani VIII. n. 304*, *de Luca lib. 14. par. 2. disc. 30. n. 17. et seqq.*

Quatenus autem EE. VV. causam favore Canonici Ciaranfi definire judicaverint, perpendere insimul dignentur, utrum justa sit reputanda capituli protestatio quoad repetitionem tum indemnitatis a regio gubernio annuatim exingendae tum expensarum in melioramentis fundorum canonicatus arrogatarum; aequum enim videtur in pristinum res restitui, quando impositam conditionem pars obligata adimplere recusat; ex altero etiam juris principio quod nemo locupletari debeat cum alterius jactura et qui commodum sentit onus etiam sentire debet ex notissima regula juris.

Quibus perjactis EE. VV. ea qua pollent sapientia dirimere dignabuntur

Dubia:

I. *An et quomodo constet de natura canonicatus, ut vocant* »ab intra« *ita ut substinendum sit instrumentum anni 1751?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit annuendum precibus capituli super indemnitate a regio gubernio annuatim percipienda et refectione expensarum pro melioramentis praebendae canonicalis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus.

Ad II: Provisum in primo.

Die 23. Novb. 1844.

Praebendas diaconales et subdiaconales in Cathedrali (Aesina) non potuisse mutari in presbyterales sine auctoritate Sedis apostol. S. R. C. Die 11. Nov. 1641.

IV. In poenitentiariam in Collegiata non concessa.

Asculana.

In relatione status Asculanae ecclesiae 1822 illud inter caetera animadversum fuerat

*) Vd. *t. I. p. 548.*

ab Episcopo: »In Collegiata Ophydae . . . . Poenitentiarii vices exerit unus de Capitulo, donec dicta praebenda constituatur.« S. autem Ordo quum sedulo hodierno Praesuli approbationem ipsius relationis significaret sub anno 1837. expresse perpendit: »Quamvis autem in ss. canonum praescripto non sit, ut collegiatarum ecclesiarum capitulis paeter Theologum Poenitentiarius quoque Canonicus accenseatnr, cum tamen Amplitudinis tuae decessor sibi proposuisse visus fuerit ejusmodi praebendam in Collegiata Ophydensi instituere, rem profecto utilem illi populo facies, si quod pientissimus vir molitus fuerat ipse ad exitum perducas. Sin vero peculiaris praebenda in id queat assignari, tu profecto curabis, ut quae prior praebenda vacaverit eadem in poenitentialem erigatur.

His monitionibus ut pareret, in poenitentiariam erigi postulavit idem Episcopus sub anno 1842 praebendam quandam liberae collationis, quae a biennio vacaverat: at adversos omnino expertus est Ophydanos Capitulares, qui huic erectioni propter choralis servitii jacturam assentiri non posse sunt coram s. V. Ordine contestati. Juvat deducta hinc inde rationum momenta deliberare tum a capitulo scilicet tum ab Episcopo, qui ceteroquin suis in literis fatetur: Erit EE. VV. praescribere quid sanciendum; quod ad me attinet satis superque est animum EE. VV. desideriis obtemperantem demonstrasse.

Pacificum sane in jure est theologalem praebendam debere praescriptive erigi in quavis insigni Collegiata, at poenitentiariae erectionem de praecepto exigi in ecclesiis cathedralibus, ad literam Tridentini *sess. 24. cap. 8. de ref.* et ut in relato superius responso clare innuit idem s. Ordo. Exinde vero non prohiberi eandem erectionem planum est ratione duce inferre, ac ubi populi commodum et loci conditio reposcat, perutilem quandoque et laudabilem evasuram fore nemo unus inficiabitur.

Jam vero hujusmodi utilitatem in casu intercedere negat omnino Ophydanum capitulum contenditque contra poenitentiariam ex una parte superfluam: ex altera chorali officiaturae exitiosam. Capitularium numerus inquit juxta leges novae erectionis a s. m. Leone XII. post veteres clades confectae duodecim individuis continetur, comprehensa vacanti praebenda; ex his tres perraro ad chorum accedunt, quippe animarum cura ex lege erectionis distenti; alter theologus dum legit diebus festis chorali eximitur servitio.*) Praeter hos duodecim et alii quidem tres adsunt Canonici peculiaris jurispatronatus quos supernumerarios vocant, at ex his prior lege fundatoris explicare tenetur per singulos festos dies evangelium et fidelium confessiones excipere atque ita a chorali penso dispensatur, quinimo hodiernus hujus praebendae possessor exemptionem pro diebus etiam ferialibus assecutus est superiori beneplacito: alter quadragenariam jam enumerat chori praesentiam et in eo est ut jubilatione donetur. Quare ex Canonicis de communi massa vix quatuor, ex supranumerariis vix unus essent, qui certo tenentur chorali servitio. Quod si inter eos unus vel alter paulisper deficeret sive ex infirmitate sive ex jure vacationum praesertim labentibus aestivis quatuor mensibus, quibus capitulum fruitur alternativa, jam nemo non videt quam exiguus, quam miser et divino cultui minus decens psallentium et altari inservientium numerus sit permansurus.

Eccur igitur ex novo individuo ita parvus numerus decurtabitur scilicet poenitentiario, qui privilegio gaudet exemptionis? Confessariorum copia haud deest sive in collegiata ipsa ecclesia sive multominus in civitate. Praeter parochos praefatos et Canonicum peculiaris fundationis qui quotidie praesto sunt confitentibus alii quatuor adsunt Capitulares, qui quotidie extra chorales horas confessiones excipiunt. In civitate vero multi sunt sive in sanctuario insigni PP. Eremitarum s. Augustini sive apud Fratres minores observantiae sive apud Capulatos qui eidem officio quotidie satisfaciunt, necnon tres alii parochi in tribus distinctis paroecialibus ecclesiis praeter alios multos presbyteros saeculares ad id muneris approbatos. Nil magis desiderari potest in civitate, quae ad quatuor pene millia incolarum capita assurgit. Exploratum porro in jure est canonicatus principaliter ad divinas laudes concinendas et altari inserviendum institui.**) *Trid. sess. 24 cap. 12. de ref.* Addit denique Tridentinam synodum in *cit. sess. 14. cap. 8.* sicuti onus ita corrispective et privativum jus ecclesiis cathedralibus super ejusmodi erectione facile tribuisse, quod dedecet pessumdare.

*) Vd. *p. 199. g.*
**) Vd. *p. 156. III.*

Nihilominus haud desunt rationes quae contrariam responsionem suadeant. Quoad chori servitium primo perpendere est praeter numeratos Canonicos adesse etiam eidem addictos et quinque mansionarios, qui una cum Canonicis divinam absolvunt psalmodiam et ad altare valent inservire. Multorum vero quorum adeo jactatur defectus non quidem perpetuus est sed pro peculiaribus hodiernis circumstantiis omnino precarius: atque non decet in perpetua, quae proponitur, institutione defectum hujusmodi in pretio haberi. In splendidioribus sane civitatibus haud dedecere experientia docet, ut is praesto sit choro praesentium numerus, quo Ophydana gaudet Collegiata; nec ita latum est exemptionis privilegium, quo fruitur Canonicus Poenitentiarius, ut quotidie ac perpetuo abesset necessario:*) atque adeo ut a choro inservientium albo veluti deleatur prout pro certo ponit capituli ratiocinatio.

Aliunde confessariorum copia etsi vere non desit Ophydae haud tamen talis esse videtur, qualis a capitulo praedicatur, etenim ait in sua relatione Episcopus: »Nullus adest confessarius, qui chorali officiaturae minime obstrictus ad excipiendas christifidelium confessiones in collegiata ecclesia sit deputatus. In ecclesiis Regularium eremitarum s. Augustini, minorum s. Francisci de observantia, minorum Capulatorum extra civitatis moenia quandoque septem ad summum vero decem approbati confessarii reperiuntur: in clero saeculari exceptis choro addictis quatuor nunc extant approbati confessarii, parochus s. Petri senio jam pene confectus, rector hospitalis infirmorum et duo simplices sacerdotes . . . . . , caeteroquin collegialis ecclesia b. Mariae Virgini in coelum assumptae dicata amplitudine, structura et ornatu caeteris praecellit, quasi in centro civitatis, in fronte majoris plateae, in qua omnes conveniunt, posita atque etiam parochialis religionis cultu piisque functionibus primatum tenet: hinc de frequentia populi ne dubium quidem.«

Subinde aliud sane est confessarios adesse, qui propria voluntate absque ullo obligationis vinculo praebere se valeant fidelium confessionibus excipiendis, aliud est, ut alter adsit ad id ex proprii officii obligatione devinctus, qui singulis horis incolarum commodo paratus esse teneatur.

*) Vd. *p. 197. e.*

Sane decet in civitate, quae quatuor mille capitibus coalescat, confessarius adsit omnino stabilis et extraordinariis auctus facultatibus qualem par est esse Canonicum Poenitentiarium.

Demum ab ipsa s. m. Leonis XII. ipsius Collegiatae instauratoris mente haud absonum esse controversam erectionem perpendit Episcopus: »Si mens ait ille Leonis XII. s. m. in repristinatione Collegiatae attendatur, qui in suis apostolicis literis in tres paroecias unam divisit, ut quatuor de capitulo semper et actualiter approbati essent ad excipiendas fidelium confessiones, qui statuit, ut saltem quatuor de capitulo quotannis praedicationi verbi Dei et sacris exercitiis tam in civitate quam in dioecesi tradendis incumberent, luce clarius apparet Pontifici non tam chorale servitium quam spirituale populi utilitatem cordi fuisse. Si ergo quatuor confessariis et quatuor verbi Dei praeconibus, qui ex institutione etiam nunc desiderantur, per institutionem praebendae poenitentiariae suppleatur, nullum capitulo infertur praejudicium et voluntas Pontificis aliquo modo implebitur.

Dubium:

An et quomodo vacans praebenda sit erigenda in poenitentiariam in casu?

S. C. resp.:
Ex noviter deductis non expedire.
Die 25. Jan. 1845.

14) Nominatio.

a) Civium.

Vd. p. 86. I; p. 90. II; *Canonicatus* (qualit. requis. ex fund. — qualitas originaria; juspatronat. passivum etc. p. 249.)

b) Suspensio concessa.

I. In commodum pauperum clericorum.

Vd. t. II. p. 708. u; 712. VI. *a.*

Ariminen.

Ubi primum canonicalis praebenda sub titulo ss. Crucifixi (olim simplex mansionaria) in cathedrali ecclesia Ariminensi vacavit, quod contigit exeunte anno 1850, Jacobus Tacchi supplex apud s. hunc Ordinem adfuit ut dispensationis ope ea decenni filio suo Angelo Petro conferretur, utpote qui per foeminam a familia Draghi descendens

passiva ac praelativa vocatione ex fundationis lege pollebat. Hanc quippe edixit legem fundator Joannes Baptista Mediolani in codicillaribus tabulis diei 16. Februarii 1726. Et praevidens casum quo quis ex hujusmodi praedilectis inhabilis ob aetatem reperiretur, voluit ut per alium injuncta onera adimplerentur.

Preces ablegatae sunt de more Episcopo, ut auditis compatronis ad rem scitu oportuna referret. Jam vero ex geminatis literis ac monumentis ab eodem acceptis universam rei rationem desumere juvat. De familiis passive vocatis tradit Episcopus tres modo superesse praeter familiam oratoris, in quibus tamen nullus habetur clericus nec ullus inter eas videtur jus super canonicatu proferre. Quoad patronos activos sciendum est quinque fuisse a fundatore indigitatos videlicet praepositum pro tempore capituli cathedralis, Priores conventuum s. Augustini et servorum B. M. V., parochum s. Gregorii et custodem publici tabularii Ariminensis civitatis. Ast suppressis conventibus praedictis necnon parochia s. Gregorii, cujus plebs et pars reddituum unita fuere paroeciae s. Joannis Evangelistae, juspatronatus certo certius coercetur in memoratis praeposito et custode publici tabularii. Non ita vero planum ac pacificum est quoad parochum s. Joannis Evangelistae de quo opportune ideo instituenda disquisitio, ut futuris evenientibus casibus prospiciatur.

Siquidem capitulum ecclesiae cathedralis haud admittit in eo jus praesentandi, tum quia existimat pene extinctam paroeciam s. Gregorii, cujus rector ex fundatoris voluntate patronatum obtinebat, tum quia parochus s. Jo. Evangelistae non successit coenobio patrum s. Augustini sed hujus possidet dumtaxat ecclesiam in qua animarum exercet curam.

Praepositus autem admittit ecclesiam s. Gregorii a pluribus annis non extare. Parochum vero s. Joannis curam assumpsisse animarum parociae s. Gregorii ac domum parochialem et canones emphyteuticos ejusdem curae s. Gregorii possidere: fatetur tamen sibi compertum non esse an paroecia s. Gregorii habenda sit necne extincta vel unita parochiali ecclesiae s. Jo. Evangelistae ex quo pendet ut ipse praepositus existimat dubii solutio, num parocho s. Joannis competat patronalis quota quam parocho s. Gregorii fundator tribuerat. Custos dein publici archivii, licet necessarias inquisitiones et ipse instituerit, anceps tamen manet, utrum juspatronatus reipsa migraverit ad parochum s. Joannis.

Parochus demum iste contendit juspatronatus ipsi competere tum ex eo quod edictum Episcopi Ridolfi anni 1809. plures paroecias Ariminensis civitatis invicem univit tum quia paroecia s. Gregorii cum nonnullis aliis aggregata fuit paroeciae s. Joannis Evangelistae tum etiam quia iste parochus habet sub se animas singulas paroeciae s. Gregorii jam addictas et gaudet canonibus emphyteuticis ad hanc antea spectantibus, quos inter jura honorifica adnumerari existimat, quemadmodum et juspatronatus. Addit insuper, quod occasione renunciationis canonicatus, de quo sermo est, factae a Canonico Ulisse Zavagli de anno 1845, ipse nominavit ad praefatam praebendam sacerdotem Archangeli.

Alteram praeterea supradictus parochus videtur praetendere super eodem jurepatronatus vocem, illam nempe quae ex fundatione ad Priorem s. Augustini pertinebat in cujus ecclesiam translata fuit paroecia s. Jo. Ev. cum animarum cura, quae inibi a PP. Augustinianis exercebatur et toto coenobio eorumdem PP. a Rev. Can. Ab. eidem parocho non multis abhinc annis concesso.

Quid inde in hoc opinionum conflictu sentiat Episcopus juvat accipere: »Inprimis (ita ille) diminutio parochiarum hujusce civitatis ac nova relictarum circumscriptio evenit anno 1806 non vi bullae apostolicae sed per epistolam Emi Cardinalis Di Pietro consulto SSmo. Porro vi dictae epistolae etiam parochialis ecclesia s. Gregorii a Vicario capitulari hujusce dioecesis delegato apostolico mutationem est passa quemadmodum ex mandato dicti Vicarii liquet. At vero perpensis epistola et mandatis praedictis constat Vicario capitulari potestatem factam esse supprimendi paroecias opportuniores, ad effectum illas vicinioribus uniendi absque curae animarum detrimento; qua potestate usus est Vicarius capitularis ad minorem numerum paroecias reducendo ita tamen ut parocho electo spiritualis jurisdictio attributa fuerit et parochialium suppressarum rectoribus tamquam coadjutoribus demandata tantum cooperatio in ecclesiasticis ministeriis.

Quoad vero in epistola Emi Di Pietro

jussum ulterius, videlicet parochos suppressos debere frui ad vitam redditibus praebendarum ut antea et post illorum mortem redditus cum oneribus devolvi ad parochum, cui parochialium suppressarum cura unita fuisset, id exequutioni demandatum fuit a Vicario capitulari pro prima tantum parte; pro altera vero post mortem parochorum suppressorum provisum est aliter, obtentis dein a Sede apostolica specialibus facultatibus.

Et haec quidem gesta sunt signanter etiam quoad parochum s. Gregorii, qui coadjutor factus est parochi ss. Joan. Evan. et Rochi. Unde paroecia s. Gregorii videtur omnio suppressa et unita unione tantum imperfecta alteri paroeciae ss. Joan. Evang. et Rochi. Ex omnimoda autem unione derivantur jura omnia in paroeciam cui facta est unio. De anno tandem 1808. attentis mandatis rursum editis a moderatore italici regni atque a ministro cultus datis instructionibus paroeciae hujus civitatis per Episcopum Gualfardum Ridolfi ordinaria agentem potestate novam subiere mutationem ac circumscriptionem quas videre est in edicto diei 29. Decembris 1808. Ast cum per hoc nil innovatum reperiatur relate ad paroeciam s. Joan. Evan. quoad parochialem s. Gregorii jam ipsi unitam, ideo mihi videtur alteram hanc Episcopi Ridolfi dispositionem ad praesentem casum nil vel minimum ferre.

Rebus sic stantibus non auderem tribuere parocho s. Joan. Evangelistae jus praesentandi ad canonicatum Mediolani Draghi loco parochi s. Gregorii, tum quia huic ille non successit in bonis omnibus paroeciae s. Gregorii, sed in spirituali tantum jurisdictione, in aliquibus dumtaxat bonis et juribus ejus, nec constat quod in parochum s. Joan. Evang. translata sint jura omnia parocho s. Gregorii propria. Multo minus successor conventus PP. s. Augustini dici potest parochus s. Joannis Evang. et maxime quoad jus praesentandi ad beneficia; cum jus istud inter incorporalia jura adnumeretur quae rebus immobilibus accensetur et alteri pervenire nequeunt sine ordinariis solemnitatibus ut legitur in tit. de reb. eccles. non alien. Nec parochus s. Joan. jus hujusmodi unquam legitime exercuit. Siquidem occasione tantum renunciationis canonicatus praedicti ab Ulisse Zavagli favore Salvatoris Arcangeli factae parochus s. Joan. Evang. ne forte obstaret renunciationi de assensu suo privatim requisitus fuit; unde in possessione juris praefati dici nequit.

Existimarem potius ad Ordinarium Ariminensem translatum esse jus parochi s. Gregorii, quia Episcopus ut caput dioecesis repraesentat parochos omnes ditionis suae ideoque in juribus eorum, illis cessantibus, succedit, prout docet *Pitonius* in consimili casu *alleg. 14. n. 1. et 2. de contr. patr.*«

Haec quoad controversum jus nominandi. Quoad alteram vero controversiam super dispensatione a puero Tacchi expedita adnotandum est, capitulum rite coactum per secreta suffragia declarasse in postulante nullum pro canonicatu obtinendo requisitum adesse cum nec tonsura sit initiatus nec aetatem habeat sufficientem ad se mancipandum ecclesiae servitio nec ad scientias addiscendas aptitudinem praeseferat ob tenellam aetatem. Adjungit raro utilitatem, saepe saepius ecclesiae damnum provenire ex collatione canonicatus pueris ejusmodi aetatis *)

Patroni autem in diversas abeunt sententias. Praepositus abnuit praesentare puerum Tacchi ad canonicatum et pronus est juri suo hac vice renunciare potius quam illud erga puerum exercere: quum non sit probabilis spes illum ecclesiae utilem futurum.

Custos publici tabularii urget rationem habendam de descendentibus proximioribus fundatori, praescindendo a petitione Jacobi Tacchi. Parochus vero s. Joannis Ev. sub conditione rogatus declarat sese remittere sacri hujus Ordinis judicio quoad ejusdem Tacchi instantiam, quam tamen fundationi consonam existimat.

Episcopus autem ita animum suum pandit:

»*Experientia me docuit, pueros vel juvenes ad canonicatus electos perraro ecclesiae utilitati proficere; imo vero ut plurimum nec studiis sedulam dare operam nec pietati, qua decet, se devovere, unde vel inutiles vel noxii ecclesiae evadunt. Hinc in casu praesenti putarem non assentiri petitioni Jacobi Tacchi nec filium ejus esse dispensandum ab aetate canonica ut praebendam consequi valeat.*

Nisi vero canonicatus Mediolani esset pensione annua scutatorum triginta affectus, quae post triennium cessat, existimarem potius pensionem aliquam posse super canonicatu praefato imponi favore Petri Jacobi ad tempus imminuto etiam missarum onere rectori canonicatus.

*) Vd. *t. II. p. 433. kk.*

Post haec pauca in jure adnotanda occurrunt super utraque controversia. Quoad juspatronatus quod sibi vindicare adlaborabat parochus s. Joannis Ev. prae oculis habendum, illud ejus indolis haud videri, quod reale audit, nimirum adhaerens rei qua cum ad quemcumque possessorem transit, sed potius mere *personale* existimandum, utpote collatum in parochum s. Gregorii pro tempore et idem dicas de Priore coenobii s. Augustini, quod proinde perimitur extinctione ejus qui dicto jure fruebatur, nisi tamen doceatur de plena ac perfecta subrogatione alterius in locum extincti. Porro, dum mandato apostolico praecipiebatur Vicario capitulari ut procederet »*ad una nuova riquadratura e sistemazione di parochie*,« id expleri etiam adjiciebatur ope *suppressionis* nonnullarum, quae minus utiles, dignoscuntur, parochiarum, quin ulla quoad jura subrogatio favore novorum parochorum intercesserit.

Bona autem inter superstites paroecias proportionabiliter dispertita non veluti parochialia, sed per praeventivam suppressionem tamquam libera effecta adjecta sunt. Hinc si opportunius applicentur jura quae obtinent quoad subjectivas uniones, quae adamussim per suppressionem fieri dicuntur, apparebit meliorem haud fieri conditionem parochi s. Joannis Evangelistae, traditum cum sit inter subjectivae unionis effectus praecipuum illum esse quod ecclesia sic unita suam primaevam naturam cum singulis praerogativis penitus amittat, ut post *text. in cap.*: *Recolentes de statu monac.* tradunt *Gonzal. ad reg. 8. cancell.**) *gloss. 5. §. 7. num. 28*, *Rigant. ad eamd. reg. §. 2. num. 102*, *Card. de Luca de regul. disc. 14. num. 5 et de praeemin. disc. 29. num. 9.* et secumfert extinctionem tituli, essentiae et qualitatis rei quae hujusmodi unioni subjicitur, *Corrad. prax. benef. lib. 1. cap. 6. n. 263*, *Rota cor. Crescentio in Colonien. Decimar. 29. Aprilis 1733. §: Maxime* et in *Sedunen. Unionis 4. Martii 1757. §. 2. in fin. cor. Bonello*, adeo ut merito ejusmodi unio morti quae omnia solvit aequiparetur a *Leurenio for. benef. par. 3. sect. 2. cap. 1. quaest. 883. num. 2.* Si itaque parocho s. Gregorii juspatronatus collatum fuerat intuitu parochialis praerogativae, si una cum suppressa paroecia parochus etiam omnino desiit esse, quidquid sit de bonis ac plebe suppressae paroeciae vel coenobii adjectis parocho s. Joan. Evang. non est cur dici queat jus nominandi quoque ad ipsum migrasse, nequicquam ipsi proficiente nominatione, quae dicitur ab eodem peracta anno 1845. Quomodocumque enim ea evenerit, sub respectu tamen ultimi status vel quasi possessionis contemnenda videtur in themate, quo quaeritur de pertinentia seu proprietate juris nominandi.

Sed utrum jus idem devolutum fuerit Episcopo est etiam ambigendum; haud enim facile acquiescerem rationi ob quam de hoc ipse sibi pro affirmativa suadet. Potius valida negandi ratio in eo videtur esse, quod juspatronatus suapte natura est individuum adeoque totum competit in solidum singulis patronis, neglecta divisione portionum seu vocum, quae respiciunt solum ejusdem juris exercitium, *Card. de Luca de jurepatr. discurs. 19. num. 18.*

Allegata autem *Pitonii* auctoritas parum ad rem facere videtur, quum ibidem quaestio esset de re longe diversa, nimirum de tribus capellaniis invicem *aeque principaliter unitis*, quae ad distinctas familias spectant; unum tamen omnes capellanum nominabant. Cum inde contigisset earum alteram extingui et ultimus ex ea superstes reliquisset haeredem propriam animam, pro sua succedere dicitur Episcopus qua generalis exequutor operum piorum, haud quidem mirandum si citatus auctor concluderet, pro tertia parte jus praesentandi ad Ordinarium spectare. Haec de prima quaestione.

Pauca nunc de dispensatione, cui quidem refragari videntur Episcopi ac capituli animadversiones, quae serio sunt perpendendae. Non est tamen praetereundum agi de passive ac praelative a fundatore vocatis qui ne patronorum quidem indigeret praesentatione, ceu notum in jure est. Quando autem favore sit prosequendum hujusmodi personarum genus, licet etiam agatur de canonicatu ecclesiae cathedralis, docent praxis et exempla s. Ordinis. Memoratu tamen digna nuperrima *Pergulana**) *Nominat. et dispensat. die 20. Decembris 1851*, ubi proposito II. dubio:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione aetatis seu potius suspensione nominationis et administratione canonicatus in casu etc.?

*) Vd. *t. II. p. 820.*

*) Vd. *p. 267.*

responsum a Vobis fuit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, ita tamen ut deputato ecclesiastico administratore et adimpletis omnibus oneribus superextantes redditus erogentur in ecclesiasticam pueri in seminario alendi educationem, usque dum ad aetatem annorum 21 pervenerit, facto verbo cum Sanctissimo* Episcopo ac capitulo incassum contradicentibus.

Illud insuper in themate calculum addere videtur quod nimirum fundator, dum erexit mansionariam, quae inter alia idem chori pensum praeseferebat, suos tamen praedilectos habiles fecit, ut per alium onera beneficio inhaerentia adimplere possent, adeo ut praesumpta saltem fundatoris voluntas gratiae potius opitulari videatur. Accedit rem esse de puero*) qui ceteroquin velut optimae spei a Ludimagistri et parochi amplissimo testimonio commendatur.

Verumtamen cum inficiandum non sit chorali servitio detrimentum obvenire ex dispensatione favore pueri, qui ineptus omnino per plures annos haberetur ad munera sibi incumbentia adimplenda, pensent Emi Patres, num medium potius tenendum expediat quod insinuat Episcopus, assignandi nimirum oratori annuam pensionem super canonicatus redditibus, praevia quoque onerum missarum reductione. Qua super re sciendum est redditus ex bonis coacervatis tam ex fundatione quam ex liberalitate Cajetani Draghi illius possessoris occasione qua anno 1823. a Pontifice summo idem ipse imploravit mansionariam ad gradum canonicatus evehi biscentum annua scutata excedere, onera autem praeter chorale servitium missas quatuor singulis hebdomadis celebrandas recenseri, quibus binae aliae quovis mense accesserunt ex dispositione memorati Cajetani Draghi.

Dantur itaque enodanda

Dubia:

I. *An parocho s. Joannis Ev. competat jus nominandi ad canonicatum Mediolani seu idem jus devolutum sit favore Episcopi in casu?*

II. *An et quomodo sit annuendum precibus Jacobi Tacchi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus.

*) Vd. *t. I. p. 283. V*; *t. II. p. 433. kk.*

Ad II: Consulendum SSmo pro suspensione nominationis et administratione canonicatus ad effectum, ut deputato ecclesiastico administratore et adimpletis omnibus oneribus superextantes redditus erogentur in ecclesiasticam pueri in seminario alendi educationem usque dum ad aetatem annorum 21 pervenerit.

Die 13. Mart. 1852.

Pergulana.

Supremo quo decesserunt voluntatis elogio conjuges Bartholomaeus Droghini et Martha Giorgi Pergulenses anno 1808 capellaniam fundarunt in ecclesia PP. Augustinianorum ejusdem civitatis, quam primo collatam voluerunt in sacerdotem Vincentium Besse.

Jus activae nominationis ad municipium Pergulanum detulerunt.

Anno 1808 s. m. Pius VII. per literas apostolicas ecclesiam Pergulanam ad Cathedrae honorem evehens capellaniam etiam Droghini nuncupatam in canonicalem praebendam convertit. Jamvero die 20. Novembris 1849. quum defuncto Canonico Agapito Ugolini de fundatoris familia vacasset praebenda Droghini municipes Septemviri, postquam per programmata omnes interesse habentes monuissent, tandem in conventu diei 22. Februarii 1830 ex concurrentibus in Canonicum elegerunt Joannem Antonium Bedini qua descendentem ex Victoria Ugolini, puerum duodennem neque adhuc clericali militiae etsi habitum deferat adscriptum.

Ast ubi Episcopo ac capitulo hujusmodi electio innotuit unanimiter eam pluribus de causis reprobantes municipio significarunt, ut posthabita electione Bedini ad aliam procederent. Renuerunt municipes et dum electionis justitiam apud Antistitem sustinerent simul ad s. hunc Ordinem convolarunt supplici quaerentes libello.

Eodem ferme tempore adstitit etiam Antonius Bedini dispensationem ab aetate, quatenus ea sibi opus esset, expostulans, inter caetera allegans suam descendentiam a fundatore, vocationem ad statum ecclesiasticum et summam paupertatem. Episcopus de more super omnibus rogatus, factorum serie ut supra narrata, significavit, patronos municipes in sua perstare sententia circa legitimitatem electionis pueri Bedini eosque dispensationem, qua dignum dicunt electum quatenus

foret necessaria exoptare addidit. Suum inde et capituli animum ita declarat: *Nominatio consilii Pergulensis irrita*

1. ex defectu aetatis;) electus enim annum duodecimum p. m. attingit;*

2. ex defectu gradus etiam clericalis, quia nec initiatus clericali tonsura;

3. ex defectu scientiae, ex officina enim lignaria avulsus vix prima literarum limina salutavit;

4. ex defectu earum conditionum, quae nedum ex capellano, sed modo in Canonico requiruntur, cum capellania in praebendam canonicalem erecta sit. Alii duo juvenes Bedinio coaevi ejusdem conditionis iisdemque defectibus notati interesse habent in praebenda quos tamen magistratus posthabuit Antonio prae ceteris electo. Adnotat tandem, redditus annuos praebendae detractis omnibus oneribus non excedere summam scutatorum quadraginta.

In id itaque potissimum incumbunt municipes, ut statuatur ab amplissimo Ordine nihil de primaeva fundationis indole fuisse immutatum per erectionem capellaniae in canonicatum: proinde juxta eam legem satis esse, si deficientibus sacerdotibus vel clericis ex fundatore descendentibus, quivis inter eos eligatur, etsi in ecclesiastica palestra sit tantum initiatus. Supponunt nimirum sacerdotii vel clericatus legem a fundatore indictam ad extraneos potius quam ad descendentes eligendos referri, adeo ut dispensatione in themate haud opus sit.

Pergunt inde et ut dici possit Pontificem per novam canonicatus erectionem derogasse institutoris voluntati, requirunt, ut haec derogatio sit omnino clara et expressa, secus pro voluntatis observantia est semper respondendum, supremas enim testatorum voluntates servandas potius esse tum civiles tum canonicae leges conclamant. In casu autem tantum abesse, ut fuerit fundationi derogatum, ut contra Pius Pontifex apertissime declaravit sibi mullatenus juribus in fundatione statutis laedere in animo fuisse, dum saluberimam addidit clausulam »*salvo cujusvis generis patronatus jure*« quae uti per se patet utrumque complectitur juspatronatus.

Viderint EE. PP. num municipii argumentatio recte procedat etiam in sensu primaeva fundationis. Etenim destituta fundamento haud videtur contraria capituli intentio, quae in eo est, ut in eligendo ad capellaniam, etsi passive vocato, ex mente ac verbis fundatoris requiratur omnino sacerdotalis qualitas saltem habitu.*) Non enim praesumitur fundatorem neglexisse aut remisisse qualitatem sacerdotii vel clericatus secundo ordine vocatis, quam in primo vocatis ac sibi proximioribus adeo accurate requisivit. Hac profecto obtinente hypothesi liquido sequeretur Bedinium repellendum esse ex mente testatoris vel saltem dispensationis remedio juvandum, utpote sacerdotio et clericatu expertem.

Verumtamen supervacaneam voluntatis quaestionem existimat capitulum ipsum dum ex claro jure quid in casu sentiendum definitum est. Pro canonicatibus namque Cathedralium certa est regula quae aetatem viginti duo annorum requirit,**) nisi majores ordines praebendae sit annexi, ex canone Tridentino in *sess. 24. cap. 12. de refor.*, *Garz. de offic. benef. par. 7. cap. 4. n. 29*, *Barbos. de offic. et potest. Episc. par. 3. alleg. 60. et Canonic. et dignit. cap. 13. num. 9. et 10.* et s. Congreg. in *Nullius seu Interamnen 8. Augusti 1654. decr. lib. 19. pag. 382.* et *Grossetana Canonicatus 31. Maji 1704. decr. lib. 54.* Dum Pontifex capellaniam ad dignitatem praebendae canonicalis in Cathedrali erexit, certam est quod illius immutarit naturam, itaut ex ipsa rei intrinsecus acquisita qualitate supposita extiterit legi, cui subjiciuntur cujusque Cathedralis praebendae. Cumque ei legi expresse derogatum non fuerit, in dubio est credendum noluisse Pontificem derogare, quia utique ageretur de lege generali ac per totam ecclesiam recepta.

Ad hanc cum viderint conditionem evectam capellaniam patroni municipes minime contradixerunt neque alias conquesti sunt; hinc merito praesumendum cum eorum scientia etiam consensum. Fatue autem futurorum vocatorum defectum consensus obtineri in re quae a Pontificis voluntate dependet, cui sane ex potestatis plenitudine tanta est vis, ut omnes eo ipso suppleat solemnitates omnesque sanet defectus. Nec inde patronalibus juribus quidquam detri-

*) Vd. *t. I. p. 283. a.*

*) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*
**) Vd. *t. I. p. 279. n. 3. etc.*; *supra p. 48.*

menti illatum per novam qualitatem capellaniae inditam, quum ad canonicatum jus nominandi municipio aeque ac descendentibus ex familiis a testatore designatis illud assequendi integrum maneat. Caeterum si quid praejudicii passive vocatis illatum fuisset, illud cum majori praebendae dignitate ac honore satis abundeque compensatum videri poterit.

Porro ad amplectandam capituli sententiam posset etiam impellere exemplum identicum, quod est coram s. hoc Ordine in una *Balneoregien. diei 14. Januarii 1764;* ubi agebatur de binis praebendis in collegiali ecclesia ex testamento erectis *pro duobus presbyteris seu clericis* de certa familia descendentibus, in quos etiam *nominandi* et *praesentandi* jus collatum fuerat. Contigit Collegiatam in novam Cathedralem fuisse per apostolicas literas erectam; in quibus pariter quoad praebendas juripatronatus clausula adjiciebatur »*sine aliquo eorum praejudicio.*« Vacante altera ex dictis praebendis nominatus ad illam fuit clericus octodecim annorum, qui et ipse primaevae fundationis legi innixus, qua aetas 14 annorum tantum requirebatur, absque dispensationis ope urgendum putabat ad institutionem Episcopum renuentem. Quaesitum hinc primo loco fuit:

An clericus Hieronymus Victori indigeat dispensatione super defectu aetatis ad assequendam praebendam?

Et datum responsum: *Affirmative.*

Et ratio ita decidendi eadem fuisse videtur, quae a me superius allata est, nimirum eo ipso quo Pontifex capellaniam in canonicatum convertit eam suppositam voluisse legibus pro canonicatibus Cathedralis ex jure obtinentibus.

Quatenus sit idem ferendum in casu judicium, quod nimirum pro canonicatu Droghini aetas ad tramites Tridentinae legis vel dispensatio omnino requiratur, videndum superest, num eadem sit Bedinio elargienda. Pro affirmativa facit, quod praesentatus a familia passive vocata fundatori consanquinea descendit. S. Congr. *in Collen. Capellaniae 12. Decembris 1717*, pluraque de pueris concurrunt dispensationum exempla, ut in *Imolen. Beneficii 23. Maji 1722*, *Barchinonen. Dispensation. 30. Januarii 1740;* quod paupertate prematur nec alia ei sint media ad ecclesiasticam palestrem prosequendam.

Contra dispensationem vero facit expressa juris canonici dispositio quia de canonicatu agitur ecclesiae cathedralis, in qua monstrosum esset puerulum inter spectatos viros enumerare, ad text. *in cap. super inordinata 35. de praeb.* et sacr. Congr. *in Nullius Guastallae Canonicatus 31. Maji 1794.* §. *At*, quia ineptus ad munia canonicatui inhaerentia obeunda gratia in praejudicium divini cultus redundaret; maxime si de cathedrali res sit, quae exiguum Canonicorum numerum habeat. Haud obstant allatae resolutiones, utpote loquentes de capellaniis vel simplicibus beneficiis. De canonicatibus Cathedralis adsunt quidem dispensationis exempla etiam erga pueros ceu inter alia in *Balneoregien. Dispensat. 21. Junii 1760* et altera superius citata *Balneoregien. 14. Januarii 1764 ad 2. dub.* At forte peculiares in iis concurrebant causae vel aetas proxime canonica enunciabatur; et quod majus est postulantes commendabantur ab Episcopo quoad mores et studia. Hisce exulantibus adminiculis frequentius denegatam fuisse dispensationem testis est *Aretina Canonicatus 18. Martii 1775*, et etiamsi ageretur de puero nobili et paupere, qui nullum haberet contradictorem de familia vocata ut in cit. *Nullius Guastallae Canonicatus 31. Martii 1794.*

Post haec occurret fortasse animadversio, quod saltem administrationi subjici posset canonicatus, ut interim redditus erogarentur in ecclesiasticam pueri institutionem; sed deliberare velint EE. Vestrae, num administrari valeat canonicatus Cathedralis et vacans esse queat donec perveniat puer ad legitimam aetatem contra sententiam *Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. num. 12* et *Fargna eod. tract. par. 2. can. 27. cas. 6. num. 4.* Non desunt quidem exempla concessae suspensionis et administrationis beneficii favore pauperis pueri consanquinei ut in *Forolivien. Capellaniae 25. Junii 1791. ad 2. dub.* et in maximam sese erigunt spem municipes patroni fore ut idipsum decernatur favore pueri Bedini freti nuperrimo exemplo alterius pueri Marchionis Latoni, cujus favore canonicatus jurispatronatus in ipsa Cathedrali Pergulana suspensio et administratio per quadriennium ab apostolica Sede indulta est. Quidquid de hoc sit, meminisse tamen juvabit, s. Congregationem in cit. *Nullius Guastallen 31. Maji 1794.* ad dubium:

An sit locus dispensationi aetatis seu potius suspensioni nominationis et administrationi canonicatus in casu?

respondisse: *Negative in omnibus.*

His igitur perpensis rogantur Emi Patres, ut definiant

Dubia:

I. *An Joannes Antonius Bedini indigeat dispensatione super defectu aetatis, ita ut et quae aetas requiratur ad assequendum canonicatum Droghini nuncupat. in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione aetatis seu potius suspensione nominationis et administratione canonicatus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative,

Ad II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, ita tamen ut deputato ecclesiastico administratore et adimpletis omnibus oneribus superextantes redditus erogentur in ecclesiasticam pueri in seminario alendi educationem usque dum ad aetatem annorum 21 pervenerit facto verbo cum SSmo.

Die 20. Decb. 1861.

Spoletana.

Per literas apostolicas in forma brevis sub die 22. Nov. 1842 expeditas venia facta est Archiepiscopo Spoletano suspendendi per decennium nonnulla beneficia vacantia ac intra id temporis vacatura. Quae inter et canonicatus comprehensi sunt Collegiatae sitae in oppido Caesarum, quibus omnibus onus inest adjutricem operam in animarum cura Priori parocho suppeditandi. En ipsa Pontificis verba: Exhibita nobis expositio continebat, quod ea est in Spoletana dioecesi sacrorum ministrorum imminutio, ut parochialibus et aliis beneficiis, quibus praesertim sacerdotalis ordo curaque animarum adnexa reperitur rectoribus viduatis remanentibus non conferri valeant nec desunt illic juvenes, qui ecclesiasticae militiae cupiunt adscisci optimique in vinea Domini cultores evasuri dignoscuntur, sed eorum familiae impares sunt sustinendo impensis ad illos in archiepiscopali seminario alendos, imo plerumque evenit, ut adolescentes ipsis ab inchoatis studiis resilire cogantur. Cum autem ne ejusdem dioecesis conditio in animarum praecipue detrimentum pejor in dies efficiatur, praemissae deficientiae aliquid praesidii comparari debeat . . . . . : Nos igitur specialem gratiam facere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut exceptis canonicatibus jurispatronatus laicalis ac iis in collegiata ecclesia oppido di Montefalco nunc vacantibus et imposterum vacaturis necnon illis in altera collegiata ecclesia loco Caesarum vacantibus, dummodo inibi idonei existant sacerdotes, qui in cura animarum exercitio Priori parocho auxilium ferre queant, nonnullorum canonicatuum et beneficiorum residentiam sacrumque presbyteratus ordinem requirentium in aliis dictae dioecesis collegiatis ecclesiis actu vacantium collatio, provisio et quaevis alia de illis dispositio ad decennium ex nunc proximum tantum et non alias nec ultra suspensae remaneant, ac ubi primum similes ecclesiasticas praebendas presbyterales et residentiales in secundo dictis Collegiatis decennio ipso durante vacare contingat per idem tempus successoris nominatio differatur et interim adimpletis omnibus illorum non tamen residentiae muneribus residui redditus in subsidium addicantur clericorum ejusdem dioecesis, qui ad ministerium sacerdotale adspirant.

Porro cum in Collegiata oppidi Caesarum nonnulli canonicatus vacaverint, Archiepiscopus eorum provisionem suspendere nisus est, ut eorum redditus in pauperes clericos refunderet. Obsistere ,Canonici autumantes Collegiatam suam pontificii rescripti nexu exemptam fore, ac primum quidem transactionem cum Archiepiscopo intentarunt, subventiones aliquas variis modis polliciti, capituli totius sumptu praestandas, scilicet vel pensionem annuam scut. 36 pro totidem singulis clericis, quot sunt canonicatus vacantes, ita tamen ut hi teneantur sacris initiari ordinibus titulo ipsorum canonicatuum pensione pro rata cessante statim ac eorum quisque praebendam fuerit assequutus, vel scut. 36 annum in totum, quae tamen cessare deberent vix ac canonicatus vacantes fuerint omnes suo donati rectore, vel demum scut. annua 50 absolute per totum decennium persolvenda, etiam interim omnes canonicatus provisi fuerint idoneo possessore. Ast propositiones hujusmodi Archiepiscopus

rejecit. Quare ad s. hunc Ordinem rem detulerunt, deposcentes, ut oraculo Vestro res definiatur.

Obnituntur enim Canonici pontificio rescripto, quo patulis verbis Caesarum canonicatus a suspensione quavis eximuntur. Neque magis auguntur ex iis verbis, quae Pontifex subdit: dummodo inibi idonei existant sacerdotes, qui in curae animarum exercitio Priori parocho auxilium ferre queant. Arguunt siquidem haec verba et hujusmodi conditionem non cum praecedenti periodi parte conjungi debere, sed cum subsequenti atque adeo non ad exceptos canonicatus sed ad alias praebendas vacantes vel vacaturas aliis in collegiatis referri, quas postea niminit Pontifex quasque suspensioni subjicit. Scilicet naturali nequeunt ratione concipere, quomodo Pontifex simplices sacerdotes Priori parocho opem in animarum cura ferentes requirere potuerit in ea Collegiata, in qua canonicatus noluerit viduatos. Ex quo omnes existere debebant Canonici, frustra ea exercebatur conditio, frustra aliorum deposcebatur sacerdotum subsidium, cum Canonici ipsi una cum Priore parochiale munus obirent. Qua de re hujusmodi conditionem Collegiatis suspensioni subjectis omnino congruere sustinet Caesarum capitulum, quae cum suis forent orbandae Canonicis necessario in animarum cura per alios sacerdotes erant supplendae.

Quod si ad praecedentia conditio isthaec referri diceretur, itaut exceptio a suspensione locum sibi vindicet eo casu dumtaxat, quo Caesis idonei existant sacerdotes, qui in cura animarum exercitio Priori parocho auxilium ferre nequeant, eam tamen conditionem aprime verificari tenent in themate, quia adsunt Caesis presbyteri ad id oneris prorsus idonei, videlicet actuales Canonici Collegiatae ipsius quatuor numero, qui testibus septem ejusdem oppidi vel civibus vel incolis sunt sacerdotes idonei pro cura animarum.

Dato demum apostolicas literas de aliis intelligi debere presbyteris praeter actuales Canonicos, nempe de his qui vacantes praebendas consequi possent, sustinent adhuc conditionem et hoc sensu acceptam hodie adimpleri, quippe bini prostant Caesarum clerici, Petrus Lausi et Angelus Ribecca ad canonicatus assequendos probe aptissimi ut universum capitulum ipsum testatur.

Quod si actu idonei non reperiuntur ad curam animarum sustinendam, in ea tamen conditione sunt, ut ad id officii optimos evasuros fore spem vivam suppeditent, repraesentaturi interim in eodem munere a ceteris Canonicis ad idem capitulum pertinentibus.

Ceterum quavis in hypothesi instant, Principem sacratissimum noluisse sane Caesarum capitulum gravare ultra id, quod ipsius oppidi spiritualis necessitas postulasset, quum finis in actuali concessione intentus is fuerit, ut quodlibet oppidum suos aliquando haberet presbyteros pro spirituali incolarum commodo opportunos. Quare ubi tantum a capitulo praestetur, quantum sat est juvenibus in seminario excolendis, quot in oppido praesto sunt, jam pontificii brevis finem assequutos esse clamant probata aliqua ex praefatis positionibus super annua summa seminario suppeditanda quin absolute ad decennium canonicatus suspendantur cum extremi forsan detrimenti periculo.

Archipraesul at vero id unum urget sensum pontificii Brevis, quem Canonici nolunt intelligere, ut bene agant, hunc esse, ut suspendantur omnes canonicatus vacantes etiam Caesarum, facto pro his exceptione in casu tantum, quo adsint presbyteri idonei ad eos assequendos et curam animarum insimul exercendam e terra Caesarum. Scilicet scire est, jam ab initio controversiae concessioni favore seminarii obstitisse penes apostolicam Datariam, quum pontificium Breve expediendum erat, Caesarum capitulum in medium adducta passiva vocatione, qua fruebantur presbyteri ipsius oppidi erga hujusmodi canonicatus, ex tunc autem ne huic vocationi praejudicium inferatur adjecta est exceptio, qua de agitur, tamen arctata ad casum, quo revera passivum incolarum jus periclitaretur, »dummodo inibi in curae animarum exercitio Priori parocho auxilium ferre queant.« Et profecto hujusmodi genuinam rerum explicationem et ipsi contextui apprime convenire facile patet perlegenti.

Atqui presbyteri hujusmodi desunt omnino, tales namque frustra dicuntur bini clerici ex adverso laudati, quippe qui ipsis fatentibus Capitularibus (quamvis hoc dare judicium universum sit solius Ordinarii) apti nondum evasere ad curam animarum sustinendam. De actualibus vero canonicatibus pontificium Breve non est locutum sed de vacantibus dumtaxat, quorum suspensione

vocatis ad eos presbyteris praejudicium inferri potuisset.

Hisce praejactis cetera omnia in adversum adducta extra chorum canere perpendit Archiepiscopus ac in id congesta, ut quod ab uno tribunali consequi non potuerunt hodie ab altero consequantur. Nihilominus ad abundantiam animadvertit, falso omnino esse, quae desuper sibi Canonici effingunt. Falsum quod fertur de mente Pontificis ad solam utilitatem Caesarum cleri directa, dum potius contextus bullae universus de universa dioecesi loquitur, cui desunt ministri et curiones ad Christi gregem pascendum: adeoque falsa illatio, quam exinde Canonicis derivant, ut factae ab ipsis propositiones probentur. De his, quae in propriam potius quam dioecesis utilitatem in medium adduci videntur, ipsius Archiepiscopi juvat verba referre: »Post haec (ita ille) instant Canonici rem componere ea tamen ratione, qua nimis laederentur jura pauperum clericorum et in vim apostolici Brevis etiam universae dioecesis, signanter illorum oppidorum, quae magis sunt derelicta quaeque sacerdotem jamdiu desiderant. Vellent Canonici tenuem pecuniae summam praestare, quae longe abest a ratione reddituum canonicatuum vacatorum, ex quibus sane beneficiis pingues obveniunt proventus et pene majores hujus ecclesiae metropolitanae canonicatibus: vellent hujusmodi summam nimis circumscriptam assignari debere tantum adolescentibus Caesis commorantibus nulla habita ratione ad miserimam totius archidioecesis conditionem, vellent tamen clericos, qui hoc subsidio utuntur et vix praescriptam aetatem attingunt, ad s. ordines promoveri titulo hujusmodi canonicatuum et sic Archiepiscopum adstringi canonicatum illi conferre, qui fortasse ad curam animarum suscipiendam idoneus non reperietur. Videant Eminentiae VV. RR., an ipse satisfacere poteram Canonicis tuta conscientia: tamen eorum votis in aliquo annuissem. Nam praemissa redditione rationis proventuum, qui jam ex vacatis canonicatibus obvenerunt, transactio aequitati consentanea admitti potuisset. Accedit, quod tribus clericis loci a me tantum et non ab alio eligendis hoc subsidio profuissem ac insuper adveniente obitu alicujus Canonici illius ecclesiae necessitati occurrere sategissem.« Sed Canonici Archiepiscopi sui consiliis renuentes in eorum sententia persisterunt.

Deputati seminarii desuper hoc negotio rogati perpendunt rem, de qua agitur, non unius seminarii interesse debere, sed universae dioecesis. Proponitur dirimendum

Dubium:

An et quomodo sit locus suspensioni canonicatus Terrae Caesarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad formam literarum apostolicarum.

Die 7. Junii et 12. Julii 1845.

II. In commodum pauperum patronorum. *)

Firmana.

Ceteras inter canonicales praebendas, quibus constat collegiata ecclesia sub auspiciis ss. Apostolorum Petri et Pauli in oppido Montis Ulmi, ea recensetur, quae subest patronatui familiae Lanci quaeque praeter chorale servitum per alternas hebdomadas cum caeteris Canonicis perferendum onus habet adnexum unius missae singulis hebdomadis ex fundationis lege celebrandae. Hujus canonicatus redditus coalescunt tum ex quotidianis distributionibus, quae a communi mensa proficiscuntur, tum ex peculiari praebenda, cujus annuum valorem missarum publicorumque vectigalium subductis oneribus ne ad scuta quidem quadraginta pertingere indubium est. Cum obitu clerici Aloisii Lanci nuperime vacaverit canonicalis ejusmodi praebenda, ejus germana soror Magdalena annos sexaginta duos jam nata ac nobili quidem viro Dominico Alexandri nuptui tradita sed aerumnis confecta ac miseram ducens vitam supplex adiit hanc s. Congregationem ac enixis precibus postulat, ut suspensa canonicatus nominatione et collatione sibi donec vixerit tribuantur annui canonicalis tantum praebendae fructus, spondens se curaturam ut missae in expiationem animae fundatoris litandae religiose impleantur.

Oratricis precibus obsecundandum putat Emus Archiepiscopus de informatione et voto rogatus. Etenim scribit: »Et mandata exequens EE. VV. capitulum primo exquisivi, ut quid sentiret in medium proferret. Quamvis autem consultor sorte extractus momenta

*) Vd. *t. II. p. 917. II*; *p. 717. β.*

singula attulerit, quibus evincitur gratiae, de qua agitur, concessione vix ullum officiaturae praejudicium inferri, suffragiis tamen septem contrariis et quatuor tantum favorabilibus consultatio hujuscemodi excepta est. Illud tamen animadvertit in relatione sua Vicarius meus foraneus idemque Canonicus ejusdem Collegiatae, quae viginti octo choristas habet per turnum hebdomadarum inservientes, non eam fuisse capituli mentem oratricis petitioni obnitendi, sed supervacaneam, ut ipsi videbatur, momentorum illorum a consultore factam commemorationem reprobandi.

Porro integris remanentibus distributionibus inter inservientes de more dividendis parvum subsidium hujusmodi (nimirum annuos canonicalis praebendae redditus) oratrici, dum hac luce frui queat, apostolica liberalitate concedi posse arbitrarer

1. quia honesto ipsa loco nata et nobili viro vinculis matrimonii conjuncta adeo gravi in senescente aetate premitur rei familiaris angustia, ut vix habeat unde modicissimum victum ad sex menses sibi et conjugi suo, qui omni caret substantia, comparet;

2. quia familia oratricis simplex beneficium s. Rochi de jure suo patronatus laicalis, in quo canonicalis praebenda consistit, ultro contulit in Collegiatam s. Donati erigendam ad hoc ut in ipsa decimus haberi posset Canonicus, quo numerus aequalis obtineretur cum altera Collegiata paulo ante in eodem oppido sub summo Pontifice Clemente XIII. erecta titulo ss. Apostolorum Petri et Pauli, unde familia ipsa de capitulo utroque, quod motu proprio s. m. Pii VI. in unum evaluit, bene merita est;

3. quia nemo adest passive vocatus, cui apostolica concessio, de qua agitur, praejudicium possit affere.

Hisce de causis oratrici quae ultima superstes est familiae suae indulgeri, ut ajebam, posse ex charitate censerem juxta petita, eo vel magis quod de piissima agitur femina et ita magis aerumnis quam aetate confecta, ut nonnisi ad breve tempus, quantum humanis oculis prospicere datum est, apostolica eadem munificentia frui valeat.

Haec quidem rationum momenta tanti ponderis esse existimat oratrix, ut Emos Patres precibus a se oblatis suffragaturos plane confidat. Etenim sacris canonibus nihil antiquius, quam patronis eorumque filiis ad inopiam vergentibus ex bonis ecclesiae donatis succurrere, *Concil. Tolet. IV. can. 37. cap.: Nobis 25. de jurepatr.* Canonicae hujusmodi aequitati hanc sacram jugiter adhaesisse Congregationem plura testantur exempla; ad patronorum siquidem levandam inopiam modo onerum reductionem modo nominationis suspensionem concedendam censuit ut in *Sabinen Suspensionis nominationis 25. Junii 1803*, in *Sutrina Canonicatus 20. Junii 1829* et in *Hortana Canonicatus 20. Martii 1830*, quamvis ipsi non extrema, sed relativa tantummodo premerentur rei familiaris angustia ceu in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786* et in *Aquen. Capellaniae 3. Februarii 1787*. In themate oratrix nedum gaudet canonicatus patronatu sed aetate calamitatibusque affecta aerumnosam cum suo conjuge annorum quatuor et septuaginta agit vitam. Etenim perexiguo instruitur patrimonio, quod ad scutor. 281. 97. vim tantummodo pertingit: quumque illud aere alieno et vectigalibus gravari compertum sit, quidem oratrix laborat inopia ut vix habeat, unde *modicissimum victum ad sex menses*, quemadmodum refert Emus Archiepiscopus, sibi et conjugi quaerere possit. Hoc autem ipsum luculenter evincitur ex prolato plurium virorum testimonio, qui publico consilio addicti sunt quique unanimi consensione adjiciunt, oratricem ex adita Canonici Lanci fratris sui haereditate incommodum potius ob relicta nomina quam ullum commodum percepisse. Postremo adfirmat Emus Archiepiscopus, ex nominationis suspensione nullam juri alterius quaesito inferri jacturam, cum nemo existet, qui passivo fruatur patronatu.

Jam vero Emi Patres perpendere dignentur, utrum oratricis petitioni sit annuendum. Profecto diuturna canonicatus vacatio fundatoris voluntati et juris dispositioni adversatur, ut monet *Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. n. 2, sac. Congregr. in Collen. 30. Augusti 1778* et in *Camerinen. Suspensionis nominationis 12. Februarii 1803.* Praeterea haec s. Congregatio omni sollicitudine curare solet, ut nomen Dei hymnis et canticis in choro celebretur ac tum demum choralium beneficiorum impertitur suspensionem, cum patronorum urget paupertas et chorali servitio nullum affertur detrimentum ut in *Asculana 18. Septembris 1773*, in *Romana Prorogationis*

14. Junii 1806 et in *Nullius s. Martini 16. Decembris 1820 ad I. dub.*

Porro Emus Archiepiscopus refert nullum ex nominationis suspensione oriri posse damnum chorali servitio atque ipsa demum oratrix catalogum exhibuit omnium Capitularium manu Archidiaconi Paoletti subscriptum, ex quo luculentissime patet collegiatam ecclesiam, de qua agitur, viginti octo praebendatis choristis constare. Verumtamen ibidem animadvertitur, duodecim quidem ex Capitularibus recenseri in hebdomada, ad quam vacans canonicatus s. Rochi pertinet; sed eos inter esse praepositum, qui ob animarum curam choro eximi potest, itidemque quatuor Canonicos, qui ex fundationis lege ad audiendas christifidelium confessiones festivis diebus chorali exemptione fruuntur, nisi aliter choro necessitas postulaverit. Quum vero ejusdem hebdomadae praebendati debeant sacerdoti solemniter celebranti diebus festis ad altare inservire ex iisque Vincentins Cipollari in Firmana civitate studiorum causa degat, satis manifestum est, quatuor tantummodo Canonicos ex ea ipsa hebdomada festivis diebus in choro esse firmat Archidiaconus Paoletti.

At ex adverso asseritur in supplici libello nomine Canonicorum ecclesiae collegiatae porrecto, gravem ex nominationis suspensione in chorale servitium redundare jacturam, adeo ut vix quatuor vel quinque Capitulares divinis concinendis laudibus aliquando adstent in choro. Etenim non modo nonnulli absunt studiorum causa et quidam alii excipiendis fidelium confessionibus praesto esse tenentur, sed alii non pauci infensa sunt valetudine, alii rude donati atque una et altera praebenda diutino tempore est vacatura.

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus Magdalenae Lanci in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad triennium juxta votum Emi Archiepiscopi deputato ecclesiastico administratore, facto verbo cum SSmo.

Die 23. Apr. 1831.

III. In dimissionem aeris alieni.

Vd. t. II. p. 915. I; infra n. IV.

Tuscanen.

In Cathedrali Tuscaniae extat canonicatus Montebovi, cujus patronatus spectat Jacobo Anguillara. Nunc redditus hujus canonicatus diminuti sunt ad scuta *quinquaginta tria* onera vero habet *nonnaginta sex* missarum, quae ab Ordinario apostolica authoritate munito reductae fuere ad *quinquaginta*. Detrahenda pariter ex fructibus sunt scuta *viginti et unum*, quae deponenda sunt quotannis in causam solutionis fructuum censuum, quae imposita fuere auctorante s. Congregatione Episcoporum et Regularium, ut reficerentur fatiscentes domus ad canonicatum pertinentes. Deducenda pariter sunt annua scuta duo pro fabrica ecclesiae et annua scuta tria et obol. quinquaginta pro missa conventuali, quae per turnum a Canonicis celebratur. Quibus deductis annui redditus rediguntur ad annua scuta triginta tria et obolos sexaginta. Cum nemo vacantem canonicatum nunc acceptare velit patronus Jacobus Anguillara supplicat, ut suspendatur nominatio canonicatus per decennium ut dimisso interea aere alieno et in investimentum erogatis fructibus superextantibus augeatur capitale ad alia scuta tercentum et annuus fructus ad alia scuta quindecim. Ordinarius transmisso statu activo et passivo canonicatus instantiae favet, immo observat *in eodem statu canonicatus calculata tantum fuit remissio medietatis onerum missarum* (nempe ad 48), *quam remissionem si Sanctissimo Domino placuerit in totum extendi posse putarem, ne ecclesiae cultus tam longo tempore patiatur, eo magis quia post edictorum affixionem nullus idoneus repertus fuerit, qui ad optionem dicti canonicatus paratum sese exhiberet. Annui redditus denique canonicatuum Cathedralis computatis distributionibus quotidianis in annuis scutis centum circiter existimantur.*

Ex his videant EE. PP. num suspensio canonicatus ad decennium concedenda sit. Sane tenuitas reddituum causa*) esse videtur quamobrem suspendatur nominatio. Aliter enim vacuus semper esset canonicatus cum detrimento divini cultus. Quod si inclinet EE. PP. sententia in vota patroni, statuendus praeterea erit modus concedendae suspensionis. Ordinarius putat concedendam esse reductionem omnium onerum missarum. Verum ponderandum est missas jam fuisse reductas fere ad medietatem et cum redditus non deficiant ad implenda onera jam reducta

*) Vd. *t. II. p. 914. a.*

nulla causa esse videtur, cur missarum onus penitus per decennium deleatur.

Dubium proponitur:

An et ad quod tempus et quomodo sit concedenda suspensio canonicatus Montebovi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad decennium deputato ecclesiatico administratore, qui satisfactis missis 48 quotannis superextantes redditus in dimissionem aeris alieni et in multiplicum favore canonicatus fideliter eroget et docto et multiplico cessato integer numerus missarum ad formam fundationis celebretur.

Die 18. Mart. 1875.

Januen.

Ultimo quo decessit elogio Joannes Thomas Invrea sibi haeredem universalem instituit ecclesiam sub titulo B. M. V. de Remedio civitatis Januensis.

Hujus ecclesiae seu pii operis administratores anno 1796. san. mem. Pio VI. preces porrexerunt supplicantes, ut Collegiatam erigere dignaretur in dicta ecclesia quae unica Dignitate abbatiali, duodecim Canonicis totidemque praebendis, quatuor mansionariis necnon octo capellanis constaret. Votis suis consona fuit literarum apostolicarum expeditio facta anno 1796 Idibus Julii. In hisce literis dos unicuique praebendae fuit assignata in certa determinataque summa ab administratoribus ex piis operis redditibus persolvenda. Juxta testatoris voluntatem concessit Pontifex gubernatoribus seu administratoribus pii operis juspatronatus tam in ipsa institutione quam vacatione in perpetuum nominandi et praesentandi Abbatem, qui est Dignitas, romano Pontifici, Canonicos, mansionarios et capellanos Episcopo.

Res tam rite recteque constituta paucos annos stetit, ordinis enim eversio, quae superioribus annis malo fato evenit, hanc quoque piam institutionem affecit redditusque pii operis imminuti adeo fuerunt, ut nedum praebendati integros constitutos fructus percipere potuerint ideoque ipsi Canonici et capellani creditores sunt usque ad annum 1817 in summa scutor. 35, 894. A dicto anno usque ad praesentem fructus annuatim non omnes percipiunt, idcirco praedicti administratores postularunt ab hac s. Congregatione suspensionem collationis unius canonicatus modo vacantis per obitum Thomae Gambaro ejusdem Collegiatae et aliorum qui erunt in posterum vacaturi. Preces remissae fuere Archiepiscopo, ut auditis tam patronis ejusdem Collegiatae necnon transmisso statu activo et passivo et annuo redditu cujuslibet praebendae comprehensis distributionibus referret de quantitate aeris alieni dimittendi, de numero praebendarum suspendendarum et quo tempore et quomodo interea provisum erit chorali officiaturae et populi commodo. Archiepiscopus his verbis suam aperit sententiam: »Annuum redditum omnibus comprehensis, quae sive ecclesia sive praebendae in praesentiarum possident, non excedere summam scut. 3780. Fructus ab ipso capitulo pluribus abhinc annis nondum perceptos ascendere ad summam scutorum 7540, annuum redditum cujuslibet praebendae comprehensis distributionibus vix et ne vix quidem pertingere ad summam scut. 120. Quare adeo tenues videntur annui ejusdem Collegiatae redditus, ut oratorum preces exaudiri utique possint. Ea nimirum lege seu conditione, ut semper remaneant sex Canonici et sex mansionarii nec gratia ultra decennium concedatur, ita enim et chorali officiaturae et populi commodo et totius rei denique bono satis bene providebitur.«

A suspensione beneficiorum seu canonicatuum, quae totalem important beneficii extinctionem praebendarumque diminutionem, abhorrent ss. canones, ut ex cap.: *Ex part. 12. de const.*, imo ne suspensio quidem ad tempus fieri potest sine causa ex praed. *cap. 3.* Non debet enim Domini cultus minui sed augeri ut etiam legitur in *cap.*: *Majoribus 8. de praeb.* Ast vero jus canonicum causas, ex quibus fieri potest canonicatuum aut beneficiorum suppressio, ad duas reducit scilicet ad evidentem necessitatem et utilitatem, *Pyrh. Corrad. in prax. rei beneficiariae lib. 2. cap. 8. num. 13, Reiff. in lib. 3. decret. tit. 12. §. 3. num. 22. et 23.* Inter justas causas recensentur etiam tenuitas et insufficientia reddituum, ita *Gloss in cap.: Cum accessissent. de constitut.*, cui adhaerent doctores supra citati et *Garzia de benef. eccl. p. ult. cap. 1.* ac praesertim *Trident. in sess. 4. cap. 15. de ref.*

Porro in themate tenuitas habetur praebendarum tam canonicatuum quam capellaniarum uti etiam constat ex Ordinarii testi-

monio, cui accedit etiam aes alienum scut. Januen. 35894. rom. 7543, et quamvis compertum sit ss. canones praevidisse detrimentum quod afferri posset chorali servitio ex praebendarum suppressione nihilominus permittitur a Trident. suppressio, modo tamen tot supersint praebendae quae Dominico cultui et ecclesiae dignitati commode valeant respondere. Verum non petitur in casu beneficiorum suppressio sed suspensio ad tempus tantum, quae facilius concedi solet, dummodo et urgeat necessitas et detrimentum non patiatur chorale servitium ut in *Asculana 18. Septembris 1773*, in *Romana Prorogat. indult. 14. Junii 1806*, *Nullius s. Martini 16. Decembris 1820. ad 1. dubium*, et alibi.

Urgens necessitas certe videtur aes alienum dimittendum, ad annum enim 1817. Capitularibus scut. 7540 debentur quam pecuniae quantitatem toto jure repetere possunt, quum eorum redditus non ex aliqua communi massa ab ipsis administranda proveniant, sed a s. m. Pio VI. in bulla erectionis constitutus fuerit. Si igitur ut solvatur aes alienum est justa causa suppressionis canonicalium praebendarum eo magis justa causa erit, ut suspendatur eorum collatio, ex qua suspensione parum aut nihil detrimentum patiatur chorale servitium, si praebendae remaneant, juxta votum Archiepiscopi. Neque silentio praetereundum omnes hos canonicatus et mansionarias esse jurispatronatus et patronos suum praebuisse consensum, imo ipsi hanc s. Congregationem adierunt, ut hujusmodi suspensio concedatur.

Tandem, ut temporanea sit haec suspensio animadversione mihi dignum videtur quo modo capitulum agere de liquidatione cujusdam crediti cum regia commissione, qua peracta meliorem suam faceret conditionem et tunc aes alienum saltem ex parte dimittere posset. Indubium etiam est quod modo redditus dictae Collegiatae non sufficiant tam pro expensis manutentionis d. piae institutionis quam pro praebendarum redditibus in Bulla erectionis d. Canonicis assignatis non perceptis nec in posterum percipiendis, deficientibus singulis annis redditibus scutatorum 496. Quibus omnibus adjungitur ecclesiae tectorum restauratio omnino facienda.

At dubitari nequit, quod hac suspensione missae quoque minuerentur, namque testator praescripsit, ut omnes praebendati quotidie celebrarent pro suae suaeque familiae animarum expiatione, quo in casu aliquando s. Congregatio hanc suspensionem denegavit. Neque aes alienum dimittendum tanti videtur, ut suspensio concedatur; namque ideo Pontifex praebendis certam illam assignavit summam quia ab administratoribus expositum fuerit pii operis redditus pares esse ad hoc onus sustinendum, quod si s. m. Pius VI. impar illos cognovisset, forsan minorem constituisset summam. Neque negari potest servitium chorale imminutum ob hanc suspensionem, saltem quoad decus et ecclesiae dignitatem, namque fere ad medietatem Collegiata reduceretur.

Animadvertere quoque praestat EE. PP. quod abbatiae seu unicae Dignitatis institutionem sibi reservaverit s. Sedes, cujus jura semper tecta sartaque servanda sunt, itemque in pretio habendum est quod uni ex praebendis canonicalibus data sit actualis cura animarum, ideoque Vestrae sapientiae erit de his aliquid decernere, si petitam suspensionem concedere velitis.

Dubia erunt:

I. *An et ad quod tempus canonicatus suspensio modo vacantis sit concedenda in casu?*

II. *An et quae praebendae vacaturae et ad quod tempus suspendendae sint in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad decennium sine praejudicio celebrationis missarum canonicatui infixarum, si tamdiu protrahatur perceptio crediti cum gubernio liquidandi, facto verbo cum SSmo.

Ad II: Negative.

Die 22. Junii et 27. Julii 1822.

IV. Pro reparatione ecclesiae et turris.

Vd. t. II. p. 921. III.

Firmana.

Collegiata ecclesia, quae titulo s. Laurentii est Lapedonae in Firmana dioecesi, constat septem Canonicis et Archipresbytero, qui eo in oppido parochum agit; licet superiori saeculo exeunte restituta illa aedes fuerit, aucta cultuque necessario exornata, injuria tamen temporum turrim campanilem fatiscere animadverterunt Canonici, cumque nec ipsi nec municipes, qui patronatu ecclesiae fruuntur, sustinendae impensae pares essent, postulaverunt, ut ubi primum alter ex canonicatibus vacasset biennio differatur successoris nominatio, quae ad municipii praesides spectat, ut inde redditus ad aes alienum dissolvendum impenderentur. Retulit vero penitus scutata unum et quinquaginta in id causae requiri; nedum enim turrim ipsiusque superiorem fornicem et fastigium murique coronam labefactandam sed et ecclesiae parietes minus recte incrustatas eamque male a pluviae atque coeli injuria defensam nactus est. Propositum autem remedium, quod pro invalescentis in dies labis cessatione praesto erat, unice asserunt Canonici, nullam plane choralium officiorum cultui jacturam inferre.

Precibus ad Emum Cardinalem Archiepiscopum transmissis mortuoque interea temporis uno ex Canonicis iterum capituli ac municipii sententia exquisita est. Habitis in eam rem comitiis magna quidem utrinque contentione inter Canonicos disputatum est ac superiori decreto, quo delatae preces probatae fuerant, rescisso urgendum pro canonicatus collatione neque eam diutius protrahendam esse censuerunt. Immutatam temporum conditionem animadverterunt, neque municipium iis in praesens difficultatibus et angustiis nummariae rei afflictari, quibus superiori anno in communi rerum conversione laboraverat; ipsum proinde ad sumptus in fabricae restitutionem necessarios esse adigendum, cum praesertim impensa ex alterius periti testimonio, qui ex officio adscitus fuerat, sexdecim plus minus scutata non excedat, quam ideo sustinere sine incommodo poterat communitas. Illudque inprimis notatu dignum praedicarunt, publicam divinarum rerum procurationem maximum detrimenti habituram, si ex septem Canonicis, quorum alii legitima causa absentes, alii infirma valetudine praepediti sint, alter etiam ob propositam suspensionem deesset, necnon damnum inde iis irrogatum iri, qui potuissent canonicatu donari.

Grave admodum fuit municipibus capitulum a pristina sententia resiluisse, atque iterum census publici inopiam contendunt adeo minorem impensam a secundo architecto proponi, quod de turri dumtaxat, non vero de reliqua aedis fabrica retulerit, quam etiam celeriter sarciendam esse vel ex ipsa locorum inspectione palam est. Idem tuetur Archipresbyter, qui etiam de imminuto choralium officiorum cultu ob dilatam Canonici electionem ac de damno iis irrogato, qui in Canonicorum ordinem cooptari possent, minus recte Collegas respondisse testatur eaque rata habet, quae in precibus narrata sunt ac municipii literis adprobantur neque alia ex causa, quam ut utilitatibus consulatur familiae Faresiorum, ex qua est Eugenius clericus, qui supplex efflagitat sibi canonicatum impertiri, Canonicos propinquos vehementius in eam causam institisse.

Haec ex allatis monumentis scribit Emus Archiepiscopus, qui »inter causas contradictionis capituli minime reprobandam illam censet, quae inopiam respicit Canonicorum debito officiaturae choralis rite exsolvendo. Licet vero communitas, quae jurepatronatus ejusdem Collegiatae potitur, contendat quod neque ipsi neque capitulo media suppetant, quibus restaurationibus propositis possit occurri, illud tamen opportune animadvertendum existimat, difficulter admodum suaderi posse, ipsam communitatem inhabilem esse sumptui faciendo scutatorum quinquaginta circiter, qui etiam juxta novam peritiam ex officio ad praesens redactam scutata sexdecim et obolos viginti dumtaxat attingunt. Subdit deinceps de edita ab Archipresbytero querimonia, qui primae resolutioni de canonicatus primo vacaturi suspensione constanter inhaerens a recentiori, quam nunc capitulum coepit, interposita etiam protestatione dissentit ipsumque scribit esse germanum Prioris municipalis, quocum vivit, ex quo capite forsitan objecta ab ipso prolata sunt repetenda.«

Concludit demum: »In tanta sententiarum contradictione et animarum acerbitate se putare modicam impensam pro reparationibus tantummodo necessariis faciendam vel in communitatem patronam rejici debere vel si publicae oeconomiae consuli velit, inter ipsam communitatem pro una medietate et Capitulares pro alia dividi posse, facta interim patronis potestate nominationis ac praesentationis novi Canonici instituendi, prorogato utili ad nominationem tempore.«

Grandis quidem inter peritorum judicia varietas cernitur; sed reapse pro operum ratione, quae ex eorum descriptione restituenda esse percensentur, impensa praefinita est. At utraque sumptuum notula vim pecuniae modicam necessariam numerat, quae proinde facile per eos, quorum interest, sustineri poterit.

Jam vero cautum jure est, ut si ecclesia

redditibus careat, qui tuendo ipsius aedificio et ubi opus sit sarciendo impendantur *(can. 30. 12. qu. 2.)*, nec quisquam sit e privatis civibus, qui ex statuto vel ex testantium jussu vel ex legitima certaque consuetudine eo sit onere affectus, »ii primum qui parochiales ecclesias habent, cogantur de bonis, quae sunt ipsius ecclesiae, si illis supersint, in eas impensas conferre, ut eodem exemplo ceteri invitentur« *(cap. De his de ecclesiis aedificand.)* Qua quidem lege rectores etiam beneficiorum in quacumque dignitate constitutos obstringi pro ecclesiis quoque ad quas transferri ipsorum titulos contigerit, sacra haec Congregatio pluries edixit *13. Mart. 1637 ad Ep. Narnien.*, *Tiburtina 15. Sept. 1823 ad I. dub., cap.*: *Quicumque de eccl. aedificand.* Quod si tenuis sit paroecialis census qui ad victum cultumque necessaria dumtaxat suppeditet neque alii sint, qui pensionibus ac beneficiis simplicibus ea in ecclesia fruuntur, patronis id oneris imponunt Tridentini Patres *sess. 21. cap. 7. de reform.*, ut restaurare ecclesiam debeant, non praecise, sed causative, ut pragmatici loquuntur *Sperell. dec. 67. n. 10*, *Rota coram Bichio dec. 175. n. 2*, si nimirum jus praesentandi retinere velint: in quem finem certum iisdem temporis spatium indicitur, quo vel jure se patronatus abdicent vel instaurandam ecclesiam curent. *(S. C. C. Ragusina 3. Aug. 1666).* Ubi demum omnia desint, quibus sumptus agendi forent, jure canonum admonemur, eos a populo collatitio aere certo vectigali rite constituto esse sustinendos. *(Bened. XIV. inst. eccl. 100. n. 12. seqq., Peckius de eccl. reparand. cap. 14. et qu. 11. et seq.)*

Hisce ad sacrarum legum normam peractis decernant EE. PP. quid de Lapidonensibus precibus respondendum sit. Exigui quidem sunt municipii redditus tenuique Canonici potiuntur praebenda, quae scutatis constat quadraginta vel plus minus quadraginta quinque, ac quotidianum pensum choralium officiorum imponit, praeter tria Sacra singulis hebdomadibus peragenda. Haec sane fortunarum inopia in causa esset ut precibus de canonicatus suspensione annuendum esse videretur cum ex sacrae hujus Congregationis responsis moneamur, a parochis et beneficiariis id solum in sacrarum aedium tuitionem tribuendum esse, quod sufficienti eorum supersit substentationi, S. C. C. *Pontis Curvi 19. Nov. 1831*, *Bellettus disquisit. can. part. 1.*

At quae adversus eam objiciuntur rationum momenta ac praesertim quae ipse Emus Archiepiscopus speciatim pensanda gravi suo judicio significat, de perexiguo Canonicorum numero, qui divinae rei curandae praesto essent, ubi canonicatus collatio in biennium prorogetur, ac de divini cultus jactura, quae inde certissima haberetur, dubitationem quidem maximam injiciunt legitimamque causam portendunt, ob quam a pristina postulatione Canonici duxerint sibi esse recedendum.

Alia proinde remedia conquiri poterunt ab Emo Archiepiscopo, ut vel municipii praesidibus pro patronatus jure sumptus necessarii praescriberentur vel amice res componantur iique a municipio, ab Archipresbytero et a Canonicis pro portione suppeditentur.

Sint igitur dubia:

I. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro suspensione canonicatus in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo occurrendum sit impensis pro reparatione turris et ecclesiae in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad annum, et si quid deerit pro impensa necessaria, Emus Archiepiscopus curet rem componi inter capitulum et communitatem.

Ad II: Provisum in primo.

Die 30. Mart. et 25. Maji 1833.

Sennogallien.

Jam obtinuerant Canonici ecclesiae collegiatae oppidi Belviderii pro reparatione ecclesiae bis suspensionem et ad vicennium postremo duorum canonicatuum Ubertini et Mei et facultatem creandi censum scut. 1000. Sed post ocularem inspectionem Visitatoris delegati summam illam non sufficere compertum est, hinc rogitant tertii canonicatus suspensionem qui nuper vacavit, ut contrahere censum possint scut. 2500, quae requiruntur ad fabricam perficiendam, et s. C. concessit suspensionem juxta votum Card. Archipresbyteri Basilicae Lateranensis, qui ait: Postulat ergo necessitas, ut ad consulendum ulteriori reparationi et decori ecclesiae locus sit imploratae suspensioni collationis tertiae praebendae . . . . . tali enim pacto de facile aes alienum non majori tamen usura scut. 4 in singula centum pro quolibet anno dimitatur.

Die 20. Febr. 1796.

V. Ob tenuitatem reddituum.

Vd. supra decr.: *Januen* p. 275; 274. III.

Civitatis Castellanae.

Ob exiguitatem reddituum praebendarum Collegiatae oppidi Vallerani, ob nimium divini cultus detrimentum concessit ad decennium suspensionem collationis vacantium duorum canonicatuum et trium praebendarum canonicalium, ad effectum conficiendi multiplicum ex superextantibus redditibus, satisfactis missarum oneribus, deputato per Episcopum ecclesiastico administratore, non retardata interim vacantis praepositurae provisione atque et notificari voluit ministris Datariae apostolicae.

Die 15. Julii 1822.

Firmana.

Ut capituli indigentiis subveniatur novam non esse ex s. Ordinis disciplina vel ipsam canonicalis jam erectae praebendae suspensionem testantur exempla in *Firmana Praebendae 26. Martii 1791* et legere est in *Mediolanen. Canonicatus 31. Maji 1794.* §: *Graves.*

Die 3. Apr. 1841.

c) Suspensio non concessa in favorem patroni.

Vd. t. II. p. 708. u.

Lunen Sarzanen.

Sarzanensis ecclesiae cathedralis capitulum Archidiacono, praeposito, duodecim Canonicis binisque aliis supra numerum constat. Alterum ex postremis canonicatibus instituit ac dote annua scutatorum circiter 300 donavit die 19. Februarii 1727 Canonicus Joannes Bartholomaeus Mascardius. Ejus patronatum activum addixit emo capitolo et Canonicis Cathedralis institutione Episcopo pro tempore reservata.

Posteriori autem codicillo 27. Martii 1729 exceptionem hanc et ad descendentes ex familia Ricca protraxit et ad descendentes ex Francisco Maria Mascardio, quoties illi deficerent: item cessante et hac linea veniam dedit capitulo nominandi. Onera tandem huic adnexa praebendae erant varia.

Mortuo prid. Id. Octobris superioris anni Josepho Mascardio, qui eo canonicatu potiebatur, Maria Anna Mascardia Gessia uxor ipsius supplex adiit hunc s. Ordinem, postulans nominationem differri, ut impletis religiosissime omnibus oneribus reliqui redditus ad levandam ingentem, qua ipsa laborat, inopiam conferantur. Rogatus Episcopus proponere, quid de re sentiat, respondit: »Preces modo enunciatas quae una cum septem aliis documentis ad rem facientibus ad Emas VV. Rmas redeunt esse omnino veritati conformes. Harum tamen effectui compatronos D. Bartholomaeus Chiocca non secus ac capitulum hujus Sarzanen. Cathedralis pro eo quod interesse habere contendunt viriliter se opponunt. Alii passive ad memoratam praebendam vocati quibus praejudicium inferri posset sunt D. Bartholomaeus Chiocca oppositor et ejus fratres. Annua quota substituta solvenda scutata pertingeret ad minimum circiter 56. Status tandem activus et passivus familiae oratricis ejusdemque numerus et paupertas relativa saltem nisi absoluta constat ex documentis.«

Capitulum vero adversabatur. Nec benignius de oratricis disserit Bartholomaeus Chiocca. Ex capituli sententia et ex compatroni Chiocchae libello propositis concludit Episcopus: Si viam miserationis incedere velint Emae VV. Rmae, nihil est providentiae, quod non mereatur oratrix: quod autem stricto jure ipsa exigere possit ex documentis adjunctis nullo negotio evincitur.

Praecipua haec sunt rationum momenta, quibus et Antistes et capitulum èt compatroni propositam de Mariae Mascardiae precibus sententiam tuentur. Iis proinde quae ad rei veritatem spectant diligenter perpensis jam illud animadvertendum primo occurrit, ex sacri hujus Ordinis placito patronis *) ipsorumque filiis egestate afflictis opem identidem ferri vel adtributa ipsis benficii procuratione vel praesentatione in opportunius tempus dilata, ut inde expletis diligenter oneribus redditus reliqui in eorumdem subsidium addicantur. Non enim pro suae benignitatis indulgentia sinere ecclesiam, ut patronatus quaeritare stipem cogatur, testantur canonum jura, Patribus Concilii Toletani IV. diserte mandantibus, ut patroni eorumque filii redacti ad inopiam ab ecclesia suffragium vitae pro temporis usu recipiant *(can. 37.)* Nimis quippe et aequitatis et charitatis studio consentaneum apostolica Sedes semper agnovit esse, patrono ad in-

*) Vd. *t. II. p. 717. β.*

opiam vergenti ab ecclesia modeste opem ferri, *cap.*: *Nobis de jurepatron.* Neque autumet quispiam absolutam esse debere illorum egestatem, ut haec erga illos liberalitas praestetur, cum et relativam in id causae satis esse crebris sacrae hujus Congregationis responsis edoceamur, *S. C. C. Asculana 23. Maji 1786, Aquen 3. Febr. 1787, Montis Regalis 25. Novembris 1793.* Quae omnia ex ea quam de testatorum voluntate haberi par est opinione evincuntur, illam nimirum ipsis certo mentem futuram fuisse, ut si miseram heredum suorumque conditionem praevidissent, sanguinis fortassis vocibus permoti, ut ait *Card. de Luca de testam. disc. 72. num. 15*, vel onerum implementum non imposuissent vel minorem illorum numerum demandassent. Sed oratricem ex ea Mascardiorum gente imo ex ea nominatim linea prognatam esse constat, quam testator designavit eamque maximis vexari familiaris rei angustiis testatur Episcopus, qui proinde concludit, nihil esse providentiae, quod non mereatur oratrix, si viam miserationis incedere velint EE. VV. Ingentes enim jacturas fecit ipsius patrimonium ex fluvii extra ripas difluentis circumluvione, quo grandis fundorum pars aquis exundantibus obtegitur, uti refert Trebianensium decurio, qui bona omnia oratricis libellis circiter quindecim mille asserit aestimata in censualibus tabulis, quibus si addantur exigui nonnulli fundi in agro Sarzanensi valoris libellarum plus minus ter millium et quadringentarum universum oratricis patrimonium vix libellas octodecim mille et quadringentas (scutata scilicet ter millia plus minus) exaequet, cujus redditus et aeri alieno solvendo et vectigalibus sustinendis et impensis in sui ac quinque filiorum victum cultumque necessariis impares omnino esse certum est, adeo ut vere prorsus affirmavit sese ea in conditione infeliciter versari, ut debba ricavare presso che l'intera sussistenza dal godimento de' beni del canonicato, quibus frui hactenus ipsi datum fuit ex contubernii communione cum Josepho Canonico fratre suo.

Atque exorata hujusmodi indulgentia nemini injuriam inferri contendit oratrix, quae testatoris voluntati inprimis innititur, qui jussit, descendentes Francisci Mariae absolute ceteris praeferri, licet iis omnibus qualitatibus non pollent, quas in aliis singulatim necessario conspicendas esse edixit.

Verum ex communi juris sanctione admonemur beneficium iis esse conferendum, qui dotibus praestent ab illius conditore praescriptis,*) *Lotter. de re benefic. lib. 1. qu. 26. num. 16*, *Rot. in recent. par. 3. dec. 97. num. 3*, Mascardus autem canonicatus auctor eam prae aliis legem dixit, ut praebendam assequeretur qui esset *attualmente sacerdote* ac si prognatos Francisci Mariae admitti voluit, licet qualitatibus ceteris carerent, edixit tamen illos aetatem eam agere per quam presbyteratum capere intra anni unius spatium liceat. Quod si inter eos, quos tali ipse favore honoratos testamento voluit, nullus idoneus extaret, jus tribuit capitulo diligendi qualunque altro idoneo, dummodo sia eletto il più esemplare, il più degno, e utile al coro, che possa aversi.

Neminem vero inpraesens esse inter Francisci Mariae descendentes, qui ad datam a testatore normam cooptari in Canonicorum collegium possit, et oratrix et compatronus fatentur, adeoque jus capitulo obvenit nominandi quemlibet, qui enunciatis in testamento dotibus praecipue commendetur. Cum enim de canonicatu agatur cathedralis ecclesiae neminem latet Tridentinos Patres vetasse quemquam ad canonicatus hujusmodi admitti nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas ac praebenda requirit, aut in tali aetate*) sit ut infra tempus a jure *(cap.: Licet* et *cap. Cum ex eo de elect. in 6)* et ab illa synodo *sess. 7. cap. 12. de ref.* statutum initiari valeat, *sess. 24. cap. 12. de reform.*

Verum quidem est huic Tridentini Concilii praescriptioni posse a canonicatuum auctoribus in iis constituendis legitime derogari, *Barbos. ad Conc. sess. 25. cap. 6. n. 7. de reform., Vivian. de jurepatronat. tit. 6. cap. 6. n. 16.* Sed Mascardii voluntas, quin Tridentino statuto adversetur, immo plane adhaeret, cum et pro gentilibus suis eam aetatem requirit, qua infra anni spatium evehi ad presbyteratum possint.

Cum porro menti testantis adversetur postulata nominationis dilatio, quae diuturnam canonicatus vacationem et supremae ipsius voluntatis temporariam saltem commutationem induceret adversus sanctiora legum praescripta, quibus descendentium vo-

*) Vd. *t. II. d. 185. n. 27; p. 803. n. 84.*
**) Vd. *t. I. p. 279. I; supra p. 48. n. 1.*

luntati religiose accurateque obtemperandum esse cautum est, *Can. ultima voluntas qu. 13. leg. 1. cod. de ss. eccl.*, decernent EE. PP. an ea urgeant causarum momenta, quibus dispensatio adprobetur pro alterutro ex passive vocatis inter eos, quos testator prae ceteris dilexit. Eam enim ob justam dumtaxat, honestam et gravem causam impertire Pontifices identidem consuevere, *cap. 1. in fin. de filiis presbyt. in 6*, dummodo nemini detrimentum aut injustum quidpiam inferatur, *L. Rescripta C. de proc. Imper., Lotter. lib. 2. qu. 51. num. 2*, *Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 8.*

Nihilo tamen secius animadvertendum iterum est sacrum hunc Ordinem erga patronorum genus facilem crebro sese praebuisse et non raro indulsisse ut vel stato quodam tempore praesentatio prorogaretur vel patronorum nati pueritia identidem nondum exacta ad beneficia imo et ad canonicatus praesentarentur, ut inde et ipsi in rectam seminarii alteriusve praeceptoris ab Episcopo probandi disciplinam tradantur et agenti patronorum familiae aliquod praesto sit ex beneficii redditibus subsidium ea tamen lege ut statutis oneribus rite satisfieret et collegis ob suscepta pro iisdem officia compensatio praestituta praeberetur, in quem finem consuevit beneficii procuratio viro probo et prudenti committi, qui sancitas hasce conditiones servandas curet, *S. C. C. Vercellen. 19. Julii 1766, Asculana 20. Maji 1786.*

Erit itaque Emorum Patrum dirimere quae sequuntur dubia:

I. *An et quomodo locus sit suspensioni nominationis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quem ex passive vocatis in linea Francisci Mariae Mascardi teneantur electores ad canonicatum nominare seu potius possint libere alios quoslibet nominare juxta mentem fundatoris in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem,

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro dispensatione super defectu aetatis aliorumque requisitorum in casu?*

S. C. resp.:
Non proposita cum sequenti.
Die 2. Mart. 1833.

Continuatio.

Proposita fuit haec causa in comitiis diei 2. superioris Martii, instante vero Carolo Chiocca dilatum de eadem fuit judicium, quod modo ipse adproperat, circumlatis in eum finem allegationibus, quas una cum folio memorati diei sacer Vester Ordo rogatur expendere.

Praeter ea quae ibidem de natura atque oneribus beneficii Mascardi enunciata sunt constat ex obitu Josephi Mascardi Canonici, qui anno superiori decessit, defecisse masculinam lineam agnatitiam liberorum Francisci Mariae Mascardii, quam fundator testamento vocaverat: extant vero in cognatitia linea, ex Laudivio scilicet et ex Joanne Baptista Mascardii fratribus binae foeminae, Rosa nimirum filia Laudivii uxor Andreae Ciocchae quem auctorem habuit Carolus Cioccha, qui sua pro canonicatu assequendo jura protulit et Maria Anna Josephi postremi Canonici soror, quae Francisco Gessio nupta Bartholomaeum filium habuit annos nunc natum triginta una cum filiabus quinque, quarum altera matrimonio Henrico Grossio copulata Josephum genuit octo in praesens annorum. Preces autem de quibus memoratis in comitiis disputandum erat detulerat isthaec Maria Anna Mascardia Gessia, quae Josephum Canonicum contubernalem habuerat, iisque petierat, ut oneribus canonicatus impletis datoque stipendio presbytero, qui et choro adstaret et praefinitis officiis fungeretur, redditus reliquae familiae alendae addicerentur donec ex ipsa praesto esset, qui canonicatu donari posset, quae preces die 12. Decembris ad Episcopum pro informatione et voto transmissae fuerunt.

Sed et Carolus Chiocca supplex Pontificem adiverat enuncians, se quindecim tantum annos natum non solum aetatis impedimento verum etiam defectu ordinis sacerdotalis, qui ex fundationis lege saltem intra annum suscipiendus omnino requiritur, a canonicatu Mascardi assequendo arceri; rogabat idcirco, se ab utroque impedimento solvi, ut inde a Canonicis, quibus adsciscendi Canonicum jus est, eligi rite ipse posset. Annuit precibus pro singulari sua benignitate sanctissimus Dominus Noster datisque ad diem 18. Decembris 1832. literis apostolicis atque accepto Episcopi Sarzanensis testimonio, ex quo ea cognovit, quae hac de re scire oportebat, facultates eidem adtribuit ad relaxanda bina illa impedimenta, ut si Sarzanensium Canonicorum collegium consenserit nihilque aliud

obstet praeter illa absque ullo alieni juris detrimento si quid sit ac servatis iis quae servari praecipiuntur orator Carolus Chiocca canonicatum Mascardi consequi valeat.

Dum haec Romae agebantur, Episcopus die 19. ejusdem mensis Decembris jussis s. hujus Congregationis obtemperans a compatrono Bartholomaeo Chiocca Caroli patre quem suarum precum exitus adhuc latebat quaesivit, ut de Mariae Annae Mascardiae Gessiae postulatione quid e re sua sentiret quam primum referret.

Perlegerunt superiori folio eminentissimi Patres, quae a Chiocca, a Canonicis, ab Antistite prolata sunt. At postmodum Bartholomaeus Gessius Mariae Annae filius, qui omnium votis commendationeque ad canonicatum vocaretur, die septima superioris Augusti preces dedit, quibus se jam quatuor ordinibus minoribus initiatum statisque qualitatibus ex fundationis lege praeditum ac prae ceteris testatori propinquum asserens efflagitavit, ut decernatur sibi uni prae aliis quibuslibet canonicatum esse tribuendum.

Postulatio isthaec pluribus ex causis quaestionem omnem praecisura esse videbatur, sed ex inopinato iterum adfuit clericus Bartholomaeus immutatoque consilio declarationem edidit sua manu signatam.

Qua per Bartholomaeum rite denunciata iterum Maria Anna de Canonici nominatione proroganda impense postulavit. Id quidem ex sacrae Congregationis aequitate sibi pollicetur Maria Anna, quae ingentes jacturas recenset ob exundantis fluminis impetum suis praediis illatas, quibus eo egestatis prolapsa est, ut si miserimam propinquorum conditionem prospexisset testator substantiam suam non in beneficii censum, sed in illorum praesidium legasset, quod sane haud peregit quia satis amplo patrimonio tunc temporis potiri illos animadverterat. Hinc trium filiarum inopiae consulendum inclamat, quae in tanta fortunarum exiguitate spem amitterent idoneas nuptias conciliandi. Contra autem de competitoribus arguit, carere ipsos conditionibus in fundatione praestitutis: non eos difficultate numeraria afflictari nec liberorum multitudine premi, non eamdem proinde rationem ipsis habendam, cum praesertim oratricis familia binis gradibus stipiti prae aliis proximior sit.

Cum vero certo liqueat filium suum Bartholomaeum Gessium ex summa quadam conscientiae anxietate jure se suo abdicasse, majori se suasque filias commiseratione dignas arbitratur, quo factum est, ut ex Episcopi testimonio nihil sit providentiae, quod non mereatur. Extraneum praeterea notat esse Carolum Chioccam, qui cum ob aetatis minoris causam pontificia indigeat dispensatione, id magis aequitati consonum autumat, si quidpiam ex ecclesiasticae disciplinae regulis derogetur, id in tanta, qua vexatur, familiaris rei angustia levamen decerni. Civibus quidem et incolis prae caeteris habendam in collatione beneficiorum rationem explorati juris est, ubi rerum, personarum adjunctorumque idem status sit, *Vivian de jurepatr. lib. 12. cap. 9. num. 13*, *Corrad. prax. benef. lib. 4. cap. 6. num. 55.* Licet enim (inquit *Card. de Luca de benef. disc. 69. num. 12)* in beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est acceptio personarum, ista qualitas civitatis non reputetur necessaria, attamen data aequali idoneitate atque in concursu dicitur considerabilis ac species etiam benemerentiae, ob quam ceteris paribus praelatio saltem de congruo debeatur.*)

Fatetur quidem, Josephum Grossium nepotem idoneum haud esse, qui nunc beneficium assequatur: aestimandas tamen censet saltem pietatis causa preces, quas commendat ipsa mater illius, qui jure proprio ceteris unice praeferendus esset, si in beneficio petendo perseverasset. Dilationem porro nominationis postulans, donec ad legitimam aetatem perveniat, qui illud adipisci debeat, minus sibi infestum apostolicarum literarum placitum ducit, quibus Caroli Chioccae precibus obsecundatum est, quomodo cathedralis templi Sarzanensis Canonicorum collegium consenserit nihilque aliud obstet praeterea, ullo absque alieni juris destrimento si quid est. At ex Maschatii testimonio edocemur: De stylo curiae romanae in rescriptis dispensatoriis, quibus non datur gratia facta, sed facienda per executorem, veritas causae attendi debet non tempore mandati Romae expediti, sed tempore executionis, ut tunc causa sit vera, dum executor actu dispensat *(instit. can. tit. de rescr. n. 14*, *Reiffenst. lib. 1. decret. tit. 3. de rescript. §. 3. n. 77.)* Grave autem detrimentum, si pro Chiocca pronunciaretur, Grossio irrogari dolet Mascardia, qui easdem cum Chiocca qualitates idemque cum ipso ad beneficium jus recenset, idque insuper et sibi commodi aufferri, quod com-

*) Vd. *t. II. p. 401. m*; *p. 397. a.*

munibus insimul iisdemque laribus utentes canonicalis census necessaria utrisque suppeditaret, prout ad obitum usque Josephi Canonici actum est.

Queritur deinde, pontificias eas literas inauditis iis, quorum intererat, obtentas fuisse, abhorrere autem ab aequitate, quempiam inauditum et indefensum primo rumore rapi: eas idcirco subreptionis vitio laborare, quod de postulatione coram sacro hoc Ordine edita nihil enunciatum fuerit, qua certe praepediebatur alterius cujuslibet gratiae procuratio, *cap. 1. et final. Ut lite pendente.*, *Reiffenst. lib. 2. decret. tit. 26. num. 14*, *Maschat. inst. can. lib. 2. tit. 16. num. 3.* Die enim duodecima Decembris preces Mascardiae ad Episcopum ablegatae sunt et apostolicas literas ad diem decimam nonam illius mensis datas notat Mascardia: sed in dubio, ut notat Reiffenstuelius *loco citato* et nisi aliud exprimatur, Princeps non censetur vel juri alterius praejudicare vel statum litis immutare: ac proinde si tales literae exhibentur praesumuntur esse falsae et subreptitie obtentae, *cap.: Cum adeo 17.* et *cap. Super literis 20. de rescriptis.* Haec Mascardia, quae ad suas preces tuendas ac praesertim ad egentiorem nepotem juvandum illud commemorat semper curae fuisse sacro huic Ordini, ut quo posset benignius iis faveat qui passivo nominationis jure fruuntur et fundatorum propinqui cum sint angustiis nummariis divexentur.

Verum longe aliter pronunciatum iri, confidit Chiocca, qui multa de quaestione editis commentationibus proponit. Denegandam arguit suspensionem, cui adversari prorsus contendit et juris regulas et sententiam patroni activi, et utilitatem voluntatemque compatroni passivi necnon fundatoris jussa, bonum Sarzanensis ecclesiae, jus demum quaesitum tertio. Suffragium adnotarunt Emi Patres ab ordine Canonicorum latum, compatroni Chiocchae oppositionem inspexerunt ac quantopere a diuturna hujuscemodi suspensione fundator abhorruerit, luculenter dignoverunt, qui in id unum pio illo legato intenderat, ut in tuto esset il miglio servizio del coro: qua ex causa sacerdotem jusserat esse vel saltem ea aetate, ut infra annum ad sacerdotium evehatur, qui ad canonicatum adsciscetur: postremas vero obeuntium voluntates persancte custodiendas esse, jura omnia et sacra et civilia testantur, *can. ultima voluntas q. 13. l. 1. de ss. eccles.* Frustra autem a Mascardia praesidium quaeritari censet Carolus a canonum aequitate, quibus patronorum egestati succurrendum esse cautum est. Caret quippe oratrix patronatu et activo et passivo, neque patroni filia est nec insuper gravis, vera justaque causa praesto est, ut expetita gratia ipsi decernatur. Perperam quippe de testatoris voluntate inquiri animadvertit, quasi a beneficio constituendo cessare debuisset: non enim de saeculari ascendente res est, sed de presbytero, qui suam ipsam ecclesiam, in qua canonicatu potiebatur, novo beneficio ditatam voluit, ut pias in causas, quae ab ecclesia acceperat, ea religiose addicerentur.

Subditandum vero de tanta illa egestate scribit remque loquitur testatam ab iis, qui Sarzanae rei publicae conservandae praesunt qui contra de misera Chiocchae gentis conditione retulerunt.

Minus quidem idoneum se, qui canonicatu potiatur, novit: imo et ex testantis voluntate ab eodem se nunc arceri fatetur: sed ademptam difficultatem probat apostolicis literis quibus et aetatis et sacerdotii defectum sanatum edixit Pontifex. Quando enim versamur circa habilitatem personae, inquit Lotterius, non admittitur distinctio inter habilem naturaliter seu de jure communi et habilem ex dispensatione aliove jure singulari, cum omnis habilitas proveniat ab eodem fonte, id est a Principe, qui potest lege sua inducere habilitatem. *Lotter. De re benef. lib. 1. q. 40. n. 167*, *Piton. de controv. patron. alleg. 100. n. 329*, *Rota decis. 95. n. 7*, *Vivian. de jurepatron. n. 8.*

Num demum ecclesiae divinorumque officiorum cultui ac splendori discrimen inferatur, collegii Canonicorum, qui patroni sunt, sententiam attendendam inclamat.

Hisce adversus Mascardiae postulationem adnotatis instat Carolus, ut a Canonicis se praesentandum esse decernatur, utpote prognatum ex Francisci Mariae Mascardii genere quod praetulit testator, iisque praeditum conditionibus, quas auctor exquisivit. Patet autem, se ex cognatitia Mascardiorum linea editum esse quam eo plane modo ac agnatitiam advocavit testator, qui testamento jussit praeferi ceteris li discendenti del Signor Francesco Maria Mascardi nepote, quibus verbis et agnatos indistincte et cog-

natos nuncupari palam est. *L. Unum de familias D. de legat., Garzias de benef. par. 7. cap. 15. n. 18, Card. de Luca de jurepatron. disc. 87. n. 7, Rota in Bononien. Primiceriatus 11. Maji 1733. n. 24. cor. Calcagnino.*

Cum vero jus nominandi extraneum capitulo tunc solummodo sit, quando descendentes ex praedilecto stipite defecerint, liquido constat, praeferendum extraneis esse Carolum, si in ipso eae qualitates praesto sint quas fundator in Mascardiae gentis descendentibus exquirendas mandavit. His profecto carebat omnino Carolus, quando Mascardius Canonicus decessit: at cum re adhuc integra et aetatis et sacerdotii defectui suppletum a Pontifice fuerit, res in eum statum venisse dicenda est, a quo incipere recte potuisset.

Pontificium autem diploma re adhuc integra obvenisse neque vitio subreptionis incusari illud posse, quia pendente adversariae recursu editum fuerit, tuetur Carolus, eo quod longe ante datas a Mascardia de suspensione preces illud petierit, neque de iis edoctus fuerit, nisi postridie quam literae dispensationis datae fuerant. Res igitur adhuc integra erat saltem pro Carolo, quem Mascardiae conatus latuerant. Nullus vero dubitat, quin Josepho Grossio sit ipse praeferendus, quem et aetate antecellit et clericali ordine et ipso nativitatis et domicilii loco (Sarzanae quippe natum ipsum esse ac degere jurati asserunt civitatis illius primores), necnon qualitatum juxta fundationis legem consociatione ac faciliori demum et proximiori aditu ad sacerdotium quantocius assequendum, *Piton. de controv. patron. alleg. 85. num. 15, Rota in Volaterana Benef. 7. Decembris 1708. §. 21. cor. Crispo, Card. de Luca de benef. disc. 69. num. 12, Rota in Barem. Statuti 26. Martii 1753 §. 8. cor. Matthejo.*

Multo magis vero prae extraneo se eligendum esse contendit. Quidquid enim juris ante pontificias eas literas Canonicis extiterit cum tamen ob habitam tempore legitimo apostolicam dispensationem omnibus ipse polleat conditionibus, quas testator in suis descendentibus requisivit, extraneum prae se obtrudi non posse arguit Carolus, quem patet in subsidium dumtaxat advocandum esse, cum plane desit, qui ex designata per testatorem linea eligi possit, *s. Rota in Tusculana Canonicatus diei 29. Martii 1756 coram Stadion.*

Cum vero ad lites inter eos dirimendas, qui de beneficio sibi ex jurepatronatus vindicando contendunt, id saepe remedii decerni consuevit, ut alteri beneficium, alteri pensio ex ipsius redditibus addicatur, id insinuandum Bartholomaei Gessi preces portenderent, qui in postrema sua declaratione illud supplex proponit: redditus autem beneficii cum scutatis tercentis aestimentur, posset inde eidem Bartholomaeo tribui pensio, collato in Carolum Chiocca canonicatu, ut ita ex filii proventu Mascardia Mater subsidium aliquod adipiscatur.

Quibus mature perpensis iisque in examen deductis, quae memorato folio 2. Martii descripta fuerunt, definienda erunt

Dubia:

I. *An et quomodo locus sit suspensioni nominationis in casu?*

Et quatenus negative.

II. *An et quem ex linea Francisci Mariae Mascardi teneantur electores ad canonicatum nominare seu potius possint alios quoslibet nominare juxta mentem testatoris in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Satis provisum per breve apostolicum eligibilitatis ideoque capitulum posse non autem teneri nominare clericum Carolum Chiocca.

Die 23. Novb. 1833.

Alexandrina.

Ruphmus Verri anno 1705 supremi quibus decessit tabulis canonicatum fundavit sub titulo s. Mariae de Caravaggio in collegiata ecclesia s. Mariae ad Nives et de Curte in Alexandrina civitate. Praebendae dos a fundatore statuta aequat summam libellarum *sex millium viginti duarum ac centesimorum viginti quinque* novae monetae pedemontanae; possessori ejusdem praebendae onus imposuit *unius missae quotidianae ac solemnioribus tantum functionibus et processionibus interessendi.* Duplici interposito episcopali decreto anno 1717 et 1718. in exequutionis limine doti a fundatore statutae tot bona stabilia subrogata fuere; quorum tamen *valor* longe enunciatam summam superabat.

Expresse vero cautum fuit, ut patrono semper liceret eadem bona absque ullo Sedis

apostolicae *) vel Ordinarii beneplacito alienare, *dummodo de eadem summa capitali tuto caveret aliterque illam reinvestiret.* Joseph Massobrio patronus hujus pactionis vigore et accedente etiam sententia prolata a tribunali Alexandrino die 13. Junii 1802 eadem bona vendidit Victorio Caselli relictis pro dote canonicatus penes libellis 6222. depactisque fructibus scutorum quatuor in singula centum et annos: eidemque emptori onus imposuit, ut ex annuis fructibus qui vix ad scutata 46 assurgebant *tot Sacra litarentur* quot potuissent *ad manualem.*

Josephi Massobrio filius Stephanus, quem omnino latebant conditiones appositae dum bona subrogata fuerant doti a fundatore statutae putans nullam fuisse bonorum alienationem, sacro huic Ordini preces dedit, ut vacantis praebendae collatione *ad sui vitam* suspensa sibique concredita administratione alienata bona vindicaret.

Auditus de more fuit Episcopus, qui tamen cum in eadem factorum ignorantia versaretur oratoris precibus annuendum esse proposuit. Hinc die 7. Januarii anni 1829 rescriptum prodiit: *Pro gratia suspensionis ad vitam oratoris ad effectum recuperandi bona alienata arbitrio et consientia Episcopi impletis interim pro rata missarum oneribus*, quam resolutionem b. m. Pius VIII. benigne approbavit.

Ast concessi per ejusmodi rescriptum redditus haud satis esse ad impendiosissimam litem finiendam exponit idem Massobrius, adeo ut elargitum indultum frustraneum non foret evasurum, si majori indulgentia donetur. Adest autem in manibus Casellii summa libellarum 2115 pro fructibus decursis et numquam solutis debita, quam in tot missarum stipendia ex praescripto fundationis converti oporteret quamque orator nullatenus consequi potest nisi earum celebrationem doceat.

Rogatus fuit de more Episcopus, qui rebus apprime cognitis narrat errorem super nullitate **) alienationis, in quem orator et curia episcopalis anno 1828 inciderant. Hinc abstinendum ducit a lite, ne redditus frustratoriis expensis distrahatur ac legitimis possessoribus injustae molestiae inferantur, qua de re factum est, ut orator ipse nemi-

*) Vd. *t. I. p. 420. a; p. 441. i; t. II. p. 1064. b; p. 1075. a.*
**) Vd. *t. I. p. 445. m.*

nem adhuc in jus vocaverit. Animadvertit eumdem tum ut nonnulla sibi instrumenta compararet cum in propriae egestatis levamen erogasse libellas 375 ex redditibus decursis, quae in missarum celebrationem impendi debuissent. Haec deinde addit: Enimvero cum fructus capitalis summae quae integram canonicatus dotem constituit pares sint 248 circiter libellis, ad missae vero quotidianae stipendium juxta synodalem constitutionem 432 libellae requirantur, hinc fit, ut nihil omnino oratori supersit ex fructibus, quin imo missam quotidianam implere ex instituta supputatione nullo modo possit.

Hinc proponendum ducerem, ut summae capitali canonicatus addatur summa libellarum 2114 quas Casellius retinet, atque in emptionem alicujus praedii vel census ad dotis *augmentum* impendatur. Cum tamen fructus novae dotis onus missae qnotidianae sustinendis maxime ob auctam eleemosynam minime sufficiant, proponerem, ut quolibet die festo una missa hora populo commodiore in ecclesia collegiata s. Mariae ad Nives praescribatur, pro rata vero fructuum, qui remanent, tot missae infra annum in laudata ecclesia ad taxam synodalem celebrentur, nisi tantum miserrimam oratoris conditionem benigne respicientes ad tres tantum qualibet hebdomada praeter missam festivam ejus vita durante reducere dignarentur, oratore ipso tandem absoluto a 375 libellis supradictis, quas imprudens egensque profudit.

Primum quod perpendendum venit in themate illud est, num substineri debeat rescriptum diei 7. Januarii 1829. super quo obloquendi facultas a SSmo Domino Nostro impertita est.

Porro ubi Alexandrinum Episcopum placeat audire res in comperto esse videtur; quippe precibus nullitatem venditionis contestantibus indultum concessum est nulla facta mentione de explicita pactione qua patrono in casu alienandi facultas et arbitrium concedebatur. Deficiente vero licet per ignorantiam asserta causa rescripti rescriptum ipsum corruere translatitium est in jure, *Reiffenst., de rescript. n. 161.* et *Fagnan. in cap.: Super literis de rescript. n. 24.*

Dubitari tamen inde poterit, quod subrogatio stabilium libellis 6022 sola episco-

pali auctoritate inita fuerit: ast licet Episcopi exequutores piarum dispositionum constituantur per *Trid. sess. 22. cap. 8. de ref.* tamen cavere sedulo debent, ne conditiones a testatore minime volitae imponantur, quae pio operi damnum affere possent; porro ejusmodi esse videtur in casu conditio qua facultas patrono concedebatur canonicatus bona suo lubitu alienandi: per eam namque pium opus securitate sua periclitabatur.

Quod si memoratum indultum suo robore consistere debere judicent EE. VV. decernendum tunc erit, an et qua ratione annuendum sit precibus oratoris: agitur enim de eroganda in lites summa ad piacularum hostiarum perlitationem destinata, quod est defunctorum voluntates invertere eosque debitis orbare suffragiis. Pensent itaque EE. VV. num ea sit asserta recuperationis bonorum utilitas, quae suadeat, ut a missarum celebratione aliquandiu cessetur.

In hypothesi vero qua judicatum fuerit de indulti nullitate, tunc perpendenda erunt, quae proponit Episcopus: arbitratur ille primo, ut summa libellar. 2114 quas Caselius retinet in augmentum dotis canonicatus impendatur et pro rata reddituum ex eo cumulo provenientium ita missae reducantur et una quolibet die festo in ecclesia s. Mariae ad Nives celebretur, ex ceteris autem redditibus tot missae ad synodalem taxam legantur. Hoc autem consonum esse videtur menti testatoris, cui major qua fieri potest suffragiorum (quae praedilexit) numerus servaretur, et s. Congregationis doctrinae, quae statuit, quod ubi fructus legatorum sint citra legatarii culpam imminuti omnia onera, proportione servata, pro modo scilicet superextantis quantitatis reducantur, uti legere est *in Urb. 12. Dec. 1761* §: *10.* et in *Bon. Reduct. 7. Julii 1770* §. *13.*

Si vero oratori egestate laboranti velint EE. VV. opem ferre, instat Episcopus, ut ad ejus vitam tres tantum praeter festivam missae qualibet hebdomada celebrandae cohibeantur. Atque istud etiam canonicae disciplinae conveniret, quae patronis egestate pressis ex beneficii patronati bonis succurendum esse suadet, s. Cong. *in Null. Farfen. sub Dot. 2. Decembr. 1786* § *8*, in *Burg. 16. Dec. 1786* §. *5.*

Quod si haec non placeant, videant EE. VV. num satius expediat canonicatus suspensionem imperare, uti saepe in ejusmodi casibus factum est, donec missae quotidianae celebratio ad fundatoris placitum valeat instaurari. Porro ubi redditus hactenus decursi in libellis 2114 investimento tradantur ad augendam canonicatus dotem ex eorum fructibus ad rationem libellarum quinque in singula centum, libellae *centum quinque ac centesima septuaginta* e re trahi possent, et hoc pacto annuus canonicatus redditus ad libellas assurgeret *tercentas quinquaginta tres et centesima septuaginta.* Cum autem adhuc impar hic sit ad sustinendum onus missae quotidianae facillime augeri posset, si missae perlitandae ex hodiernis canonicatus redditibus per aliquot annorum spatium reducerentur ea tamen lege adjecta, ut aliqua libellarum summa ex redditibus obveniens *quotannis deponatur* et investimento ut supra collocetur usquedum conficiatur summa, quae juncta caeteris redditibus celebrationem missae quotidianae substinere valeat. Si id Emis PP. arrideat, definiant, quomodo et per quot tempus Sacrorum celebratio suspendenda sit.

Demum quoad absolutionem seu condonationem libellarum 375, quam impertiendam oratori existimat Episcopus quod bona fide instrumentorum adquisitionem et in propriam substentationem paupertate suadente erogavit, recolant EE. PP. bonam fidem, obligati egestatem justam condonationis causam habitam fuisse in *Feretrana 17. Dezembr. 1808*, in *Mazarien. 2. Junii 1821,* in *Camerinen. Concordiae 17. Decembr. 1825* et alias saepissime.

Quare dirimere dignentur

Dubia:

I. *An sustineatur rescrip. s. Cong. diei 7. Januarii an. 1829?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo annuendum sit precibus oratoris in casu?*

Quatenus vero negative,

III. *An remittendae sint oratoris expensae factae et summae consumptae in casu?*

IV. *An et quomodo impendendi sunt fructus non exacti in casu?*

V. *An et quomodo sit locus reductioni missarum in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative in omnibus.

Ad III; Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad IV: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad V: Affirmative et depositis ex redditibus canonicatus per annos duodecim libellis 150 ad effectus eas investiendi cum solitis clausulis in augmentum dotis canonicatus esse celebrandas dictis durantibus duodecim annis tot missas ad eleemosynam synodalem pro rata superextantium reddituum, expletis vero duodecim annis et auctis redditibus ex hujusmodi investimento esse conferendam praebendam cum obligatione adimplendi omnia onera juxta fundationem, facto verbo cum SSmo etiam super III. et IV. dub.

Die 16. Sept. 1837.

d) Suspensio prorogata propter imminutos redditus praebendarum.

Vd. *Canonicatus* (suppressio).

Nullius S. Martini.

Imminutis praebendarum redditibus ob varias locorum Montium vicissitudines capitulum collegiatae ecclesiae s. Martini nedum reductionem choralis servitii, verum etiam suspensionem duorum canonicatuum die 17. Septembris 1808 ab hac s. Congregatione ad decennium obtinuit. Suspensio ejusmodi iterum iterumque ad triennium prorogata est diebus 16. Decembris 1820 et 24. Augusti 1822. Eadem postea perdurante reddituum exiguitate memorati canonicatus tamquam suspensi habiti sunt et Canonici eorumdem annuos fructus inter se diribuere, quin ulla unquam petita ac indulta fuerit suspensionis prorogatio. Id cum nuper animadvertisset vir Princeps Aloysius Joannes Andreas ab Aneria Pamphilj, qui Collegiatae gaudet patronatu, continuo supplicem huic sacro Ordini obtulit libellum, quo tum absolutionem efflagitat quoad tempus praeteritum pro qualibet omissione, potissimum ob non petitam suis temporibus prorogationem suspensionis canonicatuum, antequam memorata indulta ad suum properarent finem, tum ulteriorem prorogationem inchoandam a die novae concessionis et duraturam usque dum quacumque ratione augeantur redditus.

Emus protector, quem ex more rogaveram, ut s. Congregationem instructam reddere animique sui sententiam pandere dignaretur, retulit, se capitulum Collegiatae interrogasse atque istud animum suum petitae suspensionis prorogationi plane adversum ostendisse, ne ecclesiae splendor et spirituale incolarum bonum diutius dispendium patiantur Vehementer tamen conqueruntur tam de gravi choralis servitii onere sub die 22. Februarii 1823 *etiam ad octavas privilegiatas* porrecto, quam de reddituum tenuitate, adeo ut subductis missarum oneribus quilibet Canonicorum ne annua quidem lucretur scutata quindecim.

At Emus protector oblatis precibus indulgendum putans haec ait: »Ut mentem meam aperiam censeo omnino necessariam prorogationem super suspensione nominationis duorum canonicatuum Collegiatae s. Martini. Si enim hanc initio concessit haec s. Congregatio ad decennium, deinde ad triennium, ob imminutionem fructuum locorum Montium, in quorum redditibus, *si non tota* (ut ait capitulum) *in maxima tamen parte* sita est Canonicorum provisio, uti constat ex mea relatione ad hunc s. Ordinem transmissa anno 1822, jam in propatulo est, eadem perseverante *causa* imminutionis fructuum locorum Montium, effectum eumdem suspensionis nominationis duorum canonicatuum sibi locum vindicare.«

»Ad quod tamen tempus? Productio suspensionis ad tempus, quo collegii Canonicorum redditus quacumque ratione augeantur, eidem collegio non placet »*eo quod abbatia nimis demissa venit cum duorum canonicatuum prolixa viduitate, eo quod capitulum jam tenues percipit redditus, et a suo ecclesiastico exercitio deficiant duo Canonici, eo quod tandem enorme foret incolarum spirituale dispendium*« ut verba sunt ipsorum Canonicorum. Verumtamen his facili negotio respondeo. Defectus ecclesiastici servitii non est timendus ubi omnes Canonici *resideant*, prout ex canonum ecclesiae praescripto tenentur. Ex ipsa enim Canonicorum relatione patet, ei subscripsisse quatuor Canonicos praesentes, et praeter hos Abbatem, reliquos autem esse absentes, videlicet (praeter duos defunctos) invalidum unum, quartum et quintum extra residentiam. Jam vero quod attinet ad duos defunctos Canonicos, etiam si omnem moverit lapidem patronus ut alios in eorum locum sufficeret, neminem tamen reperire potuit, qui canonicali huic exiguae praebendae inhiaret, multoque minus alteri ex iis, cui archipresbyteratus adhaeret. Quod vero spectat *quartum et quintum* cur hi non resident? Alter jamdiu abest ob quaedam

sua negotia, alter, nempe Tomarellius, abest pariter et Romae vivit, fretus (ut mihi relatum est) cuidam rescripto s. Congregationis hujus *causa studiorum,* quamquam annus jam lapsus sit, ex quo sacerdotio auctus est. Eccur itaque hi omnes non resident. Cur non revocantur ad residendum? Cur Abbas qua Ordinarius *haec indulta abessendi* ob asserta negotia non negat? Quidquid cogitare etiam debent Canonici ecclesiasticum servitium hodie et ipsum valde redactum ipsis fuisse ab hac s. Congregatione, ut docet *thesaurus resolutionum* in locis in supplici patroni libello indicatis, ita ut eo magis absurdum esset, si ab hoc ecclesiastico servitio adeo redacto et miti deficere auderent Canonici?«

»Nescio pariter cur substineant Canonici concessa productione suspensionis nominationis ad longum tempus enorme futurum *Incolarum spirituale dispendium.* Agitur enim de parvo oppido s. Martini. In eo atque in ejus agris seu territorio vix reperiuntur mille incolae *in totum.* Age vero in novissima relatione ss. Liminum, quam Abbas et Ordinarius s. Martini transmisit me curante ad hanc s. Congregationem mense Aprilis proximo, aperte deprehendistis PP. EE. haec verba: »Ultra ecclesiam s. Martini adnumerantur tres aliae, quarum una pertinet ad clericos saeculares doctrinae christianae, ubi singulis dominicis exceptis solemnioribus habentur tres doctrinae, intima, media et suprema; *quotidie Sacramenta* administrantur cum frequenti *concursu* et juvenes conviventes in eorum collegio praecipue exteri in humanioribus literis ac in primis elementis sunt omni studio gratis instructi et interdum in philosophicis institutionibus, quod est mihi ingenti laetitiae ipsisque habitantibus commodo et *utilitati pergrandi.*« Hisce sic stantibus ubinam adest *spirituale dispendium* et quidem *enorme* populi, quod timent Canonici, si suspensio nominationis duorum ex octo canonicatuum prorogetur, donec augeantur redditus? Numquid *sex Canonici,* qui semper adesse debent, satis non erunt pro populo, qui vix conflatur ex mille incolis, et cui quotidie *Sacramenta administrant* etiam patres doctrinae christianae?«

»Quare hae Canonicorum querimoniae tanti non sunt, ut me dimoveant a sensu, quod jam pandidi in praedicta mea anni 1822 relatione, concedendae prorogationis supensionis duorum canonicatuum (a die novae hujus concessionis) duraturae, donec quacumque ratione augeantur redditus, quam ipsam clausulam placuit EE. VV. ponere in praefato rescripto de chori servitii reductione. Quod si lubeat EE. VV. tempus aliquod determinare, rogo ne sit perbreve, sed longum. In nostris enim familiis, quae jure nominandi gaudent in tot aliis locis praeter oppidum s. Martini, illud potest contingere, ut patronis e memoria excidat breve praefixum temporis spatium et ita non petant in tempore prorogationem suspensionis, quemadmodum examussim non petiit hodiernus patronus illiusque pater.«

»Atque en factus locus alteri petitioni hodierni patroni super absolutione et sanatione *quoad praeteritum* pro quavis omissione et potissimum ob non petitas suis temporibus in supplici libello expressis tam ab eo quam ab ejus genitore prorogationes suspensionis nominationum de quibus agitur post elapsa decennii aut triennii intervalla. Quam absolutionem et sanationem impertinendam esse duco neque enim ex mala fide omissio processit, sed ex indiligentia patroni hodierni ejusque patris.«

Erit nunc Emorum Patrum decernere:

I. *An et ad quod tempus sit proroganda suspensio nominationis in casu?*

II. *An sit supplicandum SSmo pro absolutione quoad tempus praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad decennium et Ordinarius curat observantiam sacrorum canonum quoad residentiam.

Ad II: Affirmative.

Die 30. Julii 1831.

14) Poenitentialis.

Vd. *Poenitentiaria; Poenitentiarius.*

15) Possessio.

a) Formula et modus.

In nomine Dni. Amen. Per hoc praesens publicum possessionis instrumentum notum sit quod anno . . . . die . . . mense . . . coram venerabilibus et circumspectis viris dominis N. Decano atque N. N. et N. Canonicis ecclesiae cathedralis N. . . in loco capitulari dictae ecclesiae propter et ad infrascripta capitulariter congregatis atque

capitulum ipsius ecclesiae N. . . . facientibus et repraesentantibus in mea, notarii publici testiumque infrascriptorum praesentia personaliter constitutus honorabilis vir D. N. principalis pro se ispo publice dixit et exposuit quod nuper talis Dignitas seu canonicatus et praebenda in dicta ecclesia N., per mortem quondam N. ultimi eorumdem canonicatus et praebendae seu dignitatis N. dum vixit possesoris extra romanam curiam defuncti vacarit et de eadem aut de eisdem per N. N. . . . provideri obtinuit, prout in literis provisionis ibidem in medium exhibuit ipsisque DD. Decano, Canonicis et capitulo intimavit. Quapropter dictus N. se et ad praedictorum canonicatus et praebendae vel dignitatis praefatae ecclesiae N. admitti ac in corporalem, realem et actualem possessionem eorumdem vel ejusdem cum omnibus juribus et pertinentiis per eosdem dominos Decanum, Canonicos et capitulum recipi et admitti sibique de illarum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et distributionibus universis integre respondere instanter postulavit. Quibus quibem literis in dicto capitulo lectis et intellectis dicti domini Decanus, Canonici et capitulum eumdem dom. N. personaliter in et ad praedictorum canonicatus et praebendae vel dignitatis N. in praefata ecclesia corporalem, realem et actualem possessionem cum omnibus juribus et pertinentiis suis vigore dictarum literarum concorditer et nemine contradicente receperunt, induxerunt ac ad canonicatum et praebendam praefatos aut dignitatem admiserunt et in signum verae et realis adeptae possessionis hujusmodi dictus Decanus ipsi dom. N. stallum in parte dextera vel sinistro choro dictae ecclesiae necnon locum in capitulo realiter assignavit. Super quibus omnibus et singulis dictis dom. N. per me notarium publicum infrascriptum fieri petiit instrumentum. Actum in N. sub anno, die et mense quibus supra: praesentibus ibidem pro testibus N. N. et N. in dicta civitate residentibus ad praemissa vocatis, habitis et rogatis et dicti dom. Decanus ac duo vel tres ex dictis dominis Capitularibus pro toto dicto capitulo, suis hic se subscripserunt nominibus etc.

(Correspond. de Rome 4. Julii 1857. p. 300.)

Pisaurien.

Delegatus Sedis apostolicae seu Episcopi occassione tradendi possessionem novo Canonico seu Dignitati *incedere debet in habitu talari vel insignibus propriae dignitati convenientibus.* Sed non potest post assignatum stallum in choro seu locum in capitulo dicto novo Canonico seu Dignitati intervenire in choro ad gratiarum actionem fieri solitam cum cantu: *Te Deum.*

Die 25. Febr. 1758.

b) Jus admittendi.

Camerinen.

Vd. t. II. p. 755. n. 77.

Non ad praepositum nec ad archidiaconum sed ad capitulum ecclesiae Cathedralis spectat jus admittendi novos Canonicos ad possessionem canonicatuum, juxta formam hactenus observatam, ut nempe post fidei professionem et juramentum coram archidiacono vel etiam altero digniori eo absente praestitutum novus Canonicus in statione collocetur per duos Canonicos a capitulo deputandos, nisi alii exequutores in literis apostolicis dati fuerint.

Die 7. Aprilis 1781. dub. 6.

16) Praebenda.

Vd. *Canonia. p. 47.*

Ad dub.: Si canonicatus omnes consistant in quotidianis distributionibus, ipsae praebendae erunt intelligendae? S. C. C. *censuit, quod sic.* (Ed. Gallemart 1616. p. 21.)

Nullum esse posse Canonicum sine praebenda, cum canonia et praebenda adeo conjuncta sint, ut *cui confertur canonicatus debeat assignari praebenda, si quae vacat, et si non vacat, debet expectari vacatio,* ex doctrina *Fagnani in cap.: Cum M. Ferrariensis num. 17. lib. 1. decret. tit. de constit.*

17) Privatio.

a) Concessa propter mores inhonestos.

Vd. *Beneficium* (privatio t. II. p. 758.); *Parochus* (suspensio, remotio); t. II. p. 144. b.

Sorana.

Franciscus Merolli Collegiatae s. Michaelis in civitate Arpini Canonicus cupiens ecclesiam suam ampliori Canonicorum numero decorare nuperrimo, quo sub anno 1829 occubuit, elogio omnia bona cujusdam sui latifundii, quod audit »Castelluccio« ad binos

alios canonicatus in ea Collegiata erigendos sollicite legavit. Quorum jnspatronatus activum favore ipsius capituli reservavit.

Praeter alia autem onera, quae caeteris de capitulo incumbunt, illud imposuit novis Canonicis, ut unicam missam quotidianam juxta mentem fundatoris alterna ipsos inter hebdomada celebrarent.

Primo interim, qui ab anno 1830 hisce canonicatibus aucti commemorantur, duo tum recentes clerici fuerunt, Franciscus nimirum atque Laurentius germani fratres Merolli, Seraphinae Pagnani filii; quorum alter mox apertum liquidumque fecit, se haud qua vocatum in sortem Domini, sed qua captum emolumento canonicatus clericali habitu indutum fuisse. Nam initam jam antea pravam vivendi rationem adeo ipse pejor in diem servasse postmodum visus est, ut exeunte demum Martio anni 1839, sui suique muneris et characteris oblitus clericales vestes quas non semel hactenus in laicales publice commutaverat penitus abjicere haud erubuerit. Haec omnia probe noscens illius Ordinarius Soranae dioeceseos Episcopus ut eum ad bonam frugem revocare quodammodo videretur, coepit erga ipsum paternis antea exprobrationibus uti, quibus tamen ultra biennium in irritum cessis judicis partes cum eodem suscipiendas esse censuit. Quapropter praevio citatorio libello una cum triplici judiciaria monitione hisque bis etiam ad exuberantiam instauratis nec unquam Laurentio aut monitionibus obtemperante aut judicium adeunte, in ipsum veluti contumacem die 5. Februarii anni 1842. sententiam tulit, qua »canonicatum vacantem declaravit a die trigesima prima Martii ac insuper mandavit expediri edicta ad loca solita affigenda pro ejusdem canonicatus collatione cui de jure ad normam fundationis.« Tunc a somno perinde contumaciae suae Merollius expergefactus studuit primum solemnem interponere protestationem apud Capitulares Collegiatae s. Michaelis, ne isti quemvis alium ad ejus canonicatum praesentare auderent et ad hanc dein s. Congregationem appellans Episcopi sententiam infirmandam esse flagitavit.

S. Congregatio remittens Episcopo hujusce appellationis preces accuratam rei informationem ipsum de more percontata est, qui vicissim eas huic s. O. restituens transmisit insimul exquisitum fiscalis promotoris votum, quod cum sententia curiae episcopalis perspicitur omnino congruere. Processus super vita et moribus appellantis solemniter concinnabatur. E quatuor testibus heic prodeuntibus omnes sunt sacerdotes omnesque adeo concordes in juratis eorum delationibus reperiuntur, ut unum fere idemque singulorum testimonium esse videatur. Commune vero illorum testimonium haec perhibet de Merollio, ipsum scilicet nonnisi perraro sive ministerio chori sive sacris aliis ecclesiae functionibus intervenisse; quoties vero intervenisset, adeo oscitanter adstasse, ut ipsius etiam collegis, non secus populo, scandalum pepererit; nec leves praeterea omissiones in implendis oneribus beneficii admisisse; paschali praecepto ferme nunquam satisfecisse, probrosas cum feminis consuetudines semper in deliciis habuisse; arma palam detulisse; aucupiis et venationibus, plusquam etiam laico par esset, indulsisse; vestes, mores et verba saecularium frequenter et ubivis usurpasse; denique et ab anno 1839 indumenta clericalia revera abdicasse et eadem nunquam hucusque resumpsisse et vitam in hujusmodi transformatione licentiorem traduxisse.

Dum in hujusmodi rerum comparanda notitia s. Congregatio versabatur, suas eidem admovit preces Franciscus quidam Vincentii Addrizza filius; qui cum hodie idoneus extet e secundo vocatis a fundatore admitti possit in causa contra Laurentium Merolli. Ubi hic enim in judicio succumberet, ipse ad vacans beneficium certe foret promovendus, quoniam exhausto primo vocatorum genere cum devicto Merollio alteri gentis Addrizza suapte natura locus fieri deberet. Instante igitur Addrizza dubium in calce legendum fuit concordatum, super quo, per interpositum assertorem, haec ipse primus in jure deducens ait:

Honoratos legato sub certa quadam conditione, nonnisi eadem purificata, illud percipere posse, res est pervagatissimi juris. Conditionem vero nihil ad hunc effectum differe a modo et vicissim docet post textum in *L. Si cui 32. de cond. et dem.*, *L. 1. Cod. de his qui sub modo*, *Vinnius instit. lib. 2. tit. 2. §. 31. num. 2.* Sive igitur sub conditione sive sub modo integritatem morum aliasque praerogativas Canonicus testator exegerit ab iis, qui ad suae piae largitatis legata invitandi forent, nunquam profecto decet laetari canonicatu Merollium, quem novimus male usquequaque moratum. Nec

quidquam refert, ipsum jam fuisse in praebendam sui canonicatus institutum eaque proinde non fore spoliandum, ex eo quod instituti minus facile quam instituendi a beneficiis removeri valeant. Quandoquidem haec et alia quaevis regula prorsus exulare debet in themate, ubi res in eum casum excidisse dignoscitur, a quo incipere omnino non potuit. Hinc injuncti quilibet a testatore modi utcumque minime impedire possint, quominus res largita sub iis protinus acquiratur, ipsis tamen non impletis acquisitio resolvatur oportet. *L. Libertas §. hac scriptura ff. de manu miss. test. Bart. in L. Quibus diebus §. Termilius ff. de cond. et demonst.*, *Peret. in cod. lib. 6. tit. 24 n. 3, Duran. de cond. et modis part. 5. cap. 1. num. 40.* Et s. ipsa Congregatio Concilii in *Senogallien. Capellaniae 21. Novembris 1840.* clamat omnes leges fundatorum voluntati favere, ita ut quovis jure in piis ipsorum largitatibus illum exuant, qui conditionibus per eosdem appositis non obsequatur.

Quodsi, utcumque posthabita a Canonico fundatoris voluntate, controversam canonicatus vacationem intervenisse volumus, inductam procul dubio fuisse ob dimissas ab eodem clericales vestes haudquaquam inficias ibimus. Quocirca percensuisse erit post *Clement. 2. de vita et honest. cleric.* disertissimam Concilii Tridentini sanctionem *sess. 4. cap. 6.*, qua clerici cujuscumque gradus et beneficii ea necessitate ad congruos ordini habitus deferendos compelluntur, ut »si postquam ab Episcopo seu etiam per edictum publicum moniti fuerint honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem non detulerint, necnon si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant.« Hisce PP. Tridentinorum praescriptis succinuit fel. record. Sixtus V. in sua constit. *Cum sacrosanctam**) 9. Januar. 1589. §. 2. Quin imo apud omnes fere doctores haec obtinuit sententia, ut clerici non incedentes in habitu et tonsura, in vim Sixtinae constitutionis beneficia amittant ipso jure et facto eaque vacent absque ulla monitione, citatione aut judicis decreto ac aliis tanquam vacantia libere conferri valeant. *Azor. part. 2. lib. 7. cap. 17. q. 1. §. 10*, *Gonz. gloss. 15. numer. 55*, *Barbos. part. 3. de offic. et potest. Epis. allegat. 57. numer. 217.* cum aliis compluribus penes *Monacelli formular. for. eccles. tit. 15. adnot. 2.*

Verumtamen istorum opinio conticescat oportet post editam constitutionem a s. m. Benedicti XIII. sexto Nonas Maji 1725 cujus initium »Catholicae ecclesiae« *) qua rigor poenae privationis beneficii ipso facto juxta Sixtinam incurrendae temperatus fuit remedio sententiae ferendae praevia monitione jurisque ordine ceteroquin servato, veluti in §. 2. ejus constitutionis apertis verbis decernitur. Quam adamussim prae oculis habuisse Soranum Antistitem in Merollium agentem patet ex actorum processu superius relato.

Hucusque Addrizzae jura, quae fusius EE. VV. perlegere dignentur in peculiari allegatione ab eodem tradenda. Subsequi modo deberent Merollii deductiones qui tamen, utcumque ad eas in hanc s. Congregationem proferendas fuerit vadatus, iterum contumax nihil exhibuit. Equidem habentur ex ejus parte duo memorata folia, alterum protestationis cum capitulo s. Michaelis, alterum appellationis ad hanc ipsam s. Congregationem: sed eorum auctor adeo in utraque perplexus et parum sibi constans apparet ut nescio an magis excuset quam accuset praeteritam ipsius cum episcopali curia pervicaciam. Queritur enim antea quod iteratis ipsius exceptionibus neutiquam aures Episcopus praebuerit, imo ne manibus eas contrectare voluerit, utpote sibi allatas per laici tribunalis apparitores. Expendit deinde se nulla unquam poena coerceri debuisse ex abdicatis clericorum insignibus, tum quia ad hujusmodi abdicationem nonnisi precario devenerit et absque ulla deliberatae voluntatis significatione, tum quia illam satis superque suaserint momentosa familiae adjuncta, quae ipsum, ceu aperte fatetur, ad conjugii vota invitare non desinunt. Monet postremo fundatorem nullibi cavisse in suo testamento de obligatione clericalis vestis, saltem circa illos qui e Sede praedilecta nominandi essent; nec privatione canonicatus mulctasse clericos eos, qui ad secularia desideria convolantes beneficii retenti oneribus per alium satisfacere vellent.

Quas quidem animadversiones si conferant EE. VV. et cum praenarrata veritate facti et cum allegatis ab altera parte, probe videbunt quamnam responsionem mereatur

*) Vd. *t. II. p. 147.*

*) Vd. *t. II. p. 149.*

Dubium:

An sententia curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative ad 1. partem, negative ad 2.

Die 8. Aug. 1846.

b) Non concessa propter absentiam et turbines excitatas in regimen saeculare intrusum.

S. Severinae.

Metropolitanae ecclesiae s. Severinae Archipresbyter Franciscus Apa apud Gallorum Ducem Diagonet illius civitatis invasorem mense Julio anni 1806 accusatus fuit praestiti Emo Fabricio Ruffo servitii annis 1798 et 1799 contra democraticum regimen et Gallorum copias et contra ab impiis hominibus undique proclamatam pseudo-libertatem. Comprehensus itaque fuit redux a sua residentiali ecclesia die 11. Julii 1806 institutoque domi sacerdotis Ganini (de quo inferius redibit sermo) militari consilio morti fuit damnatus, cujus tamen executio precibus tunc temporis Archiepiscopi Grisolia fuit dilata, et Archipresbyter fuit ad Cathacenses carceres traductus. Ab his die 26. Julii ejusdem anni Borbonicarum copiarum Dux *la Floresta* eum eripuit semivivum, ut testatur chirurgicae artis professor. Ut vitae, quae bis in mense fuerat in discrimen adducta, et libertati consuleret Archipresbyter dimissoriales a suo Archiepiscopo Grisolia litteras petiit. Jllico petitioni annuit Antistes epistolamque simul dedit Archipresbytero.

Ita vero se habent dimissoriales literae datae die 12. Augusti ejusdem anni 1806: *Tibi dilecto nobis Rev. D. Francisco Apa Archipresbytero et sextae dignitati nostrae Cathedralis et Metropolitanae s. Severinae morum probitate et gravitate nobis probato non processato, inquisito contumaci aliaque canonica censura irretito, ut a civitate s. Severinae loco tuae residentiae discedere possis ac valeas, et juxta mandata Exemi Ducis la Floresta Generalis Imperantis regiarum copiarum serennissimi et augusti Ferdinandi IV. utriusque Siciliae Regis data tibi, et communicata Cathucii septimo Idus vertentis Augusti vaces servitio earum regiarum copiarum facultatem concedimus et impertimur, cum privilegiis omnibus, quae jure tibi ob hanc causam absentiae competere possunt, et cum facultate Missae Sacrificium celebrandi quocumque locorum perveneris de Ordinariorum licentia.*

E vivis erepto Archiepiscopo Grisolia Archidiaconus Ganini, in cujus aedibus habuerant Galli militare mortis consilium adversus Archipresbyterum Apa, fuit Vicarius capitularis electus. Huic laica potestas vulgo *Ministro de Culto* die 20. Aprilis 1811 literas dedit. Ac praeterea nova epistola diei 17. Julii ejusdem anni eidem Vicario dubitanti an hac injuncta methodo judicium conficere deberet responsum dedit, ut judicii formam servaret, quam die 20. Aprilis indicaverat.

Cum inter emigratos Archipresbyter Apa recenseretur, qui Messanam confugerat, ut Ministri Cultus voluntati morem gereret Vivarius, post duos examinatos testes, qui de absentia et seditionibus ab illo concitatis et fuga deposuerunt, citari eumdem mandavit die 29. Augusti anni 1811 penes domesticos et in valvis ecclesiae, ut infra triginta dies, quorum decem pro primo termino, decem pro secundo, et reliquos decem pro tertio ultimo ac peremtorio termino eidem adsignavit, personaliter comparere deberet ad alligandam absentiae juridice relevantem causam, ne archipresbyteratu privaretur, quibus elapsis ad contumacis excardinationem procedendum fore mandavit.

Duobus vix elapsis mensibus die 30. Octobris ejusdem anni suam excardinationis sententiam ita protulit praefatus Ganini tum contra praefatum Archipresbyterum tum contra ejusdem ecclesiae Canonicum Josephum Vitale aeque emigratum. *Visis regali decreto de die 19. mensis Novembris 1810 § VI. ac subsequentbius mandatis per exemum Dominum regalis ministerii Cultus administrum sub diebus 20. Aprilis, 15. Junii et 17. Julii currentis anni jam latis, quibus pro contumaciali beneficiatorum irresidentia provisum fuit satis usque citatione in forma tam respectivae domi quam in valvis hujus regiae metropolitanae ecclesiae legitime expedita et reproducta contra sacerdotes Dominum Franciscum Apa terrae Arcis Bernardae ipsius metropolitanae ecclesiae Archipresbyterum absque animarum cura et Josephum Vitale, qui ab anno 1806 nedum beneficialem residentiam sed et patrios Lares relinquendo ad civitatem Messanam se transtulerint, ubi temere adhuc dicitur incolatum ducere. Contumaci pariter amborum inobedientia in exequendis supradictis ordinibus ad sese praestandum*

intra tempus diebus triginta a jure statutum pro ecclesiae quotidiano servitio in propriam beneficialem residentiam.

Visis denique videndis et praesertim regali mandato die 16. currentis mensis Octobris ac canonicis dispositionibus sac. Conc. Trid. sess. XXIV. cap. XII. de reform. auctoritate sibi commissa qua fungitur dicit atque decernit supradictos Franciscum Apa et Josephum Canonicum Vitale tanto temporis intervallo a beneficiali residentia absentes, juridice monitos et contumaces effectos privandos fore et esse archipresbyteratus et canonicatus respective titulis, gradibus, praebendis, nominibus eorumque juribus, fructibus, emolumentis quibuscumque, ita ut ab hodie in posterum ab iisdem beneficiis archipresbyteratu et canonicatu exauctorati, privati et a praedicto capitulari collegio excardinati semper et in omnibus censeantur, evadant et sint, (quas hoc modo vacantes praebendas de idoneis successoribus provideri posse declaravit) . . . Ita dicit, decernit, privat, excardinat ac omni meliori modo et jure exequi et successive haberi pronunciat.

Reddita Europae pace postquam appulerat ad Parthenopeas oras regia Majestas Ferdinandi I. plures successive delegavit Archiepiscopos instante Archipresbytero Apa, qui in appellationis gradu jus redderent. Verum inito novissimo concordatu inter SSmum eamdemque regiam Majestatem hodie coram EE. PP. causa isthaec proponitur, quam sac. huic Congregationi Sanctitas Sua ablegavit.

Exquirendam prius duxi informationem et votum Archiepiscopi s. Severinae ut audito praesertim capitulo et actuali archipresbyteratus possessore, cui competentem terminum praefigeret ad deducenda jura sua coram sac. Congregatione, referret de Archipresbyteri Apa vita, moribus, an contra eum actum sit servatis servandis, necnon transmitteret acta. En itaque informationis verba: *In antecessum EE. VV. submitto hanc litem et pertinacem controversiam a die, qua s. Severinae Archiepiscopus inauguratus fui, me infelicem et virum dolorum reddidisse ob inflexibilitatem unius, et partis alterius, et quamvis nimio sudore operam navassem ad animos conciliandos semper aerem verberavi.*

Capitulum substinet excardinationem Rev. D. Francisci Apa rite et recte fuisse factam expoliatumque iri secundum jura omnibus privilegiis ac fructibus ejusdem beneficii.

E contra Rev. Apa contendit praeter omne fas actum fuisse contra ipsum ac perinde Archipresbyteratum una cum omnibus fructibus perceptis et percipiendis toto excardinationis tempore, qui nummos aureos mille excedunt, in sui favorem cessisse, propterea quod acriter petit capitulum mulctandum esse ad ipsos solvendos . . .

Me obtuli humillimum mediatorem inter ipsos et sac. ipsam ven. Congregationem si dignabitur decernere D. Franciscum Apa immittendum in possessionem archipresbyteratus nulla habita ratione fructuum etiamsi stet pro eis aliquod adminiculum juris, cum perarduum et perdifficile sit hoc praesertim tempestatis tempore ut ipsi Capitulares hanc summam vel minorem persolvere possint, eo vel magis quia toto isto interstitio temporis ipsi portaverunt pondus diei et aestus. Recolendum nunc venit, quod nec Capitulares talem Archipresbyterum volunt nec ipse Apa ad fructuum cessionem, qui in maxima quaestione sunt, ullo pacto animum flectere vult . . .

De Ema ministerialia litera omnes partes interesse habentes certiores feci, eis competentem terminum praefigendo, a quibus huic inde tantas chartarum copias recepi ut sportam adimplere possim: in istis voluminibus aliud non cernitur nisi maxima dilaniatio ex una et ex altera parte, quaeque omnia in idem redeunt.

Subtiliora volumina tam Capitularium quam ipsius Rev. Francisci Apa selegi, ex quibus totum id, quod negotium facit, s. Congregatio causae meritum plene intelligere potest . . .

De actibus vero, quibus contra oratorem actum est, mihi videtur, etsi non defecisse quantum ad materialem, ritum vero formalem, qui resultare debet ex legitimis facultatibus imperantibus, quoad omnia deficientem video . . .

Quantum vero ad actualem archipresbyteratus possessorem, nullum reperi, cum tale beneficium in praesentiarum penitus sit vacans.

Haec sunt quae EE. VV. secundum meam tenuitatem exponere potui enixe deprecans s. ipsam Congregationem, ut senectutem meam quod fieri potest ab hac tribulatione me eximeret pacifice verba facientem erga unam et alteram contendentem partem.«

His praemissis quae ab utraque parte afferuntur breviter perstringam. Capitulum ita-

que primo animadvertit, non amplius competere Archipresbytero Apa appellationis beneficium, cum infra decem dies hanc non interposuerit, *ex cap. Concertationi de appellationibus in 6.*, nec intra triginta dies *Apostolos**) vel sententiae exemplar SSmo porrigendum obtinuerit ad tradita per text. *in cap. Ex eo eod. tit. et const. Bened. XIV.: Ad Militantis Ecclesiae***) § *43.* Die enim 11. Aprilis 1818 injunctum fuit a regia Majestate Antistiti Amalphitano, ut ab incaepto appellationis judicio desisteret simulque sacerdoti Apa aditus patefactus fuit appellandi ad s. Sedem, quo tamen beneficio usus non est, nisi post unum et nonaginta dies. Deinde *Actorum* formam vindicare autumant Canonici, in quibus summam remissionem, charitatem sacrorumque canonum observantiam a Vicario capitulari adhibitam probare conantur, a quo nonnisi ob morosam irresidentiam Archipresbyterum Apa excardinatum fuisse contendunt. Toti deinde sunt ut excludant a fuga Archipresbyteri urgentem tyranidis causam, imo illum tanquam auctorem inimicitiarum inter privatas familias vel aliorum etiam criminum reum traducunt. Ex quibus concludunt, nedum justam fuisse excardinationis sententiam a Vicario capitulari prolatam adeoque neque distributiones esse reddendas, sed nec eumdem esse ad canonicatum redintegrandum, ne Capitulum sua pace privetur.

Sacerdos vero Apa suorum ingenuitatem morum tum in anteacto tum in praesenti vitae statu vindicat. Et animadvertit primo nullo documento probari insimulata a capitulo crimina. Affert deinde ad probandos suos mores, prudentiam et scientiam testimonium a Vicario capitulari Ganini qui eodem officio functus fuerat anno 1796 emissum, dum eo anno sacerdotem Apa approbavit ad excipiendas in universa dioecesi s. Severinae sacramentales confessiones, idemque probat testimonialibus literis anno 1798 ab Archiepiscopo Grisolia subscriptis. Non inficiatur calumniis propedum oppressum fuisse anno 1801 penes regiam Majestatem, at regii mandati exemplar exhibet in plateis publicis tunc affixi, quo ejus innocentia, honesta ac zelum in exercitio muneris provisoris anno 1799 ac oppositionum futilitas declaratur regiumque jussum sequentis anni 1802 quo fuit praemiis ditatus.

En tamen quid actualis Episcopus habeat in sua informatione quoad anteactos et praesentes sacerdotis Apa mores: »*Si verba facere deberem quantum ad instantias a capitulo factas dicerem Rev. Apa de iis, quibus est incriminatus, jam forsan judicatum fuisse ac propterea pro praesenti articulo esset canere extra chorum . . . de vita vero et moribus oratoris quantum ad praesens attinet valida extant documenta forsan jam exhibita s. isti Congregationi et clarius exarata in isto transmisso D. Francisci Apa quinterno.*

Haec itaque documenta sunt epistola et literae dimissoriales a Praesule Grisolia ad oratorem Cathacium transmissae die 12. Augusti 1806, quas superius exscripsi, ac ulterius legaliter confecta attestatio a publicis representantibus s. Severinae.

Justam vero fugae et absentiae causam fuisse tuetur Canonicus ad declinandam scilicet tyrannidem moraliterque certum mortis periculum, quo in casu persecuti fuga de una in aliam civitatem nedum juri divino positivo scripto *Joan. 7.* sed et naturali consona est ac propterea non solum non potuisse privari praebenda sed neque distributionibus ex text. *in cap. Pastoralis 2 de sent. et rejudic. junct. gloss. in Clem. 1 de statu monachorum* verb. *Causa rationalis* et *in cap. 17 de cler. non resid.*; *ea* etiam circumstantia regiarum copiarum servitio vacasse et ducis la Floresta mandatis obtemperasse ait obtenta prius venia »cum privilegiis omnibus, quae jure ob hanc causam absentiae competere« ceu patet ex dimissorialibus literis ab Archiepiscopo Grisolia datis, ac proinde si ex legitima causa, si de consensu Ordinarii abfuit, nullius esse culpae reum injusteque consequenter damnatum contra *L. Sancimus 22. cod. de poenis, et L. 41. de R. J.* additque nullam fuisse Vicario potestatem hoc judicium conficiendi super absentia probata a defuncto Archiepiscopo. cum in *cap. Novit. ille I. sede vacant.* prohibeatur ipse quidquam innovare contra judicium factum a defuncto Episcopo.

Certum jure canonico est non esse privandos beneficio ceu irresidentes clericos, qui absunt propter potentiam tyranni*) vel domini iniqui, detrusionem injustam in carceres, inimicitias capitales ac timorem mortis ut tradit *text. in cap. fin. de cler. non resid. in verb.*: *excusationem rationabilem; communi-*

*) Vd. *t. I. p. 657 n. 61; p. 578.*
**) Vd. *t. I. p. 583.*

*) Cf. *p. 202. i.*

terque docent doctores *in lib. 3. decretal. tit. 4*; ob justam hanc et urgentem corporalem necessitatem tum fructus praebendae tum distributiones lucrari absentes Canonicos tenent *Fagn in lib. 3. decret. cap. licet de praebend., Joan. Andr.* in verb.: *Corporalis necessitas, Pirhing. in lib. 3. decret. tit. 4. sect. 1. aliique* passim. Utrum vero in themate adsint hae circumstantiae excusantes a residentia judicabunt EE. VV. ex relata superius facti specie.

Quatenus sentiant has revera non adfuisse, tunc perpendent utrum in peragenda sacerdotis Apa excardinatione servata fuerit methodus a ss. canonibus constituta. Sancitum fuit in *cap. Ex parte de cleric. non residen. et ibi glos.* clericum quantocumque tempore absentem a sua ecclesia etiam per decennium vel plus non esse privandum beneficio nisi prius fuerit citatus vel admonitus*) ut resideat, jussitque *Innoc. III. in cap. Ex tuae 11. eod. tit.* expectandos esse saltem sex menses a die citationis si ignoretur ubi absens moram ducat. Statuit vero s. Concil. Trident. *sess. 24. cap. 12. de roform.* non posse Canonicum ultra tres menses abesse a sua residentia, *alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum quos ratione praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia privetur omnino omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia juxta ss. canonum constitutiones procedatur.* Animadvertit itaque *Fagnanus* in citat *cap. Ex tuae*, decretalis hujusce dispositionem immutandam in eo fuisse a Concilio Tridentino, quod ante privationem canonicatus expectandus est lapsus trium annorum, ut poenarum gradus a Tridentino praescripti interea serventur, elapso vero tertio anno et crescente absentis contumacia, si locus ignoretur quo irresidens moratur, esse procedendum per citationem et expectandos esse alios sex menses antequam privetur.

In dubium venire poterit, utrum observatio gradus poenarum, quas praescripsit Tridentinum, ad validitatem sententiae pertineat, adeout nullitate laboret sententia, qua Canonicus post plures illicitae absentiae annos statim privatur praebenda. Nullam esse hanc sententiam in observatis poenarum dictarum gradibus tenent *Fagnan. in cap. Licet num. 25. et 26. de praebend.* et in *cap: Ex tuae num. 14. de cleric. non resid., Reiffenst. in jus can. lib. 3. decret. 4. § 4. num. 130. et seq., Clericat. de benef. discurs. 13. num. 6.* et *Piton. discept. eccl. 34. num. 3*; consonant supremi hujus concessus resolutiones *in Giennen 1587 lib. 4. decret. pag. 233.*, in *Lancianen. Residentiae 13. Januarii 1705.* et in *Romana Canonicatus 3. Decembris 1718.* Id tamen non locum non habere quatenus fructus omnes canonicatus ex distributionibus coalescant, ac proinde licere Ordinario statim post elapsum triennium ad privationem praevia legitima ejusdem Canonici contumacis citatione procedere docent *Ventrigl. in prax. for. eccl. annot. 19. num. 2. in fine, Pignatell. consult. 114. num. 8, Clericat. loco citato num. 7.* et *Piton. loc. citat.* Verum s. Congregatio in *Castrimaris Privationis canonicatus 25. Febr. 1741.* ubi agebatur de Canonico fere a decennio illegitime absenti qui post legalem citationem privatus fuerat ab Episcopo canonicatu cujus fructus in distributionibus quotidianis consistebant proposito dubio:

An sententia privationis lata ab Episcopo sustineatur? respondit: *Negative ex capite nullitatis.*

Porro in casu, de quo agitur, Vicarius capitularis Archidiaconus Ganini, postquam exquisierat a Ministro Cultus, utrum contra emigratos deberet procedere postquam acceperat ab eadem laica potestate procedendum esse per edicti affixionem et privationem memoratam post mensem elapsum ab affixione citationis, statim *mandatis Exmi D. Ministerii Cultus administri ut par est obtemperando* sicut legitur in citatoriis literis et aliis similibus verbis in sententia suum judicium est adorsus nulloque servato praescriptarum a Tridentino poenarum gradu duobus vix elapsis ab affixione citationis mensibus sententiam protulit excardinationis et privationis canonicatus Archipresbyteri Apa, qui dicebatur vulgo, quin certo constaret, Messanae moram ducere.

Ne quid praeterea in hac definienda quaestione desit, recolendum quod habet actualis Archiepiscopus in sua informatione quoad fructus canonicatus metropolitanae ecclesiae s. Severinae et quoad fructus canonicatus Archipresbyteri Apa: *Fructus capituli meae metropolitanae ecclesiae non esse praebendales, sed resultare ex duabus massis, quarum una coalescit ex missis celebrandis, quae jam celebratae fuerunt, et nunc a consociis* (Archi-

**) Vd. *t. II. p. 790. b.*

presbyteri Apa) *celebrantur, altera vero exurgit a sequela chori, dividenda inter praesentes, et jam distributa quotannis fuit.*

Ex hucusque dictis definient EE. PP. quid de validitate sententiae sentiendum, utrum sacerdos Apa sit manutenendus vel potius redintegrandus ad archipresbyteratum, et qui fructus hoc in casu ei sint restituendi et a quo tempore nimirum a die qua comprehensus et detrusus in carcerem fuit vel a die qua fugit Massanam, et modum denique peragendae restitutionis: dirimenda itaque erunt dubia:

I. *An sententia privationis lata a Vicario capitulari substineatur in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sacerdos Franciscus Apa sit in dignitate archipresbyteratus manutenendus et quatenus opus sit ad eamdem redintegrandus in casu?*

III. *An et qui fructus et a quo tempore et quomodo sint ei restituendi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Affirmative a die cessatae perceptionis*) quoad omnes fructus restituendos ab illis, qui eos perceperunt exceptis tamen fructibus provenientibus ex massa pro missis celebratis.

Die 22. Jan. 1820.

18) Qualitas possessoris.

a) Recusanda.

Vd. *t. II. p. 181. n. 26. etc ; Canonicus* (qualitas).

b) Requisita in genere.

Vd. *Beneficiatus* (qualitas t. II. p. 232.); *Canonicus* (doctor); *Canonicus* (ordinatio.)

Alexandrina.

Si agatur de dignitatibus et canonicatibus hortatur s. synodus *Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.* »ut in provinciis ubi commode fieri potest dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico.« Hinc doctores distinguentes dignitates jurisdictionem habentes ab iis, quae nullam habent jurisdictionem, existimant eos qui dignitates absque jurisdictione possident, cum capitulo prodesse debeant industria et consilio, mediocri scientia praeditos esse debere, *Bellet. disquis. clerical. part. 1. de descrip. cleric. §. 4. n. 28, Gonzalez. ad reg. 8. cancell.**) *gloss. 4. n. 69,* qui simul explicans *n. 82* mediocrem scientiam esse dicit, quae cum deliberatione et revolutione librorum addiscitur.

Die 31. Aug. 1771.

c) Requisita ex fundatione.

I. Qualitas originaria.

Vd. t. II. p. 185. n. 27; p. 401 m.; Vd. infra n. II: *Pisana*; p. 249. n. 12; p. 263. a.

Placentina.

Hieronymus Coppalloni Placentinus per actum inter vivos die 29. Aprilis 1671 praebendam canonicalem in collegiata ecclesia s. Antonii ejusdem civitatis Placentinae instituendam curavit. Jus nominandi contulit fratri suo Joanni Dominico ejusque descendentibus masculis, quibus deficientibus illud detulit successive D. Comiti Lucio Arcelli in eadem ecclesia collegiata Praeposito et hoc vita functo DD. Comiti Joanni Arcelli ac aliis praedicti praepositi nepotibus Arcelli, ita tamen, quod nominatio et praesentatio ad hujusmodi praebendam canonicalem semper ad majorem natum illius familiae et agnationis Arcelli spectet et pertineat, hac tamen adjecta lege et conditione quod patronus qui pro tempore fuerit dicti jurispatronatus obligatus sit ad eam praebendam nominare et praesentare unum presbyterum qui sit sacerdos sive in tali aetate constitutus, ut infra tempus legitimum ad presbyteratum promoveri possit et sit civis**) oriundus Placentinus et non exterus . . .

Et si in id contraventum fuerit . . . non solum declarat (fundator) nullam et nullius valoris ipsam nominationem uti factam contra ejus voluntatem, sed etiam privat ac privatum esse vult talem nominantem a dicto jurepatronatus, ita ut in illius locum succedat et succedere debeat ipso facto rev. Dom. pro tempore Prior ecclesiae parochialis ssm. Salvatoris Placentinae.

Deficiente masculina linea familiae Copalloniae ad juspatronatus successit familia

*) Vd. *p. 218. b.*

*) Vd. *t. II. p. 820.*

**) Vd. *t. II. p. 401. m.*

Comitum Arcelli, qui plures peregerunt nominationes, quarum postrema anno 1815. favore sacerdotis Joannis Pantrini. Quo vita functo die 29. Aprilis anni superioris continuo insequenti die 30. ejusdem mensis Comes Hieronymus Arcelli qua primogenitus descendens a Joanne Arcelli ad vacantem canonicatum nominavit et praesentavit sacerdotem Josephum Moja Placentinum. Paucis post diebus nempe die tertia Maji Comes Aloysius Arcelli Hieronymi consobrinus utpote hujus familiae senior suffragium nominationis contulit in sacerdotem Dominicum Devoti domicilio Placentinum, sed natum in paroecia s. Mariae del Taro, quae ad Placentinam quidem dioecesim pertinet, sed subjacet jurisdictioni Communitatis Tornolo in provincia di Borgolare. Porro de utriusque nominationis validitate dubitans Prior seu praepositus paroecialis ecclesiae ssmi Salvatoris die 7. ejusdem mensis Maji devoluto sibi uti ratus est jure utens nominavit eumdem sacerdotem Moja qui jam a primogenito Hieronymo nominationem retulerat.

In hoc itaque rerum statu satius duxit sacerdos Devoti utili adhuc perdurante quadrimestris tempore supplex apud SSmum D. N. instare pro dispensatione quatenus opus sit super defectu »della qualità di cittadino originario di Piacenza.« Interim vero accedit, ut Hieronymus priori revocata nominatione favore sacerdotis Moja suffragium et ipse suum nondum quadrimestri emenso eidem sacerdoti Devoti ope novae nominationis et praesentationis contulerit.

Requisitus Episcopus informationem ac votum auditis omnibus interesse habentibus ac praesertim sacerdote Moja, qui acriter petitioni adversatur, rem uti gesta et narrata est retulit et a voto promendo abstinens solum de nominatis sacerdotibus Moja et Devoti adnotat, quod »ambo sunt bonis moribus praediti et de ecclesia benemeriti, sed sacerdos Moja multo magis. Quidquid vero hac in re statuendum putent EE. PP. enixe rogat, ut ad novas in postremum evitandas quaestiones definire etiam dignentur an nominandi jus seniori vel potius primogenito competat.

Praestat itaque summatim rationum momenta exponere, quae utrimque in exhibitis mihi allegationibus afferuntur, in quibus totius quaestionis ratio sive in jure sive in facto luculenter satis evolvitur.

Defensor sacerdotis Moja petitae dispensationi contraire satagens probat praeprimis sacerdotem Devoti utpote nominatum a Comite Aloysio, seniore sed non primogenito familiae Arcelli, posthabito etiam defectu qualitatis civis originarii Placentini, quo laborat, jus non habere ad controversum canonicatum. Nullam enim in praesens moveri inquit posse dubitationem quin sub appellatione majoris natu non quidem senior, sed primogenitus familiae Arcelli debet intelligi, postquam scilicet usque ab anno 1784 res haec definita fuerit ex tribus conformibus et in contradictione partium latis sententiis in rem judicatam transactis scilicet eo temporis cum similis orta esset quaestio inter seniorem et primogenitum familiae Arcelli; de pertinentia jurispatronatus jure judicioque quaesitum fuit penes tribunal Placentinae curiae et sententia diei 13. Martii 1784 bonum primogeniti jus sancivit. Sententiam confirmarunt postea alter judex ad quem causa delata fuerat et postremo Episcopus quem arbitrum partes constituerant cujus judicio acquieverunt. Tralatitium porro in jure est ex *Leg. Ingenuum 25. ff. de statu hominum*, res judicatas hujusmodi in causa status editas omnes hinc inde collitigantium successores afficere, neque iis amplius contra loqui licere, juxta ea quae passim monet s. Rota uti in *Civitatis Castellanae Jurispatronatus 27. Junii 1831 coram de Rez. §. 9.*

Re enim vera hujusce judicati justitiam vel ex eo patere, quod vox haec »major natu« non omnino semper referenda est ad seniorem familiae, sed apta est etiam ad significandum primogenitum lineae primogenialis, praesertim ubi adhibitum sit latinum idioma ceu in casu; atque ita eam explicat Calepini lexicon, ibi: »Primogenitus, qui primus omnium genitus est, natu major« ut adeo cum aequivoca sit ejus significatio eam facere oporteat interpretationem quae et juri communi et voluntati fundatoris magis consentanea videatur. Quoad commune jus, neminem latet, cum in fideicommissis tum in jurepatronatus, quod iisdem fideicommissorum legibus regitur, hujusmodi vocabulo primogenitum exclusive indigitari, secus enim locus fieret successioni saltuariae, quae utpote in jure odiosissima quolibet in dubio eliminanda est ceu in terminis docet *Piton. de contr. patr. alleg. 100. num. 490.* Optime siquidem perpendit s. Rota in *Majoricen. Beneficii 5. Ju-*

nii 1752. §. *7. coram Cortoda*, ibi: »Licet fundator conceptis verbis certam non designaverit primogenitorum lineam, satis tamen aequipollenter id praestitisse videtur eo ipso quod filium filiamve natu majorem vocavit exindeque ceteros sub nomine descendentium. Per hoc enim constitutus videtur filius filiave major in caput lineae per successivos primogenitos efformandae.« Eadem est doctrina s. Congregationis ad hoc ut saltuaria successio nisi ex diserta fundatoris voluntate aliter constet excludatur, ceu videre est in *Albanen. Canonicatus et capellaniae 16. Januarii 1829.*

Atqui in themate vel ipsa fundatoris voluntas in hujus interpretationis subsidium ac robur afferri merito potest. Exploratum enim in facto est, duodecim ante annos quam Coppallonius canonicatum fundaret, Comitem Lucium Arcelli, qui primus ex hac familia ad jurispatronatus activum vocatus fuit, ejusque fratrem Comitem Franciscum fideicommissum ex omnibus eorum bonis instituisse favore Joannis ex altero fratre nepotis, idque nedum probantibus sed opem quoque ferentibus ceteris hujus germanis fratribus qui ideo huic omnia sua bona cessere. Patet hinc unum Comitem Joannem ac post ipsum primogenitos successivos ab eodem descendentes in hujus familiae veluti capita fuisse constitutos. Merito igitur praesumendum fundatorem sub appellatione majoris natu primogenitum indigitare voluisse ad augendum familiae decus, ceu in votis erat Comitis Lucii a se praedilecti ceterorumque Arcelliorum. Auget praesumptionem ipsa institutionis ratio ac dispositio, qua cautum ut praemoriente Lucio non ejus germanus frater Comes Franciscus jus nominationis exerceret, ceu in hypothesi contraria exercere debuisset qua major natu, sed ut immediate succederet nepos Comes Joannes qui ob delatum fideicommissum in familiae aput constitutus fuerat.

Accedit juspatronatus esse jus honorificum, quod ideo si in aliqua familia erigatur ejusque exercitium detur majori natu tunc inquit *Card. de Luca de feudis disc. 1. num. 8.* sub tali nominatione majoris natu omnino probabilius vocatus censendus est ille, qui magis conspicuam figuram facit majoraschi seu capitis domus. Cum enim tractu temporis dilatata aliqua familia vel descendentia in plures ramos illi qui sunt secundo geniti vel a secundo genitis descendunt soleant effici pauperiores ac longe inferioris ac humilis status, quam sit ille possessor primogeniturae, qui majoraschi vel capitis familiae figuram facit; hinc prorsus incongruum ac verosimili testatoris voluntati contrarium videtur, ut ad hujusmodi actus, quamvis solum praeeminentiales et honorifici, spreto illo qui in domo Magnatis et Nobilis divitis figuram facit admitti debeat ille qui sola ratione aetatis senior ac major erit.

Cumulum hisce imponi ab observantia urget defensor, cum res facti sit primogenitos dumtaxat familiae Arcelli semper nominasse ad canonicatum de quo agitur, quibus favet etiam ultimus status. Maximum autem esse observantiae ultimique status pondus ad jurispatronatus definiendas quaestiones indubii juris est, ceu passim docet s. Rota, ut in *cit. Civitatis Castelli coram de Retz.* §. *8.* ac in terminis praesentis quaestionis *Torre de major. et primogenit. Italiae cap. 41.* §. *8. num. 29.* Observantia praeterea in casu nedum in via interpretativa, sed etiam in praescriptiva vim exserit suam; quippe in rejudicata, de qua supra actum est, et in subsecuta partium acquiescentia illa verificantur extrema quae ad praescriptionem in actibus facultativis inducendam jura requirunt ad monitum *s. Rotae in decis. 115. num. 8. 9. coram Priolo*, in *Mediolanen. Prioratus 11. Decembris 1699. coram Molines* ac alibi passim.

At vero etsi detur juspatronatus activum spectare ad familiae Arcelli seniorem nihilominus sustineri non posset nominatio peracta a Comite Aloisio favore sacerdotis Devoti, absque laesione juris quod Priori ssmi Salvatoris competit. Cautum enim lege institutionis est, ut si patronus alium quam oriundum Placentinum seu civitatis Placentiae nominasset nulla ac nullius roboris nominatio haec foret ac pro ea vice jus nominandi Priori ssmi Salvatoris ipso facto devolveretur. Atqui non controvertitur, sacerdotem Devoti nec origine civem esse Placentinum, quippe et ipse et ejus parentes nati sunt in oppido di Val di Taro, quod nec ad communitatem, imo neque ad provinciam Placentinam pertinet quamvis hujusce dioecesis partem constituat ceu competentis auctoritatis testimonium apud acta exhibitum fidem facit. Jus eapropter eventuale Prioris jam reale evasit; quo jure, cum sacerdotem Moja nominavit, reapse Prior usus est, in

ejusque legitima quasi possessione nunc manet.

Nec sacerdoti Devoti prodest jus civitatis ex domicilio quaesitum; voluit enim fundator eligendum esse civem oriundum Placentinum et non exterum; qua in conceptione verborum fundator non adhibuit vocabulum »oriundus« dumtaxat, quod de eo jure intelligitur qui originem ducit ex loco ubi ejus pater natus est ceu demonstrat *Riganti ad reg. 17. cancell.*) num. 103*, sed addidit etiam »et non exterus« quae expressio cum referatur ad verbum »civis« quamlibet aliam civitatis speciem excludit. Ac reapse contra domiciliarium favore originarii quaestionem in duriori casu resolvit s. Rota in *Senogallien. Canonicatus 1706. coram Ansaldo*, ubi de hoc articulo formiter disputatum fuit.

Jam vero ob eamdem rationem seu deficiente originis qualitate non melius proficeret sacerdos Devoti siquidem, posthabita nominatione Aloisii, si inniti vellet nominatione quam falsis circumventus suggestionibus ejus favore peregit Hieronymus Arcelli. Qua in re praeterea perpendit defensor, integrum Hieronymo non fuisse priorem revocare nominationem ac excludere sacerdotem Moja jam a se nominatum, sed huic illum dumtaxat accumulare; variandi enim potestas quam laicus habet in eo posita est, ut ipse facta praesentatione alium similiter idoneum nominare possit cumulative, ut ajunt, non privative, hoc est alium adjungere illi quem pridem nominaverat, non ut eum rejiciat, inquit *Devoti inst. canon. tom. 1. sect. 4.* §. *50.* Res idcirco hoc in rerum eventu eo reducitur, ut inter nominatos is praeferri debeat qui majoribus polleat ad beneficium assequendum requisitis.

Quae cum ita sint, concludit defensor, perperam a sacerdote Devoti dispensationem super defectu originis postulari cum dispensatio haec repugnet in themate disertae fundatoris voluntati, quam sancte religioseque servandam esse et custodiendam omnia jura clamant, juxta ea quae in terminis monet s. Rota in *cit. Senogallien. Canonicatus. 24. Jan. 1706. coram Ansaldo;* ac insuper laederet jus sacerdoti Moja quaesitum, qui legitima nominationis suffragia retulit, omnibus pollet qualitatibus in fundatione requisitis quique insuper praeferendus etiam foret ob cetera merita, quibus competitori suo longe testante Episcopo praevalet.

Qui partes tuetur sacerdotis Devoti primo loco contendit jus nominationis non ad primogenitum, sed ad seniorem familiae Arcelli spectare, nedum quia verba ipsa a fundatore adhibita »ad majorem natu familiae et agnationis« in sua propria ac naturali significatione accepta hunc sensum praeseferunt, sed quia id suadet et etiam quaedam congruentiae ratio, ut nimirum is jure nominandi polleret, qui pro majori experientia ac maturitate consilii meliorem electionem perficere posset. Pluribus insuper rerum adjunctis hanc interpretationem confirmat orator.

Quando vocatio majoris natu non est restricta ad aliquem particularem stipitem seu lineam, sed est de universa familia et agnatione, tunc etiam in sensu eorum qui pro primogenito scripserunt et deciderunt dicitur inductus majoratus saltuarius, *Bonfinio de fideicom. disp. 23. 52, de Luca de fideicom. disc. 4 et 5.*

Falso addit favore primogeniti invocari observantiam; nominatio enim anni 1782 utpote contradicta et in controversiam adducta ex facto tantum ecclesiasticae auctoritatis, cui delata fuit quaestio, effectum sortita est; altera anni 1815 peracta quidem fuit a primogenito, sed qui una simul senior erat in familia Arcelli, quae circumstantia dubium plane reddit ultimum statum nec juridicam constituere valet observantiam. Quae tamen etiamsi non dubia aut aequivoca vel non contradicta foret nullius habenda esset roboris contra claram legem fundationis, ceu notissimum in jure est. Consequitur hinc nominationem sacerdotis Devoti a legitimo patrono, nempe a seniore, expletam validam renunciandam esse.

Sed quatenus favore primogeniti quaestio dirimenda videatur, res in idem plane recidit, quippe et primogeniti quoque suffragium eidem Devoti non deest. Quin nullitatis redargui possint hujusmodi nominationes proinde ac si ad inhabilem, destitutum scilicet qualitate originis collatae fuissent. Nam ad abundantiam licet rem aliter sese habere demonstrat orator siquidem sano modo intelligatur lex fundationis. Ibi enim non edicitur, ut nominandus debeat esse oriundus civitatis Placentinae sed Placentinus, quod idem est ac dioecesis vel ditionis Placentinae

*) Vd. *t. I. p. 825.*

quo sensu sacerdos Devoti vere civis oriundus Placentinus dici potest quippe natus est in oppido quod nedum ad ditionem Placentinam pertinet, sed dioecesi etiam Placentinae subjicitur. Nota porro est juris censura *Leg. 30. ff. ad Municip.* qua statuitur ut qui ex vico ortus est eam patriam intelligitur habere cui rei publicae vicus ille respondet, et juxta communem DD. opinionem nomine civium veniunt etiam comitantes et territoriales.

Favent huic interpretationi verba quae post prima »sit civis oriundus Placentinus« immediate sequuntur nempe »et non exterus« quae quidem hoc unum aperte innuunt, ut nominandus ad aliam ditionem vel dioecesim non pertineret. In hujus rei confirmationem affert orator particulam apostolicae bullae anno 1722 pro derogatione expeditae favore Caroli Moy, ubi inter alia legitur: Nos eidem Carolo . . . asserenti se ex terra Florentiolae comitatus seu ducatus Placentini Placentinae dioecesis, provinciae praedictae oriundum ac in decimo suae aetatis anno constitutum, nec non etc.

Sed hisce praetermissis perperam objicitur sacerdotis Devoti inhabilitas ob hujusmodi defectum, quo desuper dispensari intra utile tempus ad cautelam postulavit. Nec dispensationi jure obstaculum parare potest contradictor Moja, qui utpote ab illegitimo Patrono nominatus nullum ad canonicatum jus habet. Nec meliori consilio obstaret Prior ssmi Salvatoris ob praetensam juris nominandi devolutionem. Nam intra utile tempus dispensatio petita est; quae praeterea nullum ejus juribus affert praejudicium quippe Comes Aloisius cum nominavit sacerdotem Devoti reservatum sibi, inquit orator, jus voluit alterum nominandi, quatenus prima nominatio invalida renunciaretur: nec aliter plane censendum, quamvis nulla reservatio adesset; firmum namque in jure est, errorem facti in quo (in adversariorum sententia) versabatur Aloisius, quod nimirum sacerdos Devoti qualitate civis originarii Placentini praeditus esset juxta legem fundationis, excusare a poena caducitatis, quae in jure odiosissima est. Ex quo demum infert orator quod etiamsi denegetur gratia dispensationis integrum tamen manere debeat eidem Comiti Aloysio, cui uni utpote seniori familiae Arcelli jus nominandi in praesens competit, ad aliam devenire nominationem, tum nimirum in vim reservati juris tum quia devolutioni locus factus non est.

Hisce utrimque perpensis erit EE. PP. definire

Dubia:

I. *An et ad quem spectet jus nominandi in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super defectu originariae qualitatis favore sacerdotis Dominici Devoti seu potius danda sit institutio sacerdoti Joscpho Moja in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative, ad primogenitum.

Ad II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 28. Mart. 1857.

II. Qualitas sacerdotalis.

Vd. t. II. p. 185. n. 27; p. 236. n. 31; *Canonicus Cath.* (ordinat.; presbyteratum etc.) *Canonicus* (sacerdotio etc.)

Melevitana.

Parochialis ecclesia Terrae Birchircara Melevitanae dioeceseos assignatis pro duodenario canonicatuum numero bonis ab illius tunc temporis rectore Philippo Borg. anno 1639 erecta fuit in Collegiatam datis a s. m. Urbano VIII. apostolicis literis, in quibus ita disponente praefato Philippo patrono de passivo jurepatronatus sic cautum reperitur: »*Quorum omnium* (canonicatuum scilicet) *ac etiam Praepositurae hujusmodi pro tempore possessores juxta mentem dicti Philippi ut infra qualificati ac vita morumque honestate aliisque probitatis et virtutum meritis commendabiles sufficientique literarum scientia praediti necnon ex ipsius Philippi consanguineis tam ex paterna quam materna lineis usque ad quartum gradum inclusive, si qui extiterint, illisque deficientibus alii de familia de Borgiis in dicta terra oriundi eisque non existentibus alii ex eadem terra et si in ea nulli idonei et, ut supra, qualificati reperiuntur ex insula et dioecesi Melevitana . . esse debeant et Capitulum ejusdem collegiatae ecclesiae constituant etc.*« Praeter hasce recensitas qualitates in subjectis nominandis et illa desideratur, ut *iis conferantur, qui actu sunt in sacro presbyteratus ordine constituti.**)

Secuta vacatione duorum canonicatuum

*) Cf. *t. II. p. 236 n. 31.*

alterius nimirum mense Majo 1838 alterius mense Februario 1840, pro illius assecutione supplices extiterunt apostolicae Datariae sacerdotes Antonius Gafa et Franciscus Borg, pro altero supplicavit sacerdos Joannes Micallef, omnes oriundi e terra Birchircara. Ceteris autem in alterutro praeferri mox petiit idem Franciscus Borg apposito etiam in actis mense Septembris 1840 »nihil transeat«, quod licet fundatori sanguine non jungeretur attento tamen cognomento Borg in secunda vocationis sede contineretur, adeoque oriundis simpliciter tertio loco vocatis praeponi mereretur. Rebus sic stantibus datae sunt ab apostolica Dataria literae ad Episcopum Melitensem, ut super concurrentium petitionibus referret.

Ipse tum merita refert Antonii Gafà praelativa in comparatione Francisci Borg, tum bonum jus Joannis Micallef alterum canonicatum implorantis.

Novit ex his apostolica Dataria ad provisionem canonicatuum procedi non posse, nisi solutis prius duabus difficultatibus, altera super passiva vocatione Francisci Borg, altera super qualitate presbyterali, quae deerat Francisco Borg tempore vacationis, scilicet prioris canonicatus, nam quando alter vacavit, eo jam ordine fuerat insignitus. Quare super his controversiis maluit sacri Ordinis suffragium praestolari, quod ut tutius EE. VV. valeant proferre praestat deducta hinc inde jura paucis expendere.

Cum fundatio in prima vocatorum sede designaverit omnes *ipsius Philippi consanguineos tam ex paterna quam ex materna lineis* et quidem taxative *usque ad quartum gradum inclusive* jam animadvertit Franciscus Borg fuisse in ea sede exhaustos omnes sanguine quomodocumque junctos fundatori, adeoque si de *familia Borg* in altera sede loquutus est vocatio sane de aliis quam de sanguine junctis interpretanda est, scilicet de his qui eodem cognomine Borg distinguerentur. Profecto alia prorsus loquendi ratione usus est fundator, dum consanguineos primo loco vocavit, addita nempe declaratione: *ipsius Philippi fundatoris*, et alia dum caeteros de cognomine Borg voluit secundo loco honoratos, nudo enim verbo usus est *de familia de Borgiis* absque ulla adjectione *sua* vel *ejus* aut similium dictionum, quae opportunae de jure sunt ad demonstrandum quod familia intelligi debeat illa tantum fundatoris ad text. *in l. Ex pacto in princip. cum gloss. ff. de aur. et argen. leg. Alexandr. cons. 56. numer. 2 vel 1.* et *Paris. cons. 51. numer. 34. tom. 2.*

Quod si ad excludendos eos de cognomine Borg ex adverso ediceretur, in secunda vocationis sede caeteros consanguineos vocatos fuisse ultra quartum gradum, reponit orator, hujusmodi interpretationem absurdum redolere, primo scilicet, quia inutilia admitteret in fundatione, potuisset enim fundator priori loco consanguineos omnes designare nulla addita restrictione ad quartum gradum: quare per adhibitam in utraque sede vocationis distinctionem aliquid omnino diversum voluisse censendus est. Deinde involveret contradictionem fundator quia in secunda peryodo protraheret in infinitum, quod arctaverat in prima usque ad quartum gradum, praeterea consanguineos ex materna linea (quos diverso donari cognomine necesse est) excluderet secundo loco, quos tamen praedilexerat aeque ac agnatos in primo. Tertio demum id esset contra communem disponendi usum, prout ex se patet consideranti.

Neque datam fundationi interpretationem alienam disserit Franciscus Borg ab ordinata charitate nec idoneo scopo carentem. Abs re enim non est, quod fundator maluerit ad canonicatus vocare eos, qui idem cum ipso ferrent cognomen ad effectum vivam in posteris servandi perpetuo de suis benefactis memoriam. Affectionem vero erga consanguineos, sciunt omnes, languescere post quartum gradum, prout vel ipsa probat ecclesia, dum ultra eum matrimonii impedimenta non protrahit. Aliunde docet experientia, homines facile ferri in eos, qui ejusdem sunt cognomenti, in eadem praesertim civitate, unde etiam praesumptio exurgere solet consanguineitatis etsi temporum injuria tenebris obvolutae.

Post haec jus suum confirmat Franciscus Borg ex publica fama et opinione, quae invaluit in Terra Birchircara, uti colligitur ex longa testium serie ab illo exhibita, qui omnes una voce affirmant, secundo vocatos ad canonicatus Borgianos illos communiter putari, qui Borg cognomen gestant. Quae quidem publica vox seu fama, in antiquissimis praesertim, multum urget ad probandam jurispatronatus pertinentiam, *Cassiodor. dec. 2. num. 4. de probat., Bald. in l. Cum supr. n. 1. c. de rei vindic., Menochius cons. 336.*

num. 14 et 15 lib. 4 et Rota *in Lucana Jurispatr. 26. Junii 1619. cor. Dunozetto num. 12. apud Vivianum.* Et hanc ita firmam in populo asserit competitor Borg, ut nullus audeat vacantem praebendam postulare. Quod si secus in praesenti factum est, id non postulantibus tribuit, qui profecto non comparuissent, nisi omnino excitati fuissent, quod demonstrat ex longo temporis lapsu vacatione primi canonicatus, quo nemo illum impetravit, ac ex denegata ab Episcopo commendatitia, quamquam antea, ut asserit, illam ei promisisset.

His accedit longissimi temporis observantia, quae passim in rebus sub antiquitatis obscuritate latentibns explicare solet, quidnam fundationes in origine praesetulissent, ut in specie firmat *Gonzalez. ad reg. 8. cancell.**) *gloss. 5. § 6. n. 2., Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 4. n. 8., Rota cor. Merlino dec. 15. n. 19. et seq.* ut refert Fargna *de jurep. part. 6. in Leodien. cor. Foscaro 27. Febr. 1719 n. 9.* Ab anno siquidem 1718. collationes complures refert favore Borgiorum, quorum tamen, ut ex fide authentica eruitur, nullus cum fundatore sanguine junctus reperitur. Et in recentissima collatione facta favore Antonii Micallef anno 1827. ubi Vicarius generalis Meliten. uti Delegatus apostolicus literas apostolicas exequebatur exclusit oppositionem factam hujusmodi collationi a Salvatore Borg non alia ex causa, quam ex defectu sacerdotii et aliis qualitatibus in fundatione desideratis admisitque eum uti cognomentum Borg praeseferentem in secunda sede vocationis contineri.

Contra tamen perpendi potest de communi lege juspatronatus relictum familiae ad eos tantum extendi, qui vere sunt de familia et sanguine fundatoris, minime vero transire ad extraneos, *Anchar. in cap. 1. num. 3, Vivian. in praxi Jurisp. part. 1. lib. 4. cap. 10. num. 4.* Eaque tantum pro casuum et circumstantiarum diversitate admitti solet distinctio inter familiam *effectivam et contentivam*, qua in re ea a doctoribus proponitur regula, ut juspatronatus pro familia institutum competat omnibus de eadem familia non solum effectiva, sed etiam contentiva, si vocantur illi de familia simpliciter. *Anchar. cons. 27. num. 6, Mant. de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 12,* si autem illi de familia ipsius testatoris, tunc propter possessivum illud pronomen intelligatur tantum de familia effectiva, et sic competat descendentibus ab ipso testatore vel saltem ab eodem stipite, a quo testator descendit: *Anchar. cons. 43. num. 6, Paris. cons. 31. num. 4. et seq. lib. 3, Rota in Pientina Capellaniae 30. Maji 1597. cor. Lancellotto.*

In facto autem nil est cur ab hac ordinaria juris intelligentia discedamus eamque necessario sequamur interpretationem, qua utitur pro domo sua Franciscus Borg: aliis enim omissis significationibus, quae praefatae dispositioni aptari fortasse possent citra adhibitam ab oratore, haec una praesertim omnium verissima videtur: scilicet fundatorem in secunda sede vocasse familias de suis consanguineis ultra quartum gradum non quidem simpliciter, ut fecerat in prima, sed conditionate, restrictive nempe ad oriundos in dicta terra, ita ut discrimen inter unam et alteram vocationis peryodum non cadat praecipue quoad consanguinitatem vel non, sed quoad originem de dicta terra. Id sane convenit et magis obviae dispositionis lectioni et ordinatae charitati, imo et praecipuae loci circumstantiae, quam ipse fatetur adversarius, cum enim innumerae sint familiae Borg in oppido, opportunum rite visum est fundatori, vocationem ultra quartum gradum ad oriundos consanguineos de dicta terra cohibere, ne temporis lapsu per diversas regiones et oras passiva hujusmodi jura dispescerentur.

Hac posita interpretatione suapte indole evanescunt absurda in adversum elata: non enim inutilis nec contradictoria apparet bina sedes vocationis, ubi opus erat distinguere inter duos casus omnino diversos, nempe inter vocationem absolutam et alteram conditionatam cum qualitate originaria. Charitatis autem ordo ita magis magisque servatur, protracta scilicet etiam ultra quartum gradum fundatoris in consanguineos dilectione, cui sane magis, quam fieri potest, protrahendae lex ipsa jubet quamlibet sumi interpretationem, teste *Pitonio de contr. patron. alleg. 15. n. 16.*

Quoad publicam famam et opinionem et adversam observantiam perpendi posset, famam (quidquid tandem sit de ejusdem existentia) regulariter in jure de se non facere plenam probationem. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 11 n. 21,* et contra germanam interpretationem, ubi ea aliunde

*) Vd. *t. II. p. 820.*

probetur, omni robore carere. Observantiam vero non eam esse, quae oratori suffragari queat. Non enim constat ideo presbyteros de Borg fuisse aliquando auctos canonicatu, quod passivo jure potirentur, imo canonicatus uti beneficia liberae collationis eisdem tributa fuisse erui videtur, quod in ipso collationis actu nulla mentio facta fuerit de eorum passiva vocatione. Quidquid tandem senserit in suo decreto anni 1827 Vicarius generalis, liberum adhuc est quaestionem superiori auctoritate definire, eo magis, quod res inter alios acta aliis nec nocere nec prodesse debet.

Haec de priori difficultate: de altera tradunt enmmuniter ss. canonum DD. qualitatem verbo adjectam (uti est qualitas presbyteralis) adjunctam censeri ipsi verbo juxta tempus illius. Quare inspiciendum est verbum num sit *vacare, praesentare, conferre* et similia, et tunc qualitas requiritur tempore in verbo expresso, *Abbas in cap. Cum cunctis §. inferiora n. 10 de elect., Massobr. in prax. habendi concurs. prael. 7 dub. 21. n. 33.* et fusius *Garcias de benef. part. 7. cap. 1 n. 58 et seqq.* Et punctim *Fargnan. de jurep. part. 5 can. 7 cap. 4 n. 1 explicat, quod annexio sacerdotis facta respectu actus requiritur tempore collationis seu praesentationis.*

His positis erit EE. PP. hujusmodi juris principia cum relatis facti circumstantiis conferre et dirimere

Dubia:

I. *An constet de passiva vocatione Francisci Borg in casu?*

II. *An et quo tempore qualitas sacerdotalis requiratur in casu?*

S. C. resp.

Ad. I: Affirmative.

Ad. II: Affirmative de tempore collationis.

Die 22. Febr. 1845.

Continuatio.

At alter ex causa cadentibus sacerdos Joannes Micallef mox novae impetrans, quoad primum dubium, audientiae beneficium amissum adversa sententia socium Antonium Gafà iterum recuperavit junctisque propterea, ut antea, viribus rursus hodie victorem rapiunt in arenam.

Nihil profecto uovi exhibent in facto, quod totum proinde EE. VV. in ejus temporis syllabo recolere dignentur. Nec diversa urgent momenta juris ab iis, quae tunc etiam allegata fuere, praeter sententiam rotalem, in causa consimili prolatam et in remjudicatam jamdiu transactam. Per assumptum itaque adsertorem in eo quammaxime adlaborant, ut decretam a vobis favore Francisci Borg passivam vocationem evincant nedum adversam literali fundationis sensui, nedum dissonam subsequutae jugiter observantiae, quae optima debet esse ipsius fundationis interpres, verum etiam cum perspectissima ea rejudicata prorsus imcompatibilem. Norunt equidem ipsi, priora duo probationum genera incassum alio certamine adhibuisse, sed cum ea nihil a rationibus abludant, quibus rem illam judicatam Rotae tribunal fundasse videtur, vestro examini rursus ipsa subjicere non dubitant: certi, quod, si nefas est a rejudicata recedere, nec rei judicatae fundamenta debeant contemni. Antecedentem hujusce conclusionis partem ex eo probant, quod resjudicata in causa status sive personae sive rei, et ubi legitimùs interfuerit contradictor, legem constituat inconcussam, quoad alios omnes apud alium quemcumque judicem de simili re certantes eodemque jure utentes. Ita post *text. in l. ingenum ff. de statu hominis, l. licet § final. ff. de Nau. caup. stabul., Scaccia de sentent. et rejudic. Gloss. 14. quaest. 12. num. 1.* tenuit *Rota decis. 675. num. 1. coram Ansaldo* et docet s. haec Congregatio *in Veliterna Taxae seminar. 16. Martii et 20. Aprilis 1771. §. Rejiciendam.*

Evolvunt subinde decisionem in eorum proposito deductam, quae est *Melevitana Canonicatus 14. Maji 1724. coram R. P. D. Corio.* Digito veluti in ea confestim notant sacerdotem quemdam Birchircharianum Petrum Michallef contendisse de uno ex fundatis a Philippo de Borgiis canonicatibus cum Antonio et Josepho, non solum ex Birchircara sacerdotibus sed fundatoris etiam cognomen ferentibus. Notant ulterius ibidem sacrum Auditorium sive ex verbis ipsis fundationis sive ex constanti et assidua tunc usque observantia fundationem apertissime interpretante, omnes a Philippo fundatore ad compendium canonicatuum appellatos in tres ordines distribuisse, quorum primo accensuit tum agnatos quum cognatos praedicti fundatoris ad quartum usque gradum inclusive, secundo caeteros ejus ex Birchirchara consanguineos, tertio sacerdotes quoslibet Bir-

chirchariauos, bene moratos aliisque praetidos qualitatibus a fundatore ipso requisitis. Notant denique Rotam Petro Micallef adjudicasse canonicatum, rejectis Borgiorum instantiis, quia isti ex *simplici denominatione cognominis* haud veniebant inter vocatos secundi ordinis, in tertio vero a magis *qualificato* sacerdote Micallef vincebantur. Facili post nudum negotio inferunt, sese in eadem ac ea anni 1725 hodie versari controversia. Quippe, inquiunt, agebatur tunc temporis, prout nunc igitur, de eadem causa status, de iisdem expendendis contendentium qualitatibus, de re eadem assequenda: res erat praeterea cum legitimis contradictoribus Josepho ac Antonio de Borgiis, quorum scilicet non secus ac hodierni Francisci, adesse in causa principaliter referebat: tandem nec ii diverso a Francisci jure utebantur; nec iste proinde aliter ac ipsi dijudicandus.

Quae nunc ipsi, decisioni insistentes, fusiori calamo discurrunt circa verba fundationis et observantiam, mea haud interest insectari, cum ea omnia in citato folio EE. VV. commode valeant relegere. Melius hinc arbitror ad ea devenire, quae contra adversarium Franciscum Borg iidem praeoccupasse videntur. Cum enim illum ex sola adhuc fatalis reijudicatae conscientia ad incitas redactum fuisse arbitrarentur, facile in aliam opinionem descenderunt, ipsum nempe a prima se tuendi ratione desciscere diversamque inire debuisse. Nec secus rem cessise ajunt. Nam perlustrantes producta ab eodem noviter documenta, in nonnulla se incidisse referunt, quibus Franciscus Philippi consanguineus ex communi cum eodem nedum cognominis, sed stemmatum etiam familiarum distinctione renuntiatur necnon ex arbore quadam generalogica, ibidem nunc antea ad commodum elucubrata. Contra haec igitur priusquam ipsis appetantur, insurgunt statim animadvertentes ob innumeras propemodum Borgiorum familias, non solum Birchircharae verum etiam per universam Molites insulam disseminatas quamlibet procul dubio inter eas exulare propinquitatem ex unica eorumdem cognominum et gentilitiorum stemmatum identitate praesumptam. Quae sane levissima consanguinitatis praesumptio addunt tum solum posset quidquam obtinere, cum de communione honoris tantummodo inter litigantes ageretur, nusquam profecto inter certantes de captando lucro deque jure alteri quaesito intercipiendo, quando patulis et irrefragabilibus probationibus opus est, quae omnem ex adverso conjecturam propellant atque anxietatem, uti *text. in leg. Neque epistolis* et *leg. Non nudis cod. de probat.*, *Alexander cons. 182. numer. 10. vol. 7*, *Parisius cons. 115. numer. 6. vol. 4* et alii innumeri.

Sed jam toti in eo sunt, ut productam arborem generalogicam ab imis radicibus evertant. Monumentum praeprimis aggrediuntur *Giuliana* nuncupatum, quod plerumque invocatur ab adversario ad unum vel alterum ramum arboris fulciendum. Sub hujus monumenti nomine monent audire Melitis archivium quoddam nuptiales asservans tabulas coram tabellionibus exaratas, ex quibus concedunt quidem patere posse veritatem sive sponsalium pactorum sive aliorum civilium contractuum a sponsalibus parum absimilium nunquam tamen volunt per eas testimonia praeberi posse de matrimoniis legitime subsequutis, numquam baptismatum fides quibus dumtaxat veritas revincitur generationum. Nonnullas dein ex »Giuliana« demonstratas generationes sigillatim falsitate redarguunt. Admittunt ultro libenterqe Vincentiam Borg adhuc decennalem in votis sponsalibus concessam fuisse cuidam Andreae pariter Borg, sed certificationes merito desiderant insequuti revera inter eos legitimi connubii: desiderant vel minimum indicium, quo pateat aliquando Bartholomaeum Philippi fundatoris patrem insimul extitisse et germanum fratrem Vincentiae, a qua suam adversarius originem auspicatur. Nec illud praeterea cum adversario renuunt admittere, Antonium videlicet Borg sponsalia cum Joanna Vassalo contraxisse anno 1774; ast ipsos omnino latere fatentur, utrum sponsalia illa rata habita fuerint a sponsis intercesso secum invicem reipsa matrimonio, utrum ii revera Josephum adversarii patrem procreaverint. En quae et quanta inquiunt ex *Giuliana* affulgeat evidentiae generalogiae Francisci. Haud minorem prosequitur lucem ex ea mutuata est alia fere similis arbor cujusdam Cajetani Tonna efformata de anno 1832; quae tamen improbari promuerit sententia Curiae Melevitanae ubi ad eumdem finem et in pari causa fuerat producta. Hanc igitur sententiam ipsi nunc in propatulo ponunt ejusdemque omnes animadversiones contra generalogiam Tonnae vestris oculis observantur, ea abrepti spe,

ut quae sors obtigit arbori Tonnae in curia episcopali eamdem penes EE. VV. Borgii arbor nanciscatur.

Quidquid vero aliunde dicendum foret de harum omnium consanguinitatis probationum validitate, eas hodie serotinas esse concludunt cum in precibus apostolicae Datariae porrectis ex sola cognominis praerogativa caeteris de canonicatu contendentibus praeferri postulaverit Franciscus.

Nec aliud pandidit privilegium in primae causae propositione penes hanc sacr. EE. VV. Congregationem. Ne quidquam igitur, instant, sepposita hodie cognominis praerogativa vinculum consanguinitatis ipse audebit obtrudere. Frustra quod heri alto praeteribat silentio hodie tantopere jactabit. Neque ipsi licuit antehac ignorare rem penitus familiarem. Haec omnia (concludunt) amplius haud parvam in animis vestris insinuare debent PP. suspicionem de ea, quam intempestive adversarius comminiscitur, propinquitate.

At e contra Borgius Vestras antea EE. exoratus, ut ad ea sese referre non dedignentur, quae saepe memorato folio vobis posuit ob oculos quaeque ipsi tum victoriam pepererunt; mox iisdem nunc perpauca tantum supperaddere obtestatur, sed quae tamen sat esse confidit, ut vos PP. perstituri sitis in decisis. Et quasi haec velit statuta vestra consimilibus exemplis magis magisque roborare, nonnullas incipit ex thesauro s. Congregationis recitare causas, quibus iisdem positis facti speciebus idem perpetuo EE. PP. resolverunt. *Rossanen. Capellanie 13. Januarii 1725*, *Comen. Subsidiorum dotalium 17. Februarii 1706.* cum aliis.

Post haec, utcumque hac illac meminisse non desinat, obtentam favore sui resolutionem apprime congruere nedum cum fundationis instrumento, sed cum statutis etiam capitularibus apostolicae confirmationis robore donatis, in duas tamen partes totum suae orationis thema veluti dispertiens in prima objectam sibi decisionem cogitur rejicere, in altera suam cum fundatore consanguinitatem satagit constituere. Spernit ab initio rotalem sententiam, utpote quae e diametro pugnare videatur cum resolutione s. Congregationis, cujus decisionibus Rotae tribunal fasces submittere haud unquam detrectavit *Roman. seu Januen. Legati pii 8. Februarii 1721.* Caeterum subdit oppositam rem judicatam nec sibi obesse nec adversarios juvare posse ex scitissima regula: »res inter alios acta aliis nec nocet nec prodest.« Eo vel magis, quod adeo illius causae Borgii oscitanter sese habuerint in propriis eorum protuendis juribus, ut tota ipsis incuria vertenda sit victoria Micallef, nec utili praeterea novae audientiae experimento curarunt contrariae sententiae in rem judicatam transitum praepedire.

Summam vero decisionis ponderando quaestionem in ea discussam toto coelo a praesenti controversia distare propugnat, sic ut nullam nec vel minimam ambae invicem praeseferant similitudinem. Siquidem ait ibidem nec verbum nec vola de constituenda inter contendentes vocatione passiva, sed tantum de eo dimicatum fuit cujus scilicet favore esset demandanda exequutio literarum apostolicarum legere est *num. 3. praefatae decisionis.* Nec mirum, si Micallef in illo judicio praevaluerit adversus Borgios, cum horum nec cognominis nec patriae certitudo satis patere videretur, num. 5. 7, et eo comperiebantur *illiterati*, ut hac solum de causa suspensi a Divinis edicerentur in decisione, *num. 11.* Quamvis vero ibidem compertum sit Borgios tum etiam praerogativam cognominis ad praelationem inter dimicantes obtinendam in medium praetulisse Rotamque ipsam de hac eorum praesumptione refutanda nimium fortasse sollicitam fuisse: attamen hujusmodi confutationem haud eidem suppeditasse constat veram et peremptoriam decidendi rationem, quae tota immo consistere videtur *in justificatione literarum apostolicarum* ex parte Micallef, necnon in anteriori, quam ipsius Micallef literae prae illis Borgiorum referant, data.

Esto modo praeterea quod Rota sua decisione in tres ordines distribuerit vocatos, esto quod suam sententiam in hacce vocatorum distinctione voluerit stabilire, esto quod Micallef ideo Borgiis praeposuerit, quia eos secundo loco positos haud reperiret. Nil inde clamat Franciscus, nec ex eo, quod Borgii in illa causa venientes rejecti fuerint, sequitur et ipsum hodierno judicio rejiciendum esse. Ingentem siquidem eos inter et ipsum discrepantiam cedere contendit, cum illorum, quin vel imaginem consanguinitatis cum Philippo referrent, etiam cognomen et patria in dubium adducentur, ipse vero nedum Borgiorum ex Birchirchara provenientium, sed et fundatoris consanguineorum albo

certo sit adnumerandus. Idque in continenti studet demonstrare prodita suae genealogiae arbore, qua se ex Vincentia Borg et Andrea similiter Borg, altera amita, altero fundatoris agnato recto tramite descendisse constat. Delatas in eadem arbore generationes documentis et matrimonialibus libris ut plurimum de promptis colligat; quod si necessitate complexus aliquod ex iis eduxit, ex *Giuliana*, sub hac appellatione, vel eo certiorante qui ipsam custodit atque moderatur, nil aliud venire subjungit, quam publicum folium quo descendentias omnes familiarum adinvenire est et ubi harum arbores consuevit semper Melitis concinnari.

Sed et corruente arbore, stare nihilominus suis viribus ipsius consanguinitatem urget Franciscus. Eam tunc ait quam evidenter evinci ex stemmatibus, quae praefert ipse cum fundatore communia. Namque *familiae appellatione lato sumpto verbo veniunt omnes qui ferunt eadem arma et insignia, Barbosa de appellatione verborum, utr. jur. signific. n. 34*, quod etiam receptum est a s. Rotae auditorio. Idipsum scatere inquit ex ipsamet frequentia et antiquitate cognominis Borg in terra Birchircharae. Exinde enim prosequitur haud levis excitatur occasio praesumendi indigenum esse Birchircharae ejusmodi cognomen et ab una eademque familia promanatum, utcumque hujusce facti veritas tot tantorumque saeculorum tenebris obtegatur. Hanc opinionem arisisse etiam fundatori patet ex ipsius tenore fundationis. Siquidem cum in ea Philippus ad vacantes canonicatus ecclesiae paraecialis vocasset primo loco proximiores suos, sive agnatos sive cognatos ad quartum usque gradum inclusive, ordinata charitas postulabat, ut caeteros deinde licet remotiores consanguineos invitaret: ideoque ponens horum loco Borgios Birchircherianos certo sibi persuasum habebat eos omnes nedum inter se invicem, sed ipsimet fundatori sanquine fuisse conjunctos.

Ita certantes ex una parte Michallef et Gafa, ex altera autem Borg, vestram expectant sententiam PP. EE., quorum erit perpensis juribus utrinque fusius distribuendis sequens dirimere

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?

S. C. resp.:

Dilata.

Die 30. Aug. 1845.

Cont. Melevitana.

Allatis jam itaque jurium momentis quae una cum facto EE. VV. in praeteritis foliis recolere dignabuntur en quae contendentes pergunt superaddere. Borgius totus est inprimis, ut de priscis dilationibus magnas perfundat querelas et novas quascumque pro aris et focis avertat. Ait enim, quod falso eas sibi adhuc adversarii studuerint conciliare sub obtentu nova expectandi e Milita documenta, quae brevi decem et septem dierum intervallo poterant obtinere; sed quod ideo hac in causa ipsiis lubeat immorari, ut miserrimum oratorem tandem aliquando sumptibus extenuatum optimam causam deserere cogant. Suam vero paupertatem ejus generis esse demonstrat, ut ad sacros ordines ascendere nequivisset, nisi ipsi Episcopus pensionem scut. 10. 80. super quodam assignasset beneficio impetrata apostolica dispensatione super reliquis scut. 6. 50, quae adhuc opus fuissent ad congruum in ea dioecesi patrimonium constituendum. Rursus, antequam rem penitus ingrediatur, monet se quam confidenter causae suae patrocinium mutuari in iis omnibus documentis, quae ipsemet inquit expiscatus est egregius Advocatus D. Borg Olivier totus hodie penes Melitam ab adversariorum parte quaeque idem adhibuit an. 1833 et 1834 ad evincendam in curia Melitensi propinquitatem cujusdam Cajetani Tonnae cum fundatore totius Collegiatae Philippo Borg. Agit demum et causam pervadens ipsa morasse confidit revulsis contrariarum allegationum fundamentis, quae quatuor esse contendit: ambages, circumventiones, falsitates et cavillationes. Ad ambages refert phenomenon illud quo Antonius Gafà modo cum Micallef proditur in scenam, modo ex eadem eripitur. Ad circumventiones reducit facta et auctoritates, quas reticita plerumque inimica parte ab adversariis ostendit fuisse deductas. Ad falsitates revocat nonnulla adversariorum documenta, quae totidem ipse e diametro oppositis conatur elidere. Ad cavillationes denique subtiles omnes in suam genealogiam tenebris offundendam assutas animadversiones, e quibus ita sese extricare videtur.

Ad ea, quae primum eidem objiciunt, ja-

ctatum hujusce genealogiae stipitem Lucam Borgium haud ex Birchircharа fuisse, bene vero ex pago Birchircarae cognominato Balzan; quandoquidem ibi tum donatio Bartholomaei, tum capitula Vincentiae filiorum ejus gesta referuntur: reponit hasce tabulas nonnisi de contrahentium residentia fuisse loquutas, quin vel minimum de Lucae jam demortui patria praeseferant vestigium. Et quamquam eum adhuc vivum cum filiis ibidem residere dictae tabulae renunciassent, nil incongruum, prosequitur orator, quod ipse patriae suae residentiam cum ea oppidi Balzan tunc temporis commutasset. Quin immo cum pagus Balzan adeo esset Birchircharae conterminus, ut ejus veluti quamdam praeberet continuationem, appellatione Balzan commode venire poterat Birchirchara, non secus ac pars pro toto saepe accipitur et vicisim.

Nec mirum, urget Borgius, si Vincentia aetate decem annorum nupsisse dicatur Andreae, nec mirum si horum filius Antonius uxorem duxerit duodecimo tantum anno post susceptum baptismi lavacrum. Licitae enim et validae sunt hujusmodi impuberum desponsationes,*) tum praesertim, quum malitia suppleat aetatem, ceu docent post *text. lib. 3. decretal. tit. 2.* omnes unanimiter theologi atque canonistae. Et *Corrad. Praxis dispensation. apostolic. lib. IV. cap. 3.* matrimonium refert masculi cujusdam ann. 11. cum faemina ann. 10. Addendum autem quoad Antonium, ipsum in albo baptizatorum haud reperiri cum epocha nativitatis suae. Ex quo merito praesumitur, eumdem Antonium ad sacrum baptismatis fontem haud fortasse neonatum parentes ejus adducere valuisse, quod equidem contingere poterat in turbulentissima illa tempestate, qua universa fere Melitensis insula, civilibus antea religiosisque scissa discordiis, crebris deinde barbarorum vexata excursionibus, captiva tandem in terra aliena commemoratur. *Bosius in eadem historia p. III. pag. 300. 303. 339. 737. 738.* et in ejus *continuatione apud comm. de Pozzo pag. 78. 82. 87. 88. p. 1.*

Nec illud pro veritate infertur, insistit Borgius, nullum fuisse Philippo fundatori fratrem ex eo, quod si fratres habuisset Philippus, haud universum suum patrimonium erogasset in erigendam Birchircarae Collegiatam nec testamentum ad pias causas condisset, nullis erga suos usus liberalitatibus. Nam hujusmodi largitationes praesumuntur ubi nulla adsit in contrarium certa notities. Leges aliunde municipales solemne in Melitensi insula faciunt arbitrium sive donatoribus sive testatoribus extraneos ex asse instituendi, nisi ipsis subsint infra tertium gradum descendentes, hique pauperes et miserabiles quibus hoc in casu trientem solummodo relinquere juberentur.

Verum nec veteres abdicat orator suae defensionis vias, utcumque suam cum Philippo necessitudinem jam satis superque in comperto posuisse confidat. Perstans adhuc igitur in praerogativa cognominis obtrudenda recitat gradus vocationis a fundatore praestitutos; eosque serio iterum expendens ita in secundo vult esse interpretanda verba illa »alii de familia de Borgiis« ut nonnisi Borgios innuant ex Birchircara sive fundatori affines sive ab eodem extraneos. Namque cum unica esset fundatori familia contentiva eamque initio appellasset, nulla alia sibi supererat propinquorum familia postea invitanda, nisi quam absolute in prima sede jam collocaverat, dein voluisset sibi ipsi fore in secunda substituendam: quod absurdum nihilque insulsius excogitari posset ex mente *s. Rotae in Romana Immissionis Cesarei §. 12.* Et ipsamet vox *alii* sonat liquido diversitatem, ita ut in themate nequeat referri ad eos, de quibus antea fuerat sermo, sed novum importet personarum genus ad tramites *Barbosae tract. de diction. in utroque jur. usufrequent. dict. XXVI.*: Alius *num. 14 et 17.* Eo vel magis quod aliter subsequentia verba »de familia de Borgiis« superflua omnino essent, cum sat fuisset edicere fundatori: alii in dicta terra oriundi. Purus hinc patulusque sensus verborum fundatoris est, ut ei ad compendium canonicatuum invitare secundo loco placuerit non illos Birchircarianos, qui sibi forent sanguine copulati, sed quos omnes Birchircarae idem cum ipso secerneret cognomen. Nec novus nec inusitatus hic obtinet apud Melitenses vocationis ordo, cum idem omnino servatus in consimili fundatione comperiatur in *Melevitana Reaedificationis ecclesiae* s. Congregationi proposita *9. Jul. 1842. §. 2.*

At qui causam dicit pro Micallef et Gafà vel ab ipsa primum judicii sede oratorem vult esse repellendum, utpote qui, vacante controversa praebenda, non adhuc erat sacerdotali insignitus charactere. Porro illud est

*) Vd *t I. p 313. n. 14.*

expresse in votis fundatoris, ut canonicatus ab ipso erecti iis conferantur, qui actu sunt in sacro presbyteratus ordine constituti. Alacri autem fidentique animo cum ipso postea bellum commissurus hisce a contrario argumentis suam arripit orationem.

Si fundator Philippus in secunda vocationis sede suos ultra quartum gradum consanguineos, ut ex Birchircara oriundos, haudquaquam reponere voluisset, exclusisset quodammodo omnes, qui sibi quinti, sexti et ulterioris gradus necessitudine obstringerentur, ut locum faceret cujuscumque generis extraneis contra ordinatam illam in hoc mundo charitatem, quae propinquorum corda fortiter nectit eosque ad invicem juvat et nonnisi expletis inter ipsos mutuae liberalitatis officiis aliis praecipit gratificari. Quapropter dicendum est voluisse ibidem Borgios, sed Borgios sibi cognatos. Utrum hisce Borgiis adversarius sit accensendus, videndum. Affirmat ipse quidem, sed ex eo solum, quod Borgiorum praeferat cognomen, quasi cognomen sonaret cognationem, et unum idemque fuisse erectori nuncupare alios de familia de Borgiis ac alios de cognomine de Borgiis, quod communis adversatur locutionis regulis. Verbo autem *familiae* in jure nusquam venire cognomen, sed proquinquorum descendentiam, singuli expostulant interpretes atque doctores et omnia recipiunt fora. Ita post *text. in l. familiae de verb. signif. Barbosa de appellat. verb. juris. signif. appell. XVII. verb.*: *familia num. 27*, *Alex. cons. 213. num. 1. et seq. lib. 1*, *Paris. consil. 11. num. 5. et 10. vol. 2*, *Menoch. cons. 233. n. 16. et seqq. et consil. 106. n. 218*, *Rota decis. 697. n. 6. part. 1. recentior.* Et aliae innumerae ex nuperimis judiciis.

Nec desunt eorum exempla, qui certantes alias hac de re cum Borgiis victoriam super illis reportaverint, utcumque nequaquam cum ipsis eodem cognomine distincti. Anno siquidem 1649. Joannes Maria Zahara pro duobus Borgiis dimicatum invicem obtinuit canonicatum. Anno item 1673. et 1667 iteratis hisce iisdem decertationibus duo etiam aliis quam cognomine Borgiorum requisitis praediti inter Borgios ipsos praevaluerunt. Unde illud licet arguere, quod etiamsi dubia, incerta et aequivoca videri posset mens fundatoris, optima tamen ejus deberet esse interpres hujusmodi observantia fundationi proxima. Neque hanc observantiam altera contraria imposterum subsequuta fuit eamque veluti absorbuit atque praescripsit. Nam decisio s. Rotae in *Melevitan. Canonicatus 14. Maji 1725 coram Corio* citata superius facta in consimili proposito referens nulla ex adverso commemorat: sic, ut inducta per eadem semel observantia, recte tunc usque suis viribus stetisse praesumatur. Ab ea vero ad nostram usque aetatem haud profecto fas esset recedere a praefata decisione rotali, quae ceu lata in causa status, eadem super re, legitimis adstantibus contradictoribus et in rem judicatam denique transacta, in hodierna dirimenda quaestione loco legis penitus habenda est. Quam veritatem convocatis undique juribus, interpretationibus, auctoritatibus et decisionibus adeo mordicus propuguat ut ea solum voluisse rem conficere videatur.

Ast suum adhuc urgens thema sexaginta testes quorum dimidium sacerdotes profert in medium, qui omnes una voce fatentur.

Quibus concinuit Episcopus in sua Datariae apostolicae reddita informatione. Hinc instat haud secus hodie faciendum esse ex eo etiam, quod in re beneficiaria ultimus status perpetuo sit attendendus. *Rota coram Lancetta dec. 75. num. 7.* Maxime cum ultimus status subverti tentetur ad ampliandum numerum praelative vocatorum, quae quidem odiosa res est. *Card. de Luca de beneficiis discurs. 73. n. 38.*

Ad cognationem tandem deveniens adversarium ingenue monet, quod, si eam se tuendi rationem ipse velit optare, debeat luculentissimis conclusionibus singulos suae a Philippo descendentiae gradus comprobare: quandoquidem vel uno ex gradibus nutante tota corruat oportet descendentia, *s. Rota coram Lancetta decis. 710. num. 4.* Sed dato etiam parumper, subsumit, quod Borgius suam cum fundatore cognationem satis superque valeret ostendere, haud inde tamen in suo cederet proposito, cum jam ipse transcenderit gradus utiles cognationis. Etenim, quem ipse tenet, hujusce cognationis gradum, cum citra decimum non contineatur, nihil sibi prodest ad hoc, ut familiae Borgiorum posset amplius supputari, ad *text. Auth. de haered. ven. ab intest. §. si vero neque frat. et instit. de success. cogn. §. fin.* Et in specie nostra docet *de Luca in cit. discurs. 50 de fideicommissis num. 15.* Et tenet *Rota in Roman. seu Urbevetana Immissionis super 1. dubio 6. Maji 1757 coram Canilliac. §. 4. et 5.* Nec adversa etiam admissa hypothesi

concludit quidquam Borgius proficeret, qui cum ex Vincentia Borg aguata fundatoris Philippi suam auspicetur descendentiam, haud certo ipsius fundatoris agnatis, sed cognatis tantum esset adnumerandus. Generica vero et impersonali nuncupatione »alii de familia de Borgiis« nulla facta mentione de stipite non cognati veniunt, sed sola strictim agnatio vocantis. *Ancaran. cons. 27. num. 16, Rota in Bononien. Jurispatronatus 15. Maji 1741 §. 14. coram Canilliac., coram Olivatio decis. 6. num. 6. t. 1.* Et hoc magis etiam obtinet, quando res est ut in themate de jurepatronatus passivo, ne auferatur patrono activo eligendi libertas. *Rota cor. Falconierio seniore de jurepatronatus decis. 56. numer. 10.*

Ceterum maturius EE. VV. casus erit ponderandus in ipsis utriusque partis allegationibus ut valeant persolvere

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 14. Febr. 1846.

Contin. Melevitana.

In qua resolutione perstiterunt etiam EE. PP. quum demum eadem reproposita quoad primum dubium tantum fuerit die 14. Februarii 1846, insuper adjecta clausula »et amplius.« Cujus sane is fuit effectus, ut apostolica Dataria, de cujus mandato votum decisivum a S. C. editum fuit, literas apostolicas collationis favore enunciati Borg signaverit ad unam ex dictis praebendis vacantibus.

Mox vero sacerdos alter Joannes Baptista ejusdem cognomenti Borg ab ipsa Dataria petiit, ut sibi altera vacans canonicalis praebenda conferetur, ad quam innixus enunciatis resolutionibus S. C. contendit ipsum esse passive vocatum, quippe qui et idem cognomentum Borg ferat. Obstat sed iterum sacerdos Joannes Micallef, qui jamdiu postulaverat ad illam praebendam institui, contendens ideo S. H. O. agnovisse passivam Borgii vocationem, quia per eum, praeter cognomen, deducebatur etiam descendentia a fundatore, ita ut arguendum sit ex mente S. C. utrumque, nempe cognominis et sanguinis extremum requiri. In hoc rerum statu ut rectius procedatur necnon norma pro futuris vacationibus habeatur, Emus Card. Pro-Datarius postulat a s. O. V. declarationem. Cujusmodi postulationi consonum exscribimus in calce dubium.

Utrum vera sint quae asserit contradictor Micallef, res est judicio ac sapientiae EE. VV. definienda omnino reservata. Quia, quamvis ex instituto soleant hinc inde argumenta ad causae definitionem opportuna in folio adduci, non ideo tamen obvium esset cuique rationem decidendi, quae judicum animos ad unam potius quam ad alteram sententiam determinare potuit, unico obtutu scrutari ac deprehendere, maxime ubi plura eaque gravia rationum momenta concurrant.

Illud nihilominus pro nostri instituti ratione animadvertendum hac super controversia censemus, quod nimirum potissima Borg defensio in prima causae propositione versabatur in tuenda unius cognominis Borg sufficientia ad canonicatus assequutionem, quamvis contrarium pluribus cumulatis juribus suadere conarentur qui ex adverso erant, nempe requiri etiam a fundatore descendentiam. In altero vero periculo Borgius contradictorum indulgens hypothesi incumbebat ad suam revera cum fundatore descendentiam demonstrandam, sed eam adversarii nec satis probatam nec imo possibilem dicebant, quia citra decimum agnationis gradum non datur ex jure attinentiam computare.

Nihilominus idem fuit s. Ordinis judicium tum in prima tum in secunda causae propositione.

Ex hac porro judicii firmitate probabilior videtur opinio, Emos PP. censuisse requisitum a fundatore volitum in iis quos secundo vocationis gradu posuit cohiberi ex mente ipsius fundatoris ad solam cognominis Borg identitatem. Secus namque si pertinentiam simul ad sanguinem ipsius verificari opus esse putasset, quum eam ex adverso nerviter in Borg subsistere denegaretur, ut ceteroquin non ideo tuta ac solida videretur probatio adducta ad illam evincendam, jam illud abnorme sequeretur, quod scilicet prima resolutio erronee, altera autem injuste edita esset dicenda, quod quam injuriosum justitiae ac sapientiae sacri Ordinis foret nemo non videt.

Vel ubi effingatur hypothesis, ideo s. C.

censuisse perstandum in decisis, quia satis justificata videri potuit Borg descendentia, etsi remotissima a fundatore, hoc in casu, cum ageretur de circumstantia, quae statum efformare videtur in ejusmodi patronatu passivo, modum saltem addere secundae resolutioni debuisset, ex quo deprehenderetur passivam vocationem, quoad secundum vocatorum gradum, nedum ex cognomine, sed etiam ex consanguinitate resultare debere, quod sane ab instituto s Ordinis alienum esse haud solet. Ceterum haec quae per conjecturas exponimus maturo consilio librabunt EE. PP. cum rationum momentis hinc inde in foliis recensitis, quaeis ne nostro muneri deesse videamur addendum censemus quidquid bini sacerdotes clero Birchircara addicti exponunt in supplici libello s. Congregationi exinde exhibito.

Sed utrum haec ad causam conferant, viderint EE. VV. quibus enodandum proponimus

Dubium:

An pro passiva vocatione ad canonicatus a Philippo Borg institutos sufficiat cognomentum Borg seu potius requiratur simul consanguinitas cum eodem fundatore in casu?

S. C. resp.:

Scribatur Emo Pro-Datario: Juxta mentem.

Die 23. Febr. 1850.

Cont. Melevitana.

Hisce s. Congregationis decisionibus sacerdos Joannes Baptista ejusdem cognomenti Borg ad similis eventus spem erectus illisque fretus continuo apostolicae Datariae supplicem obtulit libellum pro alterius vacantis canonicatus assecutione: obstabat vero sacerdos Joannes Micaleff, qui jam ad illud institui petierat, utpote qui s. Congregationis resolutiones non in una cognomenti Borg, sed in consanguinitatis potissimum qualitate inniti arbitraretur eaque Joannem Baptistam destitui. Porro ad novam hanc controversiam dijudicandam atque certam in futuris vacationibus regulam habendam Emus Cardinalis Pro-Datarius a sacro Ordine declarationem postulavit.

Ast sacer Ordo in conventu diei 23. Februarii 1850 perpendens praedictas resolutiones abstractam minime quaestionem attingere sed unice ad peculiarem speciem referri necnon elementa ad id definiendum necessaria haud sibi praesto esse, rem in medio relinquere posse censuit.

Quamobrem Emus Pro-Datarius per literas diei 4. Julii enunciati anni peculiaris casus quoad Joannem Baptistam Borg examen sapientissimo EE. VV. judicio subjicere curavit, ut decerneretur, an constaret de illius ad beneficium vacans passiva vocatione, quo omnis hodierna controversia spectat. Quandoquidem vero haec cum prioribus jam compositis quaestionibus arctissima colligatione devincitur ac iisdem, quae in illis allata fuere, rationum momentis ad jus suum protuendum ambo contradictores utuntur, quae fusius jam pro eadem causa disceptata sunt ad summa veluti capita contrahens hic recensebo.

Jam in primo periculo nil disertius et splenditius fundationis verbis exoptabat Franciscus Borg, ut passivam in themate vocationem ex uno cognominis argumento sibi vindicaret. Nam cum primam vocatorum classem ipsius Philippi consanguinei tam ex paterna quam ex materna lineis usque ad quartum gradum taxative constituant, consequi sibi videbatur ad eam unice referri ac in ea concludi eos omnes, ad quos ob sanguinis vinculum fundatoris praedilectio ferebatur, ac ideo ob aliam profecto quam consanguinitatis rationem caeteros de familia de Borg ac secundam classem vocatos fuisse: siquidem in primo casu ad consanguineos designandos declaratio adhibetur »ipsius Philippi fundatoris«, in altero vero simpliciter »alii de familia de Borgiis« vocantur, quin aditum sit »tua vel ejus,« unde intelligatur quod familia illa tantum fundatoris esse debeat, ad *text. in leg. ex pacto in princ. cum. gloss. ff. de auro et argent. leg.* Secus enim inutiliter prorsus usque ad quartum gradum vocatio cohiberetur, quae ad omnes inde consanguineos extendi debuisset, quod quidem nec contradictione caret, in infinitum nempe protrahi quod jam arctatum fuerat.

Ad quae evitanda absurda adversarii vocationem consanguineorum secundo loco factam non simpliciter interpretandam esse ut in primo, sed conditionate, restrictive nempe ad oriundos in terra Birchircarae, ita ut discrimen inter unam et alteram vocationis periodum non cadat praecipue quoad consanguinitatem vel non, sed quoad originem de dicta terra, atque ita nomen omnem

evanescere contradictionem inter binas vocationes, quarum una absoluta est, altera conditionata cum qualitate originaria. Hanc autem interpretationem ex jure communi descendere quo cautum est, ut juspatronatus relictum familiae ad eos tantum extendatur qui vere sunt de familia et sanguine fundatoris, minime vero transeat ad extraneos, cum verbo *familiae* in jure nusquam veniat cognomen, sed propinquorum descendentia, ut post *text. in leg. familiae de verb. sign. Barbosa de appellat. verb. juris significat. appell. 17.* verb.: *familia num. 27., Alex. cons. 213. num. 1. et seq. lib. 1.* aliique. Hoc praeterea charitatis ordini magis consentaneum apparere, cum ad reliquos, ultra quartum gradum, consanguineos fundatoris dilectio protrahatur, et loci circumstantiis apprime convenire, nam innumeris extantibus in oppido Birchircarae familiis Borg opportuna videtur dispositio quae vocationem ad consanguineos a dicta terra oriundos cohibeat.

At contra Borg cum *Barbosa tract. de diction. in utroque jure usu frequent. dict. 21. Alius, num. 14. et 17.* observat, non conditionatum sed purum esse verborum sensum, nam verba in altera periodo adhibita absolute et prout jacent accipienda veniunt nulla habita ad primum vocationis membrum relatione, quod manifesto indicat vox *alii*, quae aliud personarum genus importat distinctum ab eo de quo sermo antea fuerat, eo vel magis quod aliter subsequentia verba »de familia de Borgiis« superflua omnino essent, cum sat fuisset edicere »alii in dicta terra oriundi«, ac insuper haud credibile esse fundatorem consanguineos ex materna linea (quod diverso cognomine donari necesse est) excludere secundo loco voluisse etsi in primo eos una cum agnatis vocasset. Aliunde vero compertum haberi, affectionem erga consanquineos post quartum gradum generatim languescere, potius igitur dicendum, fundatorem remotissimis consanguineis eos praeferre maluisse, qui ejusdem cum ipso cognomenti sunt, ne de suis benefactis memoriam ulla unquam deletura fuisset oblivio. Ceterum, ejus opinione, discrimen vel conditio haec originis ideo indicta fuerat, ne scilicet temporis lapsu per diversas regiones et oras passiva hujusmodi jura dispescerentur vel etiam (in adversariorum sensu) quia valida adest praesumptio cognationem aliquam inter eos intercedere qui idem cognomen praeseferunt et ab eadem civitate ortum repetunt.

Praeter haec urgebat publicae famae et observantiae argumenta, quae in antiquissimis praesertim maximi faciendam esse nemo ignorat, per plures namque testes probabat, hanc invaluisse interea Birchircarae opinionem, ut ad canonicatus Borgianos secundo loco vocati ii tantum censeantur, qui Borgi cognomen gestant; plures inde usque ab anno 1718 collationes favore Borgiorum factas referebat, licet cum fundatore eos sanguine minime conjunctos esse constaret.

Reponebant vero ejus competitores cum *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 11. n. 21.* publicam famam (ejus existentia admissa) de se regulariter in jure plenam non facere probationem: de observantia autem non constare, in collatione enim horum canonicatuum Borgiis facta nulla unquam mentio habita fuerat de passiva illorum vocatione: ac re quidem vera nuspiam ob solum cognomen Borg ipsos ceteris praelatos fuisse sexaginta inducti testes fatebantur. Adversam imo in themate erui observantiam, cum non deessent exempla eorum qui certantes alias hac de re cum Borgiis victoriam reportaverint, quamquam non eodem cum ipsis cognomine distincti, ut contigit annis 1649 et 1676 tempore scilicet fundationi proximo, quod quidem maximam observantiae in proposito vim tribuit.

Rem tandem absolvi posse putabant per sententiam rotalem in causa consimili prolatam, quae est in *Melevitana Canonicatus 14. Maji 1723 cor. Corio* in qua s. Auditorium ad secundum vocatorum ordinem referens ceteros ultra quartum gradum consanguineos fundatoris, rejectis Borgiorum instantiis, eorum contradictori Petro Micallef canonicatum adjudicavit, quia illi ex simplici denominatione cognominis haud veniebant inter vocatos secundi ordinis, in tertio vero a magis qualificato sacerdote Micallef vincebantur. Hanc autem sententiam, cum in remjudicatam transisset, legem constituere inconcussam quoad alios omnes apud alium quemcumque judicem de simili re certantes eodemque jure utentes inferebant cum *text. in leg. ingenuum ff. de statu hominis* ac propterea etiam in casu ubi de eadem prorsus causa status agebatur.

Ad hunc declinandum scopulum praemittebat Borg ex hac rejudicata nec adversarios innovari nec sibi detrimentum inferri, quia »res inter alios acta aliis nec nocet nec prodest«, hanc porro minimi roboris esse utpote ortam ex desertione causae, *Rota dec. num. 3. part. 3 recent.*, atque ex Borgiorum incuria, qui novae audientiae beneficium contra latam decisionem minime expostularunt: nec reijudicatae exceptionem officere posse nisi ex identitate juris, rei et personarum, teste eadem *Rota dec. 627. num. 1. part. 19. recent.*

Ipsam inde decisionem ad trutinam revocans ostendebat, haud in ea de passiva vocatione, sed tantum de demandata exequutione literarum apostolicarum agi, ceu legere est § 3. praefatae decisionis, nec satis in eas contendentium Borgiorum cognomen et patriam perspectam haberi, §. 5. 8, et illiteratos eos dici atque ob id a Divinis suspensos. §. 11.

Quidquid vero fuerit de ipsius Rotae opinione circa passivam Borgiorum vocationem ex sola cognominis ratione, non tamen in hoc veram et peremptoriam decidendi rationem statuendam esse edicebat, sed potius in justificatione literarum apostolicarum ex parte Micallef, necnon in anteriori, quam ipsius Micallef literae prae illis Borgiorum referebant, data. Ac denique hanc opinionem jam non esse attendendam, vel quia ei s. Congregationis resolutio in hac causa diei 22. Februarii 1845 manifesto adversabatur vel ex eo quod nulla inter se et illos aderat paritatis vel similitudinis ratio, nam de ejus cognomine et patria haud dubitari potuisset et quod magis est suam cum fundatore cognationem in propatulo ponere paratus erat. Hinc per genealogicam arborem se a Vincentia Borg et Andrea similiter Borg, altera amita altero fundatoris agnato, recto tramite descendisse evincebat; verum et ipse fatebatur non posse de nonnullarum ejusdem arboris generationum nexu constare, nisi documentis ex Giuliana exceptis, sub qua appellatione venit publicorum actuum depositum quae omnium familiarum Melitensium descendentiam demonstrat. Satis insuper ad consanguinitatem concludendam esse stemmata quae ipse praeferebat cum fundatore communia ad tradita per *Barbosam de appellat. verbor. utr. jur. signif. num. 34.* Idipsum scatere ex frequentia et antiquitate hujus cognominis in terra Birchircarae; exinde non levem oriri praesumptionem, cognomen hocce Birchircarae indigenum esse et ab una eamdemque familia promanatum.

Ast non ita facilem huic generalogiae fidem adjungebant ejus adversarii quam imo multis fallaciis involvi ac firmis destitui probationibus deprehendebant. Nam ex Giuliana monumento, quo potissimum haec genealogia innitebatur, veritatem utique sponsalium pactorum minime vero de subsecutis matrimoniis testimonium haberi posse ajebant, atque inde constare quidem Vincentiam Borg adhuc decennalem in votis sponsalibus concessam fuisse cuidam Andreae pariter Borg, ast ignorari prorsus an matrimonium inter eos fuerit subsecutum: hoc autem everso fulcimento et ipsam arborem corruere necesse erat. Praesumptionem autem consanguinitatis ex sola cognominis et stemmatum identitate erutam utpote levissimam nil conferre ad lucrum captandum jusque alteri quaesitum intercipiendum ad quae evidentissimis argumentis opus est, adnotabant cum *Parisio cons. 115. num. 6. vol. 4.* aliisque innumeris post *text. in leg. Nonnullis Cod. de probat.*

Sed contraria admissa hypothesi nec quidquam contendentem Borgium proficere, qui jam decimum idest utilem cognationis gradum transcendit, argumento ex *text. Auth. de haered. ven. ab intest.* §. *Si vero inst. de success. cogn.* §. *fin.*, et a Vincentia Borg agnata fundatoris suam repetens descendentiam non hujus agnatis, sed cognatis erat accensendus: generica vero et impersonali nuncupatione »alii de familia de Borgiis« nulla facta mentione de stipite non cognatos sed solos agnatos venire manifestum erat ex *Ancaran. cons. 27. num. 16.* et ex *Rota in Bononien. Jurispatronatus 15. Maji 1741.* §. *4. cor. Canilliac.*, ac potiori ratione hoc locum habere in jurepatronatus passivo ne patrono activo eligendi libertas auferatur, ex eadem *Rota cor. Falconieri seniore de jurepatronatus decis. 6. num. 10.* Nihilominus s. Congregatio ut superius monitum in decisis standum esse reposuit novique faciendi experimenti veniam denegavit.

Hodiernus itaque orator Joannes Baptista Borg non dubitat, quin Vos EE. PP. ad exacti judicii normam ipsi litem addicturi sitis; eadem quippe quae pro Francisco pro se militare asserit rationum momenta. Ac

primo quidem, cum de ejus patria ac cognomine nulla moveri possit quaestio, jam ex hoc unico capite victoriam sibi futuram confidit. Licet enim noverit, sacrum Ordinem haud definire voluisse qua potissimum ratione pro Francisco Borg judicarit, haud levia tamen suppetere subsumit argumenta ea quibus facile id argui ac tuto conjici valeat. Enimvero, ut ipse rationes a folio mensis Februarii superioris anni mutuatus, argumentatur, summa hujus quaestionis, cum primo praeposita fuit, illuc pertinebat, ut una cognominis qualitas ad canonicatus controversi assecutionem sufficiens decerneretur quamquam et a fundatore descendentiam requiri contenderent adversarii, quam cum in altero periculo evincere studuisset Franciscus Borg, mendacii et falsitatis notam minime effugit, cum tamen in prima aeque ac in secunda resolutione eadem fuerit sacri Ordinis sententia, jam nisi admittatur unicum duarum decisionum fundamentum in una cognominis ratione reponendum esse consequeretur, primam erroneam, alteram injustam fuisse. Quod si ad sententiae confirmationem devenisse dicatur s. Congregatio quia satis probatam ipsius Borg a fundatore descendentiam habebat, cum ageretur de circumstantia quae statum efformare videtur in ejusmodi patronatu, modum saltem addere secundae resolutioni debuisset, ex quo deprehenderetur passivam vocationem quoad secundum vocatorum gradum nedum ex cognomine, sed etiam ex consanguinitate resultare debere, quod sane ab instituto s. Ordinis alienum haud esse solet.

Praeter cognominis requisitum nec sibi addit ceteras, uti in Francisco, deesse qualitates quas fundator reposcit, praeter sacerdotalem scilicet characterem, doctrinam, honestatem vitae atque pietatem, prout ex amplissimo Episcopi Melitensis testimonio liquet. Quamquam vero ex hisce jam satis superque probatam suam passivam vocationem videri arbitretur, tamen ut plenissima absolutaque ejus demonstratio habeatur haud praetermittit et suam a fundatore descendentiam comprobare. Hinc genealogicam arborem satis firmis fulcimentis instructam producit, ex qua certo comperiri asseverat, ipsum tum a Vincentia tum a Bartholomaeo Borg, illa amita, isto Philippi fundatoris patre, ortum ducere et huic ex gemina hac linea uti Franciscus Borg sanguine conjungi; unam quippe eamdemque ambo exhibent genealogiam.

Vel igitur ex consanguinitate vel ex cognomine vel ex utroque simul capite Francisci passiva vocatio s. Congregationi explorata fuerit, cum omnia haec extrema ipsi pariter suffragentur, non aliud sane ab eo judicium in hac causa ferendum esse concludit.

Hisce nil novi quod opponat habet sacerdos Joannes Micallef, nisi quod ad legitimas hujus jactatae descendentiae edendas probationes adversarium suum adigendum esse contendit; hoc autem, subjungit, ab eo sperare nefas, cum impossibilis omnino evaserit hujusmodi demonstratio, prout recolenti quae in citato folio mensis Februarii lapsi anni disceptata sunt manifesto patebit. Ibi enim proditum fuerat, Melitis tribunalia saepe saepius Borgiorum instantias rejecisse qui ad hosce canonicatus contendebant, cum nuspiam suam cum fundatore consanquinitatem probare potuissent. Ad rem autem episcopalis curiae Melitensis sententia in consimili causa die 18. Julii 1832 prolata ob oculos ponebatur, quae, cum pronunciasset »plures quae enumerantur familias cognominis Borg inter se penitus distinctas atque diversas nulloque consanquinitatis vinculo junctas, sed prorsus extraneas esse« quemdam praetendentem Borg a beneficio exclusit, ad quod alium a familia fundatoris extraneum sacertem instituit.

Huc accedebant literae quas Dataria apostolica in collatione alterius Borgiani canonicatus pro sacerdote Josepho Pace eodem anno signaverat. In eis siquidem narratum fuerat, hosce canonicatus deberi »clerico vel presbytero ex linea fundatoris descendenti juxta fundationem clerico vel presbytero ex electa terra oriundo« quod cum Delegatus apostolicus (ad quem literae datae fuerant) diligenti examine comprobasset, ut refert sententia die 8. Martii 1834, eas executioni demandavit.

In hoc rerum statu nonnisi confictas atque dolosas habendas esse censet hujusmodi Borgiorum generalogias, necnon eum audaciae et temeritatis reprehendendum qui, quod jam deletum atque extinctum omnium consensione est, in lucem revocare praesumat.

Haec autem an apte ad praesentem quaestionem relata fuerint, sapienter expendent EE. PP. quibus enodandum proponitur sequens

Dubium:

An constet de passiva vocatione Joannis Baptistae Borg in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 30. Aug. 1851.

Montis Alti.

Quem ab anno 1780. Franciscus Canonicus Ciccolini canonicatum in Collegiata oppidi Rotellae instituendum demandaverat, frater ejus Nicodemus haud multo post erigendum curavit ac in illius provisione varias leges adamussim servandas praescripsit.

Secuta mense Octobris anni 1843 postrema hujusce canonicatus vacatione indicta fuit a capitulo per edictum electionis dies et nullo comparente sacerdote tres clerici, nimirum Fortunatus Mariotti, Bernardus Laurenzi et Alexander Magnalbo supplices adfuerunt pro canonicatus assecutione. Quinque Canonici, qui tunc temporis integrum constituebant capitulum si unus excipiatur Canonicus Passali, qui utpote in Sacris non constitutus a voto repellebatur, preces admiserunt et libratis candidatorum meritis et requisitis Clericum Mariotti rejicientes cum Bernardo Laurenzi Alexandrum Magnalbo in Canonicum elegerunt.

Graves continuo movit querelas clericus Laurenzi apposuitque in curia episcopali *nihil transeat* adversus hujusmodi electionem, conquestus praesertim quod capitulum, despecta patentissima fundatoris voluntate, sibi ceteris omnibus pauperiori clericum Magnalbò ne pauperum quidem numero accensendum praeposuerit. At Episcopus ex alio capite nullius roboris existimans electionem in themate, ex eo nimirum, quod, cum in concurrentibus et maxime in electo qualitas sacerdotalis ab institutore demandata desideretur, super hac qualitate dispensationem ab apostolica Sede antea non retulerint Capitulares ad se spectare jure devoluto canonicatus collationem est arbitratus. Utque cuilibet controversiae finem imponeret ac Collegiatae servitio vacantis praebendae collatione provideret, hunc s. Ordinem adiit dispensationem expostulans pro hac vice a qualitate sacerdotali ob sacerdotum defectum ut possit praebenda conferri uni ex tribus concurrentibus, qui praevio examine aptior ecclesiae servitio reperiatur et ceteris paribus quoad indoneitatem morumque exemplarem integritatem in majori versetur paupertate.

Precibus eidem Episcopo de more remissis ut Capitulares electores tresque clericos contendentes audiret, haec habita sunt interesse habentium responsa. Capitulares Episcopi precibus se undequaque consentire unanimiter professi sunt, hoc unum exoptantes ut pro futuris etiam vacationibus ob facilem in parvo oppido sacerdotum defectum controversia definiretur. Ex tribus autem clericis Alexander Magnalbò in una Capitularium nominatione conquiescit: Fortunatus Mariotti sive paupertas sive idoneitas sive morum honestas in eo spectetur, se unum asserit cui prae ceteris canonicatus debeat adjudicari: Bernardus demum Laurenzi acrius quam ceteri jus suum protuetur. Siquidem exhibitis attestationibus hypothecarum conservatoris, census cancellarii ac plurium oppidanorum se in gravi eaque absoluta paupertate versari probat, dum e contra clericum Magnalbò satis amplum habere censum ostendit: ex quibus infert nullam fuisse praefati clerici electionem, quippe voluntati testatoris adversam, seque unum esse fundationis lege in controversa canonicali praebenda instituendum.

Haec mihi erant in facto praenotanda; nonnulla nunc in jure sunt disquirenda, ut et hodiernae controversiae finis imponatur et similibus evenientibus in futuris vacationibus casibus prospiciatur. Quare plures concinnatae sunt dubiorum formulae, quae ad calcem exscribentur.

Agitur in primo dubio de qualitate sacerdotali, utrum necne in Canonico de quo est sermo requiratur. Et pro hac statuenda ipsa videtur sufficere missarum celebratio Canonico pro tempore demandata ad tradita per *Lambert. de jurep. lib. 2. part. 1. qu. 7. art. 27. num. 9.* et *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 5. num. 9. et 10.*

Verba enim »sia obligato a celebrare« non ad onus sed ad personam dirigi magis verum est, ut advertit *Castillo controversiar. lib. 5. cap. 90. num. 41.* Ex quo illud sequeretur, ut in casu ordo sacerdotalis*) esset omnino necessarius, cum celebratio nequeat per simplicem clericum expleri.

Quod magis confirmatur ex vocabulo *sacerdote*, quod fundator adhibuit. Quippe

*) Vd. *t. II. p. 236. n. 31.*

ex injuncta sacerdotis electione non esse ambigendum videtur quin sacerdotalis qualitas in eligendo requiratur. Quamvis enim sub nomine sacerdotis et alii clerici quandoque comprehendantur, improprie tamen intelligitur; et cum interpretatio fieri debeat secundum verbi proprietatem juxta *Menoch. lib. 1. praesumpt. qu. 28. num. 7.* et *Mantica de conject. lib. 3. cit. 9. per tot.* quando praesertim de hominis quaeritur dispositione consequi debet institutorem vere sacerdotalem constituisse canonicatum. Presbyter enim proprie denotat sacerdotem *ex cap. Cleros 1. §. Presbyter dist. 21.* et *leg. Presbyter. 8. Cod. de Episcop. et Cler.* Et licet versaremur in dubio haud esset aliter sentiendum; eo enim casu non ficte et accidentaliter sumenda est dispositio, sed proprie et naturaliter ad *text. in leg. fin. de his qui veniam aetat. impetrarunt* et *Fusch. tom. 8. tit. V. concl. 102.*, accedit omnium fere usus regionum, quo ex verbo »sacerdote« non simplex clericus, sed verus presbyter ordinatus intelligitur.

Hacteuus expositis vim maximam fortasse adjungit dictio »per altro« verbo »sacerdote« immediate praeposita, quae cum latinae dictioni »tamen« respondeat vim habet dispositionem arctandi ad genus seu coetum vocatum. Ea enim est ex se limitativa et restrictiva ac modum et conditionem importat juxta tradita per *Mart. variar. resol. lib. 1. resol. 51. n. 4, Antonin. variar. resolut. lib. 1. resol. 27. n. 6.* et fusius *Barbosa de diction. usufrequent. in dict. tamen 401. per tot.* In proposita vero specie, ut ex integro orationis contextu colligere fas est, ea ab institutore videtur adhibita ad sacerdotem veri nominis clarius, tutius indigitandum.

Haud tamen contrariae sententiae desunt sua eaque gravissima argumenta. Quidquid imprimis ex imposita beneficiato missarum celebratione opinentur doctores, quorum non una est sententia, indubium profecto videtur minime posse themati convenire. Nam testator difficultatem diminuit ubi dixit »sia obligato celebrare, o far celebrare« quibus verbis per se patet onus expressisse, minime vero personam elegisse. In disjunctivis enim ea est lex, ut implevisse dicatur obligationem qui alterutri satisfecerit.

Praeterea ea est sententia, quae tum in sacrae Rotae auditorio tum in s. hac Congregatione constanter invaluit, ut, nisi vel injuncta fuerit celebratio per seipsum vel ablata facultas celebrandi per alium, ex uno celebrationis onere nunquam valeat beneficium sacerdotale renunciari,*) ut magistraliter fuit resolutum apud *Rotam in Cremonen. Beneficii 3. Februarii 1714. coram Cerro* relata post *Fargna de iurep. part. 2. can. 27. cas. 14.* et apud *s. Ordinem in Firmana Capellaniae 12. Martii 1774.* et in *Cortonen. Capellaniae 13. Februar. 1841.* Quod si electio sacerdotis in hujusmodi dispositione praecribatur, verbum »sacerdote« demonstrative tantum appositum fuisse censetur, et quidem ut non personam eligendi designet sed qualitatem officii juxta celebratissimam theoricam *Lapi in alleg. 35*, cui consonat *Pignatell. consult. 2. n. 16. in fin. tom. 7.* cujus haec sunt verba: »Quando dicitur quod eligatur sacerdos, qui missas celebret, non designatur qualitas pro idoneitate eligendi, sed qualitas muneris exercendi, et idcirco non requiritur quod sit actu vel potentia sacerdos.«

Subinde verbum »sacerdote«, italico praesertim idiomate usurpatum, quoslibet clericos aptum est comprehendere, uti tradit *Pignatell. consult. 2. numer. 6. tom. 1.* quos sequitur *Rota in dec. 496. numer. 8. part. 1. dec. 216. numer. 3. part. 2. recent.* et late in *Melevitana Beneficiorum 16. Junii 1780. coram Falconer.* Quam doctrinam non semel confirmavit s. haec Congregatio praesertim in *Pistorien. Canonicatas 1. April. 1713.* in qua ex fundatione canonicatus pro uno presbytero saeculari futuro ipsius ecclesiae Canonico, qui missas sibi injunctas celebret seu celebrare faciat, disputatum fuit dubium:

An Praebenda erecta a Christophoro de Pannuzzis in ecclesia cathedrali sit presbyteralis? et responsum fuit: Negative. *In Tyburtina Capellaniae 9. December. 1690.* in qua licet fuerit injuncta electio sacerdotis (quod verbum pluries in ea dispositione legitur repetitum) capellaniam tamen non esse sacerdotalem S. O. judicavit, et idem resolvit in *Justinopolitana 23. Novembris 1693.* quam refert *Monacell. in Formular. tom. 2. tit. 15. form. 1. num. 17.*

Idem prorsus suadent plures, quae adsunt in themate, conjecturae. Et primo quidem agitur de praebenda, cujus provisio ad sacerdotes parvi oppidi arctatur, ubi, cum difficile sit sacerdotes invenire, attenta praesertim praebendarum copia, institutor vel de

*) Vd. *t. II. p. 867. b.*

simplicibus clericis cogitasse vel ad summum presbyteris jus tantum praelationis tribuisse censetur. Deinde res est non de simplici capellania, in qua finis principalis est missarum celebratio, sed de canonicatu, in quo testatoris voluntas principaliter fertur in ecclesiae decus chorique servitium, et quidem de canonicatu in Collegiata erecto, cujus jure est capax simplex clericus 14 annos natus et proinde, cum inspecto integro tabularum contextu contrarium expresse non edixerit, ad juris sanctionem sese conformasse praesumendum. Quodlibet demum indubium pro exclusione qualitatis sacerdotalis pronuntiandum esse docent *Barbos. de univ. jur. lib. 3. cap. 5. numer. 30.*, *de Rosa de Execut. lit. apost. part. 1. cap. 6. num. 178.* et *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 5. num. 2.*

Praestat tandem hic referre quoad verbum *sacerdote* doctrinam Cardinalis de Luca, qui rem penitus expendens videtur clarius controversiam explicare. Ipse enim vocabula presbyter et sacerdos primum distinguens *discur. 95. de benef. num. 12.* haec de presbytero addit: »Alii distinguunt an dictum vocabulum (scilicet presbyter) explicatum sit latino vel potius vulgari seu materno sermone, et hoc secundo casu bene procedat id quod supra dicitur presbyteros scilicet dici omnes, qui non sint saeculares, secus autem in primo, quoniam ordo presbyteralis distinguitur ab aliis ordinibus solumque sacerdotium significat, ut in specie advertitur *decis. 216. numer. 3. par. 2. recent.*« Idemque prorsus concludit in *discurs. 61. par. 1. de benef. numer. 11:*

»Quo vero ad vocabulum *sacerdotis* (ita prosequitur in *praef. disc. 96. n. 16)* illud regulariter includit qualitatem sacerdotis *(Buratt. decis. 680. numer. 5. et decis. 496. par. 1. recent.)* Verum et hoc non est extra dubium, quoniam sacerdotis nomen clericis quoque in minoribus convenire post *text. et gloss. in cap. Si quisquam de cohabit. cleric.*, advertitur per *Fabium de ann. cons. 22. numer. 13.* et *Rot. decis. num. 59. num. 22. part. 7. recent. apud Merlin. decis. 685. num. 22 et seqq.* et *decis. 184. num. 14. par. 12. recent.* Unde propterea in dicta decis. 496. adhibetur distinctio sermonis, aut esset latinus vel vulgaris seu maternus, ut primo casu vocabulum aptum sit convenire etiam clericis, secus autem in secundo, stante communi usu loquendi, ut etiam advertitur *decis. 719. num. 3. par. 2. recent.* ubi tamen *num. 4.* advertitur quod reflectendum est, an tale vocabulum directum sit ad omnes praesentandos seu eliligendos vel potius ad primum ex aliqua peculiari ratione vel circumstantia, quoniam exinde ad alios inferri non potest.«

Quod si hisce praehabitis sacerdotalem reputaverint EE. PP. canonicatum superest ut definiant, num actu requiratur sacerdos vel habitu tantum et potentia. Est autem quorumdam sententia, ut qualitas adjecta verbo debeat secundum verbi tempus moderari. Quare, cum fundator Ciccolini jusserit »eleggere, a nominare il Canonico per altro, sacerdote« de tempore electionis seu nominationis requiri sacerdotium sequeretur, ut notat *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 7. num. 27.*

Est tamen perpendendum etiam in curatis beneficiis et aliis expresse ordinem sacerdotalem requirentibus fieri satis dispositioni, si is eligatur, qui valeat intra annum ad sacerdotium promoveri, cui juris sanctioni sese aptasse praesumendus est fundator, cum aliud aperte non disposuerit, et haec adamussim ratio servatur in praxi, ut testatur idem *Amost. loc. cit. num. 34.* et *Roxas. de incompat. p. 5. cap. 3. num. 15.* Potentia enim in habitu idem quod potentia in actu operatur, ut ait *August. Barbos. in axiomat. 184. numer. 4.*

Posita qualitatis sacerdotalis necessitate disquirendum erit in secundo dubio, utrum oppidanorum sacerdotum defectu dari possit locus extraneis. Et supervacanea prorsus hujusmodi dubitatio videri poterit ex patula fundatoris voluntate, ubi disposuit de Canonico eligendo, cum non sit instituenda voluntatis quaestio, si clara est dispositio. Praesertim cum initio periodi adhibuerit verbum *però*, quod veram conditionem importat, ut monet *Rota in Romana Nullitatis contractus 20. Decembris 1756. cor. Paracciano*, et postea dictionem apposuerit »onninamente« quae aequipollet clausulae *in omni casu et in perpetuum* ad tradita per *Fargna de Jurep. part. 6. can. 23. cas. 1. num. 8.* et *Paris. de resign. lib. 11. qu. 11. num. 52.* ac privativam importat concessionem ad expressa, ut videre est apud *Fattinell. respons. 110. n. 49. post tract. de transl. pension.*

At vero idem fundator, cum paulo inferius in eadem orationis periodo addidisset:

»nella concorrenza di altri patriotti«, hoc obtulit dubitandi facultatem. Videant igitur PP. EE. num haec postrema verba absque ulla determinatione in eadem periodo prolata valeant quoslibet exteros comprehendere vel potius ad eos sint cohibenda, qui, licet extra praefatum oppidum ortum habuerint, parentibus tamen in eodem oppido natis gloriantur. Idque magis consentaneum disputationi forsan videbitur, tum ex adjecto vocabulo *altri patriotti*, quod in relatis eamdem exigit qualitatem, tum ex eo quod relatio fieri debet ad proxima. Ceterum, quamvis dictiones et clausulae effrenatissimae supradictae appositae sint ad cohibendam in oppidanos electionem eo tamen omnes spectare videntur ut jus dumtaxat praelativum, minime privativum, ipsis oppidanis efficiant, ne secus postrema verba nella concorrenza etc. inutilia et prorsus otiosa relinquantur.

Quaeritur in tertio dubio de paupertate tantopere a fundatore commendata. Nihil dubii, quin ad canonicatum sit eligendus qui inter pauperes majori premitur egestate: id enim expresse requiritur ex patula fundationis lege. At in eo tota vertitur quaestio, num paupertas sit necessario dimetienda secundum naturam vel secundum statum eam demetiri sufficiat. Minime ambigendum videtur quin verba, praesertim in dubio et ubi agitur de hominis dispositione, in propria ac naturali significatione sint accipienda, prout in casu important penuriam et paupertatem proprie dictam ut tradit *Leoncill. de privileg. paupert. part. 1. qu. 1. n. 25.* Ad naturalem enim et veram verborum proprietatem, quibus disponens fuit usus, inteligi debet directa illius mens et intentio juxta *text. in leg. Non aliter ff. de leg. 3*, *Barbos. vot. dec. 123*, *Mantic. de conject. lib. 6. tit. 6. n. 20.* Idque maxime valere debet in parvo oppido, ubi communiter nemo dicitur nec improprie pauper, nisi qui naturali laboret indigentia. Ceterum, si admitteretur egestas improprie ac lato modo, non reperietur profecto in orbe qui sub aliquo respectu non indigeat et nunquam fortasse fiet, ut piae hominum voluntates quoad pauperum levamen suum sortiantur effectum.

E contra nec inficiandum videtur quod relativa etiam vera dici debeat paupertas, ut notat *Amost. de caus. piis lib. 4. cap. 5. n. 39.* Imo pientissimum esse eis subvenire qui secundum statum non habent sufficientia firmat uno ore *Navarr. in Apologet. de redit. tit. 15. num. 3*, *Sanchez cons. lib. 4. cap. 1. dub. 59* et *Amost. loc. cit. n. 41.*

Et centies sac. haec Congregatio hanc sententiam sua confirmavit auctoritate. Nec in themte male aptari forsan poterit haec dispositio, ubi adversatur clausula a fundatore adjecta quoad electionem a capitulo peragendam in haec verba »incaricandone le loro coscienze«, qua quidem clausula, cum boni viri importet arbitrium juxta text. in *cap.: Non solum de reg. jur. in 6*, *Marchesan. de commission. part. 1. cap. 6. num. 85* et *Barbos. claus. 23. num. 1*, concessisse censetur testator capitulo Rotellae quamdam latitudinem circa paupertatis aestimationem ita ut hujusce dispositionis vi relativam etiam indigentiam in pretio habere ipsis non sit denegandum. Ea est enim DD. sententia ut quando res boni viri committitur arbitrio ipsius arbitrii declarationi, nisi ss. canonibus repugnet vel juri civili, sit acquiescendum, ut tenent *Marchesan. for. cit. cap. 50. num. 79*, *Barbos. dict. claus. 24* et *Menoch. de arbitr. lib. 1. qu. 8. num. 44.* Imo ex praefata clausula, quae monitionem potius quam conditionem inducit, ut docent *Gratian. dec. Mant. 154. num. 9*, *Navarr. cons. 6. off. de leg.*, *Garcias de benef. p. 6. cap. 2. n. 109* et *Solorzan. de jur. Jndiar. t. 2. lib. 2. cap. 7. n. 11.*, deflectere proinde etiam quandoque licere Capitularibus a dispositionis rigore haud incongrue praesumendum esset.

Ex his quae hactenus sunt exposita dijudicabunt EE. VV. num electio seu nominatio a capitulo peracta favore clerici Magnalbo valeat necne sustineri. Posita vero nullitate disquirendum erit in quarto dubio utrum propter eam jure nominationis Capitulares deciderint et factus sit devolutioni locus ad Ordinarium ad formam fundationis.

Cum res sit de ecclesiastico jurepatronatus jure sancitum est, ut patronus ecclesiasticus qui scienter et absolute indignum vel inhabilem praesentat statim pro ea vice praesentandi jure privetur, *Fagnan. in cap.: Cum vos de Off. Ordin. num. 28.* Et hoc merito statuitur de patrono ecclesiastico ad differentiam laici, tum quia primus longius habet tempus ad deliberandum, tum etiam quia jura scire tenetur exacteque inquirere quoad praesentati habilitatem ut docent

Butr. de cap.: Cum Vos de off. Ord. num. 13. et *Fagn. ibidem num. 38.* Perpendendum etiam est, quod nominatio, de qua quaeritur, veram electionem potest forsan exhibere et proinde locum haberet dispositio capitis *Cum in cunctis de elect. §. clerici.* Ex quo cum districte praescribatur privatio et subsequens ad Ordinarium devolutio ob electionem ex quocunque capite irritam, nulla prorsus excusatione juvari possent Capitulares.

Hisce tamen sepositis serius considerandum est, num reapse possit affirmari Capitulares inhabilem scienter nominasse, attenta praesertim dubia vocabuli »sacerdote« significatione necnon arbitrio ex praemissis per fundatorem in ipsos collato quoad paupertatis aliarumque qualitatum aestimationem. Si enim hujusmodi vitium a Capitularium praesentatione tollatur, indubium videtur jure praesentationis eos minime decidisse, quia licet perperam de persona non idonea facta fuerit praesentatio, si tamen id evenerit citra culpam praesentantis, integrum esse etiam patrono ecclesiastico alium praesentare firmant *Lambert. de jurep. lib. 2. qu. 7. art. 21. num. 6. et part. 3. qu. 9. art. 32. num. 3.* et *Ancharan. in Clem. Ut constitutio de jurep. num. 7.* Sapientis enim est quod male fecit revocare et quilibet suum errorem tenetur emendare, ut expresse docet *text. in cap.: Magnae 22. qu. 4, Butr. in cap.: Ecclesia vestra de elect. num. 19.* et *Fargna de jurep. p. 2. can. 3. cas. 3. num. 7.*

Neque obstare videtur *cap.: Cum in cunctis de elect.* Hoc enim de electione proprie dicta loquitur et cum sit poenale et consequenter odiosum, extendi non debet ad praesentationem: magna siquidem est differentia inter electionem et praesentationem, dum electio dat jus in re, praesentatio vero solum jus ad rem: ita *Fargna de jurep. loc. cit. num. 8.* Qualibet tandem in hypothesi excusationem mereri videntur Capitulares nisi ex capite ignorantiae, saltem ex titulo bonae fidei, qua ad nominationem devenerunt.

Viderint tamen EE. PP. num praefati Capitulares eo quod Episcopi precibus ad s. Congregationem porrectis unanimiter consenserunt, reapse juri suo valedixisse praesumantur illudque totum consensione sua in Episcopum pro hac vice transtulerint, ita ut si non titulo devolutionis, vi saltem prafatae cessionis collatio canonicatus debeat ad eumdem pertinere.

Admissa in praecedenti dubio devolutione quaeritur ultimo loco super dispensatione ab Episcopo requisita. Et sane, ubi definiatur perpetua exterorum exclusio simulque firmetur sacerdotalis qualitatis necessitas ambigi profecto non videtur de legitima dispensationis causa: siquidem ea est sanctio ss. canonum, ut non sit permittenda diuturna beneficiorum vacatio, quae sequeretur ex presbyterorum defectu, cum gravi choralis servitii detrimento. Quilibet vero ex tribus clericis, qui pro canonicatus assecutione institerunt, sibi dandam esse dispensationem nititur demonstrare. Clericus enim Mariotti ordinibus minoribus initiatus satagit demonstrare se duobus aliis praeferendum in dispensatione cum, praeter ceteras qualitates a fundatore praescriptas, ea praesertim distinguatur, quamque ceteris institutor commendavit, paupertate nimirum et quidem extrema, eo quod nihil omnino habeat in bonis. Adnotare tamen est, ipsum rejecisse unanimi suffragio Capitulares ea potissimum de causa quia quantum ad eum nec sacerdotii spes affulgebat, ut ipsi ajebant, cum jam tum annum quintum supra sexagesimum excessisset.

Clericus autem Laurenzi, demonstrata authenticis probationibus florenti Magnalbo conditione, cum sola materna illius bona septingenta supra mille scutata aestimentur, se unum esse, cui dispensationis indultum debeat concedi, conatur ostendere. Siquidem omnibus qualitate sacerdotali carentibus eum praeferendum asserit, qui ceteris pollet requisitis et praesertim egestate, ex qua praelationem desumendam districte praecipit fundator: se autem ita pauperem ostendit ut, quamvis nonnulla ab ejus patre possideantur praedia, perinde sit, ac nulla extent eum aere absorbeantur alieno.

Contra tamen clericus Magnalbò, qui cum praefato Laurenzi in legitima 15 vel 16 annorum aetate versatur quique unus patronorum gaudet nominatione, nec sibi paupertatis qualitatem deesse protuetur. Quamquam enim nonnulla se habere bona non inficietur, ea tamen conspicuae familiae suae conditioni comprobat non respondere uti ex parochi deprehenditur testimonio. Quare nisi absolute pauper potest appellari, inopia tamen laborat relativa, quae ab hoc s. Ordine maxime haberi solet in pretio, praesertim cum patronorum nominatione conjuncta ac remoto aliorum praejudicio; in casu vero, posita qualitatis sacerdotalis necessitate, cum nemo reperiatur idoneus, nemini praejudicium irrogatur, eo etiam quia praecipuo deficiente requisito cetera perinde ac si non adessent impune contemni possunt.

Ceterum, etsi plurimum attendatur relativa paupertas in dispensationibus concedendis, videant tamen EE. VV. num eadem praxis sit servanda, ubi relativa cum absoluta concurrat indigentia.

Ex his, cui ex clericis contendentibus sit gratificandum, dignosci poterit, nisi magis PP. EE. placuerit supplicandum SSmo pro dispensatione ejus favore qui, attenta praesertim majori paupertate, juxta Episcopi preces: dietro un' esperimento fatto, e d' appresso esame de loro requisiti apparira più idoneo al servizio del coro, e della chiesa, ipsius Episcopi judicio renunciandus.

Rationum momentis sic utrinque perpensis proponuntur

Dubia:

I. *An qualitas sacerdotalis ita sit adnexa praebendae Ciccolini, ut ad illam nominari nequeat simplex clericus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo deficientibus Rotellae sacerdotibus extraneus sit admittendus in casu?*

III. *An et quomodo pauperior sit ceteris praeferendus in casu?*

IV. *An electio clerici Magnalbo ita irrita dici debeat, ut facta sit locus devolutioni in casu?*

Et quatenus affirmative,

V. *An et cujus favore sit concedenda dispensatio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad formam fundationis.

Ad II: Affirmative deficientibus nativis et oriundis.

Ad III: Affirmative habito respectu ad absolutam paupertatem.

Ad IV: Affirmative in omnibus.

Ad V: Affirmative favore pauperioris, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 5. Sept. 1846.

Pisana.

Canonicatus in primatiali ecclesia Pisarum a sacerdote Antonio de Confortis sub anno 1634 institutus, cujus hodie jurepatronatus potitur Dux Magnus Hetruriae, hisce regitur legibus ac conditionibus quoad personas ad ejus assecutionem deligendas: »*Cum sit* (verba recito fundationis) *D. Antonius quondam Joannes de Confortis Pisanus civis Protonotarius apostolicus ecclesiae s. Viti Pisarum curatus et capellaniae s. Laurentii martyris in ecclesia primatiali rector et capellanus... volens dictum canonicatum et praebendam in perpetuum pervenire in antiquiorem capellanum universitatis capellanorum Pisanae civitatis eidem ecclesiae primatiali deservientem, ad quinternum, ut dicunt, existentem et ad dictae ecclesiae servitium, dummodo tamen his qualitatibus sit praeditus, videlicet:*

1. Quod sit genitus ex patre nato Pisis et cive Pisano. *)

2. Quod saltem per decennium servierit dictae ecclesiae et fuerit adscriptus ad dictum quinternum.

3. Quod in aliqua publica universitate dignitatem doctoratus **) *fuerit consequutus, quae dignitas non possit ei suffragari, si eam fuit consequutus post vacationem dicti canonicatus et praebendae, vel more nobilium.*

4. Quod non fuerit per sententiam judicis de aliquo crimine condemnatus infamiam irrogante. Quibus conditionibus si antiquior non fuerit praeditus, praedictus canonicatus et praebenda tunc gradatim devolvatur et perveniat ad alium antiquiorem, qui sequitur ordine successivo, qui eisdem qualitatibus sit praeditus et quandocumque vacare contigerit non solum per obitum obtinentis, verum etiam per illius resignationem, dimissionem et assequutionem alterius beneficii vel canonicatus, semper ordine praedicto spectet ad antiquiorem capellanum, nec possit alteri conferri, qui non sit antiquior et praeditus qualitatibus jam dictis.

Nupera hujus canonicatus vacatio quum contigisset exeunte mense Septembris anno 1840 attenta renunciatione Joachim Gundici, factum est, ut Magnus Hetruriae dux patronus sacerdotem Antonium Roncucci nominandum sibi esse censuerit, qui tamen nec

*) Vd. supra *n. I. p. 296.*
**) *Canonicus* (doctor).

ex patre Pisano ortus fuerat nec ex numero capellanorum nec in aliquo lyceo doctorali laurea insignitus. Hic autem ad s. hunc Ordinem confugit extemplo, ut dispensationem a s. Ordine, ubi opus fuerit, super his quibus detinetur impedimentis assequeretur.

Acriter at obstitit ejusdem intentioni universum capellanorum collegium ac recusandam esse institutionem, quae totius collegii jura pessumdaret, coram Metropolitana curia est protestatum, etenim posthabitos a patrono Principe fuisse condoluit binos alios competitores Franciscum Bartalena et Ferdinandum Moretti, qui licet alter altera ex necessariis qualitatibus destituatur, (etenim primus doctorali laurea, secundus caret praeterea qualitate capellani »di Quinterno«) cives tamen ambo sunt ex patre Pisano et capellanorum catalogo recensentur. Deinde coram s. hoc Ordine stetit ac in petitam dispensationem contradixit.

Auditis Metropolita et primatialis ecclesiae capitulo stetit ille in sua relatione ex rationum vi, quae inferius adducentur, favore oratoris Roncucci, prout in literis commendatitiis ejus precibus adjectis jam satis declaraverat: Capitulum vero pro majori parte suffragatum est sententiae collegii capellanorum, quamvis non defuerint qui in adversa abierint suffragia.

Habent EE. VV. in Episcopi relatione momenta, quae adlecti presbyteri Roncucci jura protuentur, siquidem in id exposita intendunt, ut vel dispensatione non indigere orator declaretur, vel saltem ut eadem opportune ob praecipua sui merita honestetur.

Scilicet quum ab ima usque ad ultimam ceram, etiam ubi casum praevidit negligentiae patroni in praesentando, semper et quandocumque testator universa praescripserit adjectas qualitates per particulam: *dummodo*, quae conditionem absolutam importat ad *Rotam dec. 37. numer. 25. cor. Ansaldo*, satis ostendisse visus est, sese universas et singulas uti necessarias perpetuo exegisse, ac passivam vocationem non capellanorum corpori aut alicui ex eis individuo, sed ei dumtaxat tribuisse qui universis et singulis expositis qualitatibus vere polleret. Porro huic interpretationi favet etiam observantia, qua constat nunquam in saepe secutis vacationibus et quaestionibus quoad canonicatum Conforti intervenisse collegium, bene vero illos dumtaxat capellanos, qui praelationem sibi vindicabant.

Hoc posito a jure absona non apparent, quae ab Archipraesule de universis qualitatibus verificandis disseruntur. Firmatum profecto est apud doctores et tribunalia post legem: *Si haeredi pluries, et legem: Moevius ff. de condit. et demonstr.* quod ubi in aliquo actu plures requiruntur qualitates, unica non sufficit, sed defectus unius reddit in totum dispositionem inutilem, *Honded. cons. 60. num. 6. lib. 1., Anchar. quaest. fum. 9 n. 7. 8., Gratian. cons. 122. n. 6. Othob., Surd. dec. 20. n. 8., Altobrand. con. 97. n. 9. lib. 1., Fusar. de subst. q. 340. n. 16, Marte t. 8. cons. 730. n. 1, Rota praesertim dec. 667. n. 11. p. 19. t. 2. recen. et dec. 270. n. 45. cor. Ottob.* Siquidem qualitates copulatim requisitae habentur loco unius: *Rota, ibid. cum aliis allegatis.* Quod si doctrina haec tradita est pro successionibus, substitutionibus et fideicommissis (a quibus merito arguitur ad juspatronatus) ubi docente Card. de Luca durius procedendum est, quod ea semel in posteriorem gradum transmissa ad anteriores redire nequeunt, eo magis quoad passivam vocationem ad ecclesiasticum beneficium, ubi ejusmodi exulat periculum, tenendam esse videtur. Et revera in casu examussim canonicatus eam retinuit, *Rota decision. 8. et 23. coram Priolo* et de beneficiis ecclesiasticis loquentes canonum doctores firmant generatim, quod si *de tempore vacationis proximior et qui alias data capacitate praeferri deberet, non reperiatur capax saltem pro tempore quo praesentatio vel collatio facienda est, admittitur remotior vel etiam extraneus praesentari potest irrevocabiliter*, ut totidem verbis ait *Card. de Luca de jurep. t. 13. disc. 20. §. 6.* cum *Rota apud Burattum dec. 680. dec. 4906. p. 1. recent. decis. 260. part. 3, Firmana Jurispat. 18. Maji 1654. coram Albergato.* Singularia autem merita causam dispensationi suppeditare praesertim ubi alterius absit praejudicium nullaque divino cultui obveniat jactura tradidit s. Congregatio in *Aretina Disp. 20. Augusti 1774.* §. 7. et in *Pap. 1791* §. 3.

Neque ab Archipraesule disputatis obesse posse, addebant Canonicorum aliqui, Roncuccio famulati, praesumptam testatoris voluntatem ac dilectionem magis erga eum, qui aliquibus quam qui singulis destituitur ab eo praescriptis qualitatibus. Etenim ajebant praesumptionem exulare, quum liquida est voluntas: atqui talis erat testatoris in casu, qui post tributum activum juspatronatus municipio, subinde Magno Duci, illud profecto arctari voluit in eo casu tantum, quo quis iis omnibus praeditus requisitis adesset, quae superius enumeravimus: atque haec sane ratio est, qua exscriptae superius doctrinae merito fulciuntur. Praeterea stricta utendum esse interpretatione in casu, inde oportet, quod de passivo jurepatronatus agatur, ex quo major quam ex activo ecclesiae et patrono servitus derivat, *Card. de Luca de jurep. lib. 13. num. 110, Rota dec. 351. num. 17. coram Ansaldo.*

Capellanorum universitas distributa allegatione, postquam recoluerit patronum ex aperta censura Tridentinae synodi *sess. 22. cap. 4.* neque de consensu Ordinarii posse contra fundationis leges praesentationem absolvere cum *Fargna ad can. de jurep. part. 1. can. 5. cas. 16.* et *Garcias de benef. part. 7, cap. 1. §. 99. et 111.*, sat habet confecisse nullam nec necessitatis nec utilitatis causam urgere ut petita dispensatio concedatur; imo alterius jura vehementer clamare, ut eadem recusetur.

Primum constare luculenter tenet, quod nulla afferatur ratio dispensationis ab ipsomet oratore, praeter merita quaedam, quae multis communia sunt aliisque pluribus inferiora. Alterum satagit evincere ex interpretatione legitima germanaque actus institutionis.

Etenim quum testator vel in prima dispositionis cera imperativis verbis mandaverit eligi presbyterum de collegio capellanorum, sponte sua sequitur passivum juspatronatus in ipso collegio seu universitate constituisse, juxta tradita per *Pitonium alleg. 30. num. 5,* ibi: »*Patronatum passivum pro certo genere adesse dicitur, quoties fundator per viam praecepti ordinavit praesentandum esse unum de familia sua vel extranea, seu aliquem de certa civitate, loco vel collegio,*« Card. Anton. *de Luca de linea legali lib. 1. art. 24. num. 3, Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 8. n. 109, Monet. „de com. ultim. volunt. cap. 10. num. 220.* Et consonat quidem peculiaris ipsius testantis dilectio erga universitatem capellanorum praesumpta, quod et ipse plures annos de eodem corpore fuerit et declarata satis in priori fundationis periodo »*in hac materia* (inquit *Pitonius alleg. 30. num. 21.) judex in concurrentia inspicere debet quem ex istis prudens fundator, si viveret, praeferri verosimiliter voluisset., text. in leg. Cum Res. ff. de legat. 1.*« Firmat demum prolatae interpretationis veritatem observantia bissaecularis, qua constat quatuor supra decem Canonicos, qui hujusmodi praebenda gavisi sunt, fuisse perpetuo de collegio capellanorum desumptos, etiamsi aliquibus una vel altera quandoque de praescriptis qualitatibus defuerit. Observantiam autem gravissimi esse roboris sive interpretative spectetur sive praescriptive non dubitatur in *Rota cor. Coccino dec. 383. n. 2. et dec. 1125. num. 10.*

Hoc semel posito jurepatronatus passivo favore universitatis capellani arguunt, qualitates a fundatore expressas non quidem taxative, sed demonstrative tantum fuisse requisitas, idest tamquam medium determinandi inter plures capellanos ejusdem collegii eligendum ad fruitionem praebendae: nec sane praevidere facile potuisset fundator fore, ut in peramplo capellanorum quatuor supra quinquagesimum catalogo aliquando defecisset, qui singulis a se volitis dotibus destitueretur. Haec omnia etsi non moralem certitudinem, sed vel dubium parerent, demonstrative impositas praedictas semper conficerent; siquidem in dubio an verba seu qualitas adjecta stet demonstrative aut taxative, potius censendum ea stare demonstrative, ut ait *Monet. de ult. vol. pag. 413. n. 194, Barthol. in leg. cum pater ff. de leg. 2.*

Exinde sequitur eum inter capellanos eligendum semper esse ad fruitionem canonicatus Conforti, qui majoribus polleat quaesitis qualitatibus, ubi nemo prostet omnibus donatus, atque adeo jure meritoque capellanorum collegium dispensationi per Roncuccium petitae obstitisse; eo magis quod cum contraria uti asseritur vetusta observantia veluti derogatum sit obligationi lauream doctoralem possidendi,*) alter ex competitoribus capellanis vere idoneus renunciari posset undequaque ad canonicatum assequendum: doctrinas ex adverso allatis de pluribus qualitatibus cumulative requisitis extra arenam fuisse, locum potius habituras, si inter duos de eodem collegio capellanos quaestio orta esset quoad praelationem. Nihil denique obesse quod juspatronatus passivum strictae censeatur interpretationis, etenim regula haec patitur exceptionem, ubi constet peculiarem

*) Vd. *Canonicus* (doctor.)

alicujus universitatis aut familiae dilectionem praesetulisse testatorem, quo casu eorumdem favore amplianda interpretatio esse videtur, sicut favore sanguinis et descendentium ampliari docuit *in Aretina Beneficii 21. Januarii 1701. §. Quin etiam, coram Ansaldo.*

Sed haec fusius in allegationibus et summariis distribuendis erit perlegere ut tutius EE. VV. definire possint

Dubium:

An et quomodo sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp.:

Ad Dominum secretarium cum SSmo juxta mentem.

Die 9. Julii 1842.

19) Reductio totalis concessa ob tenuitat. redditnum.

Vd. *Canonicatus* (suspensio; nominationis suspensio, suppressio); *p. 166. V.*

Sacerdos Vincentius B. ex dioecesi N. ultimo quo decessit elogio jussit, ut in parochiali ecclesia suae patriae sex canonicales praebendae ex integro sui patrimonii asse erigerentur.

Voluit autem ut inter Canonicos Archipresbyter parochus pro tempore adnumeraretur, singulisque Canonicis onus imposuit missam quotidie per turnum canendi. — Circa juspatronatus vero tum activum tum passivum disposuit, ut nominatio ad sex canonicales praebendas *prima vice* ad Archipresbyterum pro tempore spectaret, ea tamen lege, ut descendentes ex familiis M. et P. si idonei invenirentur caeteris essent praeferendi. Subsequenter eandem nominandi facultatem Canonicis attribuit cum eadem praelationis conditione.

Porro cum pius testator bene perspiceret voluntatem suam statim post ejus obitum effectum non esse habituram, quia redditus ab ipso relicti conferre nequibant summam singulis Canonicis rependendam, constituit, ut haereditas tamdiu sub administratione maneret, quamdiu cumulatis quotannis redditibus ad dotem sex canonicatuum explendam satis foret, ac interim ne ipsius anima debitis privaretur suffragiis jussit, ut statim post ejus mortem duae *praebendae* erigerentur ad quas duos ipse sacerdotes nominavit.

Rebus ita constitutis anno 1831 testator diem obiit supremum.

Jamvero volvente anno 1834 cum Episcopus in actu s. visitationis comperisset, patrimonium testatoris partim ex aere alieno quo gravabatur partim ex inconsulta administratione ita in pessum ivisse, ut nonnisi plurimos post annos ad Collegiatae erectionem devenire posset, et cum ex altera parte perspiceret, paucos esse sacerdotes qui canonicales praebendas susciperent, supplicem libellum porrexit Sanctissimo, petens ut sibi opportunas facultates tribueret reducendi numerum sex canonicatuum ad tres tantum capellanias, cum onere capellanis imposito coadjuvandi parochum in exercenda animarum cura eaque omnia peragendi, quae populi bono magis expedirent. — Episcopus voti compos effectus est, siquidem die 3. Maji 1834 sequens rescriptum prodiit: »Sanctissimus Dnus Noster audita relatione infr. Secretarii s. Congregationis Concilii attentisque peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus supradicti Episcopi . . . . . precibus annuens petitam facultatem commutandi enunciatam testatoris voluntatem super numero praebendarum erigendarum, easque reducendi ex numero sex ad tres eidem Episcopo et visitatori apostolico oratori benigne impertitus est.« Hoc habito rescripto pii testatoris bona in tres partes divisa fruenda tradita sunt tribus sacerdotibus, nulla tamen facta praebendarum canonica erectione neque praemissa regulari collatione ad normam sacrorum canonum. Haec tamen erectio canonica anno 1838 ab alio Episcopo expleta est, qui simul tribus capellanis onus coadjuvandi parochum imposuit tum in sacramentorum administratione tum in infirmorum assistentia eosque ut veros *comparochos* constituit atque juspatronatus vi pontificii rescripti superius relati extinctum renuntiavit.

Contra has dispositiones recursum fecit ad H. S. C. Archipresbyter expostulans, ut pia testatoris voluntas exequeretur in omnibus ideoque obreptitium ac subreptitium Pontificis rescriptum renuntiaretur. Cum vero una ex praefatis capellaniis vacasset, duo ex descendentibus illarum familiarum quas testator vocaverat institutionem expetiere ab hac eadem s. Congregatione contra Clericum qui ad illam optabat perinde ac si liberae collationis esset.

Exorta propterea lite decretum prodiit in S. C. Secretaria: *ponatur in folio*, atque

causa proposita est sub dubitandi formulis in calce exscriptis.

Cum multiplex sit hujus controversiae caput, de unoquoque seorsim agemus ac praeprimis de pontificio rescripto diei 3. Maji 1834.

Ex doctrina Concilii Tridentini sess. XXII. cap. VI. de reform. ad commutandas ultimas voluntates ex justa et necessaria causa procedendum est; ac priusquam hujusmodi commutationes executioni demandentur Episcopi debent extrajudicialiter de rei veritate cognoscere. Verba Concilii haec sunt: »In commutationibus ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex justa et necessaria causa fieri debent, Episcopi tamquam delegati Sedis apostolicae summarie et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur.« Et re vera quando agitur de commutandis ultimis voluntatibus principium ab ecclesia retendum est illud, quod idem Concilium Tridentinum exposuit in sess. XXV. de reform. cap. IX.: »*pias* fidelium voluntates in eorum institutione commutare aequum non est;« observare enim pacta et leges fundationum juris naturalis est et divini. *Piton. de controv. patr. alleg. 4. n. 2.* Jamvero ad commutandam in casu pii testatoris voluntatem et ad praebendarum numerum reducendum justa ac necessaria causa non defuisse videtur. Quandoquidem causa praecipua, quam orator exposuit ad reductionem obtinendam, fuit tenuitas reddituum qua scilicet inspecta nonnisi plurimos post annos sex canonicatuum dos potuisset comparari. Atqui ex ipso Trid. Concilio sess. XXIV. cap. XV. de reform. tenuitas praebendarum etsi jam existentium causa justa atque legitima est, ex qua ad pauciorem numerum ipsae reducantur. Et sane, inquit Concilium: »In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat . . . eas ad pauciorem numerum reducere.«

Nullatenus vero in supplici libello quem ad hujusmodi reductionem impetrandam Episcopus sanctissimo principi porrexit, aliquid falsi insinuatum fuisse apparet vel aliquid veri reticitum, quod si cognitum fuisset concedentem a concessione gratiae retraxisset. Siquidem exposita sunt damna, quibus testatoris patrimonium obnoxium fuerat, ex quibus tenuitas redditnum profluxerat, et haec damna ab ipso Archipresbytero non negantur, qui rescriptum obreptitium vel subreptitium contendit. Insuper manifestatum fuit Principi bonum proveniens ecclesiae parochiali ex erectione trium capellaniarum in adjutorium parochi, atque adeo preces defuncti Episcopi narrationi apprime consonant. Neque reticitum fuit sex illas praebendas canonicales patronatui obnoxias esse, siquidem supplici libello adnexa fuit particula testamenti, quae respicit patronatum tum activum tum passivum. Atqui ut obreptio vel subreptio actum aliquem inficiat, vel veritas reticita vel falsitas suggesta demonstrari debet. *Rota in Maceraten. Executionis literarum apostolicarum 3. Febr. 1792. coram Soderini, §. 2; in Romana Emphyteusis super aperitione oris 8. Junii 1801, §. 5, coram Gardoqui; in Verulana Pensionis 14. Junii 1816, coram Serlupi, §. 5.*

His non obstantibus notatum est, hujusmodi rescriptum aliquam ingerere suspicionem obreptionis vel subreptionis ex defectu explorati consensus patronorum. Etenim sacra Congregatio solemne habet Episcopos hortari, ut exquirant consensum patronorum sive laicorum sive ecclesiasticorum, etiam quando agitur de praebenda patronatui subjecta, quae in Poenitentiariam vel Theologalem sit erigenda.*) *Lubidi de VV. SS. LL. tom. 1. pag. 82. n. 84.* A fortiori igitur patronorum consensus videtur exquirendus, quando agitur de praebendarum reductione, per quam juripatronatus gravius vulnus infligitur. Praeterea explorati juris est de nullitate rescripti non ambigendum, quoties in damnum publicum vergit. Ita *arg. leg. 5. Cod. si contra jus vel utilitatem publicam*, s. Rotae auditorium *in decis. 217. n. 26, p. 9, tom. 1.* (ibi): »*Non sine causa placuit imperatoribus, quod si rescripta contra jus et utilitatem publicam impetrata sint, perinde habeantur ac si non essent concessa.*« Atqui rescriptum in themate vergere in damnum publicum nemo est qui non videat, siquidem per ipsum erectio Collegiatae in tenues auras abiit, quae civitati vel oppido ornamentum ac decus addit ac divinum cultum auget.

Verum ad quaestionem de jurepatronatus

*) Vd. *Commut. ult. voluntat.*

*) Vd. *p. 234. b.*

quod attinet, claritatis gratia praenotatum est, in praefato rescripto nullam mentionem de illo immutando vel abolendo factam fuisse, tantummodo sermonem habitum de reducendo praebendarum numero. Imo neque Episcopus petiit ut juspatronatus vel activum vel passivum aboleretur. Unde tota quaestio in hoc reposita videtur, utrum scilicet implicite juspatronatus sublatum fuerit, quatenus nempe, immutata voluntate testatoris circa erectionem Collegiatae, et pro ipsa tribus capellaniis cum onere coadjuvandi parochum constitutis, veluti per consequens juspatronatus tamquam cum novo rei statu incompatibile evanuerit.

His praejactis animadversum est, juspatronatus licet ad patronos pertineat ecclesiae tamen ceu hujus juris institutrici omnino subjacere. Unde canonistae omnes inter modos quibus amittitur juspatronatus unanimiter recensent suppressionem vel ablationem Papae. *Schmalzgrueber. tit. de jurepat. n. 261.* Jamvero rescriptum Pontificis implicite juripatronatus tum activo tum passivo finem imposuisse videtur in casu, quandoquidem juspatronatus tunc cessare debet, quando cessat fundamentum, cui innitebatur, ut si ecclesia patronata destruatur. Rei enim non existentis nullae sunt qualitates. *Cap. 6. ad dissolvendum 13. de desponsat. impuber., cap. si non obtulit. 4. §. condemnatum ff. de re judicata.* Porro ecclesia collegiata cui juspatronatus adnexum fuerat ex voluntate pii testatoris propter rescriptum pontificium nunquam exstitit: nec in posterum existet. Juspatronatus igitur cessasse dicendum est, etiam ob illud notissimum principium »*accessorium sequitur naturam principalis.*«

Rursus ex beneplacito testatoris ideo Archipresbyter jure nominandi *pro prima vice* insignitus fuit, ut tamquam caput Canonicorum collegio componendo praeesset. Postea vero Canonici collegialiter uniti jure nominandi in singulis vacationibus potiri debebant: non existente igitur hujusmodi Collegio Canonicorum luce clarius apparet, omnem causam jurispatronatus tum pro Archipresbytero tum pro Canonicis defecisse. Jamvero omnes canonistae conveniunt quod patronatus cesset, quando causa propter quam quis erat patronus peremta est. *Lambertin. de jurepatron. lib. 3. q. 6. art. 1, Barbosa lib. 3. juris ecclesiastici univers. cap. 12. n. 254; et alii passim.*

Insuper non apparet, quomodo juspatronatus cum praesenti rerum statu conciliari possit. Archipresbyter enim jus nominandi habuit limitatum et momentaneum, nempe *pro prima vice tantum*, et solum collegio Canonicorum jus stabile et duraturum relictum fuit. At vero collegium istud cum numquam extiterit, non videtur posse alicui haereditatem suam, quam numquam habuit, transmittere. Neque dicas capitulo Canonicorum praefatos capellanos subrogatos fuisse, siquidem ista subrogatio gratis asseritur, imo eidem obstat voluntas testatoris tum expressa tum tacita: expressa quidem, quia testator voluit nominationem pertinere ad capitulum Canonicorum, tacita etiam, quia fiduciam illam, quam pius testator collegio habuit, non videtur reponere voluisse in uno vel ad summum duobus capellanis.

Jamvero si juspatronatus activum, quatenus ad Canonicos spectabat, jam cessavit, etiam pro Archipresbytero cessavisse dicendum est, ne dicamus unam eamdemque rem de natura sua indivisibilem ex parte adhuc subsistere, ex parte autem defecisse. Neque regeras quod Pontifex non censetur juripatronatus*) jurique alteri quaesito derogare, sine expressa hujus derogationis mentione, *ad textum in cap. Postquam de praebend. in 6. et regul. cancell. de jure quaesito non tollendo, et s. Congreg. in Arboren. 25. Junii 1836, §. Misso.* Inprimis enim argumenta superius allata luculenter ostendunt Principem etsi verbis patronatus extinctionem non expresserit id tamen per rescriptum implicite statuisse. Principium vero in contrarium adductum omni prorsus robore destituitur, si distinctio fiat inter patronatum laicorum et patronatum ecclesiasticorum, de quo praecise agitur nostro in themate. Siquidem verissimum est, quod Papa numquam censendus est velle derogare juripatronatus laicorum, nisi id clare exprimat, ne laici a fundationibus retrahantur, *Geminian. cons. 38. Pro clariori n. 13. vers.: Ex iis ergo patet, Felin. in tract. Quando literae apostolicae patron. in princip., de Luca de jurepatronat. disc. 59. n. 19. disc. 65. n. 18 et 33. item disc 66. n. 1*, non ita tamen dici potest quando res est de jurepatronatus ecclesiastico cui Papa censetur derogare per simplicem concessionem, unionem aut reservationem ab ipso factam. Ita doctores omnes

*) Vd. *t. II. p. 832. XLII; p. 825. XVIII.*

supra citati, ex quibus satis erit referre Card. de Luca, *disc. 59. num. 19* (ibi): *Magis vero ac principaliter expedit juspatronatus esse laicale potius quam ecclesiasticum in ordine ad subjectionem apostolicis reservationibus ac affectionibus, sive derogationibus etiam implicitis absque aliqua necessitate faciendi mentionem, quibus subjacent beneficia de jurepatronatus ecclesiastico, ac etiam laicali ex privilegio et consuetudine, non autem subjacent illa de jurepatronatus laicali ex fundatione vel dotatione.*

Necessarium igitur non fuisse videtur quod Pontifex in rescripto expresse juripatronatus derogaverit; eo vel magis quod neque Archipresbyter neque Canonici considerari poterant ceu habentes *jus in re*, sed tantummodo *jus ad rem*, cum nondum Collegiata, cui adnexum erat juspatronatus, ante rescriptum pontificium erecta fuisset. Jamvero facilius, ut patet ex ipsa ratione, *juri ad rem* quam juri *in re* derogatur. Extincto itaque omni jure nominandi tum pro Archipresbytero tum pro Canonicis sequitur, ut jure proprio succedat ecclesia seu Episcopus. *Can. Quaecumq. et Can. Noverint. 10. quaest. 1 et L. si quis ad declinand. C. de Episcopis et Cler., Piton. de controv. patron. alleg. 14. n. 2.*

Inprimis notatum est, in commutationibus piarum voluntatum ac reductionibus illud maxime inspiciendum esse, ut quantum fieri potest servetur voluntas defuncti, uti tradunt *Abbas in cap. 31. tit. 26, Molinas disp. 249. n. 7, Rota in dec. 144. n. 6. part. 18*, et s. Congr. saepissime. Ex hujusmodi vero principio hoc erui posse videtur, quod commutata voluntate testatoris circa numerum praebendarum atque adeo circa erectionem Collegiatae, ea saltem voluntas servanda sit circa juspatronatus sive activum sive passivum, ne ejusdem dispositio penitus destruatur.

Insuper ex verbis Trid. relatis *in cap. 9. sess. 25. de reformat.*, quae sic se habent: *patronorum jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est*; facile deducitur hujusmodi commutationes esse strictae interpretationis utpote in jure odiosas: unde sequitur rescriptum non debere extendi ultra id, quod Pontifex expressit. Pontifex autem in suo rescripto loquitur tantummodo de reducendo numero praebendarum, quin ullum verbum de jurepatronatus adjiciat. — Accedit, quod neque in supplicatione ulla mentio facta est de tollendo jurepatronatus vel activo vel passivo; quod igitur nec orator petiit nec Pontifex rescripsit nullo pacto supponendum videtur. Neque pariter praetereundum, nostro in themate, quaquaversus res inspiciatur, quaestionem esse de jure alteri quaesito. At vero *sacrosanctum*, (ut ait de Rubeis *decis. 217. p. 9. tom. 1. Rec.*), *atque inviolabile est hoc juris axioma, quod nunquam in dubio praesumendum est, principem in alterius damnum vel praejudicium disponere voluisse. Fagnan. ad cap. Caeterum de rescriptis.*

Absona autem est allata superius distinctio inter juspatronatus laicorum et ecclesiasticorum ad hoc ut demonstretur necessariam non fuisse specialem Pontificis mentionem, siquidem illa se refert ad casum derogationis non vero ad casum extinctionis vel abolitionis jurispatronatus, de quo unice rem habemus in praesenti controversia. Nam Pontifex sive per simplicem collationem alicujus beneficii sive per unionem aut reservationem ab ipso factam derogat quidem juripatronatus ecclesiastico, quin de eo specialem faciat mentionem, sed tamen temporanee derogat vel potius ipsius exercitium pro illa vice suspendit; unde Vivianus in partitione sui operis *de praxi jurispatronatus* inter modos quibus precario tempore illud cessat, recenset etiam derogationem a Papa factam, et in eodem opere *p. 3. lib. XIV. c. 2. n. 26.* subdit quod in hujusmodi derogationibus servari soleat, ut dicatur *pro hac vice tantum.* Ita etiam de Luca *de jurepatronatus disc. 65. n. 18, et disc. 66. n. 1.*

Facta igitur distinctione inter simplicem derogationem et abolitionem statim apparet adducta superius argumenta nullimode probare juspatronatus in praesenti quaestione extinctum fuisse, idque eo luculentius apparet cum hic non agatur de collatione, unione aut reservatione a Principe facta, sed tantummodo de commutata testatoris voluntate circa numerum praebendarum. Manet igitur inconcussum principium illud: *Pontifex quod voluit expressit.*

Neque dicendum ex rescripto pontificio ita rerum statum immutatum fuisse ut juspatronatus perierit. Siquidem Archipresbyter *pro tempore* cui *prima vice* jus praesentandi demandatum fuit in eadem prorsus conditione versatur ac erat ante Pontificis rescriptum.

Nec obstat quod illarum praebendarum collatio jam bina vice locum habuerit; nam Archipresbyter suum jus numquam reclamare destitit, proindeque numquam amisit. Pariter ex eo quod praebendae ad pauciorem numerum reductae fuerint, non videtur cessavisse pro praebendatis jus nominandi in singulis vacationibus prout testator ipsis concessit: numerus enim nominantium in jurepatronatus mere accidentalis est, cum etiam ab uno tantum fieri possit praesentatio, ut omnes norunt. Rursus difficultas oriri nequit ex eo, quod per rescriptum pontificium sex illae praebendae e statu seu qualitate canonicatum simplices praebendae evaserint: per status enim vel qualitatis mutationem in praebenda vel ecclesia patronata non amittitur juspatronatus, sed semper servatur ex jure subrogatorum. *De Luca de jurepatr. dis. LXVI. n. 11 et 12, ubi sic ait:* Et quod neque ecclesia patronata possit mutare statum in melius et consequenter non possit erigi in Collegiatam sine consensu patroni vel ejus derogatione. *Lotter lib. 2. qu. 8. n. 95.*: Si autem dicta erectio fiat in Collegiatam vel in Cathedralem, facta censetur absque patroni praejudicio et consequenter sibi remanet jus praesentandi ad canonicatus eo modo, quo sibi competebat in jure praesentandi unum vel plures rectores seu beneficiatos. *Seraph. decis. 1844, Buratt. decis. 172. n. 30 et 31.* Denique nihil obstat onus coadjuvandi parochum capellaniis adjectum. Tralatitium enim in jure est juspatronatus etiam in praebendis curam animarum adnexam habentibus subsistere posse, uti patet ex *Trid. sess. XXIV. de reform. cap. 1. n. 47, 48.* Unde s. Congr. pluries resolvit, quod si aliqua praebenda in theologalem vel poenitentiariam quae ad instar parochiarum conferuntur erigatur praeservatum censeatur tam jus conferendi quam nominandi et eligendi, quod prius capitulo aliisque personis competebat, ut testantur *Garz. de benef. in addit. ad part. 5. cap. 4. n. 143, et Barbosa de Episcop. alleg. 155. n. 11. et 12.* Reapse in *Amerina Erect. praeb. theol. 2. Junii 1860 (per summ. prec.)* Episcopus s. Congregationi proposuerat ut in praebendam theologalem erigeretur canonicatus vacans Aloysii nuncupatus de jurepatronatus familiae Pagliacci Viterbiensis. Rogati patroni consensum denegabant, veriti ne sibi nominandi libertas interciperetur. At S. C. rescripsit erigendam esse praebendam theologalem ex canonicatu Aloysii, ita tamen ut patroni nominare deberent actu idoneum ad munus obeundum.

Caeterum nemo ex auctoribus inter modos, quibus juspatronatus extinguitur, praesentem casum recenset, proindeque affirmari sane potest, juspatronatus post rescriptum pontificium nullimode depertitum fuisse. Haec vero conclusio potiori modo deduci potest pro passivo jurepatronatus tuendo, siquidem magis quam activum privilegiatum apparet: »Differentia est (ait Piton. *de controv. patr. alleg. 1. n. 6.)* inter juspatronatus activum et passivum, dum Papa derogare quidem solet activo, ut contigit in vacatione beneficii in curia, et ubi illud vigore sententiae privationis est reservatum Sedi apostolicae juxta const. 37. Pauli III. ut apud Rota in Barchinonen. Beneficii, 2. Decmb. 1710, coram Emo Caprara, et in aliis casibus de quibus apud Lotter. d. lib. 2. q. 8. n. 98. et seqq., Card. de Luca de jurepatr. disc. 65. n. 35. et seq. — Nullatenus autem derogare solet passivo, praejudicando personis, quibus debetur institutio ex lege fundationis sive agatur de vocatione directa sive mediata ut in decis. 189. n. 16. coram Bich. et in *Barchinon. Beneficii* ut supra.«

Cum igitur argumenta quae militare videbantur contra juspatronatus activum nullatenus obstent patronatui passivo cumque pius testator summopere institerit pro hujusmodi passivo jure sponte sua sequitur ut si voluntas testatoris quo magis fieri potest servari debet, ea saltem circa juspatronatus passivum servetur.

His aliisque expositis proposita sunt dissolvenda

Dubia:

I. An rescriptum pontificium sustineatur in casu?

Et quatenus affirmative,

II. An juspatronatus tum activum tum passivum abolitum sit in casu?

III. An et cui danda sit capellania in casu?

S. Congregatio Concilii, omnibus mature consideratis, respondere censuit die 26. Julii 1873.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Quoad primam partem affirmative, quoad secundam partem negative, scilicet dandam esse praelationem descendentibus e

domo A. et P. dummodo tamen idonei sint juxta fundationem et rescriptum pontificium et decretum exequutoriale Episcopi D.

Ad III: Provisum in secundo.

Exinde colliges:

I. Rescripta quibus piae fidelium voluntates commutantur strictae interpretationis esse.

II. Rescriptum principis numquam praesumi obreptitium vel subreptitium, quousque comprobatum non sit veritatem fuisse in precibus reticitam vel falsitatem suggestam.

III. Ad commutandas ultimas voluntates ex justa ac necesaria causa procedendum esse praemissa etiam Episcopi extrajudiciali inquisitione.

IV. E reddituum tenuitate cui aliunde remedium afferi nequeat causam suppetere reductionis praebendarum.

V. Pontificem sive per simplicem collationem alicujus beneficii sive per unionem et reservationem ab ipso factam censeri derogasse juripatronatus ecclesiastico.

VI. Juspatronatus laicale ex fundatione vel dotatione numquam subjici apostolicis reservationibus ac affectionibus sive reservationibus implicitis.

VII. Erectionem ecclesiae patronatae in collegiatam vel cathedralem factam censeri absque Patroni praejudicio, qui propterea jus praesentandi retinet. Quinimo:

VIII. Si in ecclesia patronata canonicatus vacans erigatur in theologalem vel poenitentiariam reservatum censeri patrono jus nominandi.

IX. Pontificem nullatenus derogare solere juripatronatus passivo, praejudicando personis, quibus institutio debetur ex lege fundationis sive agatur de vocatione directa sive mediata.

X. Juspatronatus cessare, quando causa, propter quam quis erat patronus, perempta est.

XI. Extincto jurepatronatus vel activo vel passivo, jure proprio succedere ecclesiam seu Episcopum.

Veronen.

In cathedrali ecclesia Veronensi pluribus ab annis vacantes remanserant septem canonicales praebendae ob earum ac ipsius massae capitularis tenuitatem. Ubi id deprehendit hodiernus Episcopus capitulo indixit, ut statu vacantium praebendarum sibi prius exhibito suum votum adaperiret circa dictarum praebendarum provisionem necnon quoad fructuum de tempore vacationis collectorum erogationem, qui per antecessorem Episcopum non fuerint jam erogati. Episcopi votis satisfecit capitulum. Exhibuit revera statum praebendarum vacantium, ex quo facile ipsarum deprehenditur tenuitas, redditus enim ab omni onere purus in minori praebenda computatur in libellis austriacis 52. 53 respondentibus scutatis octo circiter romanis, in pinguiori autem ascendit ad libellas 367. 83. pares romanis scut. circiter 58 ita ut omnium vacantium praebendarum annus redditus habeatur in libellis 1471 quae scutatis romanis 236 circiter respondent. Huic tabellae attexuit capitulum suum votum seu propositionem. Hac accepta relatione Episcopus re mature perpensa cognovit, quod etsi proposita reductio concederetur attamen diurnus redditus cujuslibet canonicatus, praebenda ac distributionibus insimul computatis, scutatum unum romanum non attingeret, ideo, avuto riguardo, ut ipse ait, al caro de' viveri, ed al decoro del posto, trovò pienamente ragionevole il progretto surriferito.

Cum preces ab apostolica Dataria ad hunc s. Ordinem fuerint ablegatae, pro voto eidem Episcopo literas dedi ad pleniorem rei notitiam hauriendam: demandato muneri satisfecit ille, transmittendo ipsius capituli responsum.

Capituli responsionibus hoc unum addere opportunum Episcopo visum est nimirum: Cum anno 1806 ex pluribus paroeciis suppressis simul junctis unica constituta fuerit in cathedrali ecclesia, constans animabus 4000 et ultra, illi etiam parva earum beneficia in unum collecta fuerunt perpetuo assignata simulque illud statutum fuit, ut hujus novae paraeciae regimen cum memorato beneficio primariae capituli dignitati id est Archipresbytero committeretur, et ita factum est, ut hoc beneficium cederet in Archipresbyteri utilitatem. Quibus in factis praelibatis certum est in jure, odiosissimam esse quamlibet reductionem non solum praebendarum, sed etiam onerum illis inhaerentium, sive eam fieri quaeratur per suppressionem sive per unionem praebendarum. Idque centies firmatum est ex s. Ordinis resolutionibus, suppressionem

*) Vd. *p. 166. V.*

seu extinctionem canonicatus denegavit praesertim in *Hortana Suppress. Canonicatus 22. Novembris 1755*, et unionem explicite improbavit in *Pisana Canonicatus 14. Aprilis 1736* et in *Regien. Unionis 4. Martii 1737.* Hoc enim ultimum et extraordinarium reputatur remedium, cum ita non leviter praejudicetur ecclesiasticis personis, quibus provisiones auferuntur, praecipue magnum obveniat tum chorali servitio tum divino cultui praejudicium: quod profecto maximum videretur in themate, ubi non duarum vel trium, sed septem praebendarum exquiritur extinctio. Et sedulo advertendum est in constanti s. Congregationis praxi fuisse, sive ad levandam aliarum praebendarum inopiam sive ad augendam quarumdam tenuitatem sive ad quamlibet aliam ecclesiae necessitatem succurrendam suspensionem potius quam suppressionem praebendarum decernere, uti nimirum decisum legitur in *Leodien. Indulti 24. Augusti 1754* et in *Senogallien. Fabricae ecclesiae 20. Februarii 1796.*

His tamen non obstantibus pluries occurrit legenti sacrae Congregationis thesaurum decretam fuisse vel unionem canonicalis praebendae ratione distributionum tenuitatis ad eas augendas, ut in *Papien. Unionis 16. Januar. 1751.*, sive ipsam suppressionem, ut reliquarum praebendarum quotidianae augerentur distributiones, sicuti in *Caesenaten. Suppressionis canonicat. 25. Septembris 1728*, ac tandem ipsa s. Congregatio, ut congruo caeterarum praebendarum prospiceret augmento, unionem canonicalium praebendarum et extinctionem proposuit in *Civit. Castellan. Miss. convent. 14. Decembris 1833*,*) quae postrema iterum in praesente syllabo EE. VV. judicio subjicitur. Canonicos enim iis decet praeditos esse fructibus, qui pro personarum locorumque qualitate et circumstantiis pares sint eorum gradui decore substinendo, uti millies firmatum legitur a s. Congregatione ad tramites sacr. Concil. *Trid. sess. 14. cap. 15. de reform.* et adamussim in *Nullius s. Martini 27. Julii 1822* et in *Senogallien. Reductionis onerum 28. April. 1827.*

His prae oculis habitis recolant EE. PP. quae fusius per Veronense capitulum disseruntur necnon quae ab Episcopo referuntur et dirimant

Dubium:

An et quomodo sit concedenda canonicatuum reductio et fructuum applicatio a capitulo) proposita in casu?*

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi accepta optione ad primam dignitatem, ad praebendas theologalem et poenitentialem aliasve curam animarum habentes facto verbo cum SSmo.

Die 6. Dec. 1845 et 10 Jan. 1846.

*) Vd. *t. I. p. 802. VI.*

*) Vd. *supra p. 230. XII.*

20) Resignatio non concessa in favor. clerici non laudabilis.

Vd. *Beneficium* (resignatio); infra *b. Pistorien.*

Fulginaten.

Cum Canonicus Cathedralis Fulginatensis Carolus Rossi suam praebendam resignare vellet clerico Josepho Santarelli, qui primum edituus fuerat in collegiata ecclesia s. Mariae nunc in ipsa Cathedrali cantor est, preces hic porrexit SSmo, ut literas apostolicas resignationis impetraret. Nihil tamen apud Emum Pro-Datarium profecit ob denegatas sibi ab Episcopo literas testimoniales. Iterum ergo a summo Pontifice deprecatus est approbationem resignationis, quin necesse haberet testimoniales exhibere. Preces hujusmodi remissae fuere ad hanc s. Congregationem, quae ab Episcopo sciscitata est causas testimoniales simulque, ut audito capitulo mores vitaeque rationem clerici Santarelli exponeret. Folium a Canonicis subscriptum remisit aegrotante Episcopo Vic. generalis, in quo ipsi huic resignationi repugnat ex rationibus inferius recensendis. Ipse vero Vicarius generalis in sua informatione haec praecipua ad rem habet: »*Hoc sane exponendum puto eumdem clericum, licet quoad illius morum honestatem nihil in contrarium habeam, in reliquis de praeterito non satis laudabilem praebuisse vitae rationem.* Addit quoque: *Episcopum constanter adversum hujusmodi resignationibus ex multis et optimis rationibus et attenta gravi beneficiorum dioecesis inopia, maxime in re presenti obstitisse cum agatur de clerico in minoribus constituto, qui praebendam canonicalem prae caeteris pinguiorem hujus Cathedralis assequi contendit, dum tot emeritissimi praesbyteri e gremio etiam ipsius capituli et ex iis quoque, qui dudum eidem Cathedrali absque praebenda et supranumerarii inservierunt, bono isti optare eoque perfrui possent in mercedem laboris in cujus partem jamdiu acciti fuerunt et quotidie etiam nunc vocantur. Quin Santarellio opitulari queat jactata merita. Haec enim fundantur in muneribus sacristae collegiatae ecclesiae s. Mariae et cantoris in hac Cathedrali et haec tam parvi fiunt, ut iis obeundis infimi ordinis clerici adlegi semper consueverint. Hoc unum addendum censeo nempe Santarellum injuria conqueri sibi deesse media, quorum titulo ad s. Ordines promoveri valeat. Silentio praeteriit capellaniam ultimis temporibus adeptum fuisse annui redditus ducatorum viginti quatuor de camera ut ex collationis apostolicae bulla desumo. Cum igitur ex synodalibus hujus dioecesis sanctionibus scuta dumtaxat triginta requirantur manifesto hinc liquet Santarellium cum dicta capellania longe plus quam necessitas postulet obtinere.*

Quamquam ex decreto *Clementis XI.* probari nequeant *resignationes* beneficiorum, nisi accedente attestatione Ordinarii,*) attamen si compertum sit eumdem nulla subeunte justa causa repugnasse quominus resignatio concedatur, tum solet summus Pontifex sua uti authoritate, ut sine testimonialibus resignationes hujusmodi concedat uti tradit *Rigant. in comment. ad reg. 45. cancellar.**) num. 34. et sequentem.* Quae sit causa dissensus Episcopi constat ex informatione. Quanquam enim nil in contrarium habeat quoad honestatem morum clerici Santarelli (quos minus laudabiles in praeteritum reprehendit) attamen se numquam probaturum profitetur hanc resignationem seu quod Santarellius non majoribus oneratus sit meritis quam editui et cantoris munia exercuisse, seu quod ipse possidet aliud beneficium, quo ad sac. Ordines promoveri possit seu quod alii sint in Cathedrali digniores, quibus in compensationem laboris haec praebenda dari poterit. In sententiam Episcopi discessit capitulum, quod praeterea opponit Santarellio natales minus quam par esset generosos et suspicionem simoniae in impetrando consensu a Canonico Rossi pro resignatione.

Hisce omnibus respondet clericus Santarelli in impresso memoriale EE. VV. distribuendo. Testimonio parochi et aliorum virorum commendat Santarellius suos mores vitaeque rationem in praeterito tumultu caste integreque versatam, tum etiam ostendit se scientiis operam navasse, munus aeditui et cantoris naviter exercuisse, pueros cathechesim docuisse. Haec satis sibi esse putat ad assequendum beneficium residentiale. Quin aliis ex hac resignatione praejudicium irrogetur, cum nullum quaesitum habeant jus ad hanc praebendam obtinendam et dummodo a summo Pontifice probetur, liberum cuique esse beneficium resignare. Multo vero minorem quam aureorum viginti quatuor esse contendit cappellaniam, quam possidet, nec deesse exempla aliorum Canonicorum, qui una cum praebenda alia beneficia retinent. Natales suos fatetur, sed in ipsa Cathedrali alii existunt qui non sunt avis editi nobilibus, ut si ipse in caetum cooptetur non idcirco aliorum contristatur nobilitas. Suspicio vero simoniae*) deducitur ex eo quod Canonicus Rossi in domo clerici Santarelli diversatus sit. Sed omnis haec suspicio tollitur, quia Canonicus Rossi suam simbolam contulit pensionemque solvit ita, ut nec clericus Santarelli domum mensamque pararet, ut de eo benemereretur, nec Canonicus Rossi in resignationem assentitus sit, ut gratiam Santarellio referret.

Etsi pro parte capituli appositum sit solitum *Nihil transeat*, ut animum sua jura tuendi ostenderet, ideoque partibus praesentibus concordatum sit dubium, adhuc tamen silet, ut vadimonium deseruisse videatur.

Dignentur itaque Emi PP. deliberare:

An sit probanda resignatio in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 19. Jan. 1805.

*) Vd. *t. II. p. 863. s; 852. l. m.*
**) Vd. *t. II. p. 832.*

21) Saecularis.

a) Regulares saecularizati num possidere possunt?

Vd. t. II. p. 869; *Canonicus Cath.* (doctor etc. decr.: *Lucana.*); *Regulares saecularis.*

b) Regularis canonicatum saec. adipisci non potest.

Vd. t. II. p. 868. n. 96.

Pistorien.

(Conc. Tr. c. 11. s. 14. c. 18. s. 25. de ref.)

Cum Joannes Baptista Sozzifanti canonicatum quem a triennio circiter in cathedrali ecclesia obtinet favore Josephi Mariae ger-

*) Vd. *t. II. p. 840. n. 39. a; 865 u.*

mani fratris Canonici regularis Lateranensis necnon Abbatis monasterii s. Bartholomaei in manibus summi Pontificis resignare intendat, ne forsan ad residentiam quam studiorum causa hactenus absens nunquam praestitit se transferre compellatur, supplicatio in eum finem sanctiss. D. N. porrecta ad hanc sacram Congregationem fuit ab eminentiss. Prodatario remissa; quocirca concordato dubio inferius describendo memoratus Abbas Joseph Maria praehabita sui superioris licentia allataque Episcopi relatione votis suis conformi ex rationum momentis circa capacitatem Canonicorum regularium Lateranensium ad secularia beneficia obtinendum fusius adductis pluribusque congestis similium indultorum exemplis affirmativum rescriptum sibi pollicetur.

Sane quod attinet ad assertam capacitatem Canonicorum regularium Lateranensium obtinendi beneficia secularia communior canonistarum opinio est, ipsos eam sibi asserere non posse, adeo ut pro assequendis canonicatibus aliisque beneficiis secularibus ac praesertim iis, quibus animarum cura non sit adnexa, pontificia indigeant dispensatione, uti paucis exceptis ex text. *in can.*: *Placuit 16. quaest. 1* et in *cap.*: *Super eo de regular.* late propugnant scribentes inter quos *Fagnan. in cap. Quod Dei timorem n. 18. de stat. monach.*, *Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 35. §. 2. n. 18*, *Garz. de benef. part. 7. cap. 10. n. 28 et 29*, *Tondut. quaest. benef. lib. 6. cap. 1. n. 26*, *Navarr. cons. 11. n. 6. lib. 3. de stat. monach.*, *Bellamer. decis. 172. tit. de praeben.* et late *eminentiss. Petra in suis commentar. ad constit. 1. Anastasii IV. sect. unic. a n. 31. tom. 2.*

Ejusmodi autem dispensationes sive indulta etiam ad beneficia curam animarum habentia qua de causa quibusve sub conditionibus impertiri expediat praescripsisse videtur sacra Congregatio Episcoporum et regularium negotiis praeposita in decreto sub Clemente X. die 18. Martii 1671 edito, ubi ita concluditur: »Quapropter ad hujusmodi dubitationes explicandas et controversias definiendas atque ut magis accurata disquisitione eorum Canonicorum spiritus et vocatio dignoscatur, qui dum in tranquillitate montis Sion Coelestium contemplatione suavissime pascuntur ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet e claustro ad regimen descensuri parochialium) invitantur, sacra Congregatio Emorum Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praeposita, re mature examinata atque audito Procuratore generali dictae congregationis Lateranensis speciali sibi authoritate per sanctiss. D. N. Clementem PP. X. vivae vocis oraculo attributa declarat, statuit atque decernit, ut inposterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis regularibus ordinis s. Augustini congregationis Lateranens. ad curam animarum in ecclesiis secularibus etiam de jurepatronatus in perpetuum seu ad tempus quocunque titulo exercendam admittatur, nisi praeter Abbatis generalis licentiam expressam quoque Sedis apostolicae indultum accedat, quod juxta sacrorum ministrorum penuriam et prout animarum postulabit utilitas in contingentibus casibus concedatur, ita ut quaelibet collatio, institutio et deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter facta irrita prorsus atque inanis censeatur et sit ac nulla etiam triennali*) longior possessio iisdem suffragetur. Canonicus vero, cui ejusmodi concessum fuerit indultum ad mentem praefati Innocentii III. (si commode fieri possit) socium unum ex suo ordine et congregatione secum habet, cujus in iis, quae Dei sunt et regularis observantiae, tam in consortio quam solatio perfruatur.«

Quia vero non desunt exempla indultorum sive dispensationum Canonicis regularibus Lateranensibus pro assequendis etiam canonicatibus quocunque licet animarum curae onere destitutis concessarum, nulla adjecta sive religiosi habitus sive socii conditione quae quidem vel ad Episcoporum instantiam vel ex justa causa ad formam praemissi decreti prodiisse censenda sunt, uti praevio sacrae hujus Congregationis consilio contigit in una *Bononien.* »Indulti« 18. Septembr. 1723, in qua simile dubium disceptatum fuit. EE. VV. itaque decernere dignabuntur:

An sit indulgendum Jos. Mar. Sozzifanti Canonico regulari Lateranensi pro assecutione canonicatus saecularis in Cathedrali Pistoriensi?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 16. Mart. 1737.

Continuatio ejusdem causae.

Causam hanc ad novam trutinam impetrato novae audientiae beneficio revocari po-

*) Vd. *t. II. p. 830.*

stulat idem Joseph Maria iterum insistens tum super asserta capacitate Canonicorum regularium Lateranensium obtinendi absque apostolica dispensatione canonicatus seculares tum etiam in stylo et praxi tam sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis praepositae quam hujus sacri consessus, juxta quam eisdem Canonicis denegatum nunquam fuisse asseritur indultum dictos canonicatus aliaque secularia beneficia assequendi, allata potissimum resolutione edita in una *Bononien. Indulti*, ubi disceptato simili dubio nimirum:

An sit indulgendum Joanni Baptistae Zanchini Canonico regulari Lateranensi pro consecutione canonicatus secularis in Metropolitana Bononiensi in casu? sub die 18. Septembr. 1723. rescriptum fuit: *Affirmative*, ut in *lib. 73. decr. p. 495.* At circa quaestionem: num scilicet Canonici regulares Lateranenses ita sint capaces obtinendi canonicatus aliave secularia beneficia quacumque licet animarum curae onere destituta, ut apostolica ad id dispensatione non indigeant, tametsi de ea modo non sit assumendum examen, praestat tamen iis, quae ad rem tradunt doctores in praeterito folio allegati §: *Sane* adjicere, quidquid super hac re praestantissime docuit eminentissimus *Petra in suis commentar. tom. 2. ad constit. 1. Anast. IV. sect. 1. n. 30*, ibi: »Redeundo igitur ad Canonicos regulares, de quibus in hac constitutione major difficultas est inter doctores, an fuerint capaces parochialium ceterorumque beneficiorum secularium et pro affirmativa adducebatur textus in *cap.*: *Quod Dei timorem. de stat. Monach.*, quem textum alii explicabant, intelligi tantum dispensative ex causa necessitatis vel utilitatis, prout dictum fuit quoad monachos. Nihilominus primo est statuendum, quod etiamsi adfuerit hujusmodi capacitas de jure ea tamen restringebatur ad ecclesias saeculares cum cura, de quibus infra, nunquam vero ad cetera beneficia non curata, quorum sunt omnino de jure incapaces, tam si sint simplicia quam cum dignitate; litera enim textus in cit. *cap.*: *Quod Dei timorem* occasionem dans dubitandi procedit expresse quoad parochias et sic remanet incapacitas de jure generali quoad omnes regulas addito, quod frastratoria esset mentio quae sit in cit. *cap.*: *Ecclesiarum parochialium*, si esset idem de reliquis; ceterum in contrarium urget, quod ideo in citato textu fuit facta mentio de parochiali, quia in eo disponitur, quod Canonici regulares comprehenduntur in *cap.*: *Monachi*, desumpto ex concilio Lateranensi *de stat. Monach.*, ubi fuerat dispositum, ut monachi per villas in parochiis cum socio tantum ponerentur, nihil invocando quoad beneficia simplicia. Verum, quod sint incapaces, est communis opinio, *Abb. etc.*, *Fagnan. in cit. cap*: *Quod Dei timorem. n. 18 et 19*, ubi refert declarationem s. Congregationis Concilii etiam quoad dignitates, *Garz. etc.*, *Corrad. in prax. dispens. lib. 6. cap. n. 26*, qui bene impugnat contrariam observantiam aliquoties fortasse cum dispensatione sequutam.

Hinc apostolicam dispensationem a praelaudatis Canonicis regularibus obtinendam prius esse, si cupiunt canonicatus aliaque beneficia secularia obtinere, alias collatio seu institutio nullius sit momenti et canonicatus seu aliud seculare beneficium possit veluti vacans ab alio impetrari, tradit cum aliis idem eminentissimus *Petra loc. cit. num. 41*, ibi: »Haec autem incapacitas Canonicorum regularium efficit, ut obteneatur aliquod beneficium ab Episcopo vel summo Pontifice sine dispensatione, possit denuo uti vacans impetrari per alium, ut innuit *Gonzal. etc.*, et est evidens, quia actus remanet vacans, expresseque hoc statuitur in dicto decreto s. Congregationis sub Clemente X. §. *Quapropter*, ita ut possessor neque triennali possessione possit se tueri, et sic necessario esset exprimenda talis qualitas;« et idipsum in terminis etiam fortioribus beneficii curati ac de jurepatronatus eorumdem Canonicorum regularium constat ex rescripto s. Congregationis in una *Florentina*, ubi proposito ad instantiam Abbatis illorum qui vulgo Scopettini nuncupantur hoc dubio:

An Canonicus regularis ex eorum congregatione possit absque indulto admitti ad ecclesiam parochialem de eorum jurepatronatus et an obstet decretum emanatum 18. Martii 1671. s. Congregationis Episcoporum, quod loquitur de Canonicis regularibus Lateranensibus?

Sacra Congregatio die 18. Jul. 1676. respondit:

Canonicos regulares nuncupatos Scopettinos non posse admitti ad exercendam curam animarum in dicta parochiali absque dispensatione apostolica, et quoad ipsos etiam servan-

dum esse decretum praefatum ut in lib. 29. decr. pag. 269.

Quod vero attinet ad praxim juxta quam asseritur consuevisse hujusmodi dispensationes summa facilitate impertiri, quin immo eas hactenus nulli ex dictis Canonicis regularibus Lateranensibus denegatas, itidem perpendenda sunt, quae post relata verba textus in *cap.*: *Quod Dei timorem* egregie subdit laudatus eminentissimus *Petra dicta sect. 1. sub num. 32*, ibi: »Porro haec verba patefaciunt, quod vere Canonici regulares sint adscribendi ad ordinem regularium a clero seculari separatum sed mitigatioris regulae, qua monachi hinc arceri debent a beneficiis secularibus simplicibus, prout arcentur regulares juxta textum in *cap.: Super eodem de Regular.*, solumque ratione dictae regulae laxioris permittitur eis cura animarum secularium etiam sine socio juxta formam cit. *cap.: Quod Dei timorem.*, sicque privilegium hujus textus debet restringi ad qualitates in ipso enunciatas, *Card. de Luca etc.*, et prius *dec. 1305. num. 4. cor. Seraphin.* ubi probatur, clericum secularem non esse capacem beneficii concedi soliti Canonicis regularibus, et hic etiam fuit sensus sac. Congregationis Concilii: Regulares sunt incapaces beneficii simplicis, etiamsi essent Canonici regulares — ut refert *Garz. etc.* et cum anno 1685 Carolus Radosnenoschi Polonus Canonicus regularis obtinuisset a capitulo generali facultatem consequendi omnia beneficia, canonicatus et praelaturas in quacumque dioecesi regni Poloniae et a s. Congregatione peteret confirmationem hujusmodi facultatis, sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 6. Julii 1685. petitam confirmationem concessit quoad curata tantum ad formam sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum, eo quod raro permittatur dispensatio ad simplicia beneficia, ut monet *Card. de Luc. in adnot. ad Concil. Trid. dis. 13. num. 7.* et etiam dixit sacra Congregatio Concilii in *Taurinensi 1. Septembris 1603.* et *24. Augusti 1628*, idque confirmans in *tom. 6. pag. 522.* nimirum etiam post decretum editum die 30. Aprilis 1713. a s. m. Clemente XI. super examine speciali:

An dicti Canonici sint capaces beneficiorum curatorum et canonicatuum secularium, scite refert, eisdem Canonicis regularibus recurrentibus *pro indulto obtinendi beneficia secularia etiam curata concessum illud aut denegatum fuisse juxta necessitatem et facti circumstantias.*

Postremo, ne lateant causae, ob quas sacra Congregatio impertita fuit dispensationem Canonico regulari Joanni Baptistae Zanchini, ut assequi posset canonicatum in allegata *Bononien. Indulti*, non abs re est recensere, quod idem orator, antequam preces suas s. Congregationi porrigeret, fuerat a clar. mem. Cardinali Boncompagno Archiepiscopo Bononiensi ob penuriam aliorum ecclesiasticorum nobilium atque ob singularem ejus doctrinam praeelectus ad dictum canonicatum sub clausula: *dummodo suorum Superiorum accederet licentia et Sedis apostolicae indultum*, quodque dictus Joannes Baptista praeter memoratam praeelectionem a clar. mem. Cardinali Boncompagno obtentam exposuit in suo supplici libello.

Precesque suas adjecit procurator generalis hisce verbis: »In voto sum pro oratore D. Joanne Baptista Zanchini ab Emo S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Boncompagno ob penuriam ecclesiasticorum nobilium praeelecto ad canonicatum vacantem suae Cathedralis et praecipue ob ejusdem D. Joannis Baptistae morum probitatem et eruditionis sufficientiam sicuti et generis nobilitatem, quibus titulis apud eumdem eminentissimum Archiepiscopum plurimum commendatur.« His igitur perpensis una cum aliis in praeterito folio adnotatis necnon inspectis novis juribus quae nomine oratoris circumferentur partes erunt EE. VV. definire:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis, et amplius.

Die 18. Maji 1737.

Canonicatum et praebendam conferendam esse in perpetuum et in titulum clerico saeculari, qui cum caeteris Canonicis munus praebendae theologalis adimpleat juxta formam Concilii Tridentini quia nullo modo convenit, ut frater regularis cantet officium in choro cum Canonicis et presbyteris saecularibus.

S. R. C. die 15. Nov. 1603.

22) Suppressio.

Vd. *Canonicatus* (applicat. bonor. in usum valetudinarii etc. p. 62; reductio p. 322); *Beneficium* (suppressio, t. II. p. 888).

I. In dotem parochiae et erectionem praeb. theologalis concessa.

Vd t. II. p 897. f; 905. m.

Pinnen.

Anno 1815 militaris auctoritas canonicatum supprimi jussit in Collegiata loci Cittá s. Angelo Pinnensis dioecesis, ut ejus redditibus fundari posset praebenda parochialis in ecclesia del Vil lagio di Cipresso. Hac super rurali ecclesia, quae tria circiter passuum millia distat a Collegiata, capitulum matricitatis juribus potiebatur in eaque per oeconomum ad nutum amovibilem gerebat animarum curam. Institutio ac dotatio paroeciae nondum perfecta fuerat, cum aliud initum fuit saluberimum profecto consilium, erigendi scilicet in Collegiata praebendam theologalem. Quare hoc hodiernus Episcopus, confirmata canonicatus suppressione, constituit peculiari decreto. Rem omnem postea per s. hunc Ordinem deferre censuit ad ssmum Dnum Nostrum, qui sanationem suppressionis ab illegitima primum auctoritate peractae benigne impertiit ceterisque petitionibus obsequutus est per rescriptum diei 11. Julii 1854 cauto tamen ut theologalis conferatur per concursum cum primus canonicatus vacaverit. Capitulum libentissime excepit erectionem paraeciae nec directe obstitit institutioni theologalis, sed sese vertit ad hanc s. Congregationem postulans, ut nonnisi ducati duo supra triginta theologali praebendae addicerentur sibique jus nominandi theologum reservaretur.

Ejus preces de more missae sunt ad Episcopum. Porro capitulum ex iis, quae ab Episcopo in suis literis sunt exposita, sumpsit occasionem revocandi in dubium validitatem ipsam praedictae sanationis a ssmo Dno Nostro impetratae. Haec igitur ac tres capituli petitiones in quaestione versantur.

Liceat imprimis commemorare suppressionem, quae ab illegitima auctoritate peracta fuerit et per apostolicam Sedem non confirmata, invalidam nullamque esse, S. C. *in Bobien. Canonicatuum 14. Maji 1831. §. Nihil igitur.* Nec dubium est, ab ea generatim sacros canones abhorrere, utpote quae per se spectat ad imminutionem servitii divini, *cap. Ex parte 12 de constit.*, S. C. in *Urbevetana Reductionis et applicationis 6. Martii 1819. §. Agitur* et in *Sutrina 27. Maji 1809. §. Suppressioni.* Ast ubi adsint utilitatis aut necessitatis causae, nemo est qui nesciat, illam jure permitti, *cap. 26. de praeb.*, S. C. in *Perusina Subsidiorum dotalium 17. Sept. 1831. §. Ubi alterutra.* Jamvero in themate quidquid sit de necessitate, perspicua et evidens est utilitas ab Episcopo simul et capitulo comprobata, suppressio enim eo spectat, ut pro bono animarum erigatur et nova paroecia et praebenda theologalis.

Verum capitulum, dum ex qua parte plenissime canonicatus suppressioni consentit, negat ex altera suppressionem ipsam jam esse rite perfectam. Et rem a principio repetens animadvertit, militarem auctoritatem jussisse quidem supprimendum non vero suppressum declarasse canonicatum. Ejusmodi porro jussio nunquam effectum est consequuta, ob id praesertim, quod statim capitulum reclamaverit, ut ipse idem Episcopus huic s. O, significavit in altera quaestione jam dirempta de numero Canonicorum. Restituta subinde legitimi Principis dominatione ne verbum quidem de ista suppressione factum est sive a civili sive ab ecclesiastica auctoritate. Quin etiam inita conventio inter s. Sedem et regnum anno 1818. expresse vetuit, quominus executioni mandarentur, quae jam undequaque perfecta non fuissent. Adeo insuper verum est suppressionis decretum effectu caruisse, ut unicus vacans canonicatus ab hodierno Episcopo collatus fuerit anno 1848.

Sed detur etiam quamvis illegitime perfecta suppressio anno 1815, nihilominus negari nequit, causam finalem suppressionis ejusdem eam fuisse, ut erigeretur ac dote instrueretur nova paraecia in rurali loco Cipresso. Atqui nunquam erecta est paroecia, eo minus certa huic et perpetua dos attributa ita ut ipse Episcopus anno 1851. capitulum de peragenda erectione statuendaque dotatione consuleret. Ac proinde suppressio quoque in nihilum rediisset, causa enim finalis quoad effectus aequiparatur conditioni: deficiente vero conditione exploratum est perimi actus ab ea dependentes, nihil omnino gestum censeri. S. C. in *Praenestina Fallentiarum 29. Julii 1837. §.: Jamvero* et in *Lauretana Jurispatronatus et capellaniae 17. Februarii 1838. §: Contra.* Nec potest capitulum pergit invocari confirmatio et sanatio postea impetrata, cum naturalis ratio suadeat, confirmari et sanari non posse quod non existit. Ipsas quinimo preces, quae datae sunt ad

impetrandam sanationem infectas esse vitio obreptionis aut subreptionis, quippe quae veritati non omni ex parte congruebant suppressionemque jam undequaque absolutam atque ad effectum deductam ostendebant.

Juverit perpendere, num praemissae animadversiones nimiam potius dubitationem et quendam veluti scrupulum redolere quam rei substantiam attingere videantur. In hoc enim rei summa consistit, revera a militari auctoritate latum fuisse decretum suppressionis atque Episcopum simpliciter postulasse ut quod nullius roboris erat legitimum fieret et sanaretur. Nec exponendum erat, effectu caruisse decretum: effectus enim nihil detrahere ejus validitati poterat, nihil addere. Imo preces huc adamussim spectabant, ut quae decreta fuerant effectum consequerentur. Probe etiam enunciavit Episcopus, quem ad finem suppressio constituta esset: nec falsa enarravit affirmans, Antistitem illius temporis assensum praestitisse suppressioni. Adeo enim hoc verum est, ut per edicta concursus ad novam paroeciam indictus fuerit.

Praeterea obreptio et subreptio tunc in facto consistit, cum dolo malo vel falsa enunciata fuerint vel reticita scitu necessaria. *Gonzalez. in cap.: Super literis 20. de rescript., S. C. in Parmen. Executionis literarum apostolicarum die 22. Junii 1833. §: Episcopi.* Ast in themate de dolo malo abest vel ipsa suspicio. Vitium insuper obreptionis et subreptionis luculentissime demonstrandum est: jure siquidem sancitum est, in dubio viribus pollere rescriptum. *S. C. in Forosempronien. Pensionis die 16. Sept. 1820. §. Primum* et in *Faventina Indulti die 24. Januarii 1829. §. Nec mendacii.* Nec quidquam obest memorata conventio, quae inter apostolicam Sedem et regnum Neapolitanum inita fuit anno 1818, quandoquidem etsi vetita revera fuerit posterior executio rerum illarum, quae jam ad effectum deductae non fuissent, quisque tamen intelligit, inhibitionem hujusmodi ad ea traduci non posse, quae cum facultate et confirmatione apostolicae Sedis in posterum perfici visum esset.

Haec breviter de suppressione canonicatus. Nunc vero quod attinet ad erectionem praebendae theologalis expendendae sunt capituli petitiones ac primo videndum, quaenam pars reddituum suppressi vel supprimendi canonicatus theologo sit assignanda. Juxta capitulum duo tantum supra triginta ducati illi attribui possent, tot enim superesse dicuntur demptis octoginta pro parocho Cypressi juxta concordem ipsius capituli Praesulisque sententiam. Capitulum ad rem commemorat, piam faeminam Laudoniam Caselli supremis tabulis testamentariis diei 11. Augusti 1738 auxisse numerum Canonicorum novo erecto canonicatu, cujus redditus ducatos centum ac duodecim non excedunt. Hunc esse, quem anno 1815. supprimendum decreverat illegitima ac militaris auctoritas, adeoque hunc eumdem esse debere, qui hodie, sive suppressus sive supprimendus judicetur, redditus praebere debet et Canonico theologo et parocho Cypressi.

Episcopus vero contendit alterius in genere ex canonicatibus decretam fuisse suppressionem, non illius speciatim a pia institutrice Casellia nuncupati. Quod etiamsi admitteretur nullum tamen ex eo discrimen oriretur. Siquidem opportune advertit Caselliani canonicatus redditus communi ut ajunt massae commissos adeo fuisse, ut novus canonicatus aequali ac caeteri praebenda perfrueretur. Uno igitur canonicatu suppresso necessario redditus unius Canonici absque ulla distinctione alteri usui destinandi sunt. Atqui redditus uniuscujusque Canonici sunt ducati centum et viginti, attributis igitur novo parocho ducatis octoginta patet addicendos esse theologo quadraginta. Nihilominus non obsistit Episcopus, quominus theologo ducati tantum triginta duo per gratiam assignentur. Equidem congrua pro theologo censetur sufficiens, si ad scutata saltem sexaginta perveniat, *const. Bened. XIII. Pastoralis officii, S. C. in Forrosempronien. 24. Aprilis 1830*, in *Camerinen. Praebendae theologalis et Poenitentiariae 3. Dec. 1735.* et in *Nucerina Paganorum Praebenda theologalis 1. Martii 1738.* Cum igitur in casu theologus praeter integros canonicatus redditus, qui ad viginti supra centum ducatos ascendunt, istam etiam additionem aliorum ducatorum quadraginta aut saltem triginta duorum sit habiturus, perspicuum est, ita effici congruam sufficienti longe majorem. Hosce vero uti etiam ducatos octoginta pro parocho Cypressi tamquam praestimonium vel stipendium a capitulo persolvendos esse concordi sententia censent Episcopus et Canonici, propterea quia nulla sit in Collegiata praebendarum distinctio, sed una tantum existat massa quam vocant capitularis.

Altera petitio capituli respicit onerum

missarum suppressionem. Scire oportet, piam faeminam Laudoniam Caselli canonicatum a se institutum missa quotidiana praeter alteram singulis secundis feriis celebrandam onerasse. Facta vero inter Canonicos aequa omnium missarum onerum partitione liquet »come il carico annuale di ciascun Canonico, quando il Collegio é pieno, sia die 57 messe piane, e piú di 3 Messe solenni.« Si demas igitur summam ad haec onera implenda necessariam liber immunisque redditus uniuscujusque Canonici non parum imminuitur. Ex quo capitulum colligit una cum suppressione canonicatus onera quae huic insunt supprimenda esse, alioquin summa quae theologo addici debet ex massa potius capitulari quam ex suppresso canonicatu desumeretur. Praeterquamquod uti aequissimum est rem transire cum onere suo, ita etiam aequitati congruere videtur, rei alicujus suppressionem secum ferre debere suppressionem onerum eidem ei quomodolibet inhaerentium. Cum insuper accessorium sequi oporteat naturam principalis ex *reg. jur. 42. in 6.* suppressa praebenda quae principalis res est supprimenda videntur et onera, quae accessoria quodammodo considerari possunt. Nec praetereundum aliud quod ex parte capituli affertur argumentum altero nempe sublato Canonico evadere graviores ceterorum curas et labores. Ut igitur res in aequo permaneant aliud potius emolumenti ex suppressione illi capere quam detrimenti deberent. Sed caperent detrimentum, si onera suppressi canonicatus perferre cogerentur.

Verum Episcopus aperte declarat missarum onera nec delenda esse nec minuenda. Neque de missis ab institutrice Casellia praescriptis separatim sermonem institui posse. Nullam pariter in promptu esse rationem, quae saltem pro rata portione suadeat missarum reductionem, praesertim cum ex canonicatus suppressione non solum capitulo nihil detrimenti sed certo obveniat non parum lucri et emolumenti. Assignatis namque parocho Cypressi ducatis octoginta ex redditibus suppressi canonicatus capitulum lucratur sexaginta ducatos, qui oeconomo curato ex communi massa persolvebantur. Quod capituli lucrum aliquantulum etiam augeretur, si theologo ducati tantum triginta duo non quadraginta tribuerentur. Ceterum omnes norunt ex regula hujus s. Ordinis reductionem non concedi, quando redditus non deficiant ferendis oneribus pares nec adsit evidens necessitatis aut ecclesiae utilitatis ratio, *S. C. in Mutinen. Reductionis et commutationis 14. Julii 1830. §: Oblatis* et in *altera Mutinen. Reductionis 22. Nov. 1834. §: Ceterum.* Quae rationes in themate desiderari videntur.*)

Unum denique videndum remanet de theologi electione. Ad hanc quod attinet capitulum postulat sibi integrum servari jus ecclesiastici patronatus, quo potitur in omnes canonicatus. Aequum profecto est aliena jura semper si fieri possit sarta tecta servari. Praesertim si advertatur eo spectare capituli petitionem, ut peracto concursu ex illis, quos Examinatores approbaverint, alterum praesentandi jus habeat. Nec laederetur jus quo pollet Episcopus eligendi ex approbatis quem magis idoneum ac digniorem in Domino judicaverit: aliud enim est praeelectio et collatio, aliud vero praesentatio. Extat exemplum in *Cremonen. Erectionis praebendae theologalis 2. Julii 1729***) et in *altera Pinnen. 25. Aprilis 1761. Canonicatus theologalis* in qua disputato dubio:

An electio ad canonicatum theologalem fieri possit a capitulo favore sibi magis benevisi inter approbatos in concursu seu potius praeelectio et approbatio in eodem concursu et collatio privative spectet ad Episcopum in casu etc.?

responsum prodiit: Praeelectionem et collationem spectare ad Episcopum, praesentationem vero spectare ad capitulum et amplius. — Ipse Episcopus hac in re capituli precibus annuendum existimat. Itaque proponuntur

Dubia:

I. *An sustineatur sanatoria quoad suppressionem canonicatus ab Episcopo impetrata per rescriptum pontificium diei 11. Julii 1854 in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sit procedendum ex integro ad suppressionem canonicatus pro dote paraeciae villae Cypressi et erectione praebendae theologalis in casu?*

III. *An et quomodo sint assignandi redditus suppressi canonicatus tum paroeciae villae Cypressi tum Canonico theologo in casu?*

IV. *An et quomodo sit annuendum petitioni capituli pro suppressione oneris missarum in casu?*

*) Vd. *Missa* (reductio).
**) Vd. *Praebenda theolog.*

V. *An et quomodo sit annuendum capituli petitioni pro reservatione jurispatronatus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Affirmative ad formam rescripti diei 11. Julii 1854.

Die 1. Junii 1861.

Continuatio Pinnen.

Capitulum ecclesiae Collegiatae s. Michaelis loci »Città di s. Angello« novae audientiae beneficium petiit super III. et V. dubio eoque obtento reformationem latae responsionis in hodiernis comitiis exposcit, rogans ut Canonico theologo duo tantum supra trigiuta ducata tribuantur, utque electio ipsius spectare debeat ad capitulum inter approbatos in concursu, collatio vero ad Episcopum.

Cum in praedicta Congregatione 1. Junii discuteretur, quaenam pars reddituum suppressi canonicatus theologo foret assignanda capitulum instabat eandem esse non debere majorem ducatis 32, cum totidem solummodo ex suppresso canonicatu Laudoniae Caselli, demptis 80 ducatis pro parocho Cypressi, superessent. Episcopus vero animadvertebat non Caselliani canonicatus in specie, sed alterius in genere canonicatus indictam fuisse anno 1815 militari auctoritate suppressionem addebatque praeterea redditus canonicatus Caselli adeo communi massae capitulari commixtos fuisse, ut novi canonicatus in dicta ecclesia a Casellia instituti possessor aequali ac ceteri Canonici praebenda perfrueretur.

Ratus attamen hodiernus capituli defensor, Capitulares ideo a judicio excidisse, quod forte in praedictae suppressionis canonicatus Casselli probatione defecisset, peculiari studio novis adductis documentis in eo nunc est, ut revera canonicatum Caselli et non alium suppressum fuisse commonstret.

Affert ergo literis diei 28. Januarii 1815 del Ministro del culto indictam fuisse suppressionem canonicatus vacantis per mortem del Canonico Marulli; Marullum vero obtinuisse canonicatum Caselli certissime probari ait inspecta vix serie Canonicorum qui eumdem retinuerant ab anno 1749 usque ad diem 15. Julii 1814, qua Canonicus Marulli animam egit. Quod minime praeterea ab Episcopo inficiari subjunxit, immo nec etiam posse, cum ipsa curia episcopalis anno 1815 concursum indicens ad parochiam Cypressi aperte significaverit, novum eligendum parochum recepturum fore redditus suppressi canonicatus quem defunctus Canonicus Marulli possederat. Adeo propterea ab anno 1815 usque ad paucos anteactos annos constans apud omnes opinio permanserat casellianum canonicatum a militari auctoritate fuisse suppressum, ut cum anno 1857 apud H. S. O. controversia agitaretur super numero canonicatuum supradictae ecclesiae s. Michaelis eadem ab Emis Patribus dirempta fuerit responso: »Collegiatam constare debere duodecim Canonicis salvo jure disputandi super canonicatu instituto a pia foemina Caselli.« Indubium proinde retinendum fore concludit idem capituli defensor, non quemcumque in genere canonicatum, sed in specie canonicatum Caselli anno 1815 passum fuisse suppressionem.

Respondens hinc supramemoratae difficultati ab Episcopo in praecedenti folio propositae immissione scilicet bonorum canonicatus Caselli in communem capituli massam plane discerni etiam in praesentiarum ait dotem novo canonicatui ab institutrice Laudonia designatam, quae in quodam emphyteutico praedio constituta fuit, cujus redditus annuus ducatorum 112 subductis oneribus cuique canonicatui adnexis necnon ducatis 80 parocho Cypressi singulis annis tradendis nonisi sexdecim circiter ducata theologo assignanda relinquit. Aequum idcirco minime fore deducit, ut plusquam triginta duo ducata ex suppresso canonicatu Caselli theologo concedantur.

Ad alterum deinde dubium capituli defensor progrediens, in quo quaerebatur: an et quomodo sit annuendum capituli petitioni pro reservatione jurispatronatus quodque per EE. VV. ut superius jam innui diremptum fuit rescripto: Affirmative juxta modum; nempe ut in *Pinnen. 25. Aprilis 1761*, praelectionem scilicet et collationem spectare ad capitulum: hujusmodi Pinnensis exemplum minime pertrahendum esse ait ad praesentem controversiam, ea potissimum ratione, quod in citata Pinnensi reclamante Episcopo collationem canonicatuum de jure ad ipsum spectare nulla ex adverso probatio aderat asserti juris eligendi favore capituli; in praesenti vero quaestione minime hujusmodi probatio desideretur, cum haec s. Congregatio in altera *Pinnensi 19. Augusti 1857* acta inter Episcopum et eosdem Canonicos s. Michaelis proposito dubio:

An et cujus favore constet de jure eligendi Canonicos in casu? respondisset: Affirmative favore capituli. Non obstare propterea autumat resolutionem in dicta Pinnensi ex defectu ejusdem juris. Maxime quod capitulum s. Michaelis non modo minime contradicentem sed et conscientem sibi habeat Episcopum, qui praebendam theologalem instituens in collegiata ecclesia decernebat eandem esse pro eo inter sacerdotes qui praevio publico indicto concursu in forma constitutionis Bened. XIII: *Pastoralis* magis idoneus ad eam assequendam ab examinatoribus renunciatus in Canonicum theologum eligetur ita tamen ut talis electio habita ratione dignioris inter approbatos propter ecclesiasticum juspatronatus ad capitulum omnino spectet et ad dioecesanum Antistitem canonica institutio. Quam dispositionem inter Episcopum et capitulum conventam probe inniti affirmat supradictae Benedictinae constitutioni »Pastoralis«, quae praebendam theologalem eo plane modo conferri voluit, quo parochiales ecclesiae conferuntur. Cum ergo Tridentina synodus integra patronorum jura servanda statuerit, quoties res esset de patronatu tum laicali tum ecclesiastico quoad parochias, non immerito capitulum s. Michaelis ex indubio quod sibi competit jure eligendi Canonicos sua sibi jura patronatus super theologali praebenda reservanda esse arbitretur.

Haec praecipue animadvertenda erant ex allegatione distribuenda a capituli Procuratore, ex parte autem Episcopi nihil novi deductum est. Ne eadem itaque repetere videar, quae in anteactis comitiis observata fuere, memoratum causae folium recolere Emtias Vestras iterum rogo et deinde resolvere

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in III. dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in V. dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis et amplius.

Ad II: Dilata.

Die 22. Febr. 1862.

Continuatio.

Cum in memorata praecedenti Congregatione res esset de perpendendis rationum momentis, quibus capitulum sua jura super patronatu in H. S. O tueri se posse arbitrabatur, non opus fuerat eadem repetere, quibus prolata resolutio diei 1. Junii superioris anni innitebatur. Hodie vero utrumque agam, recolam scilicet quae in dicta *Pinnen 1761.* proposita fuere, quibusque rationibus dimicatum sit, et addam deinde, quae nuper capitulum super reservatione jurispatronatus adserebat.

Ex jure conferendi praebendas canonicales vacantes in mensibus ordinariis, quod sibi proprium asserebat anno 1761 capitulum cathedralis ecclesiae Pinnensis, jus etiam ad se spectare contendebat personam sibi benevisam eligendi ad praebendam theologalem. Episcopus autem non modo sibi collationem praebendae vindicebat sed et electionem ipsam sibi specialiter demandatam esse dicebat, adeo ut ipse non vero capitulum inter approbatos digniorem eligeret, ex mente Conc. Trid. *sess. 5. c. 1. de reform.* et vigore etiam Benedictinae constitutionis »Pastoralis officii« quae praecipiens concursum ab Episcopo indicendum in collatione praebendae theologalis ad instar Parochialium reservasse quoque videtur eidem Episcopo electionem dignioris uti partem integralem concursus ipsius. Cumque capitulum magis etiam urgeret ex praescripto constitutionis Benedictinae *Pastoralis officii*, quo statuitur praebendam theologalem conferendam esse magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur, et proinde contenderet, se posse eligere digniorem ex approbatis, reservata collatione ad Episcopum, illico per procuratorem fiscalem repositum fuisse constat, soli Episcopo ex Tridentino tributam esse facultatem eligendi Canonicum theologum, nec secus obtinuisse apud hanc s. Congregationem quae in una *Aretina 31. Julii 1627* censuit jus electionis personae cui conferenda est praebenda theologalis spectare ad Episcopum, juxta declarationes antiquas, ut *in lib. 13. decret. p. 301.*, quamvis in illa ecclesia electio Canonicorum pertinuisset ad capitulum et confirmatio seu institutio ad Episcopum, et rursus in *Salernitana 4. April. 1637*, in qua cum quaesitum fuerit ad quem spectaret electio et collatio praebendae theologalis Ordi-

nario scilicet aut capitulo in vim immemorabilis suae consuetudinis eligendi ad canonicatus? haec eadem s. Congregatio rescripsit: »electionem personae theologi ad solum Emum Archiepiscopum spectare,« ut in *lib. 15. decret. pag. 512.* Ad ea vero quae a capitulo adducebantur ex constitutione »Pastoralis officii« inspectis verbis eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur iterum a promotore fiscali opponebatur auctoritas hujus s. Congregationis, quae interrogata per summaria precum ab Episcopo Cremonensi de jure eligendi Canonicum theologum ad tramites memoratae constitutionis Benedictinae respondit: Beneficium vacans esse erigendum in canonicatum theologalem, electio autem personae fiat ab Episcopo et Canonici eidem praesentent personam ab ipso (nempe Episcopo) electam, ut eam instituat. Neque aliter ab hac doctrina S. H. O. responderat in aliis resolutionibus tum ante tum post supradictam Benedictinam constitutionem prolatis, uti manifeste apparet inter antiquas in *Pinnen. 13. Junii 1591 dub. 1.* in qua declaratum est, erectionem duorum munerum theologi et poenitentiarii esse faciendam electionemque personae pertinere ad solum Episcopum, collationem vero praebendae et canonicatus ad eos ad quos antea spectabat. Et *in Oscen. 24. Apr. 1597*, in qua s. Congregatio censuit, obveniente casu quod praebenda theologalis vigore Concilii erecta in mensibus inferioris collationis vacaverat, electionem personae theologi pertinere ad Episcopum, collationem vero ad eos ad quos ante Concilium pertinebat. Inter recentiores vero resolutiones, nempe eas quae Benedictinam constitutionem subsecutae sunt, afferri possunt praeter eandem ipsam *Pinnen. 25. Apr. 1761, Salernitana Canonicatus poenitentiarii 21. Julii 1753 et 1. Sept. ejusdem anni*, in qua decretum est: »Electionem esse faciendam ab Archiepiscopo favore personae magis idoneae ab examinatoribus renunciatae in concursu, praesentationem vero ejusdem personae faciendam esse a capitulo. Et *Majoricen. Canonicatus theologalis 15. Dec. 1753*, in qua propositis dubiis:

III: An electio personae cui praefata praebenda theologalis conferenda est privative spectet ad Episcopum?

Et IV: An sustineatur electio et collatio praedictae praebendae facta a Reverendissimo?

Responsum fuit ad III: Affirmative.

Ad IV: Electionem factam ab Episcopo substineri, collationem vero spectare ad capitulum.

Ad cujus doctrinae tramites Cardinalis Petra haec habet in *comment. ad constit. apost. const. II. Innocentii VI. num. 30. tom. 4. operum*: Personae electio in hujusmodi praebenda (theologali scilicet) instituenda semper et inconcusse spectat ad Episcopum, etiamsi ante erectionem nominatio Canonicorum pertinuisset ad capitulum; idemque declarant *Barbosa de Canon. c. 27. n. 12 et sequ.* et *Ferraris v.: Canonicatus art. IX. num. 12. et seqq.*

Contra vero pro capitulo s. Michaelis in prima causae propositione animadvertebatur, aequum non videri, ut capitulum erectione in canonicatum theologalem canonicatus in sua ecclesia jam existentis jure eligendi privaretur, quo certe potitur in omnes Collegiatae canonicatus: idque etiam multo minus aequum judicandum fore, si adverteretur, hodiernam capituli petitionem super reservatione patronatus in proposito dubio 1. Junii 1861 eo tantum spectare, ut peracto concursu capitulum in novum theologum digniorem ex illis quos examinatores approbaverint eligeret et Episcopo instituendum praesentaret Quod nemo non videt, quam longe sit a libera nominatione omnium Canonicorum, qua capitulum collegiatae ecclesiae hucusque gavisum est.

Quibus omnibus iterum perpensis nonnulla etiam in anteactis comitiis proponebantur ex constitutione Benedictina *Pastoralis officii* cujus sanctione plene servanda fore viderentur jura patronatus in conferendis praebendis theologalibus, licet hujusmodi praebendae in posterum conferri debent per concursum.

Enimvero, cum in ipsa constitutione statuatur, ut praebenda theologalis deinceps conferatur eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur, merito concludendum fore arbitrabatur capitulum, aequalia sane jura servanda esse patrono ecclesiastico quoad praebendam theologalem ac parochialem. Posito igitur, quod in casu parochialis ex Conc. Trid. *sess. 24. c. 18. de reform.* et ex decisionibus hujus s. Congregationis liceat patrono ex adprobatis in concursu eligere quem Episcopo praesentet in parochia instituendum, pari ratione juxta Benedictinam ipsam constitutionem capitulum arguebat jus

electionis sibi servandum esse in casu theologalis. Qua de causa Episcopum ipsum, erectionem praebendae theologalis quam maxime desiderantem, hac in re plane consentientem adferebat. Decreto siquidem erectionis theologalis (quod executioni nondum demandatum est) aperte declaravit ecclesiae Pinnensis Antistes, electionem novi theologi habita ratione dignioris inter approbatos propter ecclesiasticum juspatronatus ad capitulum omnino spectare et ad dioecesanum Antistitem canonicam institutionem.

Quibus in genere animadversis minime in specie capitulum observare praetermittebat, exemplum Pinnensis anni 1761 pertrahendum non esse ad praesentem quaestionem, ex potissimum ratione, quod in citata Pinnensi nulla ex parte capituli Cathedralis probatio aderat asserti juris eligendi in sui favorem cum in actuali controversia de hujusmodi jure favore capituli s. Michaelis nullatenus dubitare liceat, post resolutionem praesertim s. hujus Congregationis diei 19. Augusti 1857; propositum iis praecise verbis conceptum erat: an et cujus favore constet de jure eligendi Canonicos? Et Emi Patres responderunt: Affirmative favore capituli. Capitulum tamen jus illud eligendi Canonicos non aliunde quam ex jurepatronatus comprobare nitebatur ceu patet ex folio tunc temporis distributo. Etsi proinde de certo patronatus jure in omnes canonicatus nec etiam in dicto folio allatae fuerint a capitulo indubiae et concludentes probationes, videant tamen EE. VV. utrum aliqua difficultas in praesenti quaestione adhuc non supersit in hypothesi certi jurispatronatus, quod majus profecto audit ac simplex jus eligendi. Sane inspectis omnibus resolutionibus hujus s. Congregationis in dicta Pinnen 1761 relatis manifeste apparet dubia in adductis exemplis semper proposita fuisse ex jure electionis, nunquam vero ex jurepatronatus, cum e contrario in una *Amerina 2. Junii 1860*, quae per summaria precum expedita fuit, proponente Episcopo erectionem theologalis supervacante quodam canonicatu Aloysi de jurepatronatus familiae Pagliacci Sacchi Fazi salva sua jura patronis servata fuere. Ipsis enim contradicentibus erectioni ex capite jurispatronatus super dicto canonicatu Emi Patres decreverunt: erigendam esse praebendam theologalem ex canonicatu Aloysi, ita tamen ut patroni nominare debeant actu idoneum ad munus obeundum. Non improbabilis tamen differentiae ratio inter utrumque casum adesse forsan posset in qualitate jurispatronatus ecclesiastici et laicalis.

His omnibus ergo iterum perpensis EE. VV. dignabuntur dirimere

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in V. dubio in casu?

S. C. resp.:

Seposita quaestione jurispatronatus in decisis.

Die 29. Mart. 1862.

II. Ob tenuitatem praebendarum dilata.

Mazarien.

In oppido, quod olim Alicia, hodie Salemi vocatur, dioecesis Mazarien., adest matrix ecclesia s. Nicolao dicata, quam s. m. Pius VII. apostolicis literis diei 31. Martii 1802 ad Collegiatae insignis honorem evexit. Huic addicti sunt Archipresbyter prima dignitas, duo Canonici curati aliique decem Canonici, qui item in paroeciali animarum administratione suppetias ferre teneantur quique aeque ac illi in concursum conferuntur. Accedunt sex alii Canonici, qui praebendas juripatronatus obnoxias obtinent easdemque separatim administrant. Non desunt alii mansionarii, clerici et ministri similiter chorali servitio mancipati. Archipresbyter aliique duodecim Canonici participant ex massae communis cumulo, qui conficitur ex decimis ac primitiis, quae territorio colliguntur. Ita vero divisio fit: totus cumulus in sex aequas dispescitur partes. Una Archipresbytero cedit, alteram dimidiatim recipiunt duo Canonici curati: tertia ecclesiae sumptibus et oneribus substinendis adsignata est. Reliquae tres partes quoad dimidium et paulo plus aequis portionibus decem Canonicis distribuuntur; quod reliquum in usum massae distributionum destinatur, qua fruuntur quotquot choralibus officiis assistunt.

Decimarum ac primitiarum proventus ad ducentas et triginta salmas ascendere deberet, et quando in hac summa integre exigi potuit, res recto ordine processerunt et cultus divini functiones adamussim expletae sunt. At vero decem circiter abhinc annis mora debitorum et odium erga hujusmodi solutionem

ex pravis miserorum horumce temporum opinionibus conceptum in causa fuit, cur ad tertiam fere partem decreverit decimarum ac primitiarum collectio. Quocirca Canonici paulatim a chorali servitio recesserunt ob exile, quod ex canonicatu sibi supererat, emolumentum. Hujusmodi spirituale detrimentum perpendens Episcopus sua cum Archipresbytero et Canonicis consilia contulit, ut ratio aliqua adinveniretur, qua decem Canonicorum portiones et massa distributionum augeretur. Ad hanc rem proposuit primo loco duorum canonicatuum suppressionem, eo magis, quod spes est fore, ut breve alii duo canonicatus ex fidelium pietate peculiariter erigantur, secundo reductionem quorumdem legatorum piorum, ita nempe, ut commodum, quod ex reductione profluet, in massae distributionum augmentum applicetur.

Porro praedictam rationem ab Episcopo ipso huic s. C. directis precibus oblatam unaque vehementer commendatam suis ipsis verbis legere non graventur Emae Vestrae.

Interim unus e capellanis a testatore Clementia institutis dum reliqui tres suum consensum praebere non renuebant contra hujusmodi preces Episcopi nonnullas exceptiones huic s. C. subjecit. Quamquam vero eumdem paulo post a proposito resiliisse suique praestiti consensus literas in episcopali tabulario deposuisse scripserit Episcopus, nihilominus, cum ejusdem exceptionibus suas Canonici replicationes opposuerint, utrasque breviter referre opportunum duco ut res, de qua agitur, magis magisque ventiletur et expendatur.

Inprimis contra duorum canonicatuum suppressionem excipitur, hujusmodi remedium odiosissimum esse in jure canonico adeoque nonnisi ex gravissimae necessitatis aut evidentissimae utilitatis causa permitti, *Reiff. in Jus. can. lib. 3. tit. 12. num. 32*: Jam vero istae conditiones praesto in casu nequaquam sunt, cum enim decimarum et primitiarum obligatio, qua terricolae tenentur, creditum liquidissimum importet nullique juridicae difficultati obnoxia sit, nihil profecto impedit, quominus, postquam amicabiles quaeque monitiones inutiliter exhaustae fuerint, debitores ad solutionem adhibitis juris remediis adigantur: idque eo magis facile eveniet, si a Canonicis major solertia, studium ac sollicitudo impendatur.

Neque vero ullum est Canonicis jus in bona ac proventus ecclesiae Matricis manus conferre, quandoquidem in erigenda Collegiata decimae ac primitiae ab universo ecclesiae reddituum censu distinctae ac separatae sunt, ut in eorumdem alimoniam destinarentur ea addita conditione expressa, ut sive crescerent sive decrescerent iisdem adsignatae intelligerentur, quin aliud quidquam ultra praetendere possent. Cum igitur hac conditione capitulum decimas ac primitias acceperit, eidem stare sine ulla dubitatione cogitur, cum praesertim hodierni Canonici, ut plurimum, in canonicatus possessionem ingressi sunt cum istiusmodi redditus jam minui ac deficere inceperat.

Quod vero ad reductionem trium legatorum piorum pertinet, advertitur, quod piae fidelium voluntates sancte religioseque servandae sunt quodque in unum a piis testatoribus usum relictum est, non potest in aliam causam converti, Conc. Trid. *sess. 25. cap. 5. de refor.*, et passim haec s. Cong. Id generatim extenditur ad singula tria legata, quorum reductionem proposuit Episcopus. Sed insuper specialis cuique operi pio difficultates obsistunt: et reapse primo circa quatuor capellanias a testatore Clementia fundatas singulis rectoribus quindecim unciasuncia quaevis aequiparatur scutatis duobus cum quatuor juliis monetae romanae obvenire ea lege, ut quotidie missam applicent. Cum autem ex synodali constitutione inposterum aucta eleemosyna manuali missa quotidiana proportionabiliter reducta fuerit, illud necesse est, ut si ex haereditate pii fundatoris aliquid superest potius capellanis tribuatur, ut ad normam testamenti quotidie missam offerant, ac si quid etiam ulterius reliquum sit, ut hoc iisdem tradatur pro aliis oneribus ab eodem fundatore praescriptis, ac nominatim servitio chorali satisfacienti, qua de re idem fundator praeter dictas quindecim uncias alias octo eisdem asignatas voluit. Quibus positis nihil magis defuncti voluntati adversum, quam quod in suam utilitatem hujus piae causae redditum Canonici vertere praesumant.

De opere pio, quod Maramme eo loci appellatur, non est silentio praetereundum, quod ejusdem redditus in ecclesiae tuitiouem et in ingentes quae quandoque occurrunt extraordinarias expensas erogari debeant. Quibus quidem oneribus perferendis Municipium esset obstrictum: at vero, ut hoc

sumptu municipale aerarium immune se habeat, pii fundatores sua bona reliquerunt.

Tandem aliarum missarum reductio in magnum redundat populi detrimentum: illis enim imminutis jam in ecclesia deficient missarum celebrationes, quae quolibet die vel citius vel serius ad majorem populi commoditatem celebrari solent.

Verumtamen hujusmodi difficultates sic ex adversa parte refelluntur. Inprimis non deest in casu legitima necessitatis et evidentissimae utilitatis causa cur apostolica Sedes benignam in themate indulgentiam adhibeat. Conc. Trid. *sess. 24. c. 15. de ref.*, *Reiffen. loc. cit. n. 35.* Res enim in propatulo est, quod Canonici, cum par oneribus, quae perferunt, emolumentum non assequantur, ab ecclesiae diligenti servitio sese proripiunt, indeque cultui divino ingens damnum non sine populi offendiculo derivat. Neque vero prudens consilium est ad juris remedia confugere, ut plena decimarum ac primitiarum solutio urgeatur. Id perinde esset ac odium populi acrius acerbare, quod maxime viros ecclesiasticos dedecet et ab ecclesiae aequitate repugnat.

Quod vero Canonici canonicatum acceptaverint, cum proventus hujusmodi imminutio jam inchoaverat, nihil impedit, quominus ab apostolica Sede congruum supplementum expostulent. Cumque ex ipsius ecclesiae, cui serviunt, redditibus et bonis hoc remedium facile suppetat, nihil aequius, quam quod, licet aliter in Collegiatae fundatione cautum fuerit, illuc competente auctoritate interposita habeatur confugium.

Subinde si gradus fiat ad reductionem piorum legatorum, nemo negare audet, quod privata auctoritate piorum fidelium voluntates violare nefas est: at vero summus Pontifex pro ea, qua pollet in ecclesia, plenitudine potestatis, non prohibetur, legitima accedente causa ex ipsorum fidelium praesumpta voluntate in alios aeque pios usus eorumdem relicta convertere.*) Jamvero aequissima non semel haec s. C. causam duxit missas reducere, ut alimonia sacris ministris comparetur, sine quibus cultus divinus, qui ceteroquin in piorum fundatorum suffragium cedit, nullo modo posset haberi.

Ad speciales vero difficultates, quae singulatim opponuntur, ita reponitur: Capellani a Clementia instituti omnes ad unum suum consensum praestiterunt eumdemque praestitit Archipresbyter, qui illius haereditatis administrator est ab ipso testatore deputatus. Ceterum nihil inde damni sentiunt capellani, qui consuetam quindecim unciarum praestationem recipiunt, et ab oneribus, quibus ex mente testatoris obstricti essent, immunes evadent ex hoc ipso quod octo uncias in hanc causam a testatore praesignatam non accipiunt. Interim aliquo modo testatoris menti satis fit, quandoquidem haereditatis pars, admissa reductione, diligentiorem et decentiorem servitii choralis, quod ipse capellanis injunxerat, celebrationem efficiet.

Ex pio opere Maramme sine ullo ejusdem incommodo viginti unciae separari queunt, cum enim ipsius proventus ad tercentas fere uncias ascendat, jam tantum illi abunde relinquitur, quod cuicumque necessitati reparandae satis superque suppetat.

Tandem si alicujus missae celebratio diminuatur, parum aut nullum populo incommodum potest obvenire, idque eo minus, quod exeunte anno 1854 in ecclesia collegiata alterius missae celebratio fundata est a defuncto Canonico Martillaro.

Quae cum ita sint ad summam Emarum Vestrarum sapientiam pertinet gravissimo judicio dirimere subsequens

Dubium:

An et quomodo annuendum sit petitae duorum canonicatuum suppressioni et reductioni piorum operum pro causis expositis in casu?

S. C. resp.:

Dilata et doceatur de actuali redditu praebendarum et de gravi difficultate exactionis decimarum.

Die 13. Septb. 1856.

*) Vd. *t. II. p. 617. n. 63 etc; 1064. c; 370. n 15 etc*

23) Suspensio.

a) Diuturna juri adversa est.

Vd. t. II. p. 914 etc.

Firmana.

Juris sanctioni adversam cujusque canonicatus diuturnam suspensionem, *Card. de Luca de jurep. disc. 20 n. 12 cum Fargn. eod. tract. par. 2. cas. 27. cap. 6. n. 4.*

b) Nominationis.

Vd. supra p. 263. etc.; t. II. p. 708. u.; 712. VI. *a.*

c) In reaedificationem ecclesiae Colleg.

Vd. *Canonicat.* (nominationis suspensio pro reparat. p. 276. IV.)

Ut compleretur reaedificatio fatiscentis Collegiatae simulque parochialis ecclesiae s. Mariae oppidi Bictonii concessit ad decennium s. Congregatio tum suspensionem quinque canonicalium praebendarum ibi vacantium tum prorogationem alterius suspensionis jam concessae archipresbyteralis congruae cum conditionibus in voto Episcopi expressis docto etc. idque notificari mandavit ministris Datariae apostolicae *in Assisien. Reaedificationis die 22. Januarii 1820 ad 1. dub.*

24) Theologalis.

Vd. *Praebenda theolog.*

25) Unio.

I. Concessa.

Vd. *Beneficium* (unio).

a) Propter tenuitatem redditui canonicatuum.

Vd *Canonicat.* (nominationis suspensio p. 263 etc.); supra decr.: *Mazarien.* p. 339.

Sutrina.

Duo sunt in Cathedrali Sutrina praebendae canonicales adeo fructibus tenues, ut nemo eas consequi velit nunc cum vacantes sint. Altera ex fundatore Jacobo Grilli nuncupata divo Jacobo conferenda est a capitulo vel ecclesiae sacristae vel clericis inservientibus quatenus idonei comperiantur. Annuos habet redditus in scutis 29. 87 et pro obeundo alternativo servitio chori libera supersunt Canonico scutata 5. 81. Gravatur enim in annuis scutis 24. 5. in causam vectigalium et missarum. Harum aliae in num. 63 communes sunt singulis Canonicis pro oneribus beneficiorum, quae massae capitulari unitae sunt, aliae sunt conventuales, quae inter omnes Capitulares solita vice dispertitae unicuique in numero 21 quotannis obtingunt, aliae demum propriae sunt praebendae et a fundatore impositae, ita ut Canonicus obligatus sit singulis hebdomadis celebrare duas missas unam die lunae alteram die Mercurii in capella constituenda in ecclesia s. Francisci de Sutrio et in festivitatibus s. Jacobi celebrare seu cantari facere missam magnam in honorem dicti s. Jacobi. Paullo redundantior est fructibus altera praebenda, quae ad liberam collationem Ordinarii pertinet. Nam ex annuo redditu scutorum 33. 15. superextant scuta 11. 22. immunia ab oneribus, quae in scutis 21. 93. calculantur pro vectigalibus et missis propriis praebendae in numero 66 ultra communes et conventuales. Vigilantissimus Episcopus subverens, ne ob imminutum sacerdotum numerum et redditui tenuitatem impossibilis aut diuturna futura sit praebendarum vacatio, deprecatus est ab hac s. Congregatione duorum canonicatuum unionem ex qua nullum detrimentum capere potest divinus cultus cum tresdecim sint Canonici qui cum Archipresbytero choro intersunt. Ita autem unionem faciendam esse postulat, ut una constituenda praebenda alternatim ab eodem Episcopo ejusque successoribus et a capitulo conferenda sit et pro prima vice a Dataria apostolica, simulque, ut missarum reductio fiat, quo congruentiores redditus Canonico assignentur. Implorat autem, ut gratia per rescriptum indulgeatur, cum aliter inutilis esset per bullas quarum impensas nemo suppeditare posset.

Haec omnia excerpsi ex informatione ejusdem Episcopi qui praeterea observat: »Ultra onera missarum propria cuilibet Canonico adsunt alia Sacra 63 ab unoquoque Canonico celebranda pro implemento onerum beneficiorum ab immemorabili tempore unitorum massae capitulari, quaeque inter Canonicos fuerunt distributa.

Quoties igitur horum duorum canonicatuum unio erit peragenda, nulla earumdem missarum reductio fieri poterit sed quisque ex Canonicis suam ratam persolvere debet et sicuti uterque Canonicus hujusmodi onere gravabatur ita per unionem rata unius erit dividenda aequaliter inter omnes Canonicos, quibus licet augeantur onera augentur etiam fructus massae capitularis pro deficientia unius canonicatus, idemque ferendum erit judicium quoad missas conventuales de turno. Reductio igitur locum habere debet quoad alias missas proprias utriusque canonicatus uniendi illamque decernendam esse censerem in duabus Sacris quolibet mense celebrandis pro animabus fundatorum et benefactorum.« Auditi sunt ministri Datariae apostolicae, qui hanc unionem probarunt dummodo accederet consensus capituli patroni alterius praebendae.*)

Quapropter Episcopus habitis comitiis capitularibus die 10. Octobris nuper elapsi

*) Vd. *t. II. p. 962. c.*

rem omnem proposuit et Canonici secretis plenisque suffragiis assentiti sunt »ea conditione, ut Canonicus utriusque praebendae simul uniendae futurus possessor in cunctis distributionibus tum redditui certorum cum emolumentorum per annum obvenientium non duas sed unam tantum partem lucrari possit, alia vero omnibus existentibus Canonicis accrescat, quemadmodum iisdem ob imminutum Capitularium numerum augetur communium onerum portio.«

Tridentinum *sess. 24. cap. 15. de reform.* cavit: »In ecclesiis cathedralibus etc. ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidiannis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidiannis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.« Quamquam vero praebendae hujusmodi congruae videri poterunt ex eo quod a fundatione semper plenae fuerint nec Canonici qui eas possederunt numquam onera implere recusarunt, attamen pro temporum conditione tenues judicandae sunt, statim ac alter ex Canonicis detractis omnibus oneribus et praecipue missarum pro alternativo servitio chori habet scuta 5. 80, alter scuta 11. 22, quae certe sustinendo Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiunt, ut alias definivit s. Congregatio in *Syracusana Reductionis* missae conventualis 22. Februarii 1803.

Dum itaque patroni consensus accedit justa quidem subest causa, cur duae istae praebendae uniantur. Quemadmodum enim divinus cultus nullum detrimentum patitur, cum uno remoto Canonico duodecimalii cum Archipresbytero supersunt, qui servitium chori obire possent, ita si vacuae relinquantur praebendae, quas attenta paucitate sacerdotum diu vacaturas timendum est, in reliquos Canonicos onera redundarent. In quibus terminis s. Congregatio unionem probavit in *Nucerina 13. Martii 1784.*

Modus autem, qui pro hac unione faciendi poscitur, canonicis regulis consentaneus videtur.*) Nam si unio secumfert extinctionem prioris status, ut tradit *Scarfanton. ad Coccoper. lib. 1. tit. 6. in animadvers. num. 24*, sequitur ut abrogatum esse debeat juspatronatus activum et passivum. Repugnat idquidem voluntati fundatoris Jacobi Grilli, qui activam nominationem capitulo reliquit, passivam vero sacristae et clericis inservientibus. Sed quoniam res in eum statum venerit, ut voluntas fundatoris impleri amplius non possit, sequitur, ut ex hoc justa emergat causa commutandae voluntatis, ut statuit s. Congregatio in *Maceraten. Reductionis onerum 12. Julii 1794.* Quare dum geminae praebendae uniuntur, quarum altera liberae collationis est, altera pertinet ad praesentationem capituli, optime consultum videtur utriusque juribus, si alternativa nominatio statuatur, dummodo pro hac prima vice relinquetur libera s. Sedi apostolicae. Quandoquidem haec probent EE. PP. supplicandum erit SSmo, ut haec fieri permittat procul ab expeditione literarum apostolicarum. Nemo enim esset, qui necessarios sumptus suppeditare posset ita ut impetrata unio effectu vacua maneret. De reductione missarum quaerendum praeterea est. Nam Emus Episcopus putat, quod licet uniantur praebendae attamen nihilo plus novo Canonico ex collatis utriusque redditibus libera superessent quam annua scuta septemdecim. Quare necessaria videtur reductio, ut congrua portio Canonico assignetur. A qua tamen immunes esse debent missae annuae 63, quae unicuique Canonico pertinent pro implemento onerum beneficiorum, quae massae capitulari unita sunt. Missae siquidem hujusmodi, quae antea a duobus Canonicis celebrabantur, inposterum pro una portione integrae praestandae erunt a novo Canonico et pro altera repartienda sunt inter omnes Canonicos quibus si uno diminuto praebendato onera augentur fructus quoque acrescunt ex massa distributionum.

Itidem quoad missas conventuales faciendum erit.

Reductio itaque poscitur quoad missas proprias utriusque praebendae. Ex fundatione Grilli duae missae in hebdomadas singulas celebrandae sunt; ex altera annuae sexaginta sex. Redditus quidem impares sunt oneribus tum missarum tum etiam ser-

*) Vd. *t. II. p. 962. g; 965. h.*

vitii chori, quod in utraque fundatione impositum videtur. Nam facta est erectio canonicatus et deinde injuncta celebratio missarum. Dum itaque graviora sunt onera quam par est, reducendae quidem sunt missae prae servitio chori, ubi illud testator praecipuum habuit, ut statuit s. Congregatio in *Aquen. Reductionis 19. Decembris 1772* et in *Urbanien. 30. Augusti 1788.* Ad augendas vero tenues praebendas aliquando s. Congregatio reductionem missarum concessit in *Syracusana Missarum 10. Martii 1759* et in *Nucerina Reductionis 13. Martii 1784.* Reductionem vero faciendam esse proponit eminentissimus Episcopus ad geminas missas in singulis menses.

Hinc Dubium:

An et quomodo sit locus unioni praebendarum et reductioni missarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta consensum capituli et votum Episcopi, celebratis tamen omnibus missis ad formam respectivarum fundationum utriusque canonicatus, servata passiva vocatione in nominatione capituli facto verbo cum Sanctissimo.

Die 27. Decb. 1803.

Mathelicen.

In ecclesia olim collegiata Mathelicensi deinde ad Cathedralis gradum evecta per publicum instrumentum anni 1634 a nobili viro Flaminio Razzanti Ordinarii accedente authoritate quatuor fuerunt erecti canonicatus congrua illis assignata dote viginti cameralium, quorum annui redditus in totum conflabant summam scut. 104 inter ipsos ad ratam scut. 26 pro singulis dispertiendam. Onus vero illis imposuit fundator, omnia et singula peragendi ac praestandi, ad quae praestanda tenebantur alii octo Canonici anterioris fundationis, nimirum quotidiani choralis servitii et missarum pro benefactoribus per turnum ac praeterea in unaquaque hebdomada duas missas privatas unam defunctorum alteram b. Mariae V. perpetuo celebrandi, quas fundator ipse praescripsit juxta mentem suam esse applicandas. Illud praeterea cavit, ut quodcumque *augmentum seu decrementum dictorum locorum montium illiusque redditus etiam facto principis proventurum, commodo vel risico Canonicorum, non autem ejusdem D. Flaminii vel ejus haeredum (quos ad aliquid aliud nunquam teneri voluit) cedat et cedere debeat.*

Sic re in suis primordiis constituta juxta fundatoris mentem per aliquod temporis spatium omnia cessere. At postmodum redditibus imminutis (quo vero tempore haud satis constat) decreverunt pariter missarum onera quibus specialiter singuli Canonici tenebantur. Factum est enim, ut non amplius scuta supperessent 104, sed tantum. sexaginta, proptereaque ad ratam scut. 15 pro singulis quatuor Canonicis distribuenda, missarum onera unicuique Canonico ad duas tantum pro singulis mensibus reducta fuerunt. Dein novis sequutis in annuo fructu inminutionibus nunc vix in totum summa conflat scut. 25 ac proinde annuus singulorum Canonicorum redditus ad scuta sex et obul. 25 cohibetur unde redactus fuit etiam speciali pontificio indulto missarum numerus ad duas tantum annuas pro singulis Canonicis.

Hisce praemissis Canonicus Joannes Baptista Razzanti Mathelicensis qui jurepatronatus quatuor canonicatuum a Flaminio fundatorum modo potitur gratiam expostulat quatuor hasce praebendas et canonicatus ad duos tantum reducendi.

Quae hucusque retuli ex Episcopi informatione et ab eo transmissis documentis eduxi. Verum petitae ab oratore reductioni omnino sese opponit capitulum, habito enim formali conventu sub die 3. Septembr. 1818 contrariam edidit sententiam.

Ab hac tamen capituli sententia longe aberravit ejusdem capituli Archipresbyter, qui tum Dei gloriam tum civitatis et ecclesiae decus magis magisque promoveri demonstrare studuit admissa canonicatuum Razzanti unione; nam aucta illorum dote ex redditu licet semper tenui utpote duodecim annua scuta non excedente attamen facilius quidem inveniri poterunt, qui eos optent atque ideo ecclesiae servitio provideatur.

Inter hanc capituli et Archipresbyteri dissonantiam ita suum aperit votum Episcopus: Ipse quidem animi mei sensum Eminentiis Vestris Rmis jubentibus expositurus libentius quidem ex una parte Canonicorum numerum deprecata reductione non minuendum sentirem, et periculum ex altera parte probabile admodum video, ne progressu temporis pleneque hujusmodi canonicales praebendae vacuae relinquantur aut iis conferantur, qui aetate fere puerili vix aut ne vix quidem iis assequendis idonei censeantur, ac propterea firmo integro canonicatuum numero longe sit minor numerus Canonicorum, eorum saltem, qui et ecclesiae decus teneant eidemque utiliter devote ac reverenter psallendo deserviant. Periculum autem hujusmodi amoveri non videtur, si quatuor praebendis ad duas tantum redactis singulorum redditus duplicetur; duplex namque earum redditus summam scutor. duodecim cum dimidio non excedens tenuissimus est.

In hoc rerum statu id unum proponerem si EE. VV. RR. placeat quod scilicet singulis quatuor, prout nunc sunt, praebendis canonicalibus habitualiter conservatis, de iis praevia semper pàtroni nominatione, si qui sunt sacerdotes vel clerici aetate tamen, probitate et alias ecclesiae et chori servitio et juxta sacros canones idonei, qui eas assequi postulent, provideantur, quoties vero et quandocumque earum unam vel alteram tamdiu vacare contingat, ut nemo de ea postulet provideri, tunc haec favore alterius ex dictis Canonicis a patrono pariter nominandi cumuletur.

Ita exposita facti specie ac relatis rationum hinc inde momentis superest addendum, quod cum quatuor canonicatuum, de quibus inquiritur, integra dos constet, ex fructibus Locorum Montium nullis distributionibus augetur Canonicorum stipendium. Quo vero ad juris dispositionem sat erit EE. PP. memoriae revocare, quod s. Tridentina synodus *sess. 24. cap. 15. de reform.* hac de re sapientissime decrevit: »*In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.*«

Dubium erit:

An et quomodo concedenda sit reductio canonicatuum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad duos canonicatus applicatis redditibus et oneribus missarum juxta ultimam reductionem et notificetur ministris Datariae.

Die 22. Jan. 1820.

Unio duorum canonicatuum de jurepatronatus universitatis hominum oppidi Stronconis dioecesis Narniensis.

Venerabili fratri Episcopo Narniensi.

Leo PP. XII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Ab indulgentia supremae hujus Sedis non est alienum beneficiis tenui praeditis redditu gravatis autem non tenui onere alia beneficia aggregare, si illam aggregationem et unionem fieri poscentes in id rationes afferant quae omnibus accurate perpensis in pretio habendae esse videantur.

§. 2. Sane expositum Nobis nuper est nomine universitatis hominum oppidi Stronconis Narniensis dioecesis universitatem illam pollere jurepatronatus duos in canonicatus erectos in collegiata ecclesia sancti Nicolai, quae in eodem oppido assurgit, tam exigua autem bonorum dote esse instructos, ut annuus unius cujusque eorum redditus nummos scutatos quindecim non excedat. Quumque eorum canonicatuum alter jamdiu rectore careat, nec facile sit presbyterum aut etiam clericum quemvis reperire, qui canonicatus tam parum fructuosi onera suscipere non detrectet, suppliciter a Nobis petitum est, ut canonicatum illum nunc rectore vacuum perpetua unione coalescere velimus alio cum canonicatu, qui patronatui subjicitur universitatis ejusdem et a dilecto filio Canonico Andrea Verdiani obtinetur.

§. 3. Nos vero omnes ac singulos, quibus hae literae favent, peculiari prosequi beneficentia volentes, tibi venerabilis frater Episcope eas partes imponimus atque mandamus ut si ita res se habent prout exponitur auctoritate Nostra apostolica utrumque beneficium de quo agitur illorumque onera, bona ac fructus perpetuo unias ac vicissim jungas unitosque et junctos esse decernas, ita ut unam eamdemque deinceps canonicatus praebendam conficiant, quae a dilecto filio Canonico Verdiani, donec ei vita suppetet,

deinde autem ab ejus successoribus obtineatur. In beneficium vero ita unitum ac junctum integra esse volumus jurapatronatus, quae in utrumque antea sejunctum beneficium universitas hominum oppidi praedicti exercebat, dummodo ea jura solido veritatis fundamento innitantur.

§. 4. Haec concedimus atque mandamus decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 3. Februarii 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 23. Ed. Romae.)

Spoletana.

Antonius Mattioli post defectos masculos a se descendentes dotatasque faeminas jussit, ut sua haereditas pro triente accresceret congruae parochi oppidi *delle Preci*, ex reliquo vero asse duo erigerentur canonicatus. Jus nominandi Canonicos reliquit parocho pro tempore simulque quatuor familiis.

Fructus hujus canonicatus olim attingebat scuta annua quadraginta, nunc in deterius abivit ob calamitatem LL. Montium, ita ut fructus decreverint ad annua scuta septemdecim. Quo factum est, ut licet missae reductae sint ad annuas decem et septem pro unoquoque Canonico attamen vacante altero ex his canonicatibus nemo unus fuit qui illum consequi aut retinere voluerit.

Praesbyter Joseph Mensurati qui alterum canonicatum possidet implorat ab hac s. Congregatione, ut etiam aliud consequi possit. Parochus et patroni instantiae assentiuntur. Emus Episcopus eamdem probat. Ait enim: *Praesens beneficii introitus non excedit summam scutorum sexdecim circiter, non adsunt distributiones et parum augmentum sperari potest si detur victoria unius litis respicientis capitale scutorum 400. Nec Archipresbyter nec alii interesse habentes obsistunt petitioni, quae quoad unionem fructuum vacantis canonicatus ad aliquod tempus justa mihi videtur.*

Duo de jure requiruntur ad unionem beneficiorum perficiendam, scilicet necessaria causa et consensus eorum, quorum interest, ut ex *cap. 49. caus. 26. quaest. 1, cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat.* tradit s. Congregatio in *Forosempronien. Translationis paroeciae et applicationis 19. Decembris 1801.* et in *Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.* Cum in re nostra adsit patronorum consensus inquirendum superest de necessaria causa. Sane obstat, quod ex duobus canonicatibus unus tantum efficiatur et ita minuatur ecclesiae servitium. Nam unus tantum supererit parochi coadjutor et duo tantum erunt, qui in choro psallere poterunt. Ubi vero unio vertit in damnum ecclesiae, eam rejecit sac. Congregatio *in Leopoldien. Unionis 1. Septembris 1736.* Verumtamen diminutis nunc redditibus nemo est qui pro annuis scutis sexdecim velit canonicatum consequi cum onere parochum coadjuvandi, confessiones excipiendi, Sacramenta ministrandi, in choro psallendi atque missas celebrandi Quare ne vacans diu sit canonicatus, hoc ipsum satis causae esse videtur, ut unio perficiatur. Maxime cum unus Canonicus possit parochum adjuvare, et uno remoto parum detrahitur chori servitio.

Ad modum quod attinet explendae unionis eminentissimus Episcopus proponit, ut ad tempus duo canonicatus uniantur. Nam si interea fructus LL. Montium augeantur, tum sane erit consulendum pro aucto reddituum quantitate. Sive autem perpetuo sive ad tempus EE. VV. placeat unionem decernere, praestanda videntur a Canonico onera missarum utriusque canonicatus.

Dubium est:

An et quomodo sit locus unioni in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad quinquennium quoad redditus tantum adimpletis oneribus missarum utriusque canonicatus, et Emus Episcopus incumbat vindicationi scutorum quatuor centum.

Die 12. Maji et 2. Junii 1804.

b) Cum beneficio.

Vd. t. II. p. 984. VII; p. 994—999.

II) Non concessa.

Montis Falisci.

In ecclesia collegiata Gradularum Montis Falisci dioecesis duo extant canonicatus uniformes et sub eodem tecto,*) quorum utriusque juspatronatus tam passivum quam activum ad masculinam familiae Galeotti progeniem pertinet.

*) Vd. *t. II. p. 383. n. 17.*

Anno 1828 die 23. Martii cum unus ex istis vacaret c. m. eminentissimus Gazolla tunc Montis Falisci Episcopus ad patronorum praesentationem clericum Raphaelem Galeotti in ejusdem possessionem immisit. Anno 1833 die 19. Junii, altero etiam vacante canonicatu, c. m. eminentissimus Velzi Gazzolae successor eumdem eidem Raphaeli legitime a patronis praesentato contulit, quin ullam in literis quis de primo canonicatu mentionem faceret. Nihilominus Raphael in utriusque possessione cumulative remansit, donec Eminentissimus ille supervixit: quin imo in patrimonii sacri titulum sub anno 1837 priorem assecutum sibi constituit.

Ast Eminentissimo Velzi vita functo Vicarius capitularis ad Promotoris fiscalis instantiam juxta sacros canones ab utroque canonicatu decidisse Raphaelem perpendit utpote cumulative duorum beneficiorum incompatibilium possessorem. Raphael autem nullam dispensationem*) unquam exhibuit et nihilominus nullum ex canonicatibus hactenus dimisit.

Interea die 24. Augusti ejusdem anni 1837. ad hunc s. Ordinem unus ex compatronis per supplicem libellum retulit per obitum Aloysii Galeotti vacavisse canonicatum de jurepatronatu Galeotti (hic autem erat secundus a Raphaele possessus), cumque nullus alius vocatus extaret praeter filium suum Dominicum tum annorum fere septem hinc obtestabatur *volergli accordare la dispensa per l'eta per poter prendere la prima tonsura ed essere nominato in forma legale.* Rem autem Vicario capitulari remisi, qui singillatim omnia ad rem facientia transmitteret. Hic quae a Francisco exposita fuerunt confirmavit adjecitque Raphaeli facultatem fieri posse in primi canonicatus possessione permanendi, atque hoc esse etiam capituli votum; quoad alium vero cum Dominico super aetatem dispensari posse, ut necessaria nominatione praesentatus ad eumdem instituatur. Insuper annexuit testimonia nonnulla, unde constat prioris canonicatus redditum purum scutata 30 annua pertingere, de altero dedit notulam status activi et passivi, in qua videre est activum adscendere ad scut. 74, nihil esse distributionum; passivum autem scutorum 1. 8⁰. Praeterea canonicatus onera consistere in sex annuis missis et altera die quoque festo celebranda, in chori adsistentia diebus festis, ut alii praestant Canonici, et celebratione ultimae per turnum et tandem duobus anniversariis, quibus demptis, proventus purus superest in scut. fere 55.

*) Vd. *t. II. p. 614. c. c.*

Hoc temporis intervallo Raphael apud hunc s. O. supplex extiterat et per assertam illorum beneficiorum unionem ab eminentissimo Velzi patratam et pacificam ultra triennium possessionem necnon ordinationem eorum beneficiorum titulo subsequutam sua jura defensitaverat.

In hoc rerum statu iterum Ordinarium suum percontatus, ut super hisce precibus audito capitulo, compatronis et praesertim Francisco Galleotti et transmissis documentis ad rem facientibus referret de legitima peracta unione et oratoris bono jure. Hic remisit acta, consensum capitulum nec praestitisse nec praestiturum fuisse, si rogati fuissent. Deinde testimonium dedit Josephi et Francisci Galeotti patronorum, qui perhibent rogatos quidem se dedisse consensum pro unione, de qua agitur, sed tamen ideo dedisse, quia rem juxta sacros canones absolvi arbitrantur cum tamen praeter opinionem res acciderit consensum omnem retractare non dubitarunt. Quoad assertam autem unionem retulit in actis cancellariae nullum instrumentum hac super re inveniri nullumque a Raphaele exhibitum fuisse dispensationis diploma. Hisce opportune acceptis notitiis addidit nuper hodiernus eminentissimus Episcopus Galeotti, modo decimum aetatis annum agentem tonsura fuisse auctum nec aliquid habere quod ipse opponat dispensationi per eum expetitae.

Ut ad assequendam dispensationem aditum sibi recludat Dominicus, totus est sub prima dubiorum formula, ut jactatam unionem destruat et Raphaelem ab utroque canonicatu decidisse propugnet. Siquidem ait ille certum exploratumque esse duos hosce canonicatus de quibus res est chori servitio in eadem ecclesia esse obnoxios, quinimo ut caeteri canonicatus onere gravari coadjuvandi parochum in cura animarum adeoque nil dubii, quin sint incompatibiles. Certum etiam est hosce ipsos canonicatus ab una eademque persona possideri, nec inficiatur Raphael. Jamvero ecclesia semper vetuit beneficiorum plurium maxime incompatibilium retentionem, nisi apostolica dispensatio intercesserit, *cap.: Referente 7. praeterea 14*

de praebendis et dign., Rota cor. Ansaldo decis. 416. §§. 7 et 8, s. C. Comen. Incompatibilitatis. 14. Dec. 1822. Quod Raphael nulla dispensatioue fuerit instructus testatur Ordinarius. Cum autem nedum bimestre sed sexennium nuuc effluxerit post adeptam secundi canonicatus possessionem, quin primum unquam dimiserit, hinc ab utroque juxta canouicas constitutioues excidisse prono alveo sequitur *ad cap. de multa et praeb.* et pressius *Extravag. Joan. XXII.* Execrabilis § *Qui vero.*

Neque vero quidquam movet assertae unionis objectio. Cum enim unio sit quid facti, nou praesumitur, sed probauda est ab eo qui factum asserit, *Rota decis. 577. n. 5. p. 3. et dec. 223. num. 5. p. 1. Recent., Ferraris verbo:* Unio, *numer. 1*, praesertim cum eadem in jure pro odiosa reputetur. *Turricella de union. benef. p. 3 qu. 88, Ferraris loc. cit., s. Rota cor. Ansaldo decis. 403. n. 8.* Jamvero nihil solidum ad eam demonstrandam adducitur. Praeterea ut unio beneficiorum legitima habeatur, praeter competentem auctoritatem requiritur consensus eorum quorum interest, *cap. 43. caus. 26. qu. 1, Conc. Trid. sess. 7. c. 4. de reform.* et *sess. 24. c. 15. ib., s. C. in Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.* §. *Tridentinum*, et passim auctores, necnon capituli ipsius ecclesiae,*) in qua facienda est unio, *Conc. Trid. sess. 7. c. 6. de ref., Barbosa de Can. et dignit. c. 42. n. 8, Riccius in Prax. res. 388.* Tandem causa necessitatis et utilitatis, *c.: Exposuisti* de praebendis, *Conc. Trid. sess. 7. c. 6, Pirhing. ad hoc caput* et *Reiffenst. ibidem.* At vero nulla ex hisce conditionibus coucurrit in themate; non dispensatio apostolica, ut fatetur Vicarius generalis et facto ipse Raphael, qui necessaria documenta reperire sibi datum uon fuisse testatur. Non adest patronorum consensus, qui cum conditiouale praestitus fuisset, couditioue nou effecta nullus reputandus est. Non consensus Capitularium, qui collegialiter collectos se nunquam fuisse interpellatos unauimiter confitentur. Non tandem utilitas et necessitas ecclesiae; quiu imo, auctore capitulo, maximum haec quoad chori servitium totumque Dei cultum detrimentum caperet, si beneficia diminuerentur. Hinc licet etiam ab Eminentissimo Velzi marte suo facta fuisse diceretur, tamen cum deessent requisitae solemnitates attendenda non esset, siquidem unio ab Ordinario sine causa facta non valet; *Fagnanus ad cap.: Exposuisti de praeb. n. 5.* Ast illum ne cogitasse quidem ejusdem unionem satis eruitur ex ipsis literis bullaribus Raphaeli Galeotti datis pro institutione ad alterum canonicatum, ubi nec vola quidem de jactata unione, quam numquam extitisse revera facto suo confessus est Raphael, dum in patrimonii sacri titulum non ambos canonicatus unitos, sed priorem dumtaxat sibi constituit, licet hic dioecesanam taxam scut. 40 ne quidem pertingeret.

Neque vero confugiat Raphael, pergit Dominicus, ad triennalem possessionem quae in incompatibilitate locum habere non potest*), testis est *Rigant. ad reg. 8. n. 30, Garzias de benef. p. 11. c. 5. n. 379* et *Rota coram Ansaldo decis. 799. n. 9, Card. de Luca de benef. d. 118. n. 8, Gomez. in reg. de trienn. q. 10. n. 12.*

Contra haec omnia totus est Raphael Galeotti, ut unionem legitime sequutam propuguet. Quamvis euim authographum pontificii rescripti vel episcopalis decreti exhibere nequeat, quippe deperditum, ostendit tamen ex testimonio Benedicti Marsiliani, qui in Urbe canouicatum gerit ad ecclesiam s. Spiritus in Saxia, ipsum obtulisse preces summo Pontifici per secretariam a supplicibus libellis appellatam pro obtinenda canonicatuum de quibus agitur unione, ac propitium retulisse rescriptum, quod ad praedefunctum Cardinalem remisit. Quod vero idem Cardinalis Episcopus exequutioni illud mandaverit aliquibus probare nititur testimoniis, quorum alter id factum ab ipso Episcopo audivisse narrat, alter vero ab ipso ecclesiastico cancellario, alii tandem idipsum ex publica voce depromunt. Atqui rescripti vel decreti cujusquam existentiam ex testium fide rite demonstrari patet ex textu *in cap.: Cum olim de privil. et exces. privileg. et ib., Barbosa in comm. dec. in lib. V. de privil., Rota in rec. par. 2. dec. 298. n. 2.*

Probatur insuper asserta unio ex praesumptionibus et coujecturis, quibus vim magnam tribuit *Rota in dec. 730. cor. Cerro. n. 1* et *in dec. 6. cor. Falconerio tit. de union. benef. n. 1.* Harum prior sistit in pacifica possessione per plures anuos, quae apostolicam dispensationem suppouit; ex Rota *in rec. par. 14. dec. 298. n. 11*, praesertim si

*) Vd. *t. II. p. 1024. I.*

*) Vd. *t. II. p. 616. g.*

qui utraque beneficia assequutus est promotus subinde cum iisdem fuerit ad sacros ordines, argumenta ex Rota *in rec. par. 16. dec. 43. n. 6.* Altera aboritur ex assertioue ipsiusmet Episcopi a quo supradicti testes unionem rite factam hausisse deponunt. Nemo enim iguorat quantum adhaerendum sit assertioni Episcopi maxime Cardinalitia dignitate perfulgentis, ad Rotam *in decis. 365. cor. Caprara in 6., Ferlin. ibid.;* multo minus autem praesumeudum est, Episcopum violare canonicas sanctiones ut ait Fagnauus *in cap.: Accepimus de actat. et qualit. etc. n. 18.* et alii ibid.

Canonicatuum unione pessumdata non ambigit in secundo dubio Domiuicus Galeotti quod dispensationem EE. VV. sint denegaturae, quam postulat, super aetatis defectu pro aliquo ex binis canonicatibus assequendis quippe nemini injuria inferatur; ipse patronorum nominationes sit consecutus quae exhibentur, ejusque familia jurepatronatus et activo et passivo perfruatur, decimum jam aetatis annum expleverit et s. Ordo sanguine testatoris junctis et vocatis dispensare sueverit etiam quoad infantes et pueros*) ut docent exempla *in Balneoregien. Dispens. 21. Junii 1760*, in *Brixien. Disp. 13. Martii 1758*, in *Monasterien et Osnaburgen. Canonicat. 21. Julii 1753.*

Quum porro votum Episcopi necnon capituli, quod ex aequitate unum canonicatum Raphaeli relinqui posse annuit, primo obtentam canonicalem praebendam respiciant, nominatio autem patronorum favore Domiuici ad alteram se referat, hanc adamussim ut habere sibi liceat Dominicus deprecatur.

At vero si dispensatio aliqua in casu locum habere debeat, eam sui favore implorat Raphael pro retinendo utroque canonicatu, tum scilicet quia si probatio uuionis deesset id vel alienae malitiae vel oscitautiae saltem tribuendum foret; iuiquum autem est, ut quis alterius culpae poenas luat, tum quia justa dispeusandi pro retentione plurium beneficiorum causa est eorumdem tenuitas, ne cum gravissimo ordiuis dedecore vir sacerdos mendicare cogatur, s. Congr. in *Caven. Union. 25. April. 1831.* §: *Parochialium;* prior canonicatus autem ex statu, quem ipse exhibet artis peritorum nomine munitum et multorum testium fide suffultum, annua scutata reddit 17. 50., alter vero 36. 20., tum demum quia secus deficeret ipsi titulus s. ordinationis. Et si per summum jus maluerit s. Ordo unam dumtaxat praebendam hodieruo possessori reservare, orat saltem, ut altera pinguior ipsi reservetur, quod et sacris canonibus congruum dicit, quippe de jure prior canonicatus vacet per assecutionem et reteutionem secundi ad Rotam *in recent. part. 5. tom. 1. dec. 164. n. 18.* Item vero perpendit nulli injuriam exinde fieri, siquidem Dominicus adversarius nec legitimi contradictoris vestem induat, utpote tonsura careus et aetatis defectu detentus, cumque s. Sedes cum praejudicio tertii non dispeuset ad *Monacel. in form. leg. ad suppl. ad t. 4 n. 109, Reiffenst. in jus can. t. 1. in lib. 1. decret. tit. 11. §. 18. n. 53.*

Ad fructus denique canonicatuum hucusque a Raphaele perceptos, de quibus in tertio dubio, conteudit Dominicus eos ad secundam praebendam pertinentes esse restituendos usque ab anuo 1833, ex quo biuos canouicatus assecutus est Raphael retinuitque illegitime aut saltem ab anno 1837 quando ab episcopali curia admonitus fuit, etenim per litis contestatiouem mala fides subiutrat *l. 2. ff. de usur. et* fructus subinde percepti restitui debent. Restituendos vero pergit sibi esse a die nomiuationis sui favore,*) quae sane secuta est decretum Vicarii generalis canonicatum vacuum declarantis, *fundus autem beneficii* ut ait *Lotter de re benef. lib. 3. q. 20. n. 117) post factam collationem spectat ad provisum, cui fingitur usque a momento vacationis facta provisio, unde inspecta juris communis dispositione ei debentur fructus usque ab initio vi retroactiva.* Cousonant *Surd. con. 333. num. 23. ad fin. et n. 24.* et *Rota in Romana Clericat. benefic. 21. Junii 1781. cor. de Salm. §. 18,* maxime cum lis iustituitur circa beneficii assecutionem ut eruitur ex *const. Cordi Nobis s. Pii V. 30. Martii 1568. §. 2.* et *Rota in Januen. Beneficii super fructibus 10. Junii 1757. cor. Olivatio,* aliisque sexcentis: atque ita evanescere putat quamvis difficultatem quae ex eo principio posset oriri, quod firmat fructus in beneficiis non deberi uisi adepta possessioue**) id namque valet, ubi per institutum stet, quominus possessiouem non capit, non ubi is injusta lite***) prohibeatur.

*) Vd. *t. II. p. 433. kk., t. I. p. 280. II.; p. 283. V. a.*

*) Vd. *p. 183. III.*
**) Vd. *t. II. p. 564. g.*
***) Vd. *t. II. p. 568. h.*

Ex adverso novum esse clamat Raphael, ut nondum instituto fructus ante possessionem percepti restituantur,*) magisque novum et ab injustitia et aequitate absonum id habet in casu, ubi institutio innititur conditioni, ut dispensationem Dominicus assequatur, sine qua assequi nequit institutionem ad canonicatum.

Sed haec fuse enucleata perlegent EE. PP. in allegationibus distribuendis et dirimere dignabuntur

Dubia:

I. *An et quomodo constet de legitimâ unione canonicatuum, ita ut sit manutenendus Raphael in eorum possessione in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et pro quo canonicatu sit consulendum SSmo tam favore Dominici quam favore Raphaelis pro dispensatione in casu?*

III. *An, cui et a quo tempore sint restituendi fructus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative et esse consulendum SSmo pro dispensatione et habilitatione Dominici ad primum canonicatum et pro retentione secundi favore Raphaelis per Breve.

Ad III: Consulendum SSmo pro condonatione erogata aliqua eleemosyna arbitrio Emi Episcopi praefinienda favore sacrarii.

Die 7. Aug. 1841.

III. Consensus capituli.

Vd. *Canonicatus* (unio concessa); t. II. p. 1024. I.

IV. Consensus patronorum.

Vd. *Canonicatus* (unio concessa); t. II. p. 1025. III.

26) Vacatio.

Vd. t. II. p. 1043.

(Ob contractum matrimonium.)

Brixinen.

Dum clericus Joannes Nepomucenus de Spaur Salisburgensis et Brixinensis capituli Canonicus apud Comitem Franciscum ejus patrem Wetzlariae morabatur, Blasbachum petiit cum Leopoldina de Sayn et Wittgenstein calvinista ibique ei die 28. Maji 1781 coram Luterano parocho nupsit. Wetzlariam deinde rediit cum sponsa ac post coenam apud communem fidumque amicum Marburgum altera die studiorum causa migravit, ut ad opportunam occasionem occultum esset matrimonium. Re tamen cognita omnia ad impediendam illius exequutionem tentavit Comes Franciscus statimque filium in Brixinensem relegavit civitatem. Hic vero per iteratas ejusdem anni epistolas Leopoldinam ejusque amitam nulla vi separari posse profitebatur a conjuge, quam deliberato duxerat animo perpetuamque pollicitus fidem neque, ajebat, *dilectam uxorem cum mille praebendis* commuto; licet albam de mandato subscripsisset pagellam, in qua contraria deinde expressa fuit voluntas.

Ex pervulgata matrimonii fama ecclesiae suae canonicatum contulit Salisburgensis Archiepiscopus Comiti Friderico Waltdstein die 23. Decembris ejusdem anni *salvis tamen juribus quibuscumque et sine omni ipsiusmet D. Joannis Nepomuceni Comitis de Spaur praejudicio*, contulitque Sanctissimus mense Aprili seq. anni 1782. Brixinensem alterum canonicatum ad impetrationem Francisci Xaverii Baronis de Welden uti vacantem *ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus.* At mutato tandem consilio impetratori se opposuit clericus Joannes obtinuitque subsequenti mense Augusti remissionem causae ad Congregationem particularem Eminentissimorum de Zelada, Gerdil, Orsini, Salviati et secretarii sacrae hujus Congregationis cum voto decisivo. Post *formalem* interim *inquisitionem* promulgavit Salisburgense consistorium mense Septembri declaratoriam sententiam super vacatione prioris canonicatus *ob contractum matrimonium* eamque per apostolicam breve confirmavit anno 1784 sanctissimus Pius et per solemnem renunciationem accepit Nepomucenus.

Valde primum de inconstantia Comitis Joannis quaesta fuit Leopoldina ac pro aris et focis matrimonii validitatem tuebatur. Repente deinde mutata a matrimoniali vinculo dissolvi curavit per hetherodoxum consistorium Wetzlariae nupsitque Comiti Ludovico Ernesto Scoenburg. Libere igitur Comes Joannes prosequutus fuit causam adversus R. P. D. Georgium Sigismundum

*) Vd. *t. II. p. 580. p.*

Porzia, qui ob dimissionem Baronis de Welden Brixinensem canonicatum et ipse impetraverat *ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus.* Sed proposito sub die 27. Martii 1787. dubio:

An sit inducta vacatio canonicatus, ita ut literae apostolicae sint exequendae?

respondit particularis Congregatio: *Affirmative.* Contrarium die 24. Januarii sequ. anni 1788. prodiit rescriptum: *Praevio recessu a decisis literas apostolicas non esse exequendas*; at in tertia propositione diei 27. Aprilis elapsi anni 1789. in qua secundum additum fuit dubium:

An novae literae apostolicae sint exequendae impetratoriae scilicet literae ob assumptum a Comite Spaur militare cingulum cum stipendio?

stetit sacer ille Concessus quoad primum dubium: *in primo loco decisis*, rescripsitque ad secundum: *provisum in primo*, suffragente clar. me. Cardinali Rinaldo in locum praedefuncti Card. Orsini. Provocavit ab edita sententia Comes Spaur causaque ad s. hanc Congregationem delegata infrascriptum modo proponitur dubium.

Quadruplici ex capite subreptitias et obreptitias dicit Comes priores impetratorias literas ob falsam scilicet narrationem, quod Brixinensis ecclesiae canonicatum et praebendam obtineret, quod matrimonium ab ipso contractum praetenderetur nullum non tamen ex defectu consensus, quodque per consequens ex hoc defectu non esset nullum, ac ipso tandem jure canonicatus vacasset. Simplicem profecto de tempore impetrationis Welden fuisse ait Domicellarem cum expectativa ad canonicatum ob sacros non assumptos ordines, ac non expletum *carentiae* quadriennium, quae ex capitularibus Brixinensis ecclesiae constitutionibus necessaria sunt requisita ad obtinendum canonicatum cum perceptione fructuum. Ideoque subreptitiam asserit impetrationem hac reticita beneficii qualitate, ex deductis per *Rot. coram Falconer. de benefic. decis. 3 num. 17. cor. Molin., decis. 248. num. 2. et in Compostellana Parochialis super novis literis 11. Januarii 1751. §. fui, cor. de Vais.*

Absolutum insuper negat consensum in matrimonium, ex quo secundum et tertium desumit obreptionis caput; suamque in id et Leopoldinae deducit declarationem, quod illud contraxerint sub conditione futuri consensus parentum, qui ex provincialibus etiam ordinationibus in matrimoniis filiorum familias pro forma requiritur. Nullum autem est matrimonium etiam ex defectu consensus non purificata conditione, sub qua contractum fuit; quum perinde ab initio defecisse censeatur consensus, ac si nunquam praestitus fuisset, *Piton. discept. eccles. 52. num 1. tom. 2., Sanch. de matrim. lib. 4. disput. 6. num. 2., Pont. eod. tract. lib. 4. cap. 21. num. 7.* Quo deficiente consensu ad valorem matrimonii requisito neque beneficium vacasse censent *Lotter de re benefic. lib. 3. quaest. 26. num. 71., Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 45. num. 7.*

Contrarias spernit liberi consensus probationes ob defectum processus ad formam Benedictinae constitutionis *Dei miseratione*, quae illum requirit *quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari.* Neque hujusmodi defectum suppleri posse inquit ex processu archiepiscopalis curiae Salisburgi tum ob defectum jurisdictionis quoad canonicatum Brixinensem tum ob non expletam illius transportationem. Nullius enim roboris est sententia ab extero tribunali lata, nisi transportatis actis, *Rot. coram Falconer. de jurepatr. dec. 4. num. 7. coram san. mem. Clem. XIII. decis. 45. num. 2,* et in *Calven. Beneficii 29. Aprilis 1754. §. 2. coram clar. mem. Card. Elephantutio.* Amantium vero deliria appellat epistolas, quibus invicem ipse et Leopoldina validum initio matrimonium contraxisse dixerunt.

Omnium postremo falsissimam asserit narrationem, quod *ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus*, ipso jure vacasset canonicatus. Haud enim inducta censetur hujusmodi vacatio, nisi in casibus a jure expressis, per *text. in can. si habeas quaest. 3., Gonzal. ad regul. 8. cancellar.**) *gloss. 15. num. 736. et sequen.* Expressa autem non autumat Comes Spaur quae ad id afferri solent canonici juris dogmata, cap. *nempe 1. de cleric. conjugatis* et *cap. Nuper 4. de bigam. non ordinan.* Disponit *cap. primum, quod si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda ecclesiastica beneficia et retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis.* Haec vero habet quartum: Tertius

*) Vd. *t. II. p. 820.*

articulus videbatur habere non modicum quaestionis, quoniam cum in matrimoniis contrahendis non juris effectus et animi destinatio attendatur, unde illum comitatur infamia, qui duas simul uxores habet: quod partim ad factum convenit retorqueri. Sicut in canone legitur de presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem censura tales videntur inter bigamos reputandi. Licet obviet ex adverso, opinioni sit veritas praeferenda et quod juxta praemissa, qui nullam uxorem habuit, foret bigamus reputandus, quod contigeret, si quis de facto contraheret cum diversis, quibus de jure non possit matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quaestione taliter respondemus, quod cum hujuscemodi clericis, qui quantum in ipsis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter copulaverunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto.

Ex verbis igitur illis *capituli 1. de clericis conjugat. ad retinendas uxores compellatis*, notat Comes, rem ibi esse de matrimoniis validis, ex quibus dumtaxat retinere licet uxores, juxta *Pirhing. in jus can. lib. 3. de cleric. conjug. sub num. 28., Bolch. in comment. jur. can. lib. 3. de cleric. conjug. num. 28., Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 43. et seq. per tot.*, ideoque trahi non posse illius dispositionem ad matrimonium, de quo agitur, utpote nulliter contractum coram alieno parocho Blasblaci, contra censuram *s. Concilii Tridentini* ibidem recepti, et absque consensu parentum contra provincialem legem. Quo vero ad *cap. 4. de bigam. non ordinandis* advertit, alienum a nostro esse illius casum, quum non agatur de bigamo in sacris ordinibus constituto, neque de matrimonio ullo *cum opere subsequuto*. Hoc namque inficiatur opus, licet cum dilecta sponsa apud fidum coenaverit amicum et aliquandiu in ejus domo moratus fuerit.

Eos idcirco appellat doctores, qui ob matrimonium nullum praeterquam ex defectu consensus ipso jure vacare non censuerunt beneficium, eo quod clericus per hujusmodi matrimonium nec in legem nec in proprium peccat statum; tales sunt *Schmier. in jus can. tom. 1. de coelib. p. 319. num. 58, Bolch. comment. jur. can. lib. 3. tit. 3. de cleric. conjug. §. 2. numer. 9. et 27, Sanch. de matrim. disput. 43. num. 3, Garz. de benefic. part. 11. cap. 8. num. 15, Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 3. §. 3. num. 16.* Atque hinc concludit non aliter vacatum dici posse controversum canonicatum quam si declaratoria in id prodierit sententia, *Barbos. in cap. 1. de homicid. in 6. num. 2, Garz. de benefic. cap. 10. de vacat. per privat. part. 11. num. 5, Pirhing. lib. 3. tit. 3. numer. 16. et seq., Murg. de benefic. quaest. 3. art. 1. num. 830.* Neque hujusce declaratoriae vim habere ait sententia Salisburgi, quum posterior fuerit impetratione, neque ad eam, deficiente privationis lege, retrotrahatur. *Rocc. de delict. cap. 11. num. 2, Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloss. 15. n. 153, Gravach. in pract. lib. 5. cap. ult. num. 21.*

Prae caeteris contra, quae ad elidendum domicellariatus objectum deducit R. P. D. Porzia, notandum est, collatum reipsa fuisse Comiti Spaur per apostolicas literas an. 1777 *canonicatum et praebendam Brixinensis* ecclesiae traditamque possessionem *modo consueto installationis in choro et postea per contactum annuli ferrei Granarii et Cellae Vicariae.* Idque congruebat capitulo 11. statuti sub titulo *de receptione Canonicorum ad ecclesiam Brixinensem*; nam ejus virtute tradi et accipi debet possessio *canonicatus et praebendae.* Inde autem vera dici posset impetratoris narratio, quod unum et alteram Comes Spaur contracti matrimonii tempore possideret. Suspensa ei erat admissio in capitulum fructuumque perceptio quousque sacros susciperet ordines et quadriennium expleret *carentiae* ad formam statuti; ex hoc tamen excludi fortasse nequit canoniae et praebendae proprietas et titulus. Quandoquidem *in provisis de canonicatibus, qui ad formam statutorum debent aliquid adimplere si non adimplent in tempore, non per hoc desinunt esse Canonici, sed solum carebunt aliquibus emolumentis* ut per haec verba monet *Card. de Luc. de praeeminent. disc. 38. num. 9.* Duos siquidem distincte considerantur in praebenda, jus nempe et perceptio fructuum, et unum sine altero ad omnes juris effectus consistit ex *s. Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. de reform., Gonzal. ad regul. 8. cancell. §. 1. gloss. 5. de praeben. num. 5.* et *Rot. divers. decis. 197. num. 9.*

De absoluto in matrimonium agens consensu codicem exhibet Praesul Porzia Blasbacensis parochi gravesque Comitis Spaur

et Leopoldinae epistolas non suspecto tempore conscriptas ex quibus non obscura desumuntur illius argumenta. Valde siquidem in id parochiali deferendum libro, *Rot. in recent. decis. 117. num. 1. part. 4. et decis. 433. num. 6. part. 14.* et *s. haec Congregatio in Maceraten. 17. elapsi Aprilis*, valdeque posteriori contrahentium declarationi, *gloss. in cap.: Super eo, vers.*: confessionem de eo, qui cognat. et consanguinit., *Rot. in recen. decis. 160. part. 4. tom. 1. num. 3.* Nec aliunde de conditione futuri consensus parentum, quam ex recentioribus constat Leopoldinae et Comitis epistolis et declarationibus post mutatam scilicet priorem voluntatem. Minus fidas autem hujusmodi declarationes censet Coelestinus III. *in cap.: Super eo, de eo, qui cognovit* ibique *Gonzal. n. 2.* et *Imperator in leg. non nudis 14. Cod. de probat.*

Longeque a nostra specie alienam dicit formam constitutionis Benedictinae quasi necessario ex ea confici debuisset processus super absoluto vel conditionali consensu. Respicit porro Benedictina *matrimoniales causas*; *non super validitate vel nullitate* quaeritur matrimonii inter Comitem et Leopoldinam, sed de vacatione canonicatus ob contractum matrimonium praetensum nullum non tamen ex defectu consensus, inter Comitem illius possessorem et praesulem Porzia provisum apostolicum. In hoc sane casu satis esse contendit praesul absoluti consensus probationem quae ex Blasbacensi codice et prioribus habetur epistolis, quas tempore non suspecto contrahentes scripserunt, ad tradita per *Rot. in recen. decis. 466. n. 3. part. 19. tom. 2.* Judicialis de cetero est Salisburgensis curiae processus, qui veluti conditus super consensu in matrimonium hoc ipsum in pari Brixinensis canonicatus causa probare videtur factum. Maxime, quia confirmavit *SS. Dominus Noster* Salisburgensis consistorii sententiam super vacatione canonicatus probavitque per consequens processum, ex quo promulgata fuit.

Transit post haec ad gravem illum articulum: utrum ipso jure vacet necne beneficium per contractum matrimonium nullum praeter quam ex defectu consensus;*) et affirmativam tuetur sententiam ex *cap.* Praesertim 1. *de cleric. conjug.* Ratio siquidem, cur ibi *Alexander III.* compellendos edixerit nubentes clericos ad dimittenda beneficia, ea fuit, quod is qui uxorem ducere statuit *cogitat quomodo placere possit uxori et ideo minus* quae Dei sunt valeat cogitare. Haud ergo ad validum dumtaxat respexisse censetur matrimonium, sed ad simplicem etiam animi destinationem, de qua expresse loquitur *Innocentius III. in cap. 4. de bigamis.* Quae autem in Comite Spaur fuerit animi destinatio, jam supra notatum est et haec potissimum pandunt ejus epistolae verba: *Postulatur a me, ut statum clericalem assumam? An non ego uxorem duxi? O superi, fortunam, quam maritus tam dilectae uxoris beatur qualis tu es, ego nec cum mille praebendis commuto. Repeto maritum tuum, ubicumque sis, sequar te, properabo ad te; sic conjuncti vivamus, quemadmodum nobis jus a Deo per copulationem datum est.*

Quatenus igitur de simplici quoque animi destinatione intelligenda sit dispositio *cit. capituli 1.*, jam per matrimonium nullum, non tamen ex defectu consensus, ipso jure inducta dici deberet beneficii vacatio, juxta *gloss. verb. relinquenda*, ibi: »*Merito compellendi sunt, ut ea dimittant, quia vacare intelliguntur ipso jure: unde quoad factum solum sive possessionem detorquetur ista compulsio;* quam graviores sequuntur doctores, eo quod aeque in matrimonio valido ac nullo, non tamen ex defectu consensus, voluntas concurrit ducendi uxorem et deserendi clericalem statum. Ita *Fagnan. in cap. Nuper de bigam. num. 42., Pichler. jur. can. lib. 3. tit. 3. de cleric. conjug. n. 3., Ricciull. de jur personar. lib. 7. cap. 2. n. 25., Lojes in 3. decretal. tit. 2. de cleric. conjug. num. 17., Tondut. de pension. cap. 75. num. 24., Capon. discept. 255. num. 40., Cardinal. de Luca tract. posth. de pension. cap. 13. num. 7., Rigant. ad reg. 58. cancell.**) *num 29.* Idemque definivit sacrum Rotae Auditorium *in decis. 8. coram Lancellot. sen. post Farinacc. respons. crimin. tom. 2., in recen. decis. 250. num 2. part. 7. coram. Ansald. decis. 30. num. 12., in Leodien. Matrimonii 25. Februarii 1733. §: Ita quidem, coram Corio.* Et s. tandem haec Congregatio in causa: *Dubium matrimonii et resignationis beneficii 21. Julii 1674. lib. decret. 28 pag. 340.*, in qua quum quaereretur tertio: *an Cajus* (qui matrimonium contraxerat nullum) *resignare possit beneficium quod obtinet in tali statu?* rescripsit: *Negative et beneficium vacasse.*

*) Vd. *t. II. p. 1044. n. 5.*

*) Vd. *t. II. p. 834.*

Posita autem vacatione canonicatus Spaur ipso jure opus forsan ad veritatem impetrationis non fuit declaratoria sententia. Ubi enim non agitur de privatione beneficii *ex facto* vel delicto, in jure non expressa, quae sententiam requirit *condemnatoriam*, sed de privatione *ex jure*, quae simplicem exigit *declarationem*, tunc necesse non est, ut collationem praecedat sententia, per *text. in cap. Licet Episcopus de praebendis in sexto*, *Covarr. in cap. Alma mater part. 1. §. 2. num 9.*, *Ros. de exequut. liter. apostol. part. 1. cap. 6. num. 200.*, sufficitque, ut subsequatur, *Felin. in cap. Super quaestionem de offic. delegat.*, *Card. Petr. ad constit. 7. Nicolai V. num 33. tom. 5.*, *Rot. in Recen. decis. 122. num. 6. part. 3.* Sententia profecto *declaratoria non operatur*, *ut tunc vacet beneficium sed illius vacationem ostendit atque detegit*, ut in haec verba observat *Card. Petra loco citat.*

Pauca hinc inde de secundis impetratoriis literis ob assumptam a Comite Spaur militiam armatam, quum comprehensae non sint in sententia Congregationis particularis, de qua dumtaxat sub infrascripto agitur dubio. Assumptio de cetero armatae militiae cum stipendio ipso jure vacationem inducit beneficii,*) per *text. in cap. quicumque ex clero 6. caus. 23. quaest. 8.* et *cap.: Ex multa 9. §. fin. de vot.*, *gloss. in cap.: Clericos 17. de cleric. non residen.* verb.: *redierint*, *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 14. num. 63.*, *Barbos. de offic. et potest. Episc. alleg. 57. num. 216. part. 3.*

Deliberare itaque dignentur Emi Patres: *An sententia Congregationis particularis sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

S. C. resp.:

Esse confirmandam, et amplius.

Die 18. Septbr. 1790.

Canonicus.

I. Adjunctus.

Vd. *Canon. Cath.* (erectionis secundae — decret. *Fabrianen.)*

II. Aetas.

Vd. *Canonicatus* (aetas, p. 48.); *Canonicus* (puer.)

III. Cathedralis.

Vd. *Capitulum.*

1) Absentia a choro.

Vd. *Chorus* (absentia); *Canonicus* (jubilatus); p. 191. V. etc.; t. I. p. 716. VII. *Jubilatio.*

a) Absens studiorum causa non dispens., si servitium ecclesiae detrimentum patiatur.

Vd. p. 205. m; *Chorus* (absentia studiorum causa.)

Urbanen.

Capitulum cathedralis ecclesiae Urbaniae quatuor constat Dignitatibus et novem Canonicis, quorum postremus recentioris institutionis in solemnioribus tantum anni festivitatibus choro inservire tenetur, reliqui vero consueta interessentiae lege sunt obstricti. Habet praeterea sex mansionarios, quorum unus festis solum diebus, alter quotidiano servitio adigitur, alii autem exercitio curae animarum detinentur. Patet autem ex Episcopi relatione, quinque ex Canonicis jubilationis indultum obtinuisse, alterum ex incurabili apoplexiae morbo in lecto decumbere, alium vero quadragenarium servitium brevi esse emensurum, ac denique Archipresbyterum, qui tertia Dignitas est, facultatem abessendi studiorum causa a s. Congregatione reportasse.

Primiceriatum, quartum ejusdem capituli Dignitatem, de jurepatronatus familiae Zucchi. assecutus est 1764 clericus ex ea familia Franciscus Zucchi in ordine subdiaconatus modo constitutus. Is eo tempore quum annum aetatis suae decimum quintum vix complevisset indultum exemptionis a choro, ut studiis incumberet, obtinuit ad triennium, quod postea ad biennium, deinde ad annum ac demum ad alium annum fuit prorogatum. Quintam indulti prorogationem nunc efflagitat, Episcopus tamen licet indulti concessioni necnon primis prorogationibus consenserit, dissentiit a postrema ulteriori quae petitur prorogatione eique socium in hac contradictione se addidit capitulum.

Ut hanc quintam assequatur prorogationem, asserit Primicerius Zucchi, aetatem non-

*) Vd. *t. II. p. 1044. n. 6.*

dum complevisse annorum 25 ac necessitate compelli incaepta theologiae studia prosequi atque explere. Exhibet testimonium Episcopi Feretrani, in cujus seminario moratur, qui de optimis ejus moribus, de exemplari conversatione ac de progressu in studiis deponit ad eaque compensanda affirmat aliquot annos adhuc esse necessarios, ut in sacra facultate perfectus evadat, prout ex ejus ingenio et optima voluntate pollicetur ad Dei gloriam et cathedralis ecclesiae Urbaniae ornamentum et decus quod difficilius assequi potest si in ejus aetate adhuc tenera e parentum ejus oculis ac solerti vigilantia ab hac civitate alio nunc obligetur commigrare. Consona in hac parte est depositio lectoris qui oratorem affirmat optimis imbutum moribus felicique ingenio praeditum assiduam dare operam theologiae morali quam nondum absolvit et aliquid etiam de theologia dogmatica delibasse.

Capitulum vero convocatis comitiis assensum Primicerio oratori denegandum decrevit, cum ex diuturniori illius absentia divino cultui detrimentum inferatur, cum plerique ex Canonicis et Dignitatibus vel legitimo impedimento detenti vel jubilationis privilegio donati choro minime intersint, itaut perpauci comprehenso etiam Primicerio supersint, qui ecclesiae praestent servitium. Eoque magis in hanc sententiam venit, quia animadvertit, oratorem commodius posse et minori cum ecclesiae praejudicio incaepta studia Urbaniae prosequi, ubi nec desunt praeceptores nec deest occasio studendi. Hoc est votum capituli, quod tamen non una vice interpellatum ad jura sua deducenda nondum coram s. Congregatione comparuit.

Episcopus quoque ait, oratorem studiorum praetextu pluries indulti prorogationem obtinuisse ac ne solemnioribus quidem diebus cathedrali ecclesiae servitium praestitisse licet Pinnensis civitas, ubi deget, viginti tantum milliariis ab Urbania distet; immo cum praeterito Pentecostes festo vig ore literarum apostolicarum ad Ordines promoveri deberet, nec comparuisse nec ullum animi sui indicium praebuisse. Ex illius autem absentia contingere posse dicit, ut perpauci inservientes vel consuetis vacationibus distracti vel aliqua corporis infirmitate detenti choro non intersint et ecclesia debito servitio fraudetur. Admittit, sibi jus esse jubilatos ad servitium revocandi, sed non semper nec facile rem sententia succedere affirmat. Denique observat, allatam absentiae causam oratori non suffragari »namque modo Urbaniae non unus vel alter sed plures quidem sunt, qui melius, quam in sua patria tum in literis tum in scientiis instruere valeant.«

Praestat ad rem animadvertere, obtinentes dignitates, canonicatus aliaque beneficia residentiam requirentia posse per quinquennium abesse vel ut alios doceant vel ut ipsi scientiis instruantur, quemadmodum aperte statuit Honorius III. *in cap.: ultim. de Magistris*, ut copia possit haberi doctorum, qui valeant plurimos erudire. »Docentes vero in theologica facultate dum in scholis docuerint et studentes in ipsa integra per annos quinque percipiant de licentia Sedis apostolicae proventus praebendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine vel statuto,« sunt verba ejusdem textus, cujus glossa verbo integro sic notat. Non tamen percipiant quotidianas distributiones, quae tantum residentibus dari consueverunt.*)

Cohaeret etiam Concilium Tridentinum *sess. 5. cap. 1. de reformat.* ibi: »Scholares qui in ipsis scholis student privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant et fruantur.« Dubitatum olim fuit: an exemptione a chori servitio gaudere posset, qui non in publica universitate, sed in aliis scholis acquirendis scientiis vacaret. Praebuit occasionem dubitandi Praepositus metropolitanae ecclesiae Mediolanensis, qui cum obtinuisset ad quinquennium indultum abessendi causa studii in aliqua universitate, postquam lauream doctoralem adeptus fuerat, scholas PP. Jesuitarum adire caepit et hac de causa renuit capitulum integras distributiones eidem tradere. Itaque propositum fuit dubium:

An ipsi debeantur duae ex tribus partibus distributionum, quamvis non inservierit, sub praetextu, quod studiis s. theologiae vacaverit in scholis PP. societatis Jesu Mediolanis?

Et s. Congregatio respondit: Affirmative ut in Mediolanen. 19. Novembris 1763 ad V. dub. 28. decret. pag. 188.

Quod autem respicit ecclesiae servitium ejusque praejudicium ex imminuto inservientium numero, indubia res est posse Episcopum si opus fuerit jubilatos ad servitium

*) Vd. *p. 199. g.*

revocare. Patet id ex responso Gregorii IX. dato Patriarchae Antiocheno in *cap.*: *Cum ad hoc de cleric. non residentibus his verbis:* »Sane nobis innotuit, quod ecclesia Antiochena multis ex servitoribus ejus absentibus est fere destituta ministris, unde mandamus, quatenus non obstantibus apostolicis indulgentiis et praedecessorum tuorum licentia absentes Canonicos et Assisios revoces ad residendum in ecclesia supradicta.« Hinc in dubiis jubilationis propositis in die 17. Decembr. 1728. quaesitum inter caetera fuit: An non obstante indulto jubilationis jubilatus cogi possit ad inservieudum, si divinus cultus detrimentum patiatur? Et fuit responsum: Affirmative. Idque pro regula statuit sa. me. Benedictus XIV. *de synod. diocesan. lib. 13. cap. 9. num. 15.* in fin., dum ait: Hoc tamen jubilationum exempla tantisper imminuit, quod licet jubilatus hujusmodi neque choro interesse neque in loco residere teneatur potest nihilominus ad ecclesiae servitium rursus ab Episcopo revocari, si propter illius absentiam divini cultus ratio detrimentum aliquod subire videatur.

Dijudicandum igitur, quid expediat in praesenti casu, quo orator abest studiorum causa et plures in capitulo sunt Canonici, qui jubilationis indulto fruuntur. Sane oratori diuturniorem prorogationem postulanti, ut studiis incumbat, contradicit tum Episcopus tum capitulum; viderint eminentissimi Patres, an eorum contradictio sit necne rationabilis. Notandum, quod a capitulo ex eadem studiorum causa abest etiam Archipresbyter Antonius Papi, qui indultum exemptionis ejusque prorogationem die 25. Januarii proxime praeteriti obtinuit, absque ulla Episcopi aut capituli contradictione. Decernendum proinde erit:

An sit concedendum indultum abessendi causa studiorum in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 19. Septb. et 21. Novb. 1772.

b) Absens revocari potest ad servitium chori.

Vd. *Chorus* (absentia, obligatio); p. 191. b; 194. c; 197. e; 200. h; 203—205.

c) Licentia Episcopi.

Vd. *Resid. Canon.*; *Feriae. Chorus.*

Ad dub. 1: An Canonici civitatis Acerarum liceat ab eorum dioecesi abesse absque licentia Episcopi?

Et quatenus negative,

II: An sustineatur edictum reverendissimi Episcopi etiam quoad absentiam paucorum dierum et respective mensium a sac. Concilio Tridentino concessorum?

III: An sustineatur edictum Episcopi, quo sub poena suspensionis ipso facto praecipitur quod Canonici non possint frui absentia trium mensium a s. C. Tridentino concessorum tempore adventus et quadragesimae?

IV: An sustineatur idem edictum Episcopi, quo sub eadem poena praecipitur, ut ultra tertiam partem non possint simul frui dicta absentia trium mensium?

Et quatenus negative,

V: An et in quo numero liceat eis abesse?

S. C. C. resp.

Ad I: Negative sub poena ducatorum quinque tantum in casu contraventionis et in subsidium suspensionis.

Ad II: Provisum in tertio.

Ad III: Affirmative deletis verbis: *ipso facto.*

Ad IV: Ut ad proximum.

Ad V: Satis provisum in praecedenti.

Die 23. Aug. 1727.

2) Assistens

a) Episcopo in muneribus secretis.

Vd. p. 191. b.; 200. h; *Chorus* (absentia).

b) In Ordinatione.

Vd. *t. I. p. 1129. n. 4.*

3) Beneficiatus qui simul est.

Vd. t. II. p. 137—138.

4) Canonicatum presbyteralem obtinens sed nondum presbyteratu insignitus

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio etc. t. II. p. 236.) *Canon. Cath et Colleg.* (sacerdotio etc.); p. 209. VII; *Canon. Cath.* (ordinatio.)

Hildesimen.

(Conc. Tr. c. 4. s. 22. de ref.)

Ecclesia s. Mauritii erecta prope civitatem Hildesii condecoratur numero quatuordecim Canonicorum, quorum decem presbyteri, duo in diaconi et reliqui in subdiaconatus ordine eidem ecclesiae in sacris functionibus inserviunt. Vigilantissimus illius dioecesis Praesul Elector et Archiepiscopus Coloniae, cum ex precibus sibi porrectis a Decano dicti Capituli s. Mauritii perceperit, quod ex decem Canonicis, habentibus ordinem presbyteratus annexum, sex tantummodo sacerdotali charactere insigniti reperirentur, et isti ut plurimum praepediti vel morbo senectutis vel adversa valetudine impares se redderent ad singulas in dicta ecclesia obtingentes functiones subeundas quodque alii quatuor Canonici dictum presbyteratus ordinem suscipere diu neglexerint, inhaerens propterea dispositioni sac. Conc. Trid. *cap. 4. sess. 22. de reform.* ac synodalibus decretis dioecesis Hildesimen. mandavit anno proxime praeterito 1729., ut praefati quatuor Canonici quamprimum ordinem sacerdotalem assumerent.

Recusarunt dicti quatuor Canonici mandatis eorum Superioris obedire praetendentes, se immunes ab obligatione suscipiendi presbyteratum, ex quo in eadem ecclesia s. Mauritii vigeret consuetudo, ecclesiasticas et sacerdotales functiones exercendi etiam per substitutos,*) et ideo recursum habuerunt ad Tribunal A. C., ubi reportata consueta inhibitione vigore appellationis illam praesentari curarunt Canonico Decano in partibus; sed deinde causa per auditorem Sanctissimi ad instantiam ejusdem Decani remissa fuit huic s. Congregationi.

Haec omnia comprobat relatio Archiepiscopi Colonien. desuper requisita, additis precibus pro executione ejus decreti tamquam innixi necessitati ecclesiae et ad normam s. Concilii Tridentini ac decretorum synodalium dioecesis Hildesimensis. Clarissima est dispositio s. Concilii Tridentini in dicto *cap. 4. sess. 22. de reform.*, ubi specifice fuit innovata constitutio Clement. *Ut ii, de aetat. et qualit.*, quae praecipit Canonicos et Praebendatos teneri suscipere intra annum ordinem eorum beneficio annexum et recusantes privandos esse voce in capitulo eisque adimendam dimidiam distributionum partem, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus vel statutis, et firmis remanentibus aliis poenis in jure statutis.

Adsunt etiam in hac materia plura decreta hujus s. Congregationis, et siguanter in *Nepesina 5. Julii 1588. lib. decr. 5. fol. 154.* et in *Eugubina 14. Febr. 1609. lib. 11.* pag. 45, in quibus declaratum fuit, Canonicos teneri suscipere presbyteratum eorum canonicatui annexum, sub poenis contentis in dicta constitutione Clementis V. in Concilio Viennensi edita.

Quod autem Canonici ecclesiae teneantur per se ipsos, et non per substitutos, divina munia jobire sancitum fuit a dicto *Conc. Trid. cap. 2. sess. 24. de reform.* vers.: *Omnes vero*, non obstante consuetudine etiam immemorabili, prout resolvit haec s. Congregatio in una Andrien. 8. Maji 1649. lib. decr. 18. fol. 6. c., ultra alias antiquiores resolutiones, de quibus testatur *Rota cor. Seraph. decis. 1256. num. 4.*

Jura Canonicorum adhuc non sunt deducta. Dignentur itaque EE. VV. decernere:

I. An moderni Canonici s. Mauritii aliique pro tempore obtinentes canonicatus ordini presbyterali annexos teneantur ad hujusmodi presbyteratus ordinem se promoveri facere quamprimum arbitrio Ordinarii?

Et quatenus affirmative,

II. An in casu contraventionis liceat eidem Ordinario ad poenam privationis canonice procedere in casu?

S. C. C. resp.

Ad I: Teneri infra annum se promoveri.

Ad II: Procedere debere ad formam ss. canon.

Die 2. et 16. Decb. 1730.

5) Canonicus qui vere est?

Vd. *Canon. Cath.* (Vox – jus quibus est etc; jura et privileg. Canon. Cathedralium unitarum.)

Basileen seu Solodoren.

Leo XII. s. m. literis apostolicis incipien. »Inter praecipua« datis die 7. Maji 1828. ecclesiam collegiatam sub invocatione ss. Uris et Victoris quae novem Canonicis et praeposito constabat in civitate Solodori extantem ad Cathedralis fastigium extulit episcopali sede Basileense in eam translata ibique cathedrale Basileense capitulum ob temporum vicissitudines jam penitus dissolutum erexit atque constituit.

Novum capitulum summus Pontifex ex decem suppressae Collegiatae Solodorensibus Canonicis necnon ex tribus ecclesiasticis viris

*) Vd. *t. I. p. 668. a.*

Pagi Lucernensis, ex tribus Pagi Bernensis atque ex uno pagi Lugiensis composuit comprehensis in hoc decem et septem Canonicorum numero praepositura majore post Pontificalem prima et decanatu secunda dignitate. Praepositum inter Solodorenses Canonicos et inter alios aliorum pagorum Canonicos Decanum eligendum constituit.

Capitulum hujusmodi in duodecim praebendas residentiales et quinque forenses dividendum edixit. Residentiales erant decem Canonici Solodorenses ac unus ex singulis pagis Lucernensi ac Bernensi, ceteri autem forenses erant seu foris morabantur.

Omnes Canonici septem solummodo exceptis Canonicis Solodorensibus una cum Praeposito et Decano Episcopi senatum constituere debeant, quibus jus eligendi Episcopum praeter nonnulla alia jura tributum est; in qua quidem dispositione ita se habent verba bullae erectionis: Porro decem ex hisce decem et septem Canonicis censendi erunt primae erectionis et gaudebunt titulo Canonicorum Capitularium, qui una cum duabus dignitatibus Episcopi senatum constituent et utraque voce in capitulo ac jure Antistitis eligendi potientur.

Die 13. Julii ejusdem anni apostolicus tunc temporis apud Helveticos Internuntius memoratas literas exequutioni rite demandavit ac paucis post diebus Consuli Lucernensi omnium Canonicorum a Pontifice electorum notulam transmisit, qui in capitulum a Solodorensibus Canonicis fuere recepti.

Anno autem 1830 ex dispositione bullae incipien. »De animarum salute« s. m. Pii VIII. accesserunt ad dioecesim Basileensem pagus Argoviensis cum tribus Canonicis et pagus Thurgoviensis cum uno Canonico, ita ut exinde capitulum cathedrale viginti et uno Canonicis constaret. Quatuor hi noviter adscripti Canonici inter Canonicos senatum Episcopi constituentes adnumerati sunt.

Per plures annos res summa inter Canonicos concordia processere. Praepositus uti prima capituli dignitas semper habitus est, qui capitulum convocare eique praeesse assolebat. Nulla inter ceteros Canonicos distinctio erat quousque ad annum 1835 ventum est; quo quidem anno nonnullas innovationes inducere adnisus est Decans Veck, qui vacante tunc temporis praepositura capitulo praeerat.

Cum enim in apostolicis literis ediceretur: »Facultatem insuper noviter sic erecto cathedrali Basileensi capitulo impertimur condendi ordinationes et statuta sacris canonibus et constitutionibus apostolicis minime adversantia et ab Episcopo expresse approbanda,« guberniaque pagorum dioeceseos Basileensis urgerent, ut hujusmodi statuta conderentur, Decanus Veck convocavit omnes Canonicos senatum Episcopi constituentes non modo residentiales sed etiam forenses neglectis illis septem Canonicis Solodorensibus licet residentialibus qui non sunt in senatu Episcopi; ab hisque duabus sessionibus se praeside habitis condenda curavit statuta; contra quae Canonici Solodorenses qui vocati non fuerant penes episcopalem curiam solemniter protestati sunt.

Praeterea, cum in hujusmodi statutis distinctio invecta fuerit inter capitulum cathedrale et capitulum Solodorense, cujus distinctionis haec virtus erat, ut inter capitulares Canonicos illi tantum recenserentur, qui senatum Episcopi constituunt, ceteri vero ut Canonici honorarii haberentur, cumque Decano praecipua praepositurae jura tributa fuerint ac ipsa episcopalia jura in nonnullis ordinationibus violata viderentur, hinc Episcopus ab illis approbandis hucusque abstinens rem sac. hujus Congregationis judicio definiendam deferre e re sua censuit, ad quam etiam Canonici Solodorenses supplici oblato libello recursum habuere.

Qua de re quinque concinnata fuere dubia ad folii calcem legenda, quae ad singula quaestionis capita ab Episcopo et Canonicis proposita referuntur.

Episcopus in sua relatione refert, se partes monuisse ut sua jura coram s. Congregatione deducerent. Nihil tamen exhibuit Decanus Veck. Quae vero ejus agendi rationem tueri videntur exposita et efutata habentur in allegatione a Solodorensium Canonicorum defensore distribuenda.

Juverit autem heic praefatam Episcopi relationem exscribere in qua breviter recensentur praecipua momenta rationum quae in eadem allegatione fuso calamo enucleata sunt.

Quoad primum dubium:

Quaeritur (inquit Episcopus) quinam Canonicorum sint Capitulares, num omnes ex quibus Capitulum cathedrale Basileense constat an ii soli qui Episcopi senatum constituunt; si omnes sint Capitulares, statuta condita jam valore carent, propterea quod non omnes ad condenda statuta convocati fuerunt. Decanus Veck, redactor statutorum, septem illos Soloderanos Canonicos, qui non sunt in senatu Episcopi, licet residentiales, non agnoscit Capitulares, quia bulla Leonis XII. ait: Porro decem (per bullam Pii VIII. postea ad quatuordecim augmentati) ex hisce decem et septem (postea per bullam Pii VIII. numerum 21 efficientibus) Canonicis una cum duabus Dignitatibus Episcopi senatum constituent et utraque voce in capitulo ac jure Antistitis eligendi potientur.« Hac de causa eos nonnisi honorarios putans a convocando abstinuit et tantummodo illos qui sunt in senatu Episcopi et quos ipse capitulum cathedrale Basileense nominat ad condenda statuta convocavit . . . . Decanus mihi videtur errare in hoc, quod capitulum, senatum Episcopi et consistorium confundat. Nullibi in bullis praefatis legitur de Canonicis mere honorariis, evincitur potius per bullam Leonis XII. omnes esse Capitulares, cum ea dicat: Novum autem in dicta Cathedrali capitulum constare volumus decem et septem Canonicis (postea 21, uti supra adnotatum est).

Neque ullum dubium hac super re relinquit decretum executionis bullae apostolicae in quo dicitur: Ibique cathedrale Basileense capitulum erectum et constitutum pronuntiamus. Capitulum ea ipsa die Solodori constitutum jam erat: neque tamen senatus Episcopi existebat; unde luculentissime patet Senatum Episcopi non esse capitulum. Tunc temporis, ubi Canonici aliorum pagorum nondum erant electi, nedum installati, Praepositus novemque Canonici Solodorani capitulum Basileense efficiebant. Eadem de causa tres illi Canonici Solodorani, qui postea per Illmum gubernium designabantur membra senatus Episcopi, non opus habuere apostolicis literis, quibus Canonici aliorum pagorum; fuerant enim jam die 13. Julii 1828 (qua decretum executionis latum est) una cum ceteris Solodoranis Canonicis ad dignitatem Capitularium Basileensis capituli jam promoti.

Senatus Episcopi est pars quaedam vel commissio sive sectio capituli, cui per bullam apostolicam jus adjudicatur, certas electiones faciendi nimirum: eligendi Episcopum, exhibendi notulam sex clericorum pro electione Canonicorum pagi Bernensis ac nominandi duos Canonicos in subsidium Episcopi seminarium invigilantis. Sic legimus in bulla Leonis XII: »Episcopi senatum constituentes jure Antistitis eligendi potiri.« »Canonicis senatum Episcopi constituentibus tribuimus jus eligendi Episcopum. Episcopus advigilabit seminariis, adhibitis in auxilium quatuor Canonicis, quorum binos ipse Episcopus et alios duos Canonici senatum Episcopi constituentes eligent.« Ad has electiones faciendas ipsis utique dari debuerat jus utriusque vocis.

Cum in duobus bullae locis, nimirum una vice: »Ex speciali gratia concedimus, ut cathedrale capitulum ad novam electionem valeat procedere,« et alia vice: »Capitulares Canonici notulam sex Canonicorum exhibebunt« legeretur et licet cathedrale capitulum per destinatam suam commissionem seu sectionem id reapse agere queat et senatores Episcopi sint etiam Capitulares, Canonici non autem soli, tamen ex his terminis minus exacte adhibitis interpretatio potuisset profluere conventioni factae non prorsus conformis: executor bullae apostolicae, qui cum pagis dioecesanis tractaverat, in decreto executionis terminos: cathedrale capitulum, et: Capitulares Canonici, optime in terminum: Canonici senatum Episcopi constituentes immutavit; qua immutatione providissime praecavit ne senatus Episcopi se cathedrale capitulum nominet neve senatores Episcopi se solos esse Capitulares somnient. Quod denique maxime mirum est. Decanus suo agendi modo Canonicos septem residentiales excludit e capitulo et octo Forenses Solodurum venire compellit; convertens ita contra apertum bullae sensum intus in foris et foris in intus.

Contra quae, perpendit defensor, perperam opponi a Decano, septem Canonicos Solodorenses, utpote senatum Episcopi non constituentes, censeri non posse Canonicos Capitulares; quippe Canonici capituli Cathedralis sunt consiliarii nati Episcoporum, nec in jure existit Capitulum cathedrale quod non sit Senatus Episcopi, atque ita non existit senatus Episcopi qui Capitulum cathedrale non sit. Observat enim, Canonicos cujusvis cathedralis capituli dupliciter considerari posse. Uno modo quatenus conjuncti et copulati in unum corpus constituant capitulum seu collegium. Altero modo, in quantum repraesentant cathedralem ecclesiam et illius clerici sunt, juxta distinctionem, quam tra-

dit *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 42. num. 1 et 2.*

Hinc concedit Canonicos ecclesiae cathedralis esse consiliarios natos Episcopi in quantum illi cathedralem ecclesiam repraesentant et quod tunc Episcopus sit Canonicorum caput et Canonici sint membra, adeo ut neque Episcopus sine Canonicis neque Canonici sine Episcopo ardua difficillima negotia et ea quae statum universalem ecclesiae concernunt tractare possint. Negat vero, quod Canonici Cathedrales senatum Episcopi constituant, in quantum conjuncti et copulati in unum corpus collegium repraesentant; quo quidem in casu Capitulares congregati eorum particularia negotia sine Episcopi consensu tractare valent; quin imo hoc in casu nec Episcopus partem capituli efformat, ceu prosequitur Barbosa cit. loco.

Quamobrem quamvis septem Solodorenses Canonici non sint Canonici in primo sensu, eo quia senatum Episcopi non constituant, revera tamen habendos esse uti Canonicos Capitulares in altero sensu, quatenus in unum corpus copulati collegium repraesentant et capituli negocia tractare possunt.

Nihil pariter obstare, quod in Leonis bulla quatuordecim Canonici Episcopi senatum constituentes Capitularium titulo designati fuerint eisque utraque vox in capitulo ac jus Antistitis eligendi tributum. Perpenso enim in bullae initio edictum fuisse, novum cathedrale Basileense Capitulum ex Praeposito et novem prioris nunc suppressae Collegiatae Canonicis constare, nisi contradictio in terminis Bullae ejusdem admitti velit concludendum esse, relata verba quibus Canonici senatum Episcopi constituentes Capitulares appellantur demonstrative tantum, non vero taxative ad aliorum Canonicorum exclusionem intelligenda esse, ceu in re haud absimili arguit *Rota in decis. 397. num. ult. par. 2. rec.* et in *dec. 474. num. 1. et sequens coram Seraph.*

Perperam insuper juri possessionis a septem Solodorensibus Canonicis etiam ante novi erectionem capituli acquisito (siquidem jam erant de capitulo et capitularibus juribus fruebantur) opponi status mutationem. Nam cum jus possessionis sit unice ex parte actoris seu possessoris dimetiendum, adeo illorum possessio dici non potest mutata, sed ipsi tamquam existentes in quasi possessione jurium capitularium habendi sunt, seu in terminis fuit resolutum post *Guid. Papae dec. 629.* et *Puteum decis. 151. lib. 3. in dec. 490. num. 5 et 6.* Eo vel magis cum ista quasi possessio a septem Solodorensibus Canonicis etiam post novi capituli erectionem continuata fuerit. *Corrad. de praxi benef. lib. 2. cap. 13. num. 40 et seqq., Rota in decis. 397. num. 1. et 2. part. 2.* et in *dec. 490. num. 1. cor. Coccino.*

Invectam igitur Capitulares inter ac honorarios Canonicos distinctionem eliminandam in themate concludit defensor, eo vel magis quia distinctio haec nedum aemulationem et scandalum gigneret, verum etiam ecclesiam Cathedralem summo damno afficeret: quandoquidem cum de honorariis Canonicis in praecedenti cum de civili gubernio habito tractatu nulla mentio fiat, facile canonicatus hujusmodi supprimi ab eodem gubernio possent ideo quia non aliae ab eo sunt praestatae pensiones, quam quae in concordatis praefinitae fuere.

Quoad alterum dubium posthabita praefata distinctione consequi primo omnes Canonicos non exclusis septem Solodorensibus jus habere condendi capitularia statuta, ut adeo nulla ac irrita ea ab EE. PP. judicanda sint statuta quae a quatuordecim tantum Canonicis subscripta sunt. Consequi secundo, omnes novi capituli Canonicos iisdem honoribus, juribus ac privilegiis frui, iis exceptis quae bulla apostolica et decretum executionis expresse Canonicis sanatum Episcopi constituentibus reservant. Consequi tandem, nullam inter eos tam in choro quam in capitulis praecedentiam dari, nisi ea quae ex priori receptione in capitulum ac installatione dependet »secus enim (inquit Episcopus) qui jam diu installati fuerant cogerentur e stallo discedere illudque saepe serius installatis relinquere, quod foret absurdum. Ipsa deinque bulla duarum tantummodo mentionem facit dignitatum, praepositurae et decanatus quibus praecedentia debetur.«

Quoad tertium dubium Decanus Veck (prosequitur Episcopus) in statutis suis omnia Decano seu sibi vindicat. Sic dicit in *I. parte cap. 2. §. 6. et 7*: Decanus in capitulo exceptis negotiis oeconomicis (quae, utpote fere nulla, Praeposito relinquere ipsi placet) dirigit. Hinc ad Decani officium pertinet, capitulum, nisi de rebus oeconomicis sit agendum, convocare, proponere et ex votis concludere, curare, ut acta capituli rite consignentur et

expediantur, omnibus actis, decretis et literis capitularibus subscribere, Canonicos installare et ad capitulum recipere, acta et manuscripta capituli Basileensis conservare et ejusdem capituli archivium custodire.« Nec immerito coqueri poterit Praepositus prima post pontificalem Dignitas, qui Solodori ante decanatus existentiam extitit ac functiones praefatas exercuerat, ita ut omni jure, nisi in oeconomicis, spolietur, ut secundae dignitati postponatur. Quod si Praepositus, cum non de oeconomicis rebus agitur, praesidere capitulo non poterit, sed Decanus id facere deberet, quis id faciet absente Decano? Num senior capituli et absente seniore subsenior et sic porro? Ita Praepositus foret profecto Postpositus et prima dignitas esset denique ultimus in capitulo locus.

Quaerere tandem licet quo deveniret episcopalis etiam auctoritas, si Decanus nisi de rebus oeconomicis agatur capitulum convocet*) atque praesideat. Episcopis Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* docet utique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Quod si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant et juxta ea concludant. Absente vero Episcopo omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficiatur. Mirum sane videtur, quomodo redactor statutorum hoc effatum Concilii Tridentini non ignoraverit, quod in statutis citat, et nihilominus contendere potuerit: Decanum exceptis negotiis oeconomicis capitulum convocare et in capitulo dirigere. Magis mirum, quod ille citans hunc Conc. Trid. locum dicat: si autem de re ad Episcopi vel suorum commodum spectante sit in capitulo proponendum et agendum, Decanus convocat capitulum. Concilium Trident. pronuntiavit: Absente Episcopo ab iis de capitulo, ad quos de jure vel consuetudine spectat. Consuetudo in capitulo noviter erecto normam dare non potest; de jure documentum aliud non extat quam bulla apostolica et decretum executionis hujus bullae, quae praeposituram dicunt primam, decanatum vero secundam post pontificalem dignitatem. Exploratum porro est ex doctrina s. Rotae in *Caesaraugustana 4. Martii 1644. cor. Bichio*, jus convocandi capitulum spectare ad eum qui major sit dignitatis in capitulo.

Quoad primam partem quarti dubii notat Episcopus quod redactor statutorum (part. 2. cap. 3. §. 7. et 8.) forenses saepius imo etiam ad receptionem Canonicorum ad capitulum et ad omnia negotia gravia et ardua convocandos esse statuit; relinquit sibi tamen effugium in seq. paragrapho 10. dicens gravia etiam negotia sed adeo urgentia, ut moram et dilationem non patiantur, in conventibus capituli specialibus, ad quos Canonici forenses non sunt vocandi et qui juxta §. 8. ad arbitrium Decani vel ad instantiam duorum Canonicorum Capitularium Decano intimatam habentur, dijudicari et perfici. Ecce iterum capitulum sine capite quod est Episcopus; stat loco Episcopi arbitrium Decani . . . . Non possunt utique forenses, qui sunt per pagos dioecesanos dispersi ita, ut unus illorum in ultimis Helvetiae finibus residentiam habeat, advenire pro omnibus casibus per statuta expositis . . ; sed ut toties convocentur non est necesse. Sunt illi foris; et sicuti Solodori non tenentur adesse nisi in casibus per bullam ac decretum executionis bullae assignatis, ita non datur obligatio eos convocandi, nisi in iisdem casibus . . . Ceterum in Curiensi Helvetiae dioecesi sunt Canonici forenses; ibi videre licet, quod sit circa forenses observandum.

Quoad alteram hujus dubii partem legitur in *parte 2. sect. 2. cap. 3. §. 5* statutorum: Si quando in causis cum consensu capituli tractandis et perficiendis Canonici Capitulares forenses et absentes vel quominus quamquam vocati compareant impedirentur, vel propter instantiam negotiorum, moram et dilationem non patientium, vocari non possent, tunc a Canonicis residentialibus Capitularibus nomine totius capituli deliberetur aut decernatur, attamen restrictione, ut, tali casu obveniente, vota Canonicorum Capitularium ex quolibet pago dioecesano praesentium pro una tantum voce sint numeranda.« Ad quae perpendit Episcopus: Scio equidem, paragraphum hunc ob gubernia dioecesana invicem aemulantia idque petentia in statuta receptum fuisse, sed cum juxta canones votum uniuscujusque Canonici Capitularis valorem

*) Vd. *Capitulum* (convocatio).

habere debeat, adeoque vota Canonicorum Capitularium ex quolibet pago dioecesano praesentium non tantum pro una voce numerari queant, articulus iste approbationi resistere non parum videtur. Praeterea bene observandum venit, unoquoque pago Luernensi, Bernensi ac Argoviensi nonnisi unicum esse Canonicum residentialem. Si per morbum vel iter feriarum talis unicus Canonicus, quominus compareat, impediretur et paragraphus supra memoratus valeret, vota quoque, quia votum ex uno pago deesset, omnium Canonicorum ex ceteris pagis forent pro nihilo habenda. Eo pervenitur, si via canonum relinquatur.

Denique quoad ultimum dubium haec habet relatio Episcopi: »Conc. Trid. *sess. 23. cap. 3. de reform.* dicit: Episcopus sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi ascitis . . . examinet, proinde liberum ipsi relinquitur per quoscumque peritos ac pios examinare ordinandos. Unde celeberrimus *Gavant. de syn. p. 1. cap. 31.* docet, examine confessariorum et ordinandorum posse Episcopum eligere quos voluerit. Redactor statutorum e contra ordinationes clericorum inter negotia recenset, in quibus Episcopus consilium capituli requirere tenetur.

»Ita idem dictat ad publicationem indulgentiarum ab Episcopo consilium capituli requiri debere, dum *Conc. Trid. sess. 21. cap. 9. de reform.* non plus exigat quam ut per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo de debitis temporibus populo publicentur indulgentiae. Num duos de capitulo adhibere est requirere consilium totius capituli?

»Eodem modo ille ordinationem et regimen cultus divini consilio totius capituli subjicit, etiamsi a Concilio Trid. *sess. 24 cap. 12. de reform.* dicatur: Interea Episcopus non minus quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a capitulo eligantur, in iis, quae expediri videbuntur, poterit providere.

Neque minus ab illo pro constitutione et directione seminarii episcopalis consilium totius capituli postulatur, licet ipsa bulla Leonis XIII. (concordans cum cap. 18. sess. 23. Conc. Trid.) nil praescribat, nisi hoc: Episcopus eisdem seminariis regendis, administrandis ac in sana doctrina instituendis semper advigilabit, adhibitis in auxilium quatuor Canonicis ex diversis pagis assumendis, quorum binos ipse Episcopus et alios duos Canonici senatum Episcopi constituentes eligent.

Haec quae ex Episcopi relatione exscripta sunt sat esse videntur ut EE. PP. suum valeant hac in quaestione proferre judicium. Cetera argumenta, quae brevitatis gratia omittuntur, grave Ipsis non sit in allegatione distribuenda recolere.

Dantur itaque

Dubia:

I. *An omnes ex quibus constat capitulum cathedrale Basileense sint Canonici Capitulares seu potius ii soli qui senatum Episcopi constituunt et ceteri sint Canonici honorarii?*

II. *An septem quoque Solodorenses Canonici jus habeant condendi statuta capitularia et iisdem honoribus, insigniis privilegiisque gaudeant, quibus fruuntur Canonici senatum Episcopi constituentes ita ut nulla detur inter eos tam in choro, in capitulo et ubique locorum praecedentia, nisi ea quae ex senio capitulari derivat?*

III. *An Praeposito vel Decano competat jus convocandi et dirigendi capitulum et an Episcopus possit, si velit, semper capitulo praesidere?*

IV. *An et quando ad capitulum convocandi sint Canonici forenses et an absentibus aliquibus Canonicis debeant vota aliorum Canonicorum ex quolibet pago praesentium pro una tantum voce computari?*

V. *An Episcopus teneatur exquirere consilium totius capituli cum eliguntur examinatores per novis ordinandis et pro confessariis, cum publicantur indulgentiae, cum agitur de ordinatione et regimine cultus divini et cum res est de constitutione et directione seminariorum?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad II: Affirmative in omnibus, exceptis iis quae in §§. 6. et 10. bullae erectionis disponuntur.

Ad III: Affirmative favore Praepositi. Episcopum vero semper posse capitulo praesidere, exceptis casibus a jure reservatis.

Ad IV: Affirmative ad primam partem in casibus a bullae erectionis expressis; negative ad secundam.

Ad V: Negative in omnibus et serventur dispositiones Tridentini.

Die 9. Junii 1855.

Brixinen.

Notandum est, collatum reipsa fuisse Comiti Spaur per apostolicas literas anni 1777. *canonicatum et praebendam* Brixinensis ecclesiae traditamque possessionem modo *consueto installationis in choro et postea per contactum anuli ferrei Granarii et Cellae Vinariae.* Idque congruebat capitulo 11. statuti sub titulo *de receptione Canonicorum ad ecclesiam Brixinensem;* nam ejus virtute tradi et accipi debet possessio canonicatus et praebendae. Inde autem vera dici posset impetratoris narratio, quod unum et alteram Comes Spaur contracti matrimonii tempore possideret. Suspensa ei erat admissio in capitulum fructuumque perceptio quousque sacros susciperet ordines, et quadriennium expleret carentiae ad formam statuti, ex hoc tamen excludi fortasse nequit canoniae et praebendae proprietas et titulus. Quandoquidem *in provisis de canonicatibus, qui ad formam statutorum debent aliquid adimplere, si non adimplent in tempore, non per hoc desinunt esse Canonici, sed solum carebunt aliquibus emolumentis,* ut per haec verba monet *Card. de Luc. de praeeminent. disc. 38. n. 39.* Duo siquidem distincte considerantur in praebenda jus nempe et perceptio fructuum et unum sine altero ad omnes juris effectus consistit ex *s. Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. de reform., Gonzal. ad regul. 8. cancell.**) §. *1. gloss. 5. de praeben. num. 5.* et *Rot. divers. decis. 197. num. 9.*

Die 18. Septb. 1790.

Lucerina in Apulia.

Presbyteri de capitulo ecclesiae Lucerinae petebant per s. Congregationem declarari, quod Canonici dicantur, qui habent stallum in choro et vocem in capitulo; et s. Congregatio respondit negative, non enim valet consequentia: habent vocem in capitulo, ergo sunt Canonici.

Die 31. Januarii 1626.

(Anal. J. P. VII. Ser. p. 174. Romae 1864.)

6) Cantum discere debet.

Tropien.

Canonicos ad discendum cantum Gregorianum cogere potest Episcopus et renitentes mulctare etiam poena non participationis distributionum quotidianarum et subtractionis fructuum.

Die 9. Martii 1620.

7) Celebrandi Ordo.

Vd. *Dignitas.*

Aesina.

(Conc. Tr. c. 12. s. 24. de ref.)

Fuit proposita haec causa in Congregatione habita die 26. Martii anni praeteriti 1718. nec ulla fuit capta resolutio. Fuit reproposita in subsequenti Congregatione habita die 9. Aprilis ejusdem anni et responsum fuit, quod exhiberetur bullae coadjutoriae. Reassumptis itaque foliis Congregationum mox memoratarum dignabuntur EE. VV. decernere:

An nolente vel impedito Canonico Maricono missa solemnis, quae juxta turnum ab eodem esset celebranda, celebranda sit a Canonico Curtio Bonafide ejus coadjutore vel potius sit celebranda a Canonico Hipolyto Colocci ordine Canonicorum succedente in casu?

S. C. C. resp.:

Ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative.

Die 1. April. 1719.

Aesina.

Excitata fuit controversia in ecclesia cathedrali Aesina inter Canonicum Curtium Bonafidem coadjutorem Canonici Mariconi et Canonicum Hypolitum Colloci. Cum etenim recurrente hebdomada, in qua juxta turnum missa solemnis cantari debebat a Canonico Moricono, Canonicus Curtius Bonafides ejus coadjutor diceret, ad se pertinere ejusdem missae solemnis celebrationem in absentia coadjuti et e contra Canonicus Hypolitus Colocci se opponeret asserendo ad se, uti succedentem post Canonicum Mariconum, pertinere eo impedito officium peragere et missam canere solemnem, in Congregatione habita die 26. Martii 1718. propositum fuit sequens dubium disputandum:

An nolente vel impedito Canonico Moricono missa solemnis, quae juxta turnum ab eodem esset celebranda, sit a Canonico Curtio Bonafide ejus coadjutore vel potius sit cele-

*) Vd. *t. II. p. 820.*

branda a Canonico Hypolito Colocci in ordine Canonicorum succedente?

Cumque tunc nulla fuerit capta resolutio et in Congregatione habita die 9. Aprilis ejusdem anni responsum fuerit: quod exhiberetur bulla coadjutoriae, in Congregatione tandem habita die prima Aprilis hujus anni 1719 *ad primam dubii partem responsum fuit*:

Negative et ad secundam affirmative.

Juxta etenim celebres resolutiones Congregationis ss. Rituum in *Patavina 14. Februarii 1615.* et *3. Decembris 1616* et in *Neritonen. 12. Octobris 1619.* haec adest differentia inter coadjutores dignitatum et coadjutores Canonicorum, quod coadjutores dignitatum, uti sedentes in stallo dignitatis, facere debent functiones spectantes ad dignitatem coadjutam et e contra coadjutores Canonicorum, utpote sedentes post omnes Canonicos, facere non possunt functiones ad Canonicos coadjutos pertinentes, nisi in hypothesi in qua alii desint Canonici vel nisi ageretur de missis, quas Canonicus coadjutus celebrare tenetur vigore testamenti et institutionis canonicatus et celebrare non potest, aut propter senectutem aut propter aliud impedimentum, uti bene explicatur in citata resolutione Patavina, in nihilum urgentibus verbis, quae opponuntur in literis coadjutoriae quod scilicet coadjutor habere debeat omnes et singulas praerogativas, praeeminentias et honores in choro, processionibus et aliis actibus capitularibus, quas et quos Canonicus coadjutus haberet, si praesens esset, cum haec verba stare dicenda sint ad exclusionem aliorum inferiorum et non ad exclusionem aliorum Canonicorum, uti bene docent *Lotter. de re benefic. lib. 2. quaest. 25. num. 36, Gonzal. ad regul. 8, cancell. glos. 5. §. 9. a num. 97.* et praesertim *num. 102. et seqq.*

Statuto, quod impedito Canonico Maricono missa non esset celebranda a Canonico Curtio Bonafide ejus coadjutore, sed a Canonico Hypolito Colocci, uti succedente post Canonicum Moriconum, nova subalterna exorta est controversia: *An Canonici coadjutores post completum turnum omnium Canonicorum principalium missam canere tenerentur in alia separata hebdomada ex propriis personis?*

Cumque in Congregatione habita die 17. Junii hujus ejusdem anni fuerit demandatum, quod causa poneretur in folio, duo infrascripta dubia in praesenti disputanda proponuntur.

Alterum respicit resolutionem captam die prima Aprilis 1719 in qua, uti supra fuit expositum, responsum est: *Missam solemnem non esse canendam a Canonico coadjutore, sed a Canonico in ordine succedente;* dicitur enim hanc resolutionem bene subsistere in puncto juris, sed non esse hypothesi applicabilem propter antiquam observantiam vigentem in ecclesia cathedrali Aesina juxta quam praetenditur Canonicos coadjutores missam cecinisse et non Canonicos in ordine succedentes.

Alterum respicit praetensam coadjutorum Canonicorum obligationem canendi missas ex propriis personis, post completum turnum omnium aliorum Canonicorum et in ordine ad hoc dubium asseritur, non adesse dictam obligationem Canonicorum coadjutorum, tum quia coadjutores, durante vita eorum, quorum sunt coadjutores, non sunt veri Canonici sed ficti, tum quia si tenerentur post completum turnum aliorum Canonicorum missam canere inservirent ex propriis personis et se haberent ad instar Canonicorum principalium, quod eis non videtur esse permissum.

His stantibus onus erit EE. VV. decernere:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis die prima Aprilis 1719?*

Et quatenus standum sit in decisis,

II. *An Canonici coadjutores in ordine praesbyterali constituti et missam solemnem non cantantes in hebdomada, juxta turnum tangentem eorum coadjutis, teneantur eandem missam cantare ex propriis personis post completum turnum omnium aliorum Canonicorum in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: In decisis.

Ad II: Teneri ad cantandam missam, ut compleant turnum Canonicorum.

Die 16. Decb. 1719.

Conimbricen.

Servari potest asserta consuetudo, ut feria IV Cinerum Canonicus turnarius impedito vel nolente Episcopo cinerum benedictionem peragat et missam cantet.

Die 14. Apr. 1753. dub. 9.

8) Celebrans missam conventualem.

Vd. t. I. p. 668. n. 3; 694. VI; *Missa convent.*

Canonici tenentur quotidie ad canendam missam conventualem; adesse enim in ecclesiis cathedralibus et collegiatis obligationem cantandi quotidie missam conventualem tradunt communiter doctores, praesertim *Clossa in cap.: Cum Creatura 51. de celebrat. missar.* ubi Abbas, Joan. Andr. Fagnan. et caeteri canonistae, idque sub mortali, quia est de materia gravi et quae omnium plurimum confert ad divinum cultum, cui maxime detraheretur, immo plus quam si non celebrarentur horae canonicae, cum major sit cultus sacrificii, quam horarum canonicarum, stante autem gravitate materiae consurgit gravis obligatio. Sic expresse *Pignatell. tom. 1. consult. 321. n. 2. et consult. 391.*

Ad dub.: An Canonicus curatus ecclesiae paroch. Cantradae Civitae, ubi residere tenetur, exemptus a servitio chori Cathedralis Balneoregii, teneatur per turnum cantare et applicare missam conv. et celebrare aliam missam in aurora, quae celebratur per turnum in dicta ecclesia ab omnibus Canonicis tam diebus festis quam ferialibus?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 8. Juli et 19. Aug. 1713.

Ad dub.: An in Cathedrali Tusculana missa conv. diebus feriatis sit celebranda per turnum per Canonicos tantum vel per solos beneficiatos vel per utrosque?

S. C. C. resp.: Per utrosque. *)

Die 21. Apr. 1708.

Ad dub.: An onus celebrandi missam conv. spectet in Cathedr. Squillac. ad solos Canonicos?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 24. Sept. 1712; 11. Mart. 1713.

Ad dub.: An Canonici Cathedr. Squillac. teneantur ad celebr. missae conv. per se ipsos?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 3. et 17. Mart. 1714; 24. Sept. et 19. Nov. 1729.

Cum quaesitum fuerit in una Burgi s. Domini an Dignitates in solemnioribus festivitatibus, Canonici in diebus festis et Vicarius perpetuus in feriis tenerentur applicare missam conventualem pro benefactoribus, die 16. Martii 1761. responsum fuit affirmative »*ut in lib. 66. decret. pag. 223.*; ita pariter *in Pientina 17. Februarii 1731.* ad II. dub.; ita demum laudatus Pontifex Benedictus XIV. in cit. const. loquens de Dignitatibus, Canonicis, mansionariis et beneficiatis addit: »*qui missam conventualem suis respective vicibus celebrant.*« *)

Die 16. Decbr. 1820.

Auximana.

Invaluerat consuetudo in ecclesia cathedrali Auximana, ut missae conventuales, exceptis certis diebus, in quibus hoc onus a a Dignitatibus et Canonicis adimplebatur, celebrarentur ab iis beneficiatis, qui aliquod peculiare beneficium in altaribus ejusdem ecclesiae obtinebant quique pro sui beneficii fundatoribus sacrificium applicabant. Hanc consuetudinem seu verius abusum eliminavit s. haec Congregatio cum anno 1734. postulante cl. me. Cardinali Episcopo Lanfredinio in relatione status suae ecclesiae Auximanae respondit: *Abolenda prorsus est consuetudo vel potius abusus, qui in Auximano Cathedrali templo invaluit applicandi missam conventualem beneficiorum fundatoribus impositisque substinendis oneribus, quibus eadem beneficia subjiciuntur; illud siquidem sacrificium fieri tantum debet pro fundatoribus ac benefactoribus canonicalis patrimonii.* **)

Scitu necessarium est, ut facilius quaestionis proponendae status dignoscatur, clerum Auximanae Cathedralis in tribus gradibus dispertiri. Ad primum pertinent Dignitates et Canonici, qui omnes sunt ex ordine presbyterali; alterum constat ex novem parochis qui nominantur Canonici supernumerarii, quique in ordine Diaconorum inservire tenentur; tertium constituunt undecim mansionarii, nuncupati pariter Canonici supernumerarii, quique tanquam subdiaconi inserviunt. Extra vero clerum Cathedralis sunt ii beneficiati, qui nihil cum ipso clero commune habent, sed peculiari aliquo beneficio altaribus ecclesiae addicto fruuntur. Hi sunt, de quibus loquitur superius laudatum responsum s. Congregationis anni 1734.

Paruit etiam capitulum Auximanum quoad applicationem missae. Quo vero ad onus illam canendi, non eadem semper servata est methodus. Primum enim celebrata est a mansionariis et beneficiatis, postea iis reluctantibus huic satisfacere oneri alii sacerdotes, etiam

*) Vd. *t. I. p. 685. IV; 689. V.*

*) Vd. *t. I. p. 699. §. 11. etc.*

**) Vd. *t. I. p; 668. a; p. 685 IV; 689 V.*

extra gremium capituli vel etiam Regulares ad sacrificium offerendum acciti sunt,*) soluta eleemosyna ex massa capitulari ac imposita beneficiatis taxa scut. 15. 20. in singulos annos, ut ab hoc praestando servitio eximerentur.

Interea notissima edita est de anno 1744. constitutio *Cum semper oblatas***) a s. m. Benedicto XIV. qua praeceptum est, ut in omnibus patriarchalibus, cathedralibus et collegiatis ecclesiis quotidie missa cum cantu celebraretur eaque applicaretur pro benefactoribus capituli, sublata quavis contraria consuetudine.

Latet initium praedictae taxae scut 15. 20., quae confertur in massam distributionum capitularium, latet etiam, utrum vel ex conventione vel aliqua intercedente sive ordinaria sive suprema authoritate fuerit imposita.

Novae in exitu praeteriti anni excitatae sunt turbae et mansionarii***) supernumerarii suas Emo Episcopo detulerunt querelas, postulantes, ut ab onere missae canendi eximerentur, utque satisfactionem eleemosynae pro missis jam celebratis consequerentur, quorum instantiam dimisit sequenti rescripto: *Audito capitulo, quod convenit sua unumquemque uti libertate, haud constito peculiarem ullam rei inesse conventionem tam capitulo tam oratoribus liberum quoque erit facere, quod cuique videbitur, servatis vero dispositionibus ss. canonum, s. Concilii Tridentini, Encyclicae Benedicti XIV.*: Cum semper oblatas *et decretorum ss. Concilii et Rituum Congregationum*: *quod vero spectat ad eleemosynam missarum jam celebratarum instent oratores penes eos, qui celebrandas obtulerunt*, a quibus fiet satis, ut par est.

Hac arrepta occasione literas Emus Episcopus dedit s. Congregationi, in quibus post expositam facti seriem quatuor sequentia proposuit

Dubia:

I. Num liceat capitulo supradictam taxationem a beneficiatis exigere?

II. Utrum celebratio missae conventualis hujus cathedralis ecclesiae indefinitis sacerdotibus qui possunt quandoque celebrationi deficere committi valeat, et quatenus negative, qui reapse ad illius celebrationem tenerentur?

III. Quatenus ab iis, qui non sunt de hujusce Cathedralis collegio, sit celebranda, num ejusdem Cathedralis mansionarii seu Canonici supranumerarii eidem celebranti extraneo diaconi munere inservire teneantur?

IV. In qua summa eleemosyna ex massa capitulari missam conventualem cantanti debeatur?

Haec vero addit in eadem epistola laudatus Emus Antistes: Reor equidem Emum Cardinalem Episcopum Lanfredini errore quopiam fortasse deceptum, cum in supradicto postulato asseruit, onus cantandi missas conventuales fuisse beneficiatis impositum decreto Cornelii Firmani Auximiani Episcopi anno 1582. Post accuratas et repetitas indagines in hac episcopali cancellaria peractas nullum adinvenire potui de hujusmodi decreto monumentum. Si revera extitisset, latere non poterat Emum Cardinalem Gallo, qui haud longo temporis intervallo a Cornelio Firmano successit Episcopus. Is de hoc decreto nihil: immo in actis ipsius s. Visitationis anno 1592. haec ad rem nostram scripto reliquit: Quo vero ad missas conventuales, an hujusmodi onus spectet ad beneficiatos, qui propria habent altaria et in ipsis celebrare sunt adscripti, vel potius ad Canonicos, maturius providendi sibi facultatem reservavit (Emus visitator Episcopus Gallo) cum hujusmodi negotium altiorem indaginem requirat. De hujusce maturioris examinis eventu nil constat.

Quoquo autem modo res sese habeat nescio, utrum ordinaria Episcopi facultas potuerit dictum onus beneficiatis inferre, quod a natura et institutione beneficiorum haud manere certum est.

Hinc eo vel magis nescio, quo jure quave auctoritate taxationem supradictam a beneficiatis potuerit et possit exigere capitulum. Nulla hac de re seu legitimae auctoritatis sive conventionis*) extat memoria. Alioquin clarae sunt s. Congregationis resolutiones decernentes, missae conventualis stipendium non aliunde nisi a massa distributionum capitularium desumendum.

Quod spectat ad hujusce Cathedralis mansionarios seu Canonicos supranumerarios superius dixi, eos nullius obligationis vi, sed solum sponte sua conventuales missas cantare nonnunquam consuevisse: animadvertendum insuper est, iisdem nil esse commune cum massa distributionum Canonicorum, a quibus tam coetu quam provisione penitus secernuntur.

Quo vero ad sacerdotes choro extraneos, a missis conventualibus canendis iidem videntur excludi in praelaudata encycl. §. 11. per illa verba »quae canitur a clero praedictarum ecclesiarum.«

Quaerendum primo videtur ad quos spectet onus celebrandi quotidianam missam conventualem. Innumerae fere sunt s. Congregationis resolutiones, in quibus statuitur a *clero* tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum quotidie celebrandas esse missas pro benefactoribus; unde satis aperte colligi videtur, hoc onus ad omnes spectare, qui alicujus ecclesiae clerum constituunt, nimirum ii, *qui* (ut ait ss. Pontifex Benedictus XIV. in notissima const. *Semper oblatas) in eadem ecclesia sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent.*»

Hinc cum quaesitum fuerit in una *Burgi s. Domini:* an Dignitates in solemnioribus festivitatibus, Canonici in diebus festis et Vicarius perpetuus in feriis tenerentur applicare missam conventualem pro benefactoribus, die 16. Martii 1761. responsum fuit: Affirmative *ut in lib. 66. decret pag. 223.*, ita pariter in *Pientina 17. Februarii 1831.* ad II. dub., ita demum laudatus Pontifex Benedictus XIV. in cit. const. loquens de Dignitatibus, Canonicis, mansionariis et beneficiatis addit: »*qui missam conventualem suis respective vicibus celebrant.*«

Quo vero ad Auximanam ecclesiam in specie praeter ea quae superius retuli observata fuisse in ea ecclesia, duo notanda sunt, nimirum quod s. Congregatio decrevit die 31. Augusti 1591: »*Constitutionem qua sacri ordines distribuuntur esse nullam, si capituli consensum Episcopus non adhibuit. Item quatenus esset valida, si tamen ex consuetudine omnes Canonici teneantur esse presbyteri non potuisse Episcopum tali consuetudini sua constitutione derogare. Quoad obligationem autem missam canendi non esse recedendum a provincialis concilii praescripto, si a Congregatione recognitum et emendatum fuerit: alioquin Canonicos non esse cogendos ad canendas alias missas solemnes, quam ex legitima consuetudine et veteribus illius ecclesiae institutis debent. Assistere vero Canonicos alteri non teneri quam Episcopo celebranti aut Pontificalia exercenti*« ex lib. 7. decret. pag. in 19. Sed posteriori aevo scilicet die 19. Junii 1649. occasione relationis status illius ecclesiae eadem s. Congregatio decrevit: *Consuetudinem, ut omnes canonicatus ecclesiae cathedralis Auximanae sint presbyterales, esse servandam, hujusmodique Canonicos teneri celebrare missas conventuales necnon inservire in officio diaconi et subdiaconi aliis Canonicis celebrantibus, non obstante praetensa allegata consuetudine,* in lib. 18. decret. p. 633.

Alterum est quod in constitutionibus illius ecclesiae enumerantur dies, in quibus missae sunt celebrandae ab Episcopo, ab Archidiacono et ab Archipresbytero, ac demum assignantur missae canonicales in dominicis adventus et quadragesimae, in III. dominica cujuslibet mensis occasione processionis ss. Corporis Christi, in festivitatibus B. M. V. et ss. XII Apostolorum aliisque festis minus solemnibus, nihil vero constituitur quoad alias dominicas infra annum et dies feriales.

Capitulum vero requisitum ab eminentissimo Episcopo in folio ad s. Congregationem transmisso, postquam exposuit usque ab anno 1552 invaluisse consuetudinem, ut missae conventuales quotidianae celebrarentur per turnum ab iis sacerdotibus, qui peculiaria beneficia ad altaria Cathedralis obtinebant quique missas ipsas non pro benefactoribus sed pro oneribus respectivi beneficii applicabant, qui abusus sublatus est per superius memoratum decretum s. Congregationis anni 1734.

Ex his in jure et in facto praemissis videant EE. Patres, an in ecclesia Auximana onus celebrationis et applicationis missae conventualis spectet ad eos tantum, qui vere clerum ipsius ecclesiae constituunt, seu potius huic oneri satisfieri possit vocatis ad celebrationem missae extraneis sacerdotibus qui beneficia choralia in eadem ecclesia non obtinent. Videant etiam, an servata distributione et assignatione dierum juxta illius capituli constitutiones et quibus incumbat hujus celebrationis onus in diebus dominicis et ferialibus infra annum.

Quod si placeat Auximano capitulo indulgere, ut possit sacerdotes extra suum collegium vocare, tunc inquirendum erit, an parochi et mansionarii teneantur iis inservire

*) Vd. *t. I. p. 668. a; supra p. 329. n. 21.*
**) Vd. *t. I. p. 695*
***) Vd. *t. I. p. 774. XII.*

*) Vd. *t. I. p. 668. a.*

in ordine diaconi et subdiaconi, quae quidem disputatio inutilis evadet, si omnes missae conventuales ab ipso cathedralis clero celebrentur. De hac quaestione haec habet eminentissimus Episcopus in secunda informatione: *At silentio non praeteream missas conventuales nunc celebrari a sacerdote choro extraneo ac regulari; mansionarii seu Canonici supranumerarii eidem celebranti extraneo diaconi munere inservire aegre ferunt, cumque iterum atque iterum mihi hac de re conquesti sint, servitium hujusmodi sese aliquando negaturos praesentio.*

Quaerendum secundo est a quibus et in qua summa celebrantibus missam conventualem debeatur eleemosyna. Sane deberi hujusmodi eleemosynam ex capitulari massa distributionum sancitum est pluribus s. Congregationis oraculis, quibus supremum addidit calculum s. m. Benedictus XIV. in praedicta constitutione *Cum semper oblatas*, in qua ita praecipit: »*Alia pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis, quos minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum* Quam semper sententiam tenuit s. Congregatio.

Eminentissimus Episcopus in secunda informatione ait: *Celebrantibus conventualem missam sive Canonicis sive aliis solvitur in praesentiarum eleemosyna obulorum viginti, quam tamen modo quindecim, modo etiam decem obulorum alias fuisse dixere Canonici in folio missae conventualis; ministris nulla datur eleemosyna aut distributio. Solvitur celebranti stipendium ex massa distributionum capitularium. Animadvertendum tamen inter ipsas distributiones supradictam taxam numerari, quam exigunt Canonici a beneficiatis.*

De hac contributione scutatorum 15 et obul. 20 agitur in III. dudio.

Hujusmodi taxa, cujus initium et legitimum titulum in capitularibus libris haud invenitur, certe suum sumpsit exordium post decretum s. Congregationis, nimirum post annum 1734 et usque ad hanc diem a beneficiatis exacta in massam distributionum coaluit. Porro tam longa, pacifica et numquam interrupta octoginta et ultra annorum observantia favet capitulo, ne a quasi possessione juris illam exigendi turbetur, *ad text. in leg. 1. et 2. Cod. quae sit longa consuetud.*

E contra indubium est, onus celebrationis et applicationis missae conventualis spectare ad eos tantum, qui vel in cathedralibus vel in collegiatis ecclesiis choralia beneficia obtinent, illiusque eleemosynam desumendam esse ex massa distributionum capituli. Cum ergo sacerdotes illi, qui non possident beneficium chorale, sed tantum peculiare beneficium alicui altari infixum, non sint de capitulo nec clerum Cathedralis constituant, videtur deficere legitimus titulus pro exactione taxae, quae non ex ignota causa, sed praecise »*per il canto delle messe conventuali,*« solvi constat ex libris capitularibus.

Tria proponuntur dubia:

I. *An et ad quos spectet onus celebrandi missam quotidianam conventualem in casu?*

II. *An, a quibus et in qua summa sit solvenda eleemosyna missarum pro benefactoribus in casu?*

III. *An sit locus exactioni taxae scut. 15. 20. a beneficiatis, qui non sunt de clero Cathedralis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et spectare ad Capitulares tantum ad formam Benedictinae constitutionis.

Ad II: Affirmative ex massa distributionum ad rationem obulorum viginti.

Ad III: Negative.

Die 16. Decbr. 1820.

Contin. Auximana.

Canonici putantes suis juribus adversa esse haec s. Congregationis responsa, ut causa iterum proponeretur postularunt. Super hisce precibus datae sunt literae Emo Episcopo, ut terminum tum Canonicis tum reliquis de capitulo praefigeret ad deducendum jura sua in s. Congregatione. Hinc distribuitur allegatio, qua pro Canonicis rationum momenta afferuntur. Mansionarii vero sive Canonici supranumerarii editae resolutioni freti nonnulla tantum folia mihi exhibuerunt. Causae hujus speciem necnon plura rationum momenta habent EE. PP. in folio *16. Decembris 1820*, quod reassumere precor.

Solos Canonicos ad celebrationem missae conventualis obligari non posse non ajunt Canonici, sed omnes teneri, qui choro intersunt, ad formam Benedictinae constitutionis. *Etenim*, sunt verba citatae constitutionis, »*hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae cujus servitio addicti sunt, quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.*« Quod semper servatum fuit in hujus s. Congregationis decretis. Ad factum gradum facientes afferunt Canonici tabellam a pluribus Episcopis tum in ss. visitationibus tum extra approbatam atque inter capitulares constitutiones relatam, in qua dies praefiniuntur, quibus Dignitates et Canonici solemnem missam canere debeant.

Praeterea alteram quoque tabellam exhibent, ubi adnotantur beneficiati seu mansionarii, ad quos singulis diebus ferialibus canere pertinet. Ad has confirmandas tabellas in medium quoque afferunt decretum, quo cl. me. Cardinalis Spada Episcopus anno 1716, quando nempe festum B. M. V. de Rosario ad altiorem ritum fuit evectum, mandavit, ut »*dies ipsa in Cathedrali hac Auximana ab aliis distincta in solita tabella canonicali adnotetur et Canonicus missam solemnem celebret.*« Adduut tandem decretum hujus s. Congregationis diei 5. Septembris 1591, in quo habetur: »*Canonicos non esse cogendos ad alias solemnes missas canendas quam quibus ex legitima consuetudine veteribus istius ecclesiae institutis adstringuntur . . . . . ne indebito Canonici premantur onere.*«

Ex his concludunt Canonici ad mansionarios seu Canonicos supranumerarios pertinere missas canere diebus omnibus, quibus hoc onus implere Canonici non tenentur. Nam certi exploratique juris est, quotidie chorales obligari missam in choro canere at quum Canonici certis tantum festis missam solemnem celebrare teneantur restat ut ab aliis qui choro intersunt reliquis diebus sit canenda, seu quod idem est, ut ad mansionarios sive supranumerarios Canonicos pertineat missam canere omnibus diebus, quae non sunt in canonicali tabella descriptae.

At in foliis mihi exhibitis ad sui defensionem mansionarii opponunt anno 1734. hanc s. Congregationem declarasse, onus missarum conventualium esse penes capitulum juxta decretum latum ab Episcopo Lanfredinio, qui aegre ferebat consuetudinem missas celebrandi a quolibet presbytero habente beneficium non chorale in Auximana Cathedrali, quique pro sui beneficii oneribus eas applicabat.

Sibi etiam prodesse autumant erectionem suorum beneficiorum, in qua nulla fit expressa hujusce oneris mentio. Erecta enim fuere haec beneficia, ut beneficiati diaconi et subdiaconi munere fungerentur pro parochis, qui cura animarum nimis distracti raro et choro interesse et missis inservire solebant. »*Instituimus*«, en verba erectionis primae mansionariae, quae centum fere annis ante Benedictinam constitutionem *Cum semper oblatas* contigit, *unum beneficium perpetuum ecclesiasticum pro uno presbytero . . . cujus munus et officium volumus esse debere et teneatur adsistere sacerdoti in officio diaconi et subdiaconi simul cum aliis Canonicis supranumerariis . . . divinum officium . . . recitare . . . et facere atque exercere omnia alia munera, quae servitium chori aut ecclesiae respiciunt* Unde concludunt mansionarii se missam solemnem canere minime posse quia eorum beneficia non sunt presbyteralia, imo ne ad sacerdotium quidem ascendere tenentur, quum e contrario Canonici omnes presbyteri esse debeant.*)

Nec sibi obesse dicunt consuetudinem, quia si aliquando missam conventualem mansionarii celebrarunt, id egerunt, ut gratam rem facerent Canonicis soluta a capitulo eleemosyna obolorum viginti. *)

In secundo dubio inspiciendum est, an et de qua distributionum massa persolvenda sit missae conventualis eleemosyna et in qua summa sit constituenda. Canonici putant hoc onus ad mansionarios pertinere, quando hi canere debeant. Ex generali regula hoc probant, illi enim est onus missae eleemosynam solvendi, cui onus incumbit celebrandi. Addunt quoque hujus s. Congregationis resolutionem in *Lucana* **) *Missae convent. 14. Martii 1750*, qua onerati fuerunt beneficiati seu mansionarii solvendi eleemosynam ex propria massa, quam Canonici habere mansionarios probant, praeterea reduci eleemosynam ad obol. 10 tantum vellent, quum ad hanc rationem alias definivit s. haec Congregatio persolvendam esse.

*) Vd. *p. 356. n. 4.*
**) Vd. *t. I. p. 774.*

Mansionarii vero ex facto et consuetudine probant semper pro eleemosyna solutos fuisse obol. 20, ideoque ajunt servandam esse hanc consuetudinem legitime inductam.

Negant vero ad se pertinere hanc solutionem, quia propriam non habeant massam, sed particularibus gaudent praebendis. Videant vero EE. VV. utrum permittendum sit, quod chorales non habeant communem distributionum massam contra praescriptum *s. Concilii Tridentini sess. 21. cap. 3.* Omnimode autem negant ad hanc solutionem cogendos esse, quum citata constitutio *Cum semper oblatas* ad sublevandam mansionariorum egestatem statuat eleemosynae solutionem ex massa capitulari. At nullum levamen obtinerent mansionarii, si ex propria massa esset solvenda haec missae eleemosyna. Utrum vero pauperes ita sint hi mansionarii, qui ceu asserit capitulum pluribus gaudent redditibus et probatur in summario a capitulo circumferendo, ut Canonici hoc onere gravari debeant, vestrum erit PP. EE. decernere.

Quo vero ad taxam eleemosynae animadvertendum est, resolutionem a Canonicis allatam non agere de missa conventuali, sed de quotidiana celebratione peragenda in ecclesia s. Francisci ad ripas urbis. Videant EE. PP. utrum approbanda sit eleemosyna obol. 20, quae persoluta fuit a capitulo sacerdotibus a capituli clero extraneis, qui ad celebrationem vocabantur, quando capitulum scut. 15. 20. taxam exigebat a beneficiatis non choralibus, seu potius ad manualem sit reducenda.

Pauca dicam de III. dubio. Suum enim enim jus Canonici probare volunt ex antiquissima consuetudine, imo ex centenaria, quae omnem meliorem titulum praesupponit. Fatentur autem nihil de ea se sollicitos esse si celebratione hac et eleemosynae solutione onerentur beneficiati. Hi vero de hac taxa nihil opponunt, quia sperant exonerari a missae conventualis celebratione, ideoque nihil adducunt ad eam substinendam vel improbandam.

In praeterito folio inutilem duxi quaestionem excitare de officio diaconi et subdiaconi, quum mansionarii paratos esse se assererent haec officia praestare Canonicis celebrantibus, at quum post resolutionem ab EE. VV. latam declaraverint, sese ab officio diaconi pro exemptis haberi et tantum paratos esse tamquam subdiaconos missae solemni inservire, si diaconi munus a parochis exerceatur, necesse est, ut de hoc quoque judicium ferratis. Canonici sua jura tuentur Bullis erectionis mansionariorum, quibus instituti videntur, ut pro parochis legitime impeditis diaconi munere fungerentur una cum aliis Canonicis supranumerariis *quotiescumque ex ritu et consuetudine ipsius ecclesiae missa celebratur cum praesentia et assistentia eorumdem ministrorum.* Officium ergo diaconi clare expressum sibi videtur, ita ut absque injuria hoc officium recusare nequeant imo haec officia praestare tenentur non tantum Canonicis celebrantibus, sed quotiescumque missa cum ministrorum adsistentia canenda sit.

Mansionarii vero ex eo, quod pro parochis in choro assistere debeant, ad ea munia tantum exercenda, quae ad illos pertinebant, sese teneri contendunt. Cumque illi ministrorum officia dumtaxat praestare deberent in missis solemnibus quas Canonici canebant ad haec solum teneri dicunt.

Postremo indecorum esse arbitrantur hoc officium praestare illis, qui non sunt de clero Cathedralis. At haec objectio evanescet, si ad formam *Benedictinae* ad chorales tantum spectare onus missam conventualem canendi decernatis.

Dubia igitur erunt:

I. *An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in I. dubio in casu?*

II. *An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in II. dubio in casu?*

III. *An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in III. dubio in casu?*

IV. *An et quando mansionarii munus diaconi et subdiaconi in missis conventualibus praestare debeant in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis, nempe teneri omnes Capitulares Canonicos et mansionarios ad formam tabellae.

Ad II. et III: Dilata ad primam post proximam et interim servetur consuetudo.

Ad IV: Affirmative ad formam erectionis, etiam parochis legitime impeditis.

Die 24. Aug. 1822.

Continuatio.

Quum utraque pars rationum momenta

exhibere optaret, novam propositionem ad hodierna comitia distuli, praesertim quia mansionarii rogarunt, ut novae audientiae beneficium quoad omnia dubia sibi concederetur, quibus rescribi: *utantur juribus suis in repropositione causae, ad quem effectum reproponatur in folio etiam quoad primum et quartum dubium, non retardata interim exequutione resolutionum s. Congregationis diei 24. Augusti proximi praeteriti, quae notificentur Vicario capitulari.*

Nihil vero mihi mansionarii exhibuerunt. Canonici e contrario jura sua allegatione vobis circumferenda defendunt quoad II. et III. *dubium.* De his verba facere omitto, quum nihil novi utraque pars afferat. Pauca dicam de II. dubio, in quo agitur de eleemosyna missae conventualis, nempe quoad eos, qui eam solvere debeant, et quoad quantitatem. Animadvertant vero EE. PP., hic non agi de missis, quas Canonici canere debent; pacificum quidem est, ab his praestandam esse eleemosynam: sed de missis, quae ad mansionarios spectare dicunt Canonici. Hi ut onus hoc mansionariorum esse declaretur ad regulam generalem confugiunt, qua eleemosynae solutione gravantur ii, quibus onus incumbit celebrandi.

Excludunt dein mansionariorum exceptionem de massae deficientia. Hoc enim in superiori folio diei 24. Augusti, prout mei muneris ratio requirebat, contra *Trident. sess. 21. cap. 3. de ref.* praescriptum esse animadverti. Deinde probant, quod ex fundationum quoque lege tertia fructuum pars in distributiones esset eroganda.*) Si igitur mansionarii massam ex consuetudine non habent (quod abusus potius quam consuetudo dici debet), hoc obstare concludunt Canonici declarationi, qua ad illos seu mansionarios pertinere dicatur hujusmodi eleemosynae solutio. Quo vero ad quantitatem vestrum EE. PP. erit decernere utrum ad manualem sit reducenda, prout in pluribus dioecesibus servatur.

Restat, ut dicam de taxa scut. 15. 20, quae capitulo pensitabatur. Dubii formula in superioribus propositionibus exhibita agit de solutione facienda a beneficiatis, qui non sunt de gremio capituli. At si mansionarii ad formam Tridentini distributionum massam constituant, ex qua missarum eleemosyna solvatur, immunes ab hac taxae solutione sunt declarandi. Si vero missarum eleemosyna a capitulo est solvenda, tunc vestrum erit decernere quomodo servanda sit haec taxa.

Caetera habent EE. PP. in foliis diei 16. Decembris 1820 et 24. Augusti 1822, quae reassumere precor.

Dubia proponuntur:

I. *An et quomodo sit standum in primo vel secundo loco decisis quoad* I. *dubium in casu?*

II. *An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in II. dubio in casu?*

III. *An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in III. dubio in casu?*

IV. *An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in IV. dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In secundo loco decisis et amplius.

Ad II: In decisis, nempe ex massa distributionum vel facta vel facienda ad formam s. Concilii Tridentini sess. 21. cap. V. de reformat. et constit. sa. me. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* ad rationem obol. 20, et amplius.

Ad III. et IV: In decisis et amplius.

Die 25. Jan. 1823.

Signina.

Sacerdos Bruno Milani Signinae cathedralis ecclesiae Canonicus, quum inter capellanos cantores pontificiae Capellae fuerit adscitus die 20. Februarii 1823. ab hac s. Congregatione obtinuit indultum *abessendi a choro durante munere amissis etc.* Verum jam inde a principio inter ipsum ceterosque Canonicos controversiae exortae sunt circa modum executionis rescripti. Canonici enim immemorabili innixi consuetudine opinantur, oratorem licet apostolico abessendi indulto donatum onere devinci alium proprio aere subrogandi, qui missas conventuales et adventitias sive pro vivis sive pro defunctis per turnum canere debeat, quin idem Canonicus Bruno particeps esse possit emolumentorum, quae pro missis adventitiis inter praesentes dividuntur. At sacerdos Milani qui onera perferre non abnueret aegre ferens, quod commoda inde proficiscentia sibi denegentur petiit, ut ab hoc sacro Ordine quaestio dirimeretur.

Episcopus de more rogatus pro informatione et voto haec habet: Sensum capituli

*) Vd. *p. 177. II.*

exquisivi et Canonici in capitularibus comitiis freti potissimum consuetudine, quam dicunt immemorabilem, censuerunt praedictum Canonicum teneri tum ad cantandas missas adventitias, cum ei ex turno obtigerint, quin distributiones participet, tum ad cantandas missas conventuales. Praeterea consulni peculiares capituli constitutiones, in quibus nil aliud reperire est ad rem nostram faciens, nisi quod hic fideliter refero. *Cap. 4.* sic habetur: *Missae anniversariae defunctorum relictae ex dispositione testatorum tum missae de Sanctis et ceterae missae de requiem tum fixae quam adventitiae debent per turnum cantari ab unoquoque ex Canonicis; quod si aliquis, qui id praestandum obtigerit, per se canere non possit, alium Canonicum substituere curet ad suas vices supplendas, sin minus Canonicus Camerarius pro tempore facultatem habeat supplendi vices Canonici illius vel per se vel per alium et solvendi vel alii vel sibi obolos viginti de distributionibus quotidianis detrahendos. quae Canonico muneri suo deficienti obtigissent, in hoc autem turno comprehendantur missae lectae, quae mensualiter per Canonicos ex dispositione testatorum occurrunt celebrandae, prout de facto fuit et est in more.*

Ex quibus constitutionum verbis erui videtur, quod cum praefatus Canonicus Milani utpote absens per se canere non possit missas adventitias, cum ei per turnum id obtigerit praestandum, debeat muneri suo satisfacere per alium. Ex consuetudine autem immemorabili, de qua testimonium ferunt omnes unanimiter Canonici, qui ex ipsis ex quacumque etiam legitima causa absentes ex. gr. infirmi et jubilati per alium missas adventitias canunt, nullam percipiunt distributionem. Haec quidem lex prima fronte videtur gravis. Sed cum ea usus sit Canonicus Milani, dum praesens aderat. lucrans absentium distributiones, sic aequum videtur, ut eadem utatur lege, dum abest, distributiones amittens.

Quod autem teneatur ad cantandas per alium missas conventuales, constat ex consuetudine. In hac enim Cathedrali sicut omnes affirmant Canonici in more semper positum est, ut quicumque quacumque ex causa a chori servitio esset exemptus non ideo tamen omitteret applicare et cantare per alium missas conventuales. Accedit ratio, cum enim missa conventualis applicanda sit pro benefactoribus in genere, cum Canonici etiam exempti (ut ita dicam) vivant eorum stipendiis aequum omnino videtur, ut et ipsi pro iisdem missas applicent.«

Nulla in praesens est controversia de quotidianis distributionibus, quas suas facere non posse fatetur ipse Canonicus Milani, et liquet ex ipso abessendi indulto atque ex *cap: Cum dilectus de cleric. non resident.*, sed quaestio vertitur super perceptione emolumentorum, quae ex missis adventitiis proficiscuntur. Hujusmodi emolumenta, quae ex voluntate benefactorum dividuntur inter praesentes, illi tantummodo percipiunt, qui choro intersunt. adeout absentes licet rude donati aut infirmitate detenti minime lucrentur, *Piton disce t. ecc. 1. n. 10. et 33, s. Congreg. in Aquipendien. Indulti 1 Aprilis 1719* et in *Anagnina Servitii chori et distributionum 20. Novembris 1819* §. *Animadvertendum*, imo nec absentes apostolico indulto donati cum facultate percipiendi quascumque distributiones, ceu docuit s. Congreg. *in Bosanen. Visitationis ss. Liminum 6. Februarii 1734.* §. *In hypothesi* et *Dubia Indultorum 6. Maji 1820.* §. *Quin imo.*

Canonico itaque Milani, inquit capitulum, deneganda sunt emolumenta ex missis adventitiis provenientia, quae Canonicis dumtaxat choro interessentibus, non autem fictione juris praesentibus debentur. Cumque hae missae adventitiae sicuti etiam missae conventuales per turnum sint a Capitularibus canendae, ideo, subdit capitulum, sacerdos Milani a choro absens alium propriis sumptibus sufficere tenetur, qui easdem missas cum cantu celebret, siquidem ex immemorabili Signinae ecclesiae consuetudine Canonici qualibet ex causa absentes alium sacerdotem, qui missas cantat, proprio aere subrogare obstringuntur. Hujusmodi autem consuetudo immemorabilis, utpote bonis moribus haud adversa et Canonicos impellens ad divinas laudes in choro persolvendas servanda est, *arg. L. 22. ff. de leg.* et *cap. ult. de consuetud.*

At vero sacerdos Milani hanc Signinae ecclesiae consuetudinem veluti irrationabilem penitus repellendam esse contendit. Namque pontificiae Capellae cantores utpote romani Pontificis familiares ex constitutione Sixti V. edita anno 1586. gaudent a jure induito abessendi a loco residentiae et *annuatim fructus praebendae suae integraliter*, non obstante contraria consuetudine vel constitutione, percipere debent, *cap. Cum dilectus, cap. Ad audientiam de cleric. non resident., Fagnan.*

in cap: Licet de praebend. num. 99., ac proinde eam solummodo portionem amittere debent, quam residentes non percipiunt, nisi Divinis interfuerint, quemadmodum de absentibus studiorum causa decrevit s. Congreg. *in Maceraten. 10. Decembris 1616.* et in *Eugubina Punctaturarum 15. Martii 1783* §. *Quamvis.*

Ex hac juris expositione liquido constat Pontificis familiares apostolico abessendi indulto praeditos minime obstringi ad alium subrogandum, qui eorum vices gerat, sed praesentes in choro defectum absentium supplere oportere in iis, quae ad chorale servitium pertinent, *Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. n. 197, Fagnan. in cap. Nulla de concess. praebend. n. 73.*, et colligitur ex sententia hujus s. Congregationis *in Nullius Farfen. Distributionum quotidianarum 20 Decembris 1758 ad III. dubium*, in *Reatina 22. Martii 1766* §. *Denique* et in *una Forolivien. die 27. Maji praesentis anni* inter supplices libellos proposita: legitime absens duplici multaretur poena nimirum distributionum amissione atque onere alium in ejus locum subrogandi, ac proinde integre non frueretur praebendae fructibus, quemadmodum decreverunt sacri canones. Adeo insuper explorati juris videtur, quod Canonicus legitime absens non teneatur ad alium sufficiendum, a quo missae cum cantu litentur, ut s. Congreg. Canonicum jubilationis indulto praeditum, qui etiam distributiones lucratur quotidianas, immunem censuerit a celebratione missae conventualis sive per se sive per alium, quemadmodum videre licet in *Aquipendien. Jubilationis 23. Martii 1697* et in *Aquipendien. Indulti 1. Aprilis* §. *Invenio.*

Hinc Canonicus Milani se immunem esse arbitratur ab onere per alium propriis sumptibus celebrandi missas adventitias et conventuales, sin minus petit, ut particeps reddatur emolumentorum, quae ex missis proficiscuntur, ubi enim commune est onus, commune etiam esse debet emolumentum, *Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 19. n. 36, Furgn. de jure patr. part. 1. can. 6. n. 15.*, cum a natura plane alienum sit, commoda eum non sequi quem sequuntur incommoda, L. *10. ff. de R. I. cap. 55 de R. I. in 6.* Idque consonum etiam videtur Signinae ecclesiae capitularibus constitutionibus, in quibus statutum est, quod si Canonicus aliquis per se canere non possit teneatur per alium secus Canonicus Camerarius facultatem habeat supplendi vices illius Canonici per se vel per alium et solvendi sibi vel alii obolos viginti *de distributionibus quotidianis detrahendos, quae Canonico muneri suo deficienti obtigissent.*

Dignentur itaque EE. VV. dirimere quae sequuntur

Dubia:

I. *An Canonicus Bruno teneatur per alium canere missas adventitias et conventuales in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An ad eum spectet jus percipiendi emolumenta pro missis adventitiis in casu?*

S. C resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Provisum in primo.

Die 22. Julii 1826.

Calaritana.

Illud a remotissimis temporibus in more metropolitanae ecclesiae Calaritanae positum erat in quinque tantummodo ex Canonicorum collegio omnes missas sibi per hebdomadas toto anno canendas distribuere, ea adjecta lege, ut, si quis eorum suo defuisset officio trium juliorum poena mulctaretur. Hujusmodi consuetudinem pluribus etiam scatentem abusibus summus Pontifex Clemens VIII. *corruptelam potius et juris dispositioni ac Concilii Tridentini decretis contrariam esse et in diminutionem divini cultus tendere* judicans die 7. Septembris 1592 apostolicas edidit Literas, quibus *perpetuo* statuit ac mandavit, ut *in futurum omnes et singuli, quibus de canonicatibus et praebendis dictae ecclesiae . . . . apostolica seu ordinaria aut alia quavis auctoritate in futurum tantum provideri seu in Canonicos supranumerarios creari contigerit, ad celebrandum dictas missas decantandas per totum annum in eadem ecclesia pro sua quisque hebdomada omnino teneantur et debeant sub poena excommunicationis per contrafacientes eo ipso incurrenda; sicque per quoscumque judices et commissarios quavis auctoritate fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Dehinc Calaritanus Archiepiscopus Delbecchi s. agens visitationem sanxit, omni-

bus plane Canonicis praeter missam conventualem onus etiam canendi evangelium in anniversariis, pontificalibus et canonicalibus functionibus incumbere, ita tamen, ut legitimo quisque impedimento detentus *per alium* posset uni atque alteri officio satisfacere. At nullam pro omissionibus mulctam ab eodem Archiepiscopo constat fuisse inflictam. Eo enim tempore, quum ordinaria missae eleemosyna decem minor obolis foret, capitularis autem massa obolos sexdecim pro missa conventuali rependeret, facillimum sane erat, ut ad gerendas alterius vices quisquam libentissime accederet.

Labentibus annis, ordinaria missae eleemosyna ad obolos octodecim aucta, non exigua emersit difficultas inveniendi aliquem, cui partes suas rite obeundas crederent ii, qui *per se* nec missam celebrare conventualem nec evangelium canere posse significabant. Quare, postquam complures etiam Canonici contendere exorsi fuerant, se vel ob vocis defectum vel ob aegram corporis valetudinem vel ob jubilationis indultum ab onere praesertim missae conventualis esse eximendos, multa sane incommoda pertulit chorale servitium in Calaritano capitulo adeo ut narrata Clementis VIII. praescriptio fere jam in desuetudinem abiisse videretur.

Capitulari resolutioni de hac re captae unus tantummodo obstitit Canonicus jubilatus, qui palam professus fuit se apostolicae Sedis oracula consulturum. Verumtamen suum ipse jus nunquam reapse expertus est, imo etiam ceteri, qui jubilationis indulto jam frui properabant, missam postea conventualem et evangelium canendi onere adamussim fungi non detrectarunt sive per se sive per alium quod jampridem in metropolitana ecclesia Calaritana fuisse constantissime servatum antiquae archivii capitularis tabulae testabantur. Ceterum, ubi lex in pristinam redierat observantiam, censuit capitulum temperandam esse mulctam in comitiis die 12. Septembris 1814 irrogatam eamdemque propterea coercuit *a reali due e mezzo* seu ad obolos viginti monetae romanae pro cujuslibet missae conventualis celebratione, et *a soldi sette e mezzo*, nempe ad obolos duodecim pro evangelii cantu in anniversariis, pontificalibus et canonicalibus functionibus peragendo. Archiepiscopus ab hac probanda capitulari resolutione omnino abstinuit, ratus scilicet, rei ejusmodi judicium ex literis apostolicis Clementis VIII. ad s. Sedem fore reservandum. Quoniam vero resolutionem illam unanimi consensione Capitulares probaverant atque ea ipsa pertinebat ad apostolicarum literarum executionem magis magisque firmandam, hinc suprema hujus s. Ordinis sanctio nunquam hactenus a capitulo Calaritano fuerat implorata.

Interim anno 1822 sacerdos Antonius Carboni canonicatum laicalis patronatus instituit in ea metropolitana ecclesia sub titulo s. Victoriae et s. Antonii ac de ejusdem fundatione, auctorante Archiepiscopo et assentiente capitulo,*) publicas instrumenti tabulas die 21. Januarii illius anni solemniter obsignavit. Porro praeter annuum praebendae fructum, quum vellet fundator rectorem canonicatus sui una cum ceteris Canonicis ad percipiendas communis massae distributiones admitti, eandem massam sorte scutatorum Sardiciensium sex mille dotavit. Antonius Carboni, qui sui canonicatus possessionem primus obtinuit, ita se ab omni choralis cujusque officii et punctationum genere exemptum putavit, ut seipsum anno 1826 contenderit non modo immunem esse ab onere celebrandi missam conventualem et canendi evangelium, sed posse etiam absentem eas lucrari legatorum distributiones, quae ex fundatorum voluntate Canonicis actu praesentibus debentur. At capitulum ab istiusmodi Canonici Carboni consilio vehementer discrepat, idcirco Archiepiscopus jura utriusque partis supplicibus exarata libellis una cum sua informatione et voto ad hanc s. Congregationem misit, ut tota, de qua agitur, controversia ab EE. VV. ex ss. canonum censura atque hujus s. Ordinis disciplina penitus dirimatur.

Quod mulctam spectat infligendam Canonicis missam conventualem et evangelii cantum omnimodo negligentibus, videbatur quidem rescribi posse »ex Ordinarii sententia.«

Re quidem vera *infirmitas* tum a Bonifacio VIII. *in cap.: Consuetudinem de cleric. non resid in 6.* tum a Concilio Tridentino *sess 23. cap. 1. de reform.* inter legitimas choralis absentiae causas luculentissime exprimitur, adeo ut Canonici adversa valetudine laborantes, si choro adesse nequeant, integras lucrari debeant quotidianas distributiones, quemadmodum decrevit s. Congregatio *in Savonen. Distributionum 18. Decembris 1745*,**)

*) Vd. *p. 170. VI.*
**) Vd. *Distributiones.*

in *Praten. Indulti 23. Junii 1746* ac traditur in *Dubia Indultorum 16. Maji 1820* §: *Indulta*. Atqui aegrotantibus Canonicis integra quotidianarum distributionum perceptio minime foret, si super his aliquam solvere mulctam cogerentur vel saltem tenerentur pecunia sua quempiam alium ad obeunda chori officia substituere. Quapropter Canonicos ex justa causa absentes obstringendos non esse, ut per substitutum choro inserviant, non obstante immemorabili consuetudine, docet Garzias *de benefic. part. 3. cap. 2. numer. 197.*, s. Congregatio *in Reatina 22. Martii 1766.* §. *Denique* et in *Eugubina Punctaturarum 15. Martii 1785.* §. *Cum.* Id autem pro infirmis praesertim et senibus Canonicis valere tradit Fagnanus *in cap. Nulla de concess. praebendae num. 72 et 73*, ubi haec animadvertit: *Cum Episcopus vel Praelatus propter aegritudinem vel senium redditus est inhabilis ad pastorale officium, necessitas cogit, ut illi de coadjutore perpetuo provideatur, ne gregi fidelium desit custodia pastoralis ... Haec ratio non viget in canonicatibus et aliis beneficiis cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum ... Tunc enim in praedictis ecclesiis divina officia persolvuntur a reliquis collegialibus nec Canonicus infirmus vel senio confectus tenetur sibi coadjutorem adjungere aut inservire per substitutum, cap. unic. de cler. non resid. in 6*, et millies fuit resolutum, ut late scripsi in c. *Licet de praeben. num. 136.* Praesentes nimirum in choro supplere debent Canonicorum aegrotantium defectum in iis, quae ad chorale servitium et divina officia pertinent, quumque dubium non sit, partem in toto contineri *ex leg. in toto 113 ff. de reg.* juri id profecto intelligendum in themate non solum de cantu evangelii sed etiam de celebratione missae conventualis, quae praecipua divinorum officiorum pars dicitur, imo ad illam horae canonicae ordinantur, *ex cap. Cum creatura de celeb. miss.*, *s. Congr. in Urbanien. Missae conventualis 19. Julii 1828.* §. *Animadvertendum* et in *Civitatis Plebis**) *Missae conventualis 24. Aprilis 1830.* §. *Immerito.*

Neque secus se res habet de Canonicis rude donatis, quibus ex jubilationis indulto fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus deberi constat, *s. Congr. in Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 15. Septembris 1827.* §. *Sed.*, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interessent.

* Vd. *t. I. p. 773.*

Hinc itaque exemptioni plane adversaretur et jubilatum Canonicum impertita gratia ex parte privaret onus sive missae conventualis sive cujusvis alterius muneris *per se* aut *per alium* in choro explendum, praesertim si poenali ad id mulctae solutione adigeretur. Quamobrem Canonicos jubilatos *) cogi non posse ad celebrationem et applicationem missae conventualis neque per se neque per alium, passim definivit s. Congreg. prout *in Pientina 20. Augusti 1757* et in *Spoletana Jubilationis 15. Septembris 1770*, nec etiam ad solvendam hujusmodi Sacrorum stipendium, uti hoc ipsum s. Tribunal respondit *in Praenestina 11. Martii 1662* et in *Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis 21. Julii 1759.***) Quin aliter suadeat quaevis contraria consuetudo et imposita a capitulo atque etiam a jubilatis accepto habita obligatio, quam esse irrationabilem ac rejiciendam semper censuit s. Congregatio veluti indulta commonstrant in *Civitatis plebis 23. Novembris 1782* et in *Nullius seu Foropompilii Jubilationis 18. Junii 1796.* Missa enim conventualis onus est capituli, *s. Congr. in Burgi s. Domini Missae conventualis 16. Maji 1716. ad I. dub.* et in *Pisana Applicationis missae conventualis 6. Julii 1737.* §. *Tertio;* atque hinc, dum ex communi capitularium reddituum massa solvitur missae conventualis eleemosyna, nullum in themate reliquis Canonicis infertur detrimentum, si non modo evangelii cantum, sed etiam illius missae celebrationem ex jubilatorum absentia saepius obire teneantur.

Hisce perspectis, quae ad capituli postulata spectabant, praecipua nunc propositae controversiae momenta breviter discutienda. Nam contendit capitulum, Canonicum Carboni plane obstringendum esse ad missam conventualem sive per se sive per alium celebrandam, utpote quae singulis cathedralium et collegiatarum ecclesiarum Canonicis ita incumbit, ut ab ejus onere immunitatem praestare nequeat nec reddituum exiguitas nec adversa consuetudo nec fundatio a certis benefactoribus peracta sub lege praestitutum litandi missarum numerum sicuti liquet ex notissima Benedicti XIV. Encyclica *Cum*

*) Vd. *t. I. p. 716. VII.*
**) Vd. *t. I. p. 722.*

semper oblatas atque ex responsis hujus s. Ordinis *in Nullius s. Ruffili**) *8. Augusti 1761* et in *Marsorum Missae conventualis 28. Aprilis 1827 ad I. dub.* Huc accedit, quod in Calaritana ecclesia metropolitana Clemens VII. apostolicis suis literis diei 1. Septembris 1592 omnes omnino ejus temporis Canonicos atque eos etiam, quos in posterum creari contigisset, ad capitulares canendas missas voluit pro sua quemquem hebdomada sub excommunicationis poena obligari. Quocirca etiamsi Canonicus Carboni, tamquam primus novi canonicatus possessor, exemptus fuerit in fundationis vestibulo *de tutta puntazione*, id sane capitulum ait intelligi debere de punctationibus in eos Canonicos infligendis, qui horis canonicis ac proinde etiam missae conventualis celebrationi non adessent; at plane negat referri posse ad conventualis missae per turnum canendae et applicandae immunitatem, quam tribuere adversus praelaudati Pontificis voluntatem nullatenus eidem capitulo licuisset. Neque hoc onus sibi incumbere non novit ipse Canonicus Carboni, aeque ac alterum canendi evangelium in anniversariis, pontificalibus et canonicalibus functionibus.

Postremo capitulum ait fundationem canonicatus Corboni eam non esse, ut refragari possit capitulari resolutioni diei 12. Septembris 1813 ex qua nemini Canonicorum fas est ab ejusmodi oneribus per se aut per alium obeundis sese ullo pacto subtrahere.

Quod reliquum est fatetur capitulum ordinarias chori distributiones Canonico Carboni, licet absenti, ex fundationis tabulis fuisse concessas; nihilominus propugnat, eumdem Carboni injuria prorsus et immerito sibi arrogare velle eas etiam distributiones, quae ex voluntate testatorum et benefactorum actualem Canonicorum praesentiam omnino requirant. Etenim, praeterquam quod ferendus non est, qui lucrum quidem amplectitur onus autem ei annexum respuit, *L. unic. §. 4. Cod. de caduc. tollen., R. 55.* I. *in 6*, latet certe neminem ejusmodi emolumenta neque a Canonicis jubilationis indulto munitis neque animarum curam exercentibus neque ob adversam valetudinem aut in evidentem ecclesiae utilitatem choro legitime absentibus percipi posse, ceu tradit *Piton. discept. eccl. 1. num. 35, s. Congr. in Terracinen. seu Privernen. Emolumentorum 23. Decembris 1826 §. Dein* et in *Asculana Literarum apostolicarum 20. Novembris 1830 ad IV. dub.* Cui rei ipse consonat Calaritanus Archiepiscopus.

At Canonicus Carboni adeo propitium EE. VV. suffragium sibi fore confidit, ut immunitatem inprimis a missae conventualis et evangelii canendi onere ipse sibi decernendam non dubitat. Sex namque et triginta fere annos animarum cura perfunctus non alio demum animo canonicatum sibi instituisse significat, quam ut vitam quiete ac nullis exagitatam laboribus traduceret.

Quod si ob hujusmodi conditionem, eodem fatente capitulo, impune abesse potest Canonicus Carboni ab horis canonicis et ab ipsius missae conventualis celebratione, rem certe perabsurdam et choralium punctationum exemptioni omnino adversam esse inquit, si uno eodemque tempore ad conventualem missam applicandam et obeundum evangelii cantum sive per se sive per alium turni lege ac poenali sub mulcta obstringi posset. Nulla siquidem mentio de hisce oneribus occurrit in solemni fundationis instrumento.

Haud vero quidquam sibi putat Canonicus Carboni officere apostolicas Clementis VIII. literas anni 1592 et resolutionem capitularem diei 12. Septembris 1814, quibus missae praesertim conventualis applicatio per turnum unicuique Canonico praescribitur.

Nusquam enim in iis comprehensus legitur nec sane comprehendi poterat quispiam novi canonicatus in posterum fundator, cui pro facto integrum est in institutionis vestibulo accedente Ordinarii et capituli consensu prout in themate leges quascumque velit apponere easque etiam juri communi contrarias, dummodo nec turpes sint nec alias a jure improbatae nec beneficii substantiam destruentes,*) *Lambertin. de jurepatron. lib. 1. part. 1. art. 1. quaest. 9. num. 52, Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. num. 15, Barbosa de officio et pot. Episc. lib. 1. tit. 2, gloss. 17. num. 18, s. Congr. in Ripana Erectionis canonicatuum 30. Januarii 1830. §. Longe.* Quare idem Carbonius, ubi semel de omnimoda punctaturarum exemptione ac de choralium idcirco officiorum immunitate sibi rite ac legitime praecautum autumat, fundationis quidem leges sanctissime sustinendas servandasque tuetur, uti jubet Tridentina synodus *sess. 25. cap. 5. de reform.* nec post peractam canonicatus sui erectionem ulla sibi nova onera imponi posse contendit, quum gravare oneribus beneficia non sit capituli et Episcopi, sed unius fundatoris*) quemadmodum *ex text. in cap. Porro de privileg.* admonet *Fagnanus in cap. Conquerente de cler. non resid. num. 24. et sequ., Garzias de benef. part. 7. cap. 1. num. 12, Monacell. formul. tom. 2. tit. 15. ad form. 1. num. 19.* et *s. Congr. Vercellana 12. Septembris 1750. §. Confugit.*

Imo etiam illud adjicit, se utpote omnibus ceterorum Capitularium privilegiis et honoribus ornatum posse utcumque velit missam conventualem et evangelium in choro concinere, quin tamen ex hujusmodi actibus facultativis ulla invehi possit praescriptio, *Zallinger lib. 2. decret. §. 350. num. 4, Rota cor. Ratto decis. 259. num. 12, s. Congr. in Viterbien. Jurium 26. Augusti 1826. § Et re sane* et in *Nepesina Legati pii 26. Februarii hujus anni §. Eo jam.*

Canonico Carboni pro immunitate ab onere canendi missam conventualem et evangelium favet voto suo Archiepiscopus.

Tandem Canonicus Carboni, quum ad percipiendas, licet absit a choro, omnes ceterorum Capitularium distributiones communem massam munifice dotaverit, ea etiam emolumenta sibi a capitulo deberi censet, quae ex testatorum aut benefactorum voluntate solis Canonicis actu praesentibus sunt dispertienda. Dum enim ab omnibus punctationibus seu a choralibus cujuscumque speciei officiis exemptus est fundationis lege, nullum distributionis et emolumenti genus fuisse a capitulo exceptum putat, quod sibi absenti denegari possit.

Erunt igitur dirimenda

Dubia:

I. *An et quae mulcta constitui debeat Canonicis neque per se neque per alium missam conventualem et evangelii cantum adimplentibus in casu?*

II. *An Canonici aegrotantes teneantur per alium missam conventualem et evangelium canere in casu?*

III. *An Canonici jubilati cogi possint ad ejusmodi onera sive per se sive per alium implenda in casu?*

IV. *An Canonico Carboni incumbat onus missae conventualis et evangelii cantus, adeo ut mulctae poena plecti possit, si illud neque per se neque per alium adimpleri curet in casu?*

V. *An Canonico Carboni licet non intersit debeantur extraordinaria emolumenta, quae ex testatorum aut benefactorum voluntate Canonicis actu tantummodo praesentibus distribuenda sunt in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus juxta votum Archiepiscopi.

Ad II et III: Negative.

Ad IV: Negative juxta votum Archiepiscopi.

Ad V: Negative.

Die 17. Sept. 1831.

*) Vd. *t. I. p. 702.*

*) Vd. *t. II. p. 514. b; p. 353. etc.*

*) Vd. *t. II. p. 353. n. 1. etc.*

9) Celebrant non omnes Canonici ex consuetudine missam convent.

Signina.

Signinae cathedralis ecclesiae capitulum quatuordecim constat Canonicis. Horum in choro sessio sic ordinatur, ut primus Canonicus priorem sedem occupet in parte evangelii, secundus priorem in parte epistolae, tertius eam, quae est secunda in parte evangelii, quartus illam, quae est pariter secunda in parte epistolae, et ita alternando deinceps, ex quo sequitur, ubi aliquis Canonicus deficiat, ut ascendat, qui vacanti canonicatui proximior est antianitate, ad superiorem gradum, qui ab eo qui defecit occupabatur, et ipse et omnes qui post ipsum sedebant de uno ad alterum latus transeant.

Inter caetera Canonicorum quotidiana pensa illud quoque censetur missam conventualem cum applicatione canendi ac alia bina Sacra absque applicatione litandi, unum in aurora, alterum circa meridiem. Hujusce oneris adimplemento omnes Canonici satisfaciunt per turnum qui ex immemorabili consuetudine ea expletur ratione, ut dum Canonici qui in una parte chori ex. gr. evangelii sedent unus post alium missae conventuali canendae vacant, quisque per integram hebdomadam, caeteri, qui in altera sunt parte eodem ordine per hebdomadam missas in aurora ac circa meridiem celebrent. Atque interim, qui in aurora celebrat, vi capitularium constitutionum vacat a choro.

Porro ex hac methodo illud in sedium immutatione usuvenit, ut ii Canonici qui in ea parte chori sedent, in qua missam aurorae celebrandi onus adhaeret, ad alteram partem transeuntes, in qua illud missae conventualis inest, ad hanc iterum canendi in eodem turno fiant obnoxii, quod sane in ipsorum cedere praejudicium existimantes nonnulli ex hodiernis Canonicis hujuscemodi consuetudinem abrogandam esse ac missas conventuales per hebdomadas a singulis Canonicis nullo habitu respectu ad locum, quem quisque occupet sive in parte evangelii sive in parte epistolae, esse celebrandas contendunt. At alii e contra pro consuetudine in suo robore servanda propugnant, quare ad jurgia inter Capitulares tollenda vestrum PP. Emi judicium praestolatur Episcopus.

Rogatus confirmat exposita et capitularium constitutionum particulam exscribit, in qua tamen de missarum conventualium celebratione dumtaxat statuitur, ut quotidie missa conventualis per Canonicum hebdomadarium cum cantu celebretur et pro benefactoribus applicetur; ac tandem pro antiqua consuetudine tuenda sententiam suam aperire videtur: etenim de iis loqueus qui pro eadem servanda propugnant inquit: Observant isti, quod immutata hac consuetudine causa dabitur immutandi etiam alias consuetudines, et sic assiduae in capitulo exurgent quaestiones, et cum quaestionibus lites ac dissidia. Quae quidem ratio mihi est potissima, cupio enim, ut omnium Canonicorum sit cor unum et anima una.

Jam vero pacificum est, inter Capitulares omnes rationem hucusque servatam in trium missarum celebratione ex immemoriali consuetudine dimanare. At vero quidam Canonici hujusmodi consuetudinem submovendam esse contendunt, quia injusta ac damnosa deprehenditur. Siquidem ex hactenus habita ratione ubi sedium immutatio fieri contingat quidam Canonici per binas hebdomadas in eodem turno missam conventualem canere obligantur ac proinde duplici beneficio liberae scilicet applicationis ac a choro absentiae carent, quo fruuntur Canonici Sacrum in Aurora peragentes, dum e contra alii in eodem turno a missa conventuali canenda liberi evadunt ac bina vice praefato gaudent beneficio. Atqui explorati juris est Canonicos aequa lance canonicatus onera perferre debere, ubi enim commune est emolumentum, commune etiam onus esse debet, *Fargn. de jur. pat. p. 1. can. 9. at. 6. num. 15, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 19. n. 36;* ne alias diverso jure censeantur, qui iidem inter se reputantur contra textum *in cap. Cognovimus 12, Rota in Caeseraug. Praeeminen. 2. Nov. 1622. cor. Cocin.* et *dec. 199. p. 9. rec. tom. 1. n. 3.* Quare quaecumque tandem sit in adversum consuetudo eam abrogandam omnino censent, quippe laesivam et quavis ratione destitutam, cum *Laymun. lib. 1. tract. 4. c. 24. num. 4, Roch. cap. ult de consuet. n. 26, Suarez. lib. 7. de leg. cap. 6. n. 10, Reiff. lib. 1. tit. 4. n. 34.*

Ex adverso consuetudo juri scripto aequiparatur ac legitime constitutae legis vim habet, *cap. fin. de cons. L. de quibus* §. *ex non scripto ff. de legib., Rigant. ad reg. 2.*) cancel.* §. *2. n. 107, S. C. in s. Severini Vocis in capitulo 14. Aug. 1824.* §. *Nullibi.*

Eo vel magis quum immemorialis sit qua nullus titulus melior afferri potest, ut ajunt, de toto mundo, ac proinde apostolici etiam beneplaciti praesumptionem secumfert, *L. hoc jure* §. *Diutius ff. de aqua quot., Rota in Barchinonen. Jurium paroch. 3. Mart. 1777.* §. *2. cor. Ratto, s. Cong. in Anagnina Nominationis 25. Januar. 1825.* §. *Animadvertendum.* Itaque jure in casu usum ultra hominum memoriam receptum sarctum tenendum esse inclamant alii ex Capitularibus nec vel minimum innovandum cum plerumque discordiam pariant novitates, *s. Cong. in Padic. 4. Novembr. 1767.* §. *7.* Et sane dissidiorum causam inde facile futuram ipse veretur Episcopus. Accedit quod Capitulares omnes in canonicatus possessione acquirenda juramentum emittunt de servandis nedum constitutionibus, sed etiam consuetudinibus, quare nefas esset modo illam consuetudinem directare, cujus observantiae sacramenti religione sese obstrinxerunt *ad text. cap. Si vero 8, cap. Cum contigat 28. de jurep., cap. Sicut mulieres eod. in 6.*

Quod si gravaminis aliquid referre possunt ex hac consuetudine Capitulares, hoc quidem non semper usuvenit; ac indiscriminatim hujus incommodi periculo omnes eodem modo subjiciuntur, adeo ut nemini ex incerto et communi eventu injuria fiat.

Dirimere EE. VV. dignabuntur dubium: *An et quomodo servanda sit consuetudo super turno missarum in Signina Cathedrali in casu?*

S. C. resp:

Affirmative in omnibus.

Die 1. Febr. 1840.

*) Vd. *t. II. p. 818.*

10) Celebrans tempore quo Episcopus celebrat.

Circa missas privatas, an possint Canonici eas celebrare tempore, quo Episcopus solemniter celebrat vel concionatur, extat decisio s. Congregationis particularis deputatae a Clemente XI in una *Casalen.* pro resolutione variorum dubiorum, inter quae erat dubium 18. ut sequitur: An Canonici valeant celebrare missas privatas in Cathedrali tempore quo Episcopus celebrat solemniter vel concionatur? die 11. Martii 1708. censuit: De tempore celebrationis servandum esse statutum ecclesiae, de tempore vero concionis negative. Et haec decisio et resolutio fuit a Sanctissimo per breve confirmata ut refert eminentissimus *Petra tom. 3. comment. ad constitut. 1. Nicolai III. num. 17.* et *comment. ad constit. 1. Urbani IV. n. 16*, qui dicit se (dum erat secretarius Concilii) fuisse deputatum secretarium dictae particularis Congregationis habitae una cum illustrissimis et reverendissimis DD. Nuntio Archiepiscopo Nicaeno et secretario s. C. Episcopo et Regul Inghirami secret. S. C. Immunitatis coram eminentissimo D. Cardinali Josepho Vallemano.

11) Chorus.

Vd. *Officium* (Oblig. Canonicor. in choro recit.) *Chorus; Canonicus* (quot sufficiunt etc.)

a) Dispensatio.

Vd. *Chorus* (absent.); *Jubilatio; Canonicus jubil.; Residentia* (dispens.)

b) Servitium praestare potest coadjutoria non obstante.

Vd. *Coadjutor.; Substitutus; Canonic. honorar.* (num substitutus.)

Asten.

Prae oculis habendum est, coadjutoriam dari dumtaxat pro servitio et necessitate ecclesiae, ne propter impedimentum coadjuti divinus cultus detrimentum patiatur, ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 7. de reform. Pignatell. tom. 4. Consult. 185. num. 3. in fin.* Dum autem coadjutus ecclesiae inservit et choro interest, cessare videtur causa cur etiam coadjutor eidem interesse debeat. Non enim prohibetur coadjutus, coadjutoria non obstante, per se ipsum choro et ecclesiae inservire, ut declaravit s. Congregatio in *Florentina Praeeminentiarum 9. Aprilis 1718* ad I. dubium:

Nec tenetur coadjutor servitium praestare nec peragere functiones de hebdomada ac de turno ad coadjutum pertinentes nisi in casu quo coadjutus nolit vel non possit ecclesiae et choro interesse sicuti definivit eadem s Congregatio *in d. Florentina Praeeminentiarum ad II. dubium.*

Die 26. Aug. 1780.

c) Servitium personale.

Vd. *Chorus* (oblig per se etc.); *Substitutus Canon.; Coadjutor; Missa convent.;* t. I. p. 668. a.

Licien.

Cantor Cathedralis Licien. aegre ferens nonnullos ex Canonicis recusare subire munia canonicalia ordinaria sub praetextu privilegii gradus doctoratus supplicavit provideri. Et s. Congregatio respondit: Gradum doctoratus in quavis scientia non eximere ab oneribus canonicalibus obeundis, sed munia canonicalia per ipsos graduatos peragi debere ac si non essent graduati.

Die 21. Junii 1632.

Placentina.

Quilibet dignitatis, canonicatus vel beneficii possessor in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis tenetur *per se ipsum* ecclesiae inservire, dummodo non sit legitime impeditus, veluti dicta non obstante transactione*) contra Canonicos viget adhuc resolutio hujus s. Congregationis edita *sub die 29. Martii 1710*, in qua proposito dubio: *An Canonici collegiatae ecclesiae s Antonii praebendas sacerdotales obtinentes teneantur in eorum respective hebdomada celebrare et canere missam conventualem etiam diebus ferialibus per se ipsos et non per substitutos?* responsum fuit: *Affirmative.*

Die 9. Aug. 1777.

Montis Politiani.

Quamquam Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* jubeat, ut Canonici *omnes divina per se et non per substitutos compellantur*

*) Vd. *t. I. p. 668 a.*

obire officia, attamen ex aequitate introductum est, ut qui sunt de capitulo possint se ad invicem substituere, ut declaravit s. Congregatio *in Eugubina 15. Decembris 1605 lib. 10. decret. p. 142.*

Die 4. Febr. 1804.

Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* praescribit, ut Canonici *omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia.* Nihilominus ex hoc decreto sublatam non fuisse facultatem substituendi alium in servitio chori declaravit s. Congregatio *in Eugubina 15. Decembris 1605. lib. 10. decret. p. 142.* Haec tamen facultas certis fuit circumscripta legibus. Scilicet dummodo Canonici ea facultate non abutantur, in *Aquilana 12. Decembris 1644. lib. 14. decret. pag. 265. et pag. 390*, dummodo non absint ab Urbe et a suburbiis, *in Alatrina 24. Martii 1612. lib. 11. decret. pag. 11.* et tandem dummodo Canonici honorarii*) non substituantur in servitio a Canonicis titularibus, *in Montis Politiani Servitii chori 4. Februarii 1804.*

Die 19. Julii 1806.

d) Servitium gratis per tempus praestans.

Vd. *Chorus* (consuetudo gratis etc.)

12) Clericus qui tantum est.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio nondum etc. t. II. p. 236. etc.); *Canonicus Cath.* (sacerdotio etc., ordinatio;) *Canonicus* (puer.)

(Non dispensatur.)

Civitatis Plebis.

Dominicus Felicis Oddi canonicatum in ecclesia cathedrali civitatis Plebis erexit sub invocatione s. Dominici cujus juspatronatus activum perpetuo ad proximiorem et seniorem de domo et familia ejusdem Felicis spectaret et passivum ad omnes de domo et familia fundatoris tum ex linea masculina quam foeminea descendentes pertineret iisque deficientibus, exceptis omnino advenis, devolveretur.

Cum beneficium istud sub die 17. Julii 1817 defuncto Canonico Joseph Luchetti vacaverit Vincentius Bocci uti proximus fundatori descendens per lineam foemineam et uti senior juxta testatoris voluntatem clericum Hieronymum Valentini de domo et familia ejus fundatoris ex latere foeminino nominavit nemine reclamante.

*) Vd. *Canonicus honorarius.*

Verum quum nominatus mutato consilio non amplius ecclesiasticae militiae nomen dare statuisset die 22. Junii 1821, dimisso jam habitu clericali, in Episcopi manus canonicatum renunciavit.

Episcopus statim patronos tam jure activo quam passivo gaudentes certiores fecit de sequuta renuntiatione, ut quam primum alium idoneum praesentarent. Hinc iterum Vincentius Bocci, ne tempus a lege praefinitum elaberetur, uti senior, cum neminem in familia et domo ex descendentibus fundatoris idoneum propter aetatem invenisset, sacerdotem Philippum Principe a familia extraneum nominavit.

Vix die elapso posteaquam ille in realem possessionem canonicatus immissus fuerat etiamsi facta fuisset publicatio ejusdem nominationis cum termino dierum quinque ad opponendum, comparuit Joseph Belli junior patronus, qui facta oppositione huic nominationi juvenem Aloysium Valentini adhuc saecularem qui nondum duodecimum expleverat annum nominavit, utpote qui esset ex passive vocatis a fundatore.

Sed cum in irritum ejus conatus cessissent, quia extra tempus in edictis constitutum ad opponendum comparuerat et ob defectum aetatis vi decreti Pro-Vicarii generalis ab institutione rejectus fuisset, SSmo obtulit preces, ut ex gratia consequi posset, quod justitia vetabat.

Petit igitur dispensationem ab aetate et facultatem suscipiendi tonsuram ab Episcopo Urbevetano, qui est Episcopus Originis, ut ita canonicatum assequi valeat.

De more Episcopum rogavi, cujus informationis verba partim habetis EE. PP. in facti specie, quam superius exposui, reliqua ita se habent.

Facta nominatione ait (a Canonico Bocci uti seniore) sacerdotis Philippi Principe hujus civitatis cum contra ejus mores et idoneitatem nihil esset opponendum, affixa fuerunt edicta ad dicendum contra tam in solitis locis hujus civitatis quam ad ecclesiam s. Venantii dioecesis Urbevetanae, ubi tunc temporis degebant clericus Hyeronimus Valentini, olim Canonicus, ejusque parentes et Joseph Belli.

Congruo tempore comparuerunt in actis cancellariae episcopalis idem D. Hyeronimus Valentini reassumpto habitu clericali una cum patre et nulla facta exceptione super

jure nominandi spectante ad Dominum Canonicum Bocci uti seniorem, solum negarunt secutam fuisse renuntiationem et instarunt, ne ulterius procederetur in collatione. Cum autem nominatus sacerdos Philippus Principe contenderet pro jam facta et valida habenda renuntiatione, instantes, ut se eximerent a subeunda lite, ratam habuerunt renuntiationem dummodo effectum sortiretur sub die 28. Februarii anni 1822; cui providentiae cum acquievisset sacerdos Principe, omnis contestatio interim finem habuit. Quare sub die 28. Februarii iterum renovata fuit ad majorem validitatem et jura juribus addendo nominatio Canonici Bocci favore ejusdem Philippi Principe iterumque facta fuit publicatio ejusdem nominationis cum termino dierum quinque ad opponendum: expirato tempore et nemine comparente sub die 5. Martii idem Philippus Principe constitutus fuit in realem et corporalem possessionem ejusdem canonicatus.

Eodem die post possessionem jam obtentam comparuit Dominus Orlandus uti procurator D. Josephi Belli junioris ex familia foeminea fundatoris et facta oppositione ad nominationem factam a Domino Canonico Bocci declaravit ad se spectare jus nominandi, nulla addita probatione et de facto nominavit Aloysium Valentini oratorem: Qua nominatione exclusa prodiit decretum Vicarii generalis (de quo superius memini).

Huic decreto nihil juridice oppositum fuit neque ex parte Joseph Belli nominantis neque oratoris nominati et hodie tantum legitur recursus in supplici libello in via gratiosa*) ad EE. VV. RR., qui remittitur.

Haec sunt, quae exaranda existimavi pro illustriore facti expositione, sicuti in actis apparet.

Fructus hujus canonicatus uti constat ex monumentis hujus cancellariae non excedunt summam 40 scutorum, juliorum decem pro quolibet scuto.

Onera autem imposita Canonico a fundatore sunt omnino sacerdotalia, scilicet celebrandi et canendi missas, quas omnes Canonici ordinatim celebrare tenentur et inserviendi choro alternative cum aliis aliasque functiones peragendi, uti ex particula supradicta fundationis.

Cum vero capitulum constet ex sacerdotibus partim longaevae aetatis partim infirmis, partim jubilatis, servitium ecclesiae vix haberetur, si admitterentur clerici, qui indigerent studiis et educatione. Hinc judicarem esse observandam mentem fundatoris, qui etiam in nominandis ex sua descendentia et familia statum sacerdotalem exegit.

Quibus praemissis quaerendum primo, utrum ex dispositione testatoris nominari debeat promotus aut proxime promovendus ad sacerdotium vel nominari possit etiam clericus. Juris indubii est, ut qui beneficium consequitur nisi secus cautum sit vel statuto vel lege fundationis intra annum suscipiat ordinem, quem cum beneficio conjunctum esse oportet, *cap. I. de aetat. et qualit. ordin. praefi. clemen. 2. eod.*

Ut igitur judicari tuto queat, num beneficium sit sacerdotale vel non, prae oculis habenda est theoria, quam primus omnium invexit *Abbas in cap.: Cum si cunctis §. inferiora num. 10. de elect.*, qui sic loquitur: Dupliciter potest ordo sacer esse annexus beneficio:

1. secundum aptitudinem, quia sufficit, quod ad illud promotus tempore suae promotionis sit habilis et talis, ut intra annum possit sacrum ordinem justo impedimento cessante ad beneficium requisitum suscipere.

2. Potest ordo sacer esse adnexus beneficio quoad actum et tunc necessario requiritur, ut promovendus ad beneficium tempore promotionis seu collationis illum ordinem actu habeat.

Ut autem sciatur, num ordo sit actu, an vero dumtaxat aptitudine beneficio adnexus, praecipue attendenda sunt verba fundationis, *Garzias de benef. part. 7. c. 5. num. 57, Fagnanus ad cap. Ut Abbas tit. de aetat. et qualit. ord.*

Ex verbis fundationis, quae superius exscripsi, videtur clare deduci non posse, quod praesentatus ad canonicatum debeat esse actu sacerdos, attamen ex postrema parte ejusdem fundationis, quae statuit che le messe si celebrino dal Canonico pro tempore nell' altare e capella de SSmo Rosario, inferri potest ordinem sacrum vel sacerdotium in praesentando saltem requiri respectu aptitudinis, videlicet ut is qui hoc canonicatu providetur sit in ea aetate, ut infra tempus a jure constitutum id est infra annum illum ordinem suscipiat.

*) Vd. *t. II. 419. v.*

S. haec Congregatio vero saepe eam tenuit sententiam, ut inducta non censeatur sacerdotalis beneficii qualitas, nisi per expressum praeceptum celebrandi per se ipsum, uti habetur in *Praenestina Canonicatus 16. Junii 1787. §. 5.*

Cum ergo in fundationis particula hoc onus expressum non inveniatur, sequitur, ut praesentandus aut instituendus minime requiratur, ut sit actualiter sacro presbyteratus ordine insignitus.

Verum animadvertendum est, aliquando licet expressum deficiat fundatoris praeceptum tamen ex verbis in personam beneficiati directis et ex aliis argumentis ab ipsa fundatione manantibus posse per aequipollens conjici fundatorem voluisse, ut onus celebrationis missarum per ipsummet capellanum et non per alium adimpleri debeat, ex quo sacerdotalis beneficii qualitas inducitur.

Videant Emi Patres, an posito in fundatione personali onere interessendi divinis officiis per verba illa »il peso, e l' obligo del Canonico cosi eletto sia di fare tutte le funzione, e celebrationi e servizio della chiesa cathedrale, e godere ec.« a pari personale censeri debeat praecedens onus celebrandi Sacra iisdem fere verbis conceptum.

Agitur vero in praesenti casu de oratore Aloysio Valentini, qui unicus est de familia ad juspatronatus passivum vocatus, sed cui obest defectus aetatis et insuper nominationis, utpote factae extra tempus patronis per ss. canones praestitutum. E contra Philippus Principe est in sacerdotio constitutus, nominatus intra legitima tempora a seniore de familia, cui a fundatore jus praesentaudi concessum est et qui jam, nullo opponente, canonicatus possessionem nactus est.

Favet autem Aloysio passivi vocatio contra Philippum a familia extraneum, quo in casu facile concedi solet dispensatio super aetate, etiamsi agatur de canonicatu cathedrali, ut respondit s. Congregatio in *Monasterien Canonicatus 7. Aprilis 1753* et *Balneoregien. Dispensationis 21. Junii 1760.*)*

At favet Philippo contra Aloysium jus jam quaesitum ex legitima praesentatione. Nec unquam concedi solet dispensatio in praejudicium alterius praesentati et legitime jam instituti, ut de patrono extra terminum edictorum comparente tradit *Card. de Luca de jurepatr. dis. 45.* Quin imo patroni a fundatore vocati, scientes vacationem beneficii et publicationem edictorum nec comparentes intra eorum terminum vel saltem intra quadrimestre ante institutionem, censentur consentire praesentationi alterius patroni et pro illa vice juri suo renunciare, ut tradit *Lambertin. de jurepatr. p. 2. quaest. 6 art. 27.*

Dignentur Emi Patres respondere

Dubiis:

I. *An sit concedenda dispensatio super aetate favore Aloysii Valentini in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sustineatur nominatio sacerdotis Philippi Principe ad canonicatum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative.

Die 22. Febr. et 23. Mart. 1823.

*) Vd. *t. I. p. 279. etc.*

13) Consiliarius natus Episcopi.

Vd. *Canon. Cath.* (Canonicus qui etc. p. 357; senatus Episcopi etc.); *Constitut. synodales* (consensus capit.)

Nucerina.

Testatur *Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. 13. cap. 1. §. 5.* hisce verbis: »Profecto ambigi non potest, quin etiam hodie jure decretalium Canonici sint consiliarii nati Episcopi adeo ut non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi et deliberare inconsulto capitulo.«

Dubium quod attinet an scilicet leges in synodo dioecesana latae, capitulo prorsus inscio, obligent et num in themate requisitum necne fuerit capitulum negant Validenses clerici. Quoad jus notissimi sunt textus in *cap. Novit de his quae fiunt a praelato* et in *cap. Quando ibidem*, ex quibus conclusum definitumque est ab hac s. Congregatione, ut caetera mittam, Episcopum in synodo dioecesana per se constitutiones facere posse, requirendum tamen consilium capituli, ut videre est *in Burgen 5. Julii 1557. lib. 13. decretorum pag. 267.* Et sane quamquam penes Episcopos praecipua semper fuerit in ecclesiae regimine auctoritas, nihilominus ab ipsis ecclesiae primordiis fuit et praesbyterorum et diaconorum ordo, et coetus, quorum consilio atque opera Episcopi in ecclesiae regimine uterentur. His porro juxta hodier-

nam ecclesiae disciplinam Canonicos ecclesiae cathedralis successisse nemo est, qui ignoret. Verum tametsi haec sit ecclesiae mens, ut Episcopi in ecclesiarum administratione arduisque negotiis consilio Canonicorum utantur, illud tamen sequi non tenentur nisi in casibus a jure expressis, quos refert *Barbosa in tractat. de Canonicis cap. fin.*

Die 20. Decbr. 1818.

14) Curam animarum exercens.

Vd. *Cura animarum* (exercenda a Cathedralibus); *Canonicatus* (fructus percipiendi tempore absentiae propter confessiones p. 197.); *Chorus* (absentia propter confessiones etc.); *Canonicus* (curatus, confessarius, parochus)

Ad dub.: An liceat Episcopo cogere Canonicos ad exercendum per se ipsos aliquos actus curae intra annum?

S. C. resp.

Negative et amplius.

Die 24. Maji 1710 ad 2. *Assis.*

15) Diaconus et subdiaconus.

Vd. supra n. 8. p. 365.

16) Doctor esse debet.

Vd. *t. I. p. 1082.* decr.: *Montisfalisci*; 1063. n. 8; supra p. 296. n. 18. *Praebenda theolog.* (doctorat.); p. 379. *Licien*; t. I. 1063. n. 8.

Sixtus IV. Episcopus.
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.
Ecclesiae Metropolit. Coloniensi.

Creditam nobis desuper regendae militantis ecclesiae providentiam exsequi Deo adjuvante cupientes ad ea libenter intendimus ut debemus per quae singulae orbis ecclesiae praesertim metropolitanae insignes et famosae, personarum utilium fulcitae praesidiis, ad Altissimi laudem et gloriam condignis honoribus et venustatis proficiant incrementis eorumque bona et jura a quorumque occupatione observari valeant illaesa.

Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Frederici Romanorum Imperatoris semper Augusti nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ecclesiae Coloniensis insignis Metropolitanae, cujus s. Maternus s. Petri discipulus primus praesul extitit, adeo inclyta et praeclara existit, quod nulli nisi illustres et magni nobiles, qui ex sextodecimo adscendente et ex illo gradatim descendentibus nobilibus antecessoribus suis recta linea sunt procreati, illius canonicatus et praebendas assequi possent, octo canonicatibus et praebendis totidem dumtaxat exceptis, quorum duo pro graduatis in universitate studii Coloniensis reservati existunt, reliqui vero per ignobiles et plebejos, frequentius quoque per humiles personas aut familiares quorundam Canonicorum dictae ecclesiae recipi procurantur, seu rudes et indoctos, qui illos vigore gratiarum expectativarum ipsis concessarum assequuntur. Et quod valde decori et utilitati dictae ecclesiae et jurium illius conservationi, necnon qualitatibus et praeeminentiae nobilium Canonicorum praedictorum convenire videtur, quod dictae octo praebendae dumtaxat per viros illuminatos et scientia praeditos etsi non carne, scientia tamen et virtute nobilitatos, quorum prudentia et consilio dicta ecclesia, quae destituta et depauperata existit, sua recuperare posset, dumtaxat obtineantur, prout in nonnullis alemannicae nationis ecclesiis tam ex statutis quam ex laudabilibus consuetudinibus, quae per nonnullos romanos Pontifices Praedecessores nostros confirmata fuerunt, hactenus observatur.

Quare pro parte ejusdem Imperatoris, qui ad ecclesiam ipsam specialem gerit devotionis affectum, nobis humiliter fuit supplicatum, quod de caetero perpetuis futuris temporibus dicti sex canonicatus et praebendae, dum pro tempore vacaverint in quibuscumque mensibus, per dilectos filios Decanum et capitulum ecclesiae doctoribus vel licentiatis in theologia aut in utroque vel altero jurium, qui cum vigore examinis in universitate alicujus studii, loco in quo illud viguerit, generalis promoti fuerint, dumtaxat conferri debeant et de illis provideri.

Nos igitur qui dictae ecclesiae splendorem et venustatem appetimus hujusmodi petitionibus inclinati auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa nostra scientia statuimus et ordinamus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus praedicti sex canonicatus et praebendae, non ignobilibus plebeis humilibusque personis et familiaribus praedictis sed dumtaxat doctoribus et licentiatis in theologia vel altero jurium in aliquo studio generali cum vigore examinis dumtaxat conferri possint et debeant.

Datum anno 1482.

(Bull. r. t. IX. p. 283. Ed. Luxbg.)

Lucana.

Praesbyter Aloysius Marchetti olim religiosus professus in ordine s. Hieronymi congregationis Pisanae sedulam navavit operam disciplinis philosophicis atque theologicis et postquam a procuratore generali ordinis fuit laurea insignitus cathedram philosophiae in civitate Urbini, theologiae hic in Urbe exercuit. Ex indulto apostolico habitum regularem dimisit et facultatem consequendi beneficium saeculare etiam cum annexa cura animarum impetravit. Nunc ex collatione apostolica prioratum et canonicatum cum eo conjunctum obtinuit in parochiali et collegiata ecclesia B. M. V. in coelum assumptae di Camajore Lucensis dioecesis et in literis apotstolicis ea interposita est conditio, ut doctoratum in aliqua approbata universitate susciperet. Cum vero universitas quae in civitate Lucensi instituta est non habeat privilegium conferendi lauream et alio se conferre ut doctoratum suscipiat Marchettus impeditus sit expensis quibus non est idoneus supplicavit Sanctissimo, ut a suscipienda laurea dispensaretur. Precibus hujusmodi ad s. hanc Congregationem delegatis rogata est sententia Archiepiscopi audito capitulo, qui affirmat non abhorrere a veritate quae asseruit, scilicet non posse in hac universitate lauream doctoralem obtinere, cum hoc privilegio nondum gaudeat, nec alibi sine gravi et notabili dispendio, ac ideo cum satis praefata testimonia et experimenta scientiae necessariae ad suum munus rite et laudabiliter peragendum aeque ac ad sustinendum dignitatis suae decus praeditum esse demonstrent, capitulum assentitur libenter, ut a conditione in bullis apposita lauream suscipiendi benigne a summo Pontifice absolvatur.

Sane *Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform.*)* hortatur, ut in provinciis ubi id commode fieri potest dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico; quare cum Concilium hortetur, non praecipiat, non est omnino necessarium, ut dignitates doctoribus conferantur ut notat *Gallemart. adnot. ad Concil. Trident. loc. citat. num. 24.* Quare cum ex jure necessarium non sit, facilius indulgenda videtur dispensatio ab hac doctoratus conditione, quae in literis apostolicis praescripta est, si congrua subsit causa, cur dispensatio hujusmodi concedatur.

Idcirco vero haec praescribitur conditio, ut dignitates, quae ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerant institutae, conferantur iis, qui aliis exemplo essent atque Episcopos opere et officio juvarent et suo muneri respondere possent ut monet Tridentinum citat. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Cum vero orator Marchetti teste Archiepiscopo talis sit, ut scientia poleat et munus rite obire et dignitatem laudabiliter sustinere possit, profecto idonea causa ad indulgendam dispensationem esse videtur, quod jam ipse habeat qualitates doctoris et lauream consequi non possit sine magno dispendio, cui est impar. Archiepiscopus et capitulum assentitur petitae dispensationi. Vestrum erit deliberare:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a suscipiendo doctoratu in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 11. Apr. et 2. Maji 1807.

---

*) Heic non erit inopportunum haec animadvertere. Doctoris titulus, quem Patres Tridentini magno pretio habuerunt, ita ut gradus Doctoris in scientiis ecclesiasticis acquisitus secum ferret quaedam eximia ecclesiastica jura, pedetentim, maxime nostra aetate, vim suam amisit. Et dum prius hic titulus tantam haberet realem significationem, hodie tamen nullo fere in pretio habetur: eumdemque Doctoris gradum facile omnes qui velint consequuntur. Hoc factum duas praecipuas significationes habere potest, idest, vel studia scientiarum adeo profecerunt ut singuli ingenio et labore ad eum Doctoris gradum praesenti aetate pertingant, ad quem non multi tempore Concilii Tridentini pertingebant: vel e converso scientiarum studia adeo depressa neglectaque sunt, ut omnibus qui velint facile sit in iisdem scientiis ea specimina dare, quibus Doctoris titulum mereantur.

Cum secunda haec significatio in plerisque saltem locis vera sit, consequitur non posse rite aptari eas juris regulas, quae tempore Tridentini Concilii constitutae de Doctoribus sunt. Et haec mihi videtur causa, cur s. Congregatio Concilii in applicatione Tridentini decreti de electione Vicarii capitularis, dum in antiquioribus resolutionibus firmiter inhaesit dictae dispositioni, decursu temporis aliquid ejusdem firmitatis in praeferenda Doctoris qualitate in Vicario capitulari et Canonico remississe visa est.

17) Domos canonicales Canonici inhabitantes.

Vd. infra: *Fabrian.*

Urbanus III. Episcopus
Servus Servorum Dei.

Venerabili fratri R. Episcopo et dilectis filiis Decano et capitulo Carnotensi salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus et audientes nequivimus non mirari, quod laici quidam in claustro vestro domos jure haereditario possidentes tales personas plerumque admittunt, per quas clericorum quies inhonesto strepitu saepe turbatur et devotio populi ne divinis intendat officiis praepeditur, jaculatoribus quidem aleatoribus, cauponibus et mulieribus turpibus praescriptae domus de consuetudine prava locantur.

Volentes igitur communi ecclesiae honestati consulere auctoritate apostolica prohibemus, ne domos canonicales ulterius laicis, per quos honestati ecclesiasticae derogetur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constituimus etiam de domibus, quas laici in claustro jure haereditario tenent si eas in personis propriis cum honesta familia exclusis mulieribus turpibus inhabitare noluerint, ut nonnisi clericis vel personis regularem vitam professis gratis vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 18. Februarii 1186.

(Bull. r. t. III. p. 38. Ed. Aug. Taur. 1858.)

18) Erectionis secundae vel novae.
(Distrib., Emolum., Jura, Honores.)

Vd. tom. III. p 154. II.; p. 163: *Viterb.*; p. 170: *Sabinen.*; *Distributiones*; *Canon. Cath.* (Vox etc. — jus quibus est? decr.: *S. Miniati*); t. I. p. 726. VIII; *Canon. honorar.* (praesentia in comitiis etc.)

Fabrianen.

Canonicorum collegium in parochiali nunc in cathedrali ecclesia Fabriani existens communi antiquitus victu mensaque utebatur ejusque nedum Canonici sed et capellani et clerici participes erant. Hanc tamen vivendi rationem ob graves, qui pedetentim irrepserant, abusus abrogavit Clemens VIII. sanxitque leges, quibus Fabrianensis ecclesia regeretur. Hujusmodi sanctiones exhibet ejusdem Pontificis bulla anni 1505, quae incipit *Romanus Pontifex.* Valde frequens olim erat Canonicorum collegium, eo autem tempore octo constabat Canonicis, quorum unus dignitate Prioris ceteris antecellebat; hinc Pontifex constituit, ut subductis ex censu mensae capitularis necessariis expensis pro divino cultu et fabrica ecclesiae ac pro stipendio capellanorum, clericorum aliorumque inservientium, *residuum et omne quidquid supererit, una cum illis quadragintaquinque salmis grani, quae ad hoc usque tempus solitae erant inter Priorem et Canonicos in modum distributionum quotidianarum dividi, aequaliter distribuatur divisioque et distributio massis, vesperis et aliis canonicis horis praedictis ita fiat, ut distributiones hujusmodi cursu totius anni totum absorbeant, quod ex dictis quadraginta quinque salmis grani ac ex eo quod deductis expensis praedictis ut praefertur supererit, salva tamen ex reservata duplici portione decem videlicet salmarum grani ex predictis quadraginta quinque pro eodem Priore, qui illam habere solitus fuit; pro qua quidem portione Prior ipse duplici punctaturae subjiciatur; in reliquis vero distributionibus, videlicet in eo quod ut supra supererit idem Prior nihil magis habeat vel praetendere possit, quam unus ex Canonicis, ita quod praebendae ipsorum Prioris et Canonicorum libere et absque ullo punctandi seu alio onere vel subjectione, prout hactenus observatum extitit, remaneat.* Punctaturas vero aliosque redditus proficiscentes ex absentia vel defectu tam Prioris et Canonicorum quam capellanorum, clericorum aliorumque inservientium inter Canonicos dividi prohibuit ac in fabricam ecclesiae et in usum sacrarii conferri jussit.

Canonicorum numerus postmodum adauctus est ex pia fidelium largitione, qui peculiares praebendas constituerunt, adeo ut in praesens octo numerentur Canonici primae erectionis, quos vocant *de massa*, ac sex secundae erectionis; vetustate praecedit canonicalis praebenda anno 1727 a Hieronymo Corradini instituta. Hujus canonicatus erectionem libenter probarunt Canonici primae erectionis.

Duos alios canonicatus insequenti anno 1728 fundavit Comitissa Maria Piccinini su-

umque Canonici primae erectionis praebuerunt assensum*) con condizione che detti nuovi Canonici non debbano entrare in massa, nè partecipare delle messe della tabella. Atque eisdem ferme legibus acceptam habuere Canonici reliquarum praebendarum fundationem. Quamobrem in capitularibus constitutionibus anni 1740 accedente Episcopi approbatione sancitum est, ut Canonici secundae erectionis iisdem fruerentur juribus ac privilegiis, *praeterquam quoad ea quae ad mensae seu massae capitularis et adnexorum administrationem et dispositionem pertinere noscuntur: in adjutorium enim advenientes antiquioribus operariis in hac vinea Domini laborantibus, certa propriarum praebendarum merce conducti, hac contenti erunt, ne destinata jampridem aliis stipendia decrescant.*

Hujusmodi constitutionum ac vetustissimae in Fabrianensi ecclesia consuetudinis primus omnium nuper oppugnator extitit sacerdos Placidus Guerrieri Canonicus secundae erectionis, qui sui suorumque collegarum nomine querelas ad hanc s. detulit Congregationem. Quamquam enim Canonicos primae erectionis titulo praebendae salmas quadraginta quinque jure suas facere posse ultro libenterque non diffiteantur Canonici adjuncti, nihilominus reliquos mensae capitularis fructus in quotidianas distributiones ex constitutione Clementis VIII. convertendos inter Canonicos omnes aequa dividi lance oportere contendunt.**) Pari similiter pollere jure Canonicos universos iidem arbitrantur, ubi agitur de negotiis, quae mensam capitularem, ecclesiam, sacrarium, electionem officialium, capellanorum aliorumque inservientium et admissionem canonicatuum capellaniarumque spectant, in capitularibus comitiis per suffragium expediendis ac definiendis, veluti fusius liquescet ex dubiis in calce hujus folii describendis ac utraque adstante parte concinnatis.

Et quod pertinet ad quotidianas distributiones ex capitulari mensa proficiscentes adeo certum exploratumque Canonici adjuncti suum autumant jus, ut abusum et corruptelam praedicent, quiquid Canonici primae erectionis caverint in admittendis novis canonicatibus, sanciverint in capitularibus constitutionibus ac postmodum servare ausi fuerint. Etenim Clemens VIII. in constitutione *Romanus Pontifex*, quam ad malos, qui jam inoleverant, penitus destruendos usus edidit, quaeque in dispertiendis ecclesiae fructibus, ceteris omnibus posthabitis, omnino custodiri debet, ita redditus ecclesiae partitus est, ut sarta tecta Priori et Canonicis praebenda consisteret in salmis frumentariis quadraginta quinque, reliqui autem fructus *dictae mensae seu massae communis in distributiones quotidianas inter servientes et officiis interessentes in dicta ecclesia pro cujusque servitii rata distribuendas ac per eos lucrandas convertantur*. Nedum itaque Canonici primae erectionis sed etiam Canonici adjuncti pro cujusque servitii rata sunt quotidianarum distributionum ex communi mensa provenientium participes reddendi, nam et ipsi aeque ac illi divinis laudibus intersunt, missam conventualem celebrant, Sacris operantur aliaque choralia perferunt onera. Porro si ferendi non sunt qui lucrum quidem amplectuntur, onus autem ei annexum respuunt, nec etiam ferendi sunt Canonici primae erectionis qui integras distributiones quotidianas amplectuntur nec eas pro rata servitii lucrari sinunt Canonicos secundae erectionis, qui similiter pondus ferunt diei et aestus. Praeterea alia extant bona cathedrali ecclesiae unita aut ex pia fidelium largitate relicta et a communi mensa penitus sejuncta, in quorum partem vocandi sunt Canonici adjuncti; cum enim Fabrianense capitulum tum ex veteribus tum ex novis constet Canonicis, quidquid post horum erectionem capitulo addictum relictumve est etiam novae erectionis Canonicis tributum censetur proindeque inter omnes pro ratione servitii diribeatur necesse est, *Piton. de controv. patron. alleg. 65. n. 27, Card. de Luca de Canon. disc. 6. n. 12, s. Congreg. in s. Miniatis Jurium et praeeminentiarum 24. Novembris 1827. §. Quod.*

Vindicati sibi hac methodo jure in mensam capitularem et in cetera ecclesiae bona coaequatisque omnium Canonicorum juribus et privilegiis propitium emin. Patrum judicium super reliquis quaestionibus, quae jus ferendi suffragii respiciunt, facile sibi blandiuntur Canonici adjuncti. Et sane quum Canonici sive veteris sive novae erectionis capitulum constituant, cuncti tamquam veri habendi sunt Canonici*) iisdemque frui debent juribus ac privilegiis; illud

*) Vd. *p. 170.*
**) Vd. *p. 177. II,*

*) Vd. *p. 357. n. 5.*

enim canoniae*) proprium est ut Canonicis tribuat aequale jus vocis quoad omnia, quae in capitulo fiunt et collegialiter expediuntur, ut post *Fagnan. in cap.: Cum de constit. n. 26* docet s. Congregatio *in Senen.***) Vocis in capitulo 27. Februarii 1768.* §. *Addunt* et in *Pisana Electionis 19. Septembris 1818.****) §. *Porro.* Quin itaque naturae canoniae et dispositioni sacrorum canonum vulnus infligatur, denegari non potest Canonicis adjunctis Fabrianensis ecclesiae (ita eorum defensor) vox activa et passiva in electione officialium capituli ac jus ferendi suffragium tam in absolvendis universi capituli et ecclesiae negotiis quam in erigendis novis canonicatibus ac in eligendis capellanis, clericis aliisque capituli ministris.

At vero Canonici primae erectionis acriter tuentur, Canonicos adjunctos neque ex Clementina constitutione neque ex jure canonico sibi vindicare posse deliberationem quotidianarum distributionum ex mensa capitulari proficiscentium. Enimvero Clemens VIII. id unum statuit, ut quotidianae distributiones inter Priorem et Canonicos pro ratione servitii diriberentur, scilicet inter Canonicos, qui capitulum eo tempore constituebant, eorumque successores; nam de canonicatibus in posterum erigendis nihil in ejus bulla cautum legitur. Jure autem canonico tum solum Canonicis noviter erectis licet quotidianas distributiones communis massae et emolumenta ex legatis ante eorumdem institutionem relictis lucrifacere, quando ad eorum delibationem a capitulo sponte admissi fuerint, *Card. de Luca de Can. disc. 6. n. 13, s. Congr. in s. Miniatis 9. Febr. 1822* §. *E contrario* et in *s. Miniatis Jurium 24. Novembr. 1827.* §. *Quod*, vel saltem eorum fundatoris aequam portionem in massam distributionum contulerint, ut respondit *Rota coram Emerix. dec. 272. n. 2.* et haec s. Cong. in *Imolen. Distributionum 8. Maji 1773 ad I. dub.*

Jamvero fundatores canonicatuum secundae erectionis ne obolum quidem in massam distributionum contulerunt et Canonici primae erectionis ea prorsus lege assensum praebuerunt, *che i nuovi Canonici non doverso entrare in massa, nè partecipare delle messe della tabella.* Hisce accedunt constitutiones capitulares anni 1740 et perennis ad haec usque tempora consuetudo, quae Canonicos adjunctos ab asserto jure penitus repellunt, *Rot. in recent. dec. 720. n. 3. part. 3.* et *364. n. 16. part. 18*, eosque vel invitos adigunt, ut peculiaribus praebendis, quas instituere fundatores, *Castren. consil. 170. n. 1, Gratian. discep. 867*, atque emolumentis, quae ex funeribus, anniversariis aliisque similibus sacris functionibus proveniunt quaeque ipsi, nemine obsistente, jam lucrantur, omnino contenti sint.

Illud quoque exinde plane confici putant Canonicos adjunctos jure suffragii minime donandos esse in iis capitulis, quae respiciunt administrationem reddituum mensae capitularis, ecclesiae et sacrarii aut electionem officialium, qui eorumdem reddituum procurationem gerunt; hujusmodi siquidem bona ex censu mensae capitularis proveniunt neque Canonici adjuncti aliena bona administrare ac sese negociis non suis immiscere debent, *s. Cong. in Eugubina Erectionis canonicatuum 26. Martii 1763* et in *Tolentina Archipresbyteratus 1. Februarii 1766.* Et novissime in cit. *s. Miniatis 15. Decembr. 1827* proposito dubio: *An et in quibus negotiis Canonicus theologus gaudeat voce activa et passiva?* rescriptum prodiit: *Affirmative in omnibus, exceptis negotiis respicientibus massam communem et bona ad capitulum spectantia ante eretionem praebendae theologalis.*

Idque praesertim in praesenti casu vim suam exerere debet, quia capitularibus constitutionibus sancitum est, Canonicis adjunctis communia esse debere aliorum Canonicorum jura, praeterquam quoad ea, quae ad mensae seu massae capitularis et annexorum administrationem et dispositionem pertinere noscuntur.

Nec aliter sentiendum putant de electione capellanorum ac de admissione aut dimissione clericorum, quibus stipendium solvitur sumptibus mensae capitularis, itemque de erectione canonicatuum aliarumque praebendarum, quae in detrimentum Canonicorum primae erectionis vertere queunt; isti enim impendia suppeditant pro sacra suppellectili comparanda ac pro tuenda ecclesia et sacrario.

Haud igitur convenit, ut Canonici primae erectionis suffragio eorum quorum nihil refert inutilibus aliquando sumptibus inviti

*) Vd. *p. 47.*
**) Vd. *Canon Cathedr.* (vox etc.)
***) Vd. *p. 64. a.*

graventur. Denique centenariam invocant consuetudinem quae in controversiis omnibus ac praecipue in quaestionibus jurium et privilegiorum maximi aestimanda est ponderis, *Pignatel. consult. can. 25. n. 2. tom. 10, s. Cong. in Casertana 2. Augusti 1823* et in *Nullius Sublacen. 29. Januarii 1825. §. Jam.*

Reliqua habent Emi Patres ex allegationibus ab utriusque partis defensoribus circumferendis, ut dirimere possint

Dubia:

I. *An Canonici secundae erectionis jure polleant lucrandi distributiones quotidianas aliaque emolumenta, quibus fruuntur Canonici primae erectionis in casu?*

II. *An iidem Canonici interesse ac suffragium ferre possint in capitulis, in quibus agitur de redditibus ad Canonicos tantum primae erectionis spectantibus in casu?*

III. *An vocem habent in iis capitulis, quae respiciunt reliquos ecclesiae et sacrarii redditus in casu?*

IV. *An gaudeant voce activa et passiva in electione officialium capituli in casu?*

V. *An polleant jure suffragii in erigendis novis canonicatibus et capellaniis in casu?**)

VI. *An suffragium ferre valeant in electione capellanorum et in admissione aut dimissione clericorum ecclesiae inservientium in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Negative.

Ad III: Negative in omnibus exceptis negotiis respicientibus bona capitulo generatim relicta post erectionem canonicatuum adjunctorum.

Ad IV: Negative quoad officiales massae capitularis, in reliquis affirmative.

Ad V: Affirmative.

Ad VI: Negative quoad eos, qui stipendia ex massa communi percipiunt.

Die 8. Aug. 1829.

Contin. Fabrianen.

Jamvero duabus hisce postremis decisionibus adversam postea extitisse Canonicorum primae erectionis agendi rationem queruntur Canonici adjuncti, adeoque novas huic s. Congregationi preces exhibentes nonnulla ad ostendendam suorum jurium laesionem detulerunt.

Referunt inprimis, Canonicis de massa proprio marte et plane inconsultis Canonicis adjunctis ea omnia statuisse, quae ad novi cujusdam canonicatus erectionem pertinent. Rei autem species ita se habet. Jacobus sacerdos Braccini die 20. Februarii 1821 duas obtulit canonicales praebendas post obitum suum in cathedrali ecclesia Fabrianensi instituendas. Quamobrem soli Canonici de massa in capitulum coiverunt eorumque obtenta consensione solemnes instrumenti tabulae die 16. Julii ejusdem anni conditae sunt. Sed lapsu temporis factum est, ut suam hujusmodi voluntatem ipsius fundator immutaverit nec nisi unum revera canonicatum postremo, quo decessit, elogio die 15. Februarii 1826 erigendum jusserit. Acerrima igitur lite cum testatoris heredibus oborsa ea fuit s. m. Leonis XII. mens, ut tota controversia apud rev. fabricam s. Petri oeconomicam agitaretur. Re interim incepta die 28. Aprilis 1827 Canonici adjuncti coram hoc s. Ordine adversus Canonicos de massa cum multis de rebus tum etiam de suffragio ferendo in erectione novorum canonicatuum dimicare institerunt.

Hinc apud reverendam fabricam s. Petri Canonici adjuncti sine mora professi sunt, ne jam inita negotii Braccini pertractatio ulterius pergeret, donec sententiam suam haec s. Congregatio de jure suffragii declarasset. Nihilominus transactio cum heredibus Braccini a praefato s. Tribunali concinnata fuit eademque a Canonicis de massa in capitularibus comitiis diei 21. Aprilis 1827 ad trutinam vocata et die tandem 19. Maji 1828 penitus admissa est. Dein, quum die 8. Augusti ejusdem anni 1829 praecitata hujus s. Ordinis decreta prodiissent super controversiis inter Canonicos de massa et adjunctos excitatis, haeredes Braccini die 17. Julii 1830 a s. m. Pio VIII. per R. P. D. secretarium reverendae fabricae s. Petri rescriptum impetrarunt, quo composita de uno tantum canonicatu erigendo concordia adprobatur itidemque committebatur Episcopo Fabrianensi, ut concordiam ipsam publico instrumento mandandam curaret. Hac itaque de re Canonici adjuncti proximo elapso Septembri 1830 querelas suas ad hanc s. Congregationem deferebant. Die autem 10. ejusdem Septembris solemnem in curia episcopali protestationem emiserunt.

*) Vd. *p. 170. VI.*

In supplici enim vero libello inquiunt Canonici adjuncti, eos omnes, qui ex literis apostolicis canonicatu insigniti fuerint et chorali stallo inter alios Capitulares recepti, tamquam veros Canonicos illico omnibus juribus et privilegiis, quibus ceteri quantumvis anteriores fruuntur, debere frui ex jure canoniae, cujus proprium est Canonicis tribuere aequale jus vocis quoad omnia, quae in capitulo fiunt et collegialiter expediuntur ut *post Fagn. in cap.: Cum de const. n. 26.* docet s. Congregatio *in Senen. Vocis in capitulo 27. Februarii 1768. §. Addunt* et in *Pisana Electionis 19. Septemb. 1818 §. Porro.* Ubi igitur ab anno 1727 Canonicis de massa libuit Canonicos adjunctos recipere, nullam jurium et privilegiorum distinctionem sibi inter eos inesse posse contendunt, quippe qui cum Canonicis de massa unum idemque corpus capitulare efficiunt et absurdum fore innuunt, si in una eademque ecclesia cathedrali duo diversa capitula deprehendantur. Quare si ab anno 1827 etiam post aliquot canonicatuum adjunctorum erectionem Canonici de massa perseveraverint per se soli suffragium in novis admittendis ejusdem generis canonicatibus ferre, id omnino per abusum contigisse adfirmant adjuncti, nec ullum propterea legitimum jus exinde posse exoriri. Denique ab anno 1748 ad annum usque 1821 haud alia unquam canonicalis nova praebenda capitulo Fabrianensi oblata est: adeoque praetensum suffragii ferendi usum tam longo temporis spatio intermissum Canonicis de massa plane interiisse opinantur. Ergo concludunt Canonici adjuncti, irritas ac nullius prorsus momenti faciendas esse Canonicorum de massa resolutiones die 20. Februarii 1821, 21. Aprilis 1828 et 19. Maji 1829 sine eorumdem adjunctorum Canonicorum suffragio pro exequenda testatoris Braccini voluntate capitulariter latas.

Atqui haec omnia luculentissime refragantur decreto hujus s. Ordinis ad VI. dubium dato sub die 8. Augusti 1829, quia nimirum neuter ex memoratis capellanis stipendium habet sive redditum ex massa communi percipiendum: suorum proinde jurium tuitionem ab EE. VV. Canonici adjuncti vehementer implorant.

Sed Canonici de massa, quorum animadversiones Episcopus Eabrianensis pro informatione et voto de more rogatus ad hunc s. Ordinem transmisit, illud prae caeteris expendendum proponunt, quod ipsi se in superiori causae propositione anni 1829 legalibus rationum momentis probandum omisisse fatentur. Idoneis scilicet documentis ex capitularium resolutionum albo desumptis liquido nunc probant, unius tantummodo capituli de massa suffragium in admittendis novis canonicatibus ferri semper consuevisse, idque vel ab anno 1727, quo anno primus ex Canonicis adjunctis institutus est, ita constanter ad haec usque tempora fuisse servatum, ut nemo unquam ex iis capitularem vocem in successivis novorum canonicatuum erectionibus sibi arrogare contenderit. Quocirca ut Canonici adjuncti in erigendis novis canonicatibus etiam inposterum suffragii jure careant Canonici de massa consuetudinem sibi favere non dubitant, quae in controversiis omnibus ac praecipue et in quaestionibus jurium et privilegiorum maximi fieri debet, *Pignatell. consult. can. 25. num. 2. tom. 10, s. Congreg. in Nullius Sublacen 29. Januarii 1825. §. Jam,* eamdemque centenariam ac legitime inductam sustinent, qua omnia jura praescribuntur, *Auth. quas actiones cod. de s. eccles., Fagnan. in cap.: Consuetudines de consuet. num. 9, s. Congreg. in Perusina Capellaniae 24. Novembris 1827 §. Catharina* et in *Gallipolitana 15. Martii 1828. §. Neminem.* Verumtamen nisi ea in re putaverint EE. VV. recedendum esse a decisis in V. dubio Capitulares de massa pro certo habent, privativum saltem suffragium sibi reservandum fore ut exclusis Canonicis adjunctis ipsi libere possint de iis conditionibus decernere, quibus novum quemlibet canonicatum admitti et erigi deceat. Ejusmodi enim conditiones quae ad sacra praesertim suppellectilia, aedes canonicas, sacerdotales vestes in solemnibus Pontificalibus induendas atque alia sumptuum genera referuntur, unice profecto attinent ad Canonicos de massa, qui aliquid inde detrimenti capturi sunt, minime vero ad adjunctos, qui nihil incommodi, sed plurimum potius utilitatis ex novorum canonicatuum admissione aliquam nempe onerum imminutionem hauriunt. Qua in re Canonici de massa eo etiam magis se voti sui compotes fieri cupiunt, quod cum ipsi *octo* semper futuri sint numero et jam *septem* Canonici adjuncti recenseantur atque adhuc possint in posterum augeri, periculum sane foret, ne in novarum erectionum conditionibus capitulariter statuendis sententia Canonicorum

de massa, quorum unice interest, adversariorum suffragiis obruetur.

Neque satis esse putent Canonici de massa quod ad VI. dubium die 8. Augusti 1829 decreverit s. Congregatio, Canonicos adjunctos ferre non debere suffragium *in electione capellanorum et in admissione clericorum ecclesiae inservientium, qui stipendia ex massa communi percipiunt.* Etenim in cathedrali ecclesia Fabrianensi capellaniae, quae ante erectionem canonicatuum adjunctorum institutae sunt, probe secernuntur ac distinguuntur ab iis, quae post eorumdem canonicatuum fundationem extiterunt. Porro quotiescumque nominandum fuit ad hujusce postremi generis capellanias, Canonici adjuncti numquam a ferendo suffragio exclusi fuerunt, nec sane excludenter, nisi fortasse nominationis jus solis Canonicis de massa ex testatorum voluntate relinquatur. At jus nominandi ad alterius generis capellanias, quae quatuor sunt *(Locatelli* anno 1663, *s. Anatoliae* anno 1468, *Graziosi et s. Laurentiae* anno 1649. erectae), quum institutionem canonicatuum adjunctorum anno 1727 primitus exorsam longe praecesserint, a se solummodo constantissime fuisse exercitum esse tuentur Canonici de massa, quibus videlicet erectionum tempore unice existentibus pios fundatores reliquisse nominandi jus non ambigitur. In capitularibus autem resolutionibus, ubi canonicatuum adjunctorum erectiones posterius admissae sunt, inquiunt Canonci de massa, jus ejusmodi ad quatuor jam antea institutas capellanias nulla aut peculiari aut generali verborum formula concessum Canonicis adjunctis reperitur, quinimo solemnibus ac generalibus adhibitis clausulis plane exclusum ut primaeva capituli de massa jura sarta tecta perpetuo retinerentur. Denique, quum s. Congregatio die 8. Augusti 1829 proposito dubio:

An iidem Canonici adjuncti interesse et suffragium ferre possint in capitulis, in quibus agitur de redditibus ad Canonicos tantum primae erectionis spectantibus in casu etc.? responsum dederit: *Negative in omnibus exceptis negotiis respicientibus bona capitulo generatim relicta post erectionem canonicatuum adjunctorum*, huic profecto decisioni consentaneum fore existimant Canonici de massa, ut in nominationibus earum quatuor capellaniarum, de quibus agitur, Canonici adjuncti tum ex erectionis tempore tum ex diuturna consuetudine a ferendo suffragio prohibeantur.

Hisce disputatis Canonici de massa diluenda aggrediuntur, quae primo loco a Canonicis adjunctis super novo canonicatu Braccini exposita sunt. Quidquid enim actum est, pro novi hujus canonicatus erectione, id inconsultis quidem Canonicis adjunctis legitime omnino se gessisse propugnant, tum quia centennaria juris sui possessione et observantia innixi capitularia comitia die 20. Februarii 1821, die 21. Aprilis 1827 et die 19. Maji 1829 ad rei deliberationem rite habuerunt, tum quia jubente s. m. Leone XII. omnis de ejusmodi canonicatu controversia ad reverendam fabricam s. Petri deferri et ab ea componi debuit, tum demum quia ad ineundam tanti negotii concordiam non modo amplissima initio adfuit R. P. D. secretarii reverendae fabricae s. Petri hortatio et auctoritas sed apostolica deinde s. m. Pii VIII. approbatio et sanctio die 17. Julii 1830 intercessit, qui peractam idcirco transactionem publicis instrumenti tabulis muniendam Episcopo Fabrianensi commisit. Hanc itaque transactionem die 19. Maji 1829 penitus absolutam et a Canonicis de massa legitimo jure acceptam negant iidem Canonici infirmari posse posterioribus hujus s. Congregationis resolutionibus diei 8. Augusti, quum constet *leges et constitutiones futuris dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim et de praeterito tempore et adhuc pendentibus negotiis cautum sit. L. 7. cod. de leg. l. 29. de testament. Angel. cons. 382. n. 1, Rota dec. 4. n. 9. par. 11. recent.*

Falso hinc Canonici adjuncti asseruisse viderentur, praecitata hujus s. Ordinis decreta fuisse in themate a Canonicis de massa violata ac nulla propterea subesset legitima causa, cur suspendenda foret instrumenti stipulatio et Canonici Braccini nominatio, ut jam inita et a SSmo approbata concordia Canonicorum adjunctorum judicio et suffragio subjiciatur.

Postremo Canonici de massa nullum jus esse arbitrantur Canonicis adjunctis, ut in peractis capellaniarum s. Anatoliae et Locatelli nominationibus suffragium sibi capitulariter ferendum deposcant. Utraque enim capellania, uti superius inuitur, jamdiu existebant ante annum 1727, quo anno primus ex canonicatibus adjunctis institutus est; atque earum proinde nominatio a piis fundatoribus in unius capituli de massa potestatem

relicta fuit. Etsi autem ad capellaniam s. Anatoliae nominatum sit die 1. Martii 1830, ad alteram tamen Locatelli jam a die 2. Januarii 1828 nominatum fuerat, adeo ut hujusmodi nominatio posteribus hujus s. Congregationis decisionibus diei 8. Augusti 1829 longe praecesserit.

Erit igitur EE. VV. pro ea qua fulgent sapientia et auctoritate definire

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in sexto dubio in casu?*

III. *An suspendenda sit stipulatio instrumenti pro erectione canonicatus Braccini ejusdemque nominatio in casu?*

IV. *An confirmanda sit nominatio capellaniarum s. Anatoliae et Locatelli absque suffragio Canonicorum adjunctorum peracta in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis juxta modum nempe exceptis conditionibus interesse Canonicorum de massa respicientibus.

Ad II: In decisis juxta modum, nempe etiam quoad alios, quorum capellaniae institutae sunt ante erectionem canonicatuum adjunctorum.

Ad III: Negative.

Ad IV: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 30. Julii 1831.

Veliterna.

Quatuor olim constabat Canonicis comprehenso Archipresbytero animarum curam gerente capitulum collegiale Terrae Norbarum, quod est jurispatronatus nobilissimae gentis Burghesiae oppidi Dynastae. At superiori saeculo labente nimirum anno 1788 bini canonicatus adjecti fuerunt ex pia dispositione Archipresbyteri Joannis Baptistae Tuschi singulis assignata de suis bonis praebenda et bini demum alii canonicatus nuper anno 1848 accessere ex haereditate Angeli Mattocci Norbani, ita ut in praesentiarum octo Canonicis ex triplici distincta erectione capitulum praedictum constet.

Porro singulare et novum pene fuisset antiquos Canonicos conari, ut a plena jurium canonicalium participatione novos excludant et quandoque ad unam stalli et insignium in choralibus functionibus aequalitatem horum jura coercenda esse putent; ceterum a capitularibus conventibus eorumque negotiis cognoscendis et quod gravius est a distributionum, anniversariorum, funerum, legatorum aliarumve obventionum emolumentis jejunos prorsus abire laetantur. Quod quam grave ac molestum accidat iis qui in hanc conditionem sese conjectos vident, testantur continuae, ut jam innui, ea super re concertationes. Quapropter quum etiam qui Norbani collegii antiquam massam repraesentant, vel ipso respectivae novae canonicatuum erectionis exordio pleraque jura ac emolumenta privative sibi addixerint, factum tandem est, ut novi Canonici suas ad s. hunc Ordinem detulerint querelas atque ad laesa sibi resarcienda jura enixe hodierna die rogant Emos Patres.

At rem summopere inquirere in facto praestat, utrum et quaenam sint antiquae massae leges ac statuta, quibus ea oneribus devinciatur, cujusve indolis sint legata anniversaria aliaeque obventiones quas Canonici ejusdem massae sibi hucusque condixere, insuper quaenam fuerint leges fundationis et erectionis canonicatuum Tuschi et Matoccii, quibusque conditionibus fuerint a Norbano capitulo recepti. Quae ut comperta haberentur Emum Veliternum Antistitem suam informationem et votum, audito capitulo, de more rogavi. Jam vero ex iis quae ab eodem Emmo Vicario accepta sunt colligitur, nullo statuto seu constitutione collegium illud primae erectionis moderari ejusque fundationis monumentum inter antiquitatis tenebras incassum quaeri: praeter Archipresbyterum animarum moderatorem tertio inesse Canonico onus ipsum in parochiali munere coadjuvandi et sic etiam reliquis duobus Canonicis quoties tertius legitimo impedimento detineatur, prout decreto anni 1801 ab Episcopo Card. Albani cautum requiritur: omnes autem ejusdem erectionis Canonicos teneri diebus festis missae conventuali interesse, quae ab ipsis per orbem canitur, necnon vesperis quae praecedunt dies festos I. classis, dominicae aliorumque festorum: inter onera quoque recenseri celebrationem ultimae missae per turnum diebus festis ad populi commoditatem, ad quod onus, solo licet Adventus

et Quadragesimae tempore, etiam Archipresbyter adstringitur. Ex redditibus praedialibus detractis vectigalibus ac expensis pro cultu contingere quotannis cuique Canonico scutata triginta quatuor et obulos sexdecim cum dimidia, quae aliis scutatis octodecim pariter pro unoquoque augentur, ex partitione fructuum censuum, quos difficillimae exactionis dicunt, promanantibus; onere tamen praegravari ex variis piis relictis duodecim missarum cum cantu et quindecim lectarum. Incerta vero, quae certa dicuntur, sunt septem anniversaria cum emolumento scutati unius inter quatuor Canonicos dividendi; eademque ratione dividuntur scutata septem a communitate repetenda pro celebratione quatuor festivitatum, necnon julii quindecim pro aliis festivitatibus, si quandoque ex fidelium devotione eas celebrari contingat. Incerti proventus ex funerum associatione pro adultis suppeditant Archipresbytero obul. 58 cum dimidio et singulis Canonicis primae erectionis obul. 34 cum dimidio comprehensa missae applicatione: pro pueris vero quoad primum coercentur ad obulos novemdecim, quoad alios ad obulos novem cum dimidio, eademque proportione candelarum distributio perficitur.

De Tuschianis canonicatibus una testamenti particula profertur, in qua legitur: »*voglio e comando che vengano eretti due canonicati nella chiesa collegiata di Norma colla praebenda di scudi cinquanta per ciascuno etc.*« Nullum namque eorumdem erectionis monumentum in tabulario episcopali reperiri datum fuit. Attamen de iis mentio occurrit in literis erectionis canonicatus Mattocci, in quibus postquam de hisce edixerit Emus Episcopus: »*Duos canonicatus et praebendas pro duobus presbyteris aut clericis . . . qui stallum in choro habent necnon in ea ecclesia divinis officiis caeterisque actibus publicis se conformare . . . auctoritate nostra ordinaria . . . . cum honoribus et oneribus universis erigimus etc.**), *eisdem canonicatibus ac ipsi ecclesiae collegiatae secundum statuta et laudabiles consuetudines deservientibus etc.*«, easdem literas concludit: »*Quocirca mandamus Dignitati et Canonicis collegiatae illius ecclesiae ut vos in fratres et Canonicos collegiatae illius ecclesiae recipiant et stallum in choro locumque in capitulo assignent, prout cum Canonicis secundae erectionis factum est.*

*) Vd. *p. 173. VII. VIII.*

Nullas in receptione conditiones ab antiquae massae Canonicis neque quoad Tuschianos neque quoad Mattocios canonicatus adjectas fuisse colligi posse videtur ex eo quod nullum de iis documentum exhibeatur vel verbum fiat. Praeter commune cum Canonicis antiquae erectionis chorale pensum onerantur recentiores ex fundatione nonnullis piacularibus sacrificiis returnatim litandi diebus post conventualem. Horum canonicatuum quanti sint redditus specifice non traditur: eos tamen profluere ex integra fundatoris haereditate et prae caeteris pinquiorem praebendam constituere compertum est. Nullum demum de utriusque erectionis Canonicis asseri posse consuetudinem refert Emus Episcopus: cui concinnunt Canonici primae erectionis adfirmantes numquam eos partem habuisse neque in distributionibus aliisve proventibus, qui incerti dici solent. Et de jure assistendi capitularibus sessionibus subjungunt: »*è questa pretenzione moderna dei novelli, piochè gli antecessori non hanno mai nutrito simile pretenzione.*« Haec in facto.

Contendunt Canonici primae erectionis utraque incerta proprie dicta stolae albae et nigrae et incerta quae certa dicuntur inter ipsos exclusive partienda. Primo, attenta canonicatuum indole, utpote quibus animarum cura est adnexa, merces hinc sua ut operario debeatur justitiae debitum exigit. Secundo ex aequitate, cum canonicales proventus sint adeo tenues, ut Archipresbytero congrua etiam necessaria deficiat. Tertio, quia novi Canonici, praeterquam pinguiori censu ditantur levioraque sustinent onera, de capituli gremio non sunt et admitti ea unice mente potuerunt in tanta rerum angustia citra ullum antiquorum praejudicium, itaut reapse de tempore admissionis numquam de incertis participes facti fuerint neque in functionibus a capitulo explendis sese immiscuerint. Illudque proinde plane confici putant, jure suffragii ipsos minime donandos in capitulis saltem quoad ea quae respiciunt reddituum administrationem aut ofiicialium electionem cum devium a jure sit, ut quis in aliena negotia se intrudat.

Contra Canonici noviter recepti pari jure sese pollere arbitrantur ad universa incerta quae capitulo obveniunt tum ex fundatorum voluntate saltem praesumpta tum ex erectionis

lege qua factum est ut canonicatus cum *honoribus et oneribus universis* antiquis competentibus erigerentur et correspectivorum ratio exigit, ut eadem ferenti onera spes tribuatur emolumentorum. Tum maxime ex indole receptionis: Capitulum enim nullis adjectis conditionibus, sed pure ac simpliciter canonicatuum erectioni assensum praebuisse propugnant, ita ut ex hoc ipso plenum canoniae jus adepti unum morale corpus constituant et uti in oneribus ita in emolumentis ceteris peraequati habeantur. Nec ullo modo obstare putant praebendarum diversitatem, cum ea non circa universitatem et genus jurium canonicalium, sed solum quoad particularia et speciem proventuum versetur. Quoad capitulares conventus ad literas confugiunt erectionis anni 1848 superius relatas. In jure haud ambigitur, quod capitulum novae canonicatuum erectioni consentiens conditiones sibi benevisas possit adjicere, quae justitiae consonae appareant, easque s. Congregatio jugiter approbavit. Justam praeter alias censuit conditionem quod nec activam nec passivam habeant vocem in negotiis ad interesse pertinentibus antiquorum dumtaxat Canonicorum, uti prostant exempla in *Aretina Erectionis canonicatuum 5. Maji 1703, in Alatrina 8. Februarii 1727* et in *Toletana Archipresbyteratus 1. Febr. 1766.*

At dubium est si forte, nullis adjectis conditionibus, sed pure et libere novae erectionis Canonici admissi fuerint: in qua adamussim versari conditione capitulum Norbanum videtur. Non eadem siquidem hoc in casu est Canonicorum opinio, num ad omnia jura, emolumenta et legata capitulo relicta indistincte sint admittendi. Negant aliqui ob legalem juris praesumptionem quod admissio facta censeatur sine ulla proprii juris diminutione ac detrimento, ideoque magis aequitati congruum, ut novi Canonici ea non lucrentur, quam ut antiqui ea perdant, *Tondut. quaest. benef. cap. 68. num. 15, Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1. tit. 14. num. 59. et sequ.* Praesertim si res sit de novis Canonicis qui propriam praebendam distinctosque fructus habeant. *Card. de Luca de Canonic. disc. 6. n. 3.* et *Piton. de controv. patr. alleg. 64. n. 5.*

Alii distinguentes speciem Canonicorum supranumerariorum, qui sola honorifica denominatione fruuntur et numerum aliquorum haud frangunt, ab iis, qui vere*) et proprie aggregantur capitulo et de ejus corpore fiunt cum omnibus privilegiis et honoribus, et per quorum admissionem numerus augetur, censent hos nihil differre ab antiquis, ita ut tam novi quam antiqui in omnibus uniformes sint active et passive tam in oneribus quam in honoribus singulisque semper aequalis debeatur omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum admissione cautum expresse fuerit. Haec tenet idem *Card. de Luca eod. tit. disc. 37. num. 2* et *Panimoll. decis. 98. annot. 1. num. 6.* Sed prae omnibus eminet *Pignatell. tom. 6. consult. 48. per tot.* qui articulis formiter discussis, tam quoad vocem in capitulo quam quoad participationem omnium emolumentorum, ad utraque admittendos esse Canonicos noviter receptos pure et simpliciter tuetur innixus auctoritatibus, quas plena manu refert. Quin imo quoad vocem in capitulo eousque suam urget sententiam, ut putet eam competere novis Canonicis, etsi numquam ad capitulum fuerint admissi et in literis receptionis legeretur clausula »*sine praejudicio*« quam intelligendam putat de omni alio praejudicio praeter illud, quod venit in necessariam consequentiam pleni juris canoniae.

Verumtamen haec sententiarum discrepantia, verba auctoris mox relati penitius perpendendo, conciliari posse videtur. Supponit enim ipse casum quo ex fundatorum voluntate ceteris in omnibus peraequandi forent novi canonicatus et quod relicta ab iis substantia in communem fuerit massam collata; quibus positis, quum per hanc collationem onerum peraequatio supponatur, planum est antiquorum consensum absque conditione praestitum id operari ut communis emolumentorum ex massa retrahendorum participatio esse debeat, quum hoc in casu verificetur adamussim antiquorum praejudicium evanescere, quod profecto est fundamentum contrariae sententiae. Ceterum citra hujusmodi peculiaria rerum adjuncta primam sententiam ex majori saltem canonistarum suffragio praevalere congruum apparet.

Quapropter veluti ejusdem sententiae consectaria est distinctio, quam circa legata et emolumenta alia tenendam monet *Castren. consil. 170.* §. *Super secundo, Card. de Luca de Canonic. discur. 5. num. 12, Piton. de controv. patron. alleg. 65. num. 27* et *Scarfanton. lib. 1. tit. 14. num. 60,* ab illis nimirum novos Canonicos excludendos esse quae

*) Vd. *p. 357. n. 5.*

ante eorum erectionem ac receptionem jam capitulo quaesita fuerant; ad ea vero esse admittendos, quae post erectionem obvenere: obtinet enim hoc in casu quod quidquid capitulo relictum est aeque inter omnes dividi debet.

Quoad participationem distributionum incertarum resultantium a funeralibus seu mortuariis ac anniversariis aliisque ecclesiasticis functionibus a populi devotione obvenientibus eam *summa ratione* deberi novis Canonicis tenet *Cardinal. de Luca cit. disc. 6. num. 14: Quoniam participatio noviter additorum non praejudicat antiquis, sed solum auget praejudicium seu impensam populi volentis illas functiones ecclesiasticas facere.*

Limitat nihilominus responsum ad casum distributionum seu emolumentorum quae certam taxam non habent in singulis; idque exemplis explanat: »*Si enim ex. gr. singulis Canonicis in funere intervenientibus quaedam certa portio pecuniarum vel candelarum dari soleat non alterabilis, sive major sive minor sit Canonicorum numerus, tunc recte id procedit, quoniam nihil interest singulorum, majorem vel minorem esse numerum participantium, dum cesset jus accrescendi. Secus autem ubi pro illa functione ex consuetudine datur quaedam summa capitulo indistincte, sive major sive minor numerus Canonicorum interveniat, quoniam in exequiis seu funeralibus ordinariis vel minus solemnibus, ad quae pro libito partium Canonici Cathedralis vel omnes vel in parte invitantur, datur certa portio pecuniaria inalterabilis unde interessentium nihil interest, an major vel minor numerus interveniat. Ubi vero agitur de funere solemni, quod dicitur capitulare, datur certa summa in universum distribuenda cum jure accrescendi interessentibus, quibus major numerus Capitularium praejudicat, quoniam ita antiquiores non obtinerent illam majorem distributionem, quam prius habebant.*«

Ad praxim quod attinet s. hujus Congregationis, eam ab exemplis proxime recensendis ne pigeat haurire. In una *Narnien Servitii et punctaturarum 14. Aprilis 1714* in qua agebatur de novis Canonicis pure capitulo aggregatis ac contendentibus aequalem cum antiquis emolumentorum participationem proposito dubio:

An Canonici secundae erectionis debeant admitti ad participationem omnium emolumentorum extra massam, consistentium sive in eleemosynis communitatis, societatum Rosarii et ss. Sacramenti pro missis cantatis et processionibus sive in relictis benefactorum favore capituli seu pro funeribus, anniversariis et missis cantatis de etiam requie ex pietate fidelium provenientium?

Respondit: *Negative quoad provenientia ex dispositionibus relictis capitulo ante erectionem canonicatuum recentiorum et affirmative quoad relicta manualia eidem capitulo in dies largienda.*

Item in *Nullius seu terrae Pontiani Praecedentiae et distributionum 27. Martii 1735*, in qua Canonici pure et libere noviter admissi petierant participationem legatorum ac emolumentorum, quae ante novam erectionem Canonicis antiquis relicta fuerant, proposito dubio II:

An et cui debeantur distributiones et emolumenta de quibus agitur?

Responsum est: *Distributiones et emolumenta provenientiva ab exercitio curae animarum et a legatis relictis ante erectionem novorum Canonicorum deberi Canonicis antiquis.* Idipsum responsum dedit in *Viterbien. 15. Decembris 1742* et *Tusculana Participationis 9. Maji 1744;* in quibus disceptatum insuper fuit sub III. et VI. respective dubiis quoad interessentiam et implementum antiquorum onerum faciendum etiam a novis Canonicis et utrisque *affirmative* responsum.

At in *Verulana 3. Februarii 1776* beneficiati noviter erecti, qui, licet juxta legem fundationis tenebantur singulis functionibus tam pro vivis quam pro defunctis choro cum Abbate et Canonicis interesse eisque diaconi ac subdiaconi munere deservire, quum post triennium detrectarent eorum operam illis praestare in functionibus missisque solemnibus pro quibus ex piorum benefactorum largitate certum annuum emolumentum capitulo fuerat constitutum, prout etiam in adventitiis anniversariis, pro quibus certum itidem emolumentum solvebatur capitulo, quia Abbas et Canonici destiterant eadem emolumenta partiri cum beneficiatis, quos ante de hisce participes reddere non dubitaverant, proposito dubio:

An beneficiati Bisleti teneantur interesse choro ac inservire missis cantatis et sacris functionibus provenientibus ex voluntate piorum fundatorum?

Responsum est: *Affirmative dummodo admittantur ad participationem.*

In *Sabinen.**) *Participationis 12. Maji 1770* agebatur de novo canonicatu ex probabili fundatricis mente ceteris coequando. Agebatur quod ipsa fundatrix in ceteris suis bonis haeredem ex asse instituerat ecclesiam ipsam Collegiatam ad hoc ut redditus ab Archipresbytero et Canonicis comprehenso etiam novo erigendo aequaliter lucrarentur. Haud constabat num conditionale vel simpliciter fuisset facta admissio: asserebat nihilominus primum canonicatus possessorem aeque ac ceteros de omnibus legatis, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis, de quibus antiqui, participes fuisse. Cum inde haec omnia denegarentur noviter proviso, quaesitum est:

An possessor canonicatus nuncup. Philippi participare valeat de legatis, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis de quibus participant alii Canonici?

datumque responsum: *Affirmative dummodo resideat et inserviat in omnibus ad formam aliorum Canonicorum et conferat tertiam partem pro distributionibus.* Re tamen iterum perpensa, cum ex documentis resultasset, antecessores haud participasse de dictis massae emolumentis, quia de gremio capituli canonicatus non reputabatur, atque redditus praebendae detrimentum subisse, rogationi:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu? redditum fuit responsum: *Quoad emolumenta superventa post aggregationem novi Canonici in decisis. Quoad collationem tertiae partis pro distributionibus recedendum a decisis. Quoad emolumenta existentia ante aggregationem iterum proponatur.* Subinde quis fuerit hujus causae exitus ex thesauro colligere datum non est.

Quoad jus vocem **) activam et passivam in capitulis exercendi videnda Eugubina *Eretionis canonicatuum 26. Martii 1763 ad quartum dub. et Tolentinaten. Archipresbyteratus 1. Febr. 1766 ad tertium dub.* in quibus jugiter statutum reperitur quod novi Canonici gaudeant *voce activa et passiva exceptis iis, quae respiciunt interesse et jura peculiaria veterum Canonicorum.*

Hisce pro munere expositis dantur

Dubia:

I. *An Canonici secundae et tertiae erectionis admittendi sint ad participationem omnium emolumentorum capitulo obvenientium tam pro missis aliisve functionibus adventitiis et a communitate seu pietate fidelium obvenientibus quam ex funeribus in casu?*

II. *An supradicti Canonici participare debeant de piis legatis ac anniversariis capitulo relictis in casu?*

III. *An et in quibus negotiis iidem Canonici jus habeant capitularibus sessionibus interessendi et gaudeant voce activa et passiva in casu?*

IV. *An et in quibus functionibus sit turnus ab omnibus Canonicis servandus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Negative quoad emolumenta obvenientia ex dispositionibus relictis capitulo ante erectionem canonicatuum recentiorum et ab exercitio curae animarum. In reliquis affirmative.

Ad III: Affirmative in omnibus, exceptis iis quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.

Ad IV: Affirmative quoad functiones capitulares et eas pro quibus ad participationem admittuntur; et scribatur Emo Episcopo qui moneat capitulum ut infra sex menses nova conficiat statuta ad tramites Concilii romani *lib. 2. cap. 4.*

Die 20. Decb. 1851.

Massanen et Populoniae.

Quum in ecclesia cathedrali civitatis Massae nonnullae adessent canonicales praebendae adeo tenues, ut difficile non modo sed impossibile pene esset idoneos clericos invenire, qui ad illas institui et inhaerentia choralia munera subire vellent, merito censuit Bartholomaeus Accarisi ejusdem ecclesiae Episcopus binas ex hisce canonicatibus praebendis supprimere edito in id decreto die 6. Decembris anno 1666. Iisdem de causis praebendas diaconalem et subdiaconalem ex institutionis lege divisas ac distinctas in unam conflare opportunum existimavit non multo post anno scilicet 1681 Episcopus Paulus Pecci, ceu scatet ex alio decreto 19. Decembris ejusdem anni. Et quarta demum praebenda sequioribus annis suppressa fuit: atque ita canonicales praebendae quae ex capitularibus constitutionibus undenarium numerum fuerant constitutae tractu temporis ita cogente ne-

*) Vd. *p. 170.*
**) Vd. *Canon. Cathedr.* (vox.)

cessitate ad septem tantum, suppressarum redditibus auctas, redactae fuere. *)

Res diu in hoc statu manserunt, quousque ex fidelium pietate et ex Antistitum solertia datum fuit Massae capitulum (aucto iterum praebendarum numero) ad pristinam dignitatem restituere. Nam primum annis 1726 et 1776, piissimis viris Silvestro Carli et Joann. Baptista Rocchi bona ad erectionem necessaria suppeditantibus, bini canonicatus, alter sub invocatione immaculatae conceptionis Deiparae Virginis, alter vero sub invocatione s. Joann. Baptistae curantibus tunc temporis Episcopis erecti fuere.

Tertium deinde canonicatum instituit ineunte anno 1824 Episcopus Mansini duobus beneficiis alterum sub titulo assumptionis B. V. et s. Antonii Abbatis, alterum sub invocatione Mariae Purificantis simul junctis. Ac demum anno 1827. Episcopus Traversi beneficium **) quoddam obtenta venia munificentissimi Principis Leopoldi II. Magni Etruriae Ducis, qui patronatus jure in eodem potiebatur, in canonicatum erexit.

Canonici vero noviter instituti, quamvis anniversariorum celebrationi aliisve functionibus adessent ac omnia subirent canonicalia munera eadem plane ratione qua ceteri Capitulares, attamen secundae erectionis appellatione distincti uti separatum corpus constituentes semper habiti sunt, ita ut nec ad jurium nec ad incertorum cujusvis generis emolumentorum participationem cum illis admissi unquam fuerint; quod aegre ferentes hodierni praedictorum canonicatuum possessores supplici libello Episcopo prorrexerunt, quo rationes quas sibi favere arbitrabantur exponebant.

At Episcopus, quin propriam panderet sententiam in hac controversia inter Capitulares suae cathedralis ecclesiae oborta prae sua prudentia ejusdem decisionem ad Emum senatum Vestrum remittendam censuit. Exquisita prout de more ejusdem Antistitis informatione et voto praeter allegationem quam ad sua jura protuenda pararunt antiquioris erectionis Canonici decreta episcopalia pro unaquaque erectione novarum praebendarum transmittere curavit, ex quibus ut ipse ait conditiones novis praebendis dum instituerentur adjectas quidque illarum rectoribus concessum vel negatum fuerit poterit s. Cong. indubitanter cognoscere.

*) Vd. *p. 322. n. 19.*
**) Vd. *p. 151. I.*

Quibus in facto propositis rationes hinc inde allatas per summa capita exponam. Qui actorum partes sustinent praecipue innituntur quadam capitulari constitutione, qua cautum est ut numerus Canonicorum participantium non septenarius sed undenarius esset. Verba praefatae constitutionis ita se habent: »Statuerunt, quod numerus Canonicorum praebendatorum una cum Archipresbytero sit prout in praesenti undenarius tantum et quod de cetero nullus alius ad supradictum numerum admittatur, nisi cum provisione apostolica et cum erectione et assignatione praebendae et solvendo praeterea scut. ducentum de libris septem cum dimidio ipsi capitulo, quae tamen vulgo »rinvestire« teneatur *) vel in bonis stabilibus sive emptione alicujus annui census: et hoc ad effectum ut participare valeat ille Canonicus novus de omnibus distributionibus sine maximo aliorum detrimento.« Ex censura hujus constitutionis (ajunt oratores) a distributionibus percipiendis novi ejusdem Canonici excluduntur, sed illi tantum, qui ultra undenarium numerum sint, minime vero qui intra praestitutum numerum continentur. Atqui novae praebendae non ultra praestitutum numerum erectae fuere, sed insuper habendae sunt tamquam suffectae in locum antiquarum praebendarum quae cogente tantum necessitate ad tempus suppressae fuere. Hinc sequitur ut Canonici qui hasce praebendas assequuti sunt a distributionibus ceterisque emolumentis capitularibus nullimode excludi valeant, quin immo eisdem juribus, iisdem privilegiis uti debeant, quibus ceteri utuntur Capitulares.

Neque oggerendum quod in veteribus praebendis supprimendis ea mens fuerit et voluntas Antistitum, ut scilicet in perpetuum hujusmodi praebendae suppressae manerent: ac multo minus quod novi canonicatus si unquam inposterum erigerentur distributionibus ceterisque capitularibus juribus omnino carerent. Id enim neque voluisse neque potuisse Episcopos manifestissimos esse affirmant. Non voluisse semel ac in decretis suppressionis neque verbum neque vola quidem hac de re ipsis exciderit. Non potuisse, cum hujusmodi dispositio non modo pugnaret cum capitulari constitutione supra recensita, sed insuper consuetudini in ecclesia vigenti apertissime refrageretur. Ecclesia enim, si aliqua cogente necessitate contra mentem institutoris

*) Vd. *t. II. p. 1089. XI.*

onera ex. gr. imminuit alicujus beneficii ob imminutum redditum, id non in perpetuum facere solet, sed ad tempus et usquedum clericus beneficiatus integra onera ex reintegrata beneficiaria substantia valeat sustinere.

Quin imo, urgent, et piae testatorum menti dispositio ista contradiceret. Qui enim vel pia legata reliquerunt vel aliquid ecclesiae donarunt ad hoc ut ex rebus, legatis vel donatis statis diebus Sacra solemnia celebrarentur, id sibi suasum habuerunt, ut in Sacris explendis integer Canonicorum numerus adesset. At si novi Canonici a distributionum perceptione arceantur, nullo sane pacto cogi poterunt ut hisce in casibus adsint; atque ita fraus fiet religiosae donatorum voluntati; quum inposterum non omnes Capitulares aderunt, sed illi tantum qui de quotidianis distributionibus participant.

Huic autem rationi ex ipsis capitularibus constitutionibus promananti et alteram adstipulari subdunt ex aequitate deductam. Constat sane novos Canonicos, non secus ac veteres, onera omnia et officia sustinere, horas nimirum canonicas persolvere, anniversariorum celebrationi adesse ac missam conventualem pro benefactoribus in genere applicare. Excludi igitur absque injuria non posse a participatione reddituum ex bonis promanantium a benefactoribus ipsis relictis. Non aequum sane, ut alter commodum sentiat, alter vero incommodum sustineat. Non aequum ut alii colant et semina effundant, alii vero fructus colligant.

Quin nihilum quaestionis immutare valeat quaedam declaratio quae ex adverso affertur a quodam Canonico Mutio Malfatti et Francisco Toli emissa.

Animadvertunt enim hujusmodi renunciationem personalem omnino fuisse ac proinde obligatorum personam non excedere. Haud enim Malfatti et Toli renuntiationem tam proprio tam successorum nomine ediderunt; sed tantum declararunt nolle ipsos »in alcun tempo pretendere verun emolumento, nè eleemosina di Messe.« Renunciatio igitur ista Canonicos, qui ipsis renunciantibus in officio successerunt, afficere nullimode potest ex notissima regula IX. in 6. de reg. juris. Quamvis etsi hujusmodi renunciatio et successorum nomine emissa fuisset, nihilo secius despici impune posset et pro omni caret correspectivitate et proinde apertissimo nullitatis vitio laborat.

Frustra enim hujusce renunciationis correspectivitas argui vellet ex quadam capitulari deliberatione ad mensem Decembris 1789 edita et ab Episcopo probata, qua scilicet novis Canonicis praecedentiam in choro ac cetera antianitatis jura tributa fuere. Non modo enim inquiunt haec capitularis deliberatio nil commune habet cum renuntiatione decennio ante emissa, sed insuper tamquam inutilis et supervacanea spernenda est, semel ac haec jura novis Canonicis in ipsis erectionis tabulis patulis verbis tributa fuerint ac in possessione praebendarum tribuenda confirmata.

Ex hisce rationibus jura quae sibi vindicant in apice posita esse confidunt recentioris institutionis Canonici. Quod si aliud videretur EE. VV., id saltem ipsis concedendum esse acriter contendunt ut scilicet decerptis ex unaquaque praebenda novae erectionis bonis ad valorem usque sc. 200 ac in commune collatis de distributionibus quibuscumque ad Canonicos antiquioris erectionis pertinentibus participare valeant. Ex censura enim saepe memoratae capitularis constitutionis novis Canonicis, etiamsi ultra praestitutum undenarium numerum fuerint, facultas omnino non adimitur distributiones pro rata percipiendi, verum ipsis sub hac conditione tribuitur, ut dictam summam ante persolvant. *)

E contra Canonici antiquioris erectionis, ad sua jura protuenda, haud inficiantur ex memorata capitulari constitutione numerum Canonicorum participantium fuisse praefinitum; animadvertunt tamen huic constitutioni per posteriores fuisse derogatum. Et re quidem vera primaevus praebendarum numerus non ex arbitrio Episcoporum imminutus fuit, sed rogato prius legitimis modis et probante capitulo, teste suppressionis decreto ad diem 6. Decembris 1666 edito, in quo haec prostant verba: Quare certior factus (Episcopus) ab Illmo ac Revdo D. Vincentio de Paulinis Can. et ejusdem capituli procancellario, quod usque sub die 25. mensis Maji proxime elapsi in capitulo legitime coadunato fuit propositum et discussum hujusmodi negotium, in quo cum universis votis favorabilibus eidem Illmo et Rmo D. Episcopo fuit praestitutum consilium et consensus supprimendi duas ex vacantibus praebendis. Teste pariter decreto unionis diei 19. Decemb. 1681. Ideo capituli ad hoc convocati

*) Vd. *p. 177. II.*

accedente consensu neminem in dubium revocare posse quin constitutio capitularis quae ab initio numerum praebendarum participantium undenarium constitueret Episcopi auctoritate abrogari poterit, quum scitissimi juris sit eum qui legem condidit eamdem prae suo arbitrio corrigere, immutare et abrogare jure meritoque valere.

Cum vero in vim capitularium constitutionum Canonici contradictores ad omnium jurium 'et emolumentorum participationem cum ceteris Canonicis admitti nequeant, accedit, eos ab hac participatione excludi etiam a decretis erectionis novarum praebendarum in quibus cautum est, ut nihil percipere possint ex massa capitulari. Ita sane in bulla erectionis novi canonicatus sub invocatione immaculatae conceptionis Deiparae Virginis: »omnesque fructus et proventus dictorum bonorum stabilium pro dote assignatorum spectare et pertinere ad Canonicum praedicti canonicatus subdiaconalis cum oneribus tamen et obligationibus superius expressis et nihil praetendere possit de massa communi aliorum Canonicorum dicti capituli ceterorumve etc. . . .« Ac iisdem plane verbis in bulla erectionis alterius canonicatus sub invocatione s. Joann. Bapt.: »absque quod nihil unquam praetendere possit de massa communi aliorum Canonicorum dicti capituli ceterorumve.« Nec secus in decreto erectionis diei 9. Junii 1824. Quae sane verba adeo per se sunt clara, ut nulla indigeant interpretatione.

Fastigium demum veritati imponere addunt Canonici antiquioris erectionis renunciationem emissam a Canonico Mutio Malfatti et Francisco Toli jam ab anno 1789, qua spoponderunt »di non voler mai, nè in alcun modo, nè in alcun tempo pretendere verun emolumento, nè di elemosine di Messe nè di altro.« Hac enim declaratione in suo robore manente nullo pacto hodierni Canonici ea jura sibi vindicare valerent (si qua essent) quibus jam ab eorum antecessoribus valedictum fuerit.

Quin obsit opponere novas praebendas in locum antiquarum praebendarum fuisse suffectas ac novos proinde Canonicos omnibus juribus et privilegiis uti debere, quibus et veteres utebantur. Inprimis enim a veritate quam longe abesse veteres praebendas fuisse restitutas, quinimo exploratum in facto esse hasce praebendas et in praesentiarum quoque ceteris antiquioris erectionis manere conjunctas ac eorum redditus non a novis Canonicis sed a septem Canonicis antiquioribus et adhuc percipi. Sed insuper quam alienus fuerit animus eorum qui novos canonicatus instituerunt a veteribus et jam abolitis praebendis restituendis vel ex hoc uno colligi, quod non modo novum ac specialem titulum ab antiquis prorsus diversum ipsis adscripserint: at hoc etiam expresse statuerunt, ut scilicet novi Canonici nihil unquam perciperent ex massa capitulari. Constat sed demum administrationem bonorum ad novas praebendas pertinentium seorsim ab administratione bonorum ad veteres canonicatus spectantium quotidie gestam fuisse.

Constat novos Canonicos numquam suffragium tulisse in iis negotiis, quae se referrent ad administrationem massae capitularis nec alio quovis modo in hac administratione sese immiscuisse: atque ita facto proprio fassi sunt novi Canonici nullum sibi jus esse in bonis ad veteres praebendas pertinentibus.

Ac minus obesse quod sub aequitatis colore opponitur, neque justum scilicet esse neque rationi congruum ut inter Canonicos ejusdem ecclesiae onera et lucra non aequa lance dispertiantur. Etenim si novi Canonici et horas canonicas persolvunt et Sacris adsunt et solemnia celebrant et missae sacrificium statis diebus pro benefactoribus in genere applicant, ad haec omnia peragenda adiguntur a lege in earum praebendarum erectione imposita et cui etiam inviti parere cogerentur.

Ita in erectione canonicalis praebendae sub invocatione immaculatae conceptionis cautum expresse fuit: »Praestando ecclesiae servitium choroque interessendo ad persolvendas horas canonicas aliasque sacras functiones obeundas sub poenis contumacibus desuper expressis etc.« Nec diversimode in erectione alterius canonicatus sub invocatione s. Joannis Bapt.: »Alios vero Canonicos primo succedentes volumus juxta dispositionem fundatoris obligatos ad celebrandas seu celebrare faciendas in ecclesia cathedrali Mussanae quinquaginta duas missas . . . . necnon ad residendum . . . praestando ecclesiae servitium choroque interessendo ad persolvendas horas canonicas aliasque sacras functiones obeundas sub poenis contumacibus desuper expressis.« Praeterea neque consistere quod affirmant novae erectionis Canonici. Constat enim alios ex ipsis per sex tantum menses residere debere, alios vero per octo, dume

contra ceteri Capitulares per integrum temporis lapsum ss. canonibus constitutum residere coguntur. Denique si quod sibi fingunt Canonici novae erectionis reapse obtinere omnis jam distinctio inter Capitulares supprimenda esset, praebendae omnes ad aequitatem redigendae; et quod ab antiquissimis usque temporibus constitutum est reformandum; quod absurdum foret.

Neque demum firmiori pede consistere, quod in extrema cera contendunt novi Canonici, jus ipsis denegari non posse, in desperatissima hypothesi, de omnibus emolumentis participandi semel ac scuta biscentum in commune contulerint ad tramites supra memoratae capitularis constitutionis. Et re quidem vera animadvertunt in vim hujus constitutionis licuisse utique fundatoribus in ipso erectionis actu scutata biscentum persolvere ad hoc ut novi Canonici nihil unquam percipere deberent ex massa capitulari; inutili sane conatu velle ipsos contra erectionis decreta haec jura (quibus jamdiu nuncium missum fuit,) sibi vindicare. Neque praetereundum existimant, auctis hodie veterum Canonicorum redditibus ex novis legatis et donationibus necnon ex bonis suppressarum praebendarum, summam scutorum biscentum haud satis esse ut novi Canonici de distributionibus participare valerent absque gravi septem Capitularium participantium detrimento.

Hisce utrimque expositis quidquid sit de praetensa jurium omnium suppressorum canonicatuum subrogatione quam sibi oratores vindicare student, ubi tamen de nova dumtaxat erectione ratio habenda sit, notandum est hanc obtinere in jure distinctionem ad emolumentorum participationem (praeter ea quae ex communi massa proveniunt) quod nimirum aut agitur de emolumentis provenientibus a legatis aliisque sacris functionibus capitulo relictis ante erectionem novorum canonicatuum et eo casu excluduntur novi Canonici ab illorum participatione ne deterior antiquorum Canonicorum conditio fiat neve detrimentum his inferatur, aut agitur de legatis et emolumentis obventis capitulo post eorumdem canonicatuum erectionem et tunc de iisdem participes esse debent, quia quod capitulo relictum est, aeque inter omnes dividi debet pro ratione servitii. Hanc porro distinctionem s. Congregatio semper sequuta seu in *Narnien. Servitii et punctaturarum 14. Aprilis 1714*, ubi proposito dubio:

An Canonici secundae erectionis debeant admitti ad participationem omnium emolumentorum extra massam consistentium sive in eleemosynis communitatis, societatum rosarii et ss. Sacramenti, pro missis cantatis et processionibus sive in relictis benefactorum favore capituli seu pro funeribus, anniversariis et missis cantatis etiam de requie ex pietate fidelium provenientibus?

Respondit: Negative quoad provenientia ex dispositionibus relictis capitulo ante erectionem canonicatuum recentiorum, et affirmative quoad relicta capitulo post dictam erectionem et quoad emolumenta manualia eidem capitulo in dies largienda. Idemque statuit in *Nullius seu Terrae Pontiani Praecedentiae et distributionum 26. Martii 1733 ad II.* dubium. In *Eugubina Erectionis canonicatuum 26. Martii 1763 ad V.* dubium, in *Tusculana Participationis 9. Maji 1744 ad II.* dubium ac in *s. Miniatis*) Jurium et praeeminentiarum 15. Dec. 1807* ubi ad dubium I:

An et quomodo Canonicus theologus**) sit admittendus ad participationem emolumentorum proficiscentium ex legatis capitulo relictis post erectionem theologalis praebendae in casu?

Respondit: Affirmative prout ceteri Canonici pro rata servitii.

Quoad emolumenta vero cetera seu distributiones communis massae receptum est, tunc tantum Canonicos noviter erectos illos lucrifacere, quando ad illarum participationem sponte a capitulo admissi fuerint. S. Congregatio in *s. Miniatis 9. Februarii 1822.* §. *E contrario* et in *s. Miniatis Jurium 1827.* §. *Quoad*, vel saltem eorum fundatores aequam portionem in massam distributionum contulerint, ut respondit *s. Rota coram Emerix decis. 272. num. 2.* et s. Congregatio in *Imolen Distributionum 8. Maji 1773 ad 1. dubium.* Hinc in *Sabinen***) Participationis resoluta die 12. Maji 1770.* proposito dubio:

An possessor canonicatus nuncup. Philippi participare valeat de legatis, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis, de quibus participant alii Canonici in casu?

*) Vd. *Canon. Cathedr.* (vox).
**) Vd. *Canon. theolog.*
***) Vd. *p. 170.*

rescriptum fuit: Affirmative, dummodo resideat et inserviat in omnibus ad formam aliorum Canonicorum et conferat tertiam partem pro distributionibus.

Ad cetera jura quod attinet, ut puta, ferendi suffragium in capitulis vocis activae ac passivae in electione officialium aliaque hujusmodi, sat erit heic recolere quae s. Congregatio innixa aliis resolutionibus similibus in casibus editis statuit in *Fabrianen**) *Jurium et emolumentorum 8. Augusti 1829*, in qua ad dubia:

II. An iidem Canonici (secundae erectionis) interesse ac suffragium ferre possint in capitulis in quibus agitur de redditibus ad Canonicos tantum primae erectionis spectantibus in casu?

III. An vocem habeant in iis capitulis, quae respiciunt reliquos ecclesiae et sacrarii redditus in casu etc.?

IV. An gaudeant voce activa et passiva in electione officialium capituli in casu etc.?

respondit;

Ad II: Negative.

Ad III: Negative in omnibus exceptis negotiis respicientibus bona capitulo generatim relicta post erectionem canonicatuum adjunctorum.

Ad IV: Negative quoad officiales massae capitularis, in reliquis affirmative.

De juribus denique honorificis praecedentiae ac ascensus in chorali stallo nihil adnotatum occurrit, cum haec Canonicis oratoribus a capitulo tributa fuerint.

Quibus perpensis videant EE. PP. quo responso dimittendum sit

Dubium:

An et quomodo Canonici possessores praebendarum noviter erectarum aequiparandi sint ceteris Canonicis in casu?

S. C. resp.:

Quoad jura honorifica affirmative, quoad reliqua negative in omnibus, excepta parteipatione pro rata servitii emolumentorum provenientium ex legatis relictis capitulo post novarum praebendarum erectionem et ex eleemosynis manualibus eidem capitulo in dies largiendis, necnon excepto jure suffragii in negotiis respicientibus bona capitulo generatim relicta post dictarum praebendarum erectionem et vocis activae ac passivae in electione officialium, praeter eos qui deputantur pro administratione massae capitularis.

Die 25. Jan. 1856.

Alexander III. in Concilio Lateranensi III. can. 18. providentissime praescripsit, ut in unaquaque cathedrali ecclesia magister institueretur »*qui clericos ejusdem ecclesiae et scholares pauperes gratis doceret.*« Hanc dispositionem pene neglectam innovavit ampliavitque Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. an. 1315 decernens ut singulae Cathedrales ceteraeque ecclesiae congruis instructae redditibus magistrum constituerent, qui gramaticam traderet, Metropolitanae vero theologum »*qui sacerdotes et alios in sacra pagina doceret.*« Theologi vero institutionem ad omnes Cathedrales extendit Leo X. in Concilio Lateranensi V. anno 1516 sess. 16. Tandem Tridentina synodus maximopere curans *sess. 5. cap. 1.* »*ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit neglectus jaceret*,« multa sancte ac sapienter praescripsit.

Verum etsi Concilium Tridentinum optimis saluberrimisque decretis constituerit, ut in unaquaque cathedrali ecclesia Canonicus extaret, cui specialiter munus incumberet sacram scripturam explicandi, in ecclesia tamen T. usque ad annum 1731 nondum illis satisfactum fuerat. Quare Episcopus post habitum Concilium romanum sub Benedicto XIII. et post editam ab eo constitutionem, cujus initium *Pastoralis officii*, quibus pressius executio decretorum Concilii Tridentini urgebatur, unum ex sex canonicatibus de massa illius Cathedralis tunc vacantem in canonicatum theologalem ad tramites juris erexit.

Vertente sed vero anno 1774 Cardinali E. tunc temporis Episcopo haud satis adimpletae utriusque Concilii et enunciatae constitutionis dispositiones visae sunt, hinc novam praebendam theologalem separatam funditus erexit et ex bonis suis patronalibus ditavit, nonnulis additis conditionibus, quibus ejusdem possessoris jura et officia indigitantur. Praestat verba bullae erectionis referre: »Unum et unam canonicatum et praebendam theologalem in Cathedrali nostra ecclesia qui per concursum, servata forma

*) Vd. *p. 385.*

dictae constitutionis, non tamen hac prima vice, conferri debebunt uni actu presbytero in s. theologia magistro. futuro dictae Cathedralis Canonico theologo, qui lectiones sacrae scripturae publice in eadem ecclesia e suggestu diebus a nobis praescriptis peragere debeat ad verbi Dei scripti promulgationem clerique et populi eruditionem, plena nostra auctoritate ordinaria, atque in utriusque Concilii enunciataeque constitutionis accuratam executionem cum infrascriptis conditionibus et exemptionibus, harum serie erigimus et instituimus dictosque canonicatum et praebendam numero aliorum canonicatuum ejusdem cathedralis ecclesiae addimus et aggregamus: novum porro canonicatum theologalem pro tempore obtinentem stallo in choro juxta antianitatem optando et communibus insignibus, aliis Canonicis ejusdem cathedralis ecclesiae a s. Sede impertitis, gaudere debere declaramus.« Constitutis autem bonis quibus ipsa praebenda ditatur addit: »Eo proventu contentus erit Canonicus theologalis, qui, quemadmodum nullam participationem habere poterit reddituum mensae capitularis et distributionum quotidianarum ac incertorum eventualium vel certorum pro missis funerum aut Sanctorum vel aliis extraordinariis, ita pariter aliquam Summam et signanter compositionem annuorum scutatorum octo a Canonicis secundae erectionis persolvi solitam minime praestare debebit.«

Dein vero eodem actu hujusmodi canonicatum cuidam Angelo C. his verbis contulit: »Volumus autem et expresse declaramus quod canonicatus hactenus theologalis habitus, quem dilectus nobis in Christo Angelus vigore collationis, praevio rigoroso concursu habito sub die 1. Septembris 1770, ad dictae constitutionis formam sibi a nobis factae obtinet, post erectionem et fundationem hujusmodi, quacumque qualitate. canonicatus theologalis omnino expers sit et esse debeat. Verum canonicatum theologalem mox erectum eidem Angelo ex jure sibi antea merito quaesito atque ob ejus animi dotes, prudentiam ac scientiam, quibus munera sibi demandata et signanter s. scripturae expositionem cumulate adimplet, praesentium literarum nostrarum vi ex integro conferimus et de illo etiam providemus. Mandantes propterea dilectis pariter nobis in Christo capitulo et Canonicis nostrae hujus cathedralis ecclesiae, ut eum juxta morem recipiant et admittant eumque omnibus et singulis juribus, praerogativis et honoribus caeteris Canonicis competentibus et quibus ipse hactenus gavisus est gaudere faciant.«*)

Nedum vero Canonicus Angelus C. usque ad annum 1809 illis omnibus juribus et honoribus gavisus fuit, quibus caeteri Canonici potiebantur, sed et ejus successores Canonici F. et B. qui ab anno 1814 ad 1823 illam praebendam possiderunt. At cum eo temporis bona illius praebendae penitus deperdita fuerint, hinc amplius conferri non potuit. Quare Card. C. tunc Episcopus rursus canonicatum de massa ei suffecit subdens »canonicatum praedictum modo vacantem de massa nuncupatum et cujus collatio ad nos et successores nostros semper et quandocumque ex fundationis lege spectat et pertinet . . . . in praebendam theologalem donec et quoadusque vel bona theologalis praebendae ab Episcopo E. erectae vindicentur . . . erigimus ac instituimus.« **)

Ita se res habuerunt usque ad annum 1870, quo vertente theologalis praebenda anno 1774 instituta vindicata fuit atque collata Canonico M. qui, publico peracto concursu, possidebat theologalem praebendam de massa loco prioris suffectam.

Ast ea ipsa die qua in possessionem ipse ingrediebatur quaestio exorta fuit, siquidem ob nonnullas clausulas in bulla collationis adhibitas Canonici in ipso actu possessionis protestati sunt: »se nulla alia onera ac jura in hujusmodi theologalis praebendae possessoribus agnoscere velle, nisi ea quae absolute expressa inveniuntur in bulla erectionis.« Deinde vero sub die 24. Januarii 1871 sacratissimum Principem adiverunt exponentes »quod quamvis in praefata bulla erectionis pius fundator prohibuerit Canonico theologo participationem habere reddituum massae capitularis, distributionum quotidianarum ac incertorum eventualium vel certorum pro missis funerum aut Sanctorum et quamvis primo tantum investito Angelo C. propter ejus personalia merita privilegium indulserit omnium et singulorum jurium aliis Capitularibus competentium, inter quae illud sane eminet sessionibus capitularibus interessendi, tamen ejus successores *abusive* omnibus sessionibus adstiterunt: hinc enixe deprecabantur ut quaestio dirimeretur »an jus competat eidem Canonico theologo interessendi sessionibus capitularibus?«

*) Vd. *p. 199. g; Canon. theolog.*
**) Vd. *Praebenda theolog.* (erectio.)

Accepto hujusmodi libello scriptum fuit: *Emo Episcopo pro informatione et voto audito capitulo et Canonico ac ut referat de bono jure capituli, transmissis documentis ad rem facientibus.«*

Emus Episcopus, mandato H. S. C. morem gerens die 10. Aug. 1871 cum allegationibus partium suas literas misit, quin tamen suam sententiam panderet. Quibus habitis causa proposita est sub dubitandi formula inferius exscripta.

Canonici ad propriam tuendam thesim inquiunt: In decreto erectionis Episcopus fundator ait: *Novum porro canonicatum theologalem pro tempore obtinentem stallo in choro juxta antianitatem et communibus insignibus aliis Canonicis ejusdem cathedralis ecclesiae a s. Sede impertitis gaudere debere declaramus*: ac subinde ad nominationem transvolans Canonici C. addit ipsum ob ejus animi dotes, prudentiam ac scientiam non solum stallo, sed etiam aliis privilegiis singulis Capitularibus competentibus frui debere. Atqui si pius fundator praebendae theologali omnia haec privilegia inesse voluisset, in ipso decreto erectionis, non vero in nominatione quae decretum subsequitur, de his mentionem fecisset. Ergo talis concessio privilegium personale est, quod cum persona extinguitur. Et re sane vera, antequam praebendam theologalem fundasset, tres alios ipse canonicatus instituerat, in quorum erectionis decreto expresse declaraverat, ut ipsorum possessores omnibus fruerentur privilegiis, quae aliis Canonicis competunt: cur igitur ita non se gessit in hac ultima fundatione? Profecto quia privilegium aliquod personale Canonico C. contulit ejus successores non transiturum.

Neque suffragatur noviter investito, duos alios successores C. his juribus gavisos, cum per novennium tantum his usi fuerint, quod nullatenus sufficit ad praescriptionem stabiliendam. Quod si tamquam reale jus theologi habeatur capitularibus comitiis interessendi, certum est, nullatenus eidem fas esse hujusmodi jure frui his in sessionibus, in quibus de rebus administrativis agitur, cum expresse vetitum fuerit in literis erectionis Canonico theologali participationem aliquam habere sive mensae capitularis reddituum sive distributionum quotidianarum atque incertorum.

His vero obsistit Canonicus Angelus C. inquiens absurdum esse, Canonicum theologum, qui unus ex praecipuis Canonicis in quovis capitulo est, a comitiis capitularibus removere post centum fere annos, quibus eo jure antecessores gavisi sunt et quo etiam nunc ipse gaudet. Canonici qui denegant theologo jus interessendi capitularibus comitiis autumant in bulla erectionis canonicatus theologalis contineri privilegium concessum tantummodo Angelo C. cui primitus illud beneficium collatum fuit. Priusquam directe huic gratuitae assertioni responsum detur praenotandum ait, quod indoles canonicatus theologalis cujuscumque cathedralis ecclesiae differt summopere ab indole ceterorum canonicatuum; dum enim canonicatus ceteri quomodocumque erecti indigent probatione capituli *) et sanctione Episcopi circa ea, quae obtinent tam ad existentiam quam ad jura propria, capitulum nullam potestatem habet impediendi canonicatus theologalis erectionem nec ejusdem juribus occurrendi neque Episcopus in bulla possessionis canonicatus theologalis impertitur eidem jura, sed manifestat. Ratio est quia ecclesia et romani Pontifices sunt institutores canonicatuum theologalium cujuscumque cathedralis ecclesiae, eo quod decreverunt ut in qualibet cathedrali ecclesia canonicatus theologalis erigeretur, atque adeo quilibet theologalis canonicatus existit in jure, priusquam jam erigatur in facto. Sed cum interventus ad comitia capitularia sit unum ex praecipuis Canonicorum juribus inde scatet, quemlibet Canonicum theologum idem jus possidere independenter a capitulo.

Qua exposita animadversione directe ita illorum objectionibus occurrit. Adversarii inquit toti sunt in asserendo, jura Canonici theologi, de quibus est sermo in bulla institutionis factae ab Emo Cardinali Episcopo die 30. Maji 1774, esse privilegia Canonico C. concessa intuitu meritorum ejusdem, de quibus in dicta bulla fit mentio specialis: at undenam ideam istam privilegii collegerunt? in bulla ne verbum quidem fit de privilegio: quadraginta septem anni transire a tempore institutionis canonicatus usque ad ejusdem suspensionem et nemo Canonicorum, qui illis temporibus floruere insignes pietate, prudentia et doctrina, de hoc privilegio suspicatus unquam est. Nec juvat oggerere Cardinalem Episcopum institutorem ejusdem praebendae theologalis apertis verbis fateri, se inductum fuisse ad conferendum canonicatum Domino C. intuitu meritorum ejus; etenim verba de

*) Vd. *p. 170. VI; p. 173. VII. VIII.*

meritis C. sunt quaedam velut formulae, quae adhibentur ab omnibus fere collatoribus in suis conferendis beneficiis eo fine, ut omnes ad quos spectat sciant subjectum cui beneficium confertur iis omnibus esse praeditum dotibus, quas lex et decus in beneficiariis exposcunt. Mentio igitur meritorum ab eminentissimo Episcopo facta collationem afficit non institutionem, neque ea quae in ejusdem bulla continentur quaeque jure communi ad successores solent extendi. In adversariorum sententia omnes collationes saperent privilegium non extendendum successoribus; in omnibus enim collationibus fit mentio de beneficiatorum meritis.

Insuper adversarii sibimetipsis mentiuntur et in apertam incidunt contradictionem. Enimvero dum fatentur in bulla jura Canonici theologi esse communia et eadem ac jura ceterorum Canonicorum, eadem subinde privilegium appellant, quamdam propositionem avellentes a contextu sermonis ejusdem bullae illamque ad suam detorquentes sententiam. Et revera in bulla institutionis reperiuntur haec verba: *Nullam participationem etc.* quae referuntur ad jus *distributionum et incertorum* a quibus theologus excluditur: adversarii e contra extendunt eadem ad omnia jura de quibus est quaestio. In suppositione adversariorum Canonicus C. ne quidem poterat frui juribus aliorum; verba enim illa duo reperiuntur adamussim in bulla eidem ab institutore credita; ad quid ergo hucusque insudarunt, ut ostenderent C. gavisum fuisse juribus Canonicorum ex privilegio eidem concesso intuitu meritorum? At ipsi praesentientes certissimam suae causae jacturam more naufragorum ad tabulam confugiunt, siquidem obsecrant ut impediatur saltem quominus Canonicus M. comitiis capitularibus intersit in his casibus, in quibus agitur de interesse proprio ceterorum Canonicorum. Exceptio haec injuriam irrogat Canonico theologo; est quaedam exclusio quae patientem exanimat; quam insuper nemo antecessorum per spatium annorum 77 passus unquam est. Denique observat quod directum bonorum ecclesiasticorum dominium beneficiarii haudquaquam habent, sed illud possidet tantummodo ecclesia. Si ergo de his agitur bonis quid juris Canonicorum est ad excludendum theologum? Si vero agatur de bonis Canonicorum propriis, omisso quod eadem non possent constituere argumentum in comitiis excutiendum, num Canonicus theologus se conjungere sociis in talibus sumptibus non poterit?

Exemplum vero Canonicorum *de massa*, qui exclusive sua bona administrant, non facit ad rem, quin imo contrarium suadet; est enim illud quaedam exceptio quae firmat regulam in contrarium: nam praedicti Canonici habent illud jus ex privilegio in constitutionibus capitularibus contento, quibus cathedralis ecclesia regitur. Canonici enim *de massa* efformabant olim *soli* capitulum T. Ceterum ipsi iidem Canonici *de massa* omnes et singuli absque ulla controversia interfuerunt semper et intersunt comitiis capitularibus, tum etiam cum in eisdem agitur de bonis ceterorum Canonicorum: super quae haec praesens versatur quaestio.

Hisce hinc inde allatis ex officio additum est, quod Canonici noviter erecti juribus omnibus ac privilegiis pollent caeterorum Canonicorum. Ad rem Scarfant. ad *Ceccoper. L. I. C. XIV. n. 15.* (ibi): »*Quum novi Canonici sint vere et proprie tales et constituant unum corpus ecclesiam repraesentans, non debent ab aliis membris ipsius corporis distingui, sed quodammodo in sequelam acceptionis in Canonicos debent participare de omnibus juribus et praeeminentiis canonicalibus ad instar antiquorum. Quod sane procedit etsi servitium a novis Canonicis praestandum ex mente testatoris sit difforme et inaequale et multo minus quam sit illud, quod praestatur per antiquos.*« Addit autem hanc esse sententiam Barbosae in *summ. apost. decis. collect. 87. n. 3, de Luc. discept. 6. n. 12. de Canonicis, Rota in Bononien. Aggregationis 31. Julii 1646.* §. *Ista verba* et *in Novarien. 20. Jun. 1681* §. *Concurrente, coram Ursino.*

Nec secus tradit Pignatell. *t. VI. consult. 48. n. 8.* ibi: *Habito enim pro constanti Canonicos noviter erectos esse veros Canonicos, utique sequitur illos perfecte acquirere omnia jura canonicalia secundum Abb. in cap. Cum dilectus n. 7. de praeb. et ibid. Felin. n. 23. quos adprobavit Rota dec. 109. n. 8. coram Cavalerio, atque adeo vocem in capitulo. Ratio autem est, quoniam canonia**) *nil aliud est quam vis spiritualis in ecclesia, quo jure competit locus in choro ad divina officia et caetera quae debent fieri in capitulo ut definiendo canoniam inquit Fagnan. in cap. Cum M., Ferrarius n. 25 et 26.* et *Bar-*

*) Vd. *p. 47.*

bosa in collect. n. 18 et de Canonic. et Dign. l. 13. n. 1. ac proinde quid inseparabile ab ipsa canonia statim ac quis eam obtinet vocem habet in capitulo. Juxta doctores in cap. Cum dilectus de praeb. Monet. de distr p. 2. quaest. 94. n. 15, Lotter. de re benef. l. 1. c. 19. n. 5. Insuper s. Concilii Congregatio in Senogall. 25. Februarii 1617 referente Aldano in Comp. Resol. canon. 22. t. 29. n. 2. Et Barbosa in summ. apost. dec. coll. 87. n. 3. Hi Canonici frui debent omnibus honoribus et praeeminentiis absque ulla prorsus differentia cum antiquis, ita in Feretr. 9. Februarii 1644 et quoad aequalem thurificationem s. Rit. Congreg. in Regien. 8. Jun. 1652.«

Nec aliter statuunt quoad jus vocis activae et passivae in capitulo, siquidem idem Scarf. *l. c. n. 33* ait: »*Nec refragatur, quod augendo numerum Canonicorum cum novis redditibus, quamvis non tangatur interesse bursale antiquorum, irrogetur tamen praejudicium non leve jurisdictioni, quum in sequelam juris canoniae novi Canonici acquirant jus ferendi suffragia in electionibus et in caeteris actibus capitularibus, ac per consequens in antiquiorum praejudicium jurisdictio capitularis in plures personas diffundatur, quia hujusmodi praejudicium non est considerabile nec attenditur in concursu utilitatis ecclesiae quae consideratur in majori numero Canonicorum et consiliariorum. Rota coram Achill. de Gross. dec. 1 de iis quae fiunt a majori parte cap. et coram Coccin. dec. 2902. n. 18, cum etiam regulare sit, quod non attenditur illud praejudicium, in quo praeponderat favor ecclesiae et augmentum divini cultus, Rot. cor. Mant. dec. 131. in fin. et cor. Seraph. dec. 847 n. 3. Et Pignatel. l. c. n. 10. Quoad vocem autem in capitulo nullum dubium esse potest. Si competit etiam coadjutoribus qui non sunt vere Canonici sed ficti, uti tradit Gonzal. ad reg. 8. gloss. n. 5. §. 9. n. 101 et seqq. et Rota in Salmant. Coadjutor. 1. Julii 1594. cor. Penia, fortius debita est Canonicis noviter erectis, qui sunt vere et proprie Canonici.*«

Verumtamen his juribus limitationem aliquam adjiciendam esse omnes DD. conveniunt. Redeat *Scarf. l. c. n. 57:* »*Illud tamen observandum, quod admissio novorum Canonicorum cum pleno jure canoniae et voce in capitulo operatur solum respectu negotiorum capitularium, quae concernunt statum et servitium ecclesiae et sacristiae, prout sunt electiones capellanorum aliorumque ministrorum*) et officialium ecclesiae et sacristiae inservientium ita ut superintendentia ecclesiae et sacristiae sit simultanea cum Canonicis novis et antiquis utpote simul constituentibus unum corpus morale capituli cui imminet cura et praesidentia recto regimini ecclesiae. Fagnan. in c. dilectus l. 1. n. 26. de praeb., de Luc. de Canon. disc. 6. n. 12, Burat. decis. 193. n. 3. et 4. et 11, Novarien. Aggregationis 12. Julii 1682, cor. Ursino. Nam respectu ad deputationem officialium administrantium particulares redditus antiquorum Canonicorum veluti massam earum distributionum aut aliorum quorumcumque jurium non tangentium statum ecclesiae, sed eorum particularia negocia, non operatur novorum Canonicorum aggregatio et admissio, sed in iis sese ingerere non possunt, Rota in Novarien. Aggregationis §. Cum igitur. Quinimo si emolumenta et salaria pro dictis officialibus ecclesiae vel sacristiae inservientibus persolverentur ex redditibus ipsius ecclesiae et sacristiae, eatenus novi Canonici admittendi forent ad ferenda suffragia in eorundem officialium electionibus, quatenus ipsi etiam concurrerent ad stipendia. Nam si se subtrahere vellent ab oneribus solutionis, excludendi etiam essent ab actu electionis qua Canonici novi, sicuti admittuntur ad praerogativas et jura canonicalia debent etiam subire incommoda ut omnis aequitas suadet, Calderin. Consul. 21. in fin. de praeb., Tondut. quaest. benef. c. 68. n. 16. et seqq. p. 1, Rota Novarien. 21. Jul. 1682. §. modus autem, et haec s. Congr. Aretina Erect. canon. 1. Maji 1707.*«

Adstipulatur his haec s. Congregatio: nam etsi semper probaverit novos Canonicos gaudere voce activa et passiva ceterisque juribus Canonicorum, jugiter tamen ea excepit quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum. Ita *in Eugubina Erect. canon. 26. Mart. 1763 ad 4. dubium, in Tolentinat. Archipresbyt. 1. Febr. 1766. ad 3. dubium, in Pisana 5. Decembris 1846 et in Veliterna**) 20. Decembris 1851.* Proposito enim inter caetera dubio: »*An et in quibus negociis Canonici secundae erectionis jus habeant capitularibus sessionibus interessendi et gaudeant voce activa et passiva in casu?*« rescriptum fuit: »*Affirmative in omnibus exceptis iis, quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.*« Neque hac de re praescriptionis adminiculo Cano-

*) Vd. *p. 338. V. VI.*
**) Vd. *p. 391.*

nicus theologus juvari posse videtur. Quandoquidem, demptis annis queis hujusmodi praebenda ob deperdita bona vacans extitit, tempus ad praescribendum requisitum deesse videtur. Sane tam Canonicus F. quam Canonicus B. praebenda fruiti sunt, ut ex actis apparet, a die 26. Julii 1814 usque ad diem 15. Martii 1822; hinc ne novennium quidem elapsum fuit atque adeo nulla praescriptio in themate habetur.

Neque dicas hujusmodi temporis intervallum si non in linea *praescriptiva* in linea tamen *praesumptiva* Canonico M. opitulari posse, quoniam ex eo quod post Canonicum C. evenit, facile praesumitur quid sub recitatis clausulis intellectum fuerit: hujusmodi enim difficultas evanescit, si paulisper animadvertatur, allatae praesumptionis jus reluctare et Canonicos F. et B. nonnisi per abusum juribus, honoribus ac privilegiis caeterorum Canonicorum potitos fuisse.

His aliisque deductis propositum fuit resolvendum

Dubium:

An et in quibus sessionibus capitularibus jus habeat interessendi Canonicus theologus E. in casu?

S. Congregatio Concilii, re mature perpensa, respondit: Affirmative in omnibus exceptis his quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.

Exinde colliges:

I. Canonicos secundae erectionis non debere ab aliis membris ipsius corporis distingui, sed participare de omnibus juribus et praeeminentiis canonicalibus ad instar antiquorum.

II. Idque procedere etiamsi servitium praestandum, ex testatoris dispositione, sit difforme et inaequale ab eo, quod praestatur ab antiquis.

III. Hinc jus ipsis competere ferendi suffragia in electionibus caeterisque actibus capitularibus, quae concernunt statum et servitium ecclesiae et sacristiae, non vero in his quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.

19) Feriae.

Vd. *Feriae Canon.*; Vacatio a choro.

20) Fructus sede episcop. vacante provenientes percipere num possent Canonici?

Vd. *Capit. Cathedr.* (emolumenta sede vacante etc.)

21) Fructus qui et quando percipiendi a Canonicis?

Vd. p. 174. etc.

22) Fundationes privatas canonicatui adnexas adimplere debet.

Vd. t. I. p. 854: *Mazarien; Canonicus* (concionator); *Fundatio* (stricte observ.); *Legatum*; pag. 289. a: *Sorana.*

Taurinen.

Praeter missam conventualem in erectione assumptam ad ea tantum Canonici tenentur Sacra, quae a certis praescripta sunt fundatoribus, juxta *Barbos. ad Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de reform. num. 7, Pasqualig. de sacrific. Miss. quaest. 899. num. 2, Scarfanton. ad Cccoper. lucubr. can. tom. 2. in addit. ad tit. 4. num. 2.* et *s. Congregat. in Verulana Archidiaconatus 13. Julii 1748. ad V.***)

Die 10. Julii 1790.

23) Jubilatus.

Vd. *Jubilatio; Canonicus jubilatus; Canonicat.* (fructus, p. 207. VI.); t. I. p. 716. VII.

24) Jura.

Vd. *Canon. Cath.* (vox etc.); *Capitulum; Canonicus* (jura); 385. n. 18.

25) Jura, privilegia etc. Canonic. Cathedralium unitarum.

Vd. *Canon. Cath.* (Vox — jus quibus etc.; Canonicus qui vere est? p. 357.); *Capitulum.*

Spalaten et Makarscen.

Ex quo bulla s. m. Leonis XII. *Locum B. Petri* sub die 30. Junii anni 1828 prodiit, qua plures in ditione Austriaca dioeceses vel suppressae vel invicem unitae fuere, variae identidem obortae sunt quaestiones Cathedralium inter ac Concathedralium unitarum capitula quoad jura et praerogativas potissime autem quoad jus Vicarii capitularis sede vacante eligendi. In hac porro conditione quum et capitulum ecclesiae Macarscensis quae ecclesiae Spalatensi unita reperitur versaretur, ne urgente capitularium statutorum confectione quid in ipsis disceptationi obnoxium inde relinqueretur, e re sua capitulum inquam ipsum duxit supplici libello exeunte anno 1844 S. H. C. percontari:

1. Num vi conservatae episcopalis sedis

*) Vd. *t. I. p. 1064.*

Makarskensis cum suo capitulo uti Concathedralis Spalatensis ecclesiae conjunctae capitulum Makarskense in statutis confirmandis ea debeat indicare quae a ss. canonibus et decretis S. R. C. pro capitulis cathedralibus generatim decernuntur, praesertim cum nulla pro capitulis concathedralibus peculiariter notentur?

2. Num vi conservatae sedis episcopalis Makarskensis capitulum ejusdem una cum capitulo Spalatensi succedat in episcopalem jurisdictionem Sedis vacantis et jure sociativo Concathedralitatis debeat et possit Makarskense capitulum per suos legatos se cathedrali capitulo sociare in electione Vicarii capitularis, qui ambarum sedium teneat regimen?

3. Num jure sociativo Concathedralitatis Dignitatibus et Canonicis capituli Makarskensis valeant competere aequalia jura, tituli et praerogativae quibus Dignitates et Canonici Cathedralis Spalatensis capituli solent gaudere?

Super singulis auditus Episcopus Spalatensis et praecipue ut requisito in scriptis capitulo Cathedralis referret utrum unio ecclesiae Concathedralis Makarskensis cum Cathedrali Spalatensi fuerit aeque principaliter vel subjective facta deque consuetudine provinciae vel regni, sedatis vix tumultibus qui publicam rem eo etiam in imperio turbaverant, mandatis accurate satisfecit. Dedit nimirum conclusiones capituli Spalatensis, quod membratim commentans pontificiae bullae dispositionem mordicus tuetur ejus indolis esse unionem, ut capitulum Concathedralis Makarskensis subjective unitum censendum sit ecclesiae Cathedrali Spalatensi. De consuetudine vero, cum nulla praeteritis temporibus ecclesia concathedralis in Dalmatia extitisset nec alia in praesenti Makarskensi excepta inveniatur, Episcopum Tergestinum et Parentinum in Histria consulendos duxit laudatus Episcopus, qui in eodem ac ipse ob ecclesias Polensem alteri, alteri Justinopolitanam Concathedralium nomine adjectas casu versantur quique extra quamvis Dalmatiae fines sub una tamen eademque corona sunt et in eadem Leonis bulla comprehenduntur, quorum proinde responsiones subnectens declarat suam esse sententiam ex integro adhaerere opinionibus a praefatis Episcopis Tergestino et Parentino panditis.

Porro Episcopus Parentinus, etsi sentiat et ipse desiderari omnino in casu exactam interpretationem bullae unionis, inclinare nihilominus videtur sententiae, quae unionem subjectivam tuetur et proinde negative se habet quoad concursum capituli Concathedralis ad electionem Vicarii capitularis. Episcopus Tergestinus vero refert primum Archiepiscopi Goritiensis a Justinopolitano super re percunctati sententiam, quae pariter unioni subjectivae favet. Quam Metropolitae sententiam addit confirmatam fuisse rescripto imperialis aulicae cancellariae diei 8. Julii 1847.

Nihilominus ancipitem se haberi Episcopum ipsum Tergestinum in Metropolitani sententia admittenda. Curam, regimen et administrationem ipsarum Tergestinae et Justinopolitanae invicem perpetuo unitarum pastoris solatio destitutam.

Suam concludit epistolam urgens et ipse authenticam bullae interpretationem, ut inde ex declaranda unionis indole cujusque ecclesiae maxime Concathedralis jura ac praerogativae perpetuo constituantur. Non est autem cur post haec referam etiam satis prolixas capituli Spalatensis animadversiones quippe quae ferme colliment cum illis ab Archiepiscopo Goritiensi adductis, de quibus jam supra. Praestat potius nonnulla super multiplici unionum specie superque variis ejus effectibus ex jure praenotare, ut inde aptius faciliusque definiatur cujus indolis sit unio per Leoninam bullam peracta qualiaque ex ea jura ac praerogativae ecclesiis Concathedralibus obtingant.

Neminem praeterit a communi canonistarum schola tres tradi unionum species, quarum prima accessorie seu per viam subjectionis dicitur fieri, quando una vel plures ecclesiae aut beneficia alteri annectuntur et incorporantur, ut mediante ea annexione seu incorporatione evadat membrum, subjectum inferius, accessorium, adhaerens illius ac dependens ab eo, cui unitur; hoc vero remaneat superius ac principalius, de quo est textus in *cap. Monasterium de religios. domib.* et *gloss. in cap. 1.* verb.: *Uniendo. Ne Sede vacante*, ibique *Fagnan. numer. 3*, *Gonzal. ad regul. 8. cancellar. gloss. 5. §. 7. numer. 26*, *Franc. de eccles. cathed. cap. 8. num. 14.*

Secunda quae appellatur aeque principalis locum habet dum duo vel plures ecclesiae absque eo quod in unum veluti corpus coalescant ita connectuntur, ut neutra alteri subjiciatur, sed unaquaeque sua jura, privilegia, praeeminentias ac titulos retineat, etsi haec omnia sint penes eumdem utriusque rectorem. Ad quam speciem spectare videtur, dum duae ecclesiae cathedrales perpetuo ita inter se uniuntur, ut neutra suum statum amittat. Quam unionis speciem affabre exemplatur *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. numer. 29*, ibi: Tertio modo fit unio duarum dioecesum vel ecclesiarum quoad caput et gubernatorem ut utraque remaneant cum suis propriis bonis et juribus distinctis et separatis et non communicatis prius, sed habeat unum dumtaxat Episcopum et rectorem et quaelibet retineat sua privilegia et jura et statuta, ut accidit in episcopatu Viterbii et Tuscanen, quia licet sint duo dioeceses unus tamen solus Episcopus est Et cum Episcopus rescribit super concernentibus jurisdictionem et administrationem episcopatus Viterbiensis, se nominat Episcopum Viterbiensem et Tuscanen. Si vero super concernentibus episcopatum Tuscanen. se inscribit Episcopum Tuscanen. et Viterbien. semper anteponendo nomen illius dioecesis, in qua consistit res, de qua agitur.

Consonat *Leuren. for. benef. par. 3. sect. 2. cau. 1. quaest. 880. num. 2.* qui distinguendo apertius rem declarat, ibi: Verum idipsum distinguendum, nimirum ut unus sit rector duarum ecclesiarum, dupliciter fieri possit: nempe vel accidentaliter in hac persona tantum ex quadam particulari commendatione ipsarum ecclesiarum statu in nihilo immutato (quam etiam unionem potius de facto quam de jure, uti et personalem tantum et accidentalem vocat *Cardinal. de Luca ad Trid. discur 8. num. 33*) vel ex perpetua unione dictarum ecclesiarum, *Card. de Luca in miscellan. discur. 1. num. 38.* Quin etiam ibidem ait, hanc posteriorem unionis speciem in Cathedralibus praesertim magis in usu esse, quae tunc vere et de facto inter se habentur pro duabus invicem distinctis, quamvis unum habeant gubernatorem, qui quoad se dicitur unus et idem, sed quoad eas habetur pro duplici homine diverso seu discreto.

Tertia unionis species ea est, quae incorporativa seu promiscua dicitur, nimirum quando una vel plures ecclesiae alteri non uniuntur accessorie sed singulae aeque incorporantur, ita ut de duabus vel pluribus una tantum efformetur et in unum corpus omnes coalescant. *Leuren. loc. cit. num. 3*, *Franc. loco pariter cit.*, *Rigant. ad regul. 8. num. 405*, *Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 11, num. 4.* Haec unionis species, quae tamen non ita ac reliquae frequenter contigit, prout observat *Garcias de benef. par. 12. cap. 2. num. 7. vers. primo*, duobus modis fieri potest vel subjective videlicet vel aeque principaliter, ut notat *Piton. discept. eccles. 9. n. 46.*

In unione incorporativa aeque principaliter, per quam e duabus ecclesiis una tantummodo conflatur, datur communicatio privilegiorum et praerogativarum per viam adaequationis et attributionis alteri ecclesiae, ejus, quod plus in altera reperitur, juxta *gloss. in cap. Novit* ibique doctores ac *Piton. loco cit.* Unde nemo non videt quantum discriminis intercedat inter istam aeque principaliter factam unionem incorporativam ab illa, quae simpliciter aeque principalis dicitur; cum in ista non una efformetur ecclesia sed duae adhuc distinctae remaneant et utraque primaevo in statu conservetur. *Piton. discept. 9. n. 5. et 46*, *Pignatell. cons. 223. n. 17. tom. 1*, *Ancharan. Consil. 114. n. 2*, *Mantica decis. 222. n. 3.*

Idem dicas de unione incorporativa subjective facta, per quam e duabus quoque ecclesiis una tantum efformatur in unum corpus coalescens communicatis interim ac confusis juribus et praerogativis absque tamen, ut in priori via adaequationis et attributionis alteri ecclesiae ejus, quod plus in altera reperiebatur: quae longe fortiori ratione confundi minime debet cum illa unionis specie quae simpliciter dicitur subjectiva. Nam in ista unitae ecclesiae omnino jura, privilegia omnesque praerogativae transferuntur absolute in alteram cui fuit unita illique accrescunt ac incorporantur sine ulla tamen confusione.

At in unione simpliciter incorporativa per quam e duabus ecclesiis una tantum efformatur, in unum veluti corpus coalescens, talis ac tanta fit jurium ac praerogativarum communicatio, commixtio atque confusio, ut una ab altera ecclesia distingui ac separari amplius nequeat. Hasce distinctiones tradit in terminis *Reclus. par. 1. tit. 11. de tripl. union. n. 130. et seqq.*

Num autem unio sit accessoria an principalis, unde in dubio praesumatur et ex quo dignoscatur, late tradit *Leuren. for. benef. par. 3. sect. 2. cap. 1. quaest. 881*, ni-

mirum in dubio ubi non constat clare de contrario semper praesumitur unionem factam esse aeque principaliter et non accessorie seu subjective, cum haec reputetur odiosa. Consonant *de Luca in observat. ad annot. 8. §. 1. tom. 2. Ventrigliae 1 citans Gratian. discept. forens. 893, Gonzal. gloss. 5. §. 7. n. 134, Abb. in cap.: Extirpandae. Qui vero de praeb. n. 4, Rebuff. in prax. tit. de union. n. 20.* Ad dignoscendum vero utrum unio facta censeatur accessorie vel aeque principaliter inprimis inspiciendum tenorem unionis monet *Leuren. loco cit.* et cum eo *Castrop. de benef. disp. 6. p. 12. §. 1. n. 11, Garz. cit. cap. 12. n. 5, Gonz. loco cit. n. 128, Hojed. de incorporat. benef. par. 2. cap. 3. num. 5.* Et sic ecclesiam judicari unitam accessorie per verba: »Ecclesiam vel beneficium illi beneficio unimus, annectimus vel incorporamus.«

E contra vero judicari duo aeque principaliter unita si dicatur »illud et illud beneficium unimus.« Eamdem discernendae unionis theoricam tradit *Garzias cap. 2. de union. num. 55:* sed late consulendus *Reclusius cit. tit. 1. de tripl. union. n. 66 usque ad 88,* S. C. autem in *Tuscanen. Concursus. 16. Martii 1771* veluti unionis aeque principalis argumenta tenuit, quod Episcopus aliquando utriusque ecclesiae titulo se denominaret et in utraque ecclesia possessionem semper adeptus fuit. Super quo tamen monendum cum *Pignatell. tom. 1. consult. 223. num. 13* quod licet quandoque verba, prout sonant, soleant denotare unionem accessorie et extinctive factam, attamen magis substantia et mens attendenda est, quam nudum verbum; praesertim ubi alia quoque verba contrarium ostendunt, ita ut ad arguendam unionem aeque principalem ne verbum quidem *incorporamus* aliquando difficultatem ingerere valeat.

Si autem ex lectura seu literis unionis dignosci nequeat species unionis, attendendum quaenam ex beneficiis seu ecclesiis invicem unitis sint magis vel minus digna.

Quod si neque id appareat, recurrendum est ad denominationem sive attendendum, num ex una ecclesia tantum denominatio proveniat. Cessantibus autem his omnibus praesumendum, ut dictum, unionem factam aeque principaliter, cum semper summi debet praesumptio, ut titulus ecclesiae seu beneficii non extinguatur sed conservetur. *Leuren. loco cit. num. 2.* cum *Castrop. et Gonzal.* Perbelle autem observat *Card. de Luca discur. 8. de praeemin. numer. 10,* ibi: »Quodsi procedit generaliter in quibuscumque unionibus inferiorum ecclesiarum sive beneficiorum, clarius ac extra omne dubium in ecclesiis cathedralibus et episcopatibus, stante stylo Sedis apostolicae hujusmodi uniones in hac forma faciendi nec de facile supprimendi cathedram vel dioecesim illamque faciendi membrum seu praedium alterius ecclesiae, cui fiat unio.«

Magnum autem est discrimen illudque e diametro oppositum inter effectus, quos unio subjectiva operatur, ac inter effectus unionis aeque principalis. Ut caetera omittantur, prima species operatur abolitionem et extinctionem non solum nominis beneficii seu dioecesis, quae accessorie unitur, sed et ipsius tituli, ita ut amplius non nominari necesse possit beneficium vel dioecesis. *Leuren. loco cit. quaest. 883. num. 2, Lotter lib. 1. qu. 28. num. 98, Garc. cit. par. 12. num. 12.* Secundae vero speciei effectus est ut, quoniam non inter se, sed in persona rectoris utriusque dioecesis, ecclesiae seu beneficia commiscentur, ita qualitates, bona, jura, privilegia singularum dioecesum, ecclesiarum seu beneficiorum salva et impermixta permanent et nequaquam jura et privilegia unius sunt quoque jura et privilegia alterius sed utrumque beneficium, utraque ecclesia in suo statu antiquo et honore conservatur, distinctos agnoscens redditus ac propriis gaudens privilegiis. *Leuren loco cit. quaest. 884. num. 2.* citans *Garc. cap. 2. par. 12. numer. 37, Mandos. ad reg. 12. quaest. 1. num. 4, Hojed. de incomp. par. 1. cap. 15. num. 1 et 8, de Luca de praeemin. discurs. 7. num. 6.* Consequenter ad haec sentiunt unanimiter DD., quamlibet ex dioecesibus unitis debere habere suum proprium Vicarium, seminarium, theologum, poenitentiarium, examinatores, synodum et carcerem, *Pignatell. tom. 4. consult. 131 et consult. 81. tom. 9. num. 24* et latius apud s. Con. *Privernen. Aperitionis seminarii 16. Martii 1771,**) necnon suum Vicarium capitularem succedente vacatione ab unoquoque capitulo eligendum, ceu jam animadversum in praecedenti restrictu pro Tergestina.

Attamen recolendum videtur, quod in praxi non una semper eademque unionis aeque principalis forma adhiberi ab apostolica Sede soleat, sed quandoque latius et absque ulla limitatione quandoque vero pro rerum

*) Vd. *Seminarium.*

et loci circumstantiis strictius et cum limitatione jurium sese habere solet; non ideo tamen ex hoc immutari seu alterari unionis indolem ac substantiam nemo unquam dixerit. Sic Bened. XIII. pro Terracinensis, Privernensis ac Setinae dioecesibus etsi aeque principaliter unitis attamen mandavit, ut sede vacante sola Terracinensis Vicarium eligeret, qui praeesset omnibus, ceu refertur apud S. C. in *Terracinen., Setina* et *Privernen 1. Martii 1766. §. Ipsum.*

Quibus in jure praejactis damus textum bullae unionis, ut Patres amplissimi unico veluti obtutu discernant utrum aeque principaliter vel potius subjective Pontificis praepositum fuerit dioeceses de quibus quaeritur unire, ut inde etiam dimetiantur jura ac praerogativas quibus capitula Concathedralium uti valent:

»Episcopales vero sedes (sic bulla) Justinopolitanam, Polensem et Makarskensem conservatas denunciantes aliis episcopalibus ecclesiis uti Concathedrales ab uno eodemque Antistite inposterum gubernandas perpetuo unimus et adjungimus scilicet Justinopolitanam Concathedralem esse volumus Tergestinae, Polensem Parentinae et Makarskensem Spalatensi; ac proinde Episcopus Tergestinus nomen quoque suscipiet Episcopi Justinopolitani et Parentinus Polensis ac Spalatensis Makarskensis adhibita tamen semper et in quolibet actu ac loco praenominatione Episcopi Tergestini, Parentini et Spalatensis etc.

Binos autem ex Canonicis cujusque Cathedralis capituli adsciscent Episcopi, qui poenitentiarii ac theologi muneribus juxta Sedis apostolicae constitutiones fungantur. . . . Capitula demum Justinopolitanae, Polensis et Makarskensis ecclesiarum quae uti Concathedrales conservabuntur eodem numero Capitularium constabunt, qui praefinitus est pro ecclesia cathedrali, cui ipsae erunt unitae etc.

Ad consulendum vero post enunciatas immutationes felici capitulorum statui ac regimini curabit quilibet Antistes peculiaria a singulis Canonicorum collegiis ordinari statuta, quibus ex ss. canonum et synodalium dispositionum praescripto salubriter de recto divini cultus servitio ac de propriis muneribus rite obeundis cautum sit.

Ne autem ex imminuto pastorum numero difficultas oriatur in dioecesium procuratione ob majorem episcopalis curiae longinquitatem, cautum erit, ut nedum in Concathedralibus retineantur Vicarii generales, sed insuper etc Quando Sedes vacabunt Vicarius capitularis ecclesiarum, quibus aliae Concathedrales sunt unitae regimen tenebit etiam Concathedralis, cujus proinde capitulum non poterit Vicarium capitularem sibi eligere. Attamen novi Episcopi possessionem delati sibi muneris in iis quoque ecclesiis suscipient curabuntque per aliquot anni tempus ac praesertim in sanctorum Titularium solemnitatibus ibidem residere.« Hucusque bulla; superest ut, quae de Vicarii capitularis electione habita sunt in contemporaneo restrictu pro Tergestina, revocentur ab EE. PP. praesentique casui applicentur et inde definiant

Dubia:

I. *An et quomodo a capitulo Makarskensi conficienda sint statuta capitularia in casu?*

II. *An idem capitulum per suos legatos concurrere valeat ad electionem Vicarii capitularis cum capitulo Spalatensi in casu?*

III. *An eidem capitulo Makarskensi competant aequalia jura, tituli et praerogativae, quibus Dignitates et Canonici Cathedralis Spalatensis Capituli gaudent in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad formam ss. canonum et decretorum s. Sedis pro capitulis Cathedralium.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative quoad ea quae communia sunt omnibus Cathedralibus nulla habita ratione ad specialia privilegia, si quae sint capituli Spalatensis.

Die 23. Novb. 1830.

26) Missam conventual. celebrans.

Vd. n. 8. p. 365; n. 9. p. 377.

27) Missam privatam celebrans tempore quo Episcopus sol. celebrat etc.

Vd. p. 379. n. 10.

28) Optio.

Vd. *Optio.*

29) Ordinatio.

a) Intra quod tempus suscipi debet?

Vd. *Canon. Cathedr.* (clericus etc. p. 380; t. II. p. 175. n. 22; p. 236. n. 31; p. 1049. e; supra p. 48; p. 380. n. 12. *Canonicus* (sacerdotio nondum etc.)

Canonici qui in cathedralibus et collegiatis ecclesiis obtinent canonicatus, dignitates vel personatus,*) quibus aliqui ordines sunt adnexi, tenentur eumdem ordinem requisitum intra annum suscipere, *Clement. Ut ii 2. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum* et *Concil. Trident. sess. 22. de ref. cap. 4.* Adeoque promoti ad canonicatus, dignitates vel personatus debent in ea aetate constituti esse ut infra annum possint ad ordinem requisitum promoveri; *Conc. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 14*, ibi: Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine s. aut sit initiatus quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit aut in tali, ut infra tempus a jure et ab hac s. synodo statutum initiari valeat. Aliter promotio seu provisio erit nulla, ut expresse statuitur a Tridentino *sess. 22. de ref. cap. 4*, ibi: Nec aliis inposterum fiat provisio, nisi iis, qui jam aetatem et caeteras habilitates integre habere dignoscantur. Aliter irrita sit provisio. Et annus hujusmodi statutus ad se promoveri faciendum ad s. ordines computari debet non a tempore collationis factae sed a die habitae pacificae possessionis, dummodo per provisum non steterit, quominus antea possessionem perceperit, ut expresse respondit s. Congreg. Concil. his verbis:

Die 23. Septembris 1631. S. Cong. Cardinalium Concil. Tridentin. interpretum respondit, annum de se promovere faciendo ad s. ordines computari debere a die habitae possessionis, dummodo per provisum non steterit, quominus antea possessionem perceperit.

R. Cardinalis Ubaldus. Franciscus Paulutius s. Congregat. Concil. Secretarius.

Canonicus tamen a Sede apostolica super aetate dispensatus non prius cogendus est ad s. ordines promoveri, quam ad 22 annos pervenerit. *Garcias de benefic. part. 3. cap. 14. numer. 35.*

*) Vd. *t. II. p. 522.*

b) Ordinatus qui non est intra tempus praescript. ex sua culpa.

(Poena.)

Vd. *Canon. Cath.* (Vox etc. — jus quibus non est —); p. 380. n. 12.; p. 413. n. 31.

Canonici qui ad s. ordines suis canonicatibus, dignitatibus vel personatibus adnexos se intra annum justo impedimento cessante promovere non faciunt, ex tunc, donec promoti fuerint, privantur voce in capitulo et dimidia parte distributionum*), *Clementin. Ut ii 2. de aetate et qualitate*, ibi: Illi vero, qui dignitates, personatus, officia vel praebendas, quibus certi ordines sunt adnexi, pacifice nunc obtinent in eisdem ecclesiis vel obtinuerint in futurum, nisi (justo impedimento cessante) ad hujusmodi ordines se promoveri fecerint infra annum, ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant eorumdem. Ipsisque distributionum, quae dantur his, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis, poenis aliis, quae contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in jure, nihilominus in suo robore permansuris. Et sic etiam fuit statutum et innovatum a Conc. Trident. *sess. 22. de reform. cap. 4.* his verbis: Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia in dictis ecclesiis obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt adnexa, videlicet ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant seu cantent, quocumque ii privilegio, exemptione, praerogativa, generis nobilitate sint insigniti teneantur justo impedimento cessante infra annum ordines suscipere requisitos, alioquin poenas incurrunt juxta constitutionem Concilii Viennensis, quae incipit; *Ut ii, qui*, quam praesenti decreto innovat, coguntque Episcopi diebus statutis dictos ordines per se ipsos exercere ac caetera omnia officia, quae debent in cultu divino praestare, sub iisdem et aliis gravioribus poenis arbitrio eorum imponendis.**)

*) Vd. *p. 83. III.*

) Duplici ratione, uti scite animadvertit doctissimus *Van Espen* potest ordo adnecti beneficio, scilicet aut *actu* aut *aptitudine vel potentia.) *Actu* dicitur ordo adnexus beneficio cum ordo requiritur tempore collationis seu provisionis beneficii, adeo ut nemo possit beneficium hujusmodi adipisci, nisi qui *actualiter* illo ordine sit insignitus, uti e. g. si dicatur in tabulis fundationis beneficii: *instituatur, praesentetur sacerdos* aut: *non instituatur* aut *praesentetur nisi sucerdos.*

*) Vd. *t. II. p. 185. n. 27; supra p. 267. Tergulana.*

Immo Canonici ad requisitos ordines infra annum non promoti possunt aliis poenis etiam privationis puniri. Colligitur expresse ex cit. *Clementin. Ut ii 1. de aetate et qualitate in fine*, ibi: Poenis aliis, quae contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in jure, nihilominus in suo robore permansuris. Et sic declaravit s. Congreg. Concil. in *Patavina*, his verbis: Canonici, qui ordines sacros debitos post monitionem sumere recusant, ab Ordinario privari debent.

Poena privationis dimidiae partis distributionum, quam incurrunt Canonici requisitos promotus fuerit ad sacerdotium, nihilominus ipsa parochialis ecclesia, qua semel caruit, propterea quod tempus statutum ad promotionem non servaverit, *nullatenus ea vice poterit ei iterato conferri*, ne statutum ipsum hac ratione ludibrio sit. Ita in *laud. cap. Commissa* Bonifacius VIII. Quae profecto erunt intelligenda de ecclesiis *stricte* parochialibus, adeo ut ad collegiatas ecclesias, *etiamsi alias parochiales extiterint*, non sint extendenda, uti decernit idem Bonifacius VIII. *cap. Statutum 22. laud. tit. de elect. in 6.* Vide etiam Glossam in *cap. Licet Canon. laud.* verb. *Parochialis*

Illud etiam hic animadvertendum, (quod etiam peculiare est hujusmodi beneficiis) quod si contingat hujusmodi clericos nondum sacerdotio initiatos ad parochialis ecclesiae regimen promoveri, omnino ab initio debent habere animum ac voluntatem curandi, ut intra anni statuti spatium ad sacerdotium promoveatur; qui promoveri non intendens parochialem receperit ecclesiam, ut fructus ex ea per annum perciperet, ipsam postmodum dimissurus tenebitur ad restitutionem fructuum eorundem, cum fraudulenter acceperit, nisi postea forte mutata voluntate ad sacerdotium promoveatur. Ita decernit Bonifacius VIII. *laud. cap. Commissa.* Cujus ratio est, quia ecclesia beneficium curatum clerico nondum sacerdoti cum hoc onere et tacite adnexo pacto conferre solet, ut is obligatus sit intra annum sacerdotium suscipere; adeoque si ab initio contrarium animum habuerit et gravis peccati reatu sese involvet et onus restituendi fructus intra anni spatium perceptos subibit.

Dixi: *nisi postea mutata voluntate ad sacerdotium promoveatur.* Si quis enim ab initio, cum beneficium curatum fuerit adeptus, hunc animum suscipiendi sacerdotium intra anni spatium non habuisset, at postea deposito hujusmodi iniquo animo ac mutata prava voluntate reapse fuerit ad Sacerdotium promotus, ab hoc onere restituendi fructus perceptos inde liberabitur, ut *in laud. cap. Commissa* apertissime decernitur. Quod si quis a principio promoveri intendens postea mutata voluntate promotus non fuerit, ad restitutionem fructuum non adstringetur. Hoc tamen glossa intelligendum docet de fructibus perceptis ante mutatam voluntatem; secus vero de aliis postea perceptis, licet oppositum probabiliter alii sentire videantur, qui hujusmodi *absolute* et *simpliciter* eximunt ab obligatione restituendi fructus, sive antea sive postea perceptos. Vide *Paul. Layman lib. IV. tract. II. cap. 74. n. 40* Demum quaeri potest, quid dicendum sit de eo, qui ab initio ad parochialem Ecclesiam promotus fuerit animo dubio et ancipiti, num intra annum ad sacerdotium vellet promoveri; an si postea non promoveatur ad fructuum restitutionem sit adstringendus? Affirmative perquam recte respondet Sanchez, et post eum *Layman loc. cit.* quia in eo deest conditio requisita in *laud. cap. Commissa*, ut scilicet ab initio habeat intentionem intra annum promovendi.

*) Vd. *p. 410. §. Die.*
**) Vd. *p. 413. n.*

ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis intersint Divinis et officium recitent, *Moneta de distribut. quotid. part. 2. quaest. 19. num. 30*, *Barbosa de Canonicis cap. 16. num. 15.* et alii passim in cit. *Clement. 2.* §: *Illi vero.* Nec valet consuetudo quod Canonici residentes non priventur tali dimidia parte distributionum, licet intra annum ad requisitos ordines non sint promoti, *Roch. de Curte in reper. cap. fin. de consuetudine sect. 6. num. 39, Moneta citat. part. 2. quaest. 9. num. 5, Barbosa loc. cit. num. 6.* Poena privationis dimidiae partis distributionum, quam incurrunt Canonici requisitos ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis reliqua dimidia pars quae superest non sufficiat ad sustentationem Canonici, glossa in cit. *Clementina Ut ii 2. de aetate et qualitate* verb. *Pars dimidia*, ibi: Etiamsi reliqua dimidia ad sustentationem ipsorum non sufficiat et imputent sibi, cum per ordinis receptionem hanc poenam vitare possint; et glossam sequuntur passim doctores. Talis autem privatio dimidiae partis distributionum intelligenda est de iis solummodo distributionibus, quae proprie et stricte distributiones quotidianae dicuntur, nempe quae dantur iis, qui horis seu officiis ordinariis intersunt, de quibus loquitur cit. *Clement. Ut ii 2. de aetate et qualitate*, non autem de extraordinariis distributionibus, quae dantur pro funeralibus seu anniversariis defunctorum et aliis hujusmodi, quae large et generaliter distributiones vocantur, *Moneta de distribution. quotidianis part. 1. quaest. 3. num. 12*, *Barbosa loc cit. num. 15.* Nisi distributiones funeralium seu anniversariorum sint unitae cum horis, ut recte advertit *Garcias in addict. part. 3. cap. 4. sub num. 15.* et *Barbosa in Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. de reformat. num. 22.*

Canonicus autem dispensatus super aetate ad obtinendum canonicatum si promoveri non curavit ad ordines, postquam ad legitimam aetatem pervenit, juxta formam in dispensatione praescriptam distributiones non acquirit, quamvis choro inserviat, ut declaravit sac. Cong. Conc. in *Florentina 2. Januarii 1697.*

Canonicus in s. ord. non constitutus vocem in capitulo aliquo pacto acquirere seu praescribere non potest. Sac. Congregat. Concil. 20. Aprilis 1602. Canonicus non subdiaconus nec vocem consultativam in electionibus et synodo habet. Sic decisum fuisse a s. Congreg. Conc. refert *Garcias de benefic. part. 3. c. 4. num. 25.*

Hortana.

Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12 de reform.* sanxit neminem deinceps ad canonicatus ecclesiarum cathedralium esse promovendum, nisi qui eo ordine sacro sit insignitus quem illa praebenda requirit aut in tali aetate ut infra tempus a jure et ab ipsa synodo statutum initiari valeat. Quando autem ex beneficiorum erectione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, non est eis derogandum, inquiunt Tridentini Patres *sess. 25. cap. 5. de reform.*, nisi urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse; *ead. sess. cap. 18.*

Die 30. Jan. 1830.

c) Ordinatus qui non est intra temp. praescript. non ex sua culpa.

Nullam tamen poenam incurrunt Canonici si ad ordines requisitos non promoveantur intra annum propter justum impedimentum, ut esset infirmitas totius illius anni vel si absens erat Episcopus et commendatitiae literae haberi non potuerint vel eos Episcopus ordinare noluerit vel his similia, prout exemplificat *glossa in cap. Commissio 35. de election. in 6.* verbo: *Justo impedimento*, et sequitur *glossa in cit. Clement. Ut ii 2 de aetate et qualitate* verb.: *Impedimento.* Isti enim sic impediti adhuc post annum percipient integras quotidianas distributiones, quia per ipsos non stat, quin promoveantur propter justum impedimentum, quod approbavit citat. *Clement. Ut ii 2. de aetate et qualitate* et *Conc. Trid. cit. sess. 22. c. 4. de reform*, ibi: »Justo impedimento cessante.« Nec etiam ullam talem poenam incurrit Canonicus dispensatus a Papa, ut in aetate v. g. sexdecim annorum vel in alia sufficienti canonicatum in Cathedrali obtinere possit, nam eo ipso, quod est dispensatus circa aetatem et provisus de canonicatu, praebenda, fructibus et stallo, debet ad vocem et ad distributiones admitti, prout alii Canonici. Sic respondit s. Congregat. in *Reatina 13. Septembris. 1631* et in *Mediolanensi 6. Martii 1632* sic praecise censuit Canonicum, qui propter defectum aetatis non potuit ordinari ad s. ordines et provisus fuit a Papa cum expressione aetatis, debere lucrari distributiones quotidianas, si choro intersit. Et in

una s. Miniati habetur sic: Carolus de Ansaldis clericus s. Miniati aetatis suae anno 15. provisus et dispensatus a SS. Domino Nostro Papa Urbano VIII. ad canonicatum obtinendum in Cathedrali ejusdem civitatis petit declarari vocem in capitulo habere ac distributiones quotidianas dum divinis officiis interest lucari. Die 18. Septembris 1629. S. Congreg. Concil. Trident. Interpretum secundum ea, quae ponuntur, censuit praedictum oratorem vocem in capitulo habere et distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari.

Amerina.

(Conc. Tr. c. 12. sess. 24. de ref.)

Jam pridem Alexander Geraldinus decem et novem annos natus ex apostolica benignitate collationem obtinuit archidiaconatus in Cathedrali Amerina, praevia dispensatione super aetatis defectu requisitae ad sac. presbyteratus *) ordinem exindeque in actualem possessionem executoris auctoritate immissus exactissimum, ut perhibetur, impendere ecclesiae servitium coepit. Nihilominus antiquiores Canonici ad participationem quotidianarum distributionum ipsum admittere ejusque votum in capitulo excipere recusarunt, praetendentes assertam antiquam consuetudinem, qua rejiciuntur Canonici a praelibata participatione, quousque primam solemni more missam in eorum respective turno celebraverint. Hinc tam idem ipse Archidiaconus quam nonnulli Canonici juniores, quorum aliqui in sacerdotali ordine constituti nondum in eorum turno solemniter celebrarunt, alii vero, qui sacerdotio non sunt initiati, supplices praesidium implorarunt EE. PP., ne juribus et emolumentis canonicalibus interea priventur. Exquisita igitur de more Episcopi relatione idem ipse nuper redditis literis refert jam dudum indixisse Camerario capituli, ut quotidianarum distributionum participes faceret Canonicos juniores aeque ac antiquiores nihil attenta praetensa consuetudine, quam relator pluribus redarguit, ex decreto s. hujus Congregationis praesertim in *Avenionen. de mense Octobris 1586*, in qua s. Congregat censuit: Consuetudinem quod Canonici primi anni fructus non percipiunt sed accrescunt praebendis antiquiorum Canonicorum esse a Concilio sublatam nec esse tolerandam. Quoad vero Archidiaconum super aetatis defectu dispensatum praelaudatus relator alterum enunciat s. Congregationis decretum *in Amerina 2. Maji 1643*, in quo sancitur, Canonicum Venturellum apostolica auctoritate dispensatum ratione aetatis percipere debere quotidianas distributiones vocemque in capitulo habere, ut latius habetur ex relatione in summario danda. Relatis praelibatis precibus per summarium in Congregatione diei 12. Decembris 1712 rescriptum prodiit *Episcopo, qui procedat ad formam decretorum sac. Congregationis et quatenus capitulum se gravatum sentiat praefigat eidem terminum ad deducendum jura in sacra Congregatione.* Inpraesentiarum itaque partibus utrimque acriter concertantibus dignentur EE. VV. infrascripta dubia sapienter decernere:

I. *An Archidiaconus dispensatus quoad aetatem a Sede apostolica ad obtinendum archidiaconatum quatenus intersit divinis officiis lucrari debeat distributiones quotidianas, etsi non cantaverit primam missam in turno et habere debeat vocem in capitulo, in casu etc.?*

II. *An Canonici, qui sunt presbyteri et etiam alii qui non sunt tales admitti debeant ad participationem distributionum, quatenus intersint divinis officiis etsi non cantaverint primam missam in turno in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad utrumque: Affirmative.

Die 16. Decb. 1713, 13. Jan. 1714.

30) Ordinum distinctio inter eos.

Parmen.

Statuit Tridentina Synodus: ut ordinum distinctio fiat inter Canonicos *sess. 24. cap. 12. de reform*; ast id nonnisi de cathedralibus ecclesiis cautum esse legitur, ait enim: *In omnibus autem Cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant adnexum ordinem presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus . . . ita ut dimidia saltem pars presbyteri sint, ceteri vero diaconi aut subdiaconi . . .*; *ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observetur.*

Die 29. Apr. 1837.

31) Presbyteratus ordinem assumere debet quantocius.

Vd. *t. II. p. 1049. e.*; supra p. 356 n. 4; *Canonicus* (sacerdotio nondum etc.); p. 411. §. *Hac quoque*; p. 410. b.

Oriolen.

Ecclesia s. Salvatoris de Oriola nonnisi

*) Vd. *n. 31.*

gradatim ad Cathedralem pervenit. Ante annum 1419. parochialis erat et Episcopo Carthaginensi subjecta; inde quia notabilis et populosa erat et magnos redditus magnumque habebat beneficiorum numerum erecta fuit in Collegiatam, in qua tres essent Dignitates, decem Canonici, hebdomadarii quatuor, qui sacerdotale officium et curam animarum singulis quisque hebdomadis exercerent, unus diaconus, qui evangelia, et subdiaconus, qui epistolas canerent, sacerdotes denique alii quatuor pro clericalibus muneribus. Certi cuique assignati fuerunt redditus et certa Sacrorum agendorum onera certis diebus, praesertim Dignitatibus et Canonicis, quae tamen vel absentes vel in ordinibus nondum constituti per alium Canonicum implere tenerentur, et ut quilibet, qua die onus suum implere deberet, scire posset, factae fuerunt tabellae, quae pluries etiam renovatae fuerunt. Erecta demum fuit haec collegiata ecclesia in cathedralem et cum Canonici ad ordines ascendere negligerent, condita fuerunt a capitulo statuta et exemplo aliarum Cathedralium, quarum statuta indictis poenis Canonicos cogebant, *accio quanto prima si ordinino d'ordine s. ed adempischino per se medesimi col ministerio della sua Prebenda*, Canonici et Dignitates qui in ordinibus non essent voce in capitulo et dimidia distributionum parte privati fuerunt. Verum haec etiam statuta fuga temporis et desidia capituli spreta sunt, cum neque ordines susciperent Canonici neque ea etiam servarent, quae in Caeremoniali Episcoporum de assistentia praestanda Episcopo Pontificalia agenti aut Sacrum facienti aut concionanti constituta sunt.

Episcopus igitur vitia haec evellere satagens impetrato Brevi apostolico, quo pactis et consuetudinibus quibuscumque derogatum fuit, edictum tulit, quo indicebat, ut, qui ex Diguitatibus aut Canonicis nondum ad sacerdotium ascendissent, curarent, ut quam primum promoverentur et per se ipsos officia agerent sacerdotalia, alias canonicis poenis obnoxii essent. Poenas quoque indixit in Capitulares, si forte sinerent fructus praebendales et quotidianas distributiones percipi ab iis, qui edicto non paruissent. Alias quoque addit poenas in Capitulares, si Caeremoniale Episcoporum non observarent et assistentiam Episcopo praestâre renuerent. Restiterunt huic edicto duo ex Canonicis et sacrista, quae secunda Dignitas est, putantes non teneri ad sacerdotium suscipiendum atque appellarunt ad audientiam metropolitanam. Post varias de hac appellatione controversias causa ad judicium sacri hujus tribunalis delata fuit. Audito tamen, ut fieri solet, Episcopo Oriolensi, duo Canonici edicto paruerunt sacerdotio suscepto et sacrista preces obtulit Domino nostro, quibus postulabat dispensationem ab ordine presbyterali, tum quia hic ordo Dignitati suae non esset adnexus tum quia variis aegritudinibus et praesertim in oculis obnoxius erat. Data fuit de hac postulatione cognitio eminentissimis Patribus iterumque auditus Episcopus Orioleusis scripturas omnes tam a sacrista quam a duobus Canonicis in epìscopali audientia editas una cum literis suis ad hoc Tribunal transmisit. Cum vero plures ex his hispano essent sermone, Episcopus ut causa proponi posset curavit sua pecunia, ut in italicam linguam converterentur, animo tamen impensam repetendi. Causa omnis quinque quae subjicimus dubiis collecta fuit. A sacrista et capitulo nihil habuimus.

I. An Dignitates et Canonici praebendati teneantur ordines assumere juxta decretum ab Episcopo promulgatum die 6. Decembris 1749?

II. An iidem teneantur assistere Episcopo pontificaliter celebranti?

III. An similem assistentiam debeant exhibere tempore quo eodem Episcopo Pontificalia agente ipse sermonem habet ad populum vel potius valeant ad libitum a choro descendere?

IV. An non promoti ad ordines a quo tempore amiserint fructus canonicatus et cui debeant illi applicari?

V. An et a quo debeant refici sumptus transportationis et traductionis scripturarum in casu etc.?

S. C. resp. ad I et II: Affirmative.

Ad III: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV: Affirmative a die decreti Episcopi ad formam Concilii et esse applicandos fabricae ecclesiae.

Ad V: Reficiendos esse a sacrista.

Die 17. Jan. et 28. Aug. 1756.

Auximana.

Clericus Joseph Giacconi puer nunc annorum undecim obtinuit canonicatum supra-

numerarium seu unam ex decem *mansionariis*, quae in Cathedrali Auximana almutiam gestantes servitium chori praestant; simulque obtinuit a Dataria apostolica dispensationem aetatis ea apposita conditione, quae hisce verbis in bullis expressa legitur: *Interim vero donec dictus Josephus presbyter non fuerit adimpletis per presbyterum idoneum missarum aliisque dicti beneficii seu mansionariae hujusmodi oneribus residuales illius fructus, redditus et proventus cedant in causam subventionis et subsidii ejusdem Josephi et non alias.* Nunc igitur postulat indultum abessendi a choro causa studiorum. Rogata est sententia Emi Episcopi, qui auditis mansionariis capitulariter congregatis refert *eosdem votis oratoris omnino adversari cum in literis apostolicis injungatur ei expresse ut sibi sumat sacerdotem, qui partes officii sui expleat.*

Iterum exquisitum fuit ab Emmo Episcopo, ut referret de subrogatione facta ab antecessore oratoris, atque in novis literis respondit, quod *antecessor in vim mandati, quod per eadem verba in literis apostolicis continebatur, donec mansionariam obtinebat, tres sacerdotes unum nempe post alium assumpsit, qui illius loco et chori servitium et alia onera praebendae adimpleverunt.*

Dum orator annum agit undecimum certe quidem in ea aetate est, ut studiis vacare debeat ac propterea ei indultum ex juris dispositione competit. Ne vero indultum consequatur, opponunt mansionarii conditionem in literis apostolicis interpositam, ut scilicet alium substituat sacerdotem idoneum, qui chori servitium obeat, atque id maxime necessarium esse dicunt, cum ex decem mansionariis tres in seminario maneant studiis vacantes, duo aetate et valetudine laborent; alter vacet, adeoque tres vel quatuor servitii pondus ferant.

Quamquam vero in literis apostolicis super dispensatione aetatis a clerico Josepho Giacconi obtentis expresse legatur interposita ea conditio »*adimpletis per praesbyterum idoneum missarum aliisque dictae mansionariae oneribus*, attamen ab EE. VV. statuendum erit, num haec referri possint ad servitium chori. Nam extraneus sacerdos, qui non sit de gremio capituli substitui non potest, alias definivit s. Congregatio ut in *Balneoregien Indulti 16. Februarii 1805.* Contra vero facit exemplum antecessoris, qui servitium chori praestavit. Id autem ex eo evenire potuit, quod mansionarii hujusmodi proprie non videntur esse de capitulo sed addicti servitio capituli. Nam ut ipse ex relatione status ecclesiae Auximanae recognovit mansionarii hujusmodi almutiam gerunt et choro intersunt, ut etiam faciunt parochi urbani qui in missis solemnioribus Canonicis celebrantibus diaconi munus praestant et mansionariis in stallo praecedunt. Quare si extranei etiam a capitulo prout sunt parochi urbani admittuntur, non absonum videtur ut extraneus quoque admittatur, qui pro mansionario absente servitium praestet. Ex hac igitur interpretatione totum pendet causae momentum. Si enim per extraneum poterit orator oneri servitii chori satisfacere, tum inutile ei erit indultum abessendi causa studiorum.

Dubium proponitur:

An sit concedendum indultum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative servata forma provisionis.

Die 29. Novbr. et 20. Decbr. 1806.

32) Obligatio fundationes privatas canonicatui adnexas implendi.

Vd. t. I. p. 854. *Mazarien*; *Canon. Cath.* (fundationes etc.)

33) Professio fidei.

Vd. t. II. 180. n. 25; t. III. p. 199. f; p. 200. h. *Professio fidei.*

34) Qualitas.

Vd. t. II. p. 185. n. 27; p. 181. n. 26; p. 232. n. 28; *Canonicus Cath.* (ordinatio p. 410.) *Canonicatus* (qualitas p. 296.)

Hortana.

Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12. de reform.* sanxit neminem deinceps ad canonicatus ecclesiarum cathedralium esse promovendum, nisi qui eo ordine sacro sit insignitus quem illa praebenda requirit aut in tali aetate ut infra tempus a jure et ab ipsa synodo statutum initiari valeat. Quando autem ex beneficiorum erectione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, non est eis derogandum, inquiunt Tridentini Patres *sess. 25. cap. 5. de reform.*, nisi urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse; *ead. sess. cap. 18.*

Die 30. Jan. 1830.

35) Senatum Episcopi in quantum constituunt Canonici?

Vd. p. 357. n. 5; *Canon. Cath.* (consiliarius.)

36) Sepultura.

Andrien.

Notissima est generalis regula constabilita a s. Congregatione in *Tyburtina Juris administrandi Sacramenta 12. Maji 1685*, in qua proposito dubio:

An Canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in ecclesia cathedrali vel in parochia domicilii vel potius in ecclesia, in qua adest sepulcrum suorum majorum?

respondit: *In Cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonicorum, sin minus in sepulcro majorum.* Idque ipsum edixit s. Congregatio Episcoporum et Regularium in una *Senogallien. 13. Maji 1650 apud Nicol. tom. 1. lib. 4. tit. 15. n. 23: Clericus non sepelitur in sepulcro majorum, quando in Cathedrali vel Matrice adest proprium clericorum sepulcrum a laicalibus separatum.*

Die 18. Aug. 1770.

Avenionen.

Etiam Canonici aliique addicti ecclesiae cathedrali sepeliendi sunt in parochia domicilii quando in Cathedrali desit proprium Canonicorum sepulchrum vel non habeant majorum sepulchrum, *ut in Tyburtina Juris administrandi sacramenta et funerandi 12. Maji 1685* et in *Derthonen. Jurium parochialium 3. Decembris 1718 ad dubium XVI.*

Die 19. Septbr. 1778.

37) Substituere quando debet alium pro chori servitio et legendis missis conventual.?

Vd. p. 371: *Signina.*; 373: *Calaritana*; p. 379 b. c; p. 413. n.

38) Suffragium ferendum.

Vd. t. III. p. 118. §. *Ad alterum etc.*; *Canonicus Cath.* (vox); *Canonic. Cath. erectionis secundae etc.* p. 358. n. 18.

39) Synodo interesse debet.

Vd. *Synodus.*

40) Theologus.

Vd. *Praebenda theolog.*; *Canonicus theologus*; p. 100. n. 5.

41) In visitatione Episcopi.

Vd. *Visitatio* (convisitatores); p. 191. b.

Ad dub. 1: An Canonico Camillo Pascaccio familiari et commensali Episcopi Anagn. apud eundem Episcopum tempore aestiva degentem in terra Acuti debentur distributiones quotidianae et pro qua parte?

2. An Episcopus visitare volens civitatem vel dioecesim aut alia episcopalia munia obire assumere possit unum vel duos Canonicos et pro quanto tempore?

3. An Canonicus vel Canonici taliter assumpti lucrentur fructus et distributiones et pro qua rata?

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative omissa tertia parte.

Ad 2: Affirmative quoad Visitationes et quousque duret visitatio, quoad vero alia munera, explicentur.

Ad 3: Dilata et audiatur Episcopus.

Die 27. Maji 1713.

42) Vocari potestne ab Episcopo?

Canonicos vocare ad palatium episcopale potest Episcopus, et tenentur accedere; non tamen tenentur ire vocati a Vicario. S. Congr. Rit. *in Cassanen. 5. Martii 1633.*

43) Vox in Capitulo.

Vd. *Canonicus Cath.* (ordinatio, b. et c. p 410. etc.) *Canonia*; *Canon. Colleg.* (vox); *Capitulum*; *Constitut. capitulares*; *Canon. honorar.* (institut. ab Episcopo, jura etc.)

a) Canonicorum erectionis secundae.

Vd. p. 385. n. 18; p. 398. §. *Constat*; p. 404. §. *Nec.*

b) Consanquineorum Canonicorum.

Vd. t. III. p. 64. n. 4. a: *Pisana.*

Praenestina.

Cathedralis ecclesia Praenestina constat Archidiacono et viginti uno Canonicis, quorum quindecim tantummodo frui inpraesentiarum possunt et debent jure ferendi suffragii in capitularibus comitiis. Sed illud interea accidit, ut ex hoc ipso numero tres jubilationis indulto donati reperiantur; quibus pro lubitu absentibus duodecim circiter Canonici capitularibus comitiis plerumque interesse dicuntur. Porro hujusmodi numerum inter ceteros con-

stituunt tres fratres germani Cialdea et duo alii eorundem consanguinei, nempe Magistri et Bonanni. Quum itaque Canonici Praenestini animadverterent, che il numero dei cinque mentovati consanguinei quasi eguaglia la metá degli altri capitolar, hinc in comitiis diei 8. Aprilis hujus anni, fratribus Cialdea et Canonici Bonanni ab aula capitulari consulto amotis, novem simul congregati Canonici novae capitularis legis sanctionem proposuerunt eamque uno tantum ex iis dissentiente probarunt. Ejusmodi resolutio ad Emum et Rmum Praenestinum Episcopum eo delata est consilio, ut suo decreto confirmata capitularibus postea constitutionibus adscriberetur. A ferenda animi sui sententia sese abstinuit Emus et Rmus Episcopus totamque controversiam huic s. Ordini remisit EE. VV. auctoritate dirimendam. Idem Emus et Rmus Episcopus pro informatione et voto de more rogatus scripto exarata consanguineorum Canonicorum jura detulit atque insuper addidit literis suis, nihil de re controversa in capituli constitutionibus fuisse sancitum: omnes autem hosce Canonicos, qui modo a ferendo suffragio arcerentur, sacramento spopondisse, se servaturos has ipsas constitutiones atque in hujus juris quasi possessione et veluti exercitio nunc versari. Quare videndum inprimis, utrum eos hoc jure privari deceat, praesertim cum ii omnes commendatione digni sint.

Canonici, quorum suffragiis die 8. Aprilis praeteriti anni 1831 in capitularibus comitiis prodiit controversa resolutio, non dubitant eam fore ab EE. VV. confirmandam. Jus enim vocis in iis, quae a convocatis capitulariter Canonicis expediuntur, respicit capitulum uti singulos, *Passerin. de elect. Canon. cap. 3. quaest. 2. num. 34* atque ipsa idcirco disquisitio super admittendo vel excludendo aliquos a jure ferendi suffragii ad universitatem non ad singulos pertinet, *Rot. decis. 263. n. 5. part. 17. recent.* et s. Congr. in *Senen. Vocis in capitulo 27. Februarii 1768* §. *Contra.**)

Hinc resolutio, de qua agitur, universos tangit Capitulares, inquiunt memorati Canonici, adeoque legitima pollet validitate, utpote convocato capitulo et fere omnibus qui ferendi suffragii jus haberent actu praesentibus edita ex majoris partis consensu, *Gloss. in Clementin. Ut iis de aetat. et qualit. cleric.*, s. Congr. in *Firmana 24. Maji 1788* §. *Haec*, atque omnes pariter Capitulares debet afficere ad tradita per *text. in cap.: Cum omnes 13. de constit. in cap. 1. de his quae fiunt a major. part. capit.* et s. Congr. in *Assisien. Stipendii 17. Septembris 1796.* §. *Quaeritur.* Quin putent obesse, quod fratres Cialdea et Canonicus Bonanni a comitiis capitularibus remoti fuerint; id namque consentaneum fuisse autumant cathedralis ecclesiae Praenestinae constitutionibus, quarum ea extat praescriptio, ut si contingat in capitulis agi de aliqua re ad commodum alicujus Canonici sive ejusdem consanguineorum et affinium ad secundum gradum pertinente . . . . tunc idem Canonicus a capitulari conventu a suffragio ferendo omnino arceatur. Videtur autem nihil adesse, quod cujusvis Canonici commodum magis spectet, quam ut quisque jure ferendi suffragii fruatur.

Jam vero quod attinet ad intrinsecam illiusmodi resolutionis substantiam, auctores Canonici contendunt ipsam adeo aequam esse ac rationabilem, ut suprema EE. VV. adprobatione digna omnino habeatur. Illud enim in qualibet ecclesia et capitulo maxime semper pertimescendum et praecavendum observant, ne perniciosa partium studia exoriantur; ac proptera summopere laudanda et rite servanda ecclesiarum et capitulorum statuta quae ad omnem privatis sanctionibus praecludendam viam nimium aliquem consanguineorum numerum a ferendo suffragio in capitularibus conventibus cohibuerint, *Monacell. formul. legal. pract. tit. 14. form. 8. adnot. num. 6*, *Rot. in Reatina Aquarum 13. Januarii 1698.* §. *Cum namque cor. Ursino.* Capitulares siquidem deliberationes unius cognationis arbitrio non esse committendas perpendit post eundem *Monacell. tom. 4. Annot. ad tom. 2. num. 155* s. Congregatio in *Tridentina 17. Januarii 1761.* §. *Addunt* ibidemque ad II. dub. decretum edidit, apostolicas sa. me. Benedicti XIV. in forma brevis literas esse exequendas, quibus confirmata fuerat capitularis resolutio vetans, ne plures quam duo ex agnatis vel cognatis primi et secundi gradus praerogativa vocis activae in comitiis capitularibus potirentur. Quod si hoc ipsum jampridem probaverat hic s. Ordo in *Paderbornen. 9. Augusti 1704 lib. 54. decret. pag. 322.* et in *Constantien. Statuti 21. Maji 1707. lib. 57. decret. p. 183*, pro certo habent hujus controversiae pro-

*) Vd. *infra p. 424.*

motores Canonici, se voti sui compotes in hac causa exituros. Etsi enim de jure communi nemo Canonicorum privari possit jure ferendi suffragii, quod inter canonicatus fructus recensetur, *Gloss. in cap. Cum venissent, Barbos. vot. decis. et consult. canon. lib. 3. vot. 77. num. 115, Piton. discept. eccles. 137. n. 30*, hoc tamen intelligendum existimant, ut jus illud Canonicis penitus auferri non liceat: secus autem si ex parte tantummodo et certis circumscribitur limitibus ob probabilem causam vel saltem ob suspicionem a jure non improbatam, ceu refert idem *Piton. loco cit.* et *s. Rot in Hispalen. Juris votandi 26. Junii 1591. cor. Orano* et in *dec. 2. num. 2. part. 3. rec.* Ex quo scilicet aliquis Canonicus activam vocem in capitulo non habeat, non idcirco demonstrant inferri posse, ut is non sit interim de gremio capituli, *Barbosa de Canonic. cap. 27. n. 1 et 2, Scarfant. Luc. vol. 1. dec. 59, n. 70*, s. Congreg. in *Nicien. Decretorum 29. Febr. 1774* §. *Dant.*, quippe nil vetat, quempiam esse totius capituli membrum et in quibusdam tamen casibus capitulari voce non frui, *Garcias de benefic. part. 3. cap. 2. n. 372, Leuren. for. benefic. vol. 1. quaest. 405. n. 4. et Rot cor. Cavaler. dec. 109. n. 11.*

Ex adverso quinque Canonici consanguinei ita se defendunt, ut validitatem inprimis resolutionis capitularis diei 8. Aprilis 1831 acriter oppugnent. Exploratum namque est, nihil nomine capituli resolvi posse, nisi omnibus Canonicis, qui capitulum constituunt, legitime vocatis, alias nullam irritamque esse ipsam resolutionem probant ex *text. in cap. bon. mem. 2* et *cap. In Genesi* §. *Nos his* et *cap. Quia propter de elect., Fagnanus in cap. Cum ex injuncto num. 52 de nov. oper. nunc, Reiffenst. in Jus canon. lib. 3. tit. 11. n. 12, Card. de Luca de Jur. patron. disc. 34. n. 12;* quumque ss. canones decernant capitulum nonnisi ab universis Canonicis constitui, ut in *cap. Capitulum s. Crucis 30 de rescriptis*, hinc praecitatam resolutionem a quibusdam Praenestinae ecclesiae cathedralis Canonicis editam apertissimo nullitatis vitio laborare evincunt Canonici consanguinei qui per eos a capitularibus comitiis consulto remoti nullo iisdem pacto interfuerunt. Hoc autem in loco nequidquam adduci putant ab adversariis peculiarem capituli Praenestini constitutionem, quae a ferendo suffragio in Canonicorum conventibus eos plane excludit Canonicos, quibus eorumve consanguineis et affinibus ad secundum gradum utile sit negotium in capitulo expediendum; id enim jubet, exceptis juribus honorificis, ut in electionibus, praesentationibus aliisque id genus jure suo utantur, queis nempe juribus volunt jus etiam suffragii ferendi adnumerari oportere Ajunt itaque Canonici consanquinei se ejusmodi resolutioni capitulari merito contradicere, perinde ac si in ipso novem Canonicorum congressu obstitissent: qui licet minorem eorum partem efficiant ex sua nihilominus contraria sententia irritandam conclamant resolutionem, quae omnes quidem tangit Canonicos, sed uti singulos, ac proinde etiam per minoris partis dissensum everti potest, ex *text. in cap. 1. de his, quae fiunt a major. part., Ceccoper. lucubr. can. lib. 4. num. 188*, s. Congr. in *Firmana Vocis in capitulo 18. Novembr. 1797* §. *Agitur*. Ceterum, si putaverint EE. VV. capitularem illam resolutionem ab hoc s. Ordine esse confirmandam, persuasum est quinque Canonicis reclamantibus, se ab ea affici numquam posse, eamdemque potius in posterum valituram pro consanguineis in Capitularium numerum deinceps cooptandis, non autem pro iis, qui jam antea in capitulari collegio existunt, sicuti posteriorem tantummodo observantiam quoad novos Canonicos respiciebant capitularia statuta ab hac s. Congregatione probata in citatis *Paderbornen. 9. Augusti 1704, Constantien. Statuti 21. Martii 1706* et *Tridentina 17. Januarii 1761 ad 11. dub.*

Re quidem vera, ex quo Canonici fratres Cialdea, Magistri et Bonanni canonicalem praebendam in Praenestina ecclesia cathedrali adepti sunt, sibi tuentur jus canoniae fuisse tributum, prout in *cap. In Genesi et gloss.* verb.: *Vel quasi de elect., gloss. in cap. Relatum* et in *cap. Pro illorum., Monet. de opt. Canon. cap. 7. num. 6, Barbos. de Canon. et dignit. cap. num. 19*, ac profecto canoniae proprium est, Canonicos aequali et indistincto vocis jure donare ad ea omnia, quae in capitulo fiunt et collegialiter decernuntur ut post *Fagnan. in cap. Cum de constitut. n. 26., Barbos. de Canon. cap. 12. num. 19.* docet s. Congregatio in *Pisana Electionis 19. Septembris 1819.* §. *Porro* et in *Fabrianen Jurium et emolumentorum 8. Augusti 1829.**) §. *Vindicato*. Nec quidquam officere arbitrantur, quod quinque nunc consanguinei reperiantur in capitulo; quandoquidem ut

*) Vd. *p. 429.*

plures germani fratres vel sobrini habere omnes debeant vocem in capitulo et in actibus capitularibus, id ex adversariorum confessione neque juri communi, uti etiam respondit s. Congregatio in *Vercellen. 23. Augusti 1621 et 14. ejusdem mensis 1634 lib. 40. fol. 20*, neque Praenestinae ecclesiae constitutionibus refragatur. Immo vero censent expedire, ut omnes simul Capitulares vocis praerogativa gaudeant, animadvertentes cum *Piton. discept. 99. num. 21* et s. Congr. in *Senen. Vocis in capitulo 27. Februarii 1768.* §. *Demum*, magis conducere, ut major sit votantium numerus, quo magis integrum et prudens capituli judicium habeatur. Sed illud praeterea ex jure communi ubique certum receptumque efferunt, ut, quemadmodum pater in publica universitate seu collegio suffragium ferre potest pro filio, *Barbos. de potest. Episcop. alleg. 72. n. 94, Pignatell. Consult. 53. n. 6. tom. 6*, ita et Canonicus consanguineus non modo suffragium ferre possit in capitulo ubi etiam ageretur de electione consanguinei ad canonicatum seu praebendam*) uti ex *argum. legis illud* et *l. item eorum ff. quod cujusque univers. nom.* docet *Piton. de controv. patron. alleg. 30. n. 3*, sed suum quoque suffragium ratione naturalis dilectionis dare pro fratre prout ex *Bertac. de Episcop. part. 3. quaest. 54.* refert *Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. part. 1. quaest. 4. art. 17. n. 1.* Nihil est igitur, subdunt Canonici consanguinei, cur tantopere adversarii jactent pro sua causa se resolutionem illam edidisse, accio lo spirito di parte, affetto di sanque, o altri particolari interesse non prevalgano ac vantaggi della chiesa. Etenim in iis, quae juris publici sunt, praesumitur unumquemque moveri magis ex bono publico quam ex causa privata uti ex *gloss. in dicta l. Illud vers. ratio autem hujus legis, Castrens. in l. nulli ff. eodem num. 10.* et *Piton. discept. eccles. 136. n. 12*, eaque de re satis monentur *Praenestini Capitulares in cap. 7.* constitutionum, ut in suffragiis ferendis partium studia non sequantur, carnem et sanguinem non consulant, sed Deum atque suam conscientiam audiant. In iis autem negotiis ad unum aliquem ex quinque Canonicis consanguineis sive ad alios eorumdem consanguineos et affines in secundo gradu pertinentibus, quae collegialiter in capitulo expediri debeant, ipsi profecto ac ceteri omnes, qui inposterum adsint Canonici secum invicem sanguine conjuncti, ex altera superius relata cathedralis ecclesiae Praenestinae constitutione a ferendo suffragio plane abstinebunt, nisi res sit de juribus honorificis, ut in electionibus, praesentationibus aliisque id genus. Qua sane constitutione putant in ecclesia cathedrali Praenestina satis superque consultum fore quibuslibet partium studiis, quin modo deceat controversam capitularem resolutionem ita in consanguineos vel posterioris aevi Canonicos confirmare, ut quod habent ex jure communi necnon ex capitularibus constitutionibus utriusque vocis jus eo debeant immerito privari. Denique perpendendum EE. VV. oculis proponunt Canonici Cialdea, Magistri et Bonanni rem esse mere accidentalem, ut in Praenestino capitulo ex eorum Canonicorum numero qui inpraesentiarum capitulari voce frui possunt nonnulli nunc soleant comitiis capitularibus non interesse; utcumque tamen vel postmodum se res habeat, sibi omnibus, licet consanguinitate secum devinctis, constantem super jure ferendi suffragii profitentur favere consuetudinem, quae utpote juris communis praesidio suffulta haud facultativa sed coactiva reputatur, *Posth. de manuten. observ. 53. n. 57. addend. ad Gregor. dec. 162. num. 16, Rota dec. 400. num. 4. part. 4. recent., Piton. discept. eccles. 37. num. 35.*

Sint itaque

Dubia:

I. *An confirmanda vel infirmanda sit capitularis resolutio diei 8. Aprilis 1831 in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem,

II. *An ejusmodi resolutione affici debeant Canonici fratres Cialdea, Magistri et Bonanni in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Provisum in primo.

Die 28. Jan. 1832.

*) Vd. *p. 64. a; 150. I; 139: Civit. Pleb.*

c) Jus estne Canonico pro collatione praebendae ad quam cum aliis concurrat?

Vd p. 423: *Senen.*

Ordinarius A. supplici libello diei 24. Februarii praedicti anni s. C. Congregationi exposuit:

Capitulum hoc meum vi jurispatronatus

activi collaturum est duo canonicalia beneficia per votationem faciendam super quotquot, schedarum methodo, proponantur. Quum unus e Canonicis vocem activam habentibus expetat unum e dictis canonicatibus, mente et consilio convertendae in meliorem angustae conditionis canonicatus, quo hodie fruitur, ipseque jam ab aliquibus Capitularibus ad hoc ipsum proponatur per memoratas schedas, dubium exurgit, utrum ipse dum se abstinebit a dando suffragio, quando votatio seipsum respexerit, teneatur abstinere etiam toties quoties alii votationi subjiciuntur. Ut omnia igitur rite legitimeque procedant ad tramites sacrorum canonum in hac perficienda electione EE. PP. exorantur ut propositum dubium diluere dignentur.

Ex officio imprimis observatum est solutionem ejusmodi controversiae pendere potuisse vel a constitutionibus capitularibus vel a consuetudine vel tandem a juris communis dispositione. Attamen a constitutionibus capituli nil erui posse, dum ipsae de hac re silere videantur. Duplici de causa inutiliter recurri ad observantiam: tum quia de ipsa duo tantum a contradictoribus adducerentur exempla, tum quia pugnare ipsa visa est cum aperta juris dispositione ideoque esset transgressio. Rota *coram Falconerio decis. 58. n. 15. vers. tum etiam quia tit. de jurepatr.*

Quoad jus commune autem certum esse atque in illo receptum, provisos de canonicatibus eo ipso quo illorum possessionem assequuti sunt habere intentionem in ipso jure fundatam votandi in electionibus aliisque actibus capitularibus. Etenim cum sint veluti *domini fructuum* consequenter etiam domini juris eligendi, quod in eorum fructu est ad tradita per *text. in cap. In Genesi de elect. vers. nec praemissi et in cap. Pro illorum in fine de praebend. gloss. in cap. Cum M. de constit. in verb. receperunt et in verb. ultra numerum, Fagnan. in cap. Cum M. recit. num. 9, Lotter de re benef. lib. 1. q. 15. num. 25, Barbosa de Canon. cap. 37. n. 1, s. C. Congr. in Senen.**) *Vocis in capitulo 28. Februarii 1708 et in Pisana Electionis 29. Septembris 1818* §. *Porro.* Quam juris assistentiam generaliter procedentem in omnibus et quibuscumque actibus capitularibus limitari haud potuisse in themate, prohibendo Canonico ad vacantem praebendam a sociis praesentato, ut abstineat a suffragio ferendo toties quoties alii concurrentes votationi subjiciantur. Cum id nulla lege sive speciali sive generali sit prohibitum, ideoque visum est, admittendum fuisse, quia in materia prohibitiva illud censetur permissum quod non est expresse prohibitum juxta dispositionem *textus in lege Necnon* §. *Quod si ff. ex quib. caus. major. gloss. in cap. Ex literis de jurepatr.* et *in cap.: Inter corporalia de translat. Episc., Lambertini de jurep. lib. 2. 1. q. 3. art. 12. num. 10. vers. hanc quaestionem.*

Nullius autem fore valoris suspicionem probabilem quod Canonicus ad suum suffragium ferendum moveri possit potius ex suiipsius affectione, quam ex justitia, proindeque a capitularibus comitiis arceri debeat; siquidem in iis quae juris publici sunt praesumi unumquemque moveri magis ex bono publico quam ex causa privata, uti post gloss. in c. *Illud vers. ratio autem hujus legis* docet *Piton. in discept. eccles. 137. num. 12.* Hinc fit quod ex juris dispositione canonistarumque sententia pater non prohibetur praesentare filium ad beneficium jurispatronatus seu votare pro illo in universitate ad quam pertinet jus praesentandi, ceu post *Gloss. in cap. Quia cleric. verb. filii, et in cap. 6. Consuluit verb. propria auctoritate de jurepatr.* tenent *Lambert. loc. citat. Vivian, de jurepatr. lib. 6. cap. 8. n. 23, Piton. loc. cit. num. 16.* Itemque Canonicum in electionibus ratione naturalis affectionis haud prohiberi suffragium ferre pro fratre ad tradita per *Lambert. loc. cit. q. 4. art. 17. num. 1, Pignat. cons. 53. num. 6. tom. 6, s. Congr. Concilii in Pisana recit.*, et pariter coadjutorem votare posse in capitulis favore sui coadjuti, Innoc. in cap. finali de procurat., Garz de benef. 4. cap. 5. n. 105, Ventriglia in praxi p. 2. annot. 13. §. unico num. 60. Quapropter potiori ratione videri dicendum esse Canonicum in casu de quo agitur suffragium ferre posse quando alii concurrentes ad canonicatum, ad quem ipse fuit praesentatus, votationi subjiciantur. Etenim agitur de personis extraneis, agitur de voto, quod ex conscientia ferre debet, ac proinde praesumendum esse ipsum magis respicere velle bonum ecclesiae quam privatum interesse; praesertim si attendatur electionem non a suo voto pendere, sed ab electione capitulari, in qua omnes Canonici pari suffragio eligere debent.

Huic argumento majus accedere videri robur, si instrinsece perpendatur Capitularem, qui se videt eligi et nominari per alios, citra

*) Vd. *p. 423.*

vitium ambitionis in sui electionem consentire posse accedendo aliorum votis ac eorum numerum augere juxta *text. in cap. Cum in jure de elect.*, ibi: Cum in jure peritus existas, et infra:

»Primus tuae consultationis articulus continebat quod cujusdam ecclesiae decano defuncto ejusdem loci capitulum sub hac forma in septem ex ipsis Canonicis compromisit: ut illum, quem ex se vel aliis de gremio ipsius ecclesiae omnes pariter vel major eorum pars nominaret, idem capitulum reciperet in decanum. Unde cum unus ex illis septem a tribus ipsorum, et alius qui non erat de numero eorumdem a tribus aliis in decanum fuerint nominati, requisisti uter eorum assumi debeat in decanum. Super quo taliter respondemus, quod is qui de numero septem a tribus eorum dignoscitur nominatus juxta compromissi tenorem debet in decanum assumi, dummodo electioni de se factae consentiat et aliquod canonicum impedimentum non obsistat.« Ergo si nullimode a jure denegatur potestas Capitulari ab aliis praesentato votandi in sui favorem, a fortiori deneganda non videretur facultas votandi in scrutinio aliorum concurrentium ad idem beneficium.

Attamen contra quae hucusque prolata fuere non defuisse plura rationum momenta observatum fuit. Etsi enim de jure communi nemo Canonicorum privari possit jure ferendi suffragii, quod proprium est *canoniae*, id tamen ita intelligendum esse ut jus illud Canonicis penitus auferri non liceat, secus autem ex parte tantum, nempe ut certis limitibus circumscribi possit ob probabilem causam vel saltem ob suspicionem a jure non improbatam teste Pitonio *discept. eccl. recit. n. 30 ex Rota in Hispalen. Juris votandi 26. Junii 1591. coram Orano et decis. 10. p. 3. num. 2. recen.* Nil vetat enim quempiam esse totius capituli membrum et quibusdam tamen in casibus capitulari voce non frui, uti docent Garcias *de benef. p. 3. cap. 2. num. 372, Lauren. for. ben. vol. 1. quaest. 405. num. 4.* Hinc optimo jure a s. C. Congr. decretum fuisse testatur Gavantus, Canonicos teneri ad se retrahendum a capitulo, quando in ipso agatur de proprio ipsorum interesse. Audiatur sane Scarfant. in lib. 4. tit. 4. num. 23, ibi: Similiter Canonici de quorum speciali interesse in capitulo est agendum proposito negotio debent se a loco capitulari retrahere, donec res fuerit discussa, ita fuit decretum a s. C. Congreg. teste Gavanto.« Atqui in themate incompertum esse videtur omnino agi de speciali interesse Canonici, qui quamvis a sociis sit praesentatus tamen una cum aliis ad vacantem optat canonicatum. Ergo arcendus esse videtur a capitulo donec res discussa fuerit, etiam quoad alios concurrentes, ideoque a suffragio ferendo. Quod et recta ratio et non pauca exempla suadere videntur. Monet enim illa iniquum esse in re propria judicare, unde vulgare adagium: nemo judex in causa propria. Sed Canonicus in casu de quo agitur concurrendo proprio voto in scrutinio aliorum qui ad eumdem canonicatum ad quem ipse optat fuerunt praesentati, ut judicium efformet, comparationem absque dubio inter se et alios instituere debet et ita judicium ferre in causa propria contra juris dispositionem firmatam in *L. 10. ff. de jurisd. omn. judic.* Ergo a suffragio ferendo repellendum esse videretur.

Urgent praeterea exempla. Sane si familiares et commensales Episcopi, quinimo et ipse Vicarius generalis, quando causa respicit privatum et particulare interesse ipsius Episcopi, abstinere debeant a suffragio ferendo in capitulo, s. C. Concilii in *Mediolanen. Januarii 1587 et in Pharen. Residentiae 28. Aprilis 1674, Rota in Hispalen. Juris votandi 4. Februarii 1697. coram Caprara*, potiore jure excludendus esse videretur Canonicus in themate a jure ferendi suffragia praesertim cum agatur de praesentatione suiipsius ad beneficium ecclesiasticum. Haud recolere omittendum insuper est s. Pium V. sua constitutione quae incipit *Quanta**) prohibuisse Episcopis ne beneficia in eorum manibus resignata suis consanguineis aut familiaribus conferrent: facile enim contingere poterat, ut nimia affectio vel ex sanguine vel ex familiaritate causam daret fraudibus in hujusmodi resignationibus, quae pararent viam minus rectae beneficiorum collationi. Jam vero si id pro casibus illis fuit statutum, quanto magis in praesenti controversia id decernendum foret, cum Canonicus suo suffragio concurreret ad alios praesentatos excludendos et praesens adstaret in capitulo? Profecto verendum esset ne ambitio fraudibus et circumventionibus daret locum, suo suffragio impedire posset ne rectum inter praesentatos judicium efformaretur; quinimo

*) Vd. *t. II. p. 413. I; p. 842.*

alios suo voto excludendo sibi ipsi votum augeret et ita suipsius praesentationem quodammodo peragere videretur contra ss. canonum statuta, praesertim in *cap. Per nostras de jurepatr.*

Quibus omnibus accedere observantiam in comperto est; nam a morte fundatoris usque in praesens in duabus vacationibus quae contigerunt quempiam e Capitularibus ad vacantem canonicatum optantem vel abstinuisse a suffragio ferendo etiam in scrutinio aliorum concurrentium vel ab interveniendo capitularibus comitiis; quam observantiam, quippe quae secundum jus visa fuerit, quanti ponderis fuisse neminem latere.

His rationum momentis nil subtrahere visum est argumentum deductum ex *cap.*: *Cum in jure de elect.* Docent enim DD. teste *Pirhing.* in *jus canon.* lib. 1. tit. 6. §. 3. num. 181 dispositionem hujus capitis procedere, quando scrutinium fit *palam* non vero quando electio fit per scrutinium secretum. Ad rem Rota *coram Clemen. XIII. loc. cit. num. 9. et seq.*: »Nec adversari Dominis visa est dispositio *text. in cap. Cum in jure de elect.* praeseferens quod vox electi quandoque augeat numerum eligentium; quandoquidem id procedit ubi electio fit per compromissum sive alio simili modo palam et per publica vota, secus vero ubi electio fit per scrutinium secretum. In primo siquidem casu, quando Capitularis se videt eligi ac nominari per alios, quia non vocatur a seipso, sed a sociis, citra vitium ambitionis suae electioni valet consentire juxta dispositionem dicti textus in *cap. Cum in jure.* Secus vero in secundo casu, quia tunc nemo seipsum in sua schedula potest nominare ac eligere. Cum enim scire nequeat an alii Capitulares in eum concurrant, id non esset consentire electioni aliorum, sed seipsum ambitiose eligere, nec ideo ejus votum computatur ut distinguendo docet *gloss. in dicto cap. Cumana.*

Frustra pariter objectam fuisse putatum fuit resolutionem S. C. C. anni 1649. in causa Matheranen. et Acheruntina editam et quam retulit Card. de Luca in *disc. 26. de Canonicis,* in qua declaratur valida electio Vicarii capitularis in persona electi, qui ex 32 votantibus 17 retulerat, computato proprio voto. Primo quia inibi agebatur de secundo scrutinio in quo, uti docet recitatus auctor, qui videt se eligi et per alios nominari, potest citra ambitionis votum suae electioni consentire. Secundo quia in casu non agebatur nec de vera electione nec de praesentatione ad beneficium, sed de simplici deputatione ex notatis per eumdem auctorem *loc. cit. sub n. 10.* ibi; »Quo vero ad secundum punctum procedebatur pariter cum aequivoco magis claro adhibendo terminos *text. in cap. Avaritiae de praeben. in sexto.* Licet enim rejecta opinione Gemin. et Lambertin. receptum sit, sequendo opinionem Archidiaconi et Franchi ac aliorum, ut dictae decretalis dispositio procedat, nedum in praelaturis, sed etiam in inferioribus beneficiis juxta *decis. 6. Crescent.* de jurepatr., *Mantic. decis. 261. n. 3. decis. 185. n. 2. p. 10. recent.* cum aliis per Lotter. *lib. 1. q. 13. a n. 1. ad 13*, attamen id procedit quando agitur de actu, qui exigat ad ejus perfectionem auctoritatem superioris ut est in casu electionis, quae indiget confirmatione juxta ea quae habentur infra in *Monasterien.* Coadjutoriae *discept. seq.* Vel ubi agitur de praesentatione seu nominatione ad beneficium, unde necessaria sit institutio seu provisio superioris et in his terminis loquuntur omnes auctoritates quas desuper habemus. Secus autem in hac subjecta materia in qua non agitur nec de vera electione nec de praesentatione, sed agitur de simplici deputatione sonante in mandatum.«

Hisce ex utraque parte animadversis EE. Cardinalium prudentiae ac sapientiae decernere remissum fuit quonam responso esset dimittendum sequens

Dubium:

An Canonicus ad vacantem praebendam canonicalem a sociis praesentatus, dum se abstinet a dando suffragio, quando votatio ipsum respicit, teneatur etiam abstinere a ferendo suffragio in capitulo toties quoties alii concurrentes votationi subjiciuntur in casu?

Sacra Concilii Congr. die 11. Decembris 1875, causa cognita, respondere censuit:

Affirmative:

Exinde colliges:

I. Ex jure communi indubium esse Canonicos haud privari posse jure ferendi suffragia cum id proprium *canoniae* sit.

II. Quod tamen ex DD. ita esse intelligendum ut non liceat Canonicos ejusmodi jure totaliter despoliare, quamvis fas sit ob aliquam suspicionem a jure non improbatam jus illud circumscribere intra certos limites

et quibusdam in casibus etiam voce capitulari frui nequeant Canonici.

III. Quapropter optimo jure alias a s. Concilii Congregatione decretum fuisse, Canonicos de quorum speciali negotio agebatur se retrahere a loco capitulari debere, donec res discussa fuisset.

IV. Haud ambigi posse videtur in themate agi de peculiari interesse Canonici, quia ad vacantem praebendam una cum aliis praesentatis optat.

V. Praeter exempla analoga quae in canonica jurisprudentia habentur et quae adsertum confirmare videntur, id etiam rectam suadere rationem, quae iniquum esse dictitat ut quis judex fiat in causa propria.

VI. Dubitari pariter non posse videtur id verificari in themate, dum Canonicus proprio voto in scrutinio aliorum (qui ad eamdem praebendam praesentati fuerunt) concurrens comparationem inter se et alios instituat et judicium efformet.

VII. Ex canonica jurisprudentia, inter alia exempla, colligi posse, familiares commensales et Vicarium generalem Episcopi abstineri debere a ferendo suffragio in causa quae peculiare ejusdem Episcopi interesse pertingat.

VIII. Pariter ex constitutione *Quanta* s. Pii V. Ordinarios nequire consanguineis et familiaribus suis conferre beneficia in suis manibus resignata, ne sanguis aut nimia affectio minus rectae collationi causam praebeant.

IX. Quapropter videri Canonicum suffragia ferre posse in publica electione, quia se conspiciens per alios nominari suae electioni accedere potest citra vitium ambitionis.

X. Id vero eidem denegari in electione *secreta*, quia cum ignoret an alii Canonici in eum concurrant videretur potius seipsum ambitiose eligere quam aliorum electioni consentire.

d) Jus Canonici theologi et poenitentiarii.

Vd. *Canon. honorar.* (qui est? decr. diei 29. Aug. 1868.) *Canon. theol.*; *praebenda theol.*; *Poenitentiar.*

e) Jus quibus est?

Vd. p. 64. a; *Canon. Cathedr.* (Canonicus qui vere est? p. 357; jura etc. Cathedralium unitar. p 405.); p. 103. n. 7. etc.; *Canonicus theolog.* (jus etc. decr. *S. Miniatis.*); 385. n. 18.

Senen.

Capitulum ecclesiae metropolitanae Senensis, quod ex viginti octo constat canonicatibus ac nonnullis dignitatibus plures habet proventuum seu massarum species, quarum non omnes Canonici fiunt aeque participes. Una enim est massa, quae nuncupatur del cumulo conflata ex redditibus quatuordecim praebendarum simul unitarum, de qua ii tantum participant quatuordecim Canonici, quorum praebendae fuerunt simul unitae Ex reliquis alia appellatur massa capitularis, alia Decani Bolis, alia haereditatis Capaci, alia s. me. Alexandri VII. et alia Decani Piccolo Aragona. Ab istarum vero prima excluduntur tum Archipresbyter tum Thesaurarius, a secunda Thesaurarius tantum, a caeteris fere omnibus duo illi Canonici, qui obtinent canonicatus erectos annis 1670 et 1739 sub titulo s. Philippi Nerii.

Orta est quaestio anno 1760 an Archipresbyter, thesaurarius et duo Canonici possidentes canonicatus sub titulo s. Philippi Nerii arcendi forent a voce activa et passiva in negotiis massarum, quarum ipsi partem non habent. Re in capitulo proposita die 2. Februarii ejusdem anni rejecti fuerunt a jure vocis passivae; in posteriori autem capitulo diei 14. Januarii 1767 ubi actum est de privatione vocis tam activae quam passivae fuerunt ad utramque admissi. Id aegreferens Canonicus Horatius Mignanelli preces dedit s. Congregationi pro illorum exclusione a dicta voce activa et passiva: et licet Archipresbyter, Thesaurarius et alter ex duobus Canonicis s. Philippi (silente altero) voce passiva renunciaverint, Canonicus tamen Horatius partiali ea cessione non contentus urget adhuc, ut a voce etiam activa arceantur.

Inquit ad suffragii jura exercenda sat non esse solam qualitatem canonicalem, nisi simul concurrat altera tribuens potestatem habendi vocem in capitulo, *Clement.*: *Ut iis de aetat. et qualit., Card. de Luca de Can. disc. 14. num. 15.* Ex jure autem cautum esse, ut quemadmodum Canonici recentiores non sunt participes antiquae massae capituli, *Rota in Vercellen. Functionum 14. Junii 1758 §. 5. coram de Vais*, ita nec jure ferendi suffragii frui valeant in rebus ad eamdem massam pertinentibus, *cap.*: *Translato de constitut., cap.*: *Praeterea 5. de offic. deleg.* et *Rota in cit. Vercellen. Functionum. §. 7.*

Idque aequitati maxime consonum esse. Sicuti enim Archipresbyter, Thesaurarius aliique duo Canonici distinctos habent redditus et proventus, in quibus caeteri Canonici nullum jus nullumque suffragium habent, ita aequo jure iidem Canonici novae erectionis*) nullum ferre debent suffragium in iis, quae privative ad antiquos Canonicos spectant, *Constant. vot. decis. 530. numer. 54., Piton. discept. eccles. 10. num. 7*, praesertim quia in erectione recentiorum canonicatuum expressse legitur adjecta clausula *sine praejudicio antiquiorum*, per quam primaevum horum jus illaesum et administratio remansit intacta, *Gratian. discept. for. cap. 867. numer. 11* et *Panimoll. decis. 94. num. 5.* Nec obesse novos hos Canonicos fuisse a capitulo admissos cum iisdem juribus, praerogativis et suffragii jure, quo antiquiores potiebantur. Advertit enim, id ad negotia communia capituli, ecclesiae vel sacristiae coercendum esse, in quibus omnes de capitulo suffragium habent, nec ampliari posse ad negotia particularia antiquiorum canonicatuum, super quibus recentiores nullum jus nullumque interesse acquisiverunt, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1. tit. III. num. 57.* et *Rota in Novarien. Aggregationis 12. Junii 1662.* §. *Aut igitur, coram Ursino.*

Frustra vero occurri ad observantiam: hanc uti contrariam juris dispositioni concludenter esse improbandam. Ex actis vero capitularibus constare modo aliquos tantum ex novis Capitularibus fuisse admissos, modo absque eorum interventu antiquitus tum recenter res fuisse expeditas. Vanam ideo esse observantiam et difformen.

In conflictu autem duplicis observantiae eam semper attendendam, quae consona est juris dispositioni, *Rota in Augustana Juris praecedendi 28. Februarii 1746. et fin. coram clar. mem. Card. Bussio*, vel saltem conniventiam antecessorum hodiernis Canonicis praejudicium irrogare nequivisse, *Piton. disceptat. ecclesiast. 50. num. 42.*

Spernendum hinc esse concludit judicium Archiepiscopi contra apertam juris dispositionem datum; nec monstruosum esse, Canonicos recentiores vel centimescere vel egredi e capitulo debere, dum habenda ratio sit de massis antiquis, quum id ipsum servetur in s. auditorio vel in causis, in quibus aliquis ex auditoribus munus advocationis exercuerit, *Ansald. in praefat. ad decis. n. 59*, vel in causis consanguineorum et affinium*), *Rota dec. 90. num. 5. cor. Ansaldo*, idemque etiam servetur in aliis fere omnibus Hetruriae capitulis.

Contra Archipresbyter et Thesaurarius cum altero ex Canonicis s. Philippi inquiunt quaestionem hic non esse de massa nuncupata de cumulo, quae privative a quatuordecim Canonicis in privatis congregationibus capitularibus, sed de negotiis, quae toto convocato capitulo tractantur et expediuntur. Hoc autem jus vocis respicere capitulum uti collegium non Canonicos ut singulos, *Passerin. de elect. Canon. cap. 3. quaest. 2. num. 34.* Quaeri idcirco de admittendo vel excludendo aliquos a jure ferendi suffragium in re pertinente ad interesse universitatis, non singulorum, *Rota decis. 263. num. 5. part. 17. recent.* Quum ideo plenum jus suffragii obtinuerint sub die 14. Januarii 1767. a capitulo nullo modo licere Canonico Mignanelli contradicere ac dissentire et uti illegitimum contradictorem audiendum non esse, *cap. 1. de his quae fiunt a maj. part.*, *Rota cor. Buratt. decis. 263. n. 4. part. 17.*

Addunt, id esse proprium canoniae**) ut Canonicis tribuat indistinctum et aequale jus vocis quoad omnia, quae in capitulo fiunt ut collegialiter expediuntur, *Fagnanus in cap. 12. num. 19. et Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 15. num. 25.* Hinc quum Archipresbyter, Thesaurarius et Canonici s. Philippi sint veri Canonici et membra capituli aequali ideo jure vocis in omnibus capitulariter definiendis frui debere, etiamsi iidem canonicatus fuerint recentius erecti, *Pignatell. consult. 48. num. 9. tom. 6* et *Rota in Calaguritana Juris votandi decis. 658. num. 3. part. 4. divers.*

Idque consonum esse legibus fundationum, quibus Archipresbytero datum fuisse constat »stallum in choro ac locum et vocem in capitulo,« Thesaurario quoque »stallum in choro et vocem et locum in capitulo« et Canonicis s. Philippi »stallum in choro, locum et vocem activam et passivam in capitulo.« Ambigi ideo non posse juxta fundationum leges a capitulo et Archiepiscopo approbatas, amplissime frui debere voce activa in omnibus negociis capitulariter tractandis, *Pignatell. consult. 104. num. 7. tom. 4.*

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

*) Vd. *supra p. 419. c.*
**) Vd. *Canonia. p. 47.*

Accedente praesertim unisona observantia centenaria et ab ipso capitulo solemniter confirmata, cujus vis sive interpretative sive praescriptive exuberat ad vocem in capitulo acquirendam, *Rota dec. 574. num. 24. part. 4. tom. 3.*

Nec inquirendum esse, an recentiores Canonici participent de massis, de quibus in capitulari aula tractandum est, quia jus vocis correlativum non est participationi massarum. Exemplum esse in portionariis, qui licet admittantur ad participationem massae capitularis jus tamen vocis in capitulo non habent, *Lotter de re benef. lib. 15. quaest. 15. num. 26*, item in praebendario non Canonico, qui licet participet de redditibus ecclesiae voce nihilominus caret, *Fagnan. in cap. 9. n. 31. de constit.:* quamvis ideo desit participatio non ob id privandos esse jure vocis quod ex solo jure canonico ipsis tamquam capituli membris debetur, *Fagnan. in cap. Dilectus de constit. num. 8.* et *Panimol. dec. 98. ad not. 1. num. 16.*

Demum advertunt, separationem vocis undique impossibilem et injuriosam esse, nam Camerarius massae capitularis administrat quoque massam Bolis: impossibile autem esse ut Archipresbyter, qui de massa Bolis participat suffragium ferre non possit in electionibus et confirmationibus Camerarii mensae capitularis; injuriosum item maxime esse, ut Dignitates et Canonici ad libitum et imperium participantium debeant tacere, obmutescere, egredi etiam a capitulari aula ac voce modo restituta aliquoties esse Canonicos et fratres aliquoties desinere tales esse. Magis insuper expedire majorem esse votantium numerum, ut magis integrum et prudens capituli judicium habeatur, *Piton. discept. 99. num. 21.*

Archiepiscopus Senen. votum suum aperit favore Archipresbyteri, Thesaurarii et Canonici in lite consortis ut ex ejusdem relatione, quae inter monumenta causae habetur.

Certum est in erigendis novis dignitatibus vel canonicatibus requiri capituli consensum,*) *Felin. in cap.: Quum accessisset 15 de constit.* et in *cap. 18. num. 18. de praebend.*, sine quo irrita esset erectio, *cap.: Sicut 28. de elect.* Hinc s. Congregatio in una *Aquinaten. 20. Februarii 1677.* proposito:

I. An possit Episcopus erigere**) praeposituram secundam dignitatem in dicta Collegiata?

II. An in eadem in qua non est praefinitus numerus Canonicorum possit erigere canonicatum?

Rescripsit: Ad utrumque affirmative de consensu capituli, *lib. decret. 29. pag. 371*, et in una *Sabinen. Erectionis archidiaconatus* proposito:

An erectio archidiaconatus, facta sine consensu capituli sustineatur?

rescripsit die 14. Aprilis 1696: Negative et erectionem sine consensu capituli non sustineri, *lib. 46. pag. 162* et in *Firmana Erectionis canonicatuum 13. Septemb. 1734.*

In capituli autem dissensu unice inquiritur, an ipsum juste vel injuste dissentiat, nam si juste contradicit, non obligatur, ut invitum socium accipiat, ut in *Aretina Capellaniae seu canonicatus 29. Novembr. 1698 lib. 48. decret. pag. 567* et in *Maceraten. Communicationis voluntatis 30. Augusti 1704.* Sin vero injuste dissentit, tunc etiam eodem reluctante decernitur erectio, ut in *Caesenaten Erectionis archipresbyteratus 6. Maji 1723* et in *Firmana Erectionis canonicatus 12. Septembris 1734.*

At si capitulum assensum praebet sub certis conditionibus, tunc de iis inquiritur, an justae sint, justas enim s. Congregatio semper approbavit, injustas vero rejecit.

Sic etiam in una *Alatrina 8. Febr. 1727* in qua plures conditiones a capitulo abjectae fuerant hae probatae fuerunt: »Canonicatum esse erigendum cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis et oneribus ad instar aliorum Canonicorum, cum hoc tamen, quod novus Canonicus in negotiis tangentibus interesse tantum antiquorum Canonicorum non habeat vocem activam nec passivam in capitulo, sicuti etiam, quod non participet de legatis et anniversariis in praeteritum relictis et quod in massa distributionum quotidianarum conferat scuta 20 annua constituentia tertiam partem sui canonicatus ad effectum, ut ipse et omnes alii Canonici aequaliter hinc inde participent de punctaturis absentium et quod teneatur ad onera ordinaria et extraordinaria tam in ingressu quam in progressu.«

Et in *Tolentina Archipresbyteratus 1. Februarii 1766**) quum erectioni archipresbyteratus conditio a capitulo adjecta fuisset, ut

*) Vd. *p. 170. VI.*
**) Vd. *p. 170. VI; 173. VII.*

*) Vd *t. I. p. 1082.*

Archipresbyter nec de massa ac bonis ecclesiae participare posset nec super iisdem suffragium ferret, propositis:

II. An Archipresbyter possit participare de bonis, decimis, jurispatronatibus, legatis aliisque juribus generaliter relictis dictae ecclesiae cathedrali aut capitulo ejusdem?

III. An Archipresbyter possit intervenire et habere suffragium in capitulis seu resolutionibus capitularibus faciendis super dictis bonis et juribus?

Respondit ad II: Negative et amplius.

Ad III: Negative et amplius.

Quod tamen intelligendum esse de solis negotiis respicientibus interesse et jura particularia veterum Canonicorum, non vero de reliquis communem ecclesiae vel capituli utilitatem et commodum praeseferentibus, declaravit eadem s. Congregatio in *Eugubina Erectionis canonicatuum*, ubi pluribus a capitulo adjectis conditionibus proposito dub.:

An novi Canonici habere possint vocem activam et passivam in concernentibus haereditatem Christini atque in electione officialium aliisque contentis in conditione sexta?

Respondit die 26. Martii 1763: Gaudere voce activa et passiva exceptis iis quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.

Haec, quae certe procedunt, dum in erectione dignitatum vel canonicatuum capitulum praestitit consensum certis conditionibus restrictum expresseque adimentum novis Canonicis jus vocis activae et passivae in iis quae interesse et jura particularia veterum Canonicorum respicerent, perpendendum est an praesenti controversiae conveniant, ubi in erectione archipresbyteratus s. Philippi Nerii nulla conditio a capitulo adjecta fuit nullaque expressa vocis activae et passivae privatio indicta, sed pure eorum erectio fuit acceptata.

Nam in erectione archipresbyteratus anni 1514 legitur: »Auctoritate apostolica in dicta ecclesia Senen. unum archipresbyteratum, qui inibi dignitas quarta et sine cura existat, pro uno archipresbytero, qui stallum in choro et locum et vocem in capitulo ipsius ecclesiae Senen. immediate post dictas tres dignitates pro tempore obtinentes habeat necnon divinis officiis inibi interessendo distributiones quotidianas, prout quilibet ex Canonicis praedictae ecclesiae Senen. percipere consueverunt, percipere ac privilegiis quibus alias inibi dignitates obtinentes praefati gaudent gaudere possit sine alicujus praejudicio reverendissimi in choro prioris et venerabilium et circumspectorum dominorum virorum dictae ecclesiae, propterea in dicta ecclesia solemniter ut moris est capituli ut praefertur congregatorum consentientium expresso accedente consensu perpetuo ereximus et instituimus.«

In erectione vero dignitatis Thesaurarii facto anno 1655 ex simplici beneficio*) s. Joannis Baptistae de jurepatronatus familiae Sansedoniae habetur, quod quum patroni instituissent, ut concederetur Thesaurario »stallum in choro et vox ac locus in capitulo post alias dignitates obtinentes immediate tam in ecclesia quam extra et tam in actis publicis quam privatis,« praevio capituli censensu beneficium erectum fuit in quartam dignitatem et Thesaurario assignatum »stallum in choro et locus ac vox in capitulo cum plenitudine juris canonici.«

Et demum in erectione anni 1759 canonicatus sub titulo s. Philippi Neri quem detinet Canonicus Ludovicus Sergardi praevia capituli approbatione cautum est: »illius possessores Canonicos praebendarios pro tempore habendos et reputandos esse pro veris Canonicis capituli dictae Metropolitanae, prout habentur et reputantur alii Canonici ejusdem et uti tales Canonicos praebendarios praedictos, qui pro tempore erunt, debere gaudere et frui omnibus juribus, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, favoribus et honoribus quibus fruuntur et potiuntur omnes alii Canonici ejusdem Metropolitanae eosdemque fore et esse recipiendos et acceptandos illisque stallum in choro, locum et vocem activam et passivam in capitulo fore et esse assignandum et respective assignandam prout nunc pro tunc assignavit.«

S. Congregatio in una *Faventina*, in qua res erat de archipresbyteratu, in cujus erectione explicita aderat exclusio a participatione massae capitularis sed eidem expresse datum fuerat stallum in choro et locus et vox in capitulo, proposito:

An Archipresbyter, qui in bulla erectionis excluditur a participatione distributionum quotidianarum et aliorum emolumentorum ad manus Camerarii capitularis pervenientium, debeat habere votum in capitulo, quando de istorum interesse et massa capitulari tantummodo tractatur?

*) Vd. *p. 151. I.*

Respondit die 12. Decembris 1654: Archipresbyterum vocem habere debere etiam in capitulis supra expressis.

Et in *Nicien. Decretorum*, in qua sibi adscribebant recentiores Canonici jus in electione ad canonicatum curatum erectum ex bonis et redditibus mensae veteris capitularis, a qua expresso pacto non fuerant exclusi, proposito dubio:

An illud decretum Episcopi, quo statuitur omnes Canonicos tum decimantes tum posteriorum erectionum excepto Canonico fundationis Archidiaconi Jacobi habere vocem activam et passivam in omnibus capitulis et electionibus etiam Canonici curati et alterius Canonici cum praebenda de pulchro loco, praeterquam Canonicos ex fundatione Rossignoli in electione passiva procuratoris capituli, sit servandum?

Respondit die 14. Martii 1744: Affirmative salvo jure eorum ad quos pertinere possit libera collatio praebendae de pulchro loco.

Perpendendum item quaenam fuerit subsecuta observantia et an eadem si non praescriptive saltem interpretative evincat, quid recentioribus Canonicis fuerit concessum quidve non ademptum.

EE. PP. cuncta suo judicio ac juris scientia perpendent et definire dignabuntur:

An Archipresbytero, Thesaurario et Canonico Sergardi interessentibus in sessionibus capitularibus competat jus vocis activae etiam in negotiis spectantibus ad massas de quarum distributionibus non participant in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 27. Febr. et 26. Mart. 1768.

Juris communis sanctionem esse in themate servandam, qua docemur Canonicum statim ac in collegium admissus est omnibus et singulis honoribus juribusque ac ceterum capitulum frui oportere *ad text. in cap.*: *Miramur. dist. 61, Barbosa in summa apostolic. decis. collect. 87. n. 3, Goncalez ad reg. 8. cancell.**) *p. 3. in proem. n. 23. et seqq., Scarfant. adnot. ad Ceccoper. in lucubrat. canon. adnot. ad tit. 14. lib. 1. n. 51. et seqq.* et *s. Rota praesertim. in recent. dec. 120. n. 1. p. 3.*

*) Vd. *p. 820.*

Piscien.

Cum Franciscus Cheli Prior cathedralis ecclesiae Pisciensis deprehenderit in bulla erectionis a san. mem. Leone X. edita tam suae dignitati*) prioratus quam alteri thesauratus concessa fuisse non modo stallum in choro, verum etiam locum in capitulo necnon jus praecedendi excepto Archidiacono omnibus Dignitatibus et Canonicis praefatae ecclesiae fruendique omnibus privilegiis, praerogativis et honoribus, quibus ceterae Dignitates et Canonici potiuntur, itidemque agnoverit, tum quinque antiquiores dignitates tum et illam thesauratus consuevisse aeque ac Canonicos interesse capitulo eodemque jure suffragii in singulis actibus capitulariter gestis frui, conquestus est apud hanc s. Congregationem sub finem anni 1735 se tantum a suffragio ferendo in capitularibus actibus arceri aliisque praerogativis et honoribus quibus Canonici et reliquae Dignitates ornantur injuria esse destitutum, proindeque petiit decerni, sibi quoque licere congressibus capitularibus interesse ibique proprium suffragium de negotiis omnibus, praeter ea quae administrationem et respective participationem quotidianarum distributionum respiciunt, proferre ceterisque pollere juribus quibus aliae dignitates potiuntur; s. vero Congregatio ad ineundam deliberationem de eo, quod esset oratoris petitioni rescribendum, juxta laudabilem ejus morem requisivit Episcopi relationem de eo, quod esset oratoris petitioni rescribendum, qua pridem transmissa hodie tandem duo infrascripta dubia discutienda proponuntur.

Circa ea, quae ad primum attinent dubium a quo alterius decisio potissimum pendere videtur, memoratus prior ultro admittit ex solis Canonicis juxta veterem juris communis sanctionem consuevisse constitui capitulum ita ut ipsis tantum veluti ejusdem capituli membris olim jus esset suffragium ferendi in iis, quae ad rectum ecclesiae regimen pertinent, uti per *text. in cap. Novit de his quae fiunt a praelat.* docent *gloss. in cap.*: *Cum M. de constit.* verb.: *Receperunt* et in *cap. penult.* verb.: *Assisios de cleric. non*

*) Vd. *p. 124. d.*

resid., Butr. in cit. cap. penult. n. 8, Abb. n. 9. et alii plures, proptereaque ad tramites hujus dispositionis dignitates inter membra capituli nequaquam recenseri neque ad sententiam suam in actibus capitularibus proferendam admitti sed stallum dumtaxat in choro una cum jure praecedendi super Canonicis obtinere, juxta celebrem doctrinam *Compostell. in cap. 1. n. 4. de elect.*, quam communiter sequuntur *Abb. in cap. Dilectus n. 7. de praebend., Fagnan. in cap. Nullus n. 43. de elect., Garz. de benef. par. 11. cap. 5. n. 201. et seqq.* et eminentissimus *Petra in suis commentariis tom. 1. ad constit. 1. D. Leonis Magni sect. 2. n. 9.*

At secus hodie in tota praesertim Italia ex generali consuetudine servari asserit, cum enim jus ferendi suffragium in capitularibus actibus ex canoniae jure promanet, ad notata per *Abb. in cap. Scriptum de elect. rubr. fin.* verb.: *Capitulum n. 40, Vitalin in Clement. fin. 46. de praeben., Garz. de benef. part. 11. cap. 5. n. 301, Ricc. in prax. cur. Archiepisc. Neapolit. cap. 60. n. 20*, omnes vero dignitates in hisce regionibus praebendam obtineant, quae licet reipsa canonicalis non esset adhuc pro tali haberetur, quemadmodum cum aliis advertit *Card. de Luca de benef. disc. 46. n. 5. et seq.*, inde sequi contendit, ut eaedem dignitates sive in cathedralibus sive in collegiatis ecclesiis erectae, exceptis iis, quae praelati vicibus funguntur, veluti membra capituli suffragium suum possint in capitularibus actibus proferre juxta *gloss. in supracitat. cap. Cum M.*, verb.: *Receperunt, Felin. ibid. n. 18.* et comprobanda adducta per *Card. de Luc. de benef. de disc. 45* et eminentissimum *Petra ad d. constit. 1. D. Leonis Magni sect. 2. sub n. 9*, versic.: *Dictus tamen.*

Praeterea memoratus prior, seposita etiam dicta universali consuetudine, putat vocem in capitulo una cum caeteris praerogativis et honoribus sibi debitam vigore praefatae bullae Leonis X. a qua nedum prioratui constituta fuit canonicalis praebenda ex redditibus parochialis ecclesiae ss. Stephani et Nicolai eidem dignitati in hunc finem unitae, verum etiam sancitum reperitur, quod possessores tam dignitatis prioratus quam alterius thesauratus »omnibus et singulis privilegiis, favoribus, concessionibus, gratiis et indultis, quibus aliae dignitates utebantur, uti, potiri et gaudere libere et licite possent et deberent«, unde cum praefata dignitas thesauratus concessionis vocem in capitulo obtineat nulla vigeat ratio, cur eadem praerogativa potiri non debeat prioratus.

Neque sibi nocere arbitratur contrariam observantiam, veluti quae nec in linea, ut ajunt, praescriptionis quidquam operari valeat adversus bullam consueta clausula »sublato et decreto irritante« communitam neque speciem interpretationis ejusdem bullae queat inducere dum ejus litera satis clare et explicite jus ferendi suffragium in actibus capitularibus priori tribuit; additque praeterea tanto minoris momenti evadere observantiam praemissam, quippe quae erronee invecta fuerit sub falso supposito, quod priores nequirent vocem in capitularibus negotiis obtinere, cum nihil in massam distributionum quotidianarum contribuissent, adeoque magnificata contraria consuetudo tamquam ex errore derivata nullius sit roboris argumento *text. in l. 1. Cod. de fals. caus. adject. legat.*

Adversus haec capitulum tria opponit, unum scilicet in jure quod dignitates nec activam nec passivam vocem in capitularibus negotiis obtineant, duo autem in facto, alterum, quod dignitati prioratus non fuerit hactenus constituta praebenda canonicalis, et alterum, quod possessores ejusdem dignitatis nunquam suffragium suum in capitularibus actibus protulerint. Episcopus autem jusus de controversiae momentis s. C. instruere suamque aperire sententiam, ab ista proferenda abstinens literas suas ita concludit: »Dicam tantum, veram esse citatam bullam, sed propter contrariam consuetudinem nequaquam in praxi fuisse reductam; omnesque dignitates, quae sunt septem, ferre suffragium in capitulo excepto priore omnesque pariter Canonicos, qui sunt duodecim, ferre quidem suffragium excepto uno, qui habet solam praebendam et de distributionibus non participat.«

His itaque ponderatis necnon inspectis iis quae alias ad rem adnotata fuerunt in una *Marsicana Vocis in capitulo* proposita die 30. Aprilis et 11. Jun. 1729, in *Fanen. die 16. Jun. 1731.* et in *Firmana Vocis in capitulo 11. Septembris 1734* dignabuntur eminentissimi Patres decidere:

I. *An et in quibus actibus capitularibus dignitas prioratus cathedralis ecclesiae Pisciensis habeat vocem activam et passivam in casu?*

II. *An praefata dignitas prioratus gaudeat eisdem juribus et praerogativis, quibus fruuntur ceteri Canonici et Dignitates d. cathedralis ecclesiae in casu?*

S. C. resp.
Ad I: Negative.
Ad II: Gaudere juxta solitum.
Die 8. Febr. et 1. Mart 1738.

Terracinen.

Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 4. de reform.* praescribens, quod nemo cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum servitio addictus vocem in capitulo habere possit, nisi fuerit s. ordinibus initiatus, unice loquitur de veris Cathedralibus verisque Collegiatis non autem de ecclesiis, quarum praesbyteri vel ad instar Collegiatarum se gerunt vel impropriae collegialitatis nomen assumunt, *Pignatell. Consult. 87. num. 13. tom. 10, Rot. cor. Molin. decis. 1229. num. 14.* vers: *Procedendo* et in *Posnanien. Parochialis 1. Julii. 1757. §. 10. cor. clar. mem. Card. Bussio.*

Die 17. Julii 1779.

S. Miniati.

Etiamsi Canonicus novae erectionis non gaudeat voce in capitularibus sessionibus, quae respicinnt jura dumtaxat veterum Canonicorum nisi aliter statutum fuerit in limine fundationis et admissionis, *s. Congreg. in Eugubina Erectionis canonicatuum 26. Martii 1763 ad IV. dubium* et in *Tolentina Archipresbyteratus 1. Februarii 1766 ad III. dubium**) attamen in reliquis communem ecclesiae vel capituli utilitatem et commodum praeseferentibus jure suffragii privari non debet, *s. Congregatio in cit. Eugubina ad IV. dubium* et in *Alatrina 8. Februarii 1727.*

Die 24. Nov. 1827.

Fabrianen.

Illud canoniae proprium est, ut Canonicis tribuat aequale jus vocis quoad omnia, quae in capitulo fiunt et collegialiter expediuntur, ut post *Fagnan. in cap.: Cum de constit. n. 26* docet s. Congregatio *in Senen Vocis in capitulo 27. Februarii 1768. §. Addunt* et in *Pisana Electionis 19. Septembr. 1818. §. Porro.*

Die 8. Aug. 1829.

*) Vd. *t. I. p. 1082.*

Reganaten.

Hectori ex Comitibus Leopardi, qui dignitatem, quam vocant decanatum, in cathedrali Recinetensi ecclesia possidebat, apostolicis bullis diei 21. Februarii 1824 coadjutor cum futura successione constitutus est clericus Antonius Politi patritius Recinetensis et in aetate annorum duodecim constitutus ut absente coadjutore eidem ecclesiae *in Divinis deservire et apud illam personaliter residere ac omnibus functionibus, processionibus caeterisque actibus capitularibus de jure et consuetudine solitis et consuetis interesse* posset ac teneretur. In memoratis autem bullis cautum legitur: *Interim vero donec praedictis sacris ordinibus initiatus non fueris, vocem et votum in capitulo dictae majoris ecclesiae non habeas.* Cumque paulo post ex hac vita migrasset coadjutus novam decanatus possessionem nactus est praefatus clericus omnibusque juribus ac praerogativis perfrui caepit. Verum ineunte anno 1826 nonnulla Decanum inter et reliquos Canonicos exarserunt controversiae: quo factum est, ut ipse Decanus s. Rituum Congregationem adierit eamque percontatus fuerit, utrum sibi licet clericali dumtaxat tonsura*) insignito jus esset se possa intervenire ai capituli, senza però dare il suo voto, finchè non sarà promosso agli Ordini sacri. Oratoris votis propitium die 20. Februarii 1826 prodiit rescriptum, quo idem ad clericum Politi spectare declaratum fuit, iis tantummodo exceptis, *quae ex sacro ordine, quo destituitur, ortum ducunt.* Ad tramites hujus rescripti Recinetenses Canonici, dum eodem anno 1826 capitulares constitutiones ab Episcopo in s. visitatione confirmatas exararunt, haec de capitularibus comitiis sanxerunt: *Chi non è subdiacono, non ha voce in capitulo* (Tridentin. session. 22. cap. 4.) *può intervenirvi però per imparare* (Congregat. Concil. 8. Aug. 1621); *non per dare il voto* (Cong. Episc. 15. Julii 1586.) Decanus itaque Politi capitularibus dein adstitit sessionibus suumque votum, quod suadendi tantum vim haberet nemine obsistente edidit, quinimo pecuniaria poena mulctatus fuit, ubi una vel altera vice iis defuerit, donec Canonici in comitiis diei 3. Martii 1830 ad ea, quae irrepserant, evitanda incommoda majoribus suffragiis decreverunt *che siano esclusi gli attuali Canonici chierici dalle adunanze capitolari, ed in appresso non si mandi*

**) Vd. *p. 380. n. 12.*

più loro il solito avviso nel di antecedente; riservandosi il capitolo il diritto riammetterli se e come di piacere. Hujusmodi decretum aegre tulerunt Canonici sacris ordinibus nondum insigniti ac praesertim Decanus Politi, qui ad hanc s. Congregationem suas censuit deferendas querelas, ut Emorum Patrum oraculo decernatur, num sibi liceat capitularibus comitiis adesse, quin tamen in iisdem suum ferat suffragium.

Vicarius generalis, qui prima fruitur in eadem ecclesia capitulari dignitate quique comitiis diei 3. Martii 1830 interfuit, de informatione et voto rogatus se abstinuit a pandenda animi sui sententia remisitque huic s. Ordini quasdam a Recinetensi capitulo acceptas animadversiones, quibus Canonici capitularis decreti aequitatem ostendere conantur.

Inprimis nonnulla proferunt rationum momenta, quae eo capitulum impulerunt, ut decretum, de quo nunc quaeritur, subscriberet. Etenim ob nimiam Canonicorum, qui nondum s. ordinibus erant insigniti, imprudentiam saepius acciderat, ut ea, quae in capitularibus sessionibus secreto acta fuerant quaeque sub poena suspensionis ipso facto ex decreto Episcopi anni 1826 contrahendae nemini fas erat extra capitulum enuntiare, palam fierent adeo ut plures in Canonicos adversae sententiae excitarentur simultates ac etiam capituli utilitas periclitaretur. Et quod pertinet ad reprehensibilem Decani Politi agendi rationem, postquam ipse in quadam controversia Canonicos inter et altaristas exorta in capitulari conventu suum praebuerat assensum, ut absentes merita plecterentur poena, in sequentibus comitiis contra capituli decretum contestatam emisit denunciationem, quam in altaristarum et in episcopalis cancellariae acta describere curavit. Haec cum gravate paterentur Canonici, in eam devenere sententiam ut *gli attuali Canonici chierici* a capitularibus sessionibus quoad capitulum aliter decerneret omnino arcerentur.

Neque temere se id egisse gloriantur Canonici. Praesidium namque sibi quaerunt tum ex *Clement. Ut ii de aetat. et qualit. praefic.* tum ex Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 4. de reformat.*, quibus cautum fuit, *ut nullus .... vocem in capitulo habeat (etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur) nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus*; neque contrariam suffragari praescriptionem respondit s. Congregatio, prout traditur *in Sabinen. 31. Maji 1783.* §. *Ex mente.**) Imo non desunt doctores, quos inter Gavantus *Manual. Juris* verb.: *Capitulum*, *Garzias de benefic. part. 3. cap. 4. num. 25* ac praecipue *Pignatellus Consult. 115. num. 3. tom. 8*, qui doceant Canonicos in minoribus constitutos ne quidem *vocem consultivam neque assistentiam neque sedem in capitulo habere posse.* Concinit s. Congregatio, quae 5. Martii 1664. rogata, an Canonici minoribus tantum ordinibus initiati saltem possent *in capitulo assistere atque interesse?* respondit: *Non posse*, ceu videre licet *in Romana Vocis in capitulo 1. Julii 1741.* §. *Contra.* Quae cum ita sint, Recinetenses Canonici merito se putant decretum illud edidisse, quo hodierni Canonici nondum minoribus ordinibus insigniti ob proditum secretum simultatesque excitatas aliqua poena coercendi a pandendo voto consultivo imo et a capitularibus comitiis donec capitulo lubeat prorsus repellerentur.

Verum ultra fatetur Decanus Politi, potestatem sibi non esse suffragium in capitularibus comitiis ferendi, sed iniquum esse ait, ut ipse prohibeatur capitularibus sessionibus adesse. Etenim cum *Clement. ut ii de aetat. et qualit. praefic.* et Concilium Trident. *sess. 22. cap. 4. de reformat.* vocem tantum Canonicis in sacris ordinibus non constitutis adimant et vocis nomine activam solummodo vocem esse intelligendam tradant, *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 16. num. 18*, *Leuren. For. benefic. quaest. 560. tom. 4.* ac etiam declaravit haec *s. Congr. in Romana Vocis in capitulo 1. Julii 1741.* §. *Contra* et in *Sabinen. 31. Maji 1773.* §. *Disputant***), eadem vocis privatio non est eousque protrahenda ut praesentiam quoque in capitulis et votum consultivum auferat, nam in legum interpretatione poenae molliendae sunt potius quam exasperandae, *L. 42. ff. de poenis*, *R. 15. J. in 6.* Et sane *Card. de Luca in adnot. ad sess. 22. cap. 22. de reform. Concilii Trident.* ait: *Non exinde prohibentur alii qui in s. ordinibus non sint capitulo intervenire eorumque judicium tamquam consultivum votum proferre cum id non sit prohibitum.*« Hujus sententiae adhaesisse quoque videtur s. haec Congregatio *in Romana Vocis in capitulo 22. Julii 1741.*, proposito enim dubio:

An Canonici clerici ecclesiae collegiatae s. Mariae in Cosmedin intervenire possint in capitulo inibique habere vocem activam in casu etc.?

*) Vd. *p. 431.*
**) Vd. *p. 432.*

respondit: *Posse intervenire*, *sed non habere vocem.* Injuria itaque Recinetenses Canonici Decanum Politi aliosque Canonicos minoribus tantum ordinibus initiatos a capitularibus sessionibus eliminandos decreverunt cum orator qua ex sacrorum canonum jure qua ex capitularibus constitutionibus anni 1826 hac praerogativa luculentissime honestetur.

Immerito autem subdit ejusdem clerici defensor Decani agendi rationem redarguere nituntur Canonici eumque, ut a capitularibus comitiis arceretur poenam promeruisse affirmant: quae enim a Canonico Marconi, ait illius defensor, adversus capitulare decretum prolata fuere et capitularibus actis insita, quibus et alii duo subscripsere Canonici, crimen eidem objectum nullis evinci probationibus demonstrant vel illud ita imminuunt, ut ne culpa quidem in ea agendi ratione reperiatur. Cetera quae ad tuendas Decani partes spectant fusius haurient Emi Patres ex allegatione ab ejus defensore circumferenda, ut dirimere valeant

Dubium:

An clericus Decanus Politi possit capitularibus comitiis interesse ac votum consultivum in expediendis capituli negotiis ferre in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 17. Sept. 1831.

f) Jus quibus non est?

Vd. supra c; p. 124. d; *Canon. Cath.* (ordinatio etc. p. 410. b; 412. c.)

Lucana.

Prima Dignitas ob non susceptum ordinem voce caret in capitulo; *s. Congregatio in Sabinen. 31. Maji 1783* et in *Oppiden. Vocis in capitulo 25. Maji 1822.**)

Die 25. Febr. 1826.

In capitulo Vicarium general. uti Vicarium non habere vocem, uti vero Canonicum nonnisi in loco suo receptionis. S. R. C. die 17. Julii 1640.

Ad dubium: An Dignitates ecclesiae Majoricen., quamvis non sint Canonici, habeant locum et vocem in capitulo in omnibus concernentibus bonum regimen ecclesiae exceptis tantum, quae concernunt fructus mensae capitularis?

S. C. R. resp.: *Negative.*

Diei 26. Aug. 1713.

Clemens V. in *Clementina*: *Ut ii, de aetat. et qualit. praeficiendorum* ita disponit: *Ut ii, qui divinis in cathedralibus vel collegiatis saecularibus vel regularibus ecclesiis sunt mancipati officiis vel mancipabuntur inposterum, ad suscipieudos s. ordines propensius inducantur, statuimus, ut nullus de cetero in hujusmodi ecclesiis vocem in capitulo habeat (etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur) nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus.* Quod a Clemente V. sancitum est confirmavit postea Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 4. de reform.* Advertit *Barbosa ad dictum caput Concil. Trident. n. 5.*, quod Canonici in ecclesiis collegiatis, licet possint recipi in aetate quatuordecim annorum vocem tamen in capitulo non habent quousque ad annum vigesimum secundum non pervenerint et s. subdiaconatus ordinem non susceperint.

Sabinen.

Ex mente s. Congregationis Canonici, qui ordinem subdiaconatus non habent, nec praescriptione acquirere valent jus ferendi suffragium in actibus capitularibus, ut definivit in *Bononien. 27. Martii 1602. ad II. dubium* in quo sic respondit: Hujusmodi Canonicum donec in sacris ord. non fuerit constitutus vocem in capitulo non habere neque id praescribere potuisse; atque ne in capitulum suffragia ferat ab Episcopo esse prohibendum immo a Canonicis nequaquam esse ad id admittendum, *lib. 10. decret. pag. 27.* Immo, qui canonicatum possidet cui non sit adnexum onus suscipiendi s. ordines suffragium in capitulo ferre non potest, nisi in ordine subdiaconatus sit constitutus. Sic resolutum fuit in *Romana Vocis in capitulo*, ubi quaestio promota est inter Canonicos s. Mariae in Cosmedin, cujus canonicatus ex institutione conferri possunt etiam iis, qui prima tantum tonsura sunt insigniti et disputato dubio:

An Canonici clerici ecclesiae collegiatae s. Mariae in Cosmedin intervenire possint in capitulo ibique habere vocem activam in casu etc.?

Die 22. Julii rescriptum fuit: Posse intervenire sed non habere vocem.

*) Vd. *p. 432.*

Disputant tamen inter se doctores, an prohibitio ferendi suffragium in capitulis indicta Canonicis, qui in s. subdiaconatus ordine non sunt constituti, praeseferat etiam privationem vocis passivae ita ut ad nullum officium eligi possint. Affirmativam sententiam sequuntur *Navar. cons. 6. de verb. signif., Lessius de just. et jur. lib. 2. cap. 34. n. 25, Malfes. tract. 6. cap. 16. n. 34.* Contrariam vero tuentur *Piasec. in prax. part. 12. cap. 3. n. 7, Garz. de benefic. part. 3. cap. 4. n. 5, Barbosa de Canonicis cap. 17. n. 18.* In hac opinionum varietate animadvertere praestat, quod in folio causae *Romana Vocis in capitulo*, quae nuper relata est, legitur quaedam resolutio s. Congr. *Visitationis apostolicae diei 3. Decembris anni 1663*, his concepta verbis:

In s. subdiaconatus ordine non constituti vocem in capitulo non habent, etiamsi ab aliis fuerit libere concessum juxta constitutionem Viennensis Concilii a Tridentino innovatam, quae incipit *Ut ii*; caeterum hanc prohibitionem habere locum in voce activa dumtaxat, non autem in passiva.

Sustinet *Barbosa in d. cap. 17. de Canon. et Dignit. numer. 13.* Canonicum qui obtinuit dispensationem apostolicam, ut in aetate sexdecim annorum vel in alia sufficienti canonicatum in Cathedrali assequi possit lucrari nedum fructus praebendae verum etiam vocem in capitulo habere; s. Congregatio *die 13. Januarii 1629. in causa Montis Politiani* respondit: Secundum ea quae proponuntur oratorem vocem in capitulo habere et distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari ita tamen ut ordinem suae praebendae adnexum cum ad aetatem legitimam pervenerit suscipiat, *lib. 14. decret. pag. 6.* Et in *s. Miniatis* Carolus de Ansaldis in aetate annorum quindecim provisus et dispensatus a san. me. Urbano VIII. ad canonicatum obtinendum in Cathedrali petiit declarari:

An vocem in capitulo haberet et distributiones quotidianas dum divinis officiis interesset lucrari posset?

Et s. Congregatio die 15. Septembris ejusdem anni 1629 respondit: Secundum ea quae proponuntur oratorem vocem in capitulo habere et distributiones quotidianas dum divinis officiis interest lucrari. *d. lib. 14. decret. pag. 118.*

Die 31. Maji 1783.

Oppiden.

Clerico Josepho Grillo dioecesis Oppiden. SSmus Dominus Noster Pius PP. VII. per literas apostolicas in forma Brevis datas diei 18. Novembris 1817 indulsit ut ad canonicatum cathedralis ecclesiae Oppiden dimissum a Salvatore Pane ascendere valeret, etsi id per aetatem septendecim annorum et per majorum ordinum defectum eidem non liceret. En verba apostolicae dispensationis: ut illis (defectibus) minime obstantibus canonicatum praedictum illiusque omnes et singulos fructus, redditus et proventus exigere, percipere et levare suosque in usus et utilitatem, supportatis respectivis oneribus, convertere libere et licite possis et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium dispensamus, expressa tamen sub conditione, ut canonicatus praedictus a te consequendus debitis non fraudetur obsequiis sed supportentur onera consueta, ut statim ac per aetatem licuerit ad omnes s. ordines per canonicatum hujusmodi requisitos promoveri servatis servandis tenearis.

Vigore hujus indulti Joseph consequutus est canonicatum et ratus Sanctissimum cum dispensavit super aetate et ss. ordinum defectu dispensasse etiam super incapacitate ferendi suffragium in capitulo promanante ex defectu ss. ordinum sessionibus capitularibus interfuit suumque tulit suffragium, immo etiam per procuratorem suffragatus est, cum a residentia abesset, praesertim in electione Vicarii capitularis.

Verum nonnulli nunc ex Oppidensi capitulo opponuntur quominus vocem in capitulo habeat orator s. destitutus ordinibus et quoniam dioecesanus Antistes quaestionem hanc definire noluit a sapientissimo Vestro Eminentissimi Patres judicio dirimenda proponitur.

Episcopum pro informatione votoque requisivi; qui haec refert: Audito Cathedralis capitulo canonice congregato ex ejus relatione in scriptis casum hujusmodi dispensationis pro clericis minoristis haud viventium Canonicorum extare memoriae, non ex episcopali et capitulari archiviis sub terraemotus ruinis anni 1783 obrutis posse conjici. Clericum Canonicum Grillo in sessionibus capitularibus ad suffragium praestandum pluries fuisse admissum pro negotiis administrationis non vero jurisdictionis habita consideratione morum suorum irreprehensibilium tantumque illi

modo suffragii jus denegatum, ne capitulo ipsi praejudicium inferatur, clare constat.

Ex modernis ecclesiae constitutionibus nihil super tali re reperitur praescriptum. Canonici oratoris nativitas sub die 27. Martii 1801 accidit. Promotionis ejusdem ad s. ordines tempus minime advenit, quamvis desideretur ardenter. Absoluta videtur apostolica dispensatio, verificata tantum sacrorum ordinum susceptione, ut ex copia Brevis quam hic adjungo colligitur. Idem Canonicus orator singulari pollet ingenio, laudabili probitate studioque serio addictus ecclesiae ac choro suum praestat servitium.

His positis suffragii praestandi facultatem supradicto Canonico Grillo in quibusvis capitularibus congregationibus concedi posse arbitror, attenta temporis brevitate ad subdiaconatus susceptionem, bona fide, qua pluries dedit suffragium, nemine contradicente, per duos circiter annos, et canonicae institutionis bulla ab Ordinario expedita id minime vetante.

Eos omnes qui s. carent ordine vocem in capitulo habere non posse decrevit *sess. 22. cap. 6. de ref.* s. Tridentina synodus his verbis: Quicumque in cathedrali vel collegiata saeculari vel regulari ecclesia divinis mancipatus officiis in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi ecclesiis in capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum. Hinc sequitur oratorem qui s. subdiaconatus ordine non est insignitus vocem in capitulo habere non posse.

Verum quoniam Canonicus Grillo putat, dispensationem sibi concessam ad canonicatum obtinendum etsi s. ordinibus decoratus non foret suffragaturam etiam sibi fore ad votum ferendum, animadvertere praestat privilegium quod cedit in aliorum detrimentum strictam recipere interpretationem, praesertim si sit contra jus, tum quia omnis recessus a jure censetur odiosus, *cap. Is qui 1* et *cap. Si quis 2 de filiis Presbyt. in 6*, tum quia id clare constitutum reperitur in *cap. Super eo 15. de officiis delegati*, cui concordant *cap. Licet 12 de officio Ordinarii*, *cap. Cum Capella 16.*, *cap. Pastoralis 19* et *cap. Dudum 31 de privileg.* Hoc autem privilegium in aliorum cederet detrimentum, si huic suffragii ferendi facultas fieret. Nec quidquam refert quod huic oratori suffragandi jus ab aliis Canonicis concessum fuerit, perinde ac isti juri suo cesserint. Capitulum enim super hoc dispensare non potest, non vocem ei, qui subdiaconus non sit, concedere valet, quemadmodum pluribus citatis diserte docet *Barbosa de Can. et Dignit. cap. XXXVII. num. 5.* Hactenus adnotatis concordat resolutio hujus s. Congregationis prolata in *Sabinen. 31. Maji 1783. ad I. dub.**)

Cum enim quidam canonicatus in ecclesia collegiata Montis Rotundi auctus fuisset, cui adnexus erat presbyteratus et nondum ad subdiaconatus ordinem ascendisset ex defectu aetatis, super quo dispensaverat Pontifex, cum is a capitulo electus fuisset Camerarius sacrarii proposito dubio:

An substineatur electio in casu?

responsum fuit: Negative et amplius.

In quo animadvertere praestat, non fuisse tunc disputatum de voce activa, quae potior est, sed de voce passiva, quae minor est et de qua controversia est inter DD.: an scilicet inhibitio ferendi suffragium facta ei, qui subdiaconus non est, secumferat etiam incapacitatem habendae vocis passivae.

Attamen pro voce in capitulo concedenda Josepho Grillo nonnihil ponderis habere videtur id, quod docet *Barbos. de Canonic. et Dignit. cap. XXXVII. num. 13,* ubi haec habet: Declaro etiam, non procedere dictam principalem resolutionem (quod scilicet is qui subdiaconatu caret voce etiam in capitulo carere debeat) in Canonico dispensato a Papa, ut in aetate sexdecim annorum vel in alia sufficienti canonicatum in Cathedrali obtinere posset; nam eo ipso quod dispensatus circa aetatem et provisus de canonicatu, praebenda, fructibus et stallo, debet ad vocem admitti prout alii Canonici, ea ratione, quia *cap. 4. sess. 22. de ref. et Clem. Ut ii de aet. et qualit. etc.* locum non habent in impedito defectu aetatis nec in legitime dispensato, sed solum in negligente et nolente. Atque hanc doctrinam tum plurium DD. auctoritate tum s. hujus Congregationis resolutionibus in *Reatina 10. Julii 1627* et in alia *Montis Politiani 13. Januarii 1629* emanatis confirmare conatur.

Haec autem omnia sapientissimo EE. VV. judicio subjiciens ut definiant rogo:

An Josepho Grillo competat jus ferendi suffragium in capitulo in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 25. Maji et 22. Junii 1822.

---

*) Vd. *p. 431.*

g) Per literas dare non potest absens.

Ferentina.

Vd. lit. *i*; p. 150. m; t. I. p. 100. e.

Expendenda est dubitandi ratio an scilicet Canonicus absens polleat suffragium per epistolam ferre? Novimus quidem ex Bonifacii VIII. Pontificis placito, absentem Canonicum non posse aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secrete et singillatim tantummodo exprimendum, *cap. Si quis* §. *ult. de Elect. in 6.* Quocirca monet Fagnanus, a Canonico, qui justa ex causa praepeditus non accedat in capitulum, non mitti debere votum in scriptis per procuratorem, sed procuratorem constitui ad eligendum cum generali mandato, ut haec ipsa Congregatio alias censuit. *Fagn. in cap. Quia propter* §. *illud autem num. 5.* Verum *Schmier* diserte tradit, votum in literis explicari hoc modo posse, ut absens literas ad capitulum scribat eique schedulam obsignatam inserat quae vel a persona ab absente vel capitulo nominanda tempore electionis in urnam si ita moris sit conjiciatur aut saltem a scrutatoribus aperiatur. *Schm. Jurisp. can. lib. 1. tract. 3. cap. 1. n. 118.* Procuratorem autem constitui posse cum speciali mandato de certa persona eligenda notissimum in jure est, *cap. Si quis 46. de elect. in 6.*

Die 27. Apr. 1833.

h) Quot voces.

Canonicum, qui est etiam Dignitas, unam tantum vocem habere debere in Capitulo, maxime cum Dignitati non sit adnexus canonicatus.

Die 11. Maji 1641.

i) Substitutio.

Vd. lit. *g.*

Scarfanton. ad Ceccoper. Lucubrat. canonical. lib. 4. tit. 3. a num. 11. ad 56. cum aliis ibi adductis tuetur, Canonicum, qui ob distantiam, infirmitatem vel aliud impedimentum interesse per se non potest in capitulo, si in loco residentiae existat, procuratorem posse constituere ad ferendum suffragium nedum in electionibus verum etiam pro aliis expediendis negotiis capitularibus, dummodo tamen procurator sit de gremio capituli quia interest ne capituli secreta patefiant.

IV. Collegiatae.

Vd. *Eccles. Colleg.*; *Capitulum*; *Cura animar. exercenda a Collegiatis.*

1) Num confessarius esse debeat fundatione silente?

Vd. *Canonicus (confessarius, curatus.)*

Balneoregien.

(Conc. Tr. C. 6. S. 22. de ref.)

In obsequium oraculi sacri hujus concessus jam inde ab anno 1660 Episcopus Balneoregiensis animarum curam, quam pridem Canonici collegiatae ecclesiae s. Nicolai per turnum obibant, duabus praebendis perpetuo univit ac adjunxit cum honoribus, oneribus certisque emolumentis. Prae caeteris vero concordatis cum reliquis Canonicis tunc temporis initis idem Episcopus statui curavit, quod reliqui Prior et Canonici etiam non curati adstricti sint confessiones sacramentales excipere festis praesertim solemnioribus ac prima dominica cujuslibet mensis excepto tamen legitimi impedimenti casu ab Episcopo recognoscendo, proindeque Canonici nonnisi approbati esse debeant, ut ex documento unionis cum insertis capitulis in summario dando. Sub his pius testator Bonaventura Brunellus binas vel unicam praebendam canonicalem erigi in praelibata Collegiata mandavit cum redditibus aliis praebendis prorsus aequalibus, Canonicis pro tempore adjunctis oneribus trium missarum hebdomadalium: Et jamdictus disponens inquit: »Sono tenuti e obligati alla residenza et a tutto quello, che sono tenuti e obligati presentemente gli altri signori Canonici e Priore, che vi sono di praesente ect.« In obsequium hujusce piae voluntatis sub anno 1694 Episcopus Balneoregien. sub hac forma binos hujusmodi canonicatus ordinaria auctoritate erexit pro duobus presbyteris sive clericis secularibus, qui ad instar veterum Canonicorum ecclesiae collegiatae locum et stallum et vocem habeant necnon in ecclesia et processionibus ac missarum et aliorum divinorum officiorum celebrationibus, praebendarum et locorum actionibus caeterisque universis actibus publicis et privatis aliis ecclesiae Canonicis se conformare ac in praedicta collegiata ecclesia personaliter residere eique in Divinis deservire ac cum aliis veteribus Canonicis onus supradictum sex missarum pro qualibet hebdomada perpetuarum cum aliis

oneribus antiquis d. capituli pro eorum rata satisfacere et adimplere debeant et teneantur: reservato d. Hieronymo q. Angeli et post ejus mortem aliis filiis et descendentibus masculis tantum d. q. Angeli jurepatronatus dictorum duorum canonicatuum. Nuper vacante ex obitu ultimi possessoris altero ex hujusmodi modernioribus canonicatibus nominari a patronis obtinuit sacerdos Vincentius Ripa, quo provisionem in Dataria apostolica prosequente insurrexit promotor fiscalis curiae episcopalis Balneoregiensis, contendens in apostolicis literis conditionem adjungèndam esse, quod provisus onus audiendi confessiones subire deberet. Partibus itaque utrinque concertantibus ab eminentissimo prodatario rejectum fuit id dubium ad EE. PP. conventum; quapropter patroni ac praesentatus modo insistunt in litera erectionis, qua nedum presbyteri sed etiam clerici hujusmodi praebendis idonei fiunt, ac in observantia subsequuta, qua nunquam, ut perhibetur, Canonici de jurepatronatus oneri excipiendi confessiones fuerunt obnoxii. At contra promotore fiscali exaggerante, quod tam perspecta testatoris voluntate quam decreto praememorato erectionis moderni cum antiquis Canonicis ex aequo onera quaecunque subire debeant, hinc summa EE. VV. sapientia dijudicabit: *An Canonici instituendi in canonicatibus adjunctis in Collegiata s. Nicolai debeant esse confessarii?*

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 23. Juni 1714.

2) Curam animarum exercens.

Vd. *Cura animar.* (exercenda ab eccles. colleg. etc); *Chorus* (absentia propter confessiones etc.); *Canonicus* (*curatus*, parochus); p. 197. e.

3) Doctor esse debetne?

Vd. *Canonic. Cath.* (doctor. p. 383.)

4) Electio a capitulo.

V. p. 103. n. 7.

Pinen.

Cum fuerit in Congregatione diei 23. Maji 1857 definitum, capitulum collegiatae ecclesiae s. Michaelis e civitate s. Angeli in Regno Neapolitano constare debere *duodecim* Canonicis praeter Archipresbyterum reservato jure disputandi super decimo tertio canonicatu ab auctoritate militari suppresso, idem nunc instat capitulum ut statuatur, ad se jus eligendi duodecim Canonicos praedictos pertinere.

Hac de re, ut moris est, Episcopus rogatus, id unum (huc enim omnia et in relatione et in documentis ab eo exhibitis reducuntur) capituli precibus obesse censet, quod nempe jam eadem quaestio Neapoli apud executores concordati acta et *regali decreto* die 12. Decembris 1853 fuit definita; et cum hujus articuli occasione quaestio inter capitulum et curiam episcopalem orta esset eo quod capitulum ejusdem articuli sanctioni canonicatus Collegiatae s. Michaelis minime subesse contenderet, quia non *liberae collationis* essent, sed ad capituli electionem et praesentationem conferri deberent, Rex, concordati executorum voto audito, decrevit, juspatronatus capitulo conservandum super quinque tantum primae erectionis canonicatibus, ceteros autem liberae collationis esse, quemadmodum suis literis diei 21. Decembris 1853 significavit apostolicae Sedis Nuntius.

Literas praeterea idem Episcopus transmittit administris negociis ecclesiasticis eo in regno praepositis e quibus non modo idipsum patet, sed hujusmodi insuper resolutionis fundamentum innititur, quod videlicet pro quinque tantum primae erectionis canonicatibus *titulus expressus* favore capituli adesset:

Post haec, monet Episcopus, regale decretum suos etiam effectus peperisse tum pro Sede apostolica quoad canonicatus liberae collationis renunciatos tum pro capitulo quoad illos, super quibus ipsis juspatronatus servatum est. Quandoquidem duo canonicatus pontificiis bullis diei 27. Junii 1854. collati fuere, atque alter ad capituli praesentationem collatus ab Episcopo fuit in cujus bulla de praecedenti controversia ac de regali decreto, quo definita est, expressa fit mentio, ut exemplar ad hanc s. Congregationem transmissum demonstrat.

Capitulum ex altera defensoribus assumptis jus suum ad tramites ss. canonum ex integro vindicare satagit. Et primo ostendit in facto, ecclesiam s. Michaelis sub qua hodiernum extat capitulum collegiatam esse, ut primaevus fundationis actus probat ac recens executorum concordati resolutio definivit, idemque constat de ecclesia s. Nicolai, sub qua alterum capitulum extabat conjunctum deinde (anno 1617) capitulo s. Michaelis

per bullam s. m. Pontificis Urbani VIII. Atqui subdit, juxta theoricam de Lignano ab omnibus in foro receptam, canonicatus Collegiatarum aut incertum est ex quibus bonis erecti fuerint et ad capituli electionem ac praesentationem debent conferri, quia ex praesumpta dotatione juspatronatus ad ipsum spectat, aut probatur ex bonis mensae episcopalis vel beneficiorum liberae collationis favore Episcopi dijudicandi sunt, ceu docent *Garzias de benef. par. 5. c. 4. numer. 58, Lotter de re benef. lib. 2. qu. 21. numer. 135, Barbosa de Canonic. et Dign. c. 14. num. 15, Piton. discept. eccles. c. 159. num. 3* et *Rota dec. 94. num. 5. par. 1. dec. 133. numer. 3. dec. 226. num. 2. p. 7. rec.* ac *dec. 491. num. 3. p. 5. nuperr.* Quin itaque opus capitulo sit per tituli exhibitionem jus suum comprobare, hoc satis superque esse concludit quod nullam valeat Episcopus probationem affere ad juris praesumptionem elidendam.

Ad haec positivum quoque titulum in themate ait superaccedere. E fundationis enim instrumento scatet *omnes* canonicatus Collegiatae s. Michaelis tam scilicet quinque tunc erectos quam alios deinceps erigendos ad electionem et praesentationem capituli conferri debuisse. Hoc idem ex nonnullis actibus, deficiente erectionis instrumento, quoad Collegiatam s. Nicolai conjici potest: sed etsi fingas hujus ecclesiae canonicatus liberae collationis fuisse nihilominus subdit, ad eos quoque jus electionis ampliatum est postquam capitulum s. Nicolai per accessoriam unionem capitulo s. Michaelis conjunctum fuit. Duae siquidem potissimae unionis species in jure agnoscuntur: altera *quae aeque principaliter, altera vero quae per accessionem fit.* In illa ecclesia vel beneficium unitum suum nomen, statum, leges ac privilegia servat, per alteram confunditur cum ea cui fit unio ejusque praedium evadit, ut perdocte tradit *de Luca de praeem. disc. 26. num. 9* et *Rota in recen. dec. 750. num. 1. part. 6* et *dec. 330. num. 23. par. 9,* itaut legibus illius gubernetur et juripatronatus, quod in eadem viget, subjiciatur: *Frances. de eccles. cathed. cap. 8. de union. num. 100. et seq.* Nec dubitari posse ait, quin capitulum s. Nicolai per unionem accessoriam capitulo s. Michaelis fuerit conjunctum: id namque suadet tum redditauum capituli utriusque reductio *in unam massam* quemadmodum bulla Urbani VIII. praesefert, quae reductio unioni aeque principali repugnat ad tradita per *Garciam de benefic. c. 2. numer. 37. part. 12,* tum extinctio Collegiatae s. Nicolai atque unius Capituli quod nomen ab ecclesia s. Michaelis sumpsit efformatio, tum magis clausula *unius adnectas et incorpores* in bulla ipsa adhibita quae indubium praebet accessoriae unionis argumentum: *Frances. de cap. 8. num. 173, Garcia de benef. c. 1. par. 12. n. 35.* et *Rota in rec. decis. 30. n. 8. dec. 305. n. 23. p. 11. dec. 370. n. 3. p. 1.*

Postremo inquit, validissimam probationem ad juspatronatus capituli super omnibus canonicatibus confirmandum desumi ab observantia centenaria, cujus virtute melior quicumque titulus praesumi potest, ut firmat *Rota in dec. 272. numer. 3. coram Rezzonio, in Verulana Immissionis 11. Decembris 1843. §. 13. cor. Alberghini,* in *Viterbien. Jur. ser. 19. Januarii 1854. §. 11. coram Giannelli* et in *confirmatoria diei 14. Decembris 1854 coram eodem.* Jam vero allatis documentis ostendit ab anno 1740 ad annum 1842 in omnium canonicatuum vacationibus jus electionis capitulum semper exercuisse, uno vel altero *intrusionis* ex laicalis potestatis imperio casu excepto. Neque secus retinendum est de tempore unioni capitulorum proximiore: quoniam, licet omnes pene capitulares libri anno 1740 anteriores perierint, e superextantibus tamen actibus exercitium juris ejusdem mirifice comprobatur. Quodque majorem centenariae observantiae vim adjicit exercuit, sed iis probantibus atque in bullis aliisque actibus illud asserentibus Nec obest, quod centenarii temporis lapsu expleto aliquot canonicatus libere contulerit Episcopus: nam id neque vim centenariae observantiae potest infringere neque ullo in pretio haberi potest, eo quod lis jam pendebat super jure eligendi favore capituli uti de actibus lite pendente gestis docet *Rota in dec. 637. n. 1. cor. Merlino* et in *dec. 295. n. 21. cor. Richio.*

Quoad regale deinde decretum disserens, quod profert Episcopus, objicit jurispatronatus, quod rei spirituali adnexum est, causas nonnisi ecclesiastico judicio definiri posse per textum *in cap. 5. de judic.,* regale hinc decretum impedimento non esse quominus s. Congregatio controversiam ad normam juris canonici definiat, quia incompetentis auctoritatis decretum vim judicati non habet, juxta *leg. 2. cog. si a non compet. jud.,*

praesertim quod ex artic. XX. ejusdem concordati ecclesiastico foro causae ecclesiasticae fuerint reservatae. Quinimo ait novissimum regale edictum diei 23. Maji labentis anni faciliorem praebere aditum ad causae hodiernae definitionem, praedicto etiam decreto sepposito. Quare cum unico tituli defectu regale decretum innitatur, jure merito nunc potest ex praesumpta dotatione atque ex centenaria observantia jus capituli agnosci.

Quibus praehabitis dirimendum proponitur

Dubium:

An et cujus favore constet de jure eligendi Canonicos in casu?

S. C. resp.: Affirmative favore Capituli.

Die 29. Aug. 1857.

5) Functiones eccles. independenter a parocho celebr. possunt Canonici.

Pinen.

Pro missa feria V. in Coena Domini celebranda inquiunt Canonici parochos suis ecclesiis parochialibus nullo vero modo ecclesiae s. Antonii adscriptos esse atque idcirco sibi licere in propria ecclesia independenter a parochis quascumque peragere non parochiales functiones atque hinc non solum missam solemnem in Coena Domini celebrare verum etiam ad exemplum caeterarum absque ulla animarum cura collegiatarum praesentibus Canonicis ceterisque ecclesiae inservientibus ss. Eucharistiam ministrare, sicuti a s. Congreg. Episcop. et Regul. *in Senogallien die 6. Aprilis 1623.* definitum refert *Ferrar. biblioth. v. Collegiata n. 61. et 65,* qui etiam *ibid. n. 63* docet licitum esse collegiatis ecclesiis non parochialibus independenter a parochis benedictiones cinerum, palmarum, candelarum aliorumque hujusmodi peragere non secus ac ab iisdem Canonicis Tridua, novenas, septenaria aliaque istiusmodi fieri posse colligitur ex resolutione hujus s. Congreg. in *Hortana diei 5. Junii 1738,* ubi haec vel laicorum confraternitatibus procul parochorum consensu competere decernitur.

Die 26. Aug. 1826.

6) Missam convent. cantare debet.

Vd. t. I. p. 694. VI; supra p. 365. n. 8.

Tolentina.

Ad dub. I: An, quomodo et quibus diebus in ecclesia collegiata s. Jacobi Tolentini celebrari debeat missa cantata?

II. An in celebranda eadem missa servari debeat turnus?

Et quatenus affirmative,

III. An idem turnus incipere debeat a Priore sive potius a Canonico decano et inde prosequi per alios Canonicos?

IV. An praeter Canonicum hebdomadarium in dicta missa cantata et aliis officiis debeant intervenire alii Canonici?

Et quatenus affirmative,

V. An deficientibus ab hujusmodi interventu Canonicis sint ipsi mulctandi et in qua summa?

S. C. C. resp.

Ad I: Celebr. esse juxta decret. visitationis anni 1727.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam.

Ad IV.: Affirmative.

Ad V: Affirmative, quoad quantitatem arbitrio Episcopi.

Die 2. Mart. et 16. Maji 1739.

Senogalien.

(Missam conv. cantare debet, etiamsi fructus non percipit.)

Joseph sacerdos Cagnis anno 1819. legitime vigore bullae pontificiae canonicatum obtinuit Collegiatae s. Justinae sitae in oppido Mondulsi Senogalliensis dioecesis. Titulum sine re tamen est assecutus orator, quia redditus omnes obtenti canonicatus vi legum transacti regiminis aerario devoluti sunt. Cum vero elapso anno contigerit vacatio alterius canonicatus ejusdem Collegiatae jurispatronatus capituli, indulgentia ss. Principis Domini N. Papae Pii VII. ejus collatio mansit in suspenso eo plane consilio, ut fructus omnes in Canonicos et beneficiatos titulum sine re eadem de causa habentes dividerentur juxta dignitatem et pro rata fructuum assecutorum missarum onera adimplerentur. *)

Onere gravatur orator celebrandi missas pro benefactoribus inhaerentes canonicatui, cujus redditus sunt distracti et ab alio percipiuntur, hinc ab EE. VV. enixe postulat exemptionem a celebratione harum missarum, firmo remanente implemento missarum et onerum adnexorum alteri canonicatui, cujus

*) Vd. *p. 341. n. 23. b.*

fructuum pars cedit oratori. De more s. Congregationis literas dedi em. Episcopo, cujus transcribo responsnm; »Si qua unquam extitit ratio indulgendae exonerationis a celebrandis missis alicui beneficio adnexis, ea profecto favore oratoris Canonici Cagnis plene militat, quippe is nomine tenus Canonici titulo decoratur, quin fructus aliquos ex canonicatu, qnem legitime obtinuit, uti demonstrat adjunctum bullae exemplar, percipiat. Quandoquidem bona omuia ad illum canonicatum spectantia sicuti cujuscumque harum provinciarum Collegiatae in vim notarum legum anteacti regiminis ad publicum aerarium devoluta fuere . . . Rata fructuum illius canonicatus oratori assignata valde exigua est ac vix attingit annua viginti scuta qnapropter a ratione minimum absonum est, si ex supremi hujus ordinis indulgentia onus de qno in adnexis precibus ei remittatur, firma tamen manente obligatione celebrandi Sacra pro benefactoribus et alia canonicatui adnexa pro rata fructuum eidem oratori assignatorum.«

Et re quidem vera nullum prorsus commodum ex hoc canonicatu in oratorem redundat praeter titulum et nulla ne exigua quidem pars ejusdem canonicatus reddituum illi obvenit, cum omnes lucretur Princeps Eugenius, quo in casu vulgatae snnt apud omnes juris regulae, nt reg. 10. ff.: secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, qnem sequuntur incommoda, et 55. in 6.: qui sentit onus, sentire debet commodum et e contra.

Confirmat orator suam instantiam ex praxi hujus Congregationis, quae solet benigne annnere capitulorum postulationibus eaque exemit a quotidiana celebratione missarum conventualium pro benefactoribus attenta redditnum tenuitate reduxitque ad solos dies festos de praecepto, *) ut in *Placentina Missae conventualis 30. Julii 1766*, in *Ariminen. 18. Septembris 1751*, in *Castanen. Missae conventualis et pro populo 20. Septembris 1794*, in *Firmana Servitii chori et reductionis missae conventualis die 20. Septembris 1817*, in *Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 19. Septembris ann. 1772*, ast si pro tenuitate redditnum missae conventualis numerus diminutus est ad solos dies festos de praecepto, si nulli sunt redditus et perierunt omnes, aequisimum est oneribns canonicatui impositis eximere oratorem.

*) Vd. *t. I. p. 686 h.*; *760 XI.*

Verum nonnulla sunt, quae postulationi oratoris obicem ponere videntur. In omnibus ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis quotidie praeter divinum officium missam conventualem celebrandam ess pro benefactoribus clare inferri potest ex *cap. Cum creatura de celebratione missarum*, et non solum celebrandam esse vernm etiam applicandam constans fuit s. Congregationis sententia, ut in *Squilacen. 17. Martii 1714.*, in *Camerinen. 9. Junii ejusdem anni*, in *Terracinen. 18. Martii 1719.* expresseque dein demandavit s. m. Bened. XIV. in Constit.: *Cum semper oblatas* *) ad diem 19. Augusti 1744. Jam vero, si in casu oratoris preces erunt in pretio habendae, in Collegiata Mondulfi toties deficiet missa conventualis, quoties celebrandi applicandique onns gravabit oratorem, cum caeteri Canonici hujusmodi gravamine sint omnino exempti. His addi potest, quod, quando orator canonicatum petiit ejusque possessionem virtute literarum apostolicarum est assecutus, redditus jam mancipati erant favore aerarii, quod non poterat ignorare orator. Si igitur hisce non obstantibus canonicatum petiit, facto probavit, se velle ejus onera sustinere. Praeterea non omnino obtinet assertio, habere oratorem titulum sine re; percipit modo scut. annua 20 ex suppressione alterius canonicatus, quae illi nnice intuitu inopiae redditnum canonicatus assignata sunt. Prae oculis tamen habeant EE. PP., capitulum Collegiatae Mondulfi favore oratoris consensum praebere pro venia applicationis missarum conventualium, quas pro turno celebrare deberet, dummodo tamen majori onere non gravetur capitulum in hac exemptione applicationis et orator non liberetur a celebratione missarum, quas ut hebdomadarius in certis diebus debet celebrare.

Dubium igitur dirimendum erit: *An Orator sit eximendus ab onere applicationis missarum conventualium in casu?*

S. C. resp.:
Negative.

Die 24. Aug. et 21. Septbr. 1822.

S. Miniatis.

In dioecesis s. Miniatis relatione quam religiosissimus illius Antistes transmisit pridie Calendas Januarii anni 1816 exposuit: *Canonicos ecclesiae Castri Franchi ad missam*

*) Vd. *t. I. p. 695.*

conventualem teneri sed renuere, eo quod a limine fundationis (a constitutionibus nempe capitularibus) *pro suo canonicatu unusquisque sacrificium applicare jubetur.* *) Dubium igitur dirimendum proposuit: an scilicet Benedicti XIV. constitutio de missa pro benefatoribus a Canonicis quotidie celebranda ab ecclesia Collegiata Castri Franchi servanda esset.

Capitularium constitutionum particula ex qua exemptio ab applicatione missae conventualis deducitur his concepta verbis in §. *14. et 15. de officio hebdomadarii*: *Cujus hebdomadarii partes sint non solum, ut constitutionibus decretum est, quod debeat choro interesse canendo in choro divinis officiis, sed etiam in hebdomada missam canere ad altare majus singulis diebus a praefatis constitutionibus ad interessendum ordinatis . . . . Sacrificium tamen applicetur in satisfactionem obligationis proprii canonicatus.* Ex hoc consuetudo conventualem missam numquam applicandi pro benefactoribus orta est, quae centenariam superat, cum ab anno 1633 quo erecta fuit Collegiata exordium ducat. Chori servitium quotidianum non est sed dumtaxat festivis aliisque statutis diebus; neque onus missae quotidianae celebrandae adnexum est unicuique praebendae. Capitulum constat ex duodecim Canonicis eorumque praebendae comprehensis distributionibus varium exhibent redditum ab annuis scutis sexdecim ad annua scuta nonnaginta duo, detractis omnibus etiam missarum oneribus. Haec omnia refert Episcopus et confirmant Canonici capitulariter congregati qui si non ex justitia, saltem ex aequitate ob redditnum tenuitatem ab onere applicandi missam conventualem pro benefactoribus eximi postulant.

Benedictus XIV. in notissima constitutione cujus initium: *Cum semper oblatas* **) 19. Augusti 1744 praecipit missam conventualem omnino pro benefactoribus in genere esse applicandam. Neminem vestrum (Episcopos alloquitur laud. Pontifex) latere putamus ss. canonum sanctiones quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur tum etiam missa conventualis celebretur, quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus earum executionem Vobis enixe inculcantes ut *scilicet missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur.* Ex quibus verbis certum exploratumque videtur singulis chori diebus Canonicos ad applicationem conventualis pro benefactoribus teneri.

Nec doctissimum illum Pontificem fugit casus vel contrariae consuetudinis vel quo Capitulares peculiari onere missarum tenentur; nec tamen voluit ut uno vel altero praetextu praescriptae pro benefactoribus missae conventualis applicatio cessaret. Referam illius verba: »Nonnulli ciquidem obtentu contrariae consuetudinis etiam immemorabilis in propria ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaseruut; verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.« Et paulo post: »Alii a missa pro benefactoribus applicanda se excusatos voluissent ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus aut alterius beneficii . . . ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est jubendo singulis praedictis, ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur alterum substituant, qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.« Si ergo ex Benedictina constitutione ne ii quidem ab applicatione conventualis pro benefactoribus eximuntur, qui alia quotidiana vel statuti cujusdam diei applicatione tenentur aliumque substituere pro peculiari obligatione coguntur, fortius a praedicta missarum pro benefactoribus applicatione dispensari non posse videntur Canonici Castri Franchi, qui ut refert Episcopus et ipsi ingenue fatentur quotidiano onere applicationis pro sua canonicali praebenda haud quaquam premuntur.

At vero in praesenti casu non agitur de simplici consuetudine quae ex solo centenarii temporis lapsu derivetur quamque etsi immemorabilem proscribendam esse voluit laudatus Ponifex. Res est de consuetudine

*) Vd. *p. 405. n. 22.*
**) Vd. *t. I. p. 695.*

quae originem, ut ita dicam, ducit a lege nimirum a capitularibus constitutionibus, quae expressim cavent, ut *hebdomadarius Sacrificium offerat in satisfactionem obligationis proprii canonicatus.*

Hoc sane in casu non quidem *abusus et corruptela* quibus exturbandis totus fuit summus Pontifex in citata constitutione dici posse videtur, sed constans et nunquam interrupta consuetudo, a lege fundationis quae ab ipsis Collegiatae constitutionibus suam mutuatur auctoritatem et viceversa ipsas confirmat solidatque constitutiones, *text. in can 3. distinct. 4.* traditque *Reiffenstuel Juris canonici t. 1. in lib. 1. decretal. 4. de consuetudine §. 1. n. 8.*

Vestrum erit EE. PP. vel strictim juxta Benedictinam constitutionem applicationem missae conventualis confirmare. Nec praetereundum, ut initio praemisi, Canonicos Vestram implorare indulgentiam, ut ob redditum tenuitatem aliquid de juris rigore remittatis. Ex relatione peritorum constat, annuum reditum immunem ab omni onere tum reali tum personali tum etiam missarum dissimilem esse fere in qualibet praebenda. Altera reddit annua scut. 16. 40, altera scut. 27. 20. Tres circiter scuta 48. Duae circiter scuta 60. Aliae duae fere scuta 76, reliquae tres ad scuta 90 circiter assurgunt. Huic tamen praebendarum inopiae succurri jussit Pontifex in laudata constitutione juxta viam a Tridentina synodo praescriptam *in sess. 24. cap. 15.* additque: *Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit perspecto rerum statu auctoritate apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impertita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere.**)

Notandum hic est ex constitutionibus Collegiatae Castri Franchi haud praescribi quotidianum chorale servitium, sed certis tantum diebus, ut referunt Canonici et confirmat Episcopus. Quod si placet EE. Vestris applicationem in futurum missae conventualis pro benefactoribus praescribere, tunc quoad praeteritum Canonicis bona fides suffragare videtur, quam ex constitutionibus et conformi observantia profluisse dubitari non potest.

*) Vd. *t. I. p. 760. XI.*

Dubia erunt:

I. *An et quibus diebus teneantur Canonici Castri Franchi ad applicationem missae conventualis pro benefactoribus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative omnibus diebus choralis officiaturae.

Ad II: Affirmative celebrata unica missa cum cantu cum interventu omnium pro praeteritis omissionibus.*)

Die 21. Febr. et 7. Mart. 1818.

7) Obedientia praestanda Episcopo.

Anglonen et Tursien.

Diruta et ruinis ac vastationibus pene destructa perantiqua Angloni civitate tribus abhinc saeculis et ultra sedes episcopalis cum capitulo cathedralis ecclesiae in oppidum seu civitatem Tursii, ubi jampridem episcopalis cathedra extiterat insignita, fuit rite translata, anno scilicet 1546. cumulativa tituli episcopalis *Anglonensis* et *Tursiensis* nuncupatione retenta. Tribus constabat Tursica civitas parochialibus ecclesiis, quarum erat antiquior et matricitatis honore fruebatur ecclesia s. Mariae majoris in regione vulgo *della Rabatana*, vox ab haebraico vocabulo derivata, quod latino idiomate *magistram* sonat, ex duabus autem reliquis una ab invocatione s. Archangeli Michaelis in regione vulgo *del Casale*, altera sub titulo B. M. V. ab Angelo salutatae in separata regione vulgo *del Dalone* venerabatur. Has inter ecclesias s. Michaelis sibi capitulum Cathedralis elegit in qua divina officia et canonicales functiones expleret firma tamen obligatione Canonicorum certis anni solemnioribus diebus vetustam Cathedralem civitatis Angloni collegialiter adeundi ibique divina officia persolvendi, ita ut haec proprium servaret cathedralitatis titulum et praerogativam subrogata tantum ecclesia s. Michaelis in civitate Tursii ad majorem tum Episcopi tum ad Canonicorum commoditatem.

In hujusce vero translationis exordio turbae illico et dissidia inter regionarios sunt excitata ac praesertim inter incolas et paro-

*) Vd. *t. I. p. 785. f.*

chianos regionis *della Rabatana* eosque qui duas alias ejusdem civitatis regiones incolebant, *del Casale* nimirum et *del Vallone.* Quare factum est ut Antistes illius temporis Elvinus, qui thesaurarii generalis munere fungebatur in Urbe, ad dirimendas exortas contentiones et scandala, quae exinde manare potuissent, praecavenda duo sibi constituenda proposuit, transferendi videlicet capitulum Cathedralis in alteram ecclesiam B. M. V. ab Angelo salutatae dicatam, quam et in praesens retinent Canonici sub appellatione ecclesiae cathedralis, simulque ecclesiam s. Mariae majoris in saecularem collegiatam erigendi cum peculiaribus honoribus et privilegiis; quae sane praestitit per patentes literas diei 19. Junii ejusdem anni 1546 datas Romae extra portam s. Angeli. Eorumdemque Collegiatam sic erectam cum omnibus honoribus, insigniis et privilegiis auctoritate apostolica ratam habuit et confirmavit s. m. Paulus III. expeditis apostolicis literis Perusio eodem anno 1546 decimo Calendas Octobris.

Inter praecipuas honorificentias et privilegia, quibus hujusmodi Collegiata fuit insignita, haec prae ceteris numeratur, tributum est scilicet capitulo Collegiatae *jus eligendi personas idoneas ad singulos canonicatus et praebendas praedictas* quae undecim numero fuerunt constitutae, *quoties, ut praefertur, vacaverit*: exempta insuper fuit et liberata eadem ecclesia illiusque capitulum et personae ac parochiani ab omni *superioritate, correctione, visitatione, auctoritate et potestate quorumcumque dignitates in ecclesia cathedrali Tursien obtinentium*, ac Episcopis horumque Vicariis generalibus pro tempore fuit immediate subjecta illudque praeterea praecellens privilegium unica dignitas ejusdem Collegiatae idest praepositus ejusque successores sunt consecuti ut *in capitulo ecclesiae B. M. de Rabatana hujusmodi duas voces ac in quibusvis synodis, congregationibus ac capitulis per Bernardinum Episcopum et successores praefatos quomodolibet celebrandis post personas dignitates in ecclesia majori Tursiensi obtinentes immediate primum locum et etiam primam vocem habeant.*

Ita compositis rebus in civitate Tursii omnia per saeculi spatium circiter pacifice processerunt, cum vertente anno 1644 Praepositus et Canonici collegiatae ecclesiae de Rabatana supplices astiterunt coram Pontifice Maximo, conquerentes quod a Canonicis cathedralis ecclesiae molestabantur in possessione *pulsandi campanas sabbati s. quando voluerint et non accedendi ad processiones, quae fiunt ab ecclesia cathedrali.* Accepta vero per Pontificem supplicatione hujus cognitionem s. Rotae delegavit, quo factum est ut die 7. Decembr. ejusdem anni 1644 mandatum exierit per R. P. D. Arguelles editum de nihil attentando vel innovando in praejudicium jurium reclamantium. Et quoniam inhibitoriali non obstante praefato mandato non modo molestiae per capitulum Cathedralis perseverabant, sed illud insuper accessit quod novus Episcopus anno 1646 s. visitationem aperiens in suo primo ingressu ad dioecessim clerum omnem vocasset in Cathedrale, ubi processionaliter accedendo et missae pontificali assistentiam et Episcopo ipsi obedientiam praestaret, nova porrecta est quaerelarum occasio: vocatus enim ad obedientiam clerus Collegiatae post clerum Cathedralis et non comparens damnatus est ad mulctam persolvendam censurarum adjecta comminatione; quam poenam quidam detrectantes vinculis sunt mancipati et bonis per vim expoliati.

Datis proinde per Collegiatam novis precibus Pontifici novum die 19. Julii 1647 et s. Rotae tribunalis prodiit inhibitionis mandatum tam contra majoris ecclesiae Canonicos quam adversus curiam ipsam episcopalem, quo districte praecipiebatur ut nihil in praejudicium jurium Collegiatae innovaretur sub attentati labe rigorose purganda, facta tamen potestate tam curiae episcopali quam capitulo Cathedralis s. tribunal adeundi, si quid contra jura Collegiatae haberent quod possent opponere. Productis in curia episcopali postremis hisce inhibitionum mandatis hoc edidit Episcopus in illarum executionem decretum die 10. Junii 1648: »Suspensis decretis latis in s. visitatione et constitutionibus synodalibus respectu ecclesiae collegiatae s. Mariae majoris civitatis Tursii manuteneantur prout manuteneri mandatur capitulum et clerus dictae ecclesiae collegiatae in possessione, in qua reperiebantur antea et ad praesens reperiuntur, pulsandi campanas in die sabbati s. et non accedendi ad processiones tam generales quam particulares, servata forma bullae felicis recordationis Pauli III. ac pro observantia literarum: verum si ecclesia cathedralis aliquid praetendit, adeat dictam s. Rotam; servata forma dictarum inhibitorialium et ita per omnia etc.«

Post haec siluit omnino capitulum ecclesiae cathedralis et collegium s. Mariae majoris mansit in pacifica possessione pulsandi campanas die sabbati s. vel ante vel post ecclesiam cathedralem pro lubitu et commoditate necnon abstinuit ab accedendo processionibus sive generalibus sive particularibus aliisque extraordinariis functionibus simultanee cum capitulo Cathedralis peragendis, quin ulla daretur molestia per saeculum et ultra. Nova siquidem excitata legitur controversia circa sonitum campanarum anno 1767 quae tamen per regiam autoritatem, assumptis informationibus tam super exemptione Collegiatae ab ecclesia cathedrali vi literarum apostolicarum erectionis et super consuetudine in antecessum servata quam super distantia unius ab altera ecclesia, ita ut ratione situs campanae Collegiatae non audiantur ab ecclesia cathedrali et vicissim, quae distant inter se mille circiter passibus, praecipiti ac invia rupe utramque inter ecclesiam interposita, cum in imo valle Cathedralis ad austrum, Collegiata vero in cacumine montis attingat ad aquilonem, favore Collegiatae finita est, facta formiter inhibitione tam capitulo majoris ecclesiae quam episcopali curiae, ne molestiam eidem Collegiatae ulterius inferrent. Eademque circa temporis periodum ad persimiles repellendas vexationes reclamatio per Collegiatam ad ss. Rituum Congregationem porrecta est, quae tamen ob capituli Cathedralis silentium mansit indecisa suamque retinuit possessionem ecclesia collegiata.

Quoad processiones autem nullum constat postea prodiisse dissidium, quod saltem judicialem formam assumeret, licet non omnes penitus extinctae fuisse videantur privatae collisiones inter utrumque capitulum. Hoc autem licet arguere ex quibusdam literis Episcopi datis ad Collegiatae praepositum et Canonicos die 4. Martii 1780. Ne vero plenae factorum cognitioni in hodierna controversia dirimenda aliquid desit, unum superest adnotandum. Ex publicis siquidem monumentis habetur anno 1722 Praepositum Collegiatae die qua solent Episcopi Anglonenses obedientiam exigere a primoribus universi cleri accessisse quidem et ipsum ad cathedralem ecclesiam, at cum vocatus fuerit post omnes illius ecclesiae Canonicos protestationem emisisse, qua sibi primum locum reservabat post dignitates atque ante ceteros Canonicos Cathedralis virtute concessionis explicitae in apostolicis literis erectionis Collegiatae, de qua mentio superius facta est. Haec siquidem omnia ex authenticis documentis in actorum fasciculo existentibus luculentissime comprobantur.

Res ita pacifice procedebant, cum novum jurgium exarsit anno 1850 occasione obedientiae quae solet ab universo clero die 25. Martii cujuslibet anni Episcopo praestari. Cum enim capitulum Collegiatae vocatum fuisset ad obedientiam exhibendam post integrum clerum ecclesiae cathedralis, venire recusavit et rationes adduxit; quas tamen Episcopus aspernatus, suspensione ab officio et beneficio quinque ex Canonicis mulctavit atque Praepositum. Hanc vero poenam, immerito latam ut ipsimet affirmabant, in apertum suorum privilegiorum spretum, pluribus decretis, solemni rejudicata ac diuturna observantia confirmatorum aegre ferentes rem appellationis jure ad Metropolitanum Acheruntinum definiendam detulerunt passa gravamina proponentes; quo tempore antiquitus sopita quoad processiones et sonitum campanarum quaestio revixit.

Appellationi deferre non est dedignatus Archiepiscopus Acheruntinus. At vero acceptis documentis a capitulo Collegiatae de partium concordia ac praesertim ex voluntate Anglonensis Episcopi propositas controversias absque strepitu judicii dirimendas existimavit. Episcopus autem de actorum transmissione rogatus ac de inflicta suspensione sese nullum habere respondit actorum fasciculum transmittendum, cum nullum prorsus actum confecisset; suspensionis insuper decretum revocasse; cumque capitulum Collegiatae documenta suorum privilegiorum ostendisset curiae Metropolitanae, universam appellationis rationem et materiam penitus defecisse.

Quoniam vero Collegiatae capitulum instabat pro controversiarum definitione, cognitionem delegavit Archiepiscopus viris in scientia ss. canonum apprime peritis quorum sententia fuit, ecclesiam collegiatam tam vi bullae suae erectionis quam virtute plurium mandatorum inhibitorialium cum acquiescentia capituli Cathedralis necnon rejudicata anni 1648 cum subsecuta observantia liberam esse et immunem in exercitio sacrarum functionum a capitulo ecclesiae cathedralis sive ab interventu ad processiones tum generales tum particulares sive ab obligatione expectandi sonitum campanarum Cathedralis in

die sabbati s., Canonicos praeterea Collegiatae adstringi non posse ut accederent ad exhibendam obedientiam Episcopo simul cum capitulo Cathedralis, ne illius praeeminentiae et superioritati subjaceat contra expressam sanctionem literarum apostolicarum, bene vero Praepositum, dummodo tamen primum locum obtineat post Dignitates et ante Canonicos Cathedralis; quod negativa observantia roboratum agnovit, quia Praepositus nunquam antea comparuit, vocatus contra praefatum vocationis ordinem imo contrarium anno 1722 protestationem emisit. Hanc vero declarativam definitionem Episcopo Anglonensi Metropolitanus transmisit.

Dum vero haec agebantur in curia Metropolitana cum Episcopi scientia et approbatione, qui praeterea interpellationi Archiepiscopi responsum supra memoratum mittebat, die 28. Aprilis 1851 ad s. hunc ordinem easdem controversias suis literis diei 4. Augusti 1850 ipsemet Episcopus declinando Metropolitani judicium, quin tamen de hoc verbum ullum faceret, enodandas afferebat. Simulque conquerebatur de quorumdam Canonicorum vivendi ratione ac praesertim de intermissa quotidiana et integra divinorum officiorum recitatione in ecclesia collegiata et s. Sedis oraculum super omnibus, propositis dubiis, implorabat.

Acceptis hujusmodi praesulis literis antequam EE. VV. oblatae quaestiones proponerentur, consulto datae sunt eidem Episcopo remissoriae literae eum in finem ut utrumque Canonicorum capitulum in scriptis audiret eorumque jura una cum documentis ad rem facientibus transmitteret. Mandatis paruit Antistes et tam Cathedralis quam Collegiatae Canonicorum fasciculum documentorum attexuit, de quibus mentio facta est in superius enarrata factorum historia, omniaque per Nuncium apostolicum ad s. hunc Ordinem sunt delata. Rationum momenta utrinque deducta inferius enucleabo juxta ordinem dubiorum ad calcem exscribendorum, quae adamussim sunt de more concinnata secundum ea quae proposuit Episcopus addito etiam altero dubio super exactione subsidii charitativi et cathedratici, quam urgente Episcopo Collegiatae capitulum detrectabat.

Priusquam vero de singulis sermonem instituam, unum dignum existimo quod animadvertam; inter cetera nimirum documenta per Collegiatam exhibita, quorum plena superius facta est expositio, unum reperiri, quo ab integra divinorum officiorum recitatione ob causas, de quibus intra sermo redibit, capitulum illud eximitur absque ulla temporis limitatione. Eam autem exemptionem, expressa s. m. Benedicti XIII. facultate apostolica munitus, dedit Collegiatae Anglonensis Episcopus Quarti decreto suo diei 28. Aprilis 1726. quo hanc officiaturae choralis methodum praefinivit.

Quoad primum et secundum dubium haec sunt quae a capitulo Cathedralis afferuntur. Non est ambigendum quin cathedralis ecclesia dignitatis et praeeminentiae praerogativa perfruatur supra omnes alias ecclesias et etiam praelatos et clericos inferiores ejusdem dioecesis ex textu expresso in *cap. Statuimus de maj. et obed.* eamque explicitam juris sanctionem quamplures confirmant tum ss. Rituum Congregationis resolutiones ac praesertim in *Tuscanen. 13. Augusti 1646* et in *Fundana 2. Octobris 1597* tum s. Rotae decisiones et signanter in *Caesaraugustana Synodi 3. Februarii et 22. Jun. 1626* et in alia *Caesaraug. Praeeminent. 26. Aprilis 1627.* Adeo imo hujusmodi praerogativa cathedralis ecclesia praefulget ut, si istius Canonici conveniant cum Canonicis Collegiatae, illis praecedentia debeatur vel in ipsa ecclesia collegiata ceu statuit S. R. Congregatio in *Praenestina Cavarum 28. Aug. 1618* ac in *Tuscanen. 19. Augusti 1619* et *s. Rota in d. Caesaraugustana Synodi.* Quod summa ratione constitutum videtur, quia cum capitulum Cathedralis unum faciat corpus cum Episcopo, cujus membra et senatus illius Canonici nuncupantur, jam plane sequitur membris eamdem non modo reverentiam deberi, quae capiti defertur, sed etiam nullum dari posse medium, quo membra a capite segregentur, quin monstrum exoriatur ex censura in *cap. Novit. de his quae fiunt a Praelatis.*

Ex quibus facile intelligitur quam absurdum sit et sacris canonibus adversum privilegium, quod jactant Canonici Collegiatae Tursiensis tum pulsandi campanas ante acceptum signum ab ecclesia cathedrali tum recusandi interventum in processionibus generalibus, tum maxime sese vel eorum dignitatem interponendi dignitates inter et Canonicos Cathedralis cum scissione juri repugnante et sane monstruosa. De pulsatione enim campanarum expressa reperitur statutum in const. Leonis X. *Cum intra*, in qua

solemnibus verbis inhibetur ne aliis liceat ecclesiis etiam apostolico privilegio munitis in Sabbato sancto pulsare campanas, antequam signum dederit ecclesia cathedralis vel matrix, quam inhibitionem innumeris sancivit resolutionibus ss. R. Congregatio, ac praesertim in decreto generali *10. Decembris 1703. ad dub. 8.* Ad processiones vero generales etiam extraordinarias pro causa publica omnes clerici tam saeculares quam regulares, imo etiam exempti accedere tenentur ex decreto Urbani VIII. 26. Jul. 1628 et pluribus S. R. C. resolutionibus, in iis autem ducendis ita ordo servandus ut capitulum Cathedralis cum suo clero omnes alios de clero praecedat, et *Caerem. Episcopor. lib. 2. cap. 32. num. 1 et cap. 33. num. 5* et ex resolut. S. R. C. in *Taurinen. 2. Octobris 1683* et quoad collegiatas ecclesias in *Colonien 29. Januarii 1628* ubi etiam statuitur quod dignitates Collegiatarum incedere debeant cum suis capitulis.

Quin juvari possit Collegiatae capitulum exceptione matricitatis propriae ecclesiae supra omnes alias ejusdem civitatis, quia inferior ecclesia in Cathedralem erecta ob status mutationem privilegium et praerogativam honoris acquirit, ceu diserte tradit *Ursaya discept. 13. tom. 5. part. 2* et *Piton. discept. 106. part. 3.* Eoque minus invocare licet Collegiatae privilegium bullae erectionis, quae vitio obreptionis et subreptionis praeprimis insimulatur cum Pontifex absque causae cognitione processit, ceu ex verbis ejusdem bullae deprehenditur, in quibus dicitur »*vèrbo seu forsan in scriptis inter se concordaverint*« ubi vocabulum *forsan* satis indigitat Pontificem plenam causarum non habuisse notitiam ac motum fuisse ad concessionem ex calamitosis temporum vicissitudinibus et potentia Principis Salernitani ferme compulsum. Deinde ex revocatione omnium privilegiorum per constit. Pii IV. *In Principis Apostolorum* privilegia et exemptiones si quae ex Paulinis literis haberentur penitus evanuisse juxta mentem s. Conc. Tridentini non est inficiandum. Vel ad summum literarum apostolicarum verba, cum de privilegio pertractetur, stricte sunt interpretanda non autem amplianda juxta notissimam regulam juris. Quare ubi de voce et loco a dignitate Collegiatae post dignitates Cathedralis occupando fit mentio, verba *congregationes et capitula* esse intelligenda de iis conventibus, in quibus materiae pertractantur in synodis tractari solitae cum Episcopi praesentia; alias si generaliter acciperentur ad absurda perducerent, ita ut in omnibus capitularibus actis, in choro, in funerum associationibus ac etiam in sessionibus oeconomicis capituli cathedralis Praepositus posset cum maxima juris repugnantia suam praeeminentiam explicare. Propterea capitulum Còllegiatae sub emendicato praetextu nequit recusare praestandam obedientiam Episcopo, quae solet eidem exhiberi ab universo clero die 25. Martii per omnes annos, praesertim cum nec observantia refragetur, ex eo quod in appellationibus nominalibus capitulum Collegiatae vocatum legitur post illud Cathedralis in synodis habitis anno 1670 ab Episcopo Cosentino et anno 1728 ab Episcopo Quarti, nec vel ipsa res judicata prodesse valeat, attentis clausulis derogationis in praecitata bulla Pii IV. contentis. Hucusque capitulum Cathedralis.

Nunc autem ad tertium dubium progrediendo nemo profecto est qui nesciat Canonicos tam cathedralibus quam collegiatis ecclesiis addictos teneri ad integram singulis diebus officiaturam explendam ex *cap. De Praeben. inter quatuor* et *cap. fin. de cler. non resid.* quam praescriptionem Tridentina synodus innovavit et saepius s. haec Congregatio mandavit ut nihil immutaretur, ne divino cultui detrimentum obveniret, ubi praesertim graves et legitimae causae non haberentur, uti adnotatur in *Vercellen. Servitii chori 5. Junii 1790.* §. *Infelicissima*, in *Lucerina Reduct. Servit. chor. 24. Novembris 1833.* §. *Eoque* et in *Signina Servit. chor. et reduct. oner. 16. Decembris 1837.* §. *Ast in his.* Hinc abusum irrepsisse forsan intelligitur in Collegiata Tursiensi ex methodo, quam servant post concessionem Episcopi Quarti, maxime cum causae illius concessionis ex reddituum tenuitate promanantes evanuisse videantur, quia eo tempore majorem ex praebendis annuum redditum sese non accepisse Canonici exponebant quam 25 vel 36 ad summum ducata, cum autem ad 40 et quandoque etiam quinquaginta pro fructuum colligendorum varietate pertingere unamquamque praebendam Episcopus assereret. Nihil praeterea juvare potest capitulo Collegiatae indultum Episcopi Quarti, quia concessum legitur ex pontificia facultate *vivae vocis oraculo* per Benedictum XIII. anno 1725 eidem Episcopo tributa; per posteriorem siquidem constitutionem Clementis XII. *Romanus Pontifex* diei 2. Febr. 1753 omnia privilegia et facultates *vivae vocis oraculo* concessae fuerunt revocatae.

Ad quartum quod attinet dubium pro certo tenendum esse Episcopum habere intentionem in jure fundatam exigendi tam subsidium charitativum quam cathedraticum ab omnibus praesertim beneficiatis suae dioecesis. Licet enim ab initio hujusmodi subsidium ex charitate exhiberetur Episcopo propter aliquam necessitatem postulanti, ex posteriori tamen disciplina ad illud praestandum ex naturali aequitate subditi prorsus obligantur et compelli possunt, *Engel. Jus canon. lib. 3. tit. 39 de censib. et exact. num. 8*, S. C. in *Castren. seu Hydruntina Subject. 2. Dez. 1673 ad dub. 4* et *Urgellen Subsidii char. 26. Januar. 1692 ad dub. 2.* Justaque causa videtur ob quam illud a Collegiata repetiit ob expensas nimirum suae electionis et consecrationis juxta antiquam consuetudinem dioecesis exigi solitam in primo adventu Praelatorum ad illum episcopatum; eam siquidem causam probatam agnoscit *Engel. loc. cit. num. 9.* De cathedratico autem nullum dari potest dubium quin Episcopo liceat singulis annis illud exigere, extra tamen visitationem, ex sententia s. Congregationis in *Messanen 2. Octobris 1577* et *Reatina 27. Martii 1791*, quod antiquitus in synodo persolvebatur in recognitionem et honorem cathedrae episcopalis, hodie autem licet illud exigere etiam extra synodum, cum synodi hujusmodi haud amplius ita frequenter habeantur; et ab omnibus, qui ad synodum venire tenentur, persolvendum est, *Engel. loc. cit. num. 5* et pluries s. C. ac signanter in una *s. Marci Plurium 16. Januar. 1723. ad dub. 7:* idque servari mandavit in *Lavellen. Cathedr. 6. Jun. 1693.*

Plura tamen sunt eaque non parvi momenti, quae ex parte Collegiatae de Rabatana hactenus disceptatis opponuntur. Et primo quidem conqueruntur Capitulares quod Episcopus forum Metropolitani, in quo hujusmodi quaestio cum plena partium scientia et consensione pertractabatur, infecto judicio et tam Metropolitano quam appellantibus ipsoque hoc s. Ordine insciis declinaverit atque ita non modo contra ordinem judiciarium sed etiam in judicis et appellantium spretum, respectivis juribus pessumdatis, fuerit non leviter peccatum. Hocce vero factum Episcopi nec Metropolitano nec capitulo Collegiatae denunciatum nequivit profecto neque illius jurisdictioni nec istius juribus per appellationem quaesitis praejudicium inferre; ac proinde, cum suum Metropolitanus protulerit judicium Collegiatae Proposito et Canonicis undequaque propitium ac Episcopo rite denunciaverit, hujus praesidio se suaque jura defendi satis existimant, praesertim cum ineluctabilibus judicium illud eorumque consequenter jura sint argumentis innixa, quaeque ad ea, quae sequuntur, compendiaria methodo exponenda reducuntur.

Non convertitur capitulo Cathedralis praeeminentiam et honorem competere ex juris communis dispositione super omnem clerum dioecesis, capitulo etiam Collegiatae minime excluso. Exindeque si quaestio, spectato tantum jure communi, decidenda foret, nullus fortassis esset dubitationi locus, quin rationum momenta per capitulum cathedralis ecclesiae deducta praevalerent. Ast hic agitur de peculiari exemptionis privilegio, cujus vi per literas apostolicas erectionis Collegiatae capitulum independens omnino ab altero Cathedralis effectum est et ab hujus superioritate prorsus subtractum; quod gravibus sane de causis tum Episcopus Elvinus, qui Collegiatam erexit, tum Pontifex Paulus III., qui illam confirmavit, profecto praestiterunt. Translatio siquidem Cathedralis in civitatem Tursii et capituli collocatio in altera ex inferioribus et filialibus paroeciis justam porrexit causam ad honorem Collegiatae ecclesiam matricem et perantiquam de Rabatana cum peculiaribus juribus et privilegiis evehendi, quod tantum civium dissidentium animos non leviter indignatos sedare potuit atque ad optatam pacem componere. Nemo autem ignorare peculiaribus concessionibus generalia juris communis principia coerceri ac modèrari.

Hujusmodi vero privilegia et exemptiones ab ipso erectionis exordio constat fuisse per facta solemnia luculentissime declaratas. Ex tunc enim Collegiatae facultas manifestata est pulsandi campanas in sabbato s. vel ante vel post sonitum Cathedralis, prout libuerit et opportunitas postularet: hanc autem facultatem non modo per exemptionem a superioritate Cathedralis bullae pontificiae virtute exercebat, sed etiam qua matrix ecclesia aliarum omnium civitatis, cujus jura suffocari non potuerunt per inferioris ecclesiae mutationem: status enim ejusmodi mutationis nullum inducit praejudicium juribus ecclesiae matricis, absque expressa Pontificis derogatione, ceu notat *Gratian. discept. forens. 578. tom. 3. num. 1*, et de pulsatione cam-

panarum expressa tradit idem auctor ibi num. 17: *Quo vero ad alia dicendum est illa spectare ad ecclesiam matricem, prout obedientia, pulsatio campanarum in die sabbati s.*, ubi allegat bullam Leonis X. superius citatam, in qua hujusmodi honor praeservatur *Cathedrali vel Matrici:* ita ut hujus bullae virtute saltem cumulativa facultas agnoscenda sit in collegiata matrice et cathedrali ecclesia Tursiensi. Alia quoque concurri tertio cur ecclesiae collegiatae facultas hujusmodi competeret, ob distantiam scilicet a Cathedrali, propter quam campanae unius ecclesiae ab altera non audiuntur: quo casu cessare prohibitionem factam ecclesiis quoque minoribus pulsandi campanas ante signum majoris ecclesiae, ex sentensia s. Congregationis EE. et RR. *in Surrentina 16. Julii 1601 et in Thelesina 16. Februarii 1622* limitatur dispositio praecitatae bullae Leonis X. hisce verbis: »*nisi consuetudo in contrarium esset legitime praescripta vel ecclesiae multum distarent.*«

Neque aliter dicendum de libertate Collegiatae non accedendi ad processiones tam generales quam particulares et extraordinarias. Immunitatis etenim et exemptionis ejusmodi privilegium ab ipsa Collegiatae fundatione explicatum est, cum semper ab ipsis existentiae suae primordiis a quibuslibet processionibus cum capituloCathedralis peragendis abstinuerit ob expressam in apostolicis literis exemptionem ab omni superioritate cathedralis ecclesiae. Perperam autem objiceretur bulla s. m. Pii IV. privilegiorum revocatoria vel erectionis literae de obreptione vel subreptione redarguerentur. Hujusmodi siquidem privilegia et exemptiones ex rationabilibus causis in fundatione concessae sub generali illa revocatione non comprehenduntur et observantia subsecuta demonstravit, quippe cum nec ante nec post ipsam bullam capitulum Collegiatae ad processiones unquam accessit. Ex quo sequitur, ut admissa etiam efficaci revocatione adhuc exemptio sustineretur non modo ex longissima trium saeculorum negativa observantia, sed ex legitima insuper praescriptione. Constat siquidem pluries fuisse Collegiatam molestiis affectam a capitulo Cathedralis et a curia episcopali, ast in acri contradictione victrix semper Collegiata discessit in primaeva possessione relicta cum subsecuta contradictorum acquiescentia. Extra omnem autem controversiam est, exemptionem ab interventu ad processiones vel privilegio acquiri vel praescriptione. Altera vero exceptio de bullae erectionis obreptione prorsus est contemnenda; praeterquam enim nullo innititur fundamento, post trium praesertim saeculorum fugam nunc primum objecta, nequit insuper de hujusmodi vitio disceptari nisi impetrata venia, prout est in comperto.

Hisce autem omnibus cumulum imponit amplissima resjudicata curiae episcopalis anni 1618 quando prodiit decretum super manutentione Collegiatae in possessione tam pulsandi campanas pro lubitu in sabbato s. quam non accedendi ad processiones, ceu jam ex tunc per saeculum et ultra fuerat observatum. Quaenam vero sit vis rei judicatae neminem profecto latet; ea siquidem pro veritate habetur, titulum praestat meliorem de mundo, fundamentum indestructibile; eamque proinde inutili prorsus conatu appetere pertentant Capitulares Cathedralis, ex inepta praesertim ratione a clausulis generalibus bullae Pii IV. derivata.

Ea vero, quae spectant ad obedientiam Episcopo praestandam, ita sunt patenter disposita constituta favore Collegiatae, ut nulla detur evidentior alterius objecti demonstratio. Hic namque submissionis actus quotannis exigitur atque redditur ab universo clero; nunquam tamen per saecula ad hunc praestandum accesserunt in cathedrali templo Canonici Collegiatae, seu quod idem est semper ab hujusmodi formali praestatione immunes sunt declarati, ne scilicet cum Canonicis Cathedralis convenirent eorumque superioritati subjacerent, atque per bullam erectionis liberi sunt expressis verbis et exempti. Quatenus igitur eorum interventum ad Cathedralem pro obsequiorum ejusmodi praestatione recusant, longe aliter ac velint Episcopo propriam obedientiam exhibere, si Episcopo placeat in capituli Cathedralis absentia reddere ac testificari sunt parati, sed de custodiendo et conservando corporis privilegio, diuturna et nunquam interrupta observantia confirmato summo jure decertant. Praepositus autem interventum et solemnem obedientiae praestationem haud se refutare protestatur, dummodo tamen sessionis et vocationis ordo servetur in erectionis bulla patulis verbis expressus, primus scilicet locus primaque vox eidem post Dignitates Cathedralis non denegetur: verba siquidem bullae ita late patent ut nullam limitationem patiantur. Privilegium autem Praepositi circa hanc sessionis et vocationis praecedentiam constanti pariter observantia comprobatum est ac eloquentissime declaratum: ubi enim ille non fuit vocatus immediate post Dignitates Cathedralis nunquam comparuit et anno 1722 solemnem protestationem emisit. Neque subsistit monstrum et deformitas, quam Cathedralis capitulum lamentatur ex hac Praepositi praecedentia, tum quia majoritas Cathedralis servatur cum illius dignitates praecedant, tum quia per hanc unionem non sequitur scissura membrorum a suo capite, capituli scilicet seu illius dignitatum ab Episcopo, prout ad rem observat *Felin. in cap. Pastoralis num. 9. de rescript.* et *Abbas ibi num. 7. vers.: Secus dicen.* et *Rota in Colonien. Praecedent. coram Muto post Card. de Luca in mantiss. tom. 1. dec. 27. de jurisd.* Eamdemque declarationem probavit s. R. Congregatio in *Camerinen.* apud *Ursaya discept. eccl. 26. tom. 3. part. 2. n. 105.* Ex quibus facile intelligitur quanta ponderatione et veritate redditum fuerit judicium Metropolitani Acheruntini, quod omnino servandum Collegiatae Capitulares exposcunt. Quae enim in primo et secundo dubio disceptantur, non solum patulo privilegio, sed longissima et immemorabili observantia, legitima praescriptione et solemni rejudicata sui favore decernenda Collegiata comprobavit.

Gradum autem facientes ad tertium dubium paucis sed gravibus rationum momentis jus suum astruere Capitulares affirmant. Exhibito enim reductionis indulto, nulla temporis limitatione circumscripto, chorale servitium juxta reductionis formam est omnino servandum. Falso siquidem asseritur causas concessionis ejusmodi evanuisse: plures hae namque fuerunt, prima scilicet situs ecclesiae in summitate montis positae, a civitatis centro longe disjunctae, difficilis accessus viae praeruptae et incommodae in qualibet anni tempestate; altera in reddituum tenuitate fundabatur eorumque summa imminutione, cum antea Canonici ducata centum haberent, nunc autem triginta vel quatraginta non excedant; tertia tandem fuit parvus inservientium numerus, qui duodecim sunt tantummodo; atque hos inter Praepositus curam regit animarum et reliqui Canonici illi auxilium praestare tenentur. Hujusmodi vero causae hactenus perseverant. Quod si redditus aliquod argumentum acceperint, prout asserit Episcopus, ita tamen tenues adhuc essent, ut s. haec Congregatio reductionem ipsam non denegaret, si nunc primum quaereretur, inspectis praesertim aliis causis et adjunctis praenarratis, uti innumeris probari posset exemplis et signanter in *Cusentina Servitii chori 23. Junii 1838*,*) ubi alia non pauca referuntur exempla. Illud praeterea animadvertendum hodierni servitii methodum per diuturnum tempus observatam haud facile immutandam esse cum non levi praesentium Canonicorum incommodo et detrimento, quia inspecta conditione praebendarum nacti sunt possessionem, ut observatur in *Vercellen. Servitii chori 5. Junii 1790.* §. *Infelicissima* et in *Lucerina Reductionis servit. chor. 24. Novembris 1838.* §. *Eoque.* Quod autem objicitur de revocatione facultatum *vivae vocis oraculo* concessarum ad casum praesentem non porrigitur nec applicatur: eas namque revocationi subjacere compertum est, quae non sunt authenticae, idest scriptura non probantur, secus vero quae scripto traditae sunt; testimonium fide dignum sufficiat pro illarum conservatione, quale habetur in themate, eoque magis quia agitur de concessione facta post tempora et constitutiones revocatorias Gregorii IV. et Urbani VIII. nihil obstante posteriori constit. Clement. XII. *Romanus Pontifex*, qua dumtaxat facultates sunt revocatae, quas inter ea de qua quaeritur haud connumeratur. In qualibet vero hypothesi eae adsunt circumstantiae, quibus inspectis indulti reductionis confirmatio haud esset profecto deneganda.

De subsidio charitativo et cathedratico, quorum est quaestio in quarto dubio, haec sunt, quae reponit Collegiatae capitulum. Subsidium charitativum, quod Episcopus reposcit in primo ingressu ad episcopatum, nulla alia inniti potest causa quam expensarum electionis et consecrationis. At vero cum per solemnem conventionem anni 1818 non solum congrua dos episcopalibus quibusque sedibus fuerit constituta, sed etiam quota fructuum vacationis futuris Episcopis reservata ad praefatum expensarum finem, causa hujusmodi exigendi subsidium charitativum cessavit omnino et reapse nunquam post annum 1818 subsidium praedictum nec requisitum nec persolutum est. Quoties autem causa et necessitas exigendi conticescit, subsidium charitativum exigi non posse resolvit s. haec Congregatio in *Gerunden, Subsid. charit. 17. Febr. 1663. ad dub. II.* Quod vero attinet ad cathedraticum non jam capi-

*) Vd. *Chorus.*

tulum Collegiatae illud exsolvere detrectat omnino: sed hoc tantum opponit, excessivam fuisse Episcopi petitionem, dum requisivit cathedraticum pro annis 1847, 1848 et 1849 licet electus fuerit Episcopus die 20. Aprilis et episcopatus possessionem acceperit die 13. Junii ejusdem anni 1849. Collegiata autem solvere cathedraticum haud renuit, sed ad illius solutionem se teneri putat a die tantum captae possessionis episcopatus juxta resolutiones pluries editas a s. Congregatione et praesertim in *Amalphitana Cathedrat. 5. Novembris 1705 ad 1. dub.* et in *Camerinen. Cathedrat. 18. Martii et 8. Jul. 1725.*

Expendent eminentissimi Patres haec per partes utrinque deducta et sequentia pro sua prudentia definient

Dubia:

I. *An et quomodo praepositus et Canonici Collegiatae sint manutenendi in possessione pulsandi campanas haud expectato signo Cathedralis in sabbato s. et non accedendi ad processiones tam generales quam particulares sive ordinarias sive extraordinarias in casu?*

II. *An et quomodo praepositus et Canonici praedicti compelli possint ad praestandam Episcopo obedientiam, quae praestari solet in unum a toto clero dioecesis in casu?*

III. *An indultum reductionis servitii chori Collegiatae concessum sit servandum vel revocandum in casu?*

IV. *An et quomodo capitulum ejusdem Collegiatae teneatur ad solutionem tam subsidii charitativi quam cathedratici in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus.

Ad II: Quoad Praepositum affirmative servato tamen loco post dignitates et ante Canonicos capituli Cathedralis: quo vero ad Canonicos Collegiatae affirmative extra tamen concursum capituli Cathedralis.

Ad III: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV: Quoad cathedraticum affirmative a die captae possessionis: quo vero ad charitativum subsidium dilata et ad mentem: mens est ut scribatur Nuntio apostolico qui referat de consuetudine dioecesium regni circa exactionem subsidii charitativi.

Die 31. Julii 1852.

Cont. Anglonen et Tursien.

Quae cum per literas significaverim laudato Nuntio, haec ab eodem accepi, quae fideliter exscribo: »Bis hoc in regno jura quae Episcopis competunt quaeque quartae funerariae, decimarum, subsidii cathedratici vel charitativi etc. nomine veniunt, abolita sunt annis nempe 1813 et 1820, sed totidem vicibus annis scilicet 1819 et 1821 leges sancitae sunt, quibus ejusmodi jura in pristinum restituta fuere. Hinc uti patet non solum juxta canonicas sanctiones verum etiam juxta leges civiles potest Episcopus in qualibet hujus regni dioecesi jura illa pro lubitu exigere. Attamen si consuetudo consulatur, quemadmodum cum de subsidio cathedratico sermo est, solent omnes Episcopi illud recipere quin ullus unquam id in dubium vocaverit, ita si de charitativo loquamur a nullo ferme repetitur. Bene vero usu receptum est, ut in ingressu Episcopi in propriam sedem clerus ei sponte collationem aliquam offerat, quae videtur locum tenere subsidii charitativi, siquidem ei tribuitur in compensationem expensarum installationis etc., de cetero vero, ut superius innui, subsidium hoc neque ab Episcopis generice loquendo petitur neque a clero solvitur.

Quae hactenus de subsidiis charitativo et cathedratico loquutus sum quaeque a pluribus hujus regni Praesulibus didici, ipse modernus Episcopus Anglonen. et Tursien. pro certo habet et fatetur, quemadmodum ex proprio ejusdem ore jam nunc accepi. Recte autem accipiendum est quod in facti specie asseritur, Antistitem nempe requisivisse cathedraticum pro annis 1847, 1848 et 1849 licet electus fuerit Episcopus die 20. Aprilis et possessionem episcopatus acceperit die 23. Junii ejusdem anni 1849. Siquidem non proprio nomine, sed Episcopi antecessoris illud repetiit, cum ejusdem heredibus ad illorum paupertatem sublevandam et funeris expensas redimendas modernus ipse Episcopus summam ducatorum biscentum jam antea dedisset.«

Post haec resumpto folio diei 31. Julii superioris anni placeat Emmis Patribus definire

Dubium:

An et quomodo capitulum ejusdem Collegiatae teneatur ad solutionem subsidii charitativi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et ad mentem. Mens est ut scribatur Episcopo atque significetur magis expedire, ut sese conformet consuetudini majoris partis dioecesium regni.

Die 29. Jan. 1853.

8) Vox in Capitulo.

Vd. *Canon. Cath.* (vox etc. p. 416.); p. 410. n. 29.

a) Jus quibus non est?

Vd. infra *b.*

Canonicus in Collegiata nisi sit in Sacris vocem in capitulo habere non potest; *Stephan. Gratian. discept. forens. tom. 4. c. 482. n. 20. cum seq., Barbosa in Trident. sess. 22. de reformat. c. 4. n. 5.* et *de Canonicis cap. 37. n. 19, Sell. in Selectis canon. c. 2. num. 4.* et sic censuit *s. Congr. Conc. sub die 8. Augusti 1621* et novissime in *Romana Vocis in capitulo die 22. Julii 1741* in qua a Canonicis ecclesiae collegiatae s. Mariae in Cosmedin proposito dubio:

An Canonici clerici ecclesiae collegiatae s. Mariae in Cosmedin intervenire possint in capitulo inibique habere vocem activam in casu etc.?

Eadem s. Congregat. Concil. die et anno quo supra respondit: Posse intervenire sed non habere vocem; juxta *Clementin. Ut ii 2. de aetate et qualit.*

Romana.

(Conc. Tr. c. 12. s. 24. de ref.)

Plures ex Canonicis collegiatae ecclesiae s. Mariae in Cosmedin qui prima tonsura vel minoribus tantum ordinibus reperiuntur initiati authumant, sibi jus esse interveniendi in capitulo suumque ferendi ,suffragium in singulis capitularibus negotiis. Huic vero conatui, qui alias in diversis tribunalibus a Canonicis antecessoribus in minoribus ordinibus constitutis promotus fuit, obsistentes reliqui Canonici sive presbyteri sive aliquo ex sacris ordinibus jam insigniti, ut hisce contentionibus tandem finis imponatur, istius rei cognitionem curarunt s. huic Consessui delegari, a quo dubii mox describendi decisionem hodie implorant.

Vulgata est canonici juris sanctio *in Clement.: Ut ii, de aetat. et qualitat. et ord. praeficiendorum*, qua statuitur, ut nullus Cathedralis sive collegiatae ecclesiae Canonicus vocem in capitulo habeat nisi saltem in subdiaconatus ordine sit constitutus; sanctionem hanc innovavit Tridentina synodus *sess. 22. cap. 4* et consonae passim prodeunt declarationes ab hoc s. Senatu.

Haec autem, quae generatim quoad omnes sive cathedralis sive collegiatae ecclesiae Canonicos procedunt, contra se putant non militare Canonici in minoribus tantum ordinibus constituti collegiatae ecclesiae s. Mariae in Cosmedin primo, quia Leo X. in bulla erectionis hujus Collegiatae statuit, canonicatus omnes excepto archipresbyteratu conferri posse etiam iis, qui sola prima tonsura fuerint initiati et aetatem annorum 15 attigerint: inde enim inferunt, quod, si in vim mox relatae bullae sibi liberum est ordines s. suscipere, non debent per privationem vocis in capitulo ad id indirecte compelli; secundo, quia Congregatio particularis ad dirimendas plurimas controversias inter eosdem Canonicos vigentes deputata die 24. Maji 1702 ita rescripsit: »Quoad capitula et processiones serventur constitutiones cl. me. Card. Deti §: *Pro singulis* et §: *Quoties*,« ubi de Canonicorum interventu in capitulo sic statutum legitur: »Quoties negotio aliquo ad locum capituli convenire teneantur omnes, et ut facilius veniant solvantur singulis interessentibus in fine capituli julii duo etc., et si exquirenda erunt vota, dentur secreta etc. et si contigerit in aliquo festo post missam vel vesperas de aliquo negotio tractari debere et per dictum Camerarium fuerit intimatum Canonicos non discessuros, si aliquis discesserit et non adfuerit dicto colloquio amittat id, quod lucratus erit illa die, et inter praesentes dividatur.« Ex his namque verbis veluti aptis comprehendere Canonicos omnes etiam in minoribus tantum ordinibus constitutos contendunt firmatam legem, ut ipsi quoque ad ferendum in capitularibus comitiis suffragium admitti debeant. Et tertio demum, quia in sententia ab eadem Congregatione particulari sub die 19. Septembris 1705 pronunciata sub §. 26. haec habentur: »In singulis capitulis tam ordinariis quam extraordinariis dentur cuilibet interessenti Bononeni 20 absque jure accrescendae portionis non interessentis,« et §. 36: »Electiones et determinationes factas et faciendas in capitulo tam ordinario quam extraordinario omnibus tamen legitime intimatis, tribus dumtaxat Canonicis in capitulo interessentibus

et vocem in capitulo habentibus, fuisse et esse validas licet alter ex dictis tribus Canonicis dissentiat vel votum dare recuset, talesque exactiones et determinationes fore et esse servandas.« Nulla siquidem facta exceptione Canonicorum, qui simplices clerici sint, putant isti, se in omnibus quoad negocia in capitulo pertractanda reliquis Canonicis in s. ordinibus constitutis ab hac sententia exaequatos. Id autem eo magis admittendum esse propugnant ob diuturnam consuetudinem, quam sibi favere asserunt quamque inquiunt nonnisi maxima cum rerum perturbatione posse immutari.

Contra vero Canonici sacris ordinibus praeter memoratam *Clementinae* dispositionem a Tridentinis Patribus innovatam plurimum insistunt resolutioni s. Congregationis Visitationis apostolicae, quae primum anno 1663 quum haec eadem controversia fuisset excitata decrevit: Canonicos in Sacris non constitutos non habere vocem in capitulo, etiamsi hoc sibi ab aliis fuerit concessum«, et deinde ad novum examen resolutione hac revocata sub diem 3. Decembris ejusdem anni 1663 rescripsit: »Persistendum esse in decisis, ut scilicet in s. subdiaconatus ordine non constituti vocem in capitulo non habeant etiamsi ab aliis fuerit libere concessum juxta constitutionem Viennensis Concilii a Tridentino innovatam, quae incipit: *Ut ii*. Ceterum hanc prohibitionem habere locum in voce activa dumtaxat, non autem in passiva »multoque clarius idipsum putant definitum ab hac ipsa s. Congregatione, quum proposito dubio:

»An praedicti Canonici minoribus ordinibus tantum initiati, qui ex dispositione juris canonici et s. Concilii Tridentini vocem in capitulo non habent, saltem possint ipsi in capitulo assistere atque interesse?

Die 8. Martii 1664 responsum fuit: Non posse.

Rogatus eminentissimus D. Cardinalis Alexander Albanus pervetustae ecclesiae s. Mariae in Cosmedin diaconus de summa istius controversiae s. Congregationem instruere rationum momenta a Patribus collitigantibus coram se deducta in elaborata luculentaque relatione, quae oculis Eminentiarum VV. subjicietur, disertissime exposuit; oportet jamvero decidere:

An Canonici clerici ecclesiae collegiatae s. Mariae in Cosmedin intervenire possint in capitulo inibique habere vocem activam in casu?

S. C. resp.:

Posse intervenire sed non habere vocem.

Die 1. et 22. Julii 1741.

b) Jus beneficiatorum et mansionariorum Colleg. quando est?

Firmana.

(Conc. Trid. c. 6. s. 25. de ref.)

Sixtus V. Pontifex in oppido Murri Vallium parochialem ecclesiam s. Bartholomaei anno 1586 erexit in Collegiatam insignem eique nonnullas alias addixit parochias et beneficia quaedam simplicia, quorum proventus et emolumenta jussit, servata proportionis norma, distribui in Praepositum, octo Canonicos, tres mansionarios totidemque clericos beneficiatos, ex quibus constare voluit eamdem Collegiatam.

Postmodum vero tribuit tam Praeposito et Canonicis quam mansionariis et clericis beneficiatis facultatem capiendi possessionem bonorum, quae dictae Collegiatae incorporata fuerant eaque perpetuo retinendi, ibi: »Ita quod liceat Praeposito, Canonicis et beneficiatis praedictis parochialium ecclesiarum et beneficiorum ac bonorum quorumcumque per se vel alium seu alios eorum et dictae mensae nominibus libere apprehendere corporalem possessionem et perpetuo retinere.«

Et demum indulsit »Praeposito, Canonicis et beneficiatis praedictis, ut possint pro dictae collegiatae ecclesiae illiusque rerum ac bonorum felici directione prosperoque statu ac conservatione et ministrorum pace et tranquilitate quaecunque licita et honesta sacrisque canonibus et Concilio Tridentino non contraria statuta et ordinationes felix hujusmodi collegiatae ecclesiae personarumque et bonorum ipsius regimen concernentia condere et condita toties quoties et quando eis videbitur seu expedieus fuerit in toto vel in parte mutare, corrigere, extendere ac in melius reformare«; sunt verba bullae erectionis.

Ad normam ejusmodi bullae mansionarii collegiatae hujus ecclesiae contendentes se esse de capitulo ac proinde ad suffragium ferendum semper admitti debere in omnibus capitularibus negotiis et actibus superiori anno protestationem coram Vicario foraneo emiserunt adversus capitulares resolutiones, quas sine eorum interventu in capitulo et

voto Canonici ediderunt, subindeque e contrario Canonici authumantes mansionarios in quocunque actu et negotio esse a capitulo arcendos curarunt expedire monitorium coram A. C. super manutentione in asserta eorum possessione interveniendi capitulo et votum ferendi privative ad eosdem mansionarios.

At cum praevia monitorii moderatione causae hujus cognitio ex decreto eminentissimi Pro-Auditoris Santissimi fuerit s. huic Congregationi commissa exquisitum fuit votum Archiepiscopi Firmani, qui censet, mansionarios non posse capitulo interesse multoque minus suffragii jure potiri.

Hisce in facto praejactis Canonici in jure proponunt regulam, juxta quam beneficiati aut capellani sive mansionarii non sunt de gremio capituli nec appellatione capituli comprehenduntur, *gloss. in cap. penult.* verb. *Assisios de cleric. non residen.*, ibique *Abb. num. 9., Butr. num. 8., Reiffenstuel in jus can. lib. 3. tit. 11. num. 4. in fin.*: et consonant decreta s. hujus Congregationis in *Januen. Capellaniarum 24. Augusti 1680 et 5. Junii 1681*, eamque confirmare satagunt tum ex decreto sub annum 1629 edito a Joanne Baptista Rinuccino tunc temporis Archiepiscopo Firmano, qui de mandato s. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis praepositae ad sedandas nonnullas contentiones inter Praepositum et Canonicos exortas declaravit, mansionarios non debere capitularibus congregationibus interesse, tum etiam ex eo, quod iidem mansionarii, paucis exceptis actibus, non consueverint capitulo interesse nec votum in actibus capitularibus praebere.

Mansionarii autem, praemisso facto, quod sibi tributa fuerit facultas capiendi capitulariter cum Canonicis possessionem bonorum ecclesiae seu capituli eaque perpetuo retinendi necnon statuta et ordinationes quascumque capitulares condendi easque subinde valeant ex pontificio indulto moderari seu immutare et demum, quod summus Pontifex in bulla erectionis loquendo de Praeposito, Canonicis, mansionariis et clericis beneficiatis eosdem subinde expresserit sub nomine capituli, inferunt, se juxta praedictam bullam constituere una cum Canonicis capitulum proindeque sibi competere jus suffragii ferendi in omnibus negotiis capitularibus; privilegio enim aut legitima consuetudine concurrente repelli non possunt beneficiati aut mansionarii a suffragio ferendo una cum Canonicis, uti tradunt *Barbos. de Can. et Dignit. cap. 37. n. 17., Pascucc. ad Pignatell. de praemin. fol. mihi 219. n. 2., Emus Petra ad constit. 1. s. Leonis Magni sect. 2. n. 14. tom. 1, Rota d. 77. et 85. cor. Cavaler.*

Favet itidem mansionariis sensus s. hujus Congregationis, quae adstipulante privilegio semper jussit mansionarios admitti una cum Canonicis ad capitulum ibique votum proferre et signanter in *Montis Pellusii 6. Junii 1682*, in *Asten. Statutorum 7. Junii 1688*, ubi ita rescriptum fuit ad 1: Affirmative, nempe capellanos habere vocem in capitulo, quatenus capellaniae seu beneficia conferantur in titulum et non possint libere dimitti: *in Vigilien 31. Januarii anni 1687 et 14. Martii 1689* et novissime in *Fanen.* ubi disceptato dubio: An et quibus actibus liceat mansionariis ecclesiae collegiatae ss. Christophori et Constantii interesse capitulo ibique suffragium ferre una cum Canonicis?

Die 16. Junii 1731 non obstante contraria consuetudine cui potissimum nitebantur Canonici responsum fuit: Affirmative in omnibus ad formam bullae.

Caeterum praetermissis iis quae mansionarii adversus dictum decretum Archiepiscopi Rinuccini et assertam contrariam observantiam late exponunt, quia commodum massae communis spectat tam ad Canonicos quam ad mansionarios, inspiciendum superest, num ex eo, quod praedictis mansionariis facta fuit facultas capiendi possessionem bonorum ad massam communem spectantium eaque perpetuo retinendi una cum Canonicis, satis constet, mansionarios suffragii jure potiri saltem in iis, qua eamdem massam communem concernunt, cum de caetero administratio massae communis competat solum Canonicis ubi eadem massa sit conflata non ex bonis tam Canonicorum quam mansionariorum sed ex bonis ecclesiae et mansionarii dumtaxat audiendi sint, si velint administrationem a Canonicis gestam explorare aut aliquid adversus illam opponere, *Abb. in cap.: Cum omnes n. 5.* vers.: *Nunc discurrendo de constit.* ibique *Innoc. n. 3, Emus Petra ad constit. 1. s. Leonis Magni sect. 2. n. 13. tom. 1. Caputaquen. d. 8. sub n. 6, Rot. dec. 57. n. 6. cor. Cavaler.*, et ita resolvit s. Congregatio in *Asten. Statutorum. 12. Julii 1682.*

Discutiendum itaque erit:

An mansionarii habeant jus interveniendi et votum ferendi una cum Canonicis in capitulo in casu?

S. C. C. resp.:

Negative praeterquam in casibus condendi vel reformandi statuta aliisque concernentibus eorum interesse ad formam bullae.

Die 21. Aug. et 11. Septb. 1734.

Firmana.

Jamdiu sanct. mem. Xistus V. in Collegiatam insignem erexit parochialem ecclesiam s. Bartholomaei Murrivallium et in ea instituit unam praeposituram, quae inibi Dignitas principalis pro uno Praeposito, qui caeterorum caput existat, necnon octo canonicatus et totidem praebendas pro octo Canonicis ac tres mansionarias pro tribus mansionariis et tria alia clericatus nuncupanda perpetua simplicia beneficia ecclesiastica pro totidem beneficiatis clericis nuncupandis. Unam vero constituit mensam pro distributionibus quotidianis inter Praepositum, Canonicos et beneficiatos praedictos etc. dividendis. Et jus denique esse voluit Praeposito ac Canonicis et beneficiatis praedictis parochialium ecclesiarum et beneficiorum ac bonorum juriumque et pertinentiarum per se vel alium vel alios corporalem possessionem libere apprehendere et perpetuo retinere eisque facultatem etiam tribuit condendi et reformandi statuta Collegiatae.

Dum actum olim fuit de rebus ad communem mensam pertinentibus suffragium in capitulo tulerunt mansionarii etiam et clerici. Ita anno 1647. cum de vendenda ageretur domo, anno rursus 1543 in decernenda favore alterius ex mansionariis consignatione lucri vacationum, anno item 1659 in praescribenda methodo dividendi fructus census et annis denique 1662 et 1666 occasione impositionis et retroventionis census; num hoc ipsum deinde servatum fuerit non constat. Die tamen 11. Septembris 1734 disputatum in hac s. Congregatione fuit dubium: An mansionarii habeant jus interveniendi et votum ferendi una cum Canonicis in capitulo in casu etc.?

prodiitque rescriptum: Negative praeterquam in casibus condendi vel reformandi statuta aliisque concernentibus eorum interesse ad formam bullae. Eademque die reprobavit sacer ipse consessus erectionem novi canonicatus expletam absque consensu mansionariorum. Ad dubium enim: An erectio novi canonicatus in collegiata ecclesia s. Bartholomaei Murrivallium sustineatur in casu?

respondit: Negative et amplius.

Et quamvis die 5. Martii sequentis anni 1735 eam sanxerit erectionem addidit tamen rescripto clausulam: quod ad jus praesentandi admittantur etiam mansionarii.

Hinc mansionarii quoque et clerici approbarunt anno 1787 constitutiones Collegiatae, assentiti sunt anno 1790 emphyteuticae concessioni similesque de rebus ad communem mensam pertinentibus fecerunt actus. At omnia nuper in controversiam deduxerunt Canonici.

Praeter enim plurium dubiorum causam infelici exitu adversus Praepositum actam in Congregatione 26. Novembris elapsi anni agressi insuper fuerunt mansionarios et clericos per monitorium coram A. C. super manutentione in privativo jure ferendi suffragia in capitulo. Re tamen per R. P. D. auditorem Sanctissimi ad s. ipsam Congregationem ablegata haec Firmanus Archiepiscopus in requisita habuit informatione: Quae res in adnexis precibus decidenda proponitur EE. Vestris a Canonicis collegiatae ecclesiae Murrivallium jamdiu definita et formiter judicata est a s. ista Congregatione. Inutile ergo ita est, eam assumere quaestionem quae generatim in ipsis precibus hac super ipsa re a Canonicis proponitur, cum generatim fuerit jam definita.

Inquirendum potius videtur num res quae causam dederunt Canonicis hujus dubii iterum excitandi referantur ad condenda vel reformanda statuta aut ipsorum mansionariorum negotium ad formam bullae respiciant. Si sane de hisce rebus agatur liquido patet mansionarios ipsos ad capitulum et suffragium ferendum ex responso s. istius Congregationis fuisse admittendos, repellendos vero si secus res esse videatur. Duae sane fuerunt res, quae hoc postremo tempore deliberarunt Canonici, primum nempe cum actum fuit de agendis cum fructibus massae communis iis litibus, quae inter Praepositum nonnullosque Canonicos ipsius Collegiatae in s. ista Congregatione adhuc sunt decidendae, secundum cum deliberatum fuit, locationem potius esse ineundam quam renovandam alicujus pretii capitularis emphyteusim, quae res item pendet apud EE. Vestras. Haec duo sunt ad quae

deliberanda sese vocandos fuisse contendunt mansionarii et duo sunt, quae re ipsa in adnexis precibus Canonici enunciant. Utramque rem interesse ipsos mansionarios certum est.

Et reipsa una est in hac Collegiata massa communis, ex qua simbolas suas ad formam fundationis percipiunt tum Praepositus et Canonici tum mansionarii et clerici qui dicuntur chorales. Constat praeterea praedium quod in emphyteusim vel in locationem dari vult ad eandem massam communem spectare. Sequitur hinc, ut utrumque intersit mansionariorum ne scilicet ex una parte in eorum damnum diminuantur distributiones ex massa communi, et ex alia, ut per emphyteusim sive per locationem distributiones ipsae utiliter augeantur. Erant itaque ad capitulum vocandi eorumque sententia per suffragium exquirenda ad formam rei a s. ista Congregattione judicatae cum de eorum commodo vel damno ageretur.

Haec quoad mansionarios. Quo vero ad clericos chorales parem cum mansionariis esse affirmat Archiepiscopus eorum conditionem. Collegiatam sane ecclesiam de qua agitur una cum Praeposito constituunt novem hoc tempore Canonici, tres mansionarii totidemque clerici qui appellantur ut dixi chorales. Hosce omnes singillatim nominat Xistus V. tam in parte proemiali bullae in cujus vim Collegiatam hanc fundavit quam in parte ejus dispositiva. Sed ubi Pontifex indulsit facultatem tum accipiendi possessionem eorum bonorum quae novae Collegiatae assignabat tum condendi et reformandi statuta Praepositum quidem et Canonicos appellavit, sed in reliqnis verbo *beneficiatos* est usus.

Deliberandum prae omnibus in contumaciam Canonicorum proponitur, num ferre valeant mansionarii suffragia in rebus de quibus agitur ad communem massam pertinentibus. Eis quidem obesse posset juris dispositio, nam capitulum sive Cathedralis sive Collegiatae solis constare censetur Canonicis secundum glossam in *cap. penult.* verb.: *Assissios de cleric. non residen., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 4. numer. 37, Piton. discept. eccles. 15. num. 7*, nullamque propterea in eo partem habere valent mansionarii. Regula tamen haec in iis limitatur rebus, quae tangunt mansionariorum interesse. Quum enim mansionarii misticum saltem sint membrum capituli, *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 15. num. 43*, suo hinc jure convenire valent cum corpore et in rebus ad se etiam pertinentibus suffragium ferre, *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 37. sub numer. 17, Petr. ad constit. I. divi Leonis Magni sect. num. 13.* et s. haec Congregatio in *Montis Pelusii 8. Junii 1682.*

Idque in genere quoad mansionarios ipsos Collegiatae Murrivallium definitum a s. Congregatione fuit die 11. Septembris 1734 ut praenotatum est in facto.*) Quod vero administratio bonorum atque erogatio pecuniae ad capitularem massam pertinentis juxta primum dubium tangat etiam illorum interesse aperte desumitur ex bulla erectionis Collegiatae in qua possessio bonorum mensae communis non solis tribuitur Canonicis sed collective Praeposito, Canonicis et beneficiatis praedictis. Atque in similibus circumstantiis suffragium ferunt in congregationibus capitularibus mansionarii et ex antiquis et recentibus impugnant factis de quibus supra. Addunt immo, quod etsi quandoque Canonici de rebus disposuerint communis mensae absque eorum consensu id utique contra bullam fecerunt Xistinam, ex qua aeque possident illius bona ideoque nullum suo juri irrogare potuerunt praejudicium, *Rot. in nuperr. decis. 571. num. 17. in appendic. tom. 2.*

Respicit secundum dubium clericos chorales, qui vocem et ipsi habere contendunt in capitularibus resolutionibus super rebus communis mensae. Quatenus sane ex praemissa regula excludi deberent mansionarii a capitulo, quod vere et proprie solis constat Canonicis, multo magis excludendi viderentur clerici chorales, qui iis sunt inferiores. At eidem ipsi nituntur bullae erectionis, in qua possessio bonorum mensae nedum conceditur Praeposito et Canonicis, sed beneficiatis etiam praedictis seu mansionariis et clericis choralibus, de quibus in praecedentibus partibus bullae distincta fit mentio. Maxime quia pluries olim cum mansionariis interfuerunt capitularibus resolutionibus super bonis et redditibus mensae et constitutiones probarunt Collegiatae. Par igitur pro ipsis et mansionariis ferendum concludunt judicium, ut in terminis vocis in capitulo sive ex consuetudine sive ex statuto seu bulla erectionis, *ex Felin. in cap.: Praesentia sub n. 37. de probat.*

Comprehensi quidem non fuerunt clerici in resolutione 1734 sed id evenisse ajunt

*) Vd. *p. 452.*

ex quo acta tunc fuit causa inter Canonicos dumtaxat et mansionarios. Sibi etiam de cetero ipsius resolutionis rationem convenire dum in folio illius anni mansionariis aeque ac clericis favere exponitur bullam erectionis quoad communem possessionem bonorum mensae. Ubi autem eadem militat ratio, eadem quoque militare debet res judicata per *text. in leg. ingenuum ff. de sort. homin., Rot. coram Veri decis. 120. n. 19.*

Major est difficultas circa electionem Camerarii et officialium de qua in tertio dubio. Quandoquidem neque clerici probant se unquam in ea partem habuisse. Id vero ipsi ponderandum rogant, per Camerarium administrari bona mensae, quorum possessio nedum penes Canonicos sed apud se etiam est ex bulla Xistina, proindeque illius electionem ad possessores omnes pertinere per *text. in leg. fin. ff. de auct. Praefect. et cap. quod omnes de regul. jur. in 5., Clericat. de benefic. disc. 73. num. 7. et sequ., Card. de Luca de Canon. disc. 20. num. 12.* Contraria ergo observantia in communi interesse veluti apposita Xistinae et resolutioni anni 1734 privativum fortasse in eadem re non quaesivit jus ferendi suffragium ex *leg. naturaliter ff. de usucap.*

Quaeritur itaque

I. *An mansionarii ecclesiae collegiatae Murrivallium jus habebant interveniendi et votum reddendi in capitulis, dum agitur de administratione bonorum vel erogatione pecuniarum ad massam communem spectantium in casu?*

II. *An idem jus competat clericis choralibus ejusdem Collegiatae in casu?*

III. *An jus eligendi et removendi officiales privative spectet ad capitulum absque interventu mansionariorum et clericorum choralium in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. et III: Affirmative.

Die 17. Junii 1797.

V. Concathedralium.

Vd. *Canonici Cath.* (Canonicus qui vere est p. 357; jura etc. Cathedralium unitar. p. 405.)

VI. Concionator.

Vd. t. I. p. 854: *Mazarien.*

Adajacen.

Antonius Fortuna Canonicus Cathedralis exponit qualiter Episcopus quandoque ipsi mandat, ut conciones habeat in Cathedrali ac dioecesi, supplex proinde quaerit:

I. An Canonicus Cathedralis concionem habens diebus adventus et toto tempore quadragesimae de mandato Episcopi tam in Cathedrali quam in dioecesi teneatur solvere punctaturas, sicuti tenentur solvere Canonici non interessentes choro?

II. An tunc temporis missas, quas pro benefactoribus ex vi fundationis celebrare tenetur in Cathedrali, possit celebrare in eodem loco ubi reperitur?

S. Congregatio C. rescripsit

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative.

Die 10. Septembris 1678.

(Anal. J. P. 1866. p. 280.)

VII. Confessarius.

(Emolumenta.)

Vd. *Distribut. Canon. confessarii; Poenitentiarius; Canonic. Colleg.* (num confessarius p. 434.) *Praebenda poenitent.; p. 197. e.*

Romana.

Ex providentia Leonis XII. Principis beneficentissimi anno 1828 substantia universa Aedis Suevorum ad s. Birgittam perpetuum in modum donata attributaque fuit capitulo Basilicae s. Mariae Transtyberinae ut supportatis manutentionis illius ecclesiae et solutionis pensionum, quae modo pro pauperibus catholicis Suevae nationis originariis constitutae sunt et quas in posterum, si qui fortasse advenerint, assignari contingerit, aliisque praefato hospitio inhaerentibus oneribus residuales illius fructus in capituli ipsius collegiatae ecclesiae usum et utilitatem apostolica auctoritate converterentur. Ut autem capitulum et Canonici ac beneficiati praefati collato hujusmodi beneficio non sine aliquo onere pro aequitate respondeant jussit Pontifex ut firma remanente obligatione principaliter penes Vicarium curatum iidem personaliter per turnum omni studio ac sollicitudine edocendae juventuti in regione Transtyberina commoranti christianae fidei rudimenta singulis dominicis sedulam dent operam atque in eisdem dominicis diebus absoluta christianae doctrinae explicatione catechesim pro adultis hominibus habeant ac demum et singulis festis diebus fidelium confessiones in s. Poenitentiae tribunali per notabile aliquod temporis spatium excipiant aliaque pia opera, quae ad fidelium institutionem eorumque aeternam salutem conferre posse in Domino judicaverint modo et forma ab apostolicarum literarum executore prescribendis studiose peragerent.

Exequutor obscitus Emus et Rmus Cardinalis Falzacappa qui tunc temporis titulo Basilicae illius potiebatur suaque etiam instantia ac solicitudine pontificiam liberalitatem properat ita pro singulari qua praestat sapientia sacrorumque jurium peritia universam rei rationem editis pro collegii aedisque conditione decretis praefinire atque ordinare nisus est, ut inde capitularis census incremento et rei sacrae procurationi et parochianorum utilitati apprime consuleret. Probe enim gnarus quantopere in regione illa frequentissima ac pro familiarum ibidem exstantium conditione impensior et uberior requiratur rei christianae tractatio perutiles regulas sancivit »quae in exceptione confessionum fidelium, in traditione rudimentorum christianae fidei, in explanatione cathechesis forent servandae; necnon methodum praescripsit quam et in exigendis redditibus et in ipsorum divisione et administratione meliorem putavit; ac quomodo cultui ecclesiae s. Birgittae prospiciendum foret statuit quasque regulas et praescriptiones a Ssmo Dno Papa Leone XII. adprobatas ab omnibus tum Canonicis tum beneficiatis ecclesiae s. Mariae Transtiberim servandas atque in statutorum reformatione una cum decretis Visitationis apostolicae capitularibus codicibus conscribendas esse jussit atque mandavit die 21. Decembris 1828 »reservata sibi facultate specialiter ex audientia Ssmi confirmata inposterum quidquid utilius apparuerit statuendi.«

Id vero de christiana doctrina populo ac praesertim pueris tradenda mandavit vir eminentissimus, ut nimirum singulis festis diebus stata hora unus ex Canonicis et duo beneficiarii in orbem nemine excepto in sanctissimum id operis incumbant, in quem finem in hebdomadariorum tabula in sacrario collocanda eos quoque inscribi jussit, quibus per eos dies id oneris sit. Muletam etiam in eos qui absque legitima causa muneri defuerint irrogandam edixit si Cardinali Titulari ita visum foret.

De confessionibus autem excipiendis in Basilica et religione et Pontificum indulgentiis et populi frequentia celebrata maxime curandum erat.

Per Emum Cardinalem apostolicarum literarum exequutorem legibus constitutis et bonorum aediumque possessione accepta eorumdem redditus ad praestitutam ab ipso normam distribui coeperunt. Verum licet ex annuo illo proventu scutata plus minus mille centum viginti quinque (scut. 1125) haberentur ademptis tamen oneribus superarant scutati nummi quadringenti nonaginta (scut. 490) inter Canonicos pro portione diribendi et ex peculiari vectigali censu Beneficiariis adtributo annua scutata ducenta duo iisdem accrevere.

Verum animadvertentes Canonici exiguas sacrarii facultates praesertim post asperrimorum temporum conversionem impares plane esse ad ingentes sumptus, qui in Sacrorum cultum ac tuitionem pro ipsius Basilicae dignitate necessarii sunt, supplices in tanta nummerariae rei difficultate ad quaslibet in sumptibus ipsis praefiniendis minuendisque controversias contentionesque praecidendas propellendasque ss Dominum Nostrum adivere ac speciatim testati se annua scutata quadraginta (scut. 40) sibi viritim ex redditibus ecclesiae s. Birgittae obvenientia perlubenter concedere.«

Haec Mariales Canonici suis ad Pontificem precibus postularunt, quas ex ejusdem benignitate ad s. hunc Ordinem speciatim remissas expendendas in praesens propono eminentissimis Patribus una cum voto quod de sententia rogatus edidit scitissime elaboratum Emus et Rms Barberinus Cardinalis Titularis. Se quidem praemittit audivisse Canonicos quorum una vox fuit, una fiducia secundum sibi fore Eminentiarum Vestrarum judicium. Principio sane ancipitem se haesisse fatetur postea tamen (pergit eminentissimus Titularis) omnibus perspectis ac mature perpensis rerum circumstantiis facile intellexi id postulare ecclesiae bonum ac fidelium utilitatem, ut Canonicorum vota certis legibus obsecundentur. Etenim sacrarium licet ex munificentia Leonis XII. annua auctum fuerit pensione scutatorum 150, adeo exiguis redditibus praeditum conspexi, ut vix annuam ipsi conficiant summam scut. 525. 60., dum impendia a sacrario omnino perferenda ad scut. 1200 quotannis pertingere fidem perhibet capituli ratiocinator.

Nemini quippe dubium eos ecclesiae sumptus quibus subeundis impar sacrarii census ex communi Canonicorum mensa esse fa-

ciendos; at vero cum proventus canonicales prae loci et personarum adjunctis non sint ampli.... evenit interdum, ut quae ad decorem domus Dei, ad nitorem sacrae suppelectilis et ad sacrarum functionum dignitatem forent necessario comparanda aliquando negligantur. Hisce malis occurrere cupiunt hodierni Canonici et quod sacrario deest ad summam scutator. 1200 efformandam id ex bonis s. Birgittae sibi attributis ac etiam si opus fuerit ex reliquis canonicalibus redditibus praesumere eidemque sacrario perpetuo cedere meditantur. Hinc enim fieret, ut sacrarium sufficienti polleret censu isque certo erogaretur in rem ecclesiae et numquam in Canonicorum verteretur utilitatem etiamsi quavis ratione sacrarium redundaret bonis.

Non dubito igitur oblatam bonorum cessionem, utpote sacrario perutilem ab EE. VV. probatum iri, firma manente obligatione ipsi capitulo jam indita ex canonicalibus redditibus perferendi ecclesiae impendia si sacrarii vires forte decreverint aut impares evaserint. Verum Canonici quadam veluti cessionis compensatione id postulant, ut penitus leventur onere docendi pueros doctrinam christianam ac insuper ut obligatio singulis Canonicis inhaerens diebus festis in orbem audiendi fidelium confessiones uni tantum ex Canonicis injungatur eique annuum ex mensa capitulari pendatur 12 scutatorum stipendium.

Quod attinet ad onus doctrinae christianae Canonicorum petitioni suffragaret; ejusmodi siquidem pondus adeo gravate ipsi ferunt, ut partim ex itinere qua hyemali qua aestivo ad dissitam ecclesiam peragendo, partim ex aliis rationibus in supplici libello allatis vix aliquando illud impleverunt nec inposterum omnes singillatim impleturos fuisse sperandum putarem. Ceterum huic muneri tradendae doctrinae christianae praeter deputatum confraternitatis s. Mariae a planctu praesto esse debent Canonicus Vicarius curatus, subcuratus et sacerdos confessarius ejusdem Basilicae ac etiam duo beneficiati proindeque si suo isti fungantur munere patet ex Canonicorum exemptione nihil esse pertimescendum puerorum institutioni.

Similiter onus excipiendi christifidelium confessiones plus minus neglectum fuisse constat, non omnes enim ex antiquis Canonicis facultate audiendi confessiones praediti sunt, alii indulto absentiae a choro interdum utuntur; non desunt qui rude fruantur aut infirmitate laborent; tandem ex ipsamet obligatione in orbem adimplenda accidit, ut fideles apud eumdem sacramenti administrum confessionem repetere non numquam vetentur.

Onus quidem ejusmodi singulis incumbens valde accommodatum atque utile existimo, ut in Canonicorum collegium cooptentur adultiores dumtaxat ac moralis disciplinae probe gnari, sed ne praecipuus finis, spiritualis nempe fidelium utilitas, intercipiatur, illud aliqua ratione temperandum arbitrarer.

Quocirca Canonicorum precibus ita morem gererem, ut in admittendis novis Canonicis scientiae illius gradus et confesarii qualitas, si EE. VV. placeat, jugiter deposcatur, sed uni tantummodo ex canonicalibus praebendis memoratum onus perpetuo imponerem, ita ut quivis ejusdem possessor instar Canonici poenitentiarii singulis saltem diebus festis de praecepto una hora ante Matutini initium in sacrae poenitentiae tribunali omnino sedeat ibique suum obeat munus et dum confessiones audiet non secus habetur ac si divinis in choro celebrandis officiis praesens adesset; ne autem Canonicus iste in vinea Domini excolenda prae caeteris gravatus sua fraudetur mercede videant EE. VV. utrum 12 scutatorum stipendium a capitulo propositum congruum sit judicandum ac magni momenti muneri respondeat. Quod si ipse in suo fungendo officio defecerit, pecuniaria multa prudenti arbitrio Cardinalis Titularis puniendum decernerem, cumque fieri possit, ut Canonicus iste vel senio confectus vel infirmitate detentus confessiones excipere nequeat, idcirco ne populus quoque die festo spirituali hujusmodi subsidio destituatur, praefato Cardinali facultatem tributam vellem loco ejusdem alterum ex Canonicis quem maluerit subrogandi, qui eadem interea fruatur chori exemptione ac etiam si diutino tempore vices gerere cogatur ejusdem Cardinalis arbitrio particeps reddatur alicujus emolumenti ex Canonicorum mensa detrahendi.

Haec Emi Barberini sententia foret; definiendum idcirco erit

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus Canonicorum Basilicae s. Mariae Transtyberim in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Emi Titularis adaucto stipendio Canonici confessarii ad scutata viginti quatuor injunctaque lege de reddenda eidem Emo Titulari ratione quotannis de sacrarii administratione, facto verbo cum SSmo.

Die 1. Febr. 1834.

VIII. Curatus.

1) Quando praesens in choro reputatur?

Vd. *Chorus*; *Cura animarum*; *Distributiones*; *Canonic.* (confessarius, concionat.) *Canonicus paroch.*; t. I. p. 737. IX; p. 974. XXXIII; supra p. 197. e

Lauretana.

Canonicum, cui animarum cura incumbit, haberi tamquam choro praesentem, dum sacramentales excipit confessiones, *Bonaccin. disp. 2. quaest. 5. punct. 3. §. 5. num. 3.*

De Canonico curam animarum habente in eadem ecclesia censet *san. mem. Benedictus XIV. Jnstit. eccles. 107. num. 56* tamquam in choro praesentem habendum esse, dum fidelium excipit confessiones et sacramenta parochianis ministrat; idque etiam declaravit *s. Congregatio in Mediolanen 13. Februarii 1639 lib. 16. decret.*, in *Tortonen. 19. Septembris 1643 lib. 17. dec. pag. 130.*

Die 11. Junii 1774.

2) Congrua praebenda *)

Asculana.

Ad trudinam redit causa ista, quae multiplici ac sapienti responsione data die 20. Novembris anni 1830 primum dirempta novis exortis dubiis die 18. Julii anni superioris EE. VV. judicio iterum subjecta est tulitque responsum: *Dilata et exquiratur votum Episcopi.*

Praestat nunc istud integrum ferme exscribere.

»Quae Canonici curam animarum exercentes (sic Episcopus) propositis dubiis 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7 definienda expostulant omnia fundamento nituntur, quod congrua portio praebendarum canonicalium ad sc. 52 vix pertingat, uti etiam in facti serie dicitur evinci ex epistolis exhibitis a defuncto Episcopo jam ab anno 1829; attamen contrarium omnino probant status activi et passivi trium praebendarum ab ipsis Canonicis curatis respective possessarum et duarum ad Canonicos non curatos spectantium, qui pro rei veritate redacti et signati a Canonico secretario capituli dantur, quibus non dissimiles singulae canonicales praebendae ab oppidanae Collegiatae priore asseruntur.« Et revera ex annuorum reddituum sillabo (quem hic Episcopus attexuit) patet inter tres curatos Canonicum Ciabattoni anno 1836 scuta 130, 39, 4 percepisse, quibus si demas omnia onera passivitatis in scut. 14, 05 remanent scut. 116, 54, 4. Canonicus Fari alter ex parochis scuta 125, 89, 4 habuit et cum oneribus afficiatur in scut. 123, 44, 1 percepit. Canonicus tandem et parochus Sargiacomi praebenda potitur in scut. 106, 75, 4, ex quibus liberi illi supersunt scut. 94, 83, 1. Ex canonicatibus vero, qui parochia sunt destituti, alter scut. 135, 86, 6 summam exhibet alter vero scut. 109, 41, 8, utramque ab omni prorsus onere defaecatam.

Cum ergo praebendae fere omnes annua scuta centum excedant, non est cur clamitent Canonici curati se parochiali congrua fructuum portione destitutos. Et re sane vera Canonici curati s. Marci et s. Venantii, qui praebendas obtinuerunt, primus an. 1831 per optionem Canonici Dominici Morgandi ad alium canonicatum non curatum, alter pariter an. 1831 per collationem alterius praebendae canonicalis favore Canonici Bergalucci et onera et annuos fructus noscebant praebendarum et nihilominus ut in ipsis instituerentur enixe supplicarunt, quod minime fecissent, si quod asseritur de annuo eorum fructu verum esset; quod argumentum tanti faciendum est, ut duo recensiti Canonici curati, quibus nedum consentientibus, imo volentibus praebendae traditae sunt et parochialia onera imposita, quasi propugnatores oppidani capituli et oppugnatores Canonici curati s. Lazzari censendi sint; cui uni quaesita, quaestiones, clamores probabiliter videntur adscribendi. Accedit factum ejusdem Canonici curati s. Lazzari, qui iterata vice cum posset renuit optare ad aliam praebendam sine cura animarum in ipso capitulo. Nec obstat assertio defuncti Episcopi in epistolis exhibitis ab anno 1829, cum non agatur in illis de statu partibus contradicentibus vel saltem auditis exarato: ex quibus profecto patet parochiarum pastoribus satis provisum fuisse praebendis quae ab illis delatae fuerunt, ut in Brevi s. m. Leonis XII. dictum est.

Ex his censerem rescribendum affirmative

*) Vd. *Congrua.*

ad primum dubium et non esse proinde locum alicui ex remediis sive provisionibus propositis in dubiis 2, 3, 4, 5, 6 et 7; quae alioquin remedia, etiamsi asserta staret tenuitas praebendarum, probari nequirent citra justitiam. Onera enim, ut ipse putat, in apostolico Brevi Canonicis superimposita sunt *missionum et exercitiorum* spiritualium quotannis faciendorum; verba Brevis ipsius, quibus edicitur novis earum parochiarum pastoribus satis prospectum esse praebendis, quae ad illos deferentur *ex iis* canonicatibus, qui rectores veteres amiserunt, (cum praecipue particula *ex* disjunctionem significet individuas et singulares praebendas assignandas demonstrans), satis evincunt mentem Pontificis a diminutione numeri Canonicorum absonam omnino fuisse. Decimas vero non Sacramentalium titulo, sed sive emphyteutico sive dominico olim percepisse Benedictinum collegium censet ex quo non in territorio Ophidano tantum, sed etiam in aliis Montis alti, Apineani, Lamae, Castinani et Cosinaeani percipiebantur et percipiuntur in iis dumtaxat oppidis, quae monachorum curae minime subjiciebantur. Unde liquet jus eas percipiendi veluti monasticae mensae incorporatas in Ophidanum capitulum transisse, quod trium ferme saeculorum pacifica possessione firmatur.

Parochiam ss. Philippi et Bassi ex apostolici Brevis dispositione a capitulo dependere opinatur Episcopus, attamen innovato per apostolicam Breve jure parochiae s. Mariae non eadem esse potest subdit ipse ratio dependentiae ac ante suppressionem Collegiatae fuerat: tunc enim veluti membrum parochiae s. Mariae a Canonico curato Vicario ejusdem dependebat et licet caemeterio et fonte baptismali progressu temporis donata fuerit, tamen renatorum et defunctorum regestum penes Canonicum curatum s. Mariae servabatur; matrimonia coram eodem Canonico curato, praemissis denunciationibus, in eadem s. Mariae ecclesia celebrabantur; ab eaque communio paschalis sumebatur ad satisfactionem praecepti; et ecclesia ss. Philippi et Bassi sine parochiali archivio, sine sigillo quasi succursalis habebatur: adeo ut ejusdem Vicarius ad instar capellani singulis diebus festis teneretur ad excipiendas confessiones fidelium in saepe dicta ecclesia s. Mariae et ad celebrationem missarum pro populo pro quarta parte.*) At nunc parochia s. Mariae tradita in potestatem Canonici curati vicarii, parochus ss. Philippi et Bassi non amplius a capitulo dependeret, si memorata superius observarentur, (quod tamen innuit Pontifex Leo XII.), sed a Canonico vicario curato s. Mariae, quod apostolici Brevis verbis repugnat. Si vero eadem esse deberet ratio dependentiae, quae fuit ante suppressionem Collegiatae, haec juxta Episcopum sequerentur: 1. quod capitulum teneretur nominare Canonicum vicarium curatum pro exercenda jurisdictione parochiali parochiae ss. Philippi et Bassi in ecclesia s. Mariae.

2. Quod duae distinctae ecclesiae in una eademque ecclesia actu existerent.

3. Quod distincta ab aliis parochia ruralis, cujus fines satis a civitate distant, parochialem ecclesiam in civitate haberet.

4. Quod publicationes pro matrimoniis extra fines parochiae fierent.

5. Quod Vicarius parochus diebus festivis ab ecclesia ss. Philippi et Bassi abesset.

6. Quod denique parochianis pro communione paschali, pro matrimoniis, pro testimonialibus ac pro omnibus actibus jurisdictionalibus gravi incommodo ad civitatem esset accedendum. Quae si probari potuerant, quando in civitate Ophidana una tantum erat parochia, quae territorium universum complectebatur, nunc exempta parochia s. Mariae a jurisdictione capituli et erectis parochialibus s. Venantii et s. Lazari improbanda profecto censeri debent et improbasset Pontifex, si in promulgatione apostolici Brevis innotuissent. Etenim de ecclesia ss. Philippi et Bassi loquitur, non ut de membro et parte parochiae s. Mariae sed ut de parochia proprie dicta ab aliis jam sejuncta licet a jure et auctoritate collegii Canonicorum dependente. Quocirca cum ecclesia ss. Philippi et Bassi gaudeat fonte baptismali et caemetrio, consonum menti Pontificis . . . . videtur ut in eadem ecclesia parochialis omnimodo jurisdictio exerceatur a parocho vicario perpetuo, qui inibi parochialibus fungatur muneribus et onera satisfaciat inclusive ad integram missarum pro populo celebrationem et satis provisum iri dependentiae ejusdem a capitulo nomine et appellatione Vicarii perpetui et reservatione superioris dominii tam quoad ecclesiam quam quoad parochiam, injuncto si placeat eidem Vicario perpetuo onere praesentationis librae unius cerae albae et assistentiae in die Assumptionis B. M. V. ad missam solemnem

*) Vd. *t. I. p. 885, 888, 985. XLII.*

in ecclesia Collegiata s. Mariae in signum dependentiae ac servato jure favore capituli ufficiandi ecclesiam ss. Philippi et Bassi in principali festo s. Titularis, dummodo quatuor saltem Canonici ad illam accedant in signum dominii.

»Si verba apostolici Brevis perpendantur, IX. dubii solutio profecto patebit. *Non solum parochia s. Mariae* (inquit Pontifex) *sed rurales etiam parochiae s. Venantii et s. Lazari oneri erunt ac curae omnino de Ophidano collegio Canonicorum etc.*, et post pauca: *decernimus, ut earum parochiarum cura perpetua imposterum habeatur et a Canonicorum aliquo per se geratur etc.* Qui onus et curam parochiarum imposuit collegio Canonicorum et earum curam solum modo in Canonicos curatos transtulit, certe *onus* collegio Canonicorum reliquit; et recte admodum, nam si praebendis canonicalibus satis provisum est pastoribus, ecclesiis nullo modo provisum esset, nisi oneri collegio Canonicorum remansissent. Quod si dicatur eam fuisse mentem Pontificis, ut onus scilicet ecclesiarum transiret in Canonicos curatos, tunc non solum esset illis satis provisum praebendis etc. verum sequeretur absurdum, voluisse nempe Pontificem multare poena probos et sapientes viros, eo quia ad curam animarum vice capituli assumuntur, statum oeconomicum earum praebendarum deteriorem reddendo praebendis, quae a Canonicis non curatis possidentur. Ergo concludendum est collegio Canonicorum incumbere onus construendi archivium-parochiale, emendi s. supellectiles et manutenendi omnia suis sumptibus.

Asculani Praesulis hoc voto absolutissimo nihil deesse causae definitioni videbatur, cum Canonicus Ciabattoni, qui parochia s. Lazari potitur, preces mihi obtulit, quibus se ab anno 1822 apud Ophidae Collegiatam adscriptum memorabat, cum nullo prorsus onere gravaretur; decem postea annorum spatio et quinque mensium s. Vincentii et s. Lazari curam animarum obiisse, Ordinarii hortationibus admotum, cum nullus ex collegio tanto oneri ferendo par esset; idque ex eo tempore, quo Collegiata a s. m. Leonis XII. restituta est. Omnia tunc onera et impensas omnes quas animarum cura necessario importat sustulit, quamvis iisdem obligationibus, quibus et caeteri Canonici, gravaretur; missis interea pro populo applicandis festo quoque die unus inter alios tenebatur. Apoplectico nunc morbo colicisque doloribus confectus necnon sensibus ita laesus, ut dexteri pene lateris usum amiserit, EE. VV. exorat, ut animarum onere liberetur. Medicus enim et ipse haec testatur. Quum vero juxta defuncti praesulis Asculani assertionem status ejus praebendae necnon caeterarum quae parochiali officio donantur 51 scutata annui redditus importet, se idcirco imparem profitetur orator ut valeat justam solvere alimoniam alteri, qui curam animarum pro se sustineat. Ne idcirco ipsemet congrua privetur sustentatione ac morte miserrima occumbat, exposcit, ut capituli sumptibus sibi aliquis regendae paroeciae substituatur, nisi Canonicus alter ad hoc officium destinetur. Aequitati enim consonum esse ratiocinatur, ut capitulum, cui tam longo servitio profuit permultum cuique parochiae ss. Venantii et Lazari juxta Brevis apostolici verba oneri sunt, suis sumptibus infirmo paroeciae unius rectori alterum sufficiat.

Precibus Episcopo de more ablegatis capituli ille sententiam imprimis exquisivit, quod sui collegae vota omnino rejecit. Primo enim animadvertit recte Canonicum Ciabattoni dixisse se canonicatum suscepisse nullo prorsus onere gravatum: verum si non reticuisset se anno 1822 Canonicum tantum honorarium fuisse nuncupatum cum spe Collegiatam fore aliquando restituendam, non utique de parochiali onere, quod illi impositum est, conqueri potuisset. Deinde, ut suos decem annorum labores pro duabus paraeciis regendis efferat, frustra inhabilitatem Canonicorum arguit. Cum enim veteres Canonici animarum cura haud possent legitime ab Episcopo onerari, quippe quae apostolico Brevi s. m. Leonis XII. ad eos devolvebatur, qui canonicatus vacantes suscepissent et eorum successoribus ex decreto hujus S. O. 20. Novembris 1830, necessario parochi munere debebat fungi is, qui Canonici honorarii titulum cum canonicali vera praebenda commutare cupiebat. Mirum tamen videri potest nullum ex aliis novis Canonicis, quorum aliquem interea confessionibus audiendis parochique muneribus obeundis approbatum fuisse ipsi Capitulares testantur, oratorem altera ex duabus paraeciis illi confisis exonerasse; immo vero integrum decennium illum ambabus animarum curis gravatum permansisse.

Pergunt Capitulares missasque pro populo Deo offerre caepisse Canonicum Cabattoni

tantum post mensem Februarii anni 1832, ut ex regesto patet, demonstrant, quamvis et Ordinarii et hujus s. Ordinis praeceptis ad id jampridem compelleretur; tumque missae conventualis, quae cani solebat, applicatione liberatum fuisse ab hac s. C. commemorant. Mala quoque, quibus orator affligitur, deplorant sed ex auditu diu noctuque in oppido versatur; quod certe ostendit satis parvam esse malorum congeriem, quam sibi adglomeratur. Et quamvis graviter aegrotaretur, non ideo capitulum ad impensas substinendas obligaretur, quae ad sustentationem alterius Vicarii essent necessariae. Duos enim canonicatus jam orator recusavit, quos Episcopus infirmitatibus ejus prospiciens ei obtulerat, ut parochiali onere liberaretur. Leo vero XII. trium Canonicorum curam animarum tam propriam esse voluit, ut non modo capitulum ab ea eximeret, sed etiam tres canonicatus vacare decreverit et ex eorum redditibus oeconomos esse alendos, quoties nemo regendis parochiis aptus inveniatur. Huic tamen argumento respondet orator aliis apostolici Brevis verbis innixus: Non solum parochia s. Mariae intra oppidi ambitum constituta sed rurales etiam parochiae s. Venantii et s. Lazarii oneri erunt ac curae omnimodae Ophydano collegio Canonicorum.

Tandem commentitium Canonici esse autumant redditum, quem praebendae suae praefigit orator, idque, ut vidimus, Episcopi votum superius relatum confirmat. Neque futurum, ut ille acriter egeat, ubi capitulum nullum in ejus locum suis sumptibus suffecerit, pariter timeri potest. Satis enim amplo ipse donatur bonorum censu, quem etiam ex familiae suae bonis auxit, dum unicus suorum haeres extitit. Hinc annuorum 400 scutatorum summa potitur ex variis censibus conflata; et fama non inter pauperes, sed in ditioribus adnumeratur. Caeterum ejus praebenda duas alias, quae parochiae subjiciuntur, in omnibus exaequat. Harum vero novissimi possessores eas cum duabus aliis omni animarum cura carentibus commutarunt; solus ipse recusavit. Si quod igitur argumentum ex facto hoc exurgeret, hoc est (Capitulares concludunt), vel ipsum voluisse se priorem praebendam retinere ut assiduis in diem molestiis collegas suos de more divexaret, vel ejus canonicatum tam exiguum redditum non suppeditare.

Huic tam acri Canonicorum responsioni consentit Episcopus, qui haec subjungit: cum quaerimonia oratoris luculentissime appareat nullo niti fundamento et quae asseruntur de officio parochi in restauratione Collegiatae Oppidanae ab eodem assumpto veritati adversentur, uti constat ex apostolicis literis s. m. Leonis XII. et ex dubiis S. huic C. propositis partim jam sub die 20. Novembris 1830 resolutis partim vero adhuc resolvendis, demisse sentirem non esse locum alicui provisioni favore oratoris, si tamen ita EE. VV. placuerit.

Pauca nunc addam quae ad praxim pertinent s. hujus C. circa facta hujusmodi declarandam.

Compertissimum in jure est infirmo animarum rectori esse per coadjutorem prospiciendum dum perpetuo valetudinis impedimento suis oneribus satisfaciendis impar evadat, *text. ex cap. Pastoral. unic. de cleric. aegrotan. in 6., Fagnan. in cap. Coet. de rescript.* Idque s. hic Ordo pluribus suis resolutionibus comprobavit; immo vere novissime in *Nursina 26. Novb.* anni superioris, cum constaret de incurabili parochi Japeti morbo necnon de summa ejus egestate resolvit, capellanum curatum esse illi deputandum, qui omnes parochi functiones expleret, missas pro populo diebus festis etiam reductis celebraret, cui daretur ex aliqua publica capsa annuum emolumentum scut. 60, donec aliter provideretur. Quae quidem decisio alia non absimili *Tudertina 2. Augusti 1833* nitebatur.

Videant tamen EE. VV. num quae affert orator mala tot tantaque dici possint, quae illum a sui muneris implemento omnino detereant. Et quatenus ita res se habeant videant an et unde eidem stipendium persolvendum sit. Istud percipi debere ex parochi ipsius, qui coadjuvatur, redditu, dummodo satis amplo censu ille potiatur, patet ex *textu l. 2. ubi autem de decimis in 6*, S. C. in *Terent. Coadjutoriae 26. Febr. 1749.* Animadvertendum tamen ex peculiari parochi patrimonio minime commensurandam esse ejusdam paupertatem vel divitias. Cum enim *beneficium detur propter officium et qui altari servit, de altari vivere debeat,**) si exiguum valde beneficium habeat parochus haud aequum videtur eodem expoliari, ut stipendium coadjutori praebeatur.

Quod si parochiae redditus non sufficiant vel capitulo tale onus deferretur, cui parochia adjecta est, vel Episcopo, qui suae mensae

*) Vd *t. II. p. 556. n. 51*

proventibus infirmo consulere deberet, *S. C. in Farfen. Decimarum et deput. capell. 1. Septembr. 1691 dub. 5., Cingulana Curae animarum 19. Jul. n. 32, Barbosa de off. et pot. Episcopor. par. 3. all. 63. num. 15*, et in subsidium parochianis, *textus in cap. de rectorib. n. 3 de cleric. aegrot.* apud *Fagnan., Barbos. de officio et potestate Episcop. part. 3. alleg. 63. n. 15.*

Hisce breviter perpensis dignentur EE. VV. folium diei 25. Junii anni superioris resumere atque perlegere typis impressam allegationem qua parochus ss. Philippi et Bassi sudet independentiam suam a capitulo novis juris et facti animadversionibus conficere, quaeque mihi dum haec scriberem tradita est; dirimantque

Dubia:

I. *An Canonici curati congruis gaudeant praebendis in casu etc.?*

Et quatenus negative,

II. *An ipsis deferendae sint tres aliae praebendae canonicales, quae tempore restaurationis Collegiatae vacabant in casu?*

III. *An et quomodo illis sit occurrendum ex pio legato rata in casu?*

IV. *An et cui competat jus percipiendi decimas in casu?*

V. *An capitulo quod actu potitur jure decimandi onus incumbat supplendi congruam Canonicorum curatorum in casu?*

VI. *An et a quo tempore sit iisdem Canonicis curatis occurrendum in casu?*

VII. *An, quomodo et a quo parochia ss. Philippi et Bassi dependeat in casu?*

VIII. *An Canonicis curatis annuendum sit quoad missas parochiales in casu?*

IX. *An et cui incumbat onus construendi archivium parochiale ac emendi s. suppellectiles et cujus sumptibus sint omnia manutenenda in casu?*

X. *An et quomodo sit annuendum precibus Canonici Joannis Ciabattoni in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II. et III: Negative.

Ad IV: Affirmative favore capituli.

Ad V. et VI: Negative.

Ad VII: Negative et servetur resolutio s. Congregationis de mense Novb. 1830.

Ad VIII: Affirmative a collegio Canonicorum ita tamen ut parochus sub nomine Vicarii perpetui omnia jura et onera parochialia in ecclesia ss. Philippi et ... exerceat praeter quoad obsequia ecclesiae matrici praestanda voto Episcopi.

Ad IX: Affirmative in omnibus, sumptibus capituli.

Ad X: Dilata et Episcopus magis praecise referat ex jurata .... fide de impotentia et statu valetudinis oratoris ac proponat remedia, quibus provideri possit curae animarum.

Die 16. Decb. 1837. et 20. Jan. 1838.

Continuatio Asculana.

Sacri Ordinis mandatis obsequutus diligenter est Episcopus exhibetque inprimis duorum in Ophidana civitate principum medicorum vota jurejurando firmata.

Haec prosequitur his praejectis Episcopus tanti facienda arbitror, ut nulla sit quaestio de necessitate deputationis capellani curati, qui Canonicum Ciabattoni adjuvet in parochiae administratione: et ego ipse jampridem iteratis vicibus suasionibus et obsecrationibus ad hunc deputandum inducere conatus sum; incassum tamen usque adhuc. Ad remedia quod attinet, quibus provideri possit curae animarum, animadvertendum censeo, quaestionem ex supplici libello Canonici Ciabattoni excitatam non eumdem solummodo sed singulos Canonicos curatos respicere, qui positis iisdem circumstantiis eadem remedia inposterum provocabant: hinc quid proponendum stricto jure metiendum est. Cum ergo non agatur in Canonico Ciabattoni neque de absoluta impotentia, ut ex medicorum fide, neque de summa egestate ut ex relatis in propositione primi dubii jam a Congregatione resoluti, gaudet enim praebenda, cujus annui fructus deductis oneribus ad scuta 116, 34, 4 assurgunt, jam patet remedium, scilicet compellendum esse ad assumptionem capellani curati, qui iis oneribus parochialibus, quibus impar est, satisfaciat: praesertim cum Ophidae stipendio scutorum triginta circiter capellanus haberi possit: at si hoc non placeat, duo in casu etiam suppetunt remedia.

Canonicus Ciabattoni cum de egestate conqueretur et imparem se profitetur, ut valeat justam alimoniam solvere alteri, qui curam animarum pro se sustineat, quin id-

circo ipsemet congrua privetur substentatione ac morte miserrima occumbat, annui praebendae fructus ad scuta 51 assurgere contendit; e contra capitulum ad querimonias hujusmodi omnino confutandas statum praebendae ad annuos fructus scutor. 116, 34, 4 asserit pertingere: neutri ergo irrogabitur injuria, si cedatur capitulo administratio praebendae, reservata annua praestatione scut. 51 favore Canonici Ciabbattoni et injuncto eidem capitulo onere solvendi stipendium oeconomi ab Episcopo ad animarum curam deputandi: attamen si a cessione administrationis praebendae Canonicus Ciabbattoni abhorreat, cesset jam de egestate conqueri et coadjutorem idoneum cum futura successione a s. Sede impetret: non desunt enim Ophidani sacerdotes ad id munus idonei: neque enim videtur esse locus alicui ex provisionibus a jure deductis et in ipsa facti specie relatis.«

Prostant ni fallor in hac Asculani praesulis relatione quae ab EE. VV. ad causae definitionem desiderabantur: dignentur itaque resumpto folio superius memorato necnon altero diei 16. Decembris anni superioris in quo facti species prostat dirimere quod iterum proponimus

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus Canonici Joannis Ciabattoni in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi.

Die 23. Junii 1838.

IX. Deportatus ob recusatum juramentum illicitum ex lege regnantis Pontificis fructus praebendae percipit.

Vd. p. 202. i.

X. Doctor esse debetne?

Vd. *Canon. Cath.* (doctor etc. p. 383.)

XI. S. Georgii in Alga Venet.

(Habitus caeruleus.)

Clemens Papa VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad Religiosorum antiquum institutum conservandum provide ordinata fuisse dicuntur ea cum a nobis petitur apostolici muniminis firmitate libenter communimus prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Generalis Congregationis s. Georgii in Alga Venetiarum, quod per undecim Patres deputatos capitulum generale ejusdem congregationis repraesentantes communibus votis resolutum fuit, ut tolleretur abusus inter religiosos dictae congregationis introductus interesse divinis officiis in choro, in ecclesia, in processionibus particularibus et aliis locis publicis, cum sola tunica alba veluti contrarius institutis et habitui antiquo ejusdem congregationis. Et propterea deinceps religiosi deberent ubique et in omni tempore et praesertim domi, in monasteriis et locis ejusdem congregationis deferre togam coloris caerulei, pallandam nuncupatam juxta constitutiones ejusdem congregationis et ad instar illius, quam deferebat b. Laurentius Justinianus ejusdem congregationis institutor. Ut autem nullo tempore inposterum praedictae resolutioni seu decreto praedictorum undecim Patrum deputatorum contraveniatur, idem Generalis totius congregationis praedictae nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut illud apostolica auctoritate perpetuo confirmare de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur qui justis petentium votis nostrum non denegamus assensum hujusmodi supplicationibus inclinati ex voto venerabilium Fratrum nostrorum s. romanae ecclesiae Cardinalium, super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, decretum capituli generalis praedictum, ut scilicet omnes et singuli dictae congregationis religiosi togam pallandam nuncupatam coloris caerulei deferre ut praemissum est teneantur auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus ac illud per dictos religiosos inviolate observari debere decernimus et declaramus.

Dat. Romae die 22. Aug. 1602.

(Bull. r. t. III. p. 154. Ed. Luxbg.)

XII. Honorarius.

Vd. *Canonic. supranumer.*; p. 357. n. 5.; *Canonia* p. 47.

1) Canonicus non est proprie.

Non potest esse Canonicus sine praebenda secundum doctrinam *Fagnani in cap. Cum Ferrariensi num. 17. de constit.* Proprie non sunt Canonici honorarii Canonici et habent nomem re vacuum, ut tradit *Abb. in cap. 1. de praeben., Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 1. tit. 14. num. 7.*

2) Institutio.

a) Ab apostol. Sede.

Vd. infra §. *Recipi.*

b) Causae.

Vd. *c.* et *d.*

Ad Canonicos honorarios quod attinet quos nominandi facultatem petit orator, animadvertant EE. VV. quod licet caute admodum ad eorum institutionem procedendum sit, uti monet *Fagnanus in cap. Dilectus num. 10. de praeb.*, tamen novum non est, ut aliquando instituantur Canonici honorarii, ubi id postulat ecclesiae necessitas, *Monet. de distribut. quotid. p. 2. quaest. 1. n. 10, Fermosin. ad cap. 9. de constit. quaest. 1. n. 40, s. C. in Terracinen. seu Setina 19. Jan. 1788.*

c) Consensus capituli.

Vd. *d*; p. 170. VI.

Terracin. seu Setina.

Honorarium titulum inter Canonicos collegiatae ecclesiae s. Mariae Sulmonis quem dicunt Sermoneta flagitat clericus Joseph Quadrassi cum facultate interessendi choro, processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus in canonicali habitu. Novissimo post coadjutores etiam Canonicos contentus est loco nullamque reddituum ac distributionum partem cupit. Cunctis suffragiis capitulum annuit duplicique ratione favet Episcopus tum quia Josephi Quadrassi familia erga collegiatam ecclesiam s. Mariae Sermonetae munifica fuit tum quia juvenis ille in seminario Tusculano jamdiu degens morum, ingenii et studii optimum testimonium habet. Et licet nullum in ea ecclesia sit Canonici honorarii exemplum, oratoris tamen precibus annuendum censet cum suprascriptis conditionibus (iis nempe ab ipso oratore propositis) et absque ulla expectativa ad praebendam primo vacaturam hac potissimum ratione cum eae commodum et servitium ecclesiae respiciant, pietatem foveant nullumque capitulo aut Canonicis aut ecclesiae detrimentum pariant.

Novum profecto non est Canonici honorarii nomen illudque *Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 1. tit. 14. num. 7.* appellat nomen sine re et nomenclaturam vacuam et inanem. Inductum autem fuit remotioribus ecclesiae saeculis ut receptus (in Canonicum honorarium seu supranumerarium) instituatur in minoribus officiis ecclesiasticis et inserviat prioribus et antiquis Canonicis et ecclesiae ut per haec verba notat *Fagnan. in lib. 3. decretal. cap. Dilectus lib. 1. num. 9. de praeben.* A canonico igitur jure aliena non est oratoris petitio eique boni illius mores, eximia ejus familiae in collegiatam ecclesiam munificentia, majus ipsius ecclesiae servitium, capituli consensus, Episcopi favor aequitatis speciem praebent. Ponderandum tamen, num addere expediat honorarium Canonicum capitulo, quod ex sufficienti constat Canonicorum numero ac novum inducere exemplum in ecclesia, quae supranumerariis non indiget. In extraordinariis enim Canonicorum admissionibus spectari potissimum debet ecclesiae necessitas et consuetudo, *Monet. de distribut. quotid. part. 2. quaest. 1. num. 10, Fermosin. ad cap. 9. de constit. quaest. 1. num. 40.*, idque cavendum, ne plures unius exemplo inducantur honorarii, quod tenderet in dedecus ecclesiae, ut monet *Fagnan.* in cit. *cap. Dilectus num. 10. de praeben.*

Ad ea insuper Emmi Patres advertant, quae per admissionem oratoris in Canonicum honorarium sequerentur. Non potest esse Canonicus sine praebenda, id est sine spe et expectatione futurae praebendae juxta doctrinam *Fagnani in cap. Cum. Ferrariensi num. 17. lib. 1. de constit.* Adeo enim conjuncta sunt canonia*) et praebenda, ut cui confertur canonicatus debeat assignari et praebenda, si quae vacat; et si non vacat, debeat expectari vacatio, *Fagnan. ibid. sub cit. num. 17* et *num. 26.* Quae quidem expectativa, utpote juris, sublata non est a sac. Conc. Tridentino *sess. 24. cap. 19. de reformat.* Ponderari ergo debet, an conferri liceat oratori canonicatum honorarium absque expectatione praebendae, quae ei debetur ex dispositione juris et vi receptionis et connexionis, quam habet praebenda ad canoniam, *Fagnan. in cit. cap. Dilectus. lib. 1. sub num. 14. lib. 3. de praeben.*, et num immune omnino esset capitulum ab illius vexatione, quatenus legitima expectatione privaretur.

Recipi quidem valent Canonici honorarii pontificia auctoritate sine praebenda, *Fermosin. tit. de Canon. quaest. 1. num. 15. et seq. tom. 1.*, eorumque jura dimetiuntur ad limites conditionum sub quibus creati sunt,

*) Vd. p. 47.

Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 1. tit. 14. num. 8, sed hoc etiam posito, deficeret adhuc inter oratorem et capitulum correspectivitas quoad interessentiam choro. Si eum volentem admittere teneretur capitulum nolentem cogere non posset. Per simplicem enim stalli concessionem non tenetur Canonicus honorarius residere et choro interesse, neque ad id compelli potest, quum in praemium residentiae non habeat fructus seu distributiones, *Ceccoper. loc. cit. num. 9 et seq.* Id autem pati non videretur primaeva Canonicorum honorariorum institutio, ex qua inservire debent prioribus et antiquis Canonicis et ecclesiae, neque honor ipse, quem orator a canonicali dignitate consequeretur.

Quamvis praeterea legitima esset conditio, quod nec passivam orator nec activam habere deberet vocem in negotiis, quae antiquorum Canonicorum tangunt interesse, ut censuit s. Congregatio in *Alatrina 8. Februarii 1727.*, in *Tolentina Archipresbyteratus 1. Februarii 1766**) et in *Sabinen. Participationis 28. Aprilis 1770.*, deliberandum tamen erit ab EE. Vestris, an hoc ipsum procedat in negotiis indifferentibus officiisque honorariis quorum capaces censet Canonicos honorarios, *Monet. de distribut. quotid. part. 2. quaest. 1. num. 5 et 6.*

His itaque perpensis decernere dignentur Emmi Patres:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro admissione clerici Josephi Quadrassi in Canonicum honorarium ecclesiae collegiatae s. Mariae Sermonetae in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 19. Jan. et 16. Febr. 1788.

d) Ab Episcopo.

Vd. *Canon. honor.* (participatio etc.)

Fulginaten.

Rogatu capituli Collegiatae ss. Salvatoris civitatis Fulginei Episcopus Giuanni ex decreto diei 18. Martii anni 1785 in eadem Collegiata erexit authoritate ordinaria quatuor canonicatus honorarios cum omnibus et singulis honoribus et oneribus solitis et consuetis et quibus uti, frui et potiri consueverunt alii consimiles Canonici supranumerarii et cum facultatibus necessariis et opportunis et signanter deferendi in choro et aliis functionibus ecclesiasticis rocchettum et mozzetam cum caputio violacei coloris sub obligatione tamen ecclesiae praefatae et choro inserviendi in stallo assignando saltem in solemnioribus et in hebdomada magna et tandem incedendi in solitis processionibus una cum aliis Canonicis de numero praefatae Collegiatae. Ab eo tempore inolevit capitulum eligere Canonicos honorarios, qui certis diebus praecipue solemnioribus cum reliquis Canonicis choro intersunt. Rite necne facta sit haec Canonicorum honorariorum erectio hoc est, de quo vos EE. PP. modernus Episcopus consulit. *Licet enim* (inquit in sua informatione) Collegiatae ss. Salvatoris constitutiones nihil disponant nec verbum quidem faciant quoad Canonicos honorarios, nihilominus si erectio de qua agitur legitime facta agnoscatur, nihil ea de re in contrarium dico, sin illigitime, quominus EE. VV. authoritate validetur una cum successivis Canonicorum electionibus, nequaquam obsisto. Hoc unum velim ut nempe ejusdem supremo decreto sanciretur, fas nunquam futurum ecclesiae istius Collegiatae Canonicis quemquam in Canonicum honorarium in posterum assumere, nisi prius eligendi personam Episcopus probaverit. Hoc quod nimis conveniret et episcopalis dignitas et dioecesis regimen expostulare certum est detractatum hucusque fuit, cum identidem novissimis etiam temporibus in Collegiata ista novos ad canonicatus honorem adlectos non aliter nec prius noverim, quam dum Pontificalium et supplicationum occasione cum aliis rochetto et mozzetta decorati convenirent. Detrimentum non leve hinc emanare nemo est, qui non videat. Hoc unum tantum notare juvat. Clericos prima tonsura tantum initiatos et in minoribus ordinibus constitutos ad hujusmodi canonicatus plerumque assumi et plerumque praepediri Episcopum, quominus illos valeat destinare Cathedralis et paraeciarum servitio, quo nimis satis indiget.

Secernendum est duplex Canonicorum *supranumerariorum* genus. *Supranumerarii* alii sunt instituti sine praebenda, sed cum expectativa, alii, quos etiam *honorarios* appellant qui ad simplicem honorem sine praebenda et sine expectativa. Haec distinctio, tradunt *Card. de Luca disc. 37.* et *Ceccoper. ad Scarfanton. lucubrat. canon. lib. 1. tit. 14. num. 1.*, conducere videtur ad dirimendam quaestionem, quae in I. dubio continetur, utrum scilicet liceat Episcopo consentiente capitulo Canonicos honorarios facere. Canonicos quidem supranumerarios facere non potest Episcopus, quia cum habeant adnexam *expectativam*, haec ab Episcopo concedi non potest ita jubente decreto Tridentini in *sess. 24. cap. 19. de reform.* Quare translatitium est apud canonistas, quod horum Canonicorum supranumerariorum genus creari nequeat, nisi a ss. Pontifice, cui a Tridentino adempta non est potestas has expectativas concedendi ad tradita per *Gonzalez in reg. 8. §. 1. Proemial. num. 64, Fagnan. in cap. Dilecto num. 25 de praeben., Garzia de benef. part. 6. cap. 1. num. 5, Rigant. in reg. 52. cancell. n. 27.**)

At de Canonicis honorariis, quibus non inest expectativa praebendae, ut propterea ab Episcopo creari posse videantur, alias disputant doctores. Negant enim ullum esse posse Canonicum sine praebenda aut sine spe futurae praebendae, cum canonia et praebenda adeo conjuncta sint, ut *cui confertur canonicatus debeat assignari praebenda, si quae vacat et si non vacat, debet expectari vacatio* ex doctrina *Fagnani in cap. Cum M. Ferrariensis num. 17. lib. decret. tit. de constit.* Addunt et illud quod in capitulis in quibus certus Canonicorum numerus authoritate apostolica designatus est augeri non possit ab Episcopo et capitulo ut docet *Barbos. de Canon. et Dignitat. cap. 3. num. 2.* Maxime vero cum Canonici hujusmodi honorarii nil prodessent ecclesiae, cum per simplicem assignationem stalli non teneantur residere neque ad interessendum compelli possunt, qui non habent distributiones et praebendas, ut observat *Ceccoper. loc. citat. n. 9.*

Nihilominus teste Fagnano *in cap. Dilectus num. 9. de praeben.* inolevit, ut recipiantur Canonici hujusmodi honorarii, qui in *minoribus officiis ecclesiasticis inserviant prioribus et antiquis Canonicis ecclesiae* quique revera non augent numerum praebendarum et semper aliquid servitio ecclesiae prosunt. Hos autem admitti posse ab Episcopo et capitulo tradunt *et text. in cap. Cum M. Ferrariensis constit. Milaz. Assert. 1. num. 3, Ceccoper. loco cit. num. 7 et seq., Rigant. ad reg. 52. cancell. num. 30* et in *Fulginaten 26. Februarii 1639* proposito dubio:

An Episcopus authoritate ordinaria possit in sua ecclesia creare Canonicos supernumerarios absque Capituli consensu et Canonicorum?

Sac. Congregatio respondit: *Non posse.*

Ex qua resolutione concludunt, quod accedente consensu capituli possit Episcopus authoritate ordinaria Canonicos hujusmodi creare.

Quatenus porro vobis EE. PP. videatur non posse Episcopum Canonicos honorarios creare, tum in II. dubio statuendum erit, num sit impetranda sanatio decreti Episcopi Fulginatensis Ginanni qui anno 1785 quatuor Canonicos honorarios in Collegiata ss. Salvatoris creavit. Cum de potestate Pontificis dubitare esset nefas, tum ejus arbitrium in his extraordinariis admissionibus normam sequitur necessitatis et utilitatis ecclesiae observat *Monet. de distribut. quotid. part. 2. quaest. 1. num. 16, Fermosin. ad cap. 9. de constit. quaest. 1. num. 40.* Quae utilitas et necessitas cum deficeret s. Congregatio negavit consulendum esse SSmo pro admissione Canonici honorarii *in Terracinen. seu Setina 16. Februarii 1788.**) Modernus Episcopus non repugnat, quominus validetur decretum Episcopi Ginanni et maneant Canonici honorarii id quod demonstrat utiles eosdem haberi pro servitio Collegiatae. Unum postulat, ut capitulum eligere nequeat nisi eos, quos ipse approbaverit.

Proponuntur dubia:

I. *An sit exequendum decretum Episcopi Ginanni dici 18. Martii 1785 in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative salvo jure Episcopi pro adprobatione eligendorum.

Ad II: Provisum in primo.

Die 6. Aug. et 17. Decbr. 1808.

Aetate nostra, cum a gubernüis civilibus bona ecclesiastica sacrilege compilentur atque proinde s. ecclesiae institutiones aut cohibeantur aut eliminentur, Sacrorum Antistites, ut ea meliori qua possint ratione divino cultui consulant, Canonicos honorarios in suis ecclesiis facile constituunt.

Dum solemnem dioecesis suae visitationem expleret Episcopus N., ut res sacra decentius in sua cathedrali ecclesia celebraretur, quatuor instituit Canonicos honorarios petiitque a capitulo ut in fratres reciperentur.

Praesulis votum lubenti animo excepit capitulum, quibusdam tamen conditionibus

---

*) Vd. *t. I. p. 1082.*

*) Vd. *t. II. p. 833.*

*) Vd *p. 463.*

adjectis, quae sunt hujusmodi: Capitulum in fratres recipit eos Canonicos honorarios, dummodo tamen jure suffragii sive activi sive passivi in capitulo non gaudeant neque locum in eodem habeant et nullo sub obtentu capitulo interveniant quando cogetur ad negotia pertractanda quae ad ipsum pertineant; neque in choro praecedentiam ullam habeant ante Canonicos sive primae sive secundae erectionis, sed quatuor tantum ultima subsellia in choro possideant, quin unquam ascendere possint; et denique in pontificalibus functionibus semper praeferantur Canonici primae et secundae erectionis.

At cum paullo post habita fuerint capitularia comitia ad novos Canonicos aggregandos coram ipso Antistite, idem Antistes protestatus est: »se haud acceptare eas conditiones capitulares: se velle Canonicis honorariis concedere eos omnes honores, praecedentias et jura, nulla facta reservatione, quae Canonicis supranumerariis in fratres receptis competunt: se tamen nolle in praesentia declarare quaenam essent ejusmodi jura, quae valida experienda fuissent: et in hoc se interponere suam auctoritatem tamquam apostolicum Delegatum cum in actu sacrae visitationis adhuc reperiretur.« Post haec eis possessio solemniter tributa est, sicuti caeteris concedebatur Canonicis atque omnes acquieverunt.

Die 1. Januarii anno 1833 adscriptus est Capitularium albo tamquam substitutus seu coadjutor Canonici titularis N. Presbyter G. et Praepositus capituli contendit, ut ille stallum in choro haberet ante Canonicos honorarios: ac praeterea comitia capitularia convocavit pro distribuendis capitularibus muneribus, quin vocaret Canonicos supranumerarios. Hinc dissidiorum origo. Nam, cum hi jura sua laesa esse existimaverint, querelas hac de re admoverunt apud Episcopum sua deducentes rationum momenta: cumque et sua deduxerit capitulum Episcopus die 28. Martii 1833 decretum fecit quod ita se habet:

Quatuor Canonici supranumerarii et honorarii quos eligimus . . . cum proprio gradu cohonestati fuerint ob decorem praesertim Pontificalium, quae per annum celebrabuntur, cum nobis constet in potestate nostra esse id facere juxta sacros canones et s. Sedis decreta hac de re saepe emissa, volumus, ut in adsistentia ad altare et cathedram episcopalem et ipsi illum habeant locum ad quos pertinere possit tamquam capituli membra. Item declaramus, eos praecedere debere cuivis coadjutori vel alteri qui Canonici vices suppleat: atque ideo nulla reddimus quaecumque capitularia decreta de hac re facta quae huic nostro decreto opponuntur: atque statuimus, ut dicti Canonici supranumerarii et honorarii jure suffragii gaudeant in capitulo quemadmodum alter quivis Canonicus titularis, exceptis dumtaxat rebus pecuniariis ejusdem capituli.

Huic decreto parere visi sunt Capitulares, nam Canonici supranumerarii promiscue post illud pontificalibus Sacris inservierunt et Canonicum G. substitutum seu coadjutorem subsellio praecesserunt: sed tamen nunquam in capitulum convocati sunt et hujus rei causam Canonici titulares adducebant, quod *motivum non adesset cur convocarentur*. At vero die 21. Augusti ejusdem anni, cum inter Canonicos titulares cooptatus fuerit quidam Canonicus M. antea supranumerarius, capitulum habitum est, convocatis pariter Canonicis tantum praebendatis: quod aegro animo ferentibus Canonicis supranumerariis vetus controversia reviviscere visa est, quae denique coram S. C. C. proposita fuit.

Servatis de more servandis Episcopus retulit: »Canonicos antiquiores nullo peculiari privilegio gaudere neque eorumdem numerum fixum determinatumque esse: Canonicos honorarios (qui hoc nomine compellati sunt in primo erectionis decreto, sed tamen sunt vero sensu supranumerarii, cum ita dicantur in patentibus literis et ita recepti fuerunt in fratres a capitulo) praebendam non habere sed tamen omnibus gaudere privilegiis et honoribus, quae antiquioribus Canonicis competunt, quae privilegia per decretum jam impertivi.«

Canonici supranumerarii contendebant, Episcopum posse addere capitulo supranumerarios cum capituli ejusdem consensu, ut exploratum habetur penes s. C. C. ex quadam causa *Fulginaten. die 26. Februarii 1639**) necnon ex *Eystecten. 1. Dezember 1731*: et eosdem Canonicos ab Episcopo institutos habere stallum in choro et vocem in capitulo aliosque Canonicos post eorum institutionem provisos praecedere atque honoribus et praeeminentiis frui debere, quibus Canonici antiquiores potiuntur, explicite legi in *Senogallien 25. Februarii 1657*. Ex quibus inferebant, se frui debere omnibus et singulis privilegiis, ut caeteri titulares Canonici.

*) Vd. *p. 465. §. Nihilominus.*

Animadvertebant praeterea, se realem canoniam adeptos esse, cum fuerint *capitulariter recepti in fratres*: canoniam*) enim provenire *ex electione et receptione alicujus in fratrem seu in Canonicum*, Innocentius in *cap. Cum M. Ferrariensis, de constit.* Porro canoniam esse jus spirituale, per quod aliquis habet subsellium in choro et locum sive vocem in capitulo, quae sunt propriae et particulares praerogativae canoniae.

Neque obstare, Canonicos supranumerarios praebenda carere: nam canoniam augere quidem numerum Canonicorum, non praebendarum, cum sola salarii perceptio decurionem non faciat. *Glossa in cap. Cum M. Ferrariensi 9, de constit., cap. Relatum 9* et *cap. Dilectus filius 34, de praebendis.*

Ad conditiones demum a capitulo appositas dum in fratres recepit Canonicos supranumerarios, praeterquam quod capitulum visum est renunciasse illis conditionibus, cum aliquatenus facto suo acquieverit Episcopi decreto, insuper animadverterunt, potuisse quidem capitulum eas expromere conditiones, sed ad Episcopum pertinuisse de earum justitia decernere: Episcopum autem in themate eas rejiciendas merito omnino esse existimasse. Et sane in quadam *Alatrina Canonicatus diei 8. Februarii 1727*, cum in novo recipiendo Canonico, quem instituendum mandaverat suo testamento pia quaedam mulier, inter alias conditiones duas etiam apposuisset capitulum illud, quibus constituebatur: *quod novus Canonicus semper stare debeat in ultimo stallo* necnon *ut perpetuo careat voce activa et passiva in capitulis*, proposito coram s. C. C. dubio:

An et quomodo in Cathedrali Alatrina sit erigendus canonicatus ordinatus ab Innocentia de Comitibus in casu?

responsum prodiit: *Affirmative juxta conditiones praescribendas ab Emmo Praefecto*, scilicet, ut postea Emmus Praefectus declaravit: *Canonicatum erigendum esse cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis et oneribus ad instar aliorum Canonicorum, cum hoc tamen, quod novus Canonicus in negotiis tangentibus interesse* (idest commodum, jura, utilitatem) *tantum Canonicorum antiquorum non habeat vocem activam nec passivam in capitulo etc.*

Contra vero capitulum duplici ex capite sua jura propugnabat tum ex pacto, quo inter fratres recepti fuerant Canonici supranumerarii, tum ex ipsa canonicatus indole et natura.

*) Vd. *p. 47.*

Ad primum caput quod attinet, nullam admittere dubitationem verba, quibus Episcopo capitulum consensum dederat. Capituli autem consensum in Canonicorum hujusmodi creatione omnino requiri, id affirmantibus et ipsis adversariis juxta *Fulginaten. 26. Februarii 1639*: cum itaque ejusmodi consensus datus quidem fuerit, sed sub conditione, concludebat, conditiones appositas esse servandas.

Quin immo adjiciebat, liberum omnino esse capitulo in ipsa novi Canonici receptione leges et conditiones imponere, quemadmodum tradunt *Abbas in cap. Cum M. Ferrariensis n. 29, de constit., Fagnanus in cap. Dilectus 1 de praebendis n. 21, de Luca de Canonicis disc. 6. n. 3* et *disc. 37. n. 2*, aliique et s. C. C. in *Civit. Castellanae die 16. Julii 1836* servandam dixit conditionem a capitulo appositam in acceptatione novi Canonici etsi praebendati.

Ad naturam vero Canonici honorarii quod attinet, animadvertebat, canonicatum honorarium seu supranumerarium appellari a *Ceccoperio lucubrat. canon. l. 1. tit. 14. n. 7.* nomen sine re et nomenclaturam vacuam ac inanem praeferens: ejusmodi autem Canonicos supranumerarios inductos dici, ut instituerentur in minoribus officiis ecclesiae ac inservirent antiquioribus Canonicis, *Fagnanus in cap. Dilectus 1 de praebend. n. 9.* Eosdem autem illa tantum jura et honores obtinere posse, quae in illorum canonicatuum erectione concessa condonataque fuerint docere tum *Abb. loc. cit. tum Fagnan. loc. cit. n. 21, 24* tum *de Luca disc. cit. 37. n. 2.*

Demum animadvertebat, honorarios Canonicos in praesenti themate, cum nulla potirentur praebenda, nullimode posse capitularibus interesse comitiis, utpote qui canonia destituerentur, quae ita cohaeret cum praebenda, ut una sine altera stare nequeat, *Fagnanus in cit. cap. n. 17.* Nec ad rem facere allegatam ex adverso *Alatrinam*, ex eo praesertim, quod in ea ageretur de Canonico praebendato, non vero honorario ut in praesentia.

Quaerebant praeterea Canonici, quid esset censendum de possessione data Canonico M. in casu, quo sustineretur Episcopi decretum,

quid de fructibus ab eodem Canonico bona fide inde perceptis: haec tamen ad nostram quaestionem non pertinent.

Dubia:

I. An et quomodo decretum Episcopi N. diei 26. Martii 1833 servandum sit in casu?

II. An sustineatur capitulum coactum et possessione data novo Canonico M. die 21. Augusti 1833. in casu?

III. An et quomodo sit providendum in casu?

S. Congregatio Concilii die 17. Decembris 1836 causa discussa respondere censuit

Ad I: *Negative in omnibus.*

Ad II: *Affirmative.*

Ad III: *Provisum in secundo.*

Ex quibus colliges:

I. Canonicos honorarios constitui posse ab Episcopo cum consensu capituli.

II. Canonicis honorariis, praeter jus interveniendi choro caeterisque sacris functionibus, praeter honoris insignia quae Canonicis titularibus, sine alicujus juris laesione, sint communia, non posse tribui alia canoniae jura, quae in receptione non fuerint eisdem a capitulo concessa, etiamsi ab Episcopo concedi velint et obstinente capitulo concedantur.

III. Quoddam intercedere reale discrimen inter Canonicos supranumerarios dictos et honorarios.*)

*) De Canonicis honorariis apud veteres canonistas eo sensu acceptis, ut nostra aetate intelligimus, qui fruuntur quodam honoris jure sine veris obligationibus, vix quidem reperitur aliqua mentio. Et si qui canonistae de his aliquam faciant mentionem eos quodammodo irridere videntur, cum canonicatum honorificum appellent *nomen vacuum*, *dignitatem ventosam* et alia id genus. Nemo autem eos auctores reprehendet, qui ita loquuntur: nam eo tempore scripserunt, quo ecclesia non cogebatur ad ejusmodi vagas mutabilesque institutiones; quique conceptum institutionum ecclesiae habebant ad normam juris, gravitatem videlicet firmitatemque praeseferentem: ad normam enim juris honor seu dignitas intime connexa intelligitur cum officio perpetuo in ecclesia rite constituto et officium intelligitur cum re ecclesiastica conjunctum ex quo graves obligationes derivant. Sed aetate qua vivimus cogitur ecclesia per aliam viam aliquo modo obtinere, quod per consuetam non possit ita ut quod antea erat extraordinarium, evadat quodammodo ordinarium.

Pertractant tamen veteres auctores de Canonicis honorariis etsi quamdam habent relationem, multum quidem differunt. Etenim Canonici, qui supra praestitutum ecclesiarum singularum numerum interdum recipiebantur, duplicis generis in jure esse videntur:

IV. In praesenti themate discrimen hoc potius nominis fuisse quam rei.

Cum Dignitates ac Canonici in Metropolitana ecclesia N. impares sint numero, quo sacrarum functionum solemnitas saepe indiget, providere oportet de Canonicis ad honorem, qui cum titularibus concurrant. Quapropter sacrae Concilii Congregationi sequentia dubia pro resolutione submittere decrevi:

I. An Archiepiscopus privative a seipso Canonicos ad honorem nominare etiamque hunc honorem quibusdam officiis veluti doctoribus seminarii, parochis civitatum etc. assignare valeat vel potius hoc agere consensu vel consilio capituli?

II. An Canonici ad honorem sedere valeant in choro ante vel post portionarios et semiportionarios titulares qui licet ministrare debeant ut diaconi ac subdiaconi sunt tamen de corpore capituli?

III. An paramenta sacra in functionibus pontificalibus accipere debeant Canonici ad honorem, planeta vel potius dalmatica seu tunicella parari teneantur?

Die 6. Julii 1867 s. Congregatio juxta resolutiones alias in similibus editas propositis quaestionibus taliter respondendum censet nimirum

alii ita recipiebantur in fratres, ut ad jura et officia simul canonicalia quod attinet aequales essent caeteris Canonicis atque nihil aliud eis deesset, nisi possessio praebendae: quam quidem si non actu, verissima tamen spe possidebant, cum canonia cum praebenda intime quodammodo consociata intelligeretur Unde haec vigebant principia: *Non est congruum, ut praebenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus*, ut respondit Alexander III. *in cap. Relatum de praebendis.* Item: *Videtur indignum, ut receptus in Canonicum praebendae beneficio defraudetur*, ut respondit Innocentius III. *in cap. Dilectus eod. tit.*

Alterius generis erant Canonici supranumerarii, qui non admittebantur ad omnia canoniae jura, sed quoddam veluti tyrocinium exercere videbantur inter Canonicos, donec vacante aliqua canonicali praebenda eam consequerentur ex eadem aequitate juris.

Dixi ex aequitate juris, namque in utroque casu verum jus ad consequendam praebendam primo vacaturam non habebant et illud aequitatis jus consequebantur potius cum praebenda aliqua vacaverit quae conferri eisdem posset. Obstabat enim constitutio Concilii Lateranensis, quae legitur in *cap.*: *Nulla de concessione praebendae: Nulla ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia vel ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur antequam vacent. Ne desiderare quis mortem proximi videatur in cujus locum et beneficium se crediderit successurum.*

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Affirmative post omnes portionarios et semiportionarios, quatenus et ii inter Canonicos recenseantur et eodem gradu ac caeteri Canonici in choro sedeant.

Ad III: Si Capitulares sint distincti per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, Canonicos honorarios induere debere tunicellam, secus eamdem vestem communem Canonicis titularibus cujuscumque ordinis sint.

Ex quibus colligi potest:

I. Canonicos honorarios, qui praesenti aetate ad augendum divinum cultum et Episcopi senatum decorandum in multis capitulis instituuntur creari per Episcopum cum consensu capituli vel etiam viceversa per capitulum cum consensu Episcopi.*)

*) De Canonicis honorariis qui nostra aetate in multis diversarum regionum capitulis praesertim in Gallia creantur non desunt in jure canonico quaedam vestigia; hac in re consuli potest *Fagnanus in cap. 25. Dilecto filio de praeb.*; in eo Fagnanus mentionem facit de supranumerariis Canonicis haec tradens *n. 23. et seqq.*: »Nulli dubium est, quin Canonici cum Episcopi consensu et Episcopus cum consensu capituli possit numerum Canonicorum augere . . . . praesertim vero, quia hujusmodi augmentum cedit in utilitatem ecclesiae cujus interest plures habere consiliarios et defensores ac ministros . . .; suffragatur praedictis decisio alias edita a s. Congregatione Concilii, videlicet posse ab Episcopo Canonicos supranumerarios creari, ea tamen conditione ut nullum jus ad praebendam vacaturam habeant vel vindicent sibi ex tali erectione.« Idemque auctor de Canonicis honorariis mentionem faciens in *c. 19. Dilectus eod. tit. n. 9.* cum Abbate dicit non multos debere sic recipi, ne hoc tendat in dedecus ecclesiae.

Nihilominus Canonici honorarii, qui nostra aetate florent, differunt ab iis Canonicis supranumerariis de quibus mentio fit in jure. Identidem enim honorarii Canonici nostrae aetatis non sunt aliud nisi dignitates ventosae, prout eos appellat *Fagnanus l. cit. n. 10*; identidem sunt tales Canonici, quibus non aliud deest nisi canonicalis praebenda, ideo quia pro locorum ratione canonicales praebendae vel desunt vel paucae sunt, proindeque ad augendum Episcopi senatum necesse est ut alii sine praebenda advocentur: vel etiam quia juxta anomalum jus nostra aetate pluribus in locis invectum paucae sunt pensiones quas gubernium civile, bonis ecclesiae subtractis, Canonicis assignavit.

Invalescens Canonicorum honorariorum institutio repetenda est ab indigentia, qua praesenti aetate premitur ecclesia ex compilatione bonorum a gubernis facta: qua indigentia posita ecclesia alia ratione sibi succurrere cogitur, ut juxta veteres ecclesiae mores Episcopus suum habet honorabilem senatum.

Sed quando nova institutio oritur, novae leges sunt determinandae, quibus eadem institutio dirigatur. Ejusmodi leges adhuc haberi non videntur; namque Canonicorum munus non finitur sola celebratione divinorum officiorum, sed duplici alio nobilissimo munere Canonici funguntur, quorum unum est in pluribus negotiis dioecesis administratio sub Episcopo et cum Episcopo, cujus consiliarii†) etiam appellantur; alterum autem est jurisdictio, quae in capitulum devolvitur sede episcopali, jure aut facto, vacante. Quaeri itaque potest in ejusmodi muneribus quamnam partem habeant aut habere possint Canonici honorarii in ejusmodi adjunctis cum deficiant Canonici titulares. De qua re dicere, cum jura sileant, ad nos non pertinet.

Ex hac autem nova invalescente institutione, quisque percipit, quam facilis sit in rebus humanis regressus ad exordia rerum; cum enim ob praesentem societatis humanae conditionem idest propter eos, qui societatem christianam regunt, ecclesia pedetentim in statum deveniat in quo reperiebatur prioribus saeculis, sub variis nominibus varioque adspectu disciplina paullatim exurgit similis illi, quae in ecclesiae incunabulis in vigore erat ut scilicet Episcopus cum clero in sua cathedrali ecclesia speciatim adscripto suis muneribus fungatur.

Neque esset mirum in praesentibus rerum adjunctis si paullatim iterum exurgeret antiqui Archidiaconi aut Archipresbyteri jurisdictio, quam ob graves rationes ecclesia pedetentim abolevit praesertim per institutionem Vicarii generalis ad nutum Episcopi amovibilis Illa vero jurisdictio sub alio nomine facile reviviscit, quando munus generalis Vicarii cum aliqua canonicali praebenda connectatur aut si praebenda desit, Vicarius tamen generalis praesit tanquam unus de clero in Cathedrali speciatim adscripto.

II. Eosdem Canonicos honorarios locum habere in choro post Canonicos titulares, quocumque hi appellentur nomine.

III. Eas induere vestes, quas ultimi titulares Canonici induunt, quatenus distinctam per ordines vestem habeant.

3) Jura et obligationes.

Vd. supra d; *Canon. honor.* (participatio etc.; institutionis causae p. 463; praesentia; num substitutus esse possit etc.); p. 465. §. *Aetate*; p. 468. §. *Cum*; p. 416. n. 43; infra n. 7.

S. Miniatis.

Canonici honorarii proprie non sunt Canonici et habent nomen sine re nec ad residentiae legem et ad choro interessendum compelli queunt, *Fagnan. cum Ferrariensi num. 17 de constit., s. Cong. in Terracinen. seu Setina 19. Januarii 1788. §. Novum et seq.*,*) in *Montis Politiani Servitii chori 4. Februarii 1804. §. Quamquam . . . .*

Canonicus honorarius haud sibi asserere valet sive vocem activam et passivam in capitulo, praesertim in negotiis, quae antiquorum Canonicorum tangunt jura, *s. Congreg. in Sabinen. Participationis 28. Aprilis 1770.*

*) Vd. *p. 463.*

†) Vd. *p. 382. n. 13.*

§. *Contra* et in *Terracinen seu Setina 19. Januarii 1788.* §. *Quamvis*, sive praecedentiam supra veros Canonicos, quamvis possessione juniores, multoque minus delibationem emolumentorum, quae capitulo obvenerunt cum ante tum post ejusdem praebendae erectionem, in *Tolentinaten 1. Februarii 1766* et in cit. *Sabinen. Participationis* §. *Advertunt.*
Die 24. Novbr. 1827.

Lucana.

Cum ex Archiepiscopi testimonio apertissime constet, ipsius Collegiatae Canonicos esse mere honorarios, quippe qui neque ullas obtinent praebendas neque quotidianas lucrantur distributiones neque Canonici honorarii, qui stallum dumtaxat habent, umquam ad residentiae legem compelli possunt, *s. Congr. in Terracinen. seu Setina 19. Januarii 1788,* §. *Recipi,**) in *Fulden. 21. Novembris 1767.* §. *Quod* et in *S. Miniatis 24. Novemb. 1827.*
Die 24. Apr. 1830.

4) Officiis suis quando satisfacit in qualitate beneficiali?

Vd. *t. II. p. 138.*

5) Participatio massae communis.

Sorana.

Extat in oppido Fortuna Soranae dioecesis collegiata ecclesia sub titulo s. Stephani, vetustissimae erectionis, quae juxta ejus statuta anni 1789. constabat Archipresbytero, qui collegii caput est et animarum curam exercet, quatuor Canonicis *massae communis* ut vocant et duobus Canonicis honorariis. Anno 1830 die 11. Decembris cum tres canonicatus vacarent Episcopus tunc temporis Soranus Andreas Lucibello decretum ut fertur tulit, cujus tamen autographum non extat, quo praeter alia ad divinum cultum pertinentia statuit, duos Canonicos honorarios ad chorale servitium obstrinxit atque adeo ad communis massae participationem admisit.

Quo vero compensaretur reddituum imminutio quam ex duorum accessione participantium persentiebant antiquae massae canonicatus, praeviis specialibus facultatibus a s. Sede sibi tributis missarum onera quae eidem canonicali massae inhaerebant ad num. 350 reduxit, ita ut singuli Canonici comprehenso Archipresbytero quinquaginta annuas missas in posterum celebrare tenerentur.

Erant per id tempus Canonici honorarii sacerdotes Aloisius Proja et Ferdinandus Gigliozzi, qui ambo ab eodem Episcopo praedicto anno 1830 ad participationem communis massae admissi fuerunt, tributa iisdem praecedentia super aliis Canonicis qui postea vacantium canonicatuum possessionem fuissent adepti.

Subsequenti anno sacerdotes Angelus Palledi et Gervasius Proja, Canonici renuntiati, certiores antea ex Episcopi mandato facti a collegii Archipresbytero de praefato decreto, cui sine querela sese submiserunt, possessionem nacti ac in confratres a Canonicis Proja Aloysio et Gigliozzi excepti fuere, qui ideo primas in choro sedes occuparunt, noviter receptis inferiori loco sedentibus. Paucis hinc post diebus coacto capitulo, officiorum distributio inter Canonicos, illis qui antea honorarii dein titulares declarati fuerant non exclusis, peracta fuit idque in posterum perpetuo servatum. In ceteris quoque dispositionibus decretum Episcopi executionem recepit, nempe quoad emolumentorum augmentum, missarum reductionem ac onerum expensarumque distributionem.

Atque ita pacifice se res habuere usque ad annum 1847, quo primum duo memorati Canonici Angelus Palledi et Gervasius Proja existentiam et validitatem praefati decreti judicialiter coram episcopali curia impugnantes Canonicos Proja et Gigliozzi a possessione dejici et ad fructuum eo usque perceptorum restitutionem damnari postularunt. Verum ob alteram incidentalem quaestionem eodem tempore promotam res haec in curia affecta mansit nec de ea amplius actum est. Nunc vero defuncto Aloysio Proja superstes Ferdinandus Gigliozzi qui capituli jam Decanus est hujusmodi factorum historia exposita suppliciter petit, ut quatenus de existentia ac validitate decreti dubitandum sit praevia sanctione quoad praeteritum collatio canonicatus in vim ejusdem decreti ejus favore usque ab anno 1830 peracta apostolicae Sedis auctoritate confirmetur.

Episcopus transmissa copia decreti anni 1830 et Capitularium deductionibus hoc unum se in votis habere dicit, ut scilicet actualis Canonicorum numerus pro majori divini cultus et chori servitio ac decore integer servetur, eo vel magis quia Archipresbyter

*) Vd. *p. 463.*

animarum cura distentus haud sedulam officiaturae chorali operam navare possit. Canonici autem ab eodem Episcopo hac super re capitulariter auditi in diversam abierunt sententiam; alii siquidem partibus oratoris faventes decretum sustineri propugnant, alii vero negant et res in pristinum revocandas censent. Quid utrinque edisserant, breviter exponam.

Canonici contradictores authenticitatem decreti ex eo impugnant, quod numquam ejus autographum inveniri datum fuerit; quod quidem cum decretum non antique, sed recens datum sit, cum praesertim tabularia tam episcopale quam capitulare nullam jacturam passa sint, non levem de ejusdem falsitate suspicionem ingerit. Auget suspicionem ejusdem Episcopi Lucibello factum, qui paucos post dies ab edito praetenso decreto alios sacerdotes praeter honorarios ad vacantes canonicatus nominavit cum omnibus juribus et emolumentis, quibus defuncti illorum possessores fruebantur.

Sed ubi existentia decreti comprobaretur nullius efficaciae illud habendum subsumunt quippe juxta verba quibus exaratum legitur non praeceptum eorum sententia contineret, sed propositum dumtaxat et consilium Episcopi nonnullas in Collegiata ipsa et chorali officiatura variationes inducendi: quin tamen appareat hujusmodi propositum ad effectum perductum fuisse aut debita sanctione, praeviis canonicis solemnitatibus, roboratum, uti opus erat. At vero, cum certus canonicatuum numerus ex lege fundationis in Cathedrali vel Collegiata designatus fuerit, hunc augeri non posse ab Episcopo contendunt, praesertim ubi id in aliorum praejudicium vergat, *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 3. num. 2.* Quamobrem concludunt ad omnia se jura reintegrandos esse, quibus ex horum accessione canonicatuum injuria expoliati sunt; hinc praecedentiam sibi deberi super Canonicis *honorariis* ac restitutionem reddituum ab iisdem injuste hucusque perceptorum decernendam esse, seclusa gratia, quae jus ipsis quaesitum laederet. Idque eo vel magis quod jactato emolumentorum augmento, quod compensationis titulo ut fertur in eodem decreto imperatum est, Canonicis quidem honorariis numquam vero ceteris qui potius jus haberent hucusque frui datum sit.

E contra orator Canonicus Gigliozzi incivile prorsus praeprimis censet existentiam decreti ab illis impugnari qui cum hisce legibus et conditionibus canonicatus possessionem nacti sunt quique de eodem decreto in ipso possessionis actu certiores facti non modo contra protestati non sunt, sed imo proprio facto illud comprobarunt. Hinc praecedentiam Canonicis honorariis ad participationem admissis sine querela tribuere eosque ad officia capitularia assummere, indulta Missarum reductione uti, expensas pro rata ac juxta praescriptas in decreto normas perferre pro lege hucusque habuerunt: quae quidem omnia dum malae fidei et contradictionis revincunt Canonicos oppositores evidentissimum constituunt argumentum existentiae praefati decreti.

Porro licet post tam constantem et uniformem observantiam absurdam sit in discrimen revocari decretum ad majorem tantum rei confirmationem profert orator literas Episcopi Lucibello sub die 19. Decembris 1830 ad se datas, quibus et de dispositionibus in praefato decreto contentis ac de sui admissione ad participationem verba facit. Profert etiam juratam depositionem defuncti Archipresbyteri Collegiatae. Hinc idem prosequitur, referens possessionem canonicatuum, a se ex Episcopi mandato iisdem Paleschi et Proja datam eam fuisse, qui inferiores sedes, praecedentia Canonicis honorariis ad participationem antea vocatis concessa, occuparunt; item declarat nullam unquam contra praefatum decretum auditam fuisse querelam.

Eoque minus in dubium revocari posse decreti validitatem praeterea contendit orator. Nam Episcopum cum consensu capituli legitima pollere facultate Canonicorum numerum augendi tam in cathedrali quam in collegiatis ecclesiis, habetur *ex cap. Cum accessisent num. 1. de constit.* ac docent *Fagnan. in cap.: Dilecto de praebend. num. 16, Corrad. in prax. benef. cap. 3. num. 61.* In themate autem qui duo lati decreti tempore aderant ad Collegiatam addicti, Archipresbyter nimirum et Canonicus Thomas Palescki, ab Episcopo auditi consensum praestiterunt. Atque in hoc abundantius quam par esset Episcopum egisse monet, quia nullum Archipresbyteri juribus detrimentum illatum exinde fuit, cui praebenda servata integra extitit; idemque cautum quoad canonicatum Paleschi, quatenus decreti sanctionibus sese reformare nollet; hinc futuros tantum Canonicos decretum ipsum afficere poterat, qui cum ejus-

dem leges et conditiones accepto habuerint conqueri jure nequeunt. Nec obstat in bullis pro iisdem expeditis recensita fuisse nomina antecessorum jusque datum ad omnia jura quibus isti potiti fuerant.

Nec insuper improvidum censeri posse aut injustum decretum Episcopi. Nam auctus Canonicorum numerus maxime confert ad ecclesiae utilitatem cujus valde interest plures habere Ministros, *ex cap. Extra 64. distinct., cap. Obeuntibus 63. dist. Innoc.* in *cap. fin. num. I. de cleric. non resid., Fagnan. loc. cit. num. 24.* Augumentum autem omnino necessarium fuisse in casu, quo ob exiguum Canonicorum numerum quotidianum chori servitium negligi compertum erat. Nec rite opponi reddituum tenuitatem, cum etiam inpraesens licet plura bona perierint sufficienti tamen praebenda, quae vim duc. 40 excedit, omnes Canonici donentur.

Denique in contraria hypothesi haud nihilominus a suo jure exturbari se posse inpraesens propugnat.

Decretum enim etsi irritum *coloratum* saltem constituere poterat titulum cujus vi canonicatum adeptus est; in cujus possessione cum non per triennium tantum, sed per decennium et ultra pacifice versatus ipse fuerit, exceptione regulae *36. cancellariae**) *de triennali* possessore procul dubio juvatur. Ceterum ubi opus sit, attenta ejus bona fide, sanationem quoad praeteritum implorat; nec pariter, si ecclesiae spectatur utilitas exaucto Canonicorum numero, ejusdem decreti confirmationem denegandam esse censet.

Arbitrium enim summi Pontificis hac in re normam sequitur necessitatis vel utilitatis ecclesiae. *Monet. de distrib. quotid. part. 2. quaest. 1. num. 16, Formosin. ad cap. 6. de constit. quaest. 1. num. 40.* Videndum igitur, quatenus de existentia aut validitate decreti non constet quoad eam partem quae ad praesentem refertur quaestionem, utrum contradictorum Canonicorum excipienda sit petitio reintegrationis ad amissa jura praecedentiae etc. et restitutionis fructuum (quo quidem in casu cetera omnia compensationis titulo in eodem decreto statuta revocanda forent), vel potius Canonici Gigliozzi oratoris annuendum sit precibus ceu (si quidem jus deficeret) aequitas postulare videretur. Hinc demum in eadem hypothesi definiendum esset an etiam pro futuro tempore decretum idem servari ac exequi expediat ac adeo confirmandum sit, ceu Episcopus pro Collegiatae bono disputavit.

Ceterum EE. PP. sua prudentia et doctrina viderint quid respondendum sit, dum proponuntur

Dubia:

I. *An constet de legitima admissione Canonicorum honorariorum ad participationem reddituum massae communis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sit locus reintegrationi quoad ceteros Canonicos et restitutioni fructuum in casu?*

Sed potius

III. *An sit consulendum SSmo pro sanatione et confirmatione decreti episcopalis dici 11. Decembris 1830 in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. et III: Provisum in primo.

Die 18. Julii 1857.

6) Praesentia in comitiis de punctaturis.

Vd. n. 7.

Aquipendien

Extat Caneni paroecialis aedis ss. Joannis et Andreae una cum collegio Canonicorum, qui septem olim recensebantur cum Archipresbytero, qui et parochum ibidem cum collegis gerebat. Ipsi vero procuratione animarum dimissa distinctam paroeciam constituendam curarunt, reservato sibi jure stolae et decimae cum Archipresbytero, cui se opem praestituros fore polliciti sunt ex titulo charitatis ad confessiones audiendas et aegrotantes adjuvandos. Aucto deinde ipsorum numero ex nonnullorum liberalitate, qui peculiaribus ipsos praebendis ditarunt, septem nunc Canonici primae erectionis ac de massa numerantur, communi censu instructi praeter certa quaedam bona, quae unicuique sunt propria, itemque septem alii supra numerum, qui sejunctis fruuntur praebendis. Antiquior ex istis tituli s. Blasii auctorem habuit anno 1632 Mensolam de Gregorio, quem quidem acceptarunt tunc temporis Canonici primae erectionis.

*) Vd. *t. II. p. 830.*

Nactus autem Episcopus in postrema sacra visitatione divina ibidem officia ministris dilabentibus squallere, quos nulla punctatione mulctari, imo absentes etiam mercedem accipere, quae tantum impensae operae laborique debetur, occurrendum tanto huic malo apprime censuit, nonnullis editis ex praestituta sacri hujus Ordinis disciplina decretis, quibus punctationes ab initio novi anni (1833) incipiendas mandavit pro omnibus, qui ad horarum canonicarum pensum in choro persolvendum obstringuntur sive Canonici sint massae capitularis sive supranumerarii . . . ; in fine idcirco cujuslibet anni ex punctationum libris eruendum esse, quas quisque distributiones lucratus sit quasve amiserit. Amissas vero dividendas inter omnes tam massae quam supranumerarios Canonicos, non tamen aequaliter, sed pro rata servitii quod praestiterint. Cum vero episcopalia haec decreta in ordinis coetu legenda essent cumque Archipresbyter censuerit, Canonicos supra numerum e comitiis arcendos esse, utpote qui jure carent suffragii ex fundationis lege, iterato in irritum cessere comitia; Episcopi idcirco exorata auctoritate denunciatum ab ipso est, omnes massae et supranumerarios Canonicos iisdem comitiis ut decretum supra punctationibus executioni demandetur interesse teneri.

Jurgia inde et contentiones invaluerunt, quas ut praecidat Episcopus sacri hujus Ordinis judicium implorat de Canonicis supra numerum in comitia excipiendis, ut recentia de punctaturis earumque divisione decreta singuli edoceantur.

Animadvertunt quidem Canonici supra numerum, eos omnes, qui canonicatum adepti sint et in subselliario inter Canonicos sedent, accenseri iisdem eorumque proinde jura ac privilegia assequutos censeri tamquam veros Canonicos et jure instructos canonico, quo Canonicis tribuitur aequale suffragii jus, *Fagnan. in cap. Cum de constit. n. 25, S. C. Concilii Senen. 27. Febr. 1768, Pisana Electionis 19. Sept. 1818.*

Ubi igitur primum an. 1682 visum est Canonicis de massa eos, qui supra numerum sunt, in coetum recipere, nullam asserunt jurium et privilegiorum admitti distinctionem in tutto ciò, che concerne il servizio ecclesiastico, ed un pubblico affare, seque unum idemque cum iisdem corpus coetumve constituere ita ut absurdum foret, si in una eademque ecclesia duo diversa Canonicorum collegia extarent.

Neque ex conditione metuunt, qua majores admissi in capitulo fuerunt prohibitique di non partecipare nella mensa capitolare: id enim non ex collegii constitutionibus, quibus collegium caret, sed ex quibusdam Canonicorum responsis invectum est, quae vel particularia tantum Canonicorum primae erectionis negotia respexerunt vel irrita ac nullius plane roboris momentique essent, uti nullo legitimo jure suffulta: eas quippe conditiones naturae canoniae adversas semper improbavit s. haec *Congregatio Concilii Eugubina 26. Martii 1763.* Hinc ex collegii tabulario monumenta extant, quibus Canonici supra numerum vocati in comitia leguntur per affari ecclesiastici, e per publici frangenti. Quin itaque naturae canoniae et disciplinae ecclesiasticae ac consuetudini legitime invectae vulnus manifesto infligatur, *Fagnan. in cap. Consuet. de consuetudine num. 9, S. C. C. Gallipollitana 15. Martii 1828*, denegari sibi non posse contendunt Canonici supra numerum jus ferendi suffragium in comitiis, in quibus de punctationibus ab Episcopo decretis et de juramento de munere punctatoris sancte atque integre praestando verba facienda sunt. Non enim de peculiaribus Canonicorum primae erectionis negotiis privilegiisque res est, de quibus ipsi dumtaxat disputent, (*Scarfant. de Ceccop. lib. 1. tit. 3. numer. 57.*) sed de statuto agitur, quod universos pertingit omniumque debet suffragatione probari (*Reg. 29. jur. in 6., Panimoll. dec. 98. adnot. 1. num. 16.*)

Patet enim, Canonicos et primae et secundae erectionis*) aeque mulctandos esse, si debitam divinis officiis operam assiduitatemque non praestiterint statasve horas non obierint vel contra disciplinam chori ecclesiaeque aliquid deliquerint parique ex causa distribuendam inter eos dispertiendamque absentium mercedem, si navent ipsi divino cultui officiisque divinis operam. Se porro iisdem ac ceteros Canonicos pristinos muneribus addici, eadem gestare honoris insignia, eadem in sede collocari, eosdem in coetus convenire, comitiis iisdem identidem adstare, unum demum idemque corpus collegiumque illa in ecclesia constituere, ad officium idcirco punctatoris se quoque adsciendos, S. C. Concilii *Conversana 4. Dec. 1706*, exponunt Canonici secundae erectionis.

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

At Canonici primae erectionis contendunt illos et a suffragatione in comitiis et a munere punctatorum et a jure percipiendi quotidianas distributiones ex punctatoris simul conjunctis collectas propellendos omnino esse. Cum enim ii dumtaxat, qui capituli corpus constituunt, interesse capitulis possint, *Abbas in cap. Scriptum num. 4. de elect.*, jus illud sibi dumtaxat competere ipsi inclamant.

Hinc recensent, quae sui peculiaris juris sunt: de ministris edisserunt, quos ipsi adsciscunt, tum de impensis, quas sustinent ad ecclesiae tuitionem cultumque et ad aedituorum stipendium: hebdomadalia officia commemorant, quibus in vices quisque suas funguntur. »Gravantur frequentiori choro, singulis diebus festivis ultimam debent circa meridiem celebrare missam sub punctatura obolorum 80« aliisque oneribus obstringuntur, quibus plane carent Canonici supra numerum, qui longe minori assiduitate ad chorale pensum accedunt.

Haec edisserunt Canonici primae erectionis ad aliorum postulationem proscindendam, probe gnari, canonicalem qualitatem satis non esse, ut quis suffragii jure potiatur, *Card. de Luca de Canon. discep. 14. n. 15.*, illos vero ex conditione in iis admittendis injecta eo jure nominatim privatos fuisse; frustra idcirco consuetudinem ipsos obtendere quae nec constans nec uniformis conspicitur, indulgentiae potius Canonicorum primae erectionis quam legitimo juri tribuendum, si aliquando collegii comitiis adstiterunt, nullum inde discrimen juribus ordinis irrogari ex majorum minus accurata agendi ratione (*Piton. discept. 50. n. 42.*) Neque absimili ex causa contendunt punctatorem esse debere alterum ex Canonicis massae, qui omnium simul notet punctaturas, neque illorum punctaturas commiscendas cum punctaturis supranumerariorum, cum priorum punctaturae graviores sint, praesertim per omissionem ultimae missae, tum quia non habentes primi distinctam a massa praebendam gaudent privilegio dividendi eas inter praesentes. Cum alteri vero minora habeant onera ideoque minores punctaturas, in illis commiscendis assidue exoriretur dissidia inter Canonicos capituli et supranumerarios . . . . et quia hi non habentes massam neque distinctam praebendam nequeunt inter se sed cum primis punctaturas dividere, ideo juxta dispositum s. Concilii Tridentini *sess. 22. cap. 3. de ref.* debent illorum punctaturae erogari favore fabricae ecclesiae seu ad alios pios usus. Id sane ex sacri hujus Ordinis praescripto est, ut quamvis Canonici recens constituti ad reliquos honores ac privilegia admittantur arceantur tamen a punctaturarum communione *(S. C. Concilii Sabin. 19. Nov. 1730)* nisi in quotidianarum distributionum cumulum summam conferant, quae tertiam praebendarum partem exaequet. *(S. C. Concilii Alatrina 8. Febr. 1727)*; concludunt denique, haud urgendum esse, ut jurati acceptent s. visitationis decretum, cum necesse non sit, ut collegii consensu probetur, quod canonum jura deposcunt: metuendum quippe est, ne iterato quaestiones ac controversiae in ecclesiastici ordinis dedecus ingeminentur.

Animadvertendum tamen est, posse ab Episcopo adigi Canonicos, ut sacramenti religione injecta spondeant, se punctatoris munus ea qua par est fide, diligentia, adsiduitate esse perfuncturos, *S. C. Concilii 17. Martii 1619* apud *Barbosam de Canonicis cap. 34. n. 30.*

Hisce utrinque perpensis definienda occurrunt

Dubia:

I. *An et quomodo Canonici supranumerarii collegiatae ecclesiae Caneni interesse debeant comitiis capitularibus, quibus decretum Episcopi proponitur de punctaturis in casu?*

II. *An et quomodo moderanda sit distributio et participatio punctaturarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative juxta decretum Episcopi.

Ad II: Affirmative juxta modum, nempe deputato distincto punctatore pro quolibet coetu, quoad Canonicos primae erectionis servetur taxa facta ab Episcopo, quoad supranumerarios servetur decretum Conc. Trid. cap. 3. sess. 22. de ref.

Die 7. Junii et 23. Aug. 1834.

7) Quis et qualis?

Vd. t. III. p. 47: *Canonia; Canon. hon.* (institutio ab Episcopo p. 464; jura etc. p. 469.)

In oppido dioecesis N. unica erat antiquitus paroecialis ecclesia, quae deinde excrescenti populo impar evasit. Romanus princeps ejusdem oppidi Baro munificentissimus

saeculo elapso novum e fundamentis templum aedificavit, rebus necessariis eleganter ornavit ac sacris supellectilibus apprime munivit atque in illud opus quinquaginta circiter scutatorum millia impendisse dicitur.

Ut praeclari templi decorem etiam atque etiam perficeret in augmentum divini cultus, a R. P. Benedicto XIII. apostolicas literas die 1. Septembris 1725 obtinuit, quibus paroecialis eadem ecclesia in Collegiatam erecta est, cujus capitulum constituerent duae Dignitates, idest Abbas et Primicerius, qui antiquo parochorum munere fungerentur, decem Canonici et quatuor beneficiarii *cum capitulo, choro, mensa capitulari, archa, bursa, sigillo communibus.* Dos pro capitulo constituta est atque facultas eidem capitulo tributa pro administratione et regimine ejusdem ecclesiae.

Quibus ita constitutis idem Pontifex principi fundatori ejusque haeredibus et successoribus juspatronatus et praesentandi adscripsit *non ex privilegio apostolico, sed ex primaeva, reali et actuali plena integra omnimoda fundatione et perpetua dotatione laicali ex bonis mere laicalibus factis.*

Exeunte praeterito saeculo quidam Antonius suo testamento haeredem fiduciarium instituens sacerdotem Joannem eidem commisit, ut haereditatem erogaret in aliquam causam piam. Joannes officium sibi commissum apprime adimplens proposuit erectionem duorum canonicatuum in eadem Collegiata, quorum uni officium esset adnexum Poenitentiarii, alteri vero Theologi officium *dummodo tamen princeps actualis patronus suum necessarium consensum praestaret.* Si autem ejusmodi consensus obtineri non posset duas capellanias Episcopo erigendas proposuit.

Capitulum juxta haeredis fiduciarii vota consensum exquisivit die 9. Junii 1795 a principe patrono, ita tamen ut eisdem Canonicis non aliud concederetur praeter sedem in choro et communia canonicalia insignia. Patronus autem inquirendum esse respondit utrum per eam erectionem sarta tectaque omnino manerent sua suorumque successorum jura necnon an laederentur, quamvis in re minima, Canonicorum et beneficiariorum jura. Hinc sexennii fere mora intercessit.

Instantes vero duo presbyteri, jam a Joanne designati, pro consensu capituli et patroni eum ab utroque obtinuerunt, idest a patrono, ita tamen ut erigendorum beneficiorum possessores nullimode sese ingerere possent in negotiis capitularibus, ideoque abessent ab omnibus sive ordinariis sive extraordinariis capitularibus comitiis; pariterque ut iidem possessores postremam semper in choro sedem haberent post Canonicos ab eodem Principe nominandos: quin immo, idem patronus addidit, ut praesens assensus praestitus valere deberet pro duobus dumtaxat supplicantibus ac deinceps et in perpetuum singuli futuri novique Canonici consensum eumdem obtinere deberent ab actuali Collegiatae patrono.

Pariter a capitulo consensum obtinuerunt, ita tamen ut neque admittendi essent ad participanda emolumenta ex funeribus, anniversariis caeterisque functionibus vel legatis capitulo relictis vel relinquendis neque acquirere possent ullam vocem activam seu consultivam etc.

Juxta has conditiones a patrono et capitulo appositas procurator Joannes institit penes Ordinarium, ut instrumentum erectionis conficeretur. Quod quidem confectum fuit *cum dictis respectivis assensu, approbatione et capitularibus legibus et reservationibus.*

Instituti itaque fuerunt novi Canonici juxta ejusmodi leges, quae adamussim usque inpraesens ab illis et ab eorumdem etiam successoribus servatae fuerunt.

Verum praesentes Canonici theologus et poenitentiarius, quamvis praescriptas leges hactenus servassent, tamen statum quo se reperirent nimis gravem humilemque reputantes reclamarunt, ea de causa, ut nullae et inefficaces declararentur expositae conditiones.

Quare audito Episcopo reliquisque servatis dubia quae in calce ponimus S. C. dirimenda proposita fuerunt.

Orator, qui jura capituli sustinuit, initio animadvertit, etsi fundator non possit leges statuere *naturae* beneficii contrarias,*) posse tamen seligere eas beneficiorum formas, quas meliores ipse judicaverit: in praesenti themate haeredem fiduciarium, cujus plenae potestati commissa erat fundationis ratio, erigere praetulisse duas praebendas in ea collegiata ecclesia pro officiis poenitentiarii et theologi accedente consensu tum capituli tum patroni, ita ut, ex pactis conventis, praebendae haberent quidem ca-

*) Vd. *t. II. p. 353. n. 1.*

nonicatus nomen, sed destituerentur omnibus juribus quae canoniam proprie dictam constituant, ipsique novi Canonici eatenus perfruerentur honore *stalli* seu sedis et *insignium canonicalium*, quatenus a patrono id indulgeretur. Quare ejusmodi honores non quidem novis Canonicis inhaesisse jure praebendarum, sed ipsis tribuendos esse singulis vicibus: eosdemque Canonicos teneri ad onera choralia non quidem ratione canoniae, sed ex speciali obligatione a fundatore imposita. Proindeque eos habendos esse tamquam Canonicos supranumerarios seu mere honorarios.

Haec confirmabat orator doctrina s. Rotae in *Novarien. Praecedentiae 3. Julii 1713 coram Lancetta* §. *Quibus*, ubi legitur: »Domini existimarunt, canonicatum a Fausto possessum connumerari posse dumtaxat inter Canonicos, qui supranumerarii dicuntur ac nullam habent connexionem et unionem cum vero capitulo, idque, retento facto supra exposito, desumebant ex actibus gestis in ipsa erectione necnon ante et post erectionem. Quantum enim attinet ad ea quae praecesserunt erectionem, instrumentum assensus praestiti a capitulo pro erectione istius canonicatus satis clare praesefert, *nullatenus hujusmodi canonicatum esse incorporatum atque adnexum aliis sex*, et quia Canonici revera praebuerunt consensum, sed cum clausula praeservativa — ibi —: *absque ullo praejudicio capituli ipsiusque jurium parochialium quorumcumque etc.* — ita ut ex ista dubitari nequit, capitulum voluisse solum admittere *canonicatum supranumerarium et extraneum a capitulo*, minime vero augere numerum ultra sextarium, dum hoc profecto praejudicium produxisset antiquis Canonicis, ut ex Castrens. *Consil.* etc.«

Item in decisione illius confirmatoria *diei 11. Decemb. 1713 coram Barbadico* §. *Haecque* legitur: »Haecque adeo plana intelligentia indeclinabilis reddebatur ex eo, quod sequuta erectione canonicatus per Faustum possessi ejus procurator ad illius possessionem immissus fuit sub ea explicita declaratione, quod nunquam possit nec habere debeat in futurum vocem in capitulo, prouti nec habent alii tres Canonici, qui non sunt de gremio capituli, eique adsignatus extitit ultimus sedendi locus post eosdem tres Canonicos supranumerarios. Exinde enim ad evidentiam convincitur, praecedentem erectionem canonicatus non aliter admissam et adprobatam fuisse ab antiquis Canonicis quam sub conditione constituendi Canonicum mere *honorarium* a corpore capituli segregatum. Tum quia conventum extitit, quod ipse nullo unquam tempore in rebus capitularibus se immisceret, quod certe omnimodam praesefert segregationem a Canonicis capitularibus, cum alias ei denegari non debuisset facultas suffragium ferendi circa ea quae ad capitulum spectant. . .«

Hanc autem doctrinam in nostro themate locum habere usque ad evidentiam orator ostendit ex actis quae erectionem duorum canonicatuum de quibus agimus sunt consequuta. Hi enim Canonici considerati semper fuerunt ut a capitulo sejuncti, ut supranumerarii, ut honorarii, neque onera persentierunt quae subeunt Capitulares, ut est *media annata**). ut prospiciatur carentiae reddituum pro fabrica et sacristia, neque caetera onera, quae cultum Collegiataeque decorem respicerent.

Hisce autem positis mox allegatam s. Rotae doctrinam confirmavit orator auctoritate doctorum, de qua re sic Fagnanus in *cap. Dilectus de praeb. n. 16 et seqq.*: »Revoco igitur in dubium, an Canonici ultra numerum recepti habere debeant stallum in choro, vocem in capitulo et quotidianas distributiones. . . Ego existimo sic distinguendum . . : aut receptio ultra numerum fit a capitulo *simpliciter* et sic receptus habere debet stallum in choro, vocem in capitulo etc., aut receptio ultra numerum fit a capitulo *non simpliciter*, sed eo adjecto, ut receptus sit supranumerarius et tunc non consequitur jura canonicalia, quia capitulum recipiendo cum tali adjectione seu protestatione censetur noluisse numerum frangere, sed quoddam jus extraordinarium dare: unde sic receptus non habet jus integrum et ordinarium.«

Item Card. de Luca *de Canon. disc. 37. n. 5*: »Altera est species illorum Canonicorum supranumerariorum, qui non sint de corpore capituli nec participent de ejus massa distributionum, sed revera sint beneficiati in illa ecclesia cum honorifica nuncupatione Canonicorum, juxta speciem illius canonicatus de quo agitur *dec. 294. etc.* et pariter

*) De hac *media annata* agitur in constitutione Benedicti XIII.: *Pius ac misericors*, edita a Conc. romano anno 1725 pro Italia et insulis adjacentibus. Vd.: *Media annata.*

intrat eadem propositio ex identitate rationis quod isti *non sint vere Canonici in re, sed in sola honorifica nuncupatione.*«*) Idem Panimoll. *decis. 98. n. 1.*, Ceccoper. *Lucubr. canon. l. 1. tit. 14. n. 35* et praesertim s. Rota in *cit. decis. coram Barbadico*, in qua insuper legitur: »At cum in casu, de quo agitur, praeservato antiquo Canonicorum numero, Canonicus de novo admissus nullam habeat cum Canonicis antiquis participationem aut societatem et constituat figuram Canonici mere honorarii et supranumerarii, hinc neque dicitur de gremio capituli neque per consequens potiri valet juribus et praerogativis ad antiquos Canonicos pertinentibus.«

Post haec removebat orator difficultates quae opponi possent ex literis collationum in quibus scribi consuevit possessio *cum stallo in choro et loco in capitulo dictae ecclesiae collegiatae cum dicti juris plenitudine:* hanc enim diluit orator ejusdem s. Rotae doctrina in allegata confirmatoria decisione, in qua ad rem legitur: »Ejusdem immo minoris revelantiae reputata fuit successiva institutio ad eumdem canonicatum per Faustum reportata, ubi omnia conferuntur jura caeteris Canonicis pertinentia, tum quia Ordinarius non poterat, variando praecedenter disposita, concedere institutionem ab erectione et fundatione difformem in praejudicium capituli: tum etiam quia, eadem institutione minime attenta, Faustus canonicatus possessionem acceptavit et approbavit tamquam Canonicus supranumerarius et a corpore capituli separatus . . .«

Alteram removebat difficultatem ex eo petitam, quod in casu nostro easdem collationum literas per apostolicam Datariam concedi consuevissent. Exploratum enim in jure esse ostendit, per collationes etiam a summo Pontifice peractas nunquam beneficiorum statum immutari, nisi novandi animus in summo Pontifice aliunde pateat sicuti docet s. Rota in *decis. 263 p. 4. t. 1. n. 3. recen.* praesertim vero in *decis. 104. p. 10. n. 13* ubi legitur: Collationes vero apostolicae de anno 1629 et 1636 non merentur allegari, cum non sint aptae immutare statum beneficii, nisi concurrant quadragenaria, animus et intentio Pontificis illum immutandi et scientia et patientia illorum, qui ex hac status mutatione praejudicium recipiunt.

*) Vd. *p. 462. n. 1.*

Sed cum difficultas potior, quae prima fronte animo sese offert, ea esset quae petitur ex officio Poenitentiarii et Theologi, qui propter haec nobiliora officia a gremio capituli sejuncti esse non posse viderentur: ejusmodi difficultas hisce considerationibus ab oratore removebatur.

Quoad Poenitentiarium animadvertit, eumdem ad normam juris constitutum considerari veluti parochum totius dioecesis, de quo sic tradit Barbosa de *Canon. et Dignitat. c. 26. n. 12*: »Eo ipso, quod Poenitentiarius institutus fuerit, habet a jure et concilio facultatem audiendi confessiones poenitentium illius dioecesis et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis et est veluti parochus totius dioecesis.« Item Fagnanus in *cap. Grave de praeb. et dignit.* de eo ita scribit, ut sit »quasi parochus totius dioecesis habeatque jus audiendi dioecesanorum confessiones non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege, id est a Tridentino Concilio, ideoque Ordinarius censeri debet.«

Quare cum Poenitentiarii officium ex quo illae facultates et jurisdictio dimanant sit a lege ecclesiastica constitutum, protendi non posse inquiebat praeter casum ab ipsa lege expressum: porro Tridentinam legem *sess. 24. c. 8. de refor.* de Poenitentiarii institutione disponentem de ecclesiis cathedralibus dumtaxat locutam esse: idque etiam pluries defluivisse S. C. C., quare, si de ecclesiis collegiatis agatur, Poenitentiarii officium erigi non posse sine beneplacito apostolicae Sedis quemadmodum animadvertit Angelus Lucidi in suo opere *de VV. SS. LL. tom. 1. p. 78. n. 71:* »Monendum est, quod cum Poenitentiarius ex vi sui muneris confessiones excipiat aliasque facultates habeat non posset Episcopus sine beneplacito apostolico, saltem poenitentiarii facultates officio inhaerentes, Poenitentiario in Collegiata statuendo tribuere.«

Hisce animadversis sic concludebat orator: Aut officium Poenitentiarii in Collegiata de qua agimus erectum ab Ordinario sine apostolica venia est toto coelo diversum a munere praescripto in Tridentino Concilio et tunc adversarii injuria reclamant praerogativas canonicales aut Ordinarius verum Poenitentiarii officium erigere intellexit et tunc ejusmodi erectio in irritum cadit neque ejusmodi erectio sine competendi auctoritate facta posset convertere in verum canonicatum beneficium sua indole simplex.

Quoad Theologi officium, inquiebat orator,

Concilium Tridentinum statuisse quidem instituendum illud esse in *Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido;* sed cum judicis arbitrio sit relictum judicium circa ejusmodi oppidorum genus, in praesenti themate haberi tacitum judicium Benedicti XIII.

Hic enim Pontifex die 19. Maji 1725 ediderat celebrem constitutionem: *Pastoralis officii*, qua inculcavit erectionem theologalis praebendae. Tribus post mensibus ecclesiam paroecialem de qua agimus in Collegiatam erexit; ad ipsum oppidum ipse accessit consecraturus novum templum; dignitates et canonicatus collegii distribuit, quin de officio theologi verbum diceret.

Quare, inferebat orator, eumdem Pontificem non judicasse illud oppidum Tridentinae legi hac in re subjectum. Si igitur illud officium erectum postea fuit praeter legis necessitatem, pariter praeter necessitatem legis potuisse adjici simplici beneficio.

Haec autem validius confirmabat ex ipsa Tridentina dispositione in *sess. 5. c. 1 de ref.* juxta quam Theologi officium potest conjungi etiam cum praestimonio vel quovis nomine nuncupato stipendio.

Quod si illi novi Canonici considerari vellent jure canoniae praediti, ita ut quaestio coerceri vellet ad jus praecedendi, de quo in primo dubio agitur, iterum ostendebat, in hisce quaestionibus servandam esse consuetudinem tamquam principem normam et legem insuper fundationis, quae si jubeant aliquem Canonicum sedere perpetuo debere in ultima sede, sunt omnino servanda, prout pluries id servandum edixit S. C. C. in similibus causis.

Et hac in re nonnullas S. C. C. resolutiones allegabat orator; nominatim vero causam *Civitatis Castellanae* anni 1833, in qua cum Capitulares primae erectionis in cathedrali ecclesia duos admisissent novos Canonicos sub conditione, ut novi duo canonicatus non gauderent praecedentia sedis, ut duas ultimas sedes perpetuo occuparent, neque in casu vacationis possent ad superiores sedes ascendere, dubium propositum fuit S. C. C. die 16. Julii ejusdem anni: »An sit confirmanda vel infirmanda conditio a capitulo apposita in erectione in casu?« cui respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Et quamvis S. C. anno post ab hac resolutione recesserit, id non alia ex causa contigisse, ait orator, nisi quia innotuerit lex fundatricis, quae in suo testamento aequiparare voluerat canonicatus erigendos aliis duobus canonicatibus erectis, qui praecedendi jure fruebantur: huic enim fundatricis voluntati derogare nemo poterat nisi summus Pontifex.

Item in *Romana Praecedentiae* 18. Februarii 1865 disputatum fuit dubium: An constet de jure praecedentiae in choro et processionibus favore Canonicorum Magnoni, Amidei, Belli et Piccolomini una cum Canonicis primae erectionis in casu? et cum Canonicos Amedei et Belli lex erectionis a jure praecedendi indubie excluderet, quoad eos responsum prodiit: *negative.*

Quod si aliter quandoque resolutum fuisse videatur, id ex eo repetendum esse, inquiebat, quod ageretur vel de congruentia *legis dicendae* canonicatui *erigendo* vel de canonicatu erecto in conditionibus *contrariis voluntati fundatoris.*

Quoad secundum dubium, observabat, illud subesse debere duplici limitationi, quarum primam esse, ut novi Canonici non possent partecipare legata nominatim capitulo primae erectionis relicta; et hoc ex certo jure. Alteram limitationem esse, inquiebat, ut, si quando pro funeribus detur certa pecuniae summa generatim diribenda cum jure accrescendi interessentibus, eam participare nequeant Canonici novae erectionis, quoniam secus detrimentum persentirent Canonici primae erectionis, prout perpendit Card. de Luca *de Canon. disc. 6. n. 14.*

At vero in facto, ostendebat, eosdem novos Canonicos capitulum admisisse ad participationem emolumentorum, quando ex speciali benefactorum voluntate censerentur vocati; eosdem tamen exigere non posse ut ad participationem admitterentur legatorum aliorumque, quae ad capitulum ex constanti consuetudine pertinere soleant; de qua re adducebat resolutionem S. C. C. in *Faventina* diei 21. Decembris 1564, in qua proposito dubio: An idem Archipresbyter ut supra exclusus *(in bulla erectionis)* a participatione distributionum et emolumentorum possit partecipare de eleemosynis, quae dantur capitulo pro funeralibus et anniversariis occasione funeralium, quae inter praesentes distribuuntur? Responsum prodiit: *Archipresbyterum participare non debere de his quae proveniunt ad manus Camerarii, ex quibus diminueretur portio aliorum Canonicorum.*

Neque posse exigere eosdem Canonicos jus accrescendi in portionibus Capitularium qui fortasse absint, tum quia jus accrescendi supponeret sociorum communionem in re diribenda, *cap. Quia, de cler. non residen.*, tum quia novi Canonici vicissim admittere deberent Capitulares ad perceptionem suorum emolumentorum.

Quoad tertium dubium, quoniam adversarii exigerent interventum in capitularibus sessionibus, in quibus non ageretur de massa praebendarum capituli, respondebat orator, omnes redditus sacristiae et fabricae distingui quidem in ea Collegiata a redditibus praebendarum sed ex eadem dote et mensa provenire eorumdemque omnium administrationem commissam fuisse capitulo ex literis apostolicis, ita ut unam massam constituant.

Cum autem haec administratio inter jura capituli propria recenseretur, frustra novos Canonicos quaerere dictum interventum, ceu in *Eugubina Erectionis canonicatuum* die 26. Mart. 1703 ad dubium: »An et in quibus negotiis iidem Canonici jus habeant capitularibus sessionibus interessendi etc.«? S. C. C. respondit: *Affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.* Item in *S. Miniatis**) die 24. Nov. 1827 ad dubium: »An et in quibus negotiis Canonicus theologus gaudeat voce activa et passiva in casu?« Respondit: *Affirmative in omnibus, exceptis negotiis respicientibus massam communem et bona ad capitulum spectantia ante erectionem praebendae theologalis.*

Excludendos pariter esse eosdem Canonicos in electione officialium et inservientium Collegiatae ceu docet Ceccoperius *lucubr. canon. lib. 1. tit. 14. n. 34*: »Si emolumenta et salaria pro dictis officialibus ecclesiae et sacristiae inservientibus persolverentur ex massa antiquorum Canonicorum, eatenus novi Canonici admittendi forent ad ferenda suffragia in eorumdem officialium electionibus, quatenus etiam ipsi pro rata concurrerent ad stipendia; nam si se subtrahere vellent ab onere solutionis, excludendi etiam essent ab actu electionis, quia Canonici novi sicut admittuntur ad praerogativas et jura canonicalia debent etiam subire incommoda, ut omnis aequitas suadet.«

Hactenus orator capituli. Etiam patronus princeps sua jura per proprium oratorem defendit; sed satis sit haec retulisse.

Poenitentiarii et Theologi orator initio describens humilem statum in quo versari iidem Canonici deberent, cum a quavis re capitulari excluderentur, quamvis ipsi munere Poenitentiarii et Theologi praediti essent, ad meritum quaestionis devenit contendens eos esse veros Canonicos jure canoniae praeditos: id autem ostendere praesertim curavit ex literis apostolicis per Datariam expeditis, quibus in possessionem earum praebendarum immitti consueverunt. In hujusmodi enim literis haec habentur: »*In corporalem possessionem dictorum canonicatus et praebendae ac adnexorum juriumque et pertinentiarum praefatorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes ad praebendas hujusmodi in dicta collegiata ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallum ei in choro ac locum in capitulo dictae ecclesiae collegiatae, cum dicti juris plenitudine assignetis, eisque de dictorum canonicatus et praebendae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra praefata, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus etc.*

Cum itaque ex hoc literarum tenore ipsis canonia tribuatur, quae consistit in receptione in fratrem, in stallo ac loco in capitulo aliisque juribus et honorificentiis, dici non posse eos destitutos esse canonia, quemadmodum eo jure destituuntur Canonici honorarii.

Idem sustinebat orator ex ipsa canonica erectione eorumdem canonicatuum, qua posita consequi, inquiebat, eosdem veros esse Canonicos, juxta ea quae tradit de Luca *de Canon. disc. 6. n. 12:* »Posita valida erectione in ista causa *Collen.*, quatenus pertinet ad primum dubium *vocis in capitulo*, affirmative resolutum fuit. Ac resolutio mihi, quamvis in contrarium scribenti, justa visa est, quoniam si erant Canonici legitime erecti nil prohiberet eos debere gaudere hujusmodi praerogativa, quae canoniae de sui natura adnexa est . . . et est communis sensus canonistarum.«

Distinxit praeterea orator triplex Canonicorum genus cum Card. de Luca *loc. cit. disc. 37*, quorum primum est eorum, qui cum *gratiis expectativis* (quae modo non solent

* Vd. *p. 469. n. 3.*

Concilium Tridentinum statuisse quidem instituendum illud esse in *Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido;* sed cum judicis arbitrio sit relictum judicium circa ejusmodi oppidorum genus, in praesenti themate haberi tacitum judicium Benedicti XIII.

Hic enim Pontifex die 19. Maji 1725 ediderat celebrem constitutionem: *Pastoralis officii*, qua inculcavit erectionem theologalis praebendae. Tribus post mensibus ecclesiam paroecialem de qua agimus in Collegiatam erexit; ad ipsum oppidum ipse accessit consecraturus novum templum; dignitates et canonicatus collegii distribuit, quin de officio theologi verbum diceret.

Quare, inferebat orator, eumdem Pontificem non judicasse illud oppidum Tridentinae legi hac in re subjectum. Si igitur illud officium erectum postea fuit praeter legis necessitatem, pariter praeter necessitatem legis potuisse adjici simplici beneficio.

Haec autem validius confirmabat ex ipsa Tridentina dispositione in *sess. 5. c. 1 de ref.* juxta quam Theologi officium potest conjungi etiam cum praestimonio vel quovis nomine nuncupato stipendio.

Quod si illi novi Canonici considerari vellent jure canoniae praediti, ita ut quaestio coerceri vellet ad jus praecedendi, de quo in primo dubio agitur, iterum ostendebat, in hisce quaestionibus servandam esse consuetudinem tamquam principem normam et legem insuper fundationis, quae si jubeant aliquem Canonicum sedere perpetuo debere in ultima sede, sunt omnino servanda, prout pluries id servandum edixit S. C. C. in similibus causis.

Et hac in re nonnullas S. C. C. resolutiones allegabat orator; nominatim vero causam *Civitatis Castellanae* anni 1833, in qua cum Capitulares primae erectionis in cathedrali ecclesia duos admisissent novos Canonicos sub conditione, ut novi duo canonicatus non gauderent praecedentia sedis, ut duas ultimas sedes perpetuo occuparent, neque in casu vacationis possent ad superiores sedes ascendere, dubium propositum fuit S. C. C. die 16. Julii ejusdem anni: »An sit confirmanda vel infirmanda conditio a capitulo apposita in erectione in casu?« cui respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Et quamvis S. C. anno post ab hac resolutione recesserit, id non alia ex causa contigisse, ait orator, nisi quia innotuerit lex fundatricis, quae in suo testamento aequiparare voluerat canonicatus erigendos aliis duobus canonicatibus erectis, qui praecedendi jure fruebantur: huic enim fundatricis voluntati derogare nemo poterat nisi summus Pontifex.

Item in *Romana Praecedentiae* 18. Februarii 1865 disputatum fuit dubium: An constet de jure praecedentiae in choro et processionibus favore Canonicorum Magnoni, Amidei, Belli et Piccolomini una cum Canonicis primae erectionis in casu? et cum Canonicos Amedei et Belli lex erectionis a jure praecedendi indubie excluderet, quoad eos responsum prodiit: *negative.*

Quod si aliter quandoque resolutum fuisse videatur, id ex eo repetendum esse, inquiebat, quod ageretur vel de congruentia *legis dicendae* canonicatui *erigendo* vel de canonicatu erecto in conditionibus *contrariis voluntati fundatoris.*

Quoad secundum dubium, observabat, illud subesse debere duplici limitationi, quarum primam esse, ut novi Canonici non possent partecipare legata nominatim capitulo primae erectionis relicta; et hoc ex certo jure. Alteram limitationem esse, inquiebat, ut, si quando pro funeribus detur certa pecuniae summa generatim diribenda cum jure accrescendi interessentibus, eam participare nequeant Canonici novae erectionis, quoniam secus detrimentum persentirent Canonici primae erectionis, prout perpendit Card. de Luca *de Canon. disc. 6. n. 14.*

At vero in facto, ostendebat, eosdem novos Canonicos capitulum admisisse ad participationem emolumentorum, quando ex speciali benefactorum voluntate censerentur vocati; eosdem tamen exigere non posse ut ad participationem admitterentur legatorum aliorumque, quae ad capitulum ex constanti consuetudine pertinere soleant; de qua re adducebat resolutionem S. C. C. in *Faventina* diei 21. Decembris 1564, in qua proposito dubio: An idem Archipresbyter ut supra exclusus *(in bulla erectionis)* a participatione distributionum et emolumentorum possit partecipare de eleemosynis, quae dantur capitulo pro funeralibus et anniversariis occasione funeralium, quae inter praesentes distribuuntur? Responsum prodiit: *Archipresbyterum participare non debere de his quae proveniunt ad manus Camerarii, ex quibus diminueretur portio aliorum Canonicorum.*

Neque posse exigere eosdem Canonicos jus accrescendi in portionibus Capitularium qui fortasse absint, tum quia jus accrescendi supponeret sociorum communionem in re diribenda, *cap. Quia, de cler. non residen.*, tum quia novi Canonici vicissim admittere deberent Capitulares ad perceptionem suorum emolumentorum.

Quoad tertium dubium, quoniam adversarii exigerent interventum in capitularibus sessionibus, in quibus non ageretur de massa praebendarum capituli, respondebat orator, omnes redditus sacristiae et fabricae distingui quidem in ea Collegiata a redditibus praebendarum sed ex eadem dote et mensa provenire eorumdemque omnium administrationem commissam fuisse capitulo ex literis apostolicis, ita ut unam massam constituant.

Cum autem haec administratio inter jura capituli propria recenseretur, frustra novos Canonicos quaerere dictum interventum, ceu in *Eugubina Erectionis canonicatuum* die 26. Mart. 1703 ad dubium: »An et in quibus negotiis iidem Canonici jus habeant capitularibus sessionibus interessendi etc.«? S. C. C. respondit: *Affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et jura particularia veterum Canonicorum.* Item in *S. Miniatis**) die 24. Nov. 1827 ad dubium: »An et in quibus negotiis Canonicus theologus gaudeat voce activa et passiva in casu?« Respondit: *Affirmative in omnibus, exceptis negotiis respicientibus massam communem et bona ad capitulum spectantia ante erectionem praebendae theologalis.*

Excludendos pariter esse eosdem Canonicos in electione officialium et inservientium Collegiatae ceu docet Ceccoperius *lucubr. canon. lib. 1. tit. 14. n. 34:* »Si emolumenta et salaria pro dictis officialibus ecclesiae et sacristiae inservientibus persolverentur ex massa antiquorum Canonicorum, eatenus novi Canonici admittendi forent ad ferenda suffragia in eorumdem officialium electionibus, quatenus etiam ipsi pro rata concurrerent ad stipendia; nam si se subtrahere vellent ab onere solutionis, excludendi etiam essent ab actu electionis, quia Canonici novi sicut admittuntur ad praerogativas et jura canonicalia debent etiam subire incommoda, ut omnis aequitas suadet.«

Hactenus orator capituli. Etiam patronus princeps sua jura per proprium oratorem defendit; sed satis sit haec retulisse.

Poenitentiarii et Theologi orator initio describens humilem statum in quo versari iidem Canonici deberent, cum a quavis re capitulari excluderentur, quamvis ipsi munere Poenitentiarii et Theologi praediti essent, ad meritum quaestionis devenit contendens eos esse veros Canonicos jure canoniae praeditos: id autem ostendere praesertim curavit ex literis apostolicis per Datariam expeditis, quibus in possessionem earum praebendarum immitti consueverunt. In hujusmodi enim literis haec habentur: »*In corporalem possessionem dictorum canonicatus et praebendae ac adnexorum juriumque et pertinentiarum praefatorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes ad praebendas hujusmodi in dicta collegiata ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallum ei in choro ac locum in capitulo dictae ecclesiae collegiatae, cum dicti juris plenitudine assignetis, eisque de dictorum canonicatus et praebendae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra praefata, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus etc.*

Cum itaque ex hoc literarum tenore ipsis canonia tribuatur, quae consistit in receptione in fratrem, in stallo ac loco in capitulo aliisque juribus et honorificentiis, dici non posse eos destitutos esse canonia, quemadmodum eo jure destituuntur Canonici honorarii.

Idem sustinebat orator ex ipsa canonica erectione eorumdem canonicatuum, qua posita consequi, inquiebat, eosdem veros esse Canonicos, juxta ea quae tradit de Luca *de Canon. disc. 6. n. 12:* »Posita valida erectione in ista causa *Collen.*, quatenus pertinet ad primum dubium *vocis in capitulo*, affirmative resolutum fuit. Ac resolutio mihi, quamvis in contrarium scribenti, justa visa est, quoniam si erant Canonici legitime erecti nil prohiberet eos debere gaudere hujusmodi praerogativa, quae canoniae de sui natura adnexa est . . . et est communis sensus canonistarum.«

Distinxit praeterea orator triplex Canonicorum genus cum Card. de Luca *loc. cit. disc. 37*, quorum primum est eorum, qui cum *gratiis expectativis* (quae modo non solent

* Vd. *p. 469. n. 3.*

amplius dari) vacationem alicujus canonicatus expectabant. Sed expedit verba ejusdem Cardinalis referre: »Isti sunt proprie illi Canonici supranumerarii, qui per doctores appellari solent Canonici in herbis, quia revera non sunt tales in re, sed solum in spe; atque in istis vera est propositio, quod non gaudent praeeminentiis canonicalibus neque occupant locum donec sunt in isto statu.

Altera est species illorum Canonicorum supra numerum, qui non sunt de corpore capituli neque participant de ejus massa distributionum, sed revera sunt beneficiati in illa ecclesia cum honorifica nuncupatione Canonicorum . . . et pariter intrat eadem propositio ex identitate rationis, quod isti non sint veri Canonici in re, sed in sola honorifica nuncupatione.

Tertia demum est species illorum novorum Canonicorum, qui ob superventos redditus supra antiquum et consuetum numerum valide ac legitime eriguntur cum omnimodis praerogativis et praeeminentiis canonicalibus et cum incorporatione hujusmodi novorum membrorum cum antiquo corpore . . . et tunc iste terminus supranumerariorum adhibetur improprie et per quendam modum loquendi vulgarem ad effectum contradistinguendi canonicatus de novo *) erectos ab antiquis; revera tamen posita valida, et legitima erectione, adeo ut actus habendus non sit pro infecto, omnes dicuntur pariformiter Canonici ejusdem naturae absque aliqua differentia praeterquam in iis, quae expresse fuerint excepta in erectione.

Affirmabat autem orator Canonicos de quibus agimus ad hoc tertium Canonicorum genus esse referendos.

Cumque autem testaretur eosdem veros esse Canonicos atque canonia praeditos facile ostendebat doctorum tribunaliumque doctrina, eosdem gaudere debere stallo in choro, praecedentiae jure, voce in capitulo et participatione emolumentorum, in quibus canonia consistit.

Eo vel magis quod non de simplicibus Canonicis agatur, sed de Theologo et Poenitentiario ad normam Tridentinam, qui per concursum canonicatum obtinerent quique per bullas apostolicas in possessionem immitterentur.

Sed ad superandum obstaculum gravissimum in conditionibus consistens impositis a capitulo et patrono in erectione canonicatuum, eas vitiosas et irritas esse inquiebat tum quia arbitrarie et contra jus appositas, tum quia nulla approbatione ecclesiastici superioris munitas neque a sancta Sede recognitas.

Hisce aliisque amplissime adductis proposita sunt dirimenda

Dubia:

I. »An et quo ordine sedere debeant in choro et incedere in functionibus ecclesiasticis Canonici Theologus et Poenitentiarius in casu?«

II. »An et quomodo iidem Canonici admittendi sint ad participationem emolumentorum proficiscentium ex funeribus, anniversariis caeterisque functionibus vel legatis capitulo relictis post erectionem theologalis praebendae et poenitentiariae in casu?«

III. »An et in quibus negociis Canonici Theologus et Poenitentiarius gaudere debeant voce activa et passiva in capitularibus sessionibus in casu?«

S. Congregatio Concilii die 11. Januarii 1868 distulit resolutionem; causa autem cognita die 29. Augusti 1868 respondere censuit: Ad I. II et III: *Nihil esse innovandum et amplius.*

Ex quibus inter caetera colliges:

I. Canonicos alicui capitulo superadditos, quamvis praebendas possideant, esse posse simpliciter honorarios.

II. Eos honorarios haberi, qui praecipuis canoniae juribus non fruantur.*)

III. In ecclesiis collegiatis, etiam non insignibus, posse quidem esse ex peculiari fundatione non solum Theologum sed etiam Poenitentiarium.

IV. Poenitentiarium in Collegiata constitutum, cum praeter jus constituatur, tantum juris privilegiorumque sibi vindicare poterit, quantum demonstret sibi esse legitime concessum.

V. Denique colliges: Literas apostolicas collationis non immutare beneficiorum statum et conditionem, quam ex sua fundatione praeferant, nisi apprime constet per verba literarum, quae fundationi non respondeant, romanum Pontificem voluisse eorumdem conditionem immutare.

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

Vd. p. 47.: *Canonia.*

8) Num substitutus esse possit Canonici praebendati?

Vd. *Canon. honor.* (institutionis causae p. 463.)

Montis Politiani.

Ab immemorabili tempore extant in Cathedrali *Montis Politiani* praeter Canonicos praebendatos etiam Canonici honorarii, de quorum origine et fundatione non satis constat. Nam incenso tabulario ecclesiae plurima vetusta documenta interierunt. Fertur tamen hujusmodi Canonicos *honorarios* institutos fuisse ad augendum servitium chori, cum praebendatorum Canonicorum exiguus esset numerus. Suspensi tamen fuere honorarii ab ultimo Episcopo, sed instante capitulo ab hodierno reintegrati ad augendum ss. functionum decorem, hac tamen lege, quam a vobis confirmatam cupit, ut in sacris constituti esse debeant. Canonici honorarii habent stallum in choro et iisdem utuntur vestibus ac caeteri praebendati. Carent tamen canonicali praebenda et quotidianis distributionibus et voce in capitulo, choro intersunt diebus festivis et in funeribus cerae distributione participant. Controversia orta est in capitulo, num Canonici praebendati possint sibi substituere in servitio chori Canonicos honorarios sive in sacris constitutos sive simplices tonsuratos. Quam controversiam huic s. Congregationi dirimendam detulit ejusdem capituli Canonicus Thomas Pieri, cujus preces Episcopo remissae fuerunt.

Quamquam Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reform.* jubeat, ut Canonici *omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia,* attamen ex aequitate introductum est, ut qui sunt de capitulo possint se ad invicem substituere, ut declaravit s. Congregatio in *Eugubina 15. Decemb. 1605.*

Quare eo redire videtur quaestio num Canonici honorarii sint proprie de capitulo ita ut ab aliis praebendatis substitui possint. *Si non potest esse Canonicus sine praebenda* secundum *doctrinam Fagnani in cap. Cum Ferrariensi num. 17. de constit.* videtur, quod proprie non sint Canonici*) et habeant nomen re vacuum, ut tradit *Abb. in cap. 1. de praeben., Ceccoper. Lucubrat. canon. l. 1. tit. 14. num. 7.*

Ponderandum tamen est, quod ex consuetudine licebat in Cathedrali Montis Politiani Canonicos honorarios substituere. Id quod vetitum fuit ad precidendos abusus. Videant EE. PP. num servanda sit haec consuetudo, cui plurimum est deferendum in hac materia, *Monet. de distribut. quotidian. part. 2. quaest. 1. numer. 10, Formosin. ad cap. 9. de constit. quaest. 1. n. 40.* Abusus vero tolli possunt eo modo quem proponit Episcopus, ne scilicet haec substitutio fiat ad longum tempus et sine licentia Episcopi.

Dubium est:

An et quomodo Canonici honorarii in Cathedrali Montis Politiani substitui possint in servitio chori ab aliis Canonicis praebendatis in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 4. Febr. 1804.

Montis Politiani.

Dissentientibus inter se Canonicis Montis Politiani num in servitio chori obeundo substituere possent Canonicos honorarios delata est haec controversia ad s. hanc Congregationem instante Canonico Thoma Pieri et *die 4. Februarii 1804* disputatum fuit dubium:

An et quomodo Canonici honorarii Montis Politiani substitui possint in servitio chori ab aliis Canonicis praebendatis?

Rescriptumque: *Negative.*

Nunc Canonici ipsi Cathedralis supplices adsunt, ut, quoniam tum ex capitularibus et synodalibus constitutionibus sibi licet servitium per substitutos praestare quoniamque huic substitutioni obstent resolutiones alias editae ab hac s. Congregatione, haec facultas substituendi probetur. Rogatus Episcopus de sua sententia respondit: Eorum chorale servitium est alternatim per hebdomadas, omnes tamen omnibus diebus festivis et per quadragesimam choro tenentur. Ita statuerunt citatae in precibus constitutiones, quarum haec est ad propositum particula: »Ordinamus, ut per unam hebdomadam serviant in divinis officiis praepositus cum media parte Canonicorum et capellanorum et liceat unicuique servire per substitutum ejusdem ordinis. Substituunt etiam Canonicos honorarios quando adsunt. Diebus vero festivis et per quadragesimam non substituunt. Hac facultate vero non abutuntur nec nimis frequenter substituendo eum qui eadem die choro sit addictus. Sed utuntur cum substituentes absunt ab urbe et suburbiis et hoc ex immemora-

*) Vd. *p. 462. n. 1.*

bili consuetudine, nec reprobata ultima synodo Vantini, cujus de hac re nullum est speciale decretum, sed tantum generalis constitutionum approbatio. Nec inde praejudicium, sed potius oritur commodum divino servitio. Vi enim hujus substitutionis etiam in casu absentiae ab Urbe et a suburbiis semper potest remanere in choro idem psallentium numerus, qui diebus ferialibus non excedit septem ex Canonicis et qui alioquin oblata eo modo substituendi facultate certe deficeret, cum tanta sit tenuitas punctaturarum, ut nequeat earum amissio vel avarissimum a discessu retinere. Quapropter et etiam attenta laudabili diligentia, qua nunc omnes hujus Cathedralis choro addicti muneri suo satisfaciunt, nihil in hac re mihi innovandum esse videtur, immo humiliter et enixe precor, ut praefata immemorabilis consuetudo suffragio EE. VV. confirmetur.

Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* praescribit, ut Canonici *omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia.* Nihilominus ex hoc decreto sublatam non fuisse facultatem substituendi alium in servitio chori declaravit s. Congregatio *in Eugubina 15. Decembris 1605.* Haec tamen facultas certis fuit cirumscripta legibus. Scilicet dummodo Canonici ea facultate non abutantur, in *Aquilana 12. Decembris 1643* et *2. Decembris 1644,* dummodo non absint ab Urbe et a suburbiis, in *Alatrina 24. Martii 1612* et tandem dummodo Canonici honorarii non substituantur in servitio a Canonicis titularibus, in *Montis Politiani Servitii chori 4. Februarii 1804.*

Canonici quidem Montis Politiani habent ex constitutionibus synodalibus facultatem substituendi, sed data intelligitur secundum juris dispositionem. Duo tamen sunt, in quibus peccant Canonici, dum hac utuntur facultate. Primum cum substituant Canonicos honorarios. Deinde cum substituant et absint de Urbe et suburbiis. Nam substitui non posse Canonicos honorarios declaratum fuit in terminis ipsius capituli Montis Politiani in allegata *Montis Politiani Servitii chori 4. Februarii 1804.* Quod vero absint ab Urbe vel suburbiis cum in choro alium substituunt aperte repugnat citatis s. Congregationis resolutionibns. Nihilominus Episcopus eosdem excusat ex eo, quod eis favet immemorabilis consuetudo, quae potius tendit in augmentum servitii chori. Nam cum tenues sint distributiones, nemo ex Canonicis, si abesse vult, deterretur ab amissione earumdem distributionum et chori servitium destitutum esse poterit. Ubi vero servetur consuetudo substituendi Canonicos honorarios, vel etiam cum Canonici absunt ab Urbe et suburbiis, numquam servitium chori deficiet.

Observandum tamen propono, quod ipse Episcopus, dum actum fuit num Canonici honorarii substitui possent, babuit in informatione. Quinimo ab eodem Episcopo Frantesi suspensi fuere Canonici honorarii, qui ab hodierno instante capitulo reintegrati sunt ad augendum ss. functionum decorem. Ex his igitur patet, quod non bene constat de consuetudine saltem quoad facultatem substituendi Canonicos honorarios. Videant rursus EE. PP. num haec consuetudo cui expresse adversatur s. Congregationis resolutio diei 4. Februarii 1804 sit in casu toleranda arbitrio Episcopi, itaut abusus arceantur et aliquando suppleri queat defectus Canonicorum titularium ex legitima causa absentium.

Dubium proponitur:

An et quomodo Canonici Cathedralis Montis Politiani alios substituere possint in servitio chori in casu?

S. C. resp.:

Affirmative dummodo non abutantur, dummodo substituentes non absint ab Urbe et suburbiis et dummodo non substituant honorarios.

Die 19. Julii 1806.

9) Vox in capitulo.

Vd. *Canon. Cath.* (vox p. 416.); *Canon. Colleg.* (vox p. 449); *Canon. honorar.* (Institutio ab Episcopo p. 464.; praesentia etc. p. 472; Jura etc. p. 469; num substitutus esse etc. p. 481). Vd. supra n. 7 et 8.

XIII. Infirmus.

Vd. *Distribut. Canonici infirmi; Chorus* (absentiae causae; absentia concessa ob infirmit.); t. I. p. 154. n. 18.

XIV. Jubilatus.

1) Chori servitium.

Vd. *Jubilatio; Chorus; Canon. jubil.* (missa conv. etc. decr.: *Nepesina.* p. 484.)

Signina.

Indultum quippe jubilationis ea lege conceditur, ne quid inde choralium officiorum

cultus detrimentum capiat, quo fit, ut Episcopus, qui ex jubilati absentia conspiciat Sacrorum procurationem intercipi ac jacturam pati, jure potiatur Canonicos jubilatos ad chorale pensum revocandi, S. C. C. 24. Sept. et 17. Dec. 1718. ad 7. dub.

Die 30. Mart. 1833.

2) Distributiones, Emolumenta etc. quae ei debentur?

Vd. *Canonicus jubil.* (missa conv. decr.: *Lucana* p. 485.; *Nepesina; Distributiones Canonici jubilati; Jubilatio.*

Canonico jubilato debentur etiam ea quae proveniunt ex emolumentis processionum et anniversariorum et aliorum dummodo testatorum voluntas non obstet, S. C. C. *in Romana 5. Martii 1678* et in *Perusina 17. Julii 1688.* Et sic etiam fuerat decisum *in Novarien. Jubilationis*, ubi proposito dubio:

An frui deberent emolumentis anniversariorum, quae fiunt infra annum, quamvis iis non assisterent duo Canonici ecclesiae collegiatae s. Gaudentii Civitatis Novariae, qui a s. Clemente X. obtinuerant indultum hisce verbis conceptum: »Cum sicut exponi fecisti tu, qui in sexagesimo quinto aetatis anno constitutus, quadraginta et amplius annorum spatio residens etc. Nos etc. tibi, ut quoad vixeris a praedicta ecclesia abesse ac interim omnia et singula, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta quaecumque necnon distributiones etiam quotidianas ordinarias et extraordinarias quomodolibet nuncupatas et in quibusvis rebus consistentes ac undecumque provenientes ad te ratione dicti canonicatus et praebendae, si in eadem ecclesia personaliter resideres ac divinis officiis singulisque diurnis ac nocturnis horis assidue interesses, spectantes et pertinentes, ac etiam solis praesentibus manualiter quotidie praestari ac per eas lucrifieri solita, cum ea integritate percipere, cum qua perciperes, si personaliter resideres, libere et licite possis et valeas concedimus et indulgemus. S. Congregatio *die 2. Octobris 1677* respondit: *Affirmative.*

Verum cum postmodum *sub die 1. Julii 1679 in una Bituntina Anniversariorum* quaesitum fuisset:

An vigore indulti similis jubilationis Canonicus jubilatus percipere valeret perinde ac si choro personaliter interesset emolumenta anniversariorum? S. Congr. *negative* resolvit. Hinc caeteri Capitulares praedictae ecclesiae s. Gaudentii freti hac postrema resolutione iterum obtinuerunt proponi dubium:

An Canonici jubilati vigore praefati brevis frui debeant emolumentis anniversariorum, quae fiunt intra annum, quamvis non assistant, ita ut standum vel recedendum sit a decisis?

Et s. Congregatio *sub die 29. Novembr.* respondit: *In decisis quoad anniversaria fixa et in quibus non est cautum.* Et sic etiam *in Romana Jurium canonicalium 5. Martii 1703* in qua ad dubium:

An indultum vacandi a choro aliisque divinis officiis ex causa infirmitatis concessum valeat etiam pro laudemiis, quindeniis, capitulis, anniversariis, festivitatibus, processionibus ac quibuscumque functionibus in ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta communia nuncupata ac etiam victualia et candelas? *respondit*: Affirmative etiam quoad laudemia, exceptis anniversariis et aliis obventionibus non fixis et in quibus diversimodo fuerit a testatore dispositum; quae etiam confirmata fuit *die 20. Junii 1705.*

Ex quibus omnibus et aliis satis constat, quod indultum quantumcumque amplum non comprehendat anniversaria non fixa et corporaliter interessentibus a testatore relicta, nisi in indulto sit expressa voluntas Papae testatoris menti clare derogantis et etiam talia anniversaria indultario explicite indulgentis. Anniversaria autem fixa et alia similia, in quibus non adsit contraria dispositio testatoris et fundatoris, participantur ab indultariis, ac si personaliter interessent, quamvis functionibus vere non intersint et onera missarum aliis injuncta pro rata non adimpleant. S. Congreg. Concilii *in Lunen. Sarzanen. 16. Maji 1685*, in *Urbanien. 29. Novemb. 1687* et in *Romana Jubilationis 24. Martii 1703* ubi proposito dubio:

An jubilato debeantur emolumenta processionum etsi illis non interfuerit?

respondit: *Affirmative.*

3) In hora certa pro populi commodo num celebrare debet?

Vd. t. I. p. 719. *Praenestina*; infra p. 485: *Lucana.*

4) Fallentiae num ei debentur?

Vd. *Canon. jubil.* (missa conv. etc. decr. *Nepesina, Lucana.*)

5) Missas anniversarias etc. capituli legere non debet.

Vd. infra n. 6, praecipue decr.: *Sabinen.* p. 489.

6) Missam conventualem canere non debet.

Vd. t. I. p. 716. VII; *Jubilatio*; supra p. 365. num. 8.

Aquipendien.

Canonici jubilati non tenentur neque per se ipsos neque per alios missam conventualem per turnum celebrare.

Die 27. Martii 1697.

Nepesina.

Sacerdos Matthaeus Pugliesi Nepesinae Cathedralis Canonicus ob expletum laudabile quadragenarium servitium jubilationis indultum ab hac s. Congregatione obtinuit usque a die 1. Septembris 1809 solitis adjectis in decreto conditionibus *ut quamvis inposterum non inserviat fructus nihilominus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat ac si choro et divinis officiis personaliter interesset.* Nihil in eo decreto adjectum est de conditione quam praecedens resolutio capitularis proposuerat, nimirum *con questo però, che sia obbligato soddisfare per seipsum vel per alium Canonicum tutti gli obblighi Capitolari di turno, cioè prima messa, e messa cantata, altrimenti non goda della distribuzioni capitolari.*

Reapse a die obtenti indulti Canonicus Pugliesi missas conventuales vel per se ipsum vel per alium celebravit, ut fatetur in novis precibus, quibus postulat tum redintegrationem eleemosynae pro missis conventualibus hucusque celebratis tum liberationem ab hoc onere in futurum tum participationem *fallentiarum*, ac si choro et divinis officiis interesset. Rogatus de sua sententia c. m. Cardinalis Episcopus, utque audito capitulo referret de illius ecclesiae constitutionibus et de consuetudine, a quovis ferendo voto abstinuit, nihil de ecclesiae constitutionibus retulit ac demum quoad consuetudinem novam capituli resolutionem plenis suffragiis oratori contrariam aliasque resolutiones ejusdem capituli in similibus casibus editas transmisit.

Oratoris instantiae pro exemptione a celebratione missae conventualis favet indultum ab hac s. Congregatione obtentum usque ab anno 1809, in quo de hoc imponendo onere nulla fit mentio, regula autem juris est, ut quaelibet conditio, praesertim quae onerosa sit, non censeatur apposita nisi expressis verbis fuerit adjecta. Rota *in Romana Donationis 28. Januarii 1757 coram Bussio.* Urget etiam quod neque praesumi potest eam appositam fuisse conditionem quae cum ipsa gratia pugnaret eamque saltem in parte destrueret irritamque redderet. Nam cum missa conventualis sit pars choralis officii a quo dispensatur Canonicus, qui ob laudabile quadragenarium servitium jubilationem promeruit, sequeretur ut ex parte exemptus et ex parte obnoxius esset servitio, si missam conventualem celebrare vel illius eleemosynam solvere teneretur. Ita statuendum censuit s. Congregatio *in Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis 12. Maji 1759.**)

Eadem rationum momenta opitulantur oratori, ut lucretur distributiones et fallentias licet non intersit choro et divinis officiis. Id enim expressis verbis conceditur in formula decreti jubilationis, quam semper retinuit s. Congregatio et quam pariter adhibuit in indulto Canonici Pugliesi, quam superius retuli. Nec certe inveterata haec praxis ratione vacat. Nam cum censeatur ecclesiae per gloriam inservire, qui post diuturnum servitium senio confectus ex summi Pontificis indulto quiescit ad instar veterani militis, justitiae et aequitati consonum est, ut fructuum omnium ac distributionum compendio donetur; s. Congregatio *in Viterbien. 26. Augusti 1628*, in *Romana 13. Maji 1651* et in *Aquipendien. 13. Martii 1697.*

At enim appositam reapse fuisse conditionem contendit capitulum, statim ac in illius resolutione, quae indultum praecessit, nec libere suum praestitit assensum oratoris postulationi, sed cum obligatione satisfaciendi per se ipsum vel per alium Canonicum, *tutti li obblighi Capitolari di turno, cioé prima messa, e messa cantata, altrimenti non goda delle distribuzioni corali.* Si ergo Canonicus Pugliesi hac fretus capitulari resolutione apud s. Congregationem institit, ab eaque obtinuit indultum, censeri debeat appositae conditioni sese subjecisse nec modo ab ea resiliendi eidem superesse libertatem, postquam octennii tempore eam proprio facto confirmavit.

Ne quid vero desit in hac definienda quaestione animadvertendum est, ad obtinendum indultum jubilationis necessario requiri, ut constet de laudabiliter expleto quadraginta annorum servitio, haud tamen necessarium

*) Vd. *t. I. p. 722.*

esse consensum capituli. Hinc licet in more positum sit ut semper audiatur capitulum, a quo certum reddatur testimonium de expleto laudabiliter legitimo tempore, tamen non desunt exempla, in quibus s. haec Congregatio rude donavit viros de ecclesia benemeritos, qui quadraginta annorum spatium implerunt, nihilo obstante contraria capituli resolutione. Videtur inde sequi ut quemadmodum necessario non requiritur capituli consensus ad obtinendam jubilationem, ita conditio, si qua apposita fuerit in eodem consensu, haberi debeat tamquam non apposita, nisi illa a s. Congregatione in concessione indulti approbata fuerit.

Parvum insuper numerum psallentium in choro opponit capitulum; duodecim tantum nunc sunt Canonici et unus tantum beneficiatus, cum de tempore obtenti indulti Canonici essent decem et octo et quatuor beneficiati. Cum vero hi serviant alternis hebdomadis persaepe contingere poterit, ut debitum ecclesiae deficiat servitium. Sed animadvertendum est, in praesenti causa haud agi de indulto concedendo, sed de interpretatione jam concessi nec EE. VV. sapientiam fugit juxta *text. in cap. Cum ad hoc de cleric. non resident.* s. Congregationem in resolutione dubiorum jubilationum *sub die 17. Decembris 1718* decrevisse jubilatum non obstante jubilationis indulto cogi posse ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur.

Denique quoad consuetudinem plures afferuntur capitulares resolutiones ab anno 1712 usque ad annum 1800, in quibus vel a capitulo adjecta est conditio canendi missas de turno vel ipse postulans indultum ultro hoc sibi onus imposuit. Nullam tamen affertur indultorum exemplar, in quo hujusmodi vel imposita vel suscepta obligatio a s. Congregatione fuerit confirmata et approbata. Imo diligenter perlustratis s. Congregationis *regestris* ex octo exemplis a capitulo allatis quatuor tantum inventa sunt, in quibus concessum fuit jubilationis indultum sub consueta formula adjectisque solitis clausulis quin ne verbum quidem exciderit de obligatione canendi missas *de turno.*

Post haec vestrum erit EE. Patres deliberare quid definiendum sit tum quoad obligationem canendi missas conventuales tum quoad distributiones ex fallentiis tum demum quoad repetitionem eleemosynae pro missis hucusque celebratis.

Dubia proponuntur:

I. *An Canonicus jubilatus teneatur vel per se vel per alios ad celebrationem missae conventualis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An eidem restituendae sint eleemosynae pro missis conventualibus celebratis a die concessi indulti in casu?*

III. *An vigore indulti jubilationis debeantur distributiones ex fallentiis Canonicorum absentium a choro in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative a die obtentae Jubilationis.

Ad III: Affirmative.

Die 7. Mart. et 11. Apr. 1818.

Calaritana.

Canonicos jubilatos cogi non posse ad celebrationem missae conventualis neque per se neque per alium, passim definivit s. Congregatio, prout in *Pientina 20. Augusti 1757* et *in Spoletana Jubilationis 15. Septembris 1770*; nec etiam ad solvendum hujusmodi Sacrorum stipendium, uti hoc ipsum s. tribunal respondit in *Praenestina 11. Martii 1662*, et in *Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis 21. Julii 1759.**) Quin aliter suadeat quaevis contraria consuetudo et imposita a capitulo atque etiam a jubilatis accepto habita obligatio, quam esse irrationabilem ac rejiciendam semper censuit s. Congregatio, veluti indulta commonstrant *in Civitatis Plebis 23. Novembris 1782* et in *Nullius seu Foropompilii Jubilationis 18. Junii 1776.* Missa enim conventualis onus est capituli, s. Congr. *in Burgi s. Domini Missae conventualis 16. Maji 1717 ad I. dub.* et in *Pisana Applicationis missae conventualis 6. Julii 1737 §. Tertio*; atque hinc, dum ex communi capitularium reddituum massa stipendium persolvitur, nullum in themate reliquis Canonicis infertur detrimentum si non modo evangelii cantum, sed etiam illius missae celebrationem ex jubilatorum absentia saepius obire teneantur.

Die 7. Sept. 1831.

Lucana.

Michael Gambogi Canonicus collegiatae ecclesiae civitatis Camacore usque ab anno

*) Vd. *t. I. p. 722.*

1837 jubilationis indultum a s. Congregatione impetravit. Sed vero adversarium subinde expertus est capitulum in pluribus queis frui sperabat veluti indulti consectarius. Scilicet renuit capitulum ab onere eximere suppeditandi eleemosynam pro missis capitularibus de turno canendis, quatenus per alium id muneris explendum fuisset, noluit insuper participem eum reddere emolumentorum capitularium quae adventitia nuncupantur, obnoxium denique eundem voluit oneri nonnullarum missarum, ad quarum celebrationem diebus festis pro populi commoditate quisque e capitulo, haud excepto jubilato, solemniter capitulari deliberatione die 27. April. 1839 sese devinxit.

Suas quidem ad s. Congregationem detulit querelas Canonicus Gambogius ut exemptiones ac jura jubilati declararentur et die 29. April. 1843 responsum obtinuit hujusmodi: »Dentur resolutiones s. Congregationis ut in *Aquipendien. 1. April. 1719* et in *Spoletana 29. Nov. 1770*«, quibus resolutionibus declarabatur, Canonicum jubilatum, etsi absentem, participare tum de aliorum fallentiis tum de emolumentis anniverseriorum, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis, necnon exemptione frui a canenda missa conventuali sive per se sive per alium. Ast nihilominus 'perstante capitulo in sua oppositione coactus iterum fuit Gambogius s. Ordinis implorare praesidium ne alias sibi annis jam gravi jubilationis indultum in irritum recideret. Actum porro hac de re fuit in Congregatione habita die 27. Nov. 1852 per summaria precum. Archiepiscopus partibus capituli favebat contendens jubilatum a missis canonicalibus eximi non posse per solutionem saltem eleemosynae, quia secus ceteri Canonici imminutionem in respectiva canonicali quota pati contra aequitatem debuissent, cum non adsint pro hujusmodi missis redditus peculiares; emolumenta insuper tantum quae certa dicuntur ipsi licere condicere, cum pro eventualibus personalis assistentia requiratur, quoad missas demum ad populi commoditatem celebrandas nullam adesse dubitandi rationem quin huic oneri jubilatus subjici deberet, quod nimirum non a canonicali titulo, sed a peculiari cujusque obligatione scateret et Gambogius in illud convenerat quando jam indultum jubilationis assecutus erat. Placuit autem s. Congregationi rescribere: »Quoad missas capitulares et emolumenta eventualia capitulum pareat decreto s. Congregationis diei 29. April. 1843. Quo vere ad missas ad populi commoditatem celebrandas: Lectum ad instantiam et notificetur Archiepiscopo.«

Non id tamen satis visum est ad removenda contraria capituli studia et tutanda jubilati jura, paulo enim post novum obtulit recursum Gambogius, quo exponebat, capitulum variis adhibitis artibus et machinationibus nullius momenti reddere conari editas resolutiones, atque adeo s. Congregationis auctoritatem ad rem interponi expostulabat.

Necesse itaque fuit rescribere Archiepiscopo ad hoc, ut mandaret capitulo, ut omnino pareat decretis s. Congregationis dierum 29. April. 1843 et 27. Nov. 1852 et contra renuentes procederet, quatenus opus sit, poenis arbitrio ipsius Ordinarii infligendis. Cum vero nonnulli praeterlapsi essent menses quin tamen negotium hujusmodi, perperam Gambogio adnitente, ad exitum perduceretur, hinc rursus ad s. Congregationem ipse confugit precibus exhibitis, ut res aliqua provisione adhibita finem aliquando tandem haberet. Scribendum itaque tunc censui Archiepiscopo, ut audito capitulo referret de resultantibus ex postremo hoc rescripto s. Congregationis et quid obstaret exequutioni decreti diei 27. Nov. 1852.

Jam vero ex Archiepiscopi responsione accepi, haec decreta intimata fuisse capitulo eique injunctum ut iisdem omnino pareret et si quid contra animadversione dignum existimaret, coram ipsa s. Congregatione deduceret. Paruisse interea capitulum, nonnulla tamen ab eo animadvertenda proponi contra praefatas resolutiones, quae in separato libello recensentur, quem transmisit.

Quibus itaque se habentibus s. ordinis oraculum exquirendum duxi super noviter deductis a capitulo, ut quid hac in re decernendum sit tuto cognosci queat.

Tota quaestio ad duo praecipue refertur capita, alterum quoad eleemosynam suppeditandam pro missis conventualibus, alterum quoad participationem emolumentorum sive quae certa sive quae mere adventitia ac incerta sunt. Porro cum nihil hac de re cautum reperiatur in jure operae pretium erit nonnulla heic referre s. Congregationis decreta, quae variis temporibus prodierunt dum actum est de exemptione Canonico jubilato concedenda.

Et ad primum quod attinet saepius actum fuit de celebratione missae conventualis per turnum a qua jubilatum exemptum declaravit s. Congregatio. Ita in *Aquipendien Jubilationis 23. Martii 1697 ad 1. dubium* hisce conceptum verbis:

An Canonicus jubilatus teneatur vel per se vel per alium ad celebrationem missae conventualis per turnum?

responsum fuit: Negative. Pariter in *Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis 12. Maji 1759**) proposita fuere dubia:

I. An Canonicus jubilatus teneatur celebrare per se ipsum vel per alium missam conventualem per turnum eamque applicare per benefactoribus in casu?

II. An Canonicus jubilatus teneatur contribuere eleemosynae missarum conventualium? Et ad utrumque responsum prodiit: Negative. Quinimo si forte a jubilato missae hujusmodi celebratae post obtentum indultum fuissent, haud haesit eadem s. Congregatio eleemosynae restitutionem favore jubilati imperare. Sic in *Nepesina***) *11. April. 1818 ad 2. dubium*:

An eidem Canonico jubilato restituendae sint eleemosynae pro missis conventualibus celebratis a die concessi indulti in casu?

respondit: Affirmative a die obtentae jubilationis.

Proprius vero ad rem facit resolutio in *Spoletana Jubilationis proposita die 18. Aug. 1770* et resoluta die 24. Nov. ejusdem anni. Oneri enim celebrandi et applicandi missam conventualem subjici volebant jubilatum ceteri Canonici, quia id onus unicuique praebendae adnexum erat, scilicet ut referebat Episcopus missa conventualis non celebratur sumptibus massae communis sed unusquisque illam celebrat et applicare tenetur aere proprio. Nihilominus propositum dubium:

An et quomodo sit locus jubilationi in casu?

S. Congregatio dimisit responso: Affirmative, deletis conditionibus. Idemque saepe statutum legitur quoad alias missas quarum satisfactio ad capitulum spectat seu in *Balneoregien. Missae parochialis et conventualis 19. Aug. 1713.* et in *cit. Spoletana.* Quod si aliter statutum aliquando fuerit discrimen a regula generali non aliunde repetendum quam ex variis casuum circumstantiis et ex peculiaribus cujusque ecclesiae statutis et consuetudinibus, ceu probe monet folium s. Congregationis in *Reatina Missae conventualis 26. Jan. 1850.* §: *Re quidem vera**) in qua causa eadem resolutio capta fuit. Nihilominus ubi peculiares in themate circumstantiae aliter statuendum suadeant, decernendum tunc erit, an eleemosina pro missae conventualis applicatione conferenda a Canonico jubilato sit ad rationem taxae synodalis seu potius taxae a capitulo constitutae quae quidem cum sponte conventione facta inter Capitulares usu recepta fuerit, omnibus aeque ab eodem capitulo non excepto jubilato applicari certe posse videretur.

Ad alterum quoad anniversaria et cetera emolumenta quae in capituli ratione adnotantur, sequentes prae oculis habendae resolutiones: in *Novarien. 2. Oct. 1677* propositum fuit dubium:

An duo Canonici jubilati Collegiatae s. Gaudentii civitatis Novariae frui debebant emolumentis anniversariorum quae fiunt intra annum licet non assistunt?

Et responsum fuit: Affirmative. Re iterum proposita die 29. Nov. 1681 prodiit rescriptum: In decisis quoad anniversaria fixa et in quibus non est cautum a testatoribus ut interessentes tantum participare deberent. Pariter in *Lunen. Sarzanen Jubilationis quaesitum fuit*:

I. An vigore jubilationis de qua agitur debeatur Canonico licet non intervenienti portio emolumentorum provenientium ex anniversariis fixis?

II. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus et anniversariis incertis et extraordinariis?

III. An etiam in casu quo a testatore dispositum reperiatur nihil lucrari debere eos, qui non sint praesentes?

Et die 30. Sept. 1684 rescriptum fuit

Ad I: Affirmative.

Ad II et III: Negative.

Insuper in Burgi *s. Domini Jubilationis***) *19. April. 1704* disputatum fuit:

An indultum jubilationis concessum Razzio

*) Vd. *t. I. p. 722.*
**) Vd. *p. 484.*

*) Vd. *t. I. p. 724.*
**) Vd. *Hanc et alias citatas resolutiones vd. sub art.*: Jubilatio.

suffragetur pro participatione omnium fructuum et distributionum etiam extraordinariarum et contentarum in decreto bo. me. Episcopi Pallavicini? Et responsum est: Affirmative. Et in *Aquipendien. Indulti 1. April. 1719 ad II. dubium* ita propositum:

An idem Canonicus jubilatus participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum et associationum cadaverum si functionibus non intersit in casu?

responsum fuit ad II: Affirmative ad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis, ad secundam partem negative. Item in *Verulana Jubilationis 17. Junii 1820* rogati Emi Patres:

An Canonicus jubilatus quamvis absens participare debeat de scutis sex quae annuatim a communitate persolvuntur ob sacra novendialia?

responsum fuit: Affirmative.

Contra vero aliter aliis in casibus censuit s. Congregatio seu missis ceteris exemplis deprehenditur ex *Neapolitana Indulti 20. Febr. 1677* in qua quatuor proposita fuere dubia videlicet:

I. An Canonico Regna debeantur integrae distributiones quotidianae et omnia quae loco distributionum quotidianarum succedunt?

II. An emolumenta interessentium anniversariis?

III. Funeralibus?

IV. Missis?

Iisque omnibus responsum fuit in haec verba: Affirmative quoad distributiones,*) in reliquis negative. Idemque statutum legitur in *Bituntina Anniversariorum 1. Julii 1679.*

Porro harum resolutionum diversitas pendet ceu superius adnotatum est ex casuum varietate, ex diversis conditionibus a testatoribus appositis et ex peculiaribus cujusque ecclesiae statutis et consuetudine, ut perpendebat etiam Benedictus XIV., dum munere secretarii hujus s. Congregationis fungeretur, in folio causae *Aquipendien. Indulti 18. Martii 1769*; atque idipsum patet ex pluribus resolutionibus, quae ad rem offeruntur in folio causae *Reatina Jubilationis 28. April. 1770* in quibus ratio praecipua habetur ad statutą et peculiares cujusque ecclesiae consuetudines in decernendis juribus et exemptionibus Canonicis jubilatis aliisque indulto absentiae donatis competentibus. Sit prae omnibus resolutio in *Aquilana Indulti 16. Junii 1745* ubi cum ageretur de indulto concesso cuidam Canonico abessendi ab ecclesia dubitatum fuit:

An et quibus emolumentis perfrui debeat?

Et resolutio prodiit: Deberi omnia emolumenta, exceptis iis quae sive ex dispositione testatoris sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus et amplius. Et hanc sententiam perpetuo sequuta est s. Congregatio in posterioribus resolutionibus, uti aperte liquet ex causa *Spoletana et Reatina Punctaturarum 3. April. 1841* in qua ad dubium:

An Canonicus Franciscus Ettorre participare debeat de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum, si choro non intersit in casu?

Respondit: Affirmative cum nihil obstat vel ex statutis vel ex consuetudine.

Ceterum seclusis statutis vel consuetudine ex allegatis resolutionibus inferri posse videtur, hanc fuisse s. Congregationis disciplinam, ut nimirum Canonicos jubilatos putaret exemptos a celebratione et applicatione missarum conventualium vel capitularium sive per se sive per alium. Quoad emolumenta autem participes eos faciendos existimaverit emolumentorum proficiscentium ex anniversariis fixis, nisi aliter caverint testatores, denegaverit vero eisdem portionem emolumentorum provenientium ex funeralibus, ex anniversariis incertis et ex aliis extraordinariis ac incertis pariter functionibus.

Reliquum igitur est ut EE. PP. super consuetudine in casu, cum de statutis mentio nulla fiat, examen instituant. Animadversione autem dignum est, consuetudinem in themate juxta capituli relationem consentaneam esse praxi ac disciplinae s. Congregationis. Siquidem nihil ex hac consuetndine contra exemptionem ab onere missarum conventualium innuitur. Ex proprio insuper facto jus in Canonico jubilato probavit capitulum participandi de emolumentis, quae ab anniversariis fixis proveniunt. Pro exclusione vero a ceteris emolumentis mere adventitiis ac incertis affertur consuetudo ceterarum Lucanae ecclesiae Collegiatarum et ipsius Collegiatae Camajore, quamvis praetereundum non sit, de hujusmodi consuetudine nullum afferri probationem, quae in una Capitularium assertione consistit et praeterea a Gambogio ipso nunquam non contradicta appareat.

*) Vd. *Distributiones.*

Omnibus itaque perpensis quae hucusque exposita sunt erit EE. PP. dirimere quae juxta Capitularium petitionem proponuntur dubia:

I. An et ex qua distributionum quota detrahenda sit eleemosyna pro missis conventualibus, quarum applicatio Canonico jubilato per turnum incumberet in casu?

II. An praedicta eleemosyna assignari debeat ad rationem taxae synodalis seu potius taxae a capitulo constitutae in casu?

III. An Canonico jubilato licet non intervenienti debeatur portio emolumentorum provenientium ex associatione cadaverum et ex respectivis funeralibus in casu?

IV. An debeatur portio emolumentorum provenientium ab anniversariis fixis in casu?

V. An debeatur portio emolumentorum provenientium ab anniversariis incertis et extraordinariis in casu?

VI. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex missis cantatis adventitiis quae occasione festorum ad benefactorum petitionem celebrantur a capitulo in ecclesiis civitatis et territorii in casu?

S. C. resp.

Ad I: Deducta prius integra quota quotidianarum distributionum Canonico jubilato debita ex reliquo detrahendam esse eleemosynam pro missa conventuali.

Ad II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III: Negative in omnibus.

Ad IV: Affirmative dummodo non obstet voluntas testatorum.

Ad V. et VI: Negative.

Die 30. Jan. 1858.

Sabinen.

Capitulum Maleanensis Cathedralis obsequens rescripto H. S. C. quo sub initio labentis anni indultum jubilationis Canonico Theologo Liberatori Leti elargitum fuit judicium Eminentiarum Vestrarum super quibusdam exortis dubiis exposcit, quo tutius ad rescripti ipsius executionem valeat devenire. Enarrat enim cathedralem ecclesiam carere speciali distributionum massa pro missis conventualibus ob reddituum tenuitatem massamque ipsam quotidianarum distributionum penitus deperiisse post nuperrimas subalpinas leges, quae decimas aboleverunt. Hinc missae conventualis applicationem locum haud habere nisi in diebus festis tum de praecepto tum suppressis ex quodam rescripto a Benedicto XIV. an. 1745 lato ad tramites suae const.: Cum semper oblatas*), et in reliquis diebus contingere, ut missa conventualis celebretur quidem cum cantu, minime vero applicetur.

Hujusmodi porro onus sustineri refert capitulum a sexdecim Canonicis, qui duplicem mediariam efformantes hebdomadam alternant ac per turnum choralia officia persolvunt. Missae conventuali accedunt praeterea anniversaria, quorum alia causam ducunt a piis quibusdam testatorum relictis, quae tamen cum ceteris capitularibus bonis indistincte confusa antiquitus fuere, quaeque proinde tamquam onera beneficiis inhaerentia habentur quin aliqua pro iis specialis Canonicis eleemosyna rependatur. Alia vero anniversaria peculiariter a capitulo instituta fuere ob grati animi sensum erga Episcopos illos, qui ecclesiae cathedrali benefecerunt quaeque nullum pariter emolumentum pro celebrantibus secumferunt. Praeter conventnales tandem et anniversarias, ut jam relatum, plures sunt aliae missae lectae ex titulo legatorum vel contractuum, quae a Canonicis per turnum sine eleemosyna pariter perlitantur. Peculiariter vero animadvertendum proponitur Canonicum quendam Zucchi, quum haereditatem capitulo reliquerit adjecto onere anniversarii uniusque missae cum cantu per turnum celebrandae, disposuisse simul, ut eleemosynae obol. 30 celebranti et distributio obol. $12^1/_2$ praesentibus persolveretur, ita tamen ut aliquo Canonico absente portio accederet cumulo, quo totidem a Canonicis missae lectae litandae forent pro eleemosyna obol. 20.

Enmus Sabinensis Antistes ad quem preces capituli de more transmissae fuerunt pro informatione et voto, audito Canonico jubilato in scriptis, a quavis proferenda sententia semet abstinuit mihique literis 6. Augusti lab. anno animadversiones Canonici jubilati una cum ulterioribus capituli deductionibus exhibuit, quas heic breviter pro munere meo perstringam.

Autumans capitulum Canonicum jubilatum teneri ad onera missarum et anniversariorum persolvenda praemonet Canonicos Cathedralis Malleanensis alios esse primae, alios secundae erectionis**) priorumque redditus omnes conflari ex massa communi et quotidianis distributionibus. Sublato tamen subalpinis legibus

*) Vd. *t. I. p. 695*; *p. 760. XI.*

**) Vd. *p 385. n. 18.*

jure decimandi, quo capitulum potiebatur super abbatia di Monte Cavo, tria tantum superesse praedia, quae exiguum quindecim scutatorum fructum reddunt, inter Canonicos tum primae tum secundae erectionis pro distributionibus quotidianis dividendum. Hinc subdit, quod si in casu jubilatus eximeretur a praedictis missarum oneribus adimplendis ea deberent assumi vel a singulis Canonicis vel ab iis tantum, qui ad turnum hebdomarium jubilati pertinent. Ast in prima hypothesi facile contingeret, ut idem Canonicus per duas continuas hebdomadas chorali servitio addiceretur, in altera vero nulla aequa proportio in eodem capitulo servaretur, quinimmo unus turnus prae alio sine ulla ratione gravaretur. Posito praeterea quod hujusmodi onus ceteris Capitularibus absque deformitate imponi posset, nemo gratis omnino illud subire cogendus esse videretur. Hinc sponte sua altera disquisitio profluit, nempe ex quonam capite eleemosyna desumenda sit, maxime iis nostris temporibus cum media prorsus deficiant novis in dies subalpini gubernii supervenientibus impositionibus. Et re quidem vera redditus trium praediorum de quibus supra adeo tenues sunt, ut vix et ne vix quidem ad ordinarias distributiones sufficiant; ii vero qui a massa communi proveniunt, utpote absolute pertinentes ad Capitulares primae erectionis, non sine quadam injustitia cum ceteris secundae erectionis Canonicis communicarentur. Superest igitur ut jubilatus vel per se vel per alium controverso oneri satisfaciat.

Cui quidem conclusioni suffragari ajunt ultimum statum capituli Malleanensis Cathedralis, qui jugi observantia, quam centenariam dicunt, ab ultimis jubilatis desumpta constituitur. Enimvero Canonici, Primicerius Cincci, Antonius Bellnus et Franciscus Fatali, quamvis indulto jubilationis donati, missas conventuales, anniversaria missasque lectas sedulo celebrarunt et applicarunt, uti prostat in registris librorum capitularium, quorum tamen exempla in actis exhibita periodum 23 annorum continent, quibus quandoque semel in anno Canonicum Bellni missam cum cantu celebrasse probatur, septies Canonicum Cincci, unica tantum vice Canonicum Fatali. Ex iis ergo arguunt nefas esse hodierno jubilato Canonico Leti statum capitularium obligationum subvertere.

Paucis ex adverso contra capitulum suam defensionem exolvit Canonicus jubilatus et ab iis incipiens quae Capitulares urgebant ex pertinentia et statu redditum capitularium animadvertit, redditus omnes indistincte spectare ad massam communem nec aliud retinendum esse de quotidianis distributionibus, ceu refert nuper demonstratum fuisse a capituli subcollectoribus spoliorum, qui sibi fructus vacantium canonicatuum vindicabant; idque praeterea confirmatum pariter esse subjungit ex decretis in s. visitatione editis, quae jubent per alium celebrari missas alicui praebendae inhaerentes neque satisfactas stipemque earumdem praelevandam esse in divisionibus reddituum capitularium quolibet anno fieri solitis, sicuti usuvenit cuidam Canonico Sirocca et Archipresbytero Vitali. Quapropter infert, optime fieri posse ut onera, a quibus jubilatus eximitur, per ceteros Canonicos sustineantur, peculiari desumpta retributione ex redditibus qui communes sunt omnibus Canonicis.

Progrediens deinde ad ultimum statum, quem capitulum sibi favorabilem adstruit ex observantia Canonicorum Cincci, Bellni et Fatali monet primum ex praedictis Canonicis jubilationis indulto donatum anno 1802 vita functum fuisse 1804. Jubilatum alterum Belnum sub eodem anno 1802 obiisse anno 1825; tertium tandem rude pariter donatum anno 1820 propter decrepitam aetatem, quo vix in privato sacello missam celebrare poterat, nedum eandem in Cathedrali canere, anno 1831 e vivis fuisse sublatum. Ex qua brevi narratione cum evidentissime pateat, ea quae a Capitularibus adducta sunt nonnisi intra trium et viginti annorum periodum contineri, illico profligari ait assertam in contrarium centenariam observantiam. Sed dato etiam quod tres memorati Canonici plenissime toto jubilationis tempore supradictis oneribus satisfecerint, de quo adhuc dubitari licet, illud etiam demonstrandum superesset, utrum ipsi ita se gessisse dicendi forent ex causa obligationis seu potius ex libera facultate vel ex devotione qua cuperent chorali servitio interesse in sacris functionibus peragendis. Capitularibus ergo etiam ex hac parte in suis probationibus deficientibus nullum sibi contrarium argumentum adesse concludit Canonicus jubilatus, quo ipse praeter onera suae theologali praebendae adnexa etiam illa sustinere cogatur, quae collegium capitulare respiciunt pro chorali servitio.

Haec ex partium deductionibus summarie depromsi. Juverit modo aliqua ex jure subnectere. Nullo equidem ex canonum praescripto privilegium jubilationis sancitum esse tradit *Navarrus cons. 12. lib. 3 de cleric. non resid.* Merito tamen exemplo sacerdotum veteris legis *Num. VIII. 25 et 26* id moris invaluisse videtur vel etiam ex privilegio veteranorum militum, qui ob diuturnum servitium ab ulteriori eximebantur onere et rude donati integra emeritae militiae beneficia retinebant, *L 1. Cod. de veter.* Recte enim ea dispositio traducta est ad clericos qui celestis militiae milites dicuntur, *Moneta de distrib. par. 2. quaest. 12. n. 62.* Hinc in genere traditum est jubilatum ratione jubilationis eximi a residendi lege in loco ubi canonicatu potitur; *Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 13. c. 9. n. 15* et nihilominus praesentibus immo etiam interessentibus adnumerari; ex quo non solum omnes distributiones illas lucratur quas tamquam fructus canonicatus dietim lucratur Canonicus ratione servitii et laboris, uti probant *Pignatel. consult. can. 4. tom. 4., Moneta d. p. 2. quaest. 3. n. 14, Pirh. Conrad. de dispens. l. 5. c. 6. n. 18,* s. Congr. in *Patavina Indulti 9. Junii 1714,* sed illas etiam, quae ex aliorum Canonicorum fallentiis promanant, ceu s. Congr. definivit in *Spoletana et Reatina Punctaturarum 3. April. 1841;* proposito enim dubio:

An Canonicus Franciscus Ettore participare debeat de punctaturis seu fallentiis aliorum Canonicorum si choro non intersit?

Responsum prodiit: Affirmative, cum nihil obstat vel ex statutis vel ex consuetudine.

In specie autem quoad missarum celebrationem vel cantum, iis oneribus certe ab ipso jubilato satisfieri debet, quoties suae praebendae peculiariter sint adnexa,*) uti s. hic Ordo in *Praenestina Distributionum 11. Martii et 1. April. 1662.* Quoties vero celebratio cujusvis generis missarum sit onus universo Capitularium collegio incumbens et per turnum explendum, tum regula est, jubilatum non teneri ad earum satisfactionem nec per se nec per alium nec quovis aequipollenti modo peragendam. Cujus rei monumenta extant in plurimis hujus s. Congregationis resolutionibus, quarum unam alteramve heic referam. In doctrinali *Aquipendien. Jubilationis 23. Martii 1697* quaesitum est:

An Canonicus jubilatus teneatur vel per se vel per alium ad celebrationem missae conventualis per turnum?

Et responsum fuit: Negative. Quod pariter confirmatum est in *Senen. Celebration. et applicat. missae conventual. 12. Martii 1839* Rursus in *Praenestina**) *Dubiorum jubilationis 5. Septemb. 1835* propositis dubiis:

I. Utrum Canonici jubilati Terrae Cavarum teneantur canere et applicare missas conventuales et feriales de turno in casu?

Et quatenus negative,

II. An teneantur tot alias missas lectas ad massam communem non pertinentes applicare juxta morem Praenestinae Cathedralis in casu?

III. Utrum jubilati Canonici sint censendi exempti a celebratione missae ad auroram et ultimae circa meridiem in diebus festis in casu?

Responsum fuit

Ad I: Negative.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative.

Nec aliquid rem in casu immutare videretur asserta trium jubilatorum contraria observantia. Etenim possunt quidem Canonici, si placuerit, favori istiusmodi et privilegio etiam abdicando cedere ex regula *L. pen. ff. de pact.*, hujusmodi vero legitimi juris abdicatio personam abdicantis non praetergrederetur, argumento ex *L. 74 et Leg. 11. ff. de reg. jur.* Multo igitur minus operaretur in alterius detrimentum tacita renunciatio, quae ex consuetudine eruitur mere facultativa, atque in judicio nunquam formaliter contradicta, ceu exigit *Pignatell. consult. canon. 4. tom. 4. n. 11.* Scitum praeterea est consuetudinem vim suam nancisci ex voluntate agentium, qui eatenus actus quosdam operantur, ut obligationem exinde inducant, *L. 32. ff. de leg.* Proposita ergo observantia adhuc dubitari licet an animo sese obligandi jubilati onus missarum susceperint; consuetudo enim quae obligationem induceret stricte esset interpretanda. Hinc cum in una *Signina Missae***) *conventualis 30. Martii 1833* huic s. Congregationi proponeretur in capitulo Signino ex immemorabili consuetudine Canonicos jubilatos consuevisse missam conventualem per turnum sive per se sive per alium celebrare et inde quaesitum esset:

An et quomodo confirmanda sit consuetudo capituli Signini, ut obligatoria fiat pro jubilatis in casu?

*) Vd. *p. 405. n. 22; p. 415. n. 32.*

*) Vd. *t. I. p. 719.*

**) Vd. *t. I. p. 716. VII.*

Emmi Patres responderunt: Negative.

Attamen si jubilatus eximitur ab obligationibus, quae a Capitularibus per turnum sustineri debent, superest adhuc aliquid inquirendum in specie circa emolumenta quae ex anniversariis proveniunt. *Pignatellus in tom. 4. consult. canon. 224. num. 21* negat jubilatum absentem lucrari distributiones anniversariorum et refert resolutionem s. Congregationis super Episcopis in *Aquilana 27. Sept. 1659* hisce conceptam verbis: Absentibus non dantur distributiones anniversariorum. Pariter *Ursaya in tom. 3. p. 4. disc. 4* profert resolutionem hujus s. Congregationis in *Bituntina Anniversariorum 1. Julii 1679*, ubi definitum fuit: Jubilatum non esse admittendum ad participandum de emolumentis anniversariorum. Verum id forte intelligendum videtur de anniversariis adventitiis, in quibus distributiones forent numero determinatae pro solis interessentibus ab ipsa voluntate Dantis, vel de iis etiam fixis, in quibus testatoris voluntas resistit, quominus aliter quam inter materialiter praesentes distributio fiat. Quae probe distinctio merito doctrina hujus s. Ordinis sustineri videtur, argumento ducto a quadam resolutione lata in *una Romana Jurium canonicalium 5. Maji 1703.* Cum enim dubium his verbis conceptum proponeretur:

An Canonico Stroedae, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis, quindeniis, capitulis, processionibus ac pro quibusvis functionibus in ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cujusvis generis et speciei, communia nuncupata, ac etiam victualia et candelas?

Responsum fuit: Affirmative etiam quoad laudemia exceptis anniversariis aliisque obventibus non fixis et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum.

Similiter in *Aquipendien Indulti 1. April. 1719* in secundo dubio, quaesitum est enim: An idem jubilatus participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum et associationum cadaverum, si functionibus non intersit in casu?

Et editum est responsum: Affirmative ad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis: ad secundam partem negative. Ac tandem in *Novarien. Jubilationis 2. Octobr. 1677*:

An duo Canonici jubilati collegiatae ecclesiae s. Gaudentii Novariae frui debeant emolumentis anniversariorum quae fiunt intra annum, licet non assistant?

Responsum fuit: Affirmative; quae resolutio affirmata fuit die 28. Novembr. 1681 his verbis: In decisis quoad anniversaria fixa et in quibus non est cautum a testatoribus, ut interessentes tantum participare deberent.

Inter recentiores autem adnotanda venit *Piscien. Indulti 23. Martii 1839* §. *Ceterum*, quae quamplurimis allatis hujus s. Congr. exemplis eodem modo excludit emolumenta adventitia ex anniversariis omnino incertis et extraordinariis provenientia, quaeque vel ex voluntate testatoris vel ex ecclesiae consuetudine aut statuto capituli debent inter actu praesentes tantum distribui.

His ergo summarie quasi relatis videant Emmi Patres quomodo resolvenda sint

Dubia:

I. *An et quomodo Liberator Leti celebrare teneatur per se vel per alium missas conventuales, anniversarias missasque lectas, quae a capitulari collegio per turnum celebrari solent in casu?*

II. *An et quomodo Liberator Leti missas anniversarii Zucchi per se vel per alium celebrare teneatur in casu?*

III. *An et quomodo Liberator Leti absens a choro frui valeat distributionibus anniversarii Zucchi in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. et III: Negative in omnibus.

Die 10. Decbr. 1862.

7) Stipendii restitutio pro lecta missa conv.

Vd. p 484: *Nepesina.*

8) Stipendium persolvere non debet pro missa conv. legenda.

Vd. t. I. p. 716. VII.; t. I. p. 722. *Senen*; supra p. 485: *Calaritana, Lucana.*

9) Substitutus esse potestne?

Vd. t. I. p. 719.: *Praenestina.*

XV. Lateranensis.

(Regimen, immunitates et gratiae.)

(Multae tamen harum gratiarum etc. partim sunt revocatae partim immutatae ut ostendunt notae in bullario citato appositae.)

Vd. *Bull. r. t. V. p 234.* Ed. Aug. Taur. 1860; infra: *Canonic. regular Lateran.*

XVI. Parochus.

1) In choro praesens quando est habendus?

Vd. *Distribut.* (Canon. parochi; absentia Canon. parochi); *Chorus; Canonicus* (curatus p. 457; confessarius p 454); *Cura animarum*; t. I p. 737. IX; infra n. 2.

Spoletana.

In oppido Leonissae Neapolitanae ditionis promiscue Spoletani et Reatini Praesulum jurisdictioni obnoxio adest Collegiata s. Mariae de populo nuncupato, cui per apostolicam Sedem paroecia vulgo exterorum unita fuit. Animarum cura diu acta fuit vel a Capitularibus per turnum vel a sacerdote per capitulum deputato, quumque ob redditum tenuitatem vix stabilis parochus haberi posset ad instantiam capituli s. Mariae convenerunt Spoletanus et Reatinus Praesules de unione praedictae paroeciae cum altera s. Donati intra limites Spoletanae dioecesis sita.*) Inter laudatos Praesules et capitulum s. Mariae ita fuit unio conventa ut in perpetuum per duas vices canonica institutio (parochi) spectaret ad Spoletanum Episcopum et tertia vice ad Episcopum Reatinum, abdicata a capitulo animarum cura et ut parochus Canonicorum collegio cooptatus gauderet omni collegii honore et pensa universa persolveret et prout alibi repetitum habetur omnia onera choralia adimpleret. Pro consecutione apostolici beneplaciti delata res fuit ad H. S. O. in conventu diei 22. Decembris 1821 sub dubii formula:

An et quomodo probanda sit unio in casu?

et responsum est: Affirmative juxta votum utriusque Ordinarii et jus visitationis exerceatur ab Ordinario qui parochum instituet.

Ad normam relati decreti unione praedicta ad effectum traducta contentiones inter Canonicos et parochum insurrexerunt circa qualitatem onerum canonicalium ab isto sustinendorum, quae in causa fuerunt, ut occasione s. visitationis ab Archiepiscopo Spoletano Cadolini anno 1835 in illa ecclesia peractae a capitulo proponerentur Archiepiscopo varia dubia.

A responso Archiepiscopi capitulum ad Archiepiscopum Reatinum recursum habuit, instando ut injungeretur parocho implementum sequentium onerum:

1°. Quod Canonicus parochus debeat adesse choro et obnoxius fieri punctis vulgo punctaturae si desit, excepto casu quo parochialibus curis distinetur.

2°. Quod debeat hebdomadam agere per turnum prout ceteri Canonici.

3°. Quod pro rata subeat omnes et singulas expensas quibus obnoxii sunt Canonici, sive quoad reparationes in ecclesia sive quoad stipendium in eadem inservientibus praestandum et alia hujusmodi.

4°. Denique, quum Canonici praeter expensas consuetas pro manutentione ecclesiae etc. teneantur solvere quotannis ducata 12 pro cera, hinc praetendunt ut parochus ecclesiae cedat ceram, quae illi obvenit ex funeribus, quia attenta longiori missae parochialis duratione major ab ipso cerae quantitas absumitur.

Morem gerens Archiepiscopus Canonicorum instantiae mandavit parocho, ut se omnibus hisce oneribus submitteret; qui tamen se gravatum existimans ad H. S. O. provocavit.

Archiepiscopus de sua confirmatione et voto rogatus documenta ad rem facientia transmisit; de redditu illius praebendae parochialis haec habet: Postquam ei unita fuit parochialis ecclesia s. Donati assecutus est scut. centum octo, obol. viginti sex cum dimidio; suamque sententiam aperit in haec verba: »Ego autem quin alia repetam supradictae Bullae praescripto omnimodo adhaerendum puto.«

Parochus Bisini inprimis existentiam assertae bullae unionis impugnat. Quod bullae nomine circumfertur nihil aliud est quam restrictus juris et facti penes H. S. O. exoratus conventionem referens inter utrumque Episcopum Spoletanum et Reatinum secutam, quae in eo tantum vigorem habet, in quo fuit ab H. S. O. confirmata. Expendens autem utriusque Episcopi votum in conventione emissum animadvertit, Episcopum Reatinum retulisse tantummodo clausulam a capitulo s. Mariae appositam pro obligando parocho ad choralia onera subeunda, sed nec ipse nec suae Cathedralis capitulum in eum consenserat, uti evincunt verba quae ibi leguntur: »unioni praedictae reverendum capitulum Reatinae ecclesiae libere et absque ulla conditione accessit,« quum igitur in hoc tantum inter se ambo Episcopi convenerint ut unio fieret duarum paraeciarum, dum s Congregatio juxta votum utriusque Ordinari

*) Vd *t. II. p. 970. II; p. 971 III; 974. V; 999. XVII.*

unionem approbavit, nihil aliud approbasse autumat quam unionem simpliciter acceptam, non autem clausulam appositam, quae Praesulis Spoletani tantum, non autem Reatini voto consona erat.

Sed etiam dato quod vi conventionis ab H. S. O. adprobatae ad canonicalia officia persolvenda obligatus haberi velit parochus, haec stricte interpretanda esse autumat de simplici assistentia in choro. Hoc autem suadere contendit ex quo distinctos habet parochiales redditus nihilque omnino percipit ex capitulari massa piisque legatis capitulo relictis. Hoc addit confirmari ex rescriptione in ipsa conventione apposita: »eo tantum cum distenditur parochialibus curis choro vacare prohibeatur.« Ex quibus arguit, mentem Praesulum fuisse tantum eum chorali assistentiae subjicere; secus, quum in aliis pluribus officium parochiale cum canonicali incompatibile sit, addi etiam debuisset, ut et ab aliis oneribus immunis esset quoties id animarum cura exigeret.

De singulis deinde oneribus quibus eum subjectum Capitulares praetendunt singillatim disserens, excepto primo, cui se sponte subjicit, quoad secundum, quod hebdomadam per turnum et applicationem missae pro benefactoribus respicit, ab hac se exemptum praesumit, quia istiusmodi onus adnexum est canonicali praebendae, qua ipse caret. Addit insuper quod diebus festis ipsi onus est applicandi pro populo; et saepius etiam occurrit ut ratione sui muneris alibi Sacrum peragere teneatur, scilicet in ecclesiis vel s. Francisci vel s. Augustini, quando illuc aliquorum ex suis parochianis funus est ducendum et missa praesente cadavere ibi canenda; quibus in casibus putat non teneri alium substituere, qui suas gerat vices penes capitulum, quum ex repetita conventione nedum dispensatus sed prohibitus sit choro vacare cum distenditur parochialibus curis. Neque eum morantur verba illa »pensa universa persolvat,« haec enim intelligi debent de iis, quae cum parochiali munere sunt compatibilia.

Ab onere concurrendi in reparatione et manutentione ecclesiae s. Mariae se exemptum putat, quia ex conventione parochus solus consulere et providere tenetur alteri ecclesiae s. Donati. Ita enim in eadem habetur: »ne tamen s. Donati memoria obliteretur, quotannis capitulum primis et secundis vesperis et missae solemni a parocho canendae die s. Donato sacro assistat parochusque omni sua impensa altari et sacello ejusdem Sancti provideat.« Quum Canonici aliunde iisdem nunc sint expensis obnoxii ac antequam paroeciarum unio fieret, nullaque fuerit per unionem canonicalis praebenda parocho tributa, nihil a parocho exigere eos posse, secus, contra notissimum juris principium, cum aliena jactura locupletarentur.

Ad postremum quod cerae subministrationem respicit, animadvertit, ceteros sacerdotes et parochos Leonissae in ecclesia s. Mariae celebrare absque eo quod aliquid pro cerae consummatione rependant; ex quo arguit injustum esse parochum huic oneri subjicere ob simplices honorificentias canonicales quibus gaudet quas abunde compensat pondus assistentiae choralis. Relate ad ceram, quae in missae parochialis celebratione absumitur, non dissentit, propriis sumptibus comparare, ubi ecclesia eam subministrare recuset.

Hisce omnibus veluti calculum adjicit consuetudinem. Omnes enim ejus praedecessores, prout ipse asserit. excepta chorali assistentia nullum aliud oneris in se susceperunt. Neque attendendas esse vult attestationes a Canonicis exhibitas, quas ex aemulatione potius quam veritatis amore exaratas esse praesumit. Rem ex capitularibus regestis, in quibus omnia adnotantur onera ad quae singuli ex capitulo tenentur, definiendam esse asserit: ex quibus ubi constet parochos antecessores onera de quibus agitur implevisse, se etiam ad earum implementum paratum esse protestatur.

Lamentatur demum ascensum ad superiora stalla ipsi a Canonicis recusari, quod adversatur conventionis clausulae, ut scilicet parochus omni collegii honore gaudeat; ex quo sequitur, non sine magna sui decoris jactura simplicem clericum digniorem sedem in choro occupare..

Ad haec capitulum ecclesiae collegiatae respondet primum generatim, in actis, quae gesta sunt inter Episcopum Spoletanum et Reatinum simulque inter capitula Spoletanae et Reatinae Cathedralis, quae in eo negotio vocata sunt, antequam inita unionis ratio apud hanc S. C. proponeretur, disertissime conventum esse ac praedictorum omnium interesse habentium nomine expositum fuisse, ut curatus, in quo utriusque parochiae cura conjungenda erat, dum ex una parte in Canonicorum gremium cooptabatur et in partem omnium canonicalium bonorum jurium-que vocabatur, ex altera non solum omnia onera choralia adimpleret, sed etiam universa chori pensa persolvere obstringendus esset. In quo quidem partes omnes amice conspirarunt ut Reatinus Episcopus in sua relatione testatus est.

Accedit, quod Archiepiscopus Spoletanus in suis responsionibus superius exscriptis anni 1835, quas capitulo super hisce rebus sese consulenti praebuit, ad onera, de quibus loquimur, planissime Canonicum curatum teneri declaravit. Quibus responsionibus ceu totidem decretis docilissime sese conformavit non solum illius temporis curatus, sed et alius qui eidem successit, si paucos annos ad exitum suae paroecialis procurationis excipias.

Praeterea singillatim Canonici refellunt ea, quae a parocho propugnantur. Prae primis nihil de primo recursus articulo addendum puto, quoniam uti dictum est parochus a capitulo in eo minime dissentit. Ad secundum quod attinet, in quo res est de missa conventuali pro benefactoribus applicanda iis etiam diebus, quibus parochus missam pro populo vel etiam pro animabus fidelium qui in sua paroecia decedunt offerre tenetur, Canonici confugiunt ad celebratissimam constitutionem Ben. XIV. *Cum semper oblatas*, in qua ad paragraphum 17. ita legitur:*) »Alia missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus . . . vel quia praeter munus Canonici ..... in ecclesia cathedrali ceu collegiata, cum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eamdem pro benefactoribus ecclesiae specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculialiter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.«

Super haec sciunt omnes missae conventualis applicationem nihil aliud esse nisi unam ex partibus, quibus totum diurnum officium coalescit; cum igitur parochus manus victas dederit in primo articulo, ob eamdem rationem cedat necesse est circa obligationem, de qua res est in articulo secundo. Quod autem missae conventualis applicatio habeatur inseparabilis diurni officii pars, doctissime explicat Ben. XIV. in citata constitutione ita ut quidquid hoc de onere ibidem agitur non uti nova lex, sed veluti legis antiquissimae declaratio sit et communiter reputetur.

Sequitur tertius articulus, qui expensas respicit pro ecclesiae tuitione et inservientium stipendio necessarias. Porro Canonici ex communi axiomate, quod qui sentit commodum incommodum etiam sentiat necesse est, arguunt, Canonicum curatum, qui ad omnium honorum et jurium canonicalium consortium adscitus est, ad onera omnia, quae Canonicis inhaerent, similiter obstrictum censeri. Id etiam confirmant ex verbis in actis pro unione perficienda confectis, ubi non solum ad pensa universa, sed conceptis verbis ad onera omnia obligatus enunciatur. Jam vero Canonici subsumunt sese teneri ad onus reparationis ecclesiae et honorarii inservientibus ecclesiae pensitandi; quod apprime consentaneum est concordato anni 1818 cum utriusque Siciliae Rege celebrato, in quo ad art. septimum hujusmodi obligatio in Collegiatis ad Canonicos pertinere sancitur.

Quae vero hactenus dicta sunt de articulo tertio, valent etiam pro articulo quarto, qui agit de cera pro divinis functionibus necessaria. Qui enim onere ecclesiae tuendae generatim obligatur, speciatim etiam tenetur ad ceram aliaque necessaria praestanda, quae pro divinis functionibus requiruntur: quem enim totum gravat eumdem et pars gravet necesse est. Neque officit, quod Canonicus curatus ecclesiae s. Donati manutentione prematur; cum enim ex ea pingues redditus percipiat, mirum esse non debet, si ad onera aliqua itidem in ejusdem favorem devinciatur. Porro Canonici parochiae, ceu nunc unita est, redditum annuum ad scutata 135 adscendere ajunt.

Hisce praehabitis nihil nunc superest nisi ut Emmae Vestrae Rmae pro ex qua pollent sapientia dirimere dignentur sequentia

Dubia:

1. *An et ad quae onera Canonicus curatus Collegiatae s. Mariae de populo veluti*

*) Vd. *t. I. p. 700.*

alii Canonici in choro per turnum teneatur in casu?

II. *An et quomodo teneatur pro rata ad expensas pro ecclesiae reparatione et inservientium stipendio in casu?*

III. *An et quomodo teneatur ad solutionem duodecim ducatorum pro comparanda cera ad functiones divinas necessaria in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II et III: Affirmative ad formam decreti s. Visitationis.

Die 8. Julii 1854.

Continuat. Spoletana.

Parochus Bisini, cui res male cesserat, non omisit illico novae audientiae beneficium exposcere, quod obtinuit; sed partibus silentibus locus amplius factus non est novo causae periculo. Huic diuturno silentio finem tandem attulere Canonici, qui nuper institerunt ut controversia quam cito definitiva s. Ordinis resolutione absolveretur. Quamvis vero congruum ope Ordinarii tempus datum fuerit Bisinio ad parandam, quatenus vellet, novam defensionem nihil tamen ad hunc usque diem exhibuit.

Causa itaque proponitur. Canonicorum procurator in memoriali mihi exhibito ad ea potissimum sese refert quae in prima propositione disputata sunt. Scilicet perpendit, paroeciarum s. Donati et s. Mariae unione legitime peracta et paroeciali praebenda, quae ob hanc unionem una effecta est, ad gradum evecta canonicalem rem jam in discrimen revocari non posse quin parochus laederetur qui una simul Canonicus est et uti paroecialia ita quae Canonicorum propria sunt munia universa impleri debet. Vel ipsa institutionis lex in unionis decreto comprehensa et a s. hac Congregatione sancita rem diserte confirmat ubi edicitur, ut *parochus Canonicorum collegio cooptatus gauderet et omni Collegii honore et pensa universa persolveret et omnia onera choralia adimpleret, exemptione* a choro eidem concessa tantum in casu quo *parochialibus curis distenditur.*

Perperam vero huic legi repugnaret Bisinius ex eo, quod praebenda qua nunc parochus fruitur eadem sit qua fruebatur antea quam ad canonicalem gradum eveheretur, ut adeo novum quid onus, nullum vero emolumentum parocho obvenerit. Nam praeter quam quod vel ipsa hujus accessio honoris aliqualis compensationis loco censeri merito posset, accedit insuper alteram ex praebendis nimirum s. Mariae vel ante unionem non parochialem simpliciter, sed canonicalem etiam fuisse, quatenus cura parochialis penes capitulum resideret ad quod jus nominationis pertinebat et a Canonicis per turnum exerceretur; qui ideo praeter honorem emolumentum etiam, scilicet praebendam, novo parocho cessere eumque distributionum inter praesentes participem fecerunt. Obligationem hanc vero qua parochus tenetur confirmari magis magisque tum aliarum Collegiatarum exemplo, in quibus Canonici queis cum canonia animarum cura inhaeret utriusque officii muneribus funguntur, tum ad praesentem quod attinet casum ex decreto s. Visitationis anni 1835 ac responsionibus ab Archiepiscopo Spoletano datis ad quaesita capituli quae ad hanc ipsam quaestionem adamussim referuntur, tum demum ab antecessorum parochorum Giancinquanta et Bigioni praxi servata et consuetudine, qui post editum hoc decretum ejus praescriptionibus sese subjicere non detrectarunt, ceu ipsi testimonio suo apud acta exhibito fassi sunt, et comprobatur etiam ex libris punctaturarum in quibus fallentiae eorum dein parochorum adnotantur, ut de iis ratio posset haberi in reddituum partitione.

Factum porro antecessorum successores quoque afficere palam est, quippe de re agitur quae non personis, sed muneri inhaeret ex lege institutionis a qua Bisinius nullo pacto sese potest eximere, qui cum curam assumpsit uti ejus fruitur juribus et emolumentis ita inhaerentia onera ferre debet.

Benigne itaque resumpto folio primae propositionis dignentur EE. PP. definire quae proponuntur

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II et III: In decisis et amplius.

Die 28. Martii 1857.

2) Curam animar. exercens.

Vd. *Cura animar* (exercenda etc.) *Distribut. Canonici parochi; Concio* (parochi Canonici); *Applicatio* (missae convent. t. I. p. 737. IX; pro populo t. I. p. 894. XII etc.)

3) Qui parochus factus est dimisso canonicatu et postea vult reintegrari in canonicatum.

Aquilana.

Vacante paroecia Villae s. Angeli in Aquilana dioecesi quae juripatronatus subest gentis Mignanelliae hodiernus patronus nominationem edidit favore Aloysii Vespasiani qui canonicatu potiebatur in ecclesia collegiata s. Justae in civitate Aquilae: hic autem nominationem in episcopali cancellaria praesentavit, ut canonice institueretur.

Quare solemnibus de more expletis nempe absoluto examine quo plene approbatus fuit et vulgatis edictis, cum nemo ad contradicendum comparuerit, sub die 31. Decembris 1858 ad beneficii provisionem absolvendam stetit in episcopali capella ibique lecta per cancellarium bulla collationis data sub die 9. Decembris 1858 investitus de paroecia fuit ab Episcopo per impositionem bireti super ejus capite recitata formula: »*Investimus te de praepositura curata Villae Angeli per bireti tuo capiti impositionem praesentialiter genuflexum coram Nobis*« et lecta demum fidei professione ad formam constitutionis Pii IV. quae incipit: *Injunctus nobis.*

Verum dum expectabat Episcopus ut Vespasianus se conferret ad Villam s. Angeli et exercitium parochiale assumeret quod ei fuerat collatum, primum morari Vespasianus ipse visus est ac inducias nectere: mox mentem suam aperuit, qua paroeciam recusabat sive ob ejus Villae s. Angeli minus salubrem aerem sive ob profectam ut ajebat aetatem in qua versabatur annorum 56. Cesseruntque in irritum et sollicitationes et monita per Episcopum adhibita, ut ad gregem sibi adsignatum regendum accederet. Vespasianus instabat, ut ad canonicatum redintegraretur in ecclesia s. Justae nondum de altero rectore provisum et quem legitime nunquam vacasse contendere cepit, quippe nunquam secuta alterius incompatibilis reali et corporali possessione, quae autem data fuerat in episcopali capella et nonnisi verbalis erat et extra ecclesiam beneficii.

Tum Episcopus s. Ordini preces dedit quibus casum exponens petiit quemlibet sanari defectum si qui irrepserit in possessione praefata et s. Ordo sub die 29. Februarii 1860 literas ad Episcopum dedit quibus declarabat: »*Canonicatum vacavisse*) per canonicam institutionem ecclesiae parochialis factam favore Vespasiani, proinde procedi per ipsum posse ad provisionem vacantis canonicatus, praefatum vero sacerdotem teneri a die captae possessionis ad residentiam parochialem et monendum esse ut sese recipiat in locum beneficii et consulat conscientiae suae quoad praeteritum; quod si nihilominus residere detractaverit, procedendum ab Episcopo esse ad formam ss. canonum contra parochos non residentes.*«

Hisce habitis Episcopus ad collationem processit canonicatus favore s. Francisci de Angelis, qui etiam possessionem adeptus est sub die 6. Martii labentis anni, admonuitque insimul formiter Vespasianum ut ad residentiam paroecialem se conferret sub censurarum comminatione ad formam ss. canonum.

Ast cum laesum inde se existimaverit Vespasianus, ad s. hunc Ordinem confugit, ubi coactum se Antistitis Aquilani imperio ac minis ad paroeciam occupandam enarrans et multa referens ut ab ea capessenda eximatur. Quid de his precibus senserit Episcopus cui de more remissae sunt pro informatione et voto discent EE. VV. in summariis circumferendis et in allegationibus hinc inde distributis, quarum praestat synopsim exponere.

Praenotare necesse est haud concordes partes fuisse in dubiorum formula concinnanda, dum enim Episcopi adsertor petitionem coarctandam esse ad redintegrationem in canonicatu contenderet, de qua unice supplex libellus s. Ordini porrectus, qui habendus est uti introductivus judicii, neque extendi posse ad sarcitionem damnorum et expensarum litis, eoque minus quia isthaec spolium praesupponunt quod longissime abest a themate ubi s. Ordinis auctoritate ad novam canonicatus collationem devenit Episcopus, contra et de his omnibus agendum etiam fore instabat Vespasianus qui idcirco duo haec proponebat dubia:

I. *An sit locus manutentioni seu reintegrationi in possessione canonicatus in ecclesia collegiata s. Justae in casu?*

Et quatens affirmative,

II. *An sit purgandum spolium et reficienda damna et expensae litis in summa liquidanda a Rmmo P. D. secretario?*

*) Vd. *t. II. p. 1044. n. 4.*

Quare ad EE. VV. decisio etiam super hac incidentali controversia remissa fuit.

In separato itaque libello Vespasiani defensor relate ad primum dubium ait novum omnino in jure esse, dubii concordationem esse eliciendam ex boni malive juris indagine ac ex rei conventi inficiatione. Etsi igitur judicaretur manutentioni Vespasiani in canonicatu locum non esse, denegari tamen non potest de manutentione disputatio.

Neque officit, quod opponit Episcopus manutentioni locum non esse, eo quod fuerit Aloisius e canonicatu dejectus. Spoliato enim competit utrumque remedium *retinendae* nimirum et recuperandae possessionis, *retinendae* scilicet civilis possessionis et recuperandae naturalis a qua fuit dejectus ceu ad interdictum *Uti possidetis* tradit *Menochius de retinenda possess. remed. 2. num. 22. et seqq.* et *Rota in decis. Romana Manutentionis seu reintegr. 18. Junii 1816.* Quin etiam obstet in libello s. C. oblato, Aloisium de reintegratione tantummodo egisse. Nam etsi diserte de manutentione non egerit, quod tamen attendi non debet in libello qui nonnisi praeordinationem ad litem exhibet, non vero accuratam dubii formulam, egit aequipollenter, dum in ipso libello protestatus est, se jugiter fuisse et esse in pacifica et legali canonicatus possessione.

Quod vero spectat alterum dubium de purgatione spolii, de reficiendis damnis impensisque litis agendum esse propugnat. Etenim de iis omnibus Vespasianus protestatus est et ad s. C. confugit et jure confugit ut in altera defensionis parte summatim inferius referenda demonstrat.

Quoad causae meritum defensor juxta duplex dubium a se propositum separatim agit primo de manutentione seu reintegratione canonicatus in ecclesia sanctae Justae, agit secundo de purgatione spolii, refectione damnorum et expensarum. Et primum quod attinet manutenendum esse seu reintegrandum Canonicum Vespasianum in possessione canonicatus in collegiata ecclesia s. Justae demonstrat ex indubia ab anno 1851 Vespasiani ipsius in canonicatu solemni institutione ac pacifica per octennium possessione usquedum turbatus injustissime fuit.

Jus enim ipsum edicit restituendum esse clericum sine manifesta et rationabili causa spoliatum in cap. *Conquerente de restit. spoliator.*; cui consonat de *Nigris de vacat. benef. lib. 11. cap. 2. num. 25*, *Rota decis. 319* et latius in *Leodicen. anno 1702. cor. Muto.*

Nec objicienda est ab Episcopo vacatio canonicatus in ecclesia s. Justae per assequutam a Vespasiano in rure s. Angeli paroeciam. Impossibile namque est probari hujusmodi vacationem ab Episcopo qui ceteroquin illam indubiis argumentis evincere deberet. Etenim ut observat *Riganti in primam partem regulae IX. cancellariae*) l. 2. num. 394 et seq. ex sacrorum canonum censura non inducitur vacatio primi beneficii, nec illud conferri potest nisi postquam assecuta sit possessio secundi incompatibilis.* Jam vero ad hanc assecutionem possessionis et proinde canonicatus vacationem eliminandam tria ex ordine orator probanda suscipit.

Ac primo quidem contendit, admissa etiam juridica paroeciae illius assequutione admitti non posse canonicatus vacationem *ex beneficio optionis Aloysio* a jure concesso. Eo namque clericus jure potitur, ut novo donatus beneficio possit posterius dimittere ac prius retinere, *cap. Praeterea et referente de praebendis et dign.*

Atqui Aloysius re adhuc integra retinere canonicatum, paroeciam vero dimittere elegit.

Nec objiciendum hisce juribus derogatum fuisse in *cap. de multa eod. tit.* et in *cap. 4. de reform. sess. 7. Concilii Tridentini* in quibus de incompatibilibus**) beneficiis constituitur, altero assecuto beneficio primum ipso jure vacare. Etenim ad *cap. de multa* quod attinet, ex ipso textu colligitur id constitutum esse cum agitur de beneficiorum incompatibilitate non quando agitur *quoad titulum* cujusmodi est in nostro themate de curato cum canonicatu, in qua manet beneficium optionis juxta *cit. cap. Referente* et *Praeterea.* Et revera ita componenda esse specietenus adversa suadet ipsa recensio capitum una cum *cap. de multa* facta a Gregorio XI., qui certe noluit pugnantium legum observantiam urgere. Atque ita demum componunt et explicant doctores, *Gonzalez in decret. tit. 5. de praebend. et dignit. num. 9* qui scribit: in casu incompatibilitatis quoad retentionem non vacat primum beneficium

*) Vd. *t. II. p. 820.*

**) Vd. *Beneficium* (incompatib.) t. II. p. 590; *p. 1044. n. 4.*

ipso jure, sed possessor habet facultatem eligendi quod maluerit ex facultate sibi concessa ab *Alexandro III. in dictis cap. Referen.* et *Praeterea; Garzia idem de benef. part. II. cap. 5. num. 65, 66, 67* tradit dispositionem horum capitum correctam non esse per objecta jura in beneficiis incompatibilibus quoad retentionem, ut in curato cum canonicatu, in quibus per assequutionem secundi non vacat primum ipso jure, sed obtinenti datur optio dimittendi quod voluerit et ita traditum fuisse a doctoribus et a *Rota decisum tum in aliis tum etiam in causa Virdunens. 1589* in quo fuit dictum *quod de jure communi canonicatus non dicatur incompatibilis nec vacat per assequutionem parochialis.**)

Eadem profecto ratione respondendum est auctoritati Concilii Tridentini. Licet enim Tridentina synodus in *cap. 4. sess. 7.* beneficiis privatos ipso jure decernat quicumque plura curata aut alias incompatibilia beneficia recipere ac simul retinere praesumpserint, illa tamen verba »alias incompatibilia« coercenda esse ad beneficia incompatibilia quoad titulum evincitur ex ipso capitis tenore, in quo nil novi constitutum est, sed observantia citatae constitutionis Innocentii III. quae incipit: *De multa*, suo vigori restituitur. Sicut igitur haec constitutio non derogavit *cap. Referente* et *Praeterea*, ita nec sanctio Concilii Tridentini. Quinimo jus electionis sartum tectumque servatum esse *a Tridentino colligitur ex sess. 24. cap. 17.* Ac denique Concilium non alia constituisse ipso jure vacare beneficia incompatibilia, quam quae per vetus jus vacabant, docent *Novarrus*, *Garcias ac Rota* tum aliis tum in decisione *Calaguritana 30. Octobris 1577 coram Bravo.*

Quae cum ita sint admissa etiam hypothesi quod Canonicus Vespasiani assequutus fuerit paroeciam s. Angeli, cum re adhuc integra optionis jure fruetur cumque velle se retinere canonicatum ac recusare paraeciam pluries pluriesque panderit, conficitur plane nullam unquam fuisse canonicatus vacationem.

At secundo pergit orator dici nequit in sensu juris Aloysium paraeciam fuisse consequutum. Tunc enim habetur juridica assequutio beneficii ac proinde vacatio prioris beneficii incompatibilis, cum clericus non modo in novo beneficio fuit institutus, sed hujus possessionem fuit adeptus, in eaque per bimestre pacifice versatus, ceu ad textum in *cap. Licet de praeb. in 6.* tradunt appertissime *Garcia loc. cit. num. 100*, *Barbosa in jus canonicum de praeb. ac dignitatibus cap. 28. n. 8*, *Schmalzgrueber jus eccles. universum part. 1. tom. 5. num. 122.* Eamque doctrinam perpetuo servavit *Rota velut eruitur ex decis. 15. num. 7.* Atqui certum est Canonicum Aloysium numquam in realem possessionem paraeciae s. Angeli fuisse immissum nec per eum stetisse quominus possessionem nancisceretur. Etenim ipse adductis testibus ostendit, neque audivisse neque unquam accepisse ab Episcopo bullam collationis ac literas institutionis, quibus tantum innixus potuisset in novi beneficii possessionem excipi, ceu tradit *Card. de Luca de benef. disc. 5. et 6. num. 2.* Nulla igitur extitit assequutio paraeciae nullaque proinde canonicatus ecclesiae s. Justae vacatio.

Hanc vero vacationem non ostendunt literae hujus s. Congregationis ad Episcopum missae ac superius memoratae. Haec namque prodierunt ex falso supposito ab Episcopo insinuato de perfecta Vespasiani institutione ac reali paraeciae possessione, non autem ab explorata verbali tantum institutione, quam certe s. C. contra juris praescriptum satis esse non dixisset ad vacationem canonicatus inducendam.

Ceterum quaecumque fuerit, concludit in tertio capite orator, illa institutio sive collatio nullius roboris censeri deberet cum vi metusque causa peracta fuerit.

Constat enim Aloysium nunquam paraeciam s. Angeli quaesivisse, immo ut se ad illam nominatum agnovit loco*) sacerdotis Andreae Manipietri, nullas patrono comiti Mignanelli gratias egisse; constat etiam ex testibus fide dignis examini ad obtinendam paraeciam sese obtulisse metu suspensionis ab Episcopo indictae ejusque institutionem accepisse metu relegationis in insulam ab eodem Episcopo incusso.

Vix tamen tumultuariam hanc institutionem accepit, iterum iterumque rogavit Episcopum, adhibitis etiam capituli ecclesiae cathedralis officiis, ne ad exercendum parochiale munus adigeretur ob humiditatem aeris suae valetudini medicorum testimonio obfuturam, at Episcopus etsi rogantibus re-

*) Vd. *t. II. p. 608. II; 610. III.*

*) Vd. *t. II. p. 555. n. 49.*

stituere Aloysium ad ecclesiam s. Justae promisisset, promissis tamen non stetit, immo minitata interdicti poena accedentem illuc Aloysium removere conatus est eumque per annum et ultra eousque vexatns, ut ejus carcerationem interdixerit ac mandatum lictoribus datum re ipsa fuisset exequutus nisi Aloysius Romam aufugisset; ac demum cum Aloysium persequi amplius non posset procuratorem fiscalem, quod favore Aloysii veritatem professus fuerit, e suo munere dejecit. Jam vero explorati juris est ea quae vi metusque causa fiunt carere debere robore firmitatis, *cap. ad audientiam* et *cap. Abbas de iis quae vi metusque causa fiunt,* neque ea dumtaxat quae fiunt per minas internecionis aut verberum, sed quae etiam fiunt metu reverentiali a legitimo Superiore incusso justumque modum excedente, *L. 1. T. 5. et 6. ff. quarum rer. restit. non datur, Voet. ad pand. tit. quod metus causa T. 11.*

Frustra igitur Episcopus Aloysio objicit absolutum libenter examen ac animi inconstantiam qua suscipiendae paraeciae s. Angeli modo propensum, modo adversum se gessit. Etenim si quae fuisset, quae tamen abfuit, levitas et inconstantia animi, metum, coactionem ac voluntatem non liberam argueret, velut diserte docet *Rota in dec. Montis Falisci Manutentionis 11. Martii 1796 cor. Consalvi* §. *12.* Quod etiam valet eadem *Rota teste decis. 870. num. 3. coram Emerix* in iis quae gesta sunt metu reverentiali qui levioribus probationibus indiget, ac satis arguitur ex immediatis post actum gestum protestationibus et querelis quae voluntatem defuisse demonstrant.

Ad extremum ipse Episcopus hanc coactionem fatetur, tum in causa Vespasiani hunc s. O. sciscitatus est: »An posset Episcopus obligare sacerdotem ad parochiale munus obeundum?« Quae quidem quaestio sicut in facto coactionem confirmat ita de jure in praesenti themate est negative solvenda.

Naturali namque juri repugnat clericum jam satis de beneficio provisum ad illud dimittendum alterumque accipiendum adigere.

Neque id ullo ecclesiastico canone evincitur, quinimo doctores omnes ac nominatim *Parisius de resignatione beneficior. l. 3.* §. *18. num. 1. ad num. 11.* ac *Rota in decis. 298. coram Lancetta* ad normam juris naturalis ac canonici tradunt non posse Episcopum seclusa necessitate aut alia causa legitima cogere clericum ut beneficium quod obtinet resignet, cum alio permutet aut de una in aliam migret ecclesiam maxime si ut docet Rota incommodum affertur ratione periculi quoad salutem ob mutationem aeris. Atqui nulla omnino est necessitas quae Aloysium impellat ad munus parochiale obeundem in rure s. Angeli, cum huic ecclesiae uti oeconomus praesit sacerdos idoneus plebique maxime acceptus, uti parochus sit nominatus a comite Mignanelli sacerdos Andreas Manipietri, sint denique in Aquilana dioecesi complures clerici ad id muneris apti. Constat igitur cogi non posse et injuste coactum fuisse Aloysium ad paraeciam acceptandam, injuste etiam canonicatu fuisse spoliatum ac proinde in ejus possessione manutenendum seu reintegrandum esse.

Haec quoad dubium admissum. Alterum quoque dubium quo quaeritur de purgatione spolii, de reficiendis damnis impensisque litis in summa liquidanda admittendum esse orator propugnat, cum de iis omnibus protestatus sit Aloysius et affirmative dirimendum.

Etenim ex narratis constat Aloysium nullo vocatum vadimonio, poenis censurisque perterritum e canonicatu fuisse dejectum. Porro vadimonii defectus, comminatio non modo poenarum corporalium sed et spiritualium seu censurarum ad dejiciendum aliquem e possessione inducit spolium violentum ceu tradit *Rota in decis. Pisauren. seu Ariminen. Spolii 16. Februarii 1818* §. *14. 87. cor. Ansaldo num. 37.* Quod quidem spolium purgandum esse notum est ex famigerato *canone 3. causae 3. quaes. 1. Reintegranda* sunt omnia spoliatis vel ejectis et ex *cit. cap. Conquerente de restit. spoliator.*

Jam vero in necessariam sequelam purgationis spolii venit non modo restitutio in possessione una cum fructibus perceptis vel qui percipi potuerunt, sed damnorum ac expensarum omnium reparatio, prout doctores et maxime *Rota* tum in aliis tum in *decis. 77.* §. *3. coram Falconerio* et in *Nullius Sublacen. Spolii 11. Decembr. 1815 coram Fassoni* §. *5* et diserte cautum est in regimine hujus *s. C. diei 27. Septembris anni 1847.* §. *24.* in vulgus edito.

Sunt igitur reficienda Aloysio injuste spoliato damna et expensae quas plures pertuli

tum in capessendo itinere tum in commorando heic Romae et parandis defensionibus maxime cum ipse paupertate laboret.

Contra vero Aquilani Antistitis defensor nil sollicitus de repellenda asserta coactione. Etenim incredibile omnino esse ait hominem qui tantum excitaret rumorem contra Episcopum qui eum condemnari inhiat et ad litis expensas, qui nec civilis auctoritatis rigorem timuit, absque ejus venia a regno discedens tanta paucis abhinc mensibus fuerit correptus reverentia erga Episcopum, ut contra propriam voluntatem nominationem paraeciae acceptaverit, acceptationem manu propria scripserit et subscripserit, preces pro institutione obtulerit, examen subierit, investituram nactus fuerit, quin unquam moverit os suum; totus est ut triplici ex capite non esse locum petitae redintegrationi conficiat.

Primum scatet ex quo cum collatio seu institutio jus tribuit in re seu in beneficio ad *textum in cap. ult. de concess. praeb. in 6, Covarruv. variar. resolut. lib. 8. cap. 16,* §. *1, Rota decis. 312.* §. *2. recen.* cumque per eandem institutionem consumpta praecedens collati beneficii vacatio vere existat, *Leuren. lib. 3. tit. 8. quaest. 64,* cumque demum receptum communiter sit quod habens canonicam collationem propria auctoritate ministrare possit in beneficio et ejus curam exercere ad *Reiffenst. tom. 3. tit. 7. de instit.* §. *52,* haud imerito tradunt doctores et tribunalia per solam collationem alterius beneficii vacare alterum incompatibile quod a proviso retinebatur quodque insimul retineri nequit ex Innocen. III. *in cap De multa de praebend.* et ex *Trid. sess. 7. cap. 4 de ref.* adeo ut de eo vix ea secuta disponi possit: *Ita Leuren. Jus can. lib. 3. tit. 3. 9. 62. cum Lotterio lib. 3. quaest. 8.* §. *24.* et *s. Rota decis. 213.* §. *10. coram Molines* et in *decis. 2060.* §. *2. coram Coccino.* Quibus accedit stylus Datariae apostolicae, quae alio termino non expectato nec desiderata dimissione obtinentis primum illico ac saepius contemporanee providet utrumque teste *Card. de Luca de benef. disc. 54.* §. *8.*

Quin obstet eorum sententia qui ex aequitate pugnant ad hoc ut primum beneficium vacet, necessariam esse pacificam possessionem secundi per duos menses et cum fructuum perceptione. Etenim id ex aequitate quadam inductum fuisse reponit, ceu ipsi adversi doctores explicant ad effectum dumtaxat ne provisus de incompatibili carere debeat utroque, si forte ad secundum beneficium quis sibi jus vindicaverit, non autem ad effectum ligandi manus Episcopo, quominus alteri conferat. Quare dicunt posse quidem primum impetrari et conferri uti vacans ipso jure per solam collationem, sed tamen hanc collationem esse revocabilem quoties lis ab aliquo moveatur super secundo beneficio et istud sibi vindicaverit. Sic pro omnibus *Rigantius in reg. 1. cancell.**) §. *8.* et *Card. de Luca de benef. disc. 54.* §. *6* et hanc distinctionem a Castrensi desumptam retinuit jugiter *s. Rota ceu in decis. 2060. coram Coccino* §. *12,* in *decis. 713.* §. *9. cor. Molines* et *dec. 745.* §. *4. cor. eod.*

Jam vero quum de collatione paraeciae in facto constet plene secuta favore Vespasiani, nam extat bulla episcopalis eidem audienti et acceptanti lecta sub die 31. Decembris 1858 coram Episcopo et duobus testibus, extatque insuper investitura per eum recepta, quae etsi verbalis tantum reputanda foret vim semper haberet collationis, vel si haec jam praecesserat, confirmationis juris illius, ad *Reiffenst. lib. 2. decret. tit. 12.* §. *4. num. 125, ambigi non* posse infert, quin vacaverit canonicatus antea ab eo retentus et cum jam de eo per Episcopum dispositum fuerit favore Francisci de Angelis qui etiam in ejus possessione versatur a die 6. Martii 1860, nulla profecto ratione substinet reintegrari Vespasianum ad praebendam quae ab alio legitime possidetur.

In altero capite disserit praefatus vindex, quod si necessaria foret possessio secundi beneficii, nec tamen melior fieret Vespasiani petitio.

Non defuisse praeprimis heic pugnat realem possessionem scilicet quae data est sub die 31. Decembris 1858 in episcopali capella in qua et lectio bullae locum habuit et bireti impositio super capite provisi quae est symbolicum signum traditae possessionis una cum solemnibus verbis: Investimus te etc. superius relatis, ac per eum denique fuit recitata professio fidei juxta formulam a Pio IV. praescriptam, tactis desuper sanctis Evangeliis.

Et perperam ex adverso pergit inefficacem edici hanc investituram ac uti ver-

*) Vd. *t. II. p. 818.*

balem tantum traduci, quia cum facta fuerit in episcopali capella extra ecclesiam beneficii transferre nequit corporalem possessionem ex censura forte juris civilis, qua eadem non transfertur nisi facta traditione in conspectu rei.

Ast vero si juris civilis censurae standum foret in themate nec deesse reponit exempla in civili jurisprudentia, quibus etiam sine rei praesentia vera possessio transfertur, ceu est quae datur per traditionem clavium, ad *l. clavibus ff. de contr. empt.* vel per traditionem instrumenti *l. 1. cod. de donat.* Quoad prius vide *Brunemann praelect. jur. can. num. 15*, *Decius cons. 56*, *Alexander Jus in l. 1. num. 78 ff. de acquir. possess.*, *Tiraquell. in tract. de jure const. possess. §. 2. ampliat. § 3*, quoad alterum viden. cum communi DD. *Reifenst. lib. 2. decret. tit. 12. n. 126. et seq.*

Atqui hisce punctim exemplis assimilat glossa in *cap. ex literis de consuetud. V.* signum, investituram canonicam in beneficiis adeoque tradito per Episcopum bireto quo simbolicum signum rei traditae aeque ac in clavi continetur, *cap. Ex ore de his. quae fiunt a maj. parte capit.* vel tradita bulla collationis qua titulus beneficii continetur aeque ac titulus donationis in instrumento; argui debere instat veram exinde realemque possessionem etsi extra ecclesiam seu extra conspectum beneficii traditam in themate expletamque fuisse.

Verumtamen civilis juris rigorem ex eo inductum, quod magni plerumque momenti sit quoad civiles effectus corporalis possessio, conticescere debere in themate subsumit, ubi investitura »*non est de substantia actus, sed merae solemnitatis . . . . nam sola collatio per electum acceptata jam ante traditionem possessionis ejusque apprehensionem jus in beneficio ecclesiastico seu jus in re tribuit*« ut ait *Reiffenst. tom. 8. tit. 7. de instit. n. 56.* Hinc de modo provisum investiendi id unum traditum per doctores recolit: »*ritus investiturae realis solere esse varios pro diversitate locorum . . . atque laudabiles cujusque loci consuetudines esse servandas,*« *Reiff. loc. cit.* n. 50. cum aliis ibi allegatis. Quoad locum vero punctim perpendit cum *Gagliardo de benef. eccl. cap. 16. de possess. §. 3.* nullam adesse canonicam legem quae in loco beneficii dandam esse praescribat; ex praxi autem constat doctores eam possessionem rite captam retinere in ecclesia majori ubi ecclesia beneficii fuerit profanata vel ad eam accedi nequeat, *Covar. lib. 2. cap. 16. num. 2.*, vel ubi de quocumque beneficio data fuerit in consistorio, *Engel. lib. 3. tit. de justit. num. 4.* Quinimo *in ipsis* apostolicis bullis saepe injunctum legimus ut ea capiatur in ecclesia cathedrali vel majori loci, ubi vel beneficium ecclesia careat vel eadem ignoratur, quae omnia subsistere non posse relevat si locus beneficii esset de substantia actus seu possessionis.

Porro si locus non est de substantia perperam ex ejus omissione arguitur ad inefficaciam actus vel nullitatem.

Addit haud levis momenti esse in themate quod investitura data fuerit in capella episcopali, etenim cum haec cathedrali assimiletur quae est mater et caput aliarum dioecesis ecclesiarum, jam dici posset quod capta possessione de ea etiam de inferioribus ac dependentibus capta fuerit, *ad Rotam dec. 472. p. 19 et 2. recen.*, et quod insuper in eadem capella episcopali de pervetusto more in Aquilana dioecesi dari sueverit, ut constat ex testibus fide dignis; quam consuetudinem vim legis habere est apud omnes compertissimum ad textum *in cap. Ex literis §. 14. de consuet.* et alibi.

Data autem quod investitura de qua in casu nonnisi verbalis foret: nihilominus eam sufficere instat ad effectum ut canonicatus a Vespasiano retentus vacans retinendus esset quum ab Episcopo fuit alteri collatus. Enimvero verbalem investituram aequipollere mandato capiendae corporalis possessionis propria auctoritate, tralatitium est in jure. *Rebuff. prax. benef. de miss. in possess. §. 6*, *Covarruvias lib. 3. cap. 16. §. 1*, *Reiffenst. loc. cit. §. 46.* Ergo ex parte Episcopi statim ac mandatum ejusmodi protulit nil amplius faciendum erat ut provisus possessionem adipisceretur, imo insuper Episcopus ipse impigre in id instetit etiam per formale monitorium. Nec pariter ex tertii cujuspiam culpa id praepeditum Vespasiano fuit; nemo siquidem litem vel molestiam intulit et fructus paraeciae parati pro ipso erant vix ac petiisset. Quare nonnisi per ipsum stetit quominus corporalem possessionem caperet et ad regendum commissum sibi gregem se conferret.

Atqui firmum in jure est, ut quoties per provisum de incompatibili stat quominus

possessionem apprehendat, idem omnino sit, ac si revera apprehendisset, ita ut elapso bimestri utrumque beneficium amittat, si et primum retinere praesumpserit, text. *in Extrav. Execrabilis §. Qui vero de praeb.*, *Schmalzgruber Jus eccl. tom. V. p. 1. tit. 5. de praeb. §. 107*, *Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 183. §. 50*, *Rota 233. cor. Buratto §. 5. dec. 60. p. 19 tit. 1. §. 21.*, *Rec. 5*, isthaec Congregatio *in Faventina Collationis 24. Augusti 1849. §. 5: Verumtamen.*

Sequitur inde quod Vespasianus qui nedum duos menses sed annum et ultra ab habita verbali possessione paroeciae labi passus est, quin realem assumeret, canonicatum amiserit aeque ac si realiter eum possedisset, proindeque jure meritoque ab Episcopo in alterius personam provisum fuisse. In tertio denique capite res est de praecepto Episcopi qui Vespasianum regendae paraeciae addixit, cui cum parere idem teneatur, non est cur de reintegratione ad canonicatum conqueri valeat. Si quisque sane clericus quamvis ex abrupto vocatus tenetur sequi vocem pastoris, quem reverendum esse uti Jesum Christum monet *s. Cyprianus in epist. ad Tursenses* et cui in actu s. ordinationis quisque solemniter obedientiam promisit et cui ex potestate jurisdictionis *jus inest presbyteros etiam invitos et reluctantes cogere ad obtemperandum*, ut ait *Bened. XIV. de synodo dioec. lib. 13. cap. 1. §. 3*, multo magis id retinendum esse quisque videt quum de clerico agitur qui collatam sibi paraeciam acceptavit eique proin serviendae se obstrinxit. Si collatio haec et acceptatio nil aliud secum ferret quam simplicem ecclesiae ipsius servitio adscriptionem sancit Tridentinum *sess. 23. cap. 16 de reform.* quod »*qui locum* (idest ecclesiam) *inconsulto Episcopo deseruerit ei Sacrorum exercitium interdicatur*« etenim ut perpendit s. C. *Amerina 8. Maji 1756 §. Disputat. clerici alicujus ecclesiae servitio adscripti habentur ut servi aut coloni glebae addicti qui sine domini venia fundum deserere non possunt.* Et ipsa s. Congr. in similibus casibus ceu in dicta *Amerina* necnon in *Nucerina Residentiae 19. Sept. 1818* proposito punctim dubio presbyteros certae ecclesiae in aliquo munere adscriptos qui alia sibi officia quaesierunt ad officium revocavit eosque praecepto Episcopi de non deserenda ecclesia parere jussit.

Verumtamen non de simpliciter adscripto res est in themate sed de vero ejusdem ecclesiae titulari beneficiario eodemque parocho; atqui indubii juris est, beneficiarios, beneficium dimittere nullimode posse contra voluntatem superioris »*quia* (ut ait *Fagnan. in cap.: Admonet de renunciat. lib. 1. decret. §. 23*) *acceptando quis beneficium videtur quasi contrahere cum ecclesia et se obligare ad serviendum*, ut est textus notabilis *in cap.: Nisi cum pridem* vers.: *Verum*, maxime vero in beneficiis curatis . . . . . quia in his dicitur contrahi quasi matrimonium, *cap. Sicut. 21. quaest. 2.* Quare Bened. XIV. *in const. Ex quo dilectus* etiam parochum in religione professum revocari ab Episcopo posse ad paraeciam regendam declaravit »*si ex transitu suo ad religionem prima ecclesia gravem substineret jacturam.*«

Ceterum nullam legitimam afferri causam concludit cur ab hujusmodi obligationibus absolvi mereatur Vespasianus.

Contra vero adnotat, Episcopum jure instare ut ad paraeciam Vespasianus se conferat scilicet ob utilitatem quam et populo et ecclesiae derivaturam ab ipso sibi promittit, minime vero ob odium vel ob infensum ut perperam asseritur animum, quod sane ab ipsa verosimilitudine abhorret; quum enim de paraevia agatur bene lucupleti cum redditu ducatorum 240 praeter incerta (dum canonicatus antehac obtentus vix aequabat annuos duc. 60) et percommoda quippe amoenissima statione posita et cum animabus quatuor centum tantummodo, in quarum regimine coadjutores habet etiam tres presbyteros ipsius oppidi hoc onere obstrictos nemo sane odii infensique animi fructus compendia hujusmodi existimaverit.

Dubium:

An sit locus reintegrationi in possessionem canonicatus in ecclesia collegiata s. Justae in casu etc.?

S. C. resp.:

Negative.

Die 22. Sept. 1860.

XVII. Poenitentiarius.

a) In Cathedrali.

Vd. *Poenitentiaria*; *Poenitentiarius*; p. 100. n. 5.

b) In Collegiata.

Vd. *ibidem*; p 261. IV.

XVIII. Puer non est eligendus.

Vd. *Canonicat.* (aetas p. 48); t. II. p. 493. kk; supra p. 263. n. 14. etc.; *Canonicus* (sacerdotio etc.); *Canonicus Cath.* (ordin. p. 410; clericus p. 380. n. 12); p. 380. n. 12; p. 413: *Amerina. Oriolen.*

Aretina.

Monstruosum nimis fore si in Canonicorum coetu puer recenseatur, *cap.*: *Super inordinata 35.*, *gloss.* verb.: *Pueri de praeben.;* proindeque nonnisi ex urgentissima causa dispensationem impertiri debere, *cap.*: *Tuli* et *cap.*: *Innotuit.* §. *Multa de elect·* Et hanc causam dum de canonicatu agitur vel respicere debere publicum bonum vel magnam ecclesiae utilitatem vel maximam personae dignitatem, *Sperell. decis. 109. num. 25.*

Die 20. Aug. 1774.

Sedunen.

Canonicatum a puero occupari est monstruosum, per *text. in cap.*: *Super inordinata 35. de praeben.*, et decretum sac. Congregationis in *Aretina Canonicatus 18. Martii 1775.* et in *Nullius Guastallae Canonicatus 31. Maji 1793.*

Die 24. Jan. 1801

Nullius Quastallae.

Si de canonicatu agitur ecclesiae cathedralis monstruosum esset, puerulum inter spectatos viros enumerare, *ad text. in cap. super inordin. 35. de praeben.* decret. s. Congregationis in *Aretina Canonicatus 18. Martii 1775.* Non desunt tamen exempla concessae suspensionis et administrationis beneficii favore pauperis pueri consanguinei ac praesertim in *Forolivien. Capellaniae 25. Junii 1791 ad II.* dubium.

Die 31. Maji 1793.

XIX. Quot sufficiant pro chori servitio?

Vd. p. 482. XIV.; *Jubilatio.*

Lauretana.

Pro chori servitio sufficiant undecim qui supersunt Canonici prout alias declaravit s. Congregatio ac praesertim in *Ripana Jubilationis 29. Novemb. 1710*, ubi censuit Praeposito concedendum esse jubilationis indultum, licet capitulum ex novem tantum Canonicis, comprehenso Praeposito, constitueretur.

Die 11. Junii 1774.

XX. Regularis.

1) Num Regulares canonicatum adipisci possunt?

Vd. *Canonicat. saecul.* p. 329.; *Regular.* (Beneficium etc.) *Beneficium regulare.* t. II. p. 803. n 86. 87; p. 868. n. 96; p. 384: *Lucana*; infra n. 2.

2) Lateranens. et ss. Salvatoris.

Vd. p. 329. b; *Canonic. Lateran.*; t. II. p. 869. c.

Canonici regulares Lateranenses et ss. Salvatoris incapaces declarantur obtinendi beneficia saecularia et pensiones ecclesiasticas et accedendi ad concursus pro ecclesiis parochialibus et praebeudis theologalibus et poenitentiariis, *Benedict. XIV. tom. 1. constit. 135. incip.*: *Quod inscrutabili per tot.* et signanter §. *14.*

Dicti Canonici provisi de beneficiis curatis aut residentialibus prohibentur e claustris discedere absque indulto apostolico. *Idem ibid.* §. *15.* Provisi de beneficiis simplicibus aut pensionibus ecclesiasticis jubentur intra claustra manere, sub poenis contra apostatas. *Idem ibid.* Quia tamen regulae inserviunt laxiori indulta apostolica facilius ipsis sunt concedenda. *Idem ibid.* §. *16.*

Quando a patronis praesentari valeant ad ecclesias curatas et canonicatus seu praebendas saeculares assignatur *ibid.* §. *17. et 18.* Item quomodo ab Ordinariis provideri possint sine concursu *ibid.* §. *29.* Item quomodo ad concursus admitti; *ibid.* §. *21.* Item quomodo provideri de parochia aut praebenda theologali vel poenitentiaria extra concursum; *ibid.* §. *23.* Item qua ratione eorum Superiores praestare debeant consensum pro hujusmodi provisionibus; *ibid.* §. *17.* Canonici regulares quamquam sint capaces beneficii curati textu *cap. Quod Dei timorem de statu Monach,.* non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus decretis s. Congregat. Concil. firmatur; *Idem Institut. eccles. 98.* §. *2.*, sicut nec beneficiorum residentialium non parochialium, ut ex sensu multorum canonistarum. *Ibd. 3.*

XXI Reintegratio.

Vd. p. 497. n. 3.

XXII. Sacerdotio nondum insignitus.

Vd. *Beneficiatus* sacerdotio nondum insig., non dispens. decr. *Senogallien* t. II. p. 315); *Ordinatio* (infra quod temp. etc.) *Canonicatus* (aetas p. 48, nominatio p. 263 I) *Canonic. Cath.* (ordinatio p. 410. presbyteratus etc. p. 413); p. 380. n. 12; p. 356. n. 4.

(Dispensatio concessa.)

Vd. t. II. p. 236 a; t. I. p. 280 II; 283 a; supra p. 48.

Sutrina.

Extat in oppido Anquillarae Sutrinae dioecesis collegiata ecclesia s. Mariae in caelum assumptae tredecim praedita Canonicis, quibus incumbit chorale servitium tum in singulis dominicis festisque diebus tum quotidie in adventu, quadragesima atque octava ss. Corporis Christi et Assumptionis B. Mariae V. praestandum. Alterum ex canonicatibus anno 1634 fundavit Andreas Senzadenari, qui jus ad illum nominandi tribuit Archipresbytero ejusdem Collegiatae, ea tamen sub lege *che essendovi qualche sacerdote della casa Senzadenari, essi siano presentati, e vnole che siano sacerdoti, e non altrimenti.* Cum hujusmodi canonicatus nuper vacaverit, Archipresbyter Collegiatae Augustinus Rinaldi nominationem contulit in clericum Joannem Senzadenari. Quoniam vero idem clericus decem tantum natus est annos, petit, ut suspensa collatione, donec ad legitimam ipse perveniat aetatem, bona canonicatus administrationi subjiciantur et quidquid erit reliqui ex implendis oneribus oratori tradatur, ut commodius bonis artibus sacrisque disciplinis operam dare valeat.

Rogatus de more Episcopus retulit, annuos canonicalis praebendae fructus pertingere ad scut. 41. 17, onera autem ad scut. 17. 13. Addidit, oratoris precibus assensum suum praebere reliquos ex familia Senzadenari descendentes, sed eis penitus obniti Canonicos ob jacturam, quam chori servitium pateretur. Hinc animi sui sententiam aperiendo ait Episcopus: Constat clericum Joannem aliqua quidem, sed non admodum solida in sua puerili aetate argumenta praebere dispositionis ad statum ecclesiasticum. Constat e contra Joanni praedicto ad canonicatus assecutionem obstare non solum defectum aetatis canonicae verum etiam et detrimentum servitii quod chorus ex Canonicorum sententia perferret et defectum qualitatis sacerdotalis, quam fundator expresse requirit sub illa clausula: *et non aliter*, quae conditioni *sine qua non* aequivalere dignoscitur.

Hinc mea fert opinio clerico praesentato non solum praeferendum sacerdotem, quamvis non de familia Senzadenari, qui tamen neque adest in oppido neque aliunde probabiliter expectari potest, sed etiam clericum, qui et aetate et studio et probabilitate sacerdotio proximior esse videatur cuique conferatur ea lege, ut nisi debito tempore sit ad sacerdotium promptus ipso facto a canonicatu decidat, isque ex clericis illius oppidi*) esse videretur minorista Laurentius Rossetti in aetatis suae decimo octavo anno circiter constitutus et rethoricae studiis actualiter applicatus, qui morum probitate, laudabili ecclesiae servitio et prona ad studia voluntate saepius fuit mihi commendatus.

Petita sane administratio secumfert suspensionem nominationis et ob puerilem oratoris aetatem diuturnam quoque canonicatus vacationem, quae nedum voluntati fundatoris, sed dispositioni etiam juris adversatur teste *Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. num. 2* et *s. Congregatio in Collen. 30. Augusti 1778* et in *Camerinen. Suspensionis nominat. 10. Februarii 1803.* Illud insuper animadvertendum s. Congregationem tunc solum suspensionem et administrationem**) beneficii indulsisse, cum patroni egestas urgeret nullumque chori servitium pateretur detrimentum, ut *in Asculana 18. Septembris 1773*, in *Romana Prorogat. indulti 14. Junii 1806* et in nullius *s. Martini 16. Decembris 1820 ad I. dub.* In themate nulla occurrit clerici paupertas ac grave chorali servitio inferretur detrimentum si tam diutina canonicatus vacatio indulgeretur. Etenim inpraesens quatuor Canonici totam choralis servitii sarcinam ferre adiguntur; siquidem duo canonicatus suo sunt destituti rectore, duo ex Canonicis jubilationis indulto fruuntur; duo studiorum causa a residentia absunt; alter in minoribus ordinibus est constitutus; Canonicus curatus spirituali fidelium saluti vacare debet; ac tandem Archipresbyter gaudet ad vitam redditibus unius ex canonicatibus.

At saepissime haec s. Congregatio indulsit, ut pueri in sortem Domini vocati ad patronalia beneficia nominarentur, ut in *Melevitana Indulti 10. Septemb. 1735* et in *Vercellen. 19. Julii 1766.* §. *Saepissime* ac tradit folium in *Civitatis Plebis Canonicatus 25. Decembris 1826.* §. *Hoc pacto* et non raro administrationem beneficii impletis oneribus et electo ecclesiastico administratore largita est vel ad certum tempus vel donec aliquis ex familia illud titulum assequi posset quemadmodum in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786*, in *Aquen. Capellaniae 3. Februarii*

*) Vd. *p. 263. a.*
**) Vd. *p. 263. b. etc.*

1787 et in *Nucerina Capellaniae 26. Aprilis 1828.* Maxime vero haec s. Congregatio benignam se praebuit, cum res esset de fundatoris consanguineis, qui indultum postularent annuentibus patrono ceterisque quorum interesse videretur, ut vel de passive vocato, praesertim patroni necnon interesse habentium concurrente censensu, vel ut de puero bimo et quadrieni in *Asculana Capellaniarum super dispensatione 22. Augusti 1750*, in *Neritonen. Abbatiae 22. Novembris 1760* et in *Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749.* Jam vero clerico Joanni Senzadenari canonicatus administratio concedenda videtur; nam ex familia testatoris originem ducit, passive est vocatus, patronus ac reliqui descendentes consensum praebent nullusque extraneus par est ad illum assequendum, imo etiamsi aliquis extaret idoneus huic conferri posset alter ex vacantibus canonicatibus, quin opus esset, ut oratoris preces respuerentur, chori autem jactura vel nihili vel parvi est facienda, nam qui aut absunt aut studiis vacant non est dubitandum quin brevi sint reversuri aut studiorum curriculum expleturi.

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus Clerici Joannis Senzadenari in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, suspensa collatione, donec Joannes ad legitimam aetatem provenerit, perceptis interim redditibus in causam studiorum, facto verbo cum SSmo.

Die 27. Junii 1828.

Firmana.

Sacrae visitationis muneri proxime elapso anno 1838 satisfaciens Firmanae ecclesiae Archiepiscopus quum in collegiata Montis Ulmi sub titulo ss. Apostolorum Petri et Pauli binos Canonicos Maritum nempe Bartolazzi ac Philippum Nobili ac unum praebendatum Xaverium Spagnoli invenisset nedum presbyterali dignitate destitutos sed clericos dumtaxat et ne sacris quidem ordinibus initiatos, ad diem 13. Februarii decretum edidit quod aegre admodum tulerunt memorati Capitulares, quippe alter Marinus Bartolazzi in aetate jam 68 annorum constitutus, alter Philippus Nobili septuagesimum vitae suae ingressus annum, ambo aliquo abhinc tempore jubilationis indulto aucti. Spagnolius vero quadragesimum jam choralis servitii annum absolvit. Quare archiepiscopale jussum ss. fortasse canonibus ecclesiae, fundationi et pervetustae consuetudini adversum existimantes s. hunc Ordinem flagitarunt ut ab imposito per Metropolitam munere liberi declarentur; sin minus, ut eorum aetate perspecta sicut et chorali servitio benignam ab ordinibus sacris suscipiendis dispensationem assequantur et perceptorum fructuum condonationem. *)

Super his rogatus Archiepiscopus confirmat superius exposita. Dein addit oratores nullam spem affere futurae utilitatis si quando ad sacras ordinationes suscipiendas necessariam scientiam adipiscantur, sunt utique aetate profecti atque etiam profectus est praebendatus Spagnoli. Tradit insuper annuum canonicatuum redditum, qui constat centum scut. annuis, cujus dimidiam partem exaequant annui redditus praebendae; tandem autumat ac insinuat fortasse cedere ad utilitatem choralis servitii si duo Canonici diebus festivis choro interesse adigerentur et beneficiato Spagnoli praecluderetur spes obtinendi jubilationis indultum.

Ad jus vero quod spectat variis utitur Archiepiscopus argumentis ut demonstret Canonicos et beneficiatos Collegiatae Montis Ulmi ad Sacra suscipienda teneri. Conc. enim Trid. *sess. 22. c. 4.* statuit ut voce priventur in capitulo, qui in sacris ordinibus adhuc constituti non sunt et ii qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia obtinent non seclusa ecclesia collegiata aut inposterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant seu cantent, quocumque ii privilegio, exemptione et praerogativa insigniti teneantur . . . infra annum ordines suscipere requisitos: alioquin poenas incurrant juxta constitutionem Concilii Vienensis etc.**) Atqui tales profecto esse Capitulares ecclesiae Montis Ulmi demonstrat ex bulla erectionis. In illa enim ita habetur: Omnes . . . . . conventualem seu majorem aut alias missas . . . . decantare . . . . debeant et teneantur. Constitutiones vero capitulares sic se habent cap. 1. §. 4: Omnes tam dignitates quam Canonici in utraque alternativa hebdomadarii munera exerceant festisque diebus missam canant, in festis autem secundae classis dia-

*) Vd. *p. 209 VII.*
**) Vd. *p. 410. b.*

cono et subdiacono ministrantibus, quod munus ad praebendatos spectabit. Et §. 5 ejusdem haec leguntur: Ferialibus diebus unus ex praebendatis per turnum missam pro benefactoribus applicandam juxta rubricas vel legat vel canat . . . . Quando vero occurrant festa et celebratio spectat ad Canonicos pariter per turnum. Quare nullo facto discrimine ab ipso erectionis exordio tum canonicatus tum praebendas ut presbyterales habitas fuisse. Porro in casu dispositionis peculiaris in fundatione seu statuto revera esse ita tenendum, ut decrevit Firmanus Archiepiscopus explicant etiam *Barbos. p. 3. alleg. 60. n. 71, Garz. de ben. p. 3. c. 4. n. 14, Card. de Luca Annot. ad s. C. Trid. disc. 24. n. 4, Ricc. prax. var. resol. 239. n. 1 et seq., Vivian. in par. jurisp. lib. 4. c. 2. n. 3, Monacell. append. ad part. 1. form. Leg. Cotronen. n. 17,* quia tunc tales canonicatus impetrantes Canonicis cathedralis ecclesiae aequiparantur. Ita etiam tenuit s. Congr. in *Hildesimen. 16. Decembris 1730,**) *Nepesina 3. Julii 1588 lib. decr. 5. fol. 154, Eugubina 14. Febr. 1609.* Ad haec ex jure desumpta addit Archiep. tum Canonicos tum prabendatum in mala fide esse constitutos, contendit enim praeclarae memoriae Cardinalem Braucadoro praedecessorem suum pariter ita sensisse necnon in actu s. visitationis oretenus injunxisse clericis capitularibus Montis Ulmi ut ad sacros ordines festinarent ascendere, ceu a fide dignissimo accepit testimonio, quod certe declarat jugiter Canonicos Collegiatae Montis Ulmi sacris ordinibus adstrictos habitos fuisse, neque bonae fidei argumento uti posse ob fructus perceptos.

Ast Canonici ac beneficiatus aliter super his sentiunt contenduntque ipsos nec a Concilio Tridentino neque ex bulla erectionis seu fundationis neque a capitularibus constitutionibus gravari, ut ad Sacra adscendere debeant.

Enimvero Tridentina synodus quum *sess. 24. cap. 12.* mandat ut omnes canonnicatus ac portiones in ecclesiis cathedralibus habeant adnexum ordinem presbyteri, diaconatus vel subdiaconatus nullam sane de collegiatis ecclesiis mentionem facit, hinc inferunt plerique DD. nihil inde innovatum fuisse quoad Collegiatas, sed juris communis sanctiones fuisse confirmatas quibus aetas quatuordecim annorum**) et sola clericalis tonsura ad assequendos ac rite possidendos canonicatus ecclesiae collegiatae etiam insignis satis esse constituitur, *Ricc. in prax. aur. resol. 280, Grat. c. 591. n. 12, Barb. all. 60. de potest. Ep. n. 71* et ad dictum locum Trid. *n. 48. Gonz. gloss. 5. ad reg. 8. n. 92 et 96, Corrad. in prax. benef. lib. 2. c. 12. n. 69, Rosa de execut. lit. apost. part. 1. c. 6. n. 154,* s. Congreg. in *Senogallien. Canonicatus 11. Maji 1793.* ad *II. dubium*, denique *Fagnanus in cap.*: *Cum in cunctis, de electione n. 85*, ubi explicans etiam *caput 4. sess. 22.* ab Archiepiscopo allegatum s. Congregationem decrevisse testatur quod Concilium Tridentinum quando Canonicos Collegiatarum cogit ad sacros ordines »praesupponit constare alio modo ordinem sacrum adnexum esse illi canonicatui.«

Ex bulla vero erectionis seu fundationis Collegiatae nullum suscipiendi sacros ordines onus constare, imo potius adversum erui, cum tam canonicatus quam praebendas clericis et presbyteris indistincte excepta prima dignitate ac uno capellano qui animarum cura praegravantur posse conferri statuatur: Collatio seu provisio et omnimoda alia dispositio ad pro tempore existentem Archiepiscopum Firmanum . . . . . spectet et pertineat pro uno ex clericis seu presbyteris futuris . . . . et respectu reliquorum trium beneficiorum praebendatuum tantum nuncupandorum hujusmodi ut infra erigendorum pro totidem clericis et presbyteris etiam futuris. Praepositura vero et praebenda curalis dumtaxat expresse pro uno presbytero futuro erigenda esse demandatur.

Hinc porro attendenda non esse inferunt, quae ex capitularibus constitutionibus urget Metropolita: constitutiones enim capitulares onus hoc adjicere non posse iis, qui ex lege fundationis non obligantur, colligitur ex *Casalen. Confirm. statuti 28. Januarii 1690. dub. I., Romana Sacror. ordinum 12. Julii 1855* atque insuper statutum illud abrogatum fuisse hodie a contraria pervetusta consuetudine (nam semper clerici inventi sunt de gremio capituli Montis Ulmi).

Pro gratia vero condonationis (quatenus opus sit) bonam fidem allegant, quae ex vetusto more firmabatur; quin destrui valeat testimonio unius anonymi decessoris Archiepiscopi hac de re quaerelas perhibentis: nec enim unico et extrajudiciali testi in re gravissima fidendum est ex *leg. Licet de testam., leg. Jus-*

*) Vd. *p. 356. n. 4.*
**) Vd. *t. I. p. 280. 11*; *supra p. 48. I.*

jurand. cod. de testib., s. C. in *Ravennaten Jurium parochialium 22. Junii 1822. §. Suspiciendum.* Et quoad dispensationem pro tempore futuro aetatem qua gravantur EE. VV. subjiciunt et jubilationis indultum quo donati duo sunt et alter donari debet quo fit ut ad chorale servitium non teneantur. Erit itaque sapientiae Vestrae definire

Dubia:

I. *An Canonici Bartolazzi et Nobili et praebendatus Spagnoli teneantur sacros ordines suscipere in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro condonatione fructuum hactenus perceptorum in casu?*

III. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab ordinibus suscipiendis eorumdem favore in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II. et III: Provisum in primo.

Die 29. Apr. 1839.

Derthonen.

Ad insignem collegialem ecclesiam martyri Laurentio sacram in civitate Vigneriae Derthonensis dioeceseos Carolus Joseph Abbiati die 4. Septembris an. 1776 publicis exaratis tabulis atque ecclesiastica auctoritate approbante canonicatum instituit propriisque bonis ditavit eique praeter onera caeteris Capitularibus communia imposuit quoque celebrationem trium Sacrorum *) qualibet hebdomada iis exceptis, quibus conventualem missam ejus possessor canere teneretur.

Sibi reservato nominandi jure utens fundator pronepotem suum Joannem Baptistam ex Carolo Salvi natum primum Canonicum elegit eique vita functo Paschalis alter ejusdem Caroli filius successit. Canonicatu adhuc hic fruebatur, quando mense Majo superioris anni Joannes Salvi patrui sui majoris mortem ob gravem aetatem diuturnumque morbum vicinam praesentiens P. O. M. supplex adfuit, ut ei puero nondum decenni sed clericali habitu jam ornato dignaretur *accordare l'età di anni quattordici, cosi praescritta dal fondatore, onde in caso di vacanza* potere aspirare al detto canonicato.

Ex s. Ordinis disciplina de informatione et voto exquisitus Derthonensis Antistes retulit: »Oratorem reapse existere in descendentia a testatore vocata, alium insuper adesse clericali habitu indutum, qui aequo jure posset ad dictam praebendam contendere, qui nequidem legitimam attigit aetatem . . . Capitulum, cui facultas est inter descendentes Salvi eligendi magis idoneum,*) ad oratorem magis accedit, utpote qui optimae spei adolescentulus est et moribus inspectis alteri praecellit. Cui Capitularium voto et ipse subscripsit. Attamen quum beneficium tunc plenum esset, placuit oratorem sub die 17. Augusti dimittere rescripto: *Recurrat in casu vacationis, quatenus fuerit nominatus.*

Et reapse, quum subsequentis Septembris die 14. praefatus Canonicus Paschalis Salvi e vita migraverit, easdem preces illico Joannes instauravit super quas iterum sciscitatus subjecit Episcopus: duos reperiri inter descendentes a Carolo Salvi, qui in praebendam jus sibi vindicant, Joannem scilicet oratorem et Hyacinthum Leonem, se neutrum eligisse, utpote quod deficit in utroque aetas requisita; optat immo aliquem nominare, qui posset per se onera adimplere et choro assiduus alios adjuvet, qui vel ob aetatem vel ob adversam valetudinem adjuncto muneri omni ex parte nequeunt satisfacere. Demum testatorem taxative non requirere, nisi agnationem et aetatem quatuordecim annorum. Illa adest in utroque (etsi de proximitate non constet, quum testator requirere non videtur), haec in utroque deficit.

Interim Hyacinthus petiit et ipse aetatis dispensationem. At utrique oratori s. Ordinis oraculum praestolanti ineunte mense Martio praesentis anni trium dierum terminum, ut de obtenta pontificia venia legitimam fidem ipsi exhiberent, Vignerienses Canonici indixere, significantes, eo emenso, ad fundationis legem novi Canonici electionem de extranea persona expleturos, ne frustra elaberetur definitum praesentationis tempus, quod jam ad exitum properare Episcopo detulissent; capitulo nominationis tempus prorogare ipse ratus est, ceu edisserit postremis literis ad s. Congregationem transmissis, quod utilius existimaverit adolescentes bonae spei quam senes inhabiles in capitulum cooptari. Quo posito concludebat censerem, ut uterque orator habilitari queat pro gratia ad canonicatum obtinendum; hoc pacto neutri injuria irrogatur et capitulum cui ex tabulis fundationis competit juspatronatus activum poterit digniorem in Domino eligere.«

*) Vd. *p. 405. n. 22.*

*) Vd. *t. II p. 411. q.*

Nihilominus die 10. Martii posthabitis descendentibus e familia Salvi a capitulo non Canonici nominatio peracta est; at hac super re apud s. Ordinem querela admota Episcopum literis monendum mei muneris duxi, ne quid innovaretur usque ad exitum causae EE. VV. proponendae.

Tandem dum haec habebantur, novae a Joanne Salvi ingeminatae sunt preces, quibus iterum EE. VV. exorat.

Profecto inficiari nequit unum et alterum adolescentem ad canonicatum passiva vocatione frui; id Episcopus et Canonici testantur patetque ex arbore generalogica, eo tantum posito discrimine, quod Hyacinthus proximior, Joannes remotior est a stipite lineae passiva vocatione donatae. Communem inde sibi adstruunt rationem pro expetita gratia assequenda. At hujusmodi enim super aetatis defectu dispensationes elargiendas aequissima causa semper visa est consanguinitas cum beneficii fundatore ejusque praedilectio erga familiam, quam passiva vocatione distinxit, *Corrad. in prax. benef. lib. 4. cap. 6.* Pariter et *in praxi dispensat. lib. 4. cap. 2. n. 2*, *Piton. disc. eccl. 13. n. 42*, probatque s. Ordinis disciplina, quae pluries benignam se praebuit etiam pueris infra decennium constitutis, ceu monstrant exempla ordine digesta *in una Pisauren. Legati et patrimonii sacri 26. Martii 1836. §. Nec hujusmodi.* Idque maxime, instant, in themate obtineri posse, quo fundator dignitatem sacerdotalem non requisivit dixitque canonicatum *di qualita laicale.*

Perperam obtenderetur, inquiunt, choralis servitii detrimentum. Quandoquidem hujusmodi veniam, etiamsi de canonicatibus ageretur, suevit s. C. impertiri ut in *Monasterien. Canonicatus 1. Junii 1753* et examussim choralis servitii damnum frustra capitulo objiciente *in una Balneoregien. 21. Junii 1760.* Etenim servitio chorali consultum remanet per decretum, in dispensatione apponi solitum, ut provisus de canonicatu, cum primum pervenerit ad legitimam aetatem, ordines praebendae adnexos suscipiat et interim ecclesiae deserviat per substitutum, uti observat *Corrad. in prax. dispens. lib. 4. cap. 2. n. 30 et 31, 40 et 41.* In themate vero subest quoque fundatoris voluntas, qui canonicatu auctis a choro abesse permisit.

Nec pertimescendum, urgent, jus Vigueriensium civium pessumdatum iri, quos in defectu habilium de familia Salvi fundator ad canonicatum invitavit. Cum enim requisita habilitas non ad vocationis, sed ad nominationis tempus referenda sit ob verba illa: *qualumque nominando al canonicato, il quale dovrà avere l'età legitima almeno di anni 14*, ex subsidiaria illa vocatione, quousque terminus ad praesentandum a lege statutus perduret, nullum jus quaesitum sibi ipsi queunt asserere sed dumtaxat jus eventuale unamque spem ad futuram nominationem, ad tradita per *Card. de Luca de jurep. dis. 47. n. 7 et 5*, *Piton. disc. eccl. in Parergon. n. 17.* Quod eventuale jus si praecidatur, praejudicium illatum dici non posse, (quod ex laeso tantum jure certo oritur) tradunt *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 55. n. 20.*, *Gomez. in reg. de jure quaesito quaes 4. n. 1.*, *Card. de Luca de jurep. dis. 70. n. 17*, *Piton. in Parergon n. 20.* Et reapse s. hunc Ordinem pluries in subsidium vocatorum oppositiones rejecisse atque eventuale horum posthabuisse praejudicium, dum petitam aetatis dispensationem concessit, animadvertitur *in una Firmana Beneficii 13. Febr. 1819. §. Praeterea*, atque erui potest ab exemplis superius indigitatis et ex nupera *Tiburtina Canonicatus 7. Septembris 1839.*

Hucusque oratores consentiunt; peculiaria quisque profert, quibus alter alterum ab indulti beneficio excludat. Se praeferendum imprimis contendit Hyacinthus, quia gradu proximior est Carolo Josepho, cujus descendentes masculos cum fundator absque ullo discrimine ad patronatum passivum vocaverit inter eos ordinem a jure in successionibus statutum, ut nempe proximior remotiori antecellat, voluisse censendus est. *Piton. de cont. pat. alleg. 100. n. 254*, *Comez. in l. 40. Tauri n. 40*, *Garzias de Benef. p. 7. cap. 15. n. 17*, *Castrop. tom. 2. tract. 3. disp. 4. punct. 9. n. 5* et alii apud *Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. VII. n. 33.* Et sane quum praelatio data est in fundatione, eadem demandata dicenda est in sede priori; siquidem ea est vis discretivae orationis, ut in uno contentum censeatur, quod in altero expresse respuitur, *Rota dec. 8. n. 10. part. 17. Rec.*

Insuper aetate praestare seque prius

clericales vestes induisse asserit; at aetate major et in clericali statu antiquior praelationem meretur,*) uti monet *Panimol. dec. 101. adn. 1. n. 12*, *Rota in Volaterana Beneficii 7. Jun. 1709.* §. *Ast quando, cor. Ansaldo, s. C. in Gallien. et Pergulana 14. Julii 1842.* §. *Haec autem*; et reapse dispensationem obtinuit, qui plures a nativitate annos numerabat *in una Montis Falisci Dispensationis 24. Martii 1838.* Tandem se patre orbatum ad familiam multa quidem prole gravatam, sed censu haud amplo locupletem pertinere: verum hoc esse s. Ordinis institutum, ut non solum extremae, sed etiam relativae paupertati suppetias ferat, plurima exempla demonstrant.

Joannes at e contra s. Congregationem priorem adiisse objicit; quae quidem praeventio valde aestimari solet in dispensationibus concedendis, etiam aequali merito occurrente, juxta regulam *54. de reg. jur. in 9*, nempe qui prior in tempore, potior est in jure, quemadmodum adnotatur in dicta *Callien. et Pergulana loc. cit.*

Praeterea latet neminem, dignioribus**) beneficia tribuenda esse; hinc sibi potioribus qualitatibus commendato indultum debitum propugnat. Bonis moribus imbutum ac optimae spei adolescentem esse Episcopus et capitulum perhibent, quibus tum parochus tum in Vigneriensi collegio societatis Jesus studiorum praefectus consonant. Ille insuper de frequenti servitio ecclesiae exhibito, hic de diligentia ac profectu in studiis testatur, adeo ut grammatices rudimentis incumbens in classe, quam vocant *di quinta*, licet aetate minor, Hyacinthum praestet, qui iisdem vacat in altera, quam dicunt *di stessa*, sicuti Derthonensis seminarii rector suo firmat testimonio. Hisce vero qualitatibus robur adjicere subdit, praebitum ab Episcopo ac capitulo patrono assensum: plurimi enim Episcopi patronorumque favorem a s. Congregatione semper habitum esse monetur *in praefata Gallien. et Pergulana loc. cit.*, atque nonnisi injuria, clamat, capitulum secunda vice de sententia sua requisitum dispensationi adversari potuisse; nemini enim licet cum alterius jactura consilium immutare; et quod semel placuit, amplius displicere non potest, *cap. 33.* et *cap. 21. de reg. jur. in 6.*

Accedit paupertas, quae, si passiva pollentibus vocatione atque sanguine cum fundatore conjunctis hunc s. Ordinem semper propitium reddidit, *S. C. in Montis Falisci Dispensat. 24. Martii 1838.* §. *Consanquinitas*, in themate praelationem quoque suadere debet, cum in beneficiis pauper diviti praeferendus sit. *Cap. Postulasti 27 de resc.*, *Konch. ad reg. 27. cancel.**) *n. 18 et seq.*, *Lambert. de jurep. lib. 2. p. 3. quaest. 5. art. n. 1 et 7*, *Gratian. disc. for cap. 211. n. 30*, *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 7. n. 30 et seq.* Porro se inopia laborare probat testimonio civilis potestatis asserentis de ejus patre *non possiede stabile di sorte*, *ne altri mezzi di fortuna*, familiae vero alimoniae consulere *coll' esercizio della qualità di Tesoriere dell' ospedale* (quod ei in lib. 500 stipendium suppeditat) *e coi limitati guadagni di scritturale, e cospita.* Hinc est quod si canonicatum (quorum bona adhuc penes suam familiam perstant) assequi nequiret, mediis omnibus destitueretur, ut arreptum studiorum ac ecclesiasticae vitae curriculum progrediatur. E contra ad haec satis instructum Hyacinthum dicit, qui jam in dioecesano seminario moratur et cujus familiae patrimonium licet ad censuales tabulas in scut. 2188, 4. 3 notetur Pedemontanas 49940 certo pertingit.

Post haec nihil ducendum concludit, si minori aetate ac gradu remotiori constitutus sit. Nam quoad illam, cum et Hyacinthus indigeat dispensatione, in eadem navi jactari dici potest, ac insuper minimum est, quod intercedit, inter annos discrimen, quod non attendit *s. C. in una Tridentina Capellaniae 17. Maji 1761*;**) quoad alterum firmant DD., quod ubi agatur de mediata passiva vocatione absque ulla gradus distinctione demandata, fieri satis fundationis legi, si a patronis aliquis ex designato genere, licet remotior, eligatur. Ita sane post textum *in leg. unum de familia ff. de leg. 2*, *Card. de Luca de jurip. dis. 45. n. 3*, *Piton. de cont. patron. alleg. 9. num. 8*, *Rota decis. 3. n. 4 de jurep. cor. Falconerio* et *dec. 13. n. 7 et seqq. cor. Ratto.*

Verumtamen ex adverso norunt EE. VV. Tridentinos Patres *sess. 23. cap. 6* decrevisse, ut *nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium obtineri possit.* Huic sanctioni undequaque consona est omni jure servanda fundatoris voluntas eamdem aetatem in Canonico eligendo praecipiens. Nec ad illius defectum supplendum ex praesumpta fundatoris mente extraordinario dispensationis remedio in themate occurri posse videtur ob subsidiariam vocationem favore Vigneriensium civium demandatam. Pensandum inde quoque est, quid juris ex hac substitutione ipsimet Vignerienses cives mutuari queant. Profecto si in primis vocatis habilitas de tempore vacationis requireretur, nil dubii, quin jus quaesitum jam ipsi nacti sint; proindeque cum expetita dispensatio in eorum damnum vergeret, minime concedenda videretur, ad monita per *Card. de Luca de jurep. disc. 70. numer. 16*, *Piton. discep. eccl. in Parergon num. 17*, *Rota decis. 592 coram Lancetta numer. 4*, in *Melevitana Beneficii super restitutione in integrum 23. Aprilis 1722.* §. *Nec profuit, coram Gamaches, S. C. in Verulana 10. Junii 1768* §. *Nec ad praescriptam* et §. *Caute* et in *Pisauren. Legati et patrimonii sacri 26. Martii 1836.* §. *Dicent* atque omissis s. Ordinis antiquioribus resolutionibus, ex quibus in subsidiarie vocati concursu dispensatio denegata deprehenditur, prostat exemplum in nuperrima *Civitatis Castelli Canonicatus 27. April. 1839.* Tandem animadvertendum, oratores, quod appareat, nondum esse sacra tonsura initiatos ac praeterea neutrum fuisse a capitulo patrono praesentatum; ideoque videant EE. VV., num satius expediat utrosque dispensationis beneficio donari, ut electionis arbitrium integrum eidem capitulo relinquatur, sicuti in postremis suis literis Episcopus proponit.

Quod si Joannis votis de dispensationis indulto abnuendum EE. VV. existimaverint, enixis precibus rogat ipse, ut super canonicatus redditibus pensio decernatur, quae in ejus paupertate medium aliquod inchoata studia susceptamque ecclesiasticam viam alacrius prosequendi suppeditet. Sane etiam favore patroni passivi pauperis, praesertim fundatoris consanguinei, suspensionis nominationem indulsit quandoque sacer Ordo, ut oneribus satisfactis ceteri fructus converterentur in ejus educationem. Ita in *Forolivien. Capellaniae 25. Junii 1791*, in *Nucerina Capellaniae 25. Februarii 1837* et novissime in *Perusina Prorogationis indulti 13. Februarii nuper elapsi.* At minus est ait orator quod ipse modo postulat, quodque certe nedum nullam piae voluntatis commutationem secumferret, sed maxime ipsi consonum foret, si recollatur, fundatorem ratione studiorum absque distributionum amissione canonicatus possessoribus a choro absentiam impertitum esse. Caeterum patrono licere inter plures passive vocatos praesentare unum ex illis sub conditione pensionis favore alterius de eodem genere vocati, tradit *Piton. de cont. pat. alleg. 56. num. 19.* Canonicalem vero praebendam satis divitem ad pensionem ferendam evincit ex fide officialis, cui nomen *regio subeconomo*, qua constat illius redditus, vectigalibus demptis, ad libellas 882 pertingere.

Ast monendum, hanc canonicalem praebendam praeter choralia pensa trium Sacrorum in qualibet hebdomada celebratione gravari; nec spernendum etiam quod notat *Fagnanus in cap. Cum in cunctis de elect. n. 44* neminem videlicet assequi posse pensionem super ecclesiastico beneficio, nisi prima tonsura donatus eruitque tum ex stylo notissimo curiae tum ex constitutionibus s. Pii V. quae incipit: *Sacrosanctam* et Sixti V. cui initium: *Cum Sacrosanctum.*

Hisce enucleatis videant EE. VV. quomodo definienda sint

Dubia:

I. *An et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione super aetatis defectu in casu?*

Et quatenus affirmative favore Hyacinthi,

II. *An et quae pensio super canonicatus redditibus sit imponenda favore Joannis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative favore utriusque firmo jure capituli alterutrum nominandi.

Ad II: Provisum in primo.

Die 22. Maji et 26. Junii 1841.

Gallien.

Tribus Dignitatibus et decem Canonicis constabat capitulum collegiatae ecclesiae s. Andreae Pergulae, quum anno 1807 a Pontifice optimo ac vere maximo Pio VII. eadem ecclesia episcopalis cathedrae honore donata et Con-Cathedralis cum Galliensi ecclesia fuit renuntiata. Fundationis lege Canonici ad sacerdotium assumendum minime tenebantur: verum Episcopo Eugubino die 12. De-

*) Vd *p. 412. VIII.*
**) Vd. *t. II. p. 404. o. p; p. 411. q.*

*) Vd. *t. II. p. 827.*
**) Vd. *Capellania;*

cembris 1786 literas dederat in forma brevis sa. me. Pius VI., quibus jusserat, ut octo ex ditioribus praebendis semper in futurum essent presbyterales patronisque dignitatum seu canonicatuum praecepit, ne unquam nominare valerent, nisi eos, *qui in sacro presbyteratus ordine aut in eo sint initiati ut infra annum ad illum commode promoveri possint*; *secus illorum nominatio nulla sit viribusque et effectu penitus vacuari mandamus.*

Episcopus a Pontifice delegatus inter alias praebendas presbyterales dignitatem archipresbyteratus recensuit, quae 1743 una cum alio canonicatu ab Eugenio ex Comitibus Giannini fundata fuerat reservato jurepatronatus activo nepoti suo Joseph Giannini ejusque successoribus et haeredibus. *Vacavit die 24. Februarii 1823* ob mortem sacerdotis Petri Giannini dignitas archipresbyteratus; omnes patroni nominarunt clericum Augustinum Luzi, fundatoris consanguineum qui tamen die 29. Augusti 1804 in lucem editus ob defectum aetatis institutionem nunquam obtinuit.

Interea clericus Thomas Gamberi natus die 25. Octobris 1801 Cathedralis Pergulanae Canonicus institutoris pariter consanguineus quamvis a patronis minime praesentatus ab hac s. Congregatione petiit, ut ipsi archipresbyteralis dignitas concederetur, utpote pollenti omnibus qualitatibus, quae a fundatore et a supra memoratis apostolicis literis fuere praescriptae. Rogavi de more Episcopum, qui auditis omnibus interesse habentibus ita suam pandidit sententiam:

»Quoniam mihi a s. ista Congregatione injungitur, ut praesenti in quaestione sensum meum aperiam, animo id peragam quam libentissimo. Praesentatio a patronis facta in persona Augustini Luzi nullius certe ponderis et roboris considerari debet. Habita enim ratione ad Breve S. M. Pii VI., quo praescribitur, ut nemo inter Capitulares Cathedralis Pergulae admittatur, qui in ordine sacerdotali minime sit constitutus, consequitur Augustinum Luzi ut supra praesentatum et nominatum ad hanc dignitatem canonicalem obtinendam haud capacem et idoneum esse propter defectum aetatis.

Ex relatione enim capitulari eruitur, praedictum clericum natum esse die 29. Augusti 1804. Porro eodem defectu aetatis laborat Thomas Gamberi, qui annum vigesimum secundum nondum explevit. Ambo igitur inhabiles et incapaces sunt, nisi sacratissimi Principis clementia in alterutrius favorem dispenset.

Cum autem patroni ad Augustini Luzi praesentationem descenderint, qui sane majorem spem quam Gamberi praesefert futurum ecclesiae proficuum, si ipsius ingenium, indoles sedulaque in studiis opera inspiciatur opinaret, praedicti Augustini Luzi precibus annui posse.«

Nullas autem preces exhibuit clericus Luzi pro obtinenda dispensatione ab aetatis defectu: illam tamen patroni pro eo flagitarunt et die 4. Maji 1823 Episcopo declararunt, se paratos esse, si haec s. Congregatio hujusmodi precibus annuat, ad praestandum *altro soggetto parente più prossimo più idoneo, e capace, secondo la mente dell' istitutore e Breve pontificio.*

Contendit Canonicus Gamberi sibi deberi archipresbyteralem dignitatem eo quod omnibus praeditus sit qualitatibus praescriptis a fundatore et ab apostolicis literis; se enim fundatoris propinquum probat seque putat in canonica aetate constitutum, quoniam etsi natus die 25. Octobris 1801 nondum compleverit *23. annum* ut opus esset juxta aetatem sacerdotii a Concil. Trid. *sess. 23. cap. 12. de reform.* statutam, in proxima tamen ordinatione subdiaconatu recepto, si apostolica dispensatio accedat, ad presbyteratum infra annum ascendere poterit. Neque, si ei fides habeatur, alius adest, qui necessariis qualitatibus polleat, quibus ac praecipue aetate destituitur clericus Luzi a patronis nominatus: hinc ejus nomiuatio, quod nulla sit, viribus et effectu penitus vacuetur, ex literis s. m. Pii VI. perspicue constat. Nullo itaque modo institutionem sibi denegandam esse concludit Canonicus Gamberi, quin materiali opus sit, qui passivo patronatu omnibusque necessariis requisitis gaudeat; nominationis loco ipsi est fundatoris voluntas, *Piton. de controv. patron. alleg. 85. n. 3, Garc. de benef. par. 4. cap. 3. n. 65, Rota in Consana Benef. 4. Julii 1795. §. 3. cor. Card. Elephantutio,* in *Ferrarien. Capellaniae die 11. ejusdem mensis §. 2. cor. Ratto* et *s. Congregatio in Aesina Beneficii 21. Septembris 1822.*

Verum ex literis s. m. Pii VI. praeclare patet instituendum in aetate esse debere, ut infra annum ad presbyteratum commode promoveri possit, quod idem est ac 23 annum aetatis saltem complevisse: ad hanc vero aetatem nondum Canonicum Gamberi pervenisse ex eo elucet, quod tantummodo die 25. Octobris proxime venturi annum 23. explebit.

Inde vero consequitur, utrumque litigatorem apostolica dispensatione indigere, ut archipresbyteratum consequi valeat: quin potior sit causa Canonici Gamberi ob spem ad s. presbyteratus ordinem cum apostolico indulto a defectu aetatis infra annum ascendendi, dispensationes enim hujusmodi a libera summi Pontificis voluntate pendent: hinc nulla potest earum ratio in jure reddendo haberi, antequam illas jam obtentas fuisse doceatur.

Omnis ergo est quaestio de dispensatione a defectu aetatis, cui nempe ex litigatoribus concedenda sit, cum utrique concedenda sit, cum utrique proximitas cum fundatore archipresbyteratus faveat. Canonico Gamberi opitulatur dispositio Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* aetatem requirens annorum 22 saltem inceptorum, ut quis Cathedralium dignitates licite obtineat; qua in aetate ipse est constitutus et quae minime adest in clerico Luzi. Praeterea Canonicus Gamberi aetate major et in clericali statu antiquior est praeferendus,*) uti monet *Panimoll. dec. 101. adnot. 1. n. 12.* et *Rota in Volaterana Beneficii 7. Julii 1709. §. Ast quando, cor. Ansaldo apud Piton. de controv. patron. alleg. 85. n. 15*, eoque magis obtinendo beneficio sacerdotali habitu, ob majorem nempe aptitudinem, quae plurimum valet quaeque in eo reperitur, qui citius est ad sacerdotium promovendus, *Rota in Volaterana Beneficii 7. Decembris 1708 §. Verum quoque, cor. Crispo apud eumdem Piton. loc. cit.*

Haec autem eo firmius retinenda videntur quia sanctioni Concilii Tridentini et indicatis juris regulis apprime consonant apostolicae literae s. m. Pii VI., quibus statutum fuit, in Pergulana cathedrali ecclesia octo praebendas presbyteris omnino esse conferendas ut divino cultui consultum esset. Tandem Canonico Gamberi favet, quod jam aliam praebendam in ecclesia possideat jamque de eodem capitulo sit,**) primus autem hanc s. Congregationem adiverit: quae quidem praeventio valde aestimari solet in concedendis dispensationibus, etiam aequali merito concurrente juxta regulam, qui prior in tempore potior est in jure, de qua s. Congreg. in *cit. Aesina Beneficii 21. Septembris 1822.*

Praeferendus tamen ob personales qualitates videri poterit clericus Luzi, qui referente Episcopo *majorem spem quam Gamberi praesefert futurum ecclesiae proficuum, si ipsius ingenium, indoles sedulaque in studiis opera inspiciatur: quam ob rem* concludit idem Episcopus *opinarer, praedicti Augustini Luzi precibus annui posse.* Clerico autem Luzi praeter Episcopum etiam patroni suffragantur, qui omnes Canonico Gamberi posthabito ipsum ad archipresbyteratum nominarunt. Episcopi vero et patronorum favor ab hac s. Congregatione plurimi semper est habitus. Illud quoque pro sua sapientia EE. PP. perpendant, paratos esse patronos ad novam praesentationem faciendam atque ad nominandum *altro soggeto parente più prossimo, più idoneo, e capace,* si clericus Luzi excludatur; ideoque dirimere dignentur

Dubium:

An et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus et Episcopus praefigat terminum unius mensis patronis ad explendam nominationem.

Die 24. Julii 1824.

Continuatio.

Antequam praefatum rescriptum ab hoc s. Ordine ederetur, die 4. Junii 1823 dispensationem a defectu aetatis et die 13. ejusdem mensis bullas collationis a Dataria apostolica obtinuerat clericus Augustinus Luzi, quibus fretus possessionem iniverat archipresbyteratus: ubi vero nuncium adversi rescripti accepit, supplex adiit summum Pontificem et literarum apostolicarum imploravit sanationem. Preces s. Congregationi a SSmo ablegatae remissae fuerunt Episcopo pro informatione et voto ejusque responsum clerico Luzi apprime favens habent EE. PP. in summariis circumferendis. Canonicus quoque Thomas Gamberi a s. Pontifice impetravit, ut cum clausula de aperitionis oris arbitrio in hoc s. Senatu disputatio super executione praedictarum literarum apostolicarum institui posset.

Adversus apostolicas literas fraudibus et mendaciis obtentas aperitionem oris impertiendam contendit Canonici Gamberi defensor *ex cap. Super literis de rescript.* praesertim si per illas jus alicui quaesitum sublatum

*) Vd. *t. II. p. 412. VIII. XI.*
**) Vd. *t. II. p. 411. III.*

esse evincatur. *Rota in Terracin. seu Setina Aperitionis oris 17. Junii 1819. §. 3. cor. Emo Odescalchi* et in *Balneoregien. Reintegrat. seu Aperitionis oris 2. Aprilis 1824. §. 13. cor. R. P. D. Marco.* Literas vero a clerico Luzi impetratas subreptionis ac obreptionis vitio infectas arbitratur; nam clericus Luzi reticuit, Canonicum Gamberi hanc adivisse s. Congregationem in eaque proponendum dubium, cujusnam favore esset SSmo consulendum pro dispensatione a defectu aetatis: quin imo (inquit) falsitatem narravit, exponendo, *che nel parentado non esiste attualmente altro seggetto più idoneo a conseguire la detta arcipretura*, dum aderat Canonicus Gamberi aetate major et ad s. ordines jam provehendus. Nec quidquam proficere valet clericus Luzi defectus quibus scatent ejus in procuratorem refundendo: vitium enim obreptionis non ex persona conscribentis, sed ex iis, quae in libello narrata fuere desumitur ad tradita per *Rotam in Rec. dec. 69. n. 9. p. 7* et in *Auximana seu Recin. 20. Junii 1806. §. 4. cor. Emo Bardaxi.*

Subdit praeterea, jus alteri quaesitum nunquam sublatum censeri, nisi eidem Pontifex expresse derogavit, *cap. Postquam de praebend. n. 6., reg. 18. cancell. de jur. quaesit. non toll.* *), in literis autem collationis archipresbyteratus clerico Luzi concessis adeo abest, ut ulla occurrat derogatio jure tertii, quin imo expresse cautum legatur: *dummodo die datae praesentium non sit in eo alicui specialiter quaesitum.* Jam vero Canonicus Gamberi jus sibi quaesierat, antequam literae apostolicae favore clerici Luzi relaxarentur; quandoquidem coram hac s. Congregatione lis pendebat super archipresbyteratu et ipsa litis introductio addit jus, cui Pontifex nisi illius mentionem faciat nunquam derogare putatur, *Rot. in recent. decis. 210. n. 16. part. 11.*

Cum itaque literae apostolicae a clerico Luzi obtentae viribus destituantur et nemo praeter Canonicum Gamberi et eumdem clericum inpraesens existat, qui cum fundatore sit consanguinitate conjunctus, recedendum a decisis et institutionem archipresbyteratus dandam esse Canonico Gamberi concludit ejus defensor. Etenim ex fundatoris lege ad archipresbyteratum nominandi sunt *i di lui parenti idonei, e capaci*, ex bulla vero Pii VI. illi dumtaxat, *qui in s. presbyteratus ordine aut in eo sint initiati, ut infra annum ad illum commode promoveri possint, secus nominatio nulla sit viribusque et effectu penitus vacua.* Canonicus Gamberi hisce pollet dotibus; est enim cum fundatore consanguinitate conjunctus. Sacerdotio nuper insignitus aetate ac idoneitate clericum Luzi antecellit ac propterea eidem, etiam invitis patronis, est referendus, tamquam praesentatus ab ipso fundatore, *Piton. de controv. patron. alleg. 72. n. 10., Rot. cor. Molin. decis. 240. num. 1.*

Fructus quoque a clerico Luzi perceptos Canonico Gamberi restituendos arbitratur idem defensor:*) quemadmodum enim accessiones sortem sequuntur, ita sortis decreta traditione fructuum quoque demandanda est solutio, *L. 1. cod. de pignor., Rota cor. Riminaldo decis. 69. n. 20. cor. Mc.* Et quidem a die captae possessionis; cum enim vitia quibus infectae sunt literae apostolicae et lis in hac s. Congregatione pendens clerici Luzi malam fidem pandant, fructus omnes perceptos restituere compellendus est, ad tradita per *Rot. cor. Olivat. decis. 54. num. 1* et per *s. Congr. in Ariminen. Capellaniae 22. Septembris 1807 ad II. dub.*

Aliter vero quaestionem dirimendam censet clerici Luzi defensor. Inprimis enim qualibet vi destitutum censetur rescriptum a Canonico Gamberi impetratum cum clausula *de aperitionis oris arbitrio*, quia obreptionis ac subreptionis vitio laborat et ideo deneganda sit oris aperitio adversus apostolicas literas, dein contendit patronos nullo cohiberi vinculo certas personas, scilicet ex familia Giannini originem ducentes, nominandi sed ipsis facultatem esse, quem sibi magis lubeat praesentandi.

Quamvis enim Aegidius Giannini *anno 1743* publicis confectis tabulis, quibus duos se erecturum canonicatus et singulis Canonicis exsoluturum quolibet anno *scuta quinquaginta* spopondit, juspatronatus reliquerit nepoti Josephi ejusque haeredibus et successoribus, attamen in instrumento, quo dein tum ab Aegidio tum ab ejus nepote Luca Giannini bona in dotationem canonicatuum assignata fuere, fundatores tantummodo reservarunt *sempre, ed in ogni tempo a loro favore il jus nominandi di dette due prebende . . cassando, ed annullando l'altro istromento rogato sotto il di 8. Luglio 1743. per quello riguarda la nomina etc.*, quin ullam jurispatronatus passivi fecerint mentionem. Huic instrumento concinit Episcopi decretum quo canonicatuum expleta fuit erectio patronisque tributum jus praesentandi *personas habiles atque idoneas.* Injuria itaque conqueritur Canonicus Gamberi de patronis, qui ipsum in nominatione praeterierunt; nam ad tramites fundationis fas erat patronis etiam a familia Giannini extraneum nominandi. Colligit exinde clerici Luzi defensor nullo laborare obreptionis aut subreptionis vitio preces ab eodem clerico porrectas pro dispensatione a defectu aetatis ac pro collatione archipresbyteratus.

*) Vd. *t. II. p. 825.*

*) Vd. *t. II. p. 564. g; 580. p.*

Imo pergit, pleno gaudent robore eaedem literae etiamsi juspatronatus passivum favore descendentium a familia Giannini relictum existimaretur: quia revera nemo alius aderat in familia Giannini, qui idoneitate clericum Luzi antecellerat. Etsi enim Augustinus Luzi aeque ac Thomas Gamberi minoribus tantum ordinibus esset insignitus et eodem propinquitatis gradu cum fundatore conjungeretur: nihilominus cum nullo esset provisus beneficio, a patronis omnibus nominatus et ab Episcopo magis idoneus renuntiatus uti dignior habendus erat ad tradita per *Rot. cor. Burat. decis. 635. num. 5*, praesertim quia major aetatis Thomae Gamberi erat qualitas archipresbyteratui extrinseca ac proinde opus non erat, ut summo Pontifici significaretur, *Rota cor. Molin. decis. 815. num. 23.*

Nihilque clerico Luzi timendum ex *reg. 18. cancell. de jur. quaesit. non tollen*, siquidem haec regula praeservat solum jus certum, quo sane non pollebat Canonicus Gamberi a patronis minime praesentatus aetatisque dispensatione indigens. Eoque minus jus certum sibi asserere valet ex precibus huic s. Congregationi pro obtinenda dispensatione oblatis. Praeterquam enim clericus Luzi jam antea dispensationem aetatis collationemque archipresbyteratus a summo Pontifice per Datariam efflagitaverat: illud etiam accedit, quod ex precibus Canonici Gamberi nec ei ullum jus quaeri potuit: numquam enim dicitur jus quaesitum, quod adhuc incertum est, an sit concedendum, *Lotter. de re benefic. lib. 3. quaest. 33. n. 19, Piton. discept. eccles. 154. n. 33*, nec ulla invehi litis pendentia, ad quam requiritur actus. Accedit, litis pendentiae, si qua forsan inducta fuisset, derogasse summum Pontificem qui clerico Luzi archipresbyteratum conferre voluit, *etiamsi . . super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa.*

Tandem si quo etiam defectu laborarent preces clerici Luzi porrectae, id tribuendum foret ejus procuratori, non autem ipsi clerico. cujus optimam fidem testantur Episcopus et patroni ac eaedem preces, quibus Ordinarii interpellatio suadebatur, perspicue ostendunt; propterea cujusvis defectus sanatio ei foret indulgenda, cum aequum sit, ut hoc remedio insonti succurratur, *Rot. cor. Olivat. dec. 690. n. 18* et in *Colonien. Permutationis 20. Junii 1721. §. Ex quibus, cor. Cerro.*

Reliqua fusius haurient Emi PP. ex allegationibus utrimque distribuendis, ut dirimere possint, quae proponuntur

Dubia:

I. *An intrat arbitrium pro aperitione oris in casu etc.?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.?*

Et quatenus recedendum a decisis,

III. *An et cui sit danda institutio vel potius manutentio in casu?*

IV. *An, cui et a quo tempore et in qua summa a clerico Luzi sint restituendi fructus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II. III et IV: Provisum in primo.

Die 6. Aug. 1825.

XXIII. Scholasticus. (Inspector scholar.)

Vd. *Praebenda theolog.*

(*Electionis modus.*)

Vetustissimum et nobile Pragae Bohemorum cathedralis ecclesiae capitulum duodenario Canonicorum numero constat, quorum septem antiquioris sunt institutionis remeantque ad antiquum capitulum s. Viti: est una canonicalis praebenda quae supervixit e clade Collegiatae s. Apollinaris et capitulo Cathedralis adnexa peculiarem tribuit possessori titulum *Decani ad s. Apollinarem;* reliqui quatuor tractu temporis instituebantur in honorem s. Joannis Nepomuceni, unde *Joannei* dicti sunt. Quos inter Canonicos quatuor dignitarii recensentur videlicet Praepositus, Decanus, Archidiaconus atque Scholasticus.

De natura scholasticae Dignitatis lis exorta est, num esset scilicet conferenda per *electionem* an per *optionem*.

Sane non dubitabatur binas praelaturas Praepositi atque Decani nunquam aliter collatas esse quam ope liberae capitularis electionis usquedum per novissima pacta inter apostolicam Sedem et pientissimum Imperatorem Franciscum Josephum anno 1855 conventa praepositura tamquam prior capituli Dignitas collationi romani Pontificis est reservata firma manente ut antea decanalis Dignitatis electione penes capitulum. Non vero tam liquido fluit jus de scholasteria conferenda. Quod ut intelligatur, sequens historia praenotari debet.

Antiquitus juxta praescriptum Concilii Lateranensis III. *c. 1. titul. de magistris*, in capitulo metropolitano Pragensi institutae fuerunt scholae pro Canonicis aliisque ecclesiae clericis quarum praefecturam habebat alter ex Canonicis, qui ex hoc munere Scholasticus est appellatus quique scholis deinde totius dioecesis praefuit et peculiarem pro munere praebendam obtinebat. Verum injuria temporum hominumque improbitate accidit, ut et universitas studiorum Pragensis ab ista Scholastici directione se subduxerit romanaeque ecclesiae defecerit obedientia ita ut scholastiariam modo possidens retineret dumtaxat munus cancellariae et custodis tabularii capitularis. Modus provisionis Scholastici, prout erat priore tempore, apparet ex rubrica constitutionum capitularium ab Archiepiscopo Pragensi anno 1350 adprobatarum, quae postea pontificia s. m. Pii II. sanctione 1458 roboratae sunt, in quibus sancitum fuit Praepositurum, Decanatum, Archidiaconatum et Scholasteriam per electionem conferendas esse. Sed modus electionis quoad Scholasticum per aliquod temporis spatium in desuetudinem abiisse dicebatur.

Verum 9. Januarii 1691 congregatis omnibus Capitularibus, uno excepto, ante electionem novi Decani ad praecavendas collisiones et servandam charitatem fraternam sunt sequentia resoluta et conclusa: quod — Archidiaconatus, Scholasteria, Senioratus, Domus aut residentiae Capitulares, fundationes et alia altaristica deinceps non sint electiva, sed secundum Senioratum optativa et sibi inposterum gradatim succedant. — Reapse talis stylus et adscendendi modus usque ad annum 1787 viguisse videtur. Hoc enim anno imperator Josephus secundus per universum Austriacum Gubernium tulit decretum 24. Februarii, quod praecipiebat, ut scholasteriam capituli deinceps acciperet quoad praebendam et dignitatem qui ab Imperatore regius scholarum dioeceseos inspector designatus esset et sacerdotio foret insignitus; sin autem esset lacius, huic integri traderentur praebendae proventus, suspensa manente scholasteriae dignitate. Hoc decreto licet ss. canonibus infenso restitui quodamodo ecclesiae incoepit officium inspectoris quod erat in Pragensi capitulo praebendae scholasticae adnexum.

Verum capitulum adversus intrusionem inspectoris extranei multiformiter protestatum est obstititque et suis repetitis ac laudabilibus instantiis obtinuit, altero scilicet Leopoldi II. decreto emisso die 17. Dec. 1790, ut, firmo manente priori edicto, in inspectoris nominatione praeferetur Canonicus capitularis cuivis extraneo presbytero. Capitulum itaque post ejusmodi dispositionem per Archiepisopum Imperatori proponebat plures e proprio gremio, unde unus ab illo nominaretur inspector scholasteriae, praebendam et dignitatem occupaturus, reservata tantummodo capitulo necessaria Canonici nominati immissione. Hac ratione locum habuerunt tres provisiones, quae in vacationibus annorum 1808, 1824 et 1834 contigerunt.

Auspicatus tandem illuxit annus 1855 in quo inter sacratissimum Pontificem Pium IX. et Imperatorem Franciscum Josephum de catholica ecclesia optime meritum subsignatum est concordatum infensas ss. canonibus leges abscindens. In articulo autem octavo qui ad rem nostram facit haec caventur: Omnes scholarum elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos majestas sua caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit.

Vacavit sub die 20. Junii 1857 scholasteria et Capitulares sessione habita atque indicta juxta consuetum morem die 23. Junii ejusdem anni, absente curandae valetudinis causa Canonico N., rogarunt Archiepiscopum, »ut disponeret de eo quod necessarium esset pro novo Scholastico et ut hoc etiam casu archiepiscopali protectione capitulum frueretur, quod sese referebat ad imperiale decretum diei 15. Decembris 1790, ut sua majestas dignaretur rationem praecipuam habere alicujus ex Canonicis capituli Pragensis.« Cardinalis Archiepiscopus supplicatione capituli

benignissime excepta die 5. Septemb. ejusdem anni apud caesaream majestatem institit, ut inspectorem supremum scholarum per archidioecesim Pragensem Joannem M. Canonicum capituli nominaret. Interim Canonicus M. qui absens erat rei notitiam habuisse dicebatur eorum quae gessit capitulum eodem mense Junio, qui tandem die 2. Octobris una cum duobus aliis Canonicis iis quae gesta erant sese assentiri non posse capitulo denunciavit. Quinimo expresse, ne scholasteria inspectori a caesarea majestate nominando traderetur, eadem die 2. Octobris protestatione emissa contendit adhibito elucubrato undique voto cujusdam professoris quo demonstrabatur, scholasteriae usurpationem vi aulicorum decretorum anni 1787 et 1790 nullitate irretragabili laborantium per pacta providentissime anno 1855 inter summum Pontificem et Imperatorem conventa cessasse; ideoque optionis jus etiam quoad scholasteriam, uti in usu erat ante annum 1787, procul dubio revixisse. Archiepiscopus tamen die 9. Novembris Imperatoris nominationem Canonici M. in Scholarum inspectorem sua exhibitione nuntians capitulo insinuat, ut nominato Scholasteriae tribuat immissionem. Id inique ferentes tres Canonici, qui neglectos et in jure suo laesos se existimabant; postquam Cardinalis Archiepiscopus sententiam die 30. Decembris tulit, qua institutio Canonici confirmabatur atque praebenda tamquam electiva declarabatur, ad Sedem apostolicam rem suam defensuri se converterunt.

Ter causa haec s. Congregationi Concilii proposita est sub dubiis in calce positis. Prima vice qua causa proposita est, nempe die 31. Augusti 1861, s. Congregatio distulit resolutionem rescripto: *Dilata et ad mentem*, eamque definivit die 14. Junii 1862 ac demum die 29. Novembris 1862 stetit in decisis adjecta clausula *et amplius*.

Rationes praecipuas, quae per defensores ampla eruditione adducebantur in tota hac causa, tantum indicabimus.

Optio*) sicuti favorabilis et laude dignissima bifario introducitur citra apostolicum privilegium vel peculiari statuto capituli vel consuetudine. Utrumque autem mira quadam concordia in praebenda scholasteriae capituli Pragensis confluit. Quidquid enim fuerit de antiquis capituli statutis saeculo XIV. conditis, quiquid dici lubeat de ipsius observantia saeculo subsequenti, ad rem pertinere dicebatur id, quod ortis inter Capitulares dissidiis circa inaequalem adscendendi methodum ad archidiaconatum atque Scholasteriam, *ne fraterna charitas turbaretur*, capitulari deliberatione 9. Januarii 1681 cautum est, ut scholasteria, electione abrogata, deinceps esset optativa. Neque ejusmodi legem vitiosam dici posse conteudebatur ob deficientem s. Sedis ac Archiepiscoporum expressam adprobationem. Nam pro validitate statuti capitularis sufficit consensus tacitus Episcopi.

Praesumptus insuper et actu vigens consensus adfuisse Sedis apostolicae dicebatur; nam cum agatur de observantia centenaria non solum praesumitur statutum fuisse ab omnibus pro tempore Archiepiscopis ratificatum et adprobatum, sed etiam inducitur praesumptio beneplaciti apostolici, cum centenaria praesumat meliorem titulum de mundo et per consequens confirmationem statuti factam in forma specifica per Sedem apostolicam, ut saepe firmavit s. Rota.

Caeterum addebatur, capitulum plenam potestatem habere statuendi etiam sine Episcopo vel interventu s. Sedis, quoties statutum non est diminutivum cultus divini et muneris ecclesiastici: proindeque tenendum esse dictum statutum optimo jure conditum fuisse. Neque vero uni huic statuto optio scholasteriae Pragensis innititur, sed etiam longaeva consuetudine et observantia firmabatur. Nec observantia ista destructa est posteriori consuetudine ab anno nempe 1787 ad annum 1857 in quibus electione capituli tres provisiones locum habuerunt. Nam hoc factum est propter injunctiones aulicorum; hinc si quid egit et fecit eo tempore capitulum, necessitate adactum peregit; porro, *quae propter necessitatem recepta sunt non debent in argumentum trahi*, ut docet Paulus jurisconsultus *l. 162 ff. de regulis juris*.

Sed posita etiam nova consuetudine prior ea non tollitur, quia regula est in foro vulgatissima: centenariam non tolli nisi per aliam centenariam omnino cumulatam, quae in casu locum non habebat.

Post haec gradum faciebat defensor ad repellendas difficultates, quae opponebantur. Ajebat nimirum actum capituli, quo in hac ultima scholasteriae vacatione provisio Emmo Archiepiscopo commissa fuerat, ut ante concordatum fieri solebat, non posse considerari

*) Vd. *Optio*.

tamquam *compromissum**). Observabat enim defensor ejusmodi *compromissum* suo robore esse destitutum tum ex defectu *potestatis* tum ex defectu *formae*. Ad valide enim compromittendum necessarius est omnium Canonicorum consensus: in facto autem constabat, duos ex Canonicis ad coetum capitularem vocatos non fuisse. Neque poterat allegari illa juris regula, quod major pars trahat ad se minorem. — Haec enim regula obtinet, quando omnes, qui vocandi fuerant, reapse vocati sint.**) At in casu facta non fuerat intimatio duobus dictis Canonicis; atque idcirco irritum renunciandum erat compromissum ex defectu potestatis. Ex defectu insuper formae resolutio illa capitularis neque *compromissum* dici poterat, cum neque emissa neque recepta fuerit tamquam *compromissum*.

Quoniam autem in articulo octavo laudatae conventionis sancitum est: *Inspectores scholarum dioecesanos majestas sua caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit:* non inde erui posse defensor contendebat provisionem Canonici scholastici huic legi esse subjiciendam. Munus enim dicti inspectoris non necessario conferendum est Canonico scholastico, quod ostendere curabat exemplo aliorum capitulorum ejusdem austriaci imperii. Nam in ejusdem articulo octavo nulla fit mentio de canonicali Scholasteriae praebenda: proinde cum ipsa, labente saeculo decimo septimo, ex defectu adnexi officii in purum *personatum****) transierit, ea conferenda erat eo modo, quo ante infaustas Josephinas leges conferebatur, scilicet per optionem. Maxime cum, si aliter fieret, Josephinae legis effectus in Pragensi capitulo adversus concordati intentionem perduraret.

Objectionem insuper repellebat defensor, quae erui poterat ex *capite 18. sess. 23. Concilii Tridentini de reform.*; in eo siquidem statutum est: »*De caetero vero officia vel dignitates illae, quae Scholasteriae dicuntur, nonnisi doctoribus vel magistris aut Licentiatis in sacra pagina aut in jure canonico et aliis personis idoneis et qui per se ipsos id munus explere possint conferantur. Et aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*« Ajebat enim defensor, Concilium Tridentinum loqui de magistris, qui docere actu debent; non vero de meris inspectoribus, qualis esset scholasticus Pragensis. Quod si ideoneitas, quam in Canonico Scholastico Tridentinum Concilium exigit, in praesenti casu requireretur, ejusmodi idoneitas non potest deesse in Pragensi Scholastico, quamvis haec praebenda per optionem conferatur. Nullus enim in capitulo Pragensi Canonicus esse potest, qui non sit doctor*) aut Licentiatus in theologia vel in jure canonico. Hisce aliisque consideratis, concludebat defensor, provisionem Canonici M. eo modo factam, quo supra diximus, adversus jus optandi, rescindendam esse atque insuper attentata purganda. Contendebat enim attentata purganda esse non solum per viam nullitatis sed etiam per rigorosam fructuum restitutionem expensarumque litis etiam extrajudicialium, damnis nimirum omnibus refectis. Dupliciter namque attentata perpetrata esse sustinebat, tum ante appellationem Canonicorum**) propter immissionem Canonici M. in stallum et praebendam Scholastici, priusquam decretum immissionis appellantibus nuntiaretur, tum quia pendente appellatione insertum fuerat ejusdem Canonici M. nomen in catalogo cleri dioecesani, super reliquos quinque Canonicos, qui antianitatis ordine ipsum praecedebant.

Inter plura quae copiose disputata sunt per Emmi Archiepiscopi defensorem nonnulla tantum fas est delibare. In statutis capitularibus a romano Pontifice Pio II. confirmatis legitur: »Archidiaconatu Pragensi ac scholasteria vacantibus capitulum posse libere eligere de ecclesia, vel extra, personas idoneas, quas honori et utilitati ecclesiae melius noverit profecturas.« Porro contendebat defensor actum capitularem diei 9. Januarii 1681, quo ex adverso praesumebatur scholasteriam ex *electiva* redditam esse *optativam*, nullitate laborare cum ex aliis rationibus tum praesertim, quia actus capitularis derogare non potest statutis apostolica auctoritate roboratis. Quinimo adductis documentis conjiciebat defensor non firmam juris normam capitulum eo actu constituere voluisse, sed omnino arbitrariam seu facultativam; ac pro certo dumtaxat ponebat defensor optionem habuisse locum ab anno 1714 ad annum 1763, eo scilicet temporis intervallo, quo officium scholastici inspectoris in suspenso mansit ob bella nempe intestina civilesque perturbationes, ob quas silere in scholis incoepit, donec iterum reviviscens hoc inspectoris officium illico per electionem fuerit collatum ad tramites Tridentinae legis *cap. 18. sess. 23.* quae sanxit: *Aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Rationem vero hujus Tridentinae legis ex eo defensor repetebat, quia scholastici officium idoneitatem personae ac industriam requirit. Quapropter sicuti nemo praebendam theologo aut poenitentiario destinatam *optare* potest, ita neque scholasteriam assequi quis potest per optionem, sed tantum per electionem.

Propugnato hac ratione jure electionis prono alveo fluere animadvertebat defensor canonicam renunciandam esse capitularem resolutionem, qua omnium Canonicorum consensu, uno absente excepto, conclusum fuit ut in electione novi Scholastici mos et consuetudo per annos fere quinquaginta jam invecta servaretur.

De legitima vero capituli convocatione dubium oriri non posse propugnabat ex eo quod Canonicus N. non statim, sed post longum temporis intervallum a notitia habita resolutionis capituli reclamaverit, et maxime ex eo quod juxta consuetum illius metropolitanae ecclesiae morem convocatio indicta fuerat. Proindeque nec Canonicus N. tunc absens multoque minus alii tres praesentes ac suffragantes conqueri poterant *de contemptu*. Maxime cum negotium quod capitulum Archiepiscopo commisit jam incoeptum ac executioni mandatum, uti a se gestum agnoscere debuisset. Quidquid enim agit mandatarius id mandantis nomine egisse censeri debet.

Sed proposito insistens defensor contendebat etiam ex novissimo jure tum consuetudinis tum praesertim concordati electionem non aliter faciendam esse inposterum quam hucusque facta fuerat ab anno 1790. Insistebat scilicet orator consuetudini quae tribus nominationibus anni 1808, 1824, 1834 invecta erat ex titulo uti ajebat transactionis cum Leopoldo II. initae.

Quod autem per concordatum neque transactio neque observantia fuerit revocata, ostendere curabat ex concordati articulis VIII. et XXXIII. In articulo enim VIII. ut supra diximus conventum fuit ut ad propositionem Ordinarii nominaretur inspector scholarum ab Imperante; et in articulo XXXIII. statutum legitur: *in reliquis ad vigentem ecclesiae disciplinam omnia dirigenda.* Concordatum proinde nullo modo sustulit capitulo jus eligendi, sed imo confirmavit et propositionem Archiepiscopi et nominationem imperialem. Et hoc eo magis tenendum esse ajebat in casu, quia in capitulo Pragensi, minime vero in caeteris imperii austriaci capitulis *ex fundatione* munus inspectoris dignitati scholastici inhaerebat.

Gradum insuper faciens orator ad dubium circa attentata observabat institutionem Canonici M. in praebendam scholasteriae canonicam fuisse et evanescere ideirco attentata. Deerant enim tam in jure quam in facto illa duo extrema, quae a lege requiruntur pro iis admittendis, nempe legitima possessio in spoliato et usurpativa in spoliante. Admisso enim etiam quod jus eligendi in petitorio non subsisteret, sufficeret tamen pro manutentione possessionis ultimus dumtaxat status, nominatio scilicet anni 1834 ad cujus tramites facta fuerat ea de qua agimus scholastici nominatio. Ultimus enim status omnino inspiciendus est cum de manutenenda possessione agitur, nisi de pertinentia nominationis incontinenti constiterit per rem judicatam vel per confessionem partis vel per legem fundationis adeo claram, ut nullam patiatur exceptionem. Maxime cum appellantes in libello appellationis ne verbum quidem fecerint de Canonici scholastici institutione et in petitorio dumtaxat non autem in possessorio actionem instituere voluerint.

Hisce delibatis ex hac amplissima causa multipliciter implexa dubitandi formulae s. C. C. propositae fuerunt sequentes.

Dubia:

I. An constet de jure optandi dignitatem et praebendam scholastici in casu?
seu potius,

II. An et quomodo sustineatur decretum Emmi Archiepiscopi diei 30. Decembr. anni 1857 et jus eligendi per capitulum in casu?

III. An constet de attentatis ita ut et quomodo sit locus eorum purgationi in casu?

Sacra Congregatio Concilii die 14. Junii 1862 causa discussa respondere censuit

Ad I: *Negative.*
Ad II: *Decretum sustineri.*
Ad III: *Negative.*

*) Compromissum est conventio, qua dissentientes suam controversiam alicujus vel aliquorum judicio subjiciunt spondentque se ejusdem vel eorumdem sententiae parituros. Vd. *p. 115. c.*

**) Vd. *t. I. p. 104. §: Electio facta.*

***) Tum dicitur aliqua capituli dignitas in *personatum* transire, cum cessante jurisdictione, quam prius obtinebat, retinet tantum praerogativam honoris. Vd. *t. II. p. 522. III.*

*) Vd. *p. 383.*

**) Vd. *t. I. p. 590. n. 9.*

In repropositione vero causae die 29. Novembris 1862, causa iterum discussa, S. C. stetit *in decisis* adjecta clausula *et amplius.**)

I. Scholasteriae praebendam de qua loquimur tum statutis capitularibus apostolica auctoritate confirmatis tum ratione adnexi officii quod electionem exigit electivam fuisse.

II. Neque potuisse legitime optativam reddi, officio inspectoris scholarum vigente, maxime post Tridentinam legem.

III. Hoc inspectoris officio cessante dissidiis intestinis aliisque vicissitudinibus catholicae religioni infensissimis scholasteriae praebendam potuisse obtineri per leges optionis.

IV. Officio inspectoris denique quoad substantiam ecclesiae restituto jus pristinum reviviscere debuisse, id maxime exigente praebendae natura et fundatione; quod de facto revixit, quamvis id evenerit interventu laicae potestatis jurisdictione in hac re destitutae.

V. Hoc jure itaque deinde servato locum non amplius optionem habere potuisse, quamvis antiquum et reviviscens eligendi jus ex concordati lege derogationem aliquam passum legitime fuerit.

XXIV. Substitutus.

Vd. *Substit. Canon.*; *Canon. Cath.* (vox p. 416.) *Canon.* (supranum., honorarius p. 481. n. 8.) *Coadjutor*; *Canon. jubilat.* p. 492. n. 9.

XXV. Supranumerarius.

Vd. *Canon. honorar.* p. 462.

1) Discrimen inter Canonicum honorarium et supranumer.

Vd. p. 468. III; p. 469. §. *De.*

*) Vita functo Canonico Scholastico M. cum aliqui ex capitulo iterum propugnassent jus conferendi praebendam Scholasteriae ad capitulum jure optionis pertinere, Archiepiscopo super hoc negotio s. Congregationem Concilii consulenti sequens responsum datum est die 27. Aprilis 1866 his verbis conceptum: »Relatis in s. Congregatione Concilii literis Eminentiae Vestrae Emi Patres cidem Eminentiae vestrae scribi eique significari mandarunt, quoad collationem vacantis Dignitatis ac praebendae Scholastici satis provisum fuisse per resolutiones sacrae Congregationis diebus 14. Junii et 29. Novembris anni 1862 super eadem re editas, quas proinde tam in praesenti quam in futuris praefatae Dignitatis ac praebendae quibuscumque obventuris provisionibus, pro norma ac regula habendas esse ipsamet praecipit sacra Congregatio.«

2) Electio et consensus a parte capituli.

Vd. *Canon. supranum.* (institutio etc.); p. 464: *Fulginaten*; p. 463. c.

3) Electio, approbatio et consensus Episcopi.

Vd. p. 464. *Fulginaten*; p. 463. c.

4) Expectativa.

Vd. *Canonic. supranum.* (institutio etc.); p. 464. §: *Secernendum*; p. 463. c.

5) Genus duplex.

Vd. p. 464. §: *Secernendum*; p. 468. §: *Pertractant*; p. 476. §: *Hisce*; p. 479. §: *Distinxit.*

6) Institutio, jus etc.

Vd. p. 463. n. 2.

Non potest Episcopus auctoritate ordinaria in sua ecclesia creare Canonicos supranumerarios absque consensu capituli et Canonicorum, s. Congregatio Conc. in *Fulginaten. 16. Februar. 1639.* Canonicus supranumerarius neque ad futuram praebendam creari potest quia hujusmodi expectativae fuerunt abrogatae a s. Concilio Tridentino *sess. 24. capit. 30. de reformat.* Ita s. Congregatio Concil. in *Tirasonen. 30. Maji 1698.* in qua fuit denegata confirmatio talis electionis seu institutionis. Canonicus supranumerarius receptus suppliciter de mandato Papae in aliqua ecclesia in qua est certus numerus Canonicorum non illi derogando aut non mandando recipi cum plenitudine juris canonicalis non habet jus canoniae*) stallum scilicet in choro et vocem in capitulo et alias omnes praerogativas, quibus caeteri Canonici gaudent. Canonicus vere supranumerarius receptus cum expressa Papae derogatione de certo Canonicorum numero vel cum plenitudine juris canonicalis habet tale jus canoniae, idest stallum in choro, vocem in capitulo et alias omnes praerogativas, quibus gaudent caeteri Canonici. *Lel. Zech. cap. 24. de Canon. num. 4.* vers: *Causa vero*, ubi subdit, quod quando a Papa impetratur canonicatus, qui sit supra numerum, debet id in literis exprimi, alias impetratio non valeret. *Pavin. de potest. c. Sed vac. prael. 5. n. 15, Hojed. de incomp. benefic. part. 1. cap. 12. n. 6, Stephan. Gratian. Discept. forens. tom. 5.*

*) Vd. *p. 47.*

cap. 867. a num. 1, Barbosa de Canon. cap. 3. num. 15. Canonici autem supranumerarii ordinarie dicuntur illi, qui in Canonicorum collegium cooptantur et Canonici creantur ultra numerum certum praebendarum et canonicatuum absque ulla praebenda illis statim attributa, ut ex glossa et *Abbat. in c. Cum M. Ferrariensis 9. de constitutionibus* resolvit *Azorius institut. moral. part. 2. lib. 3. cap. 11. qu. 13, Barbosa de Canon. cap. 3. num. 12.* Si Canonicus supranumerarius fuit admissus per capitulum simpliciter sine praeservatione suorum jurium quotidianas lucratur distributiones, *Rota part. 18. recent. tom. 1. decis. 364. n. 14.* Canonici supranumerarii, qui ex privilegio apostolico in aliqua ecclesia recipiuntur cum eo quod solum participent de distributionibus quotidianis et nullam obtineant praebendam, sed ad primam vacaturam juxta eorum prioritatem admittantur, non tenentur habere majorem aetatem, quam quatuordecim annorum, dummodo non optent, nisi cum aetatem requisitam habuerint. S. Congreg. Conc. *in una Venafren 13. Martii 1663.* Potest permitti quod Canonici deputent in parochum Canonicum supranumerarium, cum hoc non sit incompatibile. S. Congr. Conc. in *Fulginaten 14. Martii 1648.*

Quod de caetero in Cathedralibus et aliis ecclesiis nullus in Canonicum recipiatur ultra numerum Canonicorum consuetum expectativarum literis minime suffragantibus.

Alexander PP. IV. Episcopus.
Servus Servorum Dei.

Venerabilibus fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis necnon capitulis, conventibus et collegiis eorumdem salutem et apostolicam benedictionem.

Execrabilis quorumdam ambitio, quae semper plus ambiens et fit magis insatiabilis, quo sibi amplius indulgetur, et importuna improbitas causam dedisse noscuntur, quod in nonnullis ecclesiis decem, in aliquibus viginti, in aliis vero pauciores aut plures sive Sedis apostolicae vel legatorum ejus auctoritate aut proprio motu capitulorum ipsarum seu per alios, ad quos eorumdem spectat receptio in Canonicos, sunt recepti qui nondum adepti sunt beneficia in eisdem sicque tales sub diutina, cum multi sint, expectatione manentes frustrati spe, quam de sua provisione conceperant, vix possunt assequi quod intendunt et illis, ad quos beneficiorum seu praebendarum in eisdem ecclesiis collatio spectare dignoscitur, facultas adimitur, eadem cum vacaverint personis idoneis conferendi. Cum igitur apostolicae Sedis benignitas illo affectu dirigi debeat in provisionibus clericorum, quod eis consolatio sic proveniat, ut ecclesiis turbatio vel dispendium non incumbat, Nos attendentes, quod istorum numerositas, quae propter importunitatem petentium in immensum excrevit, nonnullis parit scandalum et horrorem, cum in plerisque ecclesiis tanta sit expectantium multitudo, quod excedat numerum praebendarum, cogimur excogitare remedium, per quod ecclesiarum obvietur dispendiis et earum personis quies et tranquillitas procuretur. Hac itaque consideratione inducti de fratrum nostrorum consilio sic duximus ordinandum, ut in ecclesiis, in quibus plures quam quatuor recepti fuerint, sive literarum dictae Sedis vel legatorum ipsius auctoritate aut proprio motu capitulorum ipsorum vel aliorum ad quos receptio pertinet eorumdem, quatuor dumtaxat in ipsis ecclesiis jam admissi remaneant et sint Canonici in eisdem; receptiones factas de reliquis in dictis ecclesiis de fratrum nostrorum consilio penitus irritantes ac decernentes eos, ad quos in ipsis ecclesiis praebendarum seu beneficiorum spectat collatio, ad provisionem reliquorum aliquatenus non teneri. Declaramus quoque auctoritate praesentium ad omnem jurgiorum materiam amputandam, ut ii, qui per literas apostolicas in ipsis ecclesiis recepti fuerint, Canonici remaneant in eisdem usque ad quaternariam numerum supradictum, etiam post receptos legatorum auctoritate vel per alios quoscunque in ipsis ecclesiis sunt recepti. Volumus autem, ut si ultra quatuor, auctoritate literarum Sedis apostolicae, in aliquibus ecclesiis recepti fuerint, ex ipsis tantum quatuor primo recepti remaneant, praebendas seu beneficia juxta receptionis suae ordinem percepturi, nisi aliqui ex praedictis quatuor eadem auctoritate recepti fuerint jure aliquo potiores. Quod si pauciores sint quatuor, qui per literas apostolicas sunt recepti, de aliis auctoritate legatorum dictae Sedis vel motu proprio capituli seu quovis alio modo primo receptis in ipsis ecclesiis tot dumtaxat remaneant in eisdem, quod quaternarius numerus impleatur. In illis vero ecclesiis, in quibus aliqui solum-

modo per literas legatorum praefatae Sedis vel capitula earumdem seu alios ad quos Canonicorum spectat receptio recepti fuerint in Canonicos et in fratres, tantum quatuor primo in eisdem receptos volumus remanere et eis de praebendis vel beneficiis sibi in eisdem ecclesiis, juxta suae receptionis ordinem, debitis provideri. Cum autem prioritas vel posteritas receptionum hujusmodi in ecclesiis discerni non potest, pūta quia recepti sunt aliqui a capitulis ipsarum vel aliorum, ad quos receptio pertinet, simul, ita, quod nescitur, quis primo ibidem jus habeat canonice et cui primo vacatura praebenda vel beneficium debeatur, vel forsitan ita condictum est inter ipsos, ut in assecutione praebendarum vel beneficiorum ibi vacantium nullus alteri praeferatur, illi tantum, utque ad quaternarium numerum in singulis ecclesiis, ubi talis receptio facta fuerit, jus habeant canonice qui capitulis vel majori et saniori parti eorum aut aliis, ad quos spectat receptio, magis idonei videbuntur, quos infra tres menses post publicationem praesentium eadem capitula vel major et senior pars*) eorum aut illi, ad quos Canonicorum praedictorum receptio pertinet, approbent digniores.**) Aliquando ex tunc proximus eis superior hos approbandi liberam habeat facultatem et provideatur eis juxta ordinem, quem disponent capitula vel major et sanior pars ipsorum vel illi ad quos spectat provisio, aut proxime superior, si ipsi super hoc fuerint negligentes de praebendis vel beneficiis primo in eisdem ecclesiis vacaturis. Caveant autem taliter praelati, capitula et caeterarum ecclesiarum collegia, in quibus certus est praebendarum vel beneficiorum numerus institutus, ne aliquem nulla in eorum ecclesia praebenda vacante motu proprio recipiant in Canonicum et in fratrem, ut canonicam possint effugere ultionem et Nos super hoc providere aliter non cogamur. Si vero aliqua ecclesia parvitatem praebendarum vel beneficiorum habuerit, quae in receptione quatuor Canonicorum vel clericorum reputet se gravatam, puta, quia habet citra denarium praebendarum vel beneficiorum numerum institutum, si super hoc ad Sedem apostolicam voluerit habere recursum, Nos prout expedire videbimus curabimus providere.

Datum Neapoli Nonis Aprilis.

Dat. die 5. Aprilis 1255.

(Bull. r. t. III. p. 598. Ed. Aug. Taur.)

*) Vd. *t. I. p. 104.* §: *In dubio.*

**) Vd. *t. II. p. 411. q.*

7) Praecedentia.

Vd. p. 464. §: *Secernendum*; p. 466. §: *Quatuor*; *Canonic. supranum.* (institutio p. 523. §: *S Miniatis.*)

8) Vox in capitulo.

Vd. *Canonic. honorar.* (institutio etc. p. 463. n. 2); p. 465. §: *Aetate*

XXVI. Theologus.

Vd. *Praebenda theolog.*; cf. p. 234. b; 199. g.

a) Concio.

Canonicum theolog., cui onus incumbit concionandi, concionare posse per alium obtenta, quam petere debeat, capituli licentia et salvo recursu ad Episcopum.

S. C. C. die 15. Decb. 1725. et 28. Decb. 1726 ad III. *Urgell.* (Conc. Tr. C. I. S. V. de Ref.)

b) Diaconi etc. munus exercere debetne?

Vd. *Canon. theolog.*, (fructus etc. decr. *Mediolan.* p. 525.)

Urgell.

Canonicum theolog. exemptum esse ab officio tam diaconali et subd, diebus, quibus ratione muneris theolog. eximitur a choro et hoc ipsum procedere diebus, quibus per se ipsum concionem habeat, sc. si in casu ad concionandum obligatur.

S. C. C. die 15. Decb. 1725 et 28. Decembr. 1726 ad II.

c) Differentia inter Canon. theolog. et alios Canonicos.

Vd. p. 402. §: *His.*

d) Fructus, distributiones, jura, praeeminentiae.

Vd. *Canonicatus* (fructus p. 199. g.) *Distribution. Canonici theologi*; *Praebenda theolog.*; p. 400. §: *Alexander*; p. 480. I. etc.

S. Miniatis.

Precibus Episcopi Poltri commotus s. m. Clemens XIII. apostolicis literis diei 24. Maji 1762 suppressionem simplicis beneficii sub invocatione s. Andreae apostoli concessit atque ex illius bonis canonicatum et praebendam theologalem sub titulo ss. Andreae et Ganesii in cathedrali ecclesia s. Miniati vocatis, qui ad id fuissent evocandi, erigi jussit. Canonico theologo onus imponi mandavit nedum habendi lectionem s. scripturae,*) sed etiam choro juxta morem ejusdem

*) Vd. *p. 199. g.*

cathedralis ecclesiae interessendi, tertiam partem fructuum theologalis praebendae in usum quotidianarum distributionum convertendam conferendi et cetera, quae aliis Canonicis incumbunt, onera perferendi. Sancivit, dein, ut erigendae canonicalis praebendae rector *uti verus, certus et indubitatus Canonicus dictae ecclesiae* haberetur cum stallo, sede et loco in choro ac voce et voto in capitulo dictae ecclesiae necnon omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus et praeeminentiis, gratiis, honoribus, antelationibus, indultis et praerogativis non tamen titulo oneroso acquisitis necnon omnibus emolumentis circa participationem massae communis distributionum quotidianarum, quibus alii dictae majoris ecclesiae Canonici potiuntur et gaudent de praesenti et in futurum potiri et gaudere poterunt attenta assignatione tertiae partis fructuum et proventuum praebendae theologalis pro quotidianis distributionibus convertendae, etiam uti, frui et gaudere possit et valeat.

Quum vero Episcopus deprehenderit valde tenues futuros redditus erigendae praebendae theologalis et massam capitularem eximere non posse Canonicum theologum a collatione tertiae partis fructuum in quotidianas distributiones erogandae, ideo Sedes apostolica die 15. Julii 1768 denuo votis Episcopi annuit, ita quod pro tempore existens Canonicus theologus personalem residentiam non amplius prout in erectione et institutione praescriptum fuerat sed diebus festis tantum facere ac processionibus et functionibus publicis interesse teneatur. Si tamen . . . . choro diebus festis hujusmodi non intervenerit, poenis et punctaturis, quibus ceteri ejusdem ecclesiae Canonici ob non praestitum servitium juxta ecclesiae statuta et consuetudinem subjacent, pariformiter subjacere.

S. Miniatis Episcopus, his acceptis apostolicis literis, in quibus nihil cautum reperiebatur de emolumentorum perceptione, de stallo et voce in capitulo, die 17. Maji 1770 plaudentibus Canonicis decretum edidit erectionis theologalis praebendae cum omnibus juribus, honoribus et stallo in choro absque tamen et sine voce in capitulo, sed cum praecedentia seu primo loco post Canonicos et supra caeteros Canonicos et supranumerarios,*) aliisque omnibus praerogativis et emolumentis et cum jure lucrandi distributiones extraordinarias aliaque omnia, quibus fruuntur et gaudent Canonici supranumerarii. Eumdemque Canonicum theologum praeterquam ad lectiones s. scripturae obligatum voluit ad personaliter residendum et interessendum omnibus divinis officiis ceterisque omnibus ecclesiae functionibus in cunctis diebus festis, illaque illosque celebrare, horas canonicas decantare aliaque . . . . onera aliis Canonicis supranumerariis incumbentia adimplere, ita tamen ut si iisdem interesse neglexerit mulctas et punctaturas consuetas more ceterorum Canonicorum non interessentium patiatur. Quapropter partem fructuum praebendae canonicalis obligatam volumus et declaramus.

*) Vd. *p. 482. n. 9; 522. n. 8.*

Res prout jusserat Episcopus ad annum usque 1814 quiete processerunt. At postea conquerente Canonico theologo in capitularibus comitiis habitis anno 1825 decretum fuit: *che il Cononico theologo Antonio Migliorati venga ad occupare il posto in ordine di possesso contenere ferme e stabili tutte le altre determinazioni dell' erezione del di 17. Maggio 1770, pur che la presente determinazione sia approvata dall autorità vescoville.* Cum vero hanc capitularem deliberationem haud confirmandam censuerit hodiernus Episcopus, quaestio delata est ad hunc s. Ordinem non modo super praecedentia, sed etiam jure lucrandi emolumenta ex legatis proficiscentia et habendi vocem in capitulo.

Rogatus de more Episcopus rationum momenta a partibus exhibita transmisit suamque aperuit sententiam.

Sed Episcopi sententiae et Canonici theologi petitioni adversatur capitulum contenditque adamussim esse servandas leges in decreto anni 1770 injunctas. Enimvero quamvis rector theologalis praebendae ad formam bullae anni 1762 eisdem frui juribus deberet, quibus veri gaudent Canonici, nihilominus cum per apostolicas literas anni 1768 eidem tributa fuerit exemptio a collatione tertiae partis fructuum praebendae in massam distributionum non potest referri inter veros Canonicos ac propterea iis tantum potiatur necesse est juribus quibus pollent Canonici honorarii. Hisce profecto conditionibus ab Episcopo erecta fuit praebenda theologalis, sub eisdem legibus consensum erectioni praestitit capitulum; nec aliter suadent capitulares constitutiones statuentes: *Numerus Canonicorum non augeatur, nisi de consensu capituli*) et volens aliquis*

*) Vd. *p. 170. VI*; *463. c.*

praebendam canonicalem fundare, debeat apponere in massa capituli quotam annualium distributionum pro se ipso juxta formam antiquitus observatam.

Rector itaque praebendae theologalis tamquam Canonicus honorarius haud sibi asserere valet sive vocem activam et passivam in capitulo, praesertim in negotiis, quae antiquorum Canonicorum tangunt jura, *s. Congreg. in Sabinen. Participationis 28. Aprilis 1770* §. *Contra* et in *Terracinen. seu Setina 19. Januarii 1788.* §. *Quamvis*,*) sive praecedentiam supra veros Canonicos, quamvis possessione juniores, multoque minus delibationem emolumentorum, quae capitulo obvenerunt cum ante tum post ejusdem praebendae erectionem, in *Tolentinaten. 7. Februarii 1766* et in cit. *Sabinen. Participationis* §. *Advertunt.* Hisce enim praerogativis et juribus Canonicum theologum auxit Bulla anni 1762 *attenta assignatione tertiae partis fructuum praebendae theologalis pro quotidianis distributionibus convertendae.* Cumque per posteras apostolicas literas immunitatem Canonicus theologus obtinuerit a collatione tertiae partis, evanuerunt praeeminentiae et jura, quae ejusdem collationis intuitu indulta fuerant.

Accedit observantia septuaginta et ultra annorum, acquiescentia et silentio possessorum praebendae theologalis roborata, quae omnem perimit ambiguitatem quoad literarum apostolicarum dispositionem, ad quam ceteroquin interpretandam, decennalis observantia satis superque fuisset, *Reiffenst. Jus canon. lib. 1. tit. 4.* §. *7. n. 153.*, *s. Congreg. in Lucana Praeeminentiarum et jurium 29. Januarii 1825.* §. *Consuetudinem.* Hisce Canonici innixi rationum momentis rectori theologalis praebendae denegandam contendunt vel ipsam praecedentiam supra ceteros Canonicos, licet receptione posteriores. Quanquam enim in capitularibus comitiis anni 1825 in eam sententiam descenderint, ut ipse stallum in choro et praecedentiam sicut reliqui Canonici assequeretur, nihilo tamen minus cum id decreverint, si Episcopus assensum praestasset, atque haec conditio tunc impleta non fuerit, nunc mutato consilio decretum erectionis anni 1770 in omnibus servandum tuentur.

At vero Canonicus theologus animadvertit, perspicuum exploratumque esse, quod ad tramites literarum anni 1762 iisdem privilegiis, praerogativis et juribus quibus veri cathedralis ecclesiae s. Miniatis Canonici potiuntur et ipse potiri debeat. Neque hisce juribus et praeeminentiis derogarunt posteriores apostolicae literae; hae quidem immunitatem impertierunt Canonico theologo ab onere conferendi tertiam partem fructuum pro quotidianis distributionibus, atque eam ob rem jure privatus extitit percipiendi quotidianas distributiones massae communis et lucrandi emolumenta ex legatis ante erectionem theologalis praebendae proficiscentia. Verum in reliquis sua pollere debet vi bulla anni 1762, cum illis derogatum non fuerit per posteras apostolicas literas; per novas enim gratias et favores, nisi exprimatur, non tolluntur veteres, sed confirmantur et augentur, *L. fin. cod. de Praepos. agent.*, *Reiffenst. ad R. 61. J. in 6. num. 5.*

Dissonam igitur theologalis praebendae erectionem contra formam apostolicarum literarum ab Episcopo Poltri peractam parvi pendendam esse arbitratur, *ad text. in cap. Venerabili de offic. et potest. jud. deleg.* et apostolica rescripta quasi nondum impleta ex integro executioni fore mandanda, *Lotter de re benef. lib. 3. quaest. 11. n. 152*, *s. Congr. in Nullius Terrae Pontiani Canonicatus 12. Martii 1796.* §. *Dissonam*, quin decreto Episcopi fulcrum addere queat postera observantia. Etenim Clemens XIII. suas literas decreto irritanti munivit, quo inane declaravit *quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari*, ideoque contrariam consuetudinem induci vetuit, *Card. de Luca de regular. disc. 3. n. 8*, *Piton. de controv. patron. alleg. 5. n. 16.* Nec praetereundum, quod haec s. Congregatio fundationis leges ab inductis abusibus et a quavis contraria desuetudine vindicare solet, ut *in Comaclen. 8. Julii 1818* et in *Lucana Praeeminentiarum 26. Februarii 1825.*

Hinc rector theologalis praebendae tamquam verus Canonicus est habendus,*) quemadmodum perspicue jubent apostolicae literae anni 1762, imo pugnat cum ipso Episcopi decreto, ut ipse censeatur Canonicus honorarius; siquidem Canonicus theologus peculiari praeditus est praebenda, residentiae lege obstringitur et choro interesse tenetur; Canonici vero honorarii habent nomen sine re nec ad residentiae legem et ad choro interessendum

*) Vd. *p. 464.*

*) Vd. *p. 357. n. 5.*

compelli queunt,*) *Fagnan. cum Ferrariensi num. 17 de consist.*, *s. Cong. in Terracinen. seu Setina 19. Januarii 1788.* §. *Novum***) *et seq.*, in *Montis Politiani Servitii chori 4. Februarii 1803.* §. *Quanquam.*

Itaque Canonico theologo nedum praecedentiam in choro inter veros Canonicos juxta ordinem receptionis, sed etiam vocem activam et passivam tribui oportet. Etiamsi enim Canonicus novae erectionis non***) gaudeat voce in capitularibus sessionibus, quae respiciunt jura dumtaxat veterumCanonicorum, nisi aliter statutum fuerit in limine fundationis admissionis, *s. Congreg. in Eugubina Erectionis canonicatus 26. Martii 1763 ad IV. dubium* et in *Tolentina Archipresbyteratus1. Februarii 1766 ad III. dubium*,****) attamen in reliquis communem ecclesiae vel capituli utilitatem et commodum praeseferentibus jure suffragii privari non debet, *s. Congregatio in cit. Eugubina ad IV. dubium* et in *Alatrina 8. Februarii 1727*; id enim proprium est canoniae,†) ut Canonicis tribuat jus vocis in iis, quae a capitulo collegialiter expediuntur, *Barbos. de Canon. cap. 12. n. 19*, *s. Congreg. in Senen.*††) *Vocis in capitulo 27. Februarii 1768.* §. *Addunt* et in *Pisana Electionis 19. Septembris 1818.* §. *Porro.*

Quod vero pertinet ad perceptionem emolumentorum, ipse Canonicus theologus nullum sibi fatetur jus esse lucrandi quotidianas distributiones†††) et emolumenta provenientia ex legatis ante praebendae theologalis erectionem relictis, quoniam id tum solum licet, quando ad eorum delibationem a capitulo sponte admissi fuerint, *Card. de Luca de Canon. disc. 6. n. 13* et *s. Congr. in s. Miniatis 9. Februarii 1822.* §. *E contrario*; verum sibi denegari non posse autumat emolumenta, quae proficiscuntur ex legatis scriptis post erectionem novi canonicatus. Et sane cum rector theologalis praebendae sit verus Canonicus ideoque capitulum constet tum ex veteribus Canonicis tum Canonico theologo, quidquid post illius erectionem capitulo relictum est, etiam Canonico theologo relictum censetur, proindeque inter omnes dividi debet pro ratione servitii. *Card. de Luca de Canon. disc. 6. n. 12*, *Piton. de controv. patron. alleg. 65. n. 27*, *s. Congregatio in Sabinen. Participationis 28. Aprilis 1776.* §. *Demum.*

Erit tamen Emmorum Patrum judicare:

I. *An et quomodo Canonicus theologus sit admittendus ad participationem emolumentorum proficiscentium ex legatis capitulo relictis post erectionem theologalis praebendae in casu?*

II. *An et in quibus negotiis Canonicus theologus gaudeat voce activa et passiva in casu?*

III. *An et quo ordine Canonicus theologus sedere debeat in choro et in capitularibus sessionibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative prout ceteri Canonici pro rata servitii.

Ad II: Affirmative in omnibus exceptis negotiis respicientibus massam communem et bona ad capitulum spectantia ante erectionem praebendae theologalis.

Ad III: Affirmative juxta votum Episcopi.

Die 24. Novb. et 15. Dec. 1827.

Ad Canonicos theologum et poenitentiarium metropolitanae ecclesiae Surrentinae, tam praesentibus quam absentibus dignitatibus, nullam spectare praeeminentiam super alios Canonicos ideoque eos debere in choro juxta antianitatis ordinem sedere dixit s. Congregatio; quae praeterea declaravit, eis chori praesidentiam absentibus omnibus dignitatibus non competere nisi antiquiores sint. *In Surrentina Praeeminentiarum die 20. Decemb. 1823 ad 1. et 2. dub.*

Mediolanen.

Sacerdos Philippus Magioni, qui canonicatum in ven. basilica s. Joannis Baptistae Modoetiae in Mediolanensi dioecesi jam ab anno 1842 obtinuerat, vix primum theologalem praebendam in eadem ecclesia assequutus est, supplici libello, quo immissionem ad possessionem a capitulo postulavit, una simul exposcebat ut sibi prima in choro sedes post dignitates impertiretur, quam sui antecessores Berlucci, Monza et Borani obtinuerant.

Expletis solemnibus quae in tribuenda alicujus canonicatus possessione in more sunt primam reapse chori sedem occupavit Magioni ac per plures dies nullo ex Capitularibus contradicente retinuit. Graves sed deinde controversiae inter ipsum et capitulum obortae sunt. Contendere namque coepit theo-

*) Vd. *p. 469. n. 3; 474. n. 7.*
**) Vd. *p. 463.*
***) Vd. *p. 385.*
****) Vd. *t. I. p. 1082.*
†) Vd. p. *47.*
††) Vd. p. *423.*
†††) Vd. *Distributiones Canonici theologi.*

logus sibi non modo primam in choro sedem post Archipresbyterum de jure spectavisse et spectare in vim cujusdam decreti dioecesanae synodi Medolanen. XI., sed insuper jus omnes exercendi functiones absente Archipresbytero ac exemptionem ab officio vel diaconi vel subdiaconi in Sacris exercendo. Capitulum e contra non modo hujusmodi jura et exemptionem nullo pacto sibi addicere posse theologum asseverabat, sed insuper in Canonicorum arbitrio esse contendebat hanc ipsam loci praerogativam theologis tribuere vel denegare.

Capitulari tandem in id habito conventu decernitur, omnino denegandam esse theologo »l'esenzione dalle rivestizioni, e di altri doveri canonicali:« praecedentiam vero loci ipsi indulgendam, quatenus ceteris juribus, quae sibi asserebat, ac praesertim »alla esenzione dalle rivestizioni« nuncium mitteret. Cui tamen capitulari resolutioni quin acquiesceret theologus, e re sua duxit ab eadem ad Mediolanensem Archiepiscopum haud mora provocare. Neque incassum provocatum fuit. Nam delecta per solertissimum Antistitem speciali quadam commissione ad controversiam inter capitulum ac theologum dirimendam in acri partium certamine prodiit sententia Maggionio omnino secunda.

Appellatione per capitulum a Mediolanensi sententia interposita causa demum ad s. hunc Ordinem conscendit. Archiepiscopus in sua quam transmisit relatione propitium theologo votum pandit.

Theologus in suis juribus protuendis praecipue innititur quodam decreto, quod prostat in synodo dioecesana Mediolanensi XI. et cujus praestat referre verba: Praebendam porro theologalem eo jure niti volumus, ut illius optandae locus non detur ordineque primarium locum in canonicatibus obtineat, usque adeo, ut cum is qui illam obtinuerit ad primam chori sedem post dignitates pervenerit eo loci consistat perpetuo, etiamsi post alios hujusmodi praebendam obtinuerit. Patula inquit est legis dispositio et cuique legenti apertissima. Voluit scilicet s. Synodus, quod si aliquando evenisset, ut qui theologalem praebendam in aliqua ex Mediolanensis dioecesis ecclesiis obtineret, ad primam chori sedem post dignitates pervenisset, omnes deinde qui theologalem praebendam suscepissent, eumdem locum perpetuo retinerent. Quapropter cum id in Medoensi Basilica evenerit quando nempe theologus Cerrano ad primam chori sedem post dignitates antianitatis jure pervenit, hinc eamdem sedem sibi tribuendam contendit Maggionus.

Nec satis, sed insuper et chori praesidentiam sibi commissam et omnia primaria officia ab ipso exercenda esse affirmat, dummodo absit qui de jure est chori praefectus ac primus inter Capitulares, scilicet Archipresbyter. Quod ut evincat, duo in medium profert decreta: alterum scilicet ex Concilio prov. *I. Tit. de officio ejus qui in choro praesidet* depromptum, quod ita se habet: »Si is (chori praefectus) non adsit in choro praesidentis officio fungatur is, qui primo chori loco tunc sedet ex iis, qui dignitates vel canonicatus in ea ecclesia obtinent.« Alterum vero ex Concilio proc. IV. *tit. de iis quae pertinent ad s. missae Sacrificium*, ubi legitur: Cum Episcopus statis praescriptis diebus, quibus debet, vel quia abest vel morbo aliave causa occupatus detinetur, missam vesperasve aut alia divina officia non celebrat, tunc ejus loco hoc praestet qui in choro primam sacerdotalem dignitatem obtinet. Hic vero si aliquando abest vel impeditus est, is qui post illum sacerdotalem item dignitatem vel canonicatum obtinens aliis dignior non impeditus adest, id munus obeat.

Jam vero, si theologus in vim eorumdem decretorum primam in choro sedem obtinere debet, si primaria officia capitularia ipsi commissa sunt absentibus dignitatibus, sponte sequitur eum ob onere delle rivestizioni una simul immunem esse. Ipsis fatentibus Capitularibus ab hoc onere exemptionem habet qui in capitulo senior est: immo constat ex inveterato usu hujusmodi exemptione gaudere tum Decanum, subdecanum teste statuto V. capituli Modoetiae cap. IX. ibi: Priorum autem Canonicorum duo tantum sint immunes a functione inserviendi in ministerio diaconatus vel subdiaconatus et recta hinc ratione omnino esse absonum, eum qui dignitate Decanum et subdecanum praecellit hujusmodi privilegio non gaudere. Ceterum exemptionem dalle rivestizioni theologis Modoensi Basilicae de jure debitam esse magis magisque confirmat ex iis quae prostant in libello, cujus titulus *Pratiche attuali de capitulo di Monza*, in Metropolitana ecclesia caeremoniarum magistro exhibito in s. Visitatione anni 1851. Ibi enim in cap. 9. legitur: Immuni dall' officio di diacono e suddiacono sono il Decano ed il Can. theologo.

Haec vero omnia addit theologus plene

confirmari ex constantissima consuetudine, quae in ceteris ecclesiis Mediolanensis dioecesis viget et quae in ipsa Modoensi Basilica vigere cepit postquam theologus Corrano ad primam chori sedem pervenit. Et hanc esse consuetudinem ceterarum ecclesiarum Mediolanensium exemplis probat capitulorum Marianni Besurii et Corbellae, quorum theologis (ut ipse affirmat) et loci praeeminentiam et majorum quoque officiorum exercitium, absentibus dignitatibus, omni jure spectare et a Mediolanensibus et ab hujus almae urbis tribunalibus definitum fuit. Quoad consuetudinem vero Modoensis ecclesiae ex documentis hinc inde allatis apertissime patere fait et hanc ipsam loci praeeminentiam et exemptionem »dalle rivestizioni« obtinuisse primo Bertuccium qui Corrano immediate successit ac post ipsum Monza ac demum Borrani; nullo autem jure sibi denegandum esse, quod suis antecessoribus concessum est.

Sive jus igitur (ita concludit Maggioni) sive consuetudinem spectes, evidentissime patet Canonico theologo Modoensis ecclesiae spectavisse et spectare praerogativas quas ipse sibi vindicat; ac proinde theologalem praebendam verum ac proprium constituere personatum ad tradita per *Van Espen part. 2. tit. 18. de org. et def. cap. 2. de dignitatibus et personatibus*, *Ferraris* verbo: *Personatus n. 8. art. 9.*

E contra vero perpendunt Capitulares haec omnia (quae exponit Maggioni) tamquam falso innixa supposito sua ipsa mole corruere. Dioecesanum enim decretum nullo in calculo habendum est, semel ac pugnet apertissime cum iis, quae sapienter constituta fuerunt, ipso D. Carolo auctorante, in provincialibus conciliis Mediolan. III. et IV. In primo enim ex memoratis conciliis *cap. De iis quae ad capitula pertinent* sancitum legitur: »In Canonicis autem praesbiterales praebendas obtinentibus loco prior sit, qui tempore etiam prior«, ex quibus verbis manifeste erumpit primam in choro sedem inter Canonicos tributam fuisse ei, qui antianitate ceteris anteiret. Hanc vero provincialis synodi sanctionem nullo sane pacto corrigere vel immutare potuisse dioecesanum concilium. Est enim lex apertissima in *cap. Quae ad capit. pertinent* in *conc. prov. 4.*, quae omnem et Episcopis et Canonicis facultatem adimit corrigendi vel immutandi quae in provinciali synodo constituta sint, cum illa capitula sicut eorumdem Episcopi ut a Sede apostolica declaratum est conciliorum provincialium constitutionibus et sanctionibus adstricta sunt.

Accedere sed insuper alias inter tres praecipue hujus s. Congr. resolutiones in quibus definitum fuit theologalem praebendam dignitatem non constituere ac proinde qui eam obtinet primum locum antiquioribus relinquere debere. Una ex hisce resolutionibus prodiit in causa Mediolanensis, de qua ita *Ferrarius* in sua biblioteca: *Praebenda theologalis* non est dignitas et ideo primum locum eum obtinens relinquere debet antiquioribus Canonicis; *Barbosa in Sum. apost. dec.* Aliarum vero altera lata est in causa *Senensi anno 1695.*, altera in *Murana anno 1697* quas pariter commemorat Ferrarius in suo cit. opere: »Canonicus theologus debet sedere in loco sui canonicatus, non enim illi competit praecedentia super alios Canonicos, non obstante quacumque contraria consuetudine, quia non est dignitas, sed sedere debet secundum suam antianitatem.

Culmen vero et fastigium veritati imponere subdit capitulum pontificium quoddam rescriptum in quadam causa *Vincentia* editum et per *Garciam relatum in addit. ad 5. partem de beneficiis cap. 4. n. 111:* Poenitentiarius ab Episcopo Vincentino institutus licet adhuc non obtinuisset praebendam duo praetendebat de quibus consulit Congregationem. Primo: . . . . . An postquam vacaverit (praebenda) et eam adeptus fuerit debeat praecedere alios simplices Canonicos, tamquam ultima Dignitas?

S. C. censuit: Referendum SSmo et dicendum Congregationem sentire, quod Sanctitas Sua constituat officium Poenitentiarii pro ultima dignitate ita ut omnes simplices Canonicos praecedat, habet enim officium cum administratione et jure. SSmus satius duxit non inducere hanc novitatem, ideo jussit responderi: Poenitentiarius sedeat loco sui canonicatus cum illum fuerit adeptus. Idem jussit respondere in theologo.

Quamvis et si dioecesanum decretum suo robore consisteret, non minus inepte Modoensis theologus et primam in choro sedem post Archipresbyterum ac ceteros honores, praeeminentias ac privilegia sibi tribuenda contenderet, quae jure inspecto ad decanatum pertinent. Etiamsi enim decreti verbis inhaerere lubeat, nihilominus is tantum locus theologus tribuendus esset qui primus est post dignitates: »cum is qui illam obtinuerit ad primam chori sedem post dignitates per-

venerit, eo loco consistat perpetuo«; ita in dioecesano decreto. Atqui decanatum veram ac propriam constituere dignitatem uno ore tradunt *Bohen. in decret. lib. 3. tit. V*, *Barbosa de Decano*, *Catalani Caeremoniale Episcop. tom. 1. cap. 7. §. 1*, *Institut. can. ad usum Sem. Med.*; concludendum igitur erit, etiam in vim hujusce decreti inani prorsus studio Canonicum theologum et primam sedem post Archipresbyterum et jura huic loco adnexa sibi addicere velle. Neque regerendum in Modoensi Basilica specialem nunquam extitisse praebendam a ceteris distinctam, cui et nomen et honores et jura decanatus inhaerent. Praeterquam quod enim indubium sit antiquitus seniorem ex Capitularibus pinquiori praebenda provisum extitisse et inpraesentiarum etiam peculiarem prae ceteris Canonicis pensionem assegnamento habere: constat insuper Canonicum seniorem a remotissimis usque temporibus Archipresbytero assistentiam cum pluviali in sacris solemnibus perpetuo praestitisse atque in minoribus solemnitatibus Pontificalia exercuisse ac ceteris demum juribus et honoribus ad decanatum pertinentibus per tempus quod hominum memoriam excedit usum fuisse. Tralatitium sed in jure est in cognoscendis vel comprobandis alicujus ecclesiae dignitatibus potius ipsius ecclesiae consuetudinem inspiciendam quam canonicam eorum institutionem et erectionem inquirendam esse, ita *Barbosa cap. 21. de Dign. num. 14. et seq.*

Quod vero ex jure perspicuum est, ex longa annorum 269 consuetudine roborari demonstrat capitulum. Si capitulares enim actus remeantur patebit apertissime ab anno 1584 quo in lucem prodiit dioecesanum decretum usque ad annum 1739 per lapsum scilicet annorum 155 nullum extitisse theologum, qui sibi competere arbitratus unquam fuerit vel hanc loci praeeminentiam vel cetera jura et honores, quos hodie sibi addicit Maggioni. Quod si deinde usus invaluit theologis tribuendi materialem quamdam loci praerogativam et exemptiones quasdam, haec quidem privilegia haud sibimetipsis theologi vindicarunt in vim synodalis decreti sed ex gratia et liberalitate capituli assequuti sunt. Et ad theologum Bertucci quod spectat (qui primus hujusmodi honores obtinuit) id scatet apertissime ex verbis ipsis capitularis ordinantiae diei 4. Septembr. 1793. Ita etiam theologus Monza, qui post Bertuccium theologalem praebendam obtinuit in suo epistolio »Capitularibus« inscripto ac in ipso possessionis instrumento relato ingenue fatetur.

Demum et loci praerogativam et exemptionem dalle rivestizione obtinuisse Borrannium ex speciali capituli concessione arguitur ex epistola a quodam Canonico Mazza conscripta.

Hisce rationum momentis a capitulo adductis ita occurrit Canonicus Maggioni.

Falsum inprimis et commentitium prorsus esse affirmat quod contendit capitulum, dioecesanae synodi decretum aperte pugnare cum iis quae sancita leguntur in *Conc. prov. III. cap. de iis quae ad capitula pertinent.* In Canonicis autem presbyterales praebendas obtinentibus »loco prior sit qui tempore etiam prior.« Quorum verborum non is sensus est, ut qui in capitulo antiquior est primam in choro sedem obtinere debeat, sed hic potius, ut scilicet inter Canonicos qui presbyterali dignitate sit insignitus prior sedere debeat qui et tempore prior est. Nil ergo commune habet hoc decretum cum iis, quae sancita leginus in dioecesana synodo. Sapientissime constituit prov. Concilium quonam ordine sedere debeant qui presbyterales praebendas obtinuerint. E contra dioecesana synodus primam chori sedem post dignitates adsignat Canonicis theologis, si aliquando eveniret, ut quidam ex ipsis ad eamdem sedem jure antianitatis pervenisset. Quamvis et si ea verba »loco prior sit qui et tempore prior est« ita sumenda essent, ut ex ipsis quaedam reapse loci praeeminentia antiquiori ex Capitularibus foret tribuenda: haec equidem dispositio obtineri tantum posset caeteris paribus ac inter eos solum qui gradu et dignitate essent aequales. Atqui theologalem praebendam verum ac proprium constituere personatum jam super demonstratum est, hinc frustra ad theologum trahere vellet capitulum, quod de simplicibus tantum Canonicis constitutum apparet.

Nec meliori consilio in medium proferri addit theologus quasdam resolutiones s. hujus Congreg. et pontificium rescriptum. Animadvertit enim et pontificium rescriptum et duas ex allatis resolutionibus scilicet *Senen et Murana* a specie nostra omnino extraneas esse. Agitur sane de decreto dioecesano quod proinde extra fines dioecesis vires suas exserere nequibat: nil inde mirum si in causis

quae ecclesias extra Mediolanen. dioecesim positas respiciebant, ex communis juris censura definitum fuerit nullam loci praerogativam theologis competere.

Quoad aliam vero resolutionem in causa Mediolanensi latam inquirendum esset num in specie de qua agebatur adimpleta adhuc fuisset conditio, ex qua pendet juxta synodale decretum theologalis praebendae privilegium, num adhuc aliquis ex theologis ejusdem ecclesiae, in qua controversia exorta erat, ad primam chori sedem jure antianitatis pervenisset.

Neque pariter oggerendum decanatum in Basilica s. Joannis Baptistae Modoetiae veram constituere dignitatem ac proinde nullo jure theologum primam sibi sedem post Archipresbyterum vindicare, quum dioecesanae synodi decretum theologo tribuat »primam in choro sedem post dignitates.« Nulla enim extat in Modoensi capitulo a ceteris separata ac distincta praebenda, cui dignitas, nomen, honores et jurisdictio adhaereant quae ad decanatum pertinent. Quodsi ex consuetudine invaluit ut ex ceteris Capitularibus senior (et quem improprie vocant Decanum) assistentiam cum pluviali in sacris solemnibus Archipresbytero celebranti praestaret atque in minoribus solemnitatibus Pontificalia exerceret, id equidem non ex speciali jurisdictione sibi vindicat qui senior est, sed ex quadam necessitate et congruentia, qua fit ut inter aequales primus exerceat functiones ac primum obtineat locum qui ceteris antiquior est. Semel ac vero theologalis praebenda verum ac proprium personatum constituere caepit in vim synodalis decreti, ratio ipsa naturalis non patitur ut theologus qui personatum exercet, qui ceteris Canonicis dignitate antecellit, iisdem honoribus non utatur, quibus antea (nulla adhuc extante inter Canonicos gradus differentia) Capitularium senior uti solebat.

Ad consuetudinem demum quod spectat animadvertit Magionius extraneum prorsus a specie esse quod opponit capitulum, ab anno 1584 quo in lucem prodiit rescriptum ad annum usque 1793 per lapsum scilicet ann. 155 nullam unquam theologum loci praeeminentiam cum juribus adnexis obtinuisse. Nullus enim ad eam diem extiterat theologus, qui hanc sedem jure antianitatis esset assequutus. E contra indubium est omnes theologos post Corranum et primam in choro sedem post Archipresbyterum habuisse et exemptos fuisse »dalle rivestitioni« ita ut concludendum sit consuetudinem potius theologo quam Canonicis ipsis favere. Neque opponendum hujusmodi privilegia non ex jure sibi primum vindicasse theologum Bertucci, Corrani successorem, sed gratiose ex liberalitate capituli obtinuisse: quod arguere vellent Canonici ex verbis ordinantiae diei 4. Septembris 1793.

In primis enim etiamsi putandum sit hanc loci praeeminentiam ex gratia tantum habuisse Bertuccium: attamen quum hujusmodi privilegium non ratione personae concederetur, sed »in virtù di un decreto di s. Carlo« censendum erit non personae sed officio de quo in ipso decreto mentio fit tributum fuisse. Quod si non personae sed officio privilegium ipsum tributum est, consequi decedente Bertuccio in ejus successores pleno jure migrasse. Sed insuper nullam subesse rationem, unde existimari oporteat ex gratia tantum id habuisse theologum. Animadvertit sane, quod si in supramemorata ordinantia legitur verbum »favorito«, ea tamen verba quae in medium proferuntur non verba equidem sunt ipsius Bertucci, sed cancellarii capitularis, qui ordinantiam conscripsit. Insuper etiamsi Bertuccius verbo »favorito« reapse usus fuisset, id equidem non alia ex causa quam ex urbanitate et obsequio erga capitulum fecisse dicendum esset. Sed omnem demum dubitandi rationem prorsus evanescere ex his verbis: »in virtù del decreto di s. Carlo«, quae sane demonstrant neque sponte neque ex mera liberalitate hujusmodi privilegia tributa fuisse, sed in vim synodalis decreti, quod posthabere nullo pacto poterunt Capitulares.

Ad theologum Monza vero quod spectat, qui post Bertuccium theologalem praebendam assequutus est, indubium equidem fieri ex ipsius epistolii verbis primam in choro sedem proprio jure et in vim synodalis decreti eum occupasse.

Ejusdem demum ac pejoris quoque furfuris esse argumenta, quae in medium proferuntur ad demonstrandum eadem privilegia habuisse Corranium ex mera capituli liberalitate. Epistolium enim quod conscriptum asseritur a quodam Canonico Mazza nullam prorsus fidem mereri, quum et subscriptione careat ac de ejus authenticitate nullimode constet. Extraneum sed insuper esse actum

capitulare diei 12. Augusti 1812 quum ex verbis ipsis ejusdem decreti evidenter appareat, non actum fuisse in canonicali conventu de privilegiis ipsi Corranio tribuendis, sed de mera immissione in possessionem, quam tamen differendam arbitrati sunt Capitulares, quum omnibus solemnitatibus, quae hisce in casibus in more sunt, adhuc non satisfecisset candidatus; scitissimum namque in jure est nemini licere sibimetipsi testimonium dicere.

Quibus utrinque expositis proponuntur

Dubia:

I. *An Canonico theologo competat praecedentia super ceteris Canonicis in casu?*

II. *An idem Canonicus theologus jus habeat exercendi privative functiones quae ad decanatum spectare dicuntur in casu?*

III. *An idem sit declarandus exemptus ab onere quod vacant »delle rivestizioni« in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Iterum proponatur.

Ad III: Affirmative.

Die 22. Septb. 1855.

Continuatio.

Secundum dubium aeque divisis in utramque partem suffragiis iterum proponi EE. PP. mandarunt.

Cum partes contendentes interim monitae, uti editis resolutionibus acquiescunt ita nihil quoad secundum dubium addendum habeant, nihil est reliqui nisi ut EE. PP. benigne reassumpto postremae Congregationis folio resolvant praefatum quod iterum proponitur

Dubium:

An Canonicus theologus jus habeat exercendi privative functiones quae ad decanatum spectare dicuntur in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 1. Decbr. 1855.

e) Vox in capitulo.

Vd. *Canonic. honor.* (qui etc., p. 474. n. 7), *Canonic. theolog.* (jus etc. p. 522.); p. 480. I.

XXVII. Titularis.

Vd. *Canonic.* (honorar. p. 462; supranumer. p 520.)

Cantores Capellarum Pontificum.

Vd. *Bull. r. t. VIII. p. 736.* Ed. Aug. Taur. 1862; p. 381: *Signina.*

Cantus.

1) In associatione cadaveris.

Vd. *Associatio cadav.* (modus, t. I. p. 1153)

2) In choro.

Vd. *Chorus* (cantus); *Missa conv.* (cantus); p. 363. n. 6.

Capella.

1) Carcerum.

Tudertina.

Capella carcerum vel contigua carceribus non gaudet immunitate.

S. Congr. Immun. 12. Junii 1663.

2) Confraternitatum Laicorum Ordinario in quibus rebus subest?

Capellae seu Altaria confraternitatum laicorum existentium in claustris vel ecclesiis

Regularium ab Episcopis visitari non possunt nisi in iis, quae confraternitatum administrationem respiciunt. S. Congreg. Concil. *in una Nucerina Paganorum 23. Junii 1629* quam confirmavit *in Urbanien.* 23. Septemb. 1690. Et tenuit similiter s. Congregatio Episcop. *Fanen. 10. Apr. 1693 referente Eminentis. Card. Carpineo.*

3) Pontificiae capellae Romae.

Vd. Bull. r. t. VIII. p. 663. Ed. Aug. Taur. 1863.

4) Restauratio.

(Qui contribuere debent.)

Ferentina.

Patronus unius capellae tenetur solummodo ad eamdem reparandam capellam, *Pignatel. consul. can. 15. n. 4. tom. 6, Sperel. decis. 67. n. 12, Lambert. de jurep. lib. 1. quaest. 6. art. 4. n. 5*, non vero ad emendandas reliquas ecclesiae partes, in quibus nullo potitur jure.

Die 22. Novbr. 1828.

Capellania.

1) Adjicere quid potest fundator?

Vd. *Beneficium* (adjicere quid potest fundator t. II. p. 353. n. 1.)

2) Aetas adipiscendi.

(*Dispensatio dilata.*)

Vd. *Canonicatus* (aetas, p. 48) *Beneficiatus* (sacerdotio etc. t. II. p 236); t. II. p. 133. n. 2; t. I. p. 278 et 279.

Firmana.

Sacerdos Petrus Pecari et soror ejus de oppido Monte Cosero in archidioecesi Firmana anno 1784 reciprocum testamentum condiderunt, quo circa usumfructum sese invicem heredibus institutis quoad proprietatem statuerunt, ut praepositus pro tempore ecclesiae a ss. Joanne et Lucia nuncupatae necnon sacerdos Seraphinus Garofoli vel ejus haeredes capellaniam erigendam curarent in ara ejusdem ecclesiae Virgini Carmelitidi sacra. Primum capellanum ipsi nominarunt Canonicum Dominicum Scarcarelli de Monte sancto nepotem suum ex sorore Mathia, quae Nicolao Scarcarellio jam nupserat. Eo vero vita functo juspatronatus activum memoratis Praeposito et Garofoli reliquerunt.

Capellania haec revera erecta prostitit prout de jure ac super bonis tantum Petri testatoris; nam soror superstes immutata voluntate aliter de sua substantia disposuit; ejusque redditus hodie est circiter scutata triginta cum onere unius missae in singulis hebdomadis et quatuor in festo ss. Joannis et Luciae necnon triduanae precis ad praeveniendam immaculatae Conceptionis B. M. V. solemnitatem. In obitu primi nominati praedicti patroni rite praesentaverunt Canonicum Blasium Palmieri di Montecosero descendentem a Marino Palmieri, materno fundatoris avo. Sed obstitit Canonicus Nicolaus Scarcarelli, defuncti capellani ex fratre nepos liteque ex archiepiscopali curia ad s. Rotae Tribunal deducta concinnatoque dubio:

An et cui danda sit institutio seu immissio ita ut sit relaxandum mandatum in casu?

prodiit responsum:

Institutionem et immissionem dandam esse Canonico Blasio et esse relaxandum mandatum, ut videre est *in Firmana Capellaniae 7. Aprilis an. 1818 coram Martinez del Campo.*

Mense Novembris anni 1842 Blasio demortuo Praepositus Gidliesi et Jacobus ac Dominicus Garofoli, qui patronatu activo fruuntur, unanimiter praesentaverunt Jacobum puerum fere sexennen, filium Antonii Orlandi descendentis a Lucia sorore capellani Blasii Palmieri, quae in Orlandiorum domo nupserat. Qui si dispensationem ab aetate non obtinuisset a Sede apostolica, idem patroni substitutive habili tempore nominaverunt Vincentium, filium Petri Orlandi, Jacobi nominati consobrinum, annorum tum octodecim natum, rejecto alio puero annorum undecim filio Josephi Orlandi, Jacobi item consobrino.

At vero protinus preces Jacobi nomine huic s. Ordini pro memorata venia exhibitae fuerunt.

Emus Archiepiscopus cui preces ex more remissae fuerunt omnes quorum interesse poterat interpellandos curavit. Omnes vero qui activo jurepatronatus potiuntur oratoris voto obsecundarunt itemque passiva vocatione donati, praeter Petrum Orlandi, Vincentii substitutive nominati patrem (qui exoravit Archiepiscopum, ut filio suo institutio detur, quippe est de oppido Montecosero, institutoris propinquus et ad studia ecclesiastica jam initiatus: fortunae bonis autem is misere caret, ut frustra postularit adsisci primo in fratrum Cappuccinorum, deinde in sacerdotum, qui missionibus addicti sunt, familias; et ob eamdem rationem nec ad presbyteratum promoveri possit, nisi optata hac capellania provideatur) et praeter Canonicum Nicolaum Scarcarelli, eumdem illum, quem frustra capellano demortuo contradixisse vidimus. Hic enim circumstantias substantialiter immutatas fuisse arbitratus impedimentum nominationi juridice opposuit contenditque sese unice vi jurispatronatus passivi ad vacantem capellaniam vocatum esse.

Emus Archiepiscopus, ex cujus literis ea, quae narrata sunt, ut plurimum, hausimus, addit quae sequuntur: Id in re animadvertere lubet, jam super concertatione juris litem in hac curia archiepiscopali esse contestatam opposito *nihil transeat*; quamobrem in eo sistere preces videntur, ut dispensationem super aetatis impedimento consequi valeat Orleandi, si bonum ipsi jus quaesitum faveat atque SSmi Dni Nostri benignitas clementer annuat.

Et quoniam de personarum rerumque qualitate dixi, nunc de bono utriusque jure pauca dicam. Favet equidem utrique ex dimicantibus, quod sint ambo de genere vocatorum, obest Scarcarellio, quod non sit accola Montis Causarii; si vero prosit Orlandio, quod sit nominatus et indigena ejusdem loci, obesse tamen propugnat adversarius quod aetatem non habet pro recipienda qualitate clericali, sibique parum obesse putat, quod non sit nominatus, cum de genere sit vocatorum et jam in ipsa testamenti factione et institutionis virtute nominatus existat. . . Profecto quod (Scarcarellius) proximior ipse sit testatori, ut ex arbore genealogica constat (quam remisit) et quaedam affinitas communis esse tum Nicolao Scarcarelli ac Orlandi cum capellaniae institutore videtur. Est enim fundatori in 2. et 4. Scarcarelli conjunctus affinitatis gradu; atqui cum testator vocaverit *i descendenti di qualche nostro parente per linea mascolina e feminina* et cum Lucia ava oratoris affinis esset testatori in 2. et 3. gradu affinitatis, inde deduci videtur Orlandum esse ex descendentibus ab eo nominatis.

Haec autem pro petita dispensationis ab aetatis impedimento venia dicta volo. Si vero incassum eant preces, patroni etiam nominationem expleverunt substitutive Vincentii Orlandi fratris consanguinei postulantis et in aetate annorum 18 constituti.

Quamvis oratoris petitio aetatis dispensationem unice respiciat, attamen, cum hujus S. O. praxis ea sit, ut in hujusmodi casibus gratiam difficile tribuat in praejudicium alterius juris quaesiti, *S. C. in Anconitana Capell. 12. Junii 1762* et nuper in *Faventina Dispensationis 17. Dec. 1842* §. *Adversatur*, et caeteroquin Canonicus Scarcarelli et Vincentius in substitutionem vocatus tale jus singuli sibi arrogent, hinc necessarium videtur obiter inquirere, quaenam sint partium dimicantium jura.

Ad oratorem quod pertinet, favet eidem relata s. Rotae decisio. Ibi enim juxta regulam cuique notissimam qua firmatur, quod quoties beneficia de jurepatronatus passivo sint conferenda ei danda sit institutio qui et passive vocatus et praesentatus a legitimis patronis fuerit, ut *Rota in memorata Firmana 7. Aprilis 1818 coram Martinez del Campo* §. *3. cum DD. ibidem citatis*, statutum est, hanc eamdem capellaniam Palmierio tribuendam esse, quippe qui et passive vocatus erat et a patronis rite nominatus fuerat. Jamvero utramque conditionem pro oratore concurrere in themate superius innuimus.

De nominatione a patronis relata non dubitatur. Injunctae vero diligentiae nominandi sub conditione dispensationis satisfecisse quantum opus erat patronos, ait, quum in casu denegatae oratori veniae ab aetatis defectu alium substituerunt: ad passivam vocationem quod attinet constat ex arbore genealogica, oratorem per faemininum medium cum testatore conjungi ac praeterea incolam esse et nativum Montis Causarii.

Hinc minime veretur comparationem institui inter ipsum et suum coram S. O. contradictorem Scarcarellium. Quidquid enim sit de illius proximioritate testatori, hanc juri

suo nihil officere, pugnat, neque ex communi jure neque ex placito fundatoris. Ex lege enim notum est, sub nomine *parente* et agnatos et cognatos et affines et cujusvis generis consanguineos comprehendi, *Rota in Recentior. decis. 136. num. 4. par. 13*, *Fargn. de jurep. p. 2. can. 1. cas. 6. n. 6:* testator vero expresse vocavit, qualche nostro parente tanto di linea mascolina, che feminina.

Praeterea Scarcarellium animadvertit qualitate carere in fundatione volita, ut sit incola Montis Causarii, *) quae quidem qualitas, etsi remissa fuerit in concursu parentis cum extraneis, nihil tamen est cur remissa censeri debeat concurrentibus invicem inter se parentibus; quin imo hoc in casu omnis ratio exigit, ut praedilectio illa a testatore expressa erga nativam regionem in pretio habeatur.

In casu itaque versari pugnat, quo substitutus velit praepedire instituto dispensationem: quod perperam fieri docet *Card. de Luca de jurep. disc. 47. n. 7 et 5, Piton. discept. eccl. in Parergon. n. 17*, quia non habet quam jus eventuale, quod si praecidatur, nullum illatum dici posse praejudicium perpendunt *Lotter de re benef. lib. 2. qu. 55. n. 20, Comez. in reg. de jure quaesit. quaest. 4. n. 1.* et s. Congr. pluries in subsidium vocatorum sprevit oppositiones, ceu traditur in *Firmana Benef. 13. Febr. 1819.* §. *Praeterea.*

Demum perpendit, quod licet Scarcarellius passivam vocationem probaret tamen cum nominationem praeseferat nullius effectus remanere illam qualitatem. Nam ecclesiastici juris periti bifariam dividunt juspatronatus passivum, nempe in *directum et immediatum*, cum aliqua certa persona a fundatore indigitatur, et in *indirectum et mediatum*, quando generatim vocatur aliquis ex certo coetu, familia aut ordine. Porro in primo casu sufficit passivae vocationis qualitas, in altero necessarius est nominationis actus a patronis activis eliciendus, *Rota l. c.* §. *5* cum doctoribus ibidem allegatis. At cum ibidem stabilitum fuerit, quod in themate agatur de secundo casu, sequitur ut Scarcarellius in hac etiam causa repellatur, prout etiam tum repulsus fuit.

Haec de jure oratoris. Scarcarellius ex adverso tuetur, quod quamvis orator propinquitate conjunctus sit cum fundatore et a patronis nominatus tamen nulla nominatio sit dicenda, quia in puero necessariam clericalis tonsurae qualitatem non habente patrata, spreto sacerdote et fundatori proximiore. Jam vero receptum esse ait, ut quamvis fundator lineam proximiorem praetulerit, si tamen in hac idoneus nemo reperiatur, bene vero in remotiore, remotior sit instituendus, quin expectetur, ut superveniat persona capax de linea proximiore, *Ant. de Luca de lin. art. 24. n. 38.* Ad haec accedit, quod nominatio Jacobi non fuit facta sub conditione futuri clericatus, hinc est invalida et nulla, neque clericatus subsequens illam reconvalescere facit, ut in puncto juris declaratum a Rota fuisse auctor est *Piton. de cont. patr. alleg. 61. n. 6.*

Id autem majorem vim capit ex eo, quod quod quando fundator simpliciter jussit nominari consanguineos, prout evenit in casu, non denodavit eligenti inesse electionem absolutam, sed secundum jus, quo disponitur, ut proximior praeferatur remotiori, *Ant. de Luca loc. cit. art. 26. n. 15*, quia *praesumitur*, ut hic ait, *propinquior magis dilectus.* Deinde quando concurrunt masculi descendentes a femina agnata, hi praeferuntur illis, qui descendunt per duplex aut triplex medium faemininum, *S. C. Conc. in Regien. Praeposituraе 4. Junii 1842.* §. *Concessa*, *Card. de Luca de fideic. dis. 28. n. 8.* Quod autem domum Scarcarelliam praelatam voluerit institutor suo exemplo comprabavit, dum Dominicum, ex ea gente, suo ipse ore vocatum voluit.

Neque oggeratur, ille persequitur, decisio *Firmana an. 1818.* Tunc enim ambo contradictores erant actu sacerdotes admissaque Palmieri ex faemininа propinquitate pari gradu a fundatore distabant; ideoque mirum non est, si caeteris paribus ille praelatus fuerit, qui nominationis actum praeseferebat. Sed in hac causa circumstantias substantialiter immutatas clamat, nam Jacobus clericus non erat vocationis tempore nec esse poterat et deinde per affinitatem conjunctus est cum Lucia sorore demortui capellani. Jamvero arbitratus habere hic locum notum axioma *affinitas non parit affinitatem*, concludit, Jacobo Orlandi nullam esse cum institutore conjunctionem, dum econtra ipse descendit ex eodem stipite, licet ex parte cognatitia, qua fundator descendit.

Quin officiat ipsum non esse de oppido Montecosero. Nam fundator in parte *dispo-*

*) Vd. *t. II p. 401. m.*

sitiva generice et absolute vocavit *un parente della linea mascolina o feminina*, quin vel hilum innueret, cujus is esset oppidi: Imo contrarium voluisse dicendus est, cum suum patruum nominavit, quem jam tum Monte sancto habitasse certum est. Hanc dumtaxat qualitatem respexisse, instat, in parte dictionali, quam ex DD. opinione dispositivae cedere oportere propugnat.

Jam vero his breviter de jure oratoris delibatis videndum erit, an constet de canonica causa dispensationis. Sane passiva vocatio, ubi cum sanguinis vinculo cum fundatore jungatur et cum saltem relativa paupertate, propitiam saepe reddidit s. Congregationem supplicantium precibus, ut videre est in *Asculana Capellaniar. 22. Aug. 1850*, in *Lucana 17. Maji 1749* et in *Derthonen. Dispensat. 22. Maji 1841*, scilicet vel dispensando ab eo, quo detinentur impedimento, vel suspensa nominatione et institutione, donec ad legitimam aetatem orator pervenerit, deputato interim ecclesiastico administratore erogatisque fructibus in oratoris alimoniam et educationem.

Erit porro EE. VV. definire

Dubium:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione a defectu aetatis in casu?

S. C. nihil respondit.

Die 30. Martii 1844.

3) Amovibilis.

Vd. *Capellanus* (amovibilis.); t. II. p. 133. n. 4.

Hortana.

Quinque super capellaniis, quae in Cathedrali Hortana per diversos fundatores auctoritate ecclesiastica erectae prostant, hodierna controversia instauratur. Earum quidem duae ex quodam de Prosperis originem repetunt, qui in ultimo quo decessit elogio anno 1643 sub invocatione Deiparae in coelum assumptae eas instituit, praefinita dote in scutatis bis mille pro qualibet atque statutis super juspatronatus activum et passivum quibusdam legibus.

Binas alias capellanias postremis tabulis Constantinus Cerqui elapso saeculo mandavit sub invocatione s. Francisci de Assisio relictis omnibus suis bonis, designatis patronis et data facultate Emmo Cardinali Nuptio circa onera et conditiones adjiciendas. Porro ex actu erectionis constat, eas declaratas esse *capellanias amovibiles semper et quandocumque ad omnem nutum et placitum patronorum a testatore nominatorum:* onera earum decreta pro singulis capellanis *in missas viginti quolibet mense in altare s. Cassiani etc. . . . , unum anniversarium pro quolibet et quolibet anno;* postremo jus nominandi et praesentandi spectare debere ad *D. Canonicum Martinum de Prosperis et D. Innocentium Nuptium vita naturali durante ipsius Canonici et post ejus obitum ad praedictum Dominum Innocentium suasque haeredes et successores in infinitum.*

Quintae demum sub anno 1676 auctor fuit Tiberius Miccinelli, quam ipse tota sua haereditate dotavit imposito onere missae celebrationis alternis hebdomadis ac relicto capitulo nominandi ac praesentandi jure. Executorem autem testamentarium edixit Js. Petrum Nuzzi, ad cujus domum ac familiam juspatronatus passivum debere perpetuo pertinere in actu erectionis declaravit Antistes conciliando ea, quae in testamento inter se pugnare videbantur.

Haud controvertitur, omnium capellaniarum activum juspatronatus in familiam Nuptiam devenisse. Hoc ineunte saeculo tres extabant ex ea gente Fratres, nimirum Praesul Angelus capellanus, Franciscus, qui duas genuit filias Blancam et Lauram, et Urbanus, qui quatuor habuit natos, videlicet Ferdinandum, Achillem, Raphaelem et Guidonem. Angelo vita functo, ab Urbano et Francisco Achilles octennis fuit ad capellanias cooptatus. At patre defuncto eisdem valedixit sub die 18. Decembris 1815. Interea frater ejus Ferdinandus postremum clauserat diem ac supererant Achilles renuncians, Raphael et Guido in minorili aetate constitutus; mortuus quoque erat eorum patruus Franciscus. Porro sequenti die 29. Decembris capellaniarum nominatio in sacerdotem Aloysium Tonni collata fuit, quae subscripta apparet ab Achille et a matre utpote tutrice ac curatrice Guidonis, necnon Joanne Petro Giusti, qui se asserebat procuratorem filiarum Francisci. Suetis edictis evulgatis, cum nulla interesse habentium innotuerit oppositio, Tonnius possessionem est assecutus in eaque per quinquennium pacifice permansit.

Postremo Achilles, qui paupertate pressus militiae nomen dederat, patriam repetens ecclesiasticas vestes iterum induit atque canonicatum de familiae patronatu adeptus est

deinde die 10. Augusti 1841 a fratribus Raphaele et Guidone rector capellaniarum nominatus est. Id aegre ferens Tonnius supplex illic ad s. hunc Ordinem adfuit, ut vestro oraculo se in earum possessione esse servandum definiretur; adfuerunt et ipsi fratres Nuptii efflagitantes, irritam declarari nominationem favore Tonnii olim editam ac decerni jus esse Achilli capellaniarum nancisci possessionem. Rogatus de more Antistes hactenus exposita confirmavit propitiamque Nuptiis pandidit sententiam. Tandem, Tonnio vadimonio a Nuptiis indicto, inferius exscribenda dubia concinnata sunt; quae momenta utraque ex parte proferuntur, modo praestat innuere.

Agit prima dubiorum formula de renunciatione ab Achille emissa ac de subsequente nominatione in Tonuium collata; utramque irritam fuisse defendit Nuptiorum adsertor in allegatioue distribuenda. Et sane renunciationem inprimis errore et falsa causa infectam edicit. Etenim ad eam impulsus Achilles fuit ob reddituum exiguitatem, quam perpetuo lamentabatur capellaniarum administrator Canonicus Aegidius Tonui Aloysii patronus; quippe ille referebat omnia bona collective dare scuta 123. 65, ex quibus, oneribus detractis in summa scut. 78, 81, annua argentea 44 supererant a capellano perfruenda; atque hinc uni credendum ipsi erat; nam cum puer a patria discessisset atque adhuc puer capellaniis fuisset investitus, perspectum haud habere poterat genuinum fundorum statum; nec insuper ipsius pater, quia et hic absens erat et mentis morbo laborabat, nec deinque patri curator adsignatus, quia vir ille negotiis implicatissimus Hortam numquam venerat. At e contra testibus comprobatur, pro annua omnium bonorum pensione libera et a qualibet detractione immuni a conductore scut. 150 fuisse repraesentata, necnon ex peritorum testimonio atque publicis documentis ex eisdemnet bonis inpraesentiarum redire posse argenteos nummos 298. 25, ex quibus si subducantur onera missarum, quae ob reductionem concessam anno 1830 per quinquennium duraturam non excedunt scut. 43. 90, supersunt scut. 254. Porro cuilibet facile erit persuasum, Achillem capellaniis numquam nuncium emissurum, si probe novisset hujusmodi reapse fuisse eorumdem proventuum.

Tenuitatem autem reddituum causam praecipuam praebuisse renuuciationi ex eo desumit, quod aliae causae quae exprimuntur nonnisi ad fucum conscriptae esse potuerunt. Falsum siquidem est, quod ipse capellanias retinere non potuisset cum illarum qualitas majores ecclesiasticos ordines minime exigat; falsum insuper, quod *doveva attendere agli affari domestici*, cum nil amplius de avito patrimonio reliquum erat, adeo ut tum ipse tum ejus fratres militiae uomen dare coacti fuerint, ut vitae alimoniam sibi compararent. At actus ex dolo, errore et falsa causa promanantes irritos esse ex consensus defectu tralatitium in jure est, *Rota in Perusina Renunciationis et exequutionis contractus 3. Feb. 1841. §. 5. cor. R. P. D. Bononi;* et renunciationem*) ejus qui dolo circumventus eam emisit penitus corruere uno ore tradunt *Parisius de resig. lib. 13. quaest. 1 et 2, Grazias de benef. cap. 3 de renunc. n. 1, Pirhing. lib. 1. dec. tit. de renunc. sect. 6. §. 1. n. 84*; necnon si falsa est causa ac falso inuitatur supposito, *Piton. disc. eccl. cap. 142. n. 3, Rota in Romana Pensionis 16. Aprilis 1714. §. fin. cor. Crispo, dec. 128. n. 2. cor. Herzan., dec. 194. n. 10. cor. Herrera.*

Ex renunciationis nullitate sponte sequi irritam quoque fuisse Aloisii Tonni uominationem pergit idem orator; siquidem capellaniae ab Achille nunquam avulsae sunt atque vacantes factae; nec juris sit trausitus de una ad aliam persouam, nisi prima rite recteque illud dimiserit. Sed et corruit ex defectu vocum. Mortuo siquidem Urbauo ac Francisco jnspatronatus migrasse, ait, in filios Urbani, Achillem nempe, Raphaelem et Guidoneum, exclusis Francisci filiabus. Porro ex ipsis nemo Tonnium nominavit. Non quidem Achilles, quia ejus nominatio, utpote consectarium renunciationis, simul cum renunciatione ruebat atque error ac circumventio non magis inficiebat renunciationem quam subsequentem nominationem; non pariter Raphael, quippe ejus nomen in charta nominationis desideratur; non tandem Guido, cujus vicesimum aetatis annum jamjam attingentis vices ejus mater qua tutrix explere recte nequibat. Praeterquam enim si ei id licuisset ea exulassent solemnia, quae in uegotiis minorum pertractandis leges requirunt, dum de actu agebatur, ex quo damnum filio obvenire poterat, nempe de extraneo in possessionem immittendo capellaniarum,

*) Vd. *t. II. p. 805. n. 89.*

ad quas ipse vocatione pollebat; exploratum est insuper jura tam spiritualia quam spiritualibus adnexa ab ipso minore exercenda esse vel per se vel per specialem procuratorem ad textum *in cap. 3. de jud. in 6*, ac proinde patronum licet minorem per se jus nominandi exercere debere, non vero curatorem, tradunt *Pirhing. lib. 3. dec. tit. 38. sect. 1. §. 3. n. 17*, *Garzias de benef. par. 5. cap. 9. num. 191 et seq.*, *Lambert. de jurepat. p. 2. art. 17. num. 4*, adeont nominatio curatoris sine speciali mandato eo inefficax est, ut praesentatus ab ipso nec regulam de triennali possessione invocare possit, ceu firmat *Rota dec. 866. n. 5 et dec. 915. n. 5 et seqq. cor. Molines.* Nec praesidium, ait, Tonnio quaerendum in nominatione filiarum Francisci, tum quia tamquam foeminae omni jure destitutae censendae, quod eruit ex antecedenti nominatione, in qua mares tantummodo praesentarunt, etsi foeminae extarent, tum quia Justius, qui earum nomine subscripsit, dumtaxat generalis earumdem procurator constitutus, speciali ad id mandato carebat.

Quapropter si irrita est tum renunciatio tum nominatio, nil dubii, concludit, quin Achilles ad capellanias sit redintegrandus necnon quin eidem a Tonnio sint fructus restituendi, de quibus sermo est in altera dubiorum formula. Si enim ob renunciationis nullitatem capellaniarum possessio numquam ab Achille abscessit, si ob nullitatem nominationis nullo legitimo titulo munitus Tonnius eas retinuit, profecto tamquam intrusus habendus est ideoque ad fructuum restitutionem adigendus, ad tradita per *Garzias de benef. part. 6. cap. 3. p. 116* et definivit s. Ordo in *Reatina Capellan. 18. Sept. 1773.**)

Quod si EE. validam tum renunciationem tum nominationem definire placuerit, attamen locum esse capellani remotioni contendit in tertio dubio memoratus Nuptiorum patronus. Quandoquidem controversia versatur circa capellanias, quae ex fundatorum voluntate ad patronorum nutum amovibiles declaratae sunt. At in hujusmodi capellaniarum genere satis exploratum est, capellani remotionem a patronorum voluntate dumtaxat pendere nec ullum amotionis causam requiri, dummodo ea non fiat in odium vel malitiam. Id enim importat verbum illud *ad nutum*, Garzias *de benef. par. 1. cap. 2. n. 85 et seqq.*, *Card. de Luca de benefic. dic. 80. n. 5* atque ita pluries resolutum est tum a s. Rotae tribunali et *in dec. 96. n. 2. cor. Corillo*, in *dec. 85. n. 19. cor. Peutinger*, in *Sulmonen. Juris amovendi capellanos cor. Priolo apud Pignatellum tom. 9. con. 143. n. 46. dec. 56. §. 3 et seq. cor. Falconerio de jurep.*, tum a s. Congregatione *in Civitatis Plebis 10. Jan. 1737*, *in Romana Reintegratio 26. Nov. 1761* et in *Montis Alti Remotionis capellani 12. Junii 1762.**)

Nec pro capellano amovendo instat, causae desunt, quae si leves vel levissimae sufficerent, *Pignatellus cit. consul. n. 937*, *Rota in cit. decis.* et in *Salisburgen. Capel. apud Piton. de controv. patr. cont. 88. n. 11* et *s. Cong. in relata Montis Alti §: Et eadem*, in themate gravissimae interveniunt tum ex parte patronorum amoventium, quibus maxime interest opem ferre fratri Achilli, qui et ipse patronus, passiva pollens vocatione, sacerdotio jam proximus et praeclaro nobilitatis genere ortus summis rei familiaris angustiis premitur, tum ex parte capellani amovendi, quia si ea, quae in primo dubio disputata sunt, tanti non reputantur, ut renunciationem ac nominationem vitiant, certe potentissimas constituunt causas ad removendum capellanum: ipsa enim doli ac fraudis suspicio in patronorum perniciem adhibita atque artes non laudabiles pro assequendis capellaniis usurpatae immerentem faciunt possessorem et jus amovendi confirmant.

Quin amovibilitati obstent clausulae in actu nominationis appositae, quae perpetuitatem redolere videntur. Primo enim illarum quaedam nominantium obligationem tantum important Tonnium tueri in pacifica possessione bonorum capellaniarum, quaedam vero nominationis nullitatem respiciunt; insuper etsi fingatur perpetuitatem capellaniarum secum ferre, nullius momenti sunt existimandae utpote oppositae earumdem qualitati, quam nec patronus nec Ordinarius immutare potuissent ad tradita *per Fagnan. in cap. Significatum de presbyteris n. 1 et seq.* et *s. Cong. in Nullius Lepriniani Capellaniae 12. Junii 1765. §. Nec obesse.* Et sane nihili duxisse s. hunc Ordinem hujusmodi perpetuitatis clausulas, videre est *Firmana Capellaniae 25. Aprilis 1735.* Tandem quaelibet de perpetuitate conventio in praejudicium Raphaelis ac Guidonis, qui nominationi non inter-

*) Vd. *t. II. p 564. g.*

*) Vd. *t. II. p. 133. n. 4.*

fuerunt, verti nequit ex tritissima juris regula: *Res inter alios acta alteri nec nocere nec prodesse potest.*

Perperam tandem, dicit, objiceretur a Tonnio, Achillem redire non posse ad capellanias antea dimissas.*) Statim enim ac possessione ipse privandus est, vel quod renunciatio et subsequens nominatio irritae fuere vel quod hoc exigit amovibilis capellaniarum qualitas, non ad eum inquirere spectat, cui illae conferantur; haec esset exceptio de jure tertii; insuper Raphael et Guido profecto sunt, qui fratrem ad capellanias possidendas iterum revocant: at renunciantem redire posse ad beneficium renunciatum in vim novae nominationis, licet renunciatio juramento firmata sit, docet expresse *textus in cap. 2. de renunc.* et ibi *Gonzalez. num. 6*, qui multos DD. allegat.

Hactenus Nuptiorum defensor. Addam modo quae ad sui defensionem in foliis mihi exhibitis habet Tonnius. Ac praeprimis contendit, quod ad substinendam renunciationis validitatem sufficit vel leviter ipsius chartam perlustrare. Nam cum renunciatio nil aliud in jure sit, quam *spontanea beneficii ecclesiastici dimissio coram legitimo Superiore facta*: *Ferraris* verb.: *Resignatio n. 1*, cumque Achilles Nuptius et spontanee et cor. legitimo Episcopo **) eam emiserit, patet quod infirmari nullatenus possit. Nec contra eam quavis sub causa insurgere inibi quoque testatus est. Insuper neminem latet, renunciationem etiam tacite oriri ex assumptione status cum beneficio possesso incompatibilis: porro Achilles clericales vestes abjiciens aperte professus est se ad secularia vota transire maluisse; imo militari cingulo se induit;***) quae sane vitae conditio cum beneficii ecclesiastici possessione componi penitus nequit, *glos. in cap. ult. verb. de cleric. non resid.* Hanc vero doctrinam in themate obtinere propugnat, quippe non laicali sed ecclesiastica natura pollent capellaniae; siquidem et Episcopi auctoritate erectae fuerunt et ad praesentationem patronorum semper Episcopus capellanos instituit, qui quidem sunt ecclesiasticitatis caracteres, *cap. Nemo 9 de consecr. dist. 1, cap. Nullus Laicorum 8. caus. 16. q. 7* et *Garz. de benef. p. 1. cap. 2. n. 31.* Perperam tandem adducuntur errores circa redditum quantitatem, nam nil referunt ad vocationem ecclesiasticam, cum non ex pecunia sed ex Deo quis vocari debeat ad statum clericalem.

Pariter validam fuisse nominationem in sui favorem editam ostendit Tonnius ideoque capellanias legitimo modo occupasse. Nam duo filii mares prole postea donati orti sunt ex Jospho Nuptio, nimirum Franciscus et Urbanus, queis jus nominandi spectabat. Franciscus decedens duas reliquit filias, Lauram et Blancam: Urbanus tres masculos Achillem, Raphaelem et Guidonem. Nati omnes isti non in capita sed in stirpes nominationem edere debebant: ac duae proinde erant voces, prima ex filiabus Francisci, secunda ex filiis Urbani. Favore Tonnii adest primum suffragium ex Laura et Blanca: adest secundum ex Achille et Guidone, quamvis Raphael concurrere renuerit: nam major pars sufficiebat ad vocem unam complendam. Legitime igitur ad capellanias cooptatum esse patet. Quippe validum est suffragium nomine Filiarum Francisci Nuptii a Joanne Petro Giusti earum procuratore generali editum; nam mandatum speciale ad hoc non exigi ex eo probat. quod ad valetudinem praesentationis sufficit, ut quoquo modo ordinario patroni voluntas innotescat, ceu docet *Rota dec. 30. cor. Emerix n. 5* et *dec. 737. n. 2. part. 18. tom. 2. recent.*; et requiritur mandatum speciale ad electionem canonicam, non ad praesentationem. *Vivian. de Jurepatr. p. 2. lib. 5. cap. 1. 2. 7.* Immo praesentatio quandoque absque etiam mandato fit dummodo patronus quaerelam non moveat. *Lambertin. de Jurep. lib. 2. pag. 1. q. 4. art. 7.*

Validum insuper est suffragium ex parte fratrum Nuptiorum emanatum: nam nec Achilles factum proprium impugnare valet nec inutile est votum a matre Guidonis, utpote tutrice et curatrice, datum, nam tutrix et curatrix id jure potest. *Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. p. 1. q. 2. art. 10. n. 1*, *Garz. de benef. p. 1. c. 9. n. 198* et communiter. Insuper consanguineum posse pro consanguineo praesentare. Lambertini doctrina est ab aliis adfirmata. *lib. 2. part. 1. q. 4.* Raphael autem quamvis nominationem non subscripserit, tamen nullam movit tempore habili querelam. Ipse tunc Tuderti degebat: notificationes ad valvas ecclesiae affixas pernoscebat, ita ut ex contrariae scripturae Hortanae curiae exhibitae verbis constet. Exinde totum ejus jus in reliquis duobus

*) Vd. *t. II. p. 392. e; p. 362. b.*
**) Vd. *t. II. p. 863. s.*
***) Vd. *t. II. p. 367. n. 13; p. 144. n. 16; p. 1044. n. 5. 6.*

fratribus consolidatum est. *Bellon. de jur. acc. cap. 9. quaest. 48. n. 28, Card. de Luca de jurep. disc. 41. n. 3 et alii.*

Si igitur nominatio legitime fuerit collata, sicuti sponte sua fluit, justo titulo capellanias Tonnium possedisse, ita pariter sequitur, fructuum restitutioni obnoxium non esse debere. In quavis vero hypothesi si quid forsan minus recte gestum fuerit, cum id ex sua culpa processisse probari nequeat, concludit ipsemet Tonnius, damnari non posse ad fructuum restitutionem ne de facto alieno poenas luat.*)

Tandem a capellaniarum possessione se exturbandum non esse propugnat. Nam inficiari nequit, patronos potuisse Tonnio capellanias in perpetuam conferre. Nemo enim unquam negavit patronis suo juri renunciare, revocandi nimirum, quod revocare potuissent. *Ferrar.* verb.: *Capellanus n. 26.* Quod si Raphael non expresse id egit, saltem tacite consensit, dum sciens et prudens nullum opposuerit die opportuno impedimentum; at regula notissima juris docet: *Qui tacet consentire videtur.* Qui potuit impedire et non fecit voluisse videtur.

Quod autem perpetuo Nuptii capellanias ipsi contulerint, sat est nominationis actum legere. Verba ejusdem aperte quidem innuunt obligationem non amplius amovendi Tonnium, nec ea stare possunt cum amovibilitate. Nam qui non facere promittit non amplius manus ad rem apponere valet, aliter faceret et in contradictionem cum suis verbis incideret. Cui doctrinae non obstat contraria institutorum voluntas, quae amovibilitatem jubendo suis descendentibus favorem conferre sategit; nam quisque ut supradictum est sui favori potest renunciare; et factum proprium revocare cum damno tertii amplius non potest. Quod enim sua culpa quis fecit sibi imputare debet judicium est axioma.

Hisce omnibus perpensis EE. VV. diriment

Dubia:

I. *An constet de nullitate renunciationis et nominationis ita ut sit locus redintegrationi in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus restitutioni fructuum in casu?*

Quatenus vero negative,

III. *An sit locus remotioni capellani in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II et III: Capellanias esse amovibiles et esse proinde locum remotioni Aloisii Tonni, qui tenetur reddere rationem coram Episcopo de depositis peragendis juxta testamentum Prosperi et fructus cedere a die sequutae nominationis favore Achillis Nuzzi.

Die 8. Apr. 1843.

*) Vd. *t. II. p. 564. g; p. 580. p.*

4) In beneficium commutata

Vd. t. II. p. 551. d. e;

5) Cum beneficiis quod habet commune?

Vd. t. II. p. 394. n. 22. 23.

Convenit capellania cum beneficio in eo quod in utroque certum sit sacrum officium obeundum aut saltem religiosa vel pia quaedam munera exercenda, adeo ut capellanus ea non implens removeri a jure capellaniae possit, monitione tamen praemissa, nisi fundator jure ipso capellanum a capellania cadere voluisset. Deinde illud est ut beneficiis et capellaniis constituta sint bona quasi dos a capellano in perpetuo possidenda.

6) Choralis.

a) Beneficium estne?

Vd. *Capellania ecclesiast.* (Beneficio aequiparat.); t. II. p. 530. e.

Novarien.

Ecclesiae cathedrali Novariensi nedum duo supra triginta Canonici sed etiam duodecim capellani chorales olim inserviebant. Capellaniae titulo ecclesiastici beneficii vetustis temporibus potiebantur et capellani ad illas a capitulo nominati canonicam assequebantur institutionem; sed anno 1592 Novariensem sedem moderante Episcopo Petro Ponzone ejusmodi capellaniae mercenariae et qui illas possidebant ad nutum capituli amovibiles evaserunt. Res ita progrediebantur, cum anno 1801 inter malorum colluviem Novariense capitulum depulsum bonisque omnibus expoliatum fuit. Verum anno 1803 conventionem cum republica italica iniit s. m. Pius VII., qua sic de capitulis statutum fuit: Servabuntur capitula ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium itemque collegiatarum saltem insignium eaque convenienti bonorum dotatione fruentur . . . Hae dotationes, quam citius fieri poterit, a Sanctitate Sua collatis cum gubernio consiliis constituentur. Factum hinc, ut anno 1804 Novariense capitulum in antiquum statum fuerit restitutum, Canonicorum tamen numero ad tredecim, capellanorum vero ad novem cohibito. Illud praeterea accidit, ut Episcopus morem gerens italicae reipublicae capellanias chorales in titulum conferri illarumque possessores residentiae lege obstringi sanciverit. Dotem quoque singulis capellaniis constituit in libellis mediolanensibus nongentis, quarum centum quinquaginta praebendae locum tenerent, sexcentae vero octoginta quinque naturam induerent quotidianarum distributionum et aliae quinque supra sexaginta circiter tamquam extraordinariae distributiones a praesentibus dumtaxat et infirmis perciperentur. Duobus autem ex iisdem capellanis, qui caeremoniarii*) et magistri chori munere fungerentur, aliae insuper libellae ducentae fuerunt tributae.

Post quadragenarium laudabile et assiduum chori servitium jubilationis indulto cum solitis clausulis ab hoc s. Ordine donati fuerunt Joseph Toscani et Isidorius Galloni, quorum postremus est chori magister. Ob adversam autem valetudinem exemptionem a chorali servitio, non vero a munere majoris caeremoniarii ad alterum triennium nuper obtinuit sacerdos Franciscus Frasconi tributa facultate, ut *interim fructus omnes et distributiones quotidianas sui beneficii percipere valeat perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.* Hujusmodi indulta nonnullas inter capellanos excitarunt controversias. Qui enim punctatoris officium exercet existimans capellanos emeritos aut exemptionis indulto praeditos extraordinariis distributionibus frui non posse ea inter praesentes tantum distribuit. Dein cum in Novariensi ecclesia invaluerit consuetudo, ut Canonici quamvis rude donati missam conventualem canere compellantur, censuit capellanos similiter jubilatos ad munia hebdomadis suae explenda esse obstrictos. Tandem anceps haeret utrum capellanus caeremoniarius dum sacrae explentur functiones superpelliceo tantum vel etiam palliolo, quo ceteri utuntur capellani, indutus adstare teneatur, ut distributiones lucretur.**)

Capellanorum preces quibus de exortis dubiis vocabulum hujus s. Ordinis petebant Emo Episcopo Novariensi ablegavi, ut auditis capitulo et capellanis sententiam suam aperiret. Inter ea, quae Novariense capitulum retulit haec scitu digna sunt: »Capellani chorales utpote mere mercenarii atque a capitulo omnino dependentes, penes quod erat sicuti eorum numerum ita et emolumenta augere vel imminuere, cum jubilationem a capitulo obtinebant (ante an. scilicet 1801) fruebantur jure percipiendi omnia et singula emolumenta exceptis tamen distributionibus extraordinariis, quae praesentibus tantum dabantur, uti constat ex actibus capitularibus. Quoad onus perficiendi a Canonicis jubilatis respectivam hebdomadam antiquissima semper viguit et adhuc viget consuetudo, ut quoties ab aliquo ex Canonicis capitulo exhibetur indultum jubilationis*) a s. Sede obtentum capitulum illud acceptat cum conditione, quam jubilatus admittit eique se subjicit faciendi propriam hebdomadam in respectivo ordine. Verum hujusmodi consuetudo numquam viguit quoad capellanos chorales, quod colligitur etiam ex actis capitularibus eorum jubilationis, quae concedebatur sine onere perficiendi aliquam hebdomadam.«

Capellani vero ad Emi Episcopi judicium sese ultro retulerunt, qui confirmans ea quae supra recensui inprimis vehementer exoptat, ut hac arrepta occasione choralium capellaniarum in titulum erectio quatenus opus sit expressa Sedis apostolicae ratihabitione roboretur: dein votum suum super quaestionibus a capellanis propositis pandit, quod suo loco referam.

Canonici in dubium vocare videntur, utrum chorales capellaniae naturam induerint veri beneficii, dum inquiunt: *Erectionis mansionariarum in capellanias chorales particula exhiberi non potest, cum formalis earum erectio facta non fuerit.* Si enim formalis deficit erectio sequitur, capellanias seu mansionarias adhuc esse mercenarias et ad nutum amovibiles, quemadmodum ante annum 1801 ejusmodi censebantur. At Emus Novariensis Episcopus immutatam fuisse arbitratur capellaniarum naturam nec deesse canonicam illarum erectionem. Etenim quo tempore expleta est capituli instauratio singulis capellanis certi ac proprii assignati fuere redditus, quos ipsi titulo praebendae ac distributionum lucrifacerent; illis statuta fuit residentiae lex ac praescripta methodus, qua si choro non interessent punirentur; imo praefatas capellanias revera ecclesiastica beneficia**) evasisse facile colligitur ex actis can-

*) Vd. *p. 12. Caeremon.*
**) Vd. *p. 25. V.*

*) Vd. *p. 483. n. 2; p. 484. n. 6.*
**) Vd. *t. II. p. 530. e.*

cellariae episcopalis, veluti testatur hodiernus Emmus Episcopus inquiens: Quod attinet ad capellanos chorales canonicam institutionem singulis tribuit Praesul Victorius Philippus Melano a Portula ut apparet ex actis hujus cancellariae licet optime nosceret capitulum arbitrari opus contra jus suum ipsum perpetrari. Quapropter illis residentiam praecepit. Atque punctaturae statuta dedit decreto diei 8. Augusti 1806, quo de erectione talium capellaniarum in titularia veraque ecclesiastica beneficia etsi desit alius formalis earumdem erectionis actus apertissime praefatur. En ejus verba: *Quae de novo emergunt novo indigent consilio . .; cum igitur capellanorum nostrae Cathedralis choro addictorum status, numerus et census nuperrime fuerit immutatus titularium scilicet jure donati, novem numero praefiniti et majori stipendio adaucti muneris nostri ratio postulat etc.*

Praeterea non desunt argumenta, quae suadeant apostolicae Sedis auctoritatem intercessisse pro immutanda capellaniarum natura, *ejusdem enim Episcopi Mellano* (suddit memoratus Emmus) *et pietas et doctrina et observantia in Christi Vicarium, quam istius s. Congregationis Concilii responsa relationibus status suae ecclesiae testantur, ad credendum impellunt decretum suum apostolicae Sedi probandum obtulisse.* Haec autem omnia eo spectant, ut praefatae capellaniae vera beneficia renuncientur ad tradita per *Garz. benefic. part. 1. cap. 2. n. 93, Pignatel. consult. can. 143. n. 47, s. Congreg. in Lucana Capellaniarum 6. Augusti 1825.* Hisce grave addit pondus postera observantia, siquidem tamquam ecclesiasticae capellaniae habitae sunt dum illarum collationi patuit aditus; Emmus Morozzo in sacra peragenda visitatione anno 1819 decrevit *capellanias chorales Cathedralis vera esse beneficia, capellanos eas possidentes titulares esse earumque successoribus canonicam perpetuis futuris temporibus uti statutum fuerat institutionem esse largiendam;* et haec s. Congregatio semel atque iterum capellanis post laudabile et assiduum quadraginta annorum chorale servitium ipsius capituli testimonio comprobatum jubilationis indultum concessit: quod profecto non concessisset si capellaniae ad nutum amovibiles adhuc existimandae forent ad regulam de qua *s. Congregatio in Camerinen. Jubilationis 12. Martii 1796* et in *Urbinaten. Indulti 18. Septembris 1802.* Quapropter concludit Emmus Episcopus: quum argumenta novis capellanis canonicae institutionis concessae atque indubium de capellaniis inproprie dicta beneficia erectis testimonium habeantur incassum voto expresso asserit capitulum de illa erectione minime constare.

Hisce praelibatis de capellaniarum natura perpendere oportet utrum jubilatione aut indulto abessendi propter infirmitatem praediti jure polleant percipiendi distributiones, quae inter praesentes dividuntur. Jam vero qui punctatoris munere fungitur ex peculiari Novariensis ecclesiae lege censet ejusmodi distributiones illis tantummodo esse tribuendas, qui realiter choro intersunt. Concinit etiam Emmus Episcopus ita edisserens: Capellanis qui jubilatione ut ajunt ob praestitum quadragenarium chori servitium gaudent distributiones sive datas extraordinarias non competere dicerem, quoties a praesentibus tantum punctaturae leges quae penes ipsos vigent esse lucrandas innuunt; non enim aequum videtur, ut onera extraordinaria non ferentes extraordinariis utilitatibus fruantur.*)

Verum si capellaniae de quibus agitur tamquam ecclesiastica habeantur beneficia aliter judicandum videtur. Profecto ea est hujus s. Ordinis constans sententia, ut Canonicis aut beneficiatis rude donatis nedum fructus praebendae et quotidianae debeantur distributiones, *Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 3. cap. 4. n. 6, s. Congreg. in Beneventana Distributionum 26. Januarii 1784. §. Quamvis*, sed etiam omnia emolumenta inter praesentes distribui solita perinde ac si ipsi quoque Divinis interessent, *s. Congregat. in Aquipendien. Indulti 1. Aprilis 1719* et in *Mantua Jubilationis 16. Martii 1737*, iis tantummodo exceptis, quae ex voluntate testatoris et dantis realiter praesentibus sunt impertienda quemadmodum docent resolutiones relatae in *Bosanen. VV. SS. LL. 6. Februarii 1734*, in *Verulana Jubilationis 17. Junii 1820* et in *Terracinen. seu Privernen. Emolumentorum 23. Decembris 1826.* Exinde facile colligitur capellanis Novariensibus jubilatione praeditis jus esse lucrandi distributiones extraordinarias seu quae inter praesentes fieri dicuntur, cum ipsi propter jubilationis indultum tamquam divinis officiis praesentes censeantur ac nulla in themate extet testatoris vel dantis voluntas, quae illarum partitionem inter praesentes fieri praecipiat.

*) Vd. *p. 483. n. 2; p. 484. n. 6; Jubilatio.*

Idem quoque ferendum judicium de capellano Frasconi, qui ob adversam valetudinem exemptionem a choro obtinuit. Praeterquam enim ipsi capellani fatentur memoratas distributiones extraordinarias ex capitulari lege percipi posse ab infirmis inter quos est sane accensendus capellanus Frasconi, illud accedit, quod ei propitia videatur sententia hujus s. Congregationis in *Romana Jurium canonicalium 5. Maji 1703. lib. 58. decret. pag. 186.* in qua res erat de Canonico valetudinario*) cui tributa fuerat venia abessendi a choro et interim lucrandi *omnes fructus et distributiones quotidianas sui canonicatus.* Etenim proposito dubio:

An Canonico Strada, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis illud etiam suffragari valeat pro laudemiis, quindemiis, capitulis actibusque capitularibus, anniversariis, festivitatibus etc.? S. Congregatio respondit: *Affirmative etiam quoad laudemia exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis et in quibus diversimode non fuerit a testatoribus dispositum.* Quatenus autem EE. VV. censeant capellanis jubilatis ac etiam caeremoniario**) Frasconi jus esse lucrandi extraordinarias distributiones postulant, ut decernatur utrum ipsis sint restituendae eaedem distributiones, quae a punctatore inter capellanos praesentes fuerunt distributae. Et sane si ipsis debentur in futurum ejusmodi distributiones nemini dubium quin eis sint restituendae distributiones, quibus fuerunt destituti, *s. Congreg. in Nepesina 11. Aprilis 1818* ***) et *Terracinen. seu Privernen. 24. Novembris 1827.*

Qui memoratis gaudent indultis nedum cuncta lucrantur capitularia emolumenta, sed insuper omnino immunes sunt a chorali servitio, ita ut nec missam conventualem†) sive per se sive per alium canere nec alia munia obire teneantur sed praesentes in choro defectum absentium supplere obstringuntur in iis, quae ad chorale servitium pertinent, *Fagnan. in cap. Nulla de conces. praebend. n. 75, s. Congreg. in Sutrina Indulti 22. Julii 1826* et in *Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 15. Septembris 1827*, imo obligationem a Capitularibus propositam et a Canonicis jubilatis accepto habitam subeundi onus missae conventualis veluti irrationabilem jugiter reprobavit hic s. Ordo ac praesertim *in Nullius seu Foropompilii Jubilationis 18. Junii 1796*, in *Nepesina*) 11. Aprilis 1818* et in *cit. Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis superioris anni.* Quod quidem in themate praesertim vim suam exerere debet; nam ut scribit Emmus Episcopus ratio hebdomadae a capellanis peragendae non est cum hebdomada quae a Canonicis completur conferenda siquidem Canonici hebdomadarii onus sustinent conventuale Sacrum quotidie faciendi, capellani non item sed illud dumtaxat dum choro adsunt legendi vel canendi, quod absque magno incommodo ab illo qui proxime in hebdomada succedit perfici potest. Si autem jubilati capellani ad talem hebdomadam exercendam adigerentur parvi erit momenti eorum immunitas a chori servitio quum saepe saepius ad aliquod munus ut supra agendum designentur. Quapropter ab obligatione suae hebdomadae perficiendae jubilatos absolute absolvendos esse perlibenter pronuncio«.

Restat nunc, ut quaedam enucleentur de palliolo a magistro caeremoniarum deferendo. Haeret quidem punctator, utrum capellanus caeremoniarius distributiones lucretur, si solo superpelliceo indutus adest sacris functionibus, quae a capitulo peraguntur. Scitum namque est, Canonicos et beneficiatos non percipere quotidianas distributiones, nisi choro, processionibus aliisque hujusmodi actibus proprio habitu ipsis convenienti utantur, *s. Rituum Congregatio in Meliten 7. Augusti 1621* et in *Spoletana 9. Julii 1695, Ferrar. Bibl.* verb.: *Canonicus art. 9. n. 94, Barbos. de Canonic. cap. 18. n. 37.* et haec *s. Congr. in Senogallien 13. Junii 1789 ad XVI. dub.*

Sed haec locum sibi vindicant vel in ipsis capellanis aut beneficiatis caeremoniariis quando officium suum non exercent et choro interesse tenentur, *s. Rituum Congregatio in Patavina 28. Novembris 1609. apud Barbos. sum. apostol. constit.* verb.: *Magister Caeremon. n. 7.* Dum vero munere caeremoniarii funguntur, superpelliceo dumtaxat induti sacris functionibus adstare debent; ita enim legitur in *Caeremon. Episcop. l. 1. cap. 5. de officio magistrorum caeremoniarum*: »eorum habitus sit honestus et clericalis ipsaque vestis inferior ubi commode fieri possit co-

*) Cf. *p. 212. a.*
**) Vd. *p. 12.*
***) Vd. *p. 484. n. 6.*
†) Vd. *p. 484. n. 6; t. I. p. 716 VII.*

*) Vd. *p. 484.*

loris violacei, super quam dum divina officia celebrantur cottam mundam induent;« concinit s. Rituum Congreg. in *Senarum 3. Martii 1667*, in qua proposito dubio:

An Magistri caeremoniarum debeant assistere functionibus cum cotta vel potius cum habitu quem deferunt alii capellani in choro?

responsum prodiit: *Ad formam Caeremonialis.* Hisce sanctionibus cohaeret Emus Episcopus Novariensis inquiens: Etsi capellani Cathedralis in choro palliolum gerant, ad illud tamen deferendum tempore divinorum officiorum caeremoniarum magistrum capituli sive jubilatione ille ut in praesens occurrit donatus sit sive non non teneri dicerem, quoties alicui functioni mane aut vesperis adesse altari vel sacrario debet; si vero nulla functio maxime tempore vesperarum dierum ferialium ad altare choro praesente peragatur, tunc palliolo indutum, ut a caeteris capellanis fit, eum interesse vellem. Sicuti enim ad uniformitatem servandam convenit, ut iisdem insignibus utatur, quae adhibent capellani chorales omnes, ita nullo modo deceret, ut illud haberet ornamentum dum altari inservit vel hinc et illinc, prout munus suum exposcit, per ecclesiam exurgit.

Igitur cum sacrae alicui functioni, cui chorus assistit, adesse capellanus caeremoniarius debet, tunc licet sit sola cotta indutus fructus residentiae atque extraordinarias distributiones ei permittendas sentirem.

Hisce positis dirimenda sunt

Dubia:

I. *An capellaniae chorales habendae sint pro veris beneficiis in casu?*

II. *An capellani jubilati hebdomadis suae munia explere debeant in casu?*

III. *An capellani jubilati licet choro non intersint fruantur extraordinariis distributionibus in casu?*

IV. *An capellanus Franciscus Frasconi praeditus indulto abessendi a choro ob adversam valetudinem gaudeat distributionibus extraordinariis in casu?*

Et quatenus affirmative ad III. et IV.,

V. *An capellanis jubilatis et caeremoniario Frasconi sint restituendae distributiones extraordinariae in casu?*

VI. *An capellanus caeremoniarius gaudeat distributionibus, dum altari inservit superpelliceo tantum indutus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Affirmative.

Ad V: Affirmative exceptis iis, de quibus aliter cautum fuerit in fundatione.

Ad VI: Affirmative juxta votum Emmi Episcopi.

Die 19. Julii et 16. Aug. 1828.

Quayaquilen.

In recenti capituli cathedralis Quayaquilensis erectione, quae vix septemdecim adhuc annorum spatium attingit, plura per subdelegatum apostolicum ad chori et altaris servitium fuerunt officia instituta, nominibus etiam distinctis ea gerentibus assignatis, vel nempe di maestro di cermonie vel di sottocantore vel tandem di capellani di coro.

Itaque Quayaquilense capitulum, cui ad ea officia et capellanias, quoties vacare contingant, jus nominandi est, semper ab ipsa erectione censuit nullam in jure iisdem perpetuitatis praerogativam inesse ac propterea sibi, justa aliqua interveniente causa et Epiccopi consensu accedente, jus esse officiales seu capellanos e possessione removendi quin ad judiciales actus unquam deveniendum sit. Ast in praesenti contra praeconceptum jus istud capituli aliud in facto accidit. Alter enim e capellanis officio suo destitutus jus suum in judicio voluit experiri et cum primo ibi causa cecidisset, ad Metropolitae Vicarium generalem inde appellavit, qui vero ex allegatis et probatis judicavit depositionem capellani esse revocandam. Quod quidem cum aegreferret capitulum e re sua duxit hunc Ordinem adire ac supplici oblato libello humillime postulat ut quae in calce proponuntur dubia sapientissimo EE. VV. judicio dirimantur.

Rogatus Archiepiscopus informationem ac votum praeprimis quoad capellani remotionem quae causam capituli petitioni dedit de qua tamen non quaeritur in praesens haec monet: »Unus ex capellanis illius chori, ad titulum capellaniae ordinatus, fuit destitutus, ejectus a choro et privatus congrua ordinationis ejus: appellavit ad Metropolitanum. Hic ad Vicarium generalem id detulit et re ad promotorem delata ex allegatis et probatis judicavit depositionem istius capellani esse revocandam ac ipsum in proborum ministrorum conditionem retrahendum

1) Quia irreprehensibilis in moribus ab adolescentia sua vitam duxit canonibus consonam,

2) Quia cum ob infirmitatem defuit officii functionibus (propter hunc unicum defectum fuit ejectus) hoc semper sub oculis subjecit praesidi chori juxta stilum,

3) Quia destitutio ab officio vel beneficio est poena gravis ideoque non imponenda nisi graviter delinquentibus, parte audita et causa probata; *)

4) Quia destitutus fuit ordinatus ad titulum hujus capellaniae **) consequenterque ipsa est ratione perpetuitatis congruae inhaerentis quasi beneficium, non quidem stricto, sed lato sensu; dataque capellania in titulum et congruam gravissima et indubitanter probata causa necessaria foret, ne minister incongruus evadat et ex ejus absoluta destitutione emendicare cogatur cum status dedecore contra ecclesiae spiritum et ejusdem expressam voluntatem.

Ad rem postea haec habet: »Quod hae capellaniae atque officia careant bonis ac redditibus cum expressa perpetuitatis praerogativa patet ex adjuncto notarii majoris testimonio. Sed ex eodem liquet a decimali mensa tantum esse dotatas atque ad earum titulum, praeter ibi descriptos, alios fuisse ordinatos.

Nam in illa dioecesi novae erectionis desunt capellaniae de jure devoluto vocatae, ad quarum titulum possit Episcopus ordines conferre: desunt etiam collativae***) quarum capitalia cum redditibus in aerario publico sunt refusa et amissa.

Sic tandem suum sensum pandit: »Jam ut praescriptis obtemperem meum sensum aperiam:

Ad primum mihi dicendum videtur quod quamquam officia in ipso enunciata non sint beneficia stricto sensu, quia nec per concursum neque per institutionem canonicam conferuntur nihilominus cum dantur in titulum et congruam ad ordines perpetuitatis rationem habent ac nequeant auferri ad capituli libitum quin deponendus audiatur, quin causa gravis probetur, quin demum aliud non sit remedium, cujus ope delinquens plecti nequeat, ne spoliatus capellania mendicare cogatur cum status dedecore.

Nec solum capitulum, sed una cum Episcopo ad delinquentis correctionem debet procedere, cum ab utroque diversimode sit capellanus constitutus juxta jussum art. 30 erectionis a capitulo citati. Nec valet dictum ab uno ex praebendatis, posse videlicet capitulum pro suo lubitu de capellania detrudere, sicut potest parochus de coadjutoria; nam visibilis est disparitatis ratio, cum capellanus (casu quo agitur) sit ordinatus ad titulum ipsius capellaniae, minime vero coadjutor ad coadjutoriae titulum.

Ad secundum progrediens quaesitum dicendum mihi pariter videtur non esse ad libitum amovendum capellanum cum fuerit ad titulum capellaniae ordinatus, sed ipso audito ob causam gravem plene probatam et ab Episcopo approbatam propter rationes jam ad primum adductas.

Ad tertium denique dicendum mihi similiter videtur ad primam quaesiti partem quod ecclesia cathedralis Guayaquilensis per septemdecim annorum spatium a quatuor capellanis in erectione designatis bene ministrata est. Superflua igitur videtur capellanorum augmentatio, cum in alios necessarios fabricae usus quamplurimos decimarum pars sit decernenda. Ad secundam vero quaesiti partem omnia munera et officia a capellanis implenda in choro et altari jam sunt sufficienter in erectione decisa et sunt nonnulli qui imponunt onera gravia et importabilia, digito autem suo ea movere nolunt.

Summa animadversionum capituli haec est:

Ad primum dubium quod attinet observat praefata officia et capellanias haud censeri posse beneficia sive quia sine institutione quae omnino pro beneficiis necessaria foret conferuntur sive quia hac sub appellatione in erectione ipsa minime recensentur.

Quoad secundum omnia rationum momenta ad ipsorum officiorum naturam reducuntur, quae talis est ut dicta officia ad nutum auferri possint saltem justa aliqua causa interveniente quod luculentissime patere dicunt ex praecitato cap. 43. erectionis; ac idem ex eo etiam desumunt quod capitulum nequit esse conditionis inferioris quam paraeciae oeconomus sive curatus, qui procul dubio coadjutores suos ad nutum removere potest.

Quoad tertium tandem ea in parte qua agitur de officialium numero sive augendo

*) Vd. *t. II. p. 758. a.*
**) Vd. *Capellania* (titulus ordinationis).
***) Vd. *Capell. collativa.*

sive minuendo idem affertur caput 43. erectionis, in quo uti inquiunt facultates ampliores hisce etiam de rebus haud desiderari possunt. In ea vero parte qua agitur de novis oneribus imponendis dubitant Canonici an nullum sibi jus sit ac penitus sacri hujus ordinis judicio sese remittunt.

Postremo adest testimonium quod hac desuper re a notario majori Guayaquilensis Episcopatus ipse Archiepiscopus conficiendum curavit.

Post haec quae in facto adnotata sunt pauca in jure disserenda supersunt.

Ad primum quod attinet dubium satis sit ob oculos habere requisita ut elementa ex quibus ecclesiastici beneficii natura dignoscitur; quaeque sunt:

1. Persona providentis quae ecclesiastica esse debet.

2. Persona cui providetur id est clericus.

3. Qualitas ipsius beneficii quod habere debet aliquod spiritualitatis annexum ac in perpetuum dari debet.

4. Modus providendi qui purus esse debet et sine pacto modo vel conditione. Sic cum communi *Gonzalez. ad reg. de mensibus gl. 5 num. 6,* qui praedictas qualitates tamquam requisita substantialia beneficii ponit ac monet minime beneficium nuncupatur, utrum beneficium, praestimonium, capellania, officium*), portio sive pensio vel alio nomine vocetur, quia nunquam censetur beneficium ecclesiasticum**) si praedictae qualitates non concurrant ex quo non est vis in nomine ac attendi potius debeat natura rei quam simplex nominatio. Convenit *Corradi in praxi benef. lib. 1. cap. 1. num. 12* ubi etiam adnotat omnia haec requisita insimul concurrere debere, ut beneficium constituatur, quia ubi plura requiruntur ad essentiam formalem alicujus rei uno deficiente nihil dicitur actum ex *Leg. Si unus cod. de testam.*, *Bartolus cons. 113* cum pluribus adductis per *Lampertin. de jurepatr. 1. lib. 3. art. 9. quaest. num. 111.* Quamobrem cessante vel titulo vel perpetuitate vel ecclesiasticitate conferentis vel onere spirituali vel etiam dote non habetur beneficium uti patet quoque ex doctrina *Aegidii in cap. In nostra de rescriptis* et in *cap. Super hoc de renunt. n. 16.*

Itaque in themate ut officia et capellaniae chorales vera ecclesiastica beneficia censeantur desiderari videretur canonica institutio, certae constitutio dotis, collatio in titulum ac perpetuitas ceu Episcopus monet, ut adeo officia haec ad instar potius simplicis deputationis ac muneris praecario concrediti quam ut vera ecclesiastica beneficia haberi debeant juxta ea quae docet s. Congregatio in *Firmana Jurium 11. Augusti 1853.* §: *Itaque.*

Nihilominus perpendendum utrum Episcopi confirmatio ad capituli nominationem vices institutionis canonicae habere possit. Notandum etiam quod etsi certa dos hisce officiis et capellaniis peculiariter addicta ac in perpetuum constituta non fuerit attamen non omnino dote carent, quae nimirum percipitur a communi massa reddituum decimarum capituli. Praeterea quamvis ex magis recepta opinione perpetuitas essentiale sit beneficii requisitum non desunt tamen qui id negent vel in dubium saltem revocent, quam rem in medio reliquit s. *Rota in Casertana Beneficii 18. Junii 1745* §. *6* et *24. Januarii 1745* §. *13 coram Elephant.* Ceterum in fundatione nihil de amovibilitate*) diserte edicitur; quod vero pro perpetua haberi debeat capellania cum in fundatione nulla adhibita sit nota: »ad nutum, ad libitum, ad placitum« ac cetera hujusmodi, quae amovibilitatem praeseferant, tradit *s. Rota in Senogallien. Capellaniae quoad manutentionem seu reintegrationem 12. Junii 1801* §. *4 coram de Bayane*, ita ut in dubio perpetuitatis praesumi debeat ceu docet *Card. de Luca de benef. disc. 80. num. 9* et *Rota in decis. 72. num. 3. coram Cavaler.*

At vero inficiandum non est quin magno sint argumento ad amovibilitatem comprobandam tum munerum ipsorum indoles ac natura juxta receptam disciplinam ac praxim omnium capitulorum in quibus officia haec praecario et ad Canonicorum libitum conferuntur**) tum amplissimae capitulo ipsi datae facultates variandi ac moderandi haec officia uti expedire magis ad ecclesiae cultum videretur, tum demum opinio ab Episcopo et capitulo praeconcepta ab ipso erectionis Cathedralis exordio de horum amovibilitate officiorum, juxta quam opinionem haud plane spernendam erectionem interpretati sunt et nominationes expleverunt.

Secundi dubii resolutio a primi definitione pendet. Ubi enim officia et capellaniae de

*) Vd. *t. II. p. 522. III.*
**) Vd. *t. II. p. 530. e*; *p. 524. a.*

*) Vd. *p. 534. n. 3.*
**) Vd. *Caeremon. p. 12.*

quibus agitur tamquam ecclesiastica veri nominis beneficia habenda sint consequitur nonnisi servato juris ordine ad privationis poenam procedi posse. Sed etsi natura sua capellaniae amovibiles forent attamen amovibilitas haec haud utique secumferre videretur ut ad Canonicorum libitum capellani seu officiales expelli valeant sed ex justa tantum et gravissima causa uti post textum in *cap.: Cum querelam* tradunt *Fargna de jurepatr. part. 2. cap. 21. cas. 10. num. 10 et 11, Rota coram Cavaller. decis. 72. n. 12* et s. Congregatio in *Nullius Farfen. Capellaniae 6. Augusti 1791* et in *Romana Suspensionis onerum 22. Augusti 1805* §. *Capellani.* In casu autem amotio nedum capituli sed et Episcopi etiam judicio absque dubio decerni deberet juxta ea quae Episcopus idem in sua relatione perpendit.

Aliqua sed vero difficultas superesse videretur quoad illos clericos qui ad titulum*) harum capellaniarum seu officiorum ad sacros ordines promoti sunt. Contendunt enim nonnulli doctores quos inter *Piasec. in praxi Episc. part. 1. cap. 1. num. 45* quod ordinati ad titulum capellaniae, commendae**), officii seu cujusvis beneficii manualis et ad nutum amovibilis ab iisdem servitiis amoveri***) non possint nisi habita alia sufficienti provisione etiam in praejudicium patronorum, qui sibi ipsis imputare debent, quod hosce permiserunt promoveri ad hujusmodi officium quique ideo amovere illos pro ea vice non possunt. Sed huic opinioni acriter adversabatur *Corradi cit. loco cap. 2. n. 50* ubi pluribus aliis adductis docet non posse Episcopos assignare officium quod alias est temporaneum et amovibilem in perpetuum presbytero ordinato et eo modo praedictum officium facere perpetuum. Quidquid vero hac de re censendum sit probe animadvertit Episcopus et aequitas suadet ad privationem deveniendum non esse quoad haec officia dum collata fuerint in titulum ad ss. ordines nisi deponendus audiatur et causa gravis probetur neque aliud sit remedium cujus ope delinquens plecti valeat ne scilicet cum status clericalis dedecore mendicare cogatur.

Ad tertium. Quamvis in praesenti rerum statu nec necessarium nec utile aut opportunum existimet Episcopus quidquam immutare quoad constitutionem capellaniarum et officiorum uti in erectione peracta et decreta est, attamen haec facultas capitulo denegari non posse videretur, quam ei ipsius erectionis lex attribuit in §. 43., dummodo id necessitatis vel utilitatis ratio postulet et Episcopi consensus accedat; quod quidem et communis juris dispositioni apprime congruit juxta ea quae docet s. Congregatio in *Veliterna Residentiae 20. Martii 1790* §: *De viribus* et in *Tranen Reductionis et commutationis onerum 23. Julii 1824* §. *Quoad.*

Quibus breviter enunciatis supersunt diluenda

Dubia:

I. *An capellaniae chorales et officia de quibus agitur censenda sint beneficia ecclesiastica in casu?*

II. *An capitulo cum Episcopi consensu liceat ex justis causis absque tamen strepitu judicii removere officiales et capellanos in casu?*

III. *An eidem liceat augere vel imminuere numerum eorumdem capellanorum et officialium eisque nova imponere onera quando pro meliori divini cultus servitio id expedire judicaverit in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative salvis canonum sanctionibus quando agatur de ordinatis titulo capellaniae vel officii ejusmodi.

Ad III: Affirmative ad formam capitis 43. statutorum.

Die 23. Maji 1857.

b) Distributiones, fructus etc.

Vd. *Capellania* (reintegratio, decr.: *Camerinen*); supra *a* p. 538.

Mediolanen.

Joannes Andreas Praesul Vicomercati Canonicus ordinarius Mediolanensis ecclesiae studio ampliandi collegium beneficiatorum ac officialium Metropolitanae ejusdem anno 1528 consensu et auctoritate Ordinarii publico instrumento accedente erexit in altari B. V. Mariae Praesentationis sito in praefata ipsa ecclesia ac sub titulo s. Mariae et ss. Martini et Catharinae duas capellanias chorales onere injuncto capellanis celebrandi missam quotidianam tali hora et tempore quod altera sit finita quando incipiunt Divina, altera in-

*) Vd. *Capellania* (titulus etc.)
**) Vd. *t. II. p. 505. n. 26.*
***) Vd. *t. II. p. 133. n. 4.*

cipiat post finitam missam magnam Ordinariorum ad hoc ut ipsi capellani pro tempore possint et valeant et debeant ac teneantur interesse Divinis ut supra in choro praefatae ecclesiae a latere dominorum Mazaconicorum et notariorum (quibus nominibus veniebat beneficiati et officiales) et capellanorum dictae ecclesiae quando Divina celebrantur per RR. DD. Ordinarios ut supra. Jus autem patronatus reservavit favore nepotis ex praedefunto fratre et aliorum consanguineorum de gente Vicomercati eorumque descendentium in infinitum; casu tandem, quo dicti descendentes defecissent voluit transferri in Fabricerios Mediolanensis ecclesiae.

Quod attinet ad dotationem oneravit propriae domus sitae sub paroecia s. Nazarii in Prolio possessores pro praestatione librarum 90 imperialium bonae monetae mediolanensis quas voluit pro virili capellanis exsolvi quovis anno. Obtinuit praeterea ut diversa beneficia simplicia et officia, quae ipse possidebat, aggregarentur ipsis capellaniis in augmentum dotationis, pacto exonerandi domum a conventa praestatione librarum nonaginta pro summis, quibus auxissent redditus uniendorum beneficiorum.

In ipso demum instrumento erectionis cum sibi reservavisset facultatem cedendi partem fructuum dictorum beneficiorum massae officialium residentium, modo tamen capellani admitterentur ad perceptionem distributionum in communi massa, hinc alio instrumento anni 1543 renunciavit eidem massae fructus beneficii ecclesiae s. Joannis Baptistae et invicem beneficiati rite convocati capellanos admiserunt in proprium collegium *) eosque declaraverunt participes ad communes distributiones tamquam forent notarii et mazaconi cum omnibus honoribus et oneribus ac emolumentis solitis et consuetis.

Sed collegium beneficiatorum fuit ad instar capituli (ex quo dictum capitolo minore) erectum decreto s. Caroli Borromaei, quod anno 1586 Archiepiscopus Vicecomes ei suffectus apostolica auctus auctoritate executioni commisit ejusque capituli massam valde tunc auxerunt peculiares massae distributionum in unam massam communem conversae necnon bona abjuncta derivata ex suppressione collegii Decumanorum, ex segregatione cujusdam magnae possessionis Resate aliisque ex bonis a collegio Borromaeo avulsis. Inter caetera decretum est quod hujus massae sic constitutae omnes hujus capituli viri aequaliter participes sint, ac proinde aequaliter omnibus distribuatur pro ratione dierum et officiorum, quibus singulis interfuerint; relate ad duos capellanos Vicomercati, quos idem decretum jam prius declaraverat unum cum caeteris capitulum efformare, cautum, ut istius massae participes sint, si capellaniae eorum fructus, demptis ducentum libris pro missa quotidiana ad quam ex fundatione tenentur, in distributiones quas suas fecerint computentur, alioquin tantum massae veteris participes erunt.

*) Vd. *t. II. p. 139. n. 11.*

Post multas controversias anno 1595 rem composuit cum capitulo transactio, in quam convenerunt tam capellani quam patroni Vicomercati quamque obfirmavit Sedes apostolica, ubi acceptarunt singula novae erectionis capitula, praesertim decretum, quo impositum computandi fructus capellaniarum in distributiones, demptis ducentum libris. Exortis novis controversiis super quantitate capellanis debita titulo residentiae rem sedavit anno 1659 secunda transactio, qua obtinuerunt a capitulo annuas libras tercentum imperiales ex massa communi pro distributionibus quotidianis interveniendo divinis officiis et functionibus juxta punctaturam et regulas praescriptas a statuto venerabilis capituli.

Extremo saeculo bona totius massae occupavit gallica potestas, inde distraxit una cum caeteris ecclesiae bonis. Capellani Vicomercati servaverunt cuncta bona, eo quod fiscus exceperat bona affecta jurepatronatus laicali. Decretum imperiale proditum anno 1805 super restauratione capituli metropolitani quod attinet ad eos capellanos ita disponebat: »I due beneficiati Quinterio e Rossi conservano a parte il loro titolo, rango et assegno per diritto padronale.« Commissio tamen della liquidazione del debito publico haud omisit comprehendere eosdem capellanos inter Capitulares, quibus assignata fuit loco indemnitatis annua pensio, inscripta super aerario, subrogata bonis olim constituentibus massam distributionum. Discrimen fuit in eo, quod mensura pensionum communis pervenit ad annuas libras mille, dum capellani obtinuerunt libras octingentum. Quae pensio subiit postea decrementum, donec anno 1830 fuit definitive ad eam mensuram restituta.

Verum videtur quod capituli discrimina et decretum restaurationis illud tractu temporis attulissent, ut capellani Vicomercati se existimantes emancipatos segregatosque a regimine disciplinari et administratione capituli ac exemptos ab onere residentiae et servitii choralis recusaverint in massam contribuere pensionem ipsis datam titulo residentiae eamque subjicere noluerint decremento vel augmento juxta vices hebdomadalis punctaturae quemadmodum fieri solet a caeteris ex capitulo. Quod cum aegre ferret praesertim eminentissimus Archiepiscopus Gaiscruk mox defunctus vacantibus ab annis 1832, 1833 capellaniis decretum in forma literarum ad praefectum capituli minoris commissarum dedit sub die 11. Aprilis 1836. Usque ad annum 1843 efferbuit lis penes tribunalia caesarea super jure praesentandi novos capellanos praetexentes Fabricerii ecclesiae extinctam lineam Vicomerati fundatione investitam ideoque sibi devolutum jus praesentandi. Resjudicata definivit juspatronatus pertinuisse ad favores Josepham et Mariam Cermenati; et legitimam judicavit nominationem ab ipsis collatam in sacerdotes Joannem Vajani et Cajetanum Vicomercati.

Novi capellani ac simul patronae post eam remjudicatam plurimum sese adhibuerunt penes R. delegationem adversus superius Emmi Archiepiscopi decretum asserentes violatam fundationem, jura patronata et veterem capellaniarum statum; atque tametsi gubernium in eorum vota sub primo inclinavisset attamen ab Emmo Archiepiscopo magis deinceps instructum adduxit fere eosdem capellanos ad edendam amplissimam submissionem controverso decreto, post quam facile impetraverunt institutionem possessionemque illic nuncupatam spirituale idest jus interveniendi et psallendi in choro.

Alia enim praeterea agnoscitur possessio, quam nuncupant dei diritti temporali, solita conferri a suboeconomo caesareo beneficiorum vacantium, quam capere hactenus recusaverunt capellani Vicomercati noviter instituti suborta alia controversia super redditibus capellaniarum vacantium perceptis a capitulo et distributis inter solos residentes vel erogatis in refectionem domorum capitularium contendentes sive capellani sive patronae jus sibi esse eos fructus condicendi tamquam non legitime distributos et erogatos. Nihil in themate pronunciavit imperialis delegatio interea frustra urgens, ut capellani investituram redditum caperent.

Patronae enim et alia tentarunt adeuntes tribunalia civilia, ut capellaniae declararentur sub omni respectu disjunctae ac independentes a capitulo minori, ut dijudicaretur nullius momenti decretum eminentissimi Archiepiscpi diei 11. Aprilis 1836, ut tamquam illegitima et inefficax definiretur submissio capellanorum eidem decreto, quam jam memoravimus, ut demum capitulum adigeretur ad exhibitionem rationum de fructibus praeceptis tempore vacationis. Syndicus et praefectus capituli in jus vocati exceperunt de incompetentia ajentes omne negocium spectavisse ad auctoritatem politicam administrativam penes quam tum capellani tum patronae ab initio reclamaverunt adversus Archiepiscopi decretum remque omnem detulerunt. Aula suprema Vindobonensis in disparitate sententiarum exceptionem incompetentiae probavit.

Res erant in hoc statu quando publici juris facta postrema conventio inter Sedem apostolicam et caesaream Majestatem. Capitulum post multa interposita sine exitu pro finali compositione approbante novo Archiepiscopo, qui prius album etiam addiderat decreto eminentissimi sui Antecessoris, putavit nullum superesse obstaculum quominus adiret apostolicam Sedem ejusque definitioni rem submitteret. Summus itaque Pontifex preces capituli ad hanc s. Congregationem ablegavit proponendas juris ordine servato; et SSmi mandatum Archiepiscopo notificatum fuit ad hoc ut partes moneret, ut jura sua quatenus vellent coram eadem s. Congregatione deducerent; quod quidem se perfecisse Archiepiscopus ipse suis novissimis literis renunciavit.

Procurator capituli post cuncta rite observata quoad exteros in judicium vocandos praescripta judiciario regimine quinque dubia in adversae partis contumacia proponi obtinuit in calce relata. Quae dubia indicta et compertissima habuerunt tam capellani quam patronae nihil tamen spatio sex mensium deduxerunt licet in eorum oblatis supplicationibus ad s. hanc Congregationem adversus dubia rogata tam ab intrinseco quam ab extrinseco afferre multa fuissent polliciti, imo nec procuratorem vel sollicitatorem causae ullum constituerunt. Mei itaque muneris erit ea breviter exponere quae capituli orator in sua distribuenda allegatione fuso edisserit calamo.

Praeprimis animadvertens quod tertium, quartum et quintum dubium plurimum connectantur cum primo, haec omnia sub eodem capite cumulat. Exordiens itaque a principali dubio asserit, nec in discrimen adduci posse quod capellani Vicomercati constituant partem capituli minoris aeque principalem et integrantem, inspecta fundatoris intentione potissima satis clare ex eo praescripto capellani teneantur interesse Divinis in choro a latere dominorum Mazaconicorum quando Divina celebrantur per rev. Dominos Ordinarios. Magis autem idem demonstrari, subjungit, non tam ex alio instrumento anni 1543 rogato inter ipsum fundatorem et capitulum in quo cautum quod ipsi capellani sint et esse debeant veluti notarii et Mazaconii cum omnibus honoribus et oneribus ac emolumentis solitis et consuetis, quantum ex decreto posteriori novae erectionis ejusdem capituli, ubi est: capitulum hoc insigne ereximus, ita nunc ex his personarum ecclesiasticarum generibus tantum constare omnino statuimus, scilicet ex magistro caeremoniarum . . . . . et ex duobus capellanis choralibus, qui familiae Vicomercatorum nuncupantur.

Ex quo autem capellani constituunt unum corpus cum caeteris et ut Capitulares adiguntur servitio chori deducit, quod juxta fundationem ipsam generatim redditus sint retinendi *residentiales*, debiti multa ex parte pro ratione residentiae et assistentiae Divinis, ideoque in massam conferendi sub eadem administratione, ne secus inquit natura capellaniarum pugnaret cum natura redditnum. Quod etiam probat non modo ex reservatione in instrumento fundationis, cedendi *massae* officialium *residentium* partem fructuum beneficiorum capellaniis uniendorum, quae fundator possidebat, sed ex cessione adventa ope instrumenti posterioris, in quo est: *cessit massae et resignavit fructus clericalis beneficii ecclesiae s. Joannis Evangelistae ad Gugirolum* Mediolani, quod assert fuisse beneficium majoris momenti, addens alia quoque beneficia fundatorem massae resignavisse, quarum tamen resignationum non affert instrumenta, sed tantum indigitat.

Omnes immo redditus conversos in residentiales assumit demonstrare post decretum erectionis capituli, quod tam patroni quam capellani solemni transactione obfirmata a Sede apostolica ratum et acceptum habuerunt quoad singula capita et constitutiones. Juxta illud decretum, *demptis ducentum libris*, *pro missa quotidiana*, capellani tenebantur conferre reliquos fructus in augmentum massae distributionis seu quod idem est *fructus capellaniarum computare in distributiones quas suas fecerint.* Ergo concludit nil magis manifestum, nullam portionem fructuum mansisse liberam et praebendalem, exceptis illis *libris ducentum.* Huc animadvertit, factam tunc reservationem pro ducentum libris tractu temporis mansisse resolutam; nam dotatio super propria domo a fundatore constituta pro celebratione missarum amplius non subsistit; missae pluribus hinc annis jam reductae hodie prorsus non celebrantur et juxta ultimos status capellaniarum possessio datur absque eo onere.

Sed si haec non sufficiant, occurrit transactio anni 1659 inter capitulum et capellanos quae taxavit *ad tercentum libras imperiales* partem residentialem reddituum capellaniarum, conferendam in communem massam distributionum, non solvendam capellanis nisi *pro residentia et interveniendo divinis officiis juxta punctaturas et regulas praescriptas a statuto capituli.*

Jam vero observat, quod tercentum librae imperiales ejus temporis aequivalent libris *mille septingentum* monetae mediolanensis praesentis, utpote una dictarum librarum imperialium perinde est ac novem librae mediolanenses currentes. Nec mirum ait, partem residentialem obnoxiam punctaturae illud eximium attigisse caput, si animadvertatur, ditissimam fuisse massam distributionum cujus capellani participes erant.

Hinc facile se expedit a tertio dubio. Primo expendit decretum diei 11. Aprilis 1836 nihil innovasse.

Eadem dicit fundatio; ita posteriora instrumenta, ita decretum erectionis et solemnes acceptationes explicite statuerant. Nec obstat decretum imperiale anni 1805, quod capitulum in pristinum restituit. Primo perpendit illud decretum non potuisse derogare fundationi, statuto capitulari sancito auctoritate Sedis apostolicae, et transactionibus auctoritate eadem probatis. Secundo noluit derogare. Objecta dispositio eo spectavit, ut capellani servarent incolume patrimonium, non ut eos segregavisset a capitulo quoad regimen, disciplinam chori et interventum ac assistentiam Divinis: adeo verum quod obtinuerint pensionem annuam *titulo residentiae* non secus ac Capitulares caeteri.

Praeterquam justum ei videtur ut pro aequali ratione in massam contribuant semel ac unum idemque corpus constituant; subjicit, quod cum caput universum pensionum distributum in tot tesseras, quot sunt Capitulares, non exceptis capellanis Vicomercati non aliud repraesentet quam pretium et fructus bonorum constituentium olim locupletem massam communem, sub regno italico venum expositam, ideo ministerio ipso juris cuncta decreta et constitutiones moderantes collationes, distributiones ac administrationem veteris distractae massae censentur translatae in ipsas pensiones inscriptas super aerario novam massam constituentes, ex regula subrogatorum, quae subrogatum in omnibus peraequat ei cui fit subrogatio, ad textum *in l. 1. dig. si cum injuriarum tit. si caution., Rota coram Ansaldo decis. 318.*

Urget vehementius in eo, quod capellani Vicomercati praeservarunt intactum ab avocatione fiscali patrimonium, non exceptis *beneficiis* unitis capellaniis, quorum *redditus* cessi fuerant *massae* capitulari, quod propterea ipsi extranei ire debebant a liquidatione pensionum, quod tamen *numerum et partem* in ea fecerunt perinde ac Capitulares qui cuncta bona amiserant, quodque eorum comprehensio attulit necessario, ut caeteri ex capitulo residentiae titulo minus habuerint.

Igitur, reasumit, si eximerentur a lege collationis in communem massam, duplici modo locupletarentur aliena jactura, tum percipiendo pensionem indebitam detrimento aliorum, tum eam percipientes libere absque discrimine punctaturae, sublato caeteris jure accrescendi, quod esset absurdum. Hisce omnibus pro cumulo accedit tesseram pensionis fuisse perpetuo inscriptam:

A titolo della quotidiana residenza corale.

Unde non dubium, quin pertineat ad residentiae massam distribuendam juxta punctaturae notas, pro rata praestiti servitii choralis in singulos dies et horas, quemadmodum etiam praescribebat decretum restaurationis sub art. 9. 15.

Difficultatem autem, quod decretum Emi Archiepiscopi tulerit ad libras *mille* quotam residentiae conferendam, dum capellani hoc titulo ab aerario non recipiant quam libras *octingentum*, removet allegato epistolio ejusdem Emmi Archiepiscopi ad gubernativam delegationem.

Animadversionis justitiam probat recolendo, quod cum capellani intactum servavissent antiquum patrimonium, non modo refundere in massam cogerentur libras mille, verum cunctos redditus beneficiorum, quos fundator massae residentium cesserat, immo juxta decretum erectionis redditus universos exceptis ducentum libris, cui exceptioni nec amplius fit locus exacto a capellanis missarum onere et depertita dotatione. Itaque, concludit, fuit aequissimum decretum quando contributum limitavit ad libras mille causa servandae aequalitatis cum contributo aliorum Capitularium.

Hanc mensuram justam agnoverunt capellani ab anno 1806, ceu ex eorum declaratione tunc temporis, necnon ipsum gubernium, quod super themate contributi in massam residentiae perpetuo aequalitatem inculcavit.

Post haec veniens ad quartum dubium praemonet ab extrinseco satis tueri capitulum a quavis condictione fructuum vacantium capellaniarum ad diem novarum institutionum quia sine controversia est, quod Sindicus capitularis vel distribuit eos fructus inter ipsos residentes vel erogavit in necessarias expensas, quod imperialis delegatio adprobaverit exhibita ratiocinia ad diem institutionum. Ab intrinseco magis expeditam et evidentem rem esse. Relate enim ad libras mille cum spectent ad massam titulo accrevisse; quovis anno vacationis favore residentium accrescit residentibus portio ex decreto erectionis capituli expresse constituente, ut portio residentiae debita vacanti beneficio si totam residentiam fecisset *in massam communem cedat.* Igitur usque dum capellani non caeperunt possessionem chori non fuerunt residentiam ingressi; non dubium, quin portio eorum residentialis fuisset legitime distributa inter residentes.

Quoad reliquos fructus praeter ratam librarum mille narrat imperialem delegationem fuisse in hanc sententiam *la parte praebendale si riversa e si deposita come le altre rendite prebendali in favore delle rispettive capellanie.* Dum e converso Emmus Archiepiscopus distinctionem reddituum probavit haud admisit de tempore vacationis, quo omnes redditus defluivit residentiales cessuros augmento distributionum. Gubernium huic sententiae cum perpetuo recusavisset accedere

Praeprimis animadvertens quod tertium, quartum et quintum dubium plurimum connectantur cum primo, haec omnia sub eodem capite cumulat. Exordiens itaque a principali dubio asserit, nec in discrimen adduci posse quod capellani Vicomercati constituant partem capituli minoris aeque principalem et integrantem, inspecta fundatoris intentione potissima satis clare ex eo praescripto capellani teneantur interesse Divinis in choro a latere dominorum Mazaconicorum quando Divina celebrantur per rev. Dominos Ordinarios. Magis autem idem demonstrari, subjungit, non tam ex alio instrumento anni 1543 rogato inter ipsum fundatorem et capitulum in quo cautum quod ipsi capellani sint et esse debeant veluti notarii et Mazaconii cum omnibus honoribus et oneribus ac emolumentis solitis et consuetis, quantum ex decreto posteriori novae erectionis ejusdem capituli, ubi est: capitulum hoc insigne ereximus, ita nunc ex his personarum ecclesiasticarum generibus tantum constare omnino statuimus, scilicet ex magistro caeremoniarum . . . . . et ex duobus capellanis choralibus, qui familiae Vicomercatorum nuncupantur.

Ex quo autem capellani constituunt unum corpus cum caeteris et ut Capitulares adiguntur servitio chori deducit, quod juxta fundationem ipsam generatim redditus sint retinendi *residentiales*, debiti multa ex parte pro ratione residentiae et assistentiae Divinis, ideoque in massam conferendi sub eadem administratione, ne secus inquit natura capellaniarum pugnaret cum natura redditnum. Quod etiam probat non modo ex reservatione in instrumento fundationis, cedendi *massae* officialium *residentium* partem fructuum beneficiorum capellaniis uniendorum, quae fundator possidebat, sed ex cessione adventa ope instrumenti posterioris, in quo est: *cessit massae et resignavit fructus clericalis beneficii ecclesiae s. Joannis Evangelistae ad Gugirolum* Mediolani, quod assert fuisse beneficium majoris momenti, addens alia quoque beneficia fundatorem massae resignavisse, quarum tamen resignationum non affert instrumenta, sed tantum indigitat.

Omnes immo redditus conversos in residentiales assumit demonstrare post decretum erectionis capituli, quod tam patroni quam capellani solemni transactione obfirmata a Sede apostolica ratum et acceptum habuerunt quoad singula capita et constitutiones. Juxta illud decretum, *demptis ducentum libris*, *pro missa quotidiana*, capellani tenebantur conferre reliquos fructus in augmentum massae distributionis seu quod idem est *fructus capellaniarum computare in distributiones quas suas fecerint.* Ergo concludit nil magis manifestum, nullam portionem fructuum mansisse liberam et praebendalem, exceptis illis *libris ducentum.* Huc animadvertit, factam tunc reservationem pro ducentum libris tractu temporis mansisse resolutam; nam dotatio super propria domo a fundatore constituta pro celebratione missarum amplius non subsistit; missae pluribus hinc annis jam reductae hodie prorsus non celebrantur et juxta ultimos status capellaniarum possessio datur absque eo onere.

Sed si haec non sufficiant, occurrit transactio anni 1659 inter capitulum et capellanos quae taxavit *ad tercentum libras imperiales* partem residentialem redditnum capellaniarum, conferendam in communem massam distributionum, non solvendam capellanis nisi *pro residentia et interveniendo divinis officiis juxta punctaturas et regulas praescriptas a statuto capituli.*

Jam vero observat, quod tercentum librae imperiales ejus temporis aequivalent libris *mille septingentum* monetae mediolanensis praesentis, utpote una dictarum librarum imperialium perinde est ac novem librae mediolanenses currentes. Nec mirum ait, partem residentialem obnoxiam punctaturae illud eximium attigisse caput, si animadvertatur, ditissimam fuisse massam distributionum cujus capellani participes erant.

Hinc facile se expedit a tertio dubio. Primo expendit decretum diei 11. Aprilis 1836 nihil innovasse.

Eadem dicit fundatio; ita posteriora instrumenta, *ita* decretum erectionis et solemnes acceptationes explicite statuerant. Nec obstat decretum imperiale anni 1805, quod capitulum in pristinum restituit. Primo perpendit illud decretum non potuisse derogare fundationi, statuto capitulari sancito auctoritate Sedis apostolicae, et transactionibus auctoritate eadem probatis. Secundo noluit derogare. Objecta dispositio eo spectavit, ut capellani servarent incolume patrimonium, non ut eos segregavisset a capitulo quoad regimen, disciplinam chori et interventum ac assistentiam Divinis: adeo verum quod obtinuerint pensionem annuam *titulo residentiae* non secus ac Capitulares caeteri.

Praeterquam justum ei videtur ut pro aequali ratione in massam contribuant semel ac unum idemque corpus constituant; subjicit, quod cum caput universum pensionum distributum in tot tesseras, quot sunt Capitulares, non exceptis capellanis Vicomercati non aliud repraesentet quam pretium et fructus bonorum constituentium olim locupletem massam communem, sub regno italico venum expositam, ideo ministerio ipso juris cuncta decreta et constitutiones moderantes collationes, distributiones ac administrationem veteris distractae massae censentur translatae in ipsas pensiones inscriptas super aerario novam massam constituentes, ex regula subrogatorum, quae subrogatum in omnibus peraequat ei cui fit subrogatio, ad textum *in l. 1. dig. si cum injuriarum tit. si caution.*, *Rota coram Ansaldo decis. 318.*

Urget vehementius in eo, quod capellani Vicomercati praeservarunt intactum ab avocatione fiscali patrimonium, non exceptis *beneficiis* unitis capellaniis, quorum *redditus* cessi fuerant *massae* capitulari, quod propterea ipsi extranei ire debebant a liquidatione pensionum, quod tamen *numerum et partem* in ea fecerunt perinde ac Capitulares qui cuncta bona amiserant, quodque eorum comprehensio attulit necessario, ut caeteri ex capitulo residentiae titulo minus habuerint.

Igitur, reasumit, si eximerentur a lege collationis in communem massam, duplici modo locupletarentur aliena jactura, tum percipiendo pensionem indebitam detrimento aliorum, tum eam percipientes libere absque discrimine punctaturae, sublato caeteris jure accrescendi, quod esset absurdum. Hisce omnibus pro cumulo accedit tesseram pensionis fuisse perpetuo inscriptam:

A titolo della quotidiana residenza corale.

Unde non dubium, quin pertineat ad residentiae massam distribuendam juxta punctaturae notas, pro rata praestiti servitii choralis in singulos dies et horas, quemadmodum etiam praescribebat decretum restaurationis sub art. 9. 15.

Difficultatem autem, quod decretum Emi Archiepiscopi tulerit ad libras *mille* quotam residentiae conferendam, dum capellani hoc titulo ab aerario non recipiant quam libras *octingentum*, removet allegato epistolio ejusdem Emmi Archiepiscopi ad gubernativam delegationem.

Animadversionis justitiam probat recolendo, quod cum capellani intactum servavissent antiquum patrimonium, non modo refundere in massam cogerentur libras mille, verum cunctos redditus beneficiorum, quos fundator massae residentium cesserat, immo juxta decretum erectionis redditus universos exceptis ducentum libris, cui exceptioni nec amplius fit locus exacto a capellanis missarum onere et depertita dotatione. Itaque, concludit, fuit aequissimum decretum quando contributum limitavit ad libras mille causa servandae aequalitatis cum contributo aliorum Capitularium.

Hanc mensuram justam agnoverunt capellani ab anno 1806, ceu ex eorum declaratione tunc temporis, necnon ipsum gubernium, quod super themate contributi in massam residentiae perpetuo aequalitatem inculcavit.

Post haec veniens ad quartum dubium praemonet ab extrinseco satis tueri capitulum a quavis condictione fructuum vacantium capellaniarum ad diem novarum institutionum quia sine controversia est, quod Sindicus capitularis vel distribuit eos fructus inter ipsos residentes vel erogavit in necessarias expensas, quod imperialis delegatio adprobaverit exhibita ratiocinia ad diem institutionum. Ab intrinseco magis expeditam et evidentem rem esse. Relate enim ad libras mille cum spectent ad massam titulo accrevisse; quovis anno vacationis favore residentium accrescit residentibus portio ex decreto erectionis capituli expresse constituente, ut portio residentiae debita vacanti beneficio si totam residentiam fecisset *in massam communem cedat.* Igitur usque dum capellani non caeperunt possessionem chori non fuerunt residentiam ingressi; non dubium, quin portio eorum residentialis fuisset legitime distributa inter residentes.

Quoad reliquos fructus praeter ratam librarum mille narrat imperialem delegationem fuisse in hanc sententiam *la parte praebendale si riversa e si deposita come le altre rendite prebendali in favore delle rispettive capellanie.* Dum e converso Emmus Archiepiscopus distinctionem redditnum probavit haud admisit de tempore vacationis, quo omnes redditus definivit residentiales cessuros augmento distributionum. Gubernium huic sententiae cum perpetuo recusavisset accedere

tenens in omni suo ad Archiepiscopum responso, quod cum ageretur de natura redditum tempore vacationis obfirmanda necessaria fuisset compositio non tantum cum capellanis noviter institutis (quae locum habuerat) quantum cum ipsis patronis cum quibus evasit impossibilis, hinc capituli defensor urget pro definitione jure judicioque.

Defendi tandem multis adductis Archiepiscopi definitionem removens antea praejudicium, quod videtur afferre ipsius Archiepiscopi decretum diei 11. Aprilis 1836, quo ratam residentialem cohibuit ad libras *mille*. Hoc enim decreto inquit inducta tantummodo fuit aequalitas contributi in communem massam quando capellani *occupant* beneficium, quia aequalis comparticipatio ad massam secumfert aequalem in massam collationem. Non autem ex eo sequitur, ut *reliqui* capellaniarum fructus evaserint *praebendales et liberi*. Nec id dixit decretum nec poterat etsi voluisset obstante natura residentiali omnium redditum.

Recolit enim quod fundator assignavit ex bonis propriis *nonaginta libras* tradendas capellanis praesertim *ad hoc ut teneantur interesse Divinis in choro* ideoque titulo residentiae, quod dotationem auxit adjectis pluribus ecclesiae beneficiis, quorum redditus multa ex parte cessit massae *residentium*, quod juxta statutum erectionis demptis ducentum libris quidquid superfuisset declarata fuerit pars residentialis, quod ea exceptio in auras hodie abiit cum dote et onere missarum, quod restituto capitulo capellani fuerunt restituti iisdem bonis et redditibus affectis profecto onere *residentiae* praeter pensionem librarum *octingentum* allibratam eodem *titulo*. Ergo quacumque res evolvatur recte conclusit Emmus Archiepiscopus *che tutte le rendite sono residenziali e che in tempo di vacanza debbano cedere a favore del capitolo residente*. Id etiam resumit ab ultimo statu activo et passivo capellaniarum obfirmato anno 1821; hic enim non aliud capellanis imponitur quam *la residenza corale*.

Praeterea vult adnotatum, quod etiamsi per absurdum erravisset Archiepiscopus nihil unquam deberetur capellanis de fructibus collectis ante institutionem obstante Tridentina synodo *sess. 21. de reformat. cap. 12*, quae ad lucrandos fructus exigit possessionem fideique professionem.*)

Multo minus quidquam deberetur patronis Cermenatis, quia sive residentiales sive liberi dicantur fructus nihil occurrit in patrimonio capellaniarum, quod pertineat ad dotationem Vicomercati nimirum *sedimen sive domum* desuper qua fundator pro praestatione *librarum nonaginta* hypothecam dederat. Enucleatis enim *censibus libellis* cunctisque proventibus demonstrat eos derivare a patrimonio ecclesiae idest a fundis beneficiorum, quae fundator capellaniis adnexerat. Praestationem autem *librarum* nonaginta non amplius apparere in statu activo, quia hypotheca vel instaurato hypothecario regimine non inscripta vel facile cessit perempta domusque seu sedimen liberum migravit in tertios possessores praeterquam eadem dotatio erat resolutiva instrumento ipso fundationis, ex quo dotator intendit exonerare suos haeredes ab ea praestatione pro summa vel summis, quibus auxissent redditus beneficiorum capellaniis ea die adjectorum. Jam vero extra controversiam hosce redditus lapsu fere trium saeculorum et ultra valde auctos fuisse. Itaque nil magis absonum et alienum ut patronae casu vacationis fruantur*) fructibus partis ab ecclesiae bonis, non contentae deperitione aut resolutione constitutae dotis.

Quintum dubium praemittens facto gubernii fuisse sub sequestro positos cunctos redditus capellaniarum inscriptos super thesauro ac etiam inhibitum Sindico capitulari committere vel levem solutionem fructuum. Capellanos tamen magis quam haec prae caeteris maletulisse se extorres videre a comparticipatione quotae residentialis nonnullorum interea canonicatuum vacantium unde huic etiam pedissequae contestationi tollendae placuit capitulo alterum superaddere peculiare dubium. Caeterum justissimum ait arcere capellanos a quavis comparticipatione quousque recusent adstipulari instrumentum investiturae, sese submittere communi administrationi ac in massam communem non contribuant propriam residentiae portionem quippe jus comparticipandi et accrescendi est prorsus reciprocum, denegandum omnino ei, qui sua parte nihil immittat; exemplo utitur collationis in materia civili qua non commissa repellitur haeres a successione et denegatur actio divisionis, *ll. 1. ff. de collat. 11. 14. cod. eod. tit.* Addit etiam huic rei opitulari erectionis decretum inter sanctiones *ne quis vel residentiae census particeps esse possit antequam singula haec de-*

*) Vd. *t. II. p. 180. n. 25; 755. a.*

*) Vd. *t. II. p. 657. b; p. 573. k.*

cretorum capita juratus sancte polliceatur ac promittat quantum in se est illa *servaturum*. Quae sanctio vel nunquam valebit vel porro scripta videtur pro casu praesenti, quo capellani praeterquam contumaces noluerunt nunquam accedere ad actum investiturae ne adamussim pollicerentur submissionem iisdem decretis; multas adhuc sub nomine patronarum fovent quaestiones apud tribunalia civilia, ut exuant regimen capitulare ac disciplinas chorales.

Quod attinet ad secundum dubium profitetur illud reservavisse posthabito defensionis ordine in postremam partem utpote sibi propositum remittere ad eminentissimos Patres ad *memoriam*, quam desuper eadem thesi redegit praefectus capituli minoris allegatam per extensum *in summario num. 37*. Ibi memoriae auctor suscipit edocere quod evanuit juspatronatus Vicomercati duplici ex ratione videlicet quia dotatio primitus instituta librarum nonaginta ex bonis fundatoris amplius non apparet in statu activo in capellaniarum ac videtur subivisse discrimen inter infortunia et aerumnas familiae Vicomercati. Sed haec disquisitio jam instituta superius ad tertium dubium ubi actum de nullo jure patronorum ad fructus tempore vacationis.

Addit autem secundo evanuisse etiam juspatronatus quia capellani exsoluti videntur ab onere missarum, quod asserit in facto incontroversum licet non constet num legitime vel arbitrario et nulliter illud onus exuerint. Haec vero fusius pertractata recolent eminentissimi Patres in dicta memoria.

Sequuntur

Dubia:

I. *An et quomodo et ad quos effectus capellaniae ss. Martini et Catharinae sint declarandae adjunctae capitulo minori in casu?*

II. *An et quomodo constet de superexistentia jurispatronatus quoad dictas capellanias ss. Martini et Catharinae in casu?*

III. *An et quomodo decretum Emmi Archiepiscopi diei 11. Aprilis 1836 sit servandum et exequendum in casu?*

IV. *An et quomodo et quorum favore fiat locus distributioni fructuum capellaniarum ss. Martini et Catharinae perceptorum a diebus singularum vacationum ad diem novarum institutionum in casu?*

V. *An et quomodo capellani ss. Martini et Catharinae polleant jure accrescendi quoad distributionem fructuum canonicatuum vacantium in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Providebitur in tertio.

Ad II: Ex hactenus deductis affirmative ad formam fundationis.

Ad III: Affirmative in omnibus.

Ad IV et V: Dilata et coadjuventur probationes.

Die 26. Sept. 1857.

Contin. Mediolanen.

Datis resolutionibus partes acquieverunt atque ideo duo tantum postrema dubia EE. VV. judicio iterum subjicienda superfuere.

Diligentia et cura capituli minoris causa reasumpta ad effectum provocandi definitiones super non resolutis productum fuit primitus concordiae instrumentum adstipulatum praesente et auctorante Vicario Metroplitano die 29. Nov. elapsi anni inter ipsum capitulum et patronos quo ex parte capituli nuntius missus fuit quaestioni quoad superexistentiam jurispatronatus necnon repetitioni cunctarum expensarum judicialium quibus subjecit in persequenda causa diu acta penes judices caesareos, antequam sibi datum esset eam deferre ad Sedem apostolicam, uti ex parte patronorum renunciatum fuit quaestioni super fructibus nuncupatis Intercalari, nempe effluxis a die vacationum capellaniarum ad diem quo capellani presbyteri et Canonici Joannes Vajani et Cajetanus Vicomercati institutionem et canonicam possessionem adepti sunt. Productum secundo fuit aliud instrumentum diei 15. Januarii currentis anni, quo capellanus Joannes Vajani coepit investituram quam vocant jurium temporalium quamque antea ob litium pendentiam jugiter recusaverat, quo plene se submisit tam decretis eminentissimi Gaiscruk quam novi Archiepiscopi ejus successoris declarans inibi se convenire cum capitulo minori, ut nullum inter ipsum et ceteros Capitulares maneret amplius jurgium aut discrimen.

Verum alter capellanus Cajetanus Vicomercati, praeterquam detrectavit hactenus possessionem et investituram accipere, reddituum enixam protestationem ope peculiaris procuratoris remisit ad s. hanc Congregationem qua persequens uti nullas et inefficaces com-

positiones et renunciationes superius recensitas contendit remorandas esse resolutiones quoad reliqua dubia, donec tribunalia et civilia loci non absolvant judicium nullitatis concordiae praesertim cum patronis, quod ipse sibi proponit quamprimum instituere, non omittens alia deducere adversus competentiam ecclesiasticae jurisdictionis in controversiis obortis inter capellanos et patronos et capitulum, quarum definitionem ad caesareos judices spectare contendit.

Hujusmodi protestationem mei muneris esse duxi remittere ad ipsum Archiepiscopum Mediolanensem eumque simul rogare, ut s. hanc Congregationem distincte redderet instructam et referret de resultantibus ex ejusdem Congregationis resolutione diei 26. Septembr. 1857. Accepi autem responsum a Vicario generali, qui se refert ad rerum narrationem elucubratam cura Canonici praefecti capituli minoris, adnexam in suo ipso responso, quam EE. VV. invenient in summario additionali distributo ex parte defensorum capituli. Addidit vero Vicarius suas preces. Ab hoc tamen nihil fuit ad hanc diem mihi exhibitum, idcirco referam quae orator capituli in sua nova allegatione collegit.

Inprimis observat post initam et absolutam cum patronis concordiam eorumque a lite recessum peremptam mansisse quamvis actionem super repetitione eorum fructuum, de quibus agebant quartum et quintum ex dubiis propositis in Congregatione die 26. Septembr., quia patronis tantummodo sive specie assertae paupertatis sive titulo possessionis aliquod fortasse jus inesse videbatur ad eosdem sibi condicendos, dum interim perceptos fructus aliqua ex parte desuper quota saltem praebendali persequebatur atque gubernium nonnisi ad eos respiciebat, quando se interposuit vel cum Emo Archiepiscopo vel cum capitulo ne fructus liberi seu praebendales distributioni obnoxii fierent. Itaque concludit nullam suppetere actionem capellano Vicomercati ac frustra post rem transactam cum patronis recusasse eam submissionem, quam alter capellanus Canonicus Vajani consultam et necessariam existimavit

Excludi autem capellanos, urget, ab omni jure quoad fructus redditusque collectos ante institutionem et choralem possessionem, ob aliam peculiarem eorum renuntiationem, quae vim nacta est etiam transactionis ob datum receptumque emolumentum. Huc revocat ad memoriam, ipsos studio assequendi bullas institutionum et immissionem non obstante causarum praesentia mense Novembris anni 1842 declarationem emisisse, qua profitebantur ab omni lite fore recessuros ac sese plane submitti dispositionibus, quas Emmo Archiepiscopo quoad capellanias chorales ss. Martini et Catharinae edere placuerat vel placuisset, qui ex alia parte reapse in praemium adeo effraenis declarationis praeter quam non dubitavit concedere tam institutionem quam canonicam possessionem liberaliter sese gessit annuens, ut quota fructuum praeteritorum ad nonnulla centena librarum pertingens ipsis solveretur, cui rei non modo obstaculum non interjecit capitulum, sed volens et lubens solutionem explevit. Ex quo quidem infert, quod etsi aliqua capellanis olim opitularetur actio hac tamen juvari nequeant inpraesens post renuntiationem quae veram transactionem praeseferat causa dati invicem et remissi.

Seposita etiam transactione actionem nihilominus deficere subsumit distinguens redditus inter praebendales et residentiales quamvis tempore vocatae possessionis nonnisi hypothesis gratia eam distinctionem admitteret. Itaque ait si res est de quota praebendali cum haec debeatur tantummodo propter onus missarum insolens foret, ut capellani, qui ex defectu institutionis et possessionis nondum dicto oneri fecerint satis, valeant sibi addicere emolumentum contra id quod cautum est a Tridentina synodo *sess. 4. cap. 12. de reform.* firmatque *Parisius de resign. benefic. lib. 10. quart. 6. §. 8, Rota in Oreten. Mercedis 12. Dec. 1605 coram Coccino.* Sin autem subjungit sermo sit de quota residentiali eo magis titulus ipse residentiae jam per se edocet eam spectare ad communem massam ac tantum inter Canonicos residentes distribuendam ratione interesentiae Divinis quamobrem excludendi capellani, qui ante acceptam institutionem ante annum scilicet 1845 residentiam nunquam praestiterint. Cautum id ait speciatim decreto novae erectionis capituli quod habet auctorem s. Carolum Borromaeum ubi constitutum habetur tempore vacationis communi massae cedere oportere pensionem, quae vacanti beneficio deberetur si integram residentiam fecisset. Id imo juxta ipsam fundationem, qua fundator Joannes Vicomercati beneficia a se possessa massae communi cessit capellaniarum erectarum intuitu sed sub lege residentiae. Id etiam ex transactione alia anni 1659 obfirmata inter

capellanos et capitulum, qua illis assignatae fuere tercentum librae imperiales pro residentia et distributionibus quotidianis et interveniendo divinis officiis. Id demum ex decreto imperiali anni 1805, quod capitulum in pristinum restituit assignato pensionum capite inscripto sull' I. R. Monte loco indemnitatis bonorum, quae sub initio italici regni fiscus distraxerit. Porro licet capellani Vicomercati intactum ab avocatione fiscali servavissent patrimonium specie jurispatronatus attamen numerum et partem fecerunt liquidati capitis idemnitatis tesseramque frugiferam obtinuerunt aerarii debito secumferentem titulum della quotidiana residenza corale.

Haud itaque dubitandum concludit quin rata residentialis capellaniarum elata ad libras mille juxta Archiepiscopi decretum diei 11. April. 1836 accrevisset massae communi ac legitime fuisset distributa inter solos residentes servatis punctaturae regulis usquedum capellani possessionem ingressi choro interesse non coeperunt et assistere Divinis.

Post haec multa recolit, ut evincat Emmum Archiepiscopum Gaisruk optima ratione distinctionem inter redditus residentiales et praebendales non admisisse nisi tum cum capellani occupant beneficium; diversimode vacatione durante definivisse nullum agnosci discrimen cunctosque fructus evadere residentiales et accrescere massae distributionum. Quae argumenta cum diserte referat folium diei 26. Sept. existimo superfluum heic repetere. Tandem non omittit animadvertere bonam fidem satis protueri capitulum a quavis condictione et restitutione fructuum vacantium capellaniarum ad diem novarum institutionum, quia sine controversia est, quod syndicus capitularis vel eos distribuit inter solos residentes vel erogavit in necessarias expensas auctorante delegatione imperiali, quae quovis anno exhibita ratiocinia comprobavit laudavitque.

Quod attinet ad quintum dubium facile se expedit asserens illud omnino ab iis pendere quae superius disputavit. Titulus enim juris accrescendi super quota residentiali aliorum canonicatuum vacantium totus in ipsa residentia consistit et haec una est ac perpetua conditio decreti novae erectionis jam alias memorati ubi de accrescendi jure disponitur.

Haec vero fusius pertractata recolent Emmi Patres in dicta allegatione.

Sequentur itaque resolvenda

Dubia:

I. *An et quomodo et quorum favore fiat locus distributioni fructuum capellaniarum ss. Martini et Catharinae perceptorum a diebus singularum vacationum ad diem novarum institutionum in casu?*

II. *An et quomodo capellani ss. Martini et Catharinae polleant jure accrescendi quoad distributionem fructuum canonicatuum vacantium in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus favore residentium.

Ad II: Affirmative a die praestitae residentiae.

Die 28. Aug. 1858.

Continuatio Mediolanen.

Quae reassumptio locum habuit adversus unum capellanum Cajetanum Vicomercati, quia alter capellanus Joannes Vajani interim possessionem ceperat uti ajunt delle temporalità valedicens etiam reliquis quaestionibus: relate autem ad patronas ferebatur cum ipso capitulo transactio obfirmata super omnibus controversiarum articulis coram Vicario loci die 28. Novembris anni 1857.

Ea itaque reliqua dubia EE. VV. dimiserunt responsis quoad 4: *Affirmative favore residentium*, quoad 5: *Provisum in quarto.* Hisce tamen definitionibus non modo non acquierit capellanus Vicomercati sed statim in causam reversi patroni conquesti de memorata transactione quam descripserunt uti nullam et inefficacem plurimisque vitiis refertam, supplicati veluti in prima propositione perperam fuerunt ad hoc ut declaretur causam spectare ad caesareos judices utque saltem ad novam trutinam res revocaretur super restitutione fructuum perceptorum diebus praesertim singularum vacationum ad diem novarum institutionum, quos fructus appellant intercalares quosque sibi asserunt. Accessit alia supplicatio ex parte Canonici Ferdinandi Broggi postulantis admitti in causam contra ipsum capitulum, quamvis resolutiones hactenus datae favissent eidem capitulo minori ad quod ipse pertinet recinens adversus decretum Emmi Gaisruck cuncta omnia tam per capellanos quam per patronos antea objecta jam dudum enucleata in folio edito ad

primam hujus causae propositionem, in qua ope resolutionum ad I. et III. dubium mansit illud decretum confirmatum, quin nemo desuper ea re iterum audiri postulavisset. Addidit suum adstare peculiare interesse sistendi in hoc judicio, quia per dictum decretum, cum exequavisset capellanos Vicomercati caeteris omnibus ejusdem capituli minoris etiam quoad jus assequendi decanatum, tali ratione laesum fuit suum particulare jus promotionis quandoque ad eam dignitatem choralem.

Caeterum emenso fere anno a supplicationibus interpositis uti de more nec capellanus Vicomercati nec patronae vel patroni neque Canonicus Broggi lapidem ullum admoverunt. Cum autem capituli interesset quaestionibus reliquis finem ponere eo instante indicta est alteri parti nova propositio causae proindeque ab eodem tantum allegationem ad hanc diem accepi suffultam novo summario, quod conflavisse declarat supplendae aliorum contendentium de stylo contumaciae urgens enixiori calamo pro finalibus rescriptis, quae impediant iterum proponi causam ratione gravium expensarum.

Post reductum causae universae momentum ad unam quaestionem super praetensam redditionem rationum et restitutionem fructuum intercalarium incipit capituli defensor a recolendis rationibus sive ex fundatione sive ex statutis et vetustissimis concordiis vel etiam ex jure desumptis evincentibus nullam praesto esse actionem, qua capellani aut patroni valeant persequi capitulum ob fructus tam residentiales quam praebendales ab eo perceptos consumptosque ad annum usque 1845, quo ipsi capellani institutionem canonicam retulerunt partemque fecerunt distributionum juxta rationem choralis servitii praeter perceptionem quotae praebendalis. Cum autem in id demonstrandum eadem recolligat argumenta et momenta rationum, quae fuse explanata reperiuntur tam in primo quam in secundo folio alias distributis, hinc EE. VV. ad illa remitto. Noviter affert tantummodo dispositionem caesaream diei 5. Decembris 1836, qua cautum »da qui in poi abbia il giorno della canonica istituzione da considerarsi e trattarsi come quello da cui gli ecclesiastici beneficiati acquistano ill diritto al percepimento delle rendite« quae adamussim collimat cum eo quod jam praescriptum jure canonico, quo jus percipiendi redditus non ante dimetitur quam a die institutionis et captae possessionis. *)

Quod attinet speciatim propiusque ad patronos memoratos prius ipsis obstare magis eadem juris, fundationis et observantiae momenta quominus tempore vacationum quidquam sibi asserant nomine fructuum residentialium aut praebendalium, tametsi de eorum constaret paupertate de qua tamen non adest vel a longe probatio eo quod Eminentissimus Archiepiscopus ejusque successor ad quos suapte spectabat administratio patrimonii ecclesiae pro suo arbitrio et conscientia jugiter existimavisset non fieri locum in themate ulli aequitati versus patronos attenta indole et originaria natura ipsorum reddituum; accedit capitulum intercalares redditus praebendales (nam de residentialibus absonum vel loqui) haud lucrifecisse ita ut omnis aequitas et pietas erga patronos in ejus grave damnum rediret quippe ex proprio controversos fructus hodie repraesentandos compelleretur.

Huc enim duo ad mentem revocat. Primum, quod pars praebendalis, quae praededucta residentiali in libras mille annuas tenuissima superest, fuit erogata in expensas necessarias aut utiles in commune bonum ecclesiae metropolitanae ipsius idest in restaurationes necessarias domuum canonicalium.

Id evenisse monstrat auctorante et probante gubernio cujus affert laudum ad exhibita quovis anno ratiocinia usquequo capellani choralem possessionem non obtinuerunt nempe ad Martium anni 1845.

Alterum in eo est, ut quidquid penes capitulum mansisset reliquum titulo intercalarium praebendalium totum scateat fuisse repraesentatum ipsis capellanis praestito pluries consensu per eosdem patronos auctoritate intercedente R. R. delegationis coram qua res composita et solutio expleta. Edocet enim quod vacatis capellaniis anni 1832, 1833 illico administrationem suscepisset suboeconomus imperialis beneficiorum vacantium, qui, ut accepit in discrimen adduci utrum ex defectu descendentium Vicomercati expiravisset juspatronatus illudque devolvi ad Rev. fabricam metropolitanae ecclesiae, illico administrationem resignavit syndaco capituli majoris, qui anno 1839 eamdem restituit syndaco capituli minoris peracto cumulo librarum mille sexcentum triginta, pervento sub anno 1810 ad libras bismille tercentum

*) Vd. *t. II. p. 579. n.*

quadraginta duas; qua summa capitulum comparavit tesseram inscriptam super publico thesauro. Subjicit Emmum Gaisruck anno 1845 in sequelam submissionis capellanorum cunctis ejus decretis praeter jus optandi ad decanatum concessisse iisdem capellanis ejus tesserae traditionem, praeterea praebendales redditus annorum 1843, 1844.

Jamvero prosequitur praeterquam requisitus consensus statim accessit ope epistolii eorum, qui patronas in judiciis tuebantur, redit magis obfirmatus et solemnis post multos annos (ad quos novorum jurgiorum causa res mansit suspensa) quando nempe imperialis delegatio instantius urgebat penes Archiepiscopum Romilli, ut traderet capellanis Vicomercati librarum quantitatem, quam in praemium submissionis ejus antecessor promiserat. De consensu per patronos praestando delegatio vel falsum dixit quod nemo suspicabitur vel certum; in sequelam patronarum pluries praestiti assensus non dubitavisse capitulum tradere capellanis summas ferentes in totum libras sexmille quadringentum ultra nonaginta et unam nomine Intercalarium juxta liquidationem et dispunctionem peractam coram delegatione ipsa, quam per extensum in summ. perhibet. Proindeqe nisi placeat cogere capitulum ad bis idem rependendum dum inspecto jure, fundatione et statutis ad nihilum tenebatur prono veluti alveo fluit esse prorsus contemnendas supplicationes vel libellos adeo injuste lacerantes Capitularium opinionem quoad fructus intercalares quasi aliena jactura aliquid fuerint unquam assequuti.

Pergens post haec ad postremam transactionem recte habitam cum patronis die 28. Novembris 1857 animadvertit quod licet inibi ipsae patronae nuncium emiserint fructibus intercalaribus attamen etsi id recusavissent fuisset indifferens. Statim enim jam consenserant et venerant in primam compositionem cum capellanis, jam ad persequendos Intercalares nulla amplius eis manebat actio cui renunciare locus foret. Quod voluit animadversum, ut vel exulet omnis suspicio fraudis ab ea transactione, quam perdite patronae audent calumniare quum fraudis desiderent rationem. Praeterquamquod subjungit repugnat cogitationi ut res gesta ab insigni metropolitano Ordine authorante et praesente Vicario cui regimen praestantissimae et principis dioeceseos commissum fraudis labe alteriusque vitii sit inquinata. In quo sat est audire testimonia gravissima eorum omnium, qui transactionis partem fecerunt referentes cuncta causa cognita et plena utrinque libertate fuisse tractata, conventa atque instrumento tradita.

Sed non recusans paulisper ad examen revocare transactionis substantiam, si aliqua in eo negotio fuit jactura, hanc capitulum universum pertulisse facile ostendit. Valedixit enim causae qua contendebatur expiravisse juspatronatus, quia peremptа primaeva dotatio, quia expiratum onus missarum. Valedixit repetitioni cumuli abnormissimi expensarum tam judicialium quam extrajudicialium, quibus subjecerat spatio fere viginti quinque annorum necessitate sese protuendi adversus capellanos aut patronos nunquam desistentes ex condicto a promovendis persequendisque judiciis modo Mediolani modo Vindobonae coram laicale jurisdictione donec causae omnes ad s. hanc Congregationem delatae fuerunt ex conventione inter Sedem apostolicam et caesaream Majestatem. Jamvero ait una expensarum relectio quammaxime exsuperavisset fructus praebendales non modo sed residentiales etiam interim perceptos super quibus nulla cadebat controversia. Nihil datum alioquin remissumque ex parte patronarum quippe renunciaverunt condictioni fructuum Intercalarium, quotae praebendalis, ad quam nullum amplius jus habuisse certum est hoc ipso quod consenserant liquidationi et compositioni jamdudum signatae cum capellanis cum quibus emolumentum diviserant, secus assensum non praebuissent.

Relate ad V. et postremum dubium observat non esse nisi consectarium ejus, quod in superiori demonstratum; illud obfirmatum adjecisse capitulum, quia prae ceteris capellani sibi asserebant virilem portionem fructuum eorum canonicatuum, qui interim vacaverant ab annis 1832 vel 1833 queis fuerant nominati ad annum 1845, quo instituti et immissi in chorum residere coeperunt. Itaque eadem ratio quae ipsos removet a participatione fructuum de quibus sermo est in IV. dubio recurrit pariter in V. dubio. Titulus enim juris accrescendi super quota residentiali aliorum canonicatuum vacantium in ipsa residentia et chorali servitio consistit, quae una ac perpetua conditio est decreti novae erectionis uti de accrescendi jure disponitur. Connexionem inter ea duo dubia jam agnovit s. Congregatio dum in nuperrima propositione rogata quoad 5. dubium respondit: Provisum in quarto.

Paucis tandem se expedit ab instantiis Canonici Broggi de cujus ingenio et more inquietandi plura affert ductus necessitate probandi non esse mirum si foedus iniverit cum adversariis capituli ad quod ipse pertinet in causa, quae commune capituli interesse respicit, quae communi nomine proindeque ejus etiam agebatur nomine ac mandato adeo ut praeterquam nonnisi in damnum capituli suum peculiarem postulet interventum duplicem etiam gerat personam, quod nec honestum nec compatibile. Intimius autem re perspecta illud peculiare interesse quod praetextus causae objicit Canonico Broggi videtur prorsus contemnendum. Conqueritur enim Emmum Gaisruck post exaequatam in omni onere et re conditionem choralium capellanarum Vicomercati cum reliquis beneficiatis ejusdem capituli tribuisse insuper capellanis etiam jus optandi ad decanatum veluti caeteris pariter concessum. Id porro suapte rei natura eveniebat vix ac quoad onera et emolumenta omnia aequalitas fuerat decreta. Praeterea etiam justo titulo nempe in praemium submissionis Archiepiscopus jus optandi fuit impertitus. Tandem quod magis est concessio locum habuerat triennio antequam Canonicus Broggi pertinuisset ad capitulum. Nulla ergo versus eum commissa injuria, qui res invenit in eodem statu in quo nunc sunt.

Haec disertissime Emmi Patres edocta invenient in allegatione pro capitulo elucubrata et distributa.

Sequuntur itaque dirimenda

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: In decisis et amplius.

Die 30. Julii 1859.

7) Clericalis quae est?

Vd. *Capellania* (ecclesiast.; collatio in filios etc.; sacerdotalis).

Cortonen.

Si capellani teneantur celebrare seu *celebrari facere* ferme sat est, ut capellania quaelibet mere clericalis renuncietur ad Fagn. *in cap.: Ut Abbat. n. 65. et seq. de aetat. et qualit. Ordinand., Antonelli de jur. et oner. cler. lib. 1. cap. 29. n. 11.*

Die 13. Febr. 1841.

8) Collatio in filios presbyterorum.

Vd. t. II. p. 437. XII; p. 438. §: *Filii.*

Capellania non potest conferri filiis illegitimis presbyterorum in ecclesiis, in quibus eorum patres fuerint beneficiati. Sic expresse Conc. Trid. *sess. 25. de reform. c. 15.*, ibi: »Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime acreatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile *) beneficium obtinere nec in dictis ecclesiis quomodo ministrare nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel alias obtinuerunt, habere.

9) Collativa.

Vd. *Capellania* (gentilitia, genus etc.; laicalis, ecclesiastica; titulus ordinat.)

Capellaniae collativae sunt illae quae ita sunt institutae, ut conferantur in titulum, ut cum v. g. testator reliquit bona temporalia, ut ex eorum redditibus celebrari debeat in tali altari missa quotidiana vel certus missarum numerus singulis annis, quam capellaniam debet haeres cum Episcopi auctoritate erigere et fundare, quia nullus privatus sine Ordinarii auctoritate potest locum sacrum vel rem spiritualem constituere; *arg. c. Ad hoc 4. de religios. domib.* Si enim Episcopi auctoritas et assensus in erectione deficeret, non dicerentur beneficia ecclesiastica **) proprie dicta, *arg. cap. Nemo 9. dist. 1. de consecrat., Rota part. 2. recent. dec. 371. num. 3.* Dicuntur autem collativae, quia ad Episcopum pertinet eas conferre et quamvis nominatio ad easdem capellanias possit esse a laico, non potest testator apponere conditionem quod Episcopus se non intromittat ad conferendum, supposito, quod sint institutae cum recensitis conditionibus per text. *cap. Siquidem 2. caus. 10. q. 1.*

Montis Alti.

Capellania collativa in titulum perpetuum

*) Vd. *t. II. p. 518. n. 39.*
**) Vd. *t II. p. 530. c.*

conceditur et beneficium reputatur, *Schmalzg. de praeb. n. 8, Koenig. eod. n. 25.*

Die 7. Aug. 1841.

10) Non collativa quae est?

Joannes G. multa sua bona donavit cuidam sacrae aediculae anno 1750 ea tamen lege ut constitueretur capellania non collativa, sed mere laicalis, quae possideri possit a laico vel etiam muliere, quique, laicus vel mulier esset tamquam rector seu simplex administrator.

Hanc capellaniam subjecit juripatronatus hac lege: *quousque vivat ipse Joannes ad eum spectet deputare capellanum, rectorem seu administratorem, qui ab hoc temporis momento nominat et deputat clericum Dominicum M. nepotem suum . . . ; post mortem Joannis spectet juspatronatus et administratio ad Thomam M. alterum ejus nepotem et post eum ad primogenitum domus M. in infinitum per lineam masculinam, atque cessante omnino linea masculina, ita ut neque adsint feminae ex linea masculina, ad primogenitum masculum ex linea feminina in infinitum et in defectu masculi ad feminam majoris aetatis in infinitum.*

Contigit, ut Thomas M. secundo loco vocatus mascula sobole caruerit quinque filias relinquens. Harum feminarum filius primogenitus fuit Dominicus Cascioni: hic capellaniam retinuit quoad vixit, eo mortuo capellaniam transiit in ejus filium Pomponium qui coelebs decessit.

Mortuo Pomponio *Victoria Cascioni* ejus amita Episcopum adprecata est, ut sibi capellaniam addiceret, cum esset femina inter caeteras major natu.

At Episcopo publicante edicta, ut si qui essent sua jura intra mensem deducerent, *Antonius Galloni* prodiit, qui tamquam masculus primogenitus ex tota linea feminina e domo M. progenita sibi capellaniam pertinere asseruit: interea *Henrica Cascioni* defuncti Pomponii soror capellaniae bona occupavit, sibi capellaniam prae caeteris deberi affirmans.

Episcopus controversiam dirimendam remisit s. Congregationi Concilii; datis interea capellaniae bonis administratori judiciali administrandis.

Inter tres contendentes duo tantum jura sua deduxerunt coram S. C. scilicet Laurentius Galloni et Henrica Cascioni.

Antonius recolebat ea verba fundatoris superius exscripta: *spectet juspatronatus et administratio ad Thomam M. alterum ejus nepotem et post eum ad primogenitum domus M. in infinitum per lineam masculinam, atque cessante omnino linea masculina, ita ut neque adsint feminae ex linea masculina, ad primogenitum masculum ex linea feminina in infinitum et in defectu masculi ad feminam majoris aetatis.*

Hisce positis in facto constare inquit, *se esse primogenitum masculum ex linea feminina*: ergo sibi pertinere capellaniam. Ad feminam quidem majoris aetatis pertinere voluisse fundatorem juspatronatus in defectu masculi.

Rejiciebat autem difficultatem ex eo petitam, quod masculus unius lineae non possit repellere feminam alterius lineae, quae jam in possessione versaretur jurispatronatus: respondebat enim, hoc verum esse quando fundator plures lineas distinxisset, non vero quando descendentes collective vocaverit praelatis masculis.

Henrica soror capellani defuncti inquiebat fundatorem ordinem linearum servandum praescripsisse per ea verba: *et post eum ad primogenitum domus M. in infinitum et cessante omnino linea masculina . . . ad primogenitum masculum ex linea feminina in infinitum et in defectu masculi ad feminam majoris aetatis etc.* Porro vocato primogenito eo ipso vocari totam lineam primogeniti, quae componitur ex fratribus et sororibus: eamdemque lineam caeteras excludere usquequo non cessaverit, s. Rota *decis. 451. num. 8. part. 19. recent.*

Atqui ad lineam primogeniti, qui capellaniam possedit, Henricam pertinere; ad eam ergo spectare juspatronatus quae primogeniti jura et locum consecuta esset juxta ea quae passim tradidit s. Rota.

Quae quidem confirmare curabat tum ex eo, quod ille qui primogenitum praedilexerit ejus quoque posteritatem praedilexisse dicendus sit, tum ex eo, quod juspatronatus vel fideicommissum, semel ac praedilectam lineam fuerit ingressum, ex ea, nisi prorsus fuerit extincta, egredi non posset: quae quidem amplius confirmari inquiebat ex observantia, cum superius dictus Pomponius capellaniam

retinuerit, quamvis alii majores natu et proximiores Thomae haberentur in aliis lineis femininis, qui tamen ausi non essent Pomponio obsistere.

Quare Henrica concludebat, se in jurepatronatus esse manutenendam, cum nullus adesset in ea linea se major natu quaeque insuper haeres extiterat sui fratris, qui fuit ultimus primogenitus.

His aliisque copiose animadversis propositum est resolvendum

Dubium:

An et cujus favore sit locus immissioni sive manutentioni in casu?

S. Congregatio causa discussa in comitiis habitis die 31. Julii 1869 respondere censuit: *Affirmative favore Laurentii Galloni.*

Ex his colliges:

I. Nihil impedire quominus capellaniae laicales possideantur a laicis vel feminis si fundator etiam feminas ad possidendas capellanias vocaverit: satisfactis tamen per alium oneribus earumdem.

II. Capellanias mere laicales non conferri ab Episcopo, sed eum, qui ad possidendum jus habeat, ex se possessionem capere, quod fieri solet ope publici tabellionis: ideoque appellari quoque solere *capellanias non collativas.*

III. Quoties fundator primo loco vocaverit ad possessionem capellaniae seu jurispatronatus primogenitum ex aliqua progenie cumulative indicata, quae in plures lineas postea dispescatur, primogenitum ex universa progenie intelligi vocatum in quavis linea hic reperiatur.

11) Compatibilis.

Vd. t. II. p. 614. IV

Capellaniae, quibus incumbit onus celebrandi missas et choro inserviendi, non sunt compatibiles cum canonicatibus et parochialibus, quamvis per earum constitutiones liceat servire per substitutum.

Die 9. Novembr. 1619.

12) Concursus ad capell. adipiscendam.

(Qui praeferendi sunt?)

Vd. *Beneficium* t. II. p. 404. o; 411. q; *Concursus.*

Ferentina.

Ferentinae civitatis municipium jurepatronatu gaudet super duplici capellania, quarum altera a s. Paulo Apostolo nuncupata est a fundatore Joanne Leonini sub 1596, altera a s. Hippolyto martyre ab institutore Laureto de Angelis sub 1646. De illa edixerat testator, ut Episcopo Ferentino pro tempore existenti *communitas adhibita omni diligentia et facto prius concursu ad dictam capellaniam clericum civem Florentinum magis idoneum repertum et approbatum praesentet et conferat.* De ista dispositum juspatronatus pertinere debere ad familiam de Angelis eaque extincta quod evenit jampridem *succeda la comunità di Ferentino al detto officio di presentare.*

Vacante priori ex praedictis capellaniis municipium animadversionibus motum a s. hac Congregatione petere decrevit in comitiis diei 7. Julii 1829 propositam caducitatis legem approbari in casibus expressis immo etiam eamdem legem mox adjici constituit etiam quoad alteram capellaniam s. Hippolyti in cujus juspatronatus subingressum jam fuerat cum primum vacatura foret iisdem fere adductum momentis, quae expressit in comitiis diei 3. Augusti proxime secuti.

Revera autem supplices ea de re preces cum datae fuissent s. huic Ordini expositumque fuisset reversivam legem in casibus praefatis admodum prodesse remissae sunt die 26. Sept. 1829 favorabili rescripto, quo *petita facultas tributa fuit Episcopo apponendi legem caducitatis tam vacantis beneficii s. Pauli quam beneficii s. Hippolythi cum vacaverit possessoribus quatenus ipsi vel singulos s. ordines, cum ad canonicam pro quolibet aetatem pervenerint, suscipere neglexerint vel quatenus de alio beneficio saltem annui redditus scutat. 50 fuerint provisi; pro suo arbitrio et conscientia oratori ejusque successoribus gratia impertiatur.*

Hisce habitis factum est ut nedum beneficium s. Pauli quod jam a saeculo ita conferri sueverat sed et aliud s. Hippolyti conferri caeperit per concursum quemdam quo ab electis per municipium examinatoribus oratio latina vertenda ex tempore candidatis clericis exhibebatur in italicum sermonem. Sane cum vacasset capellania haec s. Hippolyti sub 1832 communitas per magistratum suum indicto concursu et peracto examine praesentavit Marianum de Rocco, qui tunc magis idoneus ab examinatoribus reputatus fuit; iste institutionem pacifice assecutus est. Iterumque inter Canonicos mox adlecto eodem Mariano municipium in comitiis diei 19. Nov.

1839 plenis suffragiis mandavit *che si affiggano le notificazioni onde procedere ad altro concorso giusta il consueto*; revera magistratus edicta proposuit ubi ut in praecedenti concursu praesentaturum spopondit *il più idoneo che sarà riputato dai Sigg. esaminatori.* Examinatores autem adlegit RR. DD. Joannem Rosati, Dominicum Lolli et Renatum Magni, qui habito de more examine magis idoneum renunciarunt clericum Joannem Martellini quem ideo actibus inspectis ac probatis praesentandum edixit Frusinanensis apos. delegatio. At graves admovente querelas de habito concursu, examine et judicio altero ex concurrentibus clerico Romualdo de Rocco institutio suspensa mansit interimque municipium plura s. huic Ordini proposuit pro sui regula dirimenda dubia, quae prioribus tribus formulis ad calcem exscribendis continentur; eodem vero tempore adfuit etiam Romualdus de Rocco, qui expletum concursum et examen nullitate laborare pluribus ex capitibus causatus nullum eum declarari petit a s. hoc Ordine et locum factum esse novo concursui vel examini.

Super utrisque precibus audire placuit omnes interesse habentes praesertim Episcopum apostolicae delegationis praesidem. Uterque autem factorum retexta historia sententiam pandiderunt favore Martellinii utpote magis idonei *) in examine reperti. Publicum siquidem edictum ait Episcopus quasi solemnem contractum illo cum clerico iniit, qui in studiorum periculo judicio examinatorum majorem idoneitatem retulisset . . . . . Jus itaque ad illud obtinuit clericus Martellini, quo exui sine facto proprio minime posse nemo non videt. Praestat modo hinc inde deducta juxta propositas dubiorum formulas EE. VV. subjicere.

Quod antequam disquirendum aggrediar ne difficultatem ingerat quod lex concursus in capellania de qua agitur nullibi praescripta expresse et approbata inveniatur adeo ut incassum queri de concursus modo videatur, qui habendus non sit, admonendum est uti superius innui concursum hujusmodi inductum fuisse ad exemplum alterius capellaniae s. Pauli per modum facti et pacifice videntibus ac approbantibus consiliariis atque Episcopo. Porro quamvis generatim patroni non possint alterare leges et conditiones apponere contrarias juri communi vel juri alterius quaesito non prohibentur tamen conditiones *) praeter jus edicere et quoad modum ac formam praesentandi pacisci certamque sibi legem facere seu complecti ut inquit *Rota in nuperrimis tom. 5. dec. 361. n. 42* et in simili casu coram *Molines dec. 1041* praesertim accedente consensu Episcopi, *Vivan. de jurep. p. 1. lib. 2. c. 8. n. 10, Rota in Ulixponen. Prioratus 14. Dec. 1601. cor. Seraphin.* eadem ratione qua simplicia etiam beneficia possunt ab Episcopo libere per concursum conferri, *Mansi tom. 2. consult. consil. 145. n. 54.*

Jamvero ad I. dubium quod attinet expendenda venit voluntas testatoris Joannis Leonini ad cujus formam capellania s. Pauli redigi voluit. Verba quidem superius relata: »*adhibita omni diligentia et facto prius concursu dictam capellaniam clerico civi Ferentini magis idoneo reperto praesentent et conferant,*« municipium inportare censet, ut eligendus omnino sit qui potior in examine fuerit judicatus adeo ut nonnisi praesentatio praeservata sit municipibus, ut contingit ecclesiasticis patronis quoad curata beneficia. Verum non desunt ambigendi rationes.

Etenim certum est illud in concursibus capellaniae de qua agitur fuisse munus examinatoribus facto commissum, ut de candidatorum scientia dumtaxat referrent, atqui non ex universis simul sumptis meritis et qualitatibus, quae quandoque scientia potiores reputantur. In themate autem id eo magis esset retinendum si paupertatis requisitum vere necessarium foret ad assequendam capellaniam prout inferius disputabitur. Tunc etenim absque fundationis jactura omitti inquit: *Adhibita omni diligentia et facto prius concursu*; duplicem voluisse conditionem visus est: alteram, ut concursus haberetur, quo de scientia candidatorum constaret, alteram, ut omnis adhiberetur diligentia, qua de ceteris eorumdem qualitatibus notio acquireretur. Ni potius dicere placuerit testatorem per verbusculum illud *facto concursu*, nil aliud voluisse, quam ut indiceretur legitime vacatio, ut clerici adspirantes nomina sua darent ac exinde (absque alia solemnitate) inter eos magis dignus a patronis habitus eligeretur. Praeterea testator ut animadvertit alter ex consiliariis municipii arctasset nimirum patronorum libertatem si omnino stare debuissent examinatorum judicio de majori idoneitate, quod ferme praesumendum non est contra

*) Vd. *t. II. p. 411. q.*

*) Vd. *t. II. p. 362. n. 5.*

commune jus laico patrono arbitrium tribuens minus dignum *) inter adprobatos deligendi digniore posthabito nec communitatem ipsam perpendit de Rocco eam legem imponere sibi potuisse de magis idoneo eligendo; alias sese jurepatronatus expoliasset quodammodo illudque in examinatores contulisset quod pugnat cum canonica jurisprudentia, arg. ex Trid. *sess. 24. cap. 18 de ref.*, *Bened. XIV. const.: Cum illud* et s. C. in *Cassanen. Parochialis 22. Nov. 1761.* Id enim magis esse existimat quam per procuratorem et mandatarium (qui mandati finibus arctatur) praesentare quod licet fieri a patrono, auctor est *Vivian. de jurep. p. 2. lib. 7, cap. 5. per tot.*, *Barbosa de officio et pot. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 151.*

Hac porro in re nihil obesse clamat de Rocco, quod sub anno 1832 in priori vacatione, qua et beneficium s. Hippolyti alterius exemplo per concursum conferri placuit, tributum fuerit Mariano de Rocco magis idoneo ab examinatoribus renunciatio, nedum quia unicum factum legis loco nequit haberi, sed etiam quia Marianus ipse et magis idoneus quoad scientiam et pauperior inter ceteros concurrentes extiterat, qui omnes sacrum sibi patrimonium optime poterant constituere ac ideo in eum major consilii pars ultro consenserat.

Quoad secundum dubium contendit Romualdus praeferendos esse clericos pauperiores et proximiores susceptioni ordinis sacerdotalis;**) idque deducit *tum ex mente communitatis tum ex juris dispositione. Ex mente communitatis*, quia dum ipsa statuit petendam esse legem reversionis pro capellania s. Panli, cui altera comparata est, imo et pro ipsa s. Hippolyti, ob eam rationem facere edixit, ut clericis in sortem Domini vocatis, qui mediis vel ad ipsum sacrum patrimonium sibi constituendum carerent, opitularetur, ceu fusius ex actis ac supplici libello ad s. Ordinem remisso, de quo superius facta est expositio. *De jure communi* vero praelationem dandam esse pauperi et magis proximo ad ordinem sacerdotalem erui *ex cap. Post 27. de rescript., Lambert. de jurep. lib. 2. p. 3. qu. 5. art. 1. n. 1*, *Amostaz. de causis piis lib. 3. patron. alleg. 83*, *Tondut. de pens. dec. 20.*

Pro parte communitatis reponitur, ex ipsis excerptis et relatis locis comitiorum satis luculenter apparere mentem et sententiam municipii fuisse inflammare juvenes ad amorem studiorum, sive hi sint *pauperes* sive *benestanti*. Ejusdem spiritus esse libellum syndaci; quodsi verba aliquot libelli magis favere Romualdi interpretationi videntur animadvertendum est, syndacum esse in hac re veluti mandatarium consilii, quippe non potuisset fines mandati excedere, prout non excessit. Cum enim in suo libello se retulerit ad acta comitiorum, quae inserta libello fuere, ejus verba intelligenda veniunt juxta *inserta* ad quae *relationem habuit*. Ea namque est natura relationis, ait *Barbosa axiom. 201. n. 1. et seq.*, ut restringatur et limitetur ad illud, quod in relato continetur tantum. *Decian. cons. 62. n. 6.*

Ad praelationem quod attinet magis pauperibus ac proximioribus ordini sacerdotali tribuendam advertere juvabit cum *Card. de Lugo de just. et jure disput. 24. sect. 11. n. 284. et seq.* communiorem esse et veriorem doctorum sententiam, quod excluso casu expressae voluntatis testatoris dispositio pro pauperibus facta satis superque impletur, si erga vere pauperes cadat, omisso pauperiori, quum testator id solum praeceperit. Hinc paupertatis sicut et proximioritatis sacerdotio requisita tunc solum attendenda esse, quando ceterae concurrentium qualitates sint omnino pares ait *Rota recen. decis. 210. dec. 296. n. 5. part. XI.*, *decis. 304. part. 12*, *Barbosa de offic. et poiest. Episc. p. 3. alleg. 60. n. 36. et n. 103.*

Quaeritur in tertio dubio, an stricta paupertas demonstranda sit a quolibet, qui ad examen admitti postulat. Stat pro affirmativa sententia Romualdus de Rocco; etenim quum in comitiis municipalibus ideo dictum fuerit reversionis legem implorari, ut clericis occurreretur, quibus nulla suppetit via sacrum sibi patrimonium conficiendi, stricte ac absolute pauperes adnotati videntur pro assecutione capellaniae.

At si juri communi standum sit ubi de paupertate probanda agitur ad certum effectum, pauper dicitur cujus bona non sufficiunt pro illo effectu, s. Congr. *in Rom. seu Savon. Subsid. dotal. 26. April. 1788.* §. 5. et quod subsidia dotalia pauperibus relicta assequi merito possint etiam relative tales, tradunt doctores Card. *de Luca de dote disc. 174. n. 9 et seq.*, *Ursaya discept. eccl. tom. 3. part. 2. discept. 2. n. 130.* In themate quum

*) Vd. *t. II. p. 404. p; p. 434.* §: *Patroni, Qui.*
**) Vd. *t. II. p. 412. VII. XI.*

carentibus patrimonio succurri voluerint municipes; si superius adnotata vera sunt haud exclusi apparent relative pauperes, quia et ipsi quandoque mediis destituuntur ad sacrum sibi constituendum patrimonium opportunis.

De concursus et examinis in postrema vacatione habiti nullitate quaeritur in quarto dubio, quam Romualdus de Rocco arguit multis ex capitibus. Scilicet quoad concursum quia admissi fuerint imo electi qui paupertatis saltem stricte talis requisito carerent dum ipse aderat absoluta paupertate pressus. Hinc adnotat Martellinii patrem fidem municipio exhibuisse sub anno 1840 a cancellario census etiam subscriptam, cum ille communalium vectigalium exactionem conduceret in scut. 6000, qua constabat eumdem multa praedia urbana ac rustica vel in utili vel in directo dominio possidere, quae aestimabantur in scut. 1397, 50, quae sane possessio in haud locupleti regione inter minores non recensetur, dum contra ex fide ipsius cancellarii patet familiam de Rocco binos vix fundos utiliter possidere censualis aestimationis scut. 178; quorum redditus aere alieno fere absorberetur adeo ut parochus testari non dubitaverit: *Romualdum de Rocco aetatis suae annorum viginti trium expleto jam studiorum curriculo non potuisse nec posse ad sacros ordines promoveri ex deficientia patrimonii sacri tum quia ejus parentes septem filiis onerati quotidiano tantum labore vivant tum quia aliis fortunae bonis careant.*

Examinatores electi sunt non a concilio sed a magistratu et quamvis concilium oretenus mandaverit magistratui ut edicta concursus proponeret et examinatores seligeret tamen quia id factum fuit absque votis secretis nullius effectus esse putat.

Quoad examen vero nullitatem arguit: 1°. Quia examinator*) Rosati difficiliores phrases thematis explanavit. Quamvis enim alta voce id fecerit tamen irregularitas in eo est, quod omnes concurrentes tali modo pares reddiderit in bene vertendo ac ita occasionem eripuerit iis qui alacris oris ingenii erant vincendi caeteros. Qua de re in ipso examinis actu acriter conquaestum fuisse Romualdum pacificum est nec ipse Rosatius diffitetur.

2°. Quia examinatores extra fines proprii muneris praetergressi sunt; cum enim examinatoris officium sit juxta *Conc. Trid. sess. 24. cap. 17. de ref. renuntiare quotcumque ab iis idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina etc.**) ipsi ultra processere ac *magis idoneum* renuntiare et qui *proxime accessit* ausi sunt.

3°. Tandem quia non levis suspicio fraudis vel artificii ex eo provenire potest, quod *magis idoneus* renunciatus sit Joannes Martellini, qui tertio consanguineitatis**) gradu cum Paulo Cocumelli a secretis municipii ac in ipsa examinis alea adsistente conjunctus est quippe in scholis numquam praestantioris ingenii specimen praebuit.

Municipium Ferentini respondet: *Ad primum*: Finem adjiciendi legem reversionis fuisse juxta superius adnotata juvenes ad studia alacriores reddere parum vel nihil habita ratione paupertatis.

Ad secundum: Licet edicta concursus et electio examinatorum non a concilio sed a magistratu facta essent nihil tamen in hac re peccatum esset contra leges conciliorum communitatis. Etenim delegatus apostolicus cui soli ex art. 12. edictalis legis 5. Julii 1831 competit *privativa jurisdictio* inquirendi acta concilii quoad concursum et examen adprobavit actum die 14. Aprilis 1840. Addit communitas nullibi legem reperiri qua vetitum sit concilio absque votis secretis aliquid committere magistratui de quo sancitur in *art. 13. legis edictalis.* Tandem falsum esse concilium hanc rem commisisse sine votis secretis; in comitiis enim diei 16. Novembris 1839 resolutum fuit secreto suffragantibus omnibus: *Si affigano le notificazioni onde procedere ad altro concorso giusta il consueto.* Mos ab unico praecedenti ejusdem capellaniae s. Hippolyti desumendus est adeoque ab actu comitiorum diei 24. Martii 1832.

Ad tertium: Non videri factam injuriam Romualdo si Rosatus qui potuisset dictare thema facilius tres phrases explicavit, quae ipsi abstrusiores videbantur. Vertendae remanserunt reliquae phrases et periodus in quibus doctrinae, styli, proprietatis et perspicuitatis specimem dare possent concurrentes.

Ad quartum: Verum quidem esse non posse examinatores sine nullitatis labe *magis idoneum* renunciare, *Garzias de benef. p. 9. c. 2. numer. 105. ad 108.* At nullam committi

*) Vd. *Concursus*; *Examinatores.*
*) Vd. *t. II. p. 404. O. etc.*
**) Vd. *t. II. p. 404. n.*

nullitatem si volente et rogante Episcopo id fecerint examinatores probant idem *Garzias loc. cit. numer. 110, Vivian de jurepatr. lib. 10. c. 1. num. 40* et *s. Congr. Conc. in Casertana Concursus 17. Decemb. 1729.* In casu communitas patrona elegit examinatores; in edicto vero concursus promisit: *Sarà conferita al più idoneo che sarà reputato dà signori esaminatori*, quibus ex verbis edicti jus hodie fuisse quaesitum Martellinio magis idoneo judicato ad capellaniam assequendam adnotatur.

Ad quintum objectum ait communitas nullam suspicionis et fraudis rationem cadere posse in secretarium suum praesertim quia examen actum est a tribus solertibus et spectatissimis viris tum doctrina tum integritate: nec dolus et fraus ex lege unquam praesumitur nisi indiciis perspicuis et concludenter probetur, *lib. 6. cod. de dolo malo.*

Ut hac in re facilior pateat ad judicium semita abs re non erit recolere plura esse examinum genera. Aliud enim inductum a Concilio Trid. *sess. 14. cap. 18. de ref.* quoad provisionem in beneficiis curatis ab Episcopo explendam, quod ex communi DD. sententia est *examen pro forma* ita ut si in minimo peccetur contra ea quae ibi praescripta sunt nullum omnino sit examen, *Garzia de benef. par. 9. cap. 2. num. 99, Card. de Luca in Conc. Trid. disc. 32. num. 1 et seq., Rota coram Richio disc. 377, Barb. axioma 100.* verbo: *forma num. 5. et num. 15.* Aliud examinis genus *in cap. 13. sess. 7. conc. Trid.* praescribitur quod pariter ab Episcopo fieri debet antequam institutionem det in *beneficiis simplicibus.*)* Hujusmodi examen non esse *pro forma* atque adeo posse ab Episcopo peragi eo modo eaque forma quae magis arrideat imo etiam et omitti si clerici habilitatem aliunde compertam habeat docent *communiter DD. Fargna de jurepatr. pag. 5. c. 1. cas. 2. num. 4, Garzia de benef. pag. 9. c. 3. n. 1, Rota coram Richio 377. num. 15.* Praeter haec examinum genera a jure requisita pro institutione in beneficiis sunt et alia genera quae a piis fundatoribus praescribi solent, ut ab *administratoribus vel patronis* fiant velut pro *admissione alumnorum ad collegium pro annuis praemiis decernendis* et ut in casu nostro pro *praesentatione* utilius agenda. Cum haec examina non oriantur a juris dispositione sed ab hominis voluntate possunt esse *pro forma* vel non. Ut autem dignoscatur an sint pro forma inquirendum erit an ita expresse voluerit fundator, an adposita sit *clausula irritans vel* annullativa ex qua sola induci potest forma, *Fargna de jurepatr. pag. 5. c. 1. cas. 2, Bellet. disquis. cler. pag. 1. §. 4. num. 41, Vivian. de jurepat. lib. 13. cap. 8. num. 11,* an fundator sese retulerit *ad cap. 18. Conc. Trid.* ex quo inductum examen pro forma, *Rota in Detrusen. Beneficii 19. Junii 1705. num. 4. coram Omanno.* Hisce exulantibus examen quidem in genere praeceptum importabit *conditionem* seu *simplicem monitionem* ut in duriori casu observat *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 50. num. 45,* cui conditioni quidem obsequendum erit sed non tam facile de nullitate argui poterit nisi contra finem et substantiam examinis factum sit ut in casu de quo *Rota coram Crescentio decis. 286. n. 1.*

Sed EE. VV. sapientiae erit dirimere

Dubia:

I. *An omnes ab examinatoribus approbati voto subjiciendi sint seu potius exclusis ceteris magis idoneus repertus sit praesentandus in casu?*

II. *An et quomodo praeferendi sint pauperiores et proximiores ordini sacerdotali in casu?*

III. *An ad concursum admittendi sint clerici documento strictae paupertatis carentes in casu?*

IV. *An constet de nullitate concursus vel examinis ita ut sit locus novo concursui vel examini in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Negative in omnibus.

Die 17. Sept. 1842.

13) Differentia inter capellaniam et anniversarium.

Vd. t. II. p. 525. n. 4.

*) Vd. *t. II. p. 404. notam.*

14) Differentia inter capellaniam laical. et ecclesiast.

Vd. *Capellania* (laical. — quae est, decret. 10. Mart. 1866 —; ecclesiastica quae est? p. 570.)

Rosa nupta Sylvestro praeter dotem bona aliqua extradotalia possidebat: cum itaque testamentum conderet (cujus tabulae deperditae sunt, quin unquam eae reperiri potuerint), viro suo Sylvestro mandavit, ut e suis bonis extradotalibus duas capellanias erigendas curaret, unam videlicet in dioecesi A. et alteram in dioecesi B. ad ecclesiam s. Valentini sub titulo s. Mariae Lauretanae. Subinde tabulis codicillaribus diei 11. Sept. 1614 Silvestro viro suo ejusque successoribus jus reservavit nominandi capellanum; dein aliis tabulis codicillaribus die 13. Sept. 1615 eidem viro suo permisit, ut quoad viveret bonorum, quae dotem capellaniarum constitura forent, usufructum retinere libere posset.

Silvester mandata uxoris praemortuae executioni demandavit, reservato familiae suae jurepatronatus; ac insuper per actum die 29. Sept. 1624 bona assignavit, quibus capellaniae dos coalescere debeat, unaque annuam quamdam missarum celebrationem capellano imposuit. Praeter eos actus, de quibus expresse mentionem fecimus, caeteri qui hanc capellaniam respiciunt usque ad annum 1668 et eo temporis intervallo locum habuerant, ita vero interciderunt, ut eorum nec autographum nec exemplar inveniri potuerit. Eo anno, nempe 1668, ut ex tabulario cancellariae episcopalis eruebatur, bullae canonicae institutionis ab Episcopo cuidam sacerdoti datae fuerant: idipsum, facta iterum vacatione, praestitum esse favore alterius sacerdotis die 1698 ex eadem cancellaria constabat. Post haec nihil aliud repertum est, nisi nominatio capellani ac praesentatio coram Episcopo anno 1731 peracta a patrono et Episcopi edictum, quo capellaniae vacatio publice annunciabatur.

At contra cum anno 1754 inter liberos familiae patronae bona haereditaria dividerentur, in divisionis instrumento bona capellaniae perinde ac in haereditatis bonis accenserentur comprehensa sunt eademque uni ex praedictis liberis tanquam capellano reputando adjudicata cum onere celebrationis missarum capellaniae inhaerentium. Multis post annis ac punctim anno 1781 ille ex liberis ad quem bona capellaniae devenerant suo marte fundum quemdam ad capellaniam pertinentem libere cum fundo ad Titium pertinente permutavit et in tabulis instrumenti capellaniam uti mere laicalem expressis verbis edixit. Cum insuper anno 1794 alteri bonorum divisioni locus factus fuisset inter liberos familiae, quae pro tempore in bonorum capellaniae possessione versabatur, haec bona uni ex liberis laico attributa sunt, etsi inter eosdem familiae liberos duo ecclesiastici viri connumerarentur.

Uti libera hujusmodi bona aut saltem utpote capellaniam laicalem constituentia habita fuerunt et penes familiam patronam remanserunt usque ad annum 1846 quo anno capellania vacante cum aliqua animadversio pro adserenda ecclesiastica capellaniae qualitate facta fuisset capellanus a familia patrona nominatus, idemque ex eadem familia derivans, clericatu et canonica aetate minime destitutus, non abnuit ab episcopali curia bullas canonicae institutionis solemniter accipere et canonicam capellaniae possessionem adire eadem ratione, qua in beneficiis fieri adsolet. Aliquibus post annis capellanus iste habitu clericali dimisso, cum nuptias inivisset vel inire jam optaret, supplicem s. C. Ep. et Reg. libellum obtulit, quo exponebat capellaniam uti laicalem retinendam esse seseque nonnisi ex errore et ignorantia ductum ob juvenilem aetatem bullas canonicae institutionis acceptasse ideoque expostulabat ut eadem capellania uti mere laicalis per s. Congregationis decretum declararetur. Remissis de more precibus Episcopo, ut omnia scitu necessaria significaret unaque suam sententiam promoveret, responsum habitum est iisdem precibus omnino adversum ex eo quod acta penes episcopalem cancellariam asservata, de quibus mentionem fecimus, Episcopi judicio ecclesiasticam capellaniae qualitatem plane portenderent. Cum capellanus in asseveranda capellaniae laicitate perstaret res monitis partibus quarum intererat ad plenarium s. Congregation. judicium deducta est.

Duo erunt capita ad quae demonstratio redigebatur capellaniam esse ecclesiasticam. Primum versabatur in facto: porro statuebatur quatuor occasionibus inter se distinctis capellaniam utpote vere ecclesiasticam habitam fuisse nimirum 1668 primum ac deinde 1689 cum bullae canonicae institutionis a curia expeditae fuerunt; item 1731 cum familia

patrona actum nominationis ac praesentationis elicuit et curia publico edicto vacationem capellaniae significavit, ac denique 1846, quo capellaniae tanquam beneficii ecclesiastici institutionem possessionemque ipsi oratori Episcopus pro tempore elargitus est.

Quae vero documenta ab oratore in medium proferebantur spatium temporis ab anno 1754 ad annum 1794 interlapsi respicientia tanti non erant, ut argumentorum vim pro admittenda ecclesiastica capellaniae natura sitam in actis antecedentibus penes curiam asservatis ullatenus possent infringere. Ea enim usurpationem potius a patronis perpetratam detegebant. Quod si decretum canonicae erectionis reperiri non contigerat non idcirco ipsi locus minime factus fuisse dici poterat. Aliud est enim quidquam non reperire aliud non habuisse locum. Sed enimvero quomodo bullae canonicae institutionis aliaque acta propria beneficiorum peracta fuissent tempore minime suspecto ac fundationi proximo nisi canonica erectio etsi nullum ejus vestigium inveniatur reapse ab Episcopo juxta canonicas leges perfecta fuisset? Ad haec accedebat, quod alia capellania in altera dioecesi a testatrice eisdem tabulis eodemque contextu et conditionibus instituta ut superius vidimus semper et absque ulla contradictione uti ecclesiastica habita fuerit itemque uti ecclesiastica capellanis per canonicam institutionem collata.

Posito in facto quod canonica capellaniae erectio minime defuerit quodque bullae canonicae institutionis expeditae fuerint in jure hoc inferebatur consectarium, ut fieri plane non posset quin capellania de qua sermo erat uti ecclesiastica declararetur. Numquam scitum est apud canonicarum rerum interpretes quod ad constituendam beneficii ecclesiastici qualitatem duae tanquam essentiales requirantur conditiones;*) una est ut in fundatione capellaniae episcopale canonicae erectionis decretum intercesserit: altera est, ut in capellaniae collatione bullae canonicae institutionis expediri debeant. Sunt itidem et aliae conditiones, quas rerum canonicarum interpretes enumerant, quae tamen cum capellaniis etiam laicalibus competere possint silentio praetermittebantur. At vero erectionis decretum et bullarum expeditio ejusmodi sunt, ut uni beneficio quale est capellania ecclesiastica unice conveniant. Quae dicta sunt auctoritate fulciebantur clarissimi *Reiffenstuel lib. 3. tit. 5. n. 17* et ipsius *s. C. Ep. et Reg. in Aesina Capellaniae 18. Julii 1851.* Cum itaque duo haec essentialia elementa in facto demonstrata fuissent concludebatur capellaniam de qua agebatur nonnisi uti ecclesiasticam esse declarandam.

*) Vd. *t. II. p. 530. c.*

Pro adstruenda laicitate capellaniae servata eadem ratiocinandi ratione in facto et jure ad primum quod attinet omnia acta proferebantur in medium, quae ab anno 1754 per totius saeculi spatium peracta fuerunt in quibus capellania uti laicalis nedum habita fuerat sed etiam uti talis in iisdem disertissime nuncupata quin in tam diuturno temporis decursu ullam curia episcopalis querimoniam ad sua tuenda jura admovisset. Quod si capellania in altera dioecesi a testatrice erecta uti ecclesiastica habebatur nihil obesse poterat; id enim plures ob rationes evenire potuisset. Neque enim res rara est, ut capellaniae laicales ad statum ecclesiasticitatis servatis servandis extollantur.

Item nihil officere poterat si ecclesiastica curia 1846 in eamdem manum injecerat; id ex eo evenerat quod capellanus puerili aetate constitutus ignoraret, quos effectus bullarum expeditio progigneret. Ubi vero primum id agnovit non obnituit, quinimo suas protestationes penes curiam episcopalem ac dein penes s. C. Ep. et Reg. emisit.

Hisce in facto constitutis in jure eaedem doctrinae, quae supra ex adverso pro ecclesiasticitate, item pro laicitate ostendenda invocabantur. Cum enim decretum erectionis non produceretur illud plane defuisse praesumendum erat idque eo magis, quod per integri saeculi spatium sine bullis episcopalibus capellania collata et a capellano pacifice possessa fuerat. Si igitur capellania tum laicalis dici debeat cum in ejusdem fundatione erectionis decretum non intercesserit et in ejusdem ineunda possessione bullae episcopales expeditae non fuerint jam illud prono alveo fluere subdebatur, ut capellania de qua agitur minime uti ecclesiastica sed profecto uti laicalis omnino esset declaranda.

Dubium:

An et quomodo constet de laicitate capellaniae in casu?

Die 19. Sept. 1862 Emmi Patres ejusdem S. C. Ep. et Reg. rescripserunt:

Dilata et coadjuventur probationes.

Continuatio.

In secunda causae propositione nihil novi neque in facto neque in jure ad capellaniae ecclesiasticitatem stabiliendam a curia producebatur. Si factum respicias nihil item ad laicitatem ostendendam proferebatur ab oratore, qui satis habuit votum advocati curiae romanae exhibere, qui fretus iis documentis quae producta jam ab eodem oratore fuerant non sine doctrina et canonicae jurisprudentiae apparatu concludere se posse confidebat capellaniam a Rosa testatrice constitutam tanquam laicalem esse declarandam.

Iterum itaque eadem dubii formula Emmis Patribus proposita responsum prodiit: Dilata et exquiratur votum promotoris fiscalis curiae transmissis exemplaribus omnium documentorum, quae referuntur ad praesentem quaestionem quaeque in archivio episcopali asservantur.

Mandata peregit Episcopus, qui praeter alia remisit exemplar bullarum ann. 1668 et 1698 et actum nominationis anni 1731 de quibus mentionem supra fecimus. Subinde votum promotoris fiscalis remisit, qui capellaniae ecclesiasticitatem enixe propugnabat praemissa accurata historia eorum, quae a prima origine ad illud usque tempus circa capellaniam eamdem interciderunt. Peculiariter autem circumstantiam quandam innuebat antea penes s. Congregationem minime expositam, quod nempe si omnium actorum series a fundatione usque ad subsequentia tempora sine interruptione exhiberi non poterant id ex eo repetendum erat, quod praeterito saeculo episcopale tabularium exitiali incendio fuerat obnoxium ex quo omnia acta ibidem asservata assumpta fuerant.

Sedulo examini subjectis exemplaribus a curia transmissis compertum est quod in actu nominationis edictae anno 1731 patronus eam nominationem ac praesentationem peregerat hisce nimirum verbis adhibitis: ad formam instrumenti erectionis dictae capellaniae. Itaque ex officio animadvertebatur quod etiamsi erectionis decreti exemplar minime inveniretur nihilotamensecius in eo nominationis actu praesto erat documentum irrefragabile, quo demonstrabatur ipsum in fundatione non defuisse. Cum itaque tempore fundationi proximo bullarum episcopalium expeditioni locum factum fuisse ex actibus 1668 et 1698 ostenderetur legitime exinde consequi inferebatur quod duo essentialia beneficii seu capellaniae ecclesiasticae elementa nequaquam desiderantur adeoque nullam dubitationem superesse, ut capellania uti ecclesiastica dijudicaretur. Quae cum ita sint cum dubium quod superius exscripsimus tertio propositum fuisset Emmi Patres die 19. Januarii 1866 rescribere non dubitarunt: Negative in omnibus.

Ex iis colliges:

I. Magnum ac substantiale discrimen esse inter capellanias laicales et ecclesiasticas.

II. Capellanias ecclesiasticas nomine tantum a veris beneficiis discriminari.

III. Canonicae erectionis decretum in fundatione et bullas canonicae institutionis in collatione duas esse essentiales solemnitates seu conditiones, quae vero beneficio conveniunt ideoque ecclesiasticae capellaniae.

IV. Non idcirco, quod aliqua capellania juripatronatus laicorum obnoxia sit, dici potest laicalis: nam etiam beneficia sunt, quae eidem laicorum juri subsunt, et nihilosecius non deficiente decreto erectionis canonicae et bullarum institutionis expeditione non desinunt esse vera beneficia.

V. Alias conditiones praeter duas memoratas veluti sunt jurispatronatus reservatio et alia id genus capellaniae tam laicali quam ecclesiasticae posse convenire.

Discursus

de differentia inter capellanias ecclesiasticas et laicales.

Accidit saepenumero ut capellaniae ecclesiasticae cum capellaniis laicalibus confundantur, cujus rei exemplum praebet causa penes s. C. Ep. et Reg. disceptata quam superius exposuimus. Verum ut ex eadem colligitur non mediocre inter utrasque discrimen interponitur. Illud insuper haud raro contigit, ut capellaniae quae juripatronatus laicali obnoxiae sunt tamquam capellaniae laicales non sine errore reputentur. At vero si merum nomen excipias, inter vera beneficia et capellanias ecclesiasticas nulla differentia interest, adeoque etiamsi capellaniae jurispatronatus laicorum subjiciantur non idcirco sequitur quod laicales dicendae sint, non secus ac accidit de beneficiis, quae ceu laicalia non putantur, quamvis jurispatronatus laicorum vinculo adstricta sint.

Jam vero substantiale discrimen quod inter capellanias ecclesiasticas et laicales intercedit in hoc situm est:

I. Ut pro beneficiis ideoque pro capellaniis ecclesiasticis in fundatione canonicae erectionis decreto locus factus fuerit;

II. Ut in collatione quandocumque accidat bullae episcopales seu apostolicae pro canonica institutione assequenda requirantur.

Primum enim illud efficit, ut quae bona antea in civili commercio erunt et in privatorum dominio esse poterant post decretum erectionis destinata in ecclesiae usum non amplius in civili commercio sint sed inalienabilia uti ecclesiastica sint habenda. Bullarum autem expeditio facit, ut nullus nisi clericus canonice institutus in earumdem capellaniarum possessionem immitti queat.

Jamvero in capellaniis laicalibus quoniam legatis piis accensentur satis est ut accedat actus Episcopi, quo in scriptis mera ac nuda capellaniae acceptatio fiat juxta ea quae ad formam constitutionum apostolicarum docet *Benedictus XIV. de synodo dioeces. l. 13. c. ultim. n. 10.* Ut earumdem autem possessio legitime acquiri queat auctoritatis ecclesiasticae interventus nequaquam plane praescribitur sed sufficit ut possessio per acta notarii juxta legum civilium sanctiones adeatur.

Cum itaque capellaniae laicales non sint vera beneficia illud consequitur, quod in capellanorum nominatione necesse non sit servare tempus quadrimestre vel semestre per sacros canones in beneficiis conferendis praestitutum, quod si nominatio peragatur cum pacto aliquid per capellanum nominanti persolvendum quamvis pactum hoc illicitum ac pravum reputetur nihilominus simoniae crimini et poenis contra simoniacos constitutis locus non fiat*) quod denique licet capellanus (quippe dominii jure destitutus ac mere bonorum capellaniae administrator et usufructuarius) bona capellaniae alienare nequeat atque alios contractus alienationis**) nomine venientes per se ipse concludere non possit nihilominus si id egerit poenas contra alienantes bona ecclesiastica juxta censuram *Extravagantis Ambitiosae* non incurrat.

In expositione causae de qua supra mentionem feci cursim innuebatur plura esse quae capellaniis ecclesiasticis et laicalibus communia sint; hujusmodi solent esse adsignatio dotis, altaris designatio, reservatio jurispatronatus, conditio ut capellanus sive clericali sive subdiaconali, diaconali aut sacerdotali qualitate polleat. Neque enim impedit quominus testator in capellaniae constitutione pro lege illiusmodi conditiones imponat, quae utique sancte religioseque servandae sunt, prouti de ultimis testatorum voluntatibus fieri debere utraque jura clamant. Itaque hac in re discrimen quod inter capellanias ecclesiasticas et laicales intercedit in eo consistit, ut conditiones quae in primis necessario praescribuntur ex dispositione legis in alteris ex dispositione hominis exquirantur. Quocirca, quamvis capellania sit laicalis, attamen si testator legem dixerit, ut capellanus sive clericus sive sacerdos esse debeat eamdem nullus nisi clericus sit vel sacerdos assequi omnino queat. Quod si nullam legem neque expresse neque tacite testator adjunxerit, qua capellani qualitates designentur et requirantur, nihil impedit quominus capellaniam sine ullo hujusmodi constitutam obtinere possit etiam laicus atque adeo infans quoque aut foemina.

Opportunum heic erit nonnullas affere causas in s. Congregatione Concilii super hoc argumento agitatas, ex quibus in casibus particularibus certa norma desumi valeat.

In *Maceraten. 7. Septembris 1726* testator jusserat e suis bonis capellaniam laicalem erigi debere pro missa celebranda in altari majori ecclesiae suffragii ac voluit ut ejusmodi capellania ad titulum ordinationis inserviret favore filiorum cujusdam Silvestri. S. Congregatio rogata:

An capellania de qua agitur sit legatum pium cujus sint capaces etiam foeminae seu potius sit capellania ecclesiastica?

respondit: Ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative, sed non esse collativam*), et amplius. Censuit nimirum s. Congregatio capellaniam esse ecclesiasticam habito respectu personae nominandae, quae ecclesiastica esse debebat, capellaniam vero esse laicalem circa caeteros juris effectus prout dignoscitur ex verbis, quibus declaravit eam non esse collativam. Non enim repugnat laicalem diversis respectibus esse capellaniam et quoad personas nominandas ecclesiasticam. *Caesar de Grass. decis. 114 de praeb. per tot.*

*) Vd. *t. II. p. 498. IV.*
**) Vd. *t. I. p. 430; p. 456. r; t. II. p. 1075. V.*

*) Vd. *p. 556. n. 9; 557. n. 10.*

In *Nullius Farfen. 12. Aug. 1741* fundata fuerat capellania ad altare B. M. V. ab Angelo salutatae electusque fuerat a fundatore suus nepos in primum capellanum cum arbitrio et potestate utendi et fruendi dicta capellania ejusque bonis et dote, sub onere tamen quarumdam missarum ab ipso caeterisque capellanis implendo . . ; et Praepositus pro tempore in dicta ecclesia praedicta exequatur et exequi faciat sine aliqua judicis sententia et auctoritate. Cum quaesitum fuisset:

»An dicta capellania retineri queat in statu conjugali?«

responsum fuit: Negative. Censuit nimirum s. Congregatio capellaniam esse quidem laicalem, conferendam tamen esse personae ecclesiasticae juxta testatoris mentem.

In *Civitatis Castelli Capellaniae die 24. Aprilis 1751* actum est de capellania hisce sub legibus fundata: »Ut esse debeat mere laicale juspatronatus Canonici N. et ejusdem successorum ad quos pertineat in perpetuum nominatio libera omnium et singulorum capellanorum . , ut ad Episcopum spectet erectio dictae capellae absque ulla subordinatione Datariae apostolicae nec Episcopus jus acquirat conferendi dictam capellaniam tamquam beneficium ecclesiasticum neque instituendi nominatum, ut dictus capellanus vel capellani sint ad nutum amovibiles et ad libitum dicti Canonici ejusdemque successorum.« Hujus capellaniae erectio nunquam facta fuit ab Episcopo et capellani ex se possessionem susceperunt. Proposito deinde dubio:

An capellania sit mere laicalis ita ut retineri possit in statu conjugali?

S. C. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.

Judicavit nimirum capellaniam esse laicalem, quin tamen retineri posset in statu conjugali juxta testatoris mentem.

In *Anconitana Capellaniae die 12. Maji 1779* jusserat sacerdos N. institui tres capellanias laicales, quibus distinctam dotem ex suis bonis assignavit: capellanis vero jus tribuerat propria auctoritate capiendi possessionem bonorum et onus injunxit celebrandi aut celebrari faciendi binas missas in singulis hebdomadis. Disputatum deinde est dubium:

An capellaniae sint laicales ita ut possideri possint etiam a laicis?

S. Congregatio rescripsit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Item in *Montis Alti Capellaniae die 22. Augusti 1795* instituerat pius vir capellaniam seu legatum simplex seu juspatronatus laicale favore sui nepotis cum onere celebrandi aut celebrari faciendi duas missas singulis hebdomadis sine licentia, intromissione aut praesentatione Episcopi vel alterius judicis semper et in futurum. Deinde post nepotem ad dictam capellaniam vocavit suos haeredes, quibus tribuit facultatem sine licentia, praesentatione etc. nominandi sacerdotem ad ipsam capellaniam laicalem, qui celebrari faceret duas missas singulis hebdomadis in perpetuum. S. Congregatio ad dubium: An capellania sit mere laicalis ita ut retineri possit a laico et foemina in casu? respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Quamvis enim capellaniae sint mere laicales non exinde sequitur necessario quod laici eas habere possint. Non enim repugnat ut capellania vere laicalis sit et de personis nominandis ecclesiastica ita ut eamdem laici retinere nullatenus possint. Caeteris itaque ejusdem generis omissis resolutionibus praestat sequentes adducere, quibus s. Congregatio judicavit capellanias laicales posse a laicis vel pueris etiam retineri.

Rariores quidem sunt ejusmodi resolutiones; namque testatores capellanias laicales instituentes explicite vel implicite animum intendere solent ad capellaniam instituendam laicalem quidem sed conferendam saltem clerico. Attamen non desunt nonnullae resolutiones s. Congregationis Concilii, quibus capellania laicalis adjudicata sit laico quin imo etiam infantibus.*)

In *Romana Capellaniae die 12. Junii 1712* testator instituerat capellaniam in quadam Regularium ecclesia cum onere celebrandi aut celebrari faciendi missam quotidianam ac ipse primum capellanum nominavit virum N. eodem injuncto onere donec viveret, quo mortuo eamdem capellaniam indicatam ecclesiae Regularibus reliquit. Mortuo testatore cum existimata fuerit laicalis capellania, defuit enim Ordinarii auctoritas pro canonica erectione, vir N. in possessionem capellaniae devenit. Cum vero deinde matrimonium contraxisset putarunt Regulares praedicti non

*) Vd. *Capellania laicalis* (possessor).

posse virum N. capellania frui, quam ecclesiasticam renunciabant. Quaestio itaque mota est: An capellania de qua agitur sit laicalis sive potius ecclesiastica? Si enim laicalis judicata fuisset nihil impediebat quominus laicus conjugatus eam retineret, cui retentioni testatoris voluntas non refragabatur. Causa autem discussa S. C. C. censuit:

Capellaniam laicalem esse et respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

In *Auximana 15. Dec. 1787* testator capellaniam laicalem fundaverat favore suae familiae cui reliquit jus tam activum quam passivum patronatus. Primus capellanus a testatore nominatus capellaniam obtinuit et ex gratia s. Sedis eam in statu conjugali retinuit; verba enim testatoris videbantur exigere qualitatem ecclesiasticam. Primus autem capellanus jam senescens ac in magnam vergens inopiam postulavit a S. C. C. facultatem nominandi filium suum conjugatum in capellanum successorem. In examen causa revocata est et proposito dubio:

An sit concedenda Joachim facultas nominandi Hieronymum ejus filium conjugatum in capellanum successorem in casu? S. Congregatio respondit: Affirmative praevia dimisssione.

In folio eo tempore exarato ex officio observabatur favore oratoris quod testator praesertim in familiae commodum capellaniam fundaverat cum dictitare soleret haereditatem suam in beneficium consanguineorum cessuram fore. Quare s. Congregatio juxta testatoris mentem attenta paupertate in quam dicti consanguinei devenerunt censuit praefatam capellaniam posse a laico conjugato retineri quamvis testatoris verba praeseferre prima fronte viderentur clericalem qualitatem.

In causa *Civitatis Castelli die 1. Martii 1776* testator duas fundaverat capellanias ac voluit ut eae considerarentur tamquam legata perpetua et non aliter. Reliquit autem cuidam familiae jus nominandi capellanum; quibusdam vero aliis familiis jus passivum reliquit, quo descendentes clericos ex viro N. nominari prae ceteris ad capellaniam statuit. Contigit autem, ut ex viro N. nullus descendens clericus haberetur nullusque alius ex vocatis nisi puer sexennis extabat de quo dubitatum est: An capax esset assequendi dictas capellanias ac proposita sunt S. C. C. sequentia dubia:

I: An Paulus . . . nempe puer sexennis sit capax consequendi capellanias . . in casu?

Et quatenus negative,

II: An sit locus dispensationi in casu?

S. C. C. respondit

ad I: Affirmative;

ad II: Provisum in praecedenti.

Judicavit nimirum s. Congregatio puerum sexennem capacem esse consequendi in casu laicales capellanias neque dispensatione apostolica indigere quamvis non ad aetatem canonicam pertigisset septem annorum, qua recipere posset clericalem tonsuram.

Quamvis autem laicales capellaniae ex testatorum voluntate soleant exigere qualitatem saltem clericalem personae nominandae non inde consequitur, quod clericus nominatus teneatur oneribus, quae ex jure injunguntur illis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, cujusmodi est onus recitandi divinum officium juxta textum. in *cap. Dolentes 9 de celebrat. miss.* et *cap. Quia de rescriptis in 6.* Quare in *Perusina die 29. Augusti 1789* cum clericus obtinuerit capellaniam ac deinde dubitaverit an ea esset laicalis vel ecclesiastica ita ut teneretur recitare divinum officium sequens dubium s. C. C. propositum fuit resolvendum:

An capellania Massi sit ecclesiastica ita ut recitare teneatur capellanus divinum officium in casu?

S. Congregatio respondit: Negative in omnibus.

Capellaniae itaque laicales inter ecclesiastica beneficia non sunt recensendae sed considerari solent tamquam legata pia eo modo quo supra diximus.

Non raro accidit, ut inspectis testatorum verbis non clare appareat an testator jusserit capellaniam laicalem erigi an potius ecclesiasticam; in hoc dubio prout auctores docent capellania judicanda est ecclesiastica. Ad instar exempli adduci potest causa capellaniae, quae apud S. C. C. agitata est die 19. Aprilis 1863. Testator 1861 testamentum condens jure legati de pluribus suis bonis disposuit, quae tandem reliquit altari s. Francisci in ecclesia s. Mariae . . . ita ut constitui debeat capellanus*) amovibilis cum onere celebrandi

*) Vd. *Capellanus amovibilis*; *Capellania amov. p. 534.*

sex missas quotannis in perpetuum pro anima testatoris et celebrandi solemniter diem festum sancti Francisci. Voluit autem ut capellanus nominaretur a viro NN. et a suis disputatum itaque est: An capellania ita instituta reputanda esset ecclesiastica vel laicalis gravibus utrinque allatis rationibus. Patroni qui contendebant capellaniam esse laicalem ajebant ex adducta testamenti particula satis constare testatorem non aliud voluisse quam simplicem missarum officiaturam maxime cum nulla mentio facta fuerit de Episcopi auctoritate; tantummodo enim testator dixerat, ut capellanus ad nutum amovibilis nominaretur a viro NN. et a suis.

Ajebant insuper testatoris mentem apprime declarari per factum, quo nunquam canonicam erectionem intervenisse contendebant et usque ad annum 1810 Episcopos nominatis capellanis nunquam institutionem canonicam contulisse. Quae solemnitates intervenire necessario debent quando agitur de ecclesiastica capellania et quemadmodum harum solemnitatum interventus est criterium ad ostendendam capellaniae alicujus ecclesiasticitatem, ita earumdem defectus ostendit capellaniae laicitatem.

Neque opponi posse iidem patroni contendebant theoriam, quam tradunt auctores de ultimo beneficiorum statu. Ejusmodi enim theoria afferri potest quando agitur de quaestione, quae in possessorio agitatur, non vero de quaestione, quae in petitorio movetur cujusmodi erat praesens quaestio in qua non quaerebatur de ultimo capellaniae statu, sed de natura ejusdem capellaniae.

Curia episcopalis e contra contendebat capellaniam esse ecclesiasticam verumque ecclesiasticum beneficium illudque sine speciali dispensatione apostolicae Sedis possideri non posse nisi a clerico, qui incedat habitu et tonsura. Rationes autem, quas procurator fiscalis adducebat ad sequentes reducuntur: nempe ex canonistarum sententia capellaniam in dubio praesumendam esse ecclesiasticam. Licet autem erectionis decretum auctoritate Episcopi emissum in curiae tabulario non reperiretur id adscribi debere ajebat vicissitudinibus quas archivium passum est. Hujusmodi autem decretum canonicae erectionis adfuisse dicebatur tum quia testatoris verba non refragantur Episcopi interventui tum quia in antiquis actis ss. visitationum ejusmodi capellania appellata est beneficium de jurepatronatus: mentio fit in iisdem actis de jure nominandi et praesentandi capellanum amovibilem ad nutum ad dictum simplex beneficium. Hisce autem argumentum aliud adjungebatur ex paritate: nimirum idem testator iisdem testamentariis tabulis alteram capellaniam instituerat iisdem fere verbis jure legati eamque habitam semper fuisse tanquam ecclesiasticam nemine contradicente.

Proposito itaque dubio s. Congregationi Concilii:

An constet de capellania mere laicali, ut retineri valeat a laicis et conjugatis in casu?

responsum prodiit: Negative in omnibus. Censuit nimirum s. Congregatio non constare de laicali natura dictae capellaniae neque eamdem a laicis posse possideri.

Ex hactenus dictis liquet, quaenam sit praxis, quae obtinet apud ss. Congregationes cum agitur de indole harum capellaniarum, quantum discrimen inter utrasque interponatur et quaenam sint criteria quibus utraque eorumdem species dignoscatur. Censetur capellania laicalis quando excluditur a testatore ecclesiastica auctoritas in erectione ejusdem et actibus collationis, quo in casu Episcopus sua auctoritate intervenit dumtaxat ut defensor et executor piarum testatorum voluntatum. Si autem exclusa non sit isthaec episcopalis auctoritas capellania praesumenda est ecclesiastica ac proinde canonicae erectioni et collationi vel institutioni fit locus sicut evenit in beneficiis ecclesiasticis sive liberae collationis sive jurispatronatus.

Quemadmodum autem ejusmodi solemnitates intervenire debent cum agitur de capellania ecclesiastica, ita iisdem solemnitatibus intervenientibus deduci optime potest capellaniam esse ecclesiasticam maxime cum nihil impedit quominus capellania, quae forsan in sua institutione reputanda erat laicalis, per ejusmodi canonicos actus decursu temporis evadat ecclesiastica.

Cum autem capellaniae mere laicales aequiparari soleant legatis piis non subsunt illis legibus, quae in jure statutae sunt dumtaxat pro ecclesiasticis beneficiis: subsunt autem legibus, quae communes sunt legatis piis aliisque ex voluntate testatorum impositis legibus.

15) Ecclesiastica.

a) Beneficio aequiparatur.

Vd *Beneficium* t. II. p 394. n. 22, 23. *Capellania choralis* (beneficium etc. p. 538); *Discursus* p. 565.

Firmana.

Beneficia et capellaniae ecclesiasticae eodem censentur jure, *Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 3. n. 9.*, s. Congr. in *Camerinen. Capellaniae 15. Martii 1828. §. Precibus.*

Die 18. Febr. 1832.

Asculana.

Ecclesiasticam beneficio capellaniam aequiparari docet *Lotter. de re beneficiur. lib. 1. quaest. 3, s. Congr. in Montis Alti Capellaniae 22. Augusti 1795 §. Plura.*

Die 1. Sept. 1832.

b) Differentia inter capellan. eccles. et laicalem.
Vd. *Capellania* (differentia p. 563.)

c) Laicus possidere potestne?
Vd. t. II. p. 529. d.

d) Quae est?
Vd. t. II. p. 540. §: Franciscus; t. II. p. 919. §: *Capellaniam; Capellania (laicalis,* quae est?; differentia etc. p. 563.; nominatio — suspensio concessa etc., dec.: *Urbevetana)*; t. II. p. 573: *Aesina.*

Haeres vel executor testamentarius in erectione capellaniae auctoritatem Ordinarii haud potest adhibere eamque effigere ecclesiasticam si ipsa a defuncto sit in actu inter vivos erecta; potest vero si defunctus ejus erectionem demandavit in ultima voluntate dummodo ipse defunctus nec expresse nec tacite alienus fuerit ab ecclesiastica qualitate capellaniae.

Hinc non inutilis est inspectio quando defunctus alienus dici nequeat et quando dici queat alienus a qualitate ecclesiastica capellaniae. Si defunctus fuerit persona ecclesiastica, erectionem capellaniae demandaverit in certa ac determinata ecclesia, dotem et constituerit et ipsam capellaniam nominaverit beneficium et futuros capellanos rectores dici nequit alienus ab ecclesiastica capellaniae qualitate. Plene Rota *in Anconitana Beneficii 21. Martii 1746 per tot. cor. bon. mem. de Vais*, ubi ita fuit definitum non obstante quod a defuncto tributa fuerit primo capellano facultas capiendi propria auctoritate possessionem bonorum cum clausulis constituti et precarii eo quia fuit creditum dictam facultatem referendam esse ad tempus non adhuc sequutae erectionis.

Quod si defunctus excluserit Ordinarium ab institutione capellanorum pro tempore alienus omnino dici debet a qualitate ecclesiastica capellaniae, *Piton. de controvers. patron. allegat. 34. n. 40*, *Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 13. num. 4*, optime *Rot. cor. Seraph. dec. 611. num. 4, cor. Lancell. dec. 1030. n. 25 et sequent., in Tarraconen. Capellaniae 11. Martii 1748. §. 9. cor. illustrissimo Cortiada.* Idem asserendum est si bona non capellaniae sed capellanis reliquerit. *Piton. de controvers. patron. allegat. 49. num. 9 et 11.* et rursus *allegat. 87. n. 3, Lar. de anniversar. et capellan. lib. 1. cap. 8. num. 36, Rot. cor. Coccin. decis. 2244. n. 4* et *cor. Pamphil. dec. 87. n. 5,* tum si reliquit capellaniae sed expresso titulo stipendii et salarii capellani, *Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 31. n. 60 et sequent., Bord. de legat. missar. cap. 6. n. 32 et seq., Rot. in Civitatis Castelli Capellaniae 5. Apr. 1744. §. 10. cor. bon. mem. Viccecom., in Anagnina Capellaniae 16. Junii 1649. §. 3* et confirmatoria *30. Julii 1750. §. 4. cor. eminentissimo Mathaejo.*

In universum si defunctus disponendo de capellania aliquid demandavit quod convenit ecclesiasticae capellaniae alienus dici nequit a qualitate ecclesiastica capellaniae, contra vero si quid voluit capellaniae ecclesiasticae repugnans ab ecclesiastica qualitate capellaniae dicendus est alienus. Intellige tamen si agatur de persona, quae intelligat quid sit capellania ecclesiastica quidque sit capellania laicalis; nam si res sit de rustico, de muliere vel de aliis id genus nec tuto procedi potest cum dicta distinctione. Vide Rot. *in Praenestina Legati pii 21. Apr. 1749. §. 8. cor. bon. mem. Lana.*

Lauretana.

Pia femina Maria Gigliani ex oppido Cassianoduni Lauretanae dioecesis per actum donationis inter vivos anno 1669 de rebus suis ita disposuit, ut in area domorum suarum ecclesia sive oratorium cum adnexa habitatione aedificaretur utque bonorum ad se pertinentium redditus, quos utendos et fruendos sibi sospiti reservavit, in sustentationem impenderentur Sacerdotum qui juxta institutum s. Philippi Nerii communem vitam agentes eidem inservirent ecclesiae, ibi nimirum tres missas singulis hebdomadis celebrando et vespere quolibet functiones oratorii peragendo prout penes sacerdotes ejusdem congregationis in more est. Casum tamen piae donatrix praevidens quo sacerdotes deficerent, qui sub hujusmodi regula sese congregarent, tot

capellanos amovibiles *) ad nutum eligendos mandavit quot ex bonorum redditibus ali possent quia Patrum oratorii vicem gerentes iisdem praescriptis oneribus satisfacerent. Quinque executores suae voluntatis nominavit nempe Franciscum Stajani, Carolum Agricola, Antonium Franciscum Burratti, Joannem Dionisi et Bartholomaeum Pocini.

Defuncta Maria Gigliani executores nominati perpendentes ex una parte ingentibus opus esse expensis pro novae ecclesiae et habitationis aedificatione, ex alia vero sufficientes ad id redditus ex donatis bonis non suppetere, ut adeo nonnisi post plurium decursum annorum pia haec dispositio executioni committi potuisset, supplicem obtulere libellum oratorio, ut reposito consilio construendi novam ecclesiam facultates tribueret ut capellaniae erigantur in ecclesia s. Michaelis in eodem oppido extanti cujus rector erat Maceratensis Episcopus qui suum jam assensum praebuerat. Postulatis annuit Episcopus ac concessionis tabulae exaratae fuere inter praefatos executores et Maceratensem Episcopum die 7. Januarii anni 1692. Porro in narrativa tabularum parte habetur quod si sacerdotes non reperiantur qui oratorii regulam sectari velint duo capellani satisfacere debeant oneribus per ipsam Mariam Gigliani in dicta donatione ordinatis. Et quia exequutores praedictam concessionem impetraverant eo quod amplius procrastinare et differre satisfactionem sacrificiorum per dominam Mariam relictorum nolebant ideo in instrumento legitur, quod haec ecclesia capelllanis jam nominatis necessaria erat ad effectum in ea celebrandi Sacrificia omniaque alia divina officia et oratoria perpetuis futuris temporibus. Quibus dispositiva pars respondet in qua ecclesia capellanis concessa dicitur attentis divinis officiis ac piis exercitiis in dicta ecclesia faciendis quibus magis viget religio et cultus divinus cum fidelium fructu crescit accedentibus etiam patrum et capellanorum pia exemplaritate et charitate ac aliis.

Duo itaque capellani quot ex redditibus sustentari poterant usque ab anno 1692 Sacra ac functiones peragere juxta legem fundationis in ecclesia s. Michaelis ceperunt; qua et quousque facultate ignoratur. Progressu enim temporis accedit ut ecclesia hac fere diruta capellani alibi missas omissis oratorii functionibus celebrarent. Inpraesens autem ex quinque familiis exequutorum superstes habetur gens Dionisia, cujus natu major ex lege fundationis jus duos eligendi capellanos haberet: constat vero capellaniarum administrationem ferme semper ab iis qui ad eamdem familiam pertinent retentam fuisse, qui ubi sacerdotes actu non essent missarum onera per alios adimpleri praetermissis tamen oratorii functionibus curarunt.

Alter ex capellanis sacerdos Torquatus Dionisi diem obiit supremum 1839 et continuo in vacantis capellaniae possessionem immitti postulavit tunc bibistris clericus Scipio Dionisi, qui nominationem uti asserebat a majori natu ejusdem familiae retulerat quique sacerdotali charactere modo insignitus in praesenti judicio adstat. Sed ei obstitit apposito *Nihil transeat* Joseph Dionisi jam eo temporis conjugatus, qui bonorum capellaniae possessionem interea suscepit; egit ideo Scipio jure judicioque penes curiam pro appositi impedimenti laceratione. Prodiit porro illius ecclesiastici judicis praeambola opinio utrique inimica licet ibidem statueretur institutionem hanc utpote merum legatum pium a laicis quoque retineri posse, quam tamen partibus scilentibus nunquam sententia sequuta est.

Nuper vero cum praedictus Joseph ad secunda vota transiisset haud amplius moras nectere censuit sacerdos Scipio quin ab Episcopo postularet, ut declararetur adversarium Joseph utpote bigamum in caducitatem a capellaniae possessione incidisse; sed hoc unum obtinuit, ut interim bona capellaniae in administrationem traderentur ea praesertim de causa quod per plures annos missarum celebratio intermissa fuerat. Hinc Scipio exoptans rem hanc citius quo fieri possit expediri et absolvi preces s. Congregationi obtulit ad hoc ut praetensa caducitas declararetur.

Rogatus Episcopus informationem ac votum nonnullis quae ad facti speciem pertinent proexoratis ita suam relationem concludit: Nisi alia afferentur documenta satis non liquet quodnam jus competere possit Scipioni Dionisi oratori ad supradictas capellanias siquidem ipse gradu et generatione posterior est Josepho ejus adversario. Verum hujus quaestionis solutio (quam citissime definitam cuperem) ex eo etiam pendere videtur Dionisiis ut tandem statuatur utrum hujus-

*) Vd. *Capellan. amovibilis* (p. 534.); *Capellanus amovibilis.*

modi capellaniae laicales an vero ecclesiasticae haberi debeant aut melius nil aliud sint quam simplex legatum Dionisiorum fidei tantummodo commissum, ut ejusdem observantiam curent. Atque hinc est ut a sacra ista Congregatione responsum pro viribus expectem quo ducar in hac re pertractanda.

Adventa hac relatione et edito decreto ut causa proponatur in folio procuratores utrinque constituti fuere actumque fuit de dubii concordatione. Jamvero Scipio procurator seposita quaestione de jure quod clienti suo vel adversario ex nominatione aliove titulo competere possit ad capellaniae possessionem de indole capellaniarum potius inquirere satius in hac judicii sede censuit unde nedum caducitatis declarationem sed aliarum quoque controversiarum etiam quae inposterum oriri possent definitionem pendere existimat, hinc dubium proposuit in folii calce relatum. Haud equidem de dubii formula admodum laborans Josephi procurator illud tamen acriter contendebat nimirum pendentiam litis penes curiam promotae impedimento esse quominus inpraesens causa in s. Congregatione proponeretur. In partium itaque contradictione alteram hanc incidentalem quaestionem una cum merito EE. VV. judicio remittendum censui, altero cincinnato dubio quod ad folii calcem pariter exscriptum legitur. Pro causae vero propositione hodierna comitia destinata fuere. Sed ex parte tantum procuratoris Scipionis allegationem accepi cujus summam heic exponam. Josephi enim procurator cum jam folium sub pretio esset dilationem postulavit, verum altera parte obsistente hujusmodi petitionem ad judicium Vestrum EE. PP. aeque remisi.

Ad incidentalem itaque controversiam quod attinet monet orator tunc litis pendentiam ut ajunt judicio posterius introducto officere posse cum in hoc etiam de eodem ipso causae merito agatur interque eas personas. At vero judicium in curia institutum nihil commune habere cum hoc altero noviter suscepto. In illo enim agebatur de immissione ad capellaniam ac de laceratione impositi ex adverso impedimenti *nihil transeat* ceu in libelli verbis legere est, in hoc verbo de indole capellaniae decernenda agitur ad effectum declarandae caducitatis in quam Joseph adversarium incidisse existimant ob defectum adamussim qualitatis sacerdotalis vel saltem clericalis quae ex lege fundationis, ejus sententia, requiritur. Quamobrem vel ipse Episcopus hujus controversiae definitionem a s. Congregatione vehementer praestolatur.

Quoad princeps causae meritum duplici sub aspectu ecclesiasticitatem capellaniae considerari posse perpendit nimirum vel quoad ipsam capellaniam vel quoad personas nominandas. In themate disquisitione posthabita an indoles capellaniarum de quibus agitur laicalis vel potius ecclesiastica censenda sit demonstrandum sibi assumit qualitatem sacerdotalem sin minus clericalem *) requiri in personis ad easdem nominandis quod satis est ut caducatus Joseph declaretur nedum quia laicus est sed etiam quia bigamus. Porro praemittit quod etsi juris dispositio obtineat capellanias laicales posse etiam a laicis possideri **) attamen limitationem id patitur, ubi contrarium sive expressa sive tacita lex fundatoris suadeat. Non enim repugnat capellaniam esse laicalem quodque nihilosecius ex lege fundationis nounisi iis debeat conferri qui vel ecclesiasticae tonsurae initiati vel sacerdotali charactere insigniti sunt; nec praeterea novum quod ubi laicos arceat a capellania etiam laicali vel pio legato assequendo testatoris voluntas religiose haec sit observanda ceu expendunt *Gonzalez. ad reg. 8. Cancell. gloss. 27, Garzia de benef. §. 7. cap. 1. n. 84, Card. de Luca de benef. disc. 61. n. 4 et disc. 96. n. 5, s. Rota in decis. 477. nuper. tom. 1.*, in *Sennogallien. Capellaniae laicalis 25. Febr. 1763. §. 4. cor. Ratto.* Quo quidem in casu capellaniam dicere sueverunt doctores laicalem quoad ceteros juris effectus, ecclesiasticam quoad personam nominandam quod sane non repugnat, s. Congregatio in *Firmana Capellaniae 7. Junii 1758. §. Hoc sane.*

Haec fuit fundatricis etiam voluntas. Atqui usurpatio ipsa vocabuli *sacerdoti* indigitat non alios redditibus hisce frui posse nisi qui in ordine presbyterali constituti forent, quod si aliquando appellatio haec simplicibus etiam clericis convenire videatur nunquam tamen de laicis intelligi posse patet. Ex relata imo particula infert fundatrici fixum destinatumque in animo fuisse bona sua conferendi ad institutionem vere ecclesiasticam uti ea est ad quam Patres oratorii primo loco vocati sunt.

Quin obsit quod donatricis voluntas hac

*) Vd. *Capellania clericalis, sacerdotalis.*
**) Vd. *Capellania laical.* (possessor laicus.)

in parte executioni demandata non fuerit; hunc enim et ipsa casum providens voluit ut quoadusque oratorium institui non posset capellani ad nutum amovibiles eligerentur qui loco sacerdotum oratorii omnes sacras functiones quas illi assolent interea peragerent. Patere hinc capellanos iisdem oratorii sacerdotibus suffectos ac subrogatos et temporanee quidem ab ipsa institutrice fuisse ac adeo necesse est, ut capellani illis omnibus polleant qualitatibus ad effectum de quo res ut vice illorum rite fungi valeant. Hujusmodi enim est subrogationis natura ut subrogatus debeat in se continere qualitates omnes ac conditiones illius cujus loco est subrogatus. *Fagnan. in cap. Episcopi de praeb. et Dignit. n. 45* et in *cap. Ad audient. 2. de rescript. n. 57.*

Sed qualitatem ecclesiasticam capellanorum luculenter evinci ex verbis quibus fundatrix usa est cum praelationem descendentibus a Francisco Scaramucci et Silverio Pucini attribuens hosce praeferendos edixit quia aptitudo et habilitas eorum necessario secumfert qualitatem sacerdotalem actu vel habitu*) unde injunctis muneribus capellani satisfacere valerent. Idipsum clarius suadere onerum indolem ac naturam, quae inter adnumeratur missarum celebratio. Cum vero fundatrix jusserit non di far celebrare sed di celebrare **) consequi injunctum fuisse capellanis onus celebrandi per se ipsos non vero per alios ***), sin minus inficiari posse neminem ad capellanias non alios aspirare posse nisi qui habitu saltem si non actu sunt sacerdotes, qui nimirum in ea conditione versantur ut injunctum celebrationis missarum onus adimplere aliquando per se valeant ceu observant *Lambertin. de jurepatr. part. 1. lib. 2. quaest. 7. art. 29, s. Rota in decis. 477. n. 4. nuper. tom. 5* et in *Sutrina Capellaniae 4. Junii 1785. §. 6. cor. Lancellott.*

Quae cum ita sint haud obstare contendit quod eadem fundatrix voluerit bona a se donata non uti ecclesiastica sed uti laicalia ac libera censenda esse, cum id quod ad naturam capellaniae vel potius bonorum demonstrandam refertur non impediat quominus capellani ecclesiastici esse debeant. Nec ceteroquin veritati consentaneum esse monet quod ex adverso obtruditur quoad bona haec quod nimirum illorum administratio non ad capellanos sed ad majorem natu familiae Dionisi pertineat. Rem enim conficit orator ex tabulis donationis, quae facta ibidem legitur non favore senioris familiarum vocatarum sed in sustentationem Patrum oratorii ubi adessent vel capellanorum. Quinimo notat eam fuisse fundatricis voluntatem, ut nisi inveniri possent capellani bona cederent favore s. domus Lauretanae; tantum abest ut senioris ex familiis vocatis utilitati prospicere ipsa voluerit.

Difficultatem pariter non facessere urget etsi detur canonicam in themate institutionem defecisse. Nam et capellaniae etiam, quae nullam habent formulam fundationum cum auctoritate Superioris, quamvis non cum regulis beneficialibus sed cum terminis ultimarum voluntatum metiendae sint, attameu si de fundatoris voluntate constet quod sint sacerdotales illa attendenda est inquit *Card. de Luca de benef. disc. 96. n. 5.* Atqui argumenta potius non deesse subsumit ex quibus colligitur Ordinarii auctoritatem in hac institutione non defuisse. Nam exequutores testamentarii petierunt ab Ordinario facultatem erigendi capellanias in ecclesia s. Michaelis et Episcopus rescripsit: »Licentiam concedimus et impertimur juxta petita.« Praeterea stipulationem concessionis ecclesiae s. Michaelis ubi erectae fuerunt capellaniae ratam habuere Episcopus et s. Congregatio EE. et RR. Denique in antiquissima tabella onerum extanti in collegiata ecclesia s. M. Cassiani adnotatur capellaniam Gigliani erectam ab Episcopo fuisse die 23. April. 1693. Id vero omnino consentaneum deprehendi fundatricis voluntati quae expresse jussit dispositionem suam esse adimplendam »ottenuto prima la licenza di Monsig. Vescovo.«

Postremo loco ad observantiam eamque fundationi proximam provocat defensor ex qua constat non aliam fuisse patronorum sententiam quoad requisitam capellanorum ecclesiasticam qualitatem. Documentis enim exhibitis refert die 1. Dec. 1746 sacerdotem Carolum Bartholomaeum Dionisi removisse a capellaniae possessione suum germanum fratrem Josephum Antonium quia erat clericus conjugatus ac seipsum ejus loco nominasse. Item die 30. Aug. 1749 eundem patronum ad capellaniam nominasse fratrem suum minorem Alexandrum. Hanc vero in Dionisiorum familia constantem fuisse traditionem probat testimonio Caroli Dionisi majoris natu in familia a quo Scipio suffragium nominationis

*) Vd. *p. 410. notam* **).
**) Vd. supra: *Discursus p. 565.*
***) Vd. *t. II. p. 164. n. 21. etc.*

retulit. Affert demum plurium capellanorum seriem ab initio institutionis usque in praesens quos omnes sacerdotali vel clericali qualitate praeditos fuisse constat. Quanti vero observantia fundationi praesertim proxima facienda sit nemo ignorat, quae quidem apta etiam est beneficii statum immutare ceu docent *Vivian. de jurep. part. 2. lib. 6. cap. 6. n. 61, Card. de Luca de benef. disc. 96. n. 6.*

Quibus praehabitis proponuntur

Dubia:

I. *An obstet litis pendentia in casu?*

II. *An constet de ecclesiastica qualitate capellaniae ita ut sit locus caducitati in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Dilata.

Die 24. Apr. 1858.

Continuatio.

Iterum datis vadimoniis redit causa in hodiernis comitiis. Cum vero nihil novi exhibuerit clericus Scipio Dionisi ad ea se referens quae in anteacta propositione diseruit reliquum est ut per summa capita momenta rationum attingam quae enucleate exponit Josephi defensor in allegatione distribuenda.

De incidentali quaestione agens defensor contendit obstare litis pendentiam coram episcopali curia jam ab anno 1839 institutae ne praesenti judicio locus fiat, cum in hoc ipso judicio revere de eodem causae merito agatur interque easdem personas, quod sat est hujusmodi impedimento ex litis pendentia parando ipso fatente adversario ex censura juris *in Leg. 30. ff. de judic. leg. 19 eod. de jurisd.* et ex *cap. Cum dilectus* et *cap. Tuam de ordin. cognit.*, sed non ex communi DD. sententia quos inter *Lancellot. de attent. cap. 4. limit. 2. n. 67, Soccin. Cons. 30. lib. 1. n. 7.*, ac demum ex decisionibus s. Rotae ceu in *decis. 91. part. 6. n. 19. decis. 178. part. 17. n. 21. recen.* Compertum porro esse praesentem litem: a Scipione in eundem patruum suum Josephum agi in quem alteram coram curia excitaverat. Nec dubitandum unum idemque esse utriusque judicii meritum, si perpendatur contrariae petitionis fundamentum in utroque judicio sive coram curia in qua immissionem ad capellaniam postulavit Scipio sive coram s. Congregatione a qua Joseph caducatum declarari petiit in eo tantum consistere quod scilicet contenditur capellaniam in casu nonnisi a clericis retineri posse adeoque ab eo removendum esse Joseph utpote conjugatum. Re enim vera in statuenda indole ac natura capellaniae tota versatur praeambula opinio a curia edita unde institutae litis definitio pendere debuisset. Quod insuper arguit orator ex pluribus aliis actis a Scipione interea tempore expletis in quibus omnibus ob eam tantummodo causam capellaniae compendium sibi uni competere propugnavit, quia ex lege fundationis sacerdotalis vel saltem clericalis qualitas in capellano requiritur. Ceterum nihil referre concludit quod in primarum instantiarum judicio de immissione agatur, in hoc vero de caducitate decernenda cum petitio immissionis alteram caducitatis necessario comprehendat ac vicissim ceu res per se loquitur ipsa.

Ad principem quod attinet quaestionem praemisso laicam capellaniae de qua agitur indolem in discrimen revocari non posse, quod eruit tum ex tabulis fundationis in quibus capellaniarum institutarum bona declarantur perpetuo esse debere laicali e liberi nec sottoposti ad alcun vincolo o peso ecclesiastico, tum ex defectu canonicae erectionis qualis censeri nequit instrumentum seu conventio inita inter executores testamentarios et Episcopum Maceratensem, qua rectorem ecclesiae s. Michaelis cujus usum ibi Episcopus iisdem executoribus cessit, singulis deinde ex adverso objectis occurrere satagit ut evincat nec sacerdotalem vel clericalem qualitatem requiri in personis ad easdem capellanias nominandis cum hujusmodi qualitatem quam capellaniae indoles plane non exigit nec ab expressa nec a tacita fundatricis voluntate arguere in themate liceat ceu ex adverso contenditur. Deest enim expressa voluntas quippe fundatrix in substitutionem Patruum oratorii non sacerdotes aut clericos sed vocavit solummodo »tanti capellani amovibili a beneplacito«, qua quidem sub generica nuncupatione »capellani« laicos quoque comprehendi monet s. Rota in *Praenestina Capellaniae 26. Junii 1840 coram Emmo de Silvestris §. 4.*

Deesse pariter tacitam voluntatem. Nam principio ex natura ipsa laicalis institutionis contrarium potius retinendum censet Orator cum deficiente expressa voluntatis significatione praesumendum in dubio sit fundatricem confirmare in omnibus ac adeo quoad conditionem etiam capellanorum sese voluisse naturae actus qui ab ea fuit expletus jurisque sanctionem qua actus ipse regitur juxta ea quae habent *Gratian. discept. foren. cap. 2. n. 3, Piton. de contr. patr. alleg. 36. n. 44.* et s. Rota in

Alatrina Dotis et legitim. 30. Jan. 1845. coram Emmo Morini §. 3 et in *Fanen Restitutionis in integrum 6. Martii 1851 coram R. P. D. de Witten §. 7.*

Atqui tacitae hujusmodi voluntatis significationem immerito a verbis in institutione adhibitis ejusque contextu inferre conari adversarium propugnat. Falso enim voluntatem fundatricis excludendi eos, qui sacerdotali aut clericali qualitate non pollerent, inferri inprimis ex eo, quod ipsa usa fuerit vocabulo »sacerdoti« quando de Patribus oratorii verba fecit. Nam cum hujusmodi appellatio prorsus praedictis oratorii Patribus conveniret aptari non poterit capellanis qui in illorum locum vocati sunt quippe dispositio quoad oratorii Patres nihil habet commune cum dispositione circa capellanos. In altera siquidem nedum animae suffragium sed populi etiam spirituale bonum et divini cultus augmentum voluisse videtur fundatrix, in altera vero id tantum ei in votis fuit ut in tuto ponerentur imperata piacula nominatis interim capellanis qui forent amovibiles ad nutum et sive per se sive per alios illorum implementum curarent. Imo cum diversam in utroque locutionem exhibuerit ex quo de Philippinis sermonem habens eos semper appellaverit »Reverendi Padri sacerdoti«, contra vero de capellanis loquens illos simpliciter vocaverit »capellani« nulla alia denominatione adjecta, subinfert defensor in illis quidem sacerdotalem qualitatem voluisse quam quidem expressit, in istis vero cum non expresserit noluisse ob validissimum discretivae argumentum, quo nullum aptius ad disponentium declarandas voluntates teste s. Rota in *Anconitana Immissionis quoad remjudicatam 14. Jan. 1828 coram Emmo Patrizi §. 17* et in *Asculana Jurisp. 21. Junii 1839. cor. Emmo Bofondi §. 6.*

Nec magis recte objici capellanos fuisse Patribus oratorii subrogatos adeoque iisdem legibus et conditionibus subjectos. Cum enim ea sit subrogationis natura juxta regulam ex adverso invocatam, ut in subrogato qualitates omnes et conditiones illius currere debeant cujus in locum est subrogatus sequitur capellanos subrogatos oratorii Patribus haberi non posse nisi probetur illis easdem ac istis conditiones et qualitates tributas fuisse. Atqui aliter fundatricem se gessisse constat, quum Patres oratorii ad pii legati compendium principaliter vocaverit, capellanos vero secundario et in subsidium dumtaxat quatenus non reperirentur sacerdotes qui juxta s. Philippi institutum agere vitam vellent, quum Patres oratorii bonorum redditus perpetuo frui voluerit, capellanos autem ad tempus solummodo quousque scilicet oratorii Patres non reperirentur, quum demum Patres oratorii inamovibiles, capellanos vero amovibiles ad nutum esse debere praeceperit. Quamquam subrogatione etiam admissa non praeterit in adducti principii vim consequi, ut capellaniis frui non possent uni sacerdotes actu quales oratorii Patres esse debuissent, minime vero sacerdotes habitu sive simplices clerici adeoque a capellaniae compendio exclusus vel ipse Scipio maneret qui simplex clericus est non vero sacerdotali charactere insignitus seu ex errore in anteacta propositione enunciatum fuit.

Nec praeterea juvari adversarium ex eo quod fundatrix praelationem tribuens filiis ac descendentibus a Francisco Scarramuccia et Silverio Pacini usa fuerit hujusmodi dictione »quatenus possero atti per capellani.« Nam ubi hoc verbum »atti« ad qualitatem sacerdotalem vel clericalem referri debeat plane cum praeferendos fundatrix edixerit descendentes Scaramuccia et Pacini quoties hujusmodi qualitate praediti forent haud sequitur eamdem requisitam fuisse in ceteris omnibus qui nullo praelationis jure fruuntur. Perperam item praetendi onus fuisse capellanis impositum celebrandi per se ipsos, unde qualitatis sacerdotalis necessitas, quia fundatrix verbis usa est »di celebrare« minime vero »di far celebrare«. Quippe nedum non adempta sed data imo facultas censetur per alios celebrandi ubi in impositione hujusce oneris »di celebrare« addita non fuerint verba »per se ipsos« ceu tralatitii juris est testantibus *Lotter. de re benef. lib. 2. q. 47. n. 34, Piton. de contr. patr. alleg. 28. n. 1,* s. Rota *decis. 162. n. 13 et 345. n. 6. part. 12. rec. decis. 7. de jurep. n. 4. coram Falconer.* et s. Congregatio in *Bononien. Capellaniae 27. Febr. 1836. §. Transitum,* in *Firmana Commutat. volunt. 29. April. 1837. §. Ad assertam.*

Nihil insuper relevare assertam ex adverso observantiam ex eo evincit, quod non probetur patronos praesentasse sacerdotes vel clericos coacte sive ex necessitate et non ex voluntate. Hinc etsi constaret de observantia in genere haud ex ea praesidium captare posse adversarium cum vulgatissimum in jure sit nullam inesse observantiae vim quae non ex lege fundationis inducta fuerit sed ex actibus mere facultativis et absque partium

contradictione constituatur, ceu ad rem docent *Piton. Controv. part. alleg. 84. n. 5*, *s. Rota decis. 163. part. 12. recen. n. 19* et in *Praenestina Capellaniae 26. Junii 1840. §. 8. coram Emmo de Silvestri.* Eoque minus ea vis hujusmodi observantiae tribui poterit ut statum etiam immutet beneficii ceu pariter ex adverso contenditur, *s. Rota in Cervien. Canonicatus 12. Dec. 1836. cor. de Petro §. 4.*

Proinde ad peculiaria allegata in contrarium facta quod spectat nihil officere observat quod Carolus Bartholomaeus Dionisi anno 1746 a capellania removerit fratrem suum Joseph Antonium, quia erat bigamus, vel quod anno 1749 nominaverit alterum fratrem Alexandrum ea conditione, ut infra quadrimestre tonsura initiari deberet. Hujusmodi enim actus repetendos existimavit a patroni arbitrio, cui ex fundatione, deficientibus filiis Scaramuccia et Pacini praelationis jure unice donatis, integrum erat capellanos »amovibili a beneplacito« pro suo lubito removere et quos maluisset ad capellanias nominare atque eas demum nominatis conditiones imponere quae sibi magis placerent.*) Quin rem mutare possit, quod Bartholomaeus declaraverit sese ad remotionem processisse ex eo quod Joseph Antonius esset bigamus conjugatus, cum enim constet veram remotionis causam in eo fuisse quod Bartholomaeus ipse in fratris locum se nominare cupiebat, uti reapse se nominavit. Aliunde enim in facto est, Josephum etsi bigamum sub patroni et Ordinarii oculis novem ferme annorum spatio capellaniam sine querela retinuisse. Ceterum et alios plures in capellaniarum possessione pacifice fuisse versatos licet nec sacerdotali nec clericali qualitate praeditos observat orator, quos inter commemorat Alexandrum Joannem necnon clientis sui patrem Scipionem Dionisi. Nec praeterit vel ipsum Carolum Dionisi familiae seniorem in vacatione capellaniae anni 1839. nedum passum fuisse ut ad eamdem se nominaret Joseph quamvis esset conjugatus, verum etiam non dubitasse capellaniarum redditus cum ipso Joseph aequis dividere partibus, unde ex hoc facto, quod potentius est verbis, reprobasset testimonium ex adverso relatum, in quo asseruit constantem fuisse in Dionisiorum familia traditionem, ad capellanias illos vocari tantum qui sacerdotali vel clericali qualitate pollerent.

*) Vd. *t. II. p. 362. n. 5.*

In postrema denique defensionis parte demonstrare studet orator, Scipionem legitimum contradictorem censeri non posse quippe qui omni caret activo ac passivo jure quoad capellaniam a cujus possessione patruum suum Joseph exturbare conatur. De activo jure patulo est lex fundationis illud ad familiae Dionisiorum seniorem pertinere adeoque jus hujusmodi defuncto nuper Carolo Dionisi competeret inpraesens ipsi Joseph qui senior in familia est. De passivo autem jure nemini illud competere palam ex eo est, quod exceptis filiis Scaramuccia et Paciui quoad reliquos nominandos plenum patronis arbitrium reservatum fuit. Quin juvari possit Scipio ex nominatione in sui persona per semet peracta anno 1839. auctorante ut inquit Carolo Dionisi, tum quia praesumi nequit Carolum huic nominationi auctorem fuisse, quem constat e contra, ut supra monitum, nominationem Josephi facto suo penitus comprobasse, tum quia non licuisset Carolo activum nominandi jus Scipioni cedere in evidens Joseph praejudicium, ad quem uti natu majorem post ipsum Carolum juris illius exercitium pertinuisset. Quibus positis consequi, nullum Scipioni jus esse ad Josephi a capellaniae possessione caducitatem hoc in judicio urgendam, siquidem legitima necne possessio haec haberi debeat, nullum exinde Scipionis juribus praejudicium obveniet, qui omni jure destituitur.

Re enim vera caducitate*) decreta non inde capellaniae possessionem adipisci Scipio posset, sed integrum maneret Josepho, qui natu major modo est, quem malet nominare quin Scipionem praeferre teneretur.

Nec praelationem sibi vindicare posse contendit adversarium e canonica aequitate ob suam cum patronis consanguinitatem, monens praelationem certis casibus canonica suadente aequitate utiliter posse invocare non patronorum, sed ipsius fundatoris consanquineos. Praeterea jus praelationis excludi ex praesumpta fundatricis voluntate utpote quae praelationem cohibuit ad duos descendentes a familiis Scaramuccia et Pacini, adeoque praesumitur voluisse ad ceterorum patronorum filios extendere, cum inclusio unius sit exclusio alterius, ex tritissimo juris adagio, quaeque patronorum arbitrio permisit capellanos pro lubitu removendi, quos proinde

*) Vd. *p. 6.*

voluit esse »amovibili a beneplacito:« amovibilitatis porro notam cum jure praelationis pugnare evidens est. Inde cum nullo quoad controversam capellaniam jure Scipio potiatur infert orator a praesentis judicii observantia absolvendum esse Joseph cui sufficit vincere ob non jus actoris, juxta juris axioma, quod in beneficiariis quoque rebus obtinere docet *Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 42. n. 24.* ac tradit *s. Rota in decis. 64. §. fin. coram Caprara* et in *decis. 9. tit. de resc. et Lit. apost. cor. Falconer. n. 11.*

Denique in qualibet hypothesi Joseph caducitatem decerni posse quoad unum passivae nominationis jus, minime vero quoad bonorum possessionem et administrationem concludit utpote quae activo patronatus juri ex lege fundationis inhaeret cujus vi fructus tantummodo bonorum capellanorum alimentis cedere debent ceu observat etiam praeambola opinio curiae, quod ceteroquin in capellaniis ad nutum amovibilibus juris dispositioni consentaneum est monente *s. Rota in decis. 249. part. 5. tom. 1. n. 7. recent.* Difficultatem non facessere, quod fundatrix jusserit ut nisi inveniri possent capellani bona cederent favore s. domus Lauretanae. Ex dispositione enim in remotissimo isto casu constituta haud inferre licet administrationem denegatam fuisse patronis in casu omnino diverso, quo capellani inveniri valent.

Quibus praejactis redeunt dubia:

I. *An obstet litis pendentia in casu?*

II. *An constet de ecclesiastica qualitate capellaniae ita ut sit locus caducitati in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Provisum in primo.

Die 24. Julii 1858.

Salvator P. in oppido N. capellaniam erexit in quodam ejusdem oppidi templo: suo testamento anno 1685 dotem adsignavit sc. 800 praecipiens, ut duo capellani eidem capellaniae inservirent et fructibus ejusdem dotis fruerentur.

Idem pius fundator elegit duos capellanos scilicet Joannem Sergium filium Virginiae et Dominicum Sergium filium Laviniae quae erat fundatoris neptis. Inde edixit legem, qua dictae capellaniae juspatronatus sive activum sive passivum regeretur his verbis: »Usque dum durabunt descendentes e domo dictae Laviniae, Virginiae et Artemisiae aut ex parte Caeciliae G. sororis meae seu ejus heredes, facultatem habeant eligendi in capellanos amovibiles et non secus; et si in hisce duabus familiis reperiantur plures clerici vel sacerdotes semper primi nominentur, ut quum sint clerici possint quoque ordinari ad titulum capellaniae.«

In tabulis vero codicillaribus anno 1686, re paulisper mutata, idem testator edixit »ut nominatio fieri debeat a descendentibus e domo dictae Caeciliae G. ipsius sororis et Laviniae Sergii ipsius neptis seu descendentibus per lineam masculinam, qui si non exsistant, talem electionem habeant illi ex linea feminina et supervenientibus descendentibus in linea masculina talis electio ad hos redeat et ita semper procedat; sed capellani perpetui sint semper qui primi sunt ex linea masculina si habeantur sacerdotes vel clerici secus nominentur capellani amovibiles ut supra quousque veniant descendentes.«

Mortuo testatore tum Caecilia G. tum Lavinia Sergia Episcopo se stiterunt postulantes, ut sibi concederetur juspatronatus et expedirentur bullae collationis pro primis nominatis a testatore.

Episcopus precibus annuit et die 14. Martii anno 1687 haec decrevit: »Universis . . . notum sit . . ., quod fuit hodie . . . oblata petitio, quae continet . . . Salvatorem P. . . . erexisse . . . . et reliquisse pro ejus dote scutata 800 in tot censibus et ordinasse, quod patroni absoluti fructuum scutatorum dictorum 800 sint et esse debeant pro aequali portione clerici Joannes filius Antonii Sergii et Dominicus filius Sulpitii Sergii, quos in capellanos perpetuos dictae capellaniae in praedicto testamento et codicillo nominavit et praesentavit, et decedentibus istis illi, qui praesentati fuerint a descendentibus Laviniae et Caeciliae provenientibus *a linea masculina si aderint*, sin minus provenientibus ex linea feminina (quando vero masculi aderint), quos masculos voluit semper et in perpetuum praeferri in hujusmodi jurepatronatus, quibus facultatem dedit praesentandi ad eandem capellam toties, quoties casus vacationis evenerit, sacerdotes seu clericos primos de dictis familiis in capellanos perpetuos, alias istis deficientibus ordinavit eligi amovibiles ad nutum donec aderint in dictis familiis sacerdotes seu clerici. . . . Et propterea, quum jam per heredes fuerit facta adsignatio . . , cupere, ut concessionem hujusmodi jurispatronatus et juris praesentandi cum omnibus

et singulis juribus . . . necnon bullas collationis ejusdem capellaniae dictis clericis . . . concedere dignaremur. Nos igitur hujusmodi votis et precibus annuentes . . . auctoritate ordinaria, qua fungimur, concessioni et fundationi capellaniae . . . . assentientes . . . . stante citata dispositione, erectione et dotatione concedimus cum potestate praesentandi capellanos . . . literasque bullares collationis hujusmodi capellaniae erga praedictos clericos . . . fieri mandamus etc.«

Eadem die 14. Martii Episcopus mediam capellaniae partem per bullam contulit Joanni Sergio et dein die 7. Aprilis alteram mediam partem per bullam contulit Dominico Sergio.

Anno 1858, vacante capellania, Antonius Sergius cogitans capellaniam esse mere laicalem possessionem integram ejusdem ex se cepit eandemque retinuit, qui clericus quidem erat, sed multis abhinc annis non amplius incesserat habitu et tonsura.

Aegro animo id diu tulit Angelus Sergius, qui nunc sacerdotio initiatus supplices preces admovit SSmo Patri exponens, se utpote presbyterum et descendentem ex linea Sergiorum a fundatore praedilecta vocari ad possidendam capellaniam: ideoque petiit, ut remoto illegitimo detentore Antonio, in possessionem capellaniae rite immitteretur.

Hoc resciens quidam Petrus D. Archipresbyter in eodem oppido preces et ipse admovit S. C. asserens, ex testamento Salvatoris ad dictam capellaniam se quoque passive vocari; immo utpote fundatori proximiorem et in ordine presbyteratus antiquiorem ceteris esse praeferendum.*)

Episcopus ad quem preces remissae sunt pro informatione et voto inter cetera retulit capellaniam esse ecclesiasticam, lineam praelectam jugiter jure activo et passivo gavisam fuisse; sacerdotem Angelum Sergium ex parte patris e linea masculina a testatore praedilecta, ex parte autem matris e linea feminina descendere; Petrum D. Archipresbyterum a linea feminina derivare; stipem autem Antonii Sergii, qui integram capellaniam, ut dixi, detinebat, non cognosci, ut ejus propinquitas cum linea praedilecta probari posset; eundemque plurimis abhinc annis habitu et tonsura non incedere. Censebat autem quum duo esse deberent capellani, primum esse debere presbyterum Angelum, secundum autem Petrum D. Archipresbyterum.

Post haec ex jussu S. C. publicatis ab Episcopo edictis se stiterunt curiae episcopali alii tres utpote clerici et descendentes e linea Sergia et ut nominati ab aliis nonnullis, qui se dicebant patronos; atque alii quoque consurrexerunt patroni, qui suffragium suum dederunt dicto presbytero Angelo. Episcopus omnia ad S. C. remisit.

Antonius contendit, se jure capellaniam possidere, quod ex una masculina linea Sergiorum descenderet, quum eodem cognomento appellaretur et capellania laicalis esset.

Quod capellania esset laicalis ostendere curavit ex eo, quod fundator capellaniam amovibilem instituerit; amovibilitatem autem non cohaerere cum beneficiis ecclesiasticis, quae natura sua perpetua esse debent.*)

Neque rationem esse habendam episcopalis decreti, quod superius exposui, et institutionum episcopalium, quae inde subsequutae assererentur: quamvis enim episcopale erectionis decretum locum tantum habeat in erigendis beneficiis ecclesiasticis, tamen in illo de quo agimus non legi consuetum verbum *erigimus* etc. Quod si tamquam episcopale erectionis decretum considerari vellet in comperto tamen esse inquiebat, ejusmodi decreta pervertere non posse fundatorum voluntatem; neque fas esse Episcopo capellaniam laicalem in beneficium erigere; Corradus *in prax. benef. l. 2. c. 16. n. 145*, Pitonius *de controvers. patron. alleg. 33. n. 87* ceterique passim.

Multoque minus obesse posse contrariam observantiam, quae e contrario assereretur tantum et non probaretur; eaque etiam probata nihil posse inferri, quum ex actu arbitrario derivans contra fundatoris voluntatem procederet.

Porro neminem latere ejusmodi capellanias laicales regi non jure beneficiorum, sed jure successionum juxta fideicommissorum leges, salvo jure Episcopi invigilandi super onerum implemento; easdemque considerari quoque uti mera pia legata, ceu passim auctores tradunt.

Ergo inferebat, se jure ad simplex mandatum possessionem capellaniae cepisse eandemque posse retinere etiamsi habitu clericali non incederet.

E contrario animadversum est, capellaniam videri ecclesiasticam. Capellaniam enim ecclesiasticam reputari solere, si haec indicia concurrant: quod peculiarem dotem habeat, proprium titulum, suum altare, certum missarum onus, subjecta sit Episcopo ejusque visitationi, ceu perpendit s. Rota *in Papien. Beneficii 28. Januarii 1754. §. coram Borul.* Haec autem indicia concurrere in capellania de qua agimus.

Neque obstare ejus amovibilitatem, quum aptitudine sua perpetua esset, quod ad indolem capellaniae ecclesiasticae sufficeret, ceu tradunt Barbosa *jur. eccles. univers. l. 3. c. 4. p. 2. n. 7.* aliique.

Praeterea in praesenti themate concurrere episcopale erectionis decretum, in quo licet non haberetur verbum *erigimus* aequivalentia verba haberentur, ut haec: *auctoritate ordinaria, qua fungimur, concessioni et fundationi capellaniae assentimur . . . juspatronatus concedimus . . . . facimus potestatem praesentandi capellanos . . . literas collationis fieri mandamus.*

Ipsam denique collationem seu episcopalem institutionem in capellania per bullas ostendere, eam ecclesiasticam esse, ceu passim adnotatur in causis S. C. C., Episcopum autem testari per episcopales bullas datam fuisse canonicam institutionem in capellania de qua agimus, ex quo idem Episcopus arguebat, eam ecclesiasticam esse.

Post haec disputatum est, quinam ex praesentatis consequi deberet capellaniam: quam molestam nec utilem facti quaestionem omittimus.

Dubium:

I. An constet de legitima possessione capellaniae favore (*Antonii Sergii*) in casu?

Et quatenus negative,

II An, quomodo et cujus favore danda sit capellania in casu?

S. Congregatio Concilii die 13. Junii 1868 distulit resolutionem ad sequentem Congregationem per consuetam formulam: *Dilata ad sequentem.* Juxta hoc mandatum reproposita fuit causa die 18. Julii sequentis, sed quum in pervigilio propositionis nova documenta adducerentur, iterum responsum prodiit: *Dilata ad sequentem, habita ratione novorum documentorum.*

Nova documenta quae sunt deducta haec ostendebant: id est, duos capellanos capellaniam semper possedisse: recentiori saltem tempore capellanos non cepisse possessionem ejusdem per institutionem episcopalem bullis scilicet expeditis, sed facto ipso vel potius per quoddam curiae mandatum possessionem cepisse: ante annum 1842 duos capellanos fuisse e Sergiorum familia, quin tamen eorum unus esset clericus, qui satisfactis oneribus capellaniae sibi redditus percipiebant: Antonium Sergium de quo agimus obtinuisse primam capellaniae partem anno 1846 per cessionem, quam fecit eidem ejus patruus tunc capellaniae possessor: eam obtinuisse quodam pacto, quod simoniacum certe fuisset*) si capellania esset ecclesiastica, eamque Antonium retinuisse, quamvis tamquam laicus sese gereret: mortuo secundo capellano, fratre ejusdem Antonii, Antonium consecutum esse et alteram capellaniae partem per simplex curiae mandatum, ideoque hactenus integram capellaniam possedisse.

Praeterea, pendente hac causa coram s. C. alter e familia Sergia sese exhibuit, qui ut passive vocatus capellaniam implorabat; item alter, qui patronum se asserens suffragium simul tulit Antonio Sergio.

Novae inde rationes sunt utrimque adductae, quae confirmarent aut uberius declararent eas, quas superius exposui.

Contra Antonium animadversum est, posita natura ecclesiastica capellaniae ipsum non posse eam retinere,**) quum non per institutionem canonicam consecutus esset; immo primam capellaniae partem obtinuisse quoque ex pacto simoniaco; ideoque retinere non posse.

Facta etiam hypothesi capellaniam laicalem esse, quum tamen ex institutione haec exigeret qualitatem vel sacerdotalem vel clericalem, non posse Antonium eam possidere, quum ut laicus in omnibus se gereret.

Neque Antonio prodesse s. tonsuram, quam multis abhinc annis susceperat, quum per spontaneam habitus dimissionem omni juri censendus esset renunciasse:***) neque saltem declarasse apud acta curiae, se habitum esse reasumpturum;†) ideoque incidisse in poenam, quam inflixit Sixtus V. per Const. *Cum sacrosanctum.*††)

*) Vd. *t. II. p. 412. VIII. XI.*

*) Vd. *t. II. p. 530. e.*

*) Vd. *t. II. p. 498. IV.*
**) Vd. *t. II. p. 529. d.*
***) Vd. *t. II. p. 1047. III.*
†) Vd. *t. II. p. 392. e.*
††) Vd. *t. II. p. 147.*

Hisce rationibus respondit Antonius primo contendens capellaniam esse laicalem ex superius dictis in prima causae propositione; deinde se esse clericum respondit et posse habitum clericalem reassumere quando sibi videretur: non tamen ad id teneri, quum fundator non praescripsisset, ut clericus capellanus incedere deberet habitu clericali: neque ad id ex communi jure teneri quum poena privationis contra non incedentes vim suam exserat in illis, qui beneficia ecclesiastica possideant aut ecclesiasticas pensiones, non vero in eos qui capellanias laicales possideant, uti adnotat Card. de Luca *Adnot. ad Concil. Trid. disc. 24. n. 10*, ubi scripsit: »Beneficiorum appellatione ad hunc effectum ea solum veniunt, quae vere ac legaliter talia sint, quia nempe cum apostolica vel ordinaria auctoritate sive cum illa alterius ecclesiastici superioris, ad id sufficientem potestatem habentis, legitime ac servatis servandis fundata sint: secus autem ubi agatur de capellaniis manualibus sive legatis piis ex sola privata dispositione fundatis, quamvis cum onere celebrationis missarum quod per substitutos recte impleri potest, adeo ut dicta formalis fundatio seu erectio non accedat, quum hujusmodi capellaniarum ac piorum legatorum etiam mulieres ac infantes sint capaces.«

Animadvertit praeterea Antonius, aequitatem canonicam haud sinere ut aliquis privilegio clericali spolietur sine ulla formali monitione:*) neque posse invocari Sixti V. dispositionem, tum quod haec loquatur de clericis, qui beneficio aut pensione ecclesiastica fruerentur, tum quod rigorem hujus dispositionis temperaverit Benedictus XIII. per constitutionem, quae incipit: *In supremo*, editam die 1. Octobris 1724.

Propositis itaque iterum antedictis dubitandi formulis in comitiis habitis die 29. Augusti 1869. s. Congregatio respondit

Ad I: *Negative quoad unam ex capellaniis et amplius: quoad alteram: dilata, videatur de bono jure et Antonius doceat de reasumptione habitus clericalis, deputato interim ab Episcopo administratore bonis utriusque capellaniae.*

Ad II: *Patroni utantur juribus suis coram Episcopo quoad nominationem capellaniae vacantis.*

Quum itaque Antonius ab una ex capellaniis fuerit exclusus manente sub judice altera quum nihil amplius de causa curare visus fuerit, reproposita fuit causa ad instantiam aliorum sub sequentibus dubitandi formulis.

Dubia:

I. An constet de legitima possessione alterius capellaniae favore *(Antonii Sergii)* in casu?

II. An, quomodo et cujus favore danda sit capellania in casu etc.?

S. Congregatio Concilii causa iterum cognita die 23. Januarii 1869. respondere censuit

Ad 1: *Negative.*

Ad II: *Patroni utantur juribus quoad nominationem capellaniae.*

Ex quibus colliges:

I. Capellanias laicales et ecclesiasticas quum inter se multum differant varios producere juris effectus.

II. Capellanias laicales fere totas regi ex lege quam fundator edixerit.

III. Easdem ex sese idoneas quoque esse ut a laicis possideantur,*) si id ferat fundatoris voluntas.

IV. Institutore praecipiente, ut capellania a clerico saltem possideatur, nonnisi qui clericus saltem sit eam possidere valet.

V. Nomine autem clerici eum saltem intelligi his in qnaestionidus, qui s. tonsura suscepta habitu incedat et tonsura.**)

*) Vd. *t. II. p. 790. b.*

*) Vd. *Capell. laicalis* (possessor laicus, clericus).

**) Privilegium fori et canonis item capitis *Odoardus*†) jam non potest amplius invocari ab illis clericis minoribus, qui dereliquerint habitum et tonsuram, post decretalem SSmi Domini Nostri. Quae quidem decretalis, licet pro pontificia ditione edita sit, tamen norma quoque esse potest pro aliis ditionibus si opus sit. Dixi: si opus sit, nam invalescente jam consuetudine clericorum privilegia in aliis ditionibus vix et ne vix quidem considerantur (quamquam per summam injuriam) in illis ipsis, qui in sacris ordinibus sunt constituti, multo autem minus in clericis minoribus, qui habitum clericalem dereliquerint. Sed non sunt confundenda privilegia clericorum, quae ad ordinem et hierarchiam ecclesiasticam spectant ratione immunitatis, cum qualitate clericali, quae requiritur ad possidenda beneficia ecclesiastica: neque confundenda est qualitas clericalis ad dicta beneficia possidenda quae ex praescriptione communis juris derivat cum qualitate clericali quae praescripta sit a fundatore ad possidendas capellanias laicales. Quamvis enim eadem sit qualitas, inspecta tamen origine non eosdem producit effectus: sic ex. gr. Clericus, qui beneficium possideat, si habitum clericalem dereliquat, amittit beneficium ipso jure, quamquam requiratur sententia declaratoria Judicis, quod locum non habet in capellaniis laicalibus, quum hae regantur praecipue ex lege fundationis.

†) Vd *t. II. p. 150. §. Quod etc.*

VI. In praesenti themate quaestionem non videri resolutam, utrum capellania esset laicalis vel ecclesiastica*), sed quaestionem de ejusdem possessore.

VII. In utraque tamen hypothesi Antonium capellaniam, quam clericus saltem possidere deberet, retinere non potuisse, quum vestibus clericalibus jamdiu valedixerit sine voluntate eas reassumendi.

*) Ex deductis in medium documentis mihi videtur non posse certo definiri, utrum capellania sit ecclesiastica vel laicalis: namque decretum erectionis, ad instantiam mulierum a curia emissum, non videtur posse haberi in praesenti themate uti tutum argumentum pro ea ecclesiastica judicanda; namque inspecta indole legis fundationis capellania videtur potius laicalis: neque e converso ex deductis documentis constat, eam uti ecclesiasticam fuisse postea jugiter consideratam; immo inspectis ultimis possessionis actis ea ut laicalis esset habenda. Ex relatis responsis S. C. argui non potest s. Congregationem de natura capellaniae judicasse.

16) Erectio suppresso monasterio.

Josepha Eleonora O. archidioecesis F. ultimis quibus decessit tabulis diei 11. Novembris 1823 sacristiam monasterii s. Clarae haeredem instituebat praedii cujusdam vulgo dicti Cascina cum sequentibus oneribus: 1. scilicet, ut in perpetuum missa quotidiana in ecclesia monasterii praedicti celebraretur pro anima sua atque parentum defunctorum a capellano eligendo a sanctimonialium capitulo cum approbatione tamen auctoritatis ecclesiasticae; 2. ut in capellanum prae ceteris eligeretur testatricis consanguineus qui tamen esset vel sacerdos vel in aliquo ordinum majorum constitutus; qui postremus cum per se non posset missam celebrare per alium huic oneri satisfaceret; 3. ut monasterium capellano sic electo quotannis libellas 500 persolveret pro eleemosyna missarum celebrandarum hora a sanctimonialibus constabilienda; iis vero esset facultas capellanum justis de causis a curia etiam archiepiscopali cognoscendis removendi; 4. ut ex abundantioribus praedii legati redditibus quotannis persolverent sorori suae in eodem monasterio professae libellas 400; eaque defuncta ex ejusmodi pensione missae 400 litarentur pro anima ejus; 5. ut perpetuo quotannis celebraretur festum Patriarchae s. Joseph illa majori solemnitate quae a sanctimonialium capitulo decerneretur.

Praevidens tamen pia mulier casum novae suppressionis ordinum religiosorum praefatae dispositioni sequentem substituit: *Quavis de causa praedicto monasterio atque praedicta sacristia cessante ex bonis legatis erigatur capellania in insigni Collegiata ss. Petri et Pauli civitatis C. et ex iisdem bonis dos constituatur.*

Patronatum activum seu jus capellanum nominandi conferebat parocho pro tempore illius paroecialis ecclesiae cum iisdem oneribus supra recensitis.

Cum lege lata die 29. Maji 1855 aboliti religiosi ordines fuissent pia testatricis voluntas illico executioni demandata non fuit: qua de causa demanio dos capellaniae fuit addicta et monialibus constituta pensio libellarum 350 ad implenda ecclesiae suae onera.

Die 24. Augusti 1873 parochus ecclesiae C. Episcopum certiorem reddebat de capellaniae statu adjungens sibi ab anno 1855 jùs fuisse capellanum nominandi id tamen praetermisisse tum quia ejusmodi suppressio ab ecclesia improbaretur tum ne monialium doti a gubernio constitutae praejudicium inferret tum ut se judicio cujusdam jurisperiti accommodaret, qui affirmabat praedictam substitutionem ut fideicommissum habendam esse proindeque a lege proscriptam et nullius valoris.

Verum cum publicata fuisset lex diei 15. Augusti 1867, qua a Gubernio de cetero non habebantur ut entia moralia capellaniae jurispatronatus ecclesiastici aut laicalis, ne gravius juribus suae paroeciae parochus vulnus infligeret nominavit capellanum D. Franciscum C. id animo cogitans administrationem fundorum cultus cogi posse ad assignandam portionem necessariam pro onerum adimplemento etsi per capellani mortem capellaniae bona fisco essent addicenda; quod perfici non potuisset si institutio cum monasterio fuisset extincta.

Die 13. Julii 1867 rogatus notarius fuit pro actu nominationis atque sacerdoti praefato ejusmodi onera imposita:

1. Celebrandi missam quotidianam diebus ferialibus summo mane, festivis circa meridiem in ecclesia collegiata urbis C.

2. Celebrandi festum s. Joseph solemniter.

3. Resarciendi sacristiam ecclesiae praedictae de iis omnibus quae pro celebrandis missis suppeditarentur.

4. Resarciendi de superioris ecclesiastici judicio sanctimoniales monasterii s. Clarae de quolibet damno iis obventuro pro recuperando a daemanio fundo in capellaniae dotem.

5. Sustinendi aere proprio expensas necessarias ad litem gerendam pro fundi recuperatione.

His ergo conditionibus in realem capellaniae possessionem sacerdos Franciscus immissus est.

Capellanus illico ad administratores fundorum pro cultu ut dotem capellaniae recuperaret se convertit; sed nihil obtinuit; quare litem intentavit; quam administratores veriti praedictum sacerdotem ut capellanum ultro recognovere juxta legem diei 13. Julii 1867. Rationibus confectis assignatus capellano fuit annuus redditus libellarum 1100 una cum libellis 6000 pro pensione quinquennio non percepta; ex qua fructuum restitutione obligatio satisfaciendi piis oneribus a die institutionis seu captae possessionis oriri videtur dato quod adimpleta non fuerint.

Archiepiscopus interea sub die 18. Octobris 1873 dedit hujuscemodi literas ad capellanum C.: *Dos hujus capellaniae constituebat partem dotis monasterii s. Clarae. Utique pia testatrix voluit, ut monasterio cessante ex bonis legatis capellania erigeretur; sed monasterium existit in faciem ecclesiae quod si coram statu civili non existit id contingit ob causam, quam Summus Pontifex nullam declaravit quaeque proinde expoliare monasterium jure suo nequit. Verum est etiam causam illam uti legitimam judicatam habitamque fuisse; sed ne dos a gubernio devorarctur. Paucis: Erecta ex bonis monasterii capellania fuit atque possessio ecclesiastico collata ut hic coram civili magistratu jura monasterii tueretur.*

Ecclesiasticus iste juxta leges latas incessit atque a Gubernio libellas 1097 obtinuit a die captae possessionis computatas tum libellas plus minus 6000 pro fructibus quinquennio non solutis. Ex quo juri conforme videtur, ut capellanus sibi compensatis expensis summam reliquam sanctimonialibus solvat; quae summa dimidium est fortasse summae quam antea percipiebant.

Attamen sanctimoniales praedictae eo consilio versantur ut capellano dimittant libellas annuas 800 quolibet onere liberas dummodo reliquum ipsis restituatur incipiendo a die 13. Julii 1867; qua re valde capellanus contentus esse debet.

Die vero 24. Octobris ejusdem anni Archiepiscopus iterum capellano scribebat: *Ea in sententia persto ut libellae 300 tibi oblatae quo sanctimonialibus conserventur annuae libellae 1093 satis tibi videri debeant neque aequis conditionibus te oppositurum spero.*

Verum cum haec capellanum non adeo moverent sub die 27. Octobris iterum scripsit Archiepiscopus censuras eidem comminatus si parere recusasset: *Ita agis, ut neque sanctimonialibus neque Collegiatae persolvas quod jus exigit. In instrumento possessionis onus tibi assumpsisti celebrandi missam quotidianam hora adeo incommoda, ut pro tali onere satisfaciendo requirantur libellae 700 et tu vis persolvere libellas 350. Haec ab Episcopo ferenda non sunt; quare cum meo Vicario generali atque advocato fiscali negotium age ne cum meo animi dolore tibi suspensionem a Divinis infligere compellar.*

Et reapse die 12. Novembris 1873 negotium coram Vicario Archiepiscopi generali pertractatum est et ejusmodi rationes pro tuendis juribus suis a capellano adductae ex quibus Archiepiscopus intelligeret conditiones a se propositas graves esse.

1. Capallaniam fuisse legitime erectam juxta testatricis mentem, quae eam monasterio supprimendo substituit; quare se legitime investitum esse et judicari debere.*)

2. Sibi onus gravissimum assumpsisse eripiendi a daemanio capellaniae dotem, ut sine monasterii detrimento cui persolvere semper volebat libellas 350 quae antea ipsi a gubernio persolvebantur collegiatae ecclesiae C. jus asservaret, quod in eo erat ut extingueretur si tempore habili capellania erecta fuisset.

3. Dotem ad dimidium redactam fuisse; justum proinde esse ut etiam onera adnexa reducerentur juxta redditum a Gubernio assignatum.

4. Tandem monasterium esse non posse rationabiliter invitum si quod antea a gubernio percipiebat in futurum a capellano perciperet cum hic tot ac tanta tulerit pro bonis monasterii recuperandis.

Vicarius generalis auditis partibus firmas hinc inde rationes animadvertit quare quaestionem componere hujuscemodi studuit, ut

*) Ejusmodi ratio a capellano adducta adeo gravis est ut rem conficiat.

a summa a daemanio soluta id tantum distraheretur quod necessarium esset applicationi missarum; reliquum aequis divideretur partibus monasterium inter et capellanum.

Capellanus compositionem acceptavit tum Episcopo tum Vicario placere studens. Et interea parochus supplices libello Archiepiscopo porrexit 1. ut concedere dignaretur, ut pia onera quae in monasterio adimplenda erant in Collegiata adimplerentur, 2. ut piorum onerum reductionem obtinere satageret si compositionem acceptare putaret juxta redditum imminutionem.

Verum cum sub die 2. Decembris Vicarius generalis certiorem capellanum reddidisset propositam compositionem non esse habendam cum effectu litis finitae sed si ab Episcopo respueretur ad nihilum reducendam capellanus ad sacram Concilii Congregationem rem detulit atque exposuit 1. se cum Archiepiscopo sentire circa legem a gubernio italo latam die 29. Maji 1855 eamque uti nullius valoris retinere; *attamen factum suppressionis etsi criminosum* cum a pia testatrice praevisum fuerit eaque de causa capellaniam substituerit juxta leges canonicas et civiles ne bona gubernium depraedaretur capellania legitime erecta et investitura legitime collata judicanda est.

2. Se numquam in ea fuisse intentione ut nomen tantummodo praestaret ad bona monasterii recuperanda; ob bonum tamen pacis et ad scandalum quodlibet evitandum velle conditionibus a Vicario generali propositis annuere. 3. Suppliciter R. Pontificem rogare ut visis videndis et consideratis considerandis sibi permittat assignatam pensionem retinere, pia onera reducere ipsumque a censuris praeservare.

Interea die 17. Decembris 1873 Archiepiscopus ipse sanctimonialium nomine ad s. Congregationem EE. et RR. recursum habuit, ut ab ea *justam sententiam* obtineret; et repetita historia factorum incipiendo a testamento usque ad postremas rationes confectas inter Gubernium et capellanum C. adfirmat hunc a Gubernio pro fundo legato obtinuisse pensionem annuam libellarum 1003. 88 ceterasque summas quinquennio non solutas a die 1. Julii 1867; ipsum tamen morari in urbe T., non pergere ad urbem C., missas non celebrare et exhibere sanctimonialibus libellas 365 erogandas in celebratione missarum et libellas 30 pro Festo s. Joseph; ceteras libellas 600 sibi arrogare a die 1. Julii 1867 sine ullius oneris praestatione.

Observat insuper quaestione accuratissime examinata monasterium non fuisse superiori auctoritate suppressum, quia R. Pontifex nullas omniuo esse suppressionis leges declaravit; sanctimoniales quapropter neque jus ad fundum legatum amisisse neque ad redditus. Hinc rogat Emmum Praefectum ut compellat capellanum C. quominus sanctimonialibus solvat libellas annuas 700 incipiendo a die 1. Julii 1867; libellas insuper 4550 pro fructibus quinquennio non solutis, satis vero ei sint libellae 303 annuae, quae plus quam sufficiens compensatio videri debeut.

Missis de more ad Archiepiscopum epistolis *pro informatione et voto auditis interesse habentibus* respondit:

1. Compellendum esse capellanum C. ad ineundam conventionem in scriptis cum curia archiepiscopali, qua se obliget singulis semestribus divisas persolvere curiae praedictae annuas libellas 620 incipien. a 1. die Julii 1867, reliquae libellae 351. 48 ipsi capellano cedant sine ullo onere.

2. Curia onus assumat piis oneribus satisfaciendi.

3. Curia Sanctimonialibus summam praedictam persolvet, qua capellano honorarium tribuant, ut celebret juxta reductionem obtentam missas annuas 80 et festum s. Joseph solemniter peragat.

4. Capellanus obligetur curia mediante sanctimonialibus dare summam libellarum 4225, quas ipse percepit pro fructibus a Gubernio quinquennio non solutis a die 1. Julii 1867 ad diem 1. Julii 1873 et pro semestri non soluto a die 1. Julii 1873 ad diem 1. Januarii 1874 deductis tamen libellis 200 quas postremo tempore sanctimonialibus persolvit et duas tertias partes expensarum quas subiit pro capellaniae recuperatione.

5. Si vero contingat monasterium in totum iri dissolutum capellanus C. obligetur missas celebrare in Collegiata C. juxta conventiones peractas et curia integram summam ei dimittat.

His acceptis epistolis s. Episcoporum et Regularium Congregatio decrevit coram eminentissimis patribus rem esse disceptandam et die 16. Maji 1874 terminus partibus praefixus est ad deducenda ulteriora jura si vellent.

1. A Capellano demonstratum est testamentum et actum, quo capellania sacerdos

C. investitus fuit, esse actus publicos habentes omnia requisita et conditiones praescriptas a jure canonico et civili; tolerari proinde non posse quin offendatur voluntas piae testatricis, praejudicium capellano inferatur et juris canonici et civilis leges violentur. Testatricis enim expressa voluntas fuit, ut cessante suppressionis gratia monasterio *semper*, *quando et quovis tempore* proindeque *vi dispositionis superioris cessante pio legato sacristiae monasterii facto ex bonis substitueretur capellania cum piis illis oneribus ab ipsa testatrice expressis.* Voluntas a testatoribus expressa veluti sacra ab omnibus est habita et in casu nostro ab ipso daemanio observata fuit; neque ecclesia vult ut testatorum voluntas violetur; quidquid igitur testatricis voluntati in tabulis supremis expressae opponitur veluti injustum et inacceptabile respuendum est.

Capellani nominatio nil aliud est quam consequentia legalis a pia testatrice volita ut testamentum executioni mandaretur.

Dato autem et non concesso tum capellaniae erectionem tum actum nominationis aliquo vitio laborare nihil nunc ejusmodi vitia officere cum jus canonicum quamlibet actionem contra illum qui per triennium pacifice beneficium possedit *) inhibeat et codex civilis regni Italiae art. 1390. conformiter ad codicem Albertinum art. 1395. eamdem actionem inhibet contra eum qui quinquennio. At vero jam septimus annus est quo capellanus capellaniam adeptus est.

Insuper si actus nominati aliquo vitio laborarent daemanium nullimode capellani jura recognovisset; capellaniae igitur existentia et capellani institutio nullo modo impeti possunt.

2. Sed neque indemne monasterium reddendum est iis oneribus quae in actu nominationis n. 4. recensentur. Nam 1. ex contextu et verbis adhibitis constat nova onera praeter ea quae in testamento praescribuntur capellano non fuisse injuncta; illa vero onera erronee in actu nominationis fuisse recensita; ab errore autem obligationem nasci non posse; neque eum qui gaudet jurepatronatus activo opus imponere posse contra manifestam piae fundatricis voluntatem.

2. Quia indemnitas illa adversatur testatricis voluntati, quae voluit ut capellania substitueretur in totalitate bonorum legatorum.

3. Quia monasterium juxta legem a Gubernio latam sub die 29. Maji 1855 recepit assignationem seu redditum respondentem redditui omnium bonorum testatricis et quia pensiones sanctimonialium super reddituum totalitate attributae fuerant; qua de causa detrimentum passae non sunt.

4. Quia non integra bona testatricis a Gubernio restituta fuere sed tantum summa aliqua et quidem tennis.

5. Quia realia damna monasterium passum dici nequit cum haec nedum probata non fuerint sed nec proposita. Quinimo cum eleemosyna missarum a cent. 80 ad lib. 1 et lib. 1. 50 elevata fuerit summa lib. 350 insufficiens evasit pro piorum onerum adimplemento; et monasterium cum obtinuerit illorum onerum reductionem aliquid ex parte hac lucratum est.

Hisce ex officio additum est non raro evenisse quod pii fundatores praevidentes finem suae institutionis alia substituerint opera vel institutiones etiamsi ratio mala fuerit et improbanda, ut prorsus in casu nostro.

Quod vero gravius est, ita non semel a s. Congregatione Concilii decisum fuisse reperimus, ut in *Fulginaten Substitutionis* diei 12. Januarii 1859 in qua cum a daemanio domus aliqua vendita fuerit in qua exercitia spiritualia bis in anno ex testatoris voluntate peragenda erunt et orphanotrophium substitutum, usurpatio illa certe attendenda non erat eo vel magis quod causa finalis fundationis alio exequi poterat; et tamen s. Congregatio ad dubium: *An et a quo tempore factus sit locus substitutioni ad haereditatem Feliciani Jacobilli favore piae domus orphanarum itaut danda sit eidem immissio seu redintegratio possessionis et restituendi fructus in casu?* respondit: *Affirmative in omnibus; fructus autem esse restituendos a die motae litis.**) Id autem illi jurisprincipio conforme videtur: *Uti legassit ita jus esto.*

Ab Archiepiscopo dictum est 1. non esse locum substitutioni usque dum spes aliqua superest observandi dispositiones testamentarias, ut in casu nostro contingit; nam sanctimoniales simul vivere possunt et suppressio non est censenda totalis; testatricem vero nullimode facturam locum substitutioni fuisse si haec fuisset contemplata.

2. Gubernium parum referre quomodo redditus disponantur dummodo caute dispositio fiat.

*) Vd. *t. II. p. 757. b.*

*) Vd. *t. II. p. 580. p.*

3. Illud de cetero observandum in suppressione entium moralium antiquarum provinciarum Gubernium minime concessisse pensiones juxta redditus fundorum sed restrictive; etenim art. 9. legis latae die 20. Maji 1855 n. 878 statutum est, ut pensio pro professis non excedat libellas 500 et 240 pro laicis: praeter haec pomaria quae jaceant infra claustra.

Qua de causa Archiepiscopus inferre volebat, quae supersunt ratione praesertim fructuum praeteritorum monasterio danda omnino esse cum ex bonorum daemaniatione damna passum fuerit.

Gratia demum pro piorum onerum reductione non posse negari videtur cum redditus reapse fuerint imminuti; etiamsi reductio missarum jam reductarum difficilius concedi soleat.

His omnibus consideratis ad proposita dubia, quorum

1. *An et quomodo sit locus substitutioni legati Josephae Eleonorae O. in favorem capellaniae vel potius Archiepiscopi propositio exequenda sit in casu?*

2. *An et quomodo petitae missarum reductioni annuendum sit?*

S. Congregatio Episcoporum et Regularium respondit

Ad 1: *Ad mentem: Mens est ut scribatur Archiepiscopo expedire ut servetur compositio de qua in pag. 29. consultationis n. 13*) addito ut summa a theologo seu capellano C. solvenda monialibus directe solvatur curiae archiepiscopali et addutur art. 5. de quo in pag. 31. ejusdem consultationis facto tamen de iis omnibus verbo cum SSmo.*

Ad 2: *Negative quoad theologum seu capellanum C.*

Ex quibus collige:

1. Generaliter dari locum substitutioni etiam ex facto improbando causatae si a testatoribus praevisa et volita fuerit.

2. Substitutioni derogari posse ex partium interesse habentium conventione, ut in casu.

3. Hanc quaestionem non ad tramites juris sed ex conventione fuisse diremptam.

17) Erectio ex aliis fundationibus.

In oppido quodam dioecesis N. extat archipresbyteralis ecclesia cum cura animarum; ea sex et amplius paroecianorum millia continet in amplissimo territorio quod ad sexdecim passuum millia protenditur per loca hyemali tempore altis nivibus obsita nec levibus inter montes asperitatibus interclusa; in dicta ecclesia quatuor sacerdotes coadjutores constituti sunt, qui cum Archipresbytero ministerium curae animarum exercent.

In eadem ecclesia duae extant piae fundationes. Namque anno 1746 pius sacerdos Paulus Variente ex suis bonis haeredem instituit scholam s. Rochi in dicto oppido existentem cum obligatione (ex redditibus locationis cujusdam domus et ex quodam annuo canone 62 libellarum venetae monetae) constituendi *mansionariam* seu patrimonium ecclesiasticum favore clerici, qui pauper esset, ab ipsa schola eligendi quique tot missas per hebdomadas distributas celebrare deberet quot dici possent ex redditibus locatitiae domus adsignata pro quavis missa eleemosyna libellae venetae l. 4, libera eidem mansionario manente perceptione canonis. Voluit idem pius testator, ut tempore vacationis erogarentur.

Progressu temporis dicta mansionaria plures vicissitudines passa est donec ob reipublicae Venetae leges vendita domo et redempto canone anno 1762 integra summa lib. ital. 2274 apud montem pietatis deposita est, quae usque adhuc ibidem servata est. Contigit etiam ut Mons pietatis in jus eligendi mansionarium successerit. Serius vero ex donatione cujusdam mansionarii dicta summa aucta est libell. ital. 110.

Ejusmodi redditus in praesentia ita distribuebantur, ut firma manente dispositione testatoris tempore vacationis mansionarius perciperet fixum redditum libell. ven. 62, reliquos vero in tot missas erogarentur cum eleemosyna obol. 50 juxta taxam dioecesanam vigentem.

Eques Silvester Camerini alterum pium legatum reliquit anno 1861 annuum redditum constituens libell. austr. 165, quo compleri

*) Articulo illo decernebatur, ut ex libellis 1001. 48. nunc dotem capellaniae constituentibus attribuerentur libellae 440. 14. capellano et reliquum Monialibus daretur cum onere satisfaciendi missarum celebrationi ad 80 redactarum et celebrandi festum s. Joseph et ut haec propositio effectum haberet a die 11. Julii 1867; ex quo sequebatur capellanum pro opere praestito percipere summam annuam libellarum 440. 14. immunem a quolibet onere atque de cetero resarciretur de omnibus et singulis expensis quae pro bonorum recuperatione sustinuit.

posset aliquod patrimonium ecclesiasticum ab Archipresbytero pro tempore assignandum ei quem ipsemet eligere maluisset cum obligatione docendi catechismum.

Redditus utriusque piae fundationis pro patrimonio ecclesiastico mox ab uno clerico N. percipiebantur, qui ad sacerdotium promotus illis relictis aliam praebendam obtinuit.

Vacantibus itaque dictis fundationibus Archipresbyter unionem earum perpetuam postulavit sub titulo capellaniae Variente — Camerini, reservato jure electionis alternis vicibus exercendo inter Archipresbyterum et Praesides Montis pietatis sublata quacumque missarum obligatione excepto vacationis tempore. Hujus postulationis causas exposuit, quae sunt hujusmodi: Necessitas scilicet prospiciendi sacerdoti, qui doctrinam christianam pueros doceret eos convocans singulis diebus festis in templum quoddam intra paroeciae fines existens, ut eos etiam pietate et religione imbueret, quosdam eorum coleret ad sacerdotium. Exponebat insuper idem Archipresbyter ob amplitudinem paroeciae necessarium esse in sex distinctis locis doctrinam christianam doceri; et quinque tantum esse sacerdotes. Unde consequebatur aut unum locum esse relinquendum non sine gravi religionis praesertim his temporibus detrimento aut alteri sacerdoti esse prospiciendum, qui in exercitio curae animarum operam conferret.

Episcopus preces Archipresbyteri commendavit accuratius determinans onera novi capellani. Quinimo omnes quorum id intererat audivit, qui unioni fundationum consenserunt.

Nonnulla prout moris est adnotabantur ex officio nimirum uniones beneficiorum *) seu piarum fundationum in jure odiosas reputari ideo quia immutatur status eorumdem, subvertuntur fundatorum dispositiones, imminuuntur sacra patrimonia, quae quidem cedere solent in detrimentum divini cultus: proindeque nonnisi ex necessitate vel evidenti utilitate uniones perpetuas esse decernendas, *cap. Exposuisti 23. de praeb., Concilium Trid. sess. 21. c. 5 et sess. 24. c. 15. de refor.*

Attamen in praesenti themate observabatur duas fundationes pro constituendo patrimonio relictas modo non amplius ad ecclesiasticum patrimonium sufficere. Ideoque implora-

*) Vd. *t. II. p. 962. g.*

tam unionem non procedere adversus fundatorum mentem et contra in cultus divini augmentum cedere ob obligationes quas juxta votum Episcopi sacerdos assumere debuisset.

Quamvis autem haec unioni favere viderentur, nihilominus non videbatur congrua propositio Archipresbyteri qui rogabat deleri missarum obligationem. Id enim esse nimis alienum a voluntate testatoris. Quod si aucta synodali taxa ad obol. 50 scilicet plus quam duplo primitivae eleemosynae missae a fundatoribus relictae auctoritate apostolica reduci possint, absonum tamen esse a disciplina canonica, ut impositum missarum onus prorsus deleretur. Namque etsi a s. Congregatione concedi soleat Episcopis facultas reducendi missarum legata*) quando eleemosynae statutae nimis tenues ratione temporum evaserint vel ob defectum reddituum vel ob augmentum taxae synodalis, nihilominus quosdam limites sive quoad tempus sive quoad numerum assignari consuevisse prout praescribitur in iustructione, quae de hac re solet dari.

His aliisque animadversis propositis precibus s. Congregationi Concilii die 30. Martii 1867 rescriptum prodiit: *Praevia absolutione quoad praeteritum pro gratia perpetuae unionis utriusque causae piae ac assignationis favore capellani parochialis juxta votum Episcopi et reductionis ad decennium missarum ad medietatem reservato alternativo jure nominandi capellanum Archipresbytero ac Praesidi Montis pietatis ab Ordinario adprobandum facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colligi potest:

I. Quamvis unio realis et perpetua beneficiorum necnon legatorum piorum prohibita generatim sit a ss. canonibus nihilominus interveniente canonica causa s. Sedem hujusmodi unioni non abnuere.

II. Causas canonicas esse necessitatem vel evidentem ecçlesiae utilitatem.

III. In unione tamen decernenda fundatorum voluntatem servandam esse quantum servari possit.

IV. Colliges demum quamvis taxa pro eleemosynis missarum ab Ordinariis juxta locorum indigentias et consuetudines augeatur tamen reduci juxta taxam legata missarum non posse sine apostolica facultate.

*) Vd. *Missa* (reductio).

Tyburtina.

Dismembratio fructuum pinguiorum capellaniarum ad alias erigendas perpetuas capellanias quae divinum augerent cultum permittitur in *cap: Exposuisti de praeben.; Piton. discept. ecclesiast. 151. num. 3.*

Die 16. Mart. 1793.

18) Erectio ab Episcopo.

Vd. *Capellania* (laicalis — quae est, decr. 10. Mart. 1866; erectio ex aliis fundationibus; ecclesiastica p. 569; differentia etc. p. 563).

19) Gentilitia seu jurispatronatus.

Vd. *Capell.* (genus etc., collativa).

Capellaniae gentilitiae seu jurispatronatus sunt ejusdem rationis cum collativis,*) hoc solum adjecto, ut ad haeredes seu electos seu vocatos à testatore pro tali jurepatronatus pertineat jus nominandi ad hujusmodi capellanias servatis, quae in hoc genere quoad nominationem servanda sunt. Licet enim nominatio fiat a patrono, institutio tamen seu collatio ad Episcopum pertinet. *Rota decis. 10. de testam. in antiquis n. 1, cap.: Ex frequentibus 3. de institutionibus,* et *cap. Nullus laicorum.* Nec Episcopus potest ullimode excludi a collatione seu institutione talis capellaniae gentilitiae seu jurispatronatus etiamsi fundator in ejus fundatione asseruerit, quod Episcopus nequeat se ingerere et si se ingesserit institutio capellani nullius sit roboris, talis enim capellania, hoc non obstante, subsistit, nam quod de jure non tenet, vinculo poenae nequit constringi, per textum *in l. Non dubium in fin. c. de legibus et l. Quod de bonis §. 1. ff. ad l. falcid.*

20) Genus triplex.

Vd. *Capellan.* (clericalis, collativa, ecclesiastica, sacerdotalis).

Capellaniae sunt in triplici genere, scilicet capellaniae mercenariae, collativae et gentilitiae seu jurispatronatus.

21) Laicalis.

Vd. *Capellania ecclesiast.*

a) Beneficium verum non est neque titulus ordinationis.

Vd. supra: *Discursus* etc. p. 565.; *Capellania* (titulus etc.); t. II. p. 530. e.

*) Vd. *p. 556.*

Viterbien.

Capellania quam fundatores esse voluerunt *mera laicalis et ad nutum amovibilis* proindeque in titulum non conferenda ideirco non est verum beneficium ecclesiasticum, uti monent *Fagnan. cap. Ad audient. n. 120. de reser., Reiffenst. lib. 3. tit. 3. de praebend. et dignit. §. 3. n. 71.*

Die 12. Julii 1823.

b) Differentia inter capellan. laical. et ecclesiast.

Vd. *Capellania* (differentia etc. p. 563); *Capell. laical.* (quae est — decr. 10. Mart. 1866.)

c) Differentia inter capellan. laicales.

Vd. p. 565: *Discursus.*

Pius testator jussit post mortem suam capellaniam mere *laicalem* erigi in determinata ecclesia et altari cum annuo redditu scutat. 60 et haeredes oneravit ad constituendos idoneos fundos, quibus amplissime satisfecerunt. Voluit autem ut missa quotidiana celebraretur adsignata manuali eleemosyna. Capellanos nominavit primogenitos descendentes ex sua filia. Edixit pariter ejusmodi capellanos posse uti hac capellania titulo s. ordinationis*) si ad statum ecclesiasticum vocarentur, secus haberent jus nominandi capellanum et celebrare faciendi missas manuales eleemosyna determinata.

Haec inter caetera non sine quadam idearum confusione expresserat testator. Erecta porro est capellania ab haeredibus anno 1824.

Cum anno 1860 quidam juvenis Titius a familia testatoris extraneus ad sacros ordines esset ascensurus cumque patrimonio quovis sacro careret, petiit ab eo qui patronus capellaniae praefatae dicebatur, ut ea sibi conferretur ad decennium in titulum s. ordinationis. Petiit pariter a s. Pontifice gratiam, ut posset ss. ordinibus initiari eo precario titulo, rescriptumque obtinuit hisce verbis: »SSmus benigne commisit . . . Episcopo . . . ut veris existentibus narratis cum oratore super defectu perpetuitatis tituli sacri patrimonii dispensare eumque ad ss. ordines suscipiendos cum enunciato precario titulo adjecta tamen conditione, ut de alio congruo infra decennium se providere debeat, pro suo arbitrio et prudentia gratis habilitare possit et valeat.«

Ordinarius ad normam pontificii rescri-

*) Vd. *Capellania* (titulus etc.)

pti semet paratum exhibuit ad dispensandum cum oratore, dummodo tamen in actis curiae constare faceret orator de legitima nominatione et collatione, conditione adjecta, ut infra decennium de alio congruo patrimonio se providere deberet sub poenis immediatae suspensionis a Divinis.

Obtinuit ergo Titius patroni nominationem, quinimo dubitatione orta, quis inter duos esset verus patronus, curia nominationem utriusque exegit et utramque Titius obtinuit.

Immissus itaque est Titius in possessionem bonorum capellaniae et eo titulo ordinatus est.

Mortuis duobus patronis alius patronus qui successit oppugnans validitatem constituti patrimonii sibique vindicans capellaniae administrationem sequestrationes intulit, ita ut illi qui solvebant fructus Titio sacerdoti solvere eidem patrono deberent. Hinc factum est ut Titius redditibus spoliatus celebrationem missarum suspenderit et penes SSmum institerit ne possessione capellaniae expoliaretur, sublato impedimento immisso, quod *sequestrum* audit.

Servatis de more servandis causa proposita est S. C. C. die 9. Decembris 1865 sub dubiis: I. »An sacerdos (Titius) manutenendus sit in quasi possessione capellaniae usque ad exitum decennii in casu?« II. »An et cui competat administratio bonorum capellaniae in casu?« At S. C. C. resolutionem distulit, ut ampliores informationes exquirerentur.

Inquisitiones itaque factae sunt ut posset cognosci, an capellania esset merum legatum missarum cum fundis obligatione gravatis iis missis satisfaciendi vel potius fundos haberet taxative sensuque legali constitutos tamquam dotem capellaniae ejusdem et eidem in tabulis publicis censuariis intestatos ita ut ex capellania et oneribus eidem inhaerentibus constitueretur veluti unum quoddam ens ad similitudinem veri beneficii. Ac praeterea inquisitum est, quidnam fuerit usque in praesens observatum circa administrationem et perceptionem reddituum: an fuerit jugiter nominatus capellanus cum jure administrandi capellaniae fundos atque oneribus satisfaciendi vel potius patroni iidem retinuerint fundos, prospicientes onerum adimplemento.

Ex documentis et relationibus habitis quamvis non deessent quaedam dubitandi rationes, an dicta laicalis capellania esset merum legatum missarum, quod haeredes administratores bonorum ejusdem gravaret, vel capellania laicalis, quae formam haberet capellaniae ecclesiasticae: tamen in facto satis constare videbatur, nunquam capellanum a patronis fuisse nominatum jugiterque ipsos habuisse bonorum administrationem, fructus percipientes qui supererant, adimpletis oneribus per deputatos sacerdotes, quibus tantum manualem eleemosynam tribuebant.

Causa itaque disceptata proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. An sacerdos (Titius) manutenendus sit in quasi possessione capellaniae usque ad exitum decennii in casu?

II. An et cui competat administratio bonorum capellaniae in casu?

Die 10. Martii 1866 causa discussa s. Congregatio Concilii respondere censuit

Ad I: *Affirmative ad formam nominationis.*

Ad II: *Affirmative favore patroni.*

Ex his colliges:

I. Inter ipsas laicales capellanias discrimen intercedere, quarum aliae naturam ecclesiasticae capellaniae pleniusimitantur: aliae vero resolvuntur in mera pia legata, quibus, fundis taxative vel demonstrative adsignatis, gravantur vocati haeredes vel descendentes.

II. Capellanias laicales hujus secundae speciei possideri etiam a laicis posse ita ut ipsi laici haeredes vel descendentes sint veluti capellani, qui per alios adimpletis capellaniae oneribus fructus superextantes proprios faciunt.

d) Episcopi jus.

Vd. t. I. p. 187. n. 3; t. II. p. 1064. n. 2; *Capellania* (non collativa, laical. — quae est, decr. 10. Mart. 1866 —; discursus etc. p. 565.)

e) S. Ordines non requirit.

In capellaniis laicalibus non inest onus suscipiendi s. ordines, nisi fundator jusserit, ut capellani *per se* et non *per alios* *) celebrationem missarum praestarent juxta theoricam *Lapi in allegat. 36*, quam sequitur *Fagnan. in cap. Ut Abbates de aetat. et qualit. num. 78*, *Rota in Imolen. Beneficii*

*) Vd. *Capellania* (discursus etc. p. 565; ecclesiastica quae est p. 570.)

super institutione 13. Januarii 1744. coram Molino. Quare deficiente hoc praecepto licet fundator usus sit vocabulo *sacerdos* attamen hoc stat *demonstrative* ad designandum munus exercendum, non *qualificative* ad indigitandam qualitatem capellani ut tradit *Fargna de jurepatronat. part. 2. can. 27. cas. 14. n. 5*, *Rota in Cremonen. Beneficii 4. Februarii 1715* §. *Ex instrumento, cor. Lanzetta.*

Die 2. Junii 1804.

f) Possessor.

I. Clericus possessor est.

Vd. *Capellania* (discursus p. 565); p. 598. §: *Verum etc.*

Sabinen.

Novissimis quas anno 1701. Alexius Felicelli condidit testamenti tabulis laicalem capellaniam divo Alexio dicatam in paroeciali ecclesia s. Aegidii Crustumeriae Sabinorum vulgo Palombana instituit. Jus rectorem ad illam nominandi duas patronorum lineas designans dedit alli signori Domenico Morelli e Giuseppe Rainaldi ed alli suoi eredi in infinitum.

Post fundatoris funus primi capellaniam obtinuere, quos Alexius ipse designaverat: quibus elatis usque ad ultimum capellaniae statum illud evenisse videtur, ut quum familia Rainaldi et Morelli masculis continuo constiterit descendentibus si excipias unam Helenam quae in domum Scauzani migravit ii tamquam patroni nominandi jus pacifice exercuerint. Verum, quum per obitum postremi rectoris Blasii Valenti vacasset anno 1847 capellania plures foeminae ex iisdem familiis Rainaldi et Morelli descendentes una cum maribus novum capellanum nominare admissae sunt. At suffragia in jure exercendo scindentes alii nempe Antonius Rainaldi, Fr. Joseph Morelli religiosus familiae conventualium et Franciscus Morelli nominarunt puerulum Henricum Rainaldi, alii autem ex dictis familiis duo descendentes masculi et quinque ex foeminis suffragati sunt clerico Alexandro Imperiali; quorum etiam nonnulli Rainaldo deinde proprium suffragium dare arbitrati sunt. Vix prodiit hujusmodi bipartita nominatio jus bonum sibi asserens Alexander ob vocationem sibi factam ex pluralitate vocum, Henricus contra ob patronorum ex masculis sibi adscitam nominationem et foeminarum jus penitus inficiandum, mortua est quaestio, quam ob impedimentum vulgo *nihil transeat* utrinque oppositum ad Tiburtinam curiam cui tunc temporis Crustumeria suberat delatam mox Praesul ille satius duxit H. S. O. dirimendam ablegare.

De more itaque res tota die 27. Septembris ejusdem anni ad emin. Sabinorum Antistitem cujus sub ditione fere iisdem diebus Crustumeria H. S. C. decreto se denuo receperat remissa pro informatione et voto praeter ea quae in facto relata sunt accepimus Henricum Rainaldi aetatis suae tunc agentem annum decimum primum clericali corona nondum praeditum fuisse, clericum Alexandrum Imperiali undeviginti annorum aetatem jam attingentem studiis sacris operam navare, capellaniae fructus ad argenteos nummos 62. 90 assurgere omniaque onera praeter manutentionem supellectilium in 150 Sacrorum celebratione consistere. Suum demum votum pandit emin. Episcopus favore Henrici Rainaldi ea potissimum ratione, quia cum agatur de possessorio (ut ipse autumat) ex vulgata regula praeferendus est praesentatus a patronis qui respectu habito ad ultimum statum in nominandi possessione versabantur. Jam vero certum est mares lineae Rainaldi exercuisse assidue ab anno 1501 ad hodiernam diem exclusivum praesentandi jus.

Siluit tamen ad haec usque tempora rei disquisitio donec Henricus Rainaldi post infensissimas temporum vicissitudines urserit coram S. O. pro capellaniae possessione assequenda propterea quod Alexander Imperiali habitum deponendo clericalem animum simul abjecisse putaret controversae capellaniae obtinendae. Preces cum hinc denuo remissae fuerint ad Eminentissimum Episcopum retulit iste Alexandrum vocatum per Vicarium foraneum et de re rogatum respondisse se adhuc animum ecclesiasticae militiae studendi fovere et vestes, quas ob luctuosissimas sacro statui circumstantias deposuit iterum sumendi esse paratum.*) Nihilominus censet emin. Episcopus »Alexandro tempus esse praefiniendum intra quod in seminario dioecesano sese recipiat, qua re peracta poterit disputari prout de jure utrum Rainaldo praeferendus sit in capellania; alioquin statuto tempore inutiliter elapso decernatur laceratio *Nihil transeat.*

Re huc adducta praestat modo utriusque partis jura proferre. Et primum pro Henrico facere videtur Episcopi animadversio nimirum

*) Vd. *t. II. p. 392. e.*

non agi hic de titulo et proprietate patronatus sed solum controverti inter nominatos ad quem ex nominantibus patronis jus nominandi pertineat seu quaeritur de pertinentia patronatus in judicio, quod dicunt possessorium. Atqui hoc in casu praeferendum nominatum ab eo, qui in pacifica possessione juris nominandi versatur cum ultimus status sit unice attendendus compertissimum in jure est ex *cap. Consultationibus de jurep.* et *cap. Quaerelam de elect.*, *Fagnan. ad dict. cap. in princ.*, *Rota in Pisana Capellaniae 20. Maji 1694* et S. C. in *Toletana 16. Decembris 1769* et in *Forolivien. Jurispatronatus 26. Februarii 1848.* Quum itaque ex Episcopi assertione pateat patronos masculos fuisse in pacifica possessione juris nominandi in ultimum usque statum sequitur in pretio tantum habendas masculorum nominationes, quae in Henrici personam inciderunt.

Fortius in themate id juris admittendum, quia eodem emin. Episcopo testante ultimo statui consonat longaeva ac jugis observantia ob quam masculi in juris nominandi possessione perstiterunt quidquid sit de primaeva jurispatronatus indole. Et neminem latet laicos adversus patronos aeque laicos jus praesentandi ex observantia praescribere posse juxta ea quae traduntur in *cap. 1. 2. 3 et 6. de praescript. in 6.* Nullum pariter dubium ex observantia immutari jurispatronatus qualitatem nimirum de haereditario fieri gentilitium etiam contra ipsum instrumentum fundationis, ut firmat cum *Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 9. num. 39 et 45. Piton. allegat. 92. num. 68.* ea quippe ratione quod qualitas haereditaria jurispatronatus sive a jure inducta sive ex lege fundationis respicit solum favorem patronorum cui favori possunt illi renunciare efficiendo juspatronatus gentilitium. Cujusmodi sane immutationem veluti nullam praeseferrens exorbitantiam sed potius favorem ecclesiae cujus interest numerum patronorum esse restrictum intra certum genus probavit clarissimus *Card. de Luca de jurepatr. disc. 60. num. 22.* disertis hisce verbis: Quia interest ecclesiae juspatronatus esse potius familiare vel gentilitium quam pure haereditarium vel quia ex frequentius contingentibus magis restrictus remanet numerus patronorum intra certum genus, cum haereditarium possit tractu temporis ad plura diversa genera pertinere vel quia major sit ecclesiae honorificentia esse sub sola servitute familiae vel descendentiae sui fundatoris.

Nec ambigendum de praescriptionis natura in casu concurrente ita ut superius enunciatum effectum gignere valuerit: siquidem traditum est tricenariam praescriptionem sufficere adversus laicum patronum. *Bernardi de mod. quib. jurepatr. proband. est in fine* §. *Denique*, vel si agatur contra libertatem ecclesiae satis esse lapsum quadraginta annorum cum titulo, text. *in cap. Cum de benef. de praebend. in 6.*, *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 7. n. 26. et seq.* Verumtamen praesto est in themate centenaria observantia. Nemini autem ignotum tantam ejusmodi esse vim, ut meliorem tribuat titulum de mundo, *Card. de Luca de jurep. disc. 11. num. 10.*, *Piton. alleg. 59. n. 8*, *Rota in Placent. Parochialis 22. Martii 1715.* §. *Quandoquidem, coram Cerro;* constituatque probationem in contrarium, *Menoch. lib. 3. praesumpt. 131. num. 50.*, *Castill. de tertiis cap. 8. num. 10*, *Peregrin. de jur. fisc. lib. 1. tit. 2. numer. 65 et lib. 6. numer. 8. tit. 15.*

Invocat praeterea Henricus fundationis legem ex qua desumere autumat passivam sui vocationem. Cum enim testator patronis demandaverit, ut explerent la prima nomina in persona ... »de'figli e dei figlioli de'figli di detto Giusepe Rainaldi«, minime ambigendum putat, ut quoniam ipse revera descendit ex eodem Joseph Rainaldi exclusivo jure ad capellaniae possessionem vocatus censeatur ad tradita per *Rocca disput. jur. cap. 190. num. 21 et 22*, *Rota decis. 122. num. 1 et seq. par. 11. recent.* et in *Vaden. Canonicatus 10. Junii 1704. cor. Molines* et centies definitum est a S. H. O.

Pergravibus tamen momentis suam tuetur sententiam Alexander, ut perperam Henricum argumentasse hucusque conficiat. Confugit primo ad probatissimam hac in re canonistarum regulam, qua statuitur juspatronatus natura sua transire ad haeredes ac in dubio illud semper praesumi haereditarium ad textum in *cap. 1 et 3. de jurep. Clement.* plures eod. tit., quum frequentius institui soleant patronatus haereditarii quam gentilitii, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 11. num. 19*, *Rota decis. 85. num. 1 cor. Gamberini* et in *recent. par. 1. decis. 707. num. 8*, s. Congr. *in Bononien. Jurisp. 27. Junii 1829.* §. *Jam.* et in *Firmana Dispensat. 20. Septembris 1828.*

In themate autem praesumtioni veritatem plene adstipulari palam est. Quum enim ex fundationis tabulis juspatronatus collatum fuerit alli Signori Domenico Morelli e Giu-

seppe Rainaldi et alli suoi eredi in infinitum de haereditaria patronatus qualitate ambigi haudquaquam posset. Porro in hujusmodi patronatus haeredes quicumque vocantur ex *leg. 15. cod. de sacros. eccl. novell. 123. cap. 18.* et cujuscumque sint sexus, quia nil ultra quaeritur quam an sint haeredes, *Lotter. loc. cit. num. 25, Pirhing. Jus. can. tom. 3. pag. 323*, *Rota decis. 297. coram Olivatio.* Merito itaque ipsum juvari foeminarum suffragio confiditque ad capellaniam ob majorem vocum numerum praeferri adversario qui duobus tantum suffragiis honestatur; siquidem frustra tertium religiosi viri Francisci Morelli votum adderetur quippe qui ob paupertatis votum incapax factus jurispatronatus haereditarii exercendi juxta *Piton. de controv. patron. alleg. 22. num. 26* illud edere prohibebatur. Quin juvet edicere posterioribus factis seu observantiae standum esse ita ut quidquid per eam legitime praescriptum id pro lege habendum sit. Haec namque exceptio, quae suam in ambiguis vim exercere posset perbelle refellitur in casu a *Lotter. lib. 2. quaest. 7. numer. 31 et seq.* edocente quod quando constat de initio fundationis beneficii ... si agatur de probatione patronatus, de jure communi praescriptio de nihilo inservit et ratio est quia praescriptionis vis consistit in praesumptione, quae veritati perpetuo cedit quantumcumque sit a lege approbata, antiquitas enim facti relevat nisi aperte probetur defectus.

Praeterea si factis paulisper attendatur, ea potius in adversarium rectorqueri posse videntur. Ad jugem siquidem observantiam quod attinet nemo inficias iverit masculos qui successivo generationum ordine in anteactis vacationibus nominarunt fundatoris descendentes extitisse simul et haeredes; foeminas autem si unam excipias Helenam Scanzario nuptam nullas fuisse quae eodem jure cum masculis uti possent ex genealogico schemate patet. Helena autem vel a nominando abstinere potuit, quia sua dote contenta municipali statuto forsan a successionis jure eliminabatur, quae sane praesumptio maximi momenti habetur a *s. Rota in decis. 82. num. 5* et *decis. 101 et seqq. tom. 1. par. 19. recent.*, vel si proprium jus illa neglexerit cum tamen agatur de jurepatronatus haereditario in quo singuli patroni possident jura primi fundatoris uti ait *Piton. alleg. 92. num. 9* singulique succedunt in stirpes, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 11. numer. 26.* ac proinde cujuslibet patroni factum obligat suos successores haeredes, *Piton. loc. cit.*, sequitur illius negligentiam suis tantum ad summum obesse haeredibus non autem aliis foeminis, quae modo subsistunt quaeque descendunt ac haeredes sunt masculorum patronatus jure pollentium.

Et admisso alias praeter Helenam extitisse foeminas in praefatis successionibus eatenus contrarium argumentum aliquam praeseferre vim posset quatenus demonstraretur eas voluisse se praesentare sed rejectas a masculis nullis questibus acquievisse. *Rota cit. decis. 82. n. 5 et seqq. par. 19. tom. 1. recent.*, s. Congr. in *Firmana Jurispatr. 28. Julii 1858.* §. *Ad primum.* Secus obtinet id quod cum communi canonistarum docet *Lotter. lib. 1. quaest. 34. num. 62.* nimirum ex eo quod aliquis patronus usus non est jure praesentandi quod sibi competit non censebitur mutatus status nec interturbata possessio patroni, et *lib. 2. quaest. 7. num. 25* id auctor addit: Patronatum de jure communi nusquam amitti per non usum et videtur conservatum in praesumpta voluntate conferentis. Et merito: Ubi enim sunt plures compatroni ejusdem vel alterius lineae isti quoad actum nominationis dicuntur consocii et nisi unus vel aliqui nominent animo privandi et spoliandi alium qui sciat et acquiescat, semper jus istius est praeservatum nominatione patroni diligentis, ut est omnium doctorum ac tribunalium sententia de qua apud *Rotam coram Ansaldo in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707.* §. *Secundus assurgit* et *coram Lancetta in Firmana Beneficior. 19. Januarii 1710.* §. *In nihilo.*

Quum itaque patroni aliqui tum ex familia Rainaldi tum ex familia Morelli continuo praesentaverint manifestum evadit idem jus fuisse conservatum in possessorio et exercibile redditum in aliis futuris vacationibus cunctis illarum familiarum descendentibus. *Piton. alleg. 100. num. 586.* Nec proinde posset status aliquis firmari ad effectum admittendi canonicam functionem praeallegati *text. in cap. Consultationibus*, quae licet faveat ultimo statui tamen non procedit quando incontinenti ut in themate constat illum esse infectum et quidem non per conjecturas ac praesumptiones sed per publicas fundationis tabulas, quae petitorium clarum constituunt suntque tanti roboris et efficaciae, ut faciant juxta dicterium forensium probationem probatam atque mani-

festam necnon possessorium absorbeant quousque eaedem tabulae declarentur nullae et insubsistentes. *Piton. alleg. 11. numer. 11* et *alleg. 100. n. 576 et 599*, *Rota in Melevitana Jurispatron. 31. Martii 1702. §. Minusque, cor. Scoto* et in cit. *Firmana Beneficior. §. Ita ut, cor. Lancetta.*

Re huc adducta injuria Henricum praelationem ad capellaniam sibi asserere passivae vocationis intuitu perpendit Alexander. Inquit enim vel neminem jactare eam posse vel ipsum etiam parili jure potiri. Primam hypothesim tuetur verbis illis fundationis: »debbano i suddetti far la prima nomiua in persona ec.«, quae, quum vocationem ad primam tantum coerceaut nomiuationem haudquaquam ad posterius tempus protrahi posse videntur. Maxime quia uti praenotatum in facto verba illa — e figlioli de'figli — quae juris quamdam perpetuitatem innuere possent addita conspiciuntur quin tamen de earum authenticitate iunotescat. Altera vero hypothesis probata per se manet. Si enim dictione illa passivam vocationem venire statuatur ipsum quoque etsi descendentem ex foemina vocatum passive censeri quisque intelligit, qui non iguoret nomine filiorum in jure venire tam masculos quam foeminas, ut ex *lege Filii 84. ff. de verb. sign.*, *leg. Si ita 45. vers. si ita scriptum ff. de legat. 3.* et *Rota cor. Falconer. tit. de statut. excl. foemin. decis. 2. n. 6.*

In utraque tamen hypothesi ipsum praelatioue donandum sive ex mente testatoris sive ex jure concludit Alexander. Nil siquidem antiquius uil optatius testatori fuisse videtur, quam ut nominandus ad capellaniam citius quo fieri posset ad sacerdotium eveheretur. Ex jure pariter eum qui aetate major est et in clericali statu antiquior*) quique potioribus commendatur qualitatibus praelationem mereri monet *Panimol. decis. 101. annot. 1. num. 12, Rota in Volaterrana Benef. 7. Junii 1709. §. Ast quando cor. Ansaldo* et *s. Congr. in Callien. et Pergulana 14. Junii 1824. §. Haec autem* et in *Derthonen. Dispensat. 22. Maji 1841. §. Praeterea.* Jamvero ipsum Alexandrum longe praecellere Henrico aetate, ordinibus, scientia ac qualitatibus abunde patet ex praenarratis in facto.

Verumtamen quum Alexander adhuc in minoribus sit ordinibus licet eam jam attigerit aetatem quam s. ordines requirunt videant emin. Patres utrum obstet eidem fundatoris praeceptum superius relatum vel saltem sit probandum votum Emmi Episcopi in eo positum, ut Alexandro tempus praefiniatur intra quod in seminario dioecesano sese recipiat . . . Alioquin statuto tempore inutiliter elapso decernatur laceratio: Nihil trauseat. Apte id indigitabunt responsione, qua dimittere dignabuntur

Dubium:

An et cujus favore constet de legitima nominatione ad capellaniam ita ut et cui sit danda immissio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus favore Alexandri.

Die 18. Maji et 22. Junii 1850.

Interamneu.

Aloysius Pelagalli Interamnensis in ultimo suo testamento condito die 7. Septembris 1827 circa usumfructum haeredem scripsit universalem uxorem suam Catharinam Riveruzzi circa proprietatem vero tum Beatricem ac Sabellam suas e sorore neptes tum Virginiam, Barbaram, Bernardinam ac Dominicum neptes ac uepotem ex altera ipsius testatoris sorore. In testamenti tabulis duas capellanias fundari mandavit.

Die 24. Febr. 1831 haeres usufructuaria et executor testamentarius Aloysii defuncti mandatis obsequentes Episcopo Interamuensi exposuerunt memoratum testatorem (notandum est verba, quae mox charactere currenti vulgo corsico expressa erunt esse ipsissima ea quae in appositis actis adhibita sunt) instituisse duas capellanias laicales cum oneribus et fundis in testamento descriptis item sese jam cessisse cuique supradictarum capellaniarum erigendarum respectivum praedium a testatore eidem assignatum. Itaque instabant, ut Episcopus assiguationem praedictorum praediorum sua ordinaria auctoritate confirmet et ad erectionem ambarum capellaniarum deveniat; hinc Episcopus laudatus declaravit dotationem praedictam bene, rite et legitime initam fuisse et mandavit servari omnia et singula alia in praecitata pia dispositione Aloysii Pelagalli contenta.

Paulo post Catharina ac Masaruccius ad hasce capellanias clericum Robertum Riveruzzi et sacerdotem Raymundum Riveruzzi rite nominaverunt et curiae Interamnensi nomi-

*) Vd. *t. II. p. 411. q.*

nationis actus exhibitus est. Deinceps publice decretis affixis decemque diebus elapsis Robertus a Vicario generali repetiit chirographum nominationis in ejus personam factae in perpetuum rectorem capellaniae perpetuae laicalis fundatae a quodam Aloysio Pelazalli et Ordinarii auctoritate erectae simulque efflagitavit, ut tamquam legitime nominatus in capellanum confirmaretur et institueretur. Quocirca Vicarius geueralis Robertum clericum admisit, confirmavit et instituit in capellanum perpetuum et rectorem dictae capellaniae cum omnibus juribus et oueribus etiam cum plenitudine juris canonici ac per bireti capiti suo impositionem literasque patentes collationis et provisionis hujusmodi ad illius favorem expediri et in corporalem possessionem capellaniae immitti mandavit. Haec acta separatim eodem modo ac forma expleta suut a sacerdote Raymundo circa alteram capellaniam.

Raymuudus e vita decessit die 21. Februarii 1853 ac propterea Catharina Riveruzzi non solum uti haeres usufructuaria sed etiam uti cessiouaria proprietatis (quippe ab haeredibus proprietariis haereditatem con qualunque loro ragione derivaute dal testamento di Luigi Pelagalli publico instrumeuto acquisiverat) die 25. subsequentis Aprilis clericum Aloysium Riveruzzi iu seminario Interamneusi degentem ad vacuam capellaniam B. M. V. a Pietate nuncupatam rite nominavit praesentavitque. At vero paulo post nempe die 17. Juuii ejusdem anni Beatrix ac Isabella testatoris ueptes et haeredes proprietariae nominaverunt puerum Augustum Fongoli Isabellae filium die 13. Julii 1845 natum, qui clericali habitu utpote inter alumnos seminarii cooptatus incedebat. Ad primam vero tonsuram provectus est die 26. Julii 1853 licet utili tempore ab Interamneusi curia ad eamdem sese provehi postulasset ceu probat testimonio illius qui id temporis Vicarii nuuere fuugebatur. At vero ob illius ecclesiae vacuitatem Archiepiscopus Spoletanus apostolicus administrator Fongoli preces ad novellum Episcopum eligendum demandari jussit. Alios haeredes proprietarios ab altera testatoris sorore progenitos nullum omnino nominationis actum elicuisse constat ex actis.

In hoc rerum statu Catharina Riveruzzi supplex adiit hanc s. Congregationem. Ad Episcopum Interamnensem supplici remisso libello cum opportuuis de more mandatis literae ab eodem acceptae sunt die 1. Martii curr. anni obsignatae una cum testamenti particula ceterisque ad rem facientibus. Non dubitat Episcopus capellaniam de qua agitur esse verum ac proprie dictum beneficium: »Omnia enim (sic ipse) quae communi canonistarum sententia requiruutur ad verum ecclesiasticum beneficium constituendum omnia in hoc casu reperio nisi prorsus fallor. Habemus enim erigendas eas esse auctoritate Episcopi ex praecitata particula testamentaria et ad ejus uormam postulantibus haerede usufructuaria et executore testamentario Canonico Julio Musarucci decretum erectionis hujusmodi fuisse emissum sub die 24. Febr. 1831. Habemus omnes ejusdem fundi fructus fuisse traditos capellauo propter enunciatam missarum celebrationem, nou uudum stipeudium esse ipsi solvendum ab haeredibus. Habemus haeredes praememoratos teneri nominari ad easdem capellanias personas in via ecclesiastica saltem initiatas eamdemque nominationem semel factam valituram perpetuo et praeter omnia haec habemus in actis curiae in anteactis repetitis vacatiouibus religiosissime fuisse id semper servatum et per bullam Ordinarii et nou aliter et per canonicam institutionem novum quemlibet capellauum in possessione illarum fuisse immissum atque in illis pacifice permansisse.«

Subiude idem Episcopus argumenta diluit a Fongolio in medium prolata et praesertim illud ex passiva nomiuatioue petitum, quam Augusto Fougoli competere contenditur, nam durante quadrimestri hic noudum tonsura initiatus erat. Itaque licet concedatur passivum illi jure sanguinis patronatum inesse uou habere ullam vim in casu ob tonsurae defectum in tempore utili arbitretur subjicitque »uulli idcirco iujuria illata est per nominationem et praesentatiouem clerici Riveruzzi, qui pauper inprimis est et per clericalem tonsuram fuerat clero adscriptus die 24. Aprilis ejusdem anui. Fongolius seu qui jura tuetur ejusdem nomiuatiouem a Catharina Riveruzzi factam favore clerici Riveruzzi uullo iu pretio habendam esse propugnat unaque conteudit capellaniam de qua agitur sibi esse adjudicandam. Itaque statuit inprimis eamdem capellaniam non esse ecclesiasticam sed mere laicalem. Id enim perspicuis ac rotundis verbis declaravit institutor cum ejus verba omnem dubietatem excludunt dummodo naturalem verborum significationem contra ra-

tionis dictamen in alium sensum detorquere nolis. In quo notandum est nullam omnino mentionem a testatore fieri de Ordinarii auctoritate pro earumdem fundatione. Quinimo directis verbis hanc curam haeredi mulieri cum consensu executoris testamentarii unice demandatum fuisse comperitur. Huc accedit, quod verba faciens de celebratione missarum dicit »di far celebrare«, ita ut parum sua interesse ostenderet an capellanus sit ecclesiasticae militiae addictus necne.

Neque officit ipse pergit quod institutor titulum capellaniis affixerit, dotem certam assignaverit, capellanum nominari jusserit suisque haeredibus nominandi jus reservaverit. Haec enim omnia communia sunt cum capellaniis laicalibus ceu quotidiana experientia docet centiesque haec s. C. declaravit, ut videre est in *Fabrianen. Capellaniae 4. Februarii 1845* ubi innumera hujus generis exempla cumulantur ac praesertim in *Civitatis Castelli 1. Febr. 1766* in qua licet superius recensitae conditiones concurrerent nihilominus s. Ordo puerum sexennem passive vocatum capellaniae consequendae capacem esse definivit.

Perperam insuper objicitur Ordinarii auctoritatem intercessisse in capellaniarum erectione itemque bullas episcopales rectoribus qui prima vice capellanias adepti sunt concessas et expeditas fuisse. Quod enim respicit erectionem nemo nescit etiam in fundatione capellaniarum laicalium Episcopos acceptationis actum perficere debere ceu fit in quibuslibet legatis piis ex praescripto s. m. Urbani VIII. et Innoc. XII. Videris *Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. ultim. n. 13.* In hunc itaque sensum accipiendus est actus Episcopi Interamnensis diei 24. Feb. 1831 eoque magis, quia capellaniae ibidem etiam conceptis verbis laicales appellantur et diserte monetur relationem haberi ad piam testatoris dispositionem ad ejusque normam et sententiam omnia quae in eo actu declarata sunt intelligi debere. Ad nominationis actum et bullarum expeditionem quod attinet praeterquam quod ibi pariter capellaniae laicales diserte nuncupantur facili negotio colligitur id ex errore dumtaxat evenisse; aliter enim in uno eodemque contextu manifestissima contradictio esset admittenda. Quidquid vero sit in dubio, cum qualitas laicalis testatoris menti congrua sit, bullarum vero expeditio plane dissentanea, illa signatio est praeferenda, quae cum institutoris lege minime pugnat.

Quamvis autem concederetur haeredem usufructuariam et executorem testamentarium itemque Episcopum et Vicarium generalem capellaniam vere ecclesiasticam erigere voluisse nihilominus a testatoris voluntate recedendum non esset sed omnia acta juxta mentem ipsius adamussim corrigenda forent. Primo enim hujusmodi exorbitantia pii testatoris voluntatem everteret; jamvero exploratum est nullam esse erectionem capellaniae ab Ordinario factam contra ea quae in testamento praescripta sunt, quia non est in potestate Ordinarii *) commutare mentem pii testatoris, qui simplicem capellaniam laicalem reliquit, ceu docet *Piton. de controv. patr. alleg. 31. num. 23*, *Garzia de benef. num. 1. c. 2. num. 105*, s. C. in *Mediolanen. 23. Aug. 1760. §. 1.* Deinde nihil magis in jure canonico certum, quam quod conditiones a pio fundatore in fundatione appositae servandae sint et praesertim cum per eorumdem neglectum alterius juri quaesito damnum inferretur ad textum *cap. Si quando de reser.*, s. C. in *Platien. Canon. 30. Maji 1829. ad 2. dub.*, *Imolen. Prioratus 26. Mart. 1831. §. Haec.* At vero nemo non videt quantopere noceat hujusmodi qualitatis ecclesiasticae accessio haeredibus proprietariis eorumque descendentibus a testatore vocatis, ut reapse ipsi Fongolio usuveniret nisi alia in promptu haberet argumenta, quibus jura sua sarta tecta conservet. Tandem erectionis decretum et bullarum expeditio facta est insciis omnino haeredibus proprietariis, qui vocati non fuerunt in ea re licet sua maxime interesset hodieque tantum eorumdem actorum cognitionem nacti sunt. Hinc nonnisi per summam injuriam eorum instantia rejici non posset si peterent ceu reapse petunt ut quidquid in origine peccatum est primo dato tempore emendetur.

Quod si capellaniarum laicitati comprobandae haec argumenta satis non essent probe novunt EE. VV. in dubio capellaniam non ecclesiasticam sed mere laicalem pronunciandam esse ceu communis doctrina demonstrat teste *Rota cor. Lancetta decis. 1030. n. 24. et 25.* et in *Asculana Collectarum 9. Januar. 1728. coram Aldovrando*, s. C. in *Nursina Juripatr. 23. April. 1842. §. Verum.*

Constabilita hoc modo uti sibi persuadet laicali capellaniae qualitate infert exinde Fongolius non Riverutio sed sibi capellaniam

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 4.*

esse adjudicandam. Ait enim sese niti posse nominatione sive activa sive passiva. Primo enim loco testator haeredi usufructuariae et executori testamentario nominandi facultatem attribuit per la prima volta, quae quidem dictio utpote taxativa accipienda est pro una vice tantum et non ultra: si vero testator paulo post adjunxit clausulam: o seguita la morte di questi quamvis per verbum questi concedatur intelligi praedictos haeredes et non capellanos nihilominus eadem clausula demonstrative tantum est sumenda tum quia testator sibi forte persuaserat capellanos eligendos nominantibus superstites futuros tum quia per hanc interpretationem quaelibet contradictio abit in auras.

Secundo loco animadvertendum est nominandi facultatem haeredi usufructuariae relictam minime liberam et arbitrariam; namque in jurispatronatus reservatione diserte cautum est: »che però se vi sarà qualcuno della famiglia degli infrascritti eredi proprietari che vada per la via ecclesiatica, sia ad ogni altero preferito.« Jamvero adest Fongolius ipse, qui natus est ab Isabella testatoris nempe ac proprietaria ejusdem haerede neque alius ab aliis cohaeredibus prognatus in medium se protulit, ut capellaniam de qua agitur sibi vindicandam susciperet. Frustra vero adversaria oratrix Riveruzzi opponit Fongolium antequam quadrimestre spatium expiraret clericali tonsura non fuisse insignitum. Respondet enim Fongolius sese ut passivae suae vocationis jus exerceat necesse non habere, ut actu clericali militiae connumeretur sed satis, ut vada per la via ecclesiastica, quod plenissime a se praestitum fuisse subdit; nam antequam ab Episcopo clericali tonsura donaretur jam in clericali habitu incedebat. Deinde contendit se utili tempore ab Interamnensi curia tonsuram flagitasse neque stetisse per se si curia ejusdem preces ad futurum novellum Episcopum remisit.

Praeterea jus est ab hoc s. Ordine, a Congregatione Episcoporum et Regul. et doctoribus receptissimum, ut fatale*) quatuor mensium minime servandum sit. S. C. in *Signina Jurispatr. 2. Mart. 1837. §. Imo vero*, *Forolivien. Commut. volunt. 3. Junii 1843. §. Satis*, *S. C. Episc. et Regul. in nuperrima Mandelen. Capellaniae 10. Apr. anni labentis*, *Piton. discept. eccl. 22. num. 10 et Fargna de jure patron. part. 3. can. un. cas. 1. n. 30.* Quo posito evanescit exceptio ex clericatus defectu desumpta quandoquidem Fongolius die 26. Julii anni 1853 reipsa tonsuram assecutus est.

Tandem veluti choronidem suorum jurium deductionibus ponit animadvertens, quod licet per damnatam hypothesim capellania veluti ecclesiastica retineri deberet nihilominus Riveruzzius, qui Catharinae nominatione nititur, omni jure ad capellaniam consequendam destitutus remaneat, ipse vero utpote utili tempore a legitimis patronis nominatus et curiae praesentatus ad capellaniam unice instituendus sit. Quod si etiam in hac vacatione Catharina nominandi facultate gaudere dicenda esset nihilominus ipse contendit non alium sed seipsum ut passive vocatum a Riveruzzia omnino nominandum esse; si vero ipsa renueret adhuc tamen ipse ob directam testatoris vocationem quae uti doctores ajunt ceu fulmen operatur capellaniae institutionem impetrare deberet. Neque obest, quod in quadrimestri intervallo nondum aetatem canonicam annorum 14*) attigisset. Licet enim haec aetas a Conc. Trid. requiratur attamen pii fundatores minime prohibentur minorem etiam aetatem permittere quemadmodum communiter sentiunt doctores et definivit haec s. C. teste s. Rota *in Monopolitana Beneficii 6. Junii 1822 coram Merlino* et in *Corduben. Capellan. 5. Decemb. 1629 coram Coccino Decano* apud *Ferraris V. Aetas num. 11.* Utcumque vero sit cum agatur de paucis annis circa aetatem de paucis diebus circa clericatum demissis precibus implorat indulgentiam s. Ordinis similibus in casibus adhibere solitam quando praesertim agitur de pueris**) a testatore passiva vocatione honoratis, ut nempe subsidia ad studiorum curriculum suscipiendum habeant.

Contra Riveruzzia ut nominationem a se editam favore clerici Riveruzzi substineat inversa via procedit capellaniam vere ecclesiasticam propugnando. In quo eadem illa argumenta deprimit, quae ab Episcopo in suis literis superius exscriptis allata sunt videlicet praecipue quod auctoritas episcopalis in capellaniarum erectione et subsequenti collatione apertissime intercederit. Quae duae conditiones ejusmodi sunt, ut nullimode cum capellania laicali stare simul queant.

*) Vd. *t. I. p. 622. n. 30.*

*) Vd. *t. I. p. 278. n. 1. etc.*
**) Vd. *t. II. p. 433. kk.*

Si autem a testatore capellaniae laicales nominatae sunt improprie dictum id omne putandum est. Et fortasse cum vulgo capellaniae ecclesiasticae laicali juripatronatus obnoxiae laicales vocitari improprie soleant licet in jure canonico maximum intercedat discrimen; hoc errore ductus institutor capellanias a se fundatas laicales appellavit, quia laicis juspatronatus reservaverat. At vero ejusdem voluntas ea profecto erat, ut duo beneficia vere et proprie dicta erigerentur. Id enim praeter alia demonstrant verba »erigere, erette«, quae canonicae erectioni significanda comparata sunt. Deinde cum haeres usufructuaria et executor testamentarius praesumantur veram ac genuinam testatoris mentem cognovisse iis quae ab ipsis gesta sunt inhaerendum est eoque magis, quia haeres potest capellaniam uti laicalem a testatore relictam in ecclesiasticam Episcopi accedente auctoritate convertere ceu tradit haec s. C. in *Viterbien. Capell. 4. April. 1767.* §. *22, Urbinaten. 28. Maji 1796.* §. *11.*

Postquam Catharina Riveruzzia ecclesiasticam capellaniae qualitatem vindicavit probandum assumit nominationem a se peractam substineri nullumque jus eidem subruendae superesse Fongolio. Huic enim nominatio tam activa quam passiva deest. Deest activa quandoquidem primo nondum secuta est sua (idest Catharinae haeredis usufructuariae) mors, quae evenire debet, ut nominationi haeredum proprietatis locus factus fuisse dicatur. Perperam vero insinuatur eam dictionem *per la prima volta* adeo taxative sumendam esse, ut si eadem Catharina vivente alia vacatio contingit, ut reapse contigit, nominandi juri exercendo aditus intercludatur. Neque enim contradictionem implicat, nt etiam secunda vice nominationem haeres usufructuaria compleat quinimo in hoc sensu mens testatoris necessario prorsus interpretanda est. Aliter enim sequeretur, quod haeredes proprietarii in nominandi jus ingrederentur antequam sequatur mors haeredis usufructuariae, quod expresse testamenti legibus adversatur.

Praeterea Riveruzzia non solum uti haeres usufructuaria sed etiam uti proprietaria nominationis jure usa est. Ipsa enim per publicas instrumenti tabulas haereditatis proprietatem »con qualunque loro ragione derivante dal testamento di Luigi Pellagallo« ab haeredibus proprietariis sibi comparavit. Atqui jus activum nominandi ad capellaniam de qua agitur in Theresiam et Beatricem quae Fongolium nominavere derivavit solummodo ex testamentaria Moisii Pelagalli dispositione prout quisque videt. Quocirca una cum titulo haereditario in Riveruzziam translatum est etiam jus nominandi eidem titulo adnexum. Ceteroque vero sciunt etiam qui canonicum jus vel a limine salutarunt una cum vendita universitate bonorum transire in venditorem etiam patronatus jura quae forte bonis inhaerent, ceu prae aliis videre est apud *Fargnan. de jurepatr. par. 2. can. 1. cas. 4. num. 1 et 2. post text. in cap. Ex literis* et *Cum saeculum de jurepatr.*

At vero Fongolius passiva etiam vocatione destituitur. Et sane ut cognosci queat an quis passivam vocationem exercendi jus habeat tria tempora distinguuntur a doctoribus videlicet tempus, quo incidit vacatio, quo eadem durat, quo eadem expirat, ita ut juxta adagium »qualitas adjecta verbo verificari debet tempore verbi« conditio necessario a testatore praescripta eo tempore impleri debeat, quod ipsa testatoris verba declarant. Jamvero quodcumque ex hisce tribus temporibus optet Fongolius, semper verum est nunquam in eo conditionem canonicae aetatis et clericatus repertam fuisse, ad exitum quidem quadrimestris, quo capellaniae vacatio expirare debuit et quo elapso patronorum omnia jura perimuntur. Ipse enim clericatum suscepit die 26. Julii et capellania vacaverat die 24. Februarii.

Frustra Fongolius ex hujusce difficultatis laqueo se putat expedire sibi persuadens illud satis esse, ut volvente quadrimestri clericalium vestium insignia gestaret. Nam primus gradus, quo ecclesiasticam militiam quis ingreditur non est clericalium indumentorum gestatio, verumtamen clericalis tonsurae susceptio, veluti semper et ubique reputatum est. In hunc itaque sensum testatoris dispositio sumenda est eoque magis, quia paucis post verbis cum extraneos vocaret adjecit: »voglio che vengano conferite a chierici e sacerdoti.« Id etenim etiam ad suos conjunctos quos aliis praeferri voluit extendendum esse contextus ipse significat.

Neque meliori consilio Fongolius arbitratur (ita Riveruzzia prosequitur) aetatis defectum sibi non obesse quasi testator conjunctis passive vocatis permissum fecerit, ut capellanias adipisci possent antequam ad canonicam aetatem pervenissent. Cum enim omnia jura suadeant illud esse praesumendum,

ut testator communi juri sese conformare voluerit, recta ratio dictat, ut nunquam a legum custodia recedatur nisi cum disertis verbis omnemque dubietatem excludentibus testator dispositionem legi contrariam sancire voluerit. Quod certe non accidit in themate. Perperam insuper ad indulgentiam s. Congr. confugium habet. Hac enim nunquam utitur S. C. quoties jus quaesitum alterius laederetur. Atqui in casu clerico Riveruzzio damnum inferretur; hic enim a legitimo patrono nominatus ad capellaniam jus acquisivit.

Extremo loco ne ullum Fongolio effugium supersit Riveruzia animadvertit eidem nullum ad capellaniam jus competere licet haec laicalis reputetur. Hoc enim in casu cum a Fongolio uti certum ponatur quadrimestre spatium in capellaniis laicalibus non observari illud sequitur, ut patronus ejus exitum expectare non cogatur adeoque jus habeat uno etiam post vacationem momento capellaniam providere quin ille, qui forte brevi in eo futurus est ut vacationis passivae jus jactare queat, ullam merito querimoniam edere possit: patronus enim jure suo uti libere potest neque passive vocatis commodum praestolari cogitur.

Hisce quae in utramque partem disceptantur fideliter expositis nihil restat, nisi ut dignentur Emtiae VV. dirimere

Dubium:

An et cujus favore constet de legitima nominatione, ita ut et cui adjudicanda sit capellania in casu?

S. C. resp.:

Affirmative favore clerici Aloysii Riveruzzi.

Die 20. Maji 1854.

II. Laicus.

Vd. *Capellania non collativa p. 557; Discursus* p. 565.

Archipresbyter N. in suo testamento legatum pium reliquit, quo constitutam voluit capellaniam mere laicalem cum onere duarum missarum in suffragium animae suae. Ad possessionem hujus capellaniae sacerdotem aut clericum vocavit ex quibusdam familiarum lineis, inter quas unam familiam sibi sanguine junctam praedilexit: in casu extinctionis harum familiarum quasdam alias leges constituit favore cleri illius loci cui idem testator ut Archipresbyter praefuit, illique clero bona administranda hoc in casu reliquit.

In praesentia quidam clericus ex praedilecta linea pacifice capellaniam possidebat sed coactus a gubernio civili habitum militarem induere sese ad s. Sedem convertit ut in statu militiae sibi facultatem faceret percipiendi fructus capellaniae laicalis quam possidebat: imo postulabat ut familiae suae in paupertatem redactae bona capellaniae libere excepta obligatione adimplendi onera adjudicarentur, cum deficerent aliae familiae a testatore vocatae et interdicta esset a gubernio administratio bonorum clero, qui ex voluntate testatoris administrare hoc in casu bona debuisset.

Audito Episcopo atque iis quorum id intererat confirmavit preces et clericum commendavit ob ejus praedilectae familiae inopiam, cum ceteroquin clericus vocatione divina videretur destitutus; nonnulli vero clerici illius loci sese opposuerunt precibus supplicantis, cum earum exauditio cederet in damnum suorum jurium et in perversionem voluntatis testatoris.

Nonnullis de more ex officio animadversis propositum est resolvendum

Dubium:

An et quomodo annuendum sit oratoris precibus in casu?

S. Congregatio Concilii re perpensa die 24. Augusti 1867 respondere censuit: *Quoad adjudicationem bonorum: lectum, in reliquis pro dispensatione retinendi pium legatum etiam dimisso habitu clericali,**) *adimpletis oneribus ad septennium facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colligi potest:

I. Quamvis alienum non sit a capellaniis laicalibus ut laici capellaniam possideant, quibus onus inest celebrare faciendi missas et reliqua officia e testatore constituta, tamen si qualitatem clericalem testator requisiverit, eam non posse nisi a clerico possideri.

II. Concurrentibus canonicis causis R. Pontificem super hac qualitate clericali a testatore requisita interdum ad tempus dispensare.

Mantuana.

Si capellania ut verum beneficium ecclesiasticum aestimatur, tunc qui ad nuptialia vota convolat, hoc ipso beneficio renunciat**)

*) Vd. *t. II. p. 392. e.*

**) Vd. *t. II. p. 1044. n. 5.*

et ab ipso decidit, *Sanchez de matrim. impediment. lib. 1. disput. 13. num. 4.* Aut agitur de capellania laicali et simplici officiatura missarum et tunc a laicis et quidem uxoratis, immo et a faeminis atque pueris retineri potest ut statuit *Rota decis. 120. per tot. cor. Paenia, et in Urbevetana Capellaniae 17. Junii 1726.* §. *Maxime cor. Ratto* et s. Congregatio *in Romana Capellaniae 12. Julii 1721.*

Die 23. Novbr. 1816.

Capellania laicalis recte assequi et retineri valet a laicis, infantibus ac etiam a mulieribus, *Navarr. cons. 5. num. 1., Card. de Luca de benefic. dis. 334. per tot.* et in *Erboretana Capellaniae 17. Jun. 1726.* §. *Maxime coram Ratto* et s. Congregatio in *Romana Capellaniae 12. Julii 1721* et in *Civitatis Castelli 1. Martii 1766.* in qua cum ageretur de puero sexenni proposito:

An Paulus Nicolaus Bonvisa sit capax consequendi capellanias seu legata pia ordinata a Comite Montemarte?

Responsum fuit: *Affirmative.*

Nec contrarium statuit synodus Tridentina in *sess. 13. cap. 6. de ref.*, cum unice loquatur de beneficiis ecclesiasticis.

Verum et juris communis censura penitus conticescit ac exceptionem patitur, dum vel expressa vel tacita fundatoris voluntas obstat, *Card. de Luc. de benef. disc. 61. num. 4*, *Rot. coram de Grassis decis. 114. num. 5.* et in *Hydruntina Capellaniae 9. Maji 1698* §: *Quamvis, coram Pio.* Non etenim repugnat, ut capellania mere laicalis ac simplex legatum pium sit nulla Ordinarii auctoritate erectum, sed ex voluntate testatoris personae nominandae debeant esse ecclesiasticae et etiam presbyterales,*) ita ut laici infantes et etiam clerici conjugati incapaces sint.

Qua de re in una *Auximana Capellaniarum 16. Decemb. 1702. proposito:*

An dictae capellaniae reputari debeant ad instar haereditatis mere prophanae sintque ita laicales, ut ad illas nominari etiam possint laici, mulieres et pueri?

Resonsum est: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

In una *Firmana Capellaniae 18. April. 1711*, in qua res erat de capellania mere laicali et nulla Ordinarii auctoritate erecta proposito:

An clericus Joannes Baptista Rettinus in statu clerici conjugati possit retinere capellaniam, de qua agitur?

Rescripsit: Negative.

In una *Romana Capellaniae*, in qua agebatur de capellania erecta cum declaratione:

Qual capellania debba riputarsi ad esser mera pura laicale, e non benefizio ecclesiastico, proposito:

An capellania de qua agitur retineri possit in statu conjugali per capellanum a testatore nominatum?

Rescriptum est die 20. Sept. 1727.: Negative.

Et in una *Civitatis Castelli 24. Aprilis 1751* proposito:

An capellania de qua agitur sit mere laicalis, ita ut retineri possit ab oratore in statu conjugali?

Rescripsit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Mutinen.

Piissimus sacerdos Joseph Tagliazucchi ex oppido Castrivitrei decedens anno 1756 ultimo suae voluntatis elogio capellaniam mere laicalem adjecto missarum onere instituit. Primum autem capellaniae rectorem nominavit sacerdotem Petrum Tagliazucchi sibi ex fratre nepotem.

Vacavit anno 1847 capellania. Hinc Julius Caesar Tagliazucchi, qui usque ab anno 1810 tonsuram susceperat ac agnatus ceteris proximior erat praefato sacerdoti Petro a curia Mutinensi in capellaniae possessionem imm itti simulque facultatem sibi fieri postulavit reassumendi vestes clericales*) quas occasione matrimonii a se contracti ac uxoris morte jamdiu resoluti urbanae etiam militiae adscriptus dimiserat. Huic tamen obstitit Geminianus Tagliazucchi pariter agnatus sed uno gradu Julio Caesare remotior, qui clericali tonsura sequuta vix vacatione insignitus fuit ac Praepositus sacerdos Joseph Barberi ad cognationem pertinens; quorum primus multis constatis accusationibus tanquam indignum, alter ob habitus clericalis dimissionem**) uti inhabilem Julium Caesarem a

*) Vd. *p. 567.* §: *Quamvis*

*) Vd. *t. II. p. 392. c.*
**) Vd. *t. II. p. 759. II.*

capellaniae assequutione repellendum contendebant.

Itaque instituto judicio, examinatis testibus ac rationum momentis hinc inde libratis Mutinensis curia die 30. Martii 1852 pronunciavit competere Giulio Caesari Tagliazucchi capellaniam laicalem. Ab hac sententia tum Geminianus Tagliazucchi tum praepositus Barberi ad s. H. Congregationem appellarunt. Rogatus Episcopus informationem ac votum utque partibus terminum praefigeret deducendi jura sua coram s. Congregatione ac processum in curia confectum transmitteret diligentissime hisce mandatis obsecutus est.

Defensor Julii Caesaris contra Geminianum primo quaestionem agens in crimina suo clienti objecta inquirere e re sua censet, ut ejus honori ac existimationi potius quam causae merito consulat a qua quidem cum de capellania mere laicali agitur hujusmodi inquisitionem extraneam prorsus esse judicat. Porro calumniosas esse adversarii imputationes ebrietatis, blasphemiae, turpis consuetudinis ceterorumque criminum probat primo ex fide contrariorum testium, quorum partim odii ac inimicitiae exceptione obnoxii sunt partim de auditu tantum referunt, omnes vero utpote mendacissimos sibique contradicentes nullius fidei faciendae idoneos ac omnino rejiciendos contendit. Probat insuper ex pluribus a cliente suo inductis testibus, qui de ejus honestate morum ac vitae probitate testimonium reddunt. Probat demum ex publicis monumentis nimirum ex testimonio Ducis exercitus municipalis ac Praetorii Magistratus ac rectoris ecclesiae paroecialis, quae quidem in odioso hujusmodi judicio privatis praeferenda esse monet s. Rota *in Sagonien. Plebaniae 10. Decembris 1710. cor. Omana.* Postremum ex ipsa contrariorum testium confessione quaestionem dirimi posse animadvertit quatenus ejus vitae mutationem referunt; quod quidom sat esset ad quamlibet infamiae notam removendam ceu tradit *Ferraris Bibliot. V. Infamia num. 21.*

Quibus positis etsi de ecclesiastico beneficio ageretur nec juris nec facti infamiam Julio Caesari obstare arguit ad capellaniae assequutionem. Non infamiam juris ad quam irrogandam certum crimen infamia notandum ac judicialem sententiam lex copulative requirit, quae duo desunt in casu. Non facti infamiam*) seu diffamationem quia haec non inducitur nisi per plenam et concludentem delictorum probationem ceu docet s. Rota in *Trivicana Jurispatronatus 17. Junii 1718. cor. Foscaro.* Quin difficultatem facessat criminalis inquisitio cui Julius Caesar subjectus est eo temporis quo causa super capellania penes curiam Mutinensem agebatur. Nam ut diffamatio impediens ex delicto oriatur non una prodest criminalis inquisitio cum sententia posthac delictum non constare uti in casu decrevit *s. Rota decis. 723. part. 16. num. 20. rec.* Tandem cum de jure quaesito tollendo agatur (nam Julius Caesar quamvis capellaniae possessionem nondum adeptus sit attamen jus ad eam exclusivum ex vocatione testatoris habet) profecto etsi diffamatio probaretur nullam infamia juris exsulante eam exserere posse vim arguit cum *Rota in cit. Trivicana Jurispatr. 17. Junii 1718. cor. Foscaro* et in *Regien. Commendae super Institutione 24. Januarii 1749.* §. *4. cor. de Vais.*

*) Cf. *t. II. p. 784. V; 785. VII; 787. VIII.*

Praemissa facti quaestione ad juris dispositiones gradum facit ac probat capellaniam de qua in themate mere laicalem esse tum ex nominata pluries qualitate laicali tum ex defectu institutionis et ex nunquam requisito consensu Ordinarii tum demum ex ejusdem Ordinarii exclusione quoad ejus administrationem quae exequutoribus testamentariis unice demandata est uti patet ex testamenti verbis. Porro capellaniam absque canonica auctoritate institutam laicalem esse compertissimi juris est ceu omnes tradunt doctores uti *Garcias de benef. part. 1. cap. 2. num. 102, Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 1. num. 7, Reiff. lib. 3. decret. tit. 5. num. 16.* ac firmat auctoritas s. *Rotae in Romana Immissionis 21. Febr. 1748.* §. *8. cor. de Avella* et s. Congregationis in *Viterbien. Capellaniae 23. Nov. 1765.*

Atqui non minus in jure compertum haberi in hujusmodi laicalibus capellaniis successiones non jure beneficiario aut canonicis legibus sed ex jure civili ac juxta fideicommissorum leges regi ac moderari oportere salvo jure ecclesiae invigilandi super onerum eisdem inhaerentium adimplemento, *Bernardi in Jus eccl. univ. append. de benef. improp.*, *Van Espen. Jus eccl. univ. part. 2. sect. 3. tit. 1. n. 34.* ita ut laicis imo et foeminis ac infantibus conferri valeant »et quamvis Episcopi jurisdictio sit curare ut pia defuncti voluntas executioni mandetur

. . . . . in ceteris tamen negotiis ac controversiis, quae spectant ex. gr. jura vocatorum ad capellaniam, bonorum alienationes et similia publicorum potius magistratuum erit jurisdictio atque in iis dirimendis causis legum magis civilium quam ecclesiasticarum placitis inhaerendum« uti inquit idem *Berardi cit. loco.* Nec secus *Barbosa in Jure eccl. univ. lib. 3. de capellaniis cap. 5. num. 6.* Quamobrem in his sanctiones canonicas praesertim poenales quae de beneficiis agunt nullatenus valere docet *Rota in Montis Alti Capellaniae 20. Januarii 1802. §. 6. cor. Serlupi.* Cum itaque incapacitatis notae quae Julio Caesari opponuntur non ex jure civili sed ex beneficiorum legibus dimanent nullum exinde ejus quod successionum juribus detrimentum infert consequitur.

Nequidquam vero ex adverso objici Julium Caesarem ob malam anteactae vitae rationem vestes clericales induere amplius non posse ideoque nec uti clericum reputari nec ad successionem juxta mentem fundatoris admitti. Nam praeter quam quod integrum sit clerico eo ipso quod clericali tonsura praeditus est proprio marte habitum quandocumque resumere inscio etiam vel invito Episcopo, *Card. de Luca de pension. disc. 81. num. 14*, imo etsi gravissimis fuerit delictis notatus uti ab hac s. Congregatione pluries decisum refert *Ursaya disc. tom. 1. par. 2. disc. 11. num. 13* addit etiam Julium Caesarem haud indignum uti superius demonstravit status clericalis sese praebuisse, ita ut jure iterum induendi habitum privari possit; ac praeterea nec ex lege testamenti neque ex communis juris dispositione ad habitus gestationem cogi, ut capellaniae possessione fruatur. Non quidem ex lege testamenti in quo licet mandetur capellaniam conferri debere clerico »anche di prima tonsura« nullibi tamen injungitur clericalis habitus gestatio. Atqui clericus proprie est quicumque clericali tonsura insignitus est quamquam non incedat et sit conjugatus et bigamus nam uti monet *s. Rota decis. 30. tom. 5. part. 1. num. 1 et sequ. rec.* bigamus amittit quidem privilegia sed non characterem indelebilem et remanet clericus.

Ast nec ex jure communi habitus gestatio requiritur. Poena enim privationis contra non incedentes in habitu clericali constituta*) in ecclesiasticis tantum beneficiis locum habet non vero ad laicales capellanias proferri potest uti patet ex verbis Concilii Trid. *sess. 14. cap. 6. de reform.* quae de ecclesiasticis tantum beneficiis mentionem faciunt. Probe autem ad rem animadvertit *Card. de Luca annot. ad Conc. Trid. disc. 24. num. 10.* beneficiornm appellatione ad hunc effectum ea solum venire quae vere ac legaliter talia sunt, quia nempe ecclesiastica sunt auctoritoritate instituta; secus vero ubi agatur de capellaniis manualibus sive de legatis piis ex sola privata dispositione fundatis quamvis cum onere celebrationis missarum.

Quibus perpensis haud probandam censet defensor sententiam curiae pro ea parte quae capellaniae dimissionem hypothetice minitatur quatenus scilicet Julius Caesar vestium clericalium gestatione indignum inposterum sese praebeat; nec pariter admitti posse quod proponit Episcopus, nam ex his quae hucusque disputata sunt palam est nullam eidem obligationem incumbere induendi clericales vestes, ut ad successionem laicalis capellaniae admitti valeat. Itaque quamvis ipse veniam habitum clericalem reasumendi postulaverit attamen quia id ad capellaniae emolumentum assequendum haud necessarium existimat postulationem hanc prudentiae EE. PP. subjiciens, quae demum cumque fuerit sacri Ordinis resolutio, sese obsequentissimum profitetur. Post haec paucis se expedit ab his quae alter adversarius Praepositus Barberi opponit. Is enim contendit Julium Caesarem idoneum ad successionem non esse ex eo potissimum, quo tempore vacationis capellaniae in habitu ac tonsura non incedebat. Ast admissa etiam habitus necessitate haud objectum consistere quandoquidem receptum in jure est, ceu docet *Garcias de benef. cap. 1. num. 39. part. 3.* et passim doctores, quod nimirum »clericatus quamvis tempore praesentationis omnino requiratur non tamen requiritur quod tunc praesentatus incedat in habitu clericali ex const. Xisti V.*) quae solum id requirit tempore collationis, quamvis ex ea teneatur statim dictum habitum assumere.«

Disjectis itaque adversariorum objectionibus haud de bono clientis sui jure dubitari posse concludit defensor quippe qui non solum omnibus pollet qualitatibus in fundatione

*) Vd. *t. II. p. 144. b.*

*) Vd. *t. II. p. 147.*

requisitis*) sed in iis adversarios antecellit. Praestat siquidem Geminiano qui tonsura tempore vacationis praeditus non erat et gradu posterior est in agnatione. Praestat Praeposito Barberi qui ad agnationem non pertinet et exequutor testamentarius quum sit aut hujusmodi officium retinere cum capellania nequit aut abjiciens non posset violatis testamenti legibus fideicommissi emolumentum captare.

Jura Geminiani ac Praepositi Barberi in allegationibus ab eorum procuratoribus distribuendis (quae a me hactenus perlatae non sunt) recolere dignabuntur EE. PP.

Dubium:

An et quomodo sententia curiae episcopalis Mutinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.:

Sententiam esse confirmandam juxta modum nempe ut disposita in tertio capite sententiae intelligantur ad tramites juris communis.

Die 20. Maji 1854.

Continuatio.

Tum Geminianus Tagliazucchi tum Praepositus Barberi novae audientiae beneficium impetrarunt nihil tamen ab eorum procuratoribus licet monitis hactenus accepi. Procurator autem Geminiani certiorem me fecit memoriale pro dilatione se circumlaturum. Mei itaque muneris erit per summa capita heic recensere, quae in novo suo restrictu distribuendo defensor Julii Caesaris superioris resolutionis confirmationem efflagitans edisserit.

Primo autem veritus ne Geminianus instare ceu fertur velit pro reservatione pensionis super bonis controversae capellaniae animadvertit licere quidem judici ex *textu in cap. 21. de praebend.* id onus imponere; hujusmodi vero arbitrium limitationem pati primo cum partes in judices non compromiserint ceu ex *cit. cap. 21* liquet, secundo ubi evidens ac certum alteri vel ex vocatione vel ex patronorum suffragio quaesitum sit jus, *Vivian. de jurepat. lib. 2. cap. 10. num. 11., Lotter. de re benef. quaest. 2. n. 133. lib. 2.*

Ad meritum quod attinet quaestionis contendit perperam adversarios qualitatem clericatus Julio Caesari ob defectum incessus clericalis, ob adscriptionem saeculari militiae et amissionem privilegiorum denegare. Nam et si incessus in habitu et tonsura ex lege testamenti in themate requireretur nihil impedimento esse quominus Julius Caesar vestes clericales resumat ac tonsuram deferat. Quin moveat vel decretum Congregationis Nonantulae hujusmodi facultatem Julio Caesari denegantis cum eam ab Episcopo obtinuerit, vel votum ipsius Episcopi d'invocare dalla santa Sede la deroga per Giulio Cesare dall' obligo di vestire abito clericale; quod quidem a praesenti quaestione prorsus extraneum est sed futuram tantum Episcopi provisionem respicit.

Verum nec incessus nec dispensationis necessitatem agnovisse s. Congregationem, quae definiens ut quae disposita erant in tertio capite sententiae intelligerentur ad tramites juris communis plane statuit, ecclesiasticam auctoritatem interponendam esse quoad incessum dumtaxat, non vero quoad emolumentum capellaniae quae ab incessu non pendet.

Siquidem iterum recolit, jus commune a beneficiis tantum ecclesiasticis clericos non incedentes arcere, minime vero eos jure successionis privare ad laicalem capellaniam, quae cum clericatu nil commune habet, ad monitum *Ferraris Biblioth. canon. v. clericus art. 1. num. 26.* Cum vero qualitas clericatus ex lege fundationis requisita fuerit perpendit, clericum lato sensu ad effectum obeundae vocationis eum censeri qui tonsura praeditus sit, quamvis non incedat imo et privilegiis clericalibus renunciaverit et bigamus sit, juxta ea quae tradidit in superiori restrictu ac firmat auctoritate *sac. Rotae in decis. 357. par. 2. num. 4, decis. 357. par. 2. num. 4., decis. 450. part. 5. tom. 2. num. 1. recen.*

Quibus perpensis ac benigne reasumpto folio distributo in Congregatione mensis Maji grave non sit EE. PP. respondere ad

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.?

S. C. resp.:

In decisis.

Die 26. Aug. 1854.

*) Vd. *t. II. p 185. n. 27.*

Camerinen.

Philippus Penna in oppido Caldarolae archidioecesis Camerinensis ultimis tabulis queis die 5. Febr. 1806 decessit capellaniam laicalem instituit sub invocatione ss. Sacramenti in collegiata ecclesia s. Martini post matris obitum quam omnium bonorum suorum usufructuariam nuncupaverat erigendam. Praescriptis deinde missarum vel per se vel per alium celebrandarum oneribus capellanum pro prima vice voluit esse Antonium Giacobini et eo deficiente Robertum Fabroni.

Deficiente per obitum Roberti Fabroni capellano redditus ad decennium sacrario Collegiatae addicti sunt, quo elapso mense Septembris 1852. Marianus Mancini, Nicolaus Croci, Fabius Girrotti et Silvester Corvini pro capellaniae assequutione penes patronos institerunt. Patroni subsequenti mense Novembris capellanum nominantes ceteris posthabitis duo ex ipsis clericum acolythum Corci delegerunt, alter Mancinium aeque acolythum. Non multo post, cum duos ultimos ordines minores die 20. Decembris ejusdem anni recepisset Corvinius, in curiae actis *nihil transeat* apposuit et de mense Aprilis judicium instruxit tum adversus relatos Croci et Mancini tum contra clericum Girolli expostulans ut nominationibus pro nihilo habitis ipse ad capellaniam exclusive assumeretur.

Quae causa per rescriptum Sanctissimi ad H. S. O. partibus consentientibus vocata unice in hodiernis comitiis inter Croci et Mancini qui unita vi pugnant et Corvinium agitur, Mancinius siquidem cum clerico Croci transactionem iniit ab apostolica Sede adprobandam, qua sibi cavit de pensione scutorum 30 per decennium.

Girottius autem etsi per suum procuratorem ad judicium admitti postulaverit attamen ejus instantiam rejiciendam censui ex quo promotae liti jam ab initio nuncium solemniter misit uti constat ex actis.

Super his omnibus requisitus Archiepiscopus factorum seriem uti exposita est confirmat sed a voto se abstinuit.

Quae in sua defensione Corvinius habet haec sunt. Commendata prius testatoris voluntate, quam rigorose exequendam esse dicit juxta ea quae habentur in *can. Ultima voluntas caus. 13. quaest. 4. leg. 2. cod. de ss. eccl.*, inter contendentes ad capellaniam sese unice nominandum fuisse ab electoribus contendit siquidem testatoris voluntatem obsecundare voluissent juxta quam qualitatibus a fundatore requisitis *) ipse prae ceteris omnibus vocationis tempore praeditus erat. Et re quidem vera si de requisito paupertatis in eligendo solliciti nominantes aliquo modo fuissent illico agnovissent sese non modo quacumque provisione ecclesiastica vel beneficio carere sed praeterea nihil habere in bonis nec a patrimonio paterno aliquid sperare posse quippe ipsius pater domunculam possidet et onere duodecim filiorum premitur. E contra clerici Mancini et Croci non modo quaedam urbana et rustica bona possident sed quod magis est beneficiis ecclesiasticis potiuntur ex quibus unus quisque vim scut. 20 quolibet anno percipit, Ex quo facile erui dicit non Croci et Mancini pauperiores inter concurrentes fuisse judicandos sed se potius retinendum vel absolute pauperem vel certe inter pauperes pauperiorem adeoque omnino ceteris anteferendum ab electoribus. Propterea si paupertati in beneficiis conferendis semper consulendum juxta ss. canonum sanctiones multo magis imo necessario id obtineri debuisset in casu in quo idem testator explicite significavit hujusmodi qualitatem respiciendam esse in capellani electione. Nec ambigendum, quod paupertas non secundum statum sed secundum naturam dimetienda sit; verba enim praesertim in dubio et ubi agitur de hominis dispositione in propria ac naturali significatione accipienda sunt prout in casu important penuriam et paupertatem proprie dictam ceu tradit *Lancell. de privil. paupert. part. 1. quaest. num. 52.* Idque maxime valere debere in parvo oppido ubi nemo dicitur nec vere nec proprie pauper nisi qui naturali laboret indigentia. Ceterum si admitteretur egestas improprie ac lato modo non reperietur profecto in orbe qui sub aliquo respectu non indigeat et numquam fortasse fiet, ut piae hominum voluntates quoad pauperum levamen suum sortiantur effectum ceu totidem verbis alias perpendebat s. Congregatio in causa huic simillima *Montis Alti Election. seu nomin. 5. Septem. 1846* quum juxta hunc sensum definivit. Ad dubia enim:

III: An et quomodo pauperior sit ceteris praeferendus in casu?

V: An et cujus favore sit concedenda dispensatio in casu?

*) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*

Responsum prodiit

Ad III: Aff. habito respectu ad absolutam paupertatem.

Ad V: Aff. favore pauperioris.

Ad alteram deinde gradum faciens conditionem a fundatore requisitam ad legem nempe quo voluit ut eligeretur clericus contendit se jam tres et viginti annos natum et in minoribus ordinibus constitutum praesertim cum theologiae moralis studio sedulam operam navaverit, ut ceteris proximiorem ad majores ordines suscipiendos habendum esse. Nec ipsi obstare quod tempore nominationis duos extremos minores ordines non adhuc obtinuerat. Primo enim animadvertit id valetudinis qua laborabat causa accidisse, valetudine autem recuperata paucos post dies a nominatione ad ultimos etiam minores ordines promotum fuisse. Deinde ordinis quem beneficium requirit defectum haud legitimam constituere causam ut quis a beneficio arceatur cum satis sit ejus supervenientia intra annum ceu inquit *s. Rota in decis. 374. part. 16. num 7. recent.* ac docet *Devoti Institut. canon. lib. 1. tit. 6. §. 7. 3.**)

Contra vero non levioris momenti sunt, quae clerici Mancini et Corci pro sui juris tuitione perpendenda proponunt. Ac de paupertate primo agentes ceu de prima conditione a fundatore requisita allatis documentis demonstrant se adeo inopes esse, ut et beneficio ecclesiastico careant, quo ad superiores ordines promoveri valeant et adeo tenui potiuntur substantia, ut nequeant sibi patrimonium ordinationis constituere. Ceterum dato etiam, quod ipsi ditiori quam Corvinius fruantur censu animadvertunt paupertatem a fundatore requisitam non mathematice dimetiendum esse sed relative ad statum et conditionem familiarum. Hinc denegari non posse, quod relativa etiam vera dici debeat paupertas, ut notat *Amost. de caus. piis lib. 4. cap. 3. num. 39.* Imo pientissimum esse eis subvenire qui secundum statum non habent sufficientia firmat *Navarr. in Apologet. de reddit. quaest. 1. monit. 77. num. 4, Mantica lib. 8. confect. tit. 13. num. 3., Sanchez. cons. lib. 4. cap. 1. dub. 59* et *Amost. loc. cit. num. 41.* Non raro siquidem contingere assolet, ut qui majora bona possidet quamvis ditior videatur pauperior revera eo sit, qui minori censu potitur. Idque adamussim verificari in casu praesertim quoad clericum Croci cujus pater cum sex libros quorum nonnulli in minori aetate constituti alere debeat et bona quae adhuc retinet multo aere alieno gravata sunt impar omnino est consulendo familiae suae conditioni, quae inter honestiores oppidi adnumeratur. E contra si Corvini pater duodecim habet filios non eos omnes alere tenetur. Duae enim foeminae jam matrimonium contraxerunt; quatuor ex masculis separatas constituunt familias ac paternam domum deseruerunt; alii duo sacerdotali charactere insigniti sunt et in collegiata ecclesia alter beneficio alter canonicatu gaudet; ipsi demum sueta pensio ob plurium liberorum numerum a communitate rependitur.

Praeterea ex ipsa fundatoris dispositione planum fieri, quod et de relativa paupertate ratio habenda sit in electionis suffragio. Non agitur enim de vocatione directa in qua scilicet fundator vocat personas de certo genere, quo in casu magis qualificatus debet praeferri quia vocatio dirigitur ad judicem et facta censetur cum relatione ad dispositionem juris praeferendi magis qualificatum. Sed res est de vocatione mediata. Fundator enim verba non direxit directe in vocatos sed in patronos, hoc vero in casu censeri patronis datum libertatem praeeligendi quem maluerint de genere vocatorum etiam minus qualificatum*) secus enim libertas concessa patronis remaneret frustratoria imo nec vera electio daretur si jus vocationis ita certum ac determinatum esset prout supponitur, juxta ea quae tradit *Rota in Civitatis Castelli Canonicatus 12. Martii 1714. coram Scotto.*

Quod eo magis alienum esse a praesenti casu in quo fundator praeferri voluit nedum il più povero sed etiam il più prossimo ad essere iniziato in sacris ita ut haec duo simul requisita concurrere debeant in eo qui ad capellaniam instituendus est. Jam vero in hoc altero requisito tum Croci tum Mancinium praestare Corvino rem in comperto esse. Nam illi de tempore nominationis omnes minores ordines susceperunt, Corvinius autem primos duos tantum obtinuerat. Nec eum juvare contendunt dispositionem juris, qua licet beneficiato infra annum ordinem suscipere, quem cum beneficio conjunctum esse oportet. Patet enim hanc regulam obtineri non posse si secus cautum sit aliqua lege fundationis uti habet Devoti loco ex

*) Vd. *p. 410. n. 29.*

*) Vd. *t. II. p. 404. p.*

adverso cit. juxta quam in eligendo quaedam dignitas vel ordo requiratur tamquam conditio sine qua contendens ad beneficium dignus non sit qui eligi valeat et inter plures contendentes assumatur. Quamobrem redargui non posse electores qui Corvinio posthabito suffragia nominationis in clericos Croci et Mancini contulerunt.

Quibus omnibus et illud momentosum accedere, quod nimirum capellano Penna servitii choralis in quibusdam anni solemnitatibus onus incumbit; quod quidem onus etsi a testatore injunctum non fuit legitime tamen adjectum fuisse constat ab ipsa apostolica Sede*) uti in sua relatione narrat Episcopus. Quocirca cum patroni non modo clericum pauperiorem et s. ordinibus magis proximum eligere deberent sed quem chorali servitio etiam aptum noverunt, haud equidem de Corvinio rationem habere poterant qui hujusmodi laborans incommodo capellaniae onera adimplere nequivisset. Tum nec certa spes affulget fore, ut vocem recuperet, ita saltem, ut chorali servitio satis facere valeat secundum medici relationem.

Quibus perpensis superest diluendum

Dubium:

An et cui adjudicanda sit capellania in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et capellaniam adjudicandam esse clerico Croci.

Die 29. April. 1854.

Continuatio.

Instante hujus competitore clerico Corvinio causa iterum proponitur atque haec nova momenta rationum in allegatione distribuenda profert ejus defensor. Ac primo cum fundator electoribus disserte mandaverit che abbiano ad elegere e nominare il chierico più povero di questa terra di Caldarola ostendit clericum Corvini prae caeteris concurrentibus pauperiorem habendum esse quippe qui uti filiusfamilias nihil in bonis habet nihilque a patre sperare potest, qui unam possidet domunculam valoris censualis scut. 34. 38 pluribus tamen hypothecariis subjectam inscriptionibus quae ejus valorem longe superant, ac tanto aere alieno premitur ut in carcerem a creditoribus conjectus fuerit exindeque quia impar omnino solvendo dimissus. Qui praeterea numerosa undecim filiorum gravatur prole ex quibus quatuor alere tenetur duos scilicet masculos minores et duas feminas ceu testatur parochus ceterique qui separatas constituunt familias et quatuor sunt; egestate et ipsi laborant. Pensio autem quae ipsi a communitate rependitur vix annuorum scut. 15 summam attingit. Demum senio confectus cum sit nec industria aut labore opes sibi quaerere valet. Quapropter in misera adeo conditione ejus filius clericus Corvini versatur, ut defectu sacri patrimonii ad majores ordines promoveri nequeat.

At non in tanta versari inopia contradictores suos. Clericus enim Croci beneficia ecclesiastica annui redditus scut. circiter 20 in ecclesia collegiata potitur. Pater ejus una cum fratre commune patrimonium possidet censualis valoris scut. 975. 75, sex tantum habet liberos eorumque nonnullos in majori aetate constitutos. Clericus Mancini et ipse ecclesiastico in eadem Collegiata gaudet beneficio paris redditus scut. viginti circiter ejusque pater in censualibus tabulis inscribitur pro summa scut. 87. 64., quo arguit non absolute tantum seu habita ratione ad censum sed relative etiam ad familiae circumstantias et onera majori laborare paupertate clientem suum.

Igitur ex titulo paupertatis ipsum jure praelationis pollere in assequenda capellania tum ex generali juris dispositione uti post *text. in Leg. Si quis ad declinandum 48. §. 5. cod. de Episc. et cler.* docent *Menoch. de praesumpt. 125. num. 12., de Pretis de interp. ultim. volunt. interpr. 1. dub. 2. n. 94., Amostaz. de causis piis lib. 4. cap. 4. numer. 13*, tum maxime ubi testator pauperiorem nominandum praeceperit juxta ea quae monet idem Amost. loco cit. num. 16. Praesertim vero quia testator verbis usus est veram inopiam seu summam egestatem significantibus adhibito nimirum comparativo più povero unde paupertas non secundum statum sed secundum naturam ac in propia sua significatione intelligenda est nimirum pro omnium bonorum defectu quia in italica lingua ceteris deficientibus terminis non alia ratione exprimi valent majores aut minores paupertatis gradus quam comparativo adhibito.

Quamobrem nullo pacto consistere quod ex adverso objicitur paupertatem a testatore requisitam non esse mathematice dimetiendam sed relative ad statum et conditionem familiarum. Nam etsi testator dixisset pauperem esse eligendum ex dictis dubitari non posse

*) Vd. *t. II. p. 357. n. 2.*

quin caeteris praeferendus esset qui pauperior est, quia praesumitur eum voluisse majori necessitati occurrere; multo ergo magis cum reapse testator disertis edixerit verbis pauperiorem esse nominandum. Unde non de relativa sed de absoluta eaque in summo gradu paupertate rationem habendam esse manifestum est.

Hinc haud utilius regeri non agi hic de vocatione immediata et directa sed de mediata ita ut integrum sit electoribus quem inter praefinitum genus malint nominare. Ad rem enim perpendit *Amostaz. loco cit. num. 18.* ibi: Si testator dicat: eligat exequutor seu commissarius pauperem, tunc aliqui doctorum dicunt sufficere eligere pauperem. Nam ex eo quod electionem commiserit videtur voluisse ei committere ut gratificaret quos voluerit dummodo pauperes sint. Sed tamen distinguendum quando id committitur arbitrio regulato aut libero . . . . quia *si libero* poterit pauperes omissis paupertioribus eligere, secus *si regulato*, quia per illam commissionem nequit a juris regulis discedere quae cum petant pauperiorem esse praeferendum praeferri debet tantum concesso arbitrio regulato. Idipsum docent *Fagnan. in cap. Ne innitaris de const. num. 238, Sanchez. cons. lib. 4. cap. 1. dub. 60. num. 10.* aliique passim.

Sed cum testator nedum pauperiorem sed clericum etiam più prossimo ad essere iniziato in ss. ordinibus eligi praescripserit nec in altero hoc requisito Corvinium deficere contendit ubi sano modo verba haec intelligantur. Non enim inquit testatoris mens fuit ut eligendus omnes minores ordines susceperit, quod certe dixisset, sed tantum, ut aetatem et capacitatem ut ad ss. ordines promoveretur haberet. Receptum siquidem in jure est quando aliquis ad beneficium praesentandus est vel ad capellaniam quae sacerdotium requirit posse praesentari etiam non sacerdotem dummodo legitimam habeat aetatem ut intra annum ad sacerdotium promoveri queat. Ita post textum in *cap. Ei cui de praeb. in 6.* docent *Garicas de benef. part. 7. cap. 1, Pignatell. consult. 2. num. 3. tom. 7, Piton. de contr. patr. alleg. 38. num. 5.* Atqui Corvinius quamvis de tempore factae electionis duobus postremis minoribus ordinibus insignitus non esset attamen vigesimum primum aetatis annum jam expleverat ac studio s. Theologiae sedulam operam navaverat unde habitu et potentia*) s. suscipiendis ordinibus proximior prae aliis concurrentibus erat.

Ceterum defectum hunc opponi eidem non posse cum constet morbi dumtaxat quo laborabat causa a postremis suscipiendis ordinibus quos pluries ab Ordinario sibi conferri postulaverat eum fuisse impeditum. Explorati autem juris est legitime impedito tempus non currere, *Cirill. quaest. juris cap. 30. num. 2, Piton. disc. ecclesiast. 13. num. 43. ac de contr. patr. alleg. 65. num. 11*, tum conditionem dici adimpletam cum ille qui eam adimplere debebat fuit impeditus ex eodem *Piton. cit. loco alleg. 19. n. 11.**)

Nec praeterea ex vocis amissione quo incommodo laborabat Corvinius tempore sequutae electionis justam habuisse causam electores, ut eum ab assequutione capellaniae arcerent cui scilicet onus adnexum est choralis servitii in quibusdam anni solemnitatibus. Patet enim ex duorum medicorum attestatione hujusmodi incommodum temporaneum fuisse. Non poterat igitur absque injustitiae nota ob levem momentaneum morbum in electione posthaberi praesertim cum cetera haberet requisita.

Ast onus servitii choralis cui capellanus Penna subjicitur potius adversariis impedimento esse quominus ea frui valeant quippe eorum uterque alio beneficio potitur in ecclesia collegiata cum onere officiaturae choralis. Nam capellania habens adnexum onus chori est incompatibilis cum alio beneficio cui idem adnexum sit onus.**) *Barbosa in summa apost. dec.* verbo: *Capellania num. 2, Fagn. in cap. Ut Abbates n. 91. de aet. et qualit., Piton. de contr. patr. alleg. 27. n. 15.* et s. Congregatio apud *Garziam de benef. part. 11. cap. 5. n. 243.*

Tandem silentio non praeterit duos ex quatuor electoribus sanguine jungi alterum cum Macinio alterum cum Nicolao Croci unde ex hoc etiam capite nullitatem vindicat electionis quandoquidem ex lege confraternitatis impermissum dicit sodalibus pro consanguineis ferre suffragium.***)

Ex parte clerici Croci nihil novi deductum est. Rogantur igitur EE. PP. recolere folium primae propositionis ac definire

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.?

*) Vd. *p. 410. notam* **)

*) Vd. *p. 412. c.*
**) Vd. *t. II. p. 595. III.*
***) Vd. *p. 64. a; p. 139. i; p. 150. l; p. 416. b.*

S. C. resp.:
In decisis et amplius.
Die 16. Septb. 1854.

Pia ac dives mulier vidua di Marco anno 1647 suo testamento capellaniam mere laicalem ad nutum amovibilem fundavit hanc legem edicens, ut ex suis bonis dicta capellania erigeretur ad *quam eligi deberet capellanus amovibilis**) *ad nutum a domino Archangeli et ab Angelo di Marco eorumdem haeredibus et successoribus exclusis ab eligendo foeminis si masculi haberentur, quibus non extantibus foeminae quoque nominare possent.*

Archangeli erat consobrinus piae viduae, Angelus di Marco autem erat ejusdem mulieris germanus frater.

Quid in nominationibus capellaniae evenerit ab anno 1647 usque ad annum 1794 delitescit. Videtur tamen familia Archangeli nunquam juspatronatus exercuisse cujus familiae vestigium nullum a duobus abhinc saeculis fuit repertum.

Verumtamen dicto anno 1794 Agatha di Marco unica susperstes ex gente di Marco suo testamento dictum juspatronatus cum universa sua haereditate reliquit filiae suae Franciscae nuptae Camillo M: alteri vero filiae Mariae nomine nuptae Joseph V. praeter dotem etc. attribuit fundum quemdam et ita ut nil aliud praeter adsignata bona exigere potuisset.

Francisca haereditaria manutenere perrexit in possessione capellaniae filium suum Xaverium M. Id enim expressé praescripserat testatrix in téstamento, si tamen Xaverius viam ecclesiasticam prosequeretur, qui dein mortuus est anno 1800. Ab hoc anno capellaniam possedit alter Franciscae filius Julianus M. Hic autem anno 1817 capellaniam relinquens ad eam nominasse dicitur filium suum Camillum clericum, qui per acta publici tabellionis vi paternae nominationis veram et realem possessionem capere curavit. Postea Camillus uxorem accepit ex qua tres habuit filios et laicalem capellaniam retinuit sicuti et pater ejus retinuerat.

Anno 1865 idem Camillus M. in possessione capellaniae fuit exturbatus; namque insurrexerunt descendentes ex alia filia di Marco nomine Mariae, quae ut dixi nupserat Joseph V. Hi descendentes coram episcopali curia postularunt possessionem bonorum capellaniae expulso Camillo M. tamquam illegitimo possessore eoque damnato ad fructuum restitutionem.*)

Contestata lite tres descendentes V. tres exhibuerunt nominationes pro Joseph V. qui et seipsum nominavit accedens tribus nominationibus de se factis.

Discussis partium juribus Vicarius generalis sententiam tulit, qua admisit instantiam descendentium V. favore Joseph V. expulso Camillo M. et fructus reservavit liquidandos in alio judicio.

Ex appellatione a Camillo interposita causa devenit ad S. C. C.

Camilli orator validitatem sententiae a curia emissae initio impugnavit ob irregularitatem actorum sed hac parte disceptationis praetermissa ad causae meritum devenieus quaestionem pertractavit in *possessorio* et in *petitorio*.

Quoad possessorium judicium praemisso principio ex celebri textu *cap. Consultationibus de jure patron.* ubi sic legitur: *Si aliquis clericus ab ordinario judice in ecclesia fuerit institutus ad praesentationem illius, qui ejusdem ecclesiae credebatur esse patronus et postea juspatronatus alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri si tempore praesentationis suae ille qui eum praesentavit juspatronatus ecclesiae possidebat cum ex hoc ei, qui de jure debet habere, nullum in posterum praejudicium generetur. Si vero non possidebat sed tantum credebatur esse patronus cum non esset poterit ab eadem ecclesia removeri,* sic arguebat orator: Julianus ex morte fratris capellaniam possedit eamque dereliquit atque illi suffecit filium suum Camillum, qui per acta publici tabellionis possessionem capellaniae cepit atque hactenus per longum annorum spatium retinuit. Hi omnes tamquam patroni haereditarii et nominarunt et capellaniam possederunt: quare etsi modo descendentes ex altera linea ostendere possent juspatronatus sibi etiam pertinere non potuisset praesens capellanus Camillus e sua possessione exturbari. Accedit, quod etsi a patre nominatus non supponeretur ipse jure proprio se posset defendere in possessione. Hoc autem ostendere curabat orator per doctrinam, quae afferri solet quando aliquis passive vocatus ad aliquod beneficium non nominetur. Quo casu traditur sine nominatione passive vocatum immitti debere in

**) Vd. *p. 534. n. 3*; *t. II. p. 133. n. 4*; *Capellanus* (amovib.)

*) Vd. *t. II. p. 564. g*; *580. p.*

beneficium ex voluntate fundatoris, qui eum vocasse et nominasse censetur, *Pitonius de contr. patr. alleg. 1. n. 4.* Ac variis auctorum sententiis sub uno alteroque adspectu haec omnia orator exornavit.

Deveniens autem ad disceptandam quaestionem in petitorio relatis verbis viduae fundatricis contendebat juspatronatus esse dumtaxat haereditarium non vero mixtum. Namque per verba *haeredes et successores* juspatronatus connexum esset inquiebat cum sola haereditate, ita ut successores quidem essent patroni sed successores bonorum eo vel magis, quod in eadem fundationis lege deessent verba *in perpetuum, in infinitum*, ex quibus argui solet juspatronatus gentilitium vel mixtum quod deessent verba: *Familiae, agnationis, descendentiae* etc., quod particula *et* haeredes *et* successores esset non copulativa sed ampliativa, quatenus vero non tantum intelligendi essent successores qui sanguine conjungerentur sed qui ex alia quavis causa succederent.

Haec autem variis conjecturis ex testamento fundatricis petitis confirmare curabat.

Ad removendam difficultatem quasi vero testatrix desiderium coleret conservandae agnationis observabat testatricem vocasse ad juspatronatus non solum fratrem germanum sed etiam simplicem consobrinum, exclusisse quidem foeminas sed si masculi extarent, quae quidem agnationem non conservant ceu s. Rota arguit in *Romana Beneficii s. Laurentii in Damaso die 6. Februarii 1668 coram Caccia* ibi: »Eoque facilius attenta vocatione foeminarum post masculos; cum enim ipsae agnationem non conservent hujusmodi vocatio facilius suadet juspatronatus non esse agnatitium sod potius haereditarium.«

Item *Gratianus Discept. forens. disc. 578. n. 6:* »Cum praesertim ex multis praesentationibus in actis productis quae fuerunt sortitae effectum appareat patronos praesentasse nomine haereditario et foeminas etiam admissas fuisse ad praesentandum una cum earum descendentibus ex quibus colligitur juspatronatus esse haereditarium.«

Itaque cum in praesenti themate alia familia extincta juspatronatus coaluerit in familiam di Marco cumque Agatha di Marco anno 1794 unica et sola descendens esset ex ea familia eam de jurepatronatus cum sua haereditate disponere potuisse quemadmodum reapse disposuit illud relinquens filiae Franciscae nuptae Camillo M. cui propterea injunxisse, ut Xaverium ejus filium a se antea nominatum manuteneret in possessione capellaniae si in ecclesiastica militia perseveraret; alteri vero filiae haereditatis partem tantum reliquisse, ita ut nihil amplius praeter adsignata bona exigere potuisset.

Quin imo etiam in hypothesi jurispatronatus gentilitii vel mixti exausta descendentia in ultimo superstite juspatronatus evadere haereditarium ex recepta Ancharani doctrina. Agatham vero fuisse unicam superstitem familiae di Marco proindeque per ejus testamentum evasisse haereditarium.

Eo vel magis, quod longo annorum intervallo plusquam sufficiens ad praescribendum familiam M. jure haereditario dumtaxat exercuisse juspatronatus, quin adversarii V. unquam contradicerent.

Facta autem hypothesi, qua juspatronatus post Agatham pervenisset ad utramque ejus filiam pari jure, ideoque considerari velit ceu mixtum lineale ample contendebat patronatus jus divisum fuisse in duas lineas, quae venirent non in *capita* sed in *stirpes*, ita ut unicam vocem repraesentaret familia M., alteram vero familia V. nulla consideratione habita numeri singulorum de utraque familia, ut ex *Clementina, Plures de jurepatron.*: *Card. de Luca disc. 61 de jurepatron.* aliisque. Ex quibus concludebat licet centum essent nominantes patroni ex familia V. nonnisi unam vocem constituere posse; et Camillum M. licet unicus alteram vocem constituere suam familiam repraesentantem ideoque a sua possessione exturbari non posse cum pares vires collidantur.

Orator descendentium ex familia V. contendit juspatronatus non esse haereditarium sed mixtum ita ut illi jus nominandi haberent, qui haeredes essent legitimi habitu quamvis actu non haberent haereditatem. Idque ostendebat ex verbis: *Haeredes et successores.* Idque confirmabat ex eo quod testatrix masculos vocaverit usque dum adessent, quo agnationi prospicere voluisse inquiebat. Eo vel magis, quod foeminae ad nominandum fuerint invitatae quando masculina linea defecisset. Idque indicare indolem mixtam jurispatronatus, s. Rota passim et nominatim in *decis. 248.* §. *2. coram Tanario.*

In restrictu, ut appellari solet, responsionis contendit a testatrice vocatas quidem fuisse duas familias sed conjunctim non disjunctim, quo in casu juspatronatus cum non sit divisum nunquam haereditarium evadere juxta ea quae perpendit *s. Rota in Calven.*

Beneficii coram Elephantutio 16. Febr. 1753 num. 24: »Qualitatem gentilitiam vel mixtam impugnare amplius non valentes scribentes praesidium statuebant, quod saltem pro duabus vocibus ab initio relictis Fabio et Francisco illud haereditarium evaserit in Gaspare Ronconio ultimo ex descendentibus. Verumtamen assumptum hoc recte procederet ubi fundator distinxisset in primis designatis patronis eorumque descendentibus lineam unius a linea alterius secundum speciem de qua loquuntur auctoritates adductae. Secus vero ubi nulla facta distinctione linearum fundator ipse re ac verbis conjunxit non tam tres primos stipites quam eorum haeredes et descendentes. In his quippe terminis omnes in unum corpus redacti atque ad instar collegii vocati dicuntur, ita ut defectis unius vel alterius stipitis descendentibus juspatronatus per jus accrescendi seu non decrescendi totum coalescat in illius descendentibus qui supersunt ex corpore illorum de sanguine collegialiter vocatorum.«

Porro consideravit orator duas familias ab initio in solidum fuisse vocatas eorumque haeredes et successores. Ideoque integrum juspatronatus mansisse in descendentes superstites ex familiis vocatis. Neque ab Agatha ultima superstite di Marco potuisse haereditarium fieri cum mixtum juspatronatus non exigat actu haeredes universales sed eos qui habitu succedant. Nec descendentes V. jurepatronatus gaudere vi testamenti Agathae sed illud habere jure proprio vi testamenti institutricis.

Neque in praesenti themate locum habuisse praescriptionem cum una tantum vice familia V. non nominasset: Julius enim M. fuerat dumtaxat capellaniae possessor absque ulla nominatione. Quare unicam nominationem superesse inquiebat cujus vi Camillus capellaniam possidebat, quam quidem nominationem orator infirmabat pluribus de causis.

Hisce aliisque disputatis propositum est resolvendum

Dubium:

An et quomodo sententia curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. Congregatio causa discussa in comitiis habitis die 18. Julii 1858 respondere censuit: *Sententiam esse infirmandam**) *et amplius.*

Sacerdos N. testamentaria lege voluit *ut sua bona inservirent alicui clerico pro patrimonio quando ascendere velit ad ss. ordines, qui clericus descendat ex linea masculina Rosati N. patris testatoris tam ex linea masculina quam foeminina; item etiam clerico qui descendat ex linea laterali masculina Uriani M., qui pater fuit matris testatoris, ita tamen ut semper praeferretur clericus descendens ex linea masculina dicti Rosati N. et si accidat plures esse ordinandos praeferatur proximior in gradu parentelae dicto testatori et si plures in eodem gradu existant praeferatur major natu.* Obligationem praeterea electo clerico imposuit celebrandi vel celebrare faciendi tres missas singulis hebdomadis etc.

Horum bonorum possessionem cepit anno 1844 Gabriel unicus superstes ex linea masculina praedilecta; qui insuper clericali militiae adscriptus in ea jam aetate versabatur, ut ad ss. ordines promoveri posset. Sed aliquot post annos idem Gabriel cum se imparem novisset ad sacerdotalia munera obeunda supplici oblato libello postulavit a SSmo Patre, ut ipsum habilem redderet ad capellaniam possidendam etiam in statu conjugali cum ipse reperiretur aetate 38 annorum et succurrere deberet matri viduae cujus unicus erat filius.

Super his precibus exquisitum ut moris est Ordinarii votum; et testamentariis tabulis inspectis, rogatis patronis eorumque habito consensu ac rerum veritate explorata, quas orator ad gratiam sibi conciliandam in libello expresserat, oratoris favore Ordinarius mentem suam expresserat his verbis: »Ego existimo capellaniae hujus saecularizationem posse concedi attenta inopia oratoris, vinculo maximae proximitatis, legitima possessione et quod non minus est attendendum provecta ejusdem aetate 38 annorum, qua ineptus redditur studiis necessariis, ut ad ss. ordines promoveatur.« *)

Omnibus itaque consideratis rescriptum prodiit die 1. Februarii 1858, quo SSmus *benigne commisit eidem Episcopo, ut veris existentibus narratis memoratum oratorem super gestione habitus clericalis gratis dispensare eumdemque ad retinendam enunciatam capellaniam in statu etiam conjugali impletis per alium oneribus ad formam fundationis et de quorum implemento coram Ordinario pro tempore orator ipse docere teneatur pro suo arbitrio et conscientia gratis pariter habilitare possit et valeat.* Quod rescriptum per exe-

*) *Editor* „Actorum ex iis etc.“ *scribit t. IV. p. 204:* confirmandam, *sed erronee.*

*) Vd. *Discursus p. 565.*

cutoriale Episcopi decretum fuit exsecutioni statim mandatum.

Cum Gabriel in pacifica possessione versaretur extemplo anno 1863 clericus M. ex linea foeminina Rosati progenitus petiit apud curiam immissionem in dictam capellaniam ex ea ratione, quod non esset alius clericus descendens ex vocatis a testatore lineis, qui eidem praeferri posset.

Cum Episcopus precibus haud obsecundare censeret easdem orator convertit ad SSmum Patrem, ut declarare dignaretur cessasse concessum indultum cum clericus a testatore vocatus supervenisset.

Monitis de more partibus quaestio s. Congregationi proposita est.

Gabriel per suum defensorem haec deduxit. Perpendit gratiam capellaniam familiarem retinendi eaque in statu laicali fruendi nulli vel *conditioni* vel temporis *limitationi* obnoxiam reperiri; at *pure* e contra *simpliciterque petitam, pure* item et *quoad viveret* oratori concessam fuisse: novum autem non esse Principis rescriptum legis auctoritatem habere, *l. 1. ff. de const.*, et absonum esse gratiam Principis *inconditionate et quoad viveret* oratori concessam inter angustiores limites modo coarctare eamque ex perpetua temporaneam reddere.

Eo vel magis, quod convenit Principis beneficia esse mansura et plenissime in iis sit interpretatio facienda, *cap. 22. de* privil., necnon s. Rota in *Ferentina Benef. die 11. Decemb. 1815 coram Serlupi*, quae in casu a nostro haud absimili haec perpendit: »Firmum quippe et stabile jus faciunt possessori beneficiorum quoad fructuum donec vivat perceptionem tam legitima collatio quam apostolica dispensatio nec certe ita summum Pontificem veniam retinendi beneficia in saeculari habitu et conjugali statu tribuisse censendum est, ut ab arbitrio cujuslibet impetrantis postea penderet concessionem et gratiam alteri factam in irritum deducere. Beneficia enim Principis oportet sint mansura.«

Quae cum ita sint locum non esse revocationi indulti idem defensor contendit nisi evidentissime editum rescriptum *subreptionis* vel *obreptionis* vitio inquinatum demonstraretur. E contra vero quamlibet suspicionem obreptionis vel subreptionis in praesenti themate longe abesse.

Hisce aliisque deductis cum defensor clerici M. oratoris nihil in contrarium deduxerit propositum est resolvendum

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?

S. C. Concilii die 29. Augusti 1868 respondere censuit: *Negative.*

Ex quibus colliges:

I. Principis gratiosum rescriptum quod sine obreptione aut subreptione fuerit obtentum vim peculiaris legis habere.

II. Neque esse locum cessationi rescripti aut ejusdem revocationi si casus deinde eveniat a quo fortasse gratia non fuisset incoepta. Oportet enim Principis beneficia sine limitatione concessa esse mansura.

III. Colliges demum bona laicalis capellaniae quae ex voluntate testatoris possideri saltem debeant a clerico non posse possideri in statu conjugali sine speciali apostolica habilitatione.

III. Sacerdos.

Vd. *Capellania laical.* (differentia inter eas p. 587.) supra n. I. p. 589.

Sacerdos quidam oppidi N. suis bonis capellaniam laicalem fundavit in quadam designato altari; jus quidem patronatus activum scilicet jus nominandi capellanum quibusdam suis parentibus reliquit, passivo autem nominationis jure donavit *presbyteros sacerdotes* sui oppidi:*) Officium capellano imposuit quasdam missas celebrandi aut celebrare faciendi. Voluit praeterea ut capellanus esset amovibilis**) ad nutum patroni sive cum causa sive sine causa.

Gravis orta fuerat controversia super jurepatronatus tum passivo tum activo, quae ventilata est in s. Rotae tribunali die 14. Decemb. 1860. Propositum nempe fuit dubium:

An et cujus favore constet de jure nominandi ad capellaniam . . . . . ita ut et cui danda sit institutio et immissio in casu?

S. Rota respondit: Affirmative favore (Francisci) et immissionem dandam esse sacerdoti (Ignatio). Haec sententia transiit in rem judicatam cum sine ulla apellatione causa fuerit deserta.

*) Vd. *t. II. p. 401. m.*

**) Vd. *Capellanus amovibilis; p. 534. n. 3.*

Franciscus, qui ex hac sententia patronus fuit declaratus seu confirmatus jam perpetuo nominaverat ad capellaniam sacerdotem Ignatium, qui post dictam sententiam in possessionem immissus est; sed in eodem actu nominationis jus conditionale idem patronus tribuerat etiam cuidam juveni Aloysio, qui ex agnatione fundatoris ortum habuit, ut si habilis fieri posset ipso jure Ignatio remoto in possessionem capellaniae subintraret.

Itaque Aloysius, qui jam sese opposuerat Ignatio in judicio coram s. Rotae tribunali, accepta deinde sacra tonsura viam ecclesiasticae militiae est ingressus et a s. Congregatione postulavit, ut sibi capellania conferetur, quia habilis per receptam tonsuram evasisset ad eam possidendam. Plures insuper commiserationis causas interserebat, familiae suae paupertatem, qua adversante fortuna nunc premebatur.

Ter causa haec ex repetitis precibus Aloysii qui indole et moribus commendabilis undequaque erat proposita est coram s. Congregatione sub dubio:

An et quomodo sit locus dimissioni capellaniae ex parte (Ignatii) et immissioni in possessionem ejusdem favore clerici oratoris in casu?

S. C. die 14. Augusti respondit: Negative in omnibus.

Proposita denuo die 16. Sept. 1864 respondit: In decisis.

Tertio denique anno mox elapso denuo proposita est.

Plures rationes congerebat Aloysius ut ostenderet eam sibi capellaniam esse tradendam. Inter quas ea ultima non erat, qua ab Ignatio sacerdote capellaniam retineri diceret contra legem testatoris, quin in hac re Aloysius animadverteret sententiam tribunalis s. Rotae favore Ignatii emissam transiisse in rem judicatam, quae pro veritate habetur; ideoque adversus legitimam possessionem Ignatii non potuisse modo disputari. Rationes autem quae Aloysium juvare poterant ad has reducuntur.

Cum jus Aloysio tributum esset a patrono subintrandi in capellaniae possessionem statim ac habilis fieret quaestio instituta est an habilitas illa quam per susceptionem sacrae tonsurae consecutus fuerat sufficiens esset ad eam capellaniam possidendam.

Favore itaque Aloysii dicebatur laicalem capellaniam in praesenti themate esse sacerdotalem*) non quidem actu sed habitu, ita ut satis pro ea esset ut per alium missa celebraretur. Quod ostendebatur verbis testatoris quibus capellano onus perpetuum quasdam missas celebrandi addixit aut celebrare faciendi. Qui enim his verbis capellaniam instituit non exigit ut capellanus actu sit sacerdos.

Quod si Aloysius ex jure habilis non censeretur obstante fundationis lege habilis fieri poterat ex gratia R. Pontificis. Haec enim gratia juri quodammodo innititur. Namque cum agitur de clerico, qui cum fundatore agnatione est conjunctus praeferendus est extraneo sacerdoti, ut ad rem scribit *Pitonius de contr. patr. alleg. 33. n. 18:* »Lex fundationis**) requirens sacerdotem sine dubio est servanda ubi non agitur inter clericum de sanguine et sacerdotem extraneum.«

Neque deerant aliae causae tum ex paupertate desumptae in quam ceciderat oratoris familia, quae non poterat Aloysium alere ad studiorum praesecutionem, tum ex optimis ejusdem moribus et servitio***) ecclesiae praestito ob quae maxime erat commendabilis.

Ignatius qui in possessionem capellaniae missus erat post judicialem sententiam denegabat Aloysium habilem evasisse per receptam tonsuram quandoquidem in lege fundationis statutum erat nominandos esse ad capellaniam *presbyteros sacerdotes;* quae verba satis patefaciunt capellaniam esse actu sacerdotalem.

Neque ex gratia poterat Aloysius habilis fieri in praejudicium Ignatii namque R. Pontifex laedere non solet jus tertii.

His aliisque adductis propositum est resolvendum

Dubium:

An et quomodo sit recedendum a captis resolutionibus . . . in casu?

Re iterum s. Congregationi proposita die 7. Septembris 1866 rescriptum prodiit: In decisis et amplius.

Ex his colliges:

I. Capellaniam laicalem quae actu qualitatem exigit sacerdotalem possideri non posse sine s. Sedis dispensatione a simplici clerico.

*) Vd. *Capellania sacerd.*
**) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*
***) Vd. *t. II. p. 411. III.*

II. Eamdem dispensationem a s. Sede non concedi in alterius praejudicium quamvis causae canonicae habeantur ad eam impertiendam.

IV. Sacerdos regularis saecularizatus.

Vd. t. II. p. 868. a. b; 869. c; supra p. 329. n. 21.

Assisien.

Suo caret rectore capellania mere laicalis de jurepatronatus familiae Bini, quam ad aram divi Antonii Patavini Vallisfabricae institutam praedio suo dotavit pia mulier Catharina Palleraggi.

Presbyterum Matthaeum Piccinini Bictonii in eadem Assisiensi dioecesi natum et parochum seu Vicarium abbatiae Vallisfabricae nominavit Pyrrus Bini hodiernus patronus. Ast vero nominatus duo sibi impedimento esse ratus est quominus capellaniam assequeretur, quod scilicet originem non habuisset ex oppido*) Vallisfabricae et quod PP. Capuccinorum quos vocant familiae olim adscitus assecutusque (post facultatem in saeculo perpetuo permanendi) beneficium curatum ex peculiari venia in titulum s. patrimonii necnon parvum aliud in supplementum suae substentationis, tertia modo facultate indigeret, ut praesentem capellaniam adipisci valeret. Quare supplex petiit dispensationem a s. hoc Ordine.

Precibus haud adversari visus est Episcopus nuper vita functus quoad veniam super derogatione voluntati fundatricis; etenim animadverterat: Si spectandum sit voluntati institutricis jubentis ut sacerdos per se celebret et Valisfabricae continuo moretur deficientiam alterius personae nominandae haberemus (nam bini presbyteri Vallisfabricae nati alibi modo degunt) et haec adesset legitima causa concessionis. Nec praetereundum puto majorem cultum erga s. Titularem majoremque etiam in bonis capellaniae futurum si Picciniinius eamdem capellaniam consequuturus esset.

Propitium pariter se praebuit quoad veniam super habilitatione ad beneficia in literis s. Congregationi Episcoporum et regularium datis.

Unus precibus adversatur sacerdos Hieronymus Calisti hodiernus Podii parochus at Vallisfabricae ortus.

Contestatur posse optime per se ipsum missarum celebrationi satisfacere ob magnam suae paraeciae propinquitatem. Haec autem sua jura s. Ordini patefecit, ut prae oculis habeat quum super Picciniinii precibus decreturus foret.

Jam vero probe pensanda est fundatricis voluntas ut rite praesens controversia dirimatur. Duo autem voluisse illa videtur: Alterum per viam conditionis ut nominandus scilicet nationis foret Vallisfabricae si fieri posset: quidquid enim sit de jure communi an nomine civis veniat etiam domicilium habens juxta fuse disputata in nupera *Ariminen. Capellaniae diei 28. Augusti anni 1841*, in casu vere nativos intellexisse fundatrix satis ostendit et vocabulum *Paesani* indiscriminatim adhibuit loco alterius *nativi e terrazzani.* Ita sane istos domiciliatos tantum exclusos declaravit.

Voluisse visa est ut capellanus electus *abitasse in detta terra*, et per ipsum missarum celebrationi satisfaceret.*) Utrumque patet nedum ex fine institutionis, quem prae oculis habuit *in augmento di detta terra*, sed etiam ex poena caducitatis et privationis inflicta in capellanum ubi his deficeret oneribus, *Rota in recen. decis. 140. n. 5. pag. 4 et cor. Falconer. de benefic. dec. 1. n. 1. 2, s. Congr. in Caesenaten. Capellaniae 27. Julii 1839 §. Perpendant*, necnon ex exceptione facta in casu tantum infirmitatis; sic enim contrariam regulam firmavit in casibus non exceptis. S. Congr. in *Firmana Capellaniae 12. Martii 1774. §. Addunt, Rota in Reatina Immiss. 25. Junii 1858. §. Dupliciter, cor. Elephant.*

Scitum porro est eam esse vim qualitatis appositae**) per viam conditionis, ut illius defectus impediat assecutionem legati seu beneficii, appositam vero per viam modi non impediat quidem importet autem legatario obligationem satisfaciendi, ita ut obligari possit cavere ejus favore cujus interest onera impleri; detractans autem doli exceptione repelli a legati petitione ut scite perpendit ad textum *Voet. ad Pandet. lib. 35. tit. I. num. 12.*

Hisce praehabitis facile est in themate enucleare quid faveat, quid oratoris precibus adversetur. Quod hic modum a fundatrice impositum implere queat non dubitatur quum et Vallisfabricae resideat et missas per se litare sit paratissimus. Deesse tantum videretur

*) Vd. *t. II. p 401. m.*

*) Vd. *t. II. p. 136. n. 5; p. 154. n. 18.*
**) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*

conditio, quia ortum Bictonii duxit minime Vallisfabricae. Ast adnotare praestat non absolute prorsus exclusisse fundatricem Vicarium abbatiae sed praelative tantum ad ceeteros presbyteros qui ex eadem terra orti fuissent »ma se vi fosse altro Paesano debba esser preferito, benché quelli fossero Paesani«, quod sane congruit etiam cum jure commune, quo docemur patronum deficiente passive vocato posse quandocumque nominare quemlibet extraneum. Quare perpendendum in themate an alii revera prostent passive vocati, qui Piccinino parocho seu abbatiae Vicario praeferri debeant.

Adsunt quidem bini presbyteri originarii ipsius loci Vincentius et Hieronymus fratres Calisti, seu potius unus iste qui querelas admovit cuique sane ex praenotatis assecutio capellaniae praepediri non posse videretur; verumtamen quum iste mentem suam jam apperte declaraverit nolle se residere viderit EE VV. sapientia num satis ei sit ostendisse »di poter per se satisfar le messe attessa la vicinanza« dum fundatrix duo simul injunxit et celebrationem personaliter et residentiam in loco. Si Calistus repellendus foret orator fortasse petita dispensatione non indigeret.

Quatenus porro exoptata venia revera indigeat Piccinius animadvertere erit enixam testatricis voluntatem precibus adversam, quam maxime in capellania prout est laicali decet sartam tectamque servari et faciliorem quam dispensatio praesens pararet viam alteri super habilitatione ad tertiam capellaniam, quae pendet coram s. Congregatione Episcoporum et Regularium, inde vero utilitatem ipsius piae institutionis et patronus et Episcopus sibi adpromittunt ex sedula frugique administratione oratoris, quem facto constat et aliorum quae retinet beneficiorum fundos diligentissime asservare et meliorare; quod sane singulari cura capellaniae pro tempore rectori commendatum voluit fundatrix; et adesse paupertatem qua laboret orator ejusque familia ac demum probatos ipsius mores vitaeque rationem.

Non est cur de pluralitate beneficiorum sollicitissimus; siquidem cum capellania qua de agitur mere laicalis censeatur in eam non cadat incompatabilitas ratione pluralitatis*), ut adnotat Rigantius *in regul. 1. cancell. §. 8. num. 81* allegata resolutione s. hujus Ordinis *in Civitatis Castelli 19. Maji 1768 ad primum* et in *Bitecten. 6. Decembr. 1721. ad III. dubium.*

Proponitur

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi cauto tamen, ut capellaniam dimittat quandocumque adsit aliquis sacerdos, qui habeat conditiones a fundatrice requisitas.

Die 9. Septb. 1843.

Continuatio Assisien.

Jam vero idem Piccininius adstat iterum coram s. Ordine.

Re ad Episcopum delata ut auditis interesse habentibus ad s. Concessum referret retulit primum hodierni patroni sententiam.

Ex relatu Francisci Xaverii Bruschelli periti Prosynodalis patet sumptus ad reparationem domus colonicae ac plantationem pertingere summam scutorum 145 et obul. 9. redditusvero beneficii juxta alteram relationem ipsius periti non excedere annua scuta 22 a vectigalibus libera ex quibus dempto onere cathedratici ac quatuor supra centum missarum quibuslibet annis nempe circiter scuta 16 parum eruitur superesse rectori.

Noluit Piccininius possessionem temporariam adipisci beneficii attenta conditione adjecta in veneratissima resolutione sacri consessus diei 9. Septembris 1843.

Puta autem non expedire suspensionem collationis beneficii, quia nemini esset cura reparationum pro quibus quindecim anni satis non forent ob aliorum onerum implementum. Collatio vero prospiceret beneficii bono cum urgeat reparatio domus colonicae, quae juxta periti relationem summam exigit scutorum 107 et obulor. 97 cui occurreret orator aere proprio. Nisi reparationes fiant res evadet deterior aut omnino peribit. Ex supradictis ob beneficii utilitatem mihi videtur quatenus EE. PP. placeat posse precibus oratoris indulgeri cum onere tamen reparationum.

Quibus sic agitatis EE. VV. erit propositum enodare

*) Vd. *t. II. p. 614. IV.* et *d; p. 731 n. 76. etc.*

Dubium:

An et quomodo sit delendus modus adjectus resolutioni diei 9. Septembris 1843 in casu?

S. C. resp.:

Affirmative cum obligatione explendi intra terminum ab Episcopo praefigendum reparationes et melioramenta juxta peritiam jussu Episcopi confectam.

Die 23. Novb. 1844.

g) Quae est?

Vd. t. II. p. 524. c.; *Capellania* (nominationis suspensio concessa, decr. *Urbevetana*; differentia inter capellaniam etc. p. 563; ecclesiastica — quae est p. 570.)

Capellania mere laicalis est quando testatrix nullo fuit usa capellaniae vocabulo in toto testamento et quando dispositio facta est a laico de bonis suis laicalibus, ex firmatis per *Rotam in Civitatis Castelli Capellaniae 29. Aprilis 1744. §. coram bon. mem. Vicecomite;* ac demum quando Ordinarii auctoritas nec intercessit in erectione nec in institutione quemadmodum opus fuisset in beneficio seu capellania ecclesiastica ad tradita per *Rotam decis. 1030. num. 8 et 15. coram Lancetta.*

Sabinen.

Certum est ex fundatione Theresiae Cicalotti, quod ipsa coram judice laico capellanias mere laicales fundaverit id quod satis est ad evincendam capellaniam laicalem, *Corrad. in Prax. part. 1. cap. 2. num. 41, Rigant. ad reg. 9. cancell. §. 2. num. 4, Rota in Pampilonen. Beneficii 24. Novembris 1719. §. Qualitas, cor. Marymon.* His accedit, quod deficit erectio ab Ordinario facta in beneficium ecclesiasticum, qua deficiente nunquam inducitur qualitas beneficii ecclesiastici, Rota *in Tridentina Capellaniae 5. Aprilis 1714. §. 8. cor. Cerro.*

Nam decreto Ordinarii nunquam erigitur capellania in beneficium ecclesiasticum sed tantum probatur *legatum missarum perpetuarum juxta formam et tenorem testamentariae dispositionis Theresiae Ciccalotti.* Quod si erectio in beneficium facta esset attamen irrita foret quippe facta contra formam fundationis, *Rota decis. 309. num. 10. in Anagnina Capellaniae 16. Junii 1749. §. 8. cor. Matthaejo.* Neque ex collationibus et institutionibus immutari potuit qualitas capellaniae cum requiretur, ut factae sint saltem per spatium annorum quadraginta *ad text. in cap. Cum de benefic. de praeben. in 6.* tradit *de Leo de offic. capell. quaest. 3. sect. 3. num. 40, Rot. dec. 308. n. 4. cor. Oblivatio.*

Die 14. Jan. 1804.

Auximana.

Non agitur de beneficio ecclesiastico sed de capellaniis laicalibus ut nedum expresse declaravit fundator sed etiam tacite dum voluit ut ad laicos pertineret collatio per *solo instromento* et capellaniae exemptae essent ab omni jurisdictione ecclesiastica. Quibus concurrentibus capellaniae censentur tamquam pium legatum missarum ex doctrina *Felin. in cap. Ex part. 2. de rescript., Navar. Consil. 5. num. 1., Rot. decis. 224. num. 1 et 5. cor. Buratto.*

Die 2. Junii 1806.

Firmana.

Negatur capellaniam dici posse sacerdotalem quando testatrix laicalem dixit in supremis tabulis: *voglio ed ordino che sia laicale.* Injunxit quidem onus celebrationis missarum cui tamen oneri per alium ita suppleri potest, ut retenta laicali qualitate conferri possit capellania simplici clerico quatuordecim annorum quin ex injuncto onere celebrandi missas ipsa capellania sacerdotalis evadat ad tradita per *Fagnan. Comment. in lib. decret. I. cap. Ut Abbates num. 60. et seqq., Altograd. cons. 70. num. 62* et *Rota coram Bischio decis. 58. num. 7 et coram Olivatio decis. 119. num. 13.*

Die 5. Septbr. 1818.

Camerinen.

Capellaniam mere laicalem nihil aliud esse quam pium legatum aut piam donationem adeoque quid temporale expresse docent *Barbosa jur. eccl. univers. leg. 3. cap. 4. n. 20, Gonzal. ad regul. cancell. gloss. 5. n. 20, Guido Papae dec. 187. n. 1, Rot. in una Monopolitana Hebdomad. vener. 14. Decembris 1612. cor. Manzanedo* et s. Congregatio in *Urbinaten. seu Ariminen. Capellaniae 12. Februarii 1753* et in *Nullius Sublacen. 3. Julii 1819. §. 1.*

Die 5. Sept. 1835.

De capellaniis duo potissimum quaeri solent. *Primum* est utrum capellania sit ecclesiastica an laicalis. Alterum est an capellania sit sacerdotalis necne. Ad primum quod attinet nisi constet de erectione capellaniae auctoritate Ordinarii vel vere vel saltem praesumptive capellania non ecclesiastica sed laicalis dicenda est quidem etiamsi concurrant caetera naturae ecclesiasticae capellaniae convenientia, ut *ex text. in c. Ad haec de religios. dom.* firmavit Rota *in Pampilon. Capellaniae impress. apud Piton. de controvers. patron. allegat. 33, in Nullius seu Orbetellen. Capellaniae 3. Februar. 1741. fer. per tot. cor. R. P. D. Canilliac, in Tarraconen. Capellaniae 12. Martii 1748. §. 8. cor. Illust. Cortiada.*

Cum dubitatum fuerit utrum ecclesiastica vel laicalis foret capellania ad nutum amovibilis in quod simplex missarum onus cum eleemosina manuali fuerat impositum et de cujus erectione nec vere nec praesumptive constabat, laicalem definivit s. Congr. *In Nursina Jurispatronatus ad 1. dubium 9. Julii 1838.*

Cornetana.

Capellaniam laicalem ex voluntate testatoris expressa ejusdem verba satis superque manifestant. Nedum enim laicalem esse debere pluries edixit sed etiam Ordinarium et apostolicam Datariam disserte exclusit: Scitum vero est contra mentem testatoris neque executorem testamentarium neque Episcopum posse capellaniam mere laicalem in beneficium erigere quippe qui defunctorum placita servare potius tenentur. *Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de reform., Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 145 et cap. 12. num. 3* et Rota *post Piton. de controv. patron. alleg. 33. num. 37.*

Die 13. Febr. 1841.

Nursina.

Postremas scripsit tabulas sub die 10. Januarii 1678. Salvator Neri Interamnensis quibus post institutos haeredes Julianam sororem suam nuptam Crescentio Trinchi Collis Azonum ejusque filios Salvum et Joannem Sanctem pium ab iisdem persolvi legatum jussit.

Vita functo testatore instituta extitit capellania de qua ille disposuerat. Quoad exercitium jurispatronatus seu potius quoad nominationem capellanorum ex privatis quibusdam regestris in familia descendentium a praefato Salvo Trinchi asservatis quae ab anno 1754 exordiuntur constat mandatum identidem fuisse modo illis presbyteris, ut missas capellaniae infixas celebrarent; atque inter hos unus et alter dum acta celebrationis fidei subscribunt sese designant uti capellanos.

Ita porro res processerunt ad annum 1840, quo tempore Paschalis aliique hodierni fratres Trinchi qui a memorato saepe Salvo derivant formalem nominationem ediderunt favore sacerdotis Joseph Colontonj. At accesserunt simul praesentatione sua in eumdem presbyterum collata Benedicta et Sancta filiae defuncti Joseph Trinchi (qui ab altero ex vocatis a testatore nepotibus Joanne Sancte descendit) nuptae modo Dominico et Joanni Baptistae fratribus Colantonj. Episcopus autem receptis omnibus patronorum praesentationibus presbyterum Colantonium instituit expeditis bullis ex episcopali cancellaria. Quoad capellaniae dotem an ea juxta testatoris placitum fuerit rite adsignata haud constat legitime. Unum certum est redditus pro celebratione missarum hauriri hodie ex bino praedio rustico. Atque ita ab aevo actum fuisse satis eruitur nedum ex praefatis familiae regestris sed etiam ex rescripto quondam s. hujus ordinis sub die 20. Julii anni 1754 remisso ad preces Francisci filii Salvi Trinchi, quo eidem exponenti praedictorum praediorum fructus haud sufficere praescriptae centum missarum celebrationi datum est ut eaedem pro rata reddituum perlitarentur.

Jam vero Pascalis aliique fratres Trinchi, qui a memorato Salvo originem ducunt haec EE. VV. adprecantur. Primo, ut a nominandi jure praefatae foeminae Benedicta et Sancta eliminentur, secundo, ut perperam ab episcopali curia expeditas fuisse bullas in provisione laicalis quam dicunt et amovibilis capellaniae de an. 1840 acta declaretur.

Super his precibus partes utrinque ad deducenda jura sua excitatae sunt suamque relationem votumque remisit Episcopus ex quibus praeter ea quae retuli constant quae sequuntur:

1. Capellaniam qua de agitur ecclesiasticam cum arbitretur Episcopus rite bullas institutionis dedisse putat;

2. Quum nulla in actis cancellariae memoria extet de hujusmodi capellania nec de

praesentationibus ad eam peractis vel Trinchios universos jure suo patronatus cecidisse firmat vel omnes conservasse:

3. Ex rationibus inferius enucleandis existimat praedia de quibus in precibus ad capellaniae proprietatem spectare atque adeo oratorum precibus adversatur etiam quia ad illa scutata tercentum omnes testatoris haeredes tenebantur; idque praesumendum est Auctores Benedictae et Sanctae quotam suam immisisse in praediorum acquisitionem, quae usque adhuc retenta sunt tamquam manzum et dos capellaniae.

Jam vero ut controversia praesens tutius valeat definiri inprimis inquirendum est circa naturam capellaniae an laicalis renunciari potius debeat vel ecclesiastica; inde enim sequentium dubiorum solutio maxime pendere posset. Porro ecclesiastica censeri ab Episcopo inde videtur, quod Ordinarii auctoritas exclusa non fuerit suaque dos et altare eidem capellaniae fuerint assignata,*) quae quidem ecclesiasticae congruunt capellaniae, s. Congr. in *Girmana Capell. 29. Augusti 1772. §. 7* et in *Romana seu Anagnina 1. Martii 1755. §. Cum tamen; ad text. in cap. Consuluit 15* et *cap. Relatum 21. de jurep.* Quin officiat amovibilitas.**) Siquidem necesse non sit, ut beneficium sit perpetuum actu sed satis sit habitu et potentia (ibidem.)

Verum multa eaque gravissima concurrere videntur, quae contrarium suadent. Hujusmodi sunt non requisita Ordinarii auctoritas sive in erectione sive in fundatione, Rota *cor. Rambold. dec. 519. n. 8. cor. Lancetta dec. 1038. num. 8* et in *Nucerina Capell. 28. Junii 1759. §. 6. coram Caniliac.*, s. Congreg. in *Viterb. Cap. 23. Nov. 1765. §. Nullum*, capellae nomen a fundatore adhibitum (Gonzalez *ad reg. 8. cancel. glos. 5. n. 20.*), simplex missarum onus et amovibilitas celebrantis *(Van-Espen. part. 2. tit. 18. cap. 1. num. 18 et seq.)* maxime si demandata fuit celebratio cum eleemosyna manuali, quae adversatur capellaniae institutioni in titulum ***), *(Bordon. de legat. missar. cap. 6. n. 32. et seq., Petra ad constit. 6. Greg. XI. num. 19 et seq. t. 4.* Et eo fortius si non constet de erectione Ordinarii vel vere vel saltem praesumptive (s. Congr. *in Firmana Capellan. 29. Augusti 1772. §. 10).* Caeterum designationem altaris ac dotis capellaniae etiam laicali convenire posse non ambigitur, *Lotter. de re benef. lib. 1. cap. 5. n. 16, Piton. de controv. patron. alleg. 87. n. 16.* ac in dubio capellaniam praesumendam esse laicalem, *Rota cor. Lancetta dec. 1030. n. 23 et 24* et in *Asculana Collectarum 19. Januarii 1728. cor. Aldobrando.* Profecto s. hic Ordo similibus fere adjunctis concurrentibus laicalem definivit capellaniam in *Romana seu Anagnina 1. Martii 1755* et in *Ferentina Capellaniae 19. Decembr. 1760.*

Agendum est secundo de pertinentia jurispatronatus favore descendentium ex Joanne Sancte Trinchi Sanctae et Benedictae. Porro quod istud vi testamentariae dispositionis competere possit eisdem pacificum est inter partes. Et sane ex arbore generalogica elucet earum a Sancte Trinchio derivatio; illiusque haereditatem in eas profluisse, quae de ea linea supersunt unice, non impugnatur. Unum contendunt Salvii descendentes eas praescriptione in adversum absoluta et non usu sui jurispatronatus quotam amisisse, quae sibi ipsis praescribentibus accrevit.

Sane ajunt ex memoratis familiae libris traditur presbyteros ad missarum pro legato inhaerentium celebrationem adlectos fructus redditusque fundorum recepisse perpetuo ab iis, qui de linea Salvi Trinchi pro tempore extiterunt. Imo ex his alter Thomas Archipresbyter Morelli de anno 1826 satis innuit se nominatum fuisse a familia haeredum Salvi dum Sacra a se persoluta inscribit: *messe ordinatemi dalla Sig. Maddalena Trinchi moglie del Sig. Filippo Trinchi* qui scilicet a Salvo descendit. Alter vero Antonius Santelli de anno 1831 in ferendo celebrationis testimonio se renunciat *da me sottoscritto capellano.* Jam vero duo erunt exinde oratores; de facto scilicet actus hujusmodi in familiae regestris relatos versa praeseferre nominationes a descendentibus Salvi Trinchi privative expletas lapsu annorum 163; siquidem de mere pio legato laicali agatur in themate, quod resolvitur in meram missarum celebrationem: de jure autem in hujusmodi materia plenam habendam esse fidem libris et historiis familiae, *Rota dec. 503. numer. 6. p. 18. t. 2*, praeterea rite probari jurispatronatus pertinentiam et exercitium per nominationes cum effectu secutas longo annorum lapsu inter personas non suspectas de usurpatione, *Rota dec. 416. num. 2. pag. 9. t. 2.* et *decis. 224. num. 6 et 7. pag. 11. recent.*, demum vel ipsum quadraginta annorum lapsum sufficere

*) Vd. *p. 565: Discursus.*
**) Vd. *p. 534. n. 3.*
***) Vd. *Capellania* (titulus etc.)

ad praescribendum contra compatronos, *Rota decis. 136. num. 5. vers: unde possent p. 2. Recen. dec. 172. n. 9. cor. Buratto* et in *Sulmonen. Beneficii dec. 149. n. 8.* relata apud *Vivian. in praxi Jurispr.*, abundare centenariam observantiam, *Abbas cons. 106. col. penult. lib. 2. cum communi.* Quum porro juspatronatus de quo agitur haereditarium omnino existiment haud ambigunt quin praescriptioni locus esse potuerit cum *Piton. de controv. patron. alleg. XI. num. 20* et *Card. de Luca de jurep. disc. 69. num. 20.*

Ex adverso faeminae de linea Joannis Sanctis propugnant neque de facto neque de jure alicujus ponderis esse quae adlata sunt.

In facto firmant, quod si capellania ecclesiastica renuncietur, desint tamen praesentationes in episcopali curia edendae sine quibus robore suo nominationes destituuntur: si vero laicalis, tunc perperam afferuntur uti verae nominationes adnotationes illae de Sacris perlitatis de quibus regestra ex adverso allata: eas enim appellant potius cerebrosas designationes modo unius modo alterius presbyteri ad satisfactionem onerum legato inhaerentium. Et sane nunquam iis presbyteris legati administratio credita fuisse apparet prout par erat; sed sese frumentum aliosque legati redditus ab uno vel altero de linea Salvi Trinchi recepisse ii fatentur, ut pro illorum rata tot missas perlitarent. Si quis se capellanum appellat nempe Santarellius is qualitatem alias sibi inhaerentem indigitasse satis ostendit, quum de anno 1830 celebrationis fidem subscripsit: *Ego Antonius Santarelli actualis capellanus ecclesiae parochialis s. Julianae.* Hujusmodi porro actus, etsi nominationes formiter expletas importare ponatur, propugnant adhuc minime constare per quos fuerint absolutae; plerique enim ex presbyteris missarum oneri pio legato adjectarum satisfecisse dumtaxat deponunt; tres autem vel quatuor recepisse quidem missarum eleemosynam a Trinchiis qui sunt de linea Salvi testantur; ab iis autem privative fuisse nominatos minime declarant. Tantum denique abest quin ostendatur eas nominationes innotuisse alteri lineae Trinchi, ut potius ex privatis dumtaxat informibusque familiae regestris eruantur.

In jure allegant Tridentinam synodum *sess. 25. cap. 8. de ref.* ubi dicuntur *praesentationes per authenticas scripturas probandae.* Praeterea juspatronatus de quo agitur fuisse injuria conclamatum haereditarium, siquidem generica vocatio »descendentium« (uti habetur in themate) juspatronatus inducat gentilitium in quo agnati et cognati continentur. *Tondut. quaest. benef. part. 1. cap. 32. num. 19, Piton. de controv. patron. alleg. 37. num. 11, Card. de Luca de jurep. disc. 60. num. 30* et juspatronatus relictum haeredibus ac descendentibus de tali familia mixtum censeatur ad Rotam *in recen. par. 6. dec. 267. n. 6 et par. 19. t. 2. dec. 543. n. 8.* Porro ubi adsit jurispatronatus qualitas gentilitia praescriptionem non induci doctrina est communis ad text. *in leg. filius familias* §. *Divi ff. de legat. 1.*

In hac re si quid pro meo munere licet animadvertere pauca repetam EE. VV. memoriae, ut facilior pateat ad judicium semita.

Primo quidem recolendum est Tridentinam sanctionem *cit. sess. 25. cap. 8. de ref.* derogasse quidem communi juri et authenticas exquisisse probationes ubi ageretur tantum de personis suspectis de usurpatione uti perpendit decisio rotalis *416. p. 9. t. 2. num. 2. recen.* et *decis. 466 numer. 3 et 4. p. 9. t. 2.* vel si res esset contra libertatem ecclesiae uti tradit *Garzias de benef. p. 5. cap. 5. n. 141.*, minime ubi lis prostet inter compatronos de pertinentia jurispatronatus.

Jam vero generatim constituunt sacrorum canonum doctores, quod negligentia alterius ex compatronis in praesentando non praejudicat in futuris vacationibus imo quod praesentantes patroni possessionem juris servare etiam in iis, qui negligunt, cum juspatronatus individuum sit. *Piton. de controv. patron. alleg. XI. num. 23, Federic. cons. 202. in fin. Puteus decis. 292. leg. 1, Garzias de benef. pag. 5. cap. 5. num. 116.* Nihilominus praescriptionis efficaciam etiam in hac sese exerere quandoque posse minime renuunt *(ibidem.)*

Quum porro in negocio in quo versamur quaestio sit de re incorporali haud ambigendum est ad effectum praescriptionis requiri scientiam et patientiam eorum quibus praejudicatur, *leg. 2. cod. de servit. et aqua,* Felin. *in cap. de quarta 4. coll. penult. in principio L. vel concord. Crescen. decis. 2. de jure patron., Garzias loc. cit. num. 127, Gratian. discept. for. cap. 87. n. 1.* Quae quidem scientia etsi in brevis temporis praescriptione concludender demonstranda sit ab actore, nihilominus ubi concurrat multiplicitas actuum cum lapsu longi temporis merito praesumi posse plurimi firmant apud *Sperell. decis. 136. num. 135* et apud *Garziam loc. cit. n. 129. et seq.* Admonet autem hic cautius procedendum esse et magis concludentibus probationibus utendum ubi non agitur de quasi possessione tantum sed de certo jurepatronatus tollendo *(ibidem.)*

Subinde ubi quaestio praescriptionis versatur inter compatronos, quum alter nominans jure suo tantum usus fuisse in praestando censeri possit, minime illud non nominantis sibi voluisse adrogare necesse ad effectum praescriptionis traditur, ut praesentationes factae fuerint privative ut ajunt seu animo privandi alios quasi possessione praesentandi, alios vero scienter acquievisse, *Garzias loc. citat. numer. 115., Piton. de controv. patron. allegat. II. num. 24, Ferret. cons. 132. p. 2.* Gregor. *dec. 452. n. 8 et seq., Rota apud Vivian. de jurepatr. in Aquilana Jurispat. 2. Januarii 1646. num. 9.*

Animus hic an praesumatur valde disputant doctores. Affirmant alii praesertim si concurrant vetustum tempus et multiplicitas praesentationum, *Postius* de manut. *observ. 73. num. 43, Antonin. Var. lib. 1. resolut. 108. num. 33, Rota dec. 251. num. 4. part. 2. Recent., in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707.* §. *Fallunt, coram Ansald.* Alii negant vehementer apud *Garziam loc. cit. n. 116 et 117.* ibi: *Et tunc diceretur fieri animo privandi alios quando diceretur omnimodam praesentationem seu plenariam ad se spectare.* Consonat *Abbas cons. 54,* Ferret. *cons. 132. n. 2* et *Rota apud Vivian. in Aquilana Jurispatr. 2. Januarii 1646. n. 9.* Immo addit *Pitonius alleg. 66. n. 32: Ad nihil inservit ostendere illos praesentasse vel uti unicos patronos. Hoc enim non sufficit nisi concurrat contradictio compatronorum, qui spoliari praetenduntur, una cum rejectione et acquiescentia subsequuta, alias potest unus Patronus dicere quidquid vult in actu praesentandi cum iste semper sit actus clandestinus insciis interesse habentibus gestus, qui nullius momenti reputatur ad spoliandum compatronum jure suo, ut me scribente declaravit Rota* circa patronos *unius lineae intendentes praescribere contra patronos alterius, in Sorana Jurispatr. 22. Jan. 1712.* §: *Ita dictante, coram Falconerio,* ibi: *Nisi constet compatronos de una linea praesentasse privative et animo spoliandi compatronos de altera linea ad cujus effectum requiritur contradictio cum acquiescentia subsecuta.*

De jurepatronatus gentilitio etiam pluries actum fuit utrum in ipso praescribi valeat seu num antecessoris factum in eo successori praejudicet. Qua in re etsi communis sit canonistarum doctrina non praejudicari, quia veniunt descendentes jure proprio neque actioni nondum ortae praescribitur, *Piton. alleg. 11. num. 22,* idque etiamsi centenaria demonstretur, *Peregrinus de fideicom. art. 41. num. 16 et 17, Molines de Primogen. Hispaniae lib. 4. cap. 16. num. 6, Castr. cons. 467. lib. 2, Garcias loc. citat. numer. 116, Gratian. discept. foren. cap. 577. num. 43 et 44,* nihilominus non desunt, qui duce *Card. de Luca de jurepat. disc. 66. num. 21. et disc. 35. n. 8.* tradunt *centenariam etsi non ratione praescriptionis praejudicium tamen inferre ratione tituli de toto mundo melioris, Piton. alleg. 11. n. 22.* Etenim vulgatum est quod centenaria *non se sistit in solis terminis praescriptionis sed praesumere privilegium placitum apostolicum vel aliud quodcumque jus, quod fortius adesse possit. Piton. in voto R. P. D. Severoli adjecto ad discept. eccles. num. 8.* cum *Friderico de Senis cons. 234. num. 4, Marta de Jurep. p. 2. cap. 43. num. 65, Lotter de re benef. p. 2. quaest. 7. num. 53, Rota coram Burratto dec. 875. n. 1 et 7.*

Quod si difficultas excitaretur an quae de jurepatronatus dicta sunt pure gentilitio locum sibi vindicent in jurepatronatu mixto etiam ex haereditario, occurrit, quod ratio excludens praescriptionis effectus in jurepatronatus gentilitio manere videtur perpetuo etiam adjecta mixtura qualitatis haereditaria; et sane quoad effectus examussim praescriptionis juspatronatus gentilitium cum mixto cumulat *Cardinal. de Luca loco citato numer. 21.*

In tertio res est de bullis ex episcopali cancellaria in capellania de qua agitur datis ubi paucis me expediam. Etenim si capellania in themate laicalis declaretur indubium est in ejus provisione nec institutionem nec consensum Episcopi requiri, *Lambert. De Jurepatronat. lib. 1. part. 1. quaest. 11. art. 11. et 14;* si vero ecclesiastica, non ideo necessaria esset institutio Ordinarii quippe non desinat esse amovibilis; atque adeo si capellanus insfituendus esset ab Episcopo, qui posset nominatum non instituere vel rejicere mutationem capellaniae nominatio non penderet a libero patronorum arbitrio, s. Congreg. *in*

Pennen. Capellan. 26. Novembris 1672, in Aprutina 25. Maji 1675 relata a *Constantino vot. decis. 421. n. 55;* ac licet beneficium ecclesiasticum possideri nequeat sine canonica institutione id tamen intelligendum est de beneficiis ecclesiasticis perpetuis et collativis *) non de iis quae licet ecclesiastica sint non sunt tamen perpetua et collativa juxta distinctionem glossae *in cap. 1. verbo: pro expeditione de reg. Jur. in sexto* et *Piton. de controv. patron. alleg. 31. num. 17.*

Ad quartum dubium quod attinet investigandum est primum an proprietas praediorum de quibus sermo spectet revera ad capellaniam a Nerio institutam. Negant oratores eo innixi argumento, quod in censualibus tabulis Piano censu antiquioribus nomine familiae Trinchi descripta inveniantur; quare existimant super iis potius fundis nomine familiae Trinchi acquisitis impositum fuisse censum favore capellaniae ad formam fundationis. E contra defendunt Episcopus ac linea Joannis Trinchi pluribus momentis. Primo testimonio Nursini municipii unde constat in pervetusto censu ante annum 1700 »*al libro di collazzioni a carte 115 trovansi questi fondi intestati alla capella dell' Angelo custode*«. Secundo altero testimonio ipsius cancellarii census in Spoletana provincia. Unde eruunt errorem a scribente admissum praedio describendo nomine Trinchi fuisse satis emendatum.

Tertio inventariis quibusdam exhibitis coram episcopali cancellaria a parochis sub annis 1690, 1711 et 1728, quibus praedia ista capellaniae titulo recensentur. Quarto precibus ipsis ad s. Ordinem datis sub ann. 1754 quarum facta mentio superius; iis namque duplex testimonium insertum fuit veterum hominum. Quinto demum facto sub anno 1828 per Trinchios posito, quando scilicet extraordinaria quaedam ratio in iis praediis peracta est non quidem sumptibus familiae, ut par erat si dominium fundorum penes eam stetisset, sed sumptibus capellaniae ut ex actis patet visitationis episcopalis.

Quod si nihilominus aliquod superesset dubitandi momentum disquirendum esset de utilitate capellae ut oratorum precibus indulgeatur. Constat quidem ex saepe memoratis familiae regestris praedia modo septem nunc octo reddidisse annua scutata: at ex nupera relatione peritorum ab ipsis oratoribus adlata apparet eorum proventus ad quincumcem rationem supputatos caput conficere scut. 290, 49. Animadvertunt oratores pecuniam modo ad rationem semissem in iis regionibus facillime investiri posse.

Hisce praejactis EE. VV. dirimere

Dubia:

I. *An capellania sit ecclesiastica vel laicalis in casu?*

II. *An constet de jurepatronatus favore Benedictae Sanctae Trinchi Colantoni in casu?*

III. *An locus sit expeditioni bullarum episcopalium in provisione capellae in casu?*

IV. *An et quomodo sit annuendum precibus oratorum quoad fundos de quibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Provisum in primo.

Ad IV: Negative in omnibus.

Die 23. Apr. et 9. Julii 1842.

Ariminen.

Sacerdos Joannes Montani rector ecclesiae parochialis Castelonis Ariminen. dioecesis capellaniam sub titulo ss. Joannis et Andreae quam antea testamento in eadem ecclesia erigendam demandaverat codicillaribus tabulis die 14. Martii 1703 exaratis confirmat paucis tantummodo quoad capellani electionem immutatis. Jure enim nominandi electoribus in testamento designatis sublato primum capellaniae rectorem constituit presbyterum Paulum Antonium Ferri, quem voluit esse suum capellanum laicalem.

Vita functo Antonio Ferri ultimo capellaniae possessore die 17. Januarii 1853 Carolus, Dominicus, Joseph ac Joannes fratres Ferri, qui proximiores existunt in familia primi capellani Pauli Antonii Ferri, die 17. insequentis mensis Maji ad vacantem capellaniam nominarunt ac praesentarunt eorum germanum fratrem Blasium Ferri, qui jampridem tonsura insignitus uxore quam duxerat viduatus in clericali habitu non incedebat. Hujus itaque nominationem Episcopus ratus capellaniam esse ecclesiasticam haud excipi posse censuit. Quamobrem fratres Ferri quin de capellaniae natura quaestionem moverent satius duxerunt ss. Principem coram secretaria Brevium rogatum adire, ut Blasio permitteretur capellaniam retinere in habitu laicali ex quo cum secretarii munere penes Montinense municipium fungatur clericales vestes assumere nequit alias munus ipsum amittat cum gravi sui suaeque numerosae prolis jactura, quippe in summa rei familiaris angustia se versari exponebat.

*) Vd. *p. 556. n. 9.*

Cum hujusmodi preces ad hanc s. Congregationem ex audientia SSmi remissae fuissent alterum accepi supplicem libellum sacerdotis Josephi Marani Caesenatis in quo hic exponens suffragium nominationis ad vacantem capellaniam se retulisse ab avunculo suo Petro Ferri compatrono, qui nempe ab altero sacerdotis Pauli primi capellani fratre descendit et aequali ac memorati fratres Ferri gradu ab eodem distat, illegitimam autem Blasii nominationem habendam esse uti extra terminum quadrimestris et in persona inhabili peractam ejus petitionem qualibet juris fundamento destitutam rejici sibique capellaniae possessionem adjudicari postulabat.

Supplex uterque libellus ad Episcopum remissus fuit, qui haec in suis literis informationis retulit: »Desideratur omnino in hac episcopali cancellaria tum sacerdotis Joannis Montani testamentum in quo de capellania erigenda sub titulo ss. Joannis et Andreae in parochiali ecclesia s. Blasii di Castiglione dispositio facta est tum decretum erectionis capellaniae hujusmodi. — Habetur tamen codicillum ejusdem Montani cujus jungo copiam. Adest in sacrario dictae paroeciae tabella onerum praefatae capellaniae anno 1746 redacta. Adsunt denique collationes ab Episcopo saepius factae de hujusmodi capellania post patroni praesentationem. Ex his omnibus liquet:

1. Capellaniam supradictam saltem ex consuetudine habendam esse beneficium ecclesiasticum;

2. Ad praefatum beneficium praesentandi jus competere proximiori agnato sacerdotis Antonii Pauli Ferri;

3. Rectorem capellaniae debere celebrare per se vel per alium singulis dominicis diebusque festis per annum in ecclesia parochiali s. Blasii di Castiglione, inservire sacris functionibus, adjuvare parochum in docendis fidei rudimentis et celebrare festa ss. Joannis et Andreae cum aliquibus missis, tandem vero capellam et altare providere de necessariis. (Notandum vero haec onera in tabella tantum designata haberi, de iis enim in codicillo exceptis missis nulla mentio fit.)

Patroni beneficii modo numerantur quinque in aequali gradu consanguinitatis cum Antonio Paulo sed hi a duplici stipite descendunt, ab uno Petrus Ferri qui praesentavit sacerdotem Josephum Marani Caesenatensem, ab altero quatuor fratres Ferri qui praesentarunt Blasium Ferri jam clericali initiatum tonsura postea vero memoratum modoque viduum cum septem filiis. Patroni sententiam rogati singuli persistunt in praesentatione apud meam curiam peracta tempore utili. Praesentati similiter beneficium sibi competere singuli arbitrantur. Redditus beneficii assurgunt ad scutata quinquaginta et octo circiter; sed eleemosyna pro missis celebrandis diebus festis in dicta paroecia ad julios quinque pro singulis computatur, quia desunt sacerdotes in loco et ab oppidis circumstantibus sunt advocandi.

Cum in praecitato codicillo jus praesentandi ad beneficium de quo est sermo tribuatur proximiori ex agnatis sacerdotis Antonii Pauli Ferri cumque ex duabus familiis Ferri quinque numerentur aeque propinqui sacerdoti Ferri videtur juxta doctrinam *Card. de Luca disc. 33. de jurepatron. num. 4 et 5* quod Blasio Ferri a quatuor proximioribus agnatis praesentato jus faveat ex hoc capite et quatenus a s. Sede dispensationem ab incessu in habitu et tonsura beniguiter obtineat cum possit per alium beneficii oneribus satisfacere. Praesentatus vero ab unico ex proximioribus habet pro se ministerium sacerdotale sed possidet in dioecesi Caesenatensi aliud ecclesiasticum beneficium, quod pariter exigit missae celebrationem diebus festis in alia ecclesia.

Quibus perpensis censet Blasium Ferri in assequutione beneficii esse praeferendum salva apostolica dispensatione tum quia a pluribus praesentatus tum quia ad familiam patronorum pertinet cum onere tamen adimplendi per alium beneficii onera juxta tabellam in sacrario expositam donec constet institutorem beneficii alias jussisse.

Ab utraque parte constituti fuere procuratores quorum consensu hodierna comitia pro causae propositione destinata sunt. At vero sacerdotis Marani procurator monitus nihil exhibuit dilationem ut nuper me cer-

tiorem fecit postulaturus. Superest itaque ut alterius partis jura per libellum circumferenda heic summatim exponam.

Ad primum quod attinet dubium fratrum Ferri defensor indolem in antecessum capellaniae laicalem brevi vindicandam assumit non quod id causae necessarium existimet sed ut faciliorem petitae dispensationi obtinendae viam exinde sternat.

Rem conficit ex ipsa fundationis lege ubi capellanus laicalis appellatur, primi capellani deputatio facta est absque ullo ecclesiasticae auctoritatis concursu, facultas capellano tribuitur successorem sibi viventi deligendi eumque in persona di chi gli piacerà e parerà laico idcirco viro minime excluso. Porro deficiente erectionis decreto haud obstare factas ab Episcopo collationes, quas cum extet explicitus titulus fundationis et agatur de jurepatronatus gentilitio errori tribuendas esse censet nec praejudicium inferre hodiernis patronis qui jure proprio succedunt. Pariter nihil officere onerum tabellam in sacrario ecclesiae asservatam, sive quia haec onera ejusmodi sunt, ut per alios commode possint impleri, sive quia tabella multo post fundationem redacta est ex qua ideo nihil ad capellaniae naturam invertendam inferri potest.

At vero capellania etiam uti ecclesiastica retenta nihilominus de legitima Blasii nominatione constare contendit.*) Perperam enim objici clericatus defectum ex quo Blasius uxorem duxit; defuncta enim conjuge illum in ea nunc conditione versari expendit, ut non modo clericorum privilegiis utatur sed et vestes clericales ac tonsuram pro lubitu resumere ac gestare valeat juxta ea quae tradunt *Card. de Luca in adnotat. ad Conc. Trid. disc. 24. num. 36*, *Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 12. cap. 3* ac tenuit *s. Rota coram Falconer. dec. 12. de pensione* necnon s. Congregatio in *Mutinen. Capellaniae diei 20. Maji anni superioris.* Nec meliori consilio uti non legitimam censeri posse nominationem quia nominatus et praesentatus non incedebat in habitu et tonsura contra ea quae in terminis docet *Fargna de jurepatr. part. 1. cons. 5. cap. 12. num. 9* et firmat *s. Rota in decis. 592. tom. 1. part. 4. Recent.*

Nullo autem pacto consistere, quod praesentatio intra utile quadrimestre tempus expleta non fuerit vel quod Blasius ejusque fratres dispensationem ab incessu in habitu et tonsura intra utile pariter tempus non petierint ceu eruit defensor tum ab actibus praesentationum qui datam habent diei 17. Maji 1853 quando scilicet adhuc perdurabat quadrimestre vacationis quae contigit die 17. praecedentis mensis Januarii, tum ex Episcopi testimonio nimirum ex ejus literis informationum ad secretariam Brevium (cui antea Josephus Ferri fratrum etiam nomine preces pro Blasio obtulerat, ut ab incessu in habitu et tonsura dispensaretur) quae quidem conscriptae sunt sub die 15. Maji 1853 ubi de facta Blasii praesentatione ac de posteriori sacerdotis Marani nominatione mentio fit.

Contrariis ita difficultatibus disjectis dubitari non posse quin Blasii nominatio uti de persona habili ac in termino juris peracta unice attendenda sit cum ipse majorem vocum numerum retulerit. Agi siquidem inquit de jurepatronatus gentilitio ceu verba fundationis evincunt: »in perpetuo detta nomina spetti e si possa e debba farsi dalli più prossimi della casa di detto Signor D. Paolo etc.« Atqui nil antiquius in jure quam ut in patronatu gentilitio deferatur successio ac voces computentur in capita, ceu in simili casu de proximioribus vocatis, *Fargna de jurepatr. part. 4. con. 2. cas. 2. num. 1 et 2.* Hinc Blasii nominationem cum a maxima patronorum parte peracta fuerit contradictoris nominationem vincere ac suffocare, quae ab uno tantum expleta nullo in pretio habenda est.

Haec quoad primum dubium; ad alterum quod attinet praemittit defensor sacerdotem Maranium cum ab aula repellendus sit ob praevalentem Blasii nominationem quolibet legitimi contradictoris jure in hujus secundi dubii disputatione destitui. Jam vero justas subesse dispensationis concedendae causas; ac primo Blasii paupertatem: aequissimum enim est ut patrono rei familiaris augustia laboranti succurratur. Ipse autem non modo legitima potitur nominatione majoris partis patronorum modo ad patronorum genus pertinet sed ipse compatronus est. Constans porro s. Congregationis praxis est hisce in casibus vel permittendi capellaniae retentionem in statu laicali uti in cit. *Mutinen. Capellaniae 20. Maji 1854* vel nominatione suspensa capellaniam seu beneficium administrationis titulo concedendi uti in *Segovien Capellaniae 17. Novembris 1731 ad 3. dub.* et in *Fanen. Beneficii 15. Julii 1797 ad 1. dub.* Idipsum suadere laicalem capellaniae naturam cujus ideo retentio laico interdicta non est; et sane ad solam cautelam in praesenti rerum statu dispensationem exposci ab incessu clericali.

*) Vd. *p. 565: Discursus.*

Audit per gratiam expetitam nemini praejudicium inferri. De medio enim sublata nominatione Maranii nullus adest qui jus inpraesens habeat ad capellaniam deficiente patronorum nominatione. Imo etsi Blasius inhabilis fuisset quominus praesentaretur, cum tamen majorem suffragiorum partem retulerit illius habilitationem impediri non posse ab altero habili per minorem partem praesentato itaut absque hujus praejudicio dispensatio diceretur admitti tradit cum *Fargna cit. loc. part. 2. con. 3. cas. 6. num. 7 et 8.*

Post haec frustra de oneribus capellaniae aut de paupertate oratoris objectiones subnecti. Onera capellaniae per alium impleri posse eamdemque praeterea exceptionem adversario obstare qui alienae dioecesis est ubi domicilium habet et aliud retinet beneficium cum onere celebrandi diebus festis in ecclesia certa unde vel pro uno vel pro altero beneficio subrogationis necessitas. De paupertate saltem relativa Blasii fidem fecit Episcopus in suis literis ad secretariam Brevium ac testatur etiam parochus. Jam vero paupertatem non semper absolutam sed relativam etiam inspici patronorum ut subsidium a patronalibus beneficiis accipiant plura resolutionum s. Congregationis exempla revincunt.

Dantur itaque

Dubia:

I. *An et cujus favore constet de legitima nominatione ita ut et cui sit danda immissio in casu?*

Et quatenus affirmative favore Blasii Ferri,

II. *An et quomodo permittenda sit eidem retentio capellaniae in habitu laicali in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Dilata et ad mentem; mens est ut perquirantur acta ss. visitationum ut inde eruentur natura capellaniae et onera eidem adnexa.

Die 11. Aug. 1855.

Continuatio.

Mentem hanc Episcopo Ariminensi patefeci, qui mandatis sedulo obsequens haec retulit:

Inspectis actis sacrarum visitationum a praedecessoribus meis ab anno 1760 ad annum 1780 perfectarum nil aliud inveni in illis adnotatum praeter fundationem beneficii sub titulo ss. Joannis ev. et Andreae in ecclesia parochiali s. Blasii de Castillione factam a quondam Joanne Montani; nec in iisdem de oneribus beneficii sit sermo. Bene vero rectoribus beneficii onus injunctum legitur exhibendi inventarium ejusdem.

In archivio vero episcopalis cancellariae desideratur quidem exemplar decreti erectionis beneficii praedicti, ast habentur singulae ejusdem beneficii collationes ab anno 1738 usque nunc ita ut primae tantum post erectionem collationis desit fasciculum. Porro ex secunda beneficii collatione aperte liquet quod hoc erectum fuit die 19. Novembris 1711 prout in actis curiae episcopalis, quae in propriis originalibus tunc exhibita fuere, quod sacerdos Dominicus Sacchetti fuit institutus immediate post mortem Pauli Antonii Ferri primi rectoris dicti beneficii.

Porro ex ejusdem curiae episcopalis actis constat, quod dictus sacerdos Dominicus Sacchetti nominatus fuit ad praefatum beneficium a sacerdote Paulo Antonio Ferri in suo testamento rogato per Anastasium Chiaruzzi notarium Caesenatensem sub die 30. Junii 1725; et post mortem dicti Pauli Antonii per procuratorem petiit in beneficio eodem ab Episcopo institui quemadmodum revera factum est. Ipse autem Dominicus Sacchetti in inventario curiae huic episcopali exhibito anno 1754 et ejus manu subscripto declaravit onera beneficio inhaerentia; inter quae numeratur assistentia parocho Castillionis tum in parochialibus functionibus tum in docendis pueris fidei rudimenta tum denique in assistendo vesperis. Haec omnia patent ex documentis etc. Ex quibus item constat:

1. Beneficium ss. Joannis ev. et Andreae conferendum sacerdoti nominando a familia Ferri,

2. Beneficium idem collatum per bullam episcopalem ab anno 1733 usque inpraesens non modo absque praesentatorum repugnantia immo vero iisdem petentibus,

3. Eidem tum missarum tum aliorum ecclesiasticorum munera incumbere. Accedit quod erectio beneficii auctoritate Episcopi facta fuit anno 1711 licet originale decretum modo non reperiatur.

Fratrum Ferri defensor ad allegationem in anteacta propositione distributam se refert satis habens novas hasce tantum animadversiones, quibus causam dedit relata Episcopi informatio. Observat itaque in memoratae informationis literis iterum confirmari defectum testamenti fundatoris necnon decreti erectionis ut adeo cum codicilares tabulae unice spectari possint ac debeant manifesto ex iisdem laicalem capellaniae indolem inferri liqueat. Quod igitur deperditum erectionis decretum supponatur id in meram conjecturam resolvi, quae facto ac veritati cedat oportet.

Nec ecclesiasticam qualitatem ab observantia subsequuta jure argui posse. Cum enim laica capellaniae indoles ab originali fundationis titulo clare eruatur et res sit de jurepatronatus gentilitio plane collationes ac institutiones ab ecclesiastica auctoritate peractas vel errori tribuendas esse vel inter facultativos adnumerandos actus ac in utraque hypothesi nullam eas detrimentum inferre hodiernis patronis qui jure proprio succedunt.

Quamvis dato etiam quod capellania de qua quaeritur sit ecclesiastica id non obesse Blasio Ferri quominus legitime nominatus habendus non sit sed efficere tantum ut in laicali quo versatur statu capellaniam retinere non possit, quod quidem ut sibi liceat a s. Congregatione supplex expostulat

Nec sane imploratae gratiae impedimento esse praetensa praeter illa missarum onera quae capellaniae inhaerere asseruntur. Primo quia haec utpote multo post capellaniae ipsius institutionem adjecta ceu tabella eorumdem onerum anni 1745 notat admitti nequeunt quin novus indigitetur titulus in illorum praejudicium qui in futurum vocati sunt. Deinde quia quidquid sit de hujusmodi onerum existentia aliter ex observantia deprehendi liceat.

Exhibito enim testimonio parochi Castillionis demonstrat tres immediatos antecessores capellanos omnes de familia Ferri non alia adimplevisse onera praeter missae celebrationem diebus festis. Demum quia etsi omnia haec onera consisterent haud ipse renueret illa per alium implere si ita EE. PP. videbitur.

Sacerdos Joseph Marani in allegatione mihi nunc primum exhibita jura sua deducens in id primo incumbit, ut aequalem vocem ac Blasius se retulisse evincat ad beneficium assequendum ex nominatione sui favore peracta. Nihil enim sibi officere autumat agi in themate de jurepatronatus gentilitio; ex allato enim ab adversario praesentantium schemate demonstrat in duas ab initio lineas fuisse juspatronatus dispertitum scilicet in Franciscum a quo descendunt ii qui Blasium praesentarunt et in Antonium a quo descendit aequali lance Petrus qui ipsum nominavit. Compertissimi autem juris est descendentes non multiplicare voces sed unumquemque in sua linea tantum habere vocis cum aliis quantum suae lineae obtigit, *Tondut. quaest. benef. part. 3. cap. 137. num. 49 et 50, Rota penes Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 158.* Idcirco cum duae sint lineae duas nonnisi esse voces, quarum unam pro se militare integre palam est. Equidem ab initio facta jurispatronatus divisio in plures lineas efficit, ut lineae perinde habeantur ac si juspatronatus plura essent ac distincta, *Piton. alleg. 13. num. 7. de controv. patron.* Quin vel minimum relevet fundatorem haud constituisse diversos stipites expresse per nuncupationem personarum; nam ex eo ipso quod edixerit post obitum primi rectoris nominationem »debba farsi dalli più prossimi della casù di detto Sig. D. Paolo suo primo cappellano« plures personas designasse censet veluti distinctos stipites ac si expresse indigitasset Franciscum et Antonium germanos fratres sacerdotis Pauli Ferri.

In hypothesi autem nullius constitutae diversae lineae aequabile semper jus suum consistere exinde adurget, quod in jurepatronatus gentilitio non semper in capita fiant nominationes sed quandoque etiam in stirpes. Exceptio hujusmodi locum habet cum proximiores de familia ad nominandum vocati sunt juxta ea quae refert *Fierlius in Theorica Friderici de Senis. pag. 238* ibi: »Non procedit etiam Friderici sententia quando juspatronatus reservatum fuit proximioribus de familia vel descendentibus proximioribus; quo in casu jus praesentandi spectat ad proximiores in stirpes et secundum ordinem intestatae successionis.« Atqui hanc exceptionem expresse ac plene obtinere in themate.

Nil enim aliud testator voluit quam ut nominatio »debba farsi dalli più prossimi della casa di Sig. D. Paolo suo primo capellano.«

Nec magis proficere adversarios in deteriori hypothesi quod nominationes procedere debeant in capita perpendendo nominationes in Blasium utpote in inhabilem collatas nullius

ponderis habendas esse. Contendit enim ex fundationis lege nominari in capellanum debere aliquem sacerdotali qualitate insignitum. Quod quidem si expresse non legitur in fundatione eam tamen fuisse fundatoris mentem declaravit primus rector Paulus Antonius Ferri, quem fundator ipse sibi in executorem testamentarium elegit. Hanc porro dispositionem praeseferre sacerdotalem actu qualitatem*) de tempore nominationis eruit tum ex adhibito verbo *sacerdote* significanti praesbyterum actu celebrantem juxta doctrinam s. *Rotae in dec. 871. n. 1. cor. Seraphin., Rocca disp. jur. cap. 120. num. 4. in fin., Piton. de controv. patron. alleg. 28. cap. 7* tum ex qualitate ipsa sacerdotii requisita tempore nominationis juxta ea quae tradunt *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 3. num. 17, Rota coram Emerix jun. dec. 278. num. 4 et 5, Piton. loc. cit.* Hisce robur adjici ex perpetua et nunquam interrupta observantia cujus vi sacerdotali dignitate semper capellanos insignitos ad capellaniam constat fuisse institutos. Jam vero Blasius nedum caret sacerdotali qualitate sed in laicali statu versatur quin vel a longe cogitet susceptum ac deinde desertum ecclesiasticum curriculum iterum arripere ac prosequi.

Post haec sibi uni institutionem dandam esse contendit pluribus de causis ac praesertim cum non de laicali capellania agatur sed de beneficio ecclesiastico. Ex Episcopi enim informatione patet erectionem beneficii factam fuisse anno 1711 ac semper collationes fuisse ab Ordinario peractas adhibita bullarum expeditione et nonnisi sacerdotes fuisse in capellanos quovis tempore suffectos. Haec autem omnia verum constituere ecclesiasticum beneficium tradit cum *Panimol. dec. 21. num. 16* ubi requisita haec assignantur ad dignoscendum capellaniam esse ecclesiasticam scilicet**) »quia fundata fuit auctoritate Episcopi . . ; ulterius habet quid spiritualitatis adnexum onus scilicet celebrationis missarum; et confertur clerico et non laico et haec collatio fieri nequit nisi ab Episcopo prout a primaeva ejus erectione observatum fuit, est insuper perpetua et non ad nutum amovibilis.« Hinc censet aut capellaniam uti ecclesiasticam ex primaeva sua institutione habendam esse aut sin minus ex contraria observantia nedum quadragenaria quae sufficeret sed imo centenaria immutatam ipsius indolem fuisse ut docent *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 2. n. 28, Garzias de benef. part. 6. cap. 10. n. 37* ac tradit s. Congr. in *Signina Beneficii 2. Augusti 1771.* et in *Sabinen. 14. Jan. 1704.* §. *Nunc.* Quam quidem doctrinam eo magis obtinere in themate in quo capellaniae natura in fundatione saltem aequivoca est.

Neque obesse fundatorem in prima nominatione facta favore sacerdotis Pauli Antonii Ferri eum nuncupasse suo capellano laicale. Id enim si respiciatur totus contextus codicillaris ad juspatronatus potius referendum esse quam ad capellaniae naturam. Cum enim inquit juspatronatus reliquisset in testamento Archipresbytero s. Paulae ac parocho Castillionis ceterisque, immutato dein consilio revocare id studuit exarato codicillo, propterea constituere voluit juspatronatus laicale; eaque tantum de ratione dixit sacerdotem a se nominatum fore suo capellano laicale.

Nec prodesse Blasio tonsura fuisse initiatum pro consequenda institutione revincit tum ex qualitate sacerdotali actu requisita tum ex clericalium insignium voluntaria dimissione ab eo facta et quod magis est ex proposito permanendi in laicali statu ac retinendi secretarii communalis officium. Quamvis enim auctoritate *Fargna de jurepr. part. 1. can. 5. cas. 12. n. 9* ex adverso allegata comprobetur in genere clericum primae tonsurae etiamsi non incedat in habitu clericali praesentari posse, tamen limitatio subjicitur: dummodo hoc ex sui natura vel ex lege fundationis non requirat majorem ordinem etc. et dummodo resumat habitum*) et tonsuram pro institutione obtinenda a quo abhorret Blasius.

Atque inde inani eum spe inniti ex apostolica dispensatioe quippe Pontifex non solet gratiam concedere cum adest praejudicium tertii. S. Congr. in *Lunen. Sarzanen. Suspensionis nominationis 23. Novembr. 1833.* §. *Quaeritur* et in *s. Severini Capellaniae 8. Septembris 1833.* §. *Hinc*, praesertim in themate ubi haud verificari ait jactatam paupertatem, ut dignus sit Blasius qui dispensationem promereatur. Praeter enim haud mediocrem familiae censum quo fruitur fungitur etiam munere a secretis apud communitatem loci ex quo certum ei obvenit salarium. Neque refert eum descendere ex patronorum familia cum et ipse Maranius ab eadem familia ori-

*) Vd. *p. 410. notam* **)
**) Vd. *Discursus p. 565.*

*) Vd. *t. II. p. 392. e.*

ginem se ducere comprobet; nam ejus mater inter agnatos Ferri adnumeratur. Ac praeterea suam paupertatem allato parochi testimonio probat. Ex quo etiam excluditur, quod ipse altero beneficio potiatur ceu gratis ex adverso asseritur.

Ceterum his etiam missis addit se utpote digniorem esse in beneficio instituendum, *arg. cap. 3 de jurepatr.*, *Lambert.* et alii *apud Ricc. in prax. 1. part. resol. 217. num. 1 et sequ.*; digniorem*) autem illum esse ac proinde in institutione praeferendum, qui attentis oneribus beneficii et qualitatibus illius aptior videtur ad inserviendum beneficio, ipsi *Ventriglia in praxi fori eccl. par. 2. de jurepatr. adnot. 1. §. 3. n. 48.* Quae sint autem onera beneficii in casu jam patet ex Episcopi relatione. Atque ad haec idoneum magis se esse utpote sacerdotem quam Blasium vix clericum in propatulo est. Hoc autem loci illud notata dignum existimat, quod informans Episcopus mense Octobris 1853 retulit ideo fuisse adauctam missarum eleemosynam in dicta paroecia, quia desunt sacerdotes in loco et ab oppidis circumstantibus sunt advocandi. Quare eo vel magis expedire censet sacerdotem ad beneficium institui, quo penuria inibi praesbyterorum inveniatur.

Quibus pro utraque parte expensis redeunt diluenda

Dubia:

I. *An et cujus favore constet de legitima nominatione ita ut et cui sit danda immissio in casu?*

Et quatenus affirmative favore Blasii Ferri,

II. *An et quomodo permittenda sit eidem retentio capellania in habitu laicali in casu?*

S. C. resp.:

Dilata et scribatur Episcopo pro transmissione inventarii anni 1754.

Die 22. Decb. 1855.

Contin. Ariminen.

Mandatis obsecutus Episcopus authenticum hujus exemplar transmittit et haec refert:

»Porro Blasius Ferri alter ex praesentatis a majori patronorum numero coram me professus est se clericalem habitum ac tonsuram denuo assumere paratum esse quatenus Eminentiis Vestris placuerit; et cum ipse bonis moribus et honesta instructus sit opinione ecclesiasticae militiae id minime indecorum erit.«

Sacerdotis Marani alterius ex nominatis defensor in distributa memoriali contendit ad validitatem nominationis necessariam omnino esse in themate qualitatem sacerdo talem. Idque potissimum arguit ex oneribus quae capellano inhaerere dicuntur in inventario anni 1754. Praeter enim onera »di celebrare tutte le feste di precetto e di assistere ai vesperi, e d'insegnare la dottrina cristiana« illud ait esse magni momenti ad qualitatem sacerdotalem dijudicandam, quod eidem capellano onus incumbit »di ajutare ill parroco in tutte le funzioni parrochiali«: ubi non agi monet de simplici adsistentia in aliquibus tantum functionibus quae a solis clericis praestari valeat sed de manu adjutrice praebenda parocho ac de onere ipsum coadjuvandi in omnibus et singulis functionibus, quae inter praecipuam esse inquit sacramentorum administrationem. Quin regeri valeat haec onera ex arbitrio fuisse in inventario adjecta post erectionem a capellano Sacchetti; quandoquidem ab ipso fundatore profecta fuisse ostendit tum quia in praefato inventario uti jam praeexistentia declarantur eodem modo quo connatantur bona ad capellaniam spectantia nec alium ante illam apocham praecessisse qui valeret ea onera imponere nisi exequutor testamentarius ac ipse fundator: tum quia ex codicilaribus tabulis quae hodie tantum supersunt mentio fit de capellano eligendo »con obbligo di soddisfare gli obblighi come in esso testamento«: neque nisi de iis oneribus praesumitur loquutum in suo testamento fundatorem, quae postea declarata fuerunt in inventario; imo nec solum id praesumi sed evidenter deprehendi ex verbis rectoris Sacchetti qui postquam ea onera in inventario declaravit concludit: »come dal testamento del Dott. Montani.«

Praeterea eamdem qualitatem sacerdotalem arguit nedum ex mente sed etiam ex facto ipsius fundatoris; nam eo fine primum capellanum Paulum Antonium Ferri instituit quia expertus eum fuerat »fedele e retto sacerdote nel servizio della sua chiesa in sua assenza ed in tempo delle sue urgenze bisogni ed infermità«; eodemque tempore ipsum sacerdotem nominavit. Neque ullam dari meliorem interpretationem legis fundationis quam illam deductam ex facto ipsius fundatoris tradit *Piton. de controv. patron. alleg. 32. num. 15.* Praeterquam quod de expressa quoque constare urget testatoris voluntate. Verbum *sacerdote* heic stare censet *taxative* et non *demonstrative* tantum, quia expressum fuit sacerdotium relative ad nominationem capellani non vero ad missarum celebrationem. Qualitas enim adjecta verbo requiritur de tempore verbi adeoque capellanum sacerdotem esse oportere in actu nominationis ac substitutionis per ea quae tradit *Piton. cit. loc. num. 19.* Hisce robur adjicit ex nunquam interrupta observantia, qua semper sacerdotes ad eamdem capellaniam nominati fuere. Atque haec observantia quae originem habuit ab ipso fundatore cunctas antecellit demonstrationes ex laudato *Piton. de controv. alleg. 100. n. 614.*

Quibus ita se habentibus nominationes in Blasium Ferri utpote de inhabili seu non sacerdote factas nullius esse ponderis docet ex *Piton. cit. loc. alleg. 3. n. 6.* Quin obsit declaratio ab eo emissa vestes*) clericales resumendi quoties libuerit s. V. Ordini. Equidem praeterquam de sacerdotio votum non pandat jam nihil ei prodesset ad capellaniam consequendam etiam sacerdotio inaugurari cum quaestio unice vertat super anteactis nominationibus quae irritae ac nullae de eo sunt censendae. Atque inde sacerdotem Marani unum esse infert ex nominatis qui valeat ad capellaniam institui non tantum ex juris rigore sed etiam ex aequitatis ratione ob ejus nimirum probatissimos mores ac zelum quo flagravit erga mox asiatico morbo laborantes, quos omni ope impensissime recreavit: necnon inspectis loci circumstantiis ubi nullus praeter parochum alius extat sacerdos; pro quo eligendo accesserunt oppidanorum preces ne ob alterius presbyteri defectum diebus festis missae celebratione quae una omnium commodo sat non est careant.

Qui partes agit Blasii Ferri in suis animadversionibus mihi exhibitis recolit capellaniam esse suapte natura laicalem; nam fundator primum rectorem in codicillaribus tabulis nuncupavit »Capellano laicale« deditque patronis facultatem nominandi »chi gli piacerà e parerà«; quin referri valeat verbum *laicale* ad qualitatem jurispatronatus uti ex adverso regeritur cum referatur ad capellaniae naturam; praesertim cum nullibi fiat mentio de Ordinarii auctoritate ac de beneficii erectione. Quo posito nihil impedimento esse ait quominus Blasius capellaniam retinere etiam possit in habitu laicali.

Et quamvis falso supponeretur beneficium esse ecclesiasticum nunquam vero dici posse sacerdotale*) contendit cum hujusmodi qualitati adversetur originarius fundationis titulus. Immo nec eam deduci posse ab articulo testamenti a primo capellano Paulo Ferri exarato ubi incidenter tantum fit sermo de capellano sacerdote ad demonstrandam nimirum facultatem ei datam a fundatore, ut successorem sibi eligere posset. Eo vel magis quia verbum illud in fundatione non habetur; nec de novo contra verba fundantis ipse Paulus adjicere poterat unde excidisse probabiliter monet ex errore notarii. Hinc accedere verbum *sacerdote* stare posse demonstrative ad designandam scilicet solam qualitatem muneris exercendi seu onus missarum uti ex *Eargna de jurep. part. 2. can. 27. cas. 14. num. 7 et 8.* necnon ex responsis datis a s. Congreg. in *Pistorien. Canonicatus 1. April. 1713*, in *Tyburtina Capellaniae die 9. Dec. 1690* et in *Justinopolitana 23. Novembr. 1693.* Quare ad capellaniam retinendam sufficere autumat solam tonsuram, qua insignitus est Blasius quamvis laicales vestes induere coactus fuerit ad exercendum secretarii communalis officium.

Atque inde aliud ei cum nullum medium suppedat alendi familiam maxime quod in rerum angustiis versetur aequitatis rationem postulare, ut eidem venia tribuatur capellaniam in habitu laicali retinendi ne praedictum municipale munus grave cum detrimento deserere compellatur.

Tandem in deteriori hypothesi denegatae gratiae paratum eum esse ostendit ad clericalem habitum resumendum; praesertim cum de ejus probis moribus testimonium praebeat Ordinarius: quo casu difficultas omnis evanescit quoad petitam ejus favore immissionem in capellaniam. Quoad cetera rogantur Eminentissimi Patres resumere folia praecedentium propositionum.

Redeunt igitur dirimenda

Dubia:

I. *An et cujus favore constet de legitima nominatione ita ut et cui sit danda immissio in casu?*

*) Vd. *t. II. p. 411. g.*

*) Vd *t. II. p. 759. II; p 144. n. 16; p. 392. e.*

*) Vd. *t. II. p. 867. n. 95.*

Et quatenus affirmative favore Blasii Ferri,

II. *An et quomodo permittenda sit eidem retentio capellaniae in habitu laicali in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Aff. favore sacerdotis Marani.

Ad II: Provisum in primo.

Die 7. Junii 1856.

Contin. Ariminen.

Cum causa iterum fuerit proposita die 20. Dec. nuper elapsi placuit EE. VV. iterum differre resolutionem instante defensore clerici Blasii Ferri ut repertum nunc demum institutoris capellaniae testamentum cujus authenticum exemplar nondum acceperat exhibere valeret; ex quo controversiae status ut ipse ajebat immutatur exindeque jura favore sui clientis jam deducta plene reviviscere contendit.

In iis quas mihi pariter exhibuit novissimis deductionibus ita ratiocinatur Blasii defensor. Patere siquidem monet praeprimis ex allatis testamenti tabulis capellaniam de qua quaeritur indole et natura sua laicalem ex patula et praeceptivis verbis expressa voluntate testatoris cum non modo jus ab eo institutum mandaverit quod censeri debuerit laico sed insuper explicite prohibuerit ne Superior et auctoritas ecclesiastica se possit immiscere, ita ut nunc demum evidenter agnoscatur ejusdem testatoris tabulas codicilares in quibus nominatum a se Paulum Antonium Ferri appellat capellano laicale mirifice cum testamento concordare.

Onera vero per capellanum implenda ea esse perpendit, quae nisi laico viro cuicumque conveniant indubie tamen simplici clerico convenire compertum est; nihil enim magis exploratum haberi quam clerici proprium esse auxiliatricem parochis operam praestare in cathechesi pueris tradenda et assistentiam vesperis ceterisque ecclesiae functionibus. Magnum namque discrimen intercedere inter verba a capellano Sacchetti in tradito inventario de anno 1753 minus proprie adhibita in praefatis oneribus denunciandis et ea quibus testator usus est; ex illis enim merito dubium exurgere poterat, quod capellanus operam coadjutricem in omnibus parocho praestare teneretur ideoque non immerito ab Emmis Patribus sacerdotalem habitam fuisse capellaniam, viso vero testamento longe aliud evinci: capellanus etenim haud ultra tenetur quam intervenire alli vesperi e funzioni parrocchiali, quod sane sacerdotis qualitatem in capellano non requirere per se patet: nec ultra onera in testamento demandata capellanus unquam sustinuisse nec residentiam servasse testimonio suo novissime parochus confirmat tum ex scientia propria tum seniorum auditu tum ex publica voce.

Nec diversimode retinendum subsumit ex adjecta missarum a capellano celebrandarum obligatione et verbo *sacerdotale*, quo testator usus est ubi de subjecto eligendo mentionem fecit. Ultra quod enim verbum *sacerdote* uti in casu italico prolatum idiomate omnes comprehendere qui non sunt laici proindeque simplices etiam clericos tradit cum *Card. de Luca de benef. disc. 61. n. 51*, addit insuper verbum illud hic stare demonstrative ad designandam scilicet qualitatem muneris exercendi minime vero taxative seu qualificative ad qualificandum nimirum personam capellani, quia desunt verba praeceptiva celebrandi per seipsum vel prohibitiva ne missae per alium celebrari valeant, ita ut capellania nequeat ex hoc reputari sacerdotalis sed simpliciter clericalis et conferri hinc possit simplici clerico seu late demonstrat auctoritate *Fargna in commentar. de jurepatr. 2. can. 27. cas. 14. n. 7 et 8* idque ipsum confirmat ex sententia s. H. Ordinis pluribus ad hoc resolutionibus adductis ac praesertim in *Pistorien. Canonicatus 1. April. 1713.*, in *Tyburtina Capellaniae 9. Dec. 1690* et in *Justinopolitana 23. Nov. 1693* atque demum signat observantia parochi testimonio comprobata ex qua reapse constat antecessores capellanos fecisse per alium sempre celebrare le messe festive quando non volevano o non potevano celelebrare da se stessi. Hisce omnibus insuper accedere momentosissimum testatoris factum, qui conditis tabulis codicillaribus eam testamenti partem in qua de sacerdote mentio facta est omnino revocavit ac penitus abrogavit et vocatis ad patronatum cum Paulo Antonio Ferri ejus proximioribus verbis potestatem fecit nominandi capellanum in persona di chi gli piacerà e parerà: cumque agatur de re odiosa utpote de vinculo seligendo sacerdotem si dubium extaret in jure compertissimum esse quod pro libertate debeat judicari maxime cum favorem patronorum respiciat et nominati capellani Blasii, qui non solum ad familiam

attinet patronorum sed actu vel ipse est compatronus. Nullum hinc dubium arguit quin clienti suo Blasio debeatur immissio ad capellaniam quippe qui clericus est et clericales vestes resumere paratus, a quatuor ex quinque proximioribus compatronis nominationem fuerit assequutus rejecto sacerdote Marani, qui unius tantum voce polleat, quae nullo penitus in pretio debet haberi, quia ex notissima regula nominatus a pluribus haud aliter censetur quam si fuisset nominatus ab omnibus. Nisi tamen rebus nunc clarius inspectis EE. VV. placuerit indulgere praefato Blasio ut capellaniam retinere valeat in habitu laicali seu quaeritur in secundo dubio, quod non desinit adprecari ne cum familiae suae detrimento muneri secretarii municipalis valedicere cogatur. Quod sane cum constiterit de laicali capellaniae qualitate ex titulo fundationis facilius sibi suadet obtinere inspecta compatroni qualitate cum paupertate conjuncta, damno amissionis muneris quod secus pati cogeretur, exultante penitus cujusque praejudicio et accedente ipsius Episcopi voto atque commendatione: Hisce namque concurrentibus adjunctis aequitatis esse s. Congregationis ejusmodi indultum elargiri quando etiam agatur de capellaniis et beneficiis suapte natura ecclesiasticis ostendit adductis in id exemplis in *Segovien Capellaniae 17. Nov. 1731 ad 3. dub.* et in *Fanen. Beneficii 15. Julii 1797 ad 1. dub.* aliisque quam plurimis.

E contra sacerdotis Marani defensor ex eodem testamento arguit amplius dubitari non posse de qualitate sacerdotali in actu nominationis requisita;*) quippe fundator expresse edixit non alium ad capellaniam nominandum esse nisi sacerdotem per illa verba »e se abbiano soggetto, cioè sacerdote, questo sia il capellano dichiarandolo adesso per allora.« Porro adeo rigorose fundatorem sacerdotalem qualitatem contemplatum fuisse, ut nec in sua descendentia Montani quam summopere praedilexit aliquem eligi voluerit in capellanum nisi reperietur actu sacerdos; nam secus extra propriam descendentiam verbo adjectam requiri de tempore verbi, *Piton. de controv. patron. alleg. 33. num. 19.*

Post haec supervacaneum censet sacerdotalem qualitatem vindicare ex capellaniae oneribus ceterisque rerum adjunctis. Quamquam et ex hisce recte illa inferatur, quandoquidem satis luculenter fundator indigitavit capellanum debere celebrare per se ipsum ea lege ut administratores per hujusmodi mulctae solutionem alias missas celebrare facerent pro animabus piacularibus flammis addictis. Idipsum statuit de assistentia et interventu capellani ad omnes functiones parochiales. Onus autem interveniendi ad omnes functiones parochiales a primis capellanis intellectum plane fuit pro manu adjutrice praebenda parocho prout declaratur in inventario anni 1754. Hanc autem interpretationem fundationi proximam ceteris omnibus praeferendam esse tradit ex *Piton. de controv. patron. alleg. 100. n. 614.*

Hisce addit fundatoris factum qui primum nominavit sacerdotem Paulum Antonium Ferri ejusque mentem providendi scilicet paroeciam alio sacerdote, qui in absentia parochi sacramenta administraret, praesertim in oppidulo ubi praeter parochum nemo alius extat sacerdos, quippe primum capellanum ideo nominavit, quod eum expertus fuerat »fidele e retto sacerdote nel servizio della sua chiesa in sua assenza ed in tempo delle sue urgenze bisogni ed infermità.« Nec diversam fuisse testatoris mentem deprehendi ex scripto et tradita confessione executoris testamentarii ejusdem Pauli Antonii Ferri. Quibus calculum adjicit infert Blasium Ferri utpote sacerdotali qualitate destitutum inhabilem omnino esse ad capellaniae assequutionem etiamsi de capellaniae laicali ageretur; sub diversis enim respectibus eadem capellania potest esse laicalis quoad ceteros juris effectus, ecclesiastica vero quoad personam nominandam, ut tradit *Rigantius in comment. ad reg. cancel. 38. n. 54* et *Rota cor. Caesare de Grassis dec. 114. in fin.* et s. haec Congregatio pluries declaravit suis resolutionibus prout ex multis eruere est exemplis collectis in una *Fabrianen. Capellaniae diei 4. Februarii 1843.*

Omnino ecclesiasticam deprehendi capellaniam qua de agitur. Cum enim decretum erectionis deperditum sit iterum hac in re ad observantiam confugiendum esse quisque novit; hanc autem a limine fundationis usque in praesens per collationes ab Episcopo factas beneficii ecclesiastici naturam secumferre patet ceu fuit ab Ordinario in sua informatione relatum.

Quin obsit dictio in testamenti calceo

*) Vd. *p. 410.* notam: *Duplici etc.*

apposita; nam ibi fundator non loquitur de capellaniae natura vel de auferenda ab Episcopo institutione sed de mero jure nominandi quod laicale commonstrat superioresque ab eo immutando prohibet. Denique quod tres postremi capellani ex familia Ferri qui tamen sacerdotali charactere insigniti erant imposita haec onera neglexerint id eorum dumtaxat oscitantiae tribuendum monet quin ex eorumdem exemplo patula testamenti lex subverti valeat.

Quibus utrinque perpensis redeunt

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Recedendum a decisis.

Die 14. Febr. 1857.

Pia familia N. die 28. Januarii an. 1768 capellaniam propriis bonis fundavit cum annuo quarumdam missarum onere in determinato altari sub titulo seu invocatione Visitationis s. Elisabeth. In ipso erectionis instrumento hanc legem fundatores edixerunt: »Quod dicta capellania, beneficium aut officiatura sit merum legatum pium laicale de jurepatronatus familiae N. neque subjaceat unquam apostolicis reservationibus neque regulis cancellariae neque unquam appellanda capellania perpetua et collativa*) sed merum legatum pium vel officiatura missarum et conferri unquam possit sive ab Ordinario sive ab apostolica Sede . . . , quod capellanus vel beneficiatus pro tempore (qui a descendentibus ejusdem familiae erat nominandus) sit ad nutum amovibilis**) cum causa vel sine causa. . .«

Adjecerunt insuper, quod si ipsi hoc jure privarentur fundum pro capellania adsignatum liberum evasurum favore haeredum et successorum, quibus facultas hoc in casu facta est accipiendi liberam possessionem.

Eodem mense Januarii ipsimet fundatores in capellanum nominarunt Canonicum N. atque unus ex fundatoribus Episcopum adiit eumdemque supplex rogavit exposita hac fundationis lege, ut veniam opportunam daret pro erectione dicti simplicis beneficii.

*) Vd. *p. 556. n. 9. etc.*
**) Vd. *p. 534. n. 3.*

Preces exceptae sunt ac sequens decretum erectionis Vicarius generalis edidit: »Quo quidem memoriali per nos viso visoque etiam infrascripto donationis et dotationis instrumento . . . omni meliori modo, via, jure et forma quibus melius et efficacius fieri possit de speciali et expresso mandato Episcopi praedictam capellaniam ad nutum amovibilem in titulum simplicis beneficii . . . erigendam duximus prout tenore praesentium erigimus reservantes eisdem Dominis NN. eorumque descendentibus . . . . juspatronatus et praesentandi ad dictam capellaniam seu simplex beneficium ut supra ad nutum amovibilem rectorem seu beneficiatum toties quoties casus vacationis evenerit. . .«

Decretum pariter Vicarius generalis edidit pro expeditione bullarum favore Canonici N. qui primus ad capellaniam nominatus est ac Episcopi auctoritate solemnem possessionem capellaniae ejusdem adeptus est. Hanc agendi rationem in successivis capellaniae vacationibus curia servavit saltem usque ad annum 1817, quo anno pro institutione novi capellani qui nec clericus erat expeditae non fuerunt consuetae Episcopi literae.

In subsequenti vacatione quaestio orta est an praesens capellania reputanda esset ecclesiastica vel laicalis.

Quamvis erectionis instrumento inspecto capellania laicalis esse videretur, attamen post episcopalis erectionis decretum capellania ecclesiastica facta esse videbatur. Notum enim est ejusmodi erectionis episcopale decretum criterium esse solere ad distinguendas capellanias ecclesiasticas a laicalibus. Quandoquidem in erectione capellaniae laicalis non decretum sed dumtaxat simplex acceptatio ex parte Episcopi intervenire debet.

Neque in casu obstare dicebatur fundationis instrumentum. Namque ipsi instrumenti auctores mutasse consilium dicendi erant, qui dum in instrumento ipso Episcopi auctoritatem excludebant eamdem auctoritatem invocaverunt pro erectione capellaniae seu simplicis beneficii; neque post laudatum decretum reclamarunt.

Quae vim suam augebant per constantem observantiam fere saecularem, cum omnes a patronis capellani nominati per literas bullares in possessionem capellaniae episcopali auctoritate immissi fuerint.

Eo vel magis quod indoles institutae capellaniae praeseferebat praecipuos characteres capellaniae ecclesiasticae cujusmodi est designatio altaris in quo erigenda erat titulus seu invocatio Visitationis s. Elisabeth, perpetuum missarum onus, adsignatio dotis, nominatio capellani a patronis facienda, quae omnia sunt qualitates quae conveniunt ecclesiasticae capellaniae, ut ponderat *Pitonius de contr. patron. allegat. 49.*

Favore laicitatis capellaniae observabatur quod libera fundatorum voluntas pro lege est habenda. Voluntas enim et conditiones in limine fundationum appositae omnino servandae sunt ceu juxta ss. canones statuit Tridentinum Concil. *sess. 53. de refor. cap. 5.* in quo legitur: Ratio postulat ut illis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacunque alia dispositione eis non derogatur. Et *cap. 9. ejusdem sessionis* legitur: Legitima patronatuum jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est.

Atqui in praesenti themate ipsi fundatores capellaniam esse voluerunt merum legatum pium vel officiaturam missarum, quae conferri nunquam possit ab Ordinario, quod capellanus esset amovibilis ad nutum patronorum cum causa aut sine causa, quod si jus capellaniam conferendi a quacumque ecclesiastica auctoritate impediretur eo ipso in patronorum dominium bona capellaniae cederent. Quae omnia aptari non possunt ecclesiasticae capellaniae.

Neque obstare dicebatur fundatorum dispositio, quae praedictam capellaniam erexerunt ad altare sub titulo Visitationis s. Elisabeth etc. Scitum siquidem est hujusmodi conditiones bene convenire posse laicali capellaniae ceu dicitur in folio causae *Urbinaten. seu Ariminen. Capellaniae* agitatae in S. C. C. die 3. Februarii 1750 in quo folio §. *Primus* legitur: »Cum verba et voluntas testatricis monstrent laicalem capellaniam, non beneficium ecclesiasticum ab ea fundatum fuisse . . . spernendas esse omnes aequivocas contrarias rationes quae deduci possunt vel ex verbis *erigendi*, *praesentandi*, *vacandi* vel ex dote constituta vel ex certo designato altari vel ex jurepatronatus; haec enim vim habent in dubio, non autem cum certa est fundatoris voluntas, ut uno consensu tradunt doctores et tribunalia. Ita pariter spernendam esse erectionem factam ab Archiepiscopo, qui non poterat testatricis mentem evertere*) neque institutiones et collationes mutare potuerunt naturam et statum verum capellaniae.« Proposito autem dubio:

An capellania de qua agitur sit laicalis vel ecclesiastica in casu? S. C. respondit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Quibus plures aliae resolutiones consonant ut in *Viterbien. Capellaniae 23. Novemb. 1765.*

His aliisque praehabitis perpendendum supererat an in themate decretum Ordinarii conciliari posset cum instrumento fundationis ita ut ipsum possit haberi tanquam auctoritativa acceptatio pii legati. Secus enim in facultate Ordinarii non erat capellaniam quae laicalis esse debet reddere collativam contra expressam fundationis legem.

Quare in quadam causa *Montisfalisci diei 7. Julii 1860* cum curia episcopalis auctoritate ordinaria et omni alio meliori modo decretum edidisset ad erigendam capellaniam laicalem sub titulo s. Sebastiani et exorta controversia super efficacia decreti rogati Emmi Patres:

An decretum curiae episcopalis Montisfalisci sit confirmandum in casu? responderunt: Decretum esse confirmandum uti acceptationem legati pii.

Dubium:

An constet de ecclesiasticitate seu potius laicitate capellaniae in casu?

S. Congregatio Concilii causa discussa die 10. Martii 1866 respondere censuit: Capellaniam esse laicalem.

Ex his colliges:

I. Magnum intercedere discrimen inter capellanias ecclesiasticas et laicales.**) Illae enim censentur vera ecclesiastica beneficia: hae autem piae dumtaxat fundationes seu pia legata.

II. Ecclesiasticas capellanias in suo esse constitui per formale erectionis decretum auctoritate ordinaria emissum juxta legem fundationis.

*) Vd. *t. II. p 358. n. 4.*
**) Vd. *p. 565.*

III. Easdem conferri per literas episcopales, quae bullae dicuntur sive collationis sive institutionis, sicut conferuntur caetera beneficia sive libera sive jurispatronatus.

IV. E contra laicales capellanias formale erectionis decretum non admittere neque conferri ab Ordinario posse sive libera collatione sive institutione quamvis officium Ordinarii sit eas in acceptis habere et invigilare ut piae fundatorum voluntati fiat satis.

V. Quamvis laicales capellaniae saepenumero formam habeant capellaniae ecclesiasticae naturam suam tamen easdem non mutare quoties ecclesiae auctoritas in earumdem erectione exclusa a fundatore dignoscatur.

VI. Quare judicium de laicitate aut ecclesiasticitate capellaniae totum pendet a lege fundationis excludentis vel non excludentis dictam auctoritatem.

VII. Quemadmodum formalis erectionis decretum in defectu legis fundationis indicium de ecclesiastica capellania suppeditat: ita existente clara lege fundationis, quae ostendebat laicalem esse debere capellaniam, erectionis decretum nihil in contrarium operari.*)

*) In pretio habita non est difficultas quae prima fronte sese menti offert: nimirum ipsi fundatores capellaniae qui inter vivos capellaniam fundarunt visi sunt voluntatem immutasse, cum emisso decreto erectionis non reclamaverint neque adversati sint subsequentibus actibus, quibus nominatus a fundatoribus capellanus canonice ab Episcopo est in capellania institutus. Institutionis enim actus exercetur dumtaxat in veris ecclesiasticis beneficiis, quo nominatus a patronis, si nihil obstet, in canonicam possessionem immittitur. Haec inquam difficultas in pretio habita non est et quidem merito: namque fundatores ad curiam accesserunt non animo mutandi voluntatem sed pro venia obtinenda prout lex fundationis exposita postularet. Neque ab ipsis docenda erat curia quid agere deberet ea lege fundationis patefacta: neque laici fundatores rationem procedendi in canonica jurisprudentia callere solent. Decretum autem emissum fuit non ob mutatam eorumdem voluntatem, sed imo juxta donationis et dotationis instrumentum, ut in ipso decreto legitur.

Non est inopportunum heic aliam ne dicam similem sed parem causam indicare quae acta est in *Viterbien Capellaniae die 23. Novembris 1765.* Differt enim a nostra, quod non inter vivos sed causa mortis idest in testamento erigendam capellaniam laicalem fundator praeceperat. Lex fundationis, si ad sententiam respicias, eadem est ac nostra, nec ideo opus est eam referre.

Mortuo itaque testatore primus capellanus qui ab ipso testatore nominatus fuerat petiit in curia Viterbien. dictam capellaniam laicalem auctoritate ordinaria erigi et fundari et ipsum a testatore nominatum in capellanum confirmari et institui bullasque ad sui favorem expediri etc.

VIII. Neque longaevam consuetudinem inde ex manifesto errore ortam contra apertam legem fundationis sustineri.

22) Manualis.

Anagnina.

Capellaniae manualis seu mercenariae*) natura ea est, ut non conferatur sacerdoti in titulum**) ejusdemque bona salvo hypothecae onere pro missarum celebratione ab Ordinarii jurisdictione immunia sint et maneant sub laicale regimine et dispositione, ut notat *Gamma decis. 288. n. 4. in princip.* ad text. *in 2. fin.cod. de bon. vacant. lib. 10* et *Ferraris in bibliotheca* verb. *Capellania n. 2.*

Die 28. Jan. 1832.

Ad ejusmodi petitionem decretum editum est erectionis sequentibus verbis: »Auctoritate ordinaria ac alias omni etc. simplex beneficium seu capellaniam juxta dispositionem dicti quondam Petri Bianchi ad altare s. Michaelis Archangeli in ecclesia confraternitatis Mortis dictae civitatis Centumcellarum perpetuo erigimus ac instituimus ac pro perpetuo erecto et instituto pro ejus fundo et dote ac onerum supportatione domum ut supra comparitione descriptam tradimus, appropriamus cum onere capellanis pro tempore . . celebrandi in dicto altari missas tres qualibet hebdomada in suffragium etc. ac jus nominandi et praesentandi capellanum reservamus et concedimus supradictis a testatore vocatis ac modo et forma prout in dicto testamento continetur ac in primum capellanum dicti beneficii confirmamus et instituimus R. D. Andream Bianchi a dicto testatore nominatum bullasque ad ejus favorem in forma solita expediri ac in veram et corporalem possessionem ejusdem capellaniae ac adnexorum juriumque immitti mandamus etc.« Hinc in favorem Andreae ab eadem curia datae sunt literae, quibus possessionem cepit.

Postea patroni haeredes reclamarunt et quamvis curia in sui defensionem diceret a testatore laicalem fuisse appellatam eam capellaniam propter jus nominandi laicis suis haeredibus reservatum, quod sartum tectumque volebat, nihilominus cum satis constaret, testatorem auctoritatem ecclesiasticam excludere voluisse ne beneficium verum erigeretur, proposito dubio:

An capellania sit ecclesiastica ita ut sustineatur erectio ab Ordinario et institutio in casu?

S. C. respondit: Negative in omnibus et amplius.

E contra interdum contigit, ut ecclesiasticae curiae non emittant decretum erectionis, in detrimentum piarum voluntatum et praejudicium ecclesiae, quando esset emittendum. Puta quia capellania conferenda est a patronis et legibus jurispatronatus a testatore subjicitur, eo ipso a quibusdam laicalis existimatur, ac si nominatio capellani a patronis facienda cohaerere non possit cum ecclesiastico beneficio et beneficia jurispatronatus non sint vera beneficia.

*) Vd. *Capellania* (genus, mercenaria, *b.*)

**) Vd. *Capellania* (titulus ordinationis).

23) Mercenaria.

a) Quae est?

Vd. *Capellania choralis* (benef., decr.: *Novarien.* p. 538.)

Capellaniae mercenariae sunt illae, quae ita instituuntur, ut non conferantur sacerdoti in titulum sed eligatur ad implendum munus impositum a testatore, ita tamen, ut possit ad nutum haeredis removeri. Ut cum v. g. testator relinquit laico bona temporalia cum onere faciendi celebrari in tali altari certas missas a sacerdote sibi beneviso; et hac ratione capellania dicitur mercenaria cum missae celebrentur recepta mercede sine titulo et tunc bona relicta pro hoc onere remanent in sua temporalitate. Nec Episcopus potest in his se intromittere. Licet enim talia bona sint affecta onere missarum possidentur tamen a laico et sub ejus sunt regimine et dispositione, ut notavit *Gamma dec. 288. n. 4. in princip. arg. text. in l. fin. C. de bon. vacant. lib. 10.*

b) Ut titulus ordinationis.

Vd. *Capellan. choralis* (decr.: *Novarien.* p. 538; Quayaquilen p. 542.); Capellania (titulus etc.)

Ad titulum capellaniae mercenariae et amovibilis*) nemo potest ordinari quia capellanus mercenarius et amovibilis titulum habere non censetur; *arg. cap. Constitutus 8. de filiis presbyterorum* et *Abbas ibi num. 5.* Nec habet certos redditus, quibus sustentari valeat ne emendicare aut turpem artem exercere teneatur in magnum dedecus ordinis ecclesiastici; potest enim ad nutum haeredis vel erogatarii removeri. Ita tenent *Majol. de irregularitate lib. 4. cap. 14. n. 4, Campanil. in divers. juris canonici rubr. 8. cap. 4. num. 8. in fin., Garcias part. 1. de benefic. cap. 2. num. 83* et plures alii cum *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 2. allegat. 49. num. 15 et lib. 3. juris ecclesiast. univers. cap. 5. num. 19.* Si tamen talis capellania mercenaria et amovibilis consentiente patrono et Episcopo conferatur alicui in titulum vitalitium poterit ipse ad s. ordines promoveri seu ordinari. Et ratio est, quia ipse in tali casu haberet ea quae ex ss. canonibus et Pontificum constitutionibus in hac parte requiruntur scilicet sufficientes redditus ex beneficio ecclesiastico, quibus sufficienter sustentari valeat ne teneatur emendicare aut sordidam artem exercere cum quoad usque vixerit haberet redditus illius capellaniae, qui sufficientes supponuntur ad congruam sustentationem. Accedit praxis circa hoc fere communis. Obtinens autem capellaniam in capella Papae licet sit ad nutum amovibilis potest ad illius titulum ordinari, *Navarr. cons. 20. de temporib. ordinat., Sayr. in floribus dec. sub eodem titul. decis. 59., Aloys. Ricc. in praxi fori ecclesiast. resolut. 334. in fine; Molfes tract. 6. sum. cap. 1. n. 77, Alphons. de Leon. part. 1. q. 3. n. 57, Barbosa de offic. et potest. Episc. alleg. 19. n. 30* et *lib. 3. Juris eccles. univers. c. 5. n. 19.*

Supradicta: Capellaniam laicalem adeoque amovibilem de consensu patroni, teneri posse vicem tituli in promotionibus ad s. ordines intellige si agatur de jurepatronatus haereditario, ita ut successor uti obstrictus servare factum defuncti nequeat amovere capellanum, non itidem si res sit de jurepatronatus gentilitio aut mixto sicut successor tamquam vocatus ex propria persona possit capellanum amovere, *Amostaz. de causis piis lib. 3. c. 1. n. 42.*

*) Vd. *p. 534. n. 3*

24) Nominatio.

Vd. t. II. p. 635. n. 64.

a) Apostolica irrita propter violatum juspatronatus.

Romana.

Inter caetera pia instituta et ecclesiastica beneficia, quibus Vaticana Basilica ad majorem ipsius splendorem et majestatem divinique cultus incrementum decoratur, quatuor anno 1499 a duobus S. R. E. Card. Laurentio Cibo ac Antonio Pallavicini ex voluntate patrui s. m. Innocentii VIII. institutae sunt capellaniae, quae ideo Innocentianae nuncupantur. Ut autem perpetuo de illarum natura et legibus constaret constitutione sua cujus initium *Ad sacram Petri sedem. etc.* munificentissimam hanc institutionem Alexander VI. confirmavit et communivit. In qua constitutione praeter alia quae vel capellaniarum dotem vel onera capellanorum respiciunt haec de jure illas conferendi sancita leguntur: Necnon collationem, provisionem et omnimodam etiam dispositionem dictarum quatuor capellaniarum ac plenum jus illas conferendi tam hac prima vice quam de cetero perpetuis futuris temporibus quoties illas simul vel successive etiam apud Sedem apostolicam

vacare contigerit personis idoneis in sacerdotio actu*) constitutis, Cardinalibus titularibus s. Marci et s. Praxedis conjunctim si ambo in romana curia vel intra duas dietas reperirentur, sin minus illi qui praesens esset, ambobus vero absentibus Card. Titulari s. Caeciliae et in omnium denique absentia, discordia vel negligentia Guardianis pro tempore hospitalis ss. Salvatoris ad Lateranum jus praesentandi, institutionem vero praesentatorum capitulo ejusdem Basilicae Vaticanae perpetuo memoratus Pontifex reservavit.

Alteram ex hisce capellaniis possidebat praesul Joannes Brunelli, quam tamen ineunte anno 1841 in manibus ipsius Pontificis sponte dimisit et resignavit. Erat tunc temporis praesens in curia Cardinalis cl. mem. Gamberini Episcopus Sabinen., qui audita praefatae capellaniae vacatione nihil intentatum reliquit prout enarratur ut ex jure sibi qua commendatario s. Praxedis competente eam conferret sacerdoti Mathiae Natili, qui apud ipsum jam in secretarii munere fungebatur. Ast Pontifex s. m. Gregorius XVI. ejusdem collationem ad se spectare arbitratus tum quia ob secutam in ejus manibus capellaniae resignationem ipsius emergebat affectio tum etiam quia Praesul Junelli, qui fuerat bis Conclavista et Protonotarii apostolici titulo decorabatur, speciali familiaritate sibi erat addictus, nulla habita jurium Cardinalis Gamberini ratione, per literas anno 1841 ab apostolica Dataria expeditas eandem contulit Vincentio Massoni, qui illam usque ad exeuntem annum 1846 pacifica possessione retinuit.

At vix ad superos evocato Gregorio XVI. sacerdos Mathias Natilj qui post obitum clarissimi Card. Gamberini sese ad patrios lares receperat Romam repetiit ac Pontifici optimo et clementissimo Pio IX. quo sospite laetamur preces obtulit, ut sibi venia daretur adversus memoratam Pontificis provisionem obloquendi eo sub obtentu, ut demonstrata nullitate pontificiae collationis favore Vincentii Massoni hic a possessione capellaniae removeretur sibique utpote Cardinalis Gamberini collatario ad capellaniae ejusdem possessionem decerneretur immissio. Voti compos effectus est Natalius ex humanissimo Pontificis rescripto, quo benigne preces remisit ad s. Congregationem Concilii cum clausula *de aperitione oris arbitrio etc.*

Precibus ita ad s. H. Ordinem ablegatis omnes interesse habentes audire curavi ac praesertim Emos Cardinales titulares s. Praxedis et s. Marci necnon Emum Card. Prodatarium.

Possessor capellaniae Vincentius Massoni ab Emo Card. Prodatario interpellatus eas attulit pro suo jure tuendo rationes, scilicet notissimae regulae triennalis*) confisus additaque ratione compensationis pro munere dimisso in collatione pontificia sui favore peracta se satis tutum versari in ejusdem capellaniae possessione est arbitratus. Et quamvis postea pluries monitus ulteriores promiserit sese allaturum deductiones eas nihilominus mihi exhibuit postquam folium typis commiseram, quas tamen manu versabant EE. PP. Mathias Natali ex adverso plures tradidit cumulatis juris factique rationibus allegationes, quarum summam meum erit ob oculos EE. VV. ponere, ut tum iis tum quae diserte ac erudite Emi Patres edisserunt rite perpensis valeant dirimere dubia quae ad calcem exscribuntur.

Quoad primum dubium praeter ea, quae late ab Emis Card. titularibus disseruntur, hanc praemittendam existimat doctrinam clarissimi *Riganti in regul. cancellar. sub reg. I. §. 1. n. 34. et seq.* Longe diversa dicitur vacatio apud Sedem a vacatione in curia. Primo siquidem modo vacat**) beneficium per obitum naturalem beneficiati apud eandem Sedem vel intra duas dietas decedentis. Quomodocumque vero vacent beneficia per actum expletum in curia praeter mortem naturalem tunc non apud Sedem sed in curia proprie dicitur vacatio. Hanc autem distinctionem adeo necessariam dicit clarissimus auctor, ut nonnisi impropriе vacatio apud Sedem accipi possit pro quacumque vacatione in curia. Huic sententiae subscribunt *Paris. de resign. benef. lib. 9. qu. 14. n. 6, de Rosa de execut. part. 1. cap. 6. n. 174, Passer. cap. Licet. 2. de praeb. in 6. n. 6 et seqq.* et *Ventrigl. in prax. part. 2. adnot. 2. §. 2. n. 31. et seqq.* Et quamvis nonnulli dissentiant, ut *Gonzalez in regul. mens. gloss. 13. n. 29. et seqq.* et *Lotter de re benef. lib. 2. qu. 27. n. 14 et seqq.*,

*) Vd. *p. 410.* notam: *Duplici.*

*) Vd. *t. II. p. 830*; *p. 757. b.*
**) Vd. *t. II. p. 1043. n. 112. a.*

in hoc tamen omnes consentiunt, ut unica vacatio quae contigit ex morte naturali, sit clausula in corpore juris et maximam proinde habeat praerogativam ex qua omnes alias praecedat et antevertat reservationes, *Lott. lib. 2. q. 27. n. 66, 70 et 80, Passerin. de praeb. in 6. cap. praesenti 33. n. 25, Sanchez Consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 34. n. 4*, ubi haec tradit: collatio et provisio hujus beneficii (nempe vacantis per obitum) est magis reservata Papae quam omnia alia reservata.

Hisce positis facile per se patet resignationem in manibus Pontificis factam non habere profecto eam vim quam illi tribuere videtur Emus Prodatarius, ut Emorum titularium collatorum privilegium excludat. Praeterea apertissime statuitur hanc resignationem pari procedere gradu cum reliquis vacationum modis a morte naturali diversis a *Rigantio in regul. 1. §. 1. n. 49 et 76, de Rosa de execut. loc. cit. n. 176, Paris. loc. cit.* Imo ipse Rigantius addit in generico indulto Cardinalibus concesso comprehendi etiam beneficia vacantia per resignationem in manibus Papae, quia hujusmodi affectio non inducit reservationem clausam in corpore juris et ab illo ea solum excludi quae vacant per obitum naturalem in *regul. 1. loc. cit. n. 78 et 79* et *Lotter lib. 2 qu. 27. n. 33, 34 et 95. cum seq.*

Si igitur facultas conferendi beneficia resignata*) in manibus Papae comprehenditur etiam in indultis generalibus, quae conceduntur Cardinalibus, eo magis ipsa comprehendi dicenda est in generali et explicita facultate quam habent in themate Cardinales Collatores praefatas capellanias conferendi etiam vacantes apud Sedem, quo privilegio nullum effraenatius excogitari potest, ut idem monet *Rigant. loc. cit. n. 101. et seq.*, dum firmat hujusmodi facultatem nunquam tributam censeri, nisi specifice et individualiter exprimatur, imo in indultis etiam quae Cardinalibus Pontificum nepotibus conceduntur expresse incipi asserit vacationem apud Sedem Ubi enim in similibus concessionibus adsit expressio »apud Sedem« privilegium hujusmodi quemlibet vacationis casum comprehendit omnemque sive reservationem sive affectionem excludit ex traditis per *Rigant. loc. cit. n. 334 et seq.* Indubium praeterea in facto est Card. Collatoribus in vim hujusce concessionis non denegari facultatem conferendi capellanias Innocentianas vacantes ex obitu capellanorum in curia, etiamsi isti curiales extiterint, quod jus specifice et libere illi semper exercuerunt. Imo in obitu Joannis Morelli Curialis anno 1703 contendente apostolica Dataria cum Card. Collatoribus de jure conferendi vacantem capellaniam Cardinales praevaluerunt, quod maxime attendendum, quia in partium contentione jus illorum oppido fuit confirmatum ut refert *Rigant. ipse loc. cit. n. 116.* Sequitur proinde ex regula juris: »Cui majus licet minus etiam licere debet« ut si Cardinales Collatores facultatem habent illas capellanias conferendi vacantes per obitum eo magis eadem ipsi perfruantur oportet in vacationibus per resignationem in manibus Pontificis emissam.

Post haec unum superest inquirendum utrum scilicet Pontifex huic potentissimo Card. Titularis juri derogaverit necne. At certum est nullam in literis apostolicis favore Vincentii Massoni expeditis specialem requiri praefato juri derogationem. Fatendum igitur est Pontificum collationem nulla posse ratione sustineri. Nec valet quod Pontifex hoc jus probe noverit, non enim sufficere Principis scienter ponentis factum ad derogandum juri alterius quaesito nisi etiam expresse derogatum sit, luculenter tradit *Rota decis. 255. n. 6. part. 2.* et *dec. 359. n. 15. part. 14. recent.* Nec ut censeatur derogatum sufficere derogationes aliquibus regulis cancellariae sed specialem requiri derogationem monet eadem *s. Rota in dec. 36. part. 4. tom. 2. n. 6. ac seq.* et *Sanchez. cons. mor. lib. 2. cap. 1. dub. 34. n. 8.* Pontifex enim non intendit laedere electores et collatores beneficiorum, quae non sunt liberae collationis, *Gonz. in regul. mens. gloss. 45. n. 4.* Ideoque praesertim in casu ubi agitur de indulto seu privilegio concesso Cardinalibus in quo non cadit affectio nisi eidem expresse derogetur vel ipsius Card. accedat consensus, *Rigant. in rubr. reg. 1. §. 1. n. 108* et *Cupon. in discept. foren. discept. 10. n. 18. 19 et 26.* Eoque fortius quia res est de conditione in ipsa fundatione ab eodem Pontifice probata cui nunquam Pontifices solent derogare ut animadvertit idem *Rigant. l. cit. in reg. 1. n. 348 et seqq.* ubi plura similium indultorum affert exempla.

Probata pontificiae collationis nullitate amplius non esse ambigendum sustinet Na-

*) Vd. *t. II. p. 814. n. 91*; *p. 429. ii*; *p. 440. 00*; *401. k.*

tilius quin Vincentius Massoni a possessione capellaniae nulliter sibi collatae sit illico amovendus, quod in secundo dubio controvertitur. Nec turbatur triennalis*) exceptione quia primo haec regula adeo languidum praestat praesidium ut vir clarissimus in forensibus disciplinis magister *Card. de Luca* testari debuerit: Quantum diuturnae vitae forensis experientia me docuit et nulli vel nimium rari sint casus in quibus hujus regulae effectus deducatur ad praxim ob tot restrictiones et declarationes, *disc. 91. de benef. n. 5*; idemque concinit *Rigant. in reg. 36. n. 14* nec minus id verum est ex ea ratione, quod regula ipsa non fundatur in titulo sed in mera tituli praesumptione, quae contraria probatione non solum sed contrariis etiam praesumptionibus elidi potest; praesumptio enim cedit veritati, ut observat idem *Card. Juris consultus in cad. discept. n. 20.* Ex quo fit, ut si in continenti constet de tituli vitio et nullitate triennalis beneficium evanescat quod unanimiter tradunt *Rigant. in reg. 36. n. 140 et seqq., Piton. t. 4. discept. eccl. 120. n. 9. in fin., Card. de Luca l. cit. n. 19,* disertissime *Paris. de resign. ben. lib. 10. qu. 4. n. 27* et *Rota dec. 232. n. 9. par. 18. t. 1. dec. 599. n. 39. part. 4. t. 3. dec. 318. n. 15. par. 14. dec. 80. n. 10 et 11. par. 7. recen.* et in aliis passim; et hoc in casu beneficiato incumbit onus probandi canonice**) et legitime fuisse ei beneficium collatum, ut late docet *Maccard. de probation. concl. 180. n. 1 et 2* et *Paris. l. cit. n. 28.* In themate autem luce meridiana clarius demonstratam esse arbitratur Natilius pontificiae collationis nullitatem ac proinde vitium tituli, quo Massonius hucusque possedit. Provisio enim facta a Papa de capellania uti reservata quae talis reapse non erat non tenet sed est omnino nulla ex doctrina *Garz. de benef. part. 5. c. 1. n. 177. et seqq.*

Altera deinde ratio qua possessor capellaniae juvari nequit regula de triennali ex eo profluit, quod Mathias Natily nisi phisice et materialiter, moraliter procul dubio fuerit impeditus quominus possessionem impeteret. Tantus enim et quidem justus erat in eo timor, ut si contra peractam collationem a Pontifice agere vellet Pontifex ipse a quo provisio per se nulla emanaverat eam redderet validam et perennem per subsequentem derogationem const. Alexandri VI. unde manat Cardinalium Collatorum privilegium, et sic Natilio quaelibet praeclusa fuisset via contra praedictam provisionem inposterum insurgendi. Et hoc gravi ipsum timore fuisse detentum satis demonstrant tum querelae extra judicium ab eodem excitatae veluti fidem perhibent duo testes quorum alter ipse Natilii parochus tum immediatus ejusdem reditus in Urbem statim ac fuit immutata Pontificis persona vix scilicet sublato actionis impedimento. Nunc autem certum in jure est non suffragari regulam de triennali si legitimum ex parte petentis concurrat impedimentum quominus agere nequiverit intra triennium, *Sanchez. cons. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 20. n. 3* et *Rigant. in reg. 36. n. 226.* Idque naturae ipsius regulae est plane consentaneum, quae cum ad instar praescriptionis et usucapionis juris communis fuerit introducta, *Rigant. loc. cit. n. 12 et 13,* ejusdem praescriptionis legibus esse debet obnoxia, quibus cavetur ut agere non valenti non currat praescriptio.

Tertia denique ratio sane potissima ex qua Massonio prodesse nequit regula de triennali inde provenit, quod capellania de qua quaeritur ejus indolis est, ut nullo ex capite apostolicis subjaceat reservationibus ne illi quidem quae exurgit ex vacatione apud Sedem seu ex obitu beneficiati in curia,*) quae unica est privilegiatissima uti clausa in corpore juris prout late in primo dubio fuit demonstratum.

Quare ad hunc effectum controversa capellania aequiparatur beneficiis de jurepatronatus laicorum, quae veluti regulis cancellariae generatim non sunt obnoxia ita nec regulae de triennali subjiciuntur uti clarissime testantur *Rigant. in reg. 36. n. 178 et seq., Lotter. lib. 2. qu. 14. n. 62 et 63* ubi expresse tradit praesentatum a patrono**) quandocumque vacantiam resciverit esse instituendum etiam contra provisum apostolicum quin hic juvari possit regula de triennali. Ex rationis igitur identitate idem esse concludendum in themate non ambigitur in quo attento amplissimo privilegio capellaniae Innocentianae a quacumque reservatione vel affectione sunt prorsus immunes ac proinde in dispositione illius regulae minime debent comprehendi.

Pro coronide tandem additur ad regulae

*) Vd. *t. II. p. 757. b.*
**) Vd. *t II. p. 399. g; 503. I; 504. II. III.*

*) Vd. *t. II. p. 1043. n. 112.*
**) Vd. *t. II. p. 822. VI.*

exclusionem in Massonio deesse existentiale regulae requisitum nimirum possessionem, quae cum eodem tempore penes duos esse nequeat cumque eam ab ipso pene vacationis momento possedisse Natilius ostendat impossibile videtur eandem fuisse apud presbyterum Massoni. Ad hujus exceptionis intelligentiam memoria retinendum est EE. PP. aliam esse juris possessionem*) aliam vero facti. *Jure* dicitur beneficium possidere, qui illud a legitima auctoritate habuerit collatum, *facto* autem qui materialem tantum fundorum retineat possessionem. Hoc posito ambigendum non videtur juris possessionem in themate esse penes Natilium attenta legitima Card. Gamberini collatione quam ille in tertio dubio nititur defendere et Massonium nonnisi de facto possidere, qui idcirco de stricto jure intrusus dici debet ex traditis per *Card. de Luca de benef. disc. 32. n. 9* et *disc. 35. n. 7*; *facta* enim capellaniae collatione statim capellano acquiritur jus in re absque aliqua immissione in possessionem ut tradit *gloss. in cap. penult.* vers. *collatio de praeben. in 6., Covarruv. lib. 3. variar. cap. 16. n. 1* etiamsi collatio fuerit verbalis quod adamussim docet *Sara de capellaniis lib. 2. cap. 11. n. 20.*

Amoto igitur a capellania Vincentio Massoni uti non legitimo detentore se in ejusdem possessionem immittendum esse contendit Natilius in tertio dubio. Quod ut assequatur satis est sibi demonstrare collationem non requiri certam verborum formulam**) tradit *Rubens in addit. ad dec. 15. n. 1. part. 3. recent.* sed per quemcumque actum sive verbalem sive actualem elici potest dummodo ex eo collatoris voluntas deprehendatur, ut monet *Lambert. de jurep. lib. 2. part. 3. qu. 11. art. 5. n. 6. Leuren. in for. benef. par. 2. qu. 9* et *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 1. n. 28*, qui addit *lib. 3. qu. 19. n. 27* posse fieri provisionem per quemcumque actum sive verbo sine nutu; collatio enim censetur perfecta quomodocumque aperiatur voluntas conferentis docente *Rot. dec. 676. n. 7. cor. Olivatio*, ita ut ubi inquiritur utrum constet de legitima collatione nihil aliud sit inspiciendum, quam nuda collatoris voluntas sit necne manifesta.

Nemo autem dixerit non patere voluntatem Card. Gamberini pro collatione capellaniae favore Natilii, qui velit attendere luculentissima testimonia plurium qui familiaritate cum eodem Card. devinciebantur asserentium de hujusmodi collatione. Haec eadem ipsius Card. cubicularius confirmat.

Huc accedit gravissima praesumptio quod vir ille Emus vellet Natilio gratificari tum ob diuturnum sibi praestitum ab eo servitium tum ob animi affectionem qua erga illum afficiebatur tum demum ob expressam ejus favore propensionem voluntatis in tabulis testamentariis. Quare etiam optime praesumere licet se id non fecisse ob peractam in illum capellaniae collationem, qua ample eidem gratificatum fuisse putaverit. Et hanc voluntatis praesumptionem vel ipse eminentissimus Prodatarius admittit.

Hoc autem orator ad abundantiam vult esse narratum. Simul ac enim nitidissime constat de Card. voluntate amplius non esse ambigendum de vera collatione dicendum est ex doctrinis superius allatis quin vel nimirum obsit quod nec literae fuerint ipsius Natilii favore expeditae nec chartulam quidem ipsi hac de re liceat ostendere. Literarum enim expeditio in aliis quam in provisis apostolicis non desideratur, ut bene advertit *Lotter. lib. 3. qu. 19. n. 26.* In collationibus enim Papae inferioribus non exiguntur literae neque scriptura sed satis est ut collatio per testes probetur, ut idem *Lotter.* monet *lib. 2. qu. 46. n. 40* et *lib. 3. qu. 24. n. 32* et *Leuren. in for. benef. part. 2. qu. 773* adeo ut clandestina etiam et occulta collatio sit valida dum vel per instrumentum vel per testes probetur, ut unanimiter sentiunt doctores et ss. canonum interpretes.

Hisce positis de legitimo Natilii jure qua collatarii Emi Card. Gamberini nullum superesse dubium videtur. Quod si dubium aliquod adhuc existeret ob sequutam Pontificis provisionem pronuntiandum tamen esset pro collatione Cardinalis*). Praeterquam enim in concursu pontificiae provisionis ex capite reservationis et collationis ordinariae hujus favor est maximus, illius tamen stricta debet esse interpretatio quia reservationes sunt odiosae et facilior est ad jus commune regressus; in casu accedit etiam praerogativa Cardinalitiae dignitatis quae in hujusmodi beneficiorum collationibus providendis maxime attendenda est, ut docet *Lotter. lib. 2. qu. 32. n. 585 et seqq.*

*) Vd. *Possessio.*
**) Vd. *t. II. p. 419. v*; supra *p. 85. II.*

*) Vd. *t. II. p. 821. I.*

ac proinde cum praesertim pontificia provisio ob illius nullitatem sit e medio sublata omni meliori ratione qua fieri potest ipsius Cardinalis voluntas interpretari debet ac sustineri.

Haec affert Natilius. Quare dirimenda proponuntur

Dubia:

I. *An intret arbitrium super aperitione oris in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An Vincentius Massoni sit manutenendus in possessione capellaniae in casu?*

Et quatenus negative,

III. *An sit locus provisioni favore Mathiae Natilii in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative.

Ad III: Dilata et coadjuventur probationes auditis interesse habentibus.

Die 7. Aug. 1847.

Continuatio.

Ad tramites itaque hujus rescripti mei muneris duxi iterum audire Emum Prodatarium ac sententiam exquirere Emi Card. Commendatarii s. Caeciliae cui jus collationis hodie devolutum ex eo, quod suis viduatae titularibus reperiuntur ecclesiae tam s. Marci quam s. Praxedis. Praeterea audiendos censui quos veluti testes voluntatis cl. me. Card. Gamberini Natilius sui favore in sua allegatione innuerat.

His responsis cum iis conjunctis quae in praeterito folio sunt exposita propositis tutius valeant EE. VV. dirimere dubium:

An sit locus provisioni favore Mathiae Natilii in casu?

S. C. resp.:

Dilata:

Die 28. Aug. 1847.

Continuatio.

Tertio jam redit haec causa ante conspectum vestrum Emi Patres. Hinc cum rationum momenta quae ad illius definitionem conferre videntur in duobus praecedentibus foliis reperiantur annotata ea iterum perlegere si lubet adprecamur. Nunc autem novum factum omittere non judicamus, quod pandere dignatus est Emus Cardinalis Piccolomini literis nostris requisitus, ut oratoris Natilii precibus indulgeremus.

Iterum igitur proponitur

Dubium:

An sit locus provisioni favore Mathiae Natilii in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 25. Sept. 1847.

b) Nulla est et iteranda.

Vd. t. II. p 635. n. 64.

Lauretana.

Ad annum 1828 die 5. Maji excitata fuit solemni testamento capellania mere laicalis a Dominico Francalancia Castri Fidardi cum onere binae missae per se vel per alium a capellano in ecclesia sibi benevisa vicenis exceptis ad aram praestitutam litandis.

Nominatione primaeva singulariter peracta ab ipso testatore favore Canonici Bernardini Malpici de ceteris in aevum explendis sancitum est, ut jurepatronatus activo perpetuo fruerentur primo loco testatoris haeres ejusque primogeniti descendentes agnati.

Peculiares leges datae sunt et capellaniae qualitas magis explicata est.

Capellaniam institutam retinuit ad annum 1839 et diem secundam Junii qua vitam cum morte commutavit Canonicus Malpici. Ejusque funus veluti signum extitit tumultuariis actis, quae mox subsecuta sunt. Qui patronatus activi jure fruebatur tunc temporis Petrus Francalancia Sanctitatem Suam post paucos a vacatione dies per s. hunc Ordinem flagitavit »il godimento di detta capellania per se stesso e per qualunque sopravenienza di sua prole maschile soltanto; non disigiunto dall esatta annuale sodisfazione de pesi.« Cumque adversa capituli et Antistitis Lauretani suffragia precibus reperisset mutato consilio nominationem excogitavit conferre in Antonium Thomasini sororis Annae filium puerulum adhuc et mensem vix octavum supra decimum ingressum rogavitque inde primum Capitulares obtinuitque (die 18. Sept. p. sequenti) »altri due mesi, oltre il quadrimestre voluto dal testatore, onde ottenere la grazia

pontificia pel Nipote figlio della di lui sorella germana Anna, e ciò per questa volta soltanto ne transeat in exemplum« ceu ex actibus capitularibus habetur. Subinde ad nominationem praedictam devenit die 1. Octobris, quam in praedictum puerum conferebat. Quo facto a s. Ordine petiit idem ipse, ut a qualitate clericali*) nominatus dispensaretur vel ut suspensa capellania posset ipse ejusdem bona administrare ac fructus omnes satisfactis oneribus in pueruli praedicti institutionem convertere. Quibus precibus propitium dedit responsum Episcopus atque ipsum capitulum.

Sed diu patronus neque in ista perstitit voluntate; nam dum adhuc instantia penderet literaeque redirent informatoriae Antistitis et capituli, extemplo alium quemdam a suo gente extraneum nova prolata nominatione ad capellaniam accersivit clericum Philippum Carini, duplici sub reservatione dummodo nempe nec sibi juxta priores preces nec Tomasinio propitia habita fuisset aliqua sacratissimi Principis dispensatio. Atque hic nulla interjecta mora capellaniae possessionem indeptus est.

Aegre admodum hoc tulit Fidardense capitulum ratumque offensam suo juri illatam, quippe postrema testamenti cera nominandi jus ei post elapsum quadrimestre tribuebat; bimestres vero inducias non alia de causa Petro Francalancia ipsum concesserat, nisi ut dispensationem favore puerili nepotis referret: quae literas edictales oppidanos clericos ad concursum vocantes apponi jussit, ut ad electionem Capitulares ipsi devenirent.

Petrus ex adverso patronus vix edicta proponi sensiit, instetit apud acta curiae episcopalis et protestatus est contra possessionem a Carinio adolescente nudius tertius ab ipso praelecto per notarii manus solemniter caeptam nullamque causam extare, quod reservationes nominationi appositae posthabitae fuerint et adfuit tertio s. huic Congregationi.

Quae preces die 4. Decembris ad Episcopum ablegatae et Canonicis exhibitae fuerunt, ad eorum sententiam exquirendam; attamen illi postquam eas plenis suffragiis rejecerint nominarunt solemniter ac capellaniae possessionem tribuerunt sub die 23. Dezembris clerico Carini, eidem qui nuper nominatus et explosus a Francalancia possessionem antea captam ultro dimiserat.

Nec siluit super his Petrus Francalancia, sed gesta etiam per capitulum illico legati protestatione confixit.

Singula haec dum contingerent, identidem rogatus fuit a me pro informatione et voto Lauretanus Antistes; ex quo praeterea habui annuos capellaniae redditus argenteis nummis confici sexaginta quatuor, ex quibus detrahendae sunt impensae, quae omnes comprehensa eleemosyna missarum ad scut. nummos viginti quatuor assurgunt. Habui etiam animi sui sententiam, quae his continetur verbis: Quid in tanta rerum perturbatione dijudicandum sunt nescio; et utrum expediat assentiri precibus oratoris numquam sibi constantis, an potius ratam habere capituli Fidardensis electionem dicere non audeo. Ubique enim confusio, ubique arbitrium et legum aspernatio. Nec silebo clericum Carinium a praelaudato capitulo electum fuisse, data illi pridem a quibusdam Capitularibus pollicitatione suffragii, dummodo valediceret intempestivae ab eo jam captae capellaniae possessioni; quod et fecit; hinc que suffragia obtinuit. Ita mihi relatum a quodam de gremio totius hujus negotii bene conscio et teste. Utrum quoque recte necne actum fuerit in praemissa ejusdem Carini nominatione per Petrum Francalancia omnique labe caruerit electio, non leve mihi dubium assurgit.

»Quid ergo consilii in tanta perturbatione capiendum? Non est meum sententiam proferre; sed quatenus liceat opinionem qualemcumque elicere indicabo non deesse in rebus similibus exempla, quibus docemur cassos irritosque vel habitos vel declaratos fuisse hujusmodi tumultuarios actus sublatoque patronis pro ea vice tantum nominandi jure factam fuisse Episcopis eligendi potestatem. Hoc pacto coercita fuit nimia patronorum licentia, repressi abusus et ambitus, praeclusaque innumerabilibus controversiis janua; quod ut in praesenti quoque casu decernatur a Vobis EE. Patres necessarium duco, tum ne contendentes innumeris depauperentur expensis neve odiis dicteriisque se proscindant, tum ne diutius perseveret in populo scandalum quod jam emersit, tum denique (quod maxime interest) ut iteranda electio juxta leges fiat omnisque doli

*) Vd. *t. II. p. 433. II.*

vel ambitus suspicio amoveatur, quod non parum in ecclesiae decus dignitatemque cedit.«

Jam vero sequuntur quae ad decernendum de universis quaestionis hujus capitibus viam sternunt vel nominationem factam favore Antonii Tomassini respiciunt vel postremas patroni Francalancia postulationes vel capituli gesta.

Quoad primum discutiendum praecipue venit: num rite Antonius fuerit nominatus de quo tamen ejusdem pater ambigi non posse tenet, quando infra tempus a testatore praescriptum adlectus est et quidem animo et conditione veniam dispensationis a clerici qualitate quam primum referendi quae illico petita est. Deinde, an nominationi huic officiant actus posteriores sive ipsius patroni sive capituli Fidardensis. Porro neutros pugnat attendendos esse, quippe vel fucos extra legitima tempora vel saltem ad hunc effectum inanes.

Enimvero si quadrimestris terminus prorogatus est, id contingere potuit vel vi consensus capituli, at capitulum respexit in ea concessione dumtaxat causam dispensationis obtinendae favore ipsius Antonii, vel ex pendentia recursus, quo stante tempora ad nominandum non currunt:*) at animadvertit istud juris principium suffragari non posse nisi ad effectum non incurrendi caducitatem**) a jurepatronatus mimine vero ad id, ut quadrimestri elapso liceat nominationes alias pro lubito iterare, quibus obstare arbitratur alia juris regula, quod pendente lite aut recursu nihil debeat innovari.

Praeterea per actus superiores infirmari potuisse urget Tomassinius erga filium suum nominationem sive ex vi ipsa posteriorum nominationum sive ex vi reservationis priori ipsi nominationi adjectae. Verumtamen adnotat licere quidem laico patrono infra praestitutum sane tempus nominationes alias identidem adere ast cummulative***) tantum, ut DD. loquuntur, non autem privative, adeo ut nominatio posterior anteriorem non tollat ad tradita communiter cum glossa in *Clement. Plures 2. de jurep.* verb.: *Praesentare*, *Abbas in cap. Quanto de judic.*, *Azorius par. 2. lib. 6. cap. 2*, *Navar. in sing. Canonic. conclus. 112. n. 8*, *Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 38. num. 58.* Imo non posse patronum lite pendente nec etiam cumulando variare docet *Rota part. 5. recent. tom. 2. decis. 607. num. 4.* nec ea durante inter duos praesentatos alium tertium praesentare*) sine vitio attentati, *Rota part. 2. decis. 504. num. 2*, *Barbosa de offic. et potest. Episcop. alleg. 72. num. 162.* cum aliis inibi allegatis. Reservatio autem nonnisi praeteritam ac primam oratoris supplicationem respexisse tenet, super nominationis suspensione, quae oppido nihil habet commune cum nova nominatione alterius favore peragenda.

Ceterum quae gessit capitulum nihil in esse ponere instat, quia pendente recursu nondum ejusdem juri locus factus fuerat; immo potius illud arguit temeritatis ac inconstantiae, dum quod paulo ante placuerat mox dextruxit et s. Ordinis resolutionem circa preces super dispensatione oblatas renuit praestolare.

Tertio quatenus nominatio ista maneat in suo robore, perdendendum erit, num dispensatione dignus extet bimulus puer**) Antonius Tomassini. Pertinet hic ad lineam in jurepatronatus passivo a testatore praedilectam eodem modo ac sine ulla distinctione cum linea haeredis ipsius, scilicet filius est Annae Francalancia nuptae Tomassinio: sacer vero Ordo cum testatoris consanguineis, maxime si praedilecti fuerint, pluries consuevit dispensare ceu videre est in *Januen. Capellan. 21. Julii 1819*, *1821.* et in *Mutinen. Reduct. 17. Febr. 1821.* Accedit in casu favoribilis Episcopi sententia atque etiam ipsius capituli, priusquam mutaret consilium.

Quae de Antonii Tomassini favore peracta nominatione perpensa sunt, discutienda veniunt etiam quoad aliam ab ipso patrono expletam erga infantulum filium eidem agnatum. Existimat scilicet patronus liberum adhuc sibi fuisse sui juris exercitium, quando eum capellanum renunciavit nedum quia pendente recursu tempora dilapsa non fuerant, sed et quia in singulis a se peractis in antecessum nominationibus reservationem apposuerat *salvo sempre quanto avesse la s. Cong. a decidere sull' istanza promosse per far rimanere nella mia famiglia il godimento della capellania.* Haec enim reservatio nominationes caeteras factas ostendit veluti sub conditione resolutiva, cujus ea est natura, ut pactiones et obligationes sub eadem

*) Vd. *t. II. p. 706. k.*
**) Vd. *p. 6.*
***) Vd. *t. II. p. 694. d*; *703. III.*

*) Vd. *t. II p. 706. q.*; *703. III*; *421. z.*
**) Vd. *t. II. p. 433. k.*

emissae ea purificata vi sua destituantur omnino ac si nunquam extitissent. Quae vero egit capitulum ex iisdem superius relatis rationibus nulla ipso jure proclamat, sicuti jam illico solemni actu protestatus est Laureti.

His praejactis unicam modo nominationem extare tenet a se filii sui favore peractam; adeoque dispensationem facile consecuturum confidit quae dum nemini injuriam facit consona esset menti testatoris de haerede suo gratificando adeo solliciti, ut et ipsi patronatum jus activum principaliter commiserit et primo loco ejusdem filios ad capellaniae fruitionem vocaverit.

Quod si per Thomassinium et Francalancia hactenus adnotata EE. VV. sapientiae non arriserint, agendum erit de gestis capituli Fidardensis. Nihil solliciti de pendentia recursus autumant Canonici jure suo usos fuisse Carinium adlegentes. Quandoquidem jam ab ultima die expirati quadrimestris nominare valuissent nisi votis annuentes Petri ad aliud bimestre terminum non protraxissent. Verum id egisse firmant ad unum finem dispensationis referendae ab Antonio Tomassini uti satis in ipsa prorogationis syngrapha declararunt, quum porro dispensatio illa nondum relata fuerit infra tempus elargitum atque imo Petrus ipse instantiae desuper admotae facto suo valedixerit. Jam in suo jure redintegratos sese fuisse pugnant. Quod merito in clericum Carinium de Castro Fidardi juvenem omni exceptione majorem exercuerunt.

In vehementiori demum partium studio juvat postremo EE. VV. subjicere quae proponit Episcopus. Agitur quidem de capellania mere laicali; de quibus capellaniis traditum est nec devolutionis juri obnoxias esse nec simoniacae labi*) ad inducendam a jurepatronatu caducitatem, etsi pactum hinc inde expressum evincatur, *Gonzalez. ad reg. 8. cancell. glos. 5. num. 25*, *Lauren. For. beneficiar. cap. 3. quaest. 96*, s. Congr. *in Lauretana Capellan. 3. Aug. 1833.* §. *Cum autem.* Ast attentis peculiaribus circumstantiis in casu expedire forsan adnotat Episcopus, ut ipse capellanum eligat pro hac vice, sic scilicet et jurgia majora avertuntur et pessimi exempli pactiones castigantur, quas semper improbavit etiam in capellaniis laicalibus s. Ordo ut *in Neapolitana 13. Augusti 1718.* §. *Plane*, *Piton. de controv. patron. alleg. 67. num. 38.*

Antistitis sententiam juvare poterit etiam animadversio, quam ad denegandam capellaniae suspensionem Petro Francalancia prodiderat capitulum primo rogatum videlicet oratorem divitem satis extare nec ab anno 1828, quo mortem oppetiit testator, fortuna cecidisse; atque adeo praesumi illius erga pauperes consanguineos voluntatem non posse, quam prae oculis habuit perpetuo s. Congreg. in ejusmodi concessionibus. Quod sane valet etiam pro Tomassini filio cujus paupertas ne quidem innuitur.

Recolenda tamen ex adverso est capellaniae natura mere laicalis necnon explicita testatoris voluntas quae Ordinarium excludit. Ac s. Ordinis sententia, qua firmatur locum esse novo termino, quum inhabilis praesentatus dispensationem non fuerit assecutus, ut caeteris omissis eruere est ex nupero responso in una *Fesulana Dispensationis diei 22. Decembris 1838.* Demum his accessit testimonium nudius tertius mihi exhibitum parochi s. Stephani in castro Fidardo de Petro Francalancia. Ex quo Petrus pauperatem arguere satagit saltem relativam.

Definiant EE. VV.

Dubia:

I. *An et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?*

II. *An potius substineatur nominatio facta a capitulo favore clerici Carini, ita ut sit manutenendus in possessione in casu?*

Et quatenus ad I. et II. negative,

III. *An et quomodo capellani designatio committenda sit Episcopo vel potius sit locus novae nominationi per patronum in casu?*

S. C. resp.

Ad I., II., III: Negative in omnibus et esse explendam novam nominationem infra quadrimestre ad formam fundationis.

Die 8. Maji 1840.

*) Vd. *t. II. p. 498. IV.*

c) Suspensio concessa.

I. Propter familiae angustias.

Vd. *Capellania* (suspensio); t. II. p. 717. β; supra p. 263. I; 272. II; infra n. IV.

Urbevetana.

Volvente anno 1671 Sebastianus Panaceni in testamento quod condidit die 10. Novembris erexit capellaniam de suis bonis.

Ex actis quae supersunt nullimode con-

stat hujusmodi capellaniam ante annum 1810 fuisse Episcopi literis et auctoritate collatam; eo siquidem anno Urbevetanus Episcopus Lambruschinius patentalibus literis diei 19. Martii dedit ejusdem capellaniae institutionem sacerdoti Aloysio de Sanctis praesentato a Laurentio Lombardi, juspatronatus enim a familia Stochi ex cessione anni 1740 in familiam Lombardi pertransiit. Pari dein ejusdem Episcopi provisione die 10. Maji 1819 capellaniam praefatam nactus est Aloysius Lombardi praevia dicti Laurentii patris praesentatione. Tertia quoque vice vacuam ex obitu dicti Aloysii capellaniam Episcopus die 14. Augusti 1831 contulit jure devoluto ob patroni negligentiam presbytero Mathiae Natilj*), qui eam retinuit usque ad annum 1855, quo demum tempore Natilius cessit juri suo reclamante ob amovibilitatem patrono Josepho Lombardi praevia transactione ab hoc s. Ordine die 17. Decembris ejusd. anni approbata; qua cautum est ut reservata annua pensione**) scutator. duodecim et obol. 50 super capellaniae redditibus favore sacerdotis Natilj capellania conferri deberet puero duodeni Archangelo Lambardi Josephi filio cui concessa fuit dispensatio super aetatis defectu cum obligatione tamen suscipiendi primam clericalem tonsuram***) ante canonicam ins tutionem, licet patronus salvum sibi velle dixerit jus vindicandi laicalem ejusdem capellaniae naturam. Latet enim omnino episcopalis illius erectio neque ullum datum est in curiae tabulario vestigium invenire tum de canonicae erectionis decreto tum de collationibus aut institutionibus Ordinarii ante annum 1810; omnem quippe diligentiam in irritum recidisse testatur hodiernus Episcopus.

Accedit haec inter ut clericus Archangelus ecclesiasticae militiae valedicere cupiens una cum illius patre Josepho qui actu est patronus supplicem mense Decemb. 1861 dederint libellum postulantes, ut laicalis declararetur capellania †) a laico viro legitime possidenda; sin minus ut suspensa illius nominatione concederetur administranda eidem Archangelo dum viveret in statu quoque conjugali impletis oneribus.

Auditus super hujusmodi precibus Episcopus capellaniam fuisse et esse natura sua ecclesiasticam*) nonnisi a clerico possidendam tuetur ex allatis a promotore fiscali rationum momentis de quibus inferius agam. Ex hoc voto promotoris fiscalis cui me plenissime subscribo facile evincitur capellaniam de qua in precibus fuisse semper et esse nec aliter considerari posse quam beneficium vere ecclesiasticum et proinde non possidendum nisi a clerico qui juxta ss. canones in habitu et tonsura incedat, nullimode vero a laico nisi sanctae Sedis accedat dispensatio prout in similibus casibus pluries contigisse satis compertum est, ideoque attentis a fiscali promotore allatis rationibus patefaciendo meam sententiam arbitrarer quoad primam partem precum posse declarari capellaniam esse omnino ecclesiasticam. Quo vero ad alteram partem precum ita prosequitur: Beneplacitum apostolicum respiciens pro beneficii saecularisazione ad tempus seu vita oratoris naturali durante in votis essem ut eidem haec gratia concederetur ad tempus tantum dummodo tamen per sacerdotem a me deputandum oneribus beneficii adnexis satisfaciat et interim beneficii collatio suspendatur donec ex vocatorum familia aliquis clericus idoneus reperiatur, qui eodem potiri possit juxta fundatoris mentem. In hanc sententiam libenter adducar ex eo quod ista s. Congregatio patronis seu patronorum filiis qui ad beneficia sunt vocati de facili administrationem concedere soleat, ut fructus suos faciant maxime si probitatis ac indigentiae repuisita concurrant et absentia cujuscumque damni ex parte tertii subeundi; quae omnia in oratore concurrere satis est mihi compertum ita in literis 26. Augusti 1861. Onera sustinenda designantur in particula *institutionis* de qua superius, quibus addenda est annua pensio scutator. 12, 50 sacerdoti Natilj solvenda ex transactione aliaque onera realia. Redditus vero in scutatis triginta circiter quotannis computantur.

Quoad ecclesiasticam capellaniae naturam monet inprimis promotor fiscalis eam in dubio praesumendam esse ex canonistarum sententia, deinde praesumi etiam ait Ordinarii auctoritatem accessisse ab initio licet ob luctuosas tabularii vicissitudines et incendia documentum erectionis haud reperiatur tum quia verba fundationis Ordinarii interventui non refragantur tum fortius quia in actis s. visitationis anni 1687 Episcopus visitator

*) Vd. *p. 632. §: Alteram.*
**) Vd. *t. II. p. 861. r.*
***) Vd. *t. II. p. 433. l.*
†) Vd. *Capellania* (laicalis quae est. p. 613).

*) Vd. *Capell.* (eccles. quae est, p. 570.).

ecclesiae Turris Alphinae renuntiabat in altari s. Francisci erectum reperiri beneficium de jurepatronatus familiae de Stocchis. Ex quo arguit vel erectionem intercessisse vel saltem ea occasione visitatorem eamdem perfecisse. Certum quippe est non esse necessarium canonicam erectionem ab initio interponi sed sufficere ex DD. theorica si progressu demum temporis interveniat dummodo non refragetur voluntas fundatoris. Sed alia profert in id argumenta. Memorat enim actum cessionis jurispatronatus anni 1740 in quo tam cedens quam cessionarius capellaniam constanter appellant beneficio semplice et cedere ac respective acceptare palam affirmant il jus nominandi et praesentandi il capellano amovibile ad nutum di detto semplice beneficio. Hinc arguit capellaniam non reluctante fundatoris voluntate consensu patronorum expresso vel tacito vel ex negligentia effici collativam, quibus conferre testimonia contendit in recentioribus actis s. visitationis annorum 1801 et 1806; in visitatione siquidem altaris s. Francisci enunciatur: »In hoc altari erectum est beneficium sub titulo s. Francisci et rector ad praesens est R. D. Joseph Lombardi de Cantone et est de jurepatronatus dictae domus.«

Addit insuper capellaniae de qua in casu omnia sane convenire, quae beneficio ecclesiastico sunt propria, objectum videlicet spirituale ex injuncta celebratione missarum et festivitatis s. Titularis, jus instituendi ex parte Ordinarii, quod jus a promotore fiscali deducitur ex jure nominandi a fundatore palam expresso et etiam praesentandi desumpto a confessione patronorum in praedicto cessionis actu, quod quidem confirmant subsecutae tres episcopales provisiones ab anno 1849 ad annum 1831, quae legitimam constituunt observantiam et ultimum statum efficiunt; clerici nominatio, quae semper intercessisse videtur, ut ait, ab institutione et illius necessitas ostenditur ab onere celebrandi capellano praescripta; perpetuitas tandem quantum attinet ad capellaniam cui nihil obest amovibilitas capellani.

His omnibus demum maximum adjicit robur exemplo alterius capellaniae ab eodem testatore iisdemque tabulis testamentariis institutae in ecclesia s. Sebastiani oppidi Fabro. Pari enim locutione usus est ac in altera de qua quaeritur, ut ex relata particula depromitur. Sicut autem hujusmodi capellania Fabri erecta ecclesiastica definitur in actis curiae et qua talis semper habita est atque collata ab Ordinario ad patronorum nominationem sic ex identitate rationis habendam esse concludit ecclesiasticam illam Turris Alphinae.

Contrarium at vero protuetur Lombardius patronus ex fundationis tenore et observantia fundationi proxima ac per saeculum et amplius pacifice et constanter continuata. Ex verbis enim fundationis merum pium legatum seu officiatura missarum infertur, quod proprie pertinet ad capellaniam mere laicalem ac talem demonstrat. Inspecta siquidem particula testamenti non solum nulla requisita est auctoritas Ordinarii sed nec de capellania erigenda mentio vel levis occurrit. Nec nomen ergo capellaniae sed simplex officiatura missarum erumpit: maxime cum capellanus ad solam patroni nominationem nulla interveniente Episcopi auctoritate faciendus esset seu deputandus »da nominarsi dal. Sig. D. Stephano Stocchi e suoi«. Quod equidem clarius etiam innuunt verba paulo superius praemissa de bonorum occupatione.

Fundatoris verba et mentem insuper enucleate declarat observantia institutionem immediate subsecuta et usque ad annum 1810 absque interruptione continuata. Nunquam enim longissimo hoc temporis intervallo quod saeculum cum dimidio fere complectitur pium legatum seu manualem capellaniam provisam fuisse auctoritate Ordinarii probatur. Luculentius vero ecclesiasticitatem eliminare videtur factum omnium eloquentissimum nunquam videlicet interpositae canonicae erectionis, quae quidem erectio substantiale requisitum est sine quo consistere nequit ecclesiasticum beneficium cum erectio causa sit efficiens a qua suum esse beneficium consequitur, ita ut aliter beneficium constitui non possit, *Rota in Pampilonen. Capellaniae 25. Maji 1646 coram Corrado* post *Piton. de controv. patron. all. 33. n. 30.*

Hoc autem erectionis elementum rem facti esse monet Lombardius, quod probari debeat non praesumi maxime si vel ipsi praesumptioni refragrari doceatur tenorem fundationis et subsecutam observantiam liquido demonstratam quin promotoris asserto de tabularii damnis et incendiis sit ullimode deferendum. Illud enim respuet evidenter omnino fidelis Episcopi relatio, qui excitatus ab H. S. O. ut super bono jure referret transmisit docu-

menta ad rem facientia. Assertum insuper refellunt facta positiva quibus arguere licet acta et documenta perantiqua ad controversam capellaniam attinentia fuisse reperta, quibusque utitur promotor, deprompta scilicet ex actis s. visitationis et ex libris beneficiorum et prae ceteris documenta erectionis et collationum alterius capellaniae ab eodem testatore Fabri institutae. Inveniri itaque non potuit quod nunquam extitit et nec existere debuit, ut facile colligi valet ex verbis ipsis, quibus hac super re testator voluntatem suam non obscure manifestavit.

Fallit autem in themate ut videtur regula adversum opposita de capellania ecclesiastica potius quam laicali in dubio dijudicanda quando et tenor fundationis et observantia proxime subsecuta contrarium ostendere comprobetur. Enimvero merae et ambiguae visitatorum enunciativae locutiones ea in hyothesi nihil relevare videntur eoque minus verba in actu cessionis de quo superius adhibita vel ab hominibus imperitis ellicita vel inscitia notarii praeter mentem contrahentium apposita, habita quoque ratione ad usum, quo capellaniae etiam mere laicales beneficia vocantur et vicissim pariterque dicendum de verbis nominare, eligere et praesentare ceu in casu affini docet *Rota in dict. Pompilonen.* post *Piton. de contr. patron. alleg. 33. n. 32. 33.* Maxime cum vel post ipsam cessionem plures deputati fuerint capellani absque ulla Ordinarii auctoritate et institutione usque ad annum 1810. Tres vero quae proferuntur ab eo anno provisiones episcopales utpote quae potenter erroneae deprehenduntur et contrariae statibus anterioribus non faciendae videntur ut naturam capellaniae contra legem fundationis permutare voluerint. Praefata vero regula quod in dubio capellania pro ecclesiastica retinenda sit tunc probe obtineret quando praeter enunciatum dubium non adessent observantiae seu consuetudines, quas inter nonnullas etiam fundationi proximiores natura capellaniae ex hujusmodi observantiis judicanda foret, imo proximiores essent praeferendae, ita ut si sint demonstrantes capellaniam ecclesiasticam talis censebitur et ita pariter si laicalem. Ratio: nam illae proximiores consuetudines seu observantiae praesumuntur habere fundamentum in ipsa dispositione fundatoris et praeferuntur remotis. Ergo ex his proximioribus observantiis existimabitur capellania an ecclesiastica vel laicalis sit, *Amostaz. de caus. piis par. 1. lib. 3. c. 2. n. 21.* Theoria vero ultimi status vim suam exerit in causis et judiciis possessoriis uti notissimum est et tradit idem auctor *loc. cit. n. 24* minime vero in judicio petitorio in quo praesens quaestio versatur.

Ceterum nec simplex onus missarum nec perpetuitas satis concludunt ad beneficium ecclesiasticum constituendum cum et simplici capellaniae et officiaturae mere laicali utrumque probe convenire valeat. De clerici vero nominatione ne verbum quidem fecit testator ut patet et gratis asseritur clericos semper fuisse nominatos, quae quidem circumstantia nondum probata prostat et dato etiam quod probari posset parum ut videtur ipsa sola relevaret ad necessitatem cum accidentaliter etiam fieri potuerit, ut clerici forent capellani ob existentiam scilicet clericorum in familia patrona. His tandem hucusque protractis mere laicalem esse capellaniam Turris Alphinae laico vel puero et conjugato concedendam Lombardius evincere satagit usus auctoritate *Rotae in cit. Pompilonen.* et *Pitonii loc. cit. n. 30* iterum objiciens ad beneficium ecclesiasticum *) constituendum necessarium omnino esse Episcopi concursum et consensum. Argumentum vero deductum ex altera capellania ab eodem testatore iisdemque tabulis instituta in ecclesia Fabri refellit tum ex facto canonicae erectionis ibi interpositae et provisionum episcopalium absque interruptione factarum, ut promotor affirmat tum maxime ex diversa testatoris dispositione; imposuit enim capellano a coetu ecclesiastico mansionariorum Cathedralis nominando praeter onus celebrandi in perpetuo quattro messe la settimana in detta chiesa per l'anima di detto testatore e suoi, assistere alla confessione in detta chiesa, insegnare la dottrina cristiana e la gramatica ai fanciulli di questo castello ita nimirum ut haec capellania non modo ecclesiastica sed etiam sacerdotalis habenda sit tum ex facto Ordinarii tum ex patula voluntate fundatoris.

Post haec si ratio suppetat dubitandi saltem quoad personam nominandam quae clericatum praeseferre debeat suam instaurat petitionem Lombardius, ut nominatio capellani suspensa remaneat quousque clericus aliquis idoneus in sua familia superveniat uti opinatur Episcopus habito respectu tum

*) Vd. *p. 565; t. II. p. 530. e.*

ad suam unici patroni qualitatem cum rei familiaris angustiis et probitate conjunctam tum ad absentiam praejudicii cuicumque obveniendi. A qua quidem indulgentia non abhorret in similibus adjunctis s. haec Congregatio.

Ut autem Emmi Patres quatenus ad capellaniam laicalem declarandam inclinarent quasdam habeant prae oculis regulas ab H. S. Ordine pro casuum varietate adoptatas nonnulla proferam exempla, quibus ostenditur posse simul convenire ut capellania sit laicalis et non collativa ad quam tamen nonnisi clericus seu ecclesiastica persona sit nominanda ac deputanda canone posthabito, quo firmatum est generatim capellaniarum mere laicalium, quae tamquam legata pia considerari debent, capaces esse laicos quoscumque etiam infantes et feminas uti docent *Navarr. Cons. 5. num. 1, Gonzales de reg. can. 8. gloss. 5. §. 5. 23, Card. de Luca de ben. disc. 80. num 18, Rota cor. Manzaredo dec. 334* et in *Urbevetana Capellaniae 17. Jun. 1726. 5. maxime cor. Ratto* et s. haec Congreg. in *Romana Capellaniae 12. Julii 1721.*

In *Firmana Capellaniae 18. Aprilis 1711* agebatur de capellania mere laicali et nulla Ordinarii auctoritate fundata. Proposito dubio:

An clericus Jo. Baptista Rettinos in statu clerici conjugati possit retinere capellaniam de qua agitur? datum est responsum: *Negative.* Eademque resolutio capta fuit in *Romana die 20. Septembr. 1727* in qua capellania erat instituta cum declaratione »qual capellania debba riputarsi ed essere mero e puro legato laicale e non beneficio ecclesiastico.« Et 1726 die 7. Septembris in una Macerateu. in qua agebatur de legato dotium in scut. sexcentum ea lege fundato »che i suddetti scudi 690 colla proprietà degli altri miei beni possano servire ad titulum capellaniae acciò uno dei figli di detto Michelangelo possa ordinarsi agli ordini sacri« cum quaereretur:

An capellania de qua agitur sit legatum pium cujus sint capaces etiam feminae seu potius sit capellania ecclesiastica?

S. Ordo respondit: Ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative sed non esse collativam et amplius.

In una *Nullius Farven. 12. Augusti 1701* fundata capellania ad aram B. M. V. ab Angelo salutatae electus fuerat a fundatore in primum capellanum suus nepos cum arbitrio et potestate utendi et fruendi dicta capellania ejusque bonis et dote sub onere tamen missarum ab ipso ceterisque capellanis implendo . . . et Praepositus pro tempore in dicta ecclesia praedicta exequatur et exequi faciat sine aliqua judicis sententia et auctoritate. Cum itaque quaesitum fuisset: *An dicta capellania retineri queat in statu conjugali?*

prodiit resolutio: Negative.

In *Anconitana Capellaniae 12. Maji 1779.* De tribus capellaniis laicalibus in quibus fundator jus tribuerat capellanis propria auctoritate capiendi possessionem bonorum et onus imposuerat »farmi celebrare o celebrare« binas missarum hebdomadales, disputatum dubium:

An capellania sint laicalis ita ut possideri possit etiam a laicis?

dimissum est responso: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Videant EE. VV. si et quatenus exempla nuper adducta ad praesentem conferant controversiam et dirimere non dedignentur

Dubia:

I. *An constet de capellania mere laicali ut retineri valeat a laicis et conjugatis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus.

Ad II: Affirmative ad decennium docto tamen quotannis coram Ordinario de onerum adimplemento ac fideli bonorum administratione facto verbo cum SSmo.

Die 18. Apr. 1863.

Januen.

Maria Antonia Cestino anno 1751 capellaniam instituit in ecclesia parochiali ss. Nicolai et Erasmi super quibusdam fundis annui redditus detractis oneribus scutorum circiter 15, quae juxta mentem testatricis integre impendenda essent pro Sacrorum celebratione.

Alterum pariter capellaniam instituit Laurentius Maria Cestino anno 1771 cum dote cujusdam terrae vitibus ac arboribus consitae quaeque usque ab anno 1793 in perpetuum locata est Jacobo Justi pro annuo canone

scutorum 23. 06 et haec summa pariter impendenda est pro missis celebrandis.

Harum capellaniarum reddituum administratio ac capellanorum electio ex fundatorum lege concredita est Archipresbytero pro tempore dictae ecclesiae parochialis cui etiam jus tributum est dictos capellanos ad nutum amovendi.*) Additum insuper est in utriusque capellaniae fundatione quoad jus passivum, ut si qui unquam fuissent de familia Cestino ad implementum onerum sive ad satisfactionem missarum vocati censerentur.

Franciscus, Joseph, Joannes, Achilles et Magdalena una cum matre vidua Francisci Cestini cum sint de familia testatorum et passive vocati ad explenda onera capellaniarum cumque gravi premantur inopia postularunt nedum missarum reductionem sed etiam capellaniarum suspensionem, ut ex illarum redditibus aliquod miserimae vitae subsidium consequi possint.

Favet postulationi Emmus Archiepiscopus ad quem remissae fuerunt preces, ut de iis audito Archipresbytero qui contrariam tenet sententiam referret. *Oratores* ait *certe pauperes sunt prout ex attestatione parochi mihi constitit et ad comparanda quae sunt ad vitam necessaria omnino impotentes pro quibus alendis matris cura et industria minime sufficit.*

Sunt denique nedum de familia testatorum sed etiam passive vocati ad explenda onera capellaniarum quandocumque ss. ordinibus initiarentur.

Cum itaque sint oratores in hisce rerum circumstantiis constituti ac dum de gravi eorumdem angustia agatur apostolicam indulgentiam mereri videntur. Saepe enim s. haec Congregatio in similibus casibus capellaniarum onera pro aliquo tempore suspendenda decrevit, ut inopiae propinqui fundatorum aliquo modo consuleretur.

Sane capellaniae nominationem suspendere secumfert piorum fundatorum voluntatis immutationem contra quam pugnant ss. ecclesiae canones, quibus jubetur, ut testatorum placita tamquam leges serventur *prout ex Trident. sess. 22. cap. 6 de reform., Clementin. Quia contigit de religiosis dom., Felin. cap. Constitutus num. 14 de rescriptis. discurs. 265. num. 10, s. Rota decis. 88. num. 11. cor. Crispo* et *s. Congregatio in Pistorien Commutationis voluntatis 3. Augusti 1734.*

*) Vd. *Capellanus amovib.*

Nonnulla tamen adduci possunt, quae petitae suspensionis gratiae viam sternere posse videntur. Ac prae primis occurrit supplicantium propinquitas et passiva vocatio ad dictas capellanias eorumque urgens egestas. Porro nihil magis naturali charitati, nihil magis sanguinis vinculo congruum videtur, quam propinquorum inopiae succurre, voluerunt *Mant. de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 16. et seq., Rota in decis. 98. num. 4. coram Durant.* et in *Perusina Subsidii dotalis 2. Maji 1702. §. 3. coram Scotto.*

Hinc praesumpta occurrit testatorum voluntas, ut non extantibus qui idonei sint ad capellanias consequendas redditus convertantur in sublevandam consanguineorum inopiam quos verosimile est chariores habuisse quam capellanos extraneos sub lege amovibilitatis vocatos, *ut post text. in cap. Pervent. de jurepatron.* tradit *Amostaz. de causis piis lib. 1. num. 14.* Cui praesumptae voluntati testatorum accedit juris dispositio, quae sicuti opitulandos esse jubet patronos pauperes ex redditibus beneficii *in can. Decernimus 16. quaest. 7* et in *cap. Nobis de jurepatronatus*, ita etiam eorum haeredibus et consanguineis testatoris prospexit in *Toletana synodo can. 38. relat. in can. Quicumqu. caus. 16. quaest. 8., Rot. apud Piton. de controver. patr. alleg. 46. num. 66.*

Acriter tamen oratorum instantiae sese opponit Archipresbyter non solum quia nunc nulla ex dictis capellaniis sit vacans (missae enim ab ipso Archipresbytero celebrantur) sed etiam asserens missarum suspensionem ecclesiae cultui et populi commodo praejudicium esse allaturam. Non enim agitur de subsidio assignando propinquis testatorum ex superextanti redditu deductis oneribus sed de convertenda missarum eleemosyna in illorum utilitatem.

Eo itaque redit difficultas num consanguinei tanta premantur inopia, ut sublevanda sit ex suspensione capellaniae. Emmus Archiepiscopus testatur de paupertate oratorum et de impotentia ad comparanda, quae sunt ad vitam necessaria. Testatur etiam esse de familia testatorum et passive vocatos ad explenda onera capellaniarum quandocumque ss. ordinibus initiarentur. Quin etiam cum s. Congregatio ut maturius procederet requisierit, ut oratores docerent de eorum consanguineitatis gradu cum fundatoribus, exhibitum est schema genealogicum documentis munitum ex quo evincitur oratores cum

Laurentio Cestino in quarto et cum Antonia Maria Cestino in quinto consanguineitatis gradu esse conjunctos.

Videant ego EE. PP. num ad hanc speciem ex justa interpretatione transferri possint, quae de patronis pauperibus sancita sunt *in Concil. Toletano IV. can. 37* et a *Pontifice Clemente III. in cap. Nobis 25. de jurepatronatus* in quibus juris canonici locis praescribitur ut patroni pauperes ex redditibus beneficii alantur, ut etiam firmavit s. Congregatio *in Aquen. Capellaniae 20. Januarii et 3. Februarii 1787.*

Grave nihilominus videri posset, quod suspensio concedatur plenis capellanis, per ea, quae tradunt *Fagnan. in lib. 3. decret. cap. Dilectus 11. num. 17 de praebendis, Rigant. ad reg. 22. cancell. num. 49.* At licet in praesenti casu dicantur plenae capellaniae quamvis missae ab ipso Archipresbytero qui haberet jus nominandi celebrentur attamen pauperibus patronis aut consanguineis alimenta ex beneficio etiam pleno deberi docent *Piton. de controver. patron. allegat. 44. num. 20.* et s. Congregatio in *Nullius s. Michaelis de Clusa 20. Januarii 1776* et in *Nucerina 5. Septembris 1778.*

Dubia proponuntur:

I. *An et ad quod tempus sit locus suspensioni nominationis capellaniarum in casu?*

II. *An et quomodo sint reducenda onera missarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad decennium.

Ad II: Affirmative ad duas missas in quolibet mense ad decennium applicandas novem pro capellania Mariae Antoniae Cestini et quindecim pro capellania Laurentii Cestino facto verbo cum Sanctissimo.

Die 31. Julii et 21. Aug. 1819.

II. In reparat. altaris et ecclesiae.

Vd. t. II. p. 921. III.

Nullius Farfen.

Suspensio nominationis capellani conceditur ad quinquennium Dominico de Sanctis patrono laico capellaniae erectae a Palladio Olivari ad proprium altare s. Caroli in parochiali ecclesia Montopolis deputato ecclesiastico administratore, qui celebratis missis ad formam fundationis superxtantem redditum erogaret in reparationeem altaris et subrogationem novae tabulae pictae.

Die 14. Jan. 1792.

Ariminen.

Suspensionem nominationis capellaniae institutae a Stephano Rossi concessit s. C. ad vitam Marci Fabri descendentem ex genere patronorum et ad ejus tertiam generationem masculinam ab eodem incipiendam attento quod ipse Fabrus recuperare promisit suis sumptibus alienata bona capellaniae, ita tamen suspensionem concessit s. C. ut ab ecclesiastico administratore deputando post erectionem capellaniae satisfacerentur per decennium missae septuaginta annuae tantum et deinde satisfactis omnibus oneribus ad formam fundationis superextantes fructus eidem Fabro ejusque descendentibus consignarentur.

Die 22. Julii 1815.

Tyburtina.

Suspensionem capellaniae s. Antonii concessit s. Congregatio ad sexennium, ut deputato ecclesiastico administratore ab eoque impletis omnibus oneribus excepto servitio chori residuales redditus erogarentur praecipue in sacras supellectiles et restaurationes fatiscentis ecclesiae s. Michaelis in oppido Castri Madamae facto verbo cum SSmo et docto de erogatione et notificato decreto magistris Datariae apostolicae.

Die 17. Februarii 1816.

III. Propter imminutos redditus.

Vd. n. I. p. 639; n. IV. p. 647.

Anagnina.

Simon Panetta Incola oppidi cui nomen Carpineto Anagninae dioecesis suspensionem nominationis ad capellaniam in ecclesia archipresbyterali ejusdem oppidi fundatam postulavit. Ad Episcopum administratorem preces remissae fuerunt, ex cujus accurata informatione habent Emi Patres facti speciem in haec verba: Quum Hercules et Annunciata Panetta incolae oppidi, cui nomen Carpineto, pro sua erga sanctos Deiparae parentes Joachim et Annam pietate sacellum iisdem constituere in sacra aede archipresbyterali s. Joannis decrevissent in eoque capellaniam fundare, cujus possessori lex daretur faciendae aliquoties rei divinae, bona quaedam sua pro istius dote assigna-

runt datoque ad Anagninum Antistitem supplici libello rem totam ejus auctoritate sanciendam curavere: a quo sic est interposita ut sibi suisque successoribus potestatem reservaret instituendi et adprobandi capellanum amovibilem, quem ex concesso jurepatronatus iidem, qui capellaniam fundaverunt, eorumque successores obtulissent. Aperta haec sunt ex instrumento erectionis, bona vero eidem capellaniae dotandae attributa seorsim descripta sunt.

Porro sive quod fundorum tenuitas paucos ad optandam capellaniam alliceret sive quid aliud in causa fuerit, mihi quidem nullum invenire monumentum licuit instituti ab Episcopo capellani, quumque ad obeundum sacrae visitationis munus Carpinetum venissem, indignum ratus sacrum patrimonium a laicis haeredibus detineri ex canonum, quos praesertim Tridentina synodus edidit, praescripto declaravi Simeonem aliosque de familia Panetta, quod bona capellaniae propria ad se transtulissent eorumque percepissent fructus praeter alias poenas excidisse jurepatronatus ac liberum capellaniae, cui libeat, conferendae jus ad Ordinarium Anagninum devenisse reservato jure compellendi eamdem familiam tum ad reddendos, quos hactenus ex eis bonis indebite perceperit, fructus tum ad altare ex praescripto institutorum conservandum ac iis quibus fuerit opus instruendum. Quamquam haec tamen severe decreverim, ne muneri meo deessem, nihilominus afflictae familiae conditionem miseratus decreti executionem in trimestre tempus distuli, intra quod liceret haeredibus a Sede apostolica veniam ac forte indulgentiae quidpiam in futurum tempus obtinere.

Postea vero quum haeredes iidem ad amplissimum senatum Vestrum supplices confugerunt mihi vero datum fuit in mandatis ut inter alia de annuo capellaniae redditu et de gravi oratorum inopia referrem, ad haec duo responsum accepi a Vicario foraneo probato admodum viro; quoad redditum tamen hoc animadverto, certum quidem videri tenuiorem esse illum quam ecclesiae capellaniae dignitas ferret, cum in ipsis primaevae institutionis tabulis ad quatuor dumtaxat scutata et obolos quinque supra nonaginta pertingere declaretur, haud facile tamen esset, certum ejus modum cognosci, quandoquidem acta visitationis cl. m. Episcopi Filipponi ad scutata quinque et ob. septem supra quinquaginta eumdem augeant. Oneri tamen missarum satis foret vel prior ille quem descripsi reddituum modus, quoniam pro manuali, quam vocant, eleemosyna quindecim obolos dioecesana synodus constituit adeo ut viginti quinque missarum celebratio non amplius quam tria scutata et obolos viginti quinque desideret.

His expositis, ut meam ego sententiam expromam, hoc animadverto, pluribus exemplis comperuisse me, quam facile sacrum ecclesiae patrimonium cum privatis familiae rebus laici homines commisceant quam licentiam reprimi severius oporteat. Quocirca praeteriti quidem errati veniam juris amissi recuperatione facile dandam: at in futurum tempus nihil amplius indulgendam arbitrarem, quam ut quinquennio vel septennio liceat oratoribus bonis capellaniae, de qua agitur, propriis uti fruique, ita tamen ut ejusdem capellaniae oneribus plene satisfaciant eaque in publicis tabulis ex lege Principis inscribenda quamprimum curent.

Videant nunc EE. PP., utrum expediat capellaniae suspensionem et petitam administrationem indulgere.

Petita sane administratio secumfert suspensionem nominationis propterea diuturnam vacationem beneficii, quae nedum voluntati fundatoris sed dispositioni etiam juris adversatur, teste *Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. n. 2.* et *s. Congr. in Collen. 30. Aug. 1788.* et in *Camerinen. Suspensionis Nominat. 12. Febr. 1813.* Verum ex aequitate canonica patrono egenti succurritur, si ad inopiam vergat, cum charitas christiana non sinat, ut stipes quaeritare cogatur, aliquando per suspensionem nominationis, ut impletis oneribus reliqui fructus erogentur in levandam patronorum inopiam, ut in *Montis Regalis Capellaniarum 23. Novembris 1793;* aliquando vero per administrationem beneficii ut in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786.*

Solemnis hanc in rem sanctio extat *Concil. Toletani IV. can. 37.* quae jubet, ut patroni eorumque filii redacti ad inopiam ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu recipiant, et Clemens III. *in cap. Nobis 25. de jureptr.* expresse praecipit, quod si patronus ad inopiam vergat ab ecclesia illi modeste succurratur. Unde haec s. Congregatio indigenti patrono saepe auxiliata est per concessionem administrationis, ut in *Segovien. Capellaniae 17. Novembris 1731* et in *Asculana Dispensationis 22. Junii 1805*

Hinc quaestio inter canonistas, num paupertas patroni esse debeat absoluta, ita ut non habeat unde vitam ducere possit, ut tradit *Barbos. juris eccl. univers. lib. 3. cap. 12. n. 17*, seu potius respectiva ita ut patronus vivere nequeat pro suo gradu et conditione ut tradit *Fargna de jurep. part. I. can. 3. cap. I. num. 8.* Haec tamen dissidens opinio conciliata videtur ex resolutionibus s hujus Congregationis. Ubi enim agitur de suspendendis ipsis missarum oneribus ad levandam paupertatem patroni, tunc certe requirit paupertatem absolutam, ut in *Camerinen. 20. Aug. 1794 et 27. Novembris 1786.* Si vero actum sit de sola suspensione nominationis, ut impletis oneribus patronus superextantes redditus percipiat, tunc sane respexit etiam ad paupertatem respectivam ut in *Asculana Dispensationis 23. Maji 1786* et in *Aquen. Capellaniae 20. Januarii et 3. Februarii 1787.* De paupertate vero absoluta Simeonis et haeredum Panetta ineluctabile documentum praebet fides rectoris paroeciae, quae ab Episcopo confirmatur.

Animadvertendum est insuper, quod nunquam sequuta est capellani nominatio et institutio, incipiendo a die fundationis usque ad praesens tempus, quod lapsum 123 annorum comprehendit. Observantia igitur centenaria praesumptionem inducit cujuscumque melioris tituli etiam adversus legem synodalem, ut statuit *Rota in Tudertina Immissionis 13. Marti 1798. §. 6. coram Emo Cesarei.*

Quum ergo centenaria consuetudo suppeditet meliorem titulum, ut ajunt, de mundo videant EE. PP. si haeredes Panetta jus habeant ad aliquid veniae obtinendum, praesertim quoad petitam nominationis suspensionem necnon capellaniae administrationem, ut impletis oneribus superextantes redditus percipere possint ad suplevandam onerum inopiam.

At ne fundi pereant, praescribenda erit inscriptio hypothecaria, quam leges praecipiunt docto apud Episcopum de annuo eorum adimplemento

His expositis Vestrum nunc erit EE. PP. respondere

Dubio:

An et quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, juxta votum Episcopi administratoris, qui interim curet fieri inscriptionem hypothecariam super bonis capellaniae; et quoad praeteritum celebratis quatuor missis lectis pro gratia absolutionis et condonationis fructuum facto verbo cum Sanctissimo.

Die 25. Jan. et 22. Febr. 1823.

IV. Iterata.

(In commod. paup. Patroni.)

Vd. supra n. I. p. 639; n. III. p. 645; t. II. p. 927. d.

Perusina.

Petiit tertio Theresia vidua Neri a s. Congregatione sub die 17. Sept. 1842 ut suspensa ad aliud quinquennium nominatione trium capellaniarum, quas Joannes Maria Perotti de anno 1664 in Perusina Cathedrali erexerat, illarum redditus tunc primum ex missarum reductione augendus in suae pauperis familiae levamen cederet dempta etiam conditione, quae rescripto ejusdem s. Congregationis diei 13. Febr. 1841 adjecta fuerat scilicet ut ejusdem filius Franciscus in seminario aleretur; cui petitioni etiam alio nomine Stephani Ricci accessit, qui alter ex patronis senectaeque suae aetatis intuitu aequam sibi reddituum partem vindicabat. Precibus hisce annuit benigne s O. Sic namque quatuor propositis dubiis:

I. An et quomodo sit servandum indultum Theresiae Neri concessum sub anno 1841 etiamsi ejusdem filius extra seminarium degat in casu?

II. An et quomodo concedenda sit missarum reductio in casu?

III. An et quomodo annuendum sit precibus Stephani Ricci in casu?

IV. An et quomodo annuendum sit precibus administratoris capellaniarum in casu?

placuit respondere

Ad I: Affirmative ut in sequentibus.

Ad II: Affirmative juxta votum Episcopi durante indulto die 13. Febr. 1841.

Ad III: Affirmative pro annua summa scutorum quatuordecim durante indulto 13. Februarii 1841.

Ad IV: Affirmative juxta modum nimirum impletis oneribus ut in secundo et tertio dubio: solutis viduae Neri scutis annuis 46 reliqua summa erogetur in reparatione et melioramentis juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo quoad omnia.

Desivit quoque quinquennale hoc indultum mense Februarii superioris anni et vidua Neri gravioribus familiae aerumnis compulsa continuo preces iteravit.

Verum obstant ejusmodi petitioni nedum Stephanus Ricci qui sibi integrum capellaniarum emolumentum adsciscere studet sed etiam alter ipsius minor frater Benedictus medicam exercens artem in oppido Purano Urbevetanae dioecesis nunc primum supplici urgens libello uti sui etiam favore subsidium in scutis quinquaginta annuis decernatur proferens et ipsius suae familiae angustias quod confirmat etiam testimonio parochi.

Super precibus Theresiae ac Stephani requisivi Episcopum Civitatis Plebis a quo accepi tum assensum patroni Petri Venanzi ad quem unice nunc jus praesentandi spectat tum relationem status capellaniarum ab administratore exhibitam ex qua haec in facto deprehenduntur: Scilicet aes alienum scutatorum 209 favore anteacti administratoris dimissum undequaquam fuisse: redditus annuos nunc evehi ad scutata trecentum ex quibus prae erogatis scut. 204. 59 pro oneribus realibus necnon integra satisfactione missarum ad formam fundationis super extantia scutata 95. 41 autumat ita dispesci posse, ut scutata 70 viduae Neri, scutata vero 80 Stephano Ricci tribuantur nulla hactenus ratione habita de altero oratore Benedicto quia nondum hujusce petitio ipsi innotuerat. Quoad manutentionem ac reparationem fundorum cum reliqua scutata 5. 40 his oneribus imparia agnoscat ideo proponit ac postulat, ut reductio missarum ferialium pro duabus ex tribus partibus concedatur scilicet ex numero 450 celebrandas esse tantum 120 firma tamen manente celebratione missarum dierum festorum ad numerum 246 atque ita ait erogari utiliter in dictam causam possent quotannis scuta 50. 41.

Hujusmodi administratoris sententiae libenter et ipse Episcopus subscribit hoc unum in sua epistola addens, quod si forte contingat, ut novo prorogationis quinquennio diem supremum obeat Stephanus Ricci annis non minus ac malis misere plenus bono oratricis et filiorum ejusdem annua ea viginti scutata, quae ille vivens perciperet putarem concedi posse sed omni absque spe gratiae futurae cum major jam sit filius et filiae sint quoque aetate, ut sibi consulant.

Precibus autem Benedicti quamvis vidua obsistat asserens in eo indigentiae statu haud versari, quo succurrendum ex praesumpta fundatoris voluntate ipsi sit de bonis piorum legatorum, nec aequum esse, ut praeter Stephanum qui caput familiae Ricci est alter etiam frater minor natu ejusdem rei particeps fiat, attamen suffragatur apprime votum Episcopi Perusini, ita se habens: »Quando de alimentis ex patronato beneficio percipiendis agitur . . . . . indiscriminatim tum activis sum passivis patronis solet succurri. Cumque orator Benedictus Ricci suam cum testatore propinquitatem ac propterea se unum ex patronis (passive vocatis) probaverit haud ambigendum esse reor de bono jure, quo se donatum in precibus adfirmat; cui bono juri etiam factum respondere videtur familiaris videlicet rei inopia uti conjicere est ex parochi testimonio. Quanta vero stipes eidem ex capellaniae redditibus possit assignari EE. VV. est judicare habito respectu ad trium postulantium patronorum majorem vel minorem egestatem, proximiorem cum testatore necessitudinem atque ad capellaniarum proventus et onera necnon et inspectis iis decretis, quae idem iste concessus Vester bis in hac eadem causa protulit.

Est igitur hodierna die disquirendum quanam ratione oratorum preces excipiendae sint necne, quod satis ex hactenus relatis statui posse arbitramur. Quidquid namque sit de aemulatione, qua sibi invicem oratores intemperanter alimenta adimere conantur, quoad viduam Neri ac Stephanum Ricci ambigi haud posse videtur easdem vel forte graviores causas perseverare queis ipsi indultum suspensionis a nominatione ab initio sibi conciliarunt. Episcopus namque testatur oratricem »undique angustiis premi bonorum fortunae inopia.« Stephani vero ingravescens senectus commiseratione magis digna videtur. Quibus in casibus s. haec Congregatio prorogationem indulti in patronorum levamen concedere haud renuit prout frequentia docent in thesauro resolutionum exempla.

Quoad Benedictum pro quo alterum addimus in calce dubium perpendendum erit num in ea is versetur conditione, quae juxta s. Ordinis disciplinam requiritur, ut quis ex bonis piorum legatorum sublevetur. Sane ex stipe quam ob medicae artis exercitium ipse percipit victum sibi suaeque filiae comparare posse haud ambigerem ast cum agatur de patrono legitima causa suspensionis ac reductionis est etiam paupertas relativa ceu

probant exempla de hac ipsa causa relativa in folio diei 22. Nov. 1818. §: Pluries. Ubi igitur lubeat in subsidiorum partem eum admittere diversa prorsus ineunda esset reddituum reductio ab ea, quam confixit administrator ni forte EE. PP. judicaverint reductionem missarum ad tramites praecedentis rescripti prorogandam esse vel ex summa scut. 50. 41 aliquid detrahi posse censuerint.

Sed optime haec omnia definient EE. VV. ea qua praestant sapientia ac aequitate sequentia dirimentes

Dubia:

I. *An et quomodo sit concedenda prorogatio indulti favore Theresiae Neri et Stephani Ricci in casu?*

II. *An et quomodo annuendum sit precibus Benedicti Ricci in casu?*

III. *An et quomodo concedenda sit missarum reductio in casu?*

IV. *An et quomodo annuendum sit precibus administratoris capellaniarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad aliud Quinquennium juxta modum nempe firma remanente suspensione capellaniarum satisfactisque oneribus ad formam fundationis traduntur viduae Neri scuta sexaginta et Stephano scuta viginti, reliqua vero erogentur pro manutentione fundorum facto verbo cum Sanctissimo.

Ad II: Non expedire.

Ad III. et IV: Provisum in primo.

Die 27. Mart. et 24. Apr. 1847.

Mandelen.

Ex testamento Franciscae Teofili diei 5. Nov. 1767 capellania ecclesiastica erecta est sub invocatione s. Annae in ecclesia parochiali Nerulae oppidi olim Sabinensis modo Mandelensis dioecesis. Capellano onera ex lege testamenti injuncta sunt adsistendi divinis functionibus in eadem haberi solitis itemque celebrandi quinque missas in singulas hebdomadas, quas tempore subsequenti ad tres coercitas fuisse colligitur. Redditus inpraesens ad scutata quinquaginta quotannis ascendunt. Juspatronatus testatrix reservatum attributumque voluit Valentino Clementi e suoi figli eredi e successori in infinito semper et quandocumque addita diserte facultate nominandi etiam clericum. Tandem caducitatis *) a jure-patronatus poenam inflixit per codicillos si conditionibus positis factum satis minime fuisset.

Ultimus hujusce capellaniae rector fuit Franciscus Orlandi Sapienza idemque parochus oppidi Nerulae, qui cum animarum curam dimisisset suamque domum Neapolim transtulisset capellaniae nuntium mittere constituit hac conditione, ut Augustinus Clementi capellaniae patronus quinquaginta scutorum summam quam ipse in domo beneficiali reficienda insumpserat sibi rependeret idemque patronus ab hac s. Congregatione indultum retinendi in statu laicali dimittendam capellaniam exposceret. Cum reipsa idem Clementi preces in hunc sensum obtulisset s. Congregatio auditis interesse habentibus acceptaque propitia Mandelensis Episcopi sententia et habita ratione gravissimae paupertatis qua laborabat orator sub die 12. Aug. 1857 rescripsit etc: praevia dimissione tituli enunciatae capellaniae a sacerdote Francisco Orlandi Sapienza facienda pro gratia suspensionis, nominationis ac reductionis missarum ad unam qualibet hebdomada deputato tamen idoneo ecclesiastico etc, qui completis oneribus residuales redditus tradat oratori titulo alimentorum arbitrio et conscientia Episcopi, docto etc. ad decennium.

Hujusmodi rescriptum executionem rite sortitum est Episcopi decreto diei 9. Oct. ejusdem anni. At vero miserimo oratori parum superfuit temporis, quo gratia frueretur die namque undecima Novembris insequentis diem supremum obivit. Cum vero a defuncto oratore scutata quinquaginta capellano persoluta fuissent itemque expensae pro decreti executione in scutatis 18. 78 aliaeque non tenues ab eodem perlatae essent Rosa demortui vidua ejusdem haeres intestata omnimodae cognationis et agnationis ab eo relictum defectum juspatronatus, quod uti haereditarium reputabat, sed ad se unice pervenisse contendens supplex hanc s. Congregationem mense Aprilis adiit, ut rescriptum favore demortui mariti impertitum sibi ad decennium prorogaretur. Postulabat insuper ut nulla haberetur ratio bullarum institutionis in hoc intervallo temporis a Mandelensi curia expeditarum favore sacerdotis Alexandri Teofili.

Ut enim postea compertum est ex novis literis Episcopi cui viduae preces ex s. Ordinis

*) Vd. *t. II. p. 351. d.*

disciplina remissae fuerant cognito vix Augustini obitu Laurentius Teofili de familia eveniente caducitatis casu per codicillos a testatore vocata minime dubitans ut indultum diei 12. Aug. 1857 expirasse et juspatronatus sibi delatum sacerdotem praedictum filium suum ad capellaniam nominavit ac Episcopo Mandelensi praesentavit. Qua accepta nominatione idem Episcopus ad valvas tum curiae episcopalis tum ecclesiae parochialis Nerulae edicta affigi curavit, quibus omnes interesse habentes ad contradicendum praestituto tempore invitabat; quo inutiliter elapso curia Mandelensis die 19. April. bullas institutionis expediverat quibus instructus Alexander capellaniae possessionem aquisivit.

Referebat Episcopus memoratis modo epistolis sese Laurentium Teofili super viduae precibus audivisse, qui pro suo bono jure circa patronatum tuendo deductionum folium eidem tradidit huic s. Congregationi ab ipso Episcopo transmissum. Quo quidem in folio cum asseruisset Laurentius editum fuisse contra Clementi familiam decretum caducitatis a R. P. D. Foscolo haec s. C. requisivit ab eodem Episcopo hujusce decreti exemplar itemque mandavit, ut referat an judicialiter eadem familia inficiata sit in quam fuerit emanatum cuducitatis decretum et a quonam peracta fuerit nominatio postrema rectoris Francisci Orlandi Sapienza At vero peractis debitis inquisitionibus nihil inventum est circa adsertum decretum neque proinde ullum extitit indicium, quo pateat familiam Clementi eidem decreto oppositionem fecisse. Tantummodo monumentum compertum est in decretis s. visitationis cl. m. Card. Odescalchi anni 1835 ac 1836. Et sane extat exemplar bullarum institutionis Petro Teofili die 9. Sept. anni 1825 a R. P. D. Archiepiscopo Corcirensi cl. m. Card. Avezzo delegato datarum, quae in publicis romani regestri tabulis etiam inscriptae fuisse leguntur.

Jamvero ex eisdem bullis eruitur Clementem Augustini fratrem (qui aliquot abhinc annis et ipse ad plures abierat) capellaniae possessorem eandem abdicasse omniaque sua jura pro una vice Joanni Fedili Teofili obtenta apostolica venia cessisse. Cum tamen collatio ad Episcopum Sabinensem esset pro ea vice ordinario jure devoluta quia tam familia Clementi quam Fidelis Teofili nominare neglexerunt tempore a S. C. C. praefinito idcirco capellania eidem Petro Teofili ordinaria potestate*) conferebatur. Ultimi vero possessoris nempe Francisci Orlandi Sapienza nominatio a fratribus Clemente et Augustino Clementi absoluta fuisse ex ipsius Teofili folio renuntiabatur.

Quod vero pertinet ad meritum supplicis libelli a vidua porrecti conciliatio quae ab Alexandro proposita fuerat Episcopi ipsius verbis ita se habet: »Interim capellanus actualis Alexander Teofili motus commiseratione erga Rosam viduam Clementi et ad omnem litem removendam inter ipsum et oratricem suas allatas rationes concludit conciliationem aliquam exhibendo videlicet quod idem indultum ad decennium jam ab Augustino Clementi obtentum expiratumque ejus morte nova interveniente facultate prorogari posset favore ipsius oratricis ita tamen ut remanente in pacifica capellaniae possessione ipso Alexandro et jurepatronatus familiae suae quidquid ex redditibus capellaniae supererit adimpletis oneribus inter capellanum ipsum et praefatam viduam vel aeque dividantur reddita quotannis redditumm perceptorum ratione aut ipsi viduae tantum scutata duodecim assignentur subsidii titulo.«

Hactenus factorum series; nunc ad partium enucleanda jura gradum facio. Contendit Alexander Teofili indultum a demortuo Augustino impetratum personale prorsus fuisse adeoque ad alias personas de sui natura extendi non posse eoque magis, quod apertis verbis alimentorum titulo illud impetratum fuerit, quae causa eodem Augustino vita functo omnino defecit. Quibus positis necessario sequitur quod indultum ipsum a die mortis ipsius expiraverit ac capellania de qua res est et jure et facto vacare inceperit. Itaque nihil magis pronum erat quam ut patronorum nominationi explendae locus fieret.

Jamvero patronatus duplici de causa ad familiam Laurentii Teofili pertinebat primo nempe quod familia Clementi ab omni jure deciderat cujus rei licet positivum documentum nequiverit inveniri ob immutatum dioeceseos statum tum cum Mandelensis ecclesia erecta est eidemque Nerolae oppidum adjunctum, communis tamen eo in loco fama est caducitatis decretum reapse a R. P. D. Foscolo anno 1822 editum fuisse, secundo vero quia in actis s. visitationis pientissimi viri Card. Odeschalchi annis 1835 et 1836 ut supra

*) Vd. *t. II. p. 413. II.*

relatum est conceptis verbis adnotatur, quod juspatronatus in familia Teofili maneret.

Subinde Augustini mors illud fecit, ut quamvis quae modo dicta sunt minime vellent attendi substitutioni a testatrice in sui testamenti tabulis praestitutae aditus patefieret scilicet favore familiae Teofili perspicue vocatae in codicilli verbis.

Cum igitur Laurentius Teofili reapse jurispatronatus exercendi facultatem acquisivisset optimo jure filium suum nempe Alexandrum nominavit et curiae Mandelensi praesentavit. Curia vero nihil omisit quod ad institutionem canonicam largiendum ex ss. canonum praescripto necessarium esset. Namque edicta publice affixit ac terminum a jure canonico praefinitum expectavit; cumque nemo contradictor adstitisset non potuit amplius bullares literas Alexandro denegare, quibus capellaniae possessionem quam modo obtinet optimo jure posset adire.

Neque vero vidua Augustini Clementi ignorantiam posset allegare primo enim sibi imputet si a Nerula ac Mandela absens edictorum affixionem ignoravit deinde necesse non erat vacationem ipsi renunciare quippe quae probe sciebat, quod Augustinus diem supremum clauserat itaque beneficium reapse vacaverat.

Hisce minime obstantibus Alexander viduae conditionem commiseratus non renuit quominus sibi retineat scutata quinquaginta, quae ab ipso ut capellaniae administratore ante captam ejusdem possessionem adhuc mortis Augustini inscio persoluta sunt. Praeterea a memorata conciliatione non abhorret, quam profecto eidem utilissimam foré non nemo videt.

Ast ex adversa parte haec réspondet vidua Clementi: Quidquid sit de expiratione indulti diei 12. Aug. 1857, quam ipsa impugnare non instat, benignitatem s. Congregationis implorat, ut ejusdem prorogationem in sui suaeque familiae utilitatem indulgere velit. Neque enim Alexandri praesentatio neque ejusdem canonica institutio impedimento esse non potest cum actus uterque utilitatis vitio absque dubio laboret. Certum namque est ex ipsius testamenti litera juspatronatus relictum fuisse Valentino Clementi ejusque haeredibus et successoribus. Jam vero ex hujusmodi verbis de communi doctorum sententia planum est juspatronatus de quo res est fuisse mere haereditarium. Et quamvis in omni hypothesi non haereditarium sed gentilitium esse contenderetur cum ex notissima theorica jus gentilitium in ultimo vocato evadat haereditarium sequitur necessario quod jus ipsum ad se uti Augustini haeredem translatum fuerit.

Itaque cum familia Teofili substitutionis titulo tantum veniat non in lineae defectu sed tantummodo in casu, quo conditiones a testatore impositae contemnantur, hinc est, quod familia Teofili jus adipisci non potest nisi caducitate per sententiam rite declarata executaque familia primo loco instituta locum eidem faciat. Perperam vero caducitatis decretum asseritur: nam primo necesse esset demonstrare, quod conditiones ob quarum inadimplementum testatrix caducitatis poenam instituit reapse omissae spretaeque fuerint, quod familia Clementi in judicium vocata fuerit, tandem quod judicio victa discesserit. At nihil horum concludenter demonstratur. Quinimo facile arguitur Alexandrum falso inniti supposito, etenim collatio jure devoluto ob negligentiam patronorum a R. P. D. Foscolo ut supra monuimus absoluta ex errore in vulgus dissita fons et origo fuise videtur unde caducitatis decretum ab eodem prodivisse putaretur.

Neque ullius momenti est memoria ex actis s. visitationis cl. m. Odescalchi anni 1835 et 1836 deprompta; id enim mera fuit assertio Petri Teofili possessoris, qui id temporis erat capellaniae, quem ex bullis eidem a R. P. D. Foscolo expeditis non ex nominatione familiae Teofili sed jure ordinario ob negligentiam patronorum capellania donatum fuisse perlegitur. Quinimo cum in iisdem bullis enuncietur eos de familia Clementi pro una vice ex apostolicae Sedis venia juspatronatus Joanni Teofili cessisse idemque jus exercere, utrosque neglexisse, ex hoc ipso uti certum ponitur, quod ipsi Clementi qui in ea vacatione a jure deciderant radicitus tamen jus conservarent et illud in posterum data vacatione juxta ss. canones exercere possent. Quod reapse praestiterunt in hisce duabus ultimis vacationibus ceu superius animadversum est.

Si igitur praesentatio fuit nulla, etiam fuit institutio. Episcopus enim non ex jure devoluto sed ex nominatione Teofili bullares literas sese dedisse testatur. In quo illud adnotat qui viduae partes agit, quod Episcopus paullo accuratius exquirere debuisset

an titulus a Laurentio Teofili pro praesentatione peragenda productus bono jure fulciretur cum praesertim ob literas paullo ante datas circa indultum ab Augustino editum probe sciret adesse Romae familiam Augustini Clementi in qua demortui istius jura inhaerebant.

Neque officit si vertente quadrimestri vidua non comparuit. Agitur de muliercula rerum canonicarum ignara, quae alienis consiliis rationem agendi suam conformare cogitur quaeque profecto ignorabat, quid apud Mandelensem curiam perpetraretur, ut quilibet per se animo sibi potest effingere. Jam vero compertum est quodlibet impedimentum non improbabile praeservare posse jura patronorum, ut doctorum sententia firmat, *Vivian. de jurepatr. p. 2. l. 7. c. 2. n. 7*, *Rota coram Merlin. dec. 221. n. 11* aliique communiter. Devolutio siquidem hisce in casibus introducta est in poenam negligentiae patronorum, *Gonzalez. ad reg. 8. canc. §. 5. praem. n. 144*, *Rota decis. 184. n. 14. coram Cerro.* Atque adeo absentia a loco beneficii causa est excusationis, ut docet *de Luca de jurepatr. disc. c. 4. n. 10*, *Vivian. eodem tract. l. 7. c. 2. n. 11.* Hisce accedit, quod cum Episcopum non lateret Romae superesse familiam Clementi non solum edicta ad valvas cancellariae et ecclesiae Nerulae publicare debuisset sed etiam necesse erat ut speciali citatione familiam ipsam Clementi admoneret quemadmodum in simili absentiae patroni ab Episcopo probe cognitae casu apertissime docet *Rota in Hortanen. Beneficii diei 10. Dec. 1808 coram Crispo apud Fargnam p. III. cap. un. cas. 1. n. 35. et 36* pluribus in id allatis doctorum aliarumque decisionum auctoritatibus, ibi: Verum cum Ordinario esset optime nota et certa persona patroni praesentare debentis ex quo in duobus anteactis vacationibus praesentaverat et praesentationes autorizatae extiterant cum ipsius Ordinarii successivis institutionibus, necesse erat ut speciali citatione ille absens monitus et excitatus fuisset ad praesentandum non vero per edictum generale affixum in civitate Hostumensi ubi patronus non residet, qua speciali notificatione deficiente ipsius juri nominandi non potuit esse detractum sed illud in suo vigore intactum permansit ita ut donec et quousque certa scientia ad illum non doceatur pervenisse nullum tempus praejudiciale currere potuit.

Vindicata sic jurispatronatus proprietate demonstrataque nullitate institutionis canonicae Alexandro Teofili datae vidua concludit nullo se posse pacto conciliationi ab eodem propositae consensum praebere. Quod enim pertinet ad jurispatronatus proprietatem quando miserimae familiae suae nihil praeter paupertatem relinquere potest hoc saltem jus quod nepotibus suis in ecclesiastica militia initiandis viam aperire possit sartum tectum transmittere non nequit. Quod vero pertinet ad provisionem praebendae eadem vidua tota confidit in benignitate Eminentiarum Vestrarum notaque disciplina ecclesiae et peculiariter hujusce s. C. quae est, ut patronis indigentibus auxilium subsidiumque suppetatur ad *text. in cap. Quicumque de praebendis.* Quin aliquod obstet, quod eadem de sanguine testatricis non sit, nam neque Clementi Valentinus qui primum vocatus est talis erat. Subinde aequitas canonica e memorato canonici juris textu derivata communiter congruit patronis sive ex qualitate sanguinis sive haereditatis hoc jure praeditis, ut probat *Fargna cit. p. 1. con. III. cas. 3.* addita *Rota coram Scotto in Salernitana Alimentorum 12. Junii 1712.*

Jamvero quam gravis et summa sit viduae suaeque familiae paupertas ex ipsis parochi verbis eruitur.

Hisce praejactis sapientissimo Eminentiarum Vestrarum judicio subjicitur

Dubium:

An et quomodo sit locus prorogationi indulti 12. Aug. 1857 favore oratricis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad formam indulti facto verbo cum SSmo.

Die 18. Decbr. 1858.

25) Redintegratio.

Camerinen.

Vd. t. II. p. 580. p; 154. n 17; 142. n. 15.

Postremis tabulis die 25. Julii 1754 exaratis duplex addidit codicillum Ferdinandus Nicollini de Terra Serrae s. Quirici in Camerinensi dioecesi. In primo quod die 11. Junii 1742 subsignavit bina legavit praediola posita in regione vulgo *Meryo* quibus capellania excitaretur cum onere capellano per haeredes suos nominando celebrandi binas missas pro qualibet hebdomada. In altero confecto ad diem 13. Junii proxime secutam legatum ejusmodi abrogavit.

Defuncto testatore constat ejusdem haeredes nihil aliud perpetuo curasse, quam celebrationem binae missae per singulas hebdomadas ac retento sibi fundo capellaniae addicto Sacrorum dumtaxat eleemosynam sacerdoti celebranti pensitasse.

Anno 1821 die 3. Decembris Comes Antonius Giacobini bonorum memoratorum tunc haeres fundum positum in *Mergo* quem testator in capellaniae dotem constituerat libere transtulit emptionis venditionis contractu in Angelum Antonium Bocci.

Die 31. Julii 1830 ad s. hunc Ordinem confugit memoratus Angelus Antonius Bocci.

Archiepiscopus pluries his super precibus rogatus die primum 21. Martii edocuit: »Preces Angeli Antonii Bocci inniti veritati videntur. Siquidem ipse orator fortunae bonis fere destitutus et alieno aere gravatus majorem sui patrimonii partem in praedio de quo in precibus computat. Annuus ejusdem praedii redditus ex peritorum judicio penes acta curiae archiepiscopalis exhibito ad sc. 46. 30 assurgit ex quibus detractis oneribus juxta artis peritiam scutata supersunt 22. 33, quae tamen summa impendi deberet pro missarum celebratione in num. 104 a fundatore praefixo. Audito unico compatrono Antonio Giacobini de Staffolo Auximanae dioecesis hic suis literis liberum assensum praebuit. Audito vero plebano rectore ecclesiae s. Quirici in qua Sacra celebranda sunt attenta canonica causa in oratoris paupertate constituta pro missarum reductione morem ipse gessit supplicanti; renuit tamen pro earumdem translatione utpote populi commoditati obnoxia. Eleemosyna pro singulis missis impendenda utensilium onere sacristiae soluto ad obolos quatuordecim cum dimidio ascendit. Pro melioramentis tandem enunciati praedii nullae necessariae videntur extraordinariae expensae. Quare in votis essem, ut EE. VV. relate ad aliquam et temporaneam reductionem oratoris preces benigne exciperent.«

Deinde sub die 1. Martii anni sequentis quaesitus addidit: »Nullam in superius memorato venditionis contractu intercessisse auctoritatem, rectoris nominationem nunquam locum habuisse et onerum satisfactionem ecclesiae s. Quirici plebano plerumque ab interesse habentibus commissam fuisse.

Antequam oratoris preces examini subjiciuntur sese offert I. dubium super executione voluntatis testatoris. Enimvero legavit ille fundum pro dote capellaniae voluitque ut ab haeredibus suis capellanus nominaretur, qui sane capellaniae fructibus perfrui debuisset uti etiam ab exceptione facta per testatorem favore Augustini Lucidi satis. eruitur. Hinc porro designavit ecclesiam et aram pro missarum litatione ac patronos appellavit. Fundus nihilominus nunquam traditus est; imo vero alienatus extitit. Quin vero capellanus nominaretur missae dumtaxat celebratae sunt arbitrio haeredum, qui reliquos fructus suos effecerunt.

Itaque perpendant EE. VV. num redintegranda*) sit capellania in possessione fundi alienati etiam non oblato pretio ad *leg. 3 et 4. cod. de rei vindicat.* ut alias jussum est similibus in casibus in *Perusina Capellan. 15. Sept. 1827*, nuper in *Neap. diei 28. Julii 1838 ad I. dub.* Etenim etsi agatur de capellania mere laicali cujus bona rite possent absque apostolico beneplacito alienari, *Card. Petra ad const. Ambitiosae sect. 3. n. 26 et seq. t. 5* attamen vulgatum est ejus distrahendarum rerum arbitrium, qui earum pollet dominio vel saltem liberae administrationis fungitur officio, *cod. de reb. alienand. vel non lib. 1*, *Berard. jus eccl. cap. 3. append. de benef. impr.*, s. Congr. *in Perusina Capell. 15. Sept. 1827.* §. 5, quibus ferme facultatibus praedicti haeredes destituebantur.

Subinde decernant an quave ratione consulendum sit SSmo pro absolutione et condonatione fructuum hactenus ab haeredibus gravatis perceptorum, qui in capellani compendium cedere debuissent. Enimvero de eorum bona fide non ambigit Episcopus.

Ad praesens vero quod attinet declarent an nominandus sit capellanus vel quatenus praedium in manibus oratoris Bocci relinquere placuerit an sit annuendum ejusdem precibus super missarum reductione et libera celebratione.

Quoad Sacrorum reductionem quum fundi taxative assignati decrementum seu redditumm imminutio asseratur necnon paupertas emptoris cui gravati haeredis jura cessa sunt adeo ut in ejus compendium cedere debeat reductio quaelibet ad normam memorati instrumenti, justa satis adesse videretur causa ad Bened. XIV. *de synod. dioeces. lib. 13. cap ult. n. 32.* et s. Cong. *in Romana Reduct. 6. Augusti 1818.* Quibus accedit et patronorum consensus ceu liquido deponit Antistes.

*) Vd. *t. I. p. 467. y*; *456. r.*

Verum occurrit ex statu activo et passivo tum eo quem apud acta suae curiae extare innuit Episcopus tum eo quem ipse exhibet orator patere quod satisfactis etiam missarum oneribus simbola aliqua omnino libera in manibus gravati supersit. Atqui haec ubi obtineant onerum imminutio concedi non solet. S. C. *in Senogall. 28. April. 1827.* §. *Et quamvis.* Praeterea orator nihil cum testatoris familia commune habet adeo ut ejusdem favore exulet praesumpta illa pietas erga pauperes consanguineitate sibi junctos, quam pro causa ejusmodi reductionum titulo egestatis assignat *Card. de Luca de testam. disc. 72. n. 15.* Pro libera tandem missarum celebratione obtinenda nulla sane ratio in medium adducitur. Itaque rescribant EE. VV. ad

Dubia:

I. *An et quomodo redintegranda sit capellania in casu?*

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione et condonatione fructuum perceptorum in casu?*

Et quatenus affirmative ad I. dubium,

III. *An et quomodo sit locus nominationi capellani in casu?*

IV. *An potius et quomodo sit consulendum SSmo pro reductione et libera celebratione missarum favore oratoris Antonii Bocci in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative per vindicationem fundi a testatore legati sub die 13. Junii 1742 et Archiepiscopus curet transcriptionem in erectione capellaniae.

Ad II: Affirmative in omnibus.

Ad III: Affirmative ad formam Testamenti.

Ad IV: Provisum in praecedentibus.

Die 9. Maji et 6. Junii 1849.

26) Sacerdotalis quae est?

Vd. *Capellania* (clericalis p. 556; ecclesiast. p. 570. d; collatio in filios etc. p 556. n. 8; laicalis — possessor est sacerdos p. 609 —; t. II. p. 175. n. 22; 185. n. 27; 236. n. 31; supra p. 410. n. 29.

Nullius Nonantullae.

Profecto quam pluries s. H. O. regulam a Pignatellio traditam. *t. 7. consult. 2. n. 6. et seq.* amplexus est, qua ponitur sacerdotalem nec actu nec habitu renunciandam esse capellaniam aliquam nisi testator praeceperit capellanum per se ipsum celebrare debere vel nisi occurrant verba aequipolentia uti videre est in *Romana Capell. 29. Augusti 1722, in Januen. Capell. quoad I. dubium 17. April. 1736, in Maceraten. Mansionariae 6. Dec. 1738.*

Die 25. Febr. 1837.

Capellania dicitur sacerdotalis ubi rectori impositum est onus celebrandi per seipsum vel expresse vel saltem virtualiter.*) Quando autem virtualiter injunctum rectori dici queat onus celebrandi per seipsum, adi *Rot. in Derthusen. Beneficii 3. Junii 1741. cor. Illustrissimo Molino* ubi declarantur *decisiones, quae videntur contrariae.* Quod si nomen *presbyteri* seu *sacerdotis* referatur ad exercitium, beneficium est sacerdotale habitu**), sin autem referatur ad ipsum initium electionis seu praesentationis beneficium est sacerdotale actu. *Rota in Majoricen. Beneficii 27. Aprilis 1742. coram clar. mem. Calcagnin.*

Caeterum si nec expresse nec virtualiter fuerit capellano onus injunctum celebrandi per seipsum capellania dici nequit sacerdotalis tametsi dictum sit, quod capellanus sit presbyter et quidem idoneus et sufficiens ad celebrationem missae et divini officii. *Rot. in Imolen. Beneficii super institutione 13. Januarii 1744. cor. Molino.* Num idem obtineat si dictum sit, quod capellanus sit sacerdos? Vide Rot. *in Majoricen. Collegiat. 26. Aprilis 1743 cor. Thuun.*

Capellania in cujus erectione fundator sic disposuit: *Instituatur capellanus qui missas celebret*, non est sacerdotalis et conferri potest clerico quatuordecim annorum, *s. Congr. Conc. 15. Junii 1589* et saepe alibi et signanter *in Melevitana*, ut testatur *Fagnan. in cap. Ut Abbates 1. de aetat. et qualit. et ordine praeficiendorum num. 70.* Et ratio est, quia per illum modum loquendi significare voluit testator potius onus capellano impositum missas celebrandi, quam factum ipsum celebrationis missarum; non enim tale onus imponitur ei personaliter adimplendum sed potest adimplere vel per se vel per alium.

Capellania in cujus erectione fundator sic disposuit: *Eligatur capellanus vel sacerdos* non est sacerdotalis et potest etiam conferri simplici clerico annorum quatuordecim; et ratio est quia in disjunctivis sufficit, quod

*) Vd. *t. II. p. 164. n. 21. etc.*
**) Vd. *p. 410. b. notam* **)

propositio in una parte verificetur. *Glossa in cap. Ex parte* verb. *Perpetuo de rescriptis, Rota dec. 7. de rescriptis in novissimis.* Si enim debuisset esse sacerdos superflue fuisset apposita illa particula *capellanus* cum satis fuisset dicere, quod eligendus deberet esse sacerdos, nam eo ipso, quod sacerdos fuisset electus, immediate esset capellanus et juxta hunc sensum processit *Rota in Lucana Capellaniae 17. Decem. 1593. coram Card. Gyptio*, quam ad integrum refert *Garcias part. 7. de benefic. cap. 1. n. 79.*

Capellania hac conditione erecta: *Ut eligi debeat unus praebendarius, qui singulo quoque die teneatur missam celebrare et divinis officiis interesse* non est sacerdotalis et capellanus potest per alium missas celebrari facere, sic decisum fuisse a s. Cong. Concil. *in Placentina, Fagnan. loc. cit. n. 97.*

Capellania in cathedrali*) ecclesia sic fundata: *Ut capellanus debeat celebrare diu noctuque divinum officium* non requirit, ut capellanus debeat esse presbyter. Sic decrevisse s. Congreg. Concil. *in Pistoriensi et Abulensi* refert *Fagnan. loco cit. num. 72.* Et ratio est, quia verbum: *Celebret divinum officium* non refertur ad celebrationem missae, ut colligitur *ex Clementin. 9. §. Ne igitur de celebrat. missarum*, ubi *Zabar. num. 2.*

Capellania hac lege fundata, *ut capellanus per seipsum missas celebrare teneatur* conferri potest simplici clerico in ea tamen aetate, ut infra annum**) possit in sacerdotem ordinari, nisi alia essent verba in fundatione posita, quae requirerent obtinentem tempore collationis esse actu***) presbyterum. Sic expresse decisum a S. C. C. refert *Fagnan. in cap. Ut Abbates num. 52* et in *cap. Conquerente 6. de clericis non residentibus n. 29.* Et ratio est, quia in beneficiis sacerdotalibus sufficit habilitas proxima ad sacerdotium per textum *in c. Si 15. 2. de institutionibus in 6.* cum ibi notatis et Conc. *Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. Abb. et Dec. post Innocent. in cap. Cum in cunctis* §. *Inferiora de electione, Rolan. cons. 42. num. 59. lib. 1* ubi testatur de communi et in terminis capellaniae sacerdotalis de recepta opinione testatur *Navarr. consil. 7. in fine de praebend., Marchin., tract. 3. de Sacrific. missae part. 2. cap. 29. n. 70.*

Capellania in cujus erectione habentur similia verba: »Legavit dictae ecclesiae collegiatae duplas octoginta pro constituenda et erigenda una praebenda sacerdotali in dicta ecclesia cum onere, ut praebendarius nominandus et eligendus ad dictam praebendam teneatur singula hebdomada celebrare missas duas in ecclesia« non requirit praesentandum esse actu sacerdotem sed sufficit, quod sit talis aetatis, ut infra annum promoveri possit ad sacerdotium. S. Congregatio Concilii *5. Januarii 1604* apud *Fagnan. loc. cit. num. 52.*

Capellania in cujus fundatione habentur consimilia verba: »Quilibet sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personalem in dicta ecclesia facere teneatur et singulis diebus quibus facultas et commoditas sibi aderit in dicta ecclesia teneatur missam devotione debita celebrare« non requirit, quod infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Sic s. Congr. Conc. *13. Junii 1608* apud *Fagnanum loc. cit. num. 52.*

Sic capellania erecta hac lege: »Usufructuarii teneantur manutenere unum capellanum seu presbyterum, qui omni die celebret et celebrare debeat missam unam in ecclesia per ipsum testatorem fundata etc. et post eorum obitum per N. et N. quos eligit in patronos dictae ecclesiae manuteneri debeant duo capellani, qui omni die residentiam faciant in dicta ecclesia et qui celebrent et celebrare debeant missam in eadem« est quidem capellania sacerdotalis sed satis est, ut ad eam praesentetur clericus in ea aetate constitutus, ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Eadem s. Congr. Concil. *22. Februar. 1614* apud Fagnan. *loco cit. n. 53.*

Capellaniae in Cathedralibus quarum capellani a capitulo electi *tenentur missas conventuales**) *canere et Divinis interesse* sunt sacerdotales aptitudine. Sic a s. Congregatione Concilii decisum fuisse refert *Fagnan. loco citato num. 53.*

Capellania in cujus erectione sic statuitur: *Eligatur sacerdos qui celebret* non requirit, ut praesentandus sit actu sacerdos sed sufficit ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Sic Gratianus *disceptat. forens. c. 134. n. 1* ubi adducit plures Rot. rom. decisiones. Annexio enim sacerdotii ad capellaniam seu beneficium intelligitur ibi facta per modum aptitudinis. Imo juxta illustrissimi ac reverendissimi DD. Joseph Mariae *Maraviglia*

*) Vd. *Capellanus Cathedr.*
**) Vd. *p. 410. n. 29; 413. n. 31.*
***) Vd. *p. 410. b. notam* **)

*) Vd. *t. I. p. 668. a; 750. X.*

Lege 218. Prudentia episcopalis neque necesse est, ut simplex clericus ad hanc capellaniam sic erectam et fundatam praesentatus et institutus ad sacerdotium unquam promoveatur. Non enim per illam clausulam designatur qualitas pro idoneitate eligendi sed qualitas muneris exercendi, quod cum per alium impleri possit non est intelligenda tamquam qualitas propria personae electae sed tamquam qualitas requisita ad satisfaciendum oneri cui satis est, quod per alium satisfiat. Sic ille.

Capellania in cujus fundatione sic disponitur: *Eligatur capellanus, qui actu sit sacerdos*, vel: *Non conferatur nisi presbytero* requirit necessario, quod praesentandus sit actualiter sacerdos. Sic communiter doctores cum *Gratiano discept. forens. cap. 133. num. 2.* Et ratio est clara, quia in hujusmodi dispositionibus habetur expressa mens testatoris exigentis qualitatem sacerdotii actualis a qua non potest recedi neque ab Ordinario etiam de consensu patronorum, ut censuit s. Congregatio Concilii teste *Fagnano in capit. Conquerente 6. de clericis non residentibus num. 24* et dixit Rota *in Alexandrina Decanatus coram Orano 12. Junii 1598.*

Capellania sic fundata: *Ut eligatur idoneus capellanus sacerdos, qui missam celebret* est sacerdotalis sed capellanus non tenetur inservire per seipsum et potest celebrare per alium.*) S. Congregat. Concil. *17. Novemb. 1604 et 3. April. 1620.*

27) Suspensio concessa et prorogata in sustentationem familiae.

Vd. *Beneficium* (Suspensio t. II. p. 917. II.); *Missa* (Suspensio); *Capellania* (nominationis suspensio p. 639.)

Januen.

Inter pia legata quibus donata est parochialis ecclesia a ss. Nicolao et Erasmo Vulturae nuncupata quatuor censentur capellaniae per familiam Cestino institutae congruaque dote instructae. Quid de prima et altera sanciverint testatrix Maria Antonia Cestino de anno 1751 et Laurentius Maria Cestino postremis tabulis anni 1771 perlegent EE. VV. in folio sub die 21. Augusti 1819, quod iterum typis consignatum distribuimus: De binis postremis disposuit Archipresbyter Antonius Maria Cestino sub eodem anno 1751. Jus nominandi et amovendi capellanum tribuit Archipresbyteris pro tempore in praedicta ecclesia declaratione emissa: *che sia preferito alla detta capellana in perpetuo il sacerdote più prossimo parente di esso testatore.*« In alterius vero capellaniae erectionem in eodem altari suscitandae erogari jussit universam substantiam suam quae superfuisset detractis legatis onusque adjicit capellano uti superius eligendo quotidiani Sacri et adsistendi divinis officiis in praedicta ecclesia. Bonorum curationem pariter commisit Archipresbytero, qui redditus omnes capellano praestare debuisset.

Sub die 21. Augusti 1819 Franciscus, Joseph, Joannes, Achiles et Magdalena una cum matre vidua Francisci Cestini cum essent de familia testatorum et passive vocati ad explenda onera capellaniarum cumque gravi premerentur inopia, postulaverunt nedum missarum reductionem pertinentium ad duas priores capellanias, de quibus sermonem habui, sed etiam earumdem suspensionem, ut ex illarum redditibus aliquod miserimae vitae subsidium consequerentur, obtinueruntque revera, cum proposito dubio:

1) *An et ad quod tempus sit locus suspensioni nominationis capellaniarum in casu?*

2) *An et quomodo sint reducenda onera missarum in casu?*

S. Ordo respondit

Ad 1: *Affirmative ad decennium.*

Ad 2: *Affirmative ad duas missas in quolibet mense ad decennium applicandas, novem pro capellania M. Antoniae Cestino et 15 pro capellania Laurentii Cestino, facto verbo cum SSmo.* Sanctissimus autem benigne approbavit ex audientia diei 29. Augusti ejusdem mensis et anni. Immo quum expleto decennio preces oblatae fuerint ab iisdem oratoribus pro indulti prorogatione, benigne annuit pro gratia ad aliud decennium arbitrio et conscientia Vicarii gen. in audientia diei 21. Septembris 1829.

Iisdem hodie pressi angustiis oratores praedicti (matre vidua excepta quae ad plures abiit) ejusdem gratiae prorogationem expetunt ad aliud decennium; ac praeterea quum indigentia familiae aucta fuerit, auctis ad duodecim ejusdem individuis, quorum alter mente aberratus prostat, bini oculorum sensu fere carentes, ceteri ad victum sibi comparandum inhabiles, postulant etiam

*) Vd. *t. II. p. 173. c.*

ut binae postremae capellaniae suspendantur oneraque redigantur ad eorum subsidium.

Super utriusque precibus rogatus Emmus Archiepiscopus praesertim, ut audito Archipresbytero referret de causis indulgendi et de annuo redditu et oneribus utriusque capellaniae fundatae ab Archipresbytero Antonio M. Cestino, retulit quidem parochum praedictum oratoris precibus prae viribus obstare *utpote populi commodo ecclesiaeque cultui nocentibus: oratorum fassus est angustissimam esse conditionem nec habere eos quae sunt ad vitam necessaria pro familiae substentatione*; animi sui sententiam iisdem ex parte favorabilem aperuit inquiens: Quapropter iis innixus, quod oratores et propinqui sunt testatorum ad jus passivum vocati et miseri et egeni, iisdem perdurantibus circumstantiis, quae animum s. C. ad priorem concessionem moverunt, ulteriori primarum capellaniarum reductioni assentiri posse censerem, hac lege tamen ut quotannis Ordinario Januensi docere teneantur de fideli adimpleto firmis semper remanentibus oneribus aliarum capellaniarum a R. Archipresbytero Antonio M. in earum fundatione praescriptis. Ast de postremis hisce capellaniis tam circa earum indolem quam redditus aliaque scitu necessaria uno verbo se expedivit: Archipresbyter . . . institutor binarum capellaniarum, quarum redditus ignoratur. Quae cum rectam rei notitiam desiderari adhuc sinerent iterum iterumque praefatam curiam rogavi ut desuper s. Congregationem instrueret, unum vero habui responsum, quod subjicio: »Circa preces oblatas etc. . . . . assentiri posse censerem prorogationi indulti reductionis. Ad capellanias quod attinet institutas a quondam Archipresbytero Antonio Maria Cestino mihi videretur non indulgendum, cum harum una de patroni consensu constituta sit sacri patrimonii titulo favore cujusdam sacerdotis, altera autem nunquam fundata fuerit.

Interim oratores exhibita copia authentica testamenti, unde fundationis capellaniarum leges eruere mihi datum est, urgebant ut causa proponeretur, frustra instetisse apud archipresbyterum vel archiepiscopalem curiam contestantes pro obtinendis ulterioribus rei notitiis. Has autem inducias praedicti Archipresbyteri tricis tribuunt; cujus in hoc negocio agendi ratio jam s. Ordini apprime cognita fuit quando actum est de s. Ordinis rescripto sub anno 1829 executioni tradendo: quod enim et quantum molitus ille fuerit, ut justitiae viam praepediret quibusque modis coercitus sit, constat satis ex actis s. Congregationis. Quare a causa EE. VV. judicio subjicienda abstinere non potui.

Videant itaque EE. VV. quid oratorum precibus reponendum sit. Quoad binas priores capellanias erudite satis plura animadversa leguntur in folio anni 1819: easdem vero perseverare oratorum circumstantias pacificum est. Quoad binas posteriores decernant, quid in tanta rerum obscuritate statui tutius expediat. Ignoratur enim, ut innui, quinam sint capellaniarum redditus, quaenam ex iis erecta prostet et sacerdoti constituta in sacrum patrimonium, quaenam et quibus de causis fundata non fuerit. Oratores exponunt eam pessumdatam fuisse, quae ex universa haereditate, deductis legatis, constituta quidem est; at Archipresbyterum administratorem pro tempore designatum universa fere ejusdem bona alienasse et absumpsisse. Ex utriusque interim fructibus flagitant indigentiae suae subsidium, dum Emus Archiepiscopus ex neutra aliquid assignari posse clamat, quia altera suo rectore potitur, altera erecta non est. Sapientia PP. EE. suggeret quid consilii sit capiendum dirimendo

Dubia:

I. *An et quomodo sit proroganda suspensio capellaniarum et reductio missarum in casu?*

II. *An et quomodo sit annuendum precibus super suspensione capellaniarum ab Archipresbytero Antonio M. Cestino institutarum et reductione onerum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad aliud decennium ad formam praecedentium a die expirati ultimi indulti facto verbo cum SSmo.

Ad II: Dilata, et Emus Archiepiscopus auditis praesertim in scriptis Archipresbytero ecclesiae ss. Nicolai et Erasmi dignetur referre de valore, annuo redditu et oneribus bonorum utriusque capellaniae ab Archipresbytero Antonio Maria Cestino demandatae tam de tempore obitus fundatoris quam de praesenti utrum ad formam testamenti onera adimpleantur et quare altera capellania erecta non fuerit.

Die 26. Junii 1841.

Continuatio Januen.

Mirum profectum quid insudatum fuerit, ut super altero dubio quod hodie reproponitur expetitae notitiae transmitterentur. Primo quidem altas movit querelas orator Joseph Cestino de tricis et obstaculis ab hodierno parocho ss. Nicolai et Erasmi paratis ne ejus preces effectum sortirentur ac neglectae manerent opportunis notitiis retardatis vel impeditis obtestatusque est bona pro altera capellania assignata scilicet ea quae ex bonis haereditariis institui debuissent disperiisse ipsius ejusque parochiae parentum malitia.

Preces quamvis pro sui notitia et ad effectum adhibendi media necessaria fuerint ad Emum Archiepiscopum ablegatae, ut quo citius fieri posset s. Ordinem instrueret, tamen nonnisi ineunte anno praesenti post duplicem urgentiorem epistolam responsum haberi potuit, quod EE. VV. oculis subjicio:

Ex cognitionibus in rem tutissime accitis apprime constat . . . . D. Joseph Cestino duabus ex quatuor capellaniis de quibus agitur frui viginti circiter ab hinc annis. Tertiam vero patrimonii titulo concessam fuisse ab uno ex antecessoribus Archipresbyteris ss. Nicolai et Erasmi, qui ejus conferendi facultate ex testamento pollent tanquam ejusdem administratores. Ex quo etiam colligitur praedictum D. Cestino nullo patronatus jure gaudere.

Haec autem, quae primum in libello ab ipso exhibito refertur, capellania super terrulla fundatur vineis consita ac domibus, quae eidem inhaerent. Totius autem hujus redditus (consuetis expensis ac vectigalibus deductis) bis centum pedemontanis seu gallis libellis ex peritorum sententia in singulos annos aestimatur. Qui annuus proventus cum satis esse haud videretur congruae ac honestae sacerdotis sustentationi nec praesto revera esset, qui tam modica ac tenui eleemosyna quotidie Sacrificium perageret supplices literae ad s. C. datae fuerunt a qua indultum est, ut eleemosyna cujusque Sacrificii ad centum triginta centesima (L. 1. 30.) augeretur: ita ut ex eo annuo redditu tot celebrarentur missae quot ex ea eleemosynae supputatione superessent, quod cum ad septennium tantum a s. isthac Congregatione fuisset indultum iterum benigne concessum est. Quam vero ob causam quarta etiam capellania instituta reipsa non sit post lapsum centum ferme annorum salebrosum est inquirere nec satis tuta monumenta supersunt. Non praeterea tamen quod memoriae proditum est quodque a veritate abhorrere nemo facile dixerit scilicet Archipresbyterum Antonium M. Cestino fratrem reliquisse sibi superstitem Laurentium nomine ac natu majorem, cui cum ille grandem deberet pecuniam ejus bonis saltem ad pecuniam usque sibi debitam potitum fuisse dicitur idque in casu fuisse ut quarta ea capellania penitus intercideret.

Juvat etiam ad uberiorem rei notitiam animadvertere praeter oratorem Cestino qui ad s. Congregationem recursum habuit alios ex eodem cognomine ac familia superesse eodemmet consanguinitatis gradu cum institutore conjunctos, quibus fortasse pauperior est census quosque fortuna premit iniquior et eos recurrisse quandoque ex ipsissima causa, sed cum renunciatum illis fuisset capellanias quarum reductionem efflagitabant patrimonii titulo fuisse concreditas illico acquievisse responso ac incepto destitisse.

Postremo recolendum est D. Josephum Cestino anno 1841 a s. Cong. Conc. veniam prorogationis reductionis duarum capellaniarum exorasse eamque assecutum fuisse die 26. Junii ejusdem anni ad alterum decennium. Mirum profecto quod parum adhuc contentus et tertiae instet, quae titulo patrimonii concessa fuit ejusque reductionem imploret.

His continentur omnia, quae de hoc negocio tandem nosci datum fuit, quae utrum necessitati rei et praesentis judicii repondeant erit EE. VV. deliberare, quibus proponitur

Dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus super suspensione capellaniarum ab Archipresbytero Antonio M. Cestino institutarum et reductione onerum in casu?

S. C. resp.:

Quoad capellaniam in patrimonii titulum collatam negative. In reliquis dilata et orator utatur jure suo coram curia archiepiscopali pro exhibitione documentorum et fundorum vindicatione favore causae piae facienda ab eodem oratore cum promotore fiscali.

Die 22. Junii et 27. Julii 1844.

Cont. Januen.

Novis hodie datis precibus ad EE. PP. judicium redit orator. In iis autem conatur ostendere obreptitie ac subreptitie prolatum

fuisse ultimum s. Congregationis rescriptum. Siquidem falso narratum obtendit bina patrimonia ex redditibus unius capellaniae duobus presbyteris fuisse de consensu patroni Cestino constituta; memoratos redditus annuas libellas 200 non excedere et alteram capellaniam a fundatore demandatam non subsistere. Constitutionem enim patrimoniorum ex facto arbitrario duorum Archipresbyterorum hodierni immediate praedecessorum accidisse probat ne auditis quidem patronis Cestino; annuum redditum capellaniae ab omni onere purum duplum existere libellarum 200 edicit contra assertum in superiori propositione praesertim adhibita diligenti cultura ac administratione. De erectione vero seu institutione alterius capellaniae satis constare advertit ex ultimis tabulis Archipresbyteri Cestino, sed bona ejusdem disperiisse clamat ex tricis et minus recta gestorum administratione.

Ob oculos subinde ponit EE. VV. alienum esse prorsus a justitia et voluntate testatoris, quod hodiernus Archipresbyter Benedictus Quartino archipresbyteratum retineat una cum portione bonorum capellaniae ipsi in patrimonium constituta; siquidem incompatibilia inter se facile dignoscuntur, ut ipse rationatur, officium capellani et qualitas Archipresbyteri, quod erui instat ex apertissima litera fundationis. Insuper abhorret ab aequitate ipsum qui satis amplis parochiae bonis potitur et aliis perfrui redditibus capellaniae.

Post haec gravem suam paupertatem urgentesque necessitates familiae suae fratrisque defuncti demonstrat ex attestatione et fide parochi perhibentis oratorem fere orbatum facultate impotem omnino esse sibi suaeque familiae comparare, quae ad victum sunt necessaria et ipsum parochum identidem illius inopiae auxilium praestitisse; quod confirmatur ex actu notorietatis exhibito. Pensionem vero, quae illi obvenit ex regio aerario ob servitium in militia praestitum, libellas 169 haud excedere opportuno comprobat testimonio.

Eminentissimus Archiepiscopus sententiam rogatus hisce super precibus retulit primum quae jam alias in hujusmodi causae propositione enarraverat nimirum administrationem ac jus nominandi et amovendi capellanum extare penes Archipresbyterum pro tempore exclusive; cognatis autem vel agnatis suis descendentibus passivum tantum jus ad utrasque capellanias reservasse testatorem praelative ad remotiores quatenus tamen sacerdotio adessent initiati. E duabus institutis capellaniis unam tantum existere alteram vero nunquam effectum fuisse sortitam quia assignari possit ratio post centum annorum lapsum; annuum praeterea existentis capellaniae redditum ex peritorum sententia in biscentum libellis pedemontanis seu gallicis aestimari. Post haec ita prosequitur: »Non praeteribo tamen hanc capellaniam in praesens titulo patrimonii ecclesiastici possideri. Etenim D. Joseph Nicolaus Parodi olim Archipresbyter praedictae ecclesiae ss. Nicolai et Erasmi Vulturis vulgo »di Voltri« partem bonorum hujus capellaniae in titulum patrimonii ecclesiastici concessit R. Francisco Castelluccio. Reliquam vero partem R. Benedicto Quartini eodem titulo assignavit Archipresbyter Andreas Quartini annuente tunc temporis Ordinario. Haec omnia plenissime constant. Non tamen infitebor oratorem Joseph Cestino aliqua videri miseratione dignum. Ipse enim tenuissimis ac fere nullis opibus esse passim dicitur. Praeterea minus aptus ad comparandum sibi victum arte et industria prae qua laborat caecitate. Nihilo tamen secius ut perlatum est mihi et alii ex eadem gente supersunt, qui rerum omnium inopia laborant et in summis rei domesticae difficultatibus et angustiis versantur. Ad haec juverit etiam meminisse oratorem Joseph Cestino duabus aliis capellaniis ad levamen suae egestatis ex apostolica dispensatione viginti circiter abhinc annis uti et frui.«

Hisce quae fuse superius exposuit alias orator animadversiones adjecit, quibus ostendit

1. Praefatas capellanias ex sui natura in titulum patrimonii haud conferri posse, quia pugnant inter se natura ecclesiastici patrimonii perpetua et qualitas capellaniarum amovibilium;*) ex his autem infert nulliter constituta fuisse praefata patrimonia ac proinde minime verificari plenam capellaniae possessionem,

2. Incompatibilem**) omnino confirmat capellaniae retentionem cum parochia idque demonstrat tum ex oneribus capellano impositis tum ex munere eidem demandato. Jam ex his facile quisque percipit ut ipse adnotat prohibuisse implicite testatorem cumulativam et capellaniae et paroeciae retentionem.

*) Vd. *p. 534.*
**) Vd. *t. II. p. 590.*

3. Capellaniae fundos reapse edicit in statu gravis imminutionis et jacturae versari ex incuria ipsius parochi cum nemo scilicet adsit, qui juxta fundatoris voluntatem invigilet. Quae omnia si allata fnissent in postrema causae propositione haud propitium Archipresbytero fuisse responsum observat.

Quare cum parocho jam satis provisnm fuerit per paroeciae assecutionem ne titulo destitnatur et memorato Castellucio provideri possit praevia assignatione unius ex capellaniis »della cessata banca di s. Giorgio« quarum administrationem eminentissimo Genuae Archiepiscopo concreditam fnisse narrat orator neque ab hoc ipsum Archiepiscopum alienum fortasse tenet, sibi tradi postulat suspensa capellani nominatione fundos praefatae capellaniae universos praesertim cum informis omnino et absona a jure videatur hujusmodi capellaniae bonorum divisio. Necnon attenta proventnum capellaniae tenuitate numero duodecim personarum ab oratore alendarum tenuissimis quibus nunc fruitur redditibus, qui impares omnino sunt tanto oneri sustinendo ac etiam reparationibus necessariis fundorum, qui gravem ut supra innuit jacturam passi sunt, reductionem onerum implorat prout factum est quoad alias duas capellanias.

Neque aliquid sibi nocere urget jam obtentam aliarum capellaniarum suspensionem. Redditus enim illarnm scut. 49 non excedentes haud tales sunt, qui valeant extremam qua orator cnm familia laborat paupertatem relevare. S. autem Congregatio patronis ac fnndatorum descendentibus etiam passiva vocatione donatis ita providere semper suevisse instat, ut pro illornm qualitate et necessitate ex beneficiis patronatis auxilinm et alimenta decreverit.

Hisce praehabitis et resumptis foliis tum Congregationis diei 26. Junii 1841 necnon alterias diei 22. Junii 1844 erit EE. VV. decernere num rationes ab oratore Cestino allatae ejus ponderis sint, quae diversam ab edita sub die 27. Julii 1844 resolutionem suadere valeant et proinde dirimere

Dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

Dilata et scribatur Emmo Archiepiscopo, qui accuratius referat tum super divisione capellaniarum tum super retentione capellaniae ab Archipresbytero auditis super omnibus interesse habentibus.

Die 24. Jan. et 14. Febr. 1846.

Cont. Januen.

Sedulus ille vir cui pandita fuit s. Ordinis voluntas singulis faciens satis tum Josephi Cestino tum Archipresbyteri Benedicti Quartini rationes et argumenta, quibus quisque sua jura tuetur, prout scriptis consignata ipsi fuerunt, cum adnexis suis literis remisit. Haec EE. VV. oculis subjicere hodie mei muneris est. Quae igitur super tertia capellania ab Antonio Maria Cestino instituta colligere potuit em. Archipraesul hac ratione tradit: »Hanc capellaniam divisam vere fuisse et patrimonii titulo concessam a tunc temporis Ordinario exploratissima res est nimirum ex parte R. D. Francisco Castelfuzo et ex parte R. Benedicto Quartini moderno Archipresbytero s. Herasmi Vulturis. In his patrimonii constitutionibus etiam eorum adfuisse consensum qui super dicta capellania jus passivum habere dicuntur certo argumento non apparet.« Cum haec scriberem comparuit in hac curia quidam, qui coram ipso oratore Joseph Cestino qui fortuito intererat professus est se ex eadem agnatione esse et eodem consanguinitatis gradu cum institutore capellaniae conjunctum. Adjecit se satis pauperem esse et vitam cum labore substinere ex industria. Post haec se etiam commendavit ut aliqua etiam suae paupertatis ratio haberetur.

Quae in suis animadversionibus obtendit Archipresbyter Quartini in eo sunt ut ex juris ac facti rationum momentis rejicienda sit Josephi Cestino petitio. Primo siquidem in memoriam vocans fundationis tabulas iterum animadvertit ipsum neque activo neque passivo jnre super capellania gaudere, quia primum parochis pro tempore s. Herasmi loci Vulturis una cum administratione contulit fundator, alterum ideo nequit habere Cestinus quia nedum sacerdotali qualitate destitutus sed imo uxoratus est atque ex transversali tantum linea a fundatore proveniat, praecipuum ipsi requisitum deest ad exposcenda jure alimenta, quae nonnisi patronis a fundatore directo descendentibns deberi autumat.

In deteriorem autem hypothesim ait nullatenus illa paupertatis extrema in eo concurrere, quae hisce in casibus omnino a jure requiruntur. Hinc authentico comprobat testimonio pensionem quae illi obvenit ex regio aerario ad libellas annuas evehi 305, quibus addenda sunt scut. 49, quae ex binis aliis capellaniis retrahit. Exhibet insuper statum bonorum, ut doceat redditum annuum non excedere libellas 200 necnon fidem periti agronomi, ut ostendat injuria prorsus asseri debitas meliorationes neglectas hucusque fuisse.

Quoad divisionem capellaniae in titulum duplicis patrimonii peractam sub antecessore Archipresbytero Parodi addit eam rite servatis videlicet solemnibus expletam fuisse idque post tantum temporis lapsum praesumendum esse; neque hoc secum pugnat quod auctus paroecia eam hodie possideat quippe utcumque duplicis huinsmodi beneficii coacervatio in causa esse posset, ut beneficiarius voluntarie alterum dimitteret, ad id tamen ipse cogi nequiret cum nulla vel ex fundationis lege vel ex jure incompatibilitas in utroque retinendo deprehendatur, quae ubi etiam obtineret illud ad summum sequeretur, ut favore alterius sacerdotis loci Vulturis capellania conferretur ad tramites fundationis, nunquam tamen favore Josephi, qui ex dictis quovis in eam jure destitutus est.

Ad haec orator Cestino ita in suis animadversionibus singullatim reponere videtur. Et suum inprimis juspatronatus gravemque ipsius indigentiam haud pluribus ut pateant indigere asserit argumentis cum haec omnia satis superque ipse coram s. hac Congregatione demonstraverit. Patrimonii constitutionem nullam irritamque iterum appellat tum ob indolem amovibilis capellaniae ac munera ipsi inhaerentia tum quia ex inquisitione penes curiam peracta eruitur nullatenus legitimos patronos de consensu requisitos fuisse ideoque licet admitteretur publicationes fuisse praemissas non idcirco tamen eae legitimum titulum praeberent ad alterius jura perimenda eo vel minus quia cum fundationis actus exhibere opus fuerit bonam fidem prorsus defuisse contendit.

Si hinc concludit injuria Archipresbyter Quartini in possessione medietatis capellaniae versatur ab eaque propterea dejiciendus est jam nullam superesse potest difficultas quoad R. Franciscum Castelluzzo quem tacite saltem alterius medietatis capellaniae emolumento nuntium misisse ait ex quadam ejusdem informi declaratione ubi profitetur ab anno 1824 usque ad praesens nunquam eam satisfecisse oneri nonaginta missarum, quas celebrare debuisset ratione tituli superius relati. Hucusque partes.

Caeterum juvabit quoque ob oculos habere quae in facto ac jure referunt folia Congregationis diei 26. Junii 1841 et diei 22. Junii 1844 ut valeat dirimi quod redit

Dubium:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et ad mentem; mens est, ut firma remanente medietate capellaniae favore Castelluzzo quoad alteram medietatem scribatur Archiepiscopo ut curet Archipresbyterum devenire ad nominationem ejusdem medietatis capellaniae ab ipso possessae.

Die 27. Martii et 5. Junii 1847.

Signina.

Extat in archipresbyterali ecclesia oppidi Gabbiniani Signinae dioecesis sub invocatione b. Mariae Virginis in coelum assumptae ac s. Antonii Patavini capellania ecclesiastica anno 1717 instituta. Joannes Baptista Cenciarelli fundator facultatem tribuit filiis suis Josepho, Antonio eorumque descendentibus nominandi ac deputandi capellanum *in perpetuum* vel *ad nutum*.

Vacante capellania sub anno 1827 Maximus Cenciarelli ex descendentibus ex Joseph Antonio a s. H. O. petiit, ut attenta paupertate et attento defectu idoneae personae inter passive vocatos egestati suae consuleret per suspensionem nominationis, retulitque sub die 21. Novembris 1827 ex audientia SSmi rescriptum: *Pro gratia suspensionis ad quinquennium arbitrio et conscientia Episcopi deputato ecclesiastico administratore, qui impletis omnibus oneribus residuales redditus oratori tradat non obstante dissensu compatronorum et notificentur ministris Datariae apostolicae.* Atque hoc indultum prorogatum est die 12. Septembris 1835 ad aliud quinquennium ad formam praecedentis arbitrio et conscientia Episcopi. Elapsum modo est et alterum quinquennium confugitque tertio idem Maximus pro assequenda ulteriore prorogatione. At eidem accedit et alter ex patronis Petrus Cenciarelli ex linea Francisci Antonii derivans,

qui admitti ad fruitionem fructuum capellaniae et ipse postulat.

Utriusque preces ad trutinam revocavit Episcopus atque utrumque audivit oratorem, quorum alter alterum repellere conantur, ut quisque solus capellaniae praesidio perfruatur. Suam vero sententiam utrique favorabilem sic aperuit: Inficiari nemo potest Maximum eumdem vere pauperem esse et calamitosissimis hisce temporibus in aliqua constitutum necessitate. Constat tamen Petrum Cenciarelli multo esse miserabiliorem et quae de ipso in scriptura asseruntur esse vera. Nemo ex passive vocatis in praesentiarum est, qui ad capellaniam possidendam sit idoneus. Est autem Petro Cenciarelli filius septennis sed attenta paupertate ac miseria nescio quomodo literis instrui ac scientias necessarias possit addiscere. Tempus prorogationis necessarium vel Maximum vel Petrum audiamus esset donec duret paupertas et perseveret necessitas. Redditus capellaniae non excedit triginta scutatorum summam deputatam ab omni onere. Onera sunt duodecim missae lectae quolibet anno et quindecim julii pro oneribus cameralibus. Ceterum EE. VV. RR. erit decernere, quid agendum sit; mei autem erit decretis vestris obedire.

Patrono pauperi ex fructibus capellaniarum ex aequitate canonica succurrendum esse non dubitatur post text. in *can. Decernimus 16. quaest. 7* et in *cap. Nobis de jurep.* Adeoque et per suspensionem nominationis provisum interdum fuisse hujusce causae vel ipsa historia tradit luculenter. Illud modo perpendendum est an indultum Maximo Cenciarelli decem jam abhinc annis concessum oporteat prorogari et an sit una cum eo ad fructuum fruitionem admittendus et alter orator Petrus Cenciarelli.

Unum et alterum Cenciarellium nedum nomine sed et re egestatis formam exhibere apprime testatur Episcopus probatque insuper Petrus oblatis documentis. Utrumque patronum extare fundationis tabulae et genealogicum schema testantur. Quare et Maximo proroganda gratia et Petro concedenda ambigi non posse videtur nisi quod alter alterum excludere manibus pedibusque adlaborat.

Ille praelationem sibi vindicat quia adolescens cum esset prima tonsura initiatus ac minoribus etiam ordinibus fuit insignitus; e contra Petrus Cenciarelli in statu laicali semper versatus est et adhuc versatur.

Hic nihil de adversaria ratione sollicitus (quippe paris conditionis factus est cum alio vix ille ecclesiasticis abdicatis vexillis nedum unam sed alteram sumpsit sibi uxorem) praeferri exinde pugnat, quod jam satis capellaniae beneficio usus sit Maximus a quo ipse hactenus exclusus fuit; et quod ipse unus filium habeat septem vel octo annorum natum qui ubi capellaniae fructuum subsidio donetur agrum relinquet cui incolendo pro viribus parenti nunc operam praestat; ac ita literis incumbere studebit, ut lapsu temporis ecclesiasticae militiae nomen dare et capellaniam suam facere valeat vi passivae vocationis; dum alter masculina prole et uxore viduatus senescens omnem amisit spem prolis suscipiendae.

Quod si EE. VV. non arriserit, ut ipse solus nominatione suspensa capellaniae redditus percipiat, alias addit preces idem Petrus postulatque, ut filium suum octennem a defectu aetatis dispensare dignentur. Sane mirum non est dispensationis veniam in similibus casibus a s. Ordine concessam fuisse ad obtinenda beneficia et capellanias, ut de hac ipsa qua de agitur capellania fidem facit resolutio diei *2. Augusti 1823 ad 3. dubium*, qua favore clerici Josephi decennis adolescentis est dispensatum; immo et de simili venia quinquenni puero largita fidem facit una *Forolivien. Capellaniae 25. Junii 1791.* In themate autem clericalis status ac finis ad sacerdotium ascendendi fundatoris voluntati apprime respondet qui statuit, ut in patrimonii sacri titulum capellania posset pro familiae Cenciarelli clericis adhiberi.

Verumtamen quid tutius expediat EE. VV. prudentia judicabit definietque

Dubia:

I. *An et quomodo sit proroganda suspensio capellaniae in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit admittendus ad fruitionem fructuum capellaniae Petrus Cenciarelli in casu?*

Quatenus vero negative,

III *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super defectu aetatis favore filii Petri Cenciarelli in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Affirmative ad aliud quinquennium pro aequali portione tam favore Maximi quam Petri Cenciarelli facto verbo cum SSmo; et notificetur Ministris Datariae apostolicae.

Ad III: Provisum in praecedentibus.

Die 14. Mart. 1840.

Romana.

Preces s. huic Ordini labente anno 1850 oblatae fuerunt ab Anna Pivi Corsi, quae utpote ab opulento statu in miseram dejecta conditionem extremamque sui ac filiorum paupertatem causata praesidium requirebat ope suspensionis ad annos quinque supra viginti cujusdam capellaniae quam ejus patruus Sacerdos Archangelus Rivi erexerat in Basilica ss. XII Apostolorum ad altare Seraphico Francisco dicatum cum onere missae quotidianae praeter aliam cum cantu in die obitus sui anniversario. Ratio de iis habita fuit inter supplices libellos in Congregatione diei 17. Maji 1851 praeeuntibus de more voto Emmi Urbis Vicarii ac deductionibus religiosae familiae. Et licet in iis plura de petitionis inopportunitate ex eo quod capellaniae redditibus occurrendum erat expensis litum actarum agendarumque ad dotem ejusdem capellaniae tuendam deque praejudicio ecclesiae ac religiosae familiae obventuro edicerentur attamen propitio excepta fuit rescripto, quo statuebatur: »Capellaniam esse pro nunc administrandam a s. Congregatione Visitationis apostolicae, ita ut celebrata unica missa singulis festis de praecepto cum eleemosyna obol. triginta supportatis prius litium expensis si quae fuerint reductisque pro rata ss. utensilibus reliqui redditus tradantur oratricis familiae in sui sustentationem facto verbo cum SSmo ad quinquennium« eamque resolutionem sequenti die 19. dicti mensis SSmus in omnibus benigne approbare ac respective confirmare dignatus est.

Damnosum quam maxime hujusmodi rescriptum putarunt coenobitae; ideoque supplices pro illius revocatione coram sacratissimo Principe adstiterunt querentes ideo sibi inimicum obtigisse judicium, quia minus accurate ac fideliter facta aliaque rerum adjuncta ab Anna Pivi Corsi exposita fuerant. Hinc iterum controversiae cognitio s. Ordini ablegata cum injunctione ut prius exquireretur votum tam Emmi Urbis Vicarii quam Emmi protectoris ordinis ac insuper audirentur partes postquam omnia rite expleta de more fuerint

causa nunc reproponitur. Praestat sed iterum ac plenius factorum historiam retexere.

Sacerdos Archangelus Pivi per solemne actum inter vivos anno 1819 capellaniam in ecclesia praedicta etiam oneribus superius enunciatis instituit. Binos annos census in dotem assignavit alterum scut. 40. 12 contra patrimonium Principis quondam Aloysii Pallavicini alterum scut. 75 contra Verulanum Marchionem Angelum Bisleti et ex hisce redditibus insimul sumptis mandavit fundator ut erogata pro celebratione cujusque missae quotidianae eleemosyna obol. 30 aliisque obol. 20 supra scutatum unum pro missa cum cantu anniversaria, cetera quae supersunt scutata septem cum obol. 12 cederent favore sacrarii ejusdem Basilicae.

Primum ipse fundator nominavit capellanum qui jam diem obiit supremum jure inposterum nominandi PP. minoritis conventualibus relicto eorumque ordinem si forte suspendi vel supprimi quandoque contigisset jus ipsum nominandi pro tempore capellanum iis attribuit quos haeredis nomine in postremis suis tabulis decorasset. Adeo cordi ipsi fuit accuratum legati implementum.

Exinde anno 1821 vitam cum morte commutavit fundator ejusque reservatis postremis tabulis apparuit universa sua bona inter suos consanguineos eum dispartitum fuisse. Nam haerede nuncupato fratre Bartholomaeo ejusque uxore ceteros fratres in usufructu vel in certa pecuniae summa legatarios nuncupavit et praesertim Philippum cui menstrua scutata quinque quousque vitae usura frueretur praeter scuta quinquaginta pro unica tantum vice reliquit. Neptes demum quas inter Anna Pivi Corsi recensetur haud quaquam obliteravit assignata singulis dote scutatorum millium.

Recolere heic juvat coenobium bis judicio agere coactum fuisse ad tuenda capellaniae jura. Primo anno 1845 contra Marchionem Franciscum Pallavicini detrectantem census impositionem agnoscere utpote perfectam de eo tempere quo fideicommissarii nexus dissoluti remanserant. Perperam tamen. Quandoquidem victus undique judicio discessit. Secundo contra filium praedefuncti Marchionis Angeli Michaelis Bisleti alterius census debitorem contendentem se haud obstringi aes alienum a patre contractum solvere utpote non jure haereditario sed jure proprio ad sui patrimonii possessionem vocatum, quae quidem

lis licet hucusque coenobitis seu capellaniae bene verterit ceu pandit decisio *s. Rotae Auditorii diei 12. Martii 1852 coram Rmmo P. D. de Silvestris Decano* adhuc tamen pendet.

Illud demum recolendum venit fructus primodicti census in annuis scut. 75 debitos a Marchione Bisleti a Coenobio hodie non percipi pendente judicio, fructus vero alterius census in annuis scut. 40 et obol. 12 percipi quidem sed plane necessarios esse imo haud sufficere ad sustinendam immanem impensarum vim quae exigitur pro duplici pendentia litis ac praesertim pro conficiendo judiciali testium examine, quod per praefatam rotalem decisionem admissum fuit dilata interim definitione principis quaestionis super qualitate haereditaria.

Haec quidem perpendens Rmmus Vicesgerens suam in absentia Emmi Urbis Vicarii sententiam profert: »Manifestum est, sic ille, in suspenso relinquendam esse concessionem a V. S. O. factam favore Annae Pivi Corsi Secus enim duo sequerentur absurda. Aut deserendam esse litem defectu mediorum pro supportandis expensis, quod nimis esset capellaniae damnosum, aut expensas ipsas sustinendas esse pecunia ipsius coenobii, quod certe justitiae consentaneum non esset.

Addo etiam concessionem praefatam excludi adhuc in praesenti ex tenore rescripti s. Congregationis. In eo enim statuitur redditus capellaniae prius supportare debere onus unius missae celebrandae singulis diebus festis de praecepto et litium expensas, deinde vero reliquos in sustentationem Oratricis esse erogandos. Cum autem evidens sit scut. 40 et obol. 12 minime sufficere ad duo illa onera implenda missas scilicet et litium expensas illud plane consequitur nihil omnino hodie suppeditari posse ad oratricis familiae inopiam sublevandam.

Emmus protector a sua promenda sententia abstinet. At vero subnectit jurium libellum religiosae familiae per ejusdem procuratorem circumferendum ex quo evincitur tum ab intrinsecis tum ab extrinsecis editum rescriptum nulla ratione substineri.

Et quoad intrinseca, praemissa juris censura, qua statuitur eos solum ex redditibus ecclesiae seu beneficiorum ac capellaniarum jus alimenta petendi habere, qui super iisdem jurepatronatus activo vel passivo fruuntur et insuper paupertate laborant ac constet de reddituum beneficialium abundantia, ut post text. *cap. Nobis de jurepatron.*, *Rota in Salernitana Alimentorum 11. Januarii 1712. §. 2. coram Scotto*, demonstrat nullum ex hisce extremis verificari in themate. Non quidem juspatronatus, quod ex narratis in facto ad ultimam tantum spem contulit fundator suis haeredibus, quos inter tamen minime ascendenda Anna ejusque familia, quae non haeredis nomine sed dotis legato honorata fuit.

Absolutam autem paupertatem, alterum extremum, excludi ex eo quod collatum favore Annae fuerit ab ipso fundatore emolumentum dotis scutator. millium, quod ex notissima legis dispositione alienari nequit. Quin et relativam excludi inopiam ex ipso testamento ubi Philippo testatoris fratri ac Annae parenti praeter commune legatum scut. quinquaginta menstrua quoque scutata quinque assignata fuerunt, quod quidem miseram de eo tempore indigitat familiae conditionem ac proinde excludit paupertatem relativam fundamentum habentem in opulento statu in quo quis prius versabatur.

Tertium denique requisitum nempe abundantiam reddituum beneficialium excludi comparatis invicem redditibus ac oneribus capellaniae. Quandoquidem quantus est annuus redditus scutator. 115. 12 totus absumitur cum detrahenda sint primum scutata 108 pro missa quotidiana cum eleemosyna obolor. triginta, dein scutata sex pro utensilibus favore sacrarii ecclesiae, demum scutatum unum et obol. 12 pro missa cum cantu anniversaria. Nihil hinc ducto calculo superesse, quod favore consanguineorum impendi valeat.

Accedit petitae onerum suspensioni apertam omnino adversari institutoris voluntatem, qua cavit ne capellanus ulla unquam causa ullove colore quotidianae missae celebrationem intermitteret. Quin objiciatur hujusmodi voluntatem respexisse capellanorum obligationem non autem extraordinarium remedium levamen afferendi consanguineis. Nam hujusmodi praesumptio excluditur cum ex praemissis pateat de tempore fundationis compertam undique fuisse familiae Philippi fratris conditionem. Et siquidem inde commiseratione dignam eam deprehendisset fundator satis consultum ab ipso fuisse putandum cum liberalius erga ipsam in testamento sese habuerit. Ceteroquin cum in ipso fundationis actu nihil antiquius habuerit institutor quam ut onera absque intermissione

adimplerentur arguendum potius nedum ad capellanorum obligationem sed maxime ad suffragia animae suae in aevum procuranda intendisse voluntatem.

Nec secus sentiendum respectu ad extrinseca habito. Atque hic recolit ingens designatae ecclesiae praejudicium ob quotidianae missae defectum; nunc maxime attendendum, quo frigescente in dies populi devotione difficiliores eleemosynae ac oblationes evasere. Recolit etiam angustias reifamiliaris illius coenobii, quod cum potissimum imo unicum emolumentum ex altaris proventibus cogatur haurire ad eam necessitatem adjiceretur, ut unus ex religiosa familia esset imminuendus.

Recolit demum jus conventui quaesitum super redditibus capellaniae pro redintegratione ingentis summae tam pro eleemosynis missarum celebratarum inexactis quam pro expensis litium, quas contra Pallavicinium feliciter expleverunt et contra Bisleti adhuc sustinere coguntur.

Hac re adducta gravatur quam maxime de ea rescripti parte, qua capellaniae administratio tributa fuit s. Congregationi Visitationis apostolicae. Id siquidem nedum testatoris voluntati adversari, qui administrationem coenobio seu ecclesiae contulit, sed ipsius etiam coenobii famam laedere contendit perinde ac si perperam in ipsius administratione fuisset versatum; cum contra pateat ipsum nedum onera fideliter explevisse deficientibus licet maxima ex parte redditibus sed etiam proprio aere lites substinuisse ad capellaniae jura in supremum discrimen adducta tuenda. Quapropter in ea quoque parte reformationem rescripti urget.

Quae ab Anna Pivi Corsi jura in prima propositione adducebantur ad sibi addicendos capellaniae redditus coercentur ad maximam ipsius paupertatem unde se suamque prolem emendicato victu sustentare compelleretur, quod quidem amplissimis attestationibus comprobavit. Memorabat arctissimam suam conjunctionem cum fundatore ac e florenti fortuna in miserimum statum dejectionem. Ex quibus eruebat argumentum praesumptae testatoris voluntatis atque exempla s. Ordinis invocabat similium concessionum iisdem concurrentibus rerum adjunctis.

Novus nunc exhibetur libellus ex parte Dominici et Adelis filiorum Annae, qui dum matris elatae jam a mense Septembri superioris anni funus collugent s. Ordinis patrocinium implorant haud valentes jurisconsulti operam quaerere ob maximam eorum inopiam.

Viderint Emmi Patres num oratorum precibus resistant jura a conventualibus superius adducta. Meum interea est proponere

Dubium:

An et quomodo sit confirmandum vel infirmandum rescriptum die 17. Maji 1851 in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus ad primam partem, negative ad secundam.

Die 29. Julii 1854.

28) Titulus ordinationis.

Vd. *Capellan.* (mercenaria ut titulus etc. p. 631; collativa, p. 556.)

29) Translatio.

Vd. t. II. p. 932. n. 106.

a) Quando concedenda?

Videtur esse a s. Sede indulgendum, ut capellania jurispatronatus possit transferri de loco ad locum, ut de facto fuit indultum, ut capellania transferretur de Castro in quo a Domino ipsius Castri fuerat erecta ad aliud castrum de jurisdictione ejusdem familiae ex quo promogenitus fundatoris amiserat jus Castri in quo fundata erat et petierat a s. Congr. Concilii facultatem eam transferendi ad aliud castrum in quo jurisdictionem habebat. Et ratio indulgendi videtur rationabilis scilicet necessitatis Sacrificii in nova ecclesia praesertim cum nullum detrimentum cultus divinus patiatur in ecclesia in qua fundata est capellania cum supponatur in dicta ecclesia adhuc remanere alios capellanos uti remanserant in casu expresso. Tum quia prima ecclesia censetur electa a fundatore capellaniae cum respectu ad patronos illius castri tamquam proprii et possessi ab ipsis. Unde transeuntibus patronis ad aliud castrum videtur transferenda etiam capellania et censetur electa cum sua qualitate seu tamquam patronatus castri ex eo quod sit electa cum respectu ad patronos juxta illud *2. Machab. cap. 5. num. 19. Non propter locum gentem sed propter gentem locum elegit Deus.* Ex hoc autem fit, quod dum patroni se transferunt ad alium locum transferatur cum ipsis capellania patronatus,

quia prior desinit esse locus patronalis atque adeo non amplius est ille, quem contemplatus est tamquam patronalem, et cum respectu ad patronos et novus incipit esse ille, quem est contemplatus, quia fit patronalis et fit talium patronorum quales in fundatione fundator fuit contemplatus. Et id a fortiori procedit, quia cum patroni soleant percipere emolumentum ab hac celebratione missarum oritur praesumptio, quod fundator voluerit hoc pacto ipsis providere ex parte non solum eorum commodo sed etiam praesenti necessitati, qua nunc tenentur ob inopiam missarum in novo castro. Quilibet enim praesumitur operari eo modo, quo sibi utilis est; *l. 1 et 2. ff. de solut.* Unde censendum est fundatorem nedum respexisse ad fructum Sacrificii sed etiam ad sublevandam indigentiam haeredum patronorum cum in hoc potuerit exercere actum pietatis et ordinare suam dispositionem ad duplicem finem et ex utroque percipere utilitatem; et propterea videtur ex gratia a s. Sede esse indulgendum, ut revera censuit s. Congr. Conc. *in Viterbien. 25. Jan. 1663.* Hactenus Pignatell. *tom. 4. cons. 12. num. 2 et 3.*

b) Quando non concedenda?

Capellania erecta in una ecclesia non potest sine necessitate transferri de jure communi ad aliam ecclesiam, etiamsi sit capellania de jurepatronatus. Et ratio est, quia capellania collativa procul dubio est affixa ecclesiae; est enim beneficium ecclesiasticum, quod erigi non potest nisi ad altare; *cap. Nemo 9. dist. 1. de consecr.* et notat Lotter *de re benefic. lib. 1. quaest. 4. num. 55. Duran. dec. 130. n. 4.* Eo ipso tamen quod altare erigitur. Unde Tridentinum *sess. 25. de reformat. c. 5.* jubet, quod his capellaniarum seu beneficiorum erectionibus non derogetur, ibi: »Ratio postulat, ut illis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur.« Missarum enim onera relicta in determinata ecclesia seu capellà non possunt alio transferri absque Sedis apostolicae licentia ex s. Congreg. Concil. *in Hispalen. 30. Septembr. 1580* et in *Brixien. 1. Decembris 1684.* Immo neque Nuncius apostolicus potest concedere indultum, quod missae celebrandae in loco a testatore designato alibi celebrentur. S. Congr. Concil. *in Genuen. 18. Augusti 1703.* Alias translatio esset nulla quamvis fieret auctoritate executorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. S. Congreg. Conc. *in Derthonen. 4. Julii 1701.*

30) Unio concessa.

Vd. t. II. p. 965 h.

Januen.

Supremis quas anno 1763. Joannes Baptista Masnate condidit tabulis duas ab heredibus suis institui jussit capellanias quarum singulis onus immineret Sacrum quotidie litandi et adjecta lege, ut cuilibet capellano quotannis penderentur januenses libellae ducentae ac quinquaginta. Hujus Joannis Baptistae uxor Rosa Grondana alteram in testamentariis tabulis anni 1784 perpetuam instituit capellaniam injuncto onere unius missae qualibet die offerendae.

Summa investimento collocata dabat annuas libellas 350.

Quum capellaniarum dotem valde imminutam postea restitui contigisset eam quidem Franciscus Masnata testatorum filius et heres acceptam habuit sed alterius fundi subrogationem neglexit. Nihilominus quartam ipse anno 1793 erigi ac dotari jussit capellaniam. Haeredes Joannes Baptista et Nicolaus Masnata Sacrorum omnium celebrationem naviter curarunt ad annum usque 1800 at ob publicas privatasque superiorum temporum calamitates investimenta a testatoribus injuncta minime expleverunt, imo cunctis ferendis oneribus impares effecti iterum iterumque ad praefinitum tempus Sacrorum imminutionem impetrarunt. Postremi indulti nondum elapso termino et inopia fratrum Masnata in dies percrepescente obtentam reductionem ab hoc s. Ordine in aevum protrahi postularunt. Proposito autem dubio:

An et quomodo sit locus reductioni in casu etc.?

Die 8. Februarii 1817 rescriptum prodiit:

Negative et Emus Archiepiscopus incumbat assignationi fundorum pro quatuor capellaniis ad formam fundationum et oratores expleto decennio recurrant.

Anno 1821 preces instaurarunt, ut quatuor capellaniae ad unam tantum cohiberentur

idoneum se fundum pro ejus implemento tradituros promittentes. Cumque Januensis Archiepiscopus huic s. Congregationi retulisset oratorum bona tum generalibus tum specialibus hypothecis esse obnoxia eamque ob causam fundorum assignationem nunquam executioni demandari potuisse Emis Patribus in comitiis diei 11. Junii 1821 placuit rescribere: *Praevio recessu a decisis affirmative ad unam capellaniam tantum missae quotidianae applicandae pro omnibus pro quibus quatuor capellaniae erant eligendae assignato congruo fundo libero super quo curet Archiepiscopus fieri inscriptionem hypothecariam onerata oratorum conscientia quatenus melioris fortunae evadant pro redintegratione aliarum capellaniarum.*

Ad tramites hujus rescripti fratres Masnata jam inde ab anno 1824 fundum auctorante ac probante Archiepiscopo assignarunt cujus annuus fructus sustinendo quotidianae capellaniae oneri potis esset. Et quamvis eorumdem fratrum conditio haud melior sed potius deterior subinde evaserit cuperent tamen ipsi, ut saltem post eorum mortem onera a majoribus imposita sine ulla reductione implerentur ac reliquae tres capellaniae denuo reviviscerent. In capellaniarum dotem tribui possent nonnulla bona immobilia intra limites paroeciae s. Blasii de Porcifera existentia, quorum dumtaxat oratores post perlata infortunia gaudent dominio. Verum perpendentes annuam quatuor capellaniarum fructuum ex fundationum jure summam tantummodo libellarum mille et centum attingere ac propterea ob cautam eleemosynam nunc imparem esse ferendo quotidiano quatuor missarum oneri, hinc postulant, ut postquam ipsi vita decesserint unica constituatur capellania cujus rectori onus incumbat nedum Sacrum pro animabus fundatorum in ecclesia s. Blasii qualibet die offerendi sed etiam ibidem excipiendi fidelium confessiones et juvandi parochum in gerenda animarum cura. Hinc capellano oratores traderent praefata bona intra limites paroeciae s. Blasii posita, ut ipse libellas 1100 quotannis percipiat. Si vero EE. VV. videbitur »summam minorem sufficere pro hac capellania adimplenda tunc pro usu summae, quae adhuc excederet, humilimi oratores vestrae confugiunt benignitati et si ex expositis aliquid ipsis indulgendum videbitur quoad hoc vestrum expostulant decretum declarantes se in totum et pro tota summa si sic jubebitis vel pro parte si aliquid remittere declarabitis exequi paratos esse.«

Oblatas preces comiter excipiendas censet Ordinarius. Etenim »quod fortunam oratorum spectat notorium est ipsos post consecutam remissionem fortunae melioris profecto non evasisse imo etiam constat ex contractu mihi exhibito anno 1826 aere alieno gravatos fundum pro summa libellarum triginta mille vendidisse, ut ex parte pretii creditores dimitterent. Ex testamentis patet capellanias praedictas nulli loco, nulli ecclesiae fuisse allegatas. Preces porrectas ab oratoribus serio et attente consideravi easque justas necnon laude dignas inveni pariterque cognovi impossibile inpraesentiarum esse, quod quatuor capellaniae, quae antiquitus institutae fuerunt et pro quibus summa librarum Januensium 1100 assignata fuerat, nunc temporis possint adimpleri, idcirco necessarium ac inevitabile esse quod una tantum loco quatuor primitus institutarum adsignetur. Nec fortasse nimirum pinguis videatur haec adsignatio vel dotatio; nam sicuti haec capellania esset alligata ecclesiae s. Blasii idest ruri et insuper onus imponeretur capellano animarum curae inserviendi sub directione tamen parochi loci illius sacerdotem invenire facile non esset, qui nonnisi corresponsione laboribus proportionata vellet illam adimplere. Ceterum utillimum foret si desiderio oratorum annueretur et capellania alligaretur ecclesiae s. Blasii de Porcifera; etenim praeter quod bona ex quibus pensiones sunt percipiendae ibi sita sunt, ecclesia isthaec ob inopiam necessario sacerdotum numero caret et idcirco bono spirituali animarum hoc modo provide consuleretur.

Censeo igitur s. hanc Congregationem Concilii decernere annuendo supplicationibus, quod post oratorum mortem loco quatuor capellaniarum antiquitus institutarum et quae hodiernis temporibus impossibile esset adimpleri una tantum juxta preces erigatur alligata ecclesiae s. Blasii in *Porcifera* cui integra summa lib. 1100 Januae de qua supra adsignetur munere tamen imposito capellano a patronis inposterum nominando animarum curae et ecclesiae servitii sub parochi pro tempore directione incumbendi.

Hisce conditionibus pro unica capellania erigenda praedicta integra summa requiritur etenim si duae erigerentur pro tenui corresponsione lib. 556 impossibile esset duos

invenire capellanos, qui pro tam exigua summa vellent ecclesiae illi et animarum curae inservire, quae tenuis corresponsio ultro tamen sufficeret si dictae duae capellaniae nulli ecclesiae alligentur. Ultimo tandem observatione dignum censeo ex voluntate EE. VV. pendere si prae oculis habitis oratorum circumstantiis atque optima eorum voluntate aliquid ipsis ex gratia et absque ullo conscientiae onere remittendum censebunt. Cavendum tamen est, quod sicuti oratores quoad vivunt fruuntur obtenta remissione ex decreto anni 1821 hac igitur de causa quaecumque sit futura dispositio haec ad effectum nisi post eorum obitum reditura non erit.«

Quum reifamilias angustiae quibus fratres Masnata premebantur haud imminutae sed potius auctae sint perspicuum exploratumque est eosdem ex rescripto hujus s. Ordinis diei 21. Junii 1821 nunc minime obstringi ad quatuor redintegrandas capellanias: Verum oratores saltem postquam ipsi vita decesserint onera missarum sibi a majoribus imposita impleri cupientes eam parati sunt bonorum stabilium tradere quantitatem, quae annuum afferat fructum libellarum centum supra mille; quae sane fructuum summa illam aequaret, quam pii testatores in dotem quatuor capellaniarum constituerunt. Istud itaque tantummodo in praesens inquirendum num post oratorum obitum sint in pristinum restituendae reliquae tres capellaniae vel potius eorum precibus adhaerendum et quatuor capellanias ad unam reducendas cujus rector universos lucretur annuos redditus.

Profecto hujusmodi reductio commutationem secumfere supremarum voluntatum facile quisque intelligit. Quamquam enim ob auctam eleemosynam annui capellaniarum fructus impares evaserint quatuor Sacris qualibet die offerendis, nihilominus ex ipsa testatorum voluntate tot forent litandae missae quot sinerent assignati fructus ad rationem manualis eleemosinae, *Benedict. XIV. de synod. dioec. lib. 13. cap. 25. n. 35, s. Congregat. in Januen. Reductionis missarum 22. Aprilis 1826. §. Nec.* Ea itaque quam fratres Masnata postulant capellaniarum unio adversatur fundatorum menti, quae ex utroque jure religiose est servanda, *L. 1. cod. de ss. eccl. Clem. quia contingit de relig. domib.*

Attamen si urgeus intercedat necessitas vel major suadeat utilitas ultimas hominum voluntates*) in alium pium usum a Sede apostolica posse commutari eruitur *ex cit. Clement.* atque ex *synod. Trident. sess. 22. cap. 6. de reform.* In nostro autem themate justam occurrere causam reducendi Sacrorum numerum ac uniendi capellanias suadet nedum reddituum exiguitas, haud enim fieri potest, ut inpraesentiarum inveniantur presbyteri, qui adeo tenui eleemosyna Sacrum faciant, verum etiam inopia paroeciae s. Blasii, quae teste Ordinario necessario caret sacerdotum numero. Neminem enim latet nostris hisce temporibus fore prope necessarium, ut plures in qualibet paroecia praesto sint sacerdotes, qui puerorum rudisque populi animis pabulo christianae doctrinae nutriendis sollicitam navent operam ac parochis in obeundis animarum curis adjutricem praebeant manum. Hanc nimirum ob causam Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 4. de reform.* decrevit tot esse adjungendos sacerdotes ubi desunt quot sufficiant ad animarum curam exercendam.

Ceterum si Patres Emi petitam capellaniarum reductionem indulgendam censuerint videant utrum capellano sint quotannis tribuendae libellae centum supra mille vel potius earum pars una cum sorte sit oratoribus impertienda, ut ipsi dum vitam vixerint pro lubitu ea utantur aut ultima voluntate de ea legem dicere valeant cum *post passa infortunia* (sunt oratorum verba) *nonnulla tantum bona immobilia ipsis remaneant ruri sita nempe in paroecia s. Blasii de Porcifera in quibus fundus necessarius pro capellaniis adsignari potest.*

Sit itaque

Dubium:

An et quomodo sit locus reductioni et unioni in casu?

S. C. resp.: Affirmative juxta votum Ordinarii.

Die 23. Apr. et 14. Maji 1831.

*) Vd. *Commutat. ult voluntatis.*

Capellanus.

1) Absentia.

Vd. *Parochus* (absentia); *Residentia; Chorus* (absentia).

2) Amovibilis.

Vd. *Capellanus* (remotio, confratern.); *Capellanus paroch.* (amovibilis); p. 534. n. 3; t. II. p. 133. n. 4; 758. n. 80; 367. n. 14; t. I. p. 1021: *Constantien* etc.

Sunt, qui arbitrantur libere dimitti posse capellanos ad nutum amovibiles, ut *Piton. de controv. patron. allegat. 88. num. 1, Ferrar.* in biblioth., verb.: *Capellanus, in addit. num. 1.* et *Card. de Luc. de benefic. disc. 80. num. 5*, aequiori tamen sententia requirit s. haec Congregatio justam et rationabilem eorum dimissionis causam, qua deficiente non raro redintegravit dimissos, et praesertim in *Nullius Farfen. Capellaniae 6. Augusti 1791.*

De amotione capellani non infrequens controversia est. Porro si capellania sit laicalis seclusa contraria voluntate fundatoris potest capellanus ab eo qui jus habet ipsum destinandi pro arbitrio et sine ulla causa amoveri. *Card. de Luca de benef. discurs. 80. num. 17. et sequent., Leon. de offic. capellan. quaest. 5. sect. 16. n. 251, Rota in Leodien. Capellaniarum super bono jure 27. Februar. 1719.* §: *Ea moti et sequent. coram bon. mem. Foscar. confirmata 28. Junii 1720.* §: *Pro eo vero coram eodem et 12. Junii 1720.* §: *Validitate coram cler. mem. Corio, in Civitatis Castelli Capellaniae 15. Januarii 1744.* §. *10. et seq. et 29. April. ejusdem anni 1744.* §. *5. coram bon. mem. Vicecom. et 28. Junii 1745.* §. *5. coram bon. mem. Lan. et in Firmana Capellaniae 6. Junii 1736.* §. *2. cor. bon. mem. Vicecom.*

Quod si capellania sit ecclesiastica nequit capellanus amoveri. Num autem in ejus erectione possit ab Episcopo approbari conditio, qua fit potestas patrono ipsum amovendi magna quaestio est. Ejus vero solutio inde pendet an perpetuitas sit de essentia necne capellaniae ecclesiasticae, nam Episcopus etsi in limine fundationis approbare valeat conditiones juri contrarias *) minime tamen approbare valeat conditiones essentiae capellaniae ecclesiasticae repugnantes. Rota *in Casertana Beneficii 28. Jun. 1745.* §. *6* coram clar. mem. Millin. in medio reliquit utrum perpetuitas sit de essentia ecclesiasticae capellaniae. At idem supremum Tribunal *in Fanen.* Juris nominandi 2. Julii 1745 coram *Reverendiss. P. D. Bussio Decano* firmavit posse conditionem hanc ab Episcopo in limine fundationis approbari. Et quod summopere notandum est agebatur in casu illius *decisionis* de capellano cui incumbebat cura animarum. Monet vero idem sacrum auditorium in hac ipsa decisione, quod in capellania perpetua acceptio conditionis amovibilitatis ad nutum initio possessionis nihil operatur. Num capellanus curatus ad nutum amovibilis a patrono inscio et non certiorato Episcopo amoveri queat expendit Rota *in Comen. Loci Furculae 27. Januar. 1730 cor. bon. mem. Ratto inter impressas dec. 274. tom. 3.*

*) Vd. *t. II. p. 353. n. 1.*

Capellani ecclesiarum exemptarum amoveri non debent ab Episcopo sine causa. *Sacr. Congreg. Episcop. el Regul. 25. Octob. 1602.* Immo generaliter nullus capellanus licet amovibilis amoveri debet sine causa. Ead. sacr. Congreg. *in Sulmon. 14. Maji 1645 et 16. Maji 1653.*

Quatuor ecclesiasticas capellanias, quas Nicolaus Spadari in cathedrali templo Aretino reservato jurepatronatus activo favore capituli passivo autem suis descendentibus erexerat iisque deficientibus nobiles Aretinos presbyteros designaverat exhausta fundatoris linea, nobilibus vero Aretinis minime opponentibus ob reddituum illarum tenuitatem uniri primum petiit et obtinuit capitulum favore mensae capitularis*) donec expuncto aere alieno auctisque duarum praebendarum redditibus pro Theologo scilicet et Poenitentiario (cujus rei intuitu perfecta fuerat unio) resoluta superiori anno unione per literas apostolicas in pristinum statum restitutae fuerunt privatae capellaniae. Ac duobus ex nominandis capellanis onus adjectum est quotidiani servitii choralis, ceteris vero duobus per quindecim dies in singulos menses ad chori pariter servitium alternative devinctis onus insuper coadjuvandi Canonicum parochum in curae animarum exercitio fuit impositum.

Animadvertens autem Canonicorum ca-

*) Vd. *t. II. p. 1037. b; p. 994. XV; 999. XVI.*

pitulum quatuor hosce capellanos ad tramites juris perpetuo illarum titulo cum canonica institutione fore providendos supplex adfuit coram H. S. Ordine ut hi quoque sicut servatur in ceteris illius ecclesiae mansionariis sub lege amovibilitatis provideantur unde majus ac diligentius ecclesiae servitium experientia teste peragitur praesertim cum ex iis duo Canonicum parochum coadjuvare tenentur, quibus Episcopus facultates necessarias ad curam animarum administrandam professus est sese non concessurum nisi lege inamovibilitatis a fundatore imposita per Sedem apost. sublata liberum esset Ordinario eosdem quoties minus idoneos agnosceret prudenti suo arbitrio semper et quandocumque removere.

Auditus Episcopus narrata confirmat omnesque interesse habentes per publicas schedulas evocatos siluisse omnino testatus ea quae sequuntur adjungit: »Quod ad me attinet non solum capituli precibus libentissimo animo assentior sed iisdem et meas audeo humiliter preces consociare . . . . Quinimo ad omnem jam suborientem controversiam vel omnem dubitandi incommodam facilitatem subtilitatemque inposterum vitandam efflagitarem exinde quod pontificia auctoritas luculenter per novum a se nunc expetitum rescriptum declarare apposite velit duos capellanos curae animarum addictos ita integre a choro pro medietate mensis vicissim vacaturos ut si alter cui interveniendi choro onus incumbit inde abesse rationabili de causa contingat nullatenus alteri interim vacantis socii locum in choro subeundi onus accrescat.« *)

Res est de commutanda fundatoris voluntate, quod nonnisi justa et gravi suadente causa tum ss. canonum sanctionibus tum quotidiana s. hujus Ordinis praxi perficiendum esse docemur. Eoque magis in themate id desiderandum videtur ubi fundatoris voluntas cum canonico jure et sanctione consentit; nil enim magis notum in jure quam ut beneficia ecclesiastica titulo perpetuo personis ecclesiasticis conferantur, ita nimirum ut in dubio inamovibilitas praesumatur docente *Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 5. de praep. num. 46.* quod etiam desumitur *e can. Praeceptа dist. 35. cap. 1 et seqq. de clerico aegrot.*

Huic autem juris dispositioni visa est inhaerere s. Congregatio in *Carpen. 20. Decembris 1823* relata inter summaria precum apud Gamberinium 41. Ibi namque cum ageretur de efficienda amovibili ad nutum simplici capellania, quam fundator inamovibiliter edixerat conferri capellano, qui missas celebraret in quadam parochia ad populi commoditatem, rejecta fuit instantia posthabitis incommodis, quae ex inamovibilitate dicebantur oriri; iis enim facile occurri posse perpendebatur cogendo capellanum juris remediis ad munus demandatum adimplendum.

Ad commutationem praeterea non solum necessitas sed etiam utilitas desiderari videtur in themate. Tenuis siquidem est quatuor capellaniarum annuus redditus in scutatis 150 insimul computatus adeo ut etiam antequam onere coadjuvandi parochum duo ex praefatis capellanis gravarentur diffcile inter passive vocatos reperiretur, qui illas appeteret. Major profecto difficultas exurgeret eas de proprio rectore providendi si amovibiles redderentur addito nunc curae animarum gravamine. Incommoda vero ex inamovibilitate oritura nec a longe proferuntur; quae tamen quoties evenient facili negotio poterit Episcopus adhibitis juris remediis opportune coercere.

Gravis e contra Episcopi oppositio quoad capellanos parochi adjumento destinatos firmaque illius protestatio de non admittendis inamovibilibus capellanis ad operam auxiliatricem parocho praestandam in cura animarum quamdam forsan considerationem exigere videtur. Habita enim ratione loci et personarum eo fortasse loci quiddam pertimescendum erit, quod alibi desideraretur omnino. Ita enim ille: »adeo me omnis et officiorum ecclesiasticorum exercitii senem experientia docuit, ut vix capellanum in animarum cura principali parocho adjunctum eique auxiliario titulo datum paterer inamovibilem.«

Ceterum controverti nequit faciliori negotio contineri in officio et debita parochi subjectione capellanos si remotionem de facile possent pertimescere, quam si servato tantum juris ordine instructoque processu beneficii privationem essent passuri; quod profecto non sine gravi animarum detrimento contingeret. Qua de causa nonnunquam ab hac s. Congregatione concessum est, ut parochi etiam titulares amovibiles instituerentur seu paucis abhinc annis Emo Episcopo Portuensi pro ruralibus illius dioecesis paroeciis est tributa facultas. In causa autem accedit quod in implorata commutatione uniformitas haberetur cum recentiores capellaniae Spadari eamdem induerent qualitatem atque naturam, quam

*) Vd. *p. 538. n. 6; p. 672. n. 7.*

ceterae omnes capellaniae seu mansionaratus illius capituli amovibilitatis ratione praeseferunt.

Objecta vero difficultas quoad capellaniarum provisionem parvi pendenda vel nullo etiam in pretio habenda videtur cum difficultas non ex amovibilitate derivet sed si qua interdum erit ex proventuum tenuitate dimanet.

Quoad declarationem vero quam ultimo loco quaerit Episcopus adeo per se clara literarum apostolicarum est dispositio, ut nullo possit oriri dubitatio. Ubi enim de servitio chori a duobus capellanis parochum coadjuvantibus praestando disponitur hisce Pontifex utitur verbis »reliquis autem hujusmodi absentiam quindecim . . . dierum quolibet mense alternatim perpetuo indulgere . . . . possis et valeas«, constituitur nimirum inter eos alternativa*) seu mediaria unde fit ut impedito capellano in actuali servitio alter minime absentis defectum supplere teneatur juxta regulas in alternativis servari solitas.

Decisio: Pro facultate amovibilitatis pro duobus capellanis qui parocho inserviunt facto verbo cum SSmo. In reliquis provisum per literas apostolicas.

Die 20. Decembris 1851.

3) Amotio a laicis inconsulto Episcopo non licet.

Vd. n. 2; *Capellanus confrat.*

Spoletana.

(Conc. Trid. c. 9. sess. 25. de ref.)

Cum in plerisque ecclesiis parochialibus comitatus Nursiae assertus mos invaluerit, quod earum rectores ad nutum respective parochianorum removentur aliique amovibiliter praesentantur Episcopus ex munere pastoralis officii, prolato edicto, huic corruptelae, ut inquit, obviam ire ducit, decernens ne imposterum animarum curam obeuntes amoverentur ipso inconsulto. Profecto tutandi causa assertum hujusmodi jus universitatis Montis Bufi ejusdem homines quam demisse praesidium imploraruntsac. Congregationis boni regiminis, exindeque remissa hujusmodi causa ad EE. PP. consessum pluribus in praesenti sese confoveri contendunt in quasi possessione juris amovendi pro libito capellanum seu curatum amovibilem, qui annuatim supplicationem porrigere consuescit pro sui confirmatione, ut perhibetur ex iteratis praetensis actibus atque Episcoporum et assertionibus in summario recensendis; ceterum ex infausto terraemotus chasmate deperiisse asserunt documenta fundationis sive erectionis hujusce capellaniae. At Episcopus, exageratis pluribus minus probandis, quae ex hujusmodi more insurgunt praesertim quia parochi tum frequenter amoventur, cum morum corruptelis minime blandiuntur, brevi se expedit, quod capellanus curatus ad nutum amoveri possit, cum apud deputantem cura habitualis residet, secus vero si capellano ipsi omnimodo animarum cura committatur, quemmadmodum contigit in praesenti; quibus praelibatis aliisque utrimque adducendis quid desuper decernendum sit, relinquitur summae EE. PP. sapientiae et prudentiae sub dubio:

An liceat communitati amovere capellanum seu curatum ad nutum seu potius ex causa in casu etc.?

S. C. resp.:

Negative sed tantum ex causa approbanda ab Episcopo.

Die 8. Julii 1713; 1. Decembris 1731; 8. Mart. 1732.

Firmana.

Ad patronorum libitum capellanus expelli non valet, sed ex justa, gravissima causa, uti post *textum in cap. Cum querelam de elect.* tenent *Fagnan. de jurep. part. 2. cap. 21. cas. 10 et 11, Rota cor. Cavaller. decis. 72. n. 1 et 2 etc.* et *S. C. in Nullius Farfen. Capell. 6. Aug. 1791* et *Romana Suspensionis onerum 22. Aug. 1803. §. Capellani.* Praeterea vero de hac amovibilitate in fundationis tabulis vel alibi ne volam quidem in themate reperi, quo in casu capellania praesumi debet perpetua, docente *de Luca de benefic. disc. 80. n. 9* et *Rota in dec. 72. n. 3. cor. Cavaler.*

Die 29. Apr. 1837.

4) Assistens in functionib. etc.

Vd. *Assistentia cleri etc.* t. I. p. 1132.

5) Assistens matrimoniis.

Vd. *Matrimon.*

6) Aulicus major.

(Facultates)

Vd. *Capellanus milit. major.* (facult., constit. Bened. XIV.: *Convenit.*)

*) Vd. *Chorus* (alternativa).

7) Cathedralis.

a) Collegii jura.

Vd. p. 545. b; p. 450. b; t. II. p. 139. n. 11. *Capellanus* (substitut).

Pisana.

Insigni capellanorum beneficiatorum collegio seu universitate quinquaginta quatuor numero praeter Canonicorum capitulum decoratur metropolitana Pisarum ecclesia. Eorum cuique peculiaris est praebenda et communis adest massa cujus redditus in distributiones quotidianas aliaque onera adimplenda destinati procurantur per capellanum ab ipso collegio electum. Nulla ii residentiae lege obstringuntur adeo ut ipsorum residentia non sit *arctata* sed *causativa*, quae nimirum distributiones lucrari cupientibus addicitur. Suas habent constitutiones ab Archiepiscopo D'Elci editas anno 1690 et ipsius approbatione confirmatas queis de recta bonorum administratione, redditnum distributione variisque muneribus rite obeundi provide cavetur. Decretis praeterea aliorum Ordinariorum consultum identidem fuit chorali disciplinae, distributionum partitioni pro variis choralibus officiis ac functionibus explendis et praefinita ac discreta jura a capitulo et capellanis respective exercenda sunt. Quamobrem distinctum utrinque habent punctaturarum librum, quarum signaturae praeest pro Canonicis magister chori vulgo dictus *Magiccoro*, pro capellanis vero duo *Signatores* nuncupati ab ipsa universitate electi. Quibus insuper accedunt bini revisores utrinque constituti, quorum munus est fallentiarum signaturae advigilare. Demum alia etiam decreta cavent de consueto juramento a capellanorum punctatoribus Canonicis praestando, de illorum libro punctaturarum suo in sacrario retinendo et ab Archipresbytero una arcae clavi apud se servando.

Haec tamen omnia salubriter sancita haud praepedire valuerunt quominus quaestiones ac jurgia itentidem erumperent atque non sine scandalo agerentur Canonicos inter et capellanos et quandoque etiam hos inter et Archiepiscopos. Siquidem praetendentes capellani universitatem ac corpus distinctum sese constituere nerviter obsistebant et negabant se Canonicis esse subjectos eosque non posse servitium et punctaturas quo vellent modo statuere. Archiepiscopis etiam obsistebant in eo, quod illi nempe jus habere se putarent ferendi leges et decreta negotiorum procurationem respicientia etsi tamen aegro licet animo ipsis obtemperarent ac acquiescerent. Dissentio pariter eos inter erat circa chori officialium electionem necnon distributionum participationem quoad capellanos illos, qui choro absentes aliis oneribus satisfacerent aliisque servirent officiis. *)

Porro hisce controversiarum capitibus vehementius in dies incalescentibus uno veluti ictu praecidendis optimum fuit capellanorum consilium cum ad sacram hanc justitiae aram confugientes urserunt ut sapienti judicio rem universam EE. PP. definirent. Quamobrem scripta hinc inde mole non exigua edita sunt queis jura respective tuebantur quaeque ut accuratius expenderentur ac cribrarentur pro voto ablegata Emmo Card. Patrini provide fuerunt. Qui sane ea qua eminet juris peritia quatuordecim quaestionum capita evolvere affabre agressus est ceu exarata adnotantur in folio pro Congregatione diei 27. Julii 1839, quae iterato proposita plene tandem definita fuerunt in conventu diei 22. Junii 1844. Ad rem praesentem quod attinet nonnulla ex memoratis dubiis recensere sufficiat; quippe ex eorum responsis argumenta adstruuntur ad jura alia definienda de quibus infra.

In I. itaque dubio disceptabatur: *An et quae jurisdictio competat Archiepiscopo in administratione massae universitatis in casu?*

In II. *An resolutiones universitatis et electiones officialium sint ab Archiepiscopo approbandae in casu?*

In III. *An et quomodo Archiepiscopo competat jus exigendi redditionem rationum ab universitate in casu?*

In IV. *An, quomodo et quae jurisdictio competat Canonicis in capellanos etiam quoad eorum coercitionem in casu?*

Tribus prioribus dubiis quia resolutio ob viduitatem Sedis archiepiscopalis protelata usque ad electionem novi Archiepiscopi fuerat datum est responsum die 22. Junii 1844 nimirum:

Ad I. *Affirmative et competere juxta ss. canones jus cognoscendi tempore visitationis de gesta administratione juxta votum Emminentissimi Relatoris.*

Ad II. *Negative ad primam partem salvis juribus Ordinario per ss. canones competentibus; affirmative ad secundam quoad approbationem Camerarii juxta votum Eminentissimi Relatoris.*

*) Vd. p. 669. §: *Quatuor.*

Ad III: *Provisum in praecedentibus.*

Ad IV: quod in prima causae propositione resolutum fuerat responso »*Affirmative juxta consuetudinem et praesertim circa ea, quae choralis servitii disciplinam respiciunt*« dum in postrema propositione ne dictum fuit: *in decisis:* additus fuit tamen modus: *Nimirum circa ea, quae rectam choralis servitii disciplinam respiciunt.*

Tantum at vero abfuit ut per s. Ordinis edita oracula pax inter Canonicos et capellanos constabilitaretur, ut potius novis quaestionibus ac colluctationibus eos inter alendis causam praebuisse dolendum sit. Siquidem capellani, a dictis resolutionibus auctoritatem mutantes, cuncta quae universitatem ipsam respicerent gerere vel deliberare posse absque ulla a capitulo dependentia jactabant. Contrarium urgebant Canonci, qui decretis Antistitum vel maxime freti contendebant, capellanos nihilominus obnoxios capitularibus statutis in eo quod respicit fallentiarum methodum; eorumque punctatores teneri juramentum emittere in manibus Archipresbyteri. Inficiabantur insuper jus capellanis sibi eligendi annuatim caput seu praesidem qui in generalibus conventibus universitatem repraesentet, quod officium inesse Magistro chori ajebant ab ipso capitulo electo. Huic controversiae occasionem praebuisse videtur renuntiatio emissa anno 1845 a magistro chori Cajetano Borgioli, qui ad camerarii etiam munus electus incompatibilem primum duxit officium istud cum praesidentia super eadem universitate: mox vero ad idem officium restitui petiit.

Neque hic finem faciunt jurgia. Cum ad tramites literarum s. Congregationis super libello eidem oblato a capellano Joanne Galbani ad jubilationis indultum obtinendum referendum esset ab Archiepiscopo super continuo ac laudabili quadragenario chori servitio, capitulum ex eo quod in hoc muneris etiam sui partes esse putavit ob suetam formulam »*audito capitulo*« petiit a Capellanis ut sibi copia daretur inspiciendi punctaturarum librum, quem ipsi ex Canonicorum aria jam eduxerant ac in proprio archivio custodiendum fas sibi esse censuerant. Hujusmodi praetensae pariter restitit capellanorum universitas. Ut autem eidem innotuit s. Congregationis decretum diei 26. Aprilis 1847 quo instante capitulo demandabatur Episcopo, ut juris etiam remediis cogeret capellanos, ut iterum libri punctaturarum custodirentur in sacrario Canonicorum necnon ut iidem inspicerentur, duplex asserto juri suo vulnus additum putarunt, nimirum quoad facultatem apud se librum punctaturarum asservandi et quoad relationem directe Episcopo suppeditandam super chori servitio in casibus jubilationis capellanorum.

Ad has aliasque inposterum arcendas capituli molestias unicum duxerunt superesse remedium, confugium iterum ad S. H. C. habere, quod supplici reapse libello perfecerunt.

Archiepiscopus, cui praefatus libellus supplex pro informatione missus est auditis capitulo et capellanis, mandatis diligenter obsequutus, remisit utriusque partis jura ac documenta. Postquam vero in suis literis sese summatim retulerit ad ea quae in aliis jam editis informationibus edixerat favore capituli suam sententiam pandit.

Eodem probationis genere sustentare satagit justitiam juramenti exquirendi a punctatoribus capellanorum, de quo agit secundum dubium, nimirum memorat relationem Archiepiscopi D'Elci, ubi narratur quod »*unus ex capellanis ex bursa quolibet mense extrahitur ad punctandos capellanos et alius ex altera bursa quolibet anno ad punctando-Canonicos deputatur et utrique coram Archipresbytero juramentum datur de officio bene et rite administrando.*« Informationem adjicit ab Archiepiscopo Frosini s. Congregationi datam in alia causa Pisana juris *sedendi* anno 1731 ubi adnotabat Praesul ille: »*Capellanos esse in pacifica possessione punctatores ab eis electos obstringendi juramento eorum munus fideliter exercendi.*« Idipsum solemnius edicitur in memorato decreto Archiepiscopi Franceschi et comprobatur ex deliberationibus capitularibus aliisque documentis penes Archiepiscopum asservatis, in quibus mentio fit de juramento praestito annis 1708 et 1727 usque ad 1731 et quandoque etiam contradictione elicita.

Ex praemissis juribus illud necessario sequi insuper putant Canonici, ut a cumulativo jure custodiendi signaturarum librum arcendum haud quamquam sit capitulum. Si enim istius jurisdictio ex decreto s. Congregationis supra memorato vertit potissimum

quoad choralis servitii disciplinam, si ea nonnisi per signaturam choralem exerceri valet fatuum prorsus esset oppugnare jus custodiendi libros ubi punctaturae notantur ad effectum etiam dignoscendi, utrum munera a signatoribus vel aliis fideliter exequantur, atque super iisdem advigilandi ad suspiciones ac fraudes removendas.

Qua de re optimo consilio statutum fuisse ostendunt ab immemorabili fere tempore, ut liber in arca penes sacrarium Canonicorum asservaretur utque exinde ad praepediendas controversias optima methodus ab Archiepiscopo Guidi circa ejusdem asservationem invecta anno 1797 ab Archiepiscopo Franceschi decreto sanciretur. Atque hic numquam satis damnandum clamant capellanorum attentatum dum contra hujusmodi temperamentum quod sapientiae ac prudentiae specimen exhibet ausi fuerunt librum signaturae a sueta custodia abducere atque adeo pertinaciter restitutioni obsistere, ut despectis mandatis Archiepiscopi istiusque s. Congregationis ad laicae potestatis praesidium non sine gravi scandalo opus fuerit recurrere.

Ut autem jus Magistro chori vindicent universitati capellanorum praesidendi quod respicit adquartum dubium ad consuetudinis vim confugiunt Canonici, quam inquiunt mirum in modum ipsis favere eamque desumunt ex multiplicibus monumentis potissimum autem a constitutionibus anni 1583.

Magnam porro esse consuetudinis vim eamque veluti legem*) habendam docet *text. in leg. 23. 35 et 37. ff. de legil.* Quam consuetudinem rationi etiam consonam ostendunt. Cum enim officialis iste jus habeat primum occupandi locum inter capellanos atque distincta deferre insignia in choro, in processionibus aliisque sacris functionibus in quibus interveniunt capellani haud profecto congruum videretur, ut inferiorem locum teneret in coetibus universitatis cum agitur de negotiis agendis.

Haec aliaque id genus plura edisserit hodiernus magister chori Cajetanus Borgioli qui ut jus suum protueatur addit electionem magistri chori perfici absque eo quod ulla adhibeatur forma, quae indigitet praeeminentiae translationem; quod profecto suadet ejusmodi praerogativam profluere ac migrare cum electione dicti officii. Addit insuper Officialem hunc claves penes se retinere rerum ad capellanos pertinentium in armario Ecclesiae primatialis.

Nec jugi observantiae obesse factum magistri chori Evangelisti, quem referunt suppliciter petiise anno 1707 ab universitate, ut sibi praeeminentiae honor decerneretur. Id enim praeterquam quod unicum est exemplum, proinde impos ad obtinentem consuetudinem destruendam, abunde refelli ex factis ac documentis sequioribus potissimum vero a synodo dioecesana Archipraesulis Frosini anni 1725, auctoritate Canonici Martini in suo opere publici juris facto cui titulus *Theatrum Basilicae Pisanae anni 1727* necnon manuscripto Canonici Angeli D'Abramo anni 1717, quibus omnibus rotundis asseritur verbis magistrum chori *electionis virtute* ad ipsum officium *statim primus et caput ipsius universitatis efficitur.*

Nec pariter sibi obesse renunciationem, quam anno 1845 emittendam censuit eamque nullitatis vitio laborare existimat, quia edita sub causa et conditione nimirum quia secus renuissent capellani ipsi conferre lucrosum munus Camerarii, quod incompatibile autumabant. Deinde ex hujusmodi facto contrarium haud licere sumere argumentum, quum haud possit praejudicium inferri successorum juribus, demum nil prohibuisse quominus renunciatio praedicta revocaretur quippe nondum ab universitate admissa vel rejecta.

Quod si post renuntiationem formiter petiit ab universitate ut sibi regredi daretur ad praesidentiae munus id neque minus sibi officere censet *primo* quia antequam instaret jam re ipsa suo munere iterum fungebatur ceu patet ex regestis ipsius universitatis: *secundo* quia petitionem illam ideo obtulit, ut morem gereret Archiepiscopo, qui falso putabat hoc temperamento omnem praecidi posse controversiam.

Paucis demum censet capitulum refelli adversariorum praetensam, quae sub quinto dubio proponitur. Nimirum nullam a ss. canonibus auctoritatem agnosci praeter eam, quam capitulo tribuunt, quod veluti Episcopi senatus*) unicus ipsius consiliarius habetur.

Proinde satis s. Congregationi innotescere quid sibi velit clausula illa *audito capitulo*,

*) Vd. *Consuetudo.*

*) Vd. *p. 416. n. 35.*

quam adjicit suis literis super libellis eidem oblatis. Ceterum si de jurisdictione capituli quoad disciplinam choralis servitii ambigendum non est congruit rationi, ut ipsi etiam jus sit de chorali servitio referendi. Ad factum quod attinet satis etiam censet sese referre ad acta penes s. H. O. existentia similium casuum jubilationis capellanorum ex quibus liquido patebit utrum capitulum seu potius universitas relationem super chorali servitio jubilandi confecerit.

At capellani ad Canonicorum dicta explodenda plura in medium proferunt. Veluti indubia jurium suorum fundamenta ponunt:

1. Universitatem morale corpus constituere a capitulo prorsus distinctum;

2. Eamdem frui debere juri ac independentia nedum a Canonicis sed et ab ipso Archiepiscopo cui unice reservata est facultas ad tramites Tridentinae sanctionis;

3. Capellanos punctaturarum lege nullatenus obnoxios esse;

4. Canonicorum jurisdictionem ad unam chori disciplinam coerceri;

5. Demum capellanis liberam facultatem inesse proprios officiales sibi adsciscendi. Quae praerogativae dum suapte natura Universitati congruunt etiam evidenter confirmari inquiunt ex s. Ordinis resolutionibus annor. 1830 et 1844 superius relatis.

Inde toti sunt in ostendendo Capituli praetensam e diametro pugnare cum enunciatis praerogativis eamque proinde veluti justitiae ac aequitati dissonam esse respuendam. Et ad primum dubium quod attinet perperam contendunt mutuari sibi auctoritatem ex adverso a resolutione 4. dubio dato, quo agnita fuit capituli jurisdictio supra capellanos quoad rectam choralis servitii disciplinam. Praeterquam enim nullimode ex hoc sequitur ut etiam ipsius capituli statutis subsint quoad methodum choralis signaturae, illud insuper peremptorium accedit, quod aperte refragantur tum indoles institutionis ipsius universitatis tum leges seu constitutiones quibus eadem regitur tum etiam jugis plurium saeculorum observantia. Reque vera ex fundationis lege est ut capellani non teneantur ad residentiam seu chori servitium ceu tenentur Canonici, isti proinde si intersint nullo modo praemio donantur si vero muneri desint pecuniaria poena mulctantur. Contra capellani si absint nihil amittunt. Notantur autem quum ad chorum accedunt ut praemio donentur. Hac subsistente contra inter utramque signaturam ratione fieri non posse clamant ut identica signandi methodus ad unum effectum instituta aptari valeat ad alios, quin prius onera utrinque coaequentur, quod esset in casu idem ac fundationis legem destruere.

Propterea admissa capellanorum dependentia ac aequalitate quoad signaturarum methodum illud abnorme dubio procul sequi censent, ut ipsi forent mulctandi ubi choro deessent, quod idem sonat ac novum onus eis imponere et immerita poena eos plectere; quatenus autem choro interessent emolumentum nullum acquirerent nimirum praemium eis debitum auferetur. Nec satis: ejusmodi aequiparatione admissa, quae facultatem implicat augendi vel imminuendi praemium ideoque disponendi de massa reddituum deque iisdem cognoscendi ac calculos conficiendi eo ipso migraret in capitulum facultas administrandi ac pro lubitu disponendi de redditibus universitatis. Atqui si ex s. Ordinis praescripto vetitum ipsis Archiepiscopis fuit sese immiscendi in bonorum universitatis administratione id fortiori jure nefas esse debere capitulo clamant.*)

Nec ullam urgere causam ejusmodi invehendae novitatis. Quidquid enim ex adverso inusitatur sub specie aptius sacris functionibus consulendi pugnat tamen id cum facto perenni ex quo evincitur numquam chorale servitium quoad capellanos defuisse etsi ad illud minime tenerentur et nullas quaerimonias de hoc fuisse ullo unquam tempore excitatas. Caeteroquin si quid satius conferri valet ad rectam signaturae methodum id peroptime sancitum reperiri de anno 1690 in constitutionibus ab Archiepiscopo D'Elei universitati datis. Ad earum quippe tramites duo e collegio eliguntur quotannis ad signaturae munus: quatuor vero alii officiales *Sopraintendenti* nuncupati constituuntur ad quos praeter alia spectat expendere *il libro della segnatura del coro a loro piacimento.*

Quantam porro mereantur auctoritatem memoratae constitutiones colligunt etiam ex facto Emmi relatoris, cui in superiori causa inter argumenta pro universitate adducta contra praetensam Archiepiscopi jurisdictionem in administratione massae ipsius universitatis haud levioris momenti visum est illud

*) Vd. *t. I. p. 187. n. 3.*; *t. II. p. 1088. IX.*

quod ex dictis constitutionibus scatebat. Sic enim in folio *27. Julii 1839.* §. *Neque* animadvertebat: *Urget praeterea illud quod ex praefato auctore* (Averano) *cognoscimus constitutiones nempe ab Archiepiscopo D'Elci universitati datas universitatis ipsius approbatione fuisse confirmatas; unde sequitur ideo vim legis obtinuisse quod collegii consensione fuerint receptae.* Atque hic animadvertunt quam injustum ac inopportunum judicandum sit Archiepiscopi votum in superius relata informatione panditum ut nempe novis legibus ac constitutionibas condendis universitas subjiciatur. Quod enim optime statutum ac receptum est et bisseculari fere observantia firmatum, quod insuper agnitum sapienti s. Ordinis judicio fuit, ut ad tramites illius certi constituti fuerint jurium limites a capitulo et capellanis servaudi, iniquum modo esset absque vehementi causa subvertere et potius quam paci ac disciplinae consulere perturbationes et odia inter utrumque morale corpus confovere.

Haec cum ita se habeant incassum invocari ajunt ex adverso documenta vel decreta ab Ordinariis Pisanis edita utpote quae fidelitatis praerogativa vel legis auctoritate vel observantiae vi destituuntur. De decreto Vicarii generalis Bocca adnotant inprimis illud integrum minime exhiberi. Notorium in jure esse acta quae non sunt integra non probare, *Card. de Luca de haeredit. disc. 19. num. 4*, quia veritas ex integro contextu desumitur non ex una tantum parte, quae quandoque pugnare videtur menti illius qui actum edidit. Quatenus insuper de illius veritate constaret addunt numquam fuisse acceptum nec observatum ab universitate et in deteriori quoque hypothesi qua vim obligandi obtinuisset, cum tamen anno 1690 nimirum saeculo fere posteriori editae fuissent ab Archipraesule D'Elci constitutiones queis signaturae ratio statuitur ad tramites legum fundamentalium quibus regitur universitas, ad leves dictum decretum abiisse auras ambigendum non esse; quippe posteriores leges prioribus derogant.

Quoad sententiam Archiepiscopi Saurisii atque relationem Archiepiscopi D'Elci anno 1640 haud nimis sollicitos sese praebent, nullam enim auctoritatem utrumque documentum sibi conciliare in themate posse ajunt ceu cuique legenti patet. De decreto potius Archipraesulis Franceschi animadvertere satagunt illud despiciendum esse utpote quod dispositiones contineat canonicis legibus aperte refragantes, quas s. Congregatio omnino respuit suis resolutionibus anno 1344 dum nimirum denegavit Archiepiscopo jurisdictionem administrandi bona universitatis, quam ipsi decretum illud perperam tribuebat. Addunt numquam admissum et agnitum ab ipsa universitate illud fuisse ceu injuria ex adverso asseritur sed tantum sese illi subjecisse ex necessitate et vi majori cogente, quae conditio perduravit usque dum viduata Sede archiepiscopali liberum ipsi fuit proculcata jura per s. Congregationem vindicare.

Ex praenotatis juribus arguunt etiam, quid de praetenso juramento sentiendum sit. Si enim actus iste a punctatoribus conquiritur pro danda fide muneris recte ac fideliter obeundi jam quum quoad capellanorum siguaturam punctatorumque electionem quae annuatim fit nullum capitulo insit jus sequitur quod neque juramentum Archipresbytero praestandum praetendi possit. Addunt juramentum praestari ex more ipsi universitati, proinde superfluum illud iterum exquirere dum eadem esset spousio coram Deo: et injuriosum prorsus esset si de data semel solemni fide ambigeretur: maxime in themate, quo haud desunt, qui praesint ac invigilent agendi punctatorum rationi.

Non nocent documenta atque exempla adducta; siquidem capituli constitutiones adeo exiguas numero exhiberi ut respectu habito ad plurium saeculorum fugam nequeant ullatenus consuetudinem inducere ad quam actuum frequentiam requiri nemo est qui ignoret sed potius argumentum praebeant coactionis cui sub specie praetensorum jurium diu nimis capellani se subjecerunt. Ceterum omnem juris ideam satis refelli a constitutionibus Archiepiscopi D'Elci in quibus de juramento nec vola nec verbum occurrit; adeo ut si quid quandoque contra vel praeter easdem patratum sit id veluti temere factum nec vim alios obligandi habere tenendum sit.

Idem ferendum judicium putant quoad modum custodiendi punctaturarum librum. Quod enim cuilibet morali corpori proprium est libros nimirum propria negotia concernentes penes ipsum asservandi: quod insuper universa ecclesiarum praxis ac consuetudo docet, ut punctaturarum liber ab unoquoque respective collegio custodiatur absque ulla a

capitulo dependentia; quod demum ipsi universitati per diuturnum tempus datum fuit pacifice habendi in apposito ecclesiae armariolo proprium signaturarum librum id nonnisi per summam injuriam ac fraudem superiori saeculo interturbatum a capitulo fuisse clamant.

De quo probationem snppeditare ajunt ipsum decretum ab Archiepiscopo Guidi ideo editum quia ut controversias ea super re ferventes componeret propositum fuit temperamentum communis arcae ac clavium. Verumtamen perperam ex adverso inniti ejusmodi decreto quippe si illud capellani acceptum habuerunt, ut obsequerentur officiis Archiepiscopi, attamen satis sibi consultum voluerunt per explicatam jurium reservationem, quam reservationem adeo efficacem existimant, ut subsequens etiam decretum Archiepiscopi Franceschi quatenus obligandi vim habere posset, quod tamen inficiantur, nullum quoad ipsos effectum contrarium gignere possit, ita ut liberum ipsis continuo sit absque attentati formidine ad antiqua regredi jura.

Absonam pariter juri et facto ducant praetensam Capituli et hodierni magistri chori quoad privativam praeessendi coetui capellanorum. S. enim Congreg. persaepius memoratas resolutiones inter alia sancivit: primo, ut Universitas suos officiales eligeret independenter etiam ab Archiepiscopo cui unice reservata fuit confirmatio Camerarii: secundo ut capitulo jus esset officiales tantum chori et inservientes Altari eligendi ceu evincitur ex responsis 2. et 5. dubio datis necnon ex juribus late discussis in folio sub §. *De Officialium et seqq.* Atqui quum Praeses universitatis primus sit inter ipsius officiales quumque magister chori a capitulo eligatur et inter suos officiales recenseatur si ille necessario a capellanis foret admittendus utraque resolutio violaretur. Quod eo minus ferendum, quia id etiam implicaret quamdam saltem indirectam capituli participationem in negotiis administrationem universitatis respicientibus et cum magister chori a capitulo dependeat nemo non videt quam facilius obsequeretur ipsius praetensis si necessario foret admittendus.

Cavillari autem dicunt dum facta ingenio suo capitulum obtendit. Quidquid enim de renunciationis causis sit, verumtamen semper manet magistrum chori Evangelisti ipsumque Borgiolium universitati supplicasse, ut ad praesidentiae honorem admitterentur; quod dum satis per se pandit electionis potestatem ipsi contra inesse, merito etiam Borgiolio improbat turbitudinem contra proprium factum insurgendi. Quod si universitas censuit continuo sibi magistrum chori eligere id unice illius voluntati ac libertati tribuendum; idcirco nullum jus nec capitulo nec magistro chori quaeri potuit, quia ex mere facultativo etsi per mille annos admisso nulla coactiva inducitur observantia ad text. in cap. *Cum tanto 11. de consuetud.* verb. *Si legitime praescript. Glos.* et *Abb. num. 17*, *Conztantin. ad statut. Urb. vot. 232. num. 28*, Rota *in Asculana Juris privativi 7. Junii 1751. Atque hinc coram Cortardo.* Quin obstent documenta relata ex adverso. Scriptores enim illorum non quid in jure sed quid in facto eveniebat simpliciter referre solliciti fuerunt prout Historicos.

Relate demum ad postremam controversiam super jure referendi in casu jubilationis opponunt exempla similia capellanorum Unis, Marosi, Salghetti necnon ipsius Galbani qui annis 1802, 1839, 1840, 1848 jubilationem obtinuerunt praeeunte relatione directe ab ipsa universitate exarata. Neque id injuria factum autumant ex eo quod nulla ratione valeat capitulum quoad signaturam ac administrationem rei universitatis sese immiscere nec proinde eorum libros exquirere et siudicationi submittere. Quae omnia inevitabilia forent si ipsi fas esset super chorali servitio relationem perficere.

Hactenus disceptata perpendant Eminentissimi Patres et dirimant

Dubia:

I. *An capellani subsint constitutionibus et deliberationibus capituli quoad methodum signaturae in casu etc.?*

II. *An punctatores capellanorum teneantur juramentum emittere in manibus Archipresbyteri in casu etc.?*

III. *An capitulo jus sit retinendi penes se spoliarium librum in quo capellanorum punctatura adnotatur seu potius custodiendus sit in proprio eorum archivio in casu etc.?*

IV. *An chori magister eo ipso quia ad hujusmodi munus a capitulo eligitur admittendus necessario sit a capellanis in eorum conventibus veluti caput repraesentans universitatem in casu etc.?*

V. *An in casu jubilationis capellanorum*

relationem Ordinario praebeant circa chori servitium seu potius attenta clausula literarum s. Congregationis audito capitulo *id pertineat ad capitulum, ita ut sit etiam eidem jus inspiciendi signaturarum librum in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad formam decreti s. Congregationis diei 27. Julii 1839 ad IV. dubium?

Ad II: Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV: Negative.

Ad V: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam exquisita prius per capitulum ab universitate relatione cum adjuncta notula punctaturarum.

Die 30. Aug. 1851.

Cont. Pisana.

Porro responsionibus postremis tribus dubiis datis acquiescendum censuit capitulum; non ita vero capellani quoad primum et secundum dubium, quorum proinde responsionibus implorata redeundi venia ad trutinam hodie revocatis iri ab Emmis Patribus meliori omine confidunt novis ad id exhibitis documentis novisque exemplatis animadversionibus.

Et quoad primum illud pugnare potissimum ajunt, quod dum haud ambigitur capellanorum coetum morale corpus constituere toto coelo a capitulo diversum velit nihilominus obnoxium reddi extraneis legibus ac constitutionibus perinde ac si proprias haud habeat vel habere queat leges. Quandoquidem ex omnium propemodum ecclesiarum more receptum haberi inquiunt, quod dum Canonici ac beneficiati seu capellani in eumdem intendunt finem divinas nimirum laudes choro concinendi distinctas tamen habent regulas vel ex fundatione manentes vel usu ac consuetudine legitima invectas tum circa chori frequentiam tum circa modum percipiendi distributiones seu signandi fallentias; nec adest canonica lex quae Canonicorum coetui utut eminentiori caetera inferiora collegia seu universitates in eadem ecclesia erecta obnoxia circa eadem omnino reddat quin potius juri consonum videtur, ut unum quodque navale corpus suas habeat secteturque leges, quae propriae cujuslibet indoli ac conditioni magis respondent.

In themate autem illud urgere ajunt, quod capitulum nullas reapse habeat vel habuerit unquam constitutiones, quae de chorali signatura agant quaeque insuper promulgatae acceptoque habitae, sin minus impositae fuerint unquam capellanis; et decretum Archiepiscopi Franceschi 1797 adductum a capitulo tamquam suae pretensae fundamentum de quo mentio est in superiori restrictu sub §. *Tandem* ubi capituli constitutiones ac deliberationes invocantur, veluti referens sine relato habendum esse clamant. Ceteroquin si quid juris in ejusdem Archiepiscopi decreto tributum capitulo fuit super capellanos illud totum inopinione fundabatur, quod ipsi capellani morale corpus a capitulo distinctum non constituerint nullamque haberent rerum suarum moderandarum facultatem ceu iterato in ipsius decreti narrativa parte enunciatur. Atqui hujusmodi pretensas profligatas abunde fuisse animadvertunt iteratis superioribus s. hujus Ordinis resolutionibus, quibus solemniter definitum fuit capellanos corpus morale constituere suaque rei administrandae independenter nedum a capitulo sed ab ipso etiam Archiepiscopo potestate pollere.

Illud insuper suadere conantur nullam in themate dari posse aequalitatem capitulum inter et capellanos quoad choralis signaturae methodum habito respectu ad diversam eorumdem indolem ac institutionem. Si quidem iterum clamant, quod capellani ex fundatione haud tenentur ad residentiam seu chori servitium ceu tenentur Canonici. Ex quo fit, ut isti si intersint nullo praemio donentur si vero muneri desint pecuniaria poena plectantur dum contra capellanis liberum manet ad chorum accedendi vel non, ut praemio quidem afficiantur si intersint, deficientibus autem nil prorsus deperiat. Atque ex hoc repetunt discrimen illud maximum in facto intercedens inter utrumque coetum quoad methodum ac ordinem computandi distributiones seu fallentias; quod ut plenius expendatur ab Emmis Patribus fideliter ipsis subjiciendum urgent.

In statuenda signaturarum methodo quae suum initium sumit ab anno 1500 nullas fuisse unquam partes capitulo satis luculenter erui putant ex eo quod nullum opportunum documentum ab eodem proferatur quod secus suadeat. E contra novum documentum exhibent ipsi in quo adnotantur quatuordecim collegii deliberationes habitae ab anno 1720 usque ad 1848 super assignatione vel augmento distributionum etiam in nonnullis extraordinariis independenter prorsus a capituli auctoritate sed uno praeeunte capellanorum suffragio. Quae inter memoratu dignam ducunt deliberationem anni 1831 qua statutum fuit, ut loco dividendi acervum reddituum scutator. millium ad capellanos pertinentem tuto potius investimento collocaretur ejusque redditus annuus erogaretur in augendis diebus designatis distributionibus, atque in hoc statuendo ne excogitatum quidem fuit de capituli consensu vel consilio exquirendo nec etiam ulla ab eodem querela tamquam de jurium patrata laesione adnotata est.

Lamentantur quapropter nunc primum per responsionem primo dubio datam adscribi atque sanciri capitulo facultatem, quam facto etiam suo numquam habuisse passum est. Quod quidem ubi per damnatissimam hypothesim confirmari contingeret ne dum id citra ullam sufficientem rationem factum iri clamant quandoquidem nullo unquam tempore de fideli choralium munerum implemento quaerelae admotae sunt, sed insuper in ea quam plerumque capituli plus aequo sibi blandiuntur opinionem in inferiores dominandi illud eveniret ut iterum universitas capellanorum in durissimam mancipii conditionem conjiceretur citra etiam oracula s. hujus Congregationis. Cum enim signaturae methodus potissimum pendeat ab oeconomica collegii conditione jam in hac super re deferendum esset capituli deliberationibus; nil prohiberet quominus pro lubitu sese immisceret in bonorum administratione atque etiam pro lubitu de iisdem disponeret. Quod quam collegio exitiosum esset quam aptum ad novas excitandas atque alendas dissentiones ac jurgia servitii choralis jacturam plerumque secumferentia nemo non videt.

Et perperam in data responsione invocatam fuisse inquiunt praecedentem resolutionem anni 1839 ad IV. dubium. Ibi enim tota versabatur quaestio circa chori disciplinam super qua capituli jurisdictio agnita fuit; de signaturae autem methodo seu quota nec vola nec verbum excidit. Atqui chori disciplina vertit quoad ordinem divinorum officiorum statuendum atque observandum; vertit praeterea super modo in choro versandi et super fideli adnotatione casuum interessentiae vel absentiae ab iis conficienda quibus id muneris demandatum est. Haec autem perbelle in optata integritate consistere ac servari posse animadvertunt quin opus sit ut a proprio cuique collegio sistemate signandi fallentias adscribendique distributiones deflectatur; fidem de hoc perhibentibus omnigenis fore capitulis in quibus una eademque est ab omnibus choralis disciplina servanda licet pro pinguioribus vel minoribus redditibus major vel minor distributionum symbola assignata respectivis collegiis reperiatur.

Quodquod erratum etiam fuisse contendunt in tribuenda capitulo auctoritate supra capellanos quoad choralem disciplinam dum ex monumentis atque observantia contrarium prorsus apparet capellanos nimirum ab una Archiepiscopi vel ejus Vicarii generalis auctoritate hac super re dependisse frustra obtinentibus Canonicis eamdem auctoritatem super ipsos usurpare. De quo luculentum exhibent testimonium desumptum ex libro quodam capellanorum.

Nec minus ex recentioribus documentis idipsum clarius evinci putant; nimirum ex cap. 26. synodi dioecesanae tit. de clericor. interventu in choro ab Archiepiscopo Frosini habitae superiori saeculo ineunte necnon ex literis ac mandatis anno 1811 et 1815 a Vicario generali illius temporis capellanorum collegio vel magistro chori scriptis ad eliminandas varias abusiones, quas tum circa psallendi modum tum circa fallentiarum signaturam irrepsisse cognoverat ex quibus satis deprehendi existimant plenas quovis tempore Ordinarios sibi adscripsisse partes circa choralem disciplinam quin unquam capitulo quidquam auctoritatis tribuatur. Quod si in aliquo peculiari casu secus colligi posse videatur id factum a capitulo per summum nefas fuisse dicunt vel etiam permissum ab aliquo Archiepiscopo, quia falsa ductus opinione quod capellani morale corpus haudquaquam efformarent nullamque haberent rerum suarum administrandarum facultatem. At factis ac juribus ita in sua integritate restitutis confidunt nunc tandem ita temperandam esse responsionem, ut ipsi ab indebita capituli dependentia tam quoad signaturae methodum quam quoad chori disciplinam exolvantur.

Nec aliter de altero dubio super juramento a punctatoribus praestando in manibus Archipresbyteri sentiendum putant. Si enim nulla adest ratio ob quam capellani subjici valeant constitutionibus seu deliberationibus

capituli circa signaturarum methodum jam per se omne corruit fundamentum illud exquirendi quippe omnino versaretur in fideli earumdem constitutionum observantia. Cum autem collegium suas habeat constitutiones et punctatores spondeant de fideliter adimplendo munere coram ipso collegio satis hac super re consultum videri cuique debet potissimum quia constitutiones ipsae binos statuunt revisores qui punctatorum facto praeesse atque advigilare debent adeo ut de negligentia ac fraudibus suspicari nefas sit.

Illud demum in facto hac super re adnotatum volunt nimirum hujusmodi capituli praetensam de juramento exquirendo nonnisi ab anno 1706 in lucem prodiisse eamque nihilominus nerviter propulsatam fuisse a capellanis praevia deliberatione eodem anno habita.

Quid haec valeant judicabunt Emmi Patres collatis juribus ac factis in praeterito restrictu plena manu relatis, quem ideo iterum consulere grave non sit. Meum est proponere

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Dilata.

Die 3. Julii 1852.

Continuatio.

Protelandam resolutionem duxerunt Emmi Patres eum in finem, ut si quid contra nova capellanorum jura capitulo animadvertendum superesset id scripto exhibere non detrectaret. Haud porro destitit capitulum suum transmittere libellum ubi fuso calamo omnia quae in superiori restrictu pro capellanis adnotabantur retundere conatur. Et quoad primum dubium praemonet plus aequo eos rem verbis extulisse quum per dependentiam a capitularibus constitutionibus ac deliberationibus relate ad signaturam falso existimarint illud venire ut capitulum se ingerere posset in universitatis administrationem vel exinde capellanis obligatio erumperet ad chori residentiam. Id veritati prorsus alienum haberi. Per praefatam dependentiam nil aliud intelligendum quam quod per tria ferme saecula observatum. Item sibi velle per dependentiam, ut signatura a capellanis adhibeatur in singulis canonicis horis persolvendis ac in sacris chori muneribus adimplendis uti hactenus in more positum fuit.

Rursus, ut duplex signatura vel distributio iis ex capellanis tribuatur, qui a capitulo ad chorales functiones peragendas vel ad altaris servitium eliguntur ceu etiam in capitularibus constitutionibus praecipitur atque ab eadem ex adverso signaturae methodo producta referebatur.

Denique ut capellani morem gerant capitularibus statutis ac deliberationibus prout hucusque gesserunt sive sermo sit de stabiliendo horarum canonicarum vel sacrarum functionum termino, quo ab absentibus amitti debeant distributiones, sive agatur de choralibus officiis quoad eos signatura privandos, qui male vel injuria suo munere funguntur, sive quaestio aboriatur de majori vel minori percipienda signaturae quota vel duplici perfruenda ac cetera hujuscemodi; quibus quidem in casibus mordicus capitulum capellanorum dependentiam adurget suis statutis ac deliberationibus innixum.

In aprico ita posita dependentiae indole ab eo toto coelo distare inquit, quam sibimet capellani effinxere. Enimvero nunquam se in eorum administrationem immiscuisse commemorat ne in taxanda quidem distributionum quota sive quoad signaturam ordinariam sive quoad extraordinariam. Quod adeo persuasum esse vel ipsis capellanis, ut ingenuo ore adaperuerint se absque capituli consilio signaturae methodum semper constituisse et probant ex suis deliberationibus habitis anno 1720 usque ad annum 1848 quibus et augmenta distributionum constituerunt vulgo sedute, ita profecto nuncupata, quia sine capituli interventu praestituta fuere. Hanc eorum agendi rationem in majori vel minori distributionum quantitate praefinienda juxta universitatis vires se venerari protestatur capitulum sine ullo tamen auctoritatis Archiepiscopi praejudicio si quandoque eidem taxare libuerit; atque optime ad rem perpendere ex bulla Pii II. propter praefatam incorporationem bonorum redditibus universitatis penitus erogandos eos esse in distributiones in ordine ad servitium metropolitanae Ecclesiae quin alio modo eos lucrari fas sit capellanis.

Quorum omnium pro coronide haberi signaturae systema a capellanis in medium allatum, nullam inde mutationem subire quod constitutionibus et capitularibus deliberationibus conformetur, queis se jamdudum uniformes praestitisse deprehenditur ex perhibita ipsorum confessione in precibus anni 1848, quin propterea ad chori residentiam adigerentur, nam praeterit neminem eos fallentiarum legi per absentiam minime subjici atque ex his illud peraeque manifestum fieri e diametro oppositam a nuper explanata dependentiam intellectam fuisse a capellanis tanquam videlicet suorum jurium eversivam, quod falsum se haberet ex patula eorum contradictione palam fieri non dubitat.

Gradum inde faciens ad cetera argumenta haud denegat capellanos collegium efformare cum adnexa potestate suas condendi leges; verum eas nonnisi ad actus protendi circa quos tantum collegialitatem habent; cujusmodi esse putat comitia habere pro recta bonorum administratione atque pro omnibus explendis oeconomiae negotiis; haudquaquam vero ad ea quae ad chori regimen ordinantur vel ad modum distributiones lucrandi cum istas lucrari nemo valet nisi eo modo statoque officiorum tempore, quod a chori disciplina praescribitur. Quam ad comprobandam limitationem praeter communem, quam in re adesse inquit, doctorum sententiam et auctoritatem quam citat *s. Rotae in dec. 127. num. 12. tom. 1. cor. Tanara* ubi pro monstro esse referuntur duo collegia distincta in eadem ecclesia, praecise invocat *dec. 76. num. 4* et *5. part. 7. recent.* in qua capellani nullum dicuntur jus habere maxime statuendi circa ecclesiam ejusque servitium, et *Gerundinam Servitutum super bono jure 23. Febr. 1731. cor. Cincio* ubi haec ad rem habentur: »Et quidem non obstante quod beneficiati juxta sententias rotales constituant collegium*) et communitatem et possint pro communibus eorum negotiis collegialiter se congregare eo modo quo declaravit Rota: dum constitutio collegii beneficiatorum distincte a Canonicis concernit solum illorum coadunationem et congregationem in propriis negotiis tractandis independenter a capitulo non autem omnimodam constitutionem diversi corporis et totalem independentiam ab eodem capitulo ne detur biceps corpus distinctum Canonicorum et beneficiatorum in eadem ecclesia; et sic salvis actibus in quibus habent justum titulum se coadunandi in reliquis obtemperare debent capitulo juxta etc.«

*) Vd. *t. II. p. 139. n. 11.*

Hinc indubium esse ait capellanos opportere capitulo subesse in cunctis actibus, qui choralia munia respiciunt; proptereaque in distributionum regulis quippe quae quoad percipiendi modum ad chori disciplinam attinent uti medium ad eam accuratius obtinendam quamvis nemo neget eas quoad quantitatis taxationem in specie adhibendam ad administrationem referri. Porro potestatem pro chori regimine condendi leges independenter etiam ab Episcopo nonnisi capitulo inesse comprobat ex *s. Rota in dec. 606. num. 1. part. 4. recent.* Necnon ad capitulum spectare chori moderari disciplinam; quod vel maxime in themate urgeri ex eo argumentatur quod s. haec Congregatio anno 1839 et 1844 ad 4. et ad 5. dub. definierit jus eligendi atque officiales chori et altari inservientes instituendi exclusive capitulo inesse. Quod admodum confirmari dicit ex qualitate quam praesefert capitulum ordinarii omnium capellaniarum ecclesiae institutoris quippe in conferendo capellanis jure ad emolumenta, quorum pars distributionibus conflatur magis, sibi suadet de jure quod habet signaturae moderandae sive relate ad majorem vel ordinariam indicendam sive super jure illas percipiendi sive in debito internoscendo interventus ad chorum tempore, tralatitium cum sit Ordinarium prout est capitulum in casu cognoscere ac judicare debere de controversiis inter capellanos exortis super distributionum perceptionem juxta consuetudinem ecclesiae, quae maximi facienda est in hac materia, *Rota in decis. 272. num. 3. cor. Emerix.*

Quin relevet aliquando Archiepiscopos aliquid decrevisse de modo distributiones lucrandi; quippe id contigisse putat ob eliminandos abusus in chori servitio intraductos ex alta quam ipsi habent in choro jurisdictione quin vel minimum officerent capituli juribus in capellanos quae semper sarta tecta servata sunt uti eruitur ex eorumdem relationibus ad hanc s. Congregationem necnon ex decreto Vicarii generalis Bocca, tandem ex altero Archiepiscopi Franceschi decreto, quod jam expendere operae pretium ducit.

Quandoquidem praenotat huic decreto occasionem praebuisse controversiam inter Zucchetti et Collarini capellanos exortam super jure assistendi cuiquam functioni cum pluviali ad effectum duplum lucrandi signaturae emolumentum. Capitulum at vero pro eo judicasse qui ab alio ex capellanis prae-

occupatus injuria fuit eidemque addixisse emolumentum. Exinde ansam sumpsisse capellanos se excutiendi a capituli dependentia atque effugium habuisse ad Archiepiscopum Franceschi ad hoc, ut dijudicaret de eorum a capitulo dependentia tamquam arbitrum constitutum, ut de plano et aequo ea desuper re decerneret. Post ultro citroque inspectas partium deductiones per examen ad biennium protractum propitium prodiisse decretum omnibus capituli juribus quotquot in discrimen revocare ausi sunt capellani apud s. H. Ordinem inter quae jus extat de signaturae dependentia necnon de jurejurando in Archipresbyteri manibus emittendo atque de libro signaturae custodiendo sub capituli vigilantia. Hocce decretum tamquam capellanis notificatum fuisse subnectit quin valeat ambigi de secuta capellanorum acceptatione cum in eorum libris exscriptum adamussim veluti accepto habitum inveniatur. Quod clarius evincitur ex decreta a capellanis deputatione pro debitis Archiepiscopo ea de re gratiis referendis necnon ex nunquam interrupta illius decreti observantia usque ad hodiernum diem.

Illud at vero ex hactenus enucleatis inferri ejusmodi decretum vim praeseferre arbitramentalis sententiae utpote in partium compromittentium contentione emanatum a quo nefas est appellare nisi enormiter laesivum comprobetur. *Leg. 2. cod. ubi et apud quem;* atque id nonnisi intra decendium, quo transacto absque interjecta provocatione decretum confirmatum censeri atque approbatum. Atqui facti res est capitulo etiam quinquaginta annorum observantiam opitulari, quamvis satis foret observantia decennalis in rebus praeter jus statuendis ad quas referendam esse tradit praesentem quaestionem. *Rota decis. 649. num. 11. cor. Seraphino* et *dec. 722. part. 2. recent.* Aliunde vero monet observantiam triginta annorum quempiam inducere ad praesumendam etiam Sedis confirmationem uti ex *Rota dec. 169. num. 7. part. 2* et *dec. 21. num. 9. part. 4. tom. 2 et dec. 32. num. 5. part. 6. recent.*

Quod vero transactio exceptionem pariat litis finitae docet ex *Rota in Bononiensi de Tostinio 31. Maji 1649 cor. Cerro §. Quia.* Et hanc exceptionem sibi competere concludit ex decreto Franceschi anni 1797 mox relato.

Quod vero attinet ad aliud quaestionis caput nimirum ad juramentum a capellanorum signatoribus in manibus Archipresbyteri praestandum paucis sese expedit. Hujus enim jurisjurandi praestationem tanquam corollarium deducit ab ipsa capellanorum dependentia a capitularibus constitutionibus ac deliberationibus atque hic ad ea se revocat, quae jam hac in re alias deducta fuere ad comprobandam super eo exigendo capituli possessionem solemnibus citatis attestationibus Archiepiscopi d'Elci et Frosini in eorum relationibus necnon Tauregi qua delegati pontificii in decreto capellanos inter et capitulum edito, quae omnia jam obtinebant ante annum 1706, quo tempore capellani primum asseruerunt non adhuc obtinuisse capituli jus quoad juramenti exigentiam. Quin collegii qualitas suffragari valeat capellanis, ut ab ejusmodi praestatione eximantur; cum jam abunde probatum sit exinde independentes haud evadere quoad ea, quae chori disciplinam attingunt, proindeque nihil eos posse circa signaturae methodum quae ad ipsam disciplinam refertur. Ex decreto tandem Franceschi omnem evanescere controversiam cum inibi expresse dijudicatum sit capellanorum signatores teneri ad juramentum capitulo praestandum, quod et in rem judicatam transiisse perspectum jam fuit.

Haec placeat Emmis Patribus cum iis conferre quae pro capellanis satis superque in memoratis foliis exposita fuere ac dirimere quae redeunt

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis.

Ad II: In decisis.

Die 10. Sept. 1853.

8) A celebrando quando se abstinere potest?

Vd. *Beneficiatus* (missam fundatam per se etc. t II. p. 164. n. 21; — per substitutum t. II. p. 173. e.)

9) Choralis.

(Remotio).

Vd. t. III. p. 542: *Quayaquilen*; *Capell. amovibilis* p. 669; p. 534. n. 3; t. II. p. 133. n. 4.

10) Collegiatae ecclesiae.

(Electio in vicarios curatos.)

Vd. *Caeremoniarius* (distribut. etc. decr.: *Lucana* p. 19.)

11) Confraternitatis.

a) Amotio.

Vd. p. 669; infra *b.*

Capellani confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri reluctantibus confratribus.

S. Congregatio Episcoporum in *Forosempronien. 4. Octob. 1692.*

b) Approb. Episcopi et electio a confraternitate.

Sutrina.

Ineunte mense Aprilis anni superioris ob renunciationem Canonici Donati Cacherini vacavit officium capellani sodalitii a ssmo Rosario nuncupati in civitate Roncilionis Sutrinae dioeceseos. Quamobrem comitiis indictis die 17. ejusdem mensis quinquaginta sodales ad novi capellani electionem explendam convenerunt. Duo collegiatae ecclesiae Canonici nempe sacerdotes Pantaleon Tedeshi et Matthias Mordacchini pro capellaniae assequutione instabant; quorum nominibus secreto sodalium suffragio commissis potior inventus fuit Canonicus Tedeschi, quippe qui triginta septem vota retulit, cum Canonicus Mordacchini octo tantum supra viginti retulisset.

Cum ex lege synodali electio Ordinarii confirmatione indigeret, hinc sodalitii nominatio ad curiam transmissa est. Accidit vero ut Vicarius generalis Sutrinus rejecto contra sodalium voluntatem Canonico Tedeschi Matthiam Mordacchini alterum candidatum in capellanum approbaverit. Ab hujusmodi agendi ratione laesum se existimans Canonicus Tedeschi, continuo protestatione *nihil transeat* in curia emissa, ad s. H. Ordinem provocavit. Nihilominus Vicarius generalis hujusmodi protestatione posthabita Canonicum Mordacchini ad capellaniae possessionem immitti jussit, uti reapse factum est.

Interea temporis cum supplex Canonici Tedeschi libellus ad s. Congregationem perlatus esset, Episcopum pro informatione et voto rogavi, auditis sodalibus, utque de bono oratoris jure referret: haec autem ab ejus Vicario accepi: »Inter synodales leges adest illa quae part. 3. cap. 6. §. 11. praescribit, quod capellani confraternitatum debeant ab Ordinario adprobari nec amoveri possunt absque ejusdem licentia, causa cognita et rata habita. Si ad praeferentiam recurrentis qui majora suffragia reportavit in congregatione confratrum elegi et adprobavi sacerdotem Matthiam Canonicum Mordachini justa et rationabilis adfuit causa nempe morum honestas, scientia et vitae integritas, quae requisita non sic laudabiliter ut in Mordacchini in Pantaleone reperiuntur quandoquidem penes hanc curiam aliquid proditum fuit contra ejus honestatem vitae.«

Verum cum jejuna nimis hujusmodi videretur informatio nec ad rem sodales, ceu praescriptum fuerat, auditi fuissent, eidem Episcopo scribendum iterum censui, ut auditis sodalibus ad formam praecedentium literarum magis praecise referret de sacerdotis Tedeschi vita et moribus, transmissis documentis ad rem facientibus. Mandatis hisce obsequens sodalitii relationem transmisit Episcopus, in qua sodales Canonici Tedeschi electionem confirmant eumque a contraria qualibet imputatione vindicare student. Episcopus vero seu ejus Vicarius haec in suis novis literis habet: »Vita praefati Canonici Tedeschi otiosa videtur. Magnum temporis spatium in officina cujusdam Rosati Altigieri quotidie terit, interdum venationi indulget laicorum more indutus; mala cum quadam muliere consuetudo huic quidem curiae transactis annis de eo indicata fuit, minime vero probata, imo nunc de ipso bonum testimonium quoad honestatem recepi. Haud vero idoneum ad supradictam capellaniam puto eo etiam ex capite, quod nec confessarius sit, nec an ad sacramentales fidelium confessiones excipiendas quoad scientiam sit idoneus noverim. E contra Canonicus Matthias Mordacchini et actualis confessarius est et pietatis studio atque animarum salutis zelo admodum commendabilis, quapropter jure fuit prae illo approbatus.«

Praeter haec ut curiae agendi rationem contra jactata sodalitii jura plenius vindicet subdit: »Ex cap. 8. tertiae partis harum synodalium constitutionum liquido constat, approbationem capellani confraternitatum ad Episcopum pertinere nec amovendum esse causa Episcopo non patefacta et rata habita, perperam igitur a sodalibus ssmi Rosarii contraria consuetudo obtruditur, per-

peram inquam nam eam asserunt quidem minime vero probant; neganda ergo:

1. quia est contra vigens apertissimum jus Ordinarii,

2. quia confraternitas praedicta nec statuta scripta nec constitutiones habet,

3. quia ex tabulis actorum ejus qui annum 1788 non excedunt apertissime patet, quod si Episcopi approbarent sacerdotes a societate electos, id accidit, vel quia unus tantum praesentabatur, ut passim evenit, vel quia si plures praesentati fuerint ut semel factum est die 28. Novembris 1841 pluribus sodalium suffragiis donatum Episcopo prae ceteris approbare placuit quia etiam confessarius erat.«

Qui Canonici Tedeschi partes agit, ita edisserit: Tralatitii juris est, omnium officialium electionem sodalitio privative competere, ceu monent *Frances. de eccles. cathedr. tit. de confrat. cap. 25. num. 278, Monacell. tom. 1. tit. 6. fol. 154. num. 24, Gavant. in manual. Episcopor. V.: Confraternitates num. 11.* ac firmat s. H. Congregatio in *s. Marci 13. April. 1726* ad primum dubium, et ad electionem praesertim capellani quod attinet extat resolutio in *Sarnen. Confraternitatis 4. Junii 1712 ad 6. dub.* Hinc haud integrum erit Ordinario, eum ab officio repellere quem sodalitium suffragiorum pluralitate elegerit atque approbavit.

Ad suffragiorum pluralitatem probe constituendam duo distinguendi in electione sunt casus. Alter est, cum aut unus aut plures sint concurrentes et unus tantum majore numero suffragia retulerit relate ad numerum electorum; quo in casu hic tantum electus censeri debet, quia suffragia majoris partis electionem conficiunt, ceu statuit s. Congregatio in *Assisien. 22. Jan. 1786. ad dub. 8.*, nec Ordinarius suam confirmationem denegare huic poterit nisi comperiat indignum. Alter casus est, cum multi sunt concurrentes, quos inter duo vel plures absolutam obtinuerint suffragiorum pluralitatem relate ad numerum electorum. Qua in hypothesi ubi hi pares in suffragiis comperiantur admittitur superioris gratificatio nisi electores ad novam electionem devenisse malint; quod si horum alter majora prae altero suffragia habuit, hic uti legitime electus habendus erit et a superiore necessario confirmandus, nisi pariter probetur indignus. Siquidem cautum in jure est per electionem plenum jus electo acquiri per confirmationem autem nihil novi juris sed tantum exercitium, juxta ea quae animadvertit *Passerin. de elect. cap. 33. num. 6. 7.* Quamobrem non est in potestate superioris jure quaesito legitime ac valide electum spoliare, quamvis electio de digno tantum praelative ad digniorem facta fuisset; nam quidquid sit de foro interno quoad electores, receptum est electionem seu provisionem digni excluso digniore validum esse nec in foro externo posse impugnari, ceu prosequitur *Passerin. cit. loc. cap. 30. n. 3.**)

Quibus in jure praejactis dubitari in facto non posse censet defensor de bono Canonici Tedeschi jure ac de injustitia rejectionis quam a Sutrina curia passus est. Cum enim majorem hic suffragiorum numerum relate ad competitorem Mordacchini retulerit, tum ex speciali consuetudine ac praxi sodalitii ssmi Rosarii aliorumque in civitate Roncilioni sodalitiorum unus ipse electus censendus erat et a curia confirmandus, ex quo nedum indignus non apparebat sed imo dignissimum eum esse constabat. Plura quippe afferuntur probatissimorum virorum testimonia quae quidem ad tempus electionis referuntur in quibus morum honestas ac vitae integritas Canonici Tedeschi in comperto ponitur. Ita plane se habent testimonia Vicarii foranei Roncilionis, auctoritatis municipalis, capituli Collegiatae ac duorum ejusdem loci parochorum. Accedit praeterea ipsius Vicarii generalis testimonium diei 21. Aprilis, biduo ante rejectionem. Ex iisdem etiam testimoniis eruitur, Canonicum Tedeschi alias in duobus ejusdem civitatis sodalitiis officio capellani laudabiliter perfunctum fuisse ac assiduum tum Collegiatae tum parochialibus ecclesiis praestasse servitium.

Quae cum ita sint, nullius momenti faciendas subdit imputationes, de quibus Vicarius generalis in suis relationibus Canonicum Tedeschi redarguit, vel quia ex ipsius Vicarii testimonio, tempore insuscepto reddito, falsitate laborare dignoscuntur. Nec majori in pretio alteram rejectionis causam habendam, quod scilicet Canonicus Tedeschi confessarii munus non exerceat, tum quia hujusmodi qualitas in sodalitii capellano non requiritur; ac si ea opus fuisset in mora constituendus erat electus eique assignari tempus intra quod necessarias ad id muneris

*) Vd. *t. II. p. 404. p.*

facultates impetrasset, tum quia nulla exinde cum competitore Mordacchinio comparatio institui posset, ex quo non paria uterque suffragia retulit, sed unus Canonicus Tedeschi electus fuit et Mordacchinius exclusus, tum demum quia quamvis ex hoc capite dignior Mordachinius habendus fuisset, non tamen electo praeferri poterat, quia electio digni prae digniori suis consistit viribus nec ideo a superiore probanda venit.

Sed illud praeterea animadversione dignum existimat, quod scilicet Canonico Mordachini non ante mensem Aprilis anni 1853 eo scilicet temporis quo accidit capellani electio confessarii munus mandatum fuerit. Idque censet callide ac fraudulenter Sutrinam egisse curiam; quippe Vicario generali jamdiu ante electionem animo destinatum erat, eumdem Mordacchinium capellaniae praeficere, ceu quatuor fide digni testes ab eodem Vicario paucos ante dies audisse se referunt.

Quandoquidem vero agendi ratio Sutrinae curiae nec a dolo nec ab attentati vitio excusari queat, ex eo praesertim quod post injustam Canonici Tedeschi rejectionem hujus protestatione ac appellatione posthabita adversarium in capellaniae possessionem immittere non dubitavit, exinde justum constitui titulum arguit defensor ad damnorum emendationem ac refectionem expensarum postulandam, de quo in secundo dubio quaeritur.

Hisce perpensis decernent EE. PP. quanti facienda sint momenta rationum, quae in curiae relationibus exposita sunt. Ceterum ad secundum quod attinet dubium prae oculis habenda constitutio Benedicti XIV. incip. *Ad coercenda* de qua mentio fit in contemporanea relatione in causa Suessana *Reintegrationis et emendationis damnorum.*

Dubia:

I. *An constet de legitima causa rejectionis Canonici Tedeschi seu potius sit locus ejusdem immissioni ad officium capellani sodalitatis in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam,

II. *An et quomodo sit locus refectioni damnorum et expensarum favore ejusdem Canonici Tedeschi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.

Ad II: Dilata et reproponatur vocata ad causam curia.

Die 8. Julii 1854.

Messanen

Extat in urbe Massanae ecclesia sub invocatione di Gesù e Maria delle Trombe antiquitus erecta a sacerdote Antonio Fermio cujus tamen primaevas fundationis leges proterre datum non est cum ob ultimas ejus urbis vicissitudines incendio absumptum fuerit tabularium episcopale ubi asservabantur.

Sed veluti se habet etiam relatio Emmi Archiepiscopi de qua inferius dicam ab epocha fundationis ipsa constituitur pia congregatio fidelium unde rector ejusdem ecclesiae qui appellatur etiam administrator praeeligens quotannis sodales praestantiores religione et pietate hosce nominat consultores, quorum munus praecipue in eo versatur, ut vacante rectore et Administratore ejusdem eligant et ipsi successorem, quem Emmo Archiepiscopo pro debita confirmatione proponunt. Ita evenit, quod vacata rectoria die 5. Jan. 1855 obitu postremi capellani sacerdotis Placidi Bartolini consultores duxerint praeceteris religendum sacerdotem Aloysium Contarini actumque deinceps electionis ad Emmum Archiepiscopum miserunt, ut suam confirmationem adjungeret, qui tamen nihili habita tali electione praeposuit ecclesiae qua rectorem sacerdotem Angelum Celatozzo.

Consultores novitate rei perculsi plurimum temporis se adhibuerunt penes eundem Archiepiscopum, ut causas hujusce resolutionis agnoscerent; sed perperam. Ideoque sacerdos Contarini nihil reliqui sibi esse duxit quam ad s. H. O. suas deferre querelas et supplicationes postulans declarari legitimam et efficacem electionem sui favore peractam ac immitti in rectoriae possessionem.

Remisso supplici libello ad Emmum Archiepiscopum, ut auditis consultoribus in scriptis et transmissa particula fundationis aliisque documentis ad rem facientibus referret super legitima causa denegatae institutionis post interpositas alias urgentiores literas tandem ab eo sub mense Nov. 1857 accepi. Post quae nil aliud usque ad praesentem diem ab eo fuit deductum; hinc sum-

matim tantummodo referam, quod defensor sacerdotis Contarini in sua allegatione distribuenda edisserit.

Et ad primum quod attinet dubium asserit quod licet tabulae fundationis utpote incendium passae nequeant exhiberi ceu superius admonitum attamen in discrimen adduci non posse legitimitatem electionis, quae sacerdotem Contarini renuntiavit ecclesiae rectorem et administratorem, quia inspectis etiam literis Archiepiscopi cujus in tabulario comperiebatur olim fundationis instrumentum manet incontroversum ab eo tempore consultores perpetuo fuisse potitos jure sibi eligendi proprium rectorem, quem Ordinario proponebant causa impetrandae confirmationis. Ex quo subjungit duo pernecesse consequi, quod valida et efficax sit dijudicanda electio quoties electum praesentaverint quemadmodum constat de electione sacerdotis Contarini et econtra irrita et nulla renunciandа electio, quae consultorum careat suffragio et praesentatione quemadmodum est altera electio sacerdotis Catalozzo ab Archiepiscopo suo marte praepositi.

Nec prosequitur dubitandum quin sacerdos Contarini fuerit revera electus unanimi omnium consultorum suffragio et praesentatione. Factum enim electionis manet etiam incontroversum illudque in suis literis Archiepiscopus non contendit reditque magis observatum ipsorum consultorum testimonio quorum fidem et pietatem idem Archiepiscopus in sua relatione tantopere commendat. Quamobrem dubium non est quin ex legitima electione sacerdos Contarini quaesivisset certum jus ad confirmationem et ad rectoriae possessionem obtinendam, quae injuria prorsus fuit ei recusata nisi Archiepiscopus luculenter edoceat justam et necessariam restitisse causam unde ipsum electum non approbaverit juxta id quod cautum est in *cap. Postquam ac elect. decret. in cap. final. de elect. in 6.* demonstrans pluribus auctoritatibus adductis, quod electio sit libertatis, confirmatio econtra justitiae et necessitatis ceu monent *Passerinus tract. de elect. cap. 33. n. 134, Card. de Luca de regular. elect. cap. 33. n. 134, Card. de Luca de regular. disc. 13. §. 7, Fagnanus tom. 4. pag. 257. §. 11. 12.*

Nullam autem subesse rationabilem causam recusatae confirmationis; immo assumit demonstrare sacerdotem Contarini cuncta praeseferre merita et cumulare requisita, quibus Archiepiscopus praeditum vult rectorem dum sua relatione respondit, aetatem idoneam probat allata fide baptismatis ex qua sacerdos Contarini constat versari in anno trigesimo nono. Relate ad doctrinam eum optime institutum esse tam in re literaria quam in sacris scientiis et ecclesiastici juris studio ac etiam magisterio demonstrat allato testimonio antecessorum ipsorum a quibus publice cuncta rudimenta accepit. Quod attinet ad mores praeterquam nihil vel Archiepiscopus potuit objicere, quod momento vitam et integritatem ejus obscurare queat, addit testimonium tam vexilliferi Massanae quam proprii parochi qui affatim de sacerdote Contarini elogia retexunt quoad vitae disciplinam, quoad religionem,assiduitatem et sollicitudinem praesertim in ecclesiae cultum promovendum.

Urget vehementius in eo, quod consultores processerint ad electionem sacerdotis Contarini non tam moti praestantia qualitatum quas in ipso expenderunt quam quia promeruerat praeelegi rectorem ejus ecclesiae cujus libertatem et cultum tutaverat asperis belli motuumque civilium temporibus et ubi magnopere se adhibuerat pro salute animarum alio inposterum difficiliori tempore, quo morbus asiaticus urbem misere conflictaverat. In id memorans ea consultorum verba, queis pandunt se illum praetulisse utpote quia »aveva prestati moltissimi servizi alla detta chiesa precisamente nell' anno 1848, e nell' anno 1854 epoche asai tristi per la guerra e pel cholera.«

Facile autem diluit objectionem, qua electio ab Archiepiscopo redarguitur uti serotina et extra tempus utile peracta. Occurrere animadvertit testimonium eorumdem consultorum eligentium electionem nimirum contigisse biduo post a decessu ultimi rectoris eamque statim ipsos ablegavisse ad Ordinarium pro confirmatione. Insuper subjicit, quod dum Archiepiscopus refert confirmatam non fuisse electionem utpote quae transacto legitimo tempore evenerat, se tamen abstinet a praefiniendo tempore et die quo electio obtigit actumque electionis accepit. Ex qua omissione eo magis inferri censet allatam recusationis causam nullo pacto consistere.

Quoad alterum dubium paucis se expedit defensor. Cum enim juxta exposita constet de legitima electione sacerdotis Contarini hinc colligit arcendum a possessione sacerdotem Calatozzi qui illegitime absque titulo et contra votum electorum rectoriae possessionem et administrationem usurpavit. Ad haec ait accedere magnum discrimen inter clarum nomen uniformesque mores unius cum praejudiciis atque sententiis, quibus graviter afficitur fama alterius, satis comprobantibus eum equidem esse indignum ex alio proinde capite removendum.

Sequuntur dubia:

I. *An constet de legitima electione sacerdotis Aloysii Contarini ita ut sit locus immissioni in casu?*

Seu potius,

II. *An sit manutenendus in possessione capellaniae sacerdos Angelus Calatozzo in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus.

Ad II: Provisum in primo.

Die 27. Mart. 1858.

Trojanen.

Ad dub.: An Capellanus confraternitatis ss. Annunciatae Trojanae dioeces. eligi debeat a confratribus approb. ab Ordinario vel potius a Commendatario?

S. C. resp.: Esse eligendum a confratribus nullaque indigere approbatione.

Die 24. Aug. 1709 ad 12.

12) Curatus.

a) De applicatione missae pro populo.

Vd. *Applicatio missae pro populo* t. I. p. 881, 885, 888; 893–904.

b) Institutio.

Vd. *Capellanus parochi.*

Nursina.

Eversis ob geminatos labentis soli tremores in pago Seravalle Nursinae dioecesis casulis bene multis quinquaginta circiter familiae tum quod solo aequatas domos reficere potes non essent tum ne novis sese periculis objicerent hinc illinc vagare coactae sunt binosque (praeter rara, quae hac illac mapalia extruxerunt) confecere pagos, quorum alter tribus et amplius millibus a curionali aede passuum distat alter milliarem lapidem binum cum dimidio. Utrumque incolunt homines fere tercenti pauperculi sane ac plerique ad terram aratro vertendam vel gregibus custodiendis addicti.

Lacrymas ciet, quae de spirituali horum ruricularum discrimine enarrat hodiernus Antistes. Unica enim ipsi paroecia continentur ac unico pastore reguntur. Hinc nemo unus est, qui fidei rudimenta pueros edocere singulos valeat ac religionis studio confovere. Hinc festis diebus plerique Sacro adesse nequeunt atque ecclesiae praecepto satisfacere tum quod itineris longinquitate terreantur brumali praesertim tempore, quo pluviae nivesque redundantes alpinum prope iter praebent et salebrosum, tum ne miserum familiae censum furatum reperiant vel senes, pueros, aegrotos latronum libidini objiciant. Quique vero dum dominicae Passionis sacramentum recolitur paroeciam convenire valent cum perexiguis sane finibus curionalis aedes coerceatur saepe saepius sub coelo temporum inclementiam experiri coguntur. Hinc demum plerique nec extremis refici sacramentis constat atque Angelorum esca ad vitae exitum recreari.

Tanto in rerum discrimine supplices adsunt EE. VV. incolae Serravallis atque exponentes paroeciae et paraecianorum omnium gravissimam egestatem postulant impensissime a concedere ad essi un beneficio, o qualche altro provedimento, acciò possantrovare un capellano che coadjuvi il parroco. Honorarium vero huic adsignandum uti in aliis precibus nonnullos post menses indigitant.

Quoniam vero ampla satis ecclesia careant oratores pollicentur ultra che penseranno da loro stessi alla contruzione della medesima ripartendo alle famiglie povere le opere da prestarsi nel trasporto dei materiali, che sono molto vicini ed all' altre famiglie che hanno qualche possidenza di terreni impore una tassa di denaro per l'occurrente dell' altre spese. Interim vero capellanus ut prosequitur Episcopus alternis vicibus festivis diebus Sacrum faciet iis in parvis oratoriis, quae in unoquoque pago inpraesentiarum existunt libera data sacerdoti designando facultate residendi sive in superiori sive inferiori pago.

Porro idem Antistes rogatus iterum haec duplici quam remisit relatione edocebat circa media alendi coadjutorem: »Compertum habui Serravallis parochiam nullum habere mansum cum parochus qui a populo praesentatur congruam in annua scutata sexaginta taxatam percipiat ab ecclesiastico beneficio s. Claudii, quod per populum administratur cujus favore cedunt decimae ac funerum beneficia in quibus

parochus nullum aliud habet emolumentum, nisi obolos decem pro unoquoque cadavere associationis titulo. Praefati beneficii redditus annuus ab integri decennii spatio proportionaliter desumptus adscendit ad summam scutatorum 122. 70. Onera vero quibus premitur comprehensa parochi congrua in scutis 60 ad summam scutatorum 120. 60, quibus ab introitu deductis iste illas excedit in scutum unum et obolos 10.«

Sub silentio praetereo ceram, quae ex funerum beneficio lucratur, cum vix sufficiat ad eam compensandam, quae pro ordinariis atque consuetis sacris functionibus peragendis consumitur.

Congrua itaque comparanda capellano (quae scut. 40 inferior esse non debet) detrahi non potest ab emolumento parochi, cum sit exiguum; nec aliunde esset facile invenire qui animarum curam in principaliori loco exerceret, si redditus imminuerentur. Ex praefato s. Claudii beneficio nil praelevari potest . . . ex compertis. Ex redditibus a s. m. Leone XII. destinatis ad hujus dioecesis parochias adjuvandas (uti ex statu remisso) quinimo non obstantibus subsidiis antedictis paucae admodum sunt illae paroeciales ecclesiae, quae parocho praebeant congruam non dicam synodalem, sed nec illam designatam in scut. 50 a s. m. Pio Papa VIII. Beneficia demum simplicia in hac mea dioecesi amplius non existunt, cum omnia fuerint suppressa ab anno 1836 eorumque redditus indigentibus paraeciis incorporati . . . Episcopalis mensa pro dignitatis decore conservando, pro pauperibus alendis aliisque indigentiis supplendo impenditur universa . . . ut alias jam patefeci. Familiae, quae praefatos incolunt pagos, in maxima parte pauperes sunt ac miserabiles; tres ex pinquioribus inter ipsas possent quidem aliquid pro cappellani sustentatione erogare; sed iisdem super expositas preces auditis retulerunt se nolle ad aliquam summam solvendam pro dicta causa obligare tum quia jam alia onera sunt ipsis substinenda, tum quia cum plures habeant liberos multum pro eis est expendendum . . . Unicum igitur medium quo memoratus capellanus (quem esset maxime optandum, immo necessarium constituere) possit provideri . . . esset oratoribus pro enunciata causa pensionem 60 scutatorum, quam camera spoliorum assignavit favore parochi Colasanti qui jam diem vidit supremum, assignare.« Locorum distantia, gravissimum incolarum incommodum accedendi ad aedem parochialem necessitatem in themate satis ostendere videntur consciscendi capellanum coadjutorem ad tramites *Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform.* et Innoc. XIII. const. *Apostolici ministerii* §. 11. confirmata a Benedicto XIII. in const. *In supremo, Ventrigl. in praxi for. eccl. tom. 2. adnot. 13. §. unic. num. 6.*

Quae de jure communi constituta sunt circa media capellanos parochi coadjutores sustentandi, omnibus patent: decet enim primo, ut quoniam parocho is opitulatur ex paraecialibus proventibus alimenta percipiat. *Bonifacius VIII. in textu l. 2.* ubi autem de *decimis in 6.* et s. Congr. *in Ferent. Coadjut. 26. Febr. 1744* et in *Nursina 26. Nov. 1836 §. At cujus.*, et quoties parochiales redditus satis non sunt, coadjutoris stipendium ab Episcopo et in subsidium a parochianis supplendum est, text. in *cap. De Rectoribus 3. de cleric. aegrot. apud Fagn., Barbosa de off. et potest. Episcoporum part. 3. alleg. 63. num. 15.* ac demum *Tridentina synodo suadente sess. 21. cap. 4. de ref.* provideri potest coadjutoribus ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. Videant EE. VV. quodnam ex his in themate praesto esse possit remedium. Parochus Serravallensis congrua potitur scutatorum 60 praeter nonnulla incerta funerum emolumenta. Ex const. s. Pii V. *Ad exequendum* praescribitur parochis congrua*) non major scutorum 100 neque minor scutorum 50. Atque intra hos limites variam pro varietate loci, onerum et personae assignare consuevit s. Ordo. Pensent itaque EE. VV. num tantum paraeciae sit reddituum ut perpetuum onus ferre valeat aliquid pro capellani stipendio ministrandi sine discrimine congruae, quae integra parocho manere debet pro ejus sustentatione ad normam cit. constit. s. Pii V. et *Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. de reform.*

Episcopus jam a die 26. Novembris 1836. Nursinae episcopalis mensae paupertatem exposuit in consimili causa sub eodem titulo atque EE. VV. nihil eum in capellani constituendi alimoniam conferre debere demandarunt.

Incolae pauperculi fere omnes extant.

*) Vd. *Congrua.*

Tres indigitantur dumtaxat familiae, quae aliquid valeant contribuere. At istae contributum quodlibet renuunt tum ex allatis superius rationibus tum etiam, quod maximam anni partem extra paraeciam et Serravallis pagos vitam degant. Verum perpendendum erit ipsos adhuc domum fortunarumque compendium in praedictis locis ubi aliquod anni menses commorantur retinere; populum vero paraeciae posse per Episcopum etiam compelli ad ea subministranda, quae coadjutoribus parochi alendis sufficiant, docet eadem *Trid. synodus sess. 21. cap. 4 de ref. et s. Congr. in Nullius Guastallae 21. Junii 1788. §. Ea quidem.*

Ex beneficiis demum simplicibus nullum superest ac redditus a s. m. Leone XII. pro dotandis pauperibus paraeciis concessos in sanctissimum id opus insumptos rite fuisse universos (exhibito schemate) demonstratur. Quod si nullum ex praepositis mediis satisfacturum viderint EE. VV. constituendi coadjutoris sustentationi perpendant tandem num ad extremum illud confugiendum sit, quod invocant oratores exemplo freti causae *Tudertinae 2. Augusti 1833* et alterius *Nursinae Capellani curati 26. Novembris 1836* in quibus ex aliqua publica capsa annuum emolumentum capellano persolvendum esse judicatum est, quod in novissimo a spoliorum camera est pensitatum. Porro cum stipendii hujus solutio in argenteis nummis 60 eidem spoliorum camerae nuper cessaverit per obitum parochi Colosanti facilius adsignaturum iri confidunt oratores in causam, quam exponunt. Quod tamen cum perpetuum onus camerae spoliorum importet ubi perpetuum capellanum sicuti par esse videtur placeat constitui probe cribrent EE. VV. quas precamur, ut dirimant

Dubium:

An et quomodo constituendus sit capellanus curatus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et esse constituendum capellanum curatum ab Episcopo adprobandum cum dependentia a parocho et ad nutum amovibilem et quoad stipendium ad mentem.

Die 7. Febr. et 24. Mart. 1838.

Nursina.

Sacerdos Benedictus Costanti Nursinae dioecesis loci Saccavisi parochus perpetuus ab anno 1807 apostolicae Sedi supplex humiliter aderat.

Annis se quinquaginta sex natum gravissimo tamen reumatico graevedinoso morbo laborantem, qui eumdem quolibet mense cum adoriatur lecto vincit et a sui ministerii obeundis muneribus prohibet cum non raro adeo vehemens sit, ut spiritum ejus suffocare minitetur, imparem prorsus animarum curae exercitio de plenissimo medicorum testimonio esse factum. Porro exiguos admodum paraecialis praebendae fructus et absolutam beneficiorum in dioecesi sua simplicium penuriam et miserrimam suae paraeciae subditorum conditionem cum haec viam omnino omnem praecludant sibi simul atque alteri succedenti parocho de sufficienti congrua providendi in causa fuisse, qua ipsemet nuncium adhuc paraeciali muneri non dederit sicuti jamdiu quam maxime exoptaverat tum ut suae vitae conservationi consuleret tum ne animarum gregis alibi commissi saluti officeret.

In hoc tamen misero rerum discrimine s. Sedis benignitatem enixis precibus flagitabat aut honestam a rev. Camera apostolica ad vitae substentationem portionis adsignationem aut alteram meliori quo fieri potest modo provisionem.

Rogatus Nursinus Antistes ab hoc s. O. ad quem preces remissae sic se habet: »Sacerdos Benedictus Costanti sic adversa valetudine affectus dignoscitur, ut ad curam animarum impar prorsus evaserit. Haec impotentia eo magis fit certa ex jurata medicorum fide. . .

Postquam de habitualibus suis morbis de maxima ejusdem corporalium virium debilitate certior effectus fui in eam deveni sententiam non amplius ad parochiale munus sustinendum idoneum esse.«

Illico igitur pro meo officio consuluissem si media a ss. Trid. Concilio proposita extarent. Sed quoniam annuus redditus paraeciae Saccavisii cui orator triginta jam abhinc annis laudabiliter praefuit ad scutata tantum duo supra quinquaginta comprehensis incertis stolae pertingunt . . . qua summa cum vix unius personae substentationi possit provideri, fit quod nulla quota pro vicarii sustentatione possit praelevari. Insuper haec mea dioecesis simplicibus beneficiis penitus caret . . . Oratores parochiani in egestate generatim versantur et desuper hac re auditi nullum subsidium praestare posse declarant. Denique episcopalis mea mensa vix conciliarem exaequat congruam ut alias

s. huic C. apertum feci ideo ne oratori parochiali beneficio expoliato in maxima paupertate vita esset degenda . . . tolerandum fuit ipsum paraeciae regimen adhuc retinere ...

Pro veritate et obsequenter dicam valde utile imo incolis paroeciae Saccavisii necessarium esse Benedictum Costanti ab animarum cura removere atque ut hoc cum decenti ejusdem substentatione possit obtineri apostolicam Sanctissimi D. N. misericordiam enixe deprecor, ut ei convenientia media adsignare dignetur. Speculum autem de statu activo et passivo paraeciae comprehensis incertis stolae ducto calculo per decennium de quo sciscitabatur exhibens refert.

Annuos redditus paraeciae ascendere ad scutata 67 et ob. 70 comprehenso annuali subsidio, quod eidem beneficio assignatum est a regnante summo Pontifice. Onera vero . . . non excedere summam scutatorum decem et obul. 80. Quare exploratum annuum redditum ab oneribus depurgatum adscendere ad summam scutatorum 56. 30.

Accedit hisce medicorum jurata fide firmatum duplex testimonium alterum medici Spoletani, alterum vero Nursini medici, qui iisdem de oratoris morbo relatis concludit: »Che il ministero parochiale sembra assolutamente incompatibile collo stato di sua salute «

Jam vero cum et Episcopus et medici jurata fide testentur parochum Saccavisii Benedictum Costanti imparem prorsus paraecialibus muneribus obeundis esse factum constare videtur de necessitate eidem coadjutore occurrendi eo vel magis, quod honestiorum morum sacerdos et ut parochus suo munere quousque potuit rite ac graviter fuerit perfunctus.

Ita sane docent ss. canones et saniores omnes eorum interpretes, *cap. Ex parte 3. de cleric. aegrot., cap. Pastoral. unico de cleric. aegrot. in 6, Fagnan. in cap. Caeterum de rescript. 2. 76.* Quibus consona est praxis S. H. O. in *Anconitanae Congruae 11. Junii 1835* et novissime in altera *Nursina 26. Novembris 1836* ejusdem hujus tituli.

Verum, quod haud facile videtur definitu in casu illud est scilicet cujus expensis coadjutor alendus: siquidem universa juris communis remedia deesse demonstratur, quae referuntur in *Ferentina Coadjutoriae 26. Febr. 1644*, in *Nursina Capell. cur. 26. Nov. 1836.* Nam congrua scutorum 56. 30 quae parocho Saccavisii obvenit haud ea esse videtur, quae imminutionem patiatur ad constit. s. Pii V. *Ad exequendum.* Incolae pauperculi omnes et ad bina vel tria centum assurgentes nullum afferre posse levamen dicuntur. Beneficia simplicia nulla superesse in dioecesi jam semel et iterum docuit Nursinus Episcopus in bina causa Nursina ejusdem tituli, altera cit. sub die 26. Novemb. 1836, altera sub die 18. Februarii anni labentis; quare factum est, ut exemplo *Tudertinae 2. Augusti 1833* rescribendum duxerint EE. VV.: »Ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem;« mens autem fuit, ut ex aliqua publica capsa emolumentum capellano coadjutori persolveretur donec aliter provideri valeret. Et revera ita factum est 1836 quoad Colasantium parochum Japeti assignatis pro ejus coadjutore ex spoliorum camera scutatis 60; quae post ejus obitum attributa sunt die 2. Aug. 1828 parocho Serravallis in summa scut. 40 per biennium tantum; et interim Episcopus curet ad formam ss. Concilii Tridentini media invenire, quibus capellano curato persolvatur congrua.

Videant itaque in praesentia EE. VV. num eodem beneficio donari expediat ejusdem dioecesis incolas Saccavisii ac pro ea qua pollent prudentia indigitent

Dubium:

An et quomodo constituendus sit capellanus curatus in paraecia Saccavisii in casu?

S. C. resp.:

Ad D. Secretarium cum SSmo ad formam Tudertinae diei 2. Augusti 1833.

Die 22. Decb. 1838.

Concilium Tridentinum praevidens casum, ubi unius rectoris opera minime sufficiat ad Sacramenta ministranda populo sibi commisso vel quod parochiani ob locorum distantiam aut ob alia incommoda ad propriam parochiam accedere non possint, sess. 21. cap. 4. de ref. mandat ut »Episcopi etiam tamquam apostolicae Sedis delegati in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios ad quos pertinet sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum

divinum celebrandum. In iis vero in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt novas parochias etiam invitis rectoribus juxta formam constitutionis Alexandri III., quae incipit: *Ad audientiam* constituere possint, illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. Et si necesse fuerit compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam quacumque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis ecclesiis non obstantibus neque hujusmodi ordinationes et erectiones possint tolli nec impediri ex quibuscumque provisionibus etiam vigore resignationis aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

c) Jurisdictio.

Vd. n. 12 et 13; *Cura animar.* (prohibitio).

Ecclesiam s. Agathae in civitate B. unus tantum parochus (qui praepositus dicebatur) administraverat usque ad annum 1502. Hoc anno exeunte Bartholomaeus quidam eo tempore praepositus a summo Pontifice Alexandro VI. petiit ut tres aliae capellaniae perpetuae cum fructibus pro capellanorum sustentatione de suis redditibus magna ex parte adsignandis erigerentur, qui *una cum* pro tempore existente dictae ecclesiae rectore horis canonicis interesse, residere, celebrare et animarum curam exercere tenerentur.

Quae postulaverat Bartholomaeus obtinuit uti videre est in literis apostolicis quarum haec praecipua: »Mandamus quatenus vos vel alter vestrum si est ita in dicta ecclesia tres alias perpetuas capellanias pro tribus aliis perpetuis capellanis qui una cum praefato Bartholomaeo et pro tempore existente dictae ecclesiae rectore in ipsa ecclesia horis canonicis interesse et curam animarum parochianorum praedictorum exercere, in ipsaque ecclesia personaliter residere et per se ipsos non autem substitutos impedimento cessante legitimo deservire ac singulis diebus in ipsa ecclesia vel per alios missas celebrare teneantur etc.«

Omittendum non est anno 1515 eumdem Bartholomaeum constitutiones quasdam a capellanis servandas condidisse, quibus inter alia praescriptum est: »Quod nullus de cura animarum totius parochiae se impediat tam in audiendis confessionibus quam caeteris conferendis sacramentis nec quisque sacerdos audeat in praesenti ecclesia celebrare absque licentia domini praepositi seu sacristae sub poena solidorum decem pro qualibet vice praedictis contrafacienti. Quod DD. . . . . diligenter curam animarum exerceant donec domino praeposito placuerit et quilibet ipsorum per circulum suam agat hebdomadam pro occurrentibus in dicta cura etc.«

Incontroversum videtur in facto hujusmodi capellanos animarum curam semper exercuisse sacramentaque ministrasse. Et quoties capellanos inter ac praepositum quaestiunculae ortae sunt toties praepositi ejusdem superioritatem praevaluisse. Verumtamen anno 1790 praeposito capellanos perturbante a parochialium jurium exercitio hi ab Ordinario quaestionem dirimi obtinuerunt per decretum: »manutenendos esse dictos reverendos curatos in libero exercitio administrationis sacramentorum parochianis dictae parochiae et praesertim sacramenti matrimonii ut est in praxi.«

Recentiori tempore cum praepositus capellanis indixisset delegationes assistendi matrimoniis ad se revocare velle capellanorum quidam protestatus est. Tandem cum die 18. Februarii ex capellanis unus ad celebrandum matrimonium quoddam consensum a praeposito postulasset et hic in matrimoniorum regestro adnotasset: *Liceat reverendo curato N. in matrimonium conjungere DD. etc.* omnes capellani hac agendi ratione indignati libellum Ordinario obtulerunt petentes manutentionem in possessione jurium suorum ad tramites canonicae legis. Sententiam tulit episcopalis curia »*admittendam esse capellanorum possessionem quoad sacramentorum administrationem et adsistentiam matrimoniorum celebrationi absque praepositi delegatione: salva in hoc coadjutorali animarum exercitio ab ejus praescriptis dependentia.*«

Partium neutra huic sententiae acquievit; immo utraque ad metropolitanam curiam provocavit. Quae limites *possessorii* egrediens *in petitorio* controversiam diremit rescribens: »*Plenae parochialitatis jura et praesertim matrimoniis adsistendi pariter ac reciproce in vim fundationis spectare tum coadjutoribus titularibus tum parocho praeposito.*«

Hujusmodi decisione se laesum videns praepositus a S. C. C. tum in petitorio tum

in possessorio rem dirimi postulavit: scilicet fundatione inspecta decerni »1. Curam habitualem in paroecia s. Agathae ad rectorem praepositum privative spectare non capellanis una cum ipso. 2. Actualem curam nequire capellanos exercere independenter a praeposito.«

Capellanorum jus erui dictum est ab initio et a fundatione et a perantiqua trium fere saeculorum consuetudine et ex pluribus sententiis in sui favorem prolatis et a praepositis accepto habitis. Quod fundationem respicit in bulla Alexandri VI. verba occurrere: *ad curam animarum una cum rectore reverendo illius tempestatis ac pro tempore successoribus exercendam,* neminem autem latere particulam *una cum* inter eas personas ad quas refertur aequalitatem inducere. *Paris. cons. 19. num. 21. lib. 3., Rota decis. 216. Faventina 20. Junii 1364, Barbosa discep. 431. n. 1.*

Aequalitatem vero eam subjectionem respuere quae obligationem capellanis imponit sacramenta non administrandi absque praepositi consensu et delegatione.

Nec referre quod ex tali theoria jus parochialitatis solidum exsurgeret. Distinguere enim sedulo oportere jus parochialitatis a libero exercitio curae animarum. Et etiam hac distinctione posthabita in praxi insuetum non esse jus parochialitatis penes plures in solidum manere; praesertim si id expostulent vel circumstantia quaedam peculiaris vel ut in praesenti rationabilis causa et legitima. *Pitonius constitutiones et decisiones pro parochis n. 1404 et seq. 3. Junii 1678, S. C. C. in Tiburtina 25. Martii et 9. Julii 1757.*

His ex bullae litera deductis adjectum est: Dato etiam quod bullae tenor talis esset ut aliqua interpretatione indigeret interpretationem in casu non defuisse. A fundatione hoc est ab anno 1502 usque ad annum 1791 capellanos exercitium curae animarum continuum habuisse absque ulla praepositi delegatione, cum nulla delegationis adnotatio extet in regestris parochialibus prouti exigit rituale romanum in capite cui titulus *formulae scribendae in libro parochorum*, et quemadmodum diligenter in paroecia s. Agathae observatum est quoties vel sacerdotes extranei vocati sunt vel parochi isti ad alterius paroeciae sponsas conjungendas admissi fuerunt. Hujusmodi silentium ostendere nullam aliam dari posse bullae pontificiae interpretationem.

Hujus argumenti vim crescere inspecta ipsa consuetudine, quae ex eo quod sit centenaria naturam haurit veri ac legitimi tituli suppletque titulum de mundo meliorem.*) Quapropter concludi posse observantiam capellanis opitulari nedum qua legitima fundationis interpretatio sed etiam qua vera ac plena praescriptio. Demum intrinsecis rationum momentis factum extrinsecum cumulandum esse: scilicet judicium ab Ordinario prolatum anno 1791. Tot contra argumenta nihil facere, quod praepositus capellanis possessionem nanciscentibus expedire consueverit literas, quibus cavebat ad sui nutum ipsos debere in animarum cura rectorem coadjuvare. Nullum namque praejudicium juribus a bulla apostolica derivantibus afferre unquam posse errorem in quo versabatur praepositus circa ejusdem bullae valorem. Objectiones vero haustas vel a constitutionibus quae praepositus condidit anno 1515 vel ab acquiescentia capellanorum quorumdam praepositi decretis jura non destruere fundationi innixa, observantia confirmata. Multo minus jus parochialitatis evanescere eo quod capellani gravati non fuerint onere manutentionis ecclesiae et celebrationis missae pro populo.**) Haec enim tum aliquo in pretio habenda fore cum praepositus ostenderet capellanos parochialia munia neque exercuisse unquam neque exercere potuisse absque praepositi delegatione.

Praemonebat ipse possessorium cum petitorio confudisse curiae episcopalis sententiam atque uti confusionem removeret in possessorio ac in petitorio distinctas causae tractationes proponebat. A *possessorio* incipiens querebatur antiquissima ac peculiaria facta ex advero adduci, ut interdicta experiantur retinendae vel recuperandae possessionis. Verum hujusmodi interdictorum neutrum applicari posse in casu, quia vel actualem vel non remotam possessionem requirunt. Hoc errore etiam primi gradus judices peccasse qui institerunt episcopali decreto anni 1791, quod octuaginta jam annis locum habuerat quin ullo in pretio haberent consuetudinem viginti quatuor postremis annis constanter observatam. Statuebat itaque dato etiam quod

*) *Card. de Luca* lib. 7. de alien. dic. 3. n. 6 ait: »sola centenaria (*praescriptio*) sufficit non obstante moderna constitutione Urbani VIII. ob facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.«

**) Vd. *t. I. p. 893. X.*

antiquae possessionis factum capellanis prodesset eos *retinendae possessionis* interdicto uti nequire, quibus obstabant viginti quatuor intermissionis anni. Deterius agere ex interdicto *recuperandae possessionis*, quod non conceditur nisi in possessione quae *vi aut clam aut precario* occupata fuerit. *Haimberger jus romanum privatum et purum lib. 3. cap. 1. §. 195.*

Obiter etiam notandum esse, quod in possessione animus sibi retinendi ante omnia requiratur: hoc est retinendi suo non alieno nomine. *Haimberger loc. cit. §. 186.**) Hac in re possessionis titulum esse inspiciendum: quia si quis uti conductor possideat vel uti administrator verus ac civilis possessor nequit haberi. Atqui titulum quo capellani possident totum esse in praepositi collationibus. Quibus semel accepto habitis jam ab his ne minimum quidquam recedere valent. *Rota decis. 216. cor. Merlino.* Atqui a praeposito eos nihil aliud accepisse quam munus coadjuvandi ad *nutum* rectoris *ipsius:* quod paritatem quamlibet rectorem inter et capellanos excludit. Ergo redire ex interdictis vel retinendae vel recuperandae possessionis capellanos nihil proficere. Si interdictorum viam deserant jam in petitorium incidere.

Et *ad petitorium* progrediens ajebat. Ut capellanorum deductiones proficerent supponendum esse paroeciam non unius regi arbitratu rectoris sed quatuor parochorum qui simultaneam curam exerceant. At legem, consuetudinem, rerum necesitatem vehementer condemnare in gubernio imperii divisionem. Porro Alex. III. Januensi Antistiti scripsisse *quod* una ecclesia unius *esse debeat sacerdotis, cap.* Sicut *quaest. II.* et *cap. In quibus 7. quaest. 1.* Plures presbyteros uni ecclesiae praefici posse sed vel quatenus ii presbyteri corpus conficiant vel quatenus praeter sacerdotes adsit qui coadjutoris personam gerat. In primo casu cum corpus conficiunt non plures reapse rectoris vice funguntur sed unus: scilicet collegii moralis persona. Rectore haud deficiente unus rector est, alii ad exercitium curae vicarii seu adjutores. Hac postrema in hypothesi cum a regimine exercitium distinguitur oportere ut unus se habeat dependenter et tamquam coadjutorem alterius, *Rota decis. 39. n. 1 et seqq. part. 15. Recent.*

In facto res a jure communi non deflexisse. Praepositum capellanorum institutionem a Pontifice impetrasse oblata reddituum participatione. Rectae autem rationi repugnare praesumptionem quod praepositus beneficii sui dismembrationem*) proposuerit suorumque fructuum partem abdicaverit ut sibi pares atque aemulos non vicarios ac inferiores adjungeret. Pontificem ipsum provisionem et collationem dictarum capellaniarum praepositis asseruisse.

Inde duo consectaria derivari. In collatione capellanorum favore non existere *institutionem auctorizabilem* quae nequit ab illis committi qui sunt Episcopo inferiores. *Text. in cap. 4. de Off. Archidiac.* Quod si quando conferendi jus ex privilegio admissum est hoc exercuisse nomine Episcopi vicarius, *Piton. disc. eccl. 20. num. 31, Barbosa de Episc. alleg. 72. num. 186* et facta in singulis collationibus vicariae potestatis mentione. Quapropter coadjutores quibus confert beneficium praepositus ordinaria facultate absque ulla privilegii mentione parochos esse non posse. His accedere quod cum jus conferendi inter ampliores ac majores jurisdictionis gradus adnumeretur, *Rigant. in reg. cancell. t. I. reg. 2. §. 2. num. 9.*, absonum esset collatorem et electos eumdem dignitatis gradum habere.

Praeter haec omnia in bulla fundationis constanter capellanos ac rectorem distingui, quae distinctio rectori solummodo curam animarum pertinere demonstrat. *Rota decis. 489. par. 3. num. 3. recent.* Nec clausulam *una cum* paritatem ministerii inducere cum nihil prohibeat famulum cum domino, militem cum duce cumulari quin officii paritas has inter personas existat. Atque hoc loco notabat insuper clausulam hanc etiam ad singulas quasque operationes et officia relatam (quod non concedebat) facti unitatem ferre haud vero jurisdictionis. Quam jurisdictionis unitatem repelli inspecto quoque ordine in cura animarum exercenda; ex quo requiritur ut inter plures sit aliquis praeses ne in matrimoniis caeterisque gravioribus negotiis contingat ut inter singulos diversa ratione eumdem populum regentes altero concedente quod alter negat dissensiones ac incertitudines exoriantur.

Capellanis allatam in possessorio consuetudinem non suffragari sed praeposito, qui anno 1515 in constitutionibus decrevit nullum

*) Ait Haimberger loco citato: *Animus* in possessione in hoc consistit, quod aliquis intentionem habeat rem suo non alieno nomine retinendi.«

*) Vd. *t. II. p. 517. n. 38.*

de cura animarum se ingerere posse absque praepositi licentia. Ipsos post saeculum fateri debnisse *se teneri ad coadjuvandum ipsum rev. praepositum . . . et ita semper fuisse observatum.* Haec confirmasse anno 1622 votnm Pamphilii (mox ad supremum ecclesiae senatum et ad Petri cathedram evecti) coram s. Congregatione editum »quod cum capellani teneantur exercere curam animarum donec praeposito placuerit cura ipsa est penes ipsum praepositum non autem penes capellanos.«

Ultimo loco respondebat judicium actum anno 1791 in *possessorio tantum* versatum fuisse nec petitorium laedere. Iu facto res aliter procedisse ac ex adverso narrantur, cum anno 1795 praeposito judicium instituente in petitorio judicinm ipsum haud expletum fuerit quia alter ex coadjutoribus quocum ille dimicabat praepositi delegationem agnovit. His omnibus cnlmen imponere constitutiones anno 1848 a praeposito conditas de ordine servando in exercitio curae, quae hactenus observatae sunt.

Argumentis quorum haec summa est expositis Patribus eminentissimis oblatum est resolvendnm seqnens

Dubium:

An et quomodo sententia curiae Mediolanensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

In comitiis diei 24. Julii 1875 C. C. rescribere censuit: *sententias primi et secundi gradus esse reformandas. Capellanis jus esse exercendi curam animarum una cum praeposito et dependenter ab ipso juxta ordinationem ab Episcopo proponendam et ad s. Congregationem transmittendam.*

Ex quibus colliges:

I. In quaestionibus circa jurium parochialium inter plures extensionem ac distributionem, fundationem et legitimam consuetudinem esse inspiciendas.

II. Si in possessorio judicinm instructum sit ultimum rerum statum praevalere.

III. Collationem capellaniarum superioritatem collatoris ostendere.

IV. Licet parochialitatis penes plures in solidnm exempla non desint ecclesiae institutioni haud respondere: eaque post Concilium Tridentinum obsolevisse hac praesertim de causa ne circa matrimoniorum validitatem quaestiones insurgant.

V. Hanc normam constanter sequntam fuisse S. C. C. dummodo fundationis leges ac consuetudo aperte non obsisterent.

VI. Iu casu s. Congregationem jus capellanorum ad curam animarum exercendam agnovisse sed etiam eorum a praeposito dependentiam. Ordinationem vero internam Episcopi arbitrio remisisse cujus est ultimum rerum statum et populi necessitates cognoscere.

13) Domus religiosae.

Facultas administrandi ss. Eucharistiae sacramentum etiam per viaticum et aliud extremae unctionis et concedendi ecclesiasticam sepulturam in coemeterio pro capellano piae domus B. M. V. ab Exilio nuncupatae in civitate Lisbonensi.

Dilecto filio Vicario capitulari ecclesiae Lisbonens. illius patriarchali sede vacante legitime deputato.

Pius PP. VII.
Dilecte fili

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus praefectus vulgo Intendente di pulizia istius civitatis itemque inspector seu administrator piae domus regiae nuncupatae vel institutionis in aedibus olim monasterialibus ordinis Cisterciensis b. Mariae virginis ab Exilio istic erectae in qua domo septingenti et ultra pueri puellaeque ex fidelissimi regis munificentia aluntur christianeque educantur, quod cum in publica ejnsdem domus capella debitis cum licentiis ss. Eucharistiae sacramentum adservetur et capellanus presbyter extet, qui spiritualibus alumnorum hujusmodi indigentiis consulit diu noctuqne assidue degens, cumque praeterea sepulcrum aut coemeterium pro cadaveribus sepeliendis satis aptum ibidem reperiatnr, ad majorem puerorum praedictorum spiritualem consolationem et commodum sacramenta in eadem domo degentibus per proprium capellanum praedictum administrari posse plurimum desiderat etiam ex eo, quod aliquando accidit, ut eorum aliquis e vivis excesserit, quin ss. Sacramentis rite fuerit munitus, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut dictis alumnis in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes

et singulares personas quibus hae literae faverent a quibusvis excommunicationis etc. absolventes et absolntas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati discretioni tuae eo quod sedes patriarchalis Lisbonensis adhuc vacat per praesentes committimus et mandamus qnatenus constito tibi prius de narratorum veritate auditoque locali parocho ut moderno et pro tempore in perpetuum existenti memoratae domus capellano petitam facultatem administrandi ss. Eucharistiae sacramentum etiam per viaticum et aliud extremae unctionis sacramentum omnibus et singulis in dicta domo degentibus et stabiliter pernoctantibus dumtaxat necnon sepeliendi juxta ritum ecclesiae in dicto coemeterio vel sepulchro eorumdem ibi degentiuum stabiliterque pernoctantium tantum cadavera salvis in reliqnis parochialibus juribus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et prudentia gratis impertiaris.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 24. Julii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 109. Ed. Romae.)

14) Infirmorum in nosocomio.*)

Applicatio capellaniae cujusdam nosocomio Assisiensi et reductio missarum.

Pius PP. VII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Est plane diguum episcopali munere et providentia et pietate id, quod modernus Episcopus Assisiensis impendit studium aegrotorum nosocomio publico seu civitatis jacentium non minus animis quam corporibus curandis, juvandis, sanandis. Neque vero patiemur ultra differri opem, quam a Nostra is auctoritate implorat ad illam rem atque efflagitat.

§. 2. Itaque motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium literarum statuimus primum capellaniam titulo s. Joannis in ecclesia s. Mariae Majoris episcopatus vulgo dicta Assisiensis civitatis erectam, quae per obitum b. mem. Pamphili Guiducci nuperrime vacaverit, in nsum posthac nosocomii ejusdem civitatis cedere debere adeo ut Episcopus, qui nunc est Assisii quique futuri sunt deinceps eam illi sacerdoti conferant, qui idoneus ipsis videatur magis ad nosocomii aegrotos omni spiritualium officiorum genere solandos, qui his administrare sacramenta, eosdem erudire christianis mysteriis atque praeceptis, morientibus adesse teneatur nihilque praetermittere, quod miserorum salus aeterna ab eo requirat. In quo gerendo munere si forte segnior negligentiorque fuerit possint Episcopi Assisienses capellaniam qua eum donarant illi adimere et alteri deferre, qui accuratiorem et meliorem operam sit nosocomii aegrotis adhibiturus.

§. 3. Decernimus deinde, ut is sacerdos, qui ea capellania est auctus ad tam gravem et salutarem et necessarium Deoque gratum laborem perferendum onere exsolvatur aliquatenus sacrificiorum celebrandorum, quae ad decem et septem quovis mense capellania ex sua fundatione illi quidem imponit in ecclesia episcopatus supradicta. Omnibus vero etiam in rebus nosocomio quod maxime referet commodare cupientes declaramus satis esse, ut ad altare ipsius nosocomii etiamsi hoc in alias aedes transferatur sacerdos ille diebus festis de praecepto sacrificium pro capellania accepta peragat cui aegroti vel decnmbentes in lecto intersint. At si quando, quod vehementer optamus et a Dei benignitate precamur, nosocomium copiis abundare coeperit, ut sacerdos aegrotis assidue serviens iisque addictus ali honeste aliunde possit volumus omnino uullum ex sacrificiis ei capellaniae adnexis omitti quin ipsam quoqne capellaniam si commode fieri queat priori ecclesiae restitui.

§. 4. Ad extremum motu, scieutia et potestate paribus parochum intra cujus paraeciae fines nosocomium nunc est aut aliquando erit omni plane jure si quod habet aut habere unquam possit in nosocomium privamus decernentes sacerdotem ab Episcopo Assisiensi nosocomii spirituali curae deputandum instar illius parochi esse.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 2. Januarii 1801.

(Bull. r. Contin t. p. 98. Ed. Romae.)

*) Vd. *t. I. p. 194. g.*

15) Infirmus.

Vd. *Beneficiatus infirmus* t. II. p. 154. n. 18.

Civitatis Plebis.

Antonius Orca binas instituit capellanias et capellanis onus imposuit celebrandi per seipsos exceptis casibus legitimi impedimenti.

Hinc capellani consueverunt in casu infirmitatis praetermittere missas. Episcopus vero postulat an et quomodo capellani teneantur supplere missas tempore infirmitatis? Et respondit S. C.: Affirmative et teneri per alios sacerdotes. Die 27. Aug. 1791.

Romana.

In institutione capellaniarum quas fundavit Card. Antonius Maria Salviati in ecclesia s. Jacobi Incurabilium Urbis donator injunxit onus celebrandi per se sed non addidit clausulam »et non per alios« et in tabella ecclesiae typis impressa anno 1675 in qua rite missae notantur et quae ab aliis sacerdotibus omissae supplentur onus hujusmodi praescribitur; idcirco capellani propter etiam reddituum tenuitatem celebrare per alios missae sueverunt et inde S. C. consuluerunt, quae capellanos primae institutionis dicti Cardinalis teneri per se ipsos Sacra peragere decidit. *Die 26. Novemb. 1796. dub. 1.*

Et casu infirmitatis dictos capellanos per alios dummodo dies quindecim non excedant supplere non teneri statuit.

Ibid. dub. 2.

16) Jubilatus.

Vd. *Capellania choral.* (Beneficium estne? decr.: *Novarien.* p. 538); *Jubilatio; Canonicus jubilatus.*

17) Militaris.

a) Approbatio ab Ordinario.

Capellani militum seu missionarii exercitus vel castrenses in casibus in quibus non adsit breve apostolicum aliter disponens debent approbari ab Ordinario loci non autem a Capellano majori regio. Imo dato quod adsit breve apostolicum est bene et caute perpendendum an fuerit personale concessum alicui Regi vel limitatum pro aliquo regno quia nequit extendi prout si in brevi fiat mentio de militibus in praesidio non extenditur ad milites in bello et e contra cum in hujusmodi materia sit stricta facienda interpretatio et de facto proposito dubio in s. Congregatione *in Mazarien.**) *Facultatis approbandi confessarios*:

»An approbatio confessariorum pro sacramentalibus militum confessionibus audiendis pertineat ad capellanum regium vel ad Ordinarium loci?

*) Vd. infra.

Die 22. Mart. 1687 respondit: *Pertinere ad Ordinarium loci* quia breve quod aderat respectu Regis catholici videbatur ex variis circumstantiis non extendi ad regna extra Hispanias.

Unde s. Congregatio Episcop. jam pluries declaraverat, quod capellani militum essent approbandi ab Ordinario loci et non a majori capellano regio; *in Faventina* enim *3. Apr. 1618* et *in Neapolitana 4. Augusti ejusdem anni* rescripsit, quod capellanus regius major Neapolis concedere non audeat licentiam ministrandi sacramenta sine licentia Ordinarii alioquin confessiones et matrimonia nulla erunt et ipsis non concedetur amplius semestris prorogatio suarum facultatum, ut resolvit eadem sac. Congregat. *in Brundusina 5. Septemb. 1607, in Gravinensi 16. Febr. 1619, in Neapolitana 11. Aprilis 1620.*

Regii capellani majores ex brevi Clementis VIII. concesso Philippo Regi habent solummodo exemptiones spectantes ad personas non ad loca nec in dicto brevi legitur, quod ipsi possint eligere personas ad audiendas confessiones et alia sacramenta administranda nisi ex approbatis ab Ordinario. S. Congreg. Immunitatis *in una Massae pro ecclesia Portus Longonis 13. Novembris 1688.*

Capellani militum seu missionarii castrenses in casibus in quibus adsit Breve apostolicum aliter disponens debent approbari ab Ordinario loci non autem a capellano regio. Imo quatenus adsit Breve est inspiciendum an fuerit personale concessum alicui Regi vel limitatum pro aliquo Regno quia nequit extendi, ut proposito dubio in s. Congreg. Concil. *in Mazarien. Facultatis approbandi confessarios.* Est diligenter et caute attendenda natura Brevis apostolici a cujus dispositione est semper petenda regula in similibus casibus. Et quatenus non appareat dispositio Brevis apostolici sunt observanda generalia decreta s. Congregationis Concilii edita *die 6. Martii 1694* in dubio jurisdictionis capellanorum exercitus occasione et tempore, quo milites e variis Germaniae partibus in Italiam irrumpebant; cum enim tunc fuerit ei remissa cognitio a s. Congreg. s. Officii ab illa fuerunt proposita et resoluta infrascripta dubia:

I. An capellani cujusvis exercitus sive saeculares catholici possint administrare militibus in praesidiis degentibus Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, extremae Unctionis

sine speciali facultate Sedis apostolicae vel licentia et approbatione Ordinarii in cujus dioecesi extare contigerit?

II. An assistere matrimoniis*) militum cujuscumque nationis degentium in praesidiis cum militaribus foeminis sine dicta facultate apostolica et praecedente probatione status liberi ejusque recognitione coram Ordinario loci et licentia parochi sub cujus parochia manent?

III. An idem cum militibus degentibus in castris et stationibus hibernis vel aestivis?

IV. An idem cum militibus in actuali expeditione positis?

V. An idem cum militibus nubere volentibus cum foeminis non militaribus sed Italis non originariis loci sive dioecesis in qua reperiuntur?

VI. An et quid pro sanatione gestorum, in praeteritum faciendum in futurum super praedictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum et statuendum sit?

Ad 1. 2. 3. 4 et 5 respondit: Negative.

Ad 6: In praeteritum non esse inquietandas conscientias quoad Sacramentum poenitentiae.

Quo vero ad matrimonia sine speciali facultate apostolica vel sine licentia Ordinarii loci vel parochi non servata forma s. Concilii Tridentini in cap. 1. sess. 24 de reformat. matrimonii, pro sanatione si Sanctissimo Domino nostro placuerit renovato tamen consensu etiam coram confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus parocho illius loci in quo fieri contingat hujusmodi renovatio.

Provisio in futurum differatur in prima proxima Congregatione in qua consulendum erit ac deliberandum sub die 29. Martii ejusdem anni super provisione; Congregatio dixit: Secretario cum Sanctissimo pro tali provisione et sanatione. Apud Petram t. 2. in constit. 12. Innoc. III. n. 18.

Ferrarien. Jurisdictionis.

Praeceperat per suum speciale edictum novissime promulgatum Emmus Ordinarius Ferrariensis, ut omnes confessarii infra terminum unius mensis deberent sese novo examini subjicere novamque approbationem ad confessiones excipiendas ab ipsomet recipere praevia revocatione omnium facultatum antea concessarum.

Hujusmodi autem edicto unice parere renuit Dominicus Chirardinus capellanus arcis Ferrariensis sub fundamento omnimodae exemptionis ab ordinaria jurisdictione ac subjectionis Emmo Legato continuando ulterius in militum confessionibus audiendis, qui tempore paschali ab eodem capellano et in ecclesia dictae Arcis confessionis et ssmae Eucharistiae Sacramenta susceperunt; quapropter parochus s. Blasii intra cujus limites Ferrariensis Arx sita reperitur praetendere coepit milites supradictos praecepto paschali nequaquam satisfecisse tum quia illud non expleverunt in ecclesia parochiali tum etiam quia illud sacramentorum administrationem habuerunt a capellano praedicto ab Ordinario non approbato habitoque recursu per dictos milites ad hanc s. Congregationem pro declaratione, quod ipsi paschale munus adimplevissent, requisita fuit consueta relatio ab Emmo Ordinario, qui post facti seriem recensitam ait capellanum praefatum juxta dispositionem s. Concilii Tridentini in *cap. 15. sess. 23. de reform.* suae ordinariae jurisdictioni esse immediate subjectum ac propterea ab eo dumtaxat facultatem confessiones audiendi recipere posse nisi doceat de speciali Sedis apostolicae indulto, quod comprobat etiam ex decreto de voto s. Congregationis Episcoporum emanato a sa. me. Innocentio X. 30. Septembris 1650, quo prohibitum fuit Emmo Legato Bononiensi ne se ingereret quoad Spiritualia a s. Concilio Tridentino Episcoporum curae demandata, quibus addit capellanos antecessores indistincte poenitentiae Sacramentum administrasse praevia Ordinarii approbatione; et denique quoad sacramentum ss. Eucharistiae pariter asserit jus assistere praefato parocho s. Blasii et de facto in Paschale Resurrectionis proxime praeterito omnes fere mulieres puerosque in arce commorantes in parochiali ecclesia praecepto ecclesiastico satisfecisse ubi ceteroquin omnia munia parochialia explentur matrimoniaque eorumdem militum contrahuntur.

His omnibus per summarium relatis die 9. Septembris proxime elapsi placuit EE. VV. audire Emmum Legatum, qui refert capellanum arcis praedictae firme asserere sibi subjectum esse et ab eo recipere literas patentes ad effectum administrandi Sacramenta

*) Vd. *Capellan. milit.* (quoad matrim.)

omnibus in arce exsistentibus sicuti a pari practicari in Arce urbana non obstante, quod quandoque assumantur capellani approbati ad confessiones ab Emmo Episcopo, quia hoc promanat ex accidenti dum Legatus non retinet examinatores. Quod autem capellanus in dicta arce tamquam loco exempto exerceat independenter a parocho s. Blasii omnia munia parochialia apparere inquit ab antiquissima consuetudine dum ipse in festo Paschalis sicut caeteri parochi immediate recipit ab ecclesia cathedrali s. oleum et requirit ab ibidem inhabitantibus schedulas communionis assistendo per se ipsum ac necessaria sacramenta infirmis ministrando ea praecipua ratione, quia nemini ac praesertim nocturno tempore permissum est arcem ingredi et casu quo per milites eligatur sepultura in ipsa parochiali tunc per parochum eorum cadavera recipiuntur in foris arcis nec ulterius progredi eidem licitum est; ex quibus E. S. infert non obstare quod in provisione parochiae asseratur in ejus ambitu comprehendi quoque arcem cum evenerit capellano inaudito multoque minus, quod milites eorumque mulieres quandoque devotionis gratia tempore paschali Sacramenta in ipsa parochiali receperint dum hoc processit de licentia capellani. Et quia raro in ipsa arce contrahuntur matrimonia permittitur parocho s. Blasii facultas publicandi denunciationes ex motivo affluentiae populi subditque capellanum promptum esse haec omnia per legitima documenta et immemorabilem probare, quibus stantibus sapientissimum EE. VV. responsum expectatur:

1. An ecclesia fortalitii seu arcis Ferrariae subsit jurisdictioni et visitationi emin. Episcopi?

2. An capellanus dictae arcis in eadem ecclesia possit audire confessiones sacramentales absque approbatione Emmi Episcopi et de licentia tantum Emmi Legati a quo deputatur?

3. An milites aliique degentes in dicta arce teneantur explere praeceptum annuae communionis Paschatis in ecclesia parochiali s. Blasii et etiam ipsius parocho subesse debeant circa curam animarum et administrationem sacramentorum in casu?

S. Congregatio Concilii respondit
Ad 1: Affirmative.
Ad 2: Negative.
Ad 3: Affirmative.
Die 12. Januarii 1704.

b) Facultas.

Vd. supra p. 696. a; *Capellanus milit. major* (facult.) *Capell. milit.* (quoad matrimonia.)

Facultates concessas capellanis castrensibus penes Caes. reg. austriacam militiam vi bullae die 12. Octobris 1780 datas et confirmatas 23. Maji 1815.

Vd. in *Ferraris Biblioth.* sub verbo: *Capellanus milit. n. 18.*

SSmi D. N. Pii Papae IX. Breve quo moderantur facultates capellanorum Militiae Gallicae.

Pius Papa IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant ea ut mature praestemus Nos admonet summi Apostolatus munus, quod immeriti licet obimus.

Itaque cum anno superiore in Gallorum consessu de legibus ferendis et vectigalibus decernendis verba facta fuerint de instaurandis presbyteris seu capellanis vulgo *aumôniers* pro catholicis qui militant in terrestri exercitu reipublicae placueritque hujusmodi presbyteros seu capellanos statuere, praesidiarii qui nominantur quique terrestrium copiarum legionibus, cohortibus manipulisve addicti rem divinam curent sub jurisdictione et potestate sacrorum Antistitum, quorum in dioecesibus memoratae copiae stativis maneant: Nos quo eorumdem catholicorum bono satis opportuniusque consultum sit haec quae infra scripta sunt apostolica nostra auctoritate decrevimus.

Quibus in locis Gallorum copiae in stativis habeantur eorum locorum Archiepiscopis aut Episcopis tales presbyteri seu capellani praesidiarii in spiritualibus omnino subjecti sunt. Quum vero eaedem copiae e stativis eductae fuerint *(mobilisées)* tunc ne aeterna animarum salus in qua procuranda omne studium cogitationesque collocamus quidpiam detrimenti capiat singulis universisque presbyteris seu capellanis hujusmodi nimirum tam praesidiariis quam suffectis qui vexilla sequuti fuerint auctoritate nostra apostolica tenore praesentium elargimus ut singuli quique eorum vel extra dioecesim et tam in ditione quam extra ditionem reipublicae Gallorum omnes et singulas facultates exercere libere et licite queant, quibus in dioecesi ex concessione proprii Archiepiscopi vel Episcopi utebantur antequam copiae stativa reliquissent.

Praeterea facultates adjicimus, quae infra scriptae sunt:

1. Ut singuli quique eorum una etiam hora vel ante auroram vel post meridiem ac necessitate id urgente extra ecclesiam et sub dio decenti tamen in loco super portatili lapide sacro et necessaria ad id supellectili instructo praesentibus quoque infidelibus, haereticis atque excommunicatis dummodo aliter fieri nequeat et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiae Sacrum peragere illudque necessitate pariter exigente servatis tamen servandis bis eodem die facere necnon qualibet feria secunda vel tertia non impeditis unam missam de *requiem* super altari portatili lapide sacro et supellectili ut supra instructo celebrare possint et valeant.

II. Ut singuli quique eorum omnibus christifidelibus qui Gallorum vel in exercitu militant vel in re praesenti quovis modo ad exercitum pertinuerint ecclesiae sacramenta administrare, eos a quibusvis reatibus cum huic apostolicae Sedi tum Ordinariis locorum per quae exercitus iidem transeant vel in quibus consistant servatis absolvere; item christifidelibus, quos descripsimus etiam conversis ab haeresi atque apostasia a fide et schismate, qui tamen facultatem sacramentalem confessionem peragendi non habeant dummodo saltem fuerint corde contriti plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem in mortis articulo impertire in Domino possint.

III. Ut singuli quique eorum memoratis christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti dominica resurrectionis et festivitatibus nativitatis Domini nostri Jesu Christi et immaculatae conceptionis et assumptionis beatae Mariae Virginis pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam defunctis applicabilem concedere ut supra queant.

IV. Ut singuli quique eorum quoscumque christifideles de quibus habita ante mentio est ab haeresi etiam ab apostasia et schismate in foro conscientiae absolvere eosque servatis servandis sanctae matri ecclesiae reconciliare, tandem vasa, tabernacula, vestes, ornamenta et quidquid ad cultum divinum spectet et spirituali servitio sit necessarium benedicere libere et licite possint.

At enim volumus et edicimus, ut presbyteri sive capellani quos memoravimus singulas atque universas facultates hujusmodi durante tantum expeditione et nonnisi quum tempus et necessitas postulet exerceant eisdemque uti valeant quin eas Ordinariis locorum per quae aut exercitus transeat aut in quibus expeditionis causa constiterit subjicere teneantur.

Simul volumus, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae ecclesiastica in dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si fuerint exhibitae vel ostensae. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Julii 1875 pontificatus nostri anno trigesimo.

F. Card. Asquinius.

Loco † Sigilli.

(Facultates Capellani regularis militum.)

Zagabrien.

Cum Episcopus Zagabrien. s. Congregationi Episcoporum et Regularium conquereretur perturbari ejus jurisdictionem a fratribus Minoribus de observantia totamque controversiam infrascriptis sex dubiis comprehendisset s. Congregatio dedit declarationes alias editas ab hac s. Congregatione Concilii prout ex copia decreti Emis PP. per informantem exhibenda; verum quia fratres contendunt eas propositis casibus non applicari supplicat Episcopus per hanc s. Congregationem praecise responderi:

1. An dicti fratres possint exercere munia parochialia et administrare Sacramenta baptismi, matrimonii, extremae unctionis militibus praesidiariis in dioecesi Zagabrien. existentibus sive hospitia fixa ibi habentibus ex eo quod talium militum capellani sunt hoc est quandocumque illorum confessiones excipiunt, missas illis celebrant, sermonem ad illos habent idque non requisitis sed invitis et contradicentibus loci parocho et ipsomet Ordinario?

2. An possint praedictis militibus praebere

Eucharistiae sacramentum per modum viatici et communionis paschalis, ita ut satisfiat praecepto ecclesiae contradicentibus ut supra?

3. An possint levare corpora praedictorum militum defunctorum vel illorum familiae non requisito, invito et contradicente loci parocho et ea processionaliter in eorum exercitio sive alibi sepelire?

4. An possint instituere publicas processiones per plateas et vias pro libitu et absque licentia Ordinarii?

5. An possint accedere cum cruce ad domos et hospitia praedictorum militum in vigilia Epiphaniae et eas benedicere antiquissimo et usitatissimo in illis partibus more parochorum?

6. An dictos fratres in praedictis casibus temerarie et contumaciter delinquentes possit Episcopus dioecesanus tamquam Sedis apostolicae delegatus censuris compellere ad observationem vel aliunde censuris innodatos ipso jure tales denunciare?

Die 6. Februarii 1676 s. Congregatio Concilii ad priora quinque dubia respondit: Negative nisi exhibeant privilegia.

Ad 6: Affirmative.

c) Major.

I. Facultates.

Vd. *Capellanus milit.* (facultat. p. 698); infra lit. *d.*

Innocentius PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam in exercitibus charissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Francorum christianissimi multa saepe contingunt in quibus pro salubri directione et animarum salute eorum qui in castris degunt et versantur proque cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus opera et industria personarum ecclesiasticorum opus est propterea quod non facile ad locorum Ordinarios aut Nos et Sedem apostolicam recursus haberi potest, idcirco Nos supplicationibus nomine dicti Ludovici regis Nobis humiliter porrectis inclinati capellanis majoribus in sacro presbyteratus ordine constitutis exercituum hujusmodi pro tempore existentibus facultatem ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum tribuimus, quoad bellum hoc duraverit per se vel alium seu alios sacerdotes probos et idoneos ac praevio deligenti examine approbatos ab eis subdelegandos omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui ibi pro sacramentis ecclesiasticis militibus ministrandis pro tempore erunt, qui tamen in propria dioecesi sub qua illorum Ordinarii jurisdictionem ordinariam in eos exercere possint, non sint seu clerici et presbyteri saeculares seu quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, exercendi perinde ac si quoad clericos saeculares dicti capellani majores eorum veri praesules et pastores, quoad regulares vero illorum superiores generales essent, omnesque causas ecclesiasticas, prophanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praedictas aut quascumque alias personas in dictis exercitibus commorantes ad forum ecclesiae quomodolibet pertinentes etiam summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii sola facti veritate inspecta audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet censuras et poenas ecclesiasticas etiam saepius aggravandi auxiliumque brachii saecularis invocandi. Praeterea eisdem capellanis majoribus et aliis presbyteris idoneis ab eorum Ordinariis approbandis confessiones quarumcumque dictorum exercituum utriusque sexus personarum audiendi illasque a quibusvis excessibus et delictis quantumque gravibus et enormibus ac etiam in casibus Nobis et dictae Sedi specialiter reservatis et etiam contentis in literis in die Coenae Domini legi solitis (haeresis, laesae majestatis, conspirationis in personam vel statum romani Pontificis, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, falsificationis literarum ac supplicationum apostolicarum, injectionis manuum violentarum in clericos seu praelatos ecclesiae, clausuraemonasteriorum sanctimonialium ac jurisdictionis seu libertatis ecclesiasticae violationis exceptis) necnon a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis propter praemissa per eos quomodolibet incursis si id humiliter petierint in reservatis videlicet semel in vita et in mortis articulo, in aliis vero causis dictae Sedi non reservatis quoties opportunum fuerit injuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari in foro conscientiae tantum absolvendi, in casibus tamen in quibus satisfactio foret necessaria ea per seipsos vel eis impeditis per haeredes aut alios fieri debeat; necnon eorum exercituum primariis

viris altare portatile cum debitis reverentia et honore si praedictis capellanis majoribus videbitur expedire super quo in locis ad hoc congruis et honestis etiam non sacris si tamen locus sacer haberi non poterit et cum qualitas negotiorum id exegerit dumtaxat celebrari possit concedendi; ecclesias quoque et capellas ac coemeteria et oratoria polluta in illis partibus in quibus exercitus consederint et per quoscumque idoneos ad id specialiter deputatos sacerdotes in dignitate ecclesiastica constitutos aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem ut moris est benedicta reconciliandi ac demum quaecumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica aliaque ad divinum cultum pro servitio dictorum exercituum dumtaxat necessaria et pertinentia exceptis tamen iis in quibus sacra unctio adhibetur benedicendi ceteraque faciendi et exequendi in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 16. Martii 1646.

Ven. Fratri Mathiae Archiepiscopo Mechlinien.

Clemens Papa VIII.

Quoniam in exercitu charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici apud Belgas filius noster Albertus Archidux tituli s. Crucis in Hierusalem Cardinalis Austriae nuncupatus dux existit et multa saepe contingunt in quibus pro salubri directione et animarum salute illorum qui in castris degunt et versantur proque cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus opera et industria unius personae in dignitate ecclesiastica constitutae opus est propterea quod non facile ad locorum Ordinarios aut ad Nos et Sedem apostolicam recursus haberi potest, Nos praedicti Cardinalis Archiducis supplicationibus inclinati fraternitatem tuam praestanti amplissimarum virtutum laude insignem huic rei duximus delegandam. Tibi igitur facultatem ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum tribuimus quoad bellum hoc duraverit per te vel alium seu alios viros probos et idoneos a te subdelegandos omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui ibi pro sacramentis ecclesiasticis militibus ministrandis aliave de causa pro tempore erunt, qui tamen in propria dioecesi sub qua illorum Ordinarii jurisdictionem suam ordinariam in eos exercere possint, non sint sive clerici et presbyteri saeculares seu quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares fuerint exercendi perinde ac si quoad clericos saeculares eorum verus praesul et pastor, quoad regulares vero illorum superior generalis esses. Omnesque causas ecclesiasticas prophanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praedictas aut quascumque alias personas in dicto exercitu commorantes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes etiam summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii sola veritate inspecta audiendi et fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet censuras et poenas ecclesiasticas etiam saepius aggravandi auxiliumque brachii saecularis invocandi. Praeterea tibi ac presbyteris idoneis a te approbatis confessionem quarumcumque dicti exercitus etiam utriusque sexus personarum audiendi illasque a quibusvis excessibus et delictis quamvis gravibus et enormibus ac etiam in casibus Nobis et dictae Sedi specialiter reservatis ac etiam in casibus contentis in literis in die coenae Domini legi solitis (haeresis, laesae majestatis, conspirationis in personam vel statum romani Pontificis, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, falsificationis literarum ac supplicationum apostolicarum, injectionis manuum violentarum in clericos et praelatos ecclesiae dumtaxat exceptis) necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis propter praemissa per eos quomodolibet incursis si id humiliter petierint in reservatis videlicet semel in vita et in mortis articulo, in aliis vero casibus dictae Sedi non reservatis quoties opportunum fuerit injuncta inde eis pro culpae modo poenitentia salutari in foro conscientiae tantum absolvendi; in casibus tamen in quibus satisfactio necessaria foret ea per seipsos vel eis impeditis per haeredes aut alios fieri debeat, necnon dicti exercitus primariis viris altare portatile cum debitis reverentia et honore si tibi videbitur expedire super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis etiam non sacris si tunc locus sacer haberi non poterit et cum qualitas negociorum id exegerit missa per sacerdotes approbatos celebrari possit in eodem exercitu concedendi; ecclesias quoque et capellas et coemeteria et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus in quibus

ipse exercitus consederit etiam per quoscumque idoneos a te ad id specialiter deputandos sacerdotes aqua tamen prius a te ut moris est benedicta reconciliandi ceteraque faciendi et exequendi in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 20. Februarii 1597.

Copia Concordati de Anno 1628.

Placet omnibus servare concordatum initum inter deputatos delegati apostolici et vicarios ecclesiae Mechliniensis 23. Januarii anno 1595 quoad praxim et usum jurisdictionis Ordinariorum et delegati praedicti circa eos, qui sunt de exercitu regio paucis mutatis juxta formam, quae sequitur cujus tenor per modum novi concordati recognoscetur per Ordinarios et delegatum.

Ut evitentur difficultates jam ortae quaeque imposterum oriri possent circa executionem brevis apostolici dati Romae die 8. Decembris anno Christi 1626, quo rerum spiritualium directio et ecclesiasticae jurisdictionis et disciplinae administratio in Belgico et Germanico catholicae majestatis exercitibus Illmmo et Rmmo D. Jacobo Archiepiscopo Melchliniensi commissa est, idem Archiepiscopus adsistente sibi Rev. admodum D. Didaco Bareda s. Theologiae doctore protonotario apostolico vicario generali subdelegato necnon Illmi et Revmi DD. Episcopi Ruremunden., Antuerpien., Ganden., Brugen., Sylvaducen. et electus Iprensis pro salute animarum et meliore jurisdictionis ecclesiasticae exercitio praevia matura deliberatione et amica collatione promiserunt observare articulos subsequentes, qui paucissimis mutatis seu explicatis conveniunt illis, qui eidem fini per modum concordati die 5. Januarii 1595 inter vicarios sedis Mechlinien. tunc vacantis et deputatos Illmmi et Rmmi D. Archiepiscopi Cameracen. tunc ad similia delegati ejusque subdelegatum concepti et conclusi fuerunt.

Primo, quod persona gubernatoris, omnium domesticorum ipsius utriusque sexus et eorum qui sunt de ejusdem gubernatoris custodia tam pacis tempore quam belli vulgo Hellebardiers et Archiers nuncupati sunt subjecti Ordinario loci ubi habent suum domicilium, ut vero accedant ad exercitum regium tunc tamquam pars exercitus censentur et subditi delegato apostolico.

Similiter omnes nobiles et alii inferiores, qui cessante exercitu habent suos Ordinarios in his partibus quando subsistunt iis in locis ubi est fixum ipsorum domicilium, censentur subditi eorumdem locorum Ordinariis etiamsi alioquin habeant officia et stipendia ratione dicti exercitus. Qui vero non habent in hisce partibus suos Ordinarios et castra sequuntur habentque officia aut stipendia regia ratione ejusdem exercitus ii censentur quamdiu exercitus constitit subditi dicto delegato apostolico.

Fixa praesidia arcium Antuerpien. et Ganden. non comprehensis nimirum turmis, quae tantûm ibi pro tempore collocantur, spectant ad Ordinarios locorum a quibus solis curam animarum fixorum praesidiorum exercentes approbari et facultates accipere oportet. Quoad alia praesidia quamvis subdita maneant delegato apostolico tantum favore ecclesiasticae disciplinae in animadversione delinquentium erit praeventioni locus.

Personae autem castra sectantes et ad exercitum spectantes si de exercitu sese ad tempus negotiorum causa ad urbem et alia loca extra exercitum recipiant manent in omnibus subjectae delegato apostolico.

Quae omnia supradicta sic intelligenda sint, ut parochis licitum sit administrare sacramenta omnibus divertentibus ad suas parochias et sepulturas in iis morientibus salvis juribus; non licebit tamen parochis assistere militibus seu personis de exercitu matrimonium contrahere volentibus nisi tamquam praesidiarii in eorum parochorum parochiis resident. Judicialia vero exercebuntur per superiores respective eorum de quibus scriptum est in praecedentibus articulis.

Inferius habebatur: Collatione facta deprehendi concordare cum articulis descriptis supra memoratae Congregationis, ita testor signatum: A. Coriache Notarius publicus.

Suprascriptae copiae collationatae cum suis respective copiis originalibus descriptis in registro archiepiscopatus Mechlinien. concord. quod attestor.

De Maryere secret. Illmi et Rmi. D. Archiep. Mechlinien.

Venerabili Fr. Alphonso Archiepiscopo Mechlinien.

Innocentius Papa XI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam in exercitu charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici in Belgio multa saepe contingunt, in quibus pro salubri directione et animarum salute eorum qui in castris degunt et versantur, proque agnoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, opera et industria unius personae in dignitate ecclesiastica constitutae opus est, propterea quod non facile ad locorum Ordinarios aut ad Nos et Sedem apostolicam recursus haberi potest, idcirco Nos supplicationibus memorati Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati fraternitatem tuam praestanti amplissimarum virtutum laude insignem huic rei duximus deligendam. Itaque tibi facultatem ad quinquennium proximum tantum harum serie tribuimus per te vel alium seu alios sacerdotes probos et idoneos ac praevio examine diligenti approbatos a te cum participatione et consensu dilect. Sebastiani Antonii Tanari abbatis s. Mariae Faventinae dioecesis Internuncii nostri in Belgio Burgundiaeque comitatu seu ejus quem forsan in ejusdem Sebastiani Antonii locum munere deputari contigerit subdelegandos omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticis militibus ministrandis pro tempore erunt, eosque qui tamen in propria dioecesi, sub qua illorum Ordinarii suam jurisdictionem ordinariam in eos exercere possint, non sint, sive clerici et presbyteri saeculares seu quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, exercendi, perinde ac si quoad clericos saeculares eorum verus praesul et pastor, quoad regulares vero illorum superior generalis esses, omnesque causas ecclesiasticas, prophanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praefatas aliasque personas in dicto exercitu commorantes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes etiam summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii sola facti veritate inspecta audiendi et fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet censuras et poenas ecclesiasticas etiam saepius aggravandi auxiliumque bracchii saecularis invocandi. Praeterea tibi ac presbyteris idoneis a te approbandis confessiones quarumcunque personarum dicti exercitus utriusque sexus audiendi illasque a quibusvis excessibus et delictis quantumque gravibus et enormibus ac etiam in casibus Nobis et dictae Sedi specialiter reservatis ac etiam contentis in literis die coenae Domini legi solitis (haeresis, laesae majestatis, conspirationis in personam vel statum romani Pontificis, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, falsificationis literarum et supplicationum apostolicarum, injectionis manuum violentarum in clericos seu praelatos ecclesiae, clausurae monasteriorum sanctimonialium ac jurisdictionis seu libertatis et ecclesiasticae violationis exceptis) necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis propter praemissa per eos quomodolibet incursis si id humiliter petierint, in reservatis videlicet, semel in vita et mortis articulo, in aliis vero casibus dictae Sedi non reservatis quoties opportunum fuerit, injuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari in foro conscientiae tantum absolvendi, in casibus tamen in quibus satisfactio foret necessaria et per seipsos vel eis impeditis per haeredes aut alios fieri debeat, necnon dicti exercitus primariis viris altare portatile cum debita reverentia et honore si tibi videbitur expedire, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis etiam non sacris si tunc locus sacer haberi non poterit et cum qualitas negotiorum id exigerit dumtaxat, celebrari possit, concedendi. Ecclesias quoque et capellas ac coemeteria et oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus in quibus ipse exercitus insederit per quoscumque idoneos ad id specialiter deputandos sacerdotes in dignitate ecclesiastica constitutos aqua tamen prius a te seu per alium catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta reconciliandi caeteraque faciendi et exequendi in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna non obstantibus etc. Volumus autem ut, quamdiu exercitus praefatus non prodibit in campum, tenearis saltem per vicarium tuum generalem visitare singulis annis juxta pastoralis curae exigentiam stationes militum et praesidia eorumdem in civitatibus, oppidis, pagis et fortalitiis commorantium, super quo conscientiam tuam tuique vicarii praefati gravamus.

Datum Romae apud s. Petrum die 3. Januarii 1681.

Mechlinien seu Belgica. Jurisdictionis.
Eme et Rme.

Ex quo in exercitu catholicae majestatis ad propugnandas Belgii regiones militante de facile sequebatur quod milites caeterique degentes in castris tamquam proprio et originario pastore destituti et ob ipsius vitae militaris varias, ut moris est, opportunitates modo huc modo illuc sese transferentes, alium et fixum Antistitem ratione domicilii acquirere non poterant, unde plurima ac gravissima praejudicia illis animabus Episcopo et pastore viduatis emergebant, hinc proinde ad preces ejusdem serenissimi regis Catholici nuper Sanctitas Sua, videlicet sub die 3. Januarii *) decurrentis, per speciale breve ad Archiepiscopum Mechlinien. directum concessit et indulsit, ut idem Archiepiscopus vel per se vel per alium de consensu tamen et participatione Rmi Internuncii Apostolici deputandum valeret exercere plenariam ecclesiasticam jurisdictionem in omnes personas et negocia quae eumdem sequerentur exercitum, creando ad hunc effectum ipsum Archiepiscopum Mechlinien. tamquam Ordinarium ejusdem exercitus, perinde ac si (sunt verba brevis) quoad clericos saeculares eorum verus praesul et pastor, quoad regulares vero illorum superior generalis esset; omnesque causas ecclesiasticas etc. Deindeque agnoscendo, quod ut de facto et de praesenti contingebat non semper memoratus exercitus reperiebatur in aperta acie sicut dicitur in campo sed juxta militares earumque regionum politicas indigentias distributus in varia oppida, civitates et fortalitia metabatur et residebat, idcirco in eodem brevi SSmus D. N. postremo loco subjunxit: »Volumus autem, ut quamdiu exercitus praedictus non prodibit in campum, tenearis saltem per vicarium tuum generalem visitare singulis annis juxta pastoralis curae exigentiam stationes militum et praesidia eorum in civitatibus, oppidis, pagis et fortalitiis commorantium, super quo conscientiam tuam tuique vicarii praedicti gravamus« ut latius patet in ipso brevi.

Perspecta igitur hujusmodi facultate et jurisdictione sibi per SSmum attributa recurrit hodie ad hanc s. Congregationem Rmus Archiepiscopus Mechlinien. exposcitque oraculum seu definitionem, utrum vigore praefatae delegationis apostolicae ad exercitus Belgicos possit ipse vel ejus vicarius generalis literas dimissoriales pro ordinibus suscipiendis concedere ipsis militibus eorumque filiis natis in exercitu, sive potius isti valeant easdem dimissoriales expetere ab illis Ordinariis, sub quorum jurisdictione actu et pro tempore manent exercitus vel praesidium, et ad favorem seu pro Rmo Archiepiscopo suplicante videtur decidendum.

Praesupposita enim communi propositione quod concessa alicui jurisdictio in certum genus personarum ista procul dubio valeat ad actum reduci et exerceri contra easdem personas licet in alieno territorio et jurisdictioni commorantes explere ex collectis per scribentes in *cap. Ex causa matrimonii, de offic. Ordinar. Alex. con. 35. lib. 4, Gratian. discept. 918. num. 58. cum seq., Card. de Luca lib. 3. de jurisd. disc. 20. num. 20.*

In claram quoque succedit consequentiam quod ad Rmum supplicantem spectet concedere literas dimissoriales non tantum ipsis militibus qui forte velint militiam deserendo prophanam sacram et ecclesiasticam amplecti sed etiam eorumdem filiis natis in exercitu; cum enim circa hoc personarum genus adeptus fuerit ordinariam et omnimodam jurisdictionem pernecesse videtur resultare quod ejus muneri incumbat tradere dimissoriales, de quibus agitur, cum illarum concessio sit actus merae jurisdictionis ad tradita per *Suarez. de censur. disp. 14. sect. 1. num. 6; Tamburin. de Jur. Abb. t. 2. disput. 2. 9. 28, Lezzan. verb. Dimissoriae num. 8, Pasqual. 9. moral. Centur. 2. 9. 126. num. 3. in fine.*

Quod revera fuerit noster Archiepiscopus adeptus hanc ordinariam jurisdictionem, abunde constat ex ipsa lectura brevis quae ante omnia spectanda venit et custodienda in hujusmodi delegatione per *text. in cap. Cum plures* ubi *gloss. de offic. delegat.*

Siquidem in eodem brevi legitur quod idem Archiepiscopus valeat exercere eamdem jurisdictionem in omni materia ecclesiastica perinde ac si esset verus Ordinarius. Unde cum fuerit creatus Pastor et Ordinarius eorum qui degunt in castris et exercitu non est dubium quod ad ipsum tamquam Ordinarium hujusmodi facultas pertineat ex animadversis per *text. in cap. Episcopus* et *cap. Nullus*

*) Vd. *p. 703.*

de tempor. ordinat. in 6. cap. 12. quod auct. q. 2, Ceneda quaest. canon. q. 38. num. 4, Rota d. 1181. coram Coccino.

Neque vis fieri posse videtur in contrarium ex quo hodie vel saepissime exercitus existat distributus in varia oppida, civitates et fortalitia in quibus proprii reperiuntur Ordinarii quoniam satis est ex supra praemissis quod sint personae de exercitu et per consequens de genere personarum subjectarum illius jurisdictioni, tunc enim attenditur quod istae in alieno vivant territorio prout exemplificando de Episcopo vel de parocho cum similibus habetur apud R. P. D. *de Luca lib. 12. disc. 24. num. 3 ubi allegat* alios discursus in *Nazaren. seu Tranen. sub tit. de jurisd. dis. 20.* et in *Lauret. disc. 34.*

Fortius vero animadversa ponderatione jam facta de hac praecisa distributione per castra, oppida et fortalitia a SSmo D. N. delegante dum ex verbis superius recensitis oneravit conscientiam nostri Archiepiscopi ejusque vicarii generalis sub praecipua denominatione pastoralis curae circa visitationem ab ipso faciendam in ipsis castris et praesidiis ac propterea ab hac ipsa facultate visitandi et corrigendi resultare alteram concedendi dimissoriales notavit *Grillenzon. cons. 142. num. 28 et 30, Capanil. in divers. rubr. 9. capit. 8. num. 4, Barb. de offic. et potest. Episc. p. 2. alleg. 7. num. 8* et ad *Concil. sess. 23. cap. 10. num. 14.*

Et quidem de jure est quod nullatenus attendatur formalis coadunatio in figura exercitus dummodo milites in praesidio detenti proni sint et expositi eidem belli periculo ac uniri valeant in acie secundum necessitates et congruentias militaris disciplinae, per Rot. coram Merlin. d. 806. num. 12 et seq. apud quem caeteri colliguntur.

Ac denique clarius ponderata anima rationis quoniam dimissoriae concedantur ab Episcopo vel originis vel domicilii*) vel ipsius beneficii ad quod promoveri debet ordinandus juxta disposita in dicto *cap. 1.* et *cap. Nullus de tempor. ordin. in 6.*

Ecce quod excepta causa beneficii de qua non est quaestio necessarium prorsus videbatur quod aliquis proprius et peculiaris crearetur pastor et Antistes ipsorum militum eorumque qui eadem castra concomitantur; cum enim, ut notum est et referunt historici agentes de rebus Belgicis, exercitus catholicae majestatis componatur de omnibus praecipue nationibus, videlicet Italiae Hispaniae et Belgicae respectu tam Italiae quam Hispanicae nimium dignoscitur incommodum expectandi literas dimissoriales ab eorum patriis, respectu autem Belgicae etiam isti coguntur mutare saepius stationes adeo ut domicilium nullibi valeant acquirere cum ad hunc effectum animus habitandi requiratur, qui nunquam consideratur in milite ex congestis per *Alciat. cons. 55, Menoch. de arbitr. cas. 86. lib. 2, Rota coram Emmo Ottob. dec. 98. n. 4.*

Et ob hanc rationem et quia congruum magis existimatur et dimissoriae decernantur ab iis qui melius existunt informati de moribus et idoneitate ordinandorum sacrum Concilium licet Abbatibus et praelatis regularibus ademerit potestatem concedendi dimissorias illam tamen praeservavit in subditis regularibus eorum disciplinae et jurisdictioni subjectis, ut in *sess. 13. cap. 10 de reform.* ubi late *Barbos. in collect. Seraph. d. 985. n. 20, Pellizar. in Manual. regular. tract. 8. cap. 2. num. 174, Pasqualig. quaest. moral. q. 357. n. 1,* ac de prioribus militantium religionum quamvis eorum subditi ut plurimum vivant in alieno territorio prosequitur Mendoz. de ordinibus militar. *disquis. 6. n. 83.* cum pluribus seqq.

Nec dicatur, quod ista minime procedant in filiis ipsorum militum nam cum ex supra firmatis ipse locus in quo exercitus ac respective praesidia consistunt fuerit effectus de territorio Rmmi Archiepiscopi Mechlinien. atque illius curae pastorali fuerit commissa visitatio, qui est actus de principalioribus jurisdictionis, certum est quod castra et praesidia habentur ac si essent dioeceses et territorium ejusdem Archiepiscopi, unde videmus in profanis, quod ibidem duces et generales privative exercent jurisdictionem quoad praesides et ordinarios locorum non tantum contra personas militum sed ceteros universos qui eadem castra sequuntur, ex quo illic adesse dicuntur cum corpore universitatis ex originali doctrina Praepositi in *cap. Jus militare 1. dist.* quam *refert et seq. Julius Constan. in 1. unic. Cod. de classic. lib. XI. n. 82 et 83.*

Adstipulante demum alia ratione, quae praesertim consideratur in filiis, isti nisi a patre seorsim commorentur in omnibus consequuntur forum et conditionem ejusdem patris, ut in specie pertractando de privilegiis militaribus dixerunt *gloss. in 1. 2.* verb.

*) Vd. *Literae dimissor.*

ministeria cod. de Episcopo et cler., Rebuff. in 1. destinatio 8. familiae ff. de verb. signifikat., Aiala de jure belli lib. 3. cap. 7. n. 23. vers. *praeterea, Rovit. super pragmat. de militib. pragmat. XI. n. 46 et 48.* Quare etc.

Mechlinien. Ordinationis.

Archiepiscopus Mechlinien. est delegatus apostolicus exercitus regii vigore Brevis apostolici in quo ita legitur:*) Quoniam in exercitu multa saepe contingunt in quibus pro salubri directione et animarum salute eorum qui in castris degunt proque cognoscendis inter eos causis ad forum ecclesiasticam pertinentibus opera personae in dignitate ecclesiastica constitutae opus est propterea quod non facile ad locorum Ordinarios aut ad Sedem apostolicam recursus haberi potest, idcirco etc. tibi facultatem tribuimus praedicta et omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui ibi pro sacramentis ecclesiasticis militibus ministrandis etc., exercendi proinde ac si quoad clericos saeculares eorum verus praesul et pastor, quoad regulares vero illorum superior esses, et causas ecclesiasticas, prophanas etc. inter seu contra praedictas aliasque personas in dicto exercitu permanentes etc. terminandi. Volumus autem, ut quamdiu exercitus non prodibit in campum tenearis visitare stationes militum ac praesidia eorumdem in civitatibus, fortalitiis etc.

Supplicat nunc idem Archiepiscopus declarari:

An ipse vel ejus Vicarius generalis vigore Brevis praedicti possit concedere dimissoriales militaribus personis et eorum filiis natis in exercitu?

Sacra Congregatio rescripsit: Negative.

Die 8. Februarii 1681.

Mechlinien. Ordinationis.

SS. D. N. per suas literas apostolicas in forma Brevis concessit facultatem Archiepiscopo Mechlinien. per se vel alium etc. omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui in exercitu regis catholici pro sacramentis ecclesiasticis militibus ministrandis pro tempore erunt, exercendi perinde ac si quoad clericos saeculares eorum verus praesul et pastor, quoad regulares vero illorum superior esset, omnesque causas ecclesiasticas, prophanas etc. inter seu contra praedictas personas in dicto exercitu commorantes terminandi. Petente autem Archiepiscopo ab hac s. Congregatione declarari:

An ipse vel ejus Vicarius generalis vigore Brevis praefati posset concedere dimissoriales literas militaribus personis et eorum filiis natis in exercitu?

fuit sub die 8. Februarii 1681 responsum: Negative.

Nunc Archiepiscopus ipse per libellum a Sanctitate Sua remissum pro voto supplicat sibi ex gratia saltem indulgeri, ut natis in bello et exercitu hujusmodi literas dimissoriales concedere valeat. Unde PP. Emmi decernere dignabuntur:

An petitis sit annuendum?

S. Congreg. Concilii rescripsit: Negative.

Die 2. Maji 1682.

Mechlinien. Delegationis Apostolicae.

Cum per obitum Archiepiscopi Mechlinien. obtento brevi a sa. me. Innocentio XI.*) die 3. Januarii 1681 confirmato anno 1690 ad aliud quinquennium expiraverit delegatio apostolica in personas tam saeculares quam regulares in catholico exercitu degentes, ut ex brevi per manus circumferendo, Episcopus Brugen. nuper a rege catholico nominatus ad Mechlinien. transferendus auctoritate apostolica supplicat nunc pro tunc eidem dictum Breve delegationis concedi, vigore cujus cum illata fuerint Ordinariis quoad administrationem sacramentorum praejudicia et plures evenerint abusus in exercitio praedictae facultatis die 8. Februarii 1681**) proposito in hac s. Congregatione dubio: An ipse Archiepiscopus vel ejus Vicarius generalis possit concedere dimissoriales militaribus personis et earum filiis in exercitu natis rescriptum fuit: Negative. Quod confirmavit die 2. Maji 1682.

Quoad Officium super nullitate matrimonii cujusdam militis jam legitime conjugati, qui aliam mulierem et secundam duxerat in uxorem celebrato matrimonio coram capellano ejusdem exercitus injunctum fuit Internuntio Bruxellen. quatenus praedictum exercitus vicarium et capellanos moneret nullam ipsis tributam fuisse jurisdictionem ex dicto brevi quoad sacramentorum administrationem militibus, qui facile possent habere accessum ad Ordinarios et parochos, s. Congregatio rem totam sub die 7. Aprilis 1683 remisit huic

*) Vd. *p. 701.*

*) Vd. *p. 703.*
**) Vd. supra.

s. Congregationi deciden. quae propositis dubiis die 29. Maji 1683:

1. An vigore praefatae delegationis apostolicae ipse delegatus apostolicus uti talis ejusque Vicarius et capellani exercitus facultatem habeant assistendi matrimoniis*) militum dum hi reperiuntur in actuali expeditione?

2. An dictam facultatem habeant privative quoad contrahentium parochos?

3. An eandem facultatem habeant dum milites matrimonium contracturi in hybernis vel aestivis castris commorantur?

4. An eamdem facultatem habeant dum milites sunt in praesidiis?

Respondit

Ad 1: Affirmative.

Ad 2. 3. et 4: Negative.

His positis dignentur EE. VV. decernere:

1. An petitum breve delegationis sit concedendum?

Et quatenus affirmative,

2. An et in qua parte sit reformatum?

S. Congregatio resp.:

Fiat Congregatio particularis Emmorum P. P. Carpinei, Praefecti, Columnae, Casanatae, Bonvisii, Albani super reformatione brevis. Die 17. Junii 1690.

Continuatio. Votum.

Ad 1: Affirmative. Quia cum exercitus dicatur ambulatoria civitas *(Vilos. tract. de fugit. c. 20. §. 2. num. 4)* suo indiget pastore cui jurisdictio ad certum genus personarum huc et illuc juxta politicas necessitates transcurrentium tradi oportet quamvis in alieno degant territorio et ita a Rota decisum in Mechlinien. 5. Martii 1666 quoad administrationem sacramentorum eidem plene indultam in vim pontificiae facultatis et brevis, ibi: Perinde ac si quoad clericos saeculares eorum verus praesul et pastor, quoad regulares vero illorum superior generalis esses, tenearis juxta pastoralis curae exigentiam visitare singulis annis stationes militum et praesidia eorumdem in civitatibus, oppidis, pagis et fortalitiis commorantium. Ex quibus omnis jurisdictio quoad omnem sacramentorum administrationem tributa dicitur. In cujus tamen delegationis exercitio cum plures irrepserint abusus

Ad 2: Affirmative, reformandum esse breve et effrenatas illius facultates ad terminos resolutionis s. Congregationis s. Officii die 6. Maji 1682 et hujus s. Congregationis die 29. Maji 1683*) itaut quoad assistentiam matrimoniis cummulative cum parochis habeant jurisdictionem delegatus et capellani exercitu tantum ambulante nec in stationibus aut praesidiis degente juxta formam conventam inter Cameracensem et Mechlinien. delegatos apostolicos die 23. Januarii 1595, quibus Clemens VIII.**) die 20. Februarii 1597 jurisdictionem delegatam ita temperavit, ut necessitatibus exercitus subveniret ob non facilem ad s. Sedem vel ad Ordinarios accessum et ordinariam intactam servaret, ut non comprehenderet eos milites qui fuissent in propria dioecesi in qua possent Ordinarii jurisdictionem suam in eos exercere.

Ideoque conventum: Quod praefectus exercitus omnesque tam nobiles quam gregarii licet castra sequantur habentes in eorum loco permanentiae Ordinarium suum fixumque domicilium subdantur Ordinario ubi contingat habere domicilium et a domicilio praedicto egressi subdantur delegato Apostolico et ita inter Ordinarium et delegatum quoad milites praesidiarios ceteroquin subditos delegato detur locus praeventioni favore ecclesiasticae disciplinae in animadversione delinquentium; personae vero religiosae exercitus alio divertentes extra castra subjiciantur delegato quoad judicialia salvo semper parochiali administratione sacramentorum. Haec refert Zypeus et Masseldus Vicarius olim exercitus in *tract. de parochia militari* ad terminos brevis concessi a sa. me. Urb. VIII. anno 1626 delegato exercitus in palatinatu relatus a Zypeo et ita etc.

Die 10. Julii 1690.

Congregatio particularis E. E. Carpinei, Columnae, Casanatae, Bonvisii et Albani rescripsit

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Affirmative et reformandum breve in §. fin.; volumus autem appositum in brevi sa. me. Innocentii XI. et capellanis concedendam facultatem administrandi militibus aliisque omnibus qui castra sequuntur ea tantum sacramenta per parochos ordinarios

*) Vd. *Capellan. milit. quoad matrim. p. 713.*

*) Vd. *in hac pagina.*
**) Vd. *p. 701.*

administrari consueta et haec quidem eo dumtaxat tempore, quo exercitus reperiatur in actuali expeditione secus vero quando milites degunt in praesidiis et stationibus.

Mazarien.

Facultatis Approbandi Confessarios.

Fel. record. Innocentius PP. X. sub *die 26. Septembr. 1644* literas dedit in forma brevis ad gloriosae memoriae Philippum IV. Hispaniarum regem, quarum integer tenor legitur apud *Vilosam de servis fugitivis cap. 20. §. 2. n. 5 et* substantialis particula talis est: Cum sicut Majestatis tuae nomine Nobis expositum fuit initio nunc et pro tempore exercitibus in tuis Hispaniarum regnis multa saepe contingere possunt in quibus pro salubri directione et animarum salute eorum qui in castris degunt et versantur proque cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiae pertinentibus opera et industria unius seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit, propterea, quod non facile ad locorum Ordinarios aut ad Nos et Sedem apostolicam recursus haberi potest, idcirco Nos etc. capellanis majoribus exercituum hujusmodi a Majestate tua pro tempore deputatis facultatem ad nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum tribuimus, quoad bella in dictis regnis duraverint, per se vel alium vel alios sacerdotes probos et idoneos ac praevio diligenti examine approbatos ab eis respective subdelegandos omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui ibi pro sacramentis ecclesiasticis militibus ministrandis pro tempore eorum, qui tamen in propria dioecesi, sub qua illorum Ordinarii jurisdictionem suam ordinariam in eos exercere possint, non sint etc. omnesque causas ecclesiasticas, prophanas, civiles, criminales, mixtas inter seu contra praedictas aut quascumque alias personas in dictis exercitibus commorantes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes audiendi et terminandi etc. Praeterea eisdem capellanis ac presbyteris idoneis ab eorum Ordinariis approbandis confessiones quarumcumque dictorum exercituum et illarum utriusque sexus personarum audiendi illasque a quibusvis excommunicationibus et delictis in foro conscientiae tantum absolvendi.

Harum literarum vigore capellani regii militum praesidiariorum regni Siciliae praetendunt ad ipsos spectare jus approbandi confessarios pro audiendis confessionibus dictorum militum.

At huic praetensioni contradicens Episcopus Mazarien. recursum habuit ad s. Congregationem s. Officii, quae ad hanc remisit resolutionem dubii:

An approbare confessarios pro audiendis confessionibus sacramentalibus dictorum militum spectet ad capellanum regium vel potius ad loci Ordinarium?

S. Congregatio rescripsit: Spectare ad Ordinarium loci. Die 22. Martii 1687.

Attendenda sunt indulta apostolica variis Regibus suis pro capellanis militaribus concessa a Clemente PP. XII. et signanter novissima concessa Regibus Catholico et Sardiniae quae pro regula ab omnibus observanda.

Vd. Ferraris Biblioth. sub verbo: *Capellanus milit.* n. 15.

Quod idem fuit iterum ad literam confirmatum in simili forma Brevis a Benedicto XIV. die 2. Junii 1741.

Vd. Ferraris *l. c. n. 16.*

Benedictus XIV. in sua constitutione: *Convenit* edita pridie Nonas Julii 1741. quam secutus est IV. Idus Novembris ejusdem anni *Motus proprius* ejusdem Pontificis varia concedit privilegia capellano majori regni Neapolitani, spectantia ad opportunam sacramentorum administrationem et procurandam animarum salutem pro militibus ejusdem regni quae etiam *artic. 26.* concordati Pium VII. inter et Ferdinandum I. utriusque Siciliae Regem confirmata fuerunt ubi sic legimus: *La curia del capellano maggiore, e la sua guirisdizione, si conterrà nè limiti della costituzione di Benedetto XIV. che comincia:* »Convenit,« *e del susseguente:* Motu proprio: »*dello stesso Pontifice sul medesimo oggetto.* Ambas constitutiones vd. apud Ferraris *l. c. n. 19.*

Concessio nonnullarum facultatum capellano majori exercituum Regis catholici.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum in exercitibus carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici multa saepe contingere possunt in quibus pro recta sacramentorum administratione salubri-

que directione et cura animarum illorum qui in castris degunt et versantur necnon pro cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus opera et industria unius seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit quippe quia non facilie ad proprios parochos et locorum Ordinarios aut ad Nos et Sedem apostolicam recursus haberi valeat,

§. 2. Hinc alias Nos ad supplicationem ipsius Caroli Regis per quasdam nostras in simili forma brevis die 10. Martii anni 1762 expeditas literas dilecto filio nostro Bonaventurae S. R. E. presbytero Cardinali de Cordova Spinola de la Cerda a sancto Carolo nuncupato ex concessione et dispensatione apostolica moderno et pro tempore existenti Patriarchae Indiarum, qui nunc et deinceps capellanus major sive Vicarius exercituum ejusdem Caroli regis esse debet, nonnulla indulta, privilegia et facultates ecclesiasticas et spirituales, quibus erga milites aliasque personas ad militiam et exercitus praedictos spectantes uti valeret, ad septennium a data earumdem Nostrarum literarum computandum sub certis modo et forma tunc expressis concessimus et indulsimus ac alias prout in praedictis nostris literis uberius continetur. Postmodum vero cum circa hujusmodi facultates ecclesiasticas eidem Bonaventurae Cardinali Patriarchae capellano majori sive Vicario exercituum concessas inter ipsum et venerabiles fratres Archiepiscopos, Episcopos seu dilectos filios alios locorum Ordinarios in Hispaniarum regnis existentes nonnullae ortae essent controversiae et excitata dubia super dictarum nostrarum literarum interpretatione atque intelligentia, ut controversiae et dubia hujusmodi penitus extinguerentur et tollerentur, Nos ad supplicationem ejusdem Caroli regis per alias nostras in simili forma brevis die 14. Martii 1764 expeditas literas proposita dubia et quaestiones hujusmodi declaravimus et definivimus ac alias prout eisdem secundo dictis nostris plenius pariter continetur.

§. 3. Nuper autem ejusdem Caroli regis nomine Nobis expositum fuit, quod septem anni ad quos praedicta indulta, privilegia et facultates memorato Bonaventurae Cardinali Patriarchae capellano majori seu Vicario exercituum hujusmodi concessa fuerant versus finem vergant, ipse vero Carolus rex easdem facultates, privilegia et indulta juxta earumdem nostrarum secundo dictarum literarum formam et dispositionem intelligenda et interpretanda ad aliud septennium per Nos iterum concedi plurimum desiderat,

§. 4. Idcirco Nos supplicationibus ejusdem Caroli regis nomine humiliter porrectis inclinati easdem secundo dictas nostras literas die 14. Martii 1764 ut praefertur expeditas ac quascumque declarationes, concessiones aliaque omnia et singula in eis contenta atque disposita, quae praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, confirmamus, approbamus, innovamus illisque apostolicae firmitatis nostrae vim, robur atque munimen adjicimus easque ac in illis contentas decisiones et declarationes ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore quandocumque quomodolibet spectabit in futurum inconcusse et irrefragabiliter observari volumus, praecipimus et mandamus eidemque Bonaventurae Cardinali et dispensatione apostolica moderno necnon pro tempore existenti Patriarchae Indiarum infrascriptas facultates juxta tenorem ac formam secundo dictarum nostrarum literarum in omnibus et per omnia ut praefertur intelligendas et interpretandas atque exequendas per se vel alium seu alias personas in ecclesiastica dignitate constitutas sive alios sacerdotes probos et idoneos per se ipsum capellanum majorem seu Vicarium exercituum hujusmodi praevio diligenti et rigoroso examine repertos ac approbatos (quatenus ab aliquo suo Ordinario approbati non essent) et ab eodem capellano majori subdelegandos erga milites aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus comprehensis etiam copiis auxiliaribus quomodolibet spectantes tantum exercendas videlicet administrandi omnia ecclesiae sacramenta etiam ea, quae nonnisi per parochialium ecclesiarum rectores ministrari consueverant, praeter confirmationem et ordines si ipse subdelegatus seu subdelegandus episcopali charactere insignitus non fuerit vel capellanus major praedictus per se ipsum dicta sacramenta confirmationis et ordinum administrare non possit, reliquasque functiones et munia parochialia obeundi, absolvendi ab haeresi, apostasia a fide et schismate intra Italiam quidem et insulas adjacentes illos tantum, qui in eis locis ubi haeresis impune grassatur nati sint nec unquam errores judicialiter abjuraverint vel s. romanae ecclesiae reconciliati fuerint, extra Italiam vero

dictasque adjacentes insulas quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares eadem castra sequentes non tamen eos, qui ex illis locis fuerint in quibus viget officium inquisitionis adversus haereticam praevitatem nisi inibi deliquerint ubi haeresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint nisi isti nati sint ubi similiter grassatur haeresis et post judicialem abjurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi et hoc in foro conscientiae dumtaxat, absolvendi quoque a quibusvis excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus etiamsi casibus Nobis et eidem Sedi apostolicae specialiter reservatis in literis die coenae Domini quotannis legi solitis, restituendi extra Italiam solummodo et insulas adjacentes et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos haereticorum vel infidelium de eorum religione tractantes et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi et haereticos et infideles in castris forte degentes ad ortodoxam fidem convertendi exceptis tamen operibus Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli et libris de astrologia judiciaria*) tractantibus ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis in quibus hereses impune grassantur minime efferantur, celebrandi missam una hora ante auroram et alia post meridiem et si cogat necessitas etiam extra ecclesiam in quocumque loco decenti etiam sub diu vel sub terra et gravi omnino urgenti necessitate etiam bis in die si tamen in priori missa ablutionem non sumpserit ac jejunus fuerit necnon super altari portatili etiam non integro seu diffracto aut leso et sine Sanctorum reliquiis ac demum si aliter celebrari non possitet absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiae etiam praesentibus haereticis aliisque excommunicatis dummodo inserviens missae non sit haereticus vel excommunicatus. Concedendi primo conversis ab haeresi vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus christifidelibus ad praedictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis si confiteri non poterunt necnon in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Paschatis resurrectionis ac Assumptionis b. Mariae V. immaculatae festis diebus vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, singulis autem dominicis et aliis festivis diebus de praecepto relaxandi iis qui ejus concionibus intervenerint decem annis de injunctis illis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta easdemque indulgentias sibi lucrandi singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadae officio novem lectionum non impeditis die immediate sequenti, celebrandi missam de requiem in quocumque altari etiam portatili si aliter celebrari non possit et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii, deferendi si in locis versentur ubi ab haereticis et infidelibus periculum subsit sacrilegii vel irreverentiae ss. Eucharistiae Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine illudque sine eodem in praedictis casibus retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen apto atque decenti, induendi (si quandoque in iis partibus degant per quas propter haereticorum vel infidelium insultus aliter transire vel in illis morari non possent) vestibus saecularibus licet sacerdotes etiam regulares fuerint, benedicendi quaecumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria et pertinentia exceptis tamen iis in quibus sacra unctio adhibenda erit si subdelegatus episcopali dignitate insignitus non fuerit, reconciliandi ecclesias et capellas ac caemeteria et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus in quibus ipsi exercitus consederint si ad locorum Ordinarios commodus non pateat accessus aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem ut moris est benedicta, immo etiam magna urgente necessitate, ut missae dominicis et aliis festivis diebus celebrari possint illa etiam a memorato Antistite non benedicta, praeterea eidem capellano majori per se pariter vel alium seu alios ab eo subdelegandos probos et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestationem et informationem ab eorum Ordinario aliisque personis fide dignis per ipsum capellanum majorem desuper exquirendam omnem et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus praedictis pro Sacramentorum administratione necnon spirituali animarum cura et directione pro tempore inservient sive clerici vel presbyteri saeculares sive quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares fuerint perinde ac si quoad clericos saeculares

*) Vd. *t. I. p. 1153.*

eorum veri praesules et pastores, quoad regulares eorum essent superiores omnesque causas ecclesiasticas, prophanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praedictas aliasque personas in exercitibus praedictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes etiam summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii sola facti veritate inspecta audiendi et fine debito terminandi contra inobedientes quoslibet, ad censuras et poenas ecclesiasticas procedendi illasque aggravandi ac etiam saevius reaggravandi auxiliumque brachii saecularis invocandi. Eisdem insuper christifidelibus in dictis exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis ac etiam carnibus quadragesimae et aliis anni temporibus et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta et sabatho cujuslibet hebdomadae ac tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi et absolvendi respective prout et in quantum Episcopis locorum Ordinariis juxta sacros canones et Concilii Tridentini decreta id facere licet seu permittitur, quoad vota seu juramenta, irregularitates et censuras ecclesiasticas nempe excommunicationes, suspensiones et interdicta necnon quoad omissionem omnium seu aliquarum ex denunciationibus, quae matrimoniis personarum ad praedictos exercitus pertinentium et cum illis commorantium contrahendis praemitti deberent, ad septenninm a fine dictorum septem annorum computandum ad nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur. Volumus autem, ut ii sacerdotes, quos idem capellanus major pro sacramentis etiam parochialibus militibus aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis ut praefertur deputandos duxerit hujusmodi facultatibus uti valeant in omnibus et per omnia juxta formam et tenorem supra memoratarum nostrarum secundo dictarum literarum die 14. Martii 1764 expeditarum et erga personas dumtaxat in eisdem nostris literis contentas et expressas ac praeterea mandamus, ut statim atque iidem sacerdotes, quos capellanus major subdelegaverit ad temporaneas et accidentales militum et exercituum hujusmodi stationes, literas testimoniales tam super eorum sacerdotio quam super sua deputatione ac facultatibus sibi vigore praesentium concessis pro hujusmodi munere exercendo parochis locorum exhibere debeant, quibus visis hi non impediant quominus missam in suis ecclesiis celebrare ac in vim earumdem facultatum sacramenta etiam parochialia ministrare valeant, quod si matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit seu ad dictos exercitus pertineat ibique occasione stationum praedictarum commoretur, altera vero parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat eo casu nec parochus sine sacerdote hujusmodi nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi hujusmodi matrimonii assistat aut benedictionem impertiatur sed ambo simul atque aequaliter stolae emolumenta si quae licite percipi solent accipiant et inter se dividant.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 27. Augusti 1768.

(Bull. r. Contin. t. III. p. 550. Ed. Romae.)

Extensio facultatum pro capellano majori pro tempore existenti exercituum Reginae Hungariae apostolicae et Bohemiae illustris.

Venerabili fratri Josepho Archiepiscopo Montis Falisci ad carissimam in Christo filiam Nostram Theresiam Hungariae apostolicam et Bohemiae Reginam illustram Nostro et apostolicae Sedis cum potestate legati de latere Nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum alias per Nostras literas in simili forma Brevis die 12. Octobris 1778 expeditae venerabili fratri Henerico Joanni Episcopo Neostadiensi capellano majori ac aliis capellanis majoribus pro tempore existentibus, dummodo episcopali charactere essent insigniti, exercituum carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Theresiae Walburgae Hungariae Reginae illustris in Romanorum imperatricis electae viduae plures facultates impertiti simus, ut magis magisque cum animarum christifidelium illius curae concreditarum salute ac divini cultus augumento sibi commissum munus exercere possit, fraternitati tuae per praesentes committimus, ut tamquam a Nobis et Sede apostolica delegatus memorato Episcopo Neustadiensi ac aliis capellanis majoribus pro tempore existentibus, dummodo episcopali charactere sint insigniti, infrascriptas facultates nempe exercendi ac utendi omnibus facultatibus quoad exercitus praedictos extra Ita-

liam tamen commorantes, quae illi veluti unius tantum dioecesis Episcopo competunt, erigendi in ecclesiis militaribus parochialibus unum altare privilegiatum, indulgendi apostolicam benedictionem in articulo mortis aliasque personas quae castra sequantur ad id subdelegandi ac demum dispensandi in esu carnium etiam in quadragesima, diebus sabathi et quatuor primis diebus majoris hebdomadae quoad milites gregarios a decurione seu sargente deorsum tantum auctoritate Nostra apostolica tribuas ac impertiaris.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 21. Augusti 1780.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 233. Ed. Romae.)

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

In hac b. Petri cathedra ad procurandum catholicae ecclesiae bonum divina clementia collocati ea libenti animo concedimus, quae in exploratam cedant fidelium utilitatem. Jam vero cum serenissimus Borussiae Rex Guilelmus Nobis curaverit exponendum sibi gratum fore, si pro catholicis, qui in terrestribus maritimisque Borussiae copiis stipendia faciunt, Vicariatum castrensem sive capellaniam majorem uti dicunt instituere de benignitate Nostra dignaremur, Nos animo reputantes quam salutaris iisdem catholicis futura sit hujusmodi institutio eam executioni quamprimum mandare decrevimus. Quae cum ita sint motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra per praesentes Vicarium castrensem sive capellanum majorem in Borussia auctoritate Nostra apostolica instituimus sub conditionibus, quae infra scriptae sunt. Vicarius castrensis sive capellanus major separatus a ceteris Ordinariis iisque minime subjectus jurisdictione pollebit in eos omnes, qui sub Borussiae vexillis militant terra marique ubicumque gentium fuerint atque in omnes et singulos fideles, qui ad Borussiae exercitum secundum leges pertineant. Is per apostolicas literas in forma Brevis ab hac s. Sede facultates omnes accipiet, quae capellanis majoribus aliorum exercituum impertiri solent iisque per se vel per alios ecclesiasticos viros ab ipso subdelegandos uti poterit. Designatio personae pro capellani majoris munere fiet collatis inter Nos sucessoresve Nostros ac serenissimum Borussiae Regem consiliis. Capellanus major Berolini deget et a Borussiae Gubernio stipendium accipiet suae dignitati consentaneum atque ex concessione apostolicae Sedis episcopali dignitate fulgebit titulo ecclesiae in partibus infidelium; munus porro conficiendi antea processuales tabulas de ipsius vita ac moribus juxta canonicas sanctiones demandatum volumus uni ex Antistitibus Regni Borussiae. Capellanorum minorum erit capellanum majorem in sui ministerii partibus obeundis omni ope atque opera juvare. Qui quidem capellani e clero eligentur dioecesium Borussicarum atque ut eorum electio catholicae rei benevertat singulis Antistitibus, ad quos idcirco capellanus major se vertet, etiam atque etiam commendamus, ut de aeterna fidelium salute solliciti illius curis studiisque quantum in se fuerit obsecundent. Porro capellani isti minores durante munere subjecti erunt omnino spirituali capellani majoris jurisdictioni, qui ipsis pro re ac tempore facultates quibus munitus fuerit aut universas aut in partem subdelegabit. Praeterea capellano majori facultas esto capellanos minores nominandi, castigandi deque uno in alium locum transferendi simulque ab officio removendi dummodo canonicae causae id postulent. At enim antequam ad nominationem veniat alicujus capellani minoris caveat apprime ne de persona ad id muneris designanda regium Gubernium aliquid minus probandum deprehendat simulque cum opportunum duxerit eorum aliquem aut alio transferre aut ab officio removere ea de re regium Gubernium admoneat. A capellano autem majori unus ex capellanis minoribus deligetur, ut Vicarii generalis titulum et officium exerceat. Si praesens capellanorum minorum numerus haud par necessitati videatur, eum capellanus major collatis cum regio Gubernio consiliis augeat. Capellani minores idem stipendium accipient officii sui proprium, quod in praesens ipsis persolvitur signumque quo internosci possint habebuut, muneri consentaneum, item convenientem militiae gradum et honesta missione accepta justam pensionem. Capellani minores cum reapse parochi censendi sint illius partis exercitus, quam spirituali ipsorum curae capellanus major demandaverit, libere idcirco utentur singulis quibusque facultatibus, quas sibi idem capellanus major subdelegaverit. Verumtamen, quum aliquo pervenerint, intra tres dies, illius loci parocho ostendant literas testimoniales tam super eorum sacerdotio quam super sua deputatione ac facultatibus sibi concessis pro hujusmodi munere exercendo. Quo facto loci parochus non impediet, quominus ipsi in parochiali sua ecclesia Sacris operentur, sacramenta fidelibus sibi subjectis administrent omnibusque illis utantur facultatibus, quibus muniti fuerint. Primi capellani majoris partes erunt (neque idcirco plenam illi tribuimus facultatem) leges conscribere, quae et capellanorum minorum ecclesiasticam disciplinam rite tueantur, et fidelibus, qui sub signis sunt, planiorem expeditioremque viam muniant ad fidei catholicae actus exercendos. Hac de re vero cum regio Gubernio aget ut pro dictis fidelibus qui stipendia merent religionis officia cum militiae muneribus quam rectissime concilientur. Porro leges hujusmodi priusquam vim habere incipiant s. hujus Sedi examini subjiciantur. Vacante capellani majoris munere usque ad successoris nominationem jurisdictio et facultates hujus muneris propria provisorie exercebuntur a Vicario generali. Haec volumus, statuimus, mandamus decernentes praesentes Nostras literas semper firmas, validas et efficaces existere, fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 12. Maji 1868.

d) Quoad matrimonia militum.

Vd. *Capell. milit.* (facult. p. 698; 697. II.)

Episcopus Derthonae suis literis datis 6. currentis scribit, quod frater Joannes Ginzolo ord. min. Conventualium capellanus militiae equestris celebravit matrimonium in Franciscum Tasolier germanum militem et Felicem Terram Mediolanen. in statione terrae Vogherrae existentes absque denunciationibus et probationibus eorum liberi status; consulit quid facere debeat tam in praesenti quam in futuris temporibus?

Decretum:

Dicto Episcopo rescribendum, ut praedictos Franciscum et Felicem de nullitate eorum matrimonii certioret et ideo separari tenentur, alias in peccato existunt, donec illud coram parocho loci servatis servandis denuo contrahent; necnon dictum capellanum moneat, quod ipse juxta resolutiones sac. Congregat. Concilii et s. Officii), quando milites sunt in statione, facultatem celebrandi matrimonia non habet, et ideo in futurum a similibus se abstineat. Et super hoc se intelligat cum D. Duce del Sesto ut mandet d. capellano, ut ordinibus sac. Congr. pareat.*

Die 22. April. 1693.

Casalen.

Dubitans Episcopus Casalens. de potestate capellani militum circa assistentiam praestandam matrimoniis contrahendis in eorum regiminibus existentibus in his calamitosis temporibus in ejus dioecesi, dum ad valorem matrimonii aliqui existimant sufficere assistentiam parochi putativi ex adductis per *Barbosam in sac. Conc. c. 1. sess. 25. de reformat. Matrim. n. 79*, ad tollenda omnia inconvenientia et pro suae conscientiae serenitate oraculum EE. VV. super infrascripto dubio summopere exposcit:

An capellanus alicujus regiminis vulgo Monte del reggimento *censeri valeat proprius parochus militum ejusdem regiminis, ita ut valide assistere possit matrimoniis eorumdem militum?*

Die 28. Junii 1704 sac. Congr. Conc. censuit: *Dandum esse decretum sub die 6. Martii 1694.* **)

Ad uberiorem notitiam consimilium capellanorum juvat adducere dubium propositum in s. Congreg. Concil. *18. April. 1713*:

An PP. Capuccini capellani triremium summi Pontificis excipere possint sine approbatione Episcopi Viterbiensis confessiones remigum et aliorum in triremibus degentium sive quando remiges et alii sunt in triremibus et triremes sunt in portu vel in receptaculo, vulgo Darsena, sive quando remiges aliique in triremibus degentes sunt in civitate Centumcellarum?

Cui dubio responsum fuit per s. Congr.:

Posse PP. Capuccinos sine approbatione Episcopi Viterbiensis et cum sola approbatione Eminent. Urbis Vicarii excipere confessiones remigum et aliorum in triremibus continue degentium tam in ipsis triremibus quam in portu et in receptaculo, vulgo Dar-

*) Vd. supra *declarationem s. Officii* n. II. p. 697.
**) Vd. *p. 696.*

sena et in hospitio in Darsena existente. Sed non posse eosdem PP. Capuccinos excipere eorumdem confessiones in civitate Centum-Cellarum sine approbatione Episcopi Viterbiensis.

Sic refert Cardinalis Petra tom. 1. comment. in constitut. 1. Pauli II. n. 89.

Hodie in exercitibus magni nostri monarchae sunt quidam Vicarii generales habentes sub se capellanos exercitus, qui sunt judices delegati et cognoscunt de causis matrimonialibus militum et eorum divortiis, non tamen posse ut parochos matrimoniis militum adesse respondit academia nostra Salmanticensis anno 1660 ad consultationem factam per supremum belli concilium pro expositione bullae Innocentii X.*)

Votum Cardin. Casanate.

Negative, quia indultum Urbani VIII. sub die 9. Decembris 1626 et alterum Innocentii X. sub die 26. Septembris 1644**) per solam enunciativam dicunt seu supponunt in exercitu deputari presbyteros seculares vel regulares pro administratione sacramentorum, non adhibita in ipsis indultis dictione generali *omnium sacramentorum* sive *omnium jurium parochialium* sine qua generalitate non conceditur nec probatur facultas de assistendo matrimoniis sed tantum de administrandis Sacramentis necessariis ad salutem spiritualem, ut firmant *Pontius de matrimonio lib. 5.* referens decisionem hujus s. Congregationis, videlicet: Requiritur vel commissio generalis administrandi Sacramenta vel licentia specialis, *Perez. de matrim. disput. 41. sect. 1. infra n. 8*: §: *Unde colligo*, *Rota coram Dunoz decis. 308.* Ideo haec indulta quoad partem enunciativam seu praesuppositivam non probant in illis presbyteris saecularibus vel regularibus facultatem matrimonialem. Quo vero ad partem dispositivam non aliud tribuunt capellanis majoribus nisi omnimodam superioritatem in ipsos presbyteros seculares vel regulares insuper jurisdictionem judicandi de omnibus causis pertinentibus ad forum ecclesiasticum et facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in bulla coenae omnibusque censuris. Cum igitur in hac parte dispositiva non tribuatur capellanis majoribus omnimoda jurisdictio ecclesiastica in laicos illa tributa non sufficit pro matrimoniis valide celebrandis ut ab academia Salmanticensi expresse anno 1660 de hoc consulta decisum refert *Gonzalez in c. Quod super*, *de consanquinitate n. 3.* videlicet: Non posse ut parochos matrimoniis militum adesse.

Nec valet auctoritas *Villosae in tract. de fugitivis cap. 20. 2,* quia obiter loquitur de facultate matrimoniali allegato *Gratiano, disc. 111. n. 56,* qui loquitur de Vicario generali apostolico cum omnimoda jurisdictione.

Pariter nec obstat *Rota d. 433. p. 14. rec.* quia narrat adhibitam praesentiam veri parochi ultra capellanum majorem unde dignoscitur valde dubitatum in ipso facto de auctoritate capellani majoris ad matrimonii validitatem.

Mediolanen. Matrimonii.

Cum in proxime habita Congregatione sub die 27. Novembris approbatus fuerit tenor dubii infrascripti:

An sit validum matrimonium contractum a milite in statione degente coram capellano sui exercitus?

S. Congregatio rescripsit: Matrimonia militum contrahenda coram capellanis exercituum quocumque loco existentium fore nulla nisi doceant de sufficiente facultate vel privilegio. Quo vero ad matrimonia jam *contracta* particulariter videatur et communicetur Emmo Archiepiscopo, qui aliis participet.

Die 2. Decembris 1677.

Belgii. Exemptionis.

Ad dub.: Utrum capellanis exercitus competat privative ad pastores auctoritas assistendi matrimoniis militarium suae legionis serv. quando ambo sunt suae legionis suntque in praesidiis?

Quoad dioecesim Mechlinien. res est clara per literas D. D. Archiepiscoporum Flavii et Creusen ac declarationem Illmi D. Archiepiscopi moderni diei 15. Januarii labentis, qui declararunt suam mentem et intentionem esse, ut dicti capellani habeant privative dictam auctoritatem; earum autem copia data est Illmo D. Internuntio, quarum postrema est contra Episcopum Bus Caducen. Dein concordatum anni 1595 non reservavit pastoribus hanc facultatem sed solum personas quasdam excepit a jurisdictione delegata (in caeteris

*) Vd. *p. 700.*
**) Vd. *p. 708. Mazarien.*

manente salva) et in correctionibus tantum praeventionem ordinavit sed non in pastoralibus adeoque Cameracensi, Namurcensi et Fornacensi idem obtinet attento maxime judicio relato Illmmi D. Flavii.

Quoad dioeceses Laudensem, Antuerpiensem, Brugensem, Ruremundensem et Iprensem pro parte negativa facit concordatum anni 1628,*) ubi dicitur in fine *de militantibus*:

Quae omnia suprascripta sic intelligenda sunt, ut parochis liberum sit administrare Sacramenta omnibus divertentibus ad suas parochias et sepulturas in iis morientibus salvis juribus; non licebit tamen parochis assistere militibus seu personis de exercitu matrimonium contrahere volentibus nisi tamquam praesidiarii in eorumdem parochorum parochiis resideant.

Pro parte autem affirmativa facit, quod numquam illius fuerit usus ob maxima inconvenientia.

Quae ubi agnoscere coepit Rmmus D. Episcopus Brugensis anno 1635 prohibuit pastoribus juxta clausulam »ne se immisceant militaribus fortalitiorum intra suas parochias erectorum.«

Dein Episcopi Gaudensis et Antuerpien. suis declarationibus id ipsum satis innuerunt itaut contrarius usus usque modo permanserit sicut erat ante concordata anni 1628.

Si enim adveniente aliqua legione in aliquam civitatem cum suo capellano majori quilibet parochus fiat aequaliter pastor militarium in sua parochia hospitantium, erunt duo curati aequales sine ulla subordinatione et ita quod unus valet et alter nolet cum continuis confusionibus, immo unus alterum conabitur supplantare et emolumenta percipere in hunc finem negligendo eas instructiones et officii sui diligentiora officia, quae alias fuissent adhibita.

Eadem emolumenti ratio demonstrat nec tali casu a pastoribus esse sperandum, quod consulant dictos capellanos ante matrimonia; ita enim D. rector B. V. Mariae de capella Bruxellis clam et inaudito dicto capellano junxit Joannem Jauson servum domesticum unius ducis cohortis in legione Domini Salzedo cum Margarita Francisca Carion, quae sine fraude ut creditur deseruerat statum militarem seu familiam dicti ducis ante sponsalia et proclamationes.

Unde factum fuit, quod capellanus dictae legionis nesciens dictum Joannem conjugatum a fratre ejusdem et alio teste (prout ad instantiam Vicarii generalis exercitus postea declararunt) fuerit persuasus de libertate dicti Joannis ac secundo matrimonio astiterit cum secunda*) ancilla dicti ducis seu illius fratris etiam militaris et simul morantis in eadem domo pro tempore moraepraesidiariae conducta.

Insuper videre est quam facile miles sacrilegae et adulterinae mentis ducet duos testes ad patrem sui hospitii, qui eum nullatenus noscens facile alteri junget fidem dans juramento dicti militis et assicurationi testium.

Quin etiam si matrimonium aliquod postea sit investigandum et legio multoties praesidium mutarit et forsan mutationes illae extra notitiam abierint difficillimum erit assequi cognitionem illius, non ita si in legionibus urgeantur facto registro et copia singulis annis Vicario generali mittatur.

Finaliter abolitio conventionis suprascriptae et abstractio parvulorum emolumentorum contristabant capellanos aliarum nationum ita ut in suis officiis erunt minus zelosi vel discedent aestimantes se habere eamdem auctoritatem in praesidiis quam omnes iis attribuunt in castris.

Dicta authoritas privativa videtur igitur relinquenda dictis capellanis servatis servandis in dicto casu.

Alterum folium rationum a Vicario exercitus deductarum.

Duo dubia in Belgio fuerunt mota quoad matrimoniales assistentias in exercitu regio:

I: Num capellani legionum dum hae sunt in praesidiis seu quando exercitus non est congregatus in castris possint valide assistere matrimoniis militum dictae suae legionis?

II: Num valida sint matrimonia militarium qui sunt praesidiarii in fortalitiis nec solent venire ad castra dum ii contrahunt coram suis capellanis?

Votum.

Pro resolutione eorum praemittenda sunt, quod exercitus in se comprehendat castrametantes, praesidiarios, hyberna tenentes, generales, tormentarios, lustratores aliosque officiarios, ita ut tam hyeme dissolutis castris vere dicatur exercitus scilicet per hyberna distributus sicut aestate dum milites congregantur.

*) Vd. *p. 702.*

*) Vd. infra §: *Fabricato. p. 719.*

Quodque Urbanus VIII. anno 1626 creavit suum Delegatum in exercitu regio Illmmum et Rmmum D. Jacobum Bonen. Archiep. Mechlinien. quamdiu bellum duraret sicut et fecit Alexander VII. anno 1658 quoad Illmmum et Rmmum. D. Crensem.

Cujus delegatio cum expirasset publicata pace anno 1660 Sua Sanctitas aliud Breve ei dedit ad biennium cum praefatione: Quoniam in exercitu charissimi filii multa contingunt in quibus pro salutari directione et animarum salute eorum, qui in castris degunt et versantur, quodque de biennio in biennium fuit renovatum etiam toto tempore pacis usque ad annum 1681, quo Sua Sanctitas itidem tempore pacis illud prorogavit ad quinquennium. Rex autem seu illius nomine Tribuni nominant capellanos eosque tum examinat Vicarius generalis et approbat vel reprobat.

Porro dicta praefatio continet fines intentos per Suam Sanctitatem ita ut videatur esse sensus cum in exercitu multa contingunt et maxime in castris etc., ita ut intentio generalis Suae Sanctitatis dirigatur ad totum exercitum omni tempore et maxime in castris quia ibi maxime opus est delegatione apostolica ubi est impossibile habere parochos.

Plura autem indicant limites dictae jurisdictionis

1. concordata signantur anni 1628;*) quae cum sint reservativa correctionis et exceptiva certarum personarum ac temporum e. g. dum gubernator erit Bruxellis, firmant delegationem apostolicam personis ac temporibus non exceptis atque in omnibus materiis tam sacramentalibus quam jurisdictionis contentiosae prout et Illmi D. Archiepiscopus Mechlinien. cum suis Vicariis generalibus et capellanis omni pro tempore hyberno in fortalitiis excepta arce Gaudensi et Antuerpiensi fuerunt usi.

2. Declarationes Ordinariorum Belgii dictam delegationem apostolicam etiam tempore hybernorum agnoscentium.

3. Usus continuus tempore pacis Illmmis DD. Internuntiis Suae Sanctitatis inspicientibus.

4. Sententiae curiarum episcopalium, quae rata habentes matrimonia vel validitatem supponentes inter personas militarem conditionem egressas de divortiis aliisque postea emergentibus judicarunt vel juxta dicta concordata correctiones impenderint cum adhuc militares essent.

5. Decreta curiarum supremarum Belgii in possessorio quorum aliqua hic junguntur.

6. Necessitas et utilitas, quae ex conservatione delegationis apostolicae in sua integritate animabus provenire potest, ubi ex ejus sublatione vel circumscriptione inconvenientia maxima sequentur.

Etenim exercitus regius constat legionibus tam pedestribus quam equestribus hispanicis, italicis, anglicis, scotis, hibernis, germanis et walonicis; quarum idioma ignorant plerumque pastores Belgii, qui communiter solam flandricam vel solam walonicam noverunt, deinde dictae legiones facile mittuntur de uno loco in alium seu de una dioecesi in aliam, ita ut quandoque spatio paucorum dierum vel septimarum pertranseant tres aut quatuor dioeceses unde pastoribus eorum status est ignotus.

Ideirco respici potest an non conveniat, quod tam in praesidiis quam in castris habeant suae nationis seu idiomatis gnaros et ideo in suis exhortationibus (ad quas singulis septimanis per modum cathechismi convocata legione modo constringuntur) ac functionibus gratiores quique dictas legiones tam in castris quam praesidiis sequantur, confessiones audiant, instruant parvulos et adultos, male viventes corripiant, dissidentes reconcilient, nupturientes in punctis fidei aliisque praeviis examinent aut erudiant, aegros confortent et ad mortem usque adjuvent custodientes cum ornamentis capellae debita baptizatorum, conjugatorum et mortuorum registra, quorum copiam circa initium cujusque anni ab anno 16 . . coeperunt mittere moderno Vicario generali prout Illmmo D. Internuntio constat per exhibitionem copiarum asservatarum apud eumdem.

Cujus jurisdictio non cessat in praesidiis ut patet ex ultima clausula brevis apostolici, sed multum utilis est dum male viventes ubique seu per omnes dioeceses persequitur et ab aula apud quam residet omne adjutorium facillime contra delinquentes impetrat, quod difficulter et magnis expensis Ordinarii ab ea remoti literis vix poterunt et ubi aliquem delinquentem citarint movente legione extra dioecesim peccator saepe elabetur incorrectus.

Quinimo si a capellanis auferatur in praesidiis sola facultas jungendi matrimoniis salva videlicet in reliquis eorum auctoritate et duos pastores aequales habebunt militares cum

*) Vd. *p. 702.*

aemulatione lamentabunturque dicti capellani emolumenta sibi praecipi et onera relinqui ac sua officia deserent.

Imo nova cura 800 aut 1000 animarum pastores obruentur nec quidquam tam utiliter praestabuntur quam capellani cum inter novos advenientes non norint malos at cura suae parochiae satis distineantur.

Insuper si tempore pacis et treugae proscribantur capellani dictorum idiomatum vel deserere permittentur necessarii non reperientur dum erit congregandus exercitus in castris vel minus expediti aut versati erunt ubi nunc singulis penne annis revocantur ad examen, animantur ad studia et ad expeditam animarum curam indefessamque Sacramentorum administrationem.

Si vero in castris Breve apostolicum contendit assistendi facultatem nulla illius verba videntur eam restringere tempore pacis aut in hibernis.

Dein particula finalis: »juxta pastoralis curae exigentiam tenearis visitare praesidia dum exercitus non prodibit in campum« indicat etiam facultatem suprascriptam.

Quare in dioecesi Mechlinien. est extra controversiam, ut patet ex declaratione Illmmi D. Archiepiscopi moderni fuitque semper tempore Praedecessorum qui utraque auctoritate scilicet ordinaria et delegata pollentes distribuerunt facultates prout judicarunt magis expedire.

Alterum Votum.

Negative quoad utramque facultatem privativam et cumulativam, quia indultum Urbani VIII. die 26. Sept. 1626 et alterum Innocentii X. sub die 26. Sept. 1644*) enunciant in exercitu deputari presbyteros saeculares vel regulares pro administratione Sacramentorum non adhibita dictione *omnium Sacramentorum et jurium parochialium* sine qua generalitate non datur facultas de assistendo matrimoniis sed tantum de confessione sacramentali et sacra synaxi, ut notant *Pontius de matrim. lib. 5. ad cap. 29. §. 1* referens decretum hujus s. Congregationis videlicet: Requiritur vel commissio generalis administrandi sacramenta vel licentia specialis. *Perez. de matrim. disp. 41. sect. 1. infra 8.* vers: *Unde colligo, Rota d. 633. part. 1. divers. dec. 308. coram Guglielmo Dunoz* et specifice respondit haec s. Congregatio in *Zagabrien. Jurisdictionis sub die 6. Febr. 1676**) ad primum quaesitum, specialius in *Mediolanen Matrimonii sub die 2. Dec. 1677* videlicet: »Matrimonia militum contrahenda coram capellanis exercituum quocumque loco existentium fore nulla nisi doceant de sufficienti facultate.« **)

Nec indulta hujusmodi apostolica tribuunt capellanis majoribus omnimodam jurisdictionem episcopalem sed tantum particulares jurisdictiones videlicet superioritatem in presbyteros saeculares vel regulares exercitui servientes, jurisdictionem judicandi de omnibus causis de ecclesiasticis et facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis omnibusque censuris. Ideo cum nec tota tribuatur jurisdictio episcopalis nec in specie de matrimoniis utique data non censetur nec privativa nec cumulativa cum Ordinariis et parochis per regulam in c.: *Cum venerabilis* vers.: *Quia igitur de religiosis domibus* relatam in *dec. 340 coram Priolo dec. 165 cum tribus seqq. part. 16. dec. 187. p. 18. rec.* et servatam ab hac s. Congregatione in *Mediolanen Matrimonii sub die 2. Dec. 1677* rursus in *Mechlinien. Ordinationis sub die 8. Febr. 1681****) cum praetenderet Archiepiscopus Mechlinien. vigore hujusmodi delegationis concedere literas dimissorias militibus vel eorum filiis in exercitu natis; itidem in eadem *Mechlinien. sub die 2. Maji 1682.* †) Pariter idipsum responsum fuit ab academia Salmanticensi, ut refert *Gonzalez. in c.: Quo super de consanguinitate n. 3.* videlicet: Non posse uti parochos matrimoniis militum adesse. ††)

Nihil relevat doctrina Villosae in *tract. de fugativis cap. 20. §. 2 sub n. 34.* ubi confundit facultatem judicandi de causis matrimonialibus et facultatem assistendi matrimoniis, quae sunt adeo diversae, ut in parochis detur haec sine illa, in judicibus vero delegatis detur illa sine ista, et convincitur error quatenus sub eo num. 34 allegatur *Gratianus discep. III. n. 56.* loquens de Vicario apostolico in locum Episcopi cum omnimoda jurisdictione.

Decisio 433. part. 14 necnon est attendenda quatenus refert opinionem aliquorum

*) Vd. *p. 708. Mazarien.*

*) Vd. *699.*
**) Vd. *p. 714.*
***) Vd. *p. 706.*
†) Vd. *p. 706.*
††) Vd. *p. 714.*

ex dominis non conficientibus decisionem et rub. n. 13. refert in eo casu adhibitam fuisse licentiam veri parochi adeo ut potius decisio retorqueatur.

Denique nihil transactio valet seu concordatum de anno 1628, quia Episcopi non non possunt jurisdictiones suas vel parochorum minuere aut dismembrare sine consensu capituli et summi Pontificis, ut in *dec. 290. d. 328 coram Bichio, dec. 220 cum tribus seqq. coram D. Card. Ottobono, dec. 21 coram Zarata d. 115 cum tribus seqq. p. 14. rec.* et in *Tirasonen. Jurisdictionis sub die 15. Junii 1665 coram Ottobona* §: *Neque actus* vers.: *Tractio vero.*

Belgii. Matrimoniorum.

Occasione decreti editi a s. Congregatione s. Officii super nullitate matrimonii cujusdam militis non solum ex eo, quod ipse miles praecedenter atque legitime aliam mulierem duxerat in uxorem verum etiam quia dictum secundum*) matrimonium contraxerat coram capellano exercitus, injunctum fuit Internuntio quatenus ejusdem exercitus Vicarium et capellanos moneret nullam ipsis tributam fuisse jurisdictionem per brevia apostolica expedita de anno 1666 et 1681 quoad Sacramentorum administrationem militibus, qui facilem habere possunt accessum ad Ordinarios et parochos. Monitus itaque Vicarius paratum se exhibet obtemperare Sedis apostolicae decretis; supplicans nihilominus ponderari suam atque capellanorum praetensam jurisdictionem quoad Sacramenta et praesertim matrimonii militibus ministrauda fundatam esse tum in verbis literarum apostolicarum in forma brevis, quibus summi Pontifices fere a saeculo consueverunt aliquam Archiepiscopum delegare ad exercitus Regis catholici in Belgio, quorum duo exemplaria videnda sunt unum scilicet sa. me. Innocentii X.**) impressum penes *Vilosam de fugitivis cap. 20.* §. *2. n. 5*, alterum vero SSmi D. N. in summario informationis impressae pro Archiepiscopo Mechlinen. in causa *Mechlinien. Ordinationis* proposita atque decisa in hac s. Congr. habita die 2. Maji 1682,***) tum in duobus concordatis ad tollendas difficultates tunc exortas super interpretatione dictorum brevium initis de anno 1595 et 1628,†) quorum primum adest impressum penes *Dianam resolut. moral.* juxta antiquam impressionem *part. 10. tract. 15. Miscell. 5. resolut. 15* et juxta coordinatam *tom. 7. tract. 7. resolut. 65. n. 7. usque ad 11*, tum in longaeva observantia et praxi; ex quibus omnibus verba brevium fortasse ambigua declarationem recepisse dicendum est. Tum denique in rationibus in quodam folio per eam exhibito deductis.

Haec omnia a Vicario sibi extradita Internuntius una cum suis literis transmisit ad eandem s. Congregationem s. Officii, quae sub die 7. April. materiam hujusmodi cognoscendam aeque decidendam remisit H. S. Congregationi.

Cum autem agatur de re valde gravi et exemplari et ex qua non modica ac frequentia dubia emergere possent transmittuntur per per manus Emor. PP. necnon duo folia, unum continens rationes a Vicario deductas, alterum vero instructionem a Delegato apostolico dari solitam capellanis exercitus, necnon literae Internuntii ac nonnulla hujus s. Congregationis decreta in hujusmodi materia edita ut pro eorum eximia sapientia decerni valeat:

1. An vigore praefatae delegationis apostolicae ipse Delegatus apostolicus uti talis ejusque Vicarius et capellani exercitus facultatem habeant assistendi matrimoniis militum dum hi reperiuntur in actuali expeditione privative quoad eorumdem militum parochos?

2. An eandem privativam facultatem habeant dum milites matrimonium contracturi in hybernis vel aestivis castris commorantur?

3. An eandem privativam facultatem habeant dum milites sunt in praesidiis?

Et quatenus privativam non habeant,

4. An et in quo ex supradictis casibus habeant saltem cumulativam cum parochis ita ut matrimonium militum coram eis aut parochis contractum sit validum?

Dubia reformata atque resoluta:

1. An vigore praefatae delegationis apostolicae ipse Delegatus apostolicus uti talis ejusque Vicarius et capellani exercituum facultatem habeant assistendi matrimoniis militum dum hi reperiuntur in actuali expeditione?

2. An dictam facultatem habeant privative quoad contrahentium parochos?

3. An eandem facultatem habeant dum milites matrimonium contracturi in hibernis vel aestivis castris commorantur?

*) Vd. supra p. 713.; infra §: *Fabricato. p. 719.*
**) Vd. *p. 700.*
***) Vd. *p. 706.*
†) Vd. *p. 702.*

4. An eandem facultatem habeant dum milites sunt in praesidiis?

S. Congregatio C. rescripsit

Ad 1: Affirmative.
Ad 2: Negative.
Ad 3: Negative.
Ad 4: Negative.
Die 29. Maji 1683.

Ad dub. 1: An milites catholici cum acatholicis mulieribus contrahentes teneantur servare formam praescriptam in Concilio Tridentino?

2. An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus et non militaribus in praesidiis, castris, in expeditione manentes?

3. An capellani acatholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis et respective catholicis etiam intra fines Italiae?

Et quatenus affirmative ad 1 et 2,

4. An et quid pro sanatione gestorum in praeteritum et faciendum in futurum super praedictis omnibus pro certa regula SSmo consulendum et statuendum sit?

S. Congregatio C. respondit

Ad 1: Affirmative in locis ubi publicatum fuit Concilium juxta decretum s. Congregationis diei 26. Sept. 1602 ad 3. dubium approbante sa. m. Clemente VIII.

Ad 2: Affirmative sed ulterius indigere dispensatione, ut praefata matrimonia licite contrahantur.

Ad 3: Negative.

Ad 4: In praeteritum non esse inquietandas conscientias quoad Sacramentum poenitentiae. Quo vero ad matrimonia inita sine speciali facultate apostolica vel sine licentia Ordinarii loci vel parochi non servata forma s. Concilii Tridentini in *cap. 1. sess. 24 de reform. matrimon.* pro sanatione si SSmo Dno nostro placuerit: renovato tamen consensu etiam coram confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus parocho illius loci in quo fieri contingat hujusmodi renovatio.

Die 7. Martii 1694. *)

Dubium Matrimoniorum.

Fabricato processu in tribunali ss. Inquisitionis contra Antonium Augustinum inquisitum de crimine poligamiae ob secundas nuptias **) ab eo contractas cum Julia vivente adhuc Margarita illius prima uxore cum qua per plures annos convixerat filiosque procreaverat eoque nuper ad Urbem transmisso in illius examine suborta est dubitatio num primum matrimonium possit dici validum tamquam contractum coram sacerdote regulari uti capellano militum in stationibus degentium inter quos descriptos reperiebatur idem Antonius Augustinus absque eo quod appareat de praecedenti licentia parochi?

Tam dictus capellanus examinatus quam praetensus reus constitutus affirmant eandem licentiam praecedenter a parocho quem vocant Vicarium Archidiaconum obtentam fuisse de qua tamen parochus in specie se non recordari asservat: Mi rocordo, che il detto Capellano mi ha parlato diverse volte delli matrimonii dei soldati, e sò che ne ha sposati ma non sò, chi fossero quei soldati sposi, ne le loro spose etc.

Cum autem placuerit s. Congregationi hujus articuli discussionem ad EE. VV. remittere ideo in praesenti Congregatione decernendum erit:

An secundum ea quae proponuntur matrimonium ut supra contractum inter Antonium Augustinum et Margaritam fuerit validum in casu?

S. Congregatio rescripsit: Dilata et coadjuventur probationes et citetur utraque mulier.

Die 14. Nov. 1699.

In cujus rescripti adimplementum iterum compilatis actis coram R. P. Inquisitore illisque ultimo loco remissis ad hanc s. Congregationem ex eis resultat, ultra novas depositiones praecedentibus conformes capellanum deposuisse, quod Vicarius archidiaconalis in terra Demontis habeatur loco Episcopi. Praefatum vero Vicarium quoad ejus facultatem affirmasse sequentia verba: Quando hanno avuto le loro provisioni dale' Ordinario, potevo dar licenza alli parochi, come de facto l'ho data a quelli, che dependevano dalla mia giurisdizione, ma non per soldati, che mi ricordo. Et insuper se nescire, an hujusmodi facultatem dictus capellanus habuerit necne a parocho et demum praefatas mulieres Margaritam nempe primam uxorem dixisse matrimonium contractum inter ipsam et dictum Augustinum Antonium esse validum uti celebratum in facie ecclesiae coram testibus et dicto capellano de licentia paro-

*) Vd. *p. 724.*
**) Vd. supra §: *Eadem emolumenti*, p. 715.

chi loci tunc senis et infirmi modoque defuncti et in forma matrimonii per plures annos cum viro vitam duxisse ac quatuor suscepisse filios, quorum duo adhuc in humanis degunt. Et Juliam secundam uxorem confessam fuisse ne nullum in hac causa jus seu rationem fovere attento praecedenti matrimonio Augustini Antonii cum dicta Margarita. Quibus stantibus EE. VV. doctissime definient:

An matrimonium contractum inter Augustinum Antonium et Margaritam sit validum?

S. Congregatio rescripsit: Denuo examinetur Vicarius archidiaconalis juxta instructionem et doceat magis praecise de ejus jurisdictione in loco Demontis.

Die 21. Maji 1701.

In executionem hujusmodi rescripti datae fuerunt literae ad P. Inquisitorem Mediolanen. una cum instructione, qua deinde per ipsum transmissa ad Vicarium s. Officii civitatis Laudae et ad P. Inquisitorem Taurini ut juxta illam denuo examinaretur dictus Vicarius archidiaconalis. Perventa modo relatione praefati Vicarii receptisque actis in publica forma super hoc iterato examine expleto in loco Demontis ex dicta relatione habetur quamplures milites matrimonium contraxisse in civitate Laudae non coram proprio capelano sed coram proprio parocho intra cujus parochiae limites mulieres habitabant. In libris matrimoniorum dictae civitatis nullum invenire descriptum matrimonium celebratum coram capellano istumque aliquando praesentiam praestitisse matrimoniis militum initis extra civitatem sed parochos etiam requisitos semper recusasse illa in libris matrimoniorum deinde adnotare dictosque capellanos aliam facultatem non habere quam sacras missas celebrare necnon poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ad formam s. Concilii Tridentini et ss. canonum administrare juxta literalem facultatem eisdem concessam a Vicario generali exercitus et castrorum catholicae Majestatis. Ex dictis vero actis examine transmisso ab inquisitore Tauri resultat dictum Vicarium in terra Demontis exercere jurisdictionem archidiaconalem ab annis septem circiter ac fuisse requisitum a quodam regulari ordinis s. Francisci minorum observantium capellano exercitus Pedemontani pro licentia assistendi matrimoniis militum, sed eam illi concedere noluisse uti non subdato suae jurisdictioni archidiaconali, ipsumque scire coram eodem capellano fuisse celebrata matrimonia militum, sed nomina et patriam contrahentium latere; et demum hujusmodi licentiam concessisse parochis suis subditis, non autem recordari eam dedisse capellanis militum sibi nullatenus subjectis; quibus omnibus in facto denuo praehabitis sequens dubium EE. VV. reponitur decidendum:

An matrimonium contractum inter Augustinum Antonium et Margaritam sit validum?

S. Congregatio rescripsit:
Non constare de validitate matrimonii.
Die 30. Julii 1701.

Barchinonen.

(Conc. Tr. c. 1. s. 24. de ref. matr.)

Juxta receptam in hac s. Congregatione sententiam capellanus castrensis, si non habet specialem facultatem a Sede apostolica vel expressam licentiam ab Ordinario, interesse nequit matrimoniis, quae fiunt a militibus, sive hi degant in praesidiis sive in castris et stationibus hybernis aut aestivis, sive etiam sint positi in actuali expeditione, uti habetur in resolutionibus editis apud *Anacletum in jus canonicum t. 4. tit. 3. de clandestina despons. §. 2. num. 97, Schiaram in additionibus ad suam theologiam bellicam fol. 139 et 140, Ursayam t. 2. discept. par. 1. discept. 14. n. 59. et seqq.*

Concesso a san. mem. Innocentio XI. Alphonso Archiepiscopo Mechliniensi *) amplissimo brevi ad quinquennium pro salubri directione et animarum salute eorum, qui Belgii in castris degebant et versabantur, exortisque super ejus intelligentia nonnullis controversiis s. haec Congregatio in causa Belgii Matrimoniorum die 29. Maji 1683 **) respondit: Capellanum exercitus habere facultatem assistendi matrimoniis militum, dum iidem reperiuntur in actuali expeditione, non tamen privative quoad contrahentium parochos, et nullatenus capellanum interesse posse matrimoniis, quae a militibus contrahantur, dum commorantur in hybernis vel aestivis castris aut etiam in praesidiis.

Expirato tempore praefixo in citato brevi deputata fuit particularis Congregatio, cui interfuerant clar. mem. Card. Carpineus, Columna, Bonvisius et Albanus, deinde ad sum-

*) Vd. *p. 703.*
**) Vd. supra *p. 718.*

mum pontificatum evectus, quorum sensus fuit ut in novo Brevi nonnulla verba corrigerentur, itaut capellani exercitus deputati tantum intelligerentur pro iis Sacramentis quae administrari consueverunt a simplicibus parochis et quidem pro tempore, quo exercitus est in actuali expeditione, secus autem quando milites in stationibus degunt et praesidiis, uti habetur ex resolutionibus editis die 10. Julii *) et 29. Septembris anno 1690, de quibus R. P. D. *Petra ad constitutiones apostolicas t. 2. p. 353. et seqq.*

Editis a Congregatione particulari praedictis decretis contigit casus quod Episcopus Celsonensis occasione relationis status suae ecclesiae ad hanc s. Congregationem transmissae inter caetera postulata examinandum proposuit et illud: *An videlicet capellanus regii exercitus in Hispaniis cui Sacramentorum administrandorum militibus facultas data fuerat in brevi san. mem. Innocentii X. expedito anno 1644 posset matrimoniis eorumdem militum interesse?* Cumque s. haec Congregatio in responsionibus ad eumdem transmiserit memorata decreta particularis Congregationis deputatae, uti habetur ex responsione edita die 22. Septembris 1691, hinc factum est quod in concilio provinciali Tarraconensi habito anno 1699 sub Archiepiscopo Josepho Linas reassumpta fuerit universa haec materia et insimul statutum allegatis et insertis supra recensitis decretis, quod breve Innocentii X. pro capellanis exercitus regis Hispaniarum sic esset explicandum, ut ejus vigore possent praedicti capellani ea sola ministrare Sacramenta, quae a simplicibus parochis administrantur et quod haec administratio respiceret milites in actuali expeditione existentes et nullatenus milites in stationibus et praesidiis degentes additumque fuit in praedicto consilio, ut haec constitutio inter missarum solemnia publicaretur. A mox relatis dispositionibus originem trahit disputatio, quae in praesenti proponitur et quae respicit validitatem seu nullitatem matrimonii contracti die 30. Novembr. 1688 in civitate Barchinonen. inter Franciscam Ferriol et Blasium Ximenes de Lillo; non fuit etenim contractum coram parocho unius ex contrahentibus sed coram capellano regiminis militum germanorum; vir siquidem et mulier non obstante nonnullorum mensium cohabitatione conjunctim instant pro declaratione nullitatis, ut ex eorum mandatis procurae colligitur et ne pro matrimonii validitate excipi valeat, quod tunc milites erant in expeditione, fides exhibetur secretarii regii principatus Cathaloniae in qua dicitur bellum inter Hispanos et Gallos fuisse indictum die tantum 11. Maji 1689.

Fuerunt haec omnia deducta in folio Congregationis habitae die 5. Junii 1723 sed proposito dubio:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

nulla fuit capta resolutio et a nonnullis ex EE. PP. binae fuerunt excitatae difficultates, quarum altera desumpta fuit ex longo temporis spatio, quod intercessit inter diem contracti matrimonii et diem, quo agi coeptum est de ejus nullitate, et altera desumpta fuit ex quo vel ante contractum matrimonium nulla praecesserat hujus s. Congregationis declaratio in qua dictum esset capellanos exercitus non posse assistere matrimoniis militum quando degunt in hybernis vel aestivis castris vel quando sunt in praesidiis, sed illis tantum, quae a militibus contrahuntur dum sunt in actuali expeditione, aut resolutionem Belgii matrimoniorum, quae utpote edita die 29. Maji 1683 *) matrimonium antecessit, se retulisse non ad breve Innocenti PP. X. concessum regi Hispaniarum cum quo praesens controversia est dirimenda sed ad aliud breve san. mem. Innocentii XI. quod fuit concessum Archiepiscopo Mechliniensi. **)

Fuerunt haec communicata scribenti pro nullitate matrimonii, qui in eo quod attinet ad longam taciturnitatem plures affert facti circumstantias, quibus ostendere nititur fuisse alias a conjugibus cogitatum de obtinenda dissolutione matrimonii sed instantiam deinde suam prosecutionem non habuisse vel quia Blasius utpote militiae addictus juxta occurrentes belli contingentias ad diversas regni provincias se contulit vel quia inter armorum strepitus qui fuerunt in principatu Cathaloniae litis civilis prosecutio effecta est quodammodo impossibilis additque hanc longam taciturnitatem de jure veteri potuisse robur obtinere sed non post Concilium Tridentinum, quo attento praesentia parochi est de forma nec matrimonium sine ea contractum validari potest quocunque temporis lapsu licet intercedat

*) Vd. *p. 707.*
**) Vd. *p. 703.*

mutua conjugum cohabitatio cum copula itaut novus consensus coram parocho et testibus pro validitate sit de novo praestandus.

In eoque, quod spectat ad punctum, quod ante matrimonium de quo nunc agitur sac. Congregatio invalida non declarasset matrimonia contracta coram capellano exercitus multa in jure ab eodem defensore afferuntur et signanter, quod declarationes hujus s. Congregationis in hac materia non sunt inductivae novi juris sed veteris declarativae; in quo rerum themate nedum subsequentia sed antecedentia matrimonia adversus earum tenorem contracta invalida censeri debent. Subdit saepe memoratam resolutionem in Belgii matrimoniorum editam fuisse ante celebrationem praesentis matrimonii nec eam cludi posse sub fundamento, quod prodierit declarative ad breve san. mem. Innocentii XI. et non aliud consimilis memoriae Innocentii X. vel quia utraque brevia consimilia sunt vel quia in folio Congregationis habitae super causa Belgii matrimoniorum fuit utrumque breve commemoratum, quo stante dici nequit resolutionem editam fuisse pro declaratione unius et alterius brevis et multo magis cum juxta in superioribus relata s. haec Congregatio consulta ab Episcopo Celsonensi super intelligentia brevis Innocentii X. in responsione transmiserit decreta Congregationis particularis edita cohaerenter ad aliud decretum in causa Belgii matrimoniorum, quod non fecisset si hujus causae resolutio coarctata fuisset ad breve tantum Innocentii XI. vel demum quia ex ipso brevi Innocentii X. non desumitur facultas, quod capellani exercitus interesse valeant matrimoniis, quae a militibus contrahuntur et eo fortius si non sunt in expeditione.

Praeter docte deducta a defensore addi posset ante contractum matrimonium de quo nunc agitur viguisse in Hispaniis opinionem, quod capellani exercitus assistere non possent matrimoniis militum vigore brevis Innocentii PP. X. uti colligitur ex declaratione academiae Salmaticensis edita anno 1660*) de qua *Gonzal. in cap. Quod super his num. 3 de consang. et affin.*, ibi: *Hodie tamen in exercitibus magni nostri monarchae sunt quidam Vicarii generales habentes sub se capellanos exercitus, qui sunt judices delegati et cognoscunt de causis matrimonialibus militum et eorum divortiis, non tamen posse eos ut parochos matrimoniis militum adesse respondit Academia nostra Salmaticensis anno 1660 ad consultationem factam per supremum belli consilium pro expositione bullae Innocentii X.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

S. C. C. resp.: Matrimon. esse nullum.

Die 20. Novb. et 4. Decbr. 1723.

*) Vd. *p. 714.*

Taurinen.

(Conc. Tr. c. 1. s. 24. de ref. matr.)

Anno 1695 Joseph Castagnerius Miles in terra Demontii Taurinen. dioecesis, dum milites Pedemontani vulgo Focilieri in eadem permanebant, matrimonium per verba de praesenti contraxit cum Constantia Borello coram Patre Hieronymo ex familia minorum observantium exercitus capellano.

Per annum circiter conjuges insimul cohabitarunt, sed cum Joseph militaria subinde signa secutus ab uxore diverterit, ad civitatem tandem rediit anno 1713, in qua cum Constantiam invenisset, ipsam in jus vocavit in curia archiepiscopali praetendendo matrimonii nullitatem.

Joseph itaque formiter praeviisque interrogatoriis examinatus confessus est se anno 1695 matrimonium cum Constantia contraxisse et cum eadem habitasse per annum, sed matrimonium esse nullum utpote contractum coram religioso capellano exercitus, qui facultatem non habebat ex se matrimonio interessendi quique licentiam a parocho ad dictum effectum non reportaverat; et è contra Constantia excepit matrimonium fuisse quidem contractum coram capellano exercitus sed eum a suo parocho Terrae Demontii facultatem obtinuisse.

Haec in curia archiepiscopali Taurinensi fuerunt allegata anno 1713. Cumque a dicto tempore usque ad annum 1719 nullum amplius fuerit motum verbum de matrimonii nullitate, controversia 1719 coram Vicario capitulari fuit iterum excitata et ad sequentes probationes deventum est.

Ad effectum suadendi nullam interfuisse parochi licentiam fuerunt à Josepho productae attestationes Vicarii primum et Secretarii mensae archidiaconalis qui, pervolutis scripturis, deponit non reperiri facultatem datam a parocho Terrae Demontii

Patri Hieronymo, ut matrimonio, de quo nunc agitur, assisteret, parochi insuper viventis ejusdem terrae Demontii, qui recognitis libris parochialibus inquit matrimonium non esse in illis adnotatum, fratris demum Caroli Francisci superioris patrum Capuccinorum, qui inquit se perlegisse scripturas sui conventus, in cujus ecclesiae fuit celebratum matrimonium necnon alias a patre Hieronymo relictas, nec ex illis ullam resultare matrimonii mentionem.

Ex quibus infert Joseph de nulltitate matrimonii non esse dubitandum, cum capellani castrenses citra facultatem Sedis apostolicae aut parochi vel Ordinarii licentiam matrimoniis nequeant interesse, juxta resolutiones hujus sac. Congregationis impressas apud Patrem *Schiaram in addit. ad suam theologiam Belicam fol. 139 et fol. 140.*

Ut vero Constantia interventum licentiae parochi suaderet plerosque testes formiter examinari curavit, utpote bene conscia matrimonium posse ex testibus probari, licet illud non fuerit a parocho in libris parochialibus descriptum et parochi licentiam per aequipollentes probationes et per testes posse demonstrari juxta *decis. 301. num. 5. par. 11. recent. et juxta decis. 451. et 471 coram Emerix Juniore.*

Hinc deveniendo ad testes à Constantia productos primus qui est ejusdem frater deponit se ab Antonio Patre et ab aliis audivisse fuisse a parocho datam religioso licentiam assistendi matrimonio. Secundus qui est pariter ejusdem frater de eadem licentia praebet testimonium addendo, quod a communi Genitore fuit parocho oblata quaedam portio càsei et butiri pro dicta licentia obtinenda.

Tertius eandem refert cum memorata circumstantia concessionem licentiae et subdit, se fuisse praesentem uni ex denunciationibus matrimonii, quae facta fuit in ecclesia. Quartus inquit, se propriis auribus primam audivisse denunciationem et tunc in sua domo publice dictum fuisse, quod licentia fuerat religioso a parocho data. Quintus ait, se matrimonio in ecclesia contracto interfuisse et aliquod temporis intervallum praeteriisse ante accessum ad ecclesiam, ex quo Pater Constantiae parochum adivit, ut ab eo licentiam impetraret. Sextus qui erat Miles una cum Joseph inquit se ipsum audivisse proprio ore narrantem, quod matrimonium fuerat coram capellano exercitus contractum sed praevia parochi licentia.

Praeter sex testes de quibus hucusque sermo habitus est alii quinque fuerunt sub variis interrogatoriis instante Constantia examinati. Primus autem refert, Patrem Hieronymum aliis interfuisse matrimoniis asserendo se habuisse a parocho licentiam, tertius ait, parochum consuevisse religiosos admittere ad praestandam Matrimoniis assistentiam, quintus testatur, se fuisse praesentem quando capellanus postulavit a parocho facultatem interessendi alteri matrimonio, quod fuit contractum inter Jacobum Pronum et quandam mulierem exteram.

Alii duo asserunt se credere non posse, ut capellanus voluerit sine debita parochi licentia matrimonio interesse et primus, secundus tertius et quartus testimonium reddunt, publicatum fuisse matrimonium in terra Demontii statim ac contractum fuit et parochum nullatenus reclamasse.

Et ex his simul junctis Constantia concludit non esse de licentia dubitandum.

Haec sunt quae continentur in actis a Vicarii capitulari transmissis, quae operae pretium esse censui summatim exponere, cum nullus sit, qui in causa scribat, vir etenim et mulier paupertate laborant et mulier personaliter accessit ad Urbem pro obtinenda declaratione validitatis sui matrimonii.

Adeoque dignabuntur EE. VV. decernere: *An constet de validitate Matrimonii inter Joseph et Constantiam contracti in casu?*

S. C. C. resp.:

Non constare de nullitate Matrimonii.

Die 16. Novb. 1720.

Neapolitana.

(Conc. Tr. c. 1. sess. 24. de ref.)

Jacobus Nevesius in Hirlandia ortus cum caesareis copiis ad quas erat aggregatus Neapolim venit anno 1725 ibique anno insequente occubuit in hospitali domo Incurabilium Turris octavae. Postmodum e Gallia ad eamdem civitatem se contulit Barbara Margarita Kreagh Angla memorati Jacobi antea uxor, quae per aliquot menses subsedit in hospitio sito intra paraeciam ecclesiae s. Marci de Palatio. Cumque in eodem diversorio moram faceret Josephus Pompejus Romanus die 15. Aprilis

anni 1730 nullis praemissis proclamationibus matrimonium cum eadem Barbara contraxit non quidem coram parocho s. Marci de Palatio, sed in privatis aedibus instructoris legionis Lotharingae coram religioso qui titulum habet capellani exercitus caesarei, sive superioris in spiritualibus, duobus etiam adhibitis testibus. Ex hoc autem conjugio gemina soboles progenita jam fuit.

Sed cum uterque Romam venerit subortisque inter eos dissidiis Barbara collocata fuerit in pia domo s. Honuphrii, Josephus declarari postulat irritum fuisse matrimonium, utpote non contractum coram proprio parocho, quemadmodam per Tridentinas leges sancitum est.

Quaestionis itaque cardo in eo vertitur, an parochi vice atque officio fungi rite potuerit capellanus exercitus caesarei. Id enim negat Josephus, quia matrimonium non fuit initum inter personas militares aut ullo modo subjectas eidem capellano. Privilegiis vero militaribus, quae ratione officii competere valuerint priori viro Barbarae Margaritae, eo demortuo potiri non videtur potuisse mulier, quae ejus conjux fuerat, ut probant *Scoppa ad controvers., Merlin., Pignat. ad cap. 94. n. et seqq. tom. 1., Calderon. dec. 76. n. 15. tom. 2.*

Ad haec accedit, quod capellani exercitus quamvis ex apostolico diplomate praediti facultate administrandi sacramenta militaribus personis, adeoque subrogati in locum parochi, non videntur posse assistere matrimoniis, dum milites ea ineuntes non sunt in actuali expeditione, sed morantur in castris aut in hybernis stationibus vel in arcibus et praesidiis, nisi et hoc peculiariter concessum a Sede apostolica eis fuerit, ut notant *Reiffenstuel* in Jus can. tom. 4. tit. 3. de clandest. desp. §. 2. n. 97, *Schmalzgrub.* eod. loco n. 165 et seqq., eminentissimus *Petra* tom. 2. ad constit. 13. Innocent III., *Rot.* in Leodien Matrimonii 2. Maji 1732 §. 5. cor. R. P. D. Corio.

Pluries hac de re in hac sac. Congregatione actum fuit. In Mediolanen die 2. Decembr. 1677 proposito dubio:*) »*An sit validum matrimonium contractum a milite in statione degente coram capellano suo?* rescriptum fuit: »Matrimonia militum quocunque loco existentium quocunque loco contrahenda fore nulla, nisi doceatur de sufficienti facultate aut privilegio. Quoad matrimonia praeterita particulariter videatur et hoc scribatur eminentissimo Archiepiscopo Mediolanen., qui aliis Episcopis prudenter communicet, ut in lib. 29. decret. pag. 552.

In Belgii matrimoniorum anno 1683*) et rursus anno 1690 quid circa hujusmodi controversiam examinatum definitumque fuerit, fuse enarrat eminentiss. Petra ad constit. apost. tom. 2. ad const. 12. Innoc. III. n. 4, 16 et 17.

Die 7. Martii 1694**) proposita fuerunt aliquot generalia dubia circa capellanos exercitus videlicet:

I. An capellani cujusvis exercitus sive regulares sive saeculares catholici possint administrare militibus in praesidiis degentibus sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis sine speciali facultate Sedis apostolicae vel licentia et approbatione Ordinarii in cujus dioecesi extare contigerit?

II. An assistere matrimoniis militum cujuscunque nationis degentium in praesidiis cum militaribus foeminis sine d. facultate apostolica et praecedenti probatione status liberi ejusque recognitione coram Ordinario loci et licentia parochi, sub cujus parochia maneant?

III. An idem cum militibus degentibus in castris et stationibus hybernis vel aestivis?

IV. An idem cum militibus in actuali expeditione positis?

V. An idem cum militibus nubere volentibus cum foeminis non militaribus, sed Italis origenariis loci seu dioecesis, in qua reperiuntur?

VI An milites acatholici cum acatholicis contrahentes teneantur servare formam praescriptam in sac. concilio Tridentino?

VII. An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus et non militaribus in praesidiis, castris et expeditione manentes?

VIII. An capellani acatholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis et respective catholicis etiam intra fines Italiae?

Et quatenus negative in omnibus praeter VI. et VII.?

IX. An et quid pro sanatione gestorum in praeteritum et in futurum super praefatis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum et statuendum sit?

*) Vd. *p. 714.*

*) Vd. *p. 718.*
**) Vd. *p. 179.*

Die 7. Martii 1694 sacra Congregatio rescripsit ad I, II, III, IV, V et VIII: Negative; ad VI: Affirmative in locis ubi publicatum fuit concilium juxta decretum sacrae Congregationis 2. Septembris 1602 ad III. dubium, approbante S. M. Clemente VIII.

Ad VII: Affirmative, sed ulterius indigere dispensatione ut praefata matrimonia licite contrahantur.

Ad IX: In praeteritum censuit non esse inquietandas conscientias quoad sacramentum poenitentiae; quo vero ad matrimonia inita sine speciali facultate apostolica vel sine licentia Ordinarii loci vel parochi non servata forma sac. Concilii Tridentini in cap. I. sess. 24. de refor. matrim. pro sanatione, si sanctissimo Domino nostro placuerit; renovato tamen consensu etiam coram confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus parocho illius loci, in quo fieri contingat hujusmodi renovatio. Provisio in futurum disseratur in prima proxima Congregatione, in qua consulendum erit ac deliberandum, ut in lib. 44. decret. fol. 79. Die autem 20. Martii quoad provisionem et sanationem rescriptum fuit: »Ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem,« ut eodem lib. pag. 199.

Alter casus matrimonii initi coram capellano militum Laudae degentium in statione fuit examinatus sub hoc titulo: »Dubium matrimonii« die 7. et 21. Maji et 30. Julii 1701,*) cum disceptaretur: »*An matrimonium contractum inter Augustinum Antonium et Margaritam sit validum?*« rescriptum fuit: Non constare de validitate, ut in libr. 51. decr. p. 236, 268 et 414 et die 3. Septembris 1707 responsum fuit: »In decisis,« ut in lib. 57. decr. pag. 332.

In *Frisingen.* cum occasione transitus aut stationis hybernae militum contenderent capellani exercitus sibi licere matrimoniis assistere absque praeviis denunciationibus et sine licentia Ordinarii aut parochi, Episcopus petiit declarari, num id esset permittendum. Die autem 29. Januarii 1707 s. Congregatio respondit: Dandum esse decretum editum die 6. Martii 1694,**) quod supra fuit exscriptum, ut in lib. 57. decr. pag. 32.

Denique eadem quaestio iterum discussa fuit in *Barchinonen.****) Matrimonii die 4. Decembris 1723 circa matrimonium Barchinone contractum anno 1688 coram capellano legionis germanicae, propositoque dubio: »An constet de nullitate matrimonii?« rescriptum fuit: »Affirmative.« ut in lib. 73. decret. pag. 609.

Non abs re etiam erit novisse, quibusnam conditionibus concepta sint recentiora indulta quae facultates a Sede apostolica tributas explicant. Literae enim s. m. Benedicti XIII. expeditae die 26. Septembris 1729 pro capellano majori exercituum caesareorum primo loco declarant, facultates nominatim postea expressas ab ipso capellano majori vel ab aliis sacerdotibus ab eo subdelegandis exercendas esse »dumtaxat erga milites aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus comprehensis etiam copiis auxiliaribus quomodolibet spectantes.« Singulas postea recensent facultates ac praesertim illam, ut sacerdotes a praedicto capellano majori substituendi in eas personas parochi vice et officio perfungantur, administrando etiam omnia sacramenta, quae nonnisi per rectores ecclesiarum parochialium ministrari consueverunt, ceterasque functiones et munia parochialia obeundo. Postremo hanc habent clausulam: »Volumus autem, ut ii sacerdotes quos idem capellanus major pro sacramentis etiam parochialibus militibus aliisque personis quibuscunque dictorum exercituum ministrandis, ut praefertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeat erga milites praesidiarios, qui continue arcium seu aliorum locorum custodiae adscripti sunt, quos eorumdem locorum parochis et Ordinariis in omnibus et per omnia subesse declaramus, sed dumtaxat erga milites et personas exercituum praedictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus et temporaneis sive hybernis sive aestivis aut etiam praesidialibus stationibus pro tempore detinebuntur, ita tamen, ut statim atque iidem sacerdotes, quos capellanus major subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, literas testimoniales tam super eorum sacerdotio quam super sua deputatione ac facultatibus sibi vigore praesentium concessis pro ejusmodi munere exercendo parochis locorum exhibere debeant; quibus visis hi non impediant, quominus missam in suis ecclesiis celebrare ac in vim earumdem facultatum sacramenta etiam parochialia ministrare va-

*) Vd. *p. 720.*
**) Vd. *p. 696.*
***) Vd. *p. 720.*

leant.*) Quod si eo tempore matrimonia inter personas, quarum altera militaris sit seu ad dictos exercitus pertineat ibique occasione stationum praedictarum commoretur, altera vero parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu nec parochus sine sacerdote hujusmodi nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi ejusmodi matrimonii assistat aut benedictionem impertiatur, sed ambo simul atque aequaliter stolae emolumenta si quae licite percipi soleant accipiant et inter se dividant.«

Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus juxta morem sacrae Congregationis auditus a suffragio proferendo abstinuit. Illud tamen exposuit eminentissimus urbis vicarius, itidem rogatus sententiam suam aperire, censuitque matrimonium, esse irritum, quippe quod non fuerit initum coram parocho contrahentium, ut per Tridentinas leges sancitum est. Addit tamen Eminentia sua examinatione dignum esse, an Josephus Pompejus cogi possit ad legitime iterum contrahendum matrimonium cum eadem Barbara Margarita. Quamvis enim ex matrimonio contracto contra normam a sac. Concilio praescriptam nulla oriatur obligatio ratione contractus, restat tamen videndum, an et quomodo Josephus teneatur sarcire damnum illatum mulieri quae fortasse expers culpae fuit, cum verisimile sit ei ignotam fuisse sanctionem Tridentini Concilii, quod nec in Anglia ubi ea ortum habuit nec in Brittania, ubi vixit cum priori merito, fuit promulgatum. Ad quaestionem hanc pertinere possunt ea, quae habentur apud *Navar. cons. 3. n. 4. de cland. despons.*, *Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 20. n. 5*, *Pont. de matrim. lib. 2. cap. 5. n. 3 et seqq.*, *Rosignol. de matrim. tom. 1. disquisit. 3. §. 27*, *La Croix lib. 6. par. 3. n. 257*, *Card. de Luc. de matrim. disc. 3. n. 23. et annot. ad Concil. Trid. disc. 26. n. 14.*

Deliberandum itaque erit:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 29. Aug. et 19. Sept. 1733.

Mediolanen.

Francisca Maria Montalva catholica civis Mediolanensis et Christophorus Buttlar Lutherana haeresi pollutus atque ex provincia Silesiae oriundus sub annum 1722 inter se matrimonium inierunt, non quidem coram parocho s. Babilae civitatis Mediolanensis sub cujus paraecia ambo degebant, sed coram Joanne Maximiliano Villani religioso Theatino, qui in arce ejusdem civitatis vices gerens capellani exercitus caesarei asseruit, se vigore privilegiorum militarium assistere praedicto matrimonio, ex quo soboles subinde progenita fuit.

Post haec parochus s. Babilae, paucis elapsis diebus, de mandato eminentissimi Archiepiscopi praedictos contrahentes qui in forma veri et legitimi conjugii cohabitabant jussit illico separari, eosque monuit de matrimonio nedum illicite, verum etiam invalide contracto, eo quia proprii parochi praesentia non fuerit adhibita.

In hoc rerum statu Francisca Maria et Christophorus communi consensu supplices postularunt, ut matrimonium praedictum revalidaretur. At archiepiscopalis curia Mediolanensis eorum votis noluit indulgere, nisi sub conditione, quod Christophorus Lutherana haeresi ejurata orthodoxam religionem amplecteretur; quamobrem Christophorus, qui obfirmato animo in haeresi erat, desperans se posse amplius valide matrimonio jungi cum dicta Francisca Maria in Germaniam secessit; subindeque, nonnullis receptis epistolis Franciscae Mariae, semel atque iterum eidem rescripsit, sibi constare invalidum esse matrimonium, quod cum ea inierat, seque illud esse convalidaturum, si dos promissa solveretur, eique permissum esset vivere sub ejus religione, quam nunquam ullo pacto se dimissurum asseruit: ut autem ignoraretur locus, ubi commorabatur, literas dedit nunquam indicato loco unde rescriberet.

Verum quia elapsi sunt sex anni, quibus de eodem Christophoro nulla habita fuit notitia nullaque proinde affulget spes, ut praedictum matrimonium valeat revalidari, eadem Francisca Maria, citato promotore fiscali curiae archiepiscopalis itidemque in judicium vocatis per edictum Christophoro de Buttlar et patre Joanne Maximiliano Villani instetit coram Vicario generali, ut praedictum matrimonium irritum atque invalidum declararet, eoque renuente petitioni oratricis assentiri sub fundamento, quod tam Pater Joannes Maximilianus quam Christophorus essent personaliter citandi aut saltem per edictum in partibus germaniae, ubi verisimile est, eos commorari, eamdem instantiam promovit coram hac sacra Congregatione, quae die

*) Cf. *p. 711.*

8. Maji labentis anni rescripsit: Eminentissimo Archiepiscopo pro informatione et voto.

Vicarius generalis hac de re certiorem reddens sacram Congregationem confirmat ea, quae hactenus fuerunt exposita; deinde vero affirmans, dictum Christophorum Butlar non fuisse militem caesareis copiis coaptatum in arce Mediolensi, sed utrumque conjugem tempore initi matrimonii habitasse in dicta paraecia s. Babilae, proindeque irritum esse controversum matrimonium, utpote praesentia proprii parochi destitutum, ita subdit: Videtur inevitabilis citatio personalis Viri, de cujus interesse principaliter agitur, vel saltem per edictum in provincia Silesiae publicandum et affigendum, si ejus persona inveniri non possit, ne incitatus et inauditus spolietur uxore, cum qua contraxit.«

Hisce in facto praemissis binae inspectiones inpraesentiarum occurrunt examinandae; altera nimirum, an Pater Joannes Maximilianus parochi officio rite fungi potuerit, apostolica enim indulta, quibus consuevit concedi capellanis exercituum facultas administrandi sacramenta militibus, pluribus conditionibus concepta sunt et signanter Clemens XI. ad petitionem Augustissimi Imperatoris per suas literas apostolicas in forma brevis die 28. Junii 1720. capellano majori exercituum Caesaris tribuit facultatem, ut ab ipso vel aliis sacerdotibus ab aliquo Ordinario approbatis et ab eodem capellano majori subdelegandis administrarentur sacramenta et plura alia peragerentur, additis his verbis: »Volumus autem, ut ii sacerdotes quos idem capellanus major pro sacramentis etiam parochialibus militibus aliisque personis quibuscunque dictorum exercituum ministrantibus ut praefertur deputandos duxerit, nullatenus pro eisdem sacramentis eo tempore iisdem militibus et personis praefatis, qui et quamdiu in praesidiis fixis stabilibusque consistent, sed quando dumtaxat exercitus praedicti sive legiones, quibus inserviunt, in actuali expeditione reperiuntur, aut in temporaneis hybernis vel aestivis stationibus detinebuntur, administrandis deputati intelligantur,« atque itidem Benedictus XIII. capellanis caesarei exercitus eamdem concessit facultatem exercendam »*dumtaxat erga milites aliasque utriusque sexus personas ad dictum exercitum, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes,*« eamque sub hac clausula concepit: »Volumus autem, ut ii sacerdotes quos idem capellanus major pro sacramentis etiam parochialibus militibus aliisque personis quibuscunque dictorum exercituum ministrandis, ut praefertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga milites praesidiarios, qui continue arcium seu aliorum locorum custodiae adscripti sunt, quos eorumdem locorum parochis et Ordinariis in omnibus et per omnia subesse declaramus, sed dumtaxat erga milites et personas exercituum praedictorum ad vagas belli operationes distinatos, tum ubi in actuali expeditione reperientur tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus et temporaneis sive hybernis sive aestivis aut etiam praesidialibus stationibus pro tempore detinebuntur.«

Hinc communiter receptum est, quod capellani exercituum non possint valide assistere matrimoniis eorum militum, qui non sunt in actuali expeditione, sed in castris aut in hybernis stationibus vel in arcibus et praesidiis merent, nisi et hoc in apostolico diplomate expresse fuerit indultum, *Reiffenstuel. in jus can. tom. 4. tit. 3. de clandest. de spon. §. 2. num. 97*, *Smalzgrub. eod. loc. n. 165 et seqq.*, *Eminentiss. Petra tom. 2. ad constit. 13. Innoc. III.*, *Rot. in Leodien Matrimonii 2. Maji 1732. cor. R. P. D. Corio.*

Et consentanee ad haec sacra Congregatio in una Mediolanen. disceptato dubio: »An sit validum matrimonium contractum a milite in statione degente coram capellano sui exercitus? die 2. Decembris 1677 rescripsit:*) »Matrimonia militum quocumque loco existentium quocumque loco contrahenda fore nulla nisi doceatur de sufficienti facultate aut privilegio. Quoad matrimonia praeterita particulariter videatur et hoc scribatur eminentiss. Archiepiscopo Mediolanensi qui aliis Episcopis prudenter communicet;« idemque postea declaravit in *Frisingen.* 29. Jan. 1707 et in *Barchinonen.***) Matrimonii 4. Decembris 1723 ac in altera causa, in qua disceptatum fuit dubium matrimonii pariter initi a milite degente in statione ita conceptum: »An matrimonium contractum inter Augustinum Antonium et Margaritam sit validum in casu? 30. Julii 1701 respondit:***) »Non constare de validitate; et novissime rescripsit pro nullitate in Neapolitana†) matrimonii

*) Vd. *p. 714.*
**) Vd *p. 720.*
***) Vd. *p. 720.*
†) Vd. *p. 723.*

29. Augusti superioris anni, in cujus folio relata fuerunt generalia dubia ab hac sacra Congregatione resoluta die 6. Martii 1694.

Altera autem inspectio in eo versatur, num tam Pater Joannes Maximilianus quam Christophorus sint personaliter citandi aut saltem per edictum affigendum in partibus Germaniae interpellandi, antequam controversum matrimonium declaretur irritum et invalidum; etenim Francisa Maria ex pluribus facti circumstantiis contendit superfluum quinimmo impossibile reddi, eosdem Joannem Maximilianum et Christophorum personaliter monere, superfluum quidem, cum usque ab initio certiores ambo facti sint de nullitate matrimonii nihilque adversus eam opposuerint, impossibile vero, quia ignoratur, an amplius vivant, vel si vivunt nescitur locus, ubi iidem modo commorentur, his autem concurrentibus circumstantiis satis esse alterum conjugem absentem et latitantem per edictum interpellare vel saltem ab ejus personali interpellatione concedendam esse dispensationem resolvit sacra haec Congregatio in Florentina ubi propositis hisce dubiis:

1. An de jure necessaria sit interpellatio in casu?

Et quatenus affirmative,

2. An stantibus circumstantiis indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu? Die 17. Januarii 1722 rescripsit: Ad utrumque affirmative; et in Uvormatien. Matrimonii disputato dubio: »An constet de nullitate matrimonii in casu? die 7. Julii 1731 respondit: Affirmative; et tamen Ordinarius sacrae Congregationi rescripserat se non potuisse conjugem haereticum degentem in remoto Prussiae ditionis oppido, quod penitus a catholicae religionis institutis abhorret, personali citatione monere, sed per edictum illum interpelasse, ut jura sua in sacra Congregatione deduceret.

His itaque perpensis decidendum est:
An constet de nullitate matrimonii in casu?

S. C. C. resp.:

Praevia citatione Christophori per edictum de more affigendum ad valvas in locis publicis Mediolani cum termino duorum mensium ad comparendum et nemine intra eundem terminum comparente Em. Archiepiscopus procedet ad declarationem nullitatis matrimonii.

Die 25. Septb. et 20. Novb. 1734.

18) Missam et onera quando per se ipsum implere debet?

Vd. *Capellania* (sacerdotalis quae est p 654;) Capellanus curatus p. 687; t. II. p. 154. n. 18; 164. n. 21. etc. *Capellanus* (substitutus)

In institutione capellaniarum quas fundavit Card Antonius Maria Salviati in ecclesia s. Jacobi incurabilium Urbis donator injunxit onus celebrandi per se, sed non addidit clausulam: »et non per alios« et in tabella ecclesiae typis impressa anno 1675 in qua rite missae notantur et quae ab aliis sacerdotibus omissae supplentur, onus hujusmodi praescribitur, idcirco capellani propter etiam reddituum tenuitatem celebrare per alios missae sueverunt et inde S. C. consuluerunt, quae capellanos primae institutionis dicti Cardinalis teneri per se ipsos Sacra peragere decidit.

Die 26. Novb. 1796.

Et casu infirmitatis dictos capellanos per alios dummodo dies quindecim non excedant supplere non teneri statuit. *Ibid. dub. 2.*

19) Monialium.

a) Administr. ss. Sacramentorum.

Vd. *Confessar. Monial.*; t. I. p. 203. k.

b) Aetas.

Vd. lit. *e. f.*

Capellani monialium debent esse maturae aetatis, non autem juvenes, quia in senioribus praesumitur major probitas; *cap.*: *Si officia 2. dist. 19.* et morum gravitas; *cap.*: *Porro 6. dist. 84.* Unde non obstante quod moniales jus habeant nominandi capellanum potest illum Episcopus ex justa causa rejicere, puta si sit junior, sacr. Congreg. Episcop. in *Bononien. 31. Maji 1602 et 29. Novembr. 1605.* Immo si Episcopus ipse dare velit monialibus capellanum juvenem, potest Abbatissa illum non recipere., sac. Congr. Episcop. in *Messan. 10. Decembr. 1602.* Ubi tamen senes et provecti de facile non inveniuntur ut in civitatibus et locis parvis relinquitur prudentiae Episcopi, ut etiam juvenes, bene perpensis loci et facti circumstantiis, possit admittere, dummodo ornati sint bonis moribus et praediti religiosis qualitatibus et apud omnes sint bonae famae.

c) Amovibilis.

Vd. *Capellanus* (amovib. p. 669.)

Capellani monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui seu intitulati. S. Congreg. Episcop. in *Brixien 18. Julii 1692.* Quando tamen moniales sunt in quasipossessione praesentandi eorum capellanum ad vitam Episcopus non debet innovare, sed suorum jurium monumenta ad s. Cong. mittere.

S. Congreg. Episc. *in Liciensi 21. Oct. 1577.*

d) Approb. et Deputatio.

Vd. *Confessarius Monial.*; *Approbatio.*

e) Conditiones et munia.

Vd. *S. Clara* (regulae etc. cap. 3. 12.; decr. Urbani c. 7. 20); lit. *b.* p. 728.

Innocent. PP. IV. Abbatissis Ord. s. Dominici.

Ubi proprius fuerit capellanus, habitu et vita religiosus sit ac bonae famae nec multum juvenis necnon idoneae sit aetatis. Qui capellanus, cum aliqua sororum, gravi corporis infirmitate detenta, visa fuerit tendere ad extrema et necesse habuerit confiteri vel Dominici Corporis accipere Sacramentum, alba stola et manipulo ingrediatur indutus et audita confessione vel Dominici Corporis tradito Sacramento, sic indutus, ut ingressus est, exeat nec moram ibi faciat longiorem.

Caveant etiam, ut quamdiu intra monasterium fuerint, nullatenus ab invicem separentur, quin semper mutuo possint libere se videre, sic se etiam habeant in animae commendatione. Porro ad exequias circa sepulturam agendas non ingrediatur claustrum, sed exterius in capella, quae ad illud officium pertinet, exequatur; tamen si Abbatissae visum fuerit, quod ad exequias debeat introire, modo suprascripto indutus intret et sepulta mortua exeat sine aliqua mora. Si autem necesse fuerit, ut ad aperiendam seu praeparandam sepulturam, seu certe postmodum coaptandam ingrediatur, sit ei vel alicui alii ad hoc idoneo et honesto licitum introire; aliter vero monasterium ingredi non praesumat, sed cum aliqua sibi de confessione loqui voluerit, per locutorium eam audiat et per illud eidem ipse loquatur. Quae vero proprium non habuerit capellanum, a quolibet bonae famae et honestae vitae presbytero missam audire possunt. Poenitentiam autem atque Dominici Corporis sacramenta tantum a fratribus ordinis Minorum dumtaxat recipiant, nisi in periculosae necessitatis articulo aliqua constituta pro his habere copiam fratrum nequiverit praedictorum.

Die 6. Aug. 1247.

(Bull. r. t. III. p. 531. Ed. Aug. Taur. 1858).

f) Qualitas.

Vd. *Capellan. Monial.* (aetas p. 728; amovib.) lit. *b. e.*

Ubi senes et provecti de facili non inveniuntur, ut in civitatibus et locis parvis relinquitur prudentiae Episcopi, ut etiam juvenes capellanos bene perpensis loci et facti circumstantiis possit admittere, dummodo ornati sint bonis moribus et praedicti religiosis qualitatibus et apud omnes sint bonae famae. Removentur enim quicumque capellani monialium vitae dissolutae, maxime si contrahant amicitias et mittant munera monialibus, s. Congreg. Episcop. in *Terracin. 15. Januar. 1742 et 16. Mart. 1645*, vel si se ingerant ultra eorum officium. Ead. s. Congr. *15. Junii 1647.*

g) Regularis num esse possit?

Regulares non possunt esse capellani monialium, ut declaravit et censuit s. Congreg. Episcop. et Regul. *in Sulmon. 17. Aprilis 1604* nisi propter penuriam presbyterorum saecularium, modo regularis sit aetate simul ac moribus gravis et habet consensum suorum superiorum nec tractet cum monialibus, prout resolvit eadem s. Congregatio Episcop. et Regular. in *Parmen. 13. Julii 1607.*

20) Oratorii publici.
(Functiones licitae.)

Reatina.

Quum in ecclesia seu publico oratorio Deo in honorem s. Dominici sacro, quod gens Riccia aedificavit in oppido Capitignano et Mopolino nuncupato, solemnes novendiales preces celebratae fuissent ad praeveniendam D. N. Jesu Christi nativitatem, orta est controversia inter capellanum Firmi quem gens Riccia oratorio praefecit et Antonium Contini parochum ecclesiae s. Flaviani, intra cujus paraeciae limites est illud exstructum. Contendit scilicet ille sacram eam caeremoniam explere independenter a parocho: hic autem nonnisi ab ipso vel de ejus venia po-

tuisse celebrari pugnavit. Porro mox et et aliae quaestiones accesserunt et super celebratione missae cum cantu et aliis functionibus praesertim cum expositione et benedictione ss. Sacramenti in eodem explendis quas universas privative ad se spectare contendit parochus. Ac demum pugnatum est super extractione sanctissimae Eucharistiae ex eadem ecclesia, ubi ex antiquo more asservatur; siquidem denegatum id sibi fuisse nuper conquestus est parochus, ut eam ad infirmos nimis a paraeciali ecclesia dissitos deferret. At circa postremum hoc quaestionis caput causa perempta est: siquidem declararunt Riccii se paratissimos ad parocho quoties opus fuerit id permittendum.

Super omnibus his quaestionum capitibus ad s. hunc Ordinem delatis rogati Episcopus et patroni, accessit ille sententiae et juribus curiouis, hi autem oratorii capellanum vehementer tueri aggressi sunt. Praestat allata utrinque rationum momenta breviter recensere.

Praemittendum est, dubitatum principio fuisse de jurepatronatus oratorii favore familiae Ricci, at mox adductis ea de re monumentis et longaeva inspecta possessione querelae desuper acquieverunt ac universa perstitit controversia de jure exercendi sacras functiones in ecclesia patronata.

Jura sua firmat parochus in legis dispositione; etenim parochus quilibet absolutam habet auctoritatem in publicis oratoriis ea tantum ratione, quod parochiae solo et ambitu consistunt, text. in *cap. Dilectus 2 de capellis Monachor.* et s. C. in *Balneoreg. Jurium paroch. 29. Novemb. 1771.* §. *7.* Hinc ad eum pertinere missas canere et populo cum Venerabili in iis benedicere tradunt *Monacel. formul. leg. t. 2. tit. 13. form. 1. num. 59, Pignat. consult. 103. num. 16. t. 10;* eaque ratione ritus omnes, benedictiones et functiones, quae referuntur in rituali, spectare ad rectores seu ad eos, qui curam animarum habent, *Bass. de sodalit. quaest. 12. num. 10.* Licet enim functiones hujusmodi non recenseantur inter jura parochialia, pertinent tamen ad functiones parochiales, *Monacel. formul. legal. t. 2. tit. 13. formul. 1. n. 54. et seqq., Ursaja discept. eccles. 29. t. 9. part. 2,* scilicet decet undequaque hujusmodi functiones peragi a digniori *(DD. citati).*

Quomodocumque igitur patronata dici velit ecclesia, de qua agitur, absque ejus interventu vel licentia peragi non potuisse urget parochus functiones et sacra novendialia, quae peracta sunt.

Specialia subinde reperit subjectionis indicia tum in existentia sepulchri familiae Ricci gentilitii quod prostat in eadem ecclesia s. Dominici, si enim nonnisi parochus poterit ibi funera, exequias, datis occasionibus peragere, ex hoc ergo praedictum oratorium parochi jurisdictioni subesse debet, tum insuper ex quo adest adfuitque in ipsa semper sedes confessionalis, in qua usque parochus fidelium confessiones excepit uti bini ex ipso loco testes ultro deponunt.

Innititur insuper parochus consuetudini, nedum ipsius oppidi Capitiniani sed omnium etiam proximiorum, incolarum, quorum fere omnes de proprio visu deponunt, nonnulli autem de proprio facto. Item ex testimonio patronorum vel parochorum, qui vicinis praesunt ecclesiis, eruitur in ecclesia s. Laurentii, s. Mariae gratiarum, s. Joseph, s. Mariae Lauretanae Montis Realis necnon in aliis a s. Maria de Monte in oppido, vulgo civitella Verito et a s. Maria de Nive nuncupatis, quae omnes de jurepatronatus exstant laicorum, parochos perpetuo celebrasse et celebrare. Quanta facienda sit his maxime in rebus consuetudo, nemo est qui ignoret.

Capellanus at vero una cum fratribus Ricci diversa disserunt pugnantque et ipsi juris dispositioni et consuetudini innixi. Quidquid enim juris competere possit parocho super ecclesiis in ejus territorio sitis referri id omne clamant ad exercitium dumtaxat jurium parochialium, minime ad munia quae essent mere sacerdotalia. Ita sane distinxit s. C. in una *Comen Jurium parochialium 9. Junii 1714. Dubium*, ibi: *Oratorium publicum de jurepatronatus laicorum habet dependentiam a parocho quoad functiones parochiales tantum non autem quoad non parochiales*; idem jam dixerat in *Theatina 15. Nov. 1704.*. Et idem resolutum videre est in decretis Urbis et Orbis, quae s. Rituum Congregatio edidit die 10. Decbr. 1703 *) ad praecavendas examussim ea de re ulteriores quaestiones in dubio 2. et 4: de quibus fuse agit *Benedictus XIV. instit. eccles. 105. num. 93. et seqq.***)

*) Vd. *Decreta auth. S. R. C. Ed. Mühlbauer. Suppl. t. I. p. 818.*
**) *Ibid. p. 829.*

Porro ne dubitandi occasio superesset, super praecipuis quibusdam functionibus an parochiales essent necne, proposita inter alia fuere in praefata s. Congregatione dubia:*)

X. *An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis sive pro defunctis sit de dictis juribus parochialibus?*

XI. *An expositio quadraginta horarum et benedictio quae fit super populo sit de juribus mere parochialibus?*

XIII. *An functiones in praecedentibus octo dubiis videlicet a dubio V. ad XII. expressae peragi possint in oratoriis privatis contradicente parocho?*

S. C. resp.

Ad X: *Negative prout jacet.*

Ad XI: *Negative.*

Ad XIII: *Satis provisum in superioribus* id est affirmative, ut explicat idem Benedictus XIV. loc. cit. Id autem praecipua animadversione dignum videtur, quod inibi n. 6. adnotat idem Pontifex sapientissimus circa distinctionem functionum, quae dicuntur de jure et de officio parochiali, eam namque distinctionem omnino reprobat; eam perperam invectam esse a doctoribus; inquit enim: »*Hujus rei veritas ex eo potissimum comprobatur, quod s. Congregatio, si aliter res intelligenda foret, controversiis nullum finem statuisset, quod unum maxime contendebat. Accedit etiam, quod consistoriales advocati pro veritate consilium ferentes asserunt, nullum a parocho impedimentum afferri posse, ne functiones illae in aliis ecclesiis indicantur, quamvis intra parochiae suae limites positae fuerint,* aliasque addit rationes, ut distinctio illa uti a s. Ordinis mente aliena eliminetur. Ceterum posteriores et hujus s. Ordinis resolutiones consonae videntur, ceu videre in una *Cassanen. 10. Maji 1767* et *una Forolivien. 11. Sept. 1784.*

Infert ex his capellanus functiones, de quibus quaestio est, peragi ab ipso posse in ecclesia s. Dominici parocho nec requisito: idque firmatum sustinet etiam constanti observantia: allegatque in id testimonia praesertim tredecim patrumfamilias ipsius loci aetatis longevae obfirmantium sacras hujusmodi functiones peractas in ecclesia s. Dominici fuisse a capellanis ipsius oratorii et si aliquando expletae sunt a parochis vel ejus coadjutoribus id accidisse »*invitati a ciò sempre con precedenza dai compadroni.*« Quam observantiam eo fortius attendendam dici in themate quod roborata fuerit tacita acquiescentia Episcoporum et parochorum per tempus, cujus ignoratur initium.

*) *Ibid. p. 817.*

Objicit porro testes a parocho inductos per vim adactos ab eo fuisse ut testimonium ferrent, quippe ecclesiasticas censuras minitatus, dum sacrum explicaret Evangelium, vel sacramenta iis administrare recusavit, ni sui favore deponerent, prout ex iis tres hodie scripto tradiderunt. Ceterum etsi parochos prout hi referunt sacras aliquando explevisse non paraeciales caeremonias in ecclesia s. Dominici id fecissent tantum ex adnuentia patronorum quibus de jure libertas est in ecclesia patronata quem magis voluerint presbyterum advocandi: adeoque actus hujusmodi habendi essent uti mere facultativi ex quibus nulla induci valet praescriptio ad communiter tradita per s. C. in *Comen. Canon. theolog. 28. Sept. 1771.* §. *Nec opus* et in *Nepesina Restaurat. eccles. 28. Aug. 1773.* §. *Ait.* Ita pariter si sedes confessionalis adest in praefato oratorio, qua usus quandoque est parochus fidelium confessionibus excipiendis; hanc appositam fuisse animadvertit »*dai Padroni per solo comodo della loro famiglia et per què confessori chiamati da essi a confessare nella festa di s. Domenico a solo aggetto difar lucrare ad altri l' indulgenza plenaria, che dal sommo Pontefice hanno per quel giorno, perpetuamente ottenuta. Che se il parroco vi ha ascoltate le confessioni non ha per questo ottenuto alcun dritto, o giurisdizione in detta chiesa patronata.*«

Heic at vero praetereunda non sunt nonnullae exceptiones, quas circa testes a capellanis et gente Riccia inductos allegat parochus una cum Episcopo; continentur istae in testimonio superius memorato incolarum Capitignano.

Nec praetereunda pariter Antistitis obtestatio, qua veluti respondet ad relata decreta s. Rituum Congregationis: ait scilicet »Quidquid sit de controversiis parochum inter ex una et confraternitates et patronos ac rectores ex altera parte sapienter a s. Congregatione diremptis, certum est ex notificatione 103. Benedicti XIV. per lata decreta nihil juribus episcopalibus derogatum fuisse. Ego autem ex justa et rationabili causa ad re-

etam dioecesis procurationem ferre non possum, ut a consuetudine recedatur, quae in tota dioecesi ac praesertim Capitignano et in locis eidem finitimis viget.«

Praestat itaque definire

Dubia:

I. *An liceat capellano novenas, triduos et alias functiones cum expositione et benedictione SSmi Sacramenti explere in oratorio s. Dominici independenter a parocho in casu?*

II. *An liceat eidem capellano missas solemniter cantare independenter a parocho in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Affirmative in omnibus ad formam decretorum Urbis et Orbis S. C. ss. Rituum diei 10. Decembris anni 1703 salvo tamen jure Episcopi super licentia benedicendi populum solemniter cum ss. Sacramento prout de jure.

Die 13. Jan. 1844.

21) Ordinari intra quod tempus debet si capellania est sacerdotalis?

Vd. *Capellania sacerdotalis.* p. 654.; p. 410. n. 29; t. II. p. 175. n. 22; 236. n. 31; 1049. e.

22) Parochi.

a) Amovibilitas.

Vd. *Capellanus Monial.* (amovib. p. 729.) *Capellan.* (remotio p. 731; amovibilis p. 669.); t. II. p. 133. n. 4.

De capellano, qui ad vitandam dismembrationem parochiae solet constitui ad coadjuvandum parochum, quaeritur etiam: utrum sit perpetuus an amovibilis? Esse amovibilem *ex justa tamen causa* definivit *Rota in Bononien. Amovibilitatis capellani 31. Januarii 1727. coram clar. mem. Corio*, ubi quod si capellanus hic initio suae possessionis acceptasset conditionem amovibilitatis ad nutum, posset ad nutum amoveri.

b) Sumptibus parochi estne instituendus?

Ordinarius B. in relatione status suae dioecesis s. C. Congregationi ea quae sequuntur exposuit. In paroecia C. quae quatuor centum supra mille habet animas unus tantum praeter parochum extat sacerdos, nempe capellanus in parochi auxilium constitutus, qui suo muneri haud valet satisfacere pro excipiendis christifidelium sacramentalibus confessionibus ob suam, qua laborat, surditatem. Nec videtur obligandus ad alterius sacerdotis substitutionem in hoc onere adimplendo, utpote tenui auctus beneficio cujus redditus vix sexaginta scutata pertingunt. Parochus autem pinguiori totius dioecesis praebenda gaudet; ad annua siquidem ascendit scutata tercentum etc. . . . Hisce expositis attentisque circumstantiis postulo ab Emis Patribus utrum possim tuto cogere parochum C. unum sacerdotem suis sumptibus sibi adjungere omnibus saltem diebus festivis ad sacramentum Poenitentiae administrandum et alia munia parochialia obeunda, ob supercrescentem parochianorum numerum cui unus parochus impar effectus fuerit depascendo, juxta Concilii Tridentini decretum in cap. 4. sess. 24. de reformat.

Ex officio observatum fuit colligi *ex text. in cap. Porro de privileg.* Ordinarium haud posse beneficiis ecclesiasticis nova adjungere onera,*) quae imposita haud fuerint in prima institutione horum beneficiorum. Cui capiti consonat quod Tridentina synodus tradit in proposito *cap. 5. sess. 25. de reformat.*, ibi: Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus . . . certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur. Concinunt Fagnanus *in cap. Conquerente de cler. non. resid. n. 12*, *Monacelli Vol. 2. tit. 15. n. 29*, quum loquutus fuisset de oneribus quibus beneficiatus subjacere debet ait: *Caetera vero onera regulanda et adimplenda erunt juxta legem praescriptam in fundatione, quam Ordinarius alterare non potest nec beneficiato nova addere onera etiamsi Patronus sive Exequutor testamentarius consensum daret, ut pluries respondit s. C. Congregatio.*

Si equidem Ordinarii B. preces humaniter exciperentur, onus omni ex parte novum parocho adjiceretur, dum obligaretur ob id ad praestandam, propriis sumptibus, congruam sacerdoti in locum capellani suffecto; quod neque justitia neque aequitas pati videtur.

In jure praeterea scitum est coadjutori ex redditibus beneficii in quod operam confert alimenta praestanda fore, Azor. p. 2.

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 4.*

l. 3. cap. 2. q. 9, Barbos. de Offic. Episc. alleg. 63. n. 15, Passerin. in c. un. h. t. in 6. num. 43. *Compertum fit etiam ex c. de rectoribus, c. tua nos.*, c. un. cit. ibi: *De proventibus praelatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos.* Quibus similia statuuntur in Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 6. de reformat.* ibi: *Episcopi etiam tamquam apostolicae Sedis delegati eisdem* (rectoribus ecclesiarum parochialium) *illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare vel aliter providere possint, quacumque apellatione et exemptione remota.* Nec immerito id statuitur quia legitur Matth. c. 10: *dignus est operarius cibo suo*, simulque *1. Corinth. 9: nemo cogitur militare stipendiis suis.* Porro sacerdos de quo in themate sermo fit in beneficium gerentis Vicescurati opus suum adhibet. Ergo redditibus hujusce beneficii ejus vitae esset consulendum. Idque eo vel fortius retinendum quia acceptum in jure est principium: »*qui commodum sentit debet et incommodum persentire.*«

Neque magnam animadversum est habere vim Episcopi argumentum, quo edicit, capellano aurium vitio laboranti onus injungendum haud esse, ut sacerdotem sibi constituat in auxilium pro muneribus parochialibus obeundis (quibus ipse satisfacere non valet), cum beneficio gaudeat, *cujus redditus vix scutata quinquaginta pertingunt.* Siquidem beneficium hoc etsi tenue ac exiguum esse appareat, praesertim habito respectu ad temporum exigentias atque angustias quibus fit, ut vitae sustentatio difficilior evaserit ob annonae caritatem, tamen ex hac beneficii exiguitate nefas est inferre, vicarium esse alendum propriis parochi sumptibus, quia consectario huic oppositionem faciunt sacri canones. Et quidem can. 1. dist. 82. statutum esse, de coadjutore deputato, in quantum sibi possibile fuerit, Episcopum curam habiturum etiam per collationem alterius beneficii simplicis ceu innuit Conc. Trid. sess. 24. cap. 17. de ref., ibi: *Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Praeterea si nulla ex parte hoc Episcopus praestare potuerit, populus ipse, imperio Ordinarii, cogi poterit, ut necessaria praebeat constituto coadjutori, *arg. can. Omnis christianus de consecr. dist. 1 et cap. de his 4. de consecr. eccles.* Et jure optimo; quia cujus est emolumentum ejus debet esse et onus *juxta reg. 55. jur. in 6.* cum concordantiis. Et ita tenent *Abbas in cap. de Rectoribus num. 5 et 6*, Barbosa n. 4, Fagnanus ib. n. 12 et 13 h. t. et alii quamplures. Ergo non parochi sumptibus Vicarius alendus esset quamvis parochus in themate pinguiorem totius dioecesis illius praebendam obtineret. Eo quod in damnum viduarum et pauperum vergeret, quibus parochus ex ss. canonibus in praesidium et auxilium constituitur, quoties impensis parochi coadjutor alendus foret.

Attamen ex adverso Episcopi rationes ita gravis momenti esse visae sunt ut negligi nequirent. Nam ex jure compertum est tum causam adesse parocho adjungendi coadjutorem, quum parochianorum numerus ita auctus fuerit ut unus rector impar evaserit Sacris obeundis. Quod Conc. Tridentinum satis clare innuit *sess. 21. cap. 4. de refor.*: »Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis administrandis et cultui divino propagando, cogant rectores vel alios ad quos pertinet sibi tot sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.«

Et Card. de Luca ista exornans verba *Adn. ad Concil. Trid. disc. 16.* haec habet: »*Populo excrescente seu alias tractu temporis immutato rerum statu, adeo ut unus rector vel parochus vel respective una ecclesia parochialis universo populo non sufficiat vel non congruat, tunc prudenter s. Concilium in hoc decreto providet, ut pro facti qualitate Ordinarius unum de duobus remediis adhibeat: vel scilicet Vicarios seu adjutores ac unam vel plures adjutrices ecclesias deputet, parochi et ecclesiae parochialis unitate non immutata, vel quod praevia dismembratione partis populi ac territorii unam vel plures parochias erigat, quoties omnium opportuna provisio sit practicabilis.*« Praeter DD., qui uno veluti ore concinunt, non desunt exempla S. C. C.; siquidem ad coadjutores parocho adjungendos ceu causam legitimam justamque habuit parochianorum supercrescentem numerum, ceu perlegere datum est

in *Civit. Cast. 25. Sept. 1762* §. *7*, in *Tuscul.* 8. Junii 1765 § 9.

Ordinarius autumat ejusmodi adesse causam, ceu supra relatum fuit. In jure autem exploratum est sacerdoti curam animarum habenti ob suam qua laborat infirmitatem, coadjutorem seu Vicarium ei adjungendum fore, *tit. de cleric. aegrot. per tot., Fagnan. in cap. Ceterum de rescriptis num. 75.* Et re quidem vera, si parochus C. physico haud laborat morbo, morali tamen detinetur infirmitate, veluti candide id Episcopus testatur: »*et ut verum fatear non bonâ existimatione gaudet apud gregem suum.*« Quae infirmitas, neminem latet, imparem majori de ratione reddit illum ad munus parochiale rite obeundum. Proindeque ceu parocho physico laboranti morbo coadjutor adjungitur, quippe qui curam de ovibus sibi commissis haud habere possit, ita parocho moraliter infirmo adjungi vult, juxta illud: *ubi enim eadem est ratio, ibi eadem esse debet juris dispositio, c. illud ff. ad leg. Aquil. leg. a Titio de verb. oblig.* Quapropter liquidum apparet parocho C. alterum Vicarium adjungendum esse.

Verum hoc praestituto facile est definire ejusmodi coadjutorem parochi sumptibus alendum esse, eo quod sacrorum canonum sanctio, S. C. C. et canonistarum doctrina est ut onus alendi capellani ferat parochus ipse qui coadjuvatur, *c. 2. ubi autem de decimis in 6°, S. C. C. in Ferentina Coadjutoriae 26. Februarii 1744, Rota in Asculana Contribut. congruae 28. Aprilis 1755* §. *2 coram Eminentissimo Elephantutio.* Hinc pars fructuum ad paroeciam quomodocumque pertinentium coadjutori isti adsignanda est pro sufficienti victu, sive isthaec pars tertia sit reddituum ut visum est sacrae Rotae romanae *apud Duran. disc. 144. num. 6, Card. Falcon. de decim. decis. 9. num. 19*, sive sit duorum aureorum singulis mensibus, ut de sententia S. C. C. tradunt *Garzia de benef. par. 9. cap. 2. num. 15*, *Barbosa de offic. et potest. Episc. alleg. 60. num. 2. in fin.*

Neque attendendae sunt parochi querimoniae circa honorarium coadjutori suppeditandum, dum constet redditus certos paroeciae attingere quotannis scutata 300; quae summa longe eam exsuperat congruam a sac. canonibus praefinitam. Concilium Tridentinum equidem parochi congruam praestituit n scutatis 100 et s. Pius V. in sua notissima onstituti one *Ad exequendum* mandavit »*ut portio parochis assignanda non major centum nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus percipi solitis eis omnino assignetur.*« E praxi s. C. C. curandum est, ut *centum* sint pro rectore; quod statutum fuit in una *Civitatis Castel.* 24. Novembris 1821 ad 2. dubium, in *Asculana* Congruae 21. Julii 1827. §. Praeterea.

His praenotatis prudentiae EE. PP. CC. remissum fuit ut resolveretur quid esset respondendum petitioni Episcopi B.

Sacra C. Congregatio die 24. Julii 1875, causâ cognitâ, respondere putavit:

In casu exposito cogi posse parochum et amplius.

Exinde colliges:

I. Episcopos ex jure posse tamquam apostolicae Sedis Delegatos coadjutores deputare, qui pro bono animarum in administrandis sacramentis titulari impedito aut impari ob supercrescentem fidelium numerum auxilium praestent.

II. Indubium ab omnibus habere sacrosanctae Tridentinae synodi mentem fuisse ut coadjutor de facultatibus ecclesiae coadjuti congruam reciperet portionem ad suam sustentationem, cum edixerit Episcopos etiam posse assignare coadjutoribus partem fructuum pro sufficienti victu eorum.

III. Doctorum quoque esse sententiam coadjutorem adjungi debere sumptibus coadjuti, quoties ecclesiae vel beneficii redditus aut abundantes sint aut saltem sufficiant pro congrua coadjutoris et coadjuti sustentatione.*)

*) Controversum est inter Doctores quando redditus ecclesiae non sufficiant pro utroque quis sit praeferendus an coadjutor, qui actu servitium praestat et est operarius dignus mercede sua, vel coadjutus morbo vel alia ratione id agere impeditus.

Etsi alius alia in medium protulerit, tamen invaluisse sententiam videtur prius esse providendum coadjuto infirmo vel impedito ex redditibus suae ecclesiae. Et ratio est quia coadjutus, quamvis impeditus, quum residere debeat, manet semper illius ecclesiae rector quoad jus si non quoad exercitium. Vi autem hujus obligatoriae residentiae censetur suae ecclesiae deservire ideoque ex ejus redditibus alendus est. Praeterea quum coadjutus habeat titulum et possessionem cum servitio residentiae, praeferendus est coadjutori qui nec titulum habet nec possessionem, sed nudum exercitium. Quod si alioquin aegroto vel quomodolibet impedito subtraherentur stipendia, alii essent ejus exemplo deterriti, et *forte non posset, qui militaret Ecclesiae, inveniri.* Attamen si redditus sufficiant pro coadjuto tantum pro coadjutore Episcopus aliunde providere debet.

IV. Rationem ipsam et justitiae regulas suadere coadjutorem sumptibus coadjuti vivere debere, eo quod est principium in jure receptum »*qui commodum sentit debet et incommodum persentire.*«

V. Esse Tridentini mentem et doctores admittere ceu causam justam atque legitimam, supercrescentem parochianorum numerum adigere rectores sibi assumere unum vel plures coadjutores si per se solos impares effecti fuerint ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.

23) Pontificis romani.

Vd. *Constit. Gregorii XV.* diei 22. April. 1623 Bull. rom. t. III. p. 501. Ed. Luxbg.

24) Remotio non concessa ut capellani parochia dimissa.

Petrus Viti e civitate V. suis testamentariis tabulis ab eodem peractis die 5. Decembris anni 1779 de suis bonis ita disposuit. Voluit idest ut sua amita Olimpia omnium bonorum suorum esset haeres usufructuaria illâque demortuâ ut erigeretur eisdem bonis legatum vel capellania in Ecclesia parochiali s. Mariae Novae civitatis V. relinquens juspatronatus ipsi parocho pro tempore qui posset capellanum nominare aut retinere pro se ipso eamdem capellaniam, adimpletis eisdem oneribus. Onus capellano pro tempore adjecit litandi Sacra pro redditibus suae haereditatis cum eleemosyna obolorum viginti; quae missae recitari deberent post meridiem quotidie aut si redditus deficerent saltem diebus festis aliisque quibus fieri posset juxta redditus. Primum nominavit testator capellanum Joseph S.

Cum haeres usufructuaria diem obiisset supremum Ordinarius, suo decreto diei 5. Decembris 1799, ad erectionem ejusmodi capellaniae devenit reservans et concedens Prioribus pro tempore praefatae ecclesiae jus nominandi capellanum cum facultate petendi gratificationem quatenus pro se retinere vellet, juxta institutionem testamenti. Atque institutionem dedit Joseph S. qui fuerat ab ipso testatore nominatus.

Eo demortuo Prior parochus illius temporis capellaniam se retinuit etiam cum paroeciam dimisisset. Paroeciam ab anno 1859 consecutus fuerat Blancus B. qui mortuo capellano a proprio Ordinario petiit ut sibi gratificaret ac capellaniam concederet. Quod factum est; proindeque Prior Blancus B. in realem possessionem tum capellaniae tum omnium bonorum immissus est. Verum hic morbo labefactus et non leve valetudinis detrimentum passus praebendae priorali nuncium misit, retinens usque ad haec tempora praefatam capellaniam absque ulla molestia.

Attamen hujus anni initio Prior parochus qui dictam regit ecclesiam duo proposuit dubia:

1. *An duo dicti parochi bene egerint retinendo legatum seu capellaniam?*

2. *An legatarius actualis non amplius parochus apud se retinere possit, sine ullo consensu parochi successoris, cum sit expressa voluntas institutoris, quod praedicta capellania seu legatum esse debeat penes parochum?*

Quoniam ex dicendis primi dubii resolutio patebit, ideo consulto omissum est de eodem aliquid innuere. Quoad secundum animadversum fuit, quod si testamenti tenor inspiciatur causa favore hodierni parochi dicenda est. Nam integra dispositio in ejus commodum interpretari potest, etiamsi aliquid eidem minus favere putetur, quia ultimae voluntates large sunt interpretandae juxta *cap. 6. de donat. in fin.* »*In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda.*«

Ex quibus duplex consectarium deduci posse videtur, nempe legatum hujusmodi naturam praeseferre capellaniae laicalis et esse amovibile ad nutum;*) secus enim parocho patrono, quem testator maxime beneficare voluerat, nulla aut saltem satis exigua exinde utilitas dimanaret. Capellaniam esse laicalem erui posse videtur ex eo quod testator numquam vocabulum beneficium (cui capellania ecclesiastica aequiparatur) aut aequipollentia verba adhibuit.**) Numquam testator idem de erectione auctoritate Ordinarii facienda sermonem instituit, sed suam fundationem simpliciter vocavit *capellaniam*, *legatum.* Quae verba capellaniam mere laicalem importare tradunt Pignattelli *tom. 3. cons. 2. n. 3, Amostaz. de causis piis lib. 4. cap. 2. num. 6. et 7.*

Quod autem Ordinarius erectionem capellaniae perfecerit et certam dotem in certa ecclesia constituerit, nihil obstare videtur:

*) Vd. *p. 534; 587.*
**) Vd. *p. 569.*

quia id esset contra testatoris voluntatem atque ideo capellaniae naturam immutare nequiret, ceu *arg. Clement. Quia contingit de rel. dom. et cap. 5. sess. 25. de reform. Concilii Trid.* tradidit Rota in *Anagnina Capellaniae 16. Junii 1749. §. cor.* Mathacio *decis. 309. n. 10*; quod forsan ex illo generali principio est repetendum neminem posse nisi supremum principem defunctorum voluntati derogare. In praxi autem haud raro evenit quod S. C. C. erectiones revocaverit ab Ordinariis peractas, quatenus testatoris voluntas obsisteret; quod etiam accidit in altera *Viterbien. Capellaniae 23. Novembris 1765.*

Proindeque erectionem ejusmodi in casu ab Episcopo peractam limites nudae approbationis excedere haud videri; quae approbatio Ordinarii etiam in legatis et capellaniis laicalibus accedere debet juxta decreta f. r. Urbani V. confirmata ab Innocentio XII. ceu legere datum est in Benedict. XIV. *de synodo dioec. lib. 13. cap. ult. num. 10.* Certa vero dos certaque ecclesia destinata ad capellaniae onera satisfacienda minime negotium facessere videntur, quia tum laicalibus tum ecclesiasticis capellaniis communia sunt.*)

Hac itaque posita capellaniae indole et charactere sponte veluti sua fluere videtur eamdem esse amovibilem ad nutum patroni. Porro capellania laicalis a doctoribus aequiparatur in omnibus missarum legato ejusque provisio nihil aliud importat, quam deputationem sacerdotis alicujus ad missam celebrandam. Hinc post Card. de Luca *disc. 97. num. 10. de benef.* eam pertinere ad ministerium domesticum tradit Fargna *de jurep. part. 2. can. XXI. caus. 10. num. 14* ejusque possessorem posse removeri a patrono etiam absque causa, eodem fere modo, quo dominus suos dimittit famulos et ministros.

Ejusmodi amovibilitas deduci etiam ex eo quod testator volens beneficare parochum pro tempore eidem facultatem concesserit vel retinendi pro se capellaniam vel nominandi capellanum. Ast si parochus removere capellanum non posset, quodnam beneficium eidem impertitum fuisset?

Ergo quum a plena testatoris voluntatis interpretatione amovibilitas eruatur, nulla ratio in contrarium adduci potest qua praesens parochus removere capellanum prohibeatur. Etenim si patronus, ad effectum providendi consanguineum, potest removere institutum, atque id ex praesumpta testatoris voluntate, Pitonius *de contr. patron. alleg. 38. n. 10*, quanto magis id erit indulgendum parocho in themate ut sibi provideat? Praesertim quia parochus non habet causam a praedecessore patrono, quo in casu non posset removere capellanum ab eo nominatum, sed venit jure proprio et vocatus a testatore ideoque non tenetur stare nominationi factae a suo praedecessore, Fargna *de jur. can. 21 cas. 1. n. 12. p. 2.*

Tandem posito etiam, quod ob erectionem factam ab Episcopo, ob institutionem capellanis concessam, capellania evasisset ecclesiastica, id suae minime officere amovilitati videtur, ceu fere omnes docent auctores inter quos Amostaz. *de causis piis lib. 2. cap. 1. num. 10*, atque ideo semper rediret illud, quod a testatore parocho pro tempore data sit facultas pro suo lubitu disponendi circa hoc pium legatum.

Capellanus ex adverso disserens quoad 1. dubium autumavit parochos suo jure usos fuisse, cum dimissa paroecia capellaniam retinuerunt. Quamvis enim jus canonicum prohibeat patronum ecclesiasticum seipsum nominare, tamen indulget eidem facultatem petendi ab Ordinario gratificationem. Reiffenstuel *lib. 3. tit. 38. §. 73* docet: *Potest patronus rogare Episcopum, ut beneficium sibi conferat, potestque Episcopus ei gratificare si dignum invenerit.* Eadem tradunt Ferraris ad *verb. Juspatronatus art. 4. §. 78.*, Lambertini *de jurep. lib. 2. part. 1. quaest. 8. art. 3*, *Barbosa jus eccles. univers. cap. 12. n. 199.*

Quinimo Rigantius in interpretanda regula 17.*) cancellariae ulterius processit; nam finxit duos patronos, quorum alter extraneum praesentare, alter vero gratificationem exposceret et concludit Episcopum favere debere patrono ecclesiastico, ibi: *Si existentibus duobus patronis unus praesentet extraneum, alter vero per viam precum supplicet Ordinario pro se ipso, istum gratificandum esse excluso extraneo.*«

Et ejusmodi principium disceptatum apud tribunal s. Rotae, confirmatum fuit, ceu videre est in una *Regien. Jurispatronatus 19. Januarii 1624 coram Pirovano.*

*) Vd. *p. 565*: *Discursus.*

*) Vd. *t. II. 825.*

Adjici debet principium istud confirmatum fuisse in casu per Episcopi decretum erectionis, in quo legere est: *Jus nominandi et praesentandi capellanum ad dictum legatum pium, quandocumque vacare contigerit, reservamus et concedimus adm. RR. DD. Prioribus pro tempore praefatae parochialis ecclesiae, cum facultate petendi gratificationem quatenus pro se retinere velint.*

Ex quo conclusit institutionem ab Episcopo datam tum suo antecessori tum sibi nihil a jure alienum praeseferre et quaestionem primo loco excitatam a parocho injuriam sapere non tam contra capellanos quam contra Ordinarium qui hujusmodi institutiones concessit.

Ad secundum descendendo dubium animadversum fuit hic non agi de capellania amovibili ad nutum, quae dotem distinctam non habeat, ita ut in titulum*) conferri non possit sacerdoti qui ad eam electus et praesentatus fuerit, sed agi de capellania canonice erecta juxta voluntatem testatoris, qui bona reliquit capellano ut onera satisfaceret, atque ideo inamovibilem esse. Quo posito, qui canonicam habuit ab Episcopo institutionem, nullo modo nulloque tempore a capellaniae possessione removeri posse liquet.

Haec omnia per capellaniae historiam confirmari videntur necnon per institutiones ab Episcopis variis Prioribus pro tempore concessas. Jamvero si ad nutum amovibilis esset capellania isthaec, sacerdos idem ab ipsomet testatore nominatus potuisset removeri; et tunc quam utilitatem ei contulisset fundator? et quid sibi vellent ea verba bullae episcopalis »*in capellanum dicti legati pii, salvis juribus episcopalibus, quoad vixeris instituimus, etiamsi postmodum tuae praebendae priorali quam possides renunciaveris.*« Ex quibus apertissime probari asseruit capellanus, prout caeteris sic et sibi capellaniam concessam fuisse in perpetuum.

Id esse menti testatoris consonum autumavit, quia bona reliquit a bonis paroecialibus omnino distincta ita ut nulla adsit necessitas ut parochus sit etiam capellanus. Parochis autem juspatronatus concessit exercendum, quoties capellania suo maneret viduata rectore, nullum vero jus nullamque tribuit facultatem sese immiscendi in capellania cum haec plena esset.

Ut melius quaestio dignosceretur ex officio adjectum est, eamdem capellaniam characterem ecclesiasticum indubie possidere. Nam praecipuum ecclesiasticitatis characterem esse erectionem factam auctoritate Ordinarii omnes tradunt juris doctores,*) *argum. cap. Ad haec de relig. dom. §. auctoritate;* et tanta super hoc puncto est juris doctorum concordia, ut Pyrrus Corradus *prax. benef. lib. 1. cap. 2. n. 41 et 42* et Amostazo *de causis piis lib. 3. cap. 1. n. 7* asseruerint solam erectionem satis esse ad determinandam naturam ecclesiasticam capellaniae; quam sententiam confirmavit s. Rota *in Ripana Oratorii 10. Maji 1591 coram Gypsio n. 4. et decis. 174. p. 18. n. 8. recent.* Et ratio est quia hoc erectionis decreto bona separata a caeteris Deo dicantur.

Praeter erectionem ceteri characteres qui pressius naturam ecclesiasticam capellaniae indigitare videntur sunt dos, titulus, ecclesia designata, s. Rota in *Papien. Beneficii 28. Januarii 1754 §. 5. coram Brutto, S. C. C. in Firmana 8. Augusti 1767 §. Contendit*, quibus addi possunt nominationes et praesentationes patronorum curiae exhibitae, institutiones datae, decreta de immittendo etc. quae omnia abhorrent a natura capellaniae laicalis, Rota *coram Buratto decis. 221. per tot. et decis. 394. n. 4. coram Riminaldo.*

Ejusmodi characteres, qui omnes in praedicta capellania reperiuntur, sunt tanti ponderis, ut quamvis fundatio capellaniae esset contraria ejus naturam immutarent, si longissimi temporis spatio servata fuerint, Amostazo *l. c. lib. 3. cap. 2. n. 28.* Insuper Episcopus potest, petente haerede vel patrono vel etiam executore testamentario, capellaniam laicalem ex actu ultimae voluntatis constitutam in ecclesiasticam convertere, dummodo testator a capellania ecclesiastica alienus non fuerit, *Piton. de controvers. patronorum alleg. 34. n. 20*, et alienus tunc tantum censetur, cum Ordinarium ab institutione capellaniae manifeste exclusit, Amostazo *l. c. lib. 3. c. 13. n. 4*, cum bona non capellaniae sed capellano reliquit, *Pit. l. c. all. 49. n. 4*; non alienus vero si erectionem capellaniae jusserit, si dotem, si ecclesiam designaverit. Et quamvis res dubia esset tamen sanior pars doctorum stat pro capellaniae ecclesiasticitate, Amostazo *l. c. cap. 2. n. 15, Piton. l. c. all. 49. n. 27. et all. 33. n. 16*, *Barbosa juris*

*) Vd. *p. 565. n. 28.*

*) Vd. *p. 565. Discursus.*

univers. lib. 2. cap. 3. n. 1., decis. 15. n. 13. par. 3. recent.

His ponderatis, quae allata sunt, dubium de ecclesiasticitate capellaniae haud superesse potest; nam testator voluit erectionem, reliquit juspatronatus personae ecclesiasticae et ratione officii ecclesiastici, quod ex Reiffenstuel *lib. 3. tit. 38. n. 49* satis est ad patronatum efficiendum ecclesiasticum, si erectio Episcopi ad instantiam exequutoris testamentarii expleta fuit; dos relicta capellaniae, ecclesia designata est; et observantia longissimi temporis subsequuta est.

Posita vero hujusmodi natura capellaniae eandem aequiparari posse in omnibus beneficio ecclesiastico notum est: sed praecipuae beneficii notae sunt perpetuitas et inamovibilitas;*) ergo praesens capellanus expelli nequibit praecipue si attendatur ejus pacifica et longissima possessio, pro qua, etiamsi fuerit triennalis, ex regula XXXVI. cancellariae,**) tutus maneret possessor in suo beneficio.

His in tuto positis admitti etiam potest quod capellania de qua lis est sit laicalis eo quod ex Card. de Luca *de benef. disc. 80. n. 10* capellania laicalis, suapte natura, perpetua est. Admisso etiam quod ejusmodi capellania fuerit amovibilis, tamen exploratum in jure est ad removendum capellanum in iis quoque capellaniis causam requiri et quidem haud levem***) uti *argum. cap. Cum querelam de election. tenent Fargna p. 2. cap. 21. cas. 10. n. 10, 11, Rota decis. 72. n. 1, 2. cor. Cavaller., S. C. C. in Nullius Farfen. Capellaniae 6. Augusti 1791.* Ast nulla remotionis causa a parocho allata fuit neque consensus parochi defuit, eo quod per tot annos vidit capellanum in capellaniae possessione et siluit; quod silentium aequiparari potest tacito consensui.

His positis ex utraque parte duo quae sequuntur proposita fuere enodanda

Dubia:

I. *An parochi legitime capellaniam seu legatum possederint in casu?*

II. *An hodiernus capellanus non amplius parochus legitime retinere valeat capellaniam seu legatum in casu?*

Sacra Concilii Congr. die 10. Junii 1876, causa discussa, respondere censuit:

Ad utrumque affirmative et amplius.

Ex quibus colliges:

I. Capellaniam ecclesiasticam nomine tantum a veris beneficiis discriminari, eo quod ut eadem talis sit duo requiruntur ceu in beneficiis, decretum nempe erectionis in fundatione et bullae canonicae institutionis in collatione.

II. Ad laicalem vero instituendam capellaniam sufficere ut accedat actus Episcopi, quo in scriptis fiat mera ac nuda ejusdem capellaniae acceptatio; ideoque ad istius legitimam acquirendam possessionem haud praescribi ecclesiasticae auctoritatis interventum.

III. Erectionem canonicam pro constituenda capellaniae ecclesiasticae natura tanti ponderis esse, ex DD. sententia, ut ipsa satis sit ad discrimen ponendum inter laicalem et ecclesiasticam capellaniam.

IV. Adesse tamen et alios characteres qui indolem et naturam capellaniae ecclesiasticae pressius indigitare videntur: ceu sunt dos, titulus, ecclesia designata et vocatio clericorum ad celebrandas missas per seipsos.

V. Capellaniam, quae eisdem beneficii ecclesiastici characteribus praedita fuerit, eidem beneficio omnino aequiparari posse; proindeque perpetuam et inamovibilem effici: dum beneficii ecclesiastici praecipuae notae *perpetuitas* et *inamovibilitas* sint.

VI. Capellaniam quoque laicalem suapte natura ex Card. de Luca *de benef. disc. 80. n. 10* perpetuam esse neque de ipsa amovibili capellania removere posse capellanum absque gravi causa.

VII. Capellaniam, de qua in themate, haud praecipuis ecclesiasticitatis characteribus destitui videri; atque insuper in casu vere defuisse grave motivum quo capellanus exturbari potuisset a longa et pacifica possessione capellaniae ejusdem ceu requiritur ut id fieri possit super beneficio cujuslibet naturae.

25) Non sacerdos.

Vd. *Capellanus* (ordinari etc. p. 732.); *Capellania* (possessor p. 589. f.; nominationis suspensio concessa p. 639.); t. II. p. 236. n. 31.

Anno 1598 perillustris mulier, familiae C. pertinens, testamentum condidit, quo ecclesiasticam capellaniam instituebat in Castro P., legibus appositis, quibus 1. juspatronatus sibi suisque haeredibus reservabat, expresse prohibens ne unquam ad eam capellaniam vocarentur, qui quovis modo vel ad familiam

*) Vd. *t. II. p. 55. n. 48.*
**) Vd. *t. II. p. 830.*
***) Vd. *p. 669. n. 2.*

C. pertinerent vel originem ducerent e castro P. aut e quolibet alio ex feudis ipsius familiae: 2. onus imponebat missam quotidie celebrandi, quae missae nunc ad 120 in unoquoque anno reductae sunt: 3. excipiendi fidelium confessiones: 4. christianam doctrinam diebus festivis pueris tradendi.

Imminutis capellaniae redditibus (qui fuerint ab initio latet: sed hodie vix scutata septuaginta attingere videntur) hac fortasse de causa, cum anno 1814 nullus reperiretur, qui ad tramites fundationis idoneus dici posset, capellania collata fuit cuidam clerico R., in Castro P. nato, qui eam usque ad elapsum annum possedit. Rebus modo eodem in statu manentibus ac anno 1814, dux X., qui omnium jurium familiae C. successor extitit, Titium clericum nominavit, qui sextumdecimum annum agit aetatis suae studiisque in seminario operam dat sed in castro P. natus et presbyter non est.

His de causis Titius preces obtulit R. Pontifici, ut testatricis voluntati derogare hac in parte dignaretur. Episcopus pro informatione et voto rogatus, clericum nominatum commendans, monebat: satius esse pro necessitate et utilitate fidelium ejus votis indulgere, dummodo sibi idoneum sufficeret presbyterum regularem (deerant enim in eo oppido saeculares presbyteri) qui omnia munera a testatrice praescripta exerceret, usquedum orator presbyter factus ea implere posset.

Ex officio adnotatum est, canonem esse juris utriusque vulgatissimum morientium voluntates ad unguem esse servandas; can. *Ultima voluntas 13. q. 2; l. Omnium C. de testam.* ita ut, nonnisi justa et necessaria causa interveniente, commutatio voluntatis sit facienda; Trid. *sess. 22. c. 6. de ref.*

In themate nihilominus justam et necessariam causam existere videri, ut testatricis voluntati derogetur. Nullum enim inveniri, qui vellet capellaniam hanc suscipere et oneribus adnexis satisfacere, si illi excluderentur, qui presbyteri actu non sunt et in Castro P. nati. Hanc rationem satis validam visam fuisse temporibus praeteritis, ut anno 1814 derogatio pro clerico R. locum habuerit. In praesenti eadem recurrere rerum adjuncta pro institutione clerici Titii postulantis.

His precibus propositis die 7. Julii 1870 s. Congregatio Concilii distulit responsum ad proximam Congregationem: rescriptum enim prodiit; *Dilata ad proximam.* Id factum est, ut ab Episcopo exquireretur, utrum pauper esset orator. Habita autem notitia de maxima Titii paupertate atque precibus repropositis in sequenti Congregatione habita die 13. Augusti 1870. s. Congregatio respondere censuit: *Adimpletis per alium sacerdotem ab Episcopo adprobandum capellaniae oneribus pro gratia dispensationis et habilitationis, donec tamen orator ad aetatem pro recipiendo presbyteratu pervenerit, facto verba cum SSmo.*

Sequela:

Voluntates pie disponentium ad unguem esse servandas eisque auctoritate apostolica non amplius derogari, quam justa causa exigat.

26) Substitutus.

Vd. *Capellania* (sacerdotalis, quae est? p. 654.) Capellan. (Cathedr., Colleg. p. 672.) *Capellania choralis* p. 538; *Capellanus* (missam etc. p. 728.)

Capellania fundata onere interessendi divinis officiis in Cathedrali vel Collegiata requirit personale servitium, quod non potest adimplere per substitutum; *ad c. Unicum de clericis non residentib. in 6.* et *cap. 12. sess. 24.* Conc. Trid., ibi: *Omnia vero divina per se non per substitutum compellatur obire officia*, juncta decisione s. Congr. Concil. qua ut refert Fagnan. *in d. c. Ut Abbates num. 92.* declaratum fuit *d. cap. 13. vers. Praeterea* comprehendere etiam mansionarios et alia beneficia, quae sunt perpetua et habent adnexum servitium in choro. Si vero capellania fundata sit in ecclesia non cathedrali vel collegiata, sed in alia ecclesia non habente servitium chori, hoc casu, quamvis in fundatione capellae cautum sit, ut capellanus debeat missas celebrare et Divinis inservire seu interesse, tamen non tenebitur ordinem sacerdotalem suscipere nec missas aut divina officia celebrare per seipsum, sed satis erit, ut haec munia per alium adimpleat. Sic decisum fuisse a s. Congr. Conc. *in una Placentina* refert Fagnan. *in d. cap. Ut Abbates num. 67. et 68.* et tenuit Rota *in Romana Capellaniae 19. Martii 1596. coram Card. Pamphil.*

Inquit Ferraris capellaniam fundatam cum onere celebrandi divina officia in cathedrali vel collegiata ecclesia requirere personale servitium, quod non potest adimpleri per substitutum, intellige si obtinens illam capellaniam recenseatur inter mansionarios illius ecclesiae;

quia si non sit de mansionariis non est obligatus ad personale servitium potestque per alium inservire. Rota in *Vicen. Beneficii 5. Julii 1751. §. 11. et plur. sequent. cor. ill. Cortiada.*

Capellaniae, quibus incumbit onus celebrandi missas et choro inserviendi, non sunt compatibiles cum canonicatibus et parochialibus, quamvis per earum constitutiones liceat servire per substitutum. S. Congreg. Conc. *9. Novemb. 1619.* Capellania sic fundata, *ut eligatur idoneus capellanus sacerdos, qui missam celebret,* est sacerdotalis, sed capellanus non tenetur inservire per seipsum et potest celebrare per alium. S. Congregat. Concil. *17. Novemb. 1604 et 3. April. 1620.*

Capitulum.

1) Cathedralis ecclesiae.

Vd. *Canonicatus; Canonicus Cathedr.*

a) Administratio bonorum ecclesiae Cathedralis.

Vd. *Administratio; Bona eccles.* (administratio); t. III. p. 107. §. *Accedit; Administrator.*

b) Beneficia quae confert?

Vd. *t. II. p. 400.*

c) Capitulum qui constituunt?

Vd. t. III. p. 451. §. *Hisce etc.;* §. 453. §. *Deliberandum;* p. 357. n. 5; *Capit. Cath.* (convocatio — Vocandi etc.); *Canonicus Cath.* (vox p. 416. n. 43); *Capitulum Metropolit.*

Firmana.

Capitulum sive Cathedralis sive Collegiatae solis constare censetur Canonicis secundum *gloss. in cap. penult. verb.: Assissios de cleric. non residen., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 4. num. 37, Piton. discept. eccles. 15. num. 7,* nullamque propterea in eo partem habere valent mansionarii. Regula tamen haec in iis limitatur rebus, quae tangunt mansionariorum *) interesse. Quum enim mansionarii misticum saltem sint membrum capituli, *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 18. num. 43,* suo hinc jure convenire valent cum corpore et in rebus ad se etiam pertinentibus suffragium ferre, *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 37. sub num. 17, Petra ad constit. 1 divi Leonis Magni sect. 2. num. 13* et s. haec Congregatio in *Montis Pelusii 8. Junii 1682.*

Die 17. Junii 1797.

*) Vd. *p. 450. b.*

Imolen.

Stallum vocemque in capitulo habentes ex universali ecclesiarum praesertim Italiae consuetudine de gremio esse et corpore ejusdem capituli, *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 37. num. 14, Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 13. n. 3* et *Rot. dec. 708. n. 3. par. 2. Recent.*

Die 13. Mart. 1773.

Capitulum est collectio seu congregatio personarum ecclesiasticarum puta Canonicorum seu regularium in unum seu capitulariter congregatorum. Ut quis spectare dignoscatur ad capitulum ecclesiae cathedralis vel collegiatae saecularis aut regularis vocemque habeat in capitulo requiritur, ut divinis officiis sit deputatus sacrisque ordinibus insignitus, atque ad minimum subdiaconus existat; *text. in Clement. 2. de aetate et qualitate,* innovatur per *Conc. Trident. sess. 22. cap. 4. de reform.* Hinc vero excipiendi sunt ordines militares utpote divinis officiis specialiter non deputati et moniales, quae non sunt capaces sacrorum ordinum, et tamen possunt celebrare sua capitula. *Glossa in cit. Clement. vers. Mancipati.* Insuper requiritur, quod sit Canonicus vocemque habeat in capitulo. *Abbas c.: Scriptum num. 4. de election.* quia ut asserit Canonici tantum faciunt capitulum et unum corpus cum Episcopo, *cap.: Novit. 4. de his quae fiunt a praelatis.*

Eugubina.

Ex jure capitulum sive Cathedralis sive Collegiatae vere et proprie constare dicitur ex solis Canonicis juxta *gloss. in cap. penult. verb.: Assisios de cleric. non residen., Barbos. de Canonic. et Dignitat. cap. 1. n. 37.*

Die 7. Septbr. 1793.

Urbinaten.

Capitulum esse non potest nisi tres sint Canonici post *gloss. in Clementina. Quocirca* docent *Navarra Consil. num. 1, Monacell. in fomul. tit. 13. adnot. 7. pag. 99, Rota cor. Molines decis. 563. num. 2.*

Die 22. Junii 1805.

Capitulum constituitur ex solis Canonicis cum Episcopo ut ex *text. in leg. 2. de instit.* docet *Scarfant. Lucubrat. lib. 1. tit. 1. n. 1, Petra ad constit. s. Leonis M. tom. 1. sect. 2. num. 9.* Quare si jurisdictio condendi leges circa chorum est penes capitulum, sequitur ut nec audiri nec ad suffragandum vocari deberent beneficiati, qui non sunt de capitulo, ut docet *Rota decis. 76. part. 7. Recen. num. 8. et seq. cor. Crispo, decis. 51. n. 29.* Neque secus est ex bulla *s. m. Clementis XI.* in qua erecti fuerunt beneficiati Urbinatensis Metropolitanae. Quamquam enim collegium *) efforment et iisdem privilegiis utantur ac Canonici, excipitur tam expresse ne quidquam juris habeant *quoad vocem et locum in capitulo. Ibid.*

Quadalaxarien.

De jure communi *Dignitates* non esse de capitulo utpote quod a solis Canonicis constituitur, etiamsi ipsae habeant stallum in choro juxta doctrinam *Compostellan. in cap. 1. n. 4. de electione,* quam communiter sequuntur doctores et praesertim *Fagnanus in cap. Nullus n. 43. eodem tit., Barbos. de Canonicis cap. 37. n. 14. et sequen., Pirh. Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 13. n. 356, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 15. num. 14 et 18.* Ita etiam sentit *Rota coram Seraphino dec. 98. n. 1, in recen. dec. 708. num. 2.* et post *de Luca.*

Ab hac tamen generali regula tres casus excipiuntur a doctoribus. Primus nimirum est, si Dignitati adnexa sit praebenda canonicalis, tunc enim ratione canonicatus dicitur dignitas de capitulo et habet in eo vocem; *gloss. in cap. Cum in verbo receperat de constit.* et ibi *Felin. num. 18, Innocent. in cap. 2. in fine de instit., Abb. in cap. Dilectus il primo de praeben.* Idque procedit etiamsi esset adnexa praebenda non vere canonicalis, quae est, quando eam habens reputatur pro Canonico et habet vocem in capitulo ut Canonicus, licet non sit Canonicus, ut probat *textus in cap. Cum in ecclesia de praebend. in 6.* et notant *Vitalin. in Clement. finali n. 45. de praebend., Garz. de benef. part. 11. cap. 5. n. 201* et *Rot. decis. 684. n. 4. part. 1. divers. et cor. Seraph dec. 474. num. 5.*

Alter casus est, si in ipsa erectione Dignitas effecta fuit de capitulo et cum stallo in choro et voce in capitulo; *Abbas et Felin. in cap. Cum olim lib. 2. tit. de rejud., Barbos. de Canonic. et Dignit. cap. 37. sub num. 14, Rot. cor. Seraph. dec. 98. num. 1. et 2* et *dec. 437. n. 8. et cor. Bichio dec. 203. n. 3.*

Tertius casus est si vel ex ecclesiae statuto vel ex legitima consuetudine Dignitates censeantur de gremio capituli aut saltem ex observantia ipsae admissae fuerint ad pertractanda negocia capitularia ac in iis vocem activam et passivam habuerint, quae tamen observantia desumi debet ex interventu in iis actibus, qui proprii sunt capituli nimirum in condendis ecclesiae statutis, in electionibus, in traditione possessionis novo Episcopo aliisque similibus. Ita communiter *Abbas in cap. 3. De elect. et in dicto cap. Cum olim num. 8. de rejudic.* et ibi *Felin. num. 4. et in cap. Cum m. num. 18. de constit.* et ibi *Ripa num. 186, Decius in c. Relatum n. 5. de praebend., Geminian. in cap. final. de praebend. in 5, Garz. dict. cap. 5. num. 207 et seq., Barbos. de Canon. dicto cap. 37. num. 14, Rota coram Seraph. decis. 437. n. 8. et in rec. decis. 708. n. 3. part. 3. dec. 114. n. 9. et decis. 251. n. 5. et seq. par. 19.*

Abs re non erit hic referre notabilem doctrinam *Card. de Luca de benef. disc. 46. num. 5. et seq. et num. 9,* qui animadvertit eam esse totius fere Italiae consuetudinem, ut Dignitates sint de gremio capituli: ipsae enim ad instrar caeterorum Canonicorum intersunt choro aliisque vacant cultum ac ecclesiae servitium respicientibus, aeque habent praebendas et fruuntur de distributionibus quotidianis minutis vel aeque partici-

*) Vd. *t. II. p. 139. n. 11.*

pant de massa distributionum, quae stat loco praebendae, adeout proprie ac substantialiter sint veri Canonici sub nomine Dignitatum abusive in sola scilicet nuncupatione magis qualificati cum aliquibus praeeminentiis supra alios.

Die 3. Apr. 1841.

d) Quoad concursum parochialem.

Vd. *Concursus ad eccles. paroch.* (Vicarii capitul. facult.: examinatores — Vicarii capit. facult.)

e) Consensus et modus rite agendi.

Ut capitulum jure suo expleat negotia, quatuor haec concurrant oportet:

I. Ut sit legitime congregatum.

II. Ut vocentur omnes, qui vocem in capitulo habent vel de praesenti habere possunt.

III. Ut negotia capitulariter expediantur.

IV. Ut major pars consensum suum interponat.

Quod attinet ad primum requisitum, capitulum ut legitime convocetur*) haberi debet ratio *personarum*, id est convocantium, *modi*, *loci et temporis*. Convocat capitulum Episcopus vel Decanus. Episcopus convocat in negotiis, quae peragi debent cum consensu vel consilio capituli vel alias conjunctim ad Episcopum et capitulum pertinent. In caeteris negotiis Decanus convocat capitulum vel tempore statuto vel extraordinario pro re nata eoque deficiente senior ut plurimum, nisi aliter ea in ecclesia obtiuuerit. *Bohemer in decretal. lib. 4. tit. 11 §. 3,* ubi quod, convocante Decano capitulum, haud opus est licentia Episcopi. *Louorex dissert. canon. 17. n. 1. et plur. sequent.*

De modo **) convocandi capitulum nihil in jure statutum est. Quocirca retineri debet modus ille, qui in ecclesia, de qua agitur, invaluit. Alibi enim fit convocatio per sonum campanae, alibi per literas, alibi viva voce. Quod vero attinet ad absentes, ii necessario convocandi sunt per literas vel per nuncium. *Passerin. de election. canon. cap. 11. fere per tot.* Locus capituli solet esse certus ac determinatus. Episcopus tamen potest capitulum in aula sua convocare, nisi controversiam cum ipso capitulo habeat. *Fermosin. de potest. capitul. Sede vacante tract. 3. quaest. 6. num. 12.* Verum si alibi, modo in loco honesto, convocatum sit capitulum, nequit actus hoc nomine impugnari, quod capitulum non sit convocatum in loco consueto. *Card. de Luca de Regular. discurs. 45. n. 2, Passer. de elect. canon. c. 12. n. 2. et seqq.*

Demum tempore consueto convocari debet capitulum, non eo tamen quo Divina celebrantur, alias Capitulares impune non compararent. *Leuren. For. beneficial. tom. 1. q. 420. n. 5.*

Quod concernit secundum requisitum, vocem*) in capitulo habent adeoque sunt convocandi, qui nomine capituli veniunt, et sic regulariter soli Canonici, nam nonnisi Canonici veniunt nomine capituli ipsumque constituunt. *Bohemer, in decretal. lib. 3. tit. 11. §. 6.* Hinc sequitur, dignitates convocari non debere, nam eae non dicuntur de capitulo, nisi vel fundatione vel consuetudine alium canonicatum obtineant. *Cardinal. de Luca de beneficiis discurs. 46. num. 1, Barbosa de Canon. cap. 35, num. 14.* Idem dicendum est de mansionariis, quippe qui nec de capitulo dicuntur. *Ayrer. in dissert. de beneficiar. assis.* Confer etiam *Rotam coram Crispo dec. 50 n. 20. in Gerunden. Servitutum 23. Febr. 1731. §. Siquidem, coram clar. mem. Cincio.*

Quinimo nec omnes Canonici convocandi sunt sed tantum praebendati, intra numerum et in ordine saltem diaconatus constituti. *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 11. §. 7. et 8.*

Num autem Canonici absentes vocandi sint? Negatur, exceptis tamen in negotiis majoris ponderis, ut sunt electio Praelati, receptio Canonicorum aut praebendarum collatio, et cessatio a Divinis a Capitulo indicenda. *Idem auctor loc. cit. §. 9.*

Tertium requisitum est, ut negotia capitulariter expediantur. Dicuntur enim negotia expediri capitulariter, si congregatum sit capitulum, audita sint vota singulorum et deliberatio a congregatis facta sit. Neque enim singuli extra congregationem capitulum constituunt, et ita nec singulorum consensus extra capitulum interpositus sufficit in negotiis a capitulo expediendis; id quod ex natura collegiorum fluit. *Card. de Luca de benefic. discurs. 30. n. 3. et 5, optime Louvrex dict. dissert. canon. 17. num. 24.*

Restat ut disseramus de ultimo requisito, ut major pars capituli consensum suum interponat. Id quoque ex natura omnium collegiorum et universitatum fluit, quum non esset ratio expediendorum negotiorum, nisi majora concluderent. Major tamen pars aestimari debet non respectu partium minorum sed totius capituli, idest omnium Canonicorum intervenientium et suffragium ferentium, nisi alia sit consuetudo. *Louvrex dict. dissert. canon. 17. n. 9. et seq.* Idemque obtineri debere tenet dictus auctor, si capitulum consenserit, ut major pars respectu partium minorum concludat.

Caeterum si agatur de negotio Canonicos uti singulos concernente non sufficit consensus majoris partis sed singulorum Canonicorum consensus exigitur. *Fagnan. in cap.: Quum in cunctis* fere per tot. *de his, quae fiunt a majori parte capituli; Fermosin. de potest. Capitul. Sede vacante, tract. 3. q. 1. n. 5. 15. et sequent.*

At quando negotium dici debeat hujus generis, ut concernat Canonicos uti singulos, omnium optime explicat *Louvrex saepe dicta dissert. canon. 17. a num. 16. ad plur. seq.*

Firmana.

Capituli resolutionem, quae tangit omnes uti singulos, minor pars impedit, per *text. in cap. I. de his quae fiunt a major. part., Panorm. in cap. Veniens de praescript., Ceccoper. lucubrat. can. lib. 4. num. 188., Scarfant. ad eund. lib. 4. tit. 2. n. 8.*

Die 18. Novb. 1797.

Senogalien.

Duae saltem ex tribus partibus ad inducendum capituli consensum requiruntur ex *cap unic. de cleric. aegrot., Zoes. in jus canon. univ. lib. 3. tit. 11. de his, quae fiunt a major. part. capit. num. 1.*

Die 13. Junii 1789.

Ex jure esse ut quod in capitulis statuitur a majori parte (quae talis etsi unum suffragium accedat supra dimidium interessentium) tum licet alii repugnent id pro lege haberi debeat ut ex *cap. 1. de his quae fiunt a major. part. capit.* et *Rot. dec. 76. n. 15. cor. Ansald. et decis. 809. num. 1. cor. Buratto.* Non tenet lex, quae ad singulorum interesse pertinet nisi universorum consensus et suffragium accedat. Etenim »*quod omnes attingit debet ab omnibus approbari*« inquit *Bonifacius VIII. in cap. 29. de reg. jur. in 6.* et tradunt hanc sententiam *gloss. in cap. Cum omnes vers.: sed ut singuli de constit. Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 28. n. 13, Cardinalis Petra ad constit. apostolic. t. 1. constit. 1. sect. 2. num. 27, Rota in Leodien. Spolii super recessibus capitularibus 17. Martii 1760 §. 5. coram clar. mem. Card. Paraccino* et in *confirmatoria 28. Junii 1762. §. 3. clar. mem. Card. Riminaldo.*

Die. 13. Septb. 1806.

Terracinen.

Ex universo ss. canonum jure diserte colligitur, illud firmum haberi quod majori parti Capituli placuit; in quolibet enim capitulari actu nonnisi majorem vel duas saltem totius partes requiri docet *s. Rota in decis. 79. num. 10. part. 17. Recent.*

Imo haud opus esse omnium Canonicorum consensu, ubi agitur de ejusdem ecclesiae utilitate, in *dec. 29. num. 7. et seqq. part. 6. Recent.* idque vel maxime obtinere in iis, quae sunt communia pluribus uti universis, non autem uti singulis, in *decis. 263. num. 23. part. 12. Recent.*

Die 26. Novbr. 1853.

f) Convocatio.

I. Archidiaconus convocare potestne?

Vd. *t. I. p. 1059. n. 3*; infra n. VI.; supra lit. *e.*

II. Archipresbyter quando convocat?*)

Vd. infra n. VI; supra lit. *e.*

Addo pauca decreta S. R. C.

Posse Archipresbyterum, etiam quod non sit de Capitulo, convocare capitulum *pro rebus statum ecclesiae concernentibus.* Die 16. Sept. 1645.

Convocationem Capituli ad Archipresbyterum spectare uti primam Dignitatem. Die 26. Novb. 1678.

Invocationem seu orationem Spiritus s., quando convocatur Capitulum, spectare ad digniorem. Die 30. August. 1664.

*) Vd. *Capitul. (convocatio).*
**) Vd. *Capit.* (convocatio modus.)

*) Vd. *Capit. (convoc.* — qui sunt vocandi.)

III. Certioratio Episcopi de eo habendo.

Vd. *Capit. Cath.* (convocatio — licentia Episcopi); infra n. VII.

Ad dub.: An Canonici ecclesiae cathedralis Acerarum teneantur certiorare reverendissimum Episcopum de capitulo per eos explendo circa materias concernentes interesse ejusdem capituli?

Et quatenus affirmative,

II. An et quomodo sit certiorandus?

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative, si Episcopus fruitur praebenda canonicali.

Ad II: Esse certiorandum per Canonicum secretarium vel alium Canonicum sub poena tamen nullitatis actus in casu contraventionis.

Die 23. Aug. 1727.

IV. Coadjutor Dignitatis convocare potestne?

Vd. n. V.

S. Severini.

Camillus Margarucci Archidiaconus Cathedralis s. Severini idemque Vicarius generalis Emi Cardinalis Episcopi Anconitani, per bullares literas ab apostolica Dataria die 4. Septembris 1857. impetravit, ut sibi coadjutor in archidiaconatu adsisceretur Marius Margarucci suus ex fratre nepos cum omnibus juribus et privilegiis itemque officiis et oneribus ad eam Dignitatem pertinentibus ceu clarius per easdem literas in partium summariis integras producendas patet. Capta possessione die 8. dicti mensis eadem die ad II. vesperas pro Nativitate b. M. V. in chorum convenerunt coadjutus patruus et coadjutor nepos violaceo habitu archidiaconatus proprio induti, quorum primus consuetum suum stallum, alter stallum ante omnes alios Canonicos tum I. tum II. erectionis*) occupavit. Canonici id aegre tulerunt; sed ne scandalum publice excitaretur, silendum eo loco ac tempore satius duxerunt. Paucis post diebus capitularis conventus haberi forte debebat, particularis videlicet, qui constat dumtaxat septem antiquioris erectionis Canonicis; namque generalis cunctis omnino etiam recentioris erectionis Canonicis coalescit. Porro coadjutor Margarucci hunc conventum convocavit eidemque praefuit, nullo ex Canonicis usquedum obmovente querelam.

Sed enimvero parum temporis effluxit, quo de duobus controversiae capitibus super stallo et conventus capitularis praesidentia dissensus acrius axarsit. Plurimum a capitulo et Episcopo insudatum est, ut dubia suborta declararentur et omnis controversia de medio tolleretur, at inani conatu; nam coadjutor Margarucci generalem conventum paullo post convocavit, ad quem tamen neque ipse neque alii Canonici accesserunt, ideoque in irritum convocatio cessit. Posthac Margaruccius necessariis facultatibus praeditus studiorum causa Romae commoratus est usque ad Julium anni 1858, quo mense conventum capitularem iterum indicere non dubitavit. Verum perperam, quoniam Canonici firmiter obstiterunt suasque querelas Episcopo detulerunt, qui eis favet.

Margarucci die insequenti 14. protestationem contra Episcopi prohibitionem exhibuit, quae cum ab Episcopo minus probata fuisset, eadem die ab ipso temperata est ac moderata, itaque inter acta cancellariae rite fuit excepta.

Ad haec non acquievit Margaruccius coadjutus qui urbem s. Severini proximo mense Sept. repetens aliam protestationem suo nomine interjicere studuit. Cum tamen in eadem exaranda verba adhibuisset: »di spoglio e di atto di violenza«, quae Episcopus injuriosa sibi et capitulo reputabat, atque insuper vehementioribus verbis modisque immoderatis contra cancellarium usus esset, Episcopus omnino vetuit, ne secunda ista coadjuti protestatio reciperetur. Hic itaque Anconam

---

Jus convocandi Capitulum, proponendi in ea negotia resolvenda, dandi primum votum et suffragia recolligendi spectare ad Praepositum s. Michaelis majoris Papiae.
Die 23. Mart. 1669.

Mortuo Episcopo ante electionem Vicarii capitularis convocare Capitulum spectat ad primam Dignitatem, quae sit Canonicus, et deinde gradatim ad alias Dignitates, quae pariter sint Canonici.
Die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: An Archidiaconus (Metropol. Hydrunt.) habeat jus convocandi Capitulum pro illius negotiis, quandocunque Capitulo expedire ei visum fuerit atque ei coadunato praesidendi sive potius idem competat Syndaco aut alteri ex auditoribus?
S. C. resp.: Servetur Solitum.
Die 7. Decb. 1771.

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

reversursus protestationem ipsam Archipresbytero capituli, quae secunda post archidiaconatum Dignitas est, deferendam curavit. Quibus de rebus Episcopus injuriam sibi magis magisque inferri arbitratus die 23. Sept. decretum coadjuto Margaruccio rite praesentari mandavit.

Ad hoc loci re adducta Margaruccius coadjutor duplicem huic s. C. supplicem libellum obtulit, quorum in uno de suspensione in altero de spolio et manutentione circa jus coadjutori competens convocandi capitulum conquerebatur. De utroque libello SSmo Domino Nostro relatione facta Sanctitas Sua benigne mandavit ut ambo libelli in unum cumulati a generalibus s. Congregationis comitiis insimul expenderentur. Monito hac de re Episcopo ac partibus Episcopus accuratam de universo negotio prout gestum est relationem remisit, quam totam typis seorsum excusam accipient Emi Patres. Utraque pars nempe Capitulum ex una et ambo Margarucci ex altera suum quisque defensorem assumpserunt. Quocirca duo prima amice concinnata sunt dubia: tertium super stallo a capitulo additum est, quod tamen Margaruccorum defensor noluit admittere, adeoque rem superiori emin. Patrum judicio die propositionis causae remittendam censui.

Gradum facio ad partium deductiones brevissime de more enucleandas. Utriusque Margaruccii defensor inprimis de merito et forma suspensionis inflictae loquitur. Et ad meritum quod attinet, suspensionem propugnat esse omnino nullam »quia culpa vacat, quia desunt monitiones,*) quia lata est in subditum extra limitem jurisdictionis. Primo igitur a suspensione abest culpa; causa enim propter quam Episcopus ad eam devenit, aliud non est nisi protestatio, quam in cancellariae actis exhibere ab Episcopo prohibitus fuit, adeoque capitulo eam praesentare coactus est. Jamvero acta judicialia, quae ad proprium jus protuendum quis interponit, omnem culpae et delicti umbram eliminant, ut ex *Pignatelli consult. canon. 162. tom. 1. a n. 12.* addito textu in *L. Injuriarum ff. de injuriis.*

Perperam vero objicitur verba injuriosa in protestatione fuisse usurpata; Margaruccius enim eos usurpavit terminos, quos consecravit jus civile et canonicum ad actionem, quam ipse Margaruccius instruxit, exprimendam videlicet spoglio e violenza, quae latine a juris consultis spolium ac vis verti solent.

Male etiam recurritur ad potestatem oeconomicam »in via di polizia ecclesiastica« exercitam. Semper enim necessaria esset monitio canonica, quae secunda est suspensionis infligendae conditio. Quinimo in hujusmodi rerum genere etiamsi canonica monitio praecessisset suspensio non cessaret esse nulla ea de causa, quod poena suspensionis in themate Archidiaconi jurisdictionem turbat et infringit. Deinde illa poena in via oeconomica adhiberi non potest adversus eum, qui rem licitam agit suoque utitur jure. Est enim remedium extra ordinem, quod usurpari nefas est nisi cum remedia ordinaria desunt omnino. Ad rem consulendus *Cosci de usu potest. Oeconom. add. 3. post. tract. de sponsal. per tot.*

Sed si suspensio intrinsece nulla est, etiam extrinsece talis est declaranda; quandoquidem ut ipsa vim habeat opus est, qui eam irrogat, potestate irrogandi polleat. Atqui Episcopus Margaruccio eamdem intimavit extra territorium suum, videlicet Anconae ubi ipse Vicarii generalis officium exercet adeoque impune eidem non parere permittebatur. Id autem omnino improbatur etiamsi Margaruccius Episcopo s. Severini subditus sit. In themate vero eo major existit nullitatis causa, quod idem Episcopus ab Emo Anconitano Episcopo nullam ad eam denunciandam veniam petiit neque obtinuit; quocirca imo ejusdem jurisdictionem per hunc actum violasse dicendus est juxta ea quae docet s. Congregatio in *Nucerina Suspensionis 15. Martii 1838.*

Margarucciorum defensor agit secundo loco de reintegratione vel manutentione coadjutoris ad possessionem jurium, de quibus in altero dubio res est Itaque statuit jure sese agere de spolio quoniam constat de possessione a Margaruccio retenta et ablatione deinde perpessa; quandoquidem pluries conventum indixit aliaque archidiaconalia munera exercuit, donec Episcopi decreto ab his juribus exercendis abstinere coactus est. Quo posito infert ante omnia clientem suum esse restituendum, s. Congreg. in *Senogallien. Reintegr. 20. Sept. 1845.*

Neque obest, quod post aditam possessionem dubia in Canonicorum animis exorta fuerint; etenim eo interim tempore Marga-

*) Vd. *t. II. p. 790. b.*

ruccio manutentio debebatur. Non obest etiam quae objicitur unicitas conventus capitularis indicti et absoluti; nam huic alii actus ejusdem dignitati proprii accedunt in functionibus, processionibus aliisque rebus exerciti. Sed enimvero unicus actus ita praesidentiam et jurisdictionem ex s. Rotae doctrina apud *Postium de manutent. obs. 18. numer. 9.* ac praesertim in *Oritana Voti coram Rembaldo 27. Martii 1627 per tot.* praeservat, ut ad impediendam manutentionem neque ipsa contraria consuetudo valeat.

Per haec imploratum evincitur remedium retinendae possessionis; sed nec se aliter se res habet quoad alterum expetitum remedium reintegrandae possessionis. Neque enim id impeditur ex eo, quod Margaruccius Episcopi decreto e sua fuerit possessione turbatus. Idem enim jus locum haberet etiamsi id evenisset ex sententia judicis, s. Rota in *Romana Damnorum 31. Maji 1568. n. 1. cor. Lancelloto.* Neque purgatio spolii admittit cumulationem petitorii; nam ante hoc judicium datur purgatio spolii et remedium reintegrandae, s. Rota in *Perusina Spolii coram Penia 8. Junii 1607.* Neque tandem videatur purgatio spolii ob eam causam, quod Episcopus provisorie tantummodo Margaruccium e possessione dejecerit, s. Rota in *Anconitana Bonorum 6. Junii 1606. coram Pirovano numer. 1.* Si enim Margaruccius id stabiliter pati non debebat neque etiam precario pati debuisse censendus est.

Hac argumentatione adducta illud sequi subsumit, manutentionem vel reintegrationem suo clienti denegari non posse. Sed si in judicio possessorio Margaruccii jura praevalent, non idcirco deficiunt in petitorio; hinc meritum causae pro viribus propugnandum subinde assumit. Statuit igitur tenorem literarum apostolicarum, quibus Margaruccius coadjutoriam obtinuit, illud praeseferre, ut Pontifex in ea concessione implicite comprehenderit officium Archidiaconi vicaria potestate gerendum explicite attributis actis jurisdictionalibus, praerogativis et praeeminentiis. Jamvero praeeminentiae jura et praerogativas pacifice coadjutor exercuit et exercet adhuc; ex quo nonnisi injuria jurisdictionis actus exercendi jus eidem denegatur, cum omnia oriantur ex pontificia concessione.

Neque huic argumento limitatio merito imponi potest ex ea clausula »dummodo tamen illa tibi ratione coadjutoris officii ejusmodi competant.« Hoc enim idem esset ac insulse delere quidquid antea scriptum fuerat. Insuper cum bullae pariformiter et absque differentia coadjutori communicent omnia jura quae coadjuto competunt, illud sequitur, idque revera in jure statutum est, ut iis juribus, quibus coadjutus, iisdem coadjutor potiri debeat, *Barbosa de dictionibus dictio 146.*

Quod vero ex altera parte jactatur argumentum ex synodali sanctione petitum, probat potius hoc adsumptum, quam destruat, si nimirum consideretur differentia quae intercedit inter effectus a coadjutoria canonicatuum produci solitos et effectus qui Dignitatum coadjutoriae communicantur; omnia canonicatuum jura communicantur quae Dignitatum propria sunt, nominatim jus convocandi capitulum, eidem praesidendi ac ferendi suffragium juxta distinctionem quam firmat s. Rituum Congreg. in suis decretis ac praesertim in *Bononien.* Adde *Scarfant. de Canon. lib. 1. tit. 12. per tot.* Tandem idipsum accidit de objectione quae a consuetudine ex adverso desumitur; exempla siquidem allata cum jure, cum bullis apostolicis, cum lege synodali amice conspirant.

Hactenus de juribus utriusque Margarucci, modo agendum de capituli juribus. Capituli defensor nihil de primo dubio loquitur; dumtaxat in syllabo auctoritatum cum allegatione distribuenda nonnulla affert ad suspensionis validitatem demonstrandam. Episcopus autem, cujus interest definitio hujusce dubii, in exitu suae relationis tuetur, sese ob contumeliosam Margarucci coadjuti agendi rationem, injuriosa verba spretumque suae prohibitionis in edenda juxta eam formam protestatione sufficientem habuisse causam, cur eamdem suspensionem contra ipsum decerneret: a qua tamen Margaruccius jamdudum potuisset absolvi, si pro eo, quod ipse debebat, obsequio hanc veniam ab Episcopo postulasset.

Circa secundum dubium defensor in primo suae allegationis capite tanquam fundamentum jacit, a coadjutore manutentionem et reintegrationem in possessione jurium convocandi, praesidendi et suffragium*) in capitulo ferendi non posse praetendi et obtineri, quia ejusdem possessio ad juris formam minime ab eo comprobatur. Si autem aliquis actus possessorius in medium affertur, non est attendendus, quia turbidus, non pacificus, captiosus litique exordium praebens deprehenditur. Itaque subdit spoliatum, ut de spolio merito agere valeat, debere ostendere, tum quod sua possessio sit antiquior eademque concludenter ab eo demonstretur, tum quod possessio a spoliante per vim et dolum fuerit apprehensa, *Ridolf. in prax. jud. part. 2. cap. 14. num. 90.* Jamvero Margaruccius id nullimode neque ex literis apostolicis neque ex facto comprobat.

*) Vd. *p. 416. n. 43.*

Literae enim apostolicae non exprimunt jurium, quae ipse persequitur, concessionem et si quid habent quod id innuere videantur exclusum omnino remanet per eam clausulam »dummodo tamen illa tibi ratione coadjutoris officii hujusmodi competant.« Namque praesto est consuetudo factis undique comprobata et plus quam saeculari observantia, qua coadjutores a comitiis exclusi fuerunt. Peculiariter vero extat causa coram hac s. Congreg. agitata in *s. Severini Vocis in capitulo 14. Augusti 1824*, qua coadjutor Passalacqua, qui per quinquennium jure ferendi suffragii jam de facto potitus fuerat, hoc jus ad se pertinere propugnabat. Sed incassum; negativam enim responsionem edidit s. Ordo. Accedit sanctio synodalis, in qua legitur: »Coadjutores . . . . non possint etiam absente coadjuto capitulis interesse nec in illis votum dare nec officium antianitatis exercere.«

Haud opponantur actus a Margaruccio exerciti; nam cum effectu unum tantum conventum indixit et absolvit, illum nimirum, ex quo lis orta est: alias attentavit dumtaxat neque ad effectum producit. Semper enim capituli oppositionem expertus est. Jamvero indubitatum habetur in jure, quod possessio recens, quae liti causam dedit, nullius momenti habenda sit: idemque obtinet si possessio fuerit ab adversario insciente attentata, s. Rota in *decis. 698. numer. 17. coram Rinaldi* et in *Vercellen. Manutent. 10. Decemb. 1655. p. 12. decis. 108. n. 9. et 12.*

Neque aliter se res habere potest: nam coadjutores fictas agunt personas, quippe qui coadjuti personam repraesentant non suam adeoque veris Canonicis praeferri nequeunt. Si vero quaeratur quae illi jura communicant coadjuti, prompta responsio est, eisdem communicare ea tantum, quae chori servitium respiciunt, praeterea nihil. *Garcias de benef. part. 4. cap. num. 140.**)

Si vero regere vellent adversarii, per coadjutorem haec jura exerceri ex mandato coadjuti, nihil agerent; nam hoc jus ex ss. canonum disciplina ministerio juris devolvitur ad dignitatem vel Canonicum ordine subsequentem. Hinc fit, quod coadjutus non potest personale suum jus alteri personae delegare; secus enim tertii jura laederet, juxta ea quae decrevit s. Rituum Congreg. in *Matharanen. in decr. auth. S. R. C.*

Capituli defensor subinde transit ad tertium dubium, in quo contendit, coadjutori praesente coadjuto non competere stallum aliud in choro nisi post omnes Canonicos. Praemittit hujusce controversiae discussionem effugere non posse adversarios, quia prima ordine fuit, quae litem praesentem inchoavit. Quamvis autem primordiales Margaruccíorum preces hanc de stallo controversiam minime attingant, nihilominus verum est, quod capitulum tempore debito, tamquam actor, eamdem proponere potuerit, quod maxime proderit ad omne evellendum dissensionum germen non sine ipsorum Margaruccíorum utilitate.

Ad meritum vero quod attinet ponit inprimis auctoritates quae docent coadjutores in choro sedere debere post omnes dignitates et ante omnes Canonicos cum mica salis esse excipiendas. Praevenit enim hoc esse discrimen habendum, vel enim abest coadjutus a choro et tunc coadjutor sedere debet post dignitates et ante omnes Canonicos, vel praesens coadjutus in choro est et coadjutor debet sedere post omnes Canonicos. Quando enim praesens est Coadjutus, Coadjutor non habet quem repraesentet et reputatur tamquam simplex ac privatus sacerdos, qui post omnes locum obtinet. Hujusmodi vero discrimen centenae et millenae comprobant s. Congreg. Rituum declarationes ceu in *Camerinen. 26. Septembr. 1643*, in *Carthonen. 6. Martii 1646.*

Quae quidem disciplinae ratio eo fortius in Cathedrali s. Severini est retinenda, quia duae Dignitates fixa habeant in choro sedilia et si tertius accedat necesse est ut Canonicus Decanus suum illi sedile cedat et sic deinceps omnes ceteri. Quae quidem res absona esset a jure et ab ordine, qui in rebus

*) Vd. *Coadjutor; Decreta auth. ss R. C. Ed. Mühlbauer t. I. p. 300; suppl. t. I. p. 648.*

ecclesiasticis gravissime custodiri debet. Ad rem *Piton. in collect. constit. et decis. ad Canonicos spectantes dec. 569.*

Hisce per summa capita delibatis tria proponuntur

Dubia:

I. *An suspensio a Divinis sustineatur in casu?*

II. *An coadjutor Archidiaconi sit reintegrandus vel manutenendus in quasipossessione convocandi, praesidendi et suffragium ferendi in capitulo, absente coadjuto in casu?*

III. *An et quale stallum in choro competat coadjutori praesente coadjuto in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative et ad mentem: mens est ut Archidiaconus veniam petat voce vel scripto ab Episcopo.

Ad II: Reformato dubio: *An constet de bono jure Archidiaconi coadjutoris convocandi, praesidendi et suffragium ferendi in capitulo absente coadjuto in casu?*

Affirmative in omnibus. (Vd. *infra n. II.*)

Ad III: Affirmative post omnes Dignitates et ante omnes Canonicos.

Die 9. Apr. 1859.

V. Decanus vel aliae Dignitates convocare quando possunt?

Vd. p. 357. n. 5; *Capit.* (consensus etc. p. 742.)

Melevitana.

Ad dub 1: An Decanus cathedralis ecclesiae ad quem spectat convocare capitulum teneatur sede episcopali vacante petere licentiam a Vicario capitulari pro convocandis Capitularibus?

II. An ipso Decano absente, renuente aut alias quomodolibet impedito facultas convocandi Capitulum devolvatur ad successivas Dignitates et Canonicos gradatim, exclusis eorum coadjutoribus?

Et quatenus affirmative,

III. An Vicarius capitularis possit procedere ad censuras contra Decanum, Dignitates et Canonicos convocantes capitulum sine licentia?

IV. An Decanus, Dignitates et Canonici convocantes capitulum uti valeant quacunque persona pro intimandis Capitularibus necnon quocunque notario casu, quo cursores et cancellarius eorum officium praestare recusent?

V. An Dignitas seu Canonicus capitulo praesidens teneatur certiorem reddere Vicarium capitularem absentem de resolutionibus capitularibus?

Et quatenus affirmative, quibus remediis procedi possit contra recusantem?

VI. An actus registratus in cancellaria episcopali die 30. Augusti 1721 de ordine Vicarii capitularis, in quo supponitur, Decanum petiisse ab eo licentiam convocandi capitulum, subsistat vel potius sit annullandus et delendus?

S. C. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative quoad primam partem et quoad secundam habebitur ratio in casibus particularibus, missis literis coadjutoriarum. (Vd. *supra n. II.*)

Ad III: Negative.

Ad IV: Affirmative.

Ad V: Negative.

Ad VI: Ad mentem et mens est, quod deleantur.

Die 18. Sept. 1723.

Aquipendien.

Electionis nullitatem triplici defectu patere asserit defensor: primo quidem ex defectu convocationis capituli, quam fieri ab eo omnino necessarium est qui jus convocandi habet, prout notat *Card. Thusc. concl. pract. t. 8. tit. V. concl. 257. p. 1.* Atqui in casu non ambigendum, quin tale jus competeret uni Decano, vices gerenti praesidis, tum ex consuetudine quae illum in quasipossessione constituit tum ex facto ipsorum Capitularium qui tanquam legitima habuerunt proxima comitia die 20. Augusti per ipsum indicta. Quapropter licet admittatur quod possit quisque senior praeesse capitulo, attamen cum hic non quaeratur de praesidentia sed de legitima convocatione indubium esse, ipsam fieri debuisse ab ipso Cencionio, qui opportune aderat in oppido die ipsa praecedenti ad capituli convocationem.

Die 16. Julii 1853.

Imolen.

Praepositus ecclesiae cathedralis Imolen. antiqua sua Dignitatis jura recuperaturus, quae a nonnullis annis amisisse quaerebatur, in capitularibus comitiis habitis die 27. Septembris 1766 proposuit: *Che a tenore delle Constituzioni del reverendissimo Capitolo, a lui spetta convocare il capitolo.*

Id autem ut audiverunt Canonici simul congregati decreverunt: *Che da quì avanti non si chiami il capitolo, solo che con cedola sottoscritta dal. Sig. Preposto, ed in sua assenza dal. Sig. Camerlendo.*

Verum hoc non obstante capitulari decreto Canonicus Camerarius jus convocandi capitulum ad se privative pertinere contendit eoque revera uti voluit in convocandis duabus vicibus comitiis anno 1768 et una vice anno 1769.

Hinc nonnullis subortis dissidiis causae cognitio ipsomet capitulo rogante imperio SS. D. N. ad s. Congregationem ablegata fuit cum dubiis, quae in calce transcripta leguntur.

Ad I., in quo agitur de jure convocandi aperiendique capitulum, observat Praepositus satis constare tum ex literis apostolicis san. mem. Pii IV. tum etiam ex testimonio duarum capituli Dignitatum totidemque Canonicorum. Praeposituram in ecclesia cathedrali majorem esse post pontificalem Dignitatem. Hinc infert, uni Praeposito tamquam digniori jus competere absente Episcopo convocandi capitulum, *cap. Postulasti de concess. praebend.* et *cap. Collatione de appellat. in 6., Piton. discept. eccl. 23. n. 2.*, et ratio est, quia convocatio capituli est actus jurisdictionis seu praeeminentiae, quae nullatenus competere potest inferioribus seu membris in concursu superioris sive capitis, *Ursaya tom. 8. p. 1. discept. 37. n. 8., s. Congregatio apud Barbos. in summar. apostolic. dec. collect. 40. n. 13.*

Provocat deinde ad capituli constitutiones ubi *cap. 5.* decernitur, quod Canonici *congregari et convocari debeant per alterum sacristam ac secundum commissionem et arbitrium Praepositi seu Camerarii dicti capituli vel alterius eorum et per schedulam per manum Praepositi factam vel Camerarii absente Praeposito aut de commissione alterius eorum.* Ex his colligit, Camerarium subsidiarie tantum et absente Praeposito facultatem habere convocandi capitulum. Idipsum etiam erui dicit ex illis dictionibus: *juxta arbitrium Praepositi seu Camerarii vel alterius eorum.* Sustinet enim, dictionem illam *seu* non *esse* alienativam *praeventionis, sed ordinis, cap. Cum ad monasterium de statu monach., gloss. in cap. in alternativis de regul. juris in 6, Piton. 3. discept. eccles 60. n. 2. et seqq.* Idemque constare ait ex iisdem constitutionibus *cap. 17.*

Nec obesse, quod in *cap. 12.* decernitur, nempe *syndicum convocare et congregare seu convocari facere posse, quandocumque videbitur, Canonicos ad capitulum.* Contendit enim praepostere ibidem scriptum fuisse de syndico, quia peculiariter agitur de Camerario ejusque electione et munere, cujus pars est, convocare capitulum in subsidium Praepositi. Advertit insuper id minime officere juribus ejusdem Propositi, qui ob suam praeexcellentem Dignitatem major est et superior nec unquam excludi postest. *Canon. Perlectis dist. 25, Piton. tom. 3. discept. ecclesiast. 60. numer. 3.* Praesertim quia in praedicto *cap. 5.* praerogativa convocandi capitulum et subscribendi schedulam indictionis expresse tribuitur Praeposito, *subsidiarie* autem Camerario; atque etiam secuta contradictio tam patens ab iisdem constitutionibus est omnino advertenda, *leg. Adeo §. Quod ff. de condit. et demonstr., Rot. in Vercellen. Functionum 14. Junii 1738. coram de Vais §. 9 et 16.* Observat insuper verba illa, quae statim adduntur in *dict. cap. 12.* nempe: *seu convocari facere* referri ad Praepositum et *alternativam* continere juxta prioritatem ordinis et gradus intelligendam, de qua prioritate supra Camerarium plura in iisdem constitutionibus leguntur.

Praeterea provocat ad constitutiones synodales Imolen., quae vim legis habent in dioecesi, *Piton. disceptat. ecclesiast. tom. 3. discept. 93. num. 9 et seqq., Rot. coram Zarat. decis. 74. num. 20.* Inquit enim in synodo anni 1720 curam convocandi capitulum committi *Praeposito praecipue.* In altera anni 1766: *primum Praeposito et Camerario ut moris est.*

Nec obstare Synodum anni 1693 sub Episcopo de Zanis congregatam, in qua jus indicendi capitulum tribui indiscriminatim videtur Camerario. Sustinet enim multas de re ortas fuisse in capitulo dissentiones ad quas sedandas Card. de Verme Episcopus

Imolen. an. 1697 praecepit capitulo ut modum et formam statueret peragendi congregationes capitulares; capitulum autem uni ex Canonicis commisisse, ut libellum iis de rebus conficeret, quem totum capitulum subinde et Episcopus ipse adprobavit ac sua munivit subscriptione; eodemque in libello expositum modum convocandi et transmittendi schedulam convocatoriam capituli diserte tradi *in cap. 5.* constitutionem. Hinc deducit ex ipsa capituli confessione modum convocandi capitulum repeti debere a *citato cap. 5.*, quod Praeposito expresse favet, nihilque curandum de iis, quae *cap. 13.* referuntur. Hic addit resolutionem capitularem diei 27. Septembris 1766, in qua *fù risoluto che da qui avanti non si chiami il capitolo solo che non con la cedola sottoscritta dal Sig. Preposto ed in sua assenza dal Sig. Camerlengo.* Ad hanc vero tuendam resolutionem sine suffragiis secretis captam conatur probare opus tunc non fuisse suffragiis secretis, ut decernunt constitutiones sub poena perjurii *cap. 17.*, tum quia jus Praepositi erat evidens et contrarius abusus non erat nisi mere constitutionum transgressio, tum quia illa resolutio nil aliud continebat, quam quod praescripserat synodus an. 1766 cui contradicere capitulum amplius non poterat, tum demum quia cum non agatur de re aliqua, quae comprehendatur sub dispositione *cap. Quia propter de elect.*, praedicta constitutio irritum nequit reddere quidquid viva voce fuit a Canonicis statutum, *Ceccoper. Lucubr. canon. lib. 4. tit. 6. n. 22. et seqq., Pellizar. de Monialibus cap. 10. qu. 99. n. 92.* Novum inde petit argumentum ex congregatione capitulari diei 25. Julii anni 1771, in qua ipso absente Praeposito disputatum fuit de hac controversia et Canonicus Mancurti ad quaestionem existimandam a capitulo deputatus aperte declaravit jus convocandi capitulum Praeposito in vim constitutionum competere; ex quo factum est, ut secretis suffragiis in eadem Congregatione decisum fuisset: *Che da qui avanti non si dovessi piu in posterum constare al Sig. Preposto il diritto di sottoscrivere la cedola, e che perciò restasse nel suo pacifico possesso altre volte accordatoli a tenore delle costituzioni.*

Ait perperam opponi contrariam consuetudinem. Respondet enim quemlibet Canonicum in suo primo ingressu Sacramento se instringere ad constitutionum observantiam atque idcirco nullam contrariam consuetudinem initam legitime haberi potuisse, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 4. tit. 11. numer. 1., Rot. coram Molin. decis. 761. num. 21* et *decis. 906. numer. 7. et 14.*; eidemque contrariae consuetudini obstitisse annuam constitutionum lectionem, quas novus quilibet Camerarius ipso electionis die palam coram universo capitulo vel legit vel legere debet, *Germinian. consil. 96. num. 4., Piton. discept. ecclesiast. 61. n. 39 et 41;* ac demum quamlibet contrariam consuetudinem interruptam fuisse per dioecesanas synodos ann. 1720, 1738 et 1766. *Gloss. in cap. Sanctorum de Praescript., Piton. lac. cit. num. 39.* Quinimo contendit praetensam consuetudinem prorsus evanescere ex libris capitularibus temporum praesertim remotiorum ex quibus constare asserit Praepositum convocasse capitulum et schedulas sua manu firmatas transmisisse.

Perperamque ex adverso opponi nonnullas schedulas convocatorias manu Camerarii signatas. Observat enim dubitari primum posse de illorum veritate et identitate cum per annum et ultra manserint et adhuc maneant extra archivium capitulare in manibus contradictoris. Deinde ait praesumptionem ex jure et constitutionibus oriri eas subsidiarie tantum et absente Praeposito fuisse a Camerario subscriptas, *Rot. coram Molin. decis. 906 sub numer. 10. §. Responsione et seqq.* Ac demum contendit nullam ex iis erui posse consuetudinem nisi sit immemorabilis vel quadragenaria cum titulo quia haec tantummodo derogare valet juri et constitutionibus, *cap. Si diligenti de Praescript.* et *cap. 1 et 2 eodem tit. in 6., Fermosin. cap. De quarta eodem tit. numer. 16.* Utramque autem sive immemorabilem sive quadragenariam consuetudinem excludi ex supradicto libello anni 1697, ex synodis annorum 1720, 1738 et 1766, ex libris capitularibus et ex capitularibus resolutionibus annorum 1766 et 1788. Convocationes vero capituli ab aliis et praesertim a Camerario factas referendas esse affirmat ad actus mere facultativos nisi duo copulative probentur nempe Proposito fuisse interdictum quominus capitulum convocaret ipsumque prohibitioni per tempus praescriptioni aptum acquievisse, *Rot. coram san. mem. Clemente XIII. decis. 29. numer. 13* et *decis. 46. num. 16.*

Iisdem rationibus jus competere asserit

Praeposito aperiendi capitularia comitia. Sustinet enim aperitionem capituli consistere in *invocatione Spiritus s.*, quemadmodum in gratiarum actione constitit finis. Hanc autem pertinere ad Praepositum tum quia ipse capitulo tanquam dignior et eminentior praest tum etiam quia jus hoc nunquam fuit ab adversariis in controversiam adductum tum denique quia ita semper observatum fuit, ut testes de proprio visu deponunt et ex actis capitularibus resultat.

Ad II. dubium fatetur nihil in constitutionibus fuisse sancitum de jure recognoscendi scrutinia sed eas loqui tantum de extractione fabarum a pyxide quae aut a Camerario aut ab alio fieri decernitur in *cap. 18.* Addit constare ex actis capitularibus quod in quadam congregatione habita die 5. Januarii 1710 Praepositus recognovit suffragia quamvis adesset Camerarius. Caeterum praeter haec advertit jus recognoscendi scrutinia convenire Praeposito cum a juris dispositione tribuatur digniori et praesidi, *Ceccoper. lib. 4. tit. 6. num. 36., Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 4. tit. 1. numer. 9., Gaudent. de Visitat. Praelat. cap. 7. dub. 15. sect. 3. num. 36.* Maxime quia ex actis capitularibus habetur hujusmodi recognitiones expletas semper fuisse a primo in ordine et praecipue a Praeposito quin Camerarii licet praesentes unquam contradixerint uti de visu factoque proprio deponunt tres Canonici qui cum adhaereant adversariis in hac lite nequeunt in suspicionem adduci.

Ad III. dub. denique ponderat in praesenti quaestione agi de juribus particularibus Praepositum inter et Camerarium nihilque utilitatis aut detrimenti in capitulum redundare; hinc sumptus litis non esse detrahendos ex massa capitulari sed subeundos a partibus collitigantibus de quarum privato jure et de personali praerogativa tantummodo disceptatur, *Rot. coram Cavaler. decis. 402. num. 1,* in *Leodien. Spolii super recessibus capitularibus 11. Junii 1759 § 3. coram Eminentissimo Elephantutio.*

Potissimum quia capitulum non habet *massam communem* sed *massam ecclesiae* cujus redditus in unius Cathedralis commodum, ad Dei cultum et in defunctorum suffragium erogari debent et ex qua nemo ex Canonicis participet.

Nihili facienda dicit exempla ex adverso proferenda de erogatione pecuniarum ejusdem massae cum habenda potius sint tamquam usurpatio et prophanatio rerum ecclesiae: tantoque minus permitti nunc posse earundem pecuniarum distractionem quia ecclesiae massa aere alieno gravatur ob fabricam sacrarii absolutam. Subdit nullam hac in re adesse resolutionem capitularem et si quae fortasse exhibebitur fore omnino despiciendam cum in eam medietas tantum Capitularium convenerit qui sine praecedenti indictionis schedula et sine intimatione caeterorum Canonicorum sese in capitulum congregarunt.

Ex alia parte Camerarius ait ad I. dubium antiquissimam sibi favere consuetudinem quam desumit ex synodo dioecesana Imolen. an. 1693 sub Episcopo Zani in qua *tit. 3. cap. 2. de Canonicis et Dignitatibus capituli numer. 18.* decernitur, ut *syndicus capituli quoties ratio negotiorum ad idem capitulum pertinentium id exiget debeat more solito indicere seu intimare congregationem per schedulam.* Hoc ipsum firmatum fuisse dicit anno 1697 ab Episcopo successore Cardinalis del Verme cui capitularibus comitiis omnes Canonici asseruerunt *se ne leggono i decreti nell' ultimo synodo dioecesano; de Canonicis numer. 18 et 19.* Idque confirmari affirmat ex actis capitularibus quorum nonnulla speciatim recenset nempe anni 1563, 1630, 1674, 1705, 1707, 1736. Quinimo animadvertit ann. 1705 absente Camerario schedulam convocationis capituli esse subsignatam a Praeposito eamque ob rem excitatam fuisse in capitulo gravem obmurmurationem et Canonicum thesaurarium reclamasse contra rei novitatem perturbantem jura Camerarii et consuetudinem antiquissimam. Hinc etiam contendit convocationes aliquando factas a Praepositis non proprio nomine et ex suae Dignitatis praerogativa sed peculiari nomine Camerarii atque instante ipso Camerario fuisse expletas. Consuetudinem probare etiam nititur ex jurata depositione omnium fere praestantioris nominis Canonicorum quorum testimonium maximi faciendum quia testes de universitate et capitulo, *Piton. discept. ecclesiast. 123. num. 38., Rot. in Recent. decis. 271. num. 9. part.* et *coram Caprar. dec. 669. num. 5.* Despicienda prorsus testimonia trium Canonicorûm oppositum testantium cum duo ex illis nonnisi quam an. 1766

et 1767 in Canonicorum coetum cooptati fuerint, alter vero unicus sit et singularis ac proinde ad consuetudinem probandam inhaerendum esse depositionibus Canonicorum, *Farcinac. de testib. quaest. 65. num. 130.*, *Mascard. de probat. conclus. 1357 num. 43:* eo magis quia eadem viget consuetudo vetustissima in collegio Mansionariorum et in altero nuncupato *della Rev. Communia* utroque ecclesiae cathedrali addicto quorum congregationes addicuntur a solis syndicis, a quibus schedulae convocationis subsignantur. Ex hoc colligit vetustam constantemque consuetudinem accipiendam esse non modo in linea interpretativa cujusque legis vel ambiguae vel etiam contrariae sed etiam inducere novam legem firmiorem et praesumptivam alterius cujuslibet meliori titulo, *Piton. discept. eccles. par. 1. discept. 9. n. 22. et seqq.*, *Severol. dissect. apud cit. Piton. par. 2. discept. ecclesiast. num. 7.* Eodem utitur argumento ex consuetudine desumpto ad probandum Camerario jus esse aperiendi capitulum et proponendi negotia. Ait de hoc primum constare ex constitutionibus capitularibus *cap. 12. de modo eligendi Camerarium* ubi expresse legitur: *Nec in ipsa congregatione audeat quisquam proponere aliquid nisi Camerarius sive syndicus vel qui ab eo proponendi licentiam habuerit.*

Idque etiam constare ex codicibus ipsis et ex actis capitularibus ex quibus eruitur Praepositum dum Camerarii munere fungebatur expresse declarasse se tanquam Camerarium non tamquam Praepositum capitulum aperire et negotia proponere.

Immerito opponi Praeposituram esse Dignitatem in ecclesia cathedrali Imolen. majorem eique proinde ex canonicis sanctionibus hujusmodi jura fore tribuenda. Siquidem omissa quaestione num praepositura in ecclesia Imolen. sit revera prima Dignitas observat qualitatem et jura Dignitatum a cujusque ecclesiae moribus et consuetudine esse desumenda, *Barbos. de Canonicis et Dignitatibus cap. 4. num. 25.*, *Rot. in Noviss. de elect. decis. 4. num. 2.* Ponderat etiam canonicas sanctiones locum non habere quoad septem reliquas Dignitates ejusdem capituli ad quas absente Praeposito hujusmodi jura devolvi ex ordine deberent. Hinc infert nullum jus Praeposito tribuere ne in una eadem ecclesia juris sanctiones differmiter inter easdem Dignitates ex arbitrio discrepent. *Gratian. discept. 70. num. 79*, *Rot. coram Lancetta decis. 998. num. 3.:* cum praesertim eidem Praeposito datum non sit conservare scripturas ecclesiae, archivii claves custodire, sigilla detinere aut jurisdictionem aliquam exercere sed haec omnia soli Canonico Camerario ab immemorabili tempore concredita fuerint.

Nec refragari *caput 5.* constitutionum capitularium quo potissimum innitur Praepositus. Nam animadvertit primum in iisdem constitutionibus reservatam fuisse capitulo potestatem addendi, tollendi aut declarandi singulas constitutionum partes. Centenariam autem observantiam optimam esse illarum constitutionum interpretem, *Leg. Si de interpret. ff. de legibus*, *Card. d. Luc. de beneficiis disc. 96. n. 8.*, *Rot. coram Cerro decis. 747. num. final.* Subdit deinde in dicto *cap. 5.* literalem haberi *cumulativam* inter Praepositum et syndicum in illis distinctionibus *seu* et *vel* quae ibidem habentur tum etiam in illis verbis quae statim sequuntur: *per manum Praepositi factam vel Camerarii absente Praeposito*, nempe *aut de commissione alterius eorum* quorum virtute explicari et corrigi putat quae immediate ante leguntur et aequalitatem induci inter Praepositum et Camerarium. Provocat insuper ad ea, quae habentur in speciali rubrica *de modo erigendi Camerarium deque ejus officio cap. 12.*, ad cujus normam factae inde fuerunt constitutiones synodales. Hinc plurimi attendenda quae posterius peracta sunt et praesertim maximi faciendam consuetudinem ad intelligentiam eorum quae in citato *cap. 5.* obscure transcripta leguntur. Nullam vero haberi posse rationem de resolutione capitulari anni 1766 quam irritam esse sustinet quia contra constitutiones capitulares et synodales prodierit. Observat enim quod in iis praecipitur ut nihil in capitulo proponi possit nisi per praeambulam convocationis schedulam res tota in comitiis discutienda patefacta fuerit ac praeterea ne quid in capitulo quod ad aliquem ex Capitularibus pertineat eo praesente proponatur; et demum quod nulla resolutio nisi per secreta suffragia *sub poena nullitatis* accipiatur. Ait tamen haec omnia in dictis comitiis contempta fuisse. Praeterea contendit Canonicos nec potuisse nec voluisse spoliare Camerarium de suis juribus. Non potuisse quia neque-

unt Canonici arbitratu suo decernere contra statuta aut synodales constitutiones aut inveteratam consuetudinem, *Monacell. in Formul. part. 2. tit. 13. form. 1. num. 73.*, *Piton. discept. ecclesiast. 93. num. 9. part. 3*, non voluisse quia resolutio capta dicitur *a tenore delle medesime costituzioni e del sinodo nuovamente emanato.* Horum autem neutrum Praeposito favere. Ac tandem advertit dictam resolutionem non modo nunquam habuisse pacificum effectum nec a saniori parte capituli fuisse probatam sed insuper liti causam dedisse; proindeque irritos esse et inefficaces actus ex quibus praesens controversia ducit originem, *Rot. decis. 15. numer. 7. et 8. part. 7. Recent. et coram Ludovis. decis. 4. num. 2.*

Ad II. dubium promittit intrinsecum scrutatoris officium in his tribus consistere nempe secrete scrutari vota eligentium eaque in scriptis redigere et sic redacta publicare, ex *cap. Quia propter de elect.*, *Lotter de re benef. lib. 3. quaest. 19. num. 23.* Tria haec individua esse et ex jure canonico et ex consuetudine ecclesiae Imolen. atque idcirco perperam Praepositum velle nunc postremum actum sibi vindicare, duos vero priores non denegare Camerario. Asserit in scrutiniis, quae fiunt a capitulis Cathedralium, nullum jus competere Dignitatibus illa recognoscendi sed jus esse capitulo duos vel tres scrutatores eligere, qui id exequantur, *Fagnan. in Decretal. t. 1. p. 290. num. 56*, eosdemque scrutatores teneri ex officio *per se ipsos* protinus electionem publicare, *cap. Quia propter de elect.*, *Lotter de re beneficiar. lib. 3. quaest. 17. num. 23.* Hinc infert, quod etiamsi praepositura esset dignitas caeteris major non tamen ratione dignitatis potest Praepositus jus sibi vindicare recognoscendi scrutinia. Pergit ad capituli constitutiones seu statuta atque observat nihil in his legi quod pertinere aliquo modo possit ad scrutinia, nisi verba frequentia *cap. 17.*: *Camerarius aut alius . . . . fabas extrahere de pyxide et recipere debeat, ita quod apparere possit, quae et quot sint dictae fabae albae vel nigrae.* Atque ad id oculos intendisse capitulum in relatione quam obtulit an. 1697 Antistiti suo Card. de Verme. Ex his autem verbis deducit aut nulli concessum a capitulo officium scrutatoris et jus recognoscendi scrutinia aut soli Canonico Camerario fuisse impertitum.

Id vero erui posse existimat ex perenni observantia ad haec usque tempora producta quam adstruere nititur ex testimonio hac de re nuper reddito a dignioribus atque aetate provectioribus Canonicis, interposita juramenti religione, tum etiam ab observantia quae viget apud collegium Mansionariorum et *Communiae.*

Ad III. Obvium esse ait lites ab aliquo collegio aut universitate actos sumptibus collegii vel universitatis peragi debere, *Barthol.* et *Bald. in leg. Ab omnibus §: Si a Titio ff. de legibus 5.*, *Rot. in Recent. decis. 418, num. 3. part. 4. t. 1.*, praesertim ubi collegium seu universitas non agendo urgeat, sed excipiendo jura sua tueatur, ita ut collegium fiat quodammodo *reus necessarius* relative ad auctorem, qui illud vocavit in judicium, *Innocent. in cap. Inter sub num. 1. vers. solutio illa de except.*, *Scacc. de Judic. caus. lib. 2. cap. 2. numer. 178.*

Affert duas capituli resolutiones, alteram anni 1772, qua resolutum fuit in comitiis diei 31. Januarii praesentem litem sumptibus capituli fieri debere. Nihil habendum quidquid actum fuit in congregatione capitulari diei 3. Augusti ejusdem anni, tum ob inutiles turbas eadem in congregatione excitatas tum etiam quia quinta vix die a praedicta congregatione res iterum in aliis comitiis proposita fuit ac definitum, uno tantum dissentiente, controversiam hanc sumptibus et nomine totius capituli fore tuendam. Contendit praeterea, in hac quaestione agi de jure et de communi interesse Capitularium omnium et proinde sumptus litis detrahendos esse ex massa communi, *Constantin. ad statut. Urbis annot. 59. num. 311*, *Rota in Avenionen. Convocationis capituli super expensis 17. Martii 1752. §: Deterioris coram Vicecomite*, idemque locum sibi vindicare etiamsi praeter commune totius capituli emolumentum adsit peculiaris utilitas cujusvis Capitularis, *Rot. decis. 402. num. 1. coram Cavaler.* et in *Lycien Legati pii 6. Decembris 1753. §. final. coram Vicecomite*; et hoc ipsum procedere quamvis etiam Praepositus sit de gremio capituli et partem habeat in massa communi. *Constantin. loco citato num. 16*, *Card. de Luca de judic. discurs. 39. numer. 26, Rot. in citata Avenionen. 17. Martii 1752. §. 2. cor. Card. Bussio.*

Certum est ex juris communis dispositione jus convocandi capitulum ad illum spectare qui caput est corporis capitularis,

cap.: Postulasti de concess. praebend., cap.: A collatione de appellat. in 6. et *Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. de reform.*

In hoc conveniunt omnes canonistae idque etiam s. haec Congregatio saepius definivit, ut apud *Card. Petra ad constitut. I. Leonis Magni sect. 1. num. 46* et recentius in *Melevitana Jurisdictionis 18. Septembris 1723 ad I,* in *Tolentina Servitii chori 16. Maji 1738 ad VII.,* in *Verulana Archidiaconatus 13. Julii 1748. ad IV.**) Quia tamen legitima consuetudine aut capitularibus statutis vel constitutionibus synodalibus aliter introduci aut praefiniri potuit, idcirco in praesenti quaestione horum potissimum habenda est ratio ac serio expendendum quid in ecclesia cathedrali Imolen. ibi vindicet antiqua et constans observantia, quid synodales illius ecclesiae consitutiones, quid demum capitularia statuta praescribant.

His itaque mature consideratis definiendum erit:

I. *An et cui competat jus convocandi capitulum illudque aperiendi in casu?*

II. *An et cui competat jus recognoscendi scrutinia in casu?*

III. *An et a quibus fieri debeant expensae litis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Jus convocandi capitulum competere Praeposito et in ejus absentia Camerario. Jus vero aperiendi capitulum competere Digniori inter praesentes et amplius.

Ad II: Competere Digniori una cum Camerario et amplius.

Ad III: Fieri debere ab iis, qui in litem consenserunt.

Die 14. Maji 1776.

VI. Licentia Episcopi.

Vd. supra n. III. p. 744; p. 757. X.

Pro convocatione capituli non requiritur licentia Episcopi, si solitum sit sine illa congregari. *Sacra Congregat. Episcopor. in Brundusina 17. Jan. 1484.* Et in *Neritonen. 20. Augusti 1601, Barbosa de Canon. c. 15. n. 3, Pignatell. tom. 4. consult. 154.* Et ubi est solitum congregari absque licentia Episcopi, is non potest multoque minus ejus Vicarius prohibere absque justa causa, ne convocetur capitulum. *S. Congreg. Episcop. in Rhegiensi 4. Junii 1602.* Secus autem, si adsit justa causa. S. Congr. Episcop. *in Amerina 13. Septembr. 1641.* Imo si prohibuerit ex justa causa v. g. ne capitulum convocetur tempore divinorum officiorum, potest Episcopus etiam sine adjunctis*) procedere ad subtractionem fructuum et ad mulctas ab eo impositas contra Canonicos habentes capitulum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur. *Sacra Congreg. Conc. in Oriolen. 27. Martii 1632. ad 11.*

Ad dub.: An Archidiaconus Cathedralis ecclesiae, ad quem spectat convocare capitulum, teneatur petere licentiam ab Archiepiscopo vel ejus Vicario generali pro convocandis Capitularibus in casu?**)

S. Congreg. resp.:

Negative, certiorato tamen Archiepiscopo de qualibet capitulari convocatione et salvis juribus Archiepiscopi ad formam ss. canonum.

Die 30. Januarii 1858.

VII. Materiae propositio.

Vd. *Capitul. Regular.* (annuum — Regular. Canon. ord. s. August.); infra: *Senogall.*

Jus proponendi materias decidendas in capitulo pertinere ad singulos Canonicos post Praepositum per ordinem aetatis praerogativae S. C. statuit in *Senogall. 13. Junii 1789. dub. 4.*

Jus proponendi materias decidendas in capitulo spectare voluit S. C. ad singulos Canonicos post Praepositum per ordinem aetatis praerogativae in *Firmana Praeeminent. 26. Novb. 1796. dub. 1.*

Ad dubium: An ante affixionem schedulae convocatoriae Canonici syndici teneantur designare Archidiacono vel alteri, qui sequitur in ordine, materias capitulo proponendas:

S. R. C. resp.: Affirmative solum in genere.

Die 19. Julii 1738.

VIII. Modus Convocationis. ***)

Senogallien.

Senogalliensis cathedralis ecclesiae capitulum duplici constat Canonicorum collegio. †)

*) Vd. *t. I. p. 1064.*

*) Vd. *t. I. p. 182. n. 4.*
**) Vd. *t. I. p. 1059. n. 3.*
***) Vd. *p. 742.*
†) Vd. *p. 385. n. 18.*

Qui antiquioris fundationis obtinent praebendas Canonici Lucastelli nuncupantur. Utrumque collegium peculiari instructum est communi mensa et unumquodque seorsim sua gerit negotia: sed quae universum spectant capitulum, communi expediuntur consilio. Quae autem leges sancitae sunt pro convocatione generalis capituli eadem servari debent in peculiaribus utriusque collegii cogendis comitiis. Porro cap. 20. capitularium constitutionum ubi agitur de congregando capitulo haec edicuntur: *Intimatio fieri semper debet pridie pro certa die et hora omnibus et singulis Capitularibus in civitate degentibus vel ejus suburbiis per aliquem ex inservientibus Cathedrali, qui suo munere exequuto teneatur id capituli secretario referre, ut appareat certa fides intimationis opportuno tempore factae.* Exinde mos jamdiu invaluit, ut Canonicorum comitia ab Archipresbytero*) ceu capituli Praeside per nuncium oretenus indicerentur. Attamen cum ex hujusmodi consuetudine jurgia et incommoda scatere Canonici Lucatelli intelligerent, in comitiis habitis die 5. Februarii superioris anni 1828 cunctis suffragiis decrevere, ut ejusmodi nuncio inposterum sufficerentur schedulae signo obductae ex quibus quid deliberandum, quid expendendum innotesceret. Nihilominus Archipresbyter 17. Martii nova per nuncium ut jampridem usus fuerat comitia advocare non dubitavit; quibus (licet capitulum decem constaret Canonicis) sex tantummodo interfuerunt; siquidem Canonicus Discepoli ut concionatoris munere in Basilica s. Laurentii in Damaso fungeretur, immorabatur in Urbe, alter aegrotabat, reliqui duo parvi pendentes Archipresbyteri agendi rationem paulo ante improbatam adire renuerunt. Canonicus Marangoni alter ex illis, qui ultro convenerant, ratus constitutionem novissime conditam ss. canonibus adversari, omnem dedit operam, ut ea de medio sublata consuetudo convocandi capitula per nuncium quae jamdiu viguerat exinde revivisceret. Res ut ipse expellerat se ontigit nam omnes qui aderant ejus judicio acquiescentes sine urnae periculo initum consilium propria manu firmarunt.

At Canonicus Discepoli Senogalliam reversus statim constitutionem mensis Februarii acriter propugnavit ac tertio hac super re capitulum convocare Archipresbytero suasit. Itaque stata die Canonici cum convenissent, in contrarias abierunt sententias et Archipresbyter exortam questionem studio partium tunc dirimi posse desperans satius duxit ea die comitia dissolvere. Cum igitur res adhuc sub judice maneat Canonicus Discepoli per hunc s. Ordinem eam definiri postulat.

Preces ex more ad Emin. Episcopum ablegatae sunt ut auditis Canonicis sententiam suam aperiret. Qui omnibus peractis ita se exprimit: »Optimo sane consilio jamdudum consuetudo inolevit, ut comitia tam civilia quam ecclesiastica per schedulas eorumdem objectum exprimentia cogerentur. Optimo ajebat consilio: ne videlicet suffragium in eis laturi quasi caeco impetu et absque negociorum tractandorum praevia cognitione agerent.

Atque id est quod Canonicus Petrus Discepoli in adjunctis precibus exoptat supremique hujus Ordinis oraculo decerni efflagitat: idque eo vel maxime, quia sub die 5. Februarii labentis anni cunctis suffragiis in capitulari congregatione sancitum fuit, ut consuetudo illa universim ferme recepta inposterum servaretur. Post haec Emin. Episcopus omnia confirmat quae superius narravi additque in capitulo 17. Martii apertam praecedentis capituli deliberationis revocationem non apparere. Dein animadvertit, duo capitula habita post illud diei 5. Februarii eodem vitio laborare utpote convocata contra quod sancitum fuerat in supremo illo conventu. Tandem concludit: »Ego autem opinarer rationi magis consonum esse ut Capitulares per schedulas potius quam per nuncium ad capitulum invitarentur, uti ab initio innuebam.«

Qua ratione Canonici sint collegialiter convocandi, nihil in jure statutum invenitur proindeque hac in re cujuscumque capituli lex aut consuetudo est servanda. Alibi enim fit convocatio per sonum campanae, alibi per literas, alibi etiam viva voce, *Pignat. consult. can. 43. tom. 1, Gonzalez. in cap. unico de syndico n. 9, Card. Petra ad const. 1. Leonis Magni sect. 2. n. 44. tom. 1.* Jam vero in constitutionibus capituli Senogalliensis praescribitur indictionem capituli faciendam esse per aliquem ex inservientibus. Jure igitur meritoque inquit Archipresbyter et qui ipsi adhaerent in comitiis habitis die 17. Martii abrogata fuerunt, quae die 5. Februarii statuta sunt relata ad modum convocandi capitula. Si enim per inservientem ex censura capitularium constitutionum ad

*) Vd. *p. 743.*

ea Canonici vocandi sunt, manifestum est per Nuncium non autem per schedulas comitia esse indicenda. Quod nisi tam clare pateret, praesto esset vel ipsa consuetudo, quae in dubiis optimam exhibet legum interpretandarum regulam, *l. 36. ff. de leg., Rot. cor. Emerix. decis. 112. n. 2*, s. Congregatio in *Ferentina Aggregationis et juris eligendi 21. Julii 1827. §: Quamvis.* Per eam enim edocemur, semper ita factum fuisse in majori Senogalliensi senatu ac propterea omnino tenenda atque servanda; praesertim cum in convocatione capituli nihil innovari expediat ne quis ipsius capituli legitimi insurgat impugnator, quemadmodum animadvertit *Card. Petra loc. cit. n. 45, Passerin. de elect. cap. 10. n. 49.*

Neque praefatam resolutionem 5. Februarii alicujus etiam ponderis esse censent quoad alteram sui partem, qua cautum fuit, ut schedulae ad Canonicos de re pertractanda deferentur; idque satis compertum putant ex hujus s. Congregationis decreto in *Lucen. Sarzanen. 12. Martii 1655. apud Card. Petra loc. cit. n. 45*, quo declaratum fuit, eum ad quem spectat capituli convocatio non teneri ad rem in ipsa convocatione significandam quia nimirum Capitularibus inducias ad deliberandum denegare non licet, atque etiam ex s. Rotae judicio, quae *Avenionen. Convocationis capituli 17. Maji 1752. cor. Bussio* statuit, Canonicos capituli convocationem cupientes minime obstrictos esse negotia in comitiis extraordinariis proponenda palam facere ei,*) qui jus habet indicendi capitulum illique praesidendi. Tandem inest capitulo facultas propria decreta immutandi, declarandi, revocandi, dummodo in his eadem quae in anteactis decretis solemnitas intercedat, *s. Congregatio Episcoporum et Regularium 13. Martii 1615, Gavant. t. 2. Manuale Episcop. v.: Capitulum* et *Monacell. formul. leg. tit. 3. form. 2. num. 35.* Jam vero tam in capitulo 5. Februarii quam in alio 17. Martii eaedem adhibitae fuerunt solemnitates, siquidem ad utrumque per nuncium Canonici vocati fuerunt et cunctis suffragiis constituta revocarunt. Neque autem horum alteri officit, quatuor defuisse Canonicos, unus enim longe aberat, alter aegrotabat et reliqui duo cum vocati adire noluerint veluti praesentes habentur *ex cap. Cum nobis de elect., Rot. cor. Crescent. decis. 63. n. 5* et *s. Congreg. in Signina 13. Septembris 1806. §. Neque.*

Aliter tamen sentit Canonicus Discepoli atque inprimis verba capitularium constitutionum decreto capitulari diei 5. Februarii minime arbitratur adversa, nam subdit Emin. Episcopus: »particula illa constitutionum commodam accipit interpretationem, quin captam die 5. Februarii deliberationem destruat scilicet agi inibi non de modo cogendi comitia, sed de persona oneranda pro Canonicis ad ea invitandis.« Dein etiamsi obstiterent constitutiones capitulares ipsaque Senogalliensis ecclesiae consuetudo, attamen custodienda foret resolutio diei 5. Februarii, facultate siquidem pollebat capitulum veterem abrogandi legem novamque edicendi sanctionem, *cap. 2. §. ceterum, ibique gloss. v. statutum de v. s. Barthol. in L. omnes quaest. 3. n. 33. ff. de justitia et jur., s. Congreg. in cit. Signina §: Capitulum*, imo in praesenti casu novam Canonici praecipere tenebantur formam indicendi comitia, ut qui jam irrepserant averterentur abusus, *Chrispin. de visitat. part. 2. §. 30. n. 1, Monacell. tit. 5. form. 2. n. 36.*

Et sane ex inducta ratione convocandi capitulum plura in rerum capitularium administrationem et ecclesiae regimen redundasse incommoda affirmat Canonicus Discepoli. Accidit enim saepenumero, ut nuncius retulerit quidem se Capitulares admonuisse, re vera tamen non accesserint. Si quis autem adfuisset, is quasi caeco impetu reique prorsus noscios Canonicos tantummodo collectos animadvertisset, quos sibi favere putaret, tunc occasione capta rem cujus vel maxime interat discutiendam proponebat: secus negotiis majoris momenti consulto praetermissis de levioribus cum ipsis sermonem instituebat. Hinc saepe saepius factum est, ut quod uni Archipresbytero placitum id capitulari lege sanciretur. Quae quidem omnia pergit Canonicus Discepoli potissimum in causa fuere, cur in comitiis diei 5. Februarii uno animorum consensu abrogatum fuerit, quod jamdudum in more positum erat atque statutum ne inposterum convocarentur capitula nisi per schedulas, quae res pertractandas exhiberent.

Neque huic decreto officere potest allata resolutio s. Congreg. in *Lunen. Sarzanen.*, ea siquidem non re probat legem aut consuetudinem, qua convocator capituli schedulam mittere et in illa res pertractandas describere compellatur, sed tantummodo declarat, quid ex juris communis censura sit sentiendum. Neque etiam ea constitutio dicenda est abrogata per subsequens capitulum diei 17. Martii, hoc enim nullitatis vitio laborat tum quia contra formam postremi capituli indictum fuit tum quia in eodem aperte ut opus erat non reperitur praecedentis constitutionis revocatio. Tandem ad demonstrandas utilitates, quas capitulum ex observantia decreti 5. Februarii foret comparaturum, morem affert ab omnibus congregationibus tam civilibus quam ecclesiasticis universim inceptum, scilicet tradendi schedulam eique apponendi rerum agendarum notitiam.

Hisce praelibatis dignentur Emin. Patres decernere:

An convocatio capituli fieri debeat per nuncium seu potius per schedulas, quae res pertractandas exhibeant in casu?

S. C. resp.:

Affirmative per nuncium ad formam constitutionum, qui tamen singulis Capitularibus pridie exhibeat schedam sive scriptam sive impressam cum indicatione diei et horae tantum ac de executione docere teneatur secretarium.

Die 9. Maji 1829.

*) Vd. *p. 755. VII.*

IX. Tempus convocationis.

Vd. n. VIII.

Capitula seu tractatus et congregationes ac actus capitulares per Canonicos cathedralium et collegiatarum ecclesiarum fieri non debent eo tempore, quo celebrantur divina officia, ut rescripsit s. Congregatio *Archiepiscopo Ulyssiponen.* his verbis: *S. Congreg. viso et perpenso memoriali pro parte dimidiorum Canonicorum quaternariorum ecclesiae Ulyssiponen. eidem s. Congr. porrecto declaravit: Capitula seu tractatus et congr. ac actus capitulares per Canonicos cathedralium et collegiatarum ecclesiarum peractis divinis officiis et praesertim missa majori, ne divinus cultus propter ministrorum subtractionem minuatur, habendos esse. Quod si dum missa et alia divina officia celebrantur aut horae canonicae recitantur capitula habere voluerint, nisi forte evidens necessitas id postulaverit, ejus horae et in qua id commiserint quotidianas distributiones minime lucrari debere censuit sub die 16. Novembr. 1600.*

Et sic etiam censuit s. Congreg. in *Oriolen. 27. Martii 1632.* in responsione *ad 11.*, ubi respondit: *Capitulum non esse habendum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differe non patiatur; quod si secus fiat, Canonicos numquam lucrari distributiones quotidianas pro illis horis, quibus divinis non interfuerint, et eo casu Episcopum posse sine conjudicibus**) *contra Canonicos procedere ad subtractionem fructuum et ad mulctas ab eo impositas.*

Tempore consueto convocari debet capitulum, non eo tamen quo Divina celebrantur, alias Capitulares impune non comparerent. *Leuren. For. beneficial. tom. 1. q. 420. n. 5.*

Tempore divinorum officiorum et missarum non posse convocari capitulum et contrafacientes mulctandos esse in amissione distributionum quotidianarum.

S. R. C. die 5. Julii 1631.

Non licere nec debere celebrari capitulum tempore divinorum officiorum nec inter missarum solemnia.

S. R. C. die 11. Maji 1641.

Celebrationem capituli in aliud magis opportunum tempus rejiciendam esse, non obstante statuto et consuetudine quacunque.

S. R. C. die 22. Jan. 1678.

X. Vicarius generalis convocare quando potest?

Vd. n. V.; VI.

Vicarius generalis Episcopi sive praesente sive absente Episcopo in nullo casu potest convocare capitulum exemptum, cum expresse in hoc reperiatur exceptus a *concilio Tridentino sess. 25. cap. 6. de reform*, ibi: *Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur.* Secus autem est dicendum de capitulo non exempto, quia mox citatus textus: *Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur*, est intelligendus, si capitulum sit exemptum, prout decisum fuisse a *s. Congregat.* refert *Sbrozz. in addit. ad summ. tract. de offic. Vicarii lib. 2. quaest. 30.* Et ratio diversitatis est quia in capitulis exemptis facultas convocandi tribuitur a Tridentino *loc. cit.* solum Episcopo cum expressa exclusione Vicarii, ut patet per *citat. verba: Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur.* In reliquis vero capitulis non exemptis non est necessaria talis

*) Vd. *t. 1. p. 182. n. 4.*

facultas, quia eam habet ex jure communi eamque communicat Vicario qui proinde habet jurisdictionem in capitulo et sic potest capitulum convocare justa existente causa in iis negotiis in quibus juxta suas facultates judex esse potest.

XI. Vocandi qui sunt?

Vd. p. 357. n. 5; *Capitul. Cath.* (capitulum etc. p. 740. c.) *Canon. Cathed.* (vox p. 449. n. 8.); p. 742. e.

Terracinen.

Compertum est apud omnes, praesentes tantum Canonicos ad capitulum vocandos esse, nec interdum inter praesentes eum vocandum, qui jam est in probatione habitus. *Barbos. de Canonic. et dignit. eccl. p. 223. cap. 40. num. 8.*

Aquipendien.

Jure statuitur, invitatos juri suo renuntiasse censeri quandocumque duxerint capitulo non interesse. *Abbas super. 1. decr. cap. in causis de elect.*

Die 16. Julii 1853.

Quod attinet ad absentes ii necessario convocandi sunt per literas vel per nuncium.*) *Passerin. de election. canon. cap. 11. fere per tot.*

Vocem in capitulo habent adeoque sunt convocandi, qui nomine capituli veniunt et sic regulariter soli Canonici nam nonnisi Canonici veniunt nomine capituli ipsumque constituunt. *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 11. §. 6.* Hinc sequitur dignitates convocari non debere, nam eae non dicuntur de capitulo, nisi vel fundatione vel consuetudine aliud obtineant.**) *Cardinal. de Luca de beneficiis discurs. 46. num. 1, Barbosa de Canon. cap. 35. num. 14.* Idem dicendum est de mansionariis, quippe qui nec de capitulo dicuntur.***) *Ayrer in dissert. de beneficiar. assis.* Confer etiam *Rotam coram Crispo dec. 50. n. 20. in Gerunden. Servitutum 23. Febr. 1731. §: Siquidem, coram clar. mem. Cincio.*

Quinimo nec omnes Canonici convocandi sunt, sed tantum praebendati intra numerum et in ordine saltem diaconatus constituti. *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 11. §. 7 et 8. Num autem Canonici absentes vocandi sint?* Negatur, exceptis tamen in negotiis majoris ponderis, ut sunt electio Praelati, receptio Canonicorum aut praebendarum collatio et cessatio a Divinis a capitulo indicenda.

*) Vd. *p. 754. VIII.*
**) Vd. *p. 741. Quadalaxarien.*
***) Vd. *p. 450. b.*

Albinganen.

Clericus Philippus Aquarone canonicatum sui jurispatronatus possidet in collegiata ecclesia Portus Mauritii quem anno 1639 ejus germanus frater ex avitis bonis instituendum curavit. Ad fundationis tramites erectio canonicatus peracta fuit et data institutio ac possessio eodem anno 1839 clerico Aquarone cui tum ab Episcopo cum a capitulo omnia et singula ceteris Canonicis competentia jura tributa sunt etiam non excepta voce activa in capitulo. Paucis post annis quaestio praecedentiae orta est inter eumdem clericum Aquarone et Canonicum Joseph Del-Piano sacerdotem sed possessione canonicatus juniorem. Proposito autem dubio in s. Congregatione:

An et cui sit danda praecedentia in casu?

in comitiis diei 9. Septembris 1843 responsum prodiit: Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative favore Canonici Aquarone. Nova nunc inter eumdem Aquarone et Canonicos Collegiatae agitur quaestio; contendit ille jus sibi esse licet clerico interessendi capitularibus comitiis quamvis suffragium inibi non ferat et subscribendi acta capitularia servato gradu anterioritatis possessionis, quod quidem ei denegat major Canonicorum pars. Res itaque Canonico Aquarone postulante s. hujus Ordinis judicio definienda proponitur.

Antequam Episcopi votum exponam praestat primum heic breviter recensere momenta rationum quae in foliis ab eodem Episcopo transmissis utrinque afferuntur.

Canonicus Aquarone jus suum protuetur primo ex juris communis dispositione. Quamvis enim sancitum sit in *Clement. Ut ii de qual. et ord. praefic.* ut nullus cathedralis sive collegiatae ecclesiae Canonicus vocem in capitulo habeat nisi saltem in subdiaconatus ordine sit constitutus, quam sanctionem innovavit Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. de reform.*, attamen nullibi vetitum legitur quominus Canonicus ss. etiam ordinibus non insignitus capitularibus intersit comitiis ac juxta gradum quem occupat subscribere queat.

Rem porro in discrimen revocari non posse quam definivit haec s. Congregatio in *Romana**) *Vocis in capitulo proposita die 1. Julii 1741.* et resoluta die 22. ejusdem mensis. Plures scilicet ex Canonicis collegiatae ecclesiae s. Mariae in Cosmedin, qui prima tonsura vel minoribus tantum ordinibus erant initiati, autumabant sibi jus esse interveniendi in capitulo suumque ferendi suffragium in singulis capitularibus negotiis; hisce obstabant ceteri Canonici sive presbyteri sive aliquo ex sacris ordinibus jam insigniti. Propositum itaque fuit dubium:

An Canonici clerici ecclesiae collegiatae s. Mariae in Cosmedin intervenire possint in capitulo inibique habere vocem activam in casu?

responsum fuit: Posse intervenire sed non habere vocem.

Hinc receptum est Canonicum qui sit prima Dignitas licet ob non susceptum s. ordinem voce careat in capitulo posse tamen non solum interesse sed convocare etiam capitulum illique praeesse et negocia proponere, *Card. de Luca de Canon. disc. 39. num. 5, Barbos. in Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. de refor. num. 8. et 10.* Quod si Canonicus clericus interesse potest sessionibus capitularibus jus ei non denegandum subscribendi, ut de ejus assistentia et praesentia constet.

Idipsum ex capitularibus statutis confirmat, quibus praescribitur, ut omnes Canonici ad capitularia comitia vocentur et deficiente Praeposito et Canonico Decano jus illa convocandi illisque praesidendi tribuitur generatim antiquiori Canonico**) nec excluduntur qui in Sacris constituti non sunt. Peculiariter vero quoad subscriptionis jus et necessitatem recolit episcopale decretum diei 13. Augusti 1836.

Addit praeterea antiquissimam consuetudinem, quae hac in materia omne quoad punctum tralatitii juris est. Rem conficit prolatis nonnullis actis possessionis canonicatuum ab anno 1738 in quibus subscriptus juxta ordinem antianitatis apparet Canonicus clericus Guanerius, cui in possessionis literis capitulum assignavit »stallum in choro, vocem in capitulo, locum in processionibus cum plenitudine juris canonici etc.«, uti pariter comprobatur ex subscriptione alterius Canonici clerici Ferrari. Consentanea est praxis aliarum dioecesis ecclesiarum ceu de Cathedrali ipsa ac de alia insigni Collegiata s. Mariae Albinganen. testantur exhibita documenta. Ipse denique Canonicus Aquarone uti alius Leonardus Perini ad haec usque tempora idem factitarunt, cujus rei fidem facit cancellarii foranei testimonium.

Denique ubi nec jus nec ecclesiae statuta vel consuetudo Aquaronio suffragarentur satis superque ejus bonum jus erumpere sive ex legis fundationis canonicatus sive ex literis ejus institutionis ac possessionis. In fundatione enim vox dumtaxat in capitulo et interventus vel subscriptio iis denegatur qui in Sacris constituti non sunt. Fundator autem quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendum est. Imo in vim bullae erectionis canonicatus et literarum possessionis jus etiam vocis fortasse haberet Aquaronius, quod quidem jus ei explicite datum est; sin minus oppugnari non poterit ejus jus interessendi in capitulo ac subsignandi capitularia acta, quod unum nunc postulat; quodque ex quadam etiam aequitatis ratione ei qui fundatoris frater germanus est concedi oporteret, uti alias s. Congregatio praecedentiam ejus favore ob eamdem rationem decrevit.

E contra Capitulares contradictores contendunt quolibet destitui jure clericum Aquaroni ut capitularibus sessionibus assistat, (ad quas ex humanitate tantum ut inquiunt admitti posset) vel ut eas subscribat. Allegant auctoritatem *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 37. num. 4. in summ.*, ubi docet: »Canonici qui non sunt in Sacris nec vocem consultivam nec assistentiam neque sedem in capitulo habeant.« Idemque tenet *Garzias de benef. part. 3. cap. 4. num. 25*, qui monet ita ab hac Congregatione decisum fuisse. Difficultatem vero non facere posteriorem resolutionem Romae Vocis in capitulo anni 1742. quo in casu inquiunt non de jure agebatur sed de congruentia nimirum non quidem quaesitum fuit: an Canonici clerici deberent sed an possent ex humanitate admitti ad capitularia comitia. Quod consentaneum est resolutioni s. Congregationis EE. et RR. die 15. Julii 1586 apud Gavant. Man. Episc. v.: *Capitulum n. 14*, ubi arbitrio capituli relinquitur Canonicos in

*) Vd. *p. 449.*
**) Vd. *p. 743. II. Notas.*

Sacris non constitutos ad comitia admittere, ut discant; »potest tamen is (Canonicus clericus) interesse capitulo ut discat non tamen ut suffragium ferat.« Hinc *Bohemer. in decret. lib. 3. tit. 11. num. 7.* tradit non omnes Canonicos convocandos esse, sed tantum praebendatos inter numerum et in ordine saltem diaconatus constitutos. Quod vero clericus si prima esset dignitas jus haberet convocandi capitulum eique praesidendi, id ratione dignitatis dumtaxat ex privilegio ei competeret quod idcirco extendi nequit ad casum de quo agitur.

Sed dato etiam quod jus interventus ad capitularia comitia Canonico clerico tribuendum foret, facultatem nihilominus eidem denegandam contendunt deliberationes capitulares sua subscriptione firmandi vel ex eo quod voce activa careat; quippe nec ii qui a ferendo suffragio abstinent subscribere assolent. Subscriptio enim suffragii veluti sanctio est et deliberativi actus complementum et perfectio.

Assumptum confirmant exemplo subscriptionis in synodalibus constitutionibus, quae ab Episcopo dumtaxat vel ab eo qui Episcopi loco synodo praeest apponi debet ac solet, minime vero a Canonicis Cathedralis, quamvis ad synodum vocentur, quia in dioecesana synodo nullus est praeter Episcopum qui jurisdictionem habeat et potestatem ferendi leges; Canonici autem ad consilium tantummodo adhibentur juxta ex quae docet *Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. 2. num. 1. et seqq.*

Nil porro ex capitularibus statutis favore Canonici Aquarone argui posse, in quibus cum vox activa Canonicis in Sacris non constitutis denegetur numquam tamen praecipitur ut nihilominus ad capitulum vocentur vel ut capituli acta subscribant, quod quidem diserte statuendum fuisset. Haec eadem interpretatio adhibenda quoad legem fundationis, ubi de jure interessendi capitulo aut subscribendi quoad Canonicos clericos nec verbum excidit. Vocis demum activae concessio de qua mentio est in bulla erectionis canonicatus ac in literis institutionis et possessionis favore Canonici Aquarone refertur ad tempus quo ipse ss. initiatus fuisset ordinibus, cum non sit in Episcopi aut capituli facultate hoc jus Canonicis clericis tribuere atque adeo ss. canonum sanctionibus derogare. Jura demum, honores ceteraque canonicalia privilegia, quorum ipse particeps declaratus fuit, id tantum ei tribuunt, quod ss. canones sinunt; non ideo jus interessendi capitulo ac subscribendi.

Ad praetensam demum quod attinet consuetudinem, quidquid sit de aliis dioecesis ecclesiis, perpendunt nullo in pretio haberi posse unum alterumve ex adverso allegatum exemplum quoad subscripta possessionis canonicatuum acta, cum plures anteactis temporibus in Collegiata extiterunt Canonici clerici quin constet eos unquam capitularibus adstitisse deliberationibus easque subscripsisse. Ceterum vim non facere exemplum Canonici Guanierni; ex quo iste pluribus frueretur privilegiis in ipsa canonicatus fundatione eidem attributis, quae inter jus etiam vocis activae recensetur. Reliquum igitur est alterum quod ad Canonicum Ferrari refertur quodque consuetudinem constituere profecto nequit. Quoad ipsum denique Canonicum Aquarone perpendunt, jus subscriptionis ei semper contradictum fuisse et solummodo pro bono pacis toleratum; plura deinde extare capitularia acta in quibus ejus nomen subscriptum non apparet, ut adeo si quae peculiaris ejus favore viguisset consuetudo haec plane intercepta mansisset.

Episcopus perpensis utriusque partis juribus suam favore Canonici Aquarone mentem pandit.

Ex iis quae exposita sunt opportuna juribus et facti momenta habent EE. PP. ut decernant quid respondendum sit ad

Dubium:

An Canonicus Aquarone jus habeat interveniendi in capitulo ac capitulares deliberationes subscribendi juxta ordinem gradus quem inter Canonicos occupat in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus quod ex eodem actu capitulari constat Canonicum Aquarone carere voce activa.

Die 6. Aug. 1856.

In collegiata et parochiali ecclesia sub invocatione B. M. V. assumptae in coelis et ss. Fabiani et Sebastiani civitatis Januen. nonnullis abhinc annis pius invaluit usus qui in ceteris ejusdem civitatis ecclesiis servatur, ut benedictio cum Venerabili impertiatur singulis festis diebus hora meridiana post choralem officiaturam et dominicis post evangelii explicationem per turnum a Canonicis et mansionariis qui chorali servitio ibidem addicti sunt.

Cum ex septem praeter Abbatem capituli caput sint Canonici duo qui hujusmodi onus assumere detrectarent, hinc coacto capitulo die 13. Decembris 1858 praesentibus Abbate et quatuor Canonicis et absentibus duobus contradictoribus alteroque qui ut asseritur procul morabatur a civitate ad praecavenda scandala et dissensiones hujusmodi propositio prolata in medium et plenis suffragiis sancita fuit.

Hanc porro deliberationem cum ceteris absentibus Canonicis communicatam alter probavit, ceteri duo ut antea renuentes suo assensu communire negarunt. Quamobrem hujusmodi dubia a s. Congregatione declarari humiliter expostulant Abbas et Canonici oratores.

Archiepiscopus, transmissa allegatione Canonicorum capitulari deliberationi contradicentium, haec super oblatis precibus habet: »Si de causae merito aliquid a me dicendum esset, fateor mihi videri capitulum oratorem jure minus fulciri, tum quia paucis abhinc annis introductus fuit usus, per se certe laudabilis sed novum onus beneficiatis imponens, impertiendi benedictionem singulis diebus festis hora meridiana, tum quia omnes Collegiatae distributiones determinatam habent designationem et parochiales proventus, qui ex administratione baptismi, matrimonii et funeribus resultant, adeo rari incertique sunt ut praebere nequeant fundum ex quo detrahenda esset mulcta decem solidorum Canonico illa hora absenti infligenda.«

Canonici contradictores praeter ea quae observat Archiepiscopus narrant alienos sese non fuisse a conciliatione ineunda, cui tamen ceteri assentiri Canonici recusarunt; negant praeterea se suam unquam detrectasse operam in pio de quo agitur usu absolvendo cum constet in facto nunquam ad id fuisse accitos a Canonico capituli syndaco; item quae de scandalis et dissensionibus asseruntur minus veritati consentanea edicunt.

Post haec tum ab extrinseco tum ab intrinseco capitularis deliberationis validitatem impetunt. Ab extrinseco primum ob formae vitium, tum quia vocatus non fuit alter ex Canonicis, qui eo temporis in loco morabatur parum a civitate distante, quique ideo per nuncium vel per literas vocandus fuisset, *Ferraris bibl. can. v.: Capitulum n. 14.* tum quia ex octo Capitularibus quinque tantum interfuere atque tralatitii juris est, ad capitulum constituendum majorem non sufficere partem sed requiri ut duae tertiae partes*) sint praesentes ceu *arg. L. 7. ff. quod quisc. univers. nomine* docet *Gratian. discept. for. 397. n. 2.* et *s. Rota in recen. decis. 39. n. 10. part. 17.* et *decis. 137. n. 37. part. 5.*

Ab intrinseco autem, quia agitur de actu mere voluntario haud nimirum muneri canonicali inhaerente nec a necessitate cultus ecclesiae requisito quo in casu omnium Canonicorum consensum requiri manifestum est juxta monitum *s. Rotae in recen. part. 16. decis. 244. num. 25.* Praesertim quia capitularis deliberatio novi oneris impositionem secumferret, quod ab institutione extraneum omnino est; atque adeo vel unius dissensus volitam novationem excludere potis esset quia »in pari causa melior est conditio possidentis« juxta commune adagium. Denique addunt agi de re quae omnium interesse et jura afficit ac eapropter non sufficit consensus majoris partis, sed singulorum Canonicorum consensus requiritur;**) quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta ex quae monent *Barbosa de Canon. cap. 29. num. 17, Ferraris v.: Capitulum num 30.* et *s. Rota in recent. part. 8. decis. 85. num. 7.* Quod vero praefata capituli deliberatio omnium jura et interesse afficiat in propatulo esse affirmant Canonici.

Canonici e contra qui sunt pro firmitate decreti capitularis postquam plura cumulaverint ad demonstrandam necessitatem, sin minus convenientiam festivae benedictionis, tum respectu habito ad eam ecclesiam tum relate ad Canonicos, toti sunt in ea vindicando a vitio nullitatis, quo vel ratione formae vel ratione materiae ex adverso insimulatur. Et quoad formam nihil obesse inquiunt quod non fuerit invitatus ad conventum capitularem Canonicus eo temporis a civitate absens: primo quia ignorabatur praecise locus ejus commorationis et vox invaluerat prohibitum ipsi fuisse reditum a Superiori ecclesiastico.

Nemo autem dixerit pro capitulari con-

*) Vd. *p. 743.* §: *Restat etc.*
**) Vd. *p. 742.* §: *Num, Tertium*; *743.* §: *Caeterum etc.*

ventu rite habendo expectandum esse Canonicum absentem cujus locus ac reditus incertus est.

Secundo quia obtinet consuetudo in omnibus Januae capitulis, quemadmodum in eorum capitulo, ut nimirum numquam advocentur Canonici extra civitatem commorantes.*) In hujusmodi autem negotiis consuetudinem esse attendendam indubitati juris est.

Tertio quia haud ejusmodi visa est res deliberanda quae omnino requireret absentium praesentiam. Non enim agebatur de eligendo Praelato, recipiendo Canonico aut praebenda conferenda quae majoris momenti negotia dicuntur, pro quibus absentes vocandi sunt, ceu hisce in casibus tantum vocationem urgere tenent *Leuren. for. eccl. lib. 3. tit. 11. quaest. 127.* et *Scarfanton. t. 2. pag. 109.*

Sed agebatur de negotio ordinario de quo alias in capitulis actum fuerat, nimirum de pia praxi quae jam omnium consensione fuerat invecta.

Nec pariter subsistere quod ille conventus haud constiterit duabus ex tribus partibus Capitularium: misso enim deliberationem captam fuisse a majori ac saniori**) capituli parte, quod quidem in negotiis etiam alicujus momenti in pretio est habendum, posito, ut supra demonstratum, quod absens non erat vocandus, sequitur deliberationem susceptam reapse fuisse a duabus ex tribus partibus; ex septem siquidem praesentibus quinque in eodem consilio fuerunt.

Ast nec minus validam deliberationem dicunt si ea inspiciatur sub respectu materiae seu ab intrinseco.

Ibidem enim de tribus distinctis rebus ratio habetur nimirum enunciatur veluti jam suscepta obligatio di dare la benedizione col Venerabile nei giorni festivi: agnoscitur maxime decere eam functionem expleri a Canonicis per turnum et ob id statuitur distributio centes. quadraginta favore eorum Canonicorum qui ejusmodi opus pertulerint. Jamvero quoad primam partem perperam gravamen elevaretur, cum agatur de negotio jam statuto et in praxim redacto, quodque aliarum etiam Januae ecclesiarum uniformi consuetudine sustentatur. Nefas posset esse alicui ab eo consilio recedere, quod omnibus placuit et a communi suffragio firmatum est. Secunda deliberationis pars nihil abnorme praesefert: quandoquidem nemo inficias iverit quantum deceat ut benedictio a Canonicis impertiatur, cum agatur de ecclesia collegiata ac parochiali in qua non sine plebis offensione ab aliis quam a Canonicis ejusmodi functio expleri posset.

Totum hinc gravamen cohiberi ad statutam retributionem ex quibusdam proventibus desumendam. Atqui nihil exinde damni Capitularibus obvenire ex eo primum contendunt quod non agatur de pecunia ad praebendas canonicales spectante, sed ea proveniat ex nonnullis emolumentis, ut plurimum parochialibus, de quibus quamvis ipsi Capitulares jure polleant fruendi, non est tamen capitulo prohibitum determinandi rationem eos percipiendi, scilicet an pro una potius quam pro altera functione lucrandi sint. Atqui capitulum veluti quamcumque aliam universitatem posse statuere regulas circa s. functiones, mulctas etiam seu poenas indicere contra renitentes sufficereque consensum majoris partis ambigi haud forte contendunt; ubi enim de necessitate vel utilitate ecclesiae agitur major pars potest praejudicare minori quoad ea quae respiciunt Canonicos non uti singulos, sed collegialiter, et dissentientes vel absentes tenentur stare deliberationi factae a majori parte praesentium *Fagnan. dec. lib. 1. cap.: Cum omnes*;*) quemadmodum extra controversiam est posse capitulum statuere circa distributionem fructuum et participationem distributionum, *Pignatell. t. 10. cons. 138.*

Quae cum ita sint confidunt Canonici, deliberationem potissima necessitatis ac decentiae ratione captam ac plaudentibus fidelibus in praxim jamdiu adductam haud fore evertendam ob utilem ac cerebrosam Canonicorum contradictionem.

Dantur dirimenda

Dubia:

I. *An sustineatur decretum capitulare diei 12. Decembris 1858. in casu?*

II. *An dictum decretum servandum sit etiam ab iis Canonicis qui sessione capitulari non interfuerunt in casu?*

III. *An a sindico capituli exequendum sit mandatum quoad retributionem statuti emolumenti favore Canonicorum qui onus benedictionem impertiendi sustinent in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Praevia quatenus opus sit sanatione deliberationis capitularis affirmative in omnibus.

Ad III: Affirmative habita tamen quoad quotam retributionis ratione eventualitatis proventuum.

Die 28. Julii 1860.

*) Vd. *p. 742.* §: *Num.*

**) Vd. *t. I. p. 104.* §: *In dubio*; supra *p. 743.* §: *Restat.*

*) Vd. *p. 743.* §: *Ex jure.*

g) Definitio.

Vd. *Capit. Cath* (senatus etc.; capitulum qui etc. p. 740.)

Capitulum ecclesiae cathedralis definiente *Bohemero in decretal. lib. 3. tit. 9. §. 7.* est *collegium sub Episcopo quidem, sed separatum corpus tamen sub directione praepositi et decani constituens et peculiaribus suis juribus gaudens Episcopo in adjutorium datum et de regimine ecclesiastico participans, constans ex iis, qui vel ratione praebendae suae vel alias de consuetudine votum sessionemque in capitulo acceperunt.* Quod olim presbyterium id capitulum sibi hodie vindicat.

Antiquitus presbyterium senatus erat ecclesiasticus, quocum Episcopus peragebat potiora suae ecclesiae negotia. In locum presbyterii successit capitulum et Episcopo loco senatus*) intimi per plura saecula fuit in casibus gravioribus et statum ecclesiae concernentibus. Sed a saeculo duodecimo, quo Episcopi tot sibi officiales assumere coeperunt, decrescere coepit auctoritas capitulorum.

h) Duo in una ecclesia.

Vd. p. 357. n. 5.

Pisana.

Rota in dec. 127. num. 12. t. 1. cor. Tanara, ibi: pro monstro esse referuntur duo Collegia *distincta* in eadem ecclesia; praecise *dec. 76. num. 4 et 5. part. 7. recent.*

Die 10. Sept. 1853.

i) Emolumenta sede vacante episcopali competuntne Capitulo?

Januen.

Archiepiscopus supplici oblato libello exponit capitulum suae Cathedralis jus ex immemorabili consuetudine sibi asserere percipiendi suaque faciendi emolumenta omnia quae tempore sedis vacantis ex jurisdictione et sigillo curiae aut alias undecumque proveniunt. Hinc hujusmodi innixum jure capitulum idem emolumenta id generis quae in postrema archiepiscopalis sedis vacatione ad quinquennium et amplius perducta curiae obvenerunt partim sibi inter Capitulares viritim distributa adjudicasse partim in ecclesiae cathedralis utilitatem ut asseritur impendisse.

*) Vd. *p. 416. n. 35.*

Quamobrem cupiens juri suo suorumque successorum prospicere omnibus jam expletis urbanitatis cum eodem capitulo officiis declarari ab EE. VV. postulat, quid de objectae consuetudinis vi et efficacia sive in jure sive in facto judicandum putent, ita ut sibi integrum sit vel non, a capitulo universa emolumenta reposcere quae in postrema sedis vacatione curiam ex praedicto titulo exegisse purgatis rationibus pateat.

Capitulum Cathedralis monitum ut quatenus vellet jura sua coram s. Congregatione deduceret nonnulla documenta jam antea Archiepiscopo exhibita transmisit ex quibus praefatae consuetudinis probationes hauriri posse retur.

Hisce addit capitulum seriem quatuor vacationum sedis archiepiscopalis, quae scilicet evenere ab anno 1802 post funus Archiepiscopi Lercari ad annum 1831 quo obiit Archiepiscopus Airenti, ac fide custodis archivii capitularis affirmat recensitis omnibus vacationibus capitulum emolumenta curiae seu cancellariae archiepiscopalis sede vacante percepisse ac eadem suo lubitu erogasse, quin unquam hujusmodi capituli jus in controversiam deductum fuerit.

Haec in facto; ad jus quod pertinet favore capituli posthabita etiam consuetudine perpendi posset, emolumenta hujusmodi titulo jurisdictionis debita essent ideoque ad capitulum pertinere viderentur quod sede vacante ope Vicarii a se electi ac deputati jurisdictionem exercet, minime vero ad futurum Archiepiscopum qui jurisdictionem ipsam tunc incipit exercere cum archiepiscopatus possessionem nanciscitur. Accedit emolumenta haec mere personalia esse et ex labore provenientia quae eapropter ut juri consentaneum est Vicario capitulari cujus labor est cedere debere, in casu autem capitulo in vim ut fertur peculiaris statuti vel consuetudinis in ecclesia Januensi vigentis. Praeterea notandum est, Conc. Trid. *sess. 24. cap. 16. de reform.* ubi de episcopatus proventibus verba facit, nihil de ejusmodi emo-

lumentis decernere vel saltem ad successorem reservari ea opportere diserte non edixisse. Tandem cum hoc jus privilegio acquiri indubium sit inferri inde potest, eadem emolumenta ad Episcopum successorem jure non spectare, aliter enim privilegium hujusmodi in detrimentum juris ei quaesiti minime concederetur.

Attamen quidquid sit de hisce rationum momentis, indubii juris apud omnes est omnia emolumenta ex jurisdictione et sigillo tempore sedis vacantis provenientia deductis expensis pro charta, cera, ministris curiae et similibus necnon pro honorario Vicarii capitularis necessariis Episcopo successori esse reservanda. Textus est expressus in *Clement. 6. cap. Statutum de elect. et elect. potest.*, ibi: Statutum super bonis ac praelatis cathedralium regularium et collegiatarum ecclesiarum dimissis aut obvenientibus tempore vacationis earum futuris successoribus fideliter reservandis editum locum declaramus haberi in omni emolumento quod provenit ex jurisdictione et sigillo curiae ecclesiasticae vel saecularis aut alias undecumque, quod ad praelatos (ecclesiis non vacantibus) pertineret, consuetudine qualibet contraria non obstante: ita tamen quod in istis et similibus rationabiles deducantur expensae. Atque ita communi calculo docent *Fermosin. de capit. sede vacant. tract. 1. quaest. 5. num. 4. 5. et 10. et quaest. 4. num. 104. et seqq.*, *Pellegrin. de Vicariis part. 1. sect. 4. sub sect. 3. num. 15*, *Ventrigl. in prax. t. 2. adnot. 15. §. 1. num. 23. et seqq.* et alli passim cum *Barbosa in collect. doct. ad Conc. Trident. sess. 25. cap. 11. n. 9.* Hanc pariter sententiam confirmant plura hujus s. Congregationis decreta uti in *Agrigentina 17. Novembris 1594.* ubi s. Congregatio censuit: »Emolumenta tempore vacationis sedis episcopalis obvenientia ex jurisdictione et sigillo aut alias undecumque neque ad capitulum neque ad Vicarium spectare sed libere futuro successori reservari, si ad Episcopum ecclesia non vacante pertinuissent, ex his tamen deducendum esse rationabile salarium Vicario constituendum et persolvendum.«

Item decretum fuit in quadam causa *Nullius die 11. Julii 1616*, in *Mazarien. ad dub. 3. relata in lib. decretor. 4. pag. 219. a tergo*, in *Cephaluden. 17. Nov. 1594.* in qua tamen apposita fuit conditio, nisi capitulo ex apostolico privilegio concessa fuissent, ac tandem in *Ostunen. Procurat. et resident. 28. Julii 1708 ad 2. et 3. dub.*

Probe autem monent doctores relata decreta de illis emolumentis intelligenda esse quae ex jurisdictione et sigillo directe proveniunt, secus tamen de illis quae proveniunt ex causa personae jurisdictionem exercentis ut notat *Add. ad Quarant.* in verb.: *Capitulum sede vacante* vers.: *praedicta*, ac proinde statuunt, quod emolumenta illa, quae Episcopi Vicario ratione sui officii debentur sede vacante cedere debeant beneficio Vicarii capitularis, quae vero non Vicario sed Episcopo debebantur ratione jurisdictionis, sigilli aut alterius tituli, Camerae apostolicae, ubi vero Camera non habet jus, successori reservanda sint. *Leuren de Vicariis tract. 3. cap. 1. quaest. 465.* et *Ventrigl. loc. cit. num. 33.*

Hisce in jure statutis disquirendum superest num contraria saltem consuetudo huic legi derogare valeat ac jus Episcopis quaesitum praescribere, tum etiam an in facto consuetudo haec in Metropolitana Januensi reapse vigeat. Exploratum porro est consuetudinem immemorabilem quae probata fuerit cum requisitis *glossae in cap. 1. v. Memoria de praescript. in 6.* melioris cujusque tituli ac beneplaciti etiam apostolici praesumptionem secumfere, *Card. de Luca in annot. ad s. C. Trident. disc. 31. num. 7*, *Benedictus XIV. de synod. dioec. 1. 13. cap. 8. n. 25*, ubi concludit: »Inest quippe immemorabili (consuetudini) ipsa etiam apostolica auctoritas quoniam is qui ejusdem praesidio fulcitur potest quodcumque privilegium apostolicum allegare.«

Ex quadragenaria vero actuum frequentia conjuncta quamlibet ecclesiasticam legem abrogari et episcopalia jura praescribi monet *textus in cap.: De quarta 4.*, *cap. Ad aures 6*, *cap. Illud autem 8.* et *cap. Quia judicante 9. de praescriptionibus*, s. Congregatio in *Bononien 14. Martii 1795. §. de legibus*, in *Ariminen.* et *Caesenaten. Juris quaestuandi 27. Februarii 1826. §: Deest.* Hinc ad praesentem quaestionem quod pertinet valere consuetudinem contra Clementinae dispositionis praescriptum innuere videtur *Gaudentius de Janua de visit. praelat. ord. infer. dub. 13. sect. 2. de Vicar. capit. num. 29. §. 2.* in fin. inquiens: »Quamvis consuetudinem et praxim quantum ad hoc ut in plurimum esse attendendam, exclusis abusibus, omnes concedant.« Nec secus *Gagliardi inst. jur. canon. lib. 1. tit. 27. de Vicar. capit. et apost. num. 10.* Quod quidem postrema verba relati cap. 7. Clementinarum significare viderentur, quae ita se habent: Ceterum ad singulares personas ad quas ratione dignitatum quas obtinent jurisdictio cum ejus emolumento devolvitur sede vacante de consuetudine, privilegio vel jure alio speciali nolumus praesentem constitutionem extendi.

Nec difficultatem saltem pro praesenti casu ingerit clausula primae dispositionis parti adjecta »consuetudine qualibet contraria non obstante« ubi cum glossa verbo *consuetudine* et cum aliis pluribus doctoribus quos allegat *Barbosa Collect. DD. in Clementin. h. c.* putandum sit, sublata consuetudine eam solum prohibitam censeri quae est de praeterito, non vero de futuro et ex nova causa emergentem. Addit capitulum auctoritatem *s. Alph. Liguori de cons. lib. 1. num. 108*, *Scavini de legibus*, *Ferraris biblioth. v.: Consuetudo*, qui in hanc opinionem concedunt, ut proinde consuetudo in ecclesia Januensi posthac invecta suis viribus consistat. Admonet praeterea in sua ecclesia quamplurimas consuetudines ejusmodi vigere quae antiquiores dignoscuntur ipso Conc. Trid. quae veluti attendendae habitae nullo non tempore fuerunt tum ab Archiepiscopis tum ab apostolica Sede, quarum vim si in dubium revocaremus, jam nil certum, nil exploratum haberemus Haec porro de qua agitur sat probabiliter ex apostolico expresso privilegio dimanat et certe apostolici privilegii vim habet.

Sed et contra, quidquid sit de consuetudinis in genere spectatae vi, quoad hanc vero dispositionem aliter sentiendum suadent relata Clementinae constitutionis verba, quibus contraria quaelibet consuetudo prorsus eliminatur. Quin obsit posterior constitutionis pars, quae quidem, ad contradictionem in eadem lege vitandam, de peculiari casu forsan intelligenda venit quo alicubi sede vacante singulari ac certae dignitati, ut inquit *Barbosa cit. loc.*, competit jurisdictio cum ipsius emolumento, dum prior pars generalem constituere legem videtur, ubi juxta dispositionem juris communis jurisdictio ad Capitulum cathedrale devolvatur per ejus Vicarium exercenda, ut adeo putandum sit, in primo tantum casu, qui a communi regula deflectit, exceptionem inductam fuisse etiam quoad consuetudinem, quae ceteroquin nullius roboris hac in materia generatim declarata sit. Quamobrem exceptionem hanc extraneam prorsus esse a praesenti casu contendit Archiepiscopus.

Doctrinae vero Glossae, Abbatis aliorumque de qua supra opinio magis inter doctores recepta teste *Barbosa loc. cit.* refragatur. qua statuitur consuetudinem in casu prohibitam censeri nedum quoad praeteritum verum etiam quoad futurum tempus, uti eruitur etiam ex verbis quibus Pontifex consuetudinem improbans usus est, quippe quae non referuntur simpliciter ad consuetudinem quae tunc temporis vigebat sed universaliter et absolute prohibent quamcumque consuetudinem, adeo ut non solum consuetudo de praesenti verum etiam illa quae de futuro emergit vetita censenda sit, juxta regulam et exempla quae ad rem tradit idem *Barbosa in tract. de clausul. usufreq. claus. 84.* Tandem huic sententiae adstipulatur etiam auctoritas s. Congregationis in *Elven. diei 28. Martii 1648*, in qua cum quaereretur in 4. dubio:

An Vicario capitulari seu illius notario liceat aliquid recipere pro literis dimissorialibus seu testimonialibus etiam ratione sigilli vel alterius causae? s. Congreg. resp.: Vicarium capitularem nihil posse percipere etiam pro sigillo non obstante immemorabili observantia. Notarium vero seu cancellarium, si nullum habeat salarium seu stipendium pro officio exercendo, posse pro dimissorialibus literis decimam partem unius auri recipere, ita tamen ut nihil directe vel indirecte Vicario proveniat. — Idemque statuit in *Goana* proposita inter supplices libellos in Congregatione *diei 6. Martii 1847.* per haec verba: »Emolumenta quae sede plena ad Vicarium generalem pertinuissent Vicario capitulari sede vacante competere, ea vero quae ad Archiepiscopum, successori Archiepiscopo secluso privilegio apostolico esse reservanda non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili.«

Sed ubi consuetudo suam in themate exserere posset vim eam satis evinci, inquit capitulum,

1. Ex libris capitularibus, in quibus quoties de vacatione sedis mentio occurrit toties reperitur praedicta emolumenta capitulum nemine contradicente constantissime percepisse.

2. Ex declaratione exhibita quondam Vicarii capitularis Januensis anni 1768, qua haec ipsa consuetudo uti immemorabilis jam tunc agnita fuit.

3. Ex sententia pariter adducta in actis Archiepiscopi Januensis Lercari qua eadem declaratio attestata, approbata et sancita fuit.

4. Ex eo quod nemo unquam ex Archiepiscopis Januensibus (moderno excepto) praedictam immemorabilem consuetudinem oppugnaverit. Quin immo omnes saltem implicite approbaverunt. Et quum anno 1726 ad archiepiscopalem hanc sedem eveheretur D. Defranchi ord. Praedicatorum, qui ob paupertatem regularem quam profitebatur necessaria sibi comparare nequibat, capitulum rogavit, ut charitativo subsidio ab illo subveniretur nulla facta mentione nec adhibito praetextu de emolumentis cancellariae sibi vindicandis. De illis siluisset, si illa percipiendi sibi jus inesse comperiisset?

Attamen contendit Archiepiscopus consuetudinem a capitulo Metropolitano ita assertam haud viguisse unquam nec ab exhibitis documentis, uti opus esset, comprobari.

Haec quoad primum dubium; ad alterum quod pertinet, quatenus EE. VV. Archiepiscopi jus firmandum putaverint nihilominus capitulo ne ad restitutionem compellatur favere videretur bona fides in qua certo certius antea versabatur, cum tralatitii juris sit, possessorem bonae fidei fructus perceptos et non extantes haud restituere teneri ex censura *textus in Leg. Sed. et loci 4. §. Post litem ff. Fin. regund. Leg. Qui erit §. Vult. ff. de Usur. Leg. Quaesitum 40. Leg. bonae fidei 48. ff. de acq. rerum dom. Leg. Certum C. dei Rei vindicatione.**) Quinimo ante motam litem pro lucrandis fructibus non requiri bonam fidem positivam vel titulum verum, sed sat esse ut absit mala fides ac adsit titulus putativus ac etiam invalidus, qui causam habeat ab errore juris vel facti, docet s. *Rota in decis. 3. num. 4. part. 3. decis. 199. num. 11. part. 7. rec.* et in *Sabinen. Spolii 13. Martii 1662. coram Bevilaqua.* Hinc si concurrat quaevis causa etiam temeraria et bestialis vel qualiscumque possidendi ratio insurgit bona fides ad faciendos fructus suos ante motam litem, inquit *Constantin. Vot. decis. 470. num. 10. et seqq.*

E contra videretur hanc juris censuram haud casui congruere in quo emolumenta reposcuntur non uti fructus accessorie ad fundum sed tamquam sors principalis principaliter debita independenter a quocumque alio subjecto, ut adeo restituenda sint quamvis percepta ante motam hanc litem, quia debentur non ratione bonae aut malae fidei sed jure dominii actoris Archiepiscopi, qui non consequeretur integre rem suam nisi emolumenta licet jam antea a capitulo percepta recuperaret, juxta distinctionem quam DD. communiter sequuntur et praesertim *Fagnan. cap. Gravis num. 125. et seqq. de restit. spoliat., Spad. cons. 103. num. 1.* cum aliis relatis in magistralibus s. *Rotae decis. 585. et 633. coram Merlino confirm. coram Bicchio decis. 245. et 256.* et coram *Priolo decis. 95.* et in *Florentina Pensionis 12. Januarii 1699.* §. *Utraque tamen, coram Olmo,* exemplo annui legati, quod debetur a die mortis testatoris, tametsi decursi ante motam litem, quia non tamquam fructus accessorie ad fundum sed principaliter tamquam sors petitur, ad *text. in Leg. Nec semel in princip*: vers. *Item, Celsus ff. Quomodo dies leg. cedat.* Unde hoc in casu nedum bona fides non suffragatur juxta expositam doctrinam sed nec refert etiam quod fructus consumpti fuerint, aut quis locupletior exinde non evaserit seu ad rem observat *Riganti in reg. 55.**) *cancell. n. 210.*

Sint itaque

Dubia:

I. *An constet de bono jure capituli cathedralis Januen. adjudicandi sibi emolumenta, quae tempore sedis vacantis ex jurisdictione et sigillo curiae aut alias undecumque proveniunt seu potius eadem emolumenta reservanda sint Archiepiscopo successori in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam,

II. *An sint restituenda emolumenta a capitulo percepta in postrema vacatione sedis archiepiscopalis in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Dilata et coadjuventur probationes super existentia immemorabilis consuetudinis.

Die 23. Febr. 1856.

Contin. Januen.

Ad normam hujus decreti rem conficere sategit capitulum in sua distribuenda allega-

*) Vd. *t. I. p. 580. p;*

*) Vd. *t. II. p. 833.*

tione cujus heic summam referam. Principio quidem de jure agens supervacaneum ducit super vi immemorabilis consuetudinis immorari, quae quanti facienda in re sit vel ipso decreto suo s. Congregatio luculenter significavit. Neminem quippe latet ex immemorabili consuetudine optimum quemque praesumi titulum, ex quo jus etiam contra legem inducitur, perinde ac si ab apostolico privilegio causam haberet ceu tralatitii juris est.

Hinc perperam ad hujusmodi consuetudinis vim labefactandam objicitur sanctio *Clementinae 6. cap. statutum de elect. et elec. potest.*, qua emolumenta de quibus agitur successoribus Episcopis reservari praecipiuntur, addita clausula: »consuetudine qualibet non obstante.« Nam praeterquam quod non convenit inter DD. num lex quae generatim consuetudini derogat consuetudines etiam quae inposterum obtinent afficiat, conveniunt tamen omnes afficere non posse immemorabilem nisi id expresse declaraverit. Ita *Fermosin. de consuet. quaest. 3. n. 29, Taraquell. de retractu conven.* §. *1. glossa 2. n. 12, Gratian. disc. for. cap. 578. n. 10, s. Rota decis. 614. n. 1. part. 2. decis. 286. part. 4. t. 1. n. 1. recen.* et *decis. 33. coram Otthobon. n. 1.*

Nec meliori consilio in medium proferuntur s. Congregationis resolutiones in *Elven. 28. Martii 1648* et in *Goana 6. Martii 1847* quae quidem nullo pacto praesenti congruunt speciei. In illis enim non erat capitulum, sed Vicarii capitulares aliique curiae Officiales qui emolumenta sibi vindicabant quique proinde totidem distinctae ac diversae inter sese personae cum sint, nemo alteri ac pro altero constituere valent observantiam vel consuetudinem quam e contra jure merito asserere sibi potest capitulum quod morale corpus constituit semper vivens ac ab nunc existentibus repraesentatum. Hinc in *Elven.* et in *Goana* nihil de consuetudine quaesitum fuit de qua quidem illis in casibus exquiri nequibat. Demum hic de juris praerogativa potius quaeritur quam de captando lucro; in illis vero quaestio unice erat de emolumentis uni alterive officiali addicendis.

Hisce ad abundantiam praemissis in jure ad factum quod attinet haec sibi capitulum probanda assumit nimirum ab immemorabili esse primo quod capitulum ipsum tempore sedis vacantis curiae cancellarios elegerit, deinde quod omnia perceperit emolumenta ex jurisdictione et sigillis curiae obvenientia, demum quod de iisdem emolumentis pro lubitu disposuerit. Quoad primum documenta exhibet ex quibus eruitur toto anteacto saeculo capitulum cancellarios sedis vacatione contingente elegisse iisdemque quae sibi magis libuerit imposuisse onera et hanc quidem electionem eadem obtigisse die qua Vicarius capitularis eligebatur, ad quem plane pertinuisset curiae cancellarios eligere. Ad remotiora quod attinet tempora recolunt electionem anni 1694 ex qua noscitur prius capitulum pro interim duos cancellarios elegisse ac postridie eadem die qua Vicarium eligebat eosdem confirmasse »cum honoribus et oneribus solitis et consuetis tempore eminentissimi Duratii« qui ad archiepiscopatum Januensem evectus est anno 1635. Patet hinc consuetudinem hanc praedicto anno 1635 dubio procul viguisse, imo et antea etiam a tempore cujus memoria non extat, cum id solitum et consuetum jam sub regimine Emi Duratii ediceretur. Omnino vero censendum est hanc praxim et ipsum Tridentinum Concilium tempore antecedere. Ad Tridentini quippe concilii tempus Januensem Cathedram moderabatur Augustinus Selvago a cujus obitu usque ad Emum Duratium cum nunquam potuerit capitulum jus suum exercere in vacationibus quae interea contigerunt, quia nulla intercedente mora inter unam alteramque vacationem novi Archiepiscopi successere, profecto consequitur unum Archiepiscopum Salvago videre potuisse quod tempore electionis Emi Duratii solitum et consuetum perantea edicebatur. Ex hoc vero quod capitulum cancellarios eligeret eosdemque datis legibus regeret praesumptionis argumentum infert capitulum emolumenta curiae sibi obvenisse eademque pro lubitu erogasse.

Sed posthabita praesumptione documenta non deesse quae probant ex immemorabili consuetudine capituli jus sua faciendi cancellariae emolumenta tempore sedis vacantis. Praecipuum est illud anni 1768 de quo ratio habita est in anteactae propositionis folio et quoad Vicarium capitularem super perceptione lib. 120 in singulis mensibus quas sibi capitulum reservaverat; ipse Vicarius libris capitularibus postea perspectis declaravit immemorabili consuetudine jus capituli initi, cui ideo manus ipse dedit victas, quam declarationem Archiepiscopus successor sua sen-

tentia ratam habuit ac omnino probat; ex quo Episcopi judicio plena exurgit consuetudinis probatio ad *text. in leg. 34. ff. de legib., Donell. comm. jur. civ. lib. 1. cap. 10. n. 4, Vinn. inst. lib. 1. tit. 2. §. 6. n. 2.*

Haec praerogativa dominii super cancellariae proventibus magis confirmatur ex eo quod semper capitulum de iisdem veluti de re sua disposuerit, ceu ex ipsa relata sententia anni 1768 probatur ac evincitur praeterea a libris capitularibus, in quibus hujusmodi proventus eorumque erogatio adnotatur in singulis vacationibus ab anno 1705 usque ad postremam, in qua testatur capitulum conspicuam eorundem proventuum symbolam partim erogatam pro ecclesia cathedrali partim exsulanti sanctissimo D. N. in obsequii ac fidelitatis testimonium reverenter oblatam, partim demum pro tuitione jurium sedis archiepiscopalis aliisque piis operibus impensam fuisse. Quae quidem omnia duorum ferme saeculorum consuetudinem demonstrant, quidquid per anteriora saecula factitatum fuerit manifesto innuunt, quamvis id documentis ostendi nequeat, cum per ea tempora non consueverint asservari scripto capituli deliberationes.

Idipsum adstruit agendi ratio capituli quoad administrationem emolumentorum sede vacante undecumque provenientium. Compertum est enim, capitulum constituere consuevisse oeconomos mensae archiepiscopalis quorum munus erat redditus ad Episcopum spectantes colligere et asservare ac de iisdem venienti ad Sedem successori rationem reddere: insimul vero massarius seu alius Canonicus vel ab ipso capitulo vel a Vicario capitulari deputatus cancellariae proventus colligebat eidem capitulo restituendos. Quamobrem ubi tam de illis quam de istis redditibus finita sedis vacatione reddenda Episcopo fuisset ratio a capitulo, nihil opus erat separatam de utrisque instituere administrationem.

Demum omnium Januen. Archiepiscoporum silentium in re quae illos directo tangebat ad instar prorsus supremae confirmationis habendum esse nemo non videt. Mentione prae aliis dignus est Archiepiscopus Nicolaus de Franchi qui in ipso sedis ingressu acceptum a capitulo ferebat charitativum subsidium integris eidem relictis omnibus emolumentis sede vacante perceptis, quae quidem potius sibi vindicasset, si debita novisset, quam accepto habere charitativum illud subsidium a capitulo oblatum.

Nec plane hujusmodi capituli jus ex immemorabili consuetudine derivatum infringi posse ab iis quae in anteacta propositione perpendebat Archiepiscopus, nimirum non eandem semper sibique constantem consuetudinem hanc deprehendi, quippe nonnisi ab anno 1802 omnia curiae emolumenta capitulum obtinuit, cum elapso saeculo vix ex iis menstruam et quidem tenuem praestationem acceperit. Nam hujusmodi in perceptione emolumentorum discrimen non perceptionis ejusdem substantiam, sed modum dumtaxat afficere palam est. Cum enim antea in more capitulum haberet constituere sibi certam quantitatem a cancellariis rependendam in eos rejecto eventu majorum minorumve emolumentorum maluit antea cancellariis assignare stipendium sed nihil in utroque casu reservabatur Archiepiscopo de quo tantum in praesenti specie quaeritur.

Nec magis adhaerendum alteri objecto, quod nimirum praestatio illa quam capitulum sibi a cancellariis solvendam reservabat repraesentaret Vicarii capitularis honorarium ab ipso capitulo ex peculiari forsan aliqua consuetudine percipiendum. Siquidem praeterquam quod nescitur quo titulo capitulum Vicarii capitularis honorarium suum facere potuerit accedit tam ex communi jure quam ex praxi in Januensi curia observata ad Vicarium capitularem ea una spectare emolumenta quae ad Vicarium generalem sede plena pertinuissent, unde absonum esset suspicari capitulum aliam item praestationem eidem Vicario capitulari addixisse. Quod si demum praestatio haec Vicarii capitularis stipendium constituisset profecto haud integrum eidem fuisset capitulo hujus stipendii qualitatem suo arbitrio definire ceu per se patet.

Denique advertit capitulum in dubium revocari non posse quin omnia curiae emolumenta lucro cancellarii cederent, quoties omnes ejusdem curiae expensas a cancellariis ferendas capitulum imperabat, inversosimile enim est, quod sine ulla lucri spe expensarum ac laboris onus in se susciperent. Ac reapse ex documentis patet residuum emolumentorum detractis expensis inter cancellarios fuisse divisum. Igitur nihil erat reliquum quod reservaretur Archiepiscopo; ac menstrua illa praestatio capitulo a cancellariis facienda

(quae tenuis censeri nequit ratione habita ad proventus sane exiguos tunc temporis curiae obvenientes) praesumpta omnia cancellariae lucra exhibebat ad capitulum suo jure spectantia, ab eodemque revera numquam non percepta ac liberrime erogata.

Contra haec quae uberius exposita in allegatione distribuenda solent EE. PP. nihil novi attulit Archiepiscopus, restat igitur ut iterum proponantur

Dubia:

I. *An constet de bono jure capituli cathedralis Januen. adjudicandi sibi emolumenta quae tempore sedis vacantis ex jusrisdictione et sigillo curiae aut alias undecumque proveniunt seu potius eadem emolumenta reservanda sint Archiepiscopo successori in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam,

II. *An sint restituenda emolumenta a capitulo percepta in postrema vacatione sedis archiepiscopalis in casu?*

S. C. resp.:

Dilata et communicatis capituli deductionibus Archiepiscopo procurator fiscalis exhibeat jura mensae.

Die 28. Mart. 1857.

Ad dub.: An Emolumenta jurisdictionis sede vacante spectent ad Vicarium Capituli seu potius sint reservanda pro Episcopo successore?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 28. Julii 1708 ad 2.

k) Exemptum quando est a jurisdictione Episcopi?

Vd. t. III. p. 130: *Arboren.*

Hanc gravem controversiam, quae circa exemptionem cujusdam italici capituli ab Episcopi jurisdictione tota versatur, acriter agitatam referimus, quae ob plura juris principia in medium adducta et ob resolutionem viginti dubiorum non parum lumen afferet hujus generis controversiis dirimendis.

Canonici cathedralis ecclesiae civitatis N. exemptione activa et passiva ab ordinaria Episcopi jurisdictione sese gaudere persuasum habebant: ubi primum novellus Episcopus ad eam dioecesim regendam accessit, cum rationum momenta, quae ad illa exemptionis privilegia tuenda proferebantur, non satis clara ac valida uti par erat sibi viderentur rem universam s. Congreg. Concilii detulit, ut omnia quaestionum capita auditis utriusque partis deductionibus matura deliberatione definirentur. Quaenam fuerint ejusmodi quaestionum capita ex dubiis in calce positis et ex decursu disceptationis eruentur.

S. Congregatio suis literis die 6. Maji 1852 ante omnia pro suo more tum capitulum tum fiscalem curiae episcopalis promotorem moneri jussit ut sua quisque jura deduceret circa assertam exemptionem transmissis documentis quae exemptionem comprobarent vel excluderent.

Itaque capitulum antiquissimas quasdam plurimum RR. Pontificum constitutiones itemque statuta sua capitularia ab apostolico delegato anno 1432 comprobata necnon quasdam quae intercesserant inter capitulum et Episcopos antecessores concordiae conventiones et diplomata Imperatorum ac supremorum ditionis Ducum (tametsi hac in re prorsus incompetentium) in medium protulit.

Promotor etiam fiscalis sua jura contra exemptionem capituli deduxit, quae eo tandem redigebantur, ut quidquid in dioecesis ambitu contineretur ex jure communi ejus jurisdictioni obnoxium esset censendum, nisi aliter de manifesta et indubia exemptione constaret.

Cum de re gravissima plurimisque difficultatibus implicata ageretur ad SSmum D. N. negotium relatum est, qui pro sua sapientia particularem Cardinalium Congregationem ad eam causam dijudicandam deputavit, quos inter honoris causa nominamus cl. mem. Emum Cardinalem Caterini, qui Card. Cagiano eo in munere successit magnamque in causae persecutione partem obtinuit.

Coacto conventu die 4. Septembris 1853 quatuor dubia resolvenda proposita sunt (diversa ab iis quae in calce hic subjicientur), quibus s. C. conglobatim respondit in hanc sententiam: Privilegia quae capitulum allegaret haud satis comprobata reperta esse: ut cessarent controversiae, necessarium se existimare ut capitulum ad conficienda capitularia statuta deveniret ad normam Trid. Concilii intra sex menses: ad haec conficienda idem capitulum tamquam fundamentum haberet integritatem jurium Episcopi jurisdi-

ctionis et honoris, tum in ecclesiasticis functionibus, quas in quovis dioecesis loco Episcopus ageret, tum in personas cleri nulla distinctione facta, ut capitulo reservaretur jus superioritatis in minori clero in iis quae pertinent ad ecclesiae cathedralis servitium, necnon jnspatronatus in beneficiis et ecclesiis capitulo unitis: ut ejusmodi capitularia statuta intra sex menses s. Sedi transmitterentur pro eorumdem examine et adprobatione.

Capitulum (silentio praeteriri nequit) nedum Episcopo sed et ipsius s. C. jussui non ita docile sese praebuit: nam primum in pendentia litis praetensae exemptionis actus contra Episcopum nedum ut antea sed et exorbitantius exercere perrexit, praeter alios contra obsequium Episcopo debitum patratos excessus: deinde nonnisi post repetitas urgentiores literas tandem in anni exitu 1854 statutorum volumen s. C. exhibuit in quibus menti s. C. die 4. Sept. verbis expressae nullimode capitulum inhaesisse deprehensum est.

Singulis itaque horum statutorum articulis examini subjectis cuncta ad canonici juris trutinam revocata sunt et correctione juxta praefatum s. C. decretum facta constitutio apostolica parabatur, quae statuta determinaret uti apparet ex formula secunda dubitationis in calce posita; cum autem super hac re disceptaretur, consultius existimatum fuit si concinnatis viginti dubiorum formulis quibus singula quaestionum capita comprehendebantur omnis quaestio a s. C. particulari dirimeretur.

Haec autem dubia in hujus elucubrationis calce leguntur.

Omnes resolutiones circa jurisdictionis materiam e certo derivare principio affirmabatur, quo Episcopi dicuntur fundatam habere intentionem in jure ad exercendam jurisdictionem ordinariam ecclesiasticam in omnibus ecclesiis, locis et personis in sua dioecesi constitutis: hac juris praesumptione posita ad eos qui ordinariam jurisdictionem impugnant pertinere suam probare exemptionem: in hanc rem omnes convenire auctores; neque exemptionis exemplum ante saeculum IX. uti in quadam causa *Parmen. Abbatiae* penes s. C. C. agitata *die 19. Decemb. 1801* adnotatur cum *Card. Baronio ad annum 676* et *Benedict. XIV. de syn. l. 13. c. 9. n. 2.*, qui exemptiones etiam Abbatum *nullius dioecesis*)* refert ad saeculum X., item in const.: *Causarum* et const.: *Inter multa.*

Hoc statuto principio s. Rotae decisionibus confirmato dubitari non posse in praesentia videbatur, quin capitulum ecclesiae cathedralis de quo agimus ejusdemque clerus intra dioecesim esset: quare consequens erat ut capitulum probaret exemptionem sive *activam* prout eam habent Abbates *nullius* sive exemptionem *passivam* prout eam habent Praelati inferiores *secundae* vel *tertiae speciei* juxta ea quae docet *Card. Petra in com. ad const. Callixti III. tom. 5. pag. 127. sect 2. in princ.*, *Benedict. XIV. de syn. d. l. 2. c. 11. n. 2*, causa *Parmen. Abbatiae 19. Decemb. 1801* et *Nullius Ferentilli**) 17. Septemb. 1801.*

Cum itaque in jure tres tantum Praelatorum inferiorum species agnoscantur, habentes sive jurisdictionem *activam* sive exemptionem *passivam* scilicet sine jurisdictione ordinaria territoriali, capitulum quod praelaturam *collectivam* se esse contendebat, ad quam ex triplici classe pertineret, ostendere debuisset: ad quod ostendendum triplicem adesse dumtaxat viam in jure cum *Card. Petra* animadvertebatur. Hic enim auctor *loc. cit. n. 1.* docet: Triplici modo acquiri potest jurisdictio per Praelatos inferiores *origine* scilicet, *privilegio* et *praescriptione. Nativa* dicitur primo modo acquisita, *dativa* secunda et *praescriptiva* tertia: docet insuper non posse Praelatos inferiores sibi vindicare nativam exemptionem quasi vero in originaria dioecesium divisione aliqua loca acephala relicta essent, Episcopis videlicet non subjecta quos Christus D. posuit regere ecclesiam Dei. Quae quidem confirmabantur auctoritate *Benedicti XIV. in const. Apostolicae servitutis* §. *2.* ubi de quadam causa exemptionis agens sequentem tradidit doctrinam: »*Sane licet vetustissima hujus contestatae litis primordia, si altius ab origine sua repetantur, prae vetustate admodum obsuta et involuta sint: illud tamen certum firmumque et indubitatum est, oppidum Putiniani situm esse in dioecesi Conversani ejusque finibus contineri . . . . Quo quidem*

*) Vd. *t. I. p. 41. c; p. 85. n. 58; p. 84. §: Prima.*
**) Vd. *l. c.*

posito . . . certi juris est jurisdictionem in dicto oppido exercendam acquiri potuisse tantum ex vi privilegii apostolici adimentis Episcopo et tribuentis Praelato inferiori aliquam territorii partem a reliqua dioecesi prorsus separatam et quodammodo avulsam aut deficiente privilegio expresso ex vi consuetudinis immemorabilis stricte cum suis requisitis conditionibus comprobatae: continuata enim et pacifica atque hominum memoriam longe excedens omnium actuum jurisdictionalium exercita possessio, vidente et acquiescente Episcopo, tantae virtutis et efficaciae esse censetur, ut jurisdictio ordinaria et territorialis, quae privilegio expresso adscribi non potest, saltem praesumpto videatur referenda.«

Eo vel magis quod exemptio *nativa* in praesenti themate satis aperte excludebatur, quamvis enim cum *Ughelli* in *Italia sacra* affirmaretur, antiquam traditionem esse, s. Prosdocimum s. Petri apostoli alumnum Patavio cruci subacto praedicasse evangelium in dioecesi de qua agimus et audito martyrio s. Petri quod Deiparae templum destinarat consecrasse magistro, ac veterum Episporum nomina a Constantini M. tempore traderentur: nihilominus nulla mentio id temporis de capitulo habetur. Quae quidem mentio haberi non poterat cum Canonicorum institutio facta censeatur aetate Caroli Magni, *Muratori Antiquit. medii aevi dissert. 62*, et antiquiores memoriae de ejusdem capituli existentia ascenderent ad saeculum XI. Praeexistentia itaque Episcoporum qui juxta ss. canones sponsi appellantur cathedralis ecclesiae vix cogitare permittit, capitulum acephalum prodiisse ab Episcopo perpetuo divortio sejunctum.

Quibus praenotatis omnis de hac causa discussio coercenda erat ad examen *dativae* et *praescriptivae* exemptionis, quae quidem utpote laesiva ecclesiasticae Hierarchiae debito rigore erat ostendenda. Haec enim ad rem tradit *Card. Petra loc. cit. n. 11*: »Dativa exemptio quae est secundus modus acquirendae exemptionis procedit ex concessione Papae et privilegio apostolico exemptivo Praelati et certi loci separati per privilegium ab Episcopi jurisdictione, cujus privilegii forma attente debet scrutari quomodo sit concepta, *c. Porro de privil.* Ista igitur exemptio si sit *simplex passiva* non inducit jurisdictionem in alios sed solum ut aliqui ab Ordinario eximantur et *Sedi apostolicae* immediate subdantur vel *alteri Praelato* constituto superiori. Prout si agatur de secunda specie exemptionis *activae* et non sit facta separatio territorii et dioecesis remanet in dioecesi Episcopi locus ille exemptus: si vero ex tenore privilegii indicatur vera separatio territorii, pro qua verba debent esse clara, inducitur prima species, nempe vera qualitas *Nullius*. Sed si actus sint compatibiles cum statione in dioecesi et absque separatione non debent protrahi ad inducendam istam separationem satis odiosam.«

Ad probandam exemptionem ex privilegio sequentes RR. Pontificum bullas adducebat capitulum, nempe Alexandri III. qui ad exemplar Eugenii III. sic ait: »*Dilecti filii, ad exemplar Praedecessoris nostri praefatam ecclesiam s. Petri sub b. Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus. Communem vestram vitam confirmamus et nemini retro abire liceat. Propterea possessiones, bona vobis illibata permaneant, decimas, primitias, oblationes, sepulturas, subjectiones capellanorum et clericorum in eadem civitate commorantium sicut eas hactenus possedistis, ecclesias s. Nicolai, s. Joannis Baptistae cum suis pertinentiis, terras aedificatas, clausuram, mensas . . . praeterea omnes decimas*, quemadmodum Episcopus ecclesiae vestrae concessit, *Nos ea Vobis et per vos eidem ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus: nulli ergo etc.*« Alexander III. iisdem verbis eadem confirmavit. Item Lucius III. et Urbanus III.

Idem fecit Urbanus IV.: *Ad exemplar Praedecessorum sub b. Petri et nostra protectione suscipimus*« et iisdem verbis Pontifex prosequitur: *Decimas, sepulturas, subjectiones capellanorum in civitate commorantium*, ac adjecit: *sine assensu Episcopi dioecesani et vestro nemo ecclesiam seu oratorium aedificare praesumat et quod ad incommodum removendum ex distractione bonorum cum vener. Fratre Nostro Episcopo vestro et quibusdam aliis suis Praedecessoribus communiter statuistis, ut unus assumatur, qui bona dispenset, Nos annuentes confirmamus.*

Demum adducebat capitulum bullam Leonis X. qui eam ecclesiam declarat *inter statum ecclesiarum cathedralium insignium*, statuit autem circa chorales distributiones: *et quod ad lites sustinendas, honorem et jurisdictionem ecclesiae et capituli concernentes ex redditibus canipae centum ducati auri ex-*

traherentur, quare et ordinationibus hujusmodi robur apostolicae confirmationis adjiceretur: Nos ordinationes praedictas tenore praesentium approbamus.

Capitulum itaque argumenta exemptionis *activae* aut saltem *passivae* a proprio Episcopo desumebat *ex protectione s. Sedis et subjectione capellanorum et clericorum, ex confirmatione expensarum pro tuitione bonorum et jurisdictionis* et ex honoris titulo illius cathedralis *insignis.*

At contra Episcopus animadvertebat ipsas allegatas bullas ostendere, capitulum nunquam egisse tanquam ab Episcopo exemptum aut sejunctum; quinimo annuentiam Episcopi semper praecessisse confirmationes a RR. Pontificibus factas. In singulis enim bullis legi, *Episcopo ecclesiae vestrae* et in bulla Urbani IV. excludi aperte *passivam* exemptionem ex verbis: *Episcopo vestro et aliis Praedecessoribus suis:* privilegium RR. Pontificum non eo esse directum ut clericos ab Ordinario eximeret, qui subjecti capitulo tantum erant *ratione muneris* quod in ecclesia exercebant, cui quidem ecclesiae utpote *receptitiae* omnes clerici adscribuntur: quare non agi inquiebat Episcopus de jurisdictione punitiva et legislativa; et hanc jurisdictionem ordinariam in clerum privilegium non secumferre eo ipso quod disertis verbis de hac jurisdictione non loquatur: eo vel magis quod s. Sedes sine expresso Episcopi consensu ejusmodi jurisdictionem concedere non soleat uti tradit *Benedictus XIV. in const. Causarum.* §: *Subsequuntur.* Privilegia insuper esse directa ad bona et temporalia jura servanda, cujus generis sunt fere omnia privilegia medii aevi, quae concedebantur et ecclesiasticis poenis muniebantur, ad tuenda propriae ecclesiae bona a vi armata a Baronibus, ab exactoribus imperialibus, ab advocatis uti ajebant ecclesiarum; *Benedictus XIV. const. Inter multa:* idem probare confirmationes ecclesiarum earumdemque bonorum tamquam *filialium* et *succursalium* ecclesiae cathedralis juxta veterem morem de quo loquitur *Tomassin. veter. et nov. eccles. discipl. par. 1. c. 21 et 22, Bergier Diction.* verbo: *Paroisse, Bingham. Orig. christ. tom. 3. lib. 16. c. 18. §. 1 et seqq.* Nimirum in singulis urbibus unam extitisse tantum ecclesiam baptismalem parochialem et cathedralem ex qua tanquam ex centro caeterae derivarent ab eaque penderet animarum cura, Sacramenta et clerus ita tamen ut Episcopus omnibus praesideret.

Ostendebat autem Episcopus ea verba *sub protectione s. Petri et s. Sedis* nullimode secumferre exemptionem sive *activam* sive *passivam.* Ad hoc probandum adducebat *Benedicti XIV. const. Causarum* de jurisdictione Episcopi Spirensis in ecclesiam collegiatam B. M. V. in Bruchsal §: *in duabus,* in qua legitur: *In duabus constitutionibus Honorii III. et Gregorii IX. altera . . . quibus monasterii privilegia confirmantur illud accipitur sub b. Petri et Nostra protectione. At vero hinc argui nequit exemptio ab auctoritate Episcopi ut diserte respondit Innoc. III.* in cap.: *Ex parte 18. de Priv. Ex parte tua fuit quaesitum: utrum clerici et laici, qui literas protectionis ostendunt in quibus personae suae expresso nomine cum omnibus rebus suis sub apostolica protectione consistere declarantur, a jurisdictione Episcopi dioecesani sint exempti: Nos respondemus quod per literas hujusmodi ab Episcoporum suorum potestate minime subtrahuntur.* Haec confirmant *Pitonius discept. eccl. 61. n. 83, Rota cor. Emerix. dec. 305* et *cor. Falconer. in Meliten. Jurisdictionis 1715.*

Sed his omnibus uberius etiam lumen accedebat ex bulla Eugenii III. ad quam caeterae referebantur, in qua haec expressa leguntur: *Eugenius III. Bonifacio Episcopo N. et successoribus ejus:*

Justis fratrum nostrorum desideriis aures accommodare Nos convenit . . . Ea propter dilecte in Christo frater Bonifaci Episcope postulationibus tuis clementer annuimus et ecclesiam b. Petri . . . cui auctore Deo praees sub ipsius Apostolorum Principis et nostra protectione suscipimus: statuentes ut quaecumque bona largitione Principum possidet vel inposterum concessione Pontificum possidebit et oblatione fidelium vel aliis modis, firma tibi tuisque successoribus illaesa permaneant. Nulli ergo etc. Datum anno 1153.

Item Lucius III. const. *In Eminenti* anno 1185:

Quapropter Conrade Episcope ecclesiam b. Petri cui auctore Deo praeesse dignosceris ad exemplar Eugenii III. sub b. Petri protectione suscipimus.

Has bullas refert *Ughelli* in *Italia sacra* in qua pariter *anno 1232* legitur: »Titus de Vidoro Episcopus confirmat institutionem quatuor mansionariorum in cathedrali,« juridicum autem principium esse adnotabatur, ex actu Episcopi confirmantis institutiones et electiones exurgere capituli subjectionem et excludi ejusdem exemptionem.« *Piton. discep. 24. n. 42.*

Statutis capitularibus anno 1432 innitebatur praeterea capitulum ad exemptionem demonstrandam sive *activam* sive *passivam* quare singuli statutorum articuli in examen sunt revocati omissis illis, qui communes solent esse capitulis omnibus. Praemittebatur itaque breve Eugenii IV. ad Cardinalem Bononiensem datum his verbis conceptum: *Exhibita petitio ven. Fratris Episcopi N. continebat, propter diversitatem statutorum ecclesiae N., cui praeesse dignoscitur, inter illius personas contentiones et scandala suscitentur. Pro parte Episcopi fuit Nobis supplicatum, ut ecclesiae necnon personis praedictis providere dignaremur. Nos inclinati petitionibus per apostolica scripta mandamus . . . . quae rationabilia fuerint approbes, minus justa et scandalorum productiva penitus reseces, casses et irrites.*

Articuli autem statutorum prout ex mandato Pontificis fuerant a Cardinali Bononiensi reformati sunt sequentes:

Art. I: Quod negligentes in chorali disciplina *puniantur ad arbitrium Decani vel ipso absente antiquioris Canonici,* item *quoad delinquentes in choro.* At contra advertebatur cum *s. Rota in Dertusen. Jurisdictionis coram Pio 1572:* »Potestas concessa Archipresbytero in minimis nihil operatur in gravibus, quorum cognitio totaliter debetur Episcopo.« Eo vel magis quod in art. II. statutum esset: *Et si ipsi Canonici in praedictis negligentes fuerint per Vicarium D. Episcopi puniantur:* quo non excludebatur Episcopi jurisdictio.

Art. XI.: *Rectores et capellani ecclesiarum capitulo subjectarum tempore accedant quadragesimali ad scrutinium:* observatur autem ejusdem articulum conformem esse ss. canonibus *cap. His quae, de major. et obed.,* ibique *Fagnanus;* ad hoc enim scrutinium convocabantur rectores ecclesiarum filialium ad judicandum de admissione cathecumenorum ad baptismum an essent satis cathechismo instructi etc.

In Art. XII.: *Rectores dictarum ecclesiarum cum crucibus in festo s. Liberalis processionaliter debeant ecclesiam N. visitare.*

In Art. XIII.: *Quod Primicerius et capellanus debeant interesse primis vesperis et missae die s. Petri Apostoli . . . necnon in processionibus voluntariis, quas D. Episcopus N. vel capitulum duceret ordinandas vel faciendas,* quocirca observabatur ad ejusmodi indictionem vocari Episcopum *praelative* non autem capitulum *privative.*

In Art. XXII.: *Quilibet receptus in Canonicum ad vacantem praebendam jurare teneatur et debeat in manibus D. Episcopi praesentis vel ipso absente in manibus Decani quod bona fide possessiones tractabit et statuta observabit:* quocirca nullum determinari juramentum circa exemptionem sive *activam* sive *passivam,* quinimo coram Episcopo jurare tenebantur.

In Art. XXIII.: *Mansionarii et praebendarii* (scilicet minor clerus) *promittent observare reverentiam et obedientiam capitulo N. et statuta observare salvis in omnibus praerogativis D. Episcopi N. et jure episcopali.*

Et in Articulis XXIII. et XXIV: *Quilibet mansionarius, plebanus, rector, clericus in ecclesiis capitulo subjectis juret obedientiam et reverentiam et statuta servare capituli et bona conservare salvo in omnibus jure et praerogativis D. Episcopi.* Et in Art. XXXII.: *Nullus Canonicus se absentet a residentia sine licentia D. Episcopi et eo absente Decani et majoris partis capituli . . . et super praedictis nulla fieri possit donatio fructuum et si facta fuerit tamquam perjurius puniatur arbitrio et discretione D. Episcopi.*

Simili tenore prosequuntur caeteri articuli quos brevitatis causa relinquimus ita ut ex iis eruatur ampla quidem facultas capituli circa bonorum administrationem, circa electionem ad vacantes ecclesias, circa sollicitudinem divini servitii, attamen amplis verbis reservatur semper jus Episcopi et jus episcopale. Sic, ut nonnullos alios articulos referamus,

In Art. LVII.: *Cuilibet Canonico est potestas eligendi et praesentandi rectorem et clericum in ecclesia in ejus parte contingente dum vacabit et Decano ad ejus praesentationem investire nomine Canonicorum honore, obedientia, jurisdictione, institutionem et destitutionem reservantes salvo in omnibus jure Episcopi in visitationibus, correctionibus et punitionibus et in praerogativis episcopalibus;*

item: *De distributionibus eleemosynarum et legatorum decedentium teneatur ipsum capitulum D. Episcopo singulis annis reddere rationem et computum*; item: *quod alienationes factae de bonis ecclesiae sine auctoritate D. Episcopi sint ipso jure nullae et alienantes puniantur arbitrio D. Episcopi*; item: *Quod in singulis annis eligantur duo Canonici qui visitent possessiones ecclesiae et faciant reparare consulto tamen D. Episcopo; qui etium intendant ad faciendum revocare alienationes damnosas et faciant reparare domos canonicales: ita tamen quod in omnibus consulatur D. Episcopus et ipsius consensus expectetur.* Et hic quidem articulus dicebatur speciali consideratione dignus cum ex eo pateret Canonicorum visitationem versari circa bona et possessiones temporales, non autem esse *pastoralem* visitationem prout in praesentia praetendebat capitulum.

Denique observantia statutorum cum facultate interpretandi et declarandi Episcopo in iisdem statutis fuit reservata.

His caeterisque enarratis quibus capitulum innitebatur et sub una veluti adspectu recollectis ostendebatur haec omnia patefacere quidem jus matricitatis et superioritatis capituli prae clero inferiori cui tamquam rector praeerat, quemadmodum in aliis capitulis juxta *cap. His quae, de major. et obed.* viguit, nominatim vero Romae usque ad constitutionem Leonis XII., nullimode vero secumferre ordinariam jurisdictionem, quae propria est Episcopi aut ex privilegio Abbatis *Nullius*, qui territorium habeat proprium et separatum, *Benedictus XIV. const. Causarum*: quinimo neque *passivam* exemptionem, *Benedictus XIV. const. Apostolicae* §. *16.*

Circa modum sufficiendi personas vacantibus beneficiis nominatim animadvertebatur ex statutis in solo casu *optionis* et nominationis Decanum dedisse *investituram* aut *provisionem.* Hoc autem licet posset referri ad actum immissionis in *possessionem* non autem ad actum *institutionis auctorizabilis* et *collativae* seu ad actum expediendi bullas et mandatum *de immittendo*, *Piton. Discept. eccles. 25. n. 1. et 5*, tamen Episcopum invocare jus Tridentinum et posteriorem constitutionem *Pastoralis Benedicti XIII.* et *Cum illud* Benedicti XIV. in quibus tum pro cura animarum tum pro collatione in Italia praebendae theologalis et poenitentialis examen praescribitur et Episcopi judicium exigitur. Et in iis quae ad curam animarum spectant neque ipsos exemptos et liberos esse a potestate Episcopi circa idoneitatem electi. Et ad rem *Pitonius l. cit. n. 60.*: »Institutio debet reservari Episcopo et non alteri inferiori non obstante contraria lege fundationis si fiat post Concil. Trid. Quod si ante Concilium facta fuerit fundatio, lex fundatoris reservans jus instituendi capitulo, licet sit contra Concilium, interpretari debet modo licito, ut nempe institutio spectet ad Episcopum cum consensu capituli seu simultanea institutionae.« Quae quidem in praesenti casu eo magis locum habere videbantur ob verba: *salvo jure Episcopi.*

Quod si ex statutis favore capituli exemptio aliqua subsisteret prosequebatur Episcopus jam a duobus saeculis cum dimidio debuissent statuta reformari ad normam Concilii Trid. *sess. 24. c. 14.* Quod si id suo tempore factum non fuerit non tamen Episcopus jus ea reformandi amisit, cum decreta Concilii decreto irritante fuerint munita juxta ea quae tradit *Pitonius Discept. ecclcs. 112 n. 28.*

Quod si exemptione praeditum judicaretur capitulum postulabat Episcopus ad tot qui irrepserant abusus removendos ut apostolica facultate reformarentur statuta ut antea factum fuerat.

Profecto melius sibi consuluisset capitulum si a diplomatibus laicorum deducendis abstinuisset tum quia quaedam nomina e somno mortis excitavit, quae perpetua oblivione sunt digna, cujusmodi est nominatim Enricus IV. persecutor Gregorii VII., tum quia haec diplomata non continent quod capitulum intendebat, tum quia si aliquid continerent, imperitissimi in jure canonum illi sunt existimandi, qui ignorant, Principes laicos carere potestate exercendi jurisdictionem ecclesiasticam proindeque eam aliis communicare non posse. *Rota coram Molines in Fulden. Jurisdictionis 16. Februarii 1703 apud de Prosperis de territ. sep. dec. 20. post tract. n. 20. et 24.*

Post quemdam actum permutationis anni 1312 adducebatur a Capitulo monitorium anni 1613 ab Episcopo illius temporis factum »*ut Canonici debeant eligere duo ex capitulo quorum consilio et assensu procedi possit in processibus prout in sess. 25. c. 6. Concilii Trid.* quod respicit capitula passive exempta: *alias solus Episcopus jurisdictionem exercebit.*«

Anno 1774 Episcopus id temporis regularis instantibus quibusdam viris patriciis subscripsit quamdam conventionem quae pastoralia quaedam jura capitulo concedebat praesertim circa visitationem et exemptionem seminarii, et inter alios conventionis articulos hic erat: »Rectores paroeciarum capitularium Episcopo praesentati recipient dumtaxat ab eodem documentum examinis.« Capitulum gratum Episcopo semet exhibuit.

Anno 1789 ad pacem cum capitulo habendam Episcopus convenit ut »electi ad beneficia cathedralis et promoti ad canonicatum obtinere deberent ab Episcopo documentum honestatis et ut Canonicus electus duobus adstantibus Canonicis actum reverentiae sua praesentia Episcopo exhiberet: ut quoties supplicaretur s. Sedi pro dispensatione residentiae aut pro defectu aetatis curia episcopalis preces non admitteret sine cognitione capituli.

Denique anno 1844 Episcopus approbavit ut capitulum institutionem *auctorizabilem* daret ad beneficia ecclesiarum filiarum »*ob jura ac privilegia ac tandem praescriptionem plusquam centenariam et nihil esse innovandum ac proinde ab Episcopo idoneitatis tantummodo electis a capitulo dandum testimonium, institutionem auctorizabilem a capitulo.*«

Ex quibus inferebat capitulum constare de *passiva* exemptione necnon de aliqua partiali exemptione *activa* et quidem ob *jura*, *privilegia*, *praescriptionem*: nulla enim major datur probatio quam proprii oris confessio.

At vero quamvis hujusmodi episcopalibus actibus, si legitimi essent, derivaret exemptio *passiva* capituli, nihilominus advertebatur, adductos titulos *jura*, *privilegia*, *praescriptionem* in facto non existere ita ut habeatur quidem *referens*, sed *sine relato.* Namque ante annum 1613 nullus adductus est actus, qui *activam* vel *passivam* exemptionem ostenderet. Postea vero adductae episcopales concordiae inducere exemptionem non poterant tum quia ejusmodi concordiae quae circa magna ecclesiae jura versantur sine apostolico beneplacito subsistere non poterant, *Extrav. Ambitiosae de rebus ecclesiis non alienandis**) tum quia Episcopi inferre non possunt suis successoribus praejudicium, qui *jure proprio* in jurisdictionem succedunt. *Ad text. cap.*: *Quisquis Episcopus, cap.*: *Non liceat Episcopis q. 2.*, ubi expresse legitur: *Episcopus non potest alienare res et jura suae ecclesiae: Fargna par. 2. can. 27 cas. 4. n. 3.*, *s. Rota in Hispalen. Visitationis 30. April. 1700 cor. Molines n. 34.*, ubi legitur: »Minusque refert usus Cathedralis Caesaraugustanae qui invaluit ex speciali concordia inita inter Canonicos et Archiepiscopum, cui si placuit juri suo renunciare *sibi soli* praejudicium ingessit, et incongrue afferuntur talia exempla in hypothesi in qua Archidiaconus studet servare indemnes suas praerogativas juxta censuram sacrorum canonum quorum custos est, *cap. Cum quibus caus. 36. p. 3*, nec valet agere contra canones.«

Et sane si Episcopis liceret juribus episcopalibus abdicare hierarchica ecclesiae constitutio facile posset perverti: quare *Pitonius discept. 37. n. 3.* recte animadvertit; »Jura episcopalia sunt ss. canonum leges perpetuae et juris communis dispositiones, quibus non licet contrafacere.« Unde indubitatum principium, exemptiones acquiri non posse nisi ex privilegio apostolico vel ex vi consuetudinis immemorabilis; *Benedictus XIV.* const. *Apostolicae* et *Petra loc. cit.*

Cum primo loco de exemptione activa ageretur idest de plena jurisdictione ordinaria in clerum et populum quae cum territorio separato congruit ostendebatur necessariam esse ad praescribendum consuetudinem immemorabilem neque sufficere quadragenariam, id enim decisum fuit in quadam Congregatione particulari deputata a Clemente XI. qui eamdem decisionem approbavit ac perpetuo custodiri mandavit, *Petra sect. 2. ad const. Callixti III.*, *Pitonius* qui historiam etiam refert, *discept. eccles. 112 in fin. post num. 57*, *Benedict. XIV. in const. Apostolicae diei 14. Martii 1743* §. *3.**)

*) Vd. *t. I. p. 546. r.*

*) Benedictus XIV. in constit. *Apostolicae servitutis* die 14. Martii 1743 §. 3. rescripsit: Nos munere secretarii fungentes s. C. Concilii rationum momenta expendimus pro utraque parte in tractatu in scriptis. Ut omnis inposterum judicandi ratio praecideretur, Congregatio particularis rimato negotio praemissas opiniones innixas quadragenariae cum titulo colorato tamquam canonicis sanctionibus adversas praesidio juris destitutas rejecit et ad asserendam favore Praelati inferioris jurisdictionem ordinariam in aliqua parte dioecesis expressum privilegium apostolicum vel consuetudinem immemorabilem legitime probatam

Insuper animadvertebatur, quaestionem in praesentia moveri non posse circa observantiam *interpretativam*; haec enim observantia, quae procedit declarando privilegium ipsum supponit privilegium et quidem validum et sufficiens ad territorium separatum habendum, ita ut fundamentum acquisitae jurisdictionis dicatur consistere in titulo apostolico, quo casu jurisdictio non desumitur a possessione sed ab ipso explicato et declarato privilegio per observantiam, *Pitonius discept. eccl. 112. n. 3.* In praesentia autem ejusmodi privilegium apostolicum validum et sufficiens ad territorium separatum non haberi. Ad exemptionem autem *passivam* quod attinet etiam cum aliqua exemptione activa, qua gaudent Abbates seu Praelati secundae speciei, hanc locum habere posse ostendebatur ex praescriptione quadragenaria, quae sequentes habeat characteres, nempe praescribentem in jugi existimatione versari se habendi justum titulum: ejusmodi titulum quamvis putativum seu coloratum esse debere apostolicum: possessionem esse debere tempore completam, actibus uniformem, constantem ita ut ea interrupta conseatur per unum actum etiam extrajudicialem, quia Episcopus habet sui favore juris assistentiam vigente legitima hac praescriptione tantum censeri praescriptum, quantum possessum; *Petra loc. cit. n. 13., Rota apud de Prosperis de territ. separ. dec. 23. post. tract., Rota cor. Ansaldo in Nullius seu Fulden. die 1. Junii 1708.*

Haec principia ad facta dein applicabantur, adducta utrinque prolixa serie particularium et discrepantium factorum, quae molestiam crearent lectori si referrentur; et ad primum caput quod spectat circa *activam* exemptionem capitulum nullimode ostendebat immemorabilem consuetudinem, quae ea dicitur, *cujus non extat memoria nec rumor nec fumus in contrarium.* Ad rem *Benedictus XIV. in constit.: Inter multa*: »*Cum sit de essentia immemorabilis, ut nihil contra eam auditum unquam fuerit vel factum, contra vero satis constet interruptio per alios actus intra territorium Cryptae ferratae ab Episcopis Tusculanis exercitos, non modo exclusa remanet, quin potius favore Episcopi, qui pro se habet assistentiam juris, ea regula suffragatur, quod unus actus dumtaxat ab ipso exercitus totam ipsius ordinariam jurisdictionem praeservat integram.*«

Prolixior autem fuit disceptatio de praescriptione circa *passivam* exemptionem. Contendebat enim capitulum sui favore militare consuetudinem immemorabilem aut saltem quadragenariam quae ad praescribendum in re de qua agimus sufficiens censetur uti sensit s. C. C. in *Clusina 1705* apud *Pitonium discept. 112. n. 21.* et ex superius adductis.

Titulum autem hujus praescriptionis petebat tum ex apostolicis literis tum ex Principum civilium decretis tum ex conventionibus episcopalibus ita ut ex hac praescriptione si capitulum existimari non deberet gaudere plena exemptione *activa*, qua gaudent Abbates *Nullius*, qui territorium separatum habent, ipsum tamen gaudere exemptione *passiva* secundi generis cum aliqua exemptione activa aut saltem tertii generis cum sola exemptione *passiva* ab Episcopi jurisdictione.

At circa ejusmodi titulos animadvertebat Episcopus bullas pontificias anteriores fuisse statutis anni 1432 quibus ab apostolico Delegato irrita declarata fuerunt ea omnia quae praecesserant, atque in iisdem statutis jura episcopalia sarta tectaque servata fuisse: quare apostolicas bullas titulum coloratum ad praescribendum exhibere non potuisse atque Episcopi auctoritate servata cessasse in capitulo bonam fidem eo vel magis quod in statutorum art. 79. praescriptum fuerit: *Quod in prima hebdomada quadragesimae in singulis annis legantur* (statuta) *palam.* Ad rem *Pitonius* in simili casu *discept. eccles. 61. n. 39*: »Occurrit responsio inevitabilis, quod praescriptio nunquam potuit introduci contra memoratas constitutiones, dum quolibet anno fuerunt lectae et renovatae in capitulo annali, quae lectura semper interrumpit consuetudinem pro capitulo praetensam ita ut stante hac interruptione annali nunquam potuit inchoari praescriptio, ut in terminis lecturae in synodo, *gloss. magistral. in cap. Sanctorum de praescript.* et in terminis annuae lecturae bullae *Coenae*, *Felin.*, *Pignatel.*, *Lotterius.* Quodque hujusmodi constitutiones fuerint lectae in capitulo annuali probatur ex constitutionibus, ubi Benedictus XIII. ordinavit legi debere in anno; quo casu stante hac constitutione lectura praesumitur semper facta . . . Propterea nunquam potuit praescribere neque per immemorabilem et centenariam quae etiam destruuntur ex mala fide juxta communem canonistarum sententiam . . .« Quae quidem confirmabantur ex continuis molestiis et controversiis, quae adegerunt Episcopos ad subscribendas concordias.

At praeterea contendebat Episcopus in praesentia deficere etiam praescriptionem quadragenariam non solum ex defectu apostolici tituli colorati cum in mala fide ex dictis versaretur capitulum sed ob interruptionem possessionis. Namque nullus Episcopus regimen illius ecclesiae tenuit per spatium 40 annorum: ideoque electione novi Episcopi possessionem fuisse interruptam, cum hi veniant jure proprio nec teneantur concordiis Praedecessorum, quibus hac in re resistit juris incapacitas; proindeque in qualibet nova Episcopi electione jurisdictionem reviguisse, *Rota dec. 33. n. 2. p. 2. Rec.* quam refert *de Luca* et *Albitius tract. de Jurisp. 5. §. fin.*

Quae quidem confirmabat ex ipso actuum singularium syllabo quem deducebat capitulum ab anno scilicet 1190 ad annum 1849 ex quo apparebat mixturam quamdam jurisdictionis in hac serie actuum intervenisse, episcopalis, capitularis et civilis.

Ita autem Episcopus concludebat, tempore publicationis Concilii Tridentini capitulum nullum attulisse factum quod ad exclusionem Episcopi probaret exercitium et possessionem jurium quae modo praetendebat: post Tridentinum autem capitulum nec potuisse praescribere resistente Concilio, juxta ea quae tradit *Pitonius discept. 112. n. 28, Petra loc. cit.*

Eo vel magis quod ea, quae ex potestate ordinis derivant, sicut etiam *obedientia et reverentia* Episcopo debita, praescriptioni non subjiciuntur, *Benedictus XIV. in opere de syn. l. 5. c. 9. n. 7*, ubi scripsit: »Inter episcopalia jura quaedam ita sunt ejus muneris propria ut ne contraria quidem praescriptione possint illa amitti; ut etenim dicebamus nullus unquam potest praescribere adversus subjectionem, obedientiam et reverentiam debitam Episcopo.« Item *Barbosa de offic. et potest. Episc. per tot.* Et celebre est hac in re *cap.: Cum non liceat, de praescript.* quod est Innocentii III. quodque interpretatur *Gonzalez.:* Potest scilicet obedientia et subjectio Episcopo praescribi non quidem *directe* non obediendo, sed *indirecte*, alteri nimirum superiori obediendo, quo subditi a priori Superiore ex justo titulo et praescriptione eximantur. Non enim obedientia potest esse titulus praescriptionis.

Quod si ea omnia quae adducta et disputata fuerant sufficientia visa non fuissent ad excludendam capituli exemptionem Episcopus exorabat ut privilegia revocarentur ad monitum per *Card. de Luca discept. 5. de jurisd.* ubi ait: »Ob inconvenientiam et scandalorum occasiones demandanda erit ejusmodi Praelatorum suppressio ubique dioecesium, ut fuit sensus Cardinalium s. C. Conc. occasione causae *Mutinen seu Nullius Carpen.*« *Benedictus XIV. de syn. d. l. 13. n. 8.*

His aliisque copiosissime disputatis sequentia dubia s. Congregatio dirimenda suscepit.

Dubia:

I. An constet de bono jure Remi Episcopi . . . . circa pertinentiam jurisdictionis ordinariae in omnibus ecclesiis, locis et personis capituli in civitate et in dioecesi . . . in casu etc.?

Et quatenus affirmative,

II. An et quomodo sit approbandus modulus literarum apostolicarum cum insertis statutis in casu etc.?

Et quatenus negative ad utrumque,

III. An constet de exemptione activa seu jurisdictione ordinaria cum territorio separato capituli . . . circa Cathedralem et ecclesias, res, loca et personas dependentes in casu etc.?

Et quatenus affirmative,

IV. An et quomodo sint approbanda vel reformanda statuta a capitulo modulata anno 1854 in casu etc.?

Et quatenus negative ad I. II. III. et IV.,

V. An constet de exemptione passiva capituli . . . ab ordinaria jurisdictione Episcopi in casu etc.?

Et quatenus affirmative,

VI. An visitatio Cathedralis et filialium cum et sine cura et quoad loca dependentia, personas et pia legata competat Episcopo vel capitulo in casu etc.?

suffragari tantum posse decrevit. Idem vero Clemens XI. decretum diei 3. Januarii anno 1721 nedum approbavit, verum inter apostolicas constitutiones relatum et typis impressum perpetuo custodiri mandat.

Pitonius loc. cit. integrum refert decretum.

VII. An hoc jus visitandi competat privative vel cumulative vel subjective in casu etc.?

VIII. An et cui competat jus instituendi ad canonicatus et beneficia jurispatronatus et choralia sine cura in casu etc.?

IX. An jus examinis auctorizabilis cum cura et in praebendis theologali et poenitentiali spectet ad Episcopum vel ad capitulum in casu etc.?

X. An licentia abessendi a residentia pro parochis et Vicariis spectet ad Episcopum vel ad capitulum in casu etc.?

XI. An jus deputandi confessarios et approbandi concionatores spectet ad Episcopum vel ad capitulum in casu etc.?

XII. An jus indicendi processiones extra septa ecclesiae, preces publicas et orationes quas vocant collectas spectet ad Episcopum vel ad capitulum in casu etc.?

XIII. An et quomodo jus cognoscendi causas fori ecclesiastici, civiles, criminales, mixtas spectet ad Episcopum vel ad capitulum in casu etc.?

XIV. An correctio morum et mandata super disciplina et habitu ecclesiastico competant Episcopo vel capitulo in casu etc.?

XV. An Episcopo debeatur subjectio et obedientia a presbyteris et clero minori Cathedralis et filialium in casu etc.?

XVI. An seminarium dioecesanum in regimine et oeconomico subjiciatur jurisdictioni Episcopi vel capituli in casu etc.?

XVII. An jus dandi dimissorias ad ordines spectet libere Episcopo vel capitulo saltem quoad praesentationem cleri Cathedralis in casu etc.?

XVIII. An Episcopo accedenti in solemnitatibus et pontificaliter agenti in Cathedrali debeatur a capitulo receptio honorifica e residentia episcopali, assistentia et usus baldachini in casu etc.?

XIX. An ad tramites resolutionum a dubio V. ad XVII. sint a capitulo reformanda et exhibenda s. Sedi pro approbatione statuta capitularia anni 1432 in casu etc.?

XX. An ad tramites juris sint reformanda eadem statuta anni 1432 quoad poenas privationis praebendarum, alienationes, contractus et licentias abessendi a residentia in casu etc.?

S. Congregatio in comitiis habitis die 27. Novembris 1856 respondere censuit

Ad I: *Affirmative juxta modum infra exprimendum.*

Ad II: *Providebitur in XIX.*

Ad III: *Negative.*

Ad IV: *Providebitur in XIX.*

Ad V: *Supplicandum SSmo pro conservatione exemptionis passivae, servatis tamen moderationibus a s. C. Trid. decretis.*

Ad VI: *Quoad curam animarum spectare privative ad Episcopum, quoad reliqua ad utrumque.*

Ad VII: *Ad utrumque cumulative, sed tamen seorsim ad formam c. III. sess. XXIV. C. Trid.**)

Ad VIII: *Ad capitulum si agatur de canonicatibus et beneficiis ante Conc. Trid. erectis.*

Ad IX: *Ad Episcopum.*

Ad X: *Ad Episcopum.*

Ad XI: *Ad Episcopum.*

Ad XII: *Ad Episcopum, nihil tamen innovato quoad processiones rectorum ecclesiarum filialium ad visitandam ecclesiam cathedralem.*

Ad XIII: *Quoad causas civiles fori ecclesiastici spectare privative ad Episcopum ad formam cap. XX. sess. XXIV. de reform. Quoad causas criminales spectare ad Episcopum ad normam Trid. sess. XXV. cap. VI. de reform. cap. IV. sess. VI. de reform. salvis tamen in omnibus modificationibus a novissimo concordato statutis.*

Ad XIV: *Ad Episcopum.*

Ad XV: *Affirmative.*

Ad XVI: *Affirmative favore Episcopi ad formam Concilii Trid. salvo tamen laudabile usu interventus clericorum seminarii statutis diebus ad ecclesiam cathedralem.*

Ad XVII: *Ad Episcopum.*

Ad XVIII: *Affirmative ad formam decreti Clementis VIII.*

Ad XIX: *Affirmative.*

Ad XX: *Affirmative.*

Ex his colligi potest:

I. Cum de exemptione agitur adversus Episcopi jurisdictionem generalia juris principia quae ejusmodi causas moderantur esse sequentia: eum qui exemptionem praetendit eamdem probare debere.

II. Exemptionem hanc triplicis esse speciei, aliam quae est Abbatum*) seu Praelatorum Episcopo inferiorum, qui dicuntur *Nullius diocesis*, habentium proprium territorium, quique excepta ordinis potestate jurisdictionem habent ordinariam in clerum et populum.

III. Secundae speciei eos Praelatos inferiores dici qui licet in territorio Episcopo subjecto reperiantur tamen et ab Episcopo sunt exempti et aliquam praeterea jurisdictionem exercent in proprium clerum aut populum.

IV. Tertiae speciei eos esse, qui simpliciter aliqua exemptione gaudeant ab Episcopi jurisdictione quin ullam habeant in clerum aut in populum jurisdictionem.

V. Exemptionem hujus triplicis speciei duplici ratione posse demonstrari, ex prvilegio nempe apostolico aut ex consuetudine sive praescriptione.

VI. Exemptionem primae speciei non extante expresso apostolico privilegio demonstrari tantum posse per consuetudinem immemorabilem rite probatam, quae praesumere natura sua facit apostolicum privilegium eidemque aequiparatur.

VII. Ad exemptionem secundae et tertiae speciei ostendendam sufficientem censeri praescriptionem quadragenariam rite probatam quae tamen innitatur apostolico colorato privilegio.

VIII. Existente tranquilla immemorabili consuetudine aut constanti quadragenaria praescriptione tantum juris censeri acquisitum aut praescriptum, quantum fuerit possessum.

IX. In praesenti casu privilegia apostolica quamvis ex sese insufficientia ad ostendendam exemptionem potuisse tamen suppeditare titulum coloratum ad praescribendum.

X. Hujus invectae praescriptionis indicia ipsa capitularia statuta ostendisse, quamvis in pluribus per s. Tridentinum Concilium iisdem fuerit derogatum aut per subsequentes pontificias constitutiones.

XI. Eamdem praescriptionem aliquo modo recognovisse Episcopos per concordias.*)

XII. Quare s. Congregatio passivam exemptionem in capitulo reperit, dirigendam tamen juxta Tridentinas normas.**)

XIII. Colliges insuper, quamvis ante Trid. Concilium canonica institutio in beneficiis posset pertinere ad alios quam ad Ordinarium, post Tridentinum tamen Ordinario institutionem esse reservatam.***)

XIV. Hanc dispositionem Tridentinam sic intelligi, ut qui jure instituendi fruantur in beneficiis ante Concilium erectis, non censeantur in illis hoc jure privati.

XV. Privatos tamen hoc jure censeri, si agatur de institutione *auctorizabili* in beneficiis curae animarum necnon in praebendis theologali et poenitentiali ex constitutione Benedicti XIII. pro Italia edita.

*) In citato *c. 3. sess. 24. de ref.* haec leguntur: Archidiaconi autem, diaconi et alii inferiores in iis ecclesiis ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt debeant quidem assumpto notario de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare; visitatores etiam a capitulo deputandi ubi capitulum jus visitandi habet prius ab Episcopo approbentur; sed non ideo Episcopus, vel eo impedito ejus visitator, easdem ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur, cui ipsi Archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur; non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque.

*) Vd. *t. I. p. 41. c; p. 84. §: Prima; p. 85. n. 58.*

*) Quamvis concordiae ab apostolica Sede non confirmatae juridicum non habeant valorem et successores non obligent, tamen in praesenti casu afferri poterant tanquam aliquod argumentum ad probandum factum praescriptionis.

**) Cf. c. 4. sess. 6 et cap. 6. sess. 25. c. 3. sess. 14. de ref.

***) Concilium Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* edixit: »In casu autem fundationis aut dotationis hujusmodi institutio Episcopo et non alteri inferiori reservetur.« Quare in beneficiis post Tridentinum erigendis non amplius a fundatoribus potest reservari jus instituendi favore alicujus Episcopo inferioris: quod si haec reservatio fieret, pro non facta esset habenda.

I) Extinctio.

Fanen.

S. Rotae tribunal docet coram *Emerix sen. dec. 123. num. 6*: Quando conventus per suppressionem remansit penitus extinctus et Canonici in varia loca divisi amplius jus universitatis non habent neque uti tales

congregari possunt. Consonat *decis. 99. num. 7. et part. 8. recent.*

Die 10. Sept. 1853.

Capituli extinctio non inducit suppressionem cathedrae episcopalis, *Bened. XIV. t. 2. const. 35.* incip.: *Notum ibi.*

m) Jura quoad Episcopum.

Vd. *Consuetud. circa divina officia §: Ad secundam; Capitul. Cath.* exemptum etc. p. 769.

n) Jura etc. capitulorum Concathedralium.

Vd. p. 405. *Spalaten*; p. 357. n. 5.

o) Jurisdictio Episcopi erga capitulum sine vel cum adjunctis.

Vd. t. I. p. 181. etc.

p) Lis inter Capitulares.

(Sumptus.)

Firmana.

Litem agere non possunt Capitulares adversus Capitulares communi eorundem aere, *textus in leg. Imperator. ff. de tutel. et ration. distrahen., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 24. sub num. 25., Rot. cor. Coccin. dec. 1911. num. 8.*

Die 18. Novb. 1797.

q) Origo.

Vd. p. 763. g.

Primis nascentis ecclesiae saeculis presbyteri et diaconi in civitate episcopali curam animarum gerentes unum cum Episcopo corpus quasi constituebant.

Subsequentibus saeculis paulatim presbyterorum clericorumque numero crescente coeperunt Episcopi e clero quosdam eligere sibique propius assignare, quorum consilio et opera dioecesim suam regerent; quos posterior aetas *Canonicos* Cathedralis tamquam cathedrae episcopali propius adhaerentes et eorum coetum *capitulum* cathedrale vocavit.

Quae enim primitus per Episcopum cum consilio et consensu cleri erant secundum canones tractanda et resolvenda, tandem tractari et absolvi cum consilio vel consensu capituli neglecto reliquo clero coeperunt.

Verosimile est hoc jus ad capitula cathedralia devolvi coepisse, quando et beneficiorum et dignitatum tituli erecti et separatim ab ordine collati leguntur.

Quia capitulum cathedrale ipsum quodammodo totius dioecesis clerum repraesentat, etiam praerogativa praecipua gaudet caeteraque omnia corpora ecclesiastica praecedit.

Capitulum cathedrale tamquam senatus ecclesiae praecedit quoque magistratum civilem.

A patrum descendit traditione, quod in capitulum cathedrale clerum ecclesiae repraesentans dioeceseos regimen ipsaque episcopalis auctoritas sede vacante devolvantur; *cap. 11. et 14. tit. de majorit. et obedient., cap. unic.: Ne sede vacante in 6., cap. penult. de supplenda negligentia praelatorum in 6.*

r) Resignationes quas accipere potest?

Vd. t. I. p. 851; t. II. p. 851. f. g.

s) Senatus Episcopi.

Vd. p. 357. n. 5; *Capit. Cath.* (capitulum etc. p. 740. c.)

t) Suffragia.

Vd. *Canonic. Cath.* p. 416. n. 43; 449. n. 8. *Capitul. Cath.* (convocatio p. 743; — vocandi etc. p. 758. —; consensus et modus p. 742. e); p. 782. n. 3.

u) Titulus.

Capitulum Cathedralis non est salutandum a concionatore cum titulo *Reverendissimi*, neque in absentia Episcopi, s. Rit. Congr. in *Capuana 23. Jan. 1700. apud Monac. t. 4. supplement. ad 1. t. n. 20.*

2) Collegiatae ecclesiae.

Vd. *Canonicus Collegiatae.*

(Translatio concessa.)

In regione N. vetustissima adest collegiata ecclesia sub titulo s. Mariae, quae a saeculo XVI. in renovatione urbis ejusdem regionis extra moenia mansit, a qua ducentis passibus distat atque in imo insalubrique loco posita. Altera fuit aedificata ecclesia intra eamdem urbem sub invocatione s. Laurentii m. quae paroecialis est et filialis dictae collegiate ecclesiae.

Septem sunt Canonici ejusdem Collegiatae. Cum non sine gravi incommodo et valetudinis periculo Canonici in eo vetusto templo divina officia peragerent cumque nemo

fere fidelium in templum illud conveniret et e converso paroeciale templum frequentaretur in quo multa ss. martyrum corpora quiescunt, capitulum anno 1824 temporaneum indultum apostolicum obtinuit explendi choralia officia et onera anniversaria missarum in filiali ecclesia s. Laurentii a die 1. Novembris ad integrum mensem Februarium exceptis tantum sabbatis, in quibus missa conventualis in vetusta ecclesia celebrari deberet nisi forte dies sabbati festivus esset.

Haec apostolicae Sedis indulgentia pluries inposterum fuit repetita. Cessante fere tempore ultimi indulti obtenti anno 1864 capitulum institit (prout alia vice, quamvis frustra, fecerat) ut nova et amplior et perpetua gratia concederetur rogans ut divina officia perpetuo celebrari possent in ecclesia s. Laurentii in maxima anni parte. Ejusmodi preces quas favore prosecutus erat Vicarius capitularis sede vacante non alium habuerunt effectum, quam gratiam prorogationis prioris indulti ad aliud decennium: hoc enim exiit rescriptum: *Pro gratia prorogationis ad aliud decennium ad formam praecedentis indulti, in reliquis: Relatum.*

At die 20. Maji novas Canonici admoverunt preces enucleatius quoque referentes rerum adjuncta: namque ecclesia s. Mariae non solum hyemali tempore sed etiam aestivo nonnisi cum gravissimo incommodo adiri poterat, ita ut duo medici retulerint de periculo valetudinis cui obnoxii essent Canonici si dictis temporibus in templo illo diurnas horas persolverent: unde non raro eveniebat ut perexiguus esset Canonicorum numerus sive ob aegritudinem sive ob distantiam sive etiam quod Prior capituli in paroeciali ecclesia s. Laurentii suo munere fungi teneretur, ita ut divina officia non eo, quo par est, decore peragerentur.

Alias insuper graves causas afferunt Canonici, quod scilicet in eo vetusto templo nullum exerceri poterat ministerium fidelibus, qui non aderant, neque ss. Eucharistia asservabatur, ne confessionalia quidem extabant: cum e converso omnia praesto essent in ecclesia s. Laurentii.

Rogatus est de more hujus dioecesis Archiepiscopus, qui haec retulit: »Tribus fere abhinc annis ipsi Canonici nova edocti experientia ac urgentiori coacti necessitate supplicem libellum exhibuerunt . . . . Rationes quas adducunt in examen vocavi, nec latum quidem unquem a veritate absonas esse agnovi . . . Quare, ut ecclesiae collegiatae debitus honor concilietur cum populi et capituli utilitate ac necessitate, oratorum vota favorabiliter excipienda esse arbitror et enixe deprecor, ita tamen ut ipsi divina officia et legatorum onera in ecclesia s. Laurentii valeant obire a die 1. Julii ad totum mensem Augusti et a die 1. Novembris ad integrum Aprilem subsequentis anni, reliquis vero mensibus in Collegiata implere teneantur, in qua insuper quolibet die sabbati, qui festivus non fuerit, conventualis missa celebranda erit necnon agenda de more solemnitas Annunciationis B. M. V. et ejusdem Assumptionis supplicatio incipienda addita lege, ut in hoc postremo festo per integros octo dies post divina officia de sero adstante capitulo sacra functio in honorem b. Virginis solemniter fiat in ecclesia s. Laurentii.

His expositis atque nonnullis ex officio animadversis, quas infra referam, preces propositae fuerunt die 1. Februarii 1868 s. Congregationi, a qua rescriptum prodiit: *Dilata et scribatur Episcopo: Juxta mentem.* Mens s. Congregationis fuerat ut Emus Archiepiscopus magis praecise referret super oneribus missarum, legatorum, anniversariorum sacrarumque functionum, quae ab ecclesia s. Mariae ad s. Laurentii transferendae essent, quinam redditus cuique praebendae inesset, an chorale servitium quotidie ageretur et utrum incolae penes veterem ecclesiam inhabitarent.

His omnibus satis faciens Emus Archiepiscopus tabellam onerum transmisit, ex qua erui visum est universa onera annuatim adimplenda in ecclesia s. Mariae esse triginta anniversaria et missas lectas tres et trecentas. Ex his decem anniversaria celebrabantur certis anni diebus infra octo menses, atque infra illos octo menses, in quibus officiaturae translatio efflagitata est; caetera vero ad libitum vel reliquis quatuor mensibus remissa.

Missas vero centum et octo celebrandas esse ad libitum infra annum; reliquas stata die in hebdomada vel in mense dispertitas reperiri, ita ut plurimae inciderent in dictos octo menses. Praeter has non aliae visae sunt adesse in s. Maria functiones sacrae. Quae de more fierent tum die Annunciationis tum Assumptionis sub indulto non cadebant.

Transmisit praeterea idem Emus Archiepiscopus singulos praebendarum status, qui in sacra visitatione exhiberi solent, ex quibus eruebatur, prioralis praebendae redditum ab omni onere solutum ascendere ad scut. 238, caeterarum vero scut. 100 attingere.

Chori servitium ad dies festos tantum, retulit, coercesi: prope vero ecclesiam s. Mariae habitantes deesse nec esse posse etiam ob aeris inclementiam et loci squallorem.

Animadversum scilicet inter caetera est quoties in facto intercesserit necessitas vel evidens ecclesiae utilitas, onerum translationem*) indulgere consuevisse s. Cong. ut in *Bononien.* 28. Junii 1724, in *Comen. Translationis missarum die 24. Novemb. 1764* praesertim vero si nec divini cultus detrimentum nec populi incommodum pertimescendum esset, ut in *Leodien. Reductionis et translationis die 24. Maji 1823* et in *Lumen. Sarzanen.* Reductionis die 17. Septembris *1831* §. *Ex.*

Veruntamen caute semper processisse s. Congregationem in translationibus indulgendis, ut in *Montis Alti Absolutionis, reduct. et translationis die 21. Julii 1832;* praesertim cum in ecclesia, ex qua transferendae sint missae, corpora testatorum, quibus parentandum est, sepulcro condita fuerint. Hac de causa missarum translationem denegasse s. C. in *Lucana Reductionis et translationis die 4. Decembris 1833.*

Quodsi Emi Patres annuendum esse censuissent Canonicorum et Archiepiscopi votis, consultum jam esse veteri ecclesiae, ne omnino deserta maneret juxta *Trid. in sess. 21. c. 7. de refor.*

Itaque precibus repropositis die 18. Julii 1868 s. Congregatio rescripsit: *Pro gratia juxta votum Emi Archiepiscopi facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Ad ecclesiastica officia, quae in designato et a longaevo tempore peracta fuerint, in aliud templum transferenda requiri graves causas et apostolicam veniam.

II. Ejusmodi causas reduci ad necessitatem et evidentem ecclesiae utilitatem, quae sunt canonicae universalesque causae ad aliquam immutationem inducendam in rebus ecclesiasticis rite statutis.

*) Vd. *t. I. p. 560. n. 24; t. II. p. 932. n. 106;* ***Missa*** **(translat.)**

III. In immutatione quacumque facienda curandum esse quammaxime, ut tantum immutetur quantum necessitas aut evidens ecclesiae utilitas cum minori detrimento rei immutatae exigere prudenter videatur.

IV. Ratio enim postulat, ut illis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. *Conc. Trid. sess. 25. de ref. c. 5*; neque testatorum fundatorumque voluntates defraudentur.

3) Metropoliticum.

(Erectio.)

Bened. PP. XIV. erigit ecclesiam Colleg. civitatis Utinensis in Archiepiscopalem.

Ut Collegiata ecclesia s. Mariae Majoris nuncupatae in archiepiscopalem ecclesiam Utinensem ut praefertur erecta ex omni parte perfectior reddatur condignoque Capitulo ac Canonicorum et Dignitates in ea obtinentium ac mansionariorum et capellanorum numero condecoretur, in ea unam praeposituram, quae inibi post pontificalem major existat, pro uno presbytero in theologia magistro vel decretorum doctore aut in eis Licentiato, futuro dictae collegiatae ecclesiae s. Mariae majoris nuncupatae in Archiepiscopalem Utinensem ut praefertur erectae Praeposito, qui illius capituli caput existat et in choro, capitulo, processionibus caeterisque functionibus et actibus capitularibus publicis et privatis dictae collegiatae ecclesiae s. Mariae majoris nuncupatae in archiepiscopalem ecclesiam Utinensem ut praefertur erectae praeeminentiam et primum locum habeat, ac unum decanatum, qui secunda, pro uno clerico seu presbytero futuro dictae ecclesiae Decano, et unum primiceriatum, qui tertia Dignitates inibi respective existant, pro uno clerico seu presbytero futuro dictae ecclesiae Primicerio, ac viginti quatuor canonicatus totidemque praebendas pro totidem clericis seu presbyteris futuris in ea Canonicis, ac duodecim mansionariatus pro totidem presbyteris futuris in ea Canonicis ac duodecim mansionariis necnon octo sine cura personalem tamen residentiam requirentes capellanias pro totidem presbyteris futuris in ea capellanis ut infra nominandis, cum capitulo, stallo, mensa capitulari, area, bursa et sigillo communibus ac omnibus et singulis aliis capitularibus signis et insigniis aliis metropolitanis ecclesiis earumque capitulis

de jure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet, non tamen ex indulto seu privilegio particulari competentibus, quique Praepositus ac Decanus et Primicerius necnon Canonici praedicti capitulum inter se constituant*) ac tam ipsi quam mansionarii et capellani hujusmodi apud dictam ecclesiam personaliter residere et in ea singulis diebus ac debitis temporibus horas canonicas ac conventualem et alias missas caeteraque divina officia solita et consueta cum debita mentis attentione servataque ecclesiastica disciplina ac infrascriptis ordine et praecedentia omnino servatis videlicet quod Praepositus semper primum, Decanus secundum et Primicerius tertium locum habeant, deinde juxta antianitatem majorem seu priorem electionem aut nominationem in Canonicos, mansionarios et capellanos hujusmodi viginti quatuor Canonici et successive duodecim mansionarii et octo capellani praedicti succedant, qui mansionarii et capellani **) nunquam de gremio capituli censeri debeant minusque vocem aut votum in capitulo ac sessionibus capitularibus habere valeant, omnes vero Archiepiscopo Utinensi pro tempore existenti prout in aliis cathedralibus et metropolitanis ecclesiis practicari solet inservire teneantur, psallere, decantare, recitare et respective celebrare et alias dictae ecclesiae in Divinis laudabiliter deservire debeant et teneantur, dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus et instituimus . . .

Ulterius futuris praedictae ecclesiae Praeposito et Decano ac Primicerio et viginti quatuor Canonicis necnon duodecim mansionariis praedictis eorumque in praepositura ac decanatu et primiceriatu et singulis canonicatibus et praebendis necnon mansionariatibus hujusmodi successoribus respective pro tempore existentibus ut ipsi Praepositus videlicet ac Decanus et Primicerius ac viginti quatuor Canonici praedicti cappam magnam violacei coloris pellibus armellinis subsutam et rocchetum, mansionarii vero praedicti almutiam tam in praedicta ecclesia quam extra eam et tam in processionibus quam aliis actibus et functionibus quibuscumque publicis et privatis etiam extra civitatem Utinensem praedictam ac ubique locorum etiam in synodalibus, provincialibus universalibus generalibusque Conciliis ac etiam in praesentia doctorum Venerabilium Fratrum nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium etiam a latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Ordinarii etiam proprii ac aliorum quorumcumque ac etiam in ipsius ecclesiae choro et capitulo quibusvis anni temporibus et diebus deferre et gestare illisque respective uti, libere et licite possint et valeant, eisdem quoque Praeposito et Decano et Primicerio et viginti quatuor Canonicis necnon duodecim mansionariis pro tempore existentibus praedictis, ut ipsi eorumque officiales et ministri ac respective bona, proprietates ei jura quaecumque omnibus et singulis tam spiritualibus quam temporalibus privilegiis immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus aliarum similium archiepiscopalium et metroplitanarum ecclesiarum illarum partium capitula, dignitates, canonicatus et praebendas ac mansionariatus in eis obtinentes, eorumque officiales et ministri ac bona, jura, res et proprietates de jure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet non tamen titulo oneroso aut ex indulto seu privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent ac uti, frui potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac aeque principaliter et absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sunt in usu et non revocata, ne sub aliqua revocatione comprehensa sacrisque canonibus praedicti Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis praedictis non repugnent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite etiam possint et valeant, proinde ac si eis nominatim et expresse concessa fuissent, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Die 19. Jan. 1752.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 29. 32. Ed. Romae.)

*) Vd. *p. 740. c.*

**) Vd. *Capellanus Cathedr. p. 672. a; p. 431. f.*

4) Monialium.

Vd. *S. Clara* (regulae etc. *c. 4.*)

5) Regularium.

a) Alternativa in vocando.

Cf. *t. I. p. 516. n. 3.*

S. Congregationis Episcoporum et Regularium Decreta.

Ut aliqua dissidia tollerentur, quae in

congregatione clericorum regularium doctrinae christianae inter provinciam romanam et neapolitanam invaluerunt, Sedes apostolica praeter alternativam personalem qua duae illae provinciae pacifice fruebantur eisdem concessit alternativam localem seu turnum convocandi vicissim capitulum generale de una in altera provincia.

Sequentia siquidem dubia in plenario Auditorio s. Congregationis Episcoporum et Regularium die 3. Augusti 1838. discussioni subjecta fuerunt:

1. Sè fra le due province romana e napolitana vi sia diritto di alternativa locale nella celebrazione dei capitoli generali?

2. Se il capitolo generale celebrato in Roma dai PP. dottrinarii nel 1836 sia valido?

3. Sè e qual provedimento debba prendersi per metter la pace, e l'ordine fra le due province?

Quibus postquam utraque pars fuit rite audita responsum est

Ad 1: *Non satis constare.*

Ad 2: *Affirmative.*

Ad 3: *Ad mentem. Mens est:*

1, che si nomini dalla s. Congregazione un Vicario provinciale, che colle facoltà di provinciale regoli la provincia fino alla celebrazione del capitolo provinciale.

2, che nell' anno venturo si celebri il capitolo provinciale per eleggere il provinciale, e le altre cariche della provincia, al qual capitolo praesieda lo stesso P. Vicario generale peremunendosi di tutte le facoltà, che crederà necessarie per potere affettuare le elezioni.

3. Consulendum Sanctissimo pro jure alternativae localis.

4. Ad em. Cardinalem praefectum pro electione definitorum generalium provinciae neapolitanae.

Et facta de praemissis relatione ad Dominum Nostrum Gregorium XVI. in audientia habita eadem die 3. Augusti 1838 a Domino secretario ejusdam s. Congregationis Sanctitas Sua sententiam eminent. et reverend. PP. in omnibus approbavit et confirmavit concesso jure alternativae localis: executionem vero arbitrio ac prudentiae eminent. ac reverend. D. Cardinalis Praefecti benigne remisit.

At vero hujusmodi resolutio Vicario generali aliisque romanae provinciae patribus minime arrisit ideoque penes eamdem s. Congregationem preces renovaverunt pro revocando jure alternativae localis, sin minus pro separatione provinciae neapolitanae a provincia romana.

Patres provinciae romanae circa separationem contendebant, sese virorum domorumque numero ac merito sodalibus provinciae neapolitanae anteire, quippe qui ad unum supra nonaginta ascenderunt, Neapolitani vero sex supra sexaginta dumtaxat numerarentur. Circa revocationem alternativae localis proferebant constitutionum suarum et brevis pontificii auctoritatem, quibus loci electio pro capitulo generali convocando Praepositi generalis arbitrio diserte relinquitur.

E contra sodales Neapolitani plura congerebant pro adserenda alternativae localis longissima observantia et addebant numeri imparitatem causam sufficientem esse non posse, cur separatio implorata decerneretur.

Itaque in partium contradictione insequentia dubia disceptata fuerunt *in Romana seu Neapolitana super jure Alternativae die 19. Julii 1842*:

1. Sé, e come abbia a concedersi la separazione della provincia napolitana dalla provincia romana nel caso?

Et quatenus negative,

2. Sé vi sia luogo a revocare il privilegio dell alternativa locale concesso alla provincia neapolitana con decreto del 1838.?

S. Congregatio in plenario auditorio convocata respondit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Non expedire et ad mentem; mens est: che l'alternativa per il prossimo capitolo generale cominci da Roma e che in esso si proponga il titolo da darsi al nuovo Superiore generale della Congregazione.*

SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. acta capituli generalis Congr. clericorum saecularium doctrinae christianae celebrati die 26. Septembris 1842 confirmavit et approbavit praeter ea quae respiciunt aggregationem Mariae Geltrudis Pagnuchi et causam P. Alberti, pro quibus habebitur ratio suis loco tempore. Attento vero voto ejusdem capituli generalis benigne indulsit, ut sublata qualibet personali alternativa provinciarum Superior non amplius generalis sed Praepositi generalis titulo nuncupetur, perinde ac appellabatur, quando Congr. ultra montes existebat et cum eisdem facultatibus et juribus, quibus Praepositi generales juxta constitutiones apostolicas et ordinis legitime fruebantur, ita tamen, ut residentiam in Urbe habere debeat. Declaravit insuper inposterum praefatam Congr. regi debere juxta constitutiones prout regebatur Congr. in Galliis ac propterea derogavit literis apostolicis in forma brevis s. m. Clementis XII. diei 7. Maji 1738 incip.: *Ex injuncto Nobis* ac nullius roboris esse voluit alternativas personales inter provincias in electione Superioris generalis licet pacto atque auctoritate s. Sedis confirmatas et prohibuit, ne inposterum absque s. C. Ep. et Reg. licentia aliquid circa alternativas decernatur; salva tamen remanente alternativa locali inter provinciam romanam et neapolitanam in celebratione capituli generalis quod alternis vicibus Romae et Neapoli habeatur. Contrariis quibuscumque etiam speciali memoria dignis non obstantibus.

Quod decretum a ssmo D. N. Gregorio XVI. ratum confirmatumque fuit in audientia 31. Januarii 1843.

b) Generale.

Vd. lit. *a.* p. 783.

Bened. PP. XII. de ref. Ord. Cist. Monach. s. Benedicti.

Quia sunt generalia capitula instituta, ut in eis de statu monasteriorum et aliorum locorum regularium ac de reformatione ordinis et observantia regulari tractatus debeat diligens adhiberi, dignum et debitum fore dignoscitur, ut ad illa conveniant universi quibus id imminet praepeditionem canonicam non habentes. Quare statuimus et etiam ordinamus, quod Abbates ipsius ordinis, qui de caetero non venerint ad dictum capitulum (qui venire tamen tenebantur, secundum ordinis praedicti statuta non habentes impedimentum legitimum seu licentiam specialem ab eo, qui dare possit eamdem) exhibere teneantur duplum ejus, quod expensuri essent ad idem capitulum veniendo et redeundo de illo, duplumque hujusmodi solvere in sequenti capitulo generali in utilitatem ipsius generalis capituli convertendum: et quod possint definitores ejusdem capituli generalis tales Abbates non venientes ad duplum hujusmodi exsolvendum, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, coarctare eorumque super hoc processum habendum et ferendas sententias publicare ac facere publicari. Quodque circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat fieri gratia vel remissio indulgeri. Hi vero Abbates, qui legitimum impedimentum seu licentiam hujusmodi asseruerint se habere, illa conventibus suis tempore quo iter eundi ad d. capitulum arripere deberent exponere debeantur et nihilominus subsequenter de dictis impedimento sive licentia in ipso generali capitulo fidem facere per suum procuratorem seu excusatorem, probum et idoneum virum, habentem speciale mandatum praestandi juramentum in animam ipsius mittentis, causas absentiae ac impedimentum hujus vera esse; quod quidem juramentum praestare teneantur, si visum fuerit Abbati Cisterciensi, qui est pro tempore ac praesidentibus ipsi capitulo generali. Et si Abbas ac praesidentes praefati tale impedimentum et licentiam ipsam non esse legitimam fuerint arbitrati, tales Abbates qui ad idem capitulum nequaquam venerunt declarent incurrisse poenam solvendi praefatum duplum quemadmodum est praemissum.

Die 12. Julii 1335.

(Bull. r. t. IV. p. 335. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Benedictus PP. XII. Ordinat. et reform. pro Monachis nigris Ord. s. Benedicti.

Quia ecclesiis cathedralibus*) et monasteriis ejusdem ordinis seu religionis ad salutem et prosperitatem noscitur provenire, cum in eorum singulis annuatim generale capitulum celebratur, in quo alii Abbates, priores, praelati et administratores eis subjecti, ordinis seu religionis ipsius, conveniant die praestituto in illis, in quibus statutum existit, dieque statuendo in illis, in quibus nondum ad hoc dies hujusmodi constitutus, ut membra suo capiti consonent et caput respiciat sua membra, statuimus et etiam ordinamus, ut in singulis ecclesiis cathedralibus et monasteriis antedictis, die statuto et statuendo, singulis annis generale capitulum celebretur, in quo cum praelatis eorum alii Abbates, priores, praelati et administratores immediate eisdem subjecti studeant convenire ad tractandum de reformatione hujusmodi ordinis seu religionis et observantia regulari

*) Vd. *743. f.*

necnon corrigant et reforment ibidem tam in spiritualibus quam in temporalibus quae corrigenda fuerint ac etiam reformanda. Et in quo tam Abbates, priores seu administratores principalium monasteriorum et administrantes in ipsis ecclesiis cathedralibus, quam praedicti alii subjecti, de administrationibus cujuscumque ipsorum reddant in scriptis (quamvis non requisiti) rationem fidelem: summas videlicet rerum principalium et grossarum, receptas et expensas annuas veraciter explicando, necnon quanta et qualia supersint et etiam debeantur; et ex qua causa et a qnibus personis aut desint etiam veraciter exprimendo. Qui vero legitime praepediti ad capitulum hujusmodi venire nequiverint, procuratores idoneos sufficienter instructos, cum sufficienti mandato excusationum suarum causas rationabiles etiam exprimente, cum potestate jurandi in eorum animas causas hujusmodi fore veras, et reddendi rationem praedictam et alia faciendi quae ipsi facerent, si praesentes existerent, ad illud transmittere teneantur. Quod si non venerint non impediti legitime vel non transmiserint ad idem capitulum ut praefertur poenis subjaceant superius contra non venientes ad capitula provincialia constitutis. Quorum compulsio et ipsarum poenarum executio ad Abbatem illius monasterii principalis, in quo ipsum capitulum celebratur, vel ad illum, qui major est post Antistitem in illa cathedrali ecclesia, in qua celebrari continget capitulum praelibatum, auctoritate apostolica pertineat, prout supra de praesidentibus provincialibus capitulis est statutum.

Et quia memoriam perpetuat et cautelam adjicit conservatio scripturarum, volumus et ordinamus, quod duae scripturae consimiles fiant rationes hujusmodi continentes; quarum una penes illum, qui ecclesiae post Antistitem seu monasterio, ubi dictum capitulum celebrari contigerit, praesidebit, et alia in arca pro sigillo capituli ecclesiae vel conventus monasterii praefatorum deputata vel deputanda seu alio loco competenti (de quo hujusmodi praesidenti et capitulo seu conventui vel majori parti ejus videbitur) ad cautelam et providentiam necessariam et utilem conserventur. Volumus insuper, ut cellararii, eleemosynarii, infirmarii et alii officiales quicumque, quocumque nomine censeantur, victum seu vestitum conventui vel aliis in dictis ecclesiis vel monasteriis sive locis conventualibus ministrantes rationem plenam et explicitam de receptis expensis, ratione administrationum vel officiorum hujusmodi, ter annuatim (computata ratione quam reddiderint in generali capitulo, ut praefertur) in fine scilicet cujuslibet quarti mensis, etiam irrequisitis praelatis, qui ecclesiis, monasteriis et aliis locis conventualibus praesunt et praeerunt antedictis et capitulis seu conventibus eorumdem, aut illis discretis qui ad rationem ipsam audiendam et fideliter eis referendam deputati fuerint, reddere teneantur: proviso attentius, quod illis ex hujusmodi administratoribus, prioribus seu officialibus, qui gravia et enormia commiserint vel comittent vel alias demeriti fuerint, sive per annum excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias rationabiliter in eos latas pertinaciter tolerabunt et de his convicti fuerint, vel alias legitime constiterit, ab eorum superioribus cum consilio seniorum ecclesiarum vel monasteriorum seu locorum praedictorum nedum a suis adminstrationibus, prioratibus vel officiis seu beneficiis amoveri valeant sed ob crimina vel demerita hujusmodi poenis debitis percellantur, ut sit eis in poenalis confusionis opprobrium et perniciosum non transeat aliis in exemplum.

Ne vero per cujuspiam calliditatis ingenium evenire contingat, quin capitula praedicta celebrentur locis et temporibus debitis quemadmodum superius est distinctum, quia forte praetenderetur occasio, quod ecclesiae, monasteria et loca praedicta gravata forent et sumptus existerent evitandi: Nos providere volentes, ne capitulorum ipsorum generalium tantae salutis et proprietatis fructibus obventuris malignitatis statibus resistatur, taliter ordinamus quod illi, qui venire tenentur ad provinciale capitulum de triennio in triennium et ad cujusvis ecclesiae vel monasterii annuatim capitula praelibata, vivant cum aliis ipsius loci monachis in communi et familiaribus suis propriis redditibus providere in necessariis teneantur, quavis constitutione seu consuetudine contrariis non obstantibus.

Licet autem circa rationes de administrationibus et officiis (ut praemittitur) reddendas duxerimus providendum: quia tamen veritatis claritas latebras non requirit, sed metas potius patentes claritas exposcit, cautius in hac parte super his ecclesiarum, monasteriorum et locorum praefatorum occurrentibus dispendiis et profectibus providentes volumus ut visitatoribus capituli provincialis qui pro tempore fuerint cum ad ecclesias, monasteria, prioratus et loca hujusmodi venerint eorum officium exequendo nequaquam omittant, quin de statu spirituali et temporali ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum et locorum praedictorum plenarie se informent, ut sic reformando vel referendo (prout secundum jura et ordinationes capitulorum hujusmodi salubrius et utilius fuerit), ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis ipsis providere valeant visitatis; proviso, quod praedicta provincialia et alia ecclesiarum et monasteriorum praedictorum capitula non concurrant ad invicem, ne valeat unum per aliud impediri. Caeterum statuimus, ut omnes et singuli ad eadem capitula venientes non ducant vel duci faciant seu permittant evectiones seu familiares in numero superfluo seu quomodolibet excessivo, sed numero evectionum et familiarium statui eorum cujuslibet congruo eos volumus et praecipimus esse contentos. Ipsi antem familiares et alii quos ducent vel duci facient seu tenebunt sint humiles et honesti, de quibus aliquatenus praesumi nequeat, quod alicui Abbati, priori, administratori, officiatori, monacho vel cuicumque alteri, cum eis seu aliis ad ipsa capitula venientibus aut in eis morantibus, vel de illis redeuntibus aut ecclesiis, monasteriis, prioratibus vel aliis eorum locis inferant per se aut alios saeculares vel regulares seu quoslibet alios, in personis vel rebus injuriam vel offensam; vel quod in aliquo de dictis capitulis aut in aliqua ecclesia vel monasterio seu loco ubi celebrabuntur scandalum suscitare vel turbationem facere seu discordiam seu contentionem movere praesumant. Quod si quis ad inferendum injuriam vel offensam hujusmodi, ut turbetur vel impediatur quodcumque de dictis capitulis, sienter et ex proposito tales duxerit vel alias tenuerit seu ad hoc disposuerit aut convocaverit vel convocari fecerit, et turbatio vel impedimentum hujusmodi si aliqua ex eis fuerint subsecuta, et qui consentiens extiterit in praedictis, vel aliquo eorumdem aut dans sienter et ex proposito auxilium, consilium vel favorem ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. A qua dumtaxat, si sit Abbas vel monachus ipsius ordinis, per praesidentes capitulo provinciali seu eorum aliquem quantum ad ea, quae ipsum capitulum provinciale concernent, quantum vero ad illa de praedictis quae annuale capitulum vel ecclesiam seu monasterium aut alium locum, ubi celebrabitur annuale capitulum antedictum, seu personas aut bona eorum vel alia concernerent, per Abbatem vel alium hujusmodi annuali capitulo praesidentem auctoritate apostolica: saeculares vero et alii religiosi a sententiis hujusmodi per locorum Ordinarios, tunc demum cum satisfactionem impenderint congruentem et non ante, possint absolvi: nisi commissa hujusmodi talia fuerint, propter quod Sedes apostolica esset merito consulenda. Et si mors vel membri mutilatio seu debilitatio alicujus perpetua occasione praedictorum secutae fuerint talis nedum ad administrationem vel officium seu beneficia aliqua in ordine seu religione hujusmodi vel ab illis obtinenda existat inhabilis sed et obtentis in eis vel ab ipsis sit eo ipso privatus: quae aliis et non sibi per illum ad quem collatio aut quaevis alia dispositio pertinuerit libere conferantur vel alius de illis canonice ordinetur. Eamdem quoque sententiam excommunicationis ipso facto incurrat quilibet, cujuscumque sit praeeminentiae, dignitatis, status vel conditionis, qui per se vel per alium malitiose impediverit vel impediri fecerit scienter et ex proposito quominus praedicta capitula libere valeant celebrari, quique praesumpserit euntes ad illa vel in eis morantes seu de ipsis redeuntes capere, capi facere seu captos detinere aut impedire vel eis aut eorum familiaribus in personis vel rebus damna, injurias vel offensas occasione hujusmodi ut videlicet turbetur vel impediatur celebratio cujuscumque ipsorum capitulorum inferre, necnon quicumque ipsius ordinis seu religionis, qui praetextu visitationis malitiose et ex proposito praedicta vel eorum aliquid per se vel alium commiserit in personas Abbatum, priorum et aliorum majorum praedictorum proprios subjectos visitantium, vel in personas visitatorum in provincialibus capitulis vel per Abbates alios seu praelatos principalium vel proprior um monasteriorum deputandorum vel familiarium eorumdem aut in bonis eorum: et quicumque praedicti ordinis, qui in visitationibus hujusmodi vel correctionibus seu executionibus processus eorum malitiose impediverit vel eis procaciter vel proterve se opposuerit aut praedicta facientibus consenserit, per se vel alium preces, minas, literas, auxilia potentium secularium vel laicorum seu quaecumque alia impedimenta malitiose

procurando et impediens eumdem ordinem seu religionem ipsam in contributionibus legitime faciendis: praesidentes autem provincialibus et annualibus capitulis praelibatis et eorum quilibet dum simpliciter et de plano eis constiterit, aliquem ex praedictis praefatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum per omnia ejusdem ordinis seu religionis loca vicina, de quibus eis videbitur, tamdiu solemniter publicent et faciant ab aliis auctoritate apostolica publicari, eis super hoc non parentes per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo donec congruam satisfactionem impenderint, et per ipsos praesidentes dumtaxat vel per duos eorum ad minus auctoritate apostolica fuerit absolutus: ad haec tam diversorum locorum dioecesanis quam aliis personis, quae pro tempore praefuerint ipsis capitulis celebrandis, in virtute obedientiae districte praecipimus ut per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compescant advocatos, patronos, magnates, rectores, vicedominos, consules, milites seu quoslibet alios, ne cathedrales ecclesias, monasteria vel alia loca monastica in personis vel rebus eorum praesumant offendere quomodo, et si secus forsan aliud egerint, eos usque ad satisfactionem debitam per censuram eamdem appellatione semota cogere non postponant: ut praelati et alii servi Dei dicti ordinis seu religionis hujusmodi liberis et devotis mentibus Altissimo pensum debitum quotidianum solvere satagant servitutis.

Die 20. Junii 1336.

(Ibid. p. 352.)

Bened. PP. XII. de constitutione Ordinis Canonic. reg. Ord. s. Aug.

Constitutionem concilii generalis de communi capitulo Abbatum atque priorum Abbates proprios non habentium in singulis regnis sive provinciis faciendo volentes exacta diligentia observari statuimus quod in religione praedicta in singulis provinciis per Nos designatis inferius et distinctis fiat in loco, qui ad hoc fuerit deputatus, de quadriennio in quadriennium (salvo jure dioecesan.) commune seu provinciale capitulum Abbatum, praepositorum, priorum caeterorumque praelatorum Abbates seu alios praelatos superiores ejusdem religionis non habentium necnon praepositorum priorum vel aliorum majorum in ecclesiis cathedralibus post Antistites ipsos regularem curam Canonicorum habentium, quocumque nomine censeantur aut nuncupentur, sive praenominati exempti sive non exempti existant: ad quod universi conveniant impedimentum canonicum non habentes, dictam constitutionem circa praefatum provinciale capitulum et alia in ea tam provide quam salubriter instituta in religione praefata irrefragabiliter observantes. Qui vero ad praefatum capitulum personaliter venire nequiverint legitime impediti, ad allegandam causam impedimenti hujusmodi probandum necnon ad videndum ordinationes seu statuta atque mandata in dicto capitulo facienda ac si idem taliter impeditus personaliter praesens esset, Canonicum suum ejusdem ecclesiae, monasterii seu loci si commode fieri possit, alioquin aliam personam idoneam cum sufficienti mandato causam impedimenti hujusmodi continente et etiam potestatem in animam constituentis eumdem jurandi causam hujusmodi veram esse, ad dictum capitulum mittere teneantur. Personae vero quae praefuerint hujusmodi provincialibus capitulis celebrandis (quarum potestatem de uno provinciali ad aliud *) provinciale volumus perdurare), arbitrentur et decernant an excusationum causae dictorum non venientium ad capitulum sufficientes vel insufficientes existant, a quarum arbitrio seu decreto super hoc nulli appellare liceat vel etiam reclamare. Non venientes autem ad dictum capitulum legitimo impedimento cessante aut quum subest impedimentum, procuratorem ad illud cum sufficienti mandato ut praemittitur non mittentes, teneantur expensas, quas fecerint in veniendo ad dictum capitulum, morando et redeundo, facturi juxta praesidentium dicto capitulo seu majoris partis eorum arbitrium aestimandas in termino per ipsos praesidentes statuendo, de bonis suae administrationis persolvere in utilitatem ipsius provincialis capituli convertendas, super quibus nulli in totum vel in partem gratia fieri valeat vel remissio indulgerit. Possint etiam dicti praesidentes eosdem ad earum solutionem per censuram ecclesiasticam auctoritate apostolica coercere suosque processus et sententias publicare seu facere publicari in locis dictae religionis provinciae tamen ejusdem. Et nihilominus alias contra non venientes praefatos (maxime si ut correctionem evitent sive ut nesciatur status

*) Vd. *p. 783.*

ecclesiae vel monasterii eorumdem vel alias malitiose se subtrahant), prout dictis praesidentibus seu majori parti ipsorum visum fuerit procedatur. Circa praesidentes vero ac visitatores in eisdem capitulis deputandos et alia quaeque ab eis exequenda illa serventur, quae in ejusdem generalis concilii et fel. rec. Honorii Papae III. Praedecessoris nostri constitutionibus expressius continentur, prout statui et religioni congruit eorumdem servatis tamen statutis, ordinationibus et adjectionibus nostris supra et etiam infra scriptis.

Ad haec decernimus Abbates, praepositos, priores ac majores praelatos, capitula, conventus cunctosque Canonicos ecclesiarum et monasteriorum ejusdem religionis etiam si in ipsis ecclesiis vel monasteriis sive extra ea ubicumque prioratus, officia vel administrationes habuerint seu moram traxerint tam exemptos dictorum capitulorum provincialium districtionibus, correctionibus et ordinationibus subjici et ipsis adstringi eosque ad observationem illarum fore per praesidentes seu alios ad quos pertinuerit compellendos.

Decernimus etiam quosque dictarum ecclesiarum et monasteriorum vel aliorum locorum ejusdem Canonicos beneficia obtinentes ad contribuendum in expensis moderatis et rationabilibus per capitulum annale religionis ejusdem immediate praecedens taxandis secundum suarum exigentiam facultatum, quas dicti convenientes facient ad illa capitula eundo, morando et redeundo imposita tam dictis conventibus secundum suarum exigentiam facultatum de dictis expensis congrua portione, per eosdem convenientes auctoritate apostolica per remedia opportuna sublato appellationis obstaculo compellendos, Ordinariis locorum exemptis et non exemptis districtius injungentes, quod nullum praedictis impedimentum apponant vel apponi permittant sed legitime requisiti ea faciant executioni mandari et inviolabiliter observari.

Quod si forte tempore quo imminebit provinciale capitulum celebrandum contigerit ecclesias cathedrales religionis ejusdem carere majoribus praelibatis vel monasteria seu loca religionis ejusdem suis vacare seu carere pastoribus, qui si adessent, adstricti forent ad conveniendum in provinciali capitulo memorato, capitula ecclesiarum et conventus monasteriorum aliorumque locorum conventualium praedictorum teneantur personam sufficientem de gremio eorumdem (si commode fieri possit), alioquin aliunde transmittere ad hujusmodi capitulum celebrandum, ad faciendum et implendum omnia juxta arbitrium praesidentium, quae facere possent et tenerentur praelati seu majores praefati si venerint ad dictum capitulum et in eo personaliter interessent.

Quod autem praemittitur de provinciali capitulo *de quadriennio in quadriennium* celebrando, ad cujuslibet haesitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus ut scilicet si provinciale capitulum fuerit celebratum duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstineri, eo in alio anno immediate sequenti omnimode celebrando.

Hujusmodi vero commune seu provinciale capitulum apud unum de monasteriis religionis ejusdem ad hoc aptum si in eadem existat provincia debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo et securo, de quo a die primi capituli celebrandi et aliis ad hoc facientibus opportune providebunt illi, qui super hoc per Sedem apostolicam deputati fuerint prima vice.

Et ut super eodem capitulo et per illud ex tunc inposterum rationabilis ordinatio habeatur, in dicto primitus celebrando et in aliis etiam per successiones temporum similiter celebrandis praesidentes eisdem seu pars major eorum provideant et ordinare procurent, per quem in sequenti capitulo sermo fieri missaque debeat celebrari. Eligant quoque tam locum, in quo alia vice proxima hujusmodi capitulum fuerit celebrandum, quam eos, qui praesidentes esse debeant in eodem. Provideant etiam, qui Abbates quive praepositi seu alii ex eis, qui ad ipsum capitulum venire tenentur, qui et quot et quoties ecclesias cathedrales, monasteria et alia loca religionis ejusdem debeant usque ad aliud proximum sequens provinciale capitulum visitare.

Caeterum prohibemus, ne venientes ad provincialia seu annualia capitula secum ducant vel duci faciant seu permittant evectiones seu familiares numero superfluos seu quomodolibet excessivos aut tales de quibus praesumi valeat, quod alicui ad ipsa capitula venienti aut in eis moranti vel de illis redeunti aut ecclesiis, monasteriis, prioratibus vel aliis locis eorum inferant per se vel alios, in personis vel rebus, injuriam vel offensam vel quod in aliquo de dicto capitulo aut in ecclesia vel monasterio sive loco, quibus illa

contigerit celebrari, scandalum suscitare vel turbationem facere seu discordiam vel contentionem movere verisimiliter praesumatur, sed numero erectionum et familiarum statui cujuslibet eorum congruo sint contenti. Si quis autem eorum scienter et ex proposito duxerit vel tenuerit aliquem vel aliquos ad inferendum injuriam vel offensam hujusmodi ut turbetur vel impediatur imminens capitulum, vel aliquem seu aliquos ad hoc convocaverit et ob hoc turbatio seu impedimentum sequuta fuerit vel sequutum necnon quicumque alius de personis religionis ejusdem consentiens in praemissis extiterit, praestando auxilium vel favorem scienter et ex proposito ut praemissum est excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

Die 15. Maji 1339.

(Bull. r. t. IV. p. 429. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Capuccini.

Vd. *Franciscani.*

1) Confessarius eorum.

Vd. *Confessarius Regularium* (approb. Episcopi etc. decr. *Hildesimen* §: *In literis.)*

2) Denominatio.

Capuccini videntur nomen traxisse a longo et acuminato caputio, quod ad capitis tegumentum deferunt.

3) Fratres minor. ord. s. Francisci.

Vd. infra n. 7. p. 792.

Declaratio, quod Fratres Capuccini sunt vere Fratres Minores ordinis s. Francisci ac ex illius vera et nunquam interrupta linea descendunt, sub illius regula militant et militarunt.

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris et Domini nostri qui charitas et Deus pacis vices licet immeriti gerentes in terris inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas in eam peculiari sollicitudine jugiter incumbimus ut christifideles qui in sortem Domini vocati ejus obsequiis diu noctuque mancipati sunt, sublatis quibuslibet dubiis et controversiis Altissimo reddant abundanter fructus suos nec ab iis quorum est evangelizare pacem et bona veritatem vero temere impugnando pacem cum scandalo pusillorum scindere non verentur a sua sancta vocatione distrahantur.

§. 1. Alias siquidem a fel. rec. Paulo Papa V. Praedecessore nostro accepto a nonnullis in dubium revocari an Fratres ordinis ejusdem s. Francisci Capuccini nuncupati essent vere fratres minores et etiam quoniam regulam s. Francisci profitentur filii s. Francisci cum tempore s. Francisci instituti non fuerint, pariterque an eorum constitutiones aliquid haberent, quod regulae s. Francisci repugnaret,

§ 2. Idem Paulus Praedecessor sua perpetuo valitura constitutione declaravit fratres Capuccinos esse vere Minores ac etiam quamvis tempore s. Francisci minime instituti fuerint, cum tamen ejus regulam profiteantur atque eorum instituta congruant tam regulae statutis quam ejusdem regulae declarationibus, quae habentur in constitutione fel. rec. Clementis Papae V. Praedecessoris nostri, in generali Concilio Viennensi edita quae incipit: *Exivi de Paradiso*, Filios s. Francisci, eorum praeterea constitutiones nihil continere, quod non sit regulae s. Francisci praefatae consentaneum, irritanti etiam decreto desuper apposito et alias prout in dicti Pauli Praedecessoris desuper in simili forma Brevis sub die 15. Octobris 1608 expeditis literis, quatenus tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus plenius continetur.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Genuensis eorumdem fratrum Capuccinorum procurator generalis Nobis nuper exponi fecit praetextu illorum verborum videlicet: *Quamquam tempore b. Francisci instituti non fuerint*, a nonnullis in dubium revocetur: an iidem fratres Capuccini ex vera et nunquam intermissa linea s. Francisci originem trahant,

§. 4. Nos aequum et rationi consonum fore censentes, ut qui verbo et exemplo veros sese b. Francisci imitatores ostendunt tales ab omnibus absque ulla controversia habeantur, attentiusque considerantes, eorumdem fratrum Capuccinorum originem seu principium illorum esse realiter et cum effectu computandum a tempore primaevae et originalis institutionis regulae seraphicae, cujus observantiam ipsi fratres Capuccini semper sine aliqua interruptione continuarunt, eorumdem fratrum Capuccinorum quieti quantum Nobis ex alto conceditur consulere eosdemque fratres Capuccinos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Francisci procuratoris generalis totius ordinis eorumdem fratrum Capuccinorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati re prius per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales negotiis Regularium praepositos mature discussa de eorumdem Cardinalium consilio hac nostra perpetuo valitura constitutione fratres Capuccinos praefatos fuisse et esse ex vera et nunquam interrupta linea ac veros et indubitatos fratres ordinis s. Francisci et illius regulae observatores subque ipsius b. Francisci regula militasse et ad praesens quoque militare.

§. 5. Sicque ab omnibus et singulis censeri ac reputari et judicari debere irritumque et inane si secus super his quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus et declaramus.

§. 6. Quocirca omnibus et singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis nostris et apostolicae Sedis Nunciis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte fratrum Capuccinorum praefatorum fuerint requisiti solemniter publicantes illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, juxta praesentium continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Dat. Romae apud s. Mariam Majorem die 20. Junii 1627.

(Bull. r. t. IV. p. 133. et t. V. p. 135. Ed. Luxbg.)

4) Incapaces juris exercendi officium Executorum ultimae voluntatis et nominandi ad capellanias.

PP. Capuccinos ex *Clemen. Exivi* §. *Verum de verb. signif.* incapaces esse exercendi officium executorum ultimarum voluntatum, incapaces ideo esse juris nominandi ad capellanias aliaque similia jura acquirenda et exercenda, s. Congr. Ep. et Reg. in *Montis Casini 28. Sept. 1696* et s. Congreg. in *Nullius seu Montis Casini 28. Januar. 1730*, idque ipsum declarasse s. Congregationem anno 1720 sub clausula: *Ad mentem*, ut habetur in codice Episcopi Lugarensis super legatis piis et in folio *Papien. Subsidii dotalis 18. Augusti 1731.*

Die 17. Junii 1796.

5) Incapaces juris possidendi sed capaces praestationis temporaneae.

Vaden.

Incapaces sunt Patres Capuccini et Minores de observantia possidendi postulandique legata, ipsis obsistente tum regula s. Francisci tum *s. Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. de regular.*, in quo capaces possidendi factae fuerunt omnes religiones *exceptis* tamen *domibus fratrum s. Francisci Capuccinorum et eorum qui Minores de observantia vocantur*, cui cohaeret *Card. Petra ad constit. apostol. t. 2. sect. 4. pag. 449. num. 4.*

Idque sive legatum*) sit pecuniae sive speciei cum onere celebrationis missarum vel sine onere, per *text. in Clement. Exivi* vers.:

*) Circa capacitatem vel incapacitatem PP. Capuccinorum et Minorum de observantia recipiendi legata distinctio admittenda videtur. Aliud enim est, si legatum directe relinquatur Patribus et longe aliud si onus praestandi legatum impositum fuerit legantis haeredibus. Quidquid enim sit in primo distinctionis casu certum tamen est in secundo casu in quo cum fuissent gravati haeredes onere legati, legatum ipsi praestare tenentur utcumque legatarius incapax sit recipiendi legatum, quemadmodum ad rem facit resolutio hujus s. Congregationis in causa *Aprutina Legati 29. Februarii 1677*, in qua disputato dubio:

An legatum sequentibus verbis conceptum sustineatur: *item dice di avere a censo ducati 180 lascia di ragione di legato, che l'infrascritto erede e successori in infinitum debbano coni frutti di quelli farne celebrare quattro anniversarii l'anno nella chiesa di s. Maria de Lumi dalli Fratri Zoccolanti etc.?*

fuit *affirmative* resolutum.

Consimilis pariter prodiit ab hac s. Congregatione resolutio in *Isernien Legati 10. Junii 1684.* Cum enim ageretur de testamento sequentibus verbis concepto: *lascio, che detti miei eredi faccino celebrare quaranta messe all' altare di s. Maria Madalena nella chiesa di s. Maria delle grazie de fratri Minori osservanti, dà quelli Padri che saranno assistenti al convento sopradetto, e più, che gli siano datti dai sopradetti eredi quatro ducati l'anno, i quali serviranno per i bisogni di detta capella,* cumque cohaerenter ad hanc testamentariam dispositionem fuisset propositum dubium:

An praeter scuta annua quatuor legata pro indigentiis capellae haeredes teneantur separatim persolvere eleemosynam pro celebratione missarum?

fuit definitum:

Affirmative et quantitatem esse debere saltem ad rationem eleemosynae manualis.

Ulterius ponderandum est s. hanc Congregationem numquam habuisse hujusmodi legata pro non scriptis sed decrevisse ea libere tradi debere *titulo eleemosynae* fratribus Capuccinis et Minoribus de observantia; videndus est *Piton. discept. eccles. tom discept. 2 per tot.*, videndae item sunt resolutiones hujus s. Congreg. congestae pro capacitate dictorum fratrum *a Card. Petra ad constit. apost. tom. 2. constit. 5. Honorii III. sect. 4*, aliaeque plurimae cumulatae *a Ferrar. Bibl.* sub verb.: *Legatarius a num. 103. ad 121*, ubi praesertim sub num. 110. refertur resolutio s. Congregationis Fabricae pro capacitate fratrum Minorum de Observantia s. Angeli in Vado; quibus resolutionibus hujus s. Congregat. posteriores addi possunt nimirum *in Brundusina Adimplementi quoad III. dubium 26. Augusti 1729*, in *Firmana Legatorum 31. Maji* et *2. Octobris 1721*, *in Lucana Legati pii 31. Julii 1728*, et pro capacitate PP. s. Francisci ad Ripam Tyberis et PP. Capuccinorum Urbis assequendi legata seu eleemosynas carnis et vini sunt rotales decisiones in *Romana Legatorum et eleemosynarum 26. Junii 1754.* et *5. Maji 1755. coram clar. mem. Card. Caprara.*

Cum annui redditus, de verb. signific. in 6., cap. 10. de relig. domib., Card. Petra loc. supra cit. num. 36. et *Rot. cor. Merlin. decis. 456. num. 17. et 18*, ad differentiam casus, in quo ageretur de unica tantum praestatione vel de praestatione temporanea ex traditis per *Rot. cor. Merlin. cit. dec. 456. num. 23.*

Die 29. Novb. 1777.

6) Ordo ecclesiasticus.

Vd. *S. Franciscus Ass.*; *Bull. r. t. VI. p. 229.* Ed. Aug. Taur. 1860; *Capuccini* (fratres minores etc. p. 790.)

7) Transitus ad alium ordinem quando licet?

Vd. *Monaster.* (transitus.)

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Injuncti Nobis apostolici muneris ratio postulat, ut religiosorum virorum, qui spretis hujus saeculi vanitatibus divini numinis obsequiis sub suavi religionis jugo et strictioris observantiae regulis sese manciparunt, paternam curam gerentes in his ejusdem muneris partes sedulo intendamus per quae prospero felicique eorum statui et directioni opportune consulatur prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque sicut dilectus filius procurator generalis fratrum ordinis Minorum s. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, nonnulli dicti ordinis religiosi nulla desuper ab apostolica Sede vel Superioribus suis obtenta licentia ad alios ordines seu congregationes se transferre posse praetenderint et praetendant non sine gravi regularis disciplinae observantiae detrimento dictique ordinis inquietudine,

§. 2. Nos pro nostri pastoralis officii debito praemissis quantum Nobis ex alto conceditur obviam ire prosperoque ipsius ordinis statui et quieti consulere volentes supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati ne de caetero perpetuis futuris temporibus ullus dicti ordinis religiosus ad laxiorem absque speciali nostra et Sedis apostolicae, ad Carthusiense vero seu quemcumque alium ordinem vel congregationem nisi de ministri generalis pro tempore existentis dicti ordinis licentia in scriptis obtinenda quovis praetextu aut ex quavis quantumvis justa, legitima et privilegiata causa sub apostasiae et infamiae perpetuae nota necnon excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis transire quoquomodo audeat seu praesumat apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus et prohibemus.

§. 3. Decernentes praesentes literas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore.

§. 4. Sicque et non alias in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii apostolici Auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem, die 9. Augusti 1628.

(Bull. r. t. IV. p. 161. Ed. Luxbg.)

1567 a Pio V. prohibitum fuit sub indignationis suae poena, ut nullus ex fratribus Capuccinis ad ordinem s. Francisci de Paula nec e converso ullo unquam tempore et quacumque etiam justissima causa vel de licentia suorum Superiorum se transferre possit, quae bulla extat penes *Passorel. in collect. privileg. f. 116.* Idque omnino esse servandum decrevit s. C. Regul. authoritate ei concessa a Papa Gregorio XIV. sub poena tam transeuntibus quam illos recipientibus privationis officiorum ac vocis activae et passivae.

Carbonarii, Massonii aliaeque Sectae occultae.

1) Clerici asseclae.

Supplici oblato libello sacerdos N. apud sacram Concilii Congregationem absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate et rehabilitationem postulavit, eo quod militibus, qui ad perditos homines vulgo *Briganti* capiendos vel profligandos proficiscebantur, sponte se adjunxerat atque duo ex illis a militibus interfecti fuerant.

Requisitus de more Episcopus haec s. Congregationi enarravit: Oratorem sectae carbonariorum nomen dedisse; incusatum postea fuisse a civili gubernio de quodam homicidio cum aliis patrato, a qua incusatione ut liberetur sine regulari processu, eidem gubernio sese obtulit persecuturum armis facinorosos et seditiosos homines, vulgo *Briganti.* Reapse simul cum aliis militibus adversus praefatos homines ballista ignea armatus processit et in conflictum deventum est. Duo seditiosorum interfecti fuerunt, duoque mutilati ceciderunt. Orator tamen certiorem fecerat Episcopum, se nullatenus eorum quemquam in eo conflictu perenssisse ex directione quam igneae ballistae dederat. »Hodie (prosequebatur Episcopus) licet certum sit oratorem nullam habuisse partem in eo homicidio de quo incusabatur neque percussisse in dicto conflictu seditiosos illos homines, eidem nihilominus expedire consului ut a s. Sede peteret censurarum absolutionem in quas incurrerit, quoniam in eo quod spectat ad carbonariorum sectam ex praeterito vitae tenore poenam luit, suspensione, exercitiis spiritualibus a me eidem injunctis aliisque mortificationis operibus, eumque in religioso conventu diu detinui. Idcirco existimo posse oratorem habilem fieri ad Sacrum celebrandum, cum ad bonam frugem rediisse videatur.«

Animadvertebatur *ex officio* oratorem sese adscribentem carbonariae sectae in excommunicationem incidisse latae sententiae, et R. Pontifici reservatam. Quamquam enim lateat, an post solemnem carbonariorum condemnationem *Idibus Septembris 1821**) a Pontifice pronuntiatam ejusmodi sectae nomen

*) Vd. *infra p. 802.*

dederit vel in eadem perseveraverit, attamen excommunicationi obnoxius habendus esse videbatur propter constitutiones Clementis XII. et Benedicti XIV.*) quibus proscriptae et anathematis gladio percussae fuerunt societates *dei liberi muratori*, seu *francs maçons*. Nam his constitutionibus damnatam quoque sectam carbonariorum satis innuit summus Pontifex (Pius VII.) inquiens in literis enunciatae proscriptionis se graves poenas in carbonariorum societatem decernere, *praesertim cum carbonarii passim contendant, se duabus illis Clementis XII. et Benedicti XIV. constitutionibus non comprehendi nec sententiis et poenis in illis latis subjici.*

Addebatur insuper, oratorem ex triplici capite irregularem devenisse. Si enim orator in excommunicationem incidit, eo quod inter carbonarios fuit cooptatus, irregularis profecto evasit, propter violationem censurae rebus divinis operam dando, *cap. penult. et ult. de cleric. excom.*, siquidem credibile non est, perditum hominem a sacrificio celebrando statim ac inter sectarios fuit recensitus abstinuisse; praesertim ne concives in patrati criminis suspicionem adducerentur.

Deinde ubi praedicari coeptum est, oratorem esse in numero carbonariorum ipsique praeterea tribui commissum homicidium, in irregularitatem incidit, si non ex infamia juris, at certe ex infamia facti procedentem. Ad hanc enim irregularitatem incurrendam satis habetur vulgata opinio de tali patrato crimine, propter quod bona delinquentis existimatio apud probos et honestos viros laeditur; licet infamia nec ab ipso jure expresse nec per sententiam judicis irrogetur, *argum. l. Neq. 2. cod. de dignitat.*, Ferraris *biblioth. verb.: infamia n. 3., Reiffen. lib. 5. decretal. tit. 27. §. 3. n. 53.* Illos autem, qui sectae carbonariorum adscribi non erubuerunt et homicidii rei apud judicem insimulantur, infames esse dubitari nequit.

Denique observabatur, cum orator propria sua electione inter milites fuerit adnumeratus et armis instructus, ad bellum adversus facinorosos homines fuerit profectus in eosque ballistam igneam iteratis vicibus exploserit, irregularis evasit ex defectu lenitatis quamvis moraliter certus ipse sit neminem occidisse aut mutilasse. Nam etsi per solam militiae saecularis adscriptionem, irregularitas non incurratur,**) uti declaravit s. Congregatio C. in *Laodicen. 10. Septembris 1648 apud Monacel. tom. 4. suppl. ad tom. 2. n. 71.*, nihilominus qui militiae nomen dedit et inter armatas copias versatus est non modo gravis culpae reus, quoniam a ss. canonibus clerici prohibentur propria manu pugnare, verum etiam irregularis dicendus est, licet ipse neminem occiderit, sed alii tantummodo milites interfecerint juxta receptam a S. C. C. sententiam in *Ipren. Irregularitatis 13. Januarii 1703, in Brigatien. Habilitationis 30. Martii 1805, in Forolivien. Dispensationis 17. Februarii 1816 et in Matelicen. Irregularitatis. 3. Augusti ejusdem anni.*

Patet hinc (concludebatur) quam longe dictus sacerdos aberraverit ab ea vitae integritate atque innocentia, quam clericis convenire ipsamet edocet naturalis ratio et quam ab iisdem servari volunt sacri canones et praecipit Apostolus. Criminibus autem par debetur poenitentia. At mortificationis opera et spiritualia exercitia ab Oratore peracta satis esse non videntur, praesertim ad delendum scandalum ab eo illatum sese abscribendo carbonariorum sectae, cujus impietate etiamnum orbis ingemiscit.

S. Congr. C. respondere censuit die 14. Junii 1823: *Pro gratia quoad absolutionem a censuris; quoad dispensationem et rehabilitationem expectet et det majora signa poenitentiae et constantis emendationis.*

Continuatio.

Rediit post ejusmodi responsionem supplex sacerdos et etiam atque etiam efflagitavit, ut ei dispensationis et rehabilitationis gratia largiretur. Episcopus iterum de more rogatus animi sui sensum ita aperuit: »Certus sum oratorem vitam agere in summis angustiis ob tot infortunia eidem obvenientia, ob mortem repentinam Patris, ob paupertatem eidem superventam. Interim alere debet suam familiam, novem constantem personis. Ipse autem a recta ratione vivendi non desistit, verae emendationis signa praebens; puto scandali periculum deesse si habilis iterum fiat ad missam in suo oppido celebrandam, in quo quilibet eum noscit ejusdemque indigentias et familiae necnon praesentem vitae tenorem a culpis immunem.«

Post hujusmodi Episcopi testimonium *ex officio* inter cetera observabatur agi non de promovendo, sed de jam ad ordines promoto

*) Vd. *infra p. 798. 800.*
**) Vd. *Irregularitas.*

in quo casu dispensatio seu rehabilitatio, secluso scandalo et peracta poenitentia, concedenda videbatur. *Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform. et in Calaritana Irregularitatis 19. Januarii 1793.*

Concurrebat insuper oratoris paupertas, qui una cum sua familia, gravissimis aerumnis ab Episcopo indicatis, premebatur; paupertatem vero miserta s. Congregatio C. pro dispensatione SSmum consulendum non raro censuit, ut in *Auximana Irregularitatis 27. Augusti 1789.*

Die 20. Novembris 1824. s. Congregatio C. censuit respondere: *Peractis spiritualibus exercitiis in loco et pro tempore arbitrio Episcopi, pro gratia et ad D. secretarium cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Presbyterum damnatis sectis misere illaqueatum, si Sacra peragat, ex censurae ipso facto incursae violatione irregularem fieri.

II. Irregularem posse fieri presbyterum ex infamia facti, quamvis nec ab ipso jure expresse nec per judicis sententiam infamis declaretur.

III. Irregularem pariter ex defectu lenitatis fieri presbyterum, qui inter milites ad pugnandum propria manu processerit, quamvis ipse, in pugnae conflictu, neminem occiderit vel mutilaverit.

IV. Neminem tamen irregularem fieri per simplicem militiae adscriptionem, quamvis presbyteris id a sacris canonibus prohibeatur.

Titius postquam a proprio Episcopo tonsuram et quatuor ordines minores acceperat Romam venit ubi, impetrato apostolico indulto, subdiaconus et deinde diaconus est ordinatus. In patriam deinde reversus, semel et iterum a proprio Episcopo ad presbyteratus ordinem promoveri enixe postulavit. Interrogatus ab eodem Episcopo, utrum sectae carbonariorum esset addictus, id aperte negavit et de juramento requisitus jurare non dubitavit. Itaque presbyteratu insignitus die 7. Aprilis 1821. sequenti die primam missam et postea decem alias celebravit.

At Episcopus certior factus, praedictum sacerdotem esse carbonariorum sectae devinctum, statim ipsum a Divinis suspendit monuitque, ut dispensationem ab irregularitate contracta impetraret ab apostolica Sede; ac demum jussit, ut in aliqua domo religiosa diuturno tempore operibus poenitentiae vacaret. Ad coenobium A. se contulit Titius in quo 19 dies mansit: verum impar sumptibus diurnis ferendis inde secessit domique suae vixit, donec mense Julii 1822 operam dedit spiritualibus exercitiis per dies decem, eadem per idem tempus repetiit Augusti.

Interea a die 30. Martii 1822. pro absolutione ab irregularitate s. Congregationi Concilii preces obtulit; sed audita Episcopi informatione, die 8. Januarii 1823, dimissus fuit responsione: *lectum.* Cum iterum supplicasset mense Martio ejusdem anni, rescriptum fuit de more: *Expleto anno recurrat commendatus ab Episcopo et interea det ulteriora signa poenitentiae et constantis emendationis.* Mense Julio sequenti, anno adhuc non expleto, tertiam supplicationem porrexit et *in decisis* responsum est.

Verum spe haud fractus Titius die 13. Augusti ejusdem anni 1823 quartum libellum obtulit, una cum commendatitia epistola, qua Episcopus asseruit: Oratorem dedisse ac jugiter dare evidentia resipiscentiae signa et ex ejusdem agendae vitae ratione satis ostendere suam constantem emendationem. Proindeque sibi suadebat Episcopus, oratorem esse imploratam gratiam consecuturum.

Animadvertebatur *ex officio* oratorem longe ante Constitutionem Pii VII. f. r. carbonariorum sectae nomen dedisse; poenitentem deinde ac proprio Episcopo obedientem suam retractationem emisisse, priusquam eadem constitutio ederetur, quae data est Idibus Septembris 1821.*) Tunc autem inter theologos disputatum est, an generalis a Benedicto XIV.**) promulgata societatum secretarum damnatio carbonariorum sectam comprehenderet.

Observabatur insuper effluxisse integrum annum et ultra a die qua oratori rescriptum fuerat *lectum*, (istae enim preces S. C. propositae fuerunt die 8. Maji 1824) et ab Episcopo commendatum absolutionem postulare.

Quare favendum Oratori videbatur, licet non appareret quo tempore Orator carbonariis se adjunxerat et ante cujusnam ordinis susceptionem id evenerat, ideoque non constare an una vel pluribus irregularitatibus esset irretitus.

*) Vd. *infra p. 802.*
**) Vd. *p. 800.*

Sacra Congregatio Concilii die 8. Maji 1824 respondere censuit: *Expectet ad alium annum et interim inserviat alicui ecclesiae, det majora signa poenitentiae et constantis emendationis et post annum recurrat commendatus ab Episcopo.*

Ex duabus expositis causis colligere potes:

I. Presbyteros impiissime ejusmodi sectis illaqueatos a sancta Sede non absolvi, nisi longa dederint poenitentiae et resipiscentiae signa.

II. S. Concilii Congregationem tenuisse constitutiones Clementis XII. et Benedicti XIV. quamvis tantum sectam — *dei liberi muratori* seu *francs-maçons* — explicite nominarent, comprehendere etiam ceteras sectas ejusdem indolis. Non enim nomen damnatum fuerat, sed sectarum indoles.*)

III. Vehementer eos errare, qui putant praecedentes et subsecutas RR. Pontificum constitutiones sectas anathemate proscribentes vim suam non exercere iis in regionibus, ubi a civili potestate memoratae sectae tolleruntur. Iniquitas enim vel favore prosecuta vel etiam ad triumphum provecta suam non amittit naturam.

Decretum S. R. U. Inquisitionis *circa occultas sectas.*

Archiepiscopis Baltimorensi, Cincinnatensi ac Neo-Eboracensi necnon Episcopis Albanensi, Bostoniensi, Brooklynensi, Buffalensi, Burlingtonensi, Hortfordiensi, Newarcensi ac Portlandensi.

Plura ad sanctam Sedem delata sunt circa societatem quae appellatur fratrum Fenorum aut Fenianorum eaque supremae Congregationi universalis inquisitionis submissa fuere, ut quid de illis sentiendum foret decerneretur. Porro Sanctissimus Dnus Noster Pius PP. IX., audito Emorum Inquisitorum suffragio, amplitudini tuae notificandum mandavit decretum fer. IV. 5. Augusti 1846 quod sic se habet: *Societates occultae de quibus in pontificiis constitutionibus sermo est eae omnes intelliguntur quae adversus ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando.* Voluit praeterea Sanctitas Sua ut tibi subjungeretur recurrendum esse ad sanctam Sedem et quidem omnibus adamussim expositis rerum adjunctis, si quae forte difficultates in applicatione praedicti decreti inveniantur.*)

Quoniam vero recenter assertum est in quibusdam foliis periodicis ac signanter in *The Cannaught Patriot* declarationem prodiisse a Sede apostolica, juxta quam *Feniani inquietandi non essent*, idcirco suprema Congregatio s. officii amplitudini tuae significandum decrevit praedictam assertionem omnino falsam fuisse.« Precor Deum etc.

Die 13. Julii 1865.

Al. C. Barnabo, Praef.

H. Capalti, Secretarius.

Recole modo verba, quae in solemni allocutione in Consistorio secreto die 15. Septembris habita SSmus Dominus Noster protulit, nimirum: »Atque hic in concessu Vestro memoratas Praedecessorum Nostrorum constitutiones confirmantes *massonicam illam aliasque ejusdem generis societates* quae specietenus diversae **) in dies coalescunt, quae contra ecclesiam *vel* legitimas potestates *seu palam* ceu clandestine machinentur, auctoritate Nostra apostolica reprobamus et condemnamus ***) atque ab omnibus christifidelibus *cujuscumque* conditionis ac dignitatis et *ubicumque* terrarum sint *tamquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus etc.*«

Ex expositis colligere potes:

I. Inanem esse eorum exceptionem, qua ex eo se non comprehendi putant sub constitutionum, de quibus agimus, sanctione quia jactant, se nihil adversus ecclesiam Dei moliri. Verba enim superius relata disjunctiva sunt: - *contra Ecclesiam vel legitimas potestates - adversus ecclesiam vel gubernium.*-

II. Insuper, inanem esse exceptionem qua ex eo se non comprehendi putant, quia conventicula non secreto, sed palam habent. Verba enim pariter disjunctiva sunt: - *seu palam seu clandestine machinentur.* -

III. Nec minus inanem alteram esse, qua putant ejusmodi constitutiones locum non habere ubi a civili gubernio (quod est commentum pravae doctrinae) sectae tolerantur vel peculiarem exigere, pro locorum diversitate, applicationem et executionem. Verba enim sunt: - *ab omnibus christifidelibus cujuscumque conditionis ac dignitatis et ubicumque terrarum sint tamquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus.* -

IV. Neque juramentum, quod in hujusmodi sectis exigi solet de secreto servando est quid essentiale, ut eae damnatae dicantur: - *exigant vel non exigant juramentum de secreto servando.* -

V. Quare ex eo ejusmodi societates jam damnatae intelliguntur, quia *occultae sectae sunt*, idest societates spuriae et adulterinae quae ex praeposteris theoreticis principiis in subversionem publici ordinis, occultis subdolisque mediis, in sinu societatis organicam subsistentiam sibi comparant.*)

IV. Denique colliges, quam male sibi consulant civilia gubernia sive acatholica sive catholica quae veram Christi ecclesiam despiciunt vel eamdem uti suspectam novercam habentes

---

*) Vd. *p. 805* §: *Quae.*

*) Haec subjunctio, in hoc speciali decreto, cohaeret cum capite V. *decretalium, de rescriptis* in quo haec leguntur: »Si quando aliqua tuae fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes: et infra: Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur diligenter consideraus aut mandatum nostrum reverenter adimpleas aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas etc.«

**) Pari propemodum circumstantia Patres Concilii Lateranensis IV. sub anathemate comprehenderunt multiformes haereses, variis nominibus appellatas, quae in dies succrescentes, demoliri videbantur vineam Domini Sabaoth, hisce verbis: »condemnantes haereticos universos, quibuscumque nominibus censeantur, *facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate* (alias de varietate) *conveniunt in idipsum.*«

***) Jam ab initio sui Pontificatus ejusmodi societates SSmus solemniter reprobavit et condemnavit in memorabili Encyclica diei 9. Novembris 1846, hisce verbis: »Jam vero probe noscitis, Venerabiles Fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus hujus saeculi filii catholicam religionem et divinam ecclesiae auctoritatem ejusque leges acerrime oppugnare et *tum sacrae tum civilis potestatis jura conculcare conantur.* Huc spectant nefariae molitiones contra hanc romanam beatissimi Petri Cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile ecclesiae suae fundamentum. Huc *clandestinae illae sectae e tenebris ad rei tum sacrae tum publicae exitium et vastitatem emersae atque a romanis Pontificibus Decessoribus Nostris iterato anathemate damnatae suis apostolicis literis, quas Nos apostolicae Nostrae potestatis plenitudine confirmamus et diligentissime servari mandamus.*«

*) Si placet ad haec adverte. Praesenti ordine divinae providentiae inspecto, *quoniam omnis Potestas a Deo est*, duae tantum sunt in proprio ordine supremae independentes societates et potestates civilis nempe et ecclesiastica, quarum prior inferior et subordinata est alteri ratione originis, mediorum et finis; quaelibet alia societas et potestas suprema et independens, quae neque civilis sit neque ecclesiastica utpote ordini praesenti divinae providentiae adversa esse non potest nisi anomala et spuria.

Ejusmodi autem sunt societates illae, quae occultae sectae congrue nominantur. Ipsae enim, in sinu civilis societatis occultis subdolisque mediis organicam subsistentiam sibi comparantes potestatem, singulari quadam ratione, exercent legislativam judiciariam, coactivam, executivam in suos et in alios, ita ut in exercitio hujus sibi adscriptae potestatis plane independentes sint eamque nomine proprio exerceant. Se gerunt ergo uti societates et potestates supremae et independentes.

E contra vero a societatibus et potestatibus supremis et independentibus, quas Deus in praesenti statuit ordine, plane distinguuntur. Sermo tantum fieri potest de destinctione a civili potestate. Sane ejusmodi occultae societates, licet in sinu oriantur civilis societatis et in eam suas venas fibrasque reconditas ample diffundant, tamen quatenus societatem constituunt aliae omnino sunt a civilibus constitutis societatibus, in quibus plus vel minus ratione locorum lucem reformidantes vitam agunt. Alia pariter est a civili potestate ea quam exercent, utpotequae independens est et nomine proprio exercent.

Sunt ergo societates anomalae et spuriae et potestatem sibi usurpant, quae a Deo, vel uti auctore ordinis naturalis vel supernaturalis, non derivat.

Hisce breviter animadversis jam patet, quid respondendum sit a catholico objectioni illi in aequivocatione verborum positae, quae in pravarum ephemeridum colluvie iterato vel legitur vel supponitur nimirum: *hominibus inest nativum jus in societatem pro lubitu coeundi et societatem constituendi.* Respondetur enim satis, si dicatur, homini jus non inesse coeundi in societatem, quae sit abortus et monstrum ordini divinae providentiae adversum.

Cui objectioni nimis indulgere ille videretur, qui indircta tantum ratione responderet. Firmiter enim tenendum est, non dari potestatem nisi a Deo eamque in praesenti rerum ordine duplicem esse, ratione duplicis societatis, naturalis una, quae dum in actu constituitur, societas civilis dicitur, supernaturalis altera. Si itaque tertia interponatur societas, quae neque una neque altera sit, ejusmodi societas, in praesenti providentiae ordine, esse non poterit nisi monstrum ejusque potestas cum a Deo esse non possit erit tenebrarum potestas.

Neque tibi difficultatem creent speciales illae societates et quidem amplissimae, quae sunt et esse possunt multiplicis generis in ipso sinu civilis vel ecclesiasticae societatis in quibus etiam jurisdictio exerceatur, ut est ex. gr. exercitus, ut est ordo religiosus. Ista enim peculiaria collegia sunt partes illius superioris societatis, ad quam pertinent et ita ut membra magis quam caeteri de societate sive civili sive ecclesiastica participent. Quaere ex. gr. a milite, an sit civis, respondebit tibi: non solum civis sum sed etiam miles. Quaere a religioso, an sit catholicus, respondebit tibi: non solum catholicus sed et religiosus; magis igitur per hujusmodi societates peculiares membra devinciuntur societatibus illis supremis, ad quas pertinent et potestatem quam exercent a potestate respectiva sive civili sive ecclesiastica mutuantur.

liberimum impediunt suae auctoritatis exercitium sive regio *placet* sive regio *exequatur* aliisque modis. Haec enim gubernia praeterquamquod debito suo officio non satisfaciunt, temporali etiam utilitati praepostere prospiciunt.

2) Damnatio et excommunicatio.

Vd. *Censurae* (limitato).

Literae apostolicae quibus sectae occultae et clandestinae damnantur.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quo graviora mala Christi Dei et Servatoris Nostri gregi imminent, eo majorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent romani Pontifices, quibus in beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi et regendi potestas et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema ecclesiae specula positi sint longius prospicere insidias, quas christiani Nominis hostes moliuntur ad Christi ecclesiam (quod tamen numquam assequentur) exterminandam easque tum fidelibus indicare et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes romani Pontifices Praedecessores Nostri vigilias boni Pastoris perpetuo vigilarunt et adhortationibus, doctrinis, decretis ipsaque anima data pro ovibus suis sectas extremum ecclesiae exitium minitantes prohibendas et penitus delendas curarunt. Nec ex Annalium ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest pontificiae hujus sollicitudinis memoria. Quae Nostra et Patrum Nostrorum aetate gesta sunt a romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis sese objicerent id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. Praedecessor Noster vidit in dies invalescere novamque firmitatem acquirere sectam *de' liberi Muratori* sive *de francs maçons* sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino catholicae ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta constitutione cui initium *in Eminenti* edita quarto Kalendas Majas anno 1738 cujus tenor is est, qui subjicitur:

Clemens Episcopus.

Universis Christifidelibus salutem et apostolicam Benedictionem.

In eminenti Apostolatus specula meritis licet inparibus divina disponente clementia constituti juxta creditum Nobis pastoralis providentiae debitum jugi (quantum ex alto conceditur) sollicitudinis studio iis intendimus, per quae erroribus vitiisque aditu intercluso orthodoxae religionis potissimum servetur integritas atque ab universo catholico Orbe difficilimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Sane vel ipso rumore publico nunciante Nobis innotuit longe lateque progredi atque in dies invalescere nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes seu conventicula vulgo *de' liberi Muratori* seu *francs maçons* aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata in quibus cujuscumque religionis et sectae homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie arcto aeque ac impervio foedere secundum leges et statuta sibi condita invicem consociantur, quaeque simul clam operantur tum districto jurejurando ad sacra biblia interposito tum gravium poenarum exaggeratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat et clamorem edat sui indicem hinc societates seu conventicula praedicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut plurimis regionibus memoratae societates per saeculi potestates tamquam regnorum securitati adversantes proscriptae ac provide eliminatae jampridem extiterint.

Nos itaque animo volventes gravissima damna, quae ut plurimum ex hujusmodi societatibus seu conventiculis nedum temporalis reipublicae tranquillitati verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum civilibus tum canonicis minime cohaerere sanctionibus, cum divino eloquio doceamur diu noctuque more servi fidelis et prudentis Dominicae familiae praepositi vigilandum esse, ne hujusmodi hominum genus veluti fures domum perfodiant atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant atque innoxios sagittent in occultis, ad latissimam quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset viam obstruendam, aliisque de justis ac rationabilibus causis Nobis notis easdem societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes seu conventicula *de' liberi Muratori* seu *francs maçons* aut alio quocumque nomine appellatas, de nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac etiam Motu proprio et ex apostolicae potestatis plenitudiue damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti Nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis et praeeminentiae sive laicis sive clericis, tam saecularibus quam regularibus etiam specifica et individua mentione et expressione dignis districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates *de' liberi Muratori* seu *francs-maçons* aut alias nuncupatas inire vel propagare, confovere ac in suis aedibus vel domibus seu alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari aut interesse vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare sive alias consilium, auxilium vel favorem palam aut in occulto directe vel indirecte per se vel per alios quomodo praestare necnon alios hortari, inducere, provocare aut suadere ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur seu intersint, vel ipsos quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam nisi per Nos seu romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper et mandamus, ut tam Episcopi et Praelati, superiores aliique locorum Ordinarii quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores adversus transgressores, cujuscumque sint gradus, status, conditionis, ordinis, dignitatis vel praeeminentiae, procedant et inquirant eosque tamquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant atque coerceant; iis enim et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi ac condignis poenis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribnimus et impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam majorem anno 1738 quarto Kalendas Maji.

Haec tamen recolendae memoriae Benedicto XIV. itidem Praedecessori Nostro satis non fuerunt.. Percrebuerat enim sermonibus

Pete e contra a membro alicujus saectae ex. gr. massonicae, ad quam societatem supremam pertineat, ipsum si se bene noscat spreta civili et ecclesiastica societate respondere debebit: sum tantum membrum societatis massonicae, quae utitur etiam regibus veluti instrumentis ad suos obtinendos fines. Si autem se plene non agnoscat, respondere tibi poterit: sum membrum massonicae civilis et ecclesiasticae societatis. Vides itaque tres introduci diversas et independentes societates et cohaerentes potestates, quarum cum duae tantum esse possint legitimae in ordine praesenti civilis nempe et ecclesiastica tertium illud societatum genus spurium dicendum est earumdemque potestas si ita appellari possit erit tenebrarum potestas.

Haec quidem dicenda videntur, si ejusmodi sectae considerentur solummodo *secundum se*, quatenus sunt societates et potestates, abstractione facta a fine, quem sibi praestituunt vel praestituere possunt, qui tandem est perturbatio et subversio utriusque societatis civilis et ecclesiasticae, praescindendo a mediis quibus sibi adscriptam potestatem exercent quae solent esse illicita et flagitiosa; praescindendo a modo quo membra in societatem cooptantur, qui impius esse solet; praescindendo a pactis quae interveniunt, quae sunt prorsus immoralia: praescindendo a doctrinis, quas profitentur, quae esse solent atheismus, pantheismus, socialismus aliaeque affines.

Haec itaque omnia si placet accurate considera; quibus adjunge harum societatum amplitudinem, diuturnitatem, vigorem seu furorem, membrorum tenacissimam adhaesionem societati ejusdemque erroribus et communem in diversitate nominum conspirationem in malum: et deinde denegare non poteris supremum architectum harum societatum (quoniam effectus causae proportionati esse debent) alium esse non posse praeter illum qui in sacris literis dicitur princeps hujus mundi, qui societatum saltem proceribus physico influxu inspiret et in eis operetur, hinc mirum esse non debet si in ejusmodi societatibus magis eluceant diabolicae quaedam manifestationes quae dum prius dicebantur magia theurgia, goëtia, negromantia, magicae extases etc. permutata forma hodie dicuntur spiritismus vel etiam mirabiles magnetismi effectus.

permultorum latam in Clementis dudum mortui literis excommunicationis poenam jam evanuisse quod Benedictus eas literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum Pontificum leges obsolescere, nisi a successoribus expresse approbentur et praeterea manifeste patebat a Benedicto saepius Clementis constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de sectariorum manibus extorquendam judicavit Benedictus edita nova constitutione cujus initium: *Providas* XV. Kalendas Aprilis anno Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo primo, qua Clementis constitutionem totidem verbis relatam in forma ut ajunt specifica quae omnium amplissima et efficacissima habetur confirmavit Talis vero est Benedicti Constitutio:

Benedictus Episcopus.

Ad perpetuam rei memoriam.

Providas romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum leges atque sanctiones non solum eas quarum vigorem vel temporum lapsu vel hominum neglectu labefactari aut extingui posse veremur sed eas etiam quae recentem vim plenumque obtinent robur justis gravibusque id exigentibus causis novo auctoritatis Nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens PP. XII. per suas apostolicas literas anno 1738. quarto Kalendas Majas datas et universis christifidelibus inscriptas, quarum initium est: *In eminenti,* nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, conventicula seu aggregationes vulgo *de' liberi muratori* seu *des francs-maçons* vel aliter nuncupatas in quibusdam regionibus tunc late diffusas atque in dies invalescentes perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus et singulis christifidelibus sub poena excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium quam per romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel praesumeret hujusmodi societates inire vel propagare aut confovere, receptare, occultare iisque adscribi, aggregari aut interesse aut alias pront in eisdem literis latius et uberius continetur, quarum tenor talis est videlicet etc. etc. etc.

Cum autem sicut accepimus aliqui fuerint qui asserere ac vulgo jactare non dubitaverint dictam excommunicationis poenam a Praedecessore Nostro ut praefertur impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa praeinserta constitutio a Nobis confirmata non fuerit, quasi vero pro apostolicarum constitutionum a Praedecessore editarum subsistentia Pontificis successoris expressa confirmatio requiratur.

Cumque etiam a nonnullis piis ac Deum timentibus viris Nobis insinuatum fuerit ad omnia calumniantium supterfugia tollenda declarandamque animi Nostri cum ejusdem Praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem magnopere expediens fore, ut ejusdem Praedecessoris constitutioni novum confirmationis Nostrae suffragium adjungeremus,

Nos licet hucusque dum pluribus christifidelibus de violatis ejusdem constitutionis legibus vere poenitentibus atque dolentibus seque a damnatis hujusmodi societatibus seu conventiculis omnino recessuros et nunquam inposterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa excommunicatione tum antea saepe tum maxime elapso jubilaei anno benigne concessimus, seu dum facultatem Poenitentiariis a Nobis deputatis communicavimus ut hujusmodi poenitentibus qui ad ipsos confugerent eamdem absolutionem Nostro nomine et auctoritate impertiri valerent, dum etiam solicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus judicibus et tribunalibus adversus ejusdem constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit, non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia et indubitata argumenta dederimus ex quibus animi Nostri sensus ac firma et deliberata voluntas quoad censurae per dictum Clementem Praedecessorem ut praefertur impositae vigorem et subsistentiam satis aperte inferri debuerant; si quae autem contraria de Nobis opinio circumferretur Nos eam securi contemnere possemus causamque Nostram justo Dei omnipotentis judicio relinquere, ea verba usurpantes quae olim inter sacras actiones recitata fuisse constat: *Praesta quaesumus Domine ut mentium reprobarum non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injustis nec captiosis adulationibus implicari sed potius*

amare quod praecipis: ut habet antiquum Missale, quod sancto Gelasio Praedecessori Nostro tribuitur et a venerabili Servo Dei Joseph Maria Cardinali Thomasio editum fuit in missa, quae inscribitur: *Contra obloquentes.*

Ne tamen aliquid per Nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere atque os obstruere, audito prius nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Praedecessoris Nostri constitutionem praesentibus ut supra de verbo ad verbum insertam in forma specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmare decrevimus, prout eam ex certa scientia et apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine earumdem praesentium literarum tenore in omnibus et per omnia, perinde ac si Nostris motu proprio, auctoritate ac nomine primum editae fuissent, confirmamus, roboramus et innovamus ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.

Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis et damnationis causas in praeinserta constitutione enunciatas una est, quod in hujusmodi societatibus et conventiculis cujuscumque religionis ac sectae homines invicem consociantur, qua ex re satis patet, quam magna pernicies catholicae religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea, quae in hujusmodi conventiculis fiunt, quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimirum diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent, selera secreta sunt.* Tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur, quaecumque exquiruntur ad dignoscendum an aliquid in hujusmodi conventibus fiat quod sit contra religionis aut reipublice statum et leges. Quarta est quod hujusmodi societates non minus civilibus quam canonicis sanctionibus adversari dignoscuntur, quum scilicet jure civili omnia collegia et sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in pandectarum libro XLVII. tit. 22. *de collegiis ac corporibus*, et in celebri epistola C. Plinii Caecilii secundi quae est XCVII lib. X., in qua ait edicto suo secundum Imperatoris mandata vetitum fuisse, ne Haeteriae essent, idest ne societates et conventus sine principis auctoritate iniri et haberi possent. Quinta est quod jam in pluribus regionibus memoratae societates et aggregationes saecularium Principum legibus proscriptae atque eliminatae fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eaedem societates et aggregationes male audirent eorumque judicio quicumque eisdem nomina darent pravitatis et perversionis notam incurrerent.

Denique idem Praedecessor in praeinserta constitutione Episcopos et superiores Praelatos aliosque locorum Ordinarios excitat, ut pro illius exequutione, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

Quae omnia et singula non solum a Nobis approbantur et confirmantur eisdemque ecclesiasticis superioribus respective commendantur et injunguntur, verum etiam Nos ipsi pro apostolicae sollicitudinis officio praesentibus Nostris literis catholicorum principum omniumque saecularium potestatum opem et auxilium quoad praemissorum effectum invocamus et enixo studio requirimus quum ipsi supremi Principes et potestates electi sint a Deo defensores fidei ecclesiaeque protectores, ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut apostolicis constitutionibus debitum obsequium et omnimoda observantia praestetur, quod iis in memoriam revocarunt Trident. synodi Patres *sess. 25. cap. 20*, multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus suorum Capitularium *tit. 1. c. 2*, ubi post demandatam omnibus sibi subditis ecclesiasticarum sanctionum observantiam haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter Nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles et suis sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis ditionum suarum Praesidibus et Ministris injungens, ut omnes et singulos ad debitam obedientiam ecclesiae legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit, qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes cisque in-*

obedientes fuerint inventi, sciant se nec in Palatio locum neque nobiscum aut cum Nostris societatem aut communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.«

Datum Romae apud s. Mariam majorem anno 1751. decimo quinto Kalendas Aprilis.

Utinam qui rerum tunc potiebantur tanti haec decreta fecissent, quanti tum ecclesiae tum reipublicae salus postulabat! Utinam sibi persuasissent in romanis Pontificibus beati Petri successoribus non modo ecclesiae universae pastores et magistros sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores et diligentissimos periculorum quae imminent indices suspicere se debere! Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede apostolica fuerant patefacta. Jam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam judicaverint, ex veteribus illis massonicis sectis, quae nunquam frigluerunt, aliae complures exortae sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quae caeterarum princeps in Italia aliisque nonnullis in regionibus habebatur et in varios veluti ramos divisa nomine tenus diversos acerrime catholicam religionem et supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Qua calamitate ut Italiam aliasque regiones imo et ipsam pontificiam ditionem (in quam impedito tantisper pontificio regimine illa irrepserat una cum exteris hominibus ejus invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius Septimus, cui nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum et hominum diversitate appellaretur, gravissimis poenis damnavit edita Idibus Septembris 1821 constitutione, cujus initium: *Ecclesiam a Jesu Christo.* - Hujus etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est ejusmodi:

Pius Episcopus.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiam a Jesu Christo Servatore nostro supra firmam petram fundatam et adversus quam ipsemet Christus promisit numquam portas inferi praevalituras, tot saepe ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut nisi divina illa et quae transire non potest promissio intercessisset metuendum videretur ne ipsa illorum aut vi aut artibus aut calliditate circumventa penitus interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, id etiam et praecipue quidem luctuosa hac nostra aetate factum est, quae novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab Apostolis praenuntiatum, quo*) venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Nec enim quemquam latet, quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus qui id praecipue curant, ut deceptis per Philosophiam et inanem fallaciam**) fidelibus et ab ecclesiae doctrina avulsis ipsam ecclesiam irrito licet conatu labefactent et evertant. Quod ut facilius assequerentur, eorum plerique occultos coetus clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant ut plurimos in suae conjurationis et sceleris societatem liberius petraherent.

Jampridem sancta haec Sedes his sectis detectis magna liberaque voce contra eas clamavit et consilia quae clam ab iis essent inita contra religionem, imo et contra civilem societatem patefecit. Jampridem omnium excitavit diligentiam, ut caverent, ne his sectis id conari liceret, quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est his Sedis apostolicae studiis non eum exitum respondisse quem ipsa spectabat et scelestos homines numquam a suscepto consilio destitisse, unde consequuta tandem ea mala sunt, quae nosmetipsi perspeximus. Imo homines, quorum superbia ascendit semper novas etiam secretas societates inire ausi sunt.

Commemorari hoc loco debet societas nuper orta et longe lateque in Italia aliisque in regionibus propagata, quae licet in plures sectas divisa sit ac pro earum varietate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen sententiarum et facinorum communione et foedere quodam inito una est et Carbonariorum plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam et mirificum quoddam

*) In Epist. B. Judae Ap. 18.
**) Coloss. cap. II, 8.

studium in catholicam religionem et in Jesu Christi Servatoris nostri personam et doctrinam, quem etiam societatis suae rectorem et magnum magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt quam jacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Sane severissimum illud jusjurandum quo veteres Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur se nullo unquam tempore nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat vel communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur aliquid quod ad gradus pertineat superiores, clandestina illa praeterea et illegitima conventicula, quae more a pluribus Haereticis usurpato ipsi habent et cooptatio hominum cujuscumque religionis et sectae in suam societatem, etsi cetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

Verum conjecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis judicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur quae in conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet, eorum catechismi et statuta aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima documenta necnon eorum testimonia, qui cum eam societatem deseruissent, cui antea adhaeserant, ejus errores et fraudes legitimis judicibus patefecerunt, aperte declarant, Carbonarios id praecipue spectare ut magnam licentiam cuique dent, religionem quam colat proprio ingenio et ex suis opinionibus sibi fingendi indifferentia in religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius, ut Jesu Christi passionem per nefarias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant, ut ecclesiae sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur) et ipsa religionis catholicae mysteria contemnant, utque Sedem hanc apostolicam evertant, in quam quoniam in ea apostolicae Cathedrae semper viguit principatus*) singulari quodam odio afficiuntur et pestifera quaeque ac perniciosa moliuntur.

*) S. Aug. Epist. 43.

Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt, quae Carbonariorum societas tradit de moribus praecepta, quamvis confidenter jactet se a suis sectatoribus exigere, ut charitatem ac omne virtutum genus excolant et exerceant ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluntatibus impudentissime ea favet, docet licere eos interficere, qui datam de secreto quod superius memoratum est fidem non servaverint; et licet Apostolorum princeps Petrus praecipiat, ut Christiani*) omni humanae creaturae propter Deum subjecti sint sive regi quasi praecellenti sive ducibus tamquam ab eo missis etc., jubeatque Paulus Apostolus**) ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ea tamen societas docet integrum esse seditionibus excitatis reges ceterosque imperantes, quos per summam injuriam tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

Haec aliaque hujus societatis dogmata et praecepta sunt, ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a Carbonariis commissa, quae adeo gravem honestis piisque hominibus moerorem attulerunt. Nos igitur qui speculatores domus Israel, quae est sancta ecclesia, constituti sumus et qui pro pastorali nostro munere cavere debemus, ne Dominicus Grex Nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur, existimamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII. et Benedicti XIV. Praedecessorum nostrorum, quorum alter quarto Kalendas Majas anni millesimi septingentesimi trigesimi octavi constitutione: *In eminenti****) alter decimo quinto Kalendas Aprilis anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi constitutione: *Providas* †) damnarunt et prohibuerunt societates *dei liberi muratori* seu *francs maçons* aut alio quocumque nomine pro regionum et idiomatum varietate appellatas, quarum societatum fortasse propago vel certe imitatio haec Carbonariorum societas existimanda est. Et quamvis jam duobus edictis per nostram status secretariam propositis hanc societatem graviter Nos prohibuerimus, memoratos tamen Praedecessores Nostros sequentes graves poenas in hanc

*) Petr. II, 13.
**) Rom. III, 14.
***) Vd. *p. 798.*
†) Vd. *p. 800.*

societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus, praesertim cum Carbonarii passim contendant se duabus illis Clementis XII. et Benedicti XIV. constitutionibus non comprehendi nec sententiis et poenis in illis latis subjici.

Audita igitur selecta Congregatione Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et de ejus consilio ac etiam motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine praedictam societatem Carbonariorum aut alio quocumque nomine appellatam, ejus coetus, conventus, collectiones, aggregationes, conventicula damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus prout praesenti nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis ac praeeminentiae sive laicis sive clericis tam saecularibus quam regularibus etiam specifica et individua mentione et expressione dignis districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictam societatem Carbonariorum aut alias nuncupatam inire vel propagare, confovere ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illi et cuicumque ejus gradui adscribi, aggregari aut interesse vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare seu alias consilium, auxilium vel favorem palam aut in occulto directe vel indirecte per se vel per alios quomodo praestare necnon alios hortari, inducere, provocare ac suadere ut hujusmodi societati aut cuicumque ejusdem gradui adscribantur, annumerentur aut intersint vel ipsam quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab eadem societate ejusque coetibus, conventibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda a qua nemo per quemquam nisi per Nos seu romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis et romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata ut teneantur denunciare Episcopis vel caeteris ad quos spectat eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse vel aliquo ex iis criminibus, quae commemorata sunt, se inquinasse.

Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes Carbonariorum ut ajunt catechismos et libros, quibus a Carbonariis describuntur quae in eorum conventibus geri solent, eorum etiam statuta, codices ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos sive typis editos sive manuscriptos et quibuscumque fidelibus sub eadem poena majoris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros vel eorum aliquem legere aut retinere, ac mandamus ut illos vel locorum Ordinariis vel aliis ad quos eosdem recipiendi jus pertinet omnino tradant.

Datum Romae apud s. Mariam majorem anno 1821. Idibus Septembris.

Non multo post editam hanc a Pio VII. constitutionem ad supremam beati Petri Cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus et continuo omnem nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea praesertim memoranda est quae *Universitaria* *) dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat, in quibus juvenes a nonnullis magistris, qui eos non docere sed pervertere student, ejusdem mysteriis, quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur et ad omne scelus informantur.

Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatae et elatae sunt et post reportatas a potentissimis Europae principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum et seditionum quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem

*) Vd *p. 808.* §: *Hic.*

designarunt? Quot et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquilitatem tueantur?

Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, quibus ecclesia fere ubique vexatur et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima ejus dogmata et praecepta; ejus dignitas extenuatur et pax illa et felicitas qua suo quodam jure frui deberet non perturbatur modo sed omnino evertitur.

Nec putandum est, omnia haec mala aliaque quae praetermissa a Nobis sunt, clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri, quos de religione et republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, majestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum vel stultitiam dictitant, imo non raro nullum esse Deum et hominis animam una cum corpore interire docent: codices et statuta quibus sua consilia et instituta explicant aperte declarant cuncta quae jam memoravimus et quae ad legitimos principatus labefactandos et ecclesiam funditus delendam spectant ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se conjunctas.

Quae cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare atque ita quidem ut nulla ex iis jactare possit se apostolica sententia Nostra non comprehendi atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio venerabilium fratrum Nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium et etiam motu proprio et certa scientia ac matura deliberatione Nostris societates occultas omnes, tam quae nunc sunt tam quae fortasse deinceps erumpent et quae ea sibi adversus ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt, quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur Praedecessorum Nostrorum literis in hac Nostra constitutione jam allatis, quas expresse confirmamus.

Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis ac praeeminentiae sive laicis sive clericis tam saecularibus quam regularibus etiam specifica et individua mentione et expressione dignis districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates quocumque nomine appellentur inire vel propagare, confovere ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illis et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari aut interesse vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare seu alias consilium, auxilium vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquomodo praestare necnon alios hortari, inducere, provocare ac suadere ut hujusmodi societatibus aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur aut intersint vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant sed omnino ab iisdem societatibus, earum coetibus, conventibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos seu romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis et romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis vel ceteris ad quos spectat eos omnes quos noverint his societatibus nomen dedisse vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse.

Praecipue vero jusjurandum illud impium plane ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos, quae ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea superioribus sive laicis patefaciunt, omnino damnamus et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est jusjurandum, quod in *justitia* pronunciandum est, veluti vinculum habere quo quis se ad injustam caedem obliget et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel ecclesiam vel legitimam civilem societatem moderentur jus habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fidejussorem appellare? Rectissime Patres Con-

cilii Lateranensis III. inquiunt can. 3.: *Non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria quae contra utilitatem ecclesiasticam et SSmorum Patrum veniunt instituta.* Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam et in publicis scriptis dicant *non est Deus,* audeant tamen jusjurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.

Haec a Nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc vero vestram ven. fratres catholici Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, operam non postulamus modo, sed etiam flagitamus. Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in Vos non parcentes gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem quam Vos. Illud tenete a Vobis maxima ex parte pendere hominum Vobis commissorum in religione et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus, *qui mali sunt*, eoque tempore, quo plures *non sustinent sanam doctrinam*, perdurat tamen permultorum fidelium in pastores suos observantia, quos jure suspiciunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum ejus. Utimini igitur in ovium vestrarum commodum hac auctoritate quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per Vos sectariorum dolos et quanta diligentia eos eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant vobis auctoribus et magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis nostrae mysteria et purissima Christi praecepta irrident omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut Vos verbis alloquamur Praedecessoris Nostri Clementis XII. in sua epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos ecclesiae catholicae diei 14. Septembris anni 1758: *Repleti simus obsecro fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute ne tamquam canes muti non valentes latrare greges Nostros patiamur fieri in rapinam et oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidem deterreat, quominus pro Dei gloria et salute animarum ad omnes dimicationes Nosmetipsos objiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam actum est de episcopatus vigore et de ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec christiani ultra aut durare aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.*

Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium carissimi in Christo filii nostri catholici Principes quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea vobis in memoriam verba quibus Leo Magnus, cujus in Dignitate successores et nominis licet indigni haeredes sumus, ad Leonem Imperatorem scribens usus est: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo quae sunt bona statuta defendas et veram pacem his quae sunt turbata restituas.* Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad catholicam religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram et populorum vestro Imperio subjectorum incolumitatem sectae illae a Vobis coercendae sint. Religionis enim causa hoc praesertim tempore cum societatis salute ita conjuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus religionis quam vestrae potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut religionem aut regiam ullam potestatem superesse.

Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestrae potestatis amplificatione studere, tum ejus eversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta ut suadeant Nostram et Episcoporum potestatem ab iis qui rerum potiuntur imminuendam et debilitandam esse et ad eos plura transferenda jura, tum ex iis, quae propria sunt apostolicae hujus cathedrae et *ecclesiae principalis*, tum ex iis quae ad Episcopos pertinent, qui in Nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes quae vestro imperio subjiciuntur, si forte perspiciant everti terminos, quos de rebus sacris Christus et ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam regiminis formam immutandam et destruendam.

Vos etiam omnes o dilecti filii, qui catholicam religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras et tebras lucem omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri vobis poterit ex conjunctione cum hominibus qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios conventus bellum illis affere conantur, quique etsi in foro et ubique clamant se publici ecclesiae et societatis boni amantissimos esse tamen universis suis gestis jam declararunt omnia evertere velle. Sunt ii quidem his hominibus similes, quibus nec hospitium dandum nec dicendum: Ave jubet Joannes in secunda sua epistola *cap. 10.* et quos primogenitos diaboli appellare majores Nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis et mellitis sermonibus, quibus vobis suadebunt ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti quod rationi, nihil quod religioni adversetur, imo nihil vel praedicari vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi atque in iis versari. Deinde quamvis quae graviora et scelestiora sunt iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum societatum vim et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. cap. 1.: *qui talia agunt, digni sunt morte et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Postremo eos, qui cum jam essent illuminati et gustavissent domum coeleste et participes facti essent spiritus sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Ejus enim vice fungentes qui professus est non venisse se vocare justos sed peccatores et se pastori aequiparavit, qui relicto reliquo grege sollicite ovem quaerit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei et Jesu Christi filii ejus misericordia et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando et iterum ad Jesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non despiciet, sed imo ad instar amantissimi Patris qui filios prodigos jamdudum expectat libentissime accipiet. Nos vero ut quantum in Nobis est eos excitemus et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has apostolicas literas in regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios tum etiam reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque etiam non denunciatis complicibus absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero qui a locorum in quibus degunt Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos qui forte in Urbe morentur adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis quos nunc alloquimur ita pertinax sit, (quod Deus misericordiarum Pater avertat) ut committat illud temporis spatium quod designavimus labi quin sectas illas deserat et vere resipiscat, eo elapso, continuo et obligatio denunciandi complices et censurarum reservatio in eum reviviscet nec absolutionem deinceps impetrare poterit nisi denunciatis antea complicibus vel saltem juramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis vel a Nostris successoribus, aut ab iis, qui a Sede apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

Volumus autem, quod praesentium Nostrarum literarum transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis confirmationis, innovationis, mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno 1825 tertio Idus Martii.

Huic amplissimae Leonis XII. constitutioni, in qua omnes inseruntur solemnes sectarum damnationes a romanis Pontificibus antea inflictae adjungimus confirmationem earumdem a Pio VIII. fel. rec. peractam, qui ab initio sui Pontificatus in epistola encyclica diei 24. Maji 1829. §§. 6 et 7 sequentia edixit: Hac vero sublata sacrarum literarum corruptione vestrarum est partium Venerabiles fratres adversus occultas illas hominum factiosorum societates curas convertere, qui in Deum et principes infensi toti in eo sunt, ut ecclesiae labem, regnis perniciem, orbi universo perturbationem importent viamque ad flagitia sternant, fraeno verae fidei confracto. Qui quidem cum tenebricosissimi arcani religione improbitatem suorum coetuum susceptaque in ipsis consilia celare adnitantur gravem hac ipsa ex causa earum turpitudinum suspicionem injecerunt, quae deinceps pro temporum asperitate, veluti a puteo abyssi, in summam rei sacrae et publicae jacturam eruperunt. Hinc iterato anathemate a summis Pontificibus praedecessoribus Nostris Clemente XII., Benedicto XIV., Pio VII., Leone XII., cui meritis longe imparibus suffecti sumus, occultae id genus sectae, quocumque demum nomine nuncuparentur, confixae fuerunt, datis in eam rem apostolicis literis, quarum ordinationes de apostolicae potestatis plenitudine confirmamus et omnino servari mandamus; qua in re ne quid detrimenti a talium sectarum conspiratione ecclesia et publica res capiant omni studio advigilabimus instantia vestra quotidiana in tantum operis advocata, ut induti armaturam zeli strenue in unitate spiritus communem Nostram, imo verius Dei causam agamus ad destructionem munitionum, quas putida hominum nequam opponit impietas.

Hic porro de alia ex occultis hisce societatibus haud ita pridem constituta scribere ad vos speciatim decrevimus, quae ad adolescentium animos corrumpendos coaluit *) qui in gymnasiis ac lyceis instituuntur. Pravos et qui discipulos in vias Baal deducant per doctrinas, quae secundum Deum non sunt, magistros adscisci, praecipua ipsorum ac veteratoria curatio est, cum probe noscant ex doctorum praeceptis mentes moresque auditorum effingi. Quo fit, ut eo jam talium adolescentium licentiam pervasisse ingemiscamus, ut religionis metu projecto, amota disciplina morum, doctrinae purioris sanctitate oppugnata, juribus sacrae et civilis potestatis conculcatis, nullius eos neque flagitii neque erroris neque ausus pudeat, apud quos vere dicere possumus cum Leone Magno *): lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Haec vos mala a vestris dioecesibus propellite fratres et qua valetis auctoritate et gratia contendite, ut viri non literarum scientia duntaxat, sed vitae etiam ac pietatis commendatione spectati rectae juvenum institutioni praeficiantur.

Eadem confirmatio fuit repetita in epistola encyclica SSmi D. N. diei 9. Novembris 1846. **)

*) Leo XII. hanc sectam explicite damnaverat quae dicitur *universitaria*, vd. p. 804. §: *Non.*

*) In serm. 5. de jejun. X mensis, cap. 4.
) Vd. *p. 796.* *)

LITERA APOSTOLICA.

Venerabilibus fratribus Episcopis Brasilianae regionis.

Pius PP. IX.

Venerabiles Fratres.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Exortae in ista ditione superioribus annis perturbationes ex parte eorum, qui massonicae sectae addicti in piorum christianorum sodalitates irrepserunt, uti vos venerabiles fratres in dioecesibus praesertim Olindensi et Belemensi de Para in gravem adduxere conflictum, sic Nostro animo ut scitis molestae admodum et acerbae extiterunt. Non enim poteramus sine dolore respicere, quod exitiosa illius sectae pestis ad corruptionem praedictarum sodalitatum manasset, atque ita ea instituta quae ad sincerum fidei et pietatis spiritum fovendum ordinata essent superseminata funesta zizaniorum messe in miseram conditionem essent prolapsa. Hinc Nos apostolico Nostro munere admoniti et paterna caritate impellente qua istam Do-

minici gregis partem prosequimur, huic malo occurrendum esse incunctanter existimavimus ac literis datis die 29. Maji anno 1873 ad te, Venerabilis Frater Olindensis, Nostras voces contra hanc deplorandam perversionem in christianas sodalitates invectam extulimus, ea tamen lenitatis et clementiae ratione erga deceptos et illusos massonicae sectae asseclas adhibita, ut ad congruum tempus reservationem censurarum in quas ipsi inciderant suspenderemus, in eum finem ut Nostra benignitate uterentur ad detestandos errores suos et ad damnatos quos iniverant coetus deserendos. Mandavimus insuper tibi, venerabilis frater Olindensis, ut eo temporis spatio elapso nisi ipsi resipuissent praedictas sodalitates supprimeres ac suppressas declarares, easque novis sociis adscriptis ab omni massonica labe immunibus juxta suae originis rationem de integro restitueres. Praeterea cum Nos in encyclica epistola ad catholici orbis Episcopos data die 1. Novembris anno 1873 fideles omnes adversus sectariorum artes et insidias pro munere Nostro munire studeremus, palam ea occasione pontificias constitutiones contra pravas societates sectariorum editas in memoriam fidelium revocavimus atque ediximus iis constitutionibus non unos percelli massonicos coetus in Europa constitutos, sed omnes quotquot in America aliisque totius orbis plagis habentur. Hinc Nos non potuimus non vehementer mirari, Venerabiles Fratres, quod cum auctoritate Nostra et consiliis errantium salutem spectantibus interdicta sublata essent, quibus in ista regione nonnullae ecclesiae et sodalitia ex massonicis asseclis late conflata subjecta fuerant, ex hoc occasio capta fuerit in vulgus disseminandi, massonicam societatem in istis plagis consistentem apostolicarum damnationum exsortem esse ac proinde eosdem sectarios tuto posse in piorum christianorum sodalitatibus partem habere. Sed quantum haec a veritate et a Nostri animi sententia aberrent, id aperte declarant tum ea acta, quae superius memoravimus, tum epistola ipsa quam ad Serenissimum Imperatorem istius regionis scripsimus die 9. Februarii 1875, in qua dum interdictum, quod nonnullas ecclesias istarum dioecesium afficiebat, revocatum iri spondebamus, ubi vos Venerabiles Fratres Parensis et Olindensis injusto carcere detenti in libertatem essetis restituti, eam tamen reservationem et conditionem adjecimus, ut scilicet massonici asseclae ab officiis quae in sodalitiis gererent summoverentur. Quae ratio providentiae Nostrae non aliud habuit neque habere potuit propositum, nisi ut Imperatoris votis hac ex parte expletis ac tranquillitate animorum revocata opportunitatem imperiali Gubernio praeberemus pias sodalitates massonica labe depulsa in pristinum statum restituendi ac efficiendi, ut damnatae sectae homines Nostra erga ipsos clementia permoti a perditionis via sese eripere curarent. Ne vero in re tam gravi ullum dubium superesse posset vel ullus deceptioni locus Nos non omittimus hac occasione iterum declarare et confirmare, massonicas societates, sive quae in ista regione sive quae alibi terrarum existunt, quaeque a multis vel deceptis vel decipientibus socialem tantum utilitatem et progressum mutuaeque beneficentiae exercitium spectare dicuntur, apostolicis constitutionibus et damnationibus esse proscriptas atque perculsas eosque omnes qui sectis iisdem nomen infauste dederint ipso facto in majorem excommunicationem romano Pontifici reservatam incidere. Vehementer autem cupimus Venerabiles Fratres ut sive per vos sive per cooperatores vestros de hac exitiosa peste fideles admoneatis eosque omni qua potestis ratione ab ipsa incolumes adnitamini. Nec minori cum sollicitudine vestro zelo commendamus ut religiosa doctrina per praedicationem verbi Dei et per opportunas instructiones christiano populo isthic sedulo tradatur; scitis enim quae utilitas ex hac ministerii parte si rite impleatur, quae damna gravissima si negligatur in christianum gregem demanent. At praeter ea de quibus hic egimus deplorare etiam cogimus potestatis abusum ex parte eorum qui memoratis sodalitatibus praesunt, qui nempe, ut ad Nos perlatum est, omnia ad suum arbitrium revocantes indebitum jus in rebus et personis sacris et in iis quae spiritualia sunt sibi vindicare praesumunt ita, ut ecclesiastici viri et parochi ipsi in sui officii muneribus obeundis eorum potestati penitus obnoxii reddantur.

Quae res non modo ecclesiasticis legibus sed et ipsi ordini a Christo Domino in ecclesia sua constituto omnino adversatur; non enim laici homines a Christo positi sunt rerum ecclesiasticarum rectores, sed ii pro sua utilitate et salute legitimis pastoribus subesse debent eorumque et pro singulorum statu

sese cleri adjutores praebere, non autem sese immiscere in iis rebus quae sacris pastoribus sunt a Christo concreditae. Quapropter nihil magis necessarium agnoscimus, quam ut praedictarum sodalitatum statuta ad rectum ordinem exigantur; et quae in iis abnormia et incongrua hac ex parte sunt cum ecclesiae regulis et canonica disciplina rite componantur. Ad hunc finem assequendum Nos, Venerabiles fratres, spectatis rationibus quae inter ipsas sodalitates et civilem potestatem intercedunt in eo quod attinet ad earum in temporalibus constitutionem et ordinationem, jam Cardinali Nostro a secretis status opportuna mandata dedimus ut cum imperiali Gubernio agat et concordia cum ipso studia ad optatos effectus obtinendos convertat. Confidimus potestatem civilem in hanc rem suas curas Nobiscum studiose collaturam, ac Deum enixe precamur a quo bona cuncta procedunt, ut hoc opus quod ad religionis et societatis civilis tranquillitatem pertinet, sua gratia prosequi et adjuvare dignetur. Horum votorum ut compotes simus, vos etiam, Venerabiles Fratres vestras preces nostris adjungite ac in pignus sincerae dilectionis Nostrae accipite apostolicam Benedictionem, quam vobis et clero ac fidelibus cujusque vestrum curae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 29. Aprilis an. 1876.

Excommunicationem latae sententiae romano Pontifici reservatam incurrunt nomen dantes sectae *massonicae* aut *carbonariae* aut aliis ejusdem generis sectis quae contra ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octob. 1869.) *)

*) Vd. *Censurae* (limitatio).

Cardinalis.

1) Abdicatio.

Admissio abdicationis cardinalatus factae a Stephano Carolo de Lomenie de Brienne et creatio novi Cardinalis in ejus locum.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres.

§. 1. Vobis qui in nostrae apostolicae sollicitudinis partem vocati estis venerabiles fratres plane perspectum exploratumque est, qua Nos mansuetudine, qua caritate usi cum iis simus, qui civilem gallicani cleri constitutionem aut primum excogitarunt aut deinceps secuti sunt, inter quos non sine immenso animi Nostri dolore recensetur dilectus filius Noster Stephanus Carolus Cardinalis de Lomenie de Brienne. De ipso multa quidem dicta esse et Nos recordamur et vos meminisse potestis tam cum prospera quam cum adversa fortuna uteretur. Christianissimi regis gratia praesidioque nixus facile conscendere potuit evehique ad sublimiores ecclesiae dignitates. Per regias enim nominationes primum ecclesiam Condominensem in Aquitania obtinuit, metropolitanam deinde Tolosae in Occitania consecutus est ac postremo translatus ad archiepiscopalem ecclesiam Semonensem in provincia Campaniae. Quos quidem alios aliis potiores dignitatum gradus cui potissimum referre debuit acceptos quam sanctae huic Sedi quae et regias probarat nominationes et semel iterum ac tertio per apostolicas literas canonicam eidem largita erat missionem?

§. 2. Revera quidem ille ad singulas quasque vices explebat partes suas in praestando obedientiae ac fidelitatis erga ecclesiam et apostolicam Sedem sacramento suorumque memor erga Deum officiorum, quae

susceptis erant conjuncta dignitatibus, inter praeclariores numerabatur illius regni Episcopos, cum plurimo incenderetur studio religionis ecclesiaeque ab iis defendendae erroribus, quos tum multa cum laude improbabat nunc vero contra et fovet et miserum in modum sectatur ac profitetur. In comitiis generalibus cleri gallicani 1762 habitis cum sermonem haberet, egregie illud contendit ut neque verior neque fortior esse possit in patriam amor, si vel causae vel effectus inspiciantur quam cum religionis fundamento innititur.

§. 3. At multo etiam magis illius fulsit ardor animi, cum in comitiis generalibus anni 1765 docta sane nervosaque oratione ostenderet, non minus reipublicae quam ecclesiae interesse, ut religio patrum pura et intemerata servetur; quam quidem orationem Rhemensis Archiepiscopus comitiorum praeses communi nomine dignam esse declaravit, quae eximiis laudibus ornaretur.

§. 4. Hinc strenue oppugnandos suscepit errores, qui Galliarum regno imminebant ac primo invehi coepit in impios libros per quos religionis fundamenta convelluntur nec minor ecclesiae quam imperiis infertur pernicies; adeoque auctor fuit, ut libri hujus generis omnes atque ii praecipue cum plurima detestatione damnarentur, qui ceteros impietate antecelerent commemorato inprimis opere de contractu sociali. Auctor item tuit, ut scripto in vulgus edito edocerentur populi, quot pericula, quot damna ex cogitandi libertate manarent utque confugeretur ad Regem tum religionis tum sua ipsius causa, quo is adeo effraenatam licentiam compesceret.

§. 5. Subinde non minori animi ardore loquutus est adversus parlamentorum laicorumque tribunalium conatus, obtestatus scilicet, non posse se dissimulare, quae a parlamentis proponebantur ea multo graviores atque atrociores aerumnas importatura. Addidit praeterea parlamentorum consilia eo spectare ut omne ecclesiasticorum inter se abrumperetur vinculum, prohibita Episcopis quacumque cum Jesu Christi Vicario ecclesiae capite et centro unitatis communicatione, hortatusque sit, ut de ea re graviores ad Regem expostulationes deferrentur.

§. 6. At prae ceteris censuit pastoralem edendam esse instructionem, quae fundamenta ipsa edoceret planeque detegeret, quibus ecclesiae nititur auctoritas, nulli scilicet alii auctoritati obnoxia, cujusque fideles omnes subjici ac parere tenentur; declaravitque agi hic de fidei elementis explicandis, de dogmate super ecclesiae auctoritate nuniendo deque jurisdictionis ecclesiasticae momentis quae nullo temporum cursu possunt immutari. Nec etiam dissimulavit constitutionem *Unigenitus* tamquam judicium dogmaticum habendam esse atque idcirco per dioeceses omnes vulgari oportere affirmabat encyclicas literas Benedicti XIV. die 16. Octobris 1756 datas facto officii causa ejus rei certiore Rege: minime enim dicebat indigetis regia auctoritate ad evulgandam s. apostolicae Sedis responsionem in re mere spirituali.

§. 7. Haec, quae a Tolosano tum proponebatur, post maturum in comitiis habitum examen unanimi fuerunt consensione comprobata. Proinde Archiepiscopus una cum suae commissionis sociis manus operi admovit perscriptis diligenter commentariis Regi exhibendis et uno volumine in tres partes diviso comprehensis comitiorum actis quae populos ecclesiae jura edocerent.

§. 8. Longum nimis operosumque esset hoc loco praeclaros omnes referre sensus, quibus commentaria et acta redundant. Satis enim est, ut affirmemus quae antea Lomenius in comitiis protulerat eadem fuisse et omnium Episcoporum et ad comitia deputatorum judicio probata et subscripta. Ac tum frustra saecularis magistratus suo fuit decreto conatus acta isthaec supprimere et ne publicis typis prodirent intercedere. Contra enim statutum a comitiis fuit, ut ad regem confugeretur, quo decretum illud rescinderet, et Tolosano Archiepiscopo mandatum, ut supplicem libellum praescriberet eoque in comitiis perlecto idem ipse auctor dignus est habitus, qui illum regi exhiberet: ac tum ille in exhibendo Regi ipsi copioso et gravi comprobavit sermone in catholico regno libertatem docendi partem esse juris publici, causam Dei esse Regum causam et ea quae ecclesiae auctoritati perniciem intendant imperiis itidem excidium denunciare. Quocirca minime dubitavit Rex decretum parlamenti rescindere: comitia vero constituerunt ad Archiepiscopi gloriam, ut ejusdem sermo in sua acta relatus esset.

§. 9. Novo etiam regii consilii conatui Archiepiscopus Tolosanus intercessit, quo parochum dioecesis Viennensis ad parochiam

quamdam administrandam vocaverat contra sui Archiepiscopi voluntatem. Obstitit igitur luculenterque declaravit, ex hisce laicae potestatis conatibus acerbiora mala proficisci inductis absque missione ministris et absque jurisdictione pastoribus; proinde parochos intrusos facturos esse actus irritos et quaecumque ii munera obirent nonnisi totidem profanationes futuras.

§. 10. Partem quoque habuit Tolosanus in eo commentario, quod comitiorum nomine exhibitum est Regi circa protestantes, qui coeperant publicis muneribus fungi adversus leges ac regis declarationes non sine maximo religionis et reipublicae detrimento. Per plures enim dioeceses altaria videbantur extolli adversus altaria et pestilentiae cathedra adversus cathedram veritatis. Si lex (commentarii verba ad regem sunt), quae edictum Nannetense rescidit, si tua anni 1724 declaratio viguisset jam per Gallias Calviniani existerent nulli: funestam esse eorum hominum tolerantiam, qui cum se catholicos dicant, sub tali clypeo latitare se posse ecclesiaeque exprobrationem vitare existimant; per humanitatis et benevolentiae speciem diffundi ab iis rebellionis et anarchiae semina: ipsos gallicae nationi insitos mores et ipsas quas tolerantiae auctores praetexunt falsitates satis aperte arguere quam longissime ea distet a vero politices et religionis bono: hanc infelicem aetatem irreligiosis abundare hominibus quibus nil prius est quam sanctum ministerium deprimere et prorsus evertere.

§. 11. Probe tandem Archiepiscopus Tolosanus agnoscens irritas esse Episcoporum Ultrajactensium electiones illicitasque ac sasacrilegas consecrationes eorumdem auctor fuit, ut unanimi comitiorum suffragio condemnarentur acta synodi Ultrajactensis jam a s. Sede damnata, in qua synodo Canonici et parochi se gesserant ut Episcopis pares et instar Episcoporum tamquam fidei judices.

Hanc enim condemnationem ajebat perpetuam testem futuram de Galliarum Episcoporum obsequio ac studio erga apostolicam Sedem deque eorumdem indignatione adversus opus schismaticae ecclesiae, quae ad catholicam ecclesiam se spectare contendit, absque eo quod ipsius decretis obtemperet seque cum Petri cathedra communionem putat servare, dum omnia universitatis et ecclesiasticae hierarchiae vincula dissolvit ac abrumpit.

§. 12. Haud dissimiles fuerunt Lomenii sensus in comitiis generalibus cleri anni 1770, ubi denuo contra pravos libros sermonem instituit et ubi rursus oppugnandos suscepit parlamentorum conatus non modo jus sibi arrogantium concedendae ecclesiasticis facultatis, ut illis institutionem canonicam conferrent, quibus a legitimis pastoribus antea denegata, sed etiam in causis solemnium votorum immiscere se audentium. Nec minus acriter adversus ordinationem invectus est ab Episcopo Bethlemensi factam in dioecesi Antissiodorensi absque proprii ac legitimi Episcopi venia et cum esset demique aliis collegis adjunctus novam super incredulitate lucubrationem per Gallias edendam curavit.

§. 13. Laudabiles demum ipsius sensus fuerunt in comitiis anni 1712, ubi comitiorum ipsorum nomine orationem habuit ad Regem, in qua demonstravit, quanta cura esse debeat clero ea bona conservare ad se ipsum alendum ac sustendandum consecrata ut possit indigentiae quoque populorum occurrere, Regemque praemonitum voluit de consilio, quod militia quaedam spectabilis quidem sed extranea ab ecclesia suscipere unquam attentasset jure quodam suo ista bona occupandi. Commemoravit quoque Regi, in ejus ditione religionis robur ac nervos imminui et ex ejusdem debilitate paulatim ac sensim corruptionem morum, opinionum pravitatem omniumque imperii vinculorum relaxationem induci. His autem praejactis petiit, ut regia auctoritate muniretur religio; religionem enim ajebat esse firmissimum imperiorum fundamentum et arctissimum veluti nexum, quo populi obedientes suo principi colligantur.

§. 14. Ab hac egregia sentiendi semita divertere coepit Lomenius, ubi regia favente aula ad Sedem archiepiscopalem Senonensem translatus honores saeculi adjunxit ad ecclesiae dignitates. Vix enim ipse accitus fuit a Rege ad primarii ministri munus obeundum, licet a Nobis fuisset admonitus, ut a conatibus heterodoxorum caveret, factum tamen est paulo post, ut Nannetense edictum de heterodoxis tolerandis redintegraretur, edictum plane exitiosum ac pestileus, ex quo praecipue ea damna manarunt quae nunc religionem et regnum dilacerant ac evertunt, merito propterea per apostolicam Sedem a

suo usque initio reprobatum, quodque proprio testimonio Lomenius ipse ut universus Galliarum clerus erat detestatus, Nos illico expostulationes ea de re ad Nos deferendas curavimus per venerabilem fratrem Antonium Archiepiscopum Rhodiensem Nuntium Nostrum, idemque praestiterunt religiosi per Gallias Episcopi. Sed et Nostrae et illorum quaerelae in irritum ceciderunt.

§. 15. Praetera idem Lomenius occulte viam sibi communivit ad alia peragenda, quae postea detecta et eo quo ipse spectabat perducta immensum religioni et regno detrimentum intulerint. Sperabat fortasse consecuturum inde hominum de se plausus; at divino plane consilio plerumque fieri solet, ut vanae ac fallaces politices humanae spes concidant; praeconiorum enim colligendorum loco incidit ipse in accusationes obtrectationesque publicas et in omnia odia, ita ut Rex ipse illum a se fuerit coactus dimittere.

§. 16. Tunc Lomenius consilium cepit id sua sponte abjiciendi, quod diutius retinere se non posse agnoscebat adeoque apud Regem ipsum suo quo fungebatur munere sese abdicavit. Sed nomen suum dedecori suumque caput periculis objecturum se ratus nisi illi quo exutus esset ministerio alia dignitas sufficeretur enixis precibus apud Regem suorum consiliorum ignarum institit, ut cardinalitiam a Nobis sibi dignitatem impetraret.

§. 17. Sagax quidem et callida fuit illius abdicatio ac aeque provida fuga qua se ab urbe Lutetia et a Galliarum regno proripuit in tuto exspectaturus, donec regis opera cardinalatus honorem consequeretur. Difficile profecto dictu est, quo studio Rex christianissimus iterum iterumque flagitarit a Nobis cardinalitiam pro illo dignitatem, a qua tribuenda eramus certe animo alieno. Sed repetitis tandem expuguati precibus filii ecclesiae primogeniti cujus meritorum habendam semper duximus rationem et ea spe freti, ut Archiepiscopus Senonensis Nostra manu ab impendentibus aerumnis ereptus cum esset tum delati officii munere tum grati animi causa se ad pristinos suos sensus revocaret eundem in consistorio diei 15. Decembris 1788 in vestrum collegium cooptavimus. Novus spei Nostrae cumulus accessit ubi Lomenium in urbe Niciensi certiorem factum de dignitate cardinalitia sibi collata exhibuisse Nobis agnovimus locupletissimas de obedientia deque studio in Nos suo significationes affirmantem per literas se Nobis et conjunctissimum et obsequentissimum esse seque magno et constanti ardore flagrare religionem et apostolicam Sedem tuendi sibique in votis maxime esse, ut opportunitates habere posset, quibus ostenderet hosce grati animi sui sensus et germanos esse et plurima cum observantia conjunctos.

§. 18. At a spe Nostra omni in quam non sine ratione induci videbamur cito decidimus simulque egregiae illae declarationes in irritum abierunt. Vix enim Cardinalis exul atque extoris a solo patrio inchoatam crescentemque vidit Gallicani conventus opera illam rerum conversionem, quam Nobiscum ignorabant omnes per eum ipsum ministerii sui tempore designatam et patratam fuisse, nulla mora interposita se contulit ad ecclesiam suam cathedralem Senonensem ibique mense Martio anni 1790 veritus minime est sermonem coram omnibus habere et novam rerum immutationem plurima laude cumulare eo usque, ut eidem condendae se aliis incitamento fuisse gloriatus sit violatis uno eodemque tempore atque pessumdatis sacramentis fidelitatis pluries per eum praestitis ecclesiae et apostolicae Sedi ac etiam Regi erga ipsum beneficentissimo.

§. 19. Haud ita certe locutus est, cum die 25. Novembris 1790. tanquam Archiepiscopus et Cardinalis alias suas ad Nos daret literas quibus hoc vinculo romanae Sedi successori divi Petri ac Nobis singillatim devinctissimum se esse, ficte certe ac subdole, profitebatur. Praeterito enim per silentium sermone abs se habito post reditum ad suam ecclesiam non dissimulavit, per civilem cleri constitutionem ad schisma et ad presbyterianismum aditum patefieri.

§. 20. Transgressus subinde est ad graphice describenda haec acerbissima ecclesiae gallicanae tempora declarans aperte patrum religionem a regno exulare: si qualis erat (inquiebat ille) apud proavos religio staret adhuc atque floreret, sperari posset . . . . At quantum in pejus mutatae rerum vices! nec est veritus eorum qui in Galiis degunt conditionem cum illorum conditione comparare, qui apud infideles commorantur. Descripsit quoque violentiam altarium ministris illatam non eo quidem animo tantis excidiis obicem opponendi veluti Archiepiscopum et Cardinalem decuisset, sed animo tegendi consilium

abs se susceptum de tempore caute serviendo, consilium profecto nunquam apud patres respectum sed aut ea ab ipso Lomenio aut a Galliarum clero nota praevaricationis inustum.

§. 21. Hinc componere se posse ratus evangelium cum nova constitutione veritatem scilicet cum mendacio sperni minime oportere affirmabat certam quandam moderationis ut ita dicam oeconomiam, ne major in clerum calamitas derivetur. Quandoquidem conventus hic nationalis ad exitum perduci decreta sua, quaecumque accidant, omnino volet et nihil opinor intentatum reliquet; adeoque asserebat indulgentia prorsus mendum, cum deteriora timeri mala expectarique possent a constitutionis auctoribus, quos interim ipse compellare non dubitavit evangelii perduelles. Audite VV. EE. ipsius audite maximi momenti declarationem: »Hac nostra tempestate ac luctuosa ecclesiae gallicanae conditione id officium negligi posse non crediderim, quin evangelii perduelles in religionem insultent audacius, quin concutiatur piorum fides, quin catholicum dogma (non periculum quantumcumque est, dolens indigitabo) in schisma fortasse ac presbyterianismum feratur praeceps.«

§. 22. Improbum hinc patefecit Nobis consilium illa nempe exequendi capita constitutionis nationalis, quae decernunt novam divisionem suppressionemque dioecesium electionemque a populo faciendam parochorum suffragantibus etiam judaeis, mahometanis, calvinistis ac cujuscumque proscriptae sectae hominibus in multis dioecesibus numero longe praevalentibus: ac interim in ancipiti reliquit quo se modo gereret super nova seminariorum disciplina et super iis decretis, quae Episcoporum imminuunt potestatem. Declaravit tamen se nunquam executurum decreta quae ad suum spectant cum apostolica hac Sede vinculum; Nos enim ita est ementitis verbis alocutus: Quisquis tandem rerum erit exitus, profecto ita de me sentiat Sanctitas Vestra nulla unquam ratione, nullo metu ab eo erga se ipsam fidissimo amore divellendum.

§. 23. At novam adjungens machinationem significavit, se non posse Nostram responsionem exspectare sequentibus verbis: Si protrahere fas fuisset sanctissime Pater, quidquid apud nos actu opus est, usque dum a s. Sede responsum esset, id sane beatissimum duxissem sed tamen isto loco res non se habent. Nam promulgatis de futura cleri conditione Gallicorum comitiorum decretis urgemur acerrime.

§. 24. Itaque videntes Lomenium responsionem Nostram minime expectaturum deliberavimus opus non intercipere super singulis civilis cleri constitutionis articulis ab Episcopis Galliarum expetitum, quod cum fuisset absolutum etiam cum Lomenio esse commune potuisset. Sed Lomenius nova ad Nos epistola retulit ea, quae inter superiorum literarum intervallum ipse peregerat; nec erubuit fatere, tempori fuisse serviendum, postquam sedulo perpendisset causas omnium rerum, quas pro lege acerbissimi hujus temporis actu necessarias atque ineluctabiles esse arbitrabatur contemptoque exemplo omnium fere Galliae Episcoporum atque abjecta doctrina, quam prius intrepide asseruerat in conventibus cleri, novum presbyterium in ecclesia cathedrali constituere decrevit, regimen alienarum dioecesium, quae per decreta in suam transfusae erant, sibi arrogavit et pure ac simpliciter et in tota contextus amplitudine sacramentum dixit a nationali conventu propositum nec veritus est nonnullas exponere declarationes videlicet: Animadvertet Vestra Sanctitas non pro assensu animi habendum esse sacramentum hujusmodi nec pertinere ad ea decreta, quae summa vi elicita sunt eoque meram exposcunt patientiam.« Possuntne graviora crimina cum in rebus ab eo gestis tum in ipsis ejusdem declarationibus componi?

§. 25. Erravit ergo deliberato animo Lomenius serviendo tempori schismatique favendo, quod verbis evitare se velle effingebat. Noverat irritas esse novorum Episcoporum a suis sedibus expulsiones ob solam recusationem emittendi civicum jusjurandum, sacrilegas novorum Episcoporum consecrationes sibique gloriandum esse videbatur ob rejectam institutionem parochi de Gomecourt electi Episcopi Versaliensis. Sed adhuc se dubium incertumque esse declaravit, si acrius urgeretur pro impetranda institutione, non obscure significans se, ne sacram purpuram injuriis objiceret, tandem aliquando cessurum etiamsi fateri coactus fuerit sententiam suam a multis mollioris animi reputari.

§. 26. Dici vix potest quanta Lomenius hoc exemplo intulerit damna dioecesi suae ut constat ex literis procuratoris communitatis Senonensis, quibus ita certior fit praeses conventus gallicani: haud latere te omnino debere puto dominica die Cardinalem Episcopum Senonensem sacramentum dixisse a lege perscriptum et in hac civitate esse omnino neminem, qui novae adversetur constitutioni.

§. 27. Exemplo voces adjunxit mollissimi animi sensus praeferentes, nam adveniente quadragesimali tempore pastoralem vulgavit epistolam, qua commentitiam quandam caritatem praeseferens excusare conatus est praestitutum a se jusjurandum perinde ac si minime illud suis ipsius sententiis adversaretur quas in comitiis anni 1765 exposuerat; eoque etiam devenit, ut populos hortaretur ad amplectendam exequendamque constitutionem, quae pro fundamento habeat libertatem cogitandi in rebus etiam religiosis aliosque continebat perniciosos errores socialis contractus, quos ipse Cardinalis ac clerus fuerat execratus.

§. 28. Tot tantasque pravitatum ejus accessiones cum conspiceremus planeque existimaremus peccatum publicum esse publice a Nobis corripiendum juxta Apostoli praeceptum, ut et pastor qui peccavit et grex qui in errorem inductus est revocaretur in viam nulla interjecta mora, non omisimus Nostras praescribere et evulgare literas, quibus Lomenium admonebamus quantum dedecus atque injuriam cardinalitiae et archiepiscopali dignitati importavit emittendo civicum sacramentum illudque exequendo, neque dissimulavimus flagitiosas ab eo editas declarationes aperteque etiam exposuimus illusoriam illam esse quam asseruerat necessitatem, ob quam tamen, etsi talis, qualem ipse asserebat, existeret, nullo modo posset solutus esse a vinculis, quibus Deo ecclesiaeque obstringitur, imo paratum se omnino exhibere deberet ad quamcunque hujus saeculi aerumnam perferendam.

§. 29. Demum hortari non destitimus ut civicum sacramentum ejuraret comminantes canonicas poenas, ad quas manus admovere cogeremur, illum cardinalitia etiam dignitate exuendo nisi tempestiva satisfactione publicam offensionem reparasset. Eam clausimus epistolam hac paterna obsecratione: »Te majorem in modum iterum atque iterum hortamur, rogamus ac obtestamur, ut a recta nusquam deflectens via sacris catholicae ecclesiae regulis constanter insistas maximeque episcopali pectore pront debes contendas, quantum in te est, ut omnis obstruatur novitati, schismati atque errori aditus utque hoc periculosissimo tempore duci te unice regique suas a divino consilii, fortitudinis, fidei ac patientiae spiritu.

§ 30. Praeterea certiorem tum redidimus Regem eorum quae a Lomenio in illis erant scripta literis et adjunximus exemplum Nostrae illius responsionis; quod ea mente faciendum duximus, ut qui regia commendatione cardinalatus dignitate fuerat decoratus eundem sua Rex ipse auctoritate ad officium ac salutis viam reduceret; secus coactos fore Nos ad comminatas poenas devenire.

§ 31. Sed haec omnia exitu quem spectabamus plane caruerunt. Nam Lomenius obfirmato quo erat animo suos non jam detestandi, sed propugnandi errores suscipere non aliud consilium voluit, quam ipsum ultro cardinalatum dimittendi eo plane modo, quo antea primarii ministri munus abjecerat cum, se ipse nimirum in eum conjecisset statum ut illo amplius se fungi non posse cognosceret.

§ 32. Hinc per epistolam die 26. Martii ad Nos ex urbe Senonensi datam plenam commentis et simulationibus clare tamen expresseque dimittit ac renuntiat Nobis cardinalitiam dignitatem. Ac eo se redactum fuisse scripsit, ut vel civili potestati deesse deberet vel cardinalatum deponere; quo ipso quantum in se est plurimam non dubitavit conflare invidiam illi jurijurando quo Cardinales s. R. E. obstringuntur. At non jam hic agebatur de expositis ab ipso conflictisque dubitationis causis sed quaenam praeferenda ipsi esset, Deine an hominum auctoritas, religione an apostasia; tanquam e collegio vestro egressus, minus apostata ac refractarius esset qui contemtis Dei ecclesiae legibus sequi non expavescit ac fovere constitutionis errores. Notum vero est sacramentum a Cardinalibus praestari solitum esse sacramento simillimum, quo ab omnibus praestatur catholici orbis Episcopis, quodque adigens jurantem ad fidem sancte religioseque servandam ecclesiae et apostolicae Sedi et ad religionem tuendam eum insimul patriae et legitimae imperantium auctoritati fideliorem reddit cum nullum religione sit firmius patriae et imperiorum columen ac fundamentum.

§ 33. Simulavit etiam se injuria affectum esse eo nimirum quod ex canonum instituto

de publico errore publice fuisset admonitus et eo quod reprehensus esset ob jusjurandum non animo ut ait sed voce tantummodo praestitum quod tamen jusjurandum iis emissum est ab ipso tamque claris manifestisque verbis quae interpretatione nulla indigerent.

§ 34. Simulavit quoque distinctionem inter obedientiam et approbationem perinde ac si sacramento promisisset obedientiam non autem approbationem praestitisset. Qua distinctione nil excogitari potest deterius; etenim ubi de religione agitur in iis quae probari non possunt, obedire non licet, quoniam oportet obedire magis Deo quam hominibus. Nec satis est corde solum credere ad justitiam sed opus est, ut etiam ore confessio fiat ad salutem.

§ 35. Simulavit insuper nihil se in constitutione universa deprehendere quod fidei adversaretur quodque cum sua conscientia pugnaret idque ea praesertim de causa effinxit ut contradictum evitaret inter jurisdictionis ecclesiasticae principia a se exposita in pluribus conventibus cleri gallicani et decreta constitutionis suo jurejurando recepta. Sed qua ratione id simulare potuerit nemo intelliget postquam idem Lomenius in literis ad Nos scriptis post ejus defectionem superius commemoratis fassus dillucide est ex constitutione schisma atque presbyterianismum induci ejusque auctores esse evangelii perduelles. Perlegat ipse Nostras literas missas ad Galliae Episcopos et singulos deteget decretorum errores tam in fide quam in recepta ab universali ecclesia disciplina.

§ 36. Simulavit denique dilationem Nostrae responsionis ad suas priores literas in causa fuisse cur ipse et sacramentum praestiterit et plura decreta fuerit executus; quando idem Lomenius in suis prioribus literis Nobis significaverat se responsionem Nostram nequaquam expectaturum.

Quae hactenus a Nobis exposita sunt liquido constant ex tenore epistolae abdicationis Lomenii quam vobis VV. EE. modo Noster secretarius brevium ad principes recitabit.

§ 37. Quo vero firmiorem vim sua haberet abdicatio non omisit Lomenius certiorem facere Regem per ejus administrum quem rogavit ut epistolam abdicationis ad Nos mitteret prout revera ab eo missa fuit ita ut ambigi prorsus nequeat de fide hujus epistolae cujus characterem ac signum ut nulla cautio deesset probandum rite curavimus coram dilecto filio Petro Nigrono Protonotario et consistorii secretario. Non omisit etiam Lomenius eandem abdicationis epistolam per universum regnum typis evulgare quo omnibus innotesceret se cardinalitiam abdicasse dignitatem ita ut cujusvis ordinis homines testes sint locupletissimi de ipsius efficaci certaque voluntate cardinalatum dimittendi prout etiam fidem minime dubiam faciunt Episcoporum literae et acta quae ubique circumferuntur.

§ 38. Vix ad Nos pervenit Lomenii epistola de sua cardinalatus abdicatione potuissemus quidem sine ulla mora illam approbatione Nostra roborare, sed a mansuetudinis semita adhuc non recedere rati sumus, ut ad illum denuo cohortatio Nostra pervenire posset per quam ad saniores induceretur sensus in iis scilicet literis quas paulo post dedimus dilectis filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus et v. fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis capitulis, clero et populo Galliarum regni. At nunc jam elapsis mensibus sex non solum nullum tanto temporis intervallo a Lomenio accepimus indicium poenitentiae de cardinalatus abdicatione sed etiam per arrogantiam et contemptum comminatae privationis illum in proposito perstare luculenter intelligimus.

§ 39. Itaque cum ambigendi non sit locus de perseverante Lomenii voluntate in cardinalatus dimissione adeo perspicuis confirmata probationibus, ut omnibus sit clarior certiorque renunciationibus quas adhuc ratas habuit haec apostolica Sedes et probationes vincat a jure requisitas, diutius Nobis expectandum non esse censuimus, ut abdicationem hujusmodi in hoc Nostro consistorio admitteremus. Nova non sunt in ecclesiastica historia illorum exempla, qui dignitates suas dimiserunt ut probrosam et inevitabilem damnationem praevenirent; imo ex sententia sanctorum patrum, conciliorum et Pontificum id in spiritu humilitatis et cum detestatione erroris erat faciendum ut nempe juxta monitum divi Chrysostomi quis antevertat sententiam dimissis honoribus et omnibus jurisdictionalibus officiis cruentaeque conscientiae suae medelam afferat et in humiliori statu salvetur quam in alo splendenti periclitetur.

§. 40. Verum hic etiam considerandum est quod Lomenius cardinalatu dimisso archiepiscopatum retinuit et in ipsa cardinalatus dimissione errorem non ejuravit; hinc si cum laude recipiuntur renuntiationes omnium ecclesiasticarum dignitatum ex spiritu poenitentiae atque humilis animi impulsu emissae, haec Lomenii renuntiatio, quae non omnes complectitur dignitates quaeque a debita erroris detestatione et humilitatis spiritu longe recedit, accipiatur oportet loco poenae privationisque dignitatis cardinalitiae quam ei jam indixeramus, nec minus salva sit suspensio ab exercitio ordinis in quam certe incidit, cum monitus ipse ut intra terminum quadraginta dierum civicum sacramentum retractaret huic minime paruerit pontificio praecepto, salvaeque etiam sint aliae canonicae poenae, quibus vel jam factus est vel futurus erit obnoxius, si suscepto errori praevaricationis adhaeserit. Antequam vero quidquam statuamus sententias vestras de more exposcimus.

Quid vobis videtur?

§. 41. Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra admittimus cessionem et abdicationem cardinalatus a Carolo Stephano de Lomenie de Brienne in manibus Nostris factam postquam declaraveramus, eum dignitate hujusmodi privatum iri, nisi civicum sacramentum retractasset, una cum omnibus privilegiis et insignibus ad dignitatem cardinalitiam quovis modo spectantibus, ita ut ipse Carolus Stephanus dimittens deinceps nullo modo sit Cardinalis nec talis nominari possit neque in ullis actibus ad cardinalatum pertinentibus et praecipue in electione summi Pontificis vocem activam vel passivam habere vel in illis se ingerere quoquo modo uti Cardinalis valeat. Illum proinde ab hac die imposterum absolvimus a vinculo sacramenti praestiti occasione cardinalatus salvis poenis quibus se subjecit secundum canones et constitutiones apostolicas ex quacumque causa et praesertim ob transgressiones circa dicti juramenti observantiam hactenus commissas et salva poena suspensionis ab exercitio ordinis ab eo pariter incursa ob non impletum praeceptum de praefato civico sacramento revocando intra quadraginta dies ad formam Nostrarum literarum diei 13. elapsi Aprilis et salvis aliis omnibus gravioribus poenis canonicis declarandis in casu ulterioris pertinaciae.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

§. 42. Locum collegii vestri, qui admissa nuper renunciatione Caroli Stephani de Lomenie vacat, inhaerendo exemplis Nostrorum Praedecessorum Clementis XI. et Benedicti XIV. absque ulla cunctatione implere volumus ideoque ad majorem omnipotentis Dei gloriam et S. R. E. praesidium et decus creare intendimus in presbyterum Cardinalem egregium virum quem justis de causis in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque evulgandum.

Quid vobis videtur?

§. 43. Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus presbyterum S. R. E. Cardinalem arbitrio Nostro quandocumque declarandum cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Die 26. Septb. 1791.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 73. Ed. Romae.)

2) Absentia ab Urbe.

Vd. *Bullam monitorii de reditu trium Cardinalium ab Julio II. editam* in Bull r. t. X. p. 14. Ed. Luxembg.)

Super recessu s. r. ecclesiae Cardinalium a statu ecclesiastico sine licentia summi Pontificis et reditu eorum qui sine licentia hujusmodi recesserunt ad r. curiam.

Innocentius X. Papa.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum juxta ss. canonum dispositionem Venerabiles fratres nostri s. r. ecclesiae Cardinales in partem sollicitudinis apostolicae sint vocati ut romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant et in regimine universalis ecclesiae eorum operam praestent dicanturque pars corporis et membra ipsius Pontificis ac diversis ecclesiis almae Urbis pro eorum cardinalatus titulo seu diaconia praeficiantur et propterea apud eumdem r. Pontificem in romana curia residere teneantur, merito jam pridem nonnulli romani Pontifices Praedecessores nostri provide considerantes quam indecens et detestabile sit

quod Cardinales locum et mansionem adeo sublimem contra eorum officii debitum deserant et quod culpabilius est non obtenta ipsius Pontificis pro tempore existentis licentia a statu ecclesiastico discedant, varias constitutiones et decreta recessum hujusmodi prohibentia sub diversis poenis etiam per romanos Pontifices pro tempore existentes arbitrandis ediderunt.

§. 1. Quia vero desuper satis provisum non esse experientia docemur et ne tam perniciosum malum in dies crescere contingat opportuniora remedia adhibere decrevimus. Motu itaque proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetua constitutione statuimus, decernimus et declaramus ut omnes et singuli ejusdem s. r. ecclesiae Cardinales nunc et pro tempore existentes, qui non obtenta a Nobis et romano Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem status ecclesiastici ditionem inposterum se transferent, statim et eo ipso absque aliqua judicis vel alterius praecedente declaratione omnibus et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et indultis etiam conferendi beneficia ecclesiastica necnon transferendi pensiones seu fructus ecclesiasticos etiam loco pensionum reservatos ac testandi et disponendi sibi quomodolibet a Sede apostolica concessis privati sint et existant.

§. 2. Ac insuper etiam poenam interdicti ingressus ecclesiae eo ipso pariter absque aliqua declaratione incurrant. Necnon etiam aliis per Nos et Successores nostros romanos Pontifices quavis modo arbitrandis poenis subjaceant et ad *sequestrum* omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum universorum tam quorumcumque officiorum et munerum etiam majorum etiam consistorialiter concessorum specialique nota et expressione dignorum, quae quomodolibet etiam ex titulo vere oneroso, quam monasteriorum et aliorum quorumcumque beneficiorum saecularium et quorumvis ordinum etiam s. Antonii Viennen. et Hospitalis s. Joannis Hierosolymitani regularium etiam jurisdictionem sive spiritualem sive temporalem habentium quae in titulum, commendam, administrationem et alias quovis modo obtinent et pro tempore obtinebunt, necnon pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis ex quavis causa etiam alimentorum et sustentationis ac alias quomodolibet eis assignatorum et fructuum ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reservatorum deveniri etiam sine aliqua citatione, intimatione vel declaratione possit et debeat. Et si praedicti Cardinales per sex menses, quos pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus a die eorum recessus hujusmodi computandos, ad romanam curiam personaliter et cum effectu non redierint, ultra poenas et alia supradicta ac cumulative cum illis etiam eo ipso ut praemittitur incurrant poenas *privationis* omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum universorum tam quorumcumque officiorum et munerum etiam majorum etiam consistorialiter concessorum specialique nota et expressione dignorum, quae quomodolibet etiam ex titulo vere oneroso, quam monasteriorum et aliorum quorumcumque beneficiorum saecularium et quorumvis ordinum etiam s. Antonii Viennen. et Hospitalis s. Joannis Hierosolymitani regularium quae in titulum, commendam, administrationem et alias quovis modo obtinent et pro tempore obtinebant necnon pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis ex quavis causa etiam alimentorum et substentationis ac alias quomodolibet eis assignatorum et fructuum ecclesiasticorum etiam loco pensionum ipsis reservatorum nostro et pro tempore existentis romani Pontificis arbitrio libere et absque eo quod jus aliquod titularibus acquiratur distribuend. et disponend. Quod si lapsis praedictis sex mensibus per alios sex menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus et assignatos esse volumus, adhuc abfuerint et in termino horum ultimo dictorum sex mensium ad r. curiam personaliter et cum effectu non redierint, cumulative cum omnibus et singulis supradictis poenis etiam poenam privationis ipsorum praedictorum omnium et singulorum officiorum et munerum etiam majorum, etiam consistorialiter et alias quomodolibet etiam titulo oneroso ut praefertur concessorum monasteriorumque et beneficiorum saecularium et regularium quantumvis ut supra qualificatorum ac fructuum et pensionum etiam loco pensionum reservatorum nostro pariter et pro tempore existentis romani Pontificis arbitrio libere et absque

eo quod jus aliquod ut praemittitur titularibus acquiratur distribuendis et disponendis eo ipso itidem et absque alia declaratione incurrant.

§. 3. Cardinales autem illi, qui ante emanatam praesentem constitutionem non obtenta a Nobis praedicta licentia extra temporalem status ecclesiastici ditionem jam se transtulerunt (salvis et firmis remanentibus omnibus per Nos seu alias de mandato nostro desuper quomodolibet hactenus gestis et factis ac in futurum gerendis et faciendis) si infra sex menses a die publicationis praesentis constitutionis hac in Urbe ut infra faciendae decurrendos, quos similiter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus, personaliter et cum effectu ad romanam curiam non redierint, eo ipso itidem absque alia declaratione incidant in poenas interdicti ingressus ecclesiae et privationis facultatis testandi et disponendi omniumque privilegiorum et indultorum praedictorum ac fructuum, officiorum et munerum etiam majorum etiam consistorialiter ac etiam titulo oneroso concessorum atque pensionum, monasteriorum et aliorum quorumcumque supra expressorum. Et si lapsis praedictis sex mensibus iidem Cardinales, qui ut praefertur jam extra dictum statum ecclesiasticum sine nostra licentia se transtulerunt, infra alios sex menses immediate sequentes, quos etiam pro tribus canonicis monitionibus et terminis ut supra assignamus, ad romanam curiam personaliter et cum effectu non redierint, insuper poenam privationis praedictorum officiorum et munerum etiam majorum etiam consistorialiter ac etiam titulo oneroso concessorum atque monasteriorum, beneficiorum et aliorum quorumcumque supra expressorum pariformiter incurrant.

§. 4. *Si autem tam Cardinales, qui jam sine nostra licentia ut praemittitur extra statum ecclesiasticum se transtulerunt, quam illi, quos in futurum ut supra extra eumdem statum absque nostra et pro tempore existentis romani Pontificis licentia se transferre contigerit*, per alios tres menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus et sic in totum infra quindecim menses, personaliter et cum effectu ad romanam curiam non redierint decernimus deveniri posse ad alias poenas, etiam quantumlibet majores et graviores ac individua mentione specialique nota dignas per Nos et Successores nostros romanos Pontifices declarandas ac etiam usque ad poenam privationis dignitatis cardinalatus inclusive. Ac demum, ut de caetero tam ad praesens quam perpetuis futuris temporibus, cum aliquem ex ejusdem S. R. E. Cardinalibus nunc et pro tempore existentibus absque dicta nostra et pro tempore existentis romani Pontificis licentia ut supra statum praedictum se transferre contigerit, idem Cardinalis in officiis, muneribus, legationibus, praefecturis, guberniis, protectionibus ordinum seu Congregationum regularium, archiconfraternitatum, collegiorum, monasteriorum, hospitalium et aliorum piorum locorum quorumcumque necnon administratione tituli vel diaconiae ac etiam episcopatus sui cardinalatus ac quarumcumque aliarum ecclesiarum etiam cathedralium, metropolitanarum et patriarchalium, quarum respectu aliquem jurisdictionem exercet, ac quorumcumque monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ut praemittitur et alias quomodolibet qualificatorum illorumque jurisdictionis tam spiritualis quam temporalis, generaliter in omnibus et quibuscumque muneribus etiam speciali nota et individua expressione dignis sibi a praedicta Sede apostolica injunctis et commissis Cardinalem vel Praelatum aut alium quemcumque substituere et subrogare, non obstantibus quibusvis facultatibus, licentiis et indultis desuper etiam motu simili ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet hactenus concessis et deinceps concedendis nullo modo possit et valeat, perpetuo similiter statuimus, decernimus et declaramus facultatesque ac licentias ac indulta praedicta, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad hunc affectum a die, quo extra dictum statum recesserint non obtenta prius dicta licentia, cassamus, irritamus viribusque et effectu evacuamus ac pro non concessis, perinde ac si de illis numquam cogitatum fuisset haberi volumus.

§. 5. Ab omnium autem et singularum poenarum tam supra expressarum quam etiam per Nos et Successores nostros romanos Pontifices quomodolibet declarandarum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu vel ratione cujuscumque servitii seu negotii quorumcumque Principum etiam Imperatoris

et Regum aut rerumpublicarum, regnorum, provinciarum nec ratione cujuslibet jussionis vel mandati eorum vel earum quandocumque facti vel faciendi aut distantiae locorum vel ratione cujuscumque alterius causae vel occasionis, etiam publicae aut alias favorabilis etiam in corpore juris seu constitutionum apostolicarum clausae, nisi hujusmodi causa seu causae in corpore juris clausae coram Nobis et roman. Pontifice pro tempore existente allegata seu allegatae probataque seu probatae ac expresse admissa seu admissae fuerint. Ac ulterius nolumus posse aliquem per quemcumque, etiam per collegium Cardinalium hujusmodi, etiam Sede apostolica vacante, absolvi seu etiam per viam gratiae seu justitiae restitui, sed omnimodam cognitionem, absolutionem, relaxationem, restitutionem, reintegrationem, rehabilitationem et quamcumque aliam dispensationem seu dispositionem super praemissis et eorum quolibet Nobis et pro tempore existenti romano Pontifici privative quoad omnes reservamus. Caeterum per easdem praesentes non intendimus in aliquo derogare constitutioni a fel. record. Urbano Papa VIII. etiam praedecessore nostro super residentia Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum etiam Cardinalium editae.

Dat. Romae apud s. Mariam majorem die 19. Januar. 1646.

(Bull. r. t. V. p. 432. Ed. Luxbg.)

Sanctae romanae ecclesiae Cardinales ab Urbe quavis de causa absentes de distributionibus ratione pilei minime gaudere nec cum praesentibus ad ecclesiarum optionem eis pro titulis assignandarum admitti posse sancit Paulus PP. IV. in Bullar. r. t. VI. p. 513. Ed. Aug. Taur. 1869.

Literae apostolicae.

Pius PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

Universi Dominici gregis cura Nobis utpote beatissimi Petri successoribus Deo sic volente concredita requirit atque exigit, ut securitati gregis ipsius vigilemus assidue omnemque demus operam ne oves perdantur, quas non corruptibilibus auro vel argento sed sacratissimi Sui sanguinis pretio redemit Christus Dominus. Haec Nos cura dies noctesque sollicitat, haec Nos monet atque excitat, ut apostolicam adhibeamus auctoritatem si qua in doecesi Dominico gregi creari discrimen salutis ab ipso pastore videamus. Quae cum ita sint peculiares Nostras curas et studia convertimus ad episcopalem ecclesiam Sabinensem et abbatiam Sublaquensem regendas curandasque traditas Hieronymo D'Andrea in amplissimum Cardinalium Collegium per Nos cooptato, qui ab officio declinans fidelitatis ac reverentiae erga Nos et apostolicam Sedem hominibus potissimum utriusque suae dioecesis lapis offensionis evasit. Is enim vero quum ab annis hinc fere tribus facultatem a Nobis implorasset, ut Neapolim recreandae valetudinis causa se conferret hanc illi veniam gravissimis de causis denegandam existimavimus illique suasimus, ut civitates alias atque oras nec procul etiam ab Italia sitas peteret aëris salubritate pariter celebratas ubi suam confirmaret valetudinem, ac difficultates sustulimus quae longiori suscipiendo itineri obstare ei potuissent. Cum voluntati Nostrae acquievisse primum visus esset, repente mense Junio anno 1864 Nobis nil tale scientibus atque opinantibus profugiens ex urbe Neapolim demigravit. Subitam hanc discessionem graviter admodum et moleste tulimus utpote quae esset animi Nobis et apostolicae Sedi minime obsequentis indicium et videretur etiam non leve scandalum fidelibus allatura. Quapropter haud ita multis elapsis mensibus dicto Cardinali revocandas in mentem curavimus multiplices gravesque poenas a romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris ac praesertim ab Innocentio X. sua in constitutione »*Cum juxta*« *) Cardinalibus intentatas et absque declaratione judicis ab ipsis incurrendas si non obtenta prius venia a romano Pontifice pro tempore existente quavis de causa utut justa ac legitima videri possit extra temporalem ecclesiae ditionem sese transferre ausi fuerint. Sed quum pertinaci illum animo manere in proposito videremus per Cardinalium Congregationes Tridentinis sanctionibus interpretandis et Episcoporum ac regularium negotiis expediendis praepositas nonnulla putavimus decernenda, quae et justam animi Nostri offensionem declararent et illum ad saniora suscipienda consilia permoverent. Haec tamen omnia nihili ducens literis quibusdam in vulgus editis factum tueri suum obstinate perrexit et in amplissimos nonnullos Cardi-

*) Vd. *pag. 817.*

nales spectatosque Antistites quos sibi fingebat infensos conviciis calumniisque acerbitatis suae virus effudit et vero etiam quaedam sentire visus est quae reprobanda judicamus. Atque haec agendi ratio indigna prorsus catholico Antistite eoque praesertim qui in Collegium Cardinalium adlectus praecipuo observantiae fideique juramento sanctae huic Sedi esset obstrictus gravi moerore perculit bonos omnes, male animatos autem in religionem homines excitavit magis erexitque. Jam vero expectasse satis diu dicendi eramus dum is ad bonam se frugem reciperet; sed tamen Illius Nos gerentes in terris vices, qui patiens et benignus est atque in misericordia dives aberrantem adhuc studuimus in rectam viam revocare literasque ei misimus manu Nostra conscriptas quibus paterna illum caritate admonuimus, ut colligeret se aliquando ac reputaret animo quanta se culpa illigaret hortatique sumus impense ut errorem suum recognoscens ad Nos tamquam in parentis sinum accurreret et importatum catholico orbi nedum fidelibus suae curae concreditis gravissimum scandalum repararet. Atqui nihil inde motus ac delinitus sed exasperatus magis atque insolescens literas rescribere non est veritus queis nihil arrogantius, nihil Nobis atque in persona humilitatis Nostrae hnic apostolicae Sedi dici possit injuriosius. Quocirca praetergressi jam patientiae ac lenitatis terminos apostolicos Nostro muneri defuturi prorsus videbamur nisi hanc tantam scandali labem suprema Nostra auctoritate compescere et a communi animarum pernicie propulsare niteremur. Verumtamen antequam gravius quidquam statueremus, Venerabilibus Fratribus Nostris sanctae Ecclesiae romanae Cardinalibus rem totam considerandam ac deliberandam commisimus. Qui quidem factorum serie diligenter perpensa unanimes reprobarunt maximeque doluerunt gravem Nobis et apostolicae Sedi per collegam suum irrogatam injuriam ac deinde in eam iverunt sententiam juxta sacros canones et romanorum Pontificum decessorum Nostrorum constitutiones utriusque dioecesis Sabinensis et Sublaquensis regimini et bono per apostolicum administratorem esse consulendum donec memoratus Cardinalis Hieronymus D'Andrea resipuerit atque in Urbem revertens Nobis atque apostolicae Sedi obsequentem se atque obedientem praestiterit. Nos igitur quibus pro pastorali officio nihil potius est quam aeterna animarum salus exempla sequuti decessorum Nostrorum, qui ut ecclesiarum regimini et incolumitati prospicerent pari remedio usi sunt, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum sanctae ecclesiae romanae Cardinalium certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque apostolicae auctoritatis plenitudine memorato Cardinali Hieronymo D'Andrea omne jurisdictionis exercitium tam in ecclesiam Sabinensem quam in abbatiam Sublaquensem in spiritualibus ac temporalibus tollimus atque interdicimus donec Nobis et sanctae huic Sedi aliter visum sit eique ne ullam curationis atque administrationis partem in utraque dioecesi audeat attingere palam aperteque praecipimus. Praeterea venerabilem fratrem Franciscum Gandolfi Episcopum Antipatrensem et Ecclesiae Sabinensis Suffraganeum in administratorem dictae Sabinensis Ecclesiae et venerabilem fratrem Antoninm Mariam Pettinari Episcopum Nucerinum in administratorem abbatiae Sublaquensis ad Nostrum et sanctae Sedis beneplacitum tam in spiritualibus quam in temporalibus de apostolicae potestatis plenitudine per praesentes Nostras literas eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus, honoribus, juribus quae huic officio vel ex privilegio vel ex usu et consuetudine propria sunt. Quocirca memoratis Episcopis facultatem tribuimus, ut in sua quisque in dioecesi in administrationem tradita omnia et singula gerere possit, quae sunt ordinis quaeque sunt jurisdictionis itemque, ut unum Vicarium generalem deputare queat iis facultatibus instructum, quas magis in Domino censuerit expedire. Insuper utrique administratori potestatem facimus conferendi paroecias aliaque beneficia ecclesiastica sive simplicia sive residentiam personalem requirentia tam actu vacantia quam inposterum administrationis tempore durante vacatura, quorum collatio ad locorum Ordinarios pertineat salva tamen regula mensium salvisque affectionibus et reservationibus apostolicae Sedis. Mandamus autem stricteque praecipimus dilectis filiis cathedrali Capitulo et Canonicis tum episcopalis Ecclesiae Sabinensis tum abbatiae Sublaquensis necnon reliquo clero et populo utriusque dioecesis ut memoratos Antistites in administratores apostolica auctoritate deputatos recipiant et admittant eisque plenam reverentiam atque obedientiam exhibeant.

Quod vero spectat ad fructus et redditus utrinsque mensae, quomodo illi erogandi sint, memoratis administratoribus per alias literas significabimus. Denique memoratos Antistites vehementer hortamur, ut in sua quisque dioecesi in administrationem concredita boni pastoris officium adimplere satagat eandemque juxta canonicas sanctiones visitare non praetermittat malisque quibus afflictari intellexerit omni ope curaque medeatur. Haec jubemus, mandamus decernentes has literas etiam ex eo quod illi quorum interest minime consenserint et ex alia quacumque causa ullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostrae defectu impugnari posse etc. *Sequuntur consuetae clausulae.*

Datum Romae apud s. Petrum die 12. Junii anno 1866.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Pius PP. IX.

Quamquam illius Nos gerentes in terris vices qui patiens et misericos est benignitatem clementiamque libenter sequamur tameu quia judicium et justitiam facere apostolici etiam muneris esse intelligimus ad evellenda quae in perniciem fidelium suboriantur scandala eorumque auctores compescendos supremae Nostrae auctoritatis vim et robur exerimus. Id Nos spectantes jam inde ab anno proxime superiori 1865 per similes in forma brevis literas die 12. mensis Junii datas auditis antea venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus de eorumdem consilio omne jurisdictionis exercitium in spiritualibus ac temporalibus tam in ecclesiam Sabinensem quam in abbatiam Sublaquensem ad Nostrum et s. Sedis beneplacitum Hieronymo D'Andrea Cardinali suspendimus atque interdiximus, quippe qui mense Junio anno 1864 Nobis justissimas ob causas abnuentibus aliasque ut oras ad confirmandam valetudinem peteret suadentibus Urbem repente deserens Neapolim profugisset, ibique adhuc immorari pergeret contra sacrorum Conciliorum de Episcoporum residentia sanctiones contraque romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum decretum de eadem re edita et potissimum Benedicti XIV. constitutionem quae incipit »*Ad universae christianae reipublicae,*« *) ubi scilicet decernitur, non licere Episcopis a dioecesi sua recedere legitima qualibet ex causa etiam tueudae recreandaeque valetudinis nisi prius a romano Pontifice pro tempore existente veniam fueriut expresse consecuti. Neque minus severe de Cardinalium residentia statuerunt Praedecessores item Nostri romani Pontifices atque inprimis Innocentius X. in sua constitutione »*Cum juxta*« die 19. Februarii anno 1646 edita. Is enimvero quum s. Ecclesiae romanae Cardinales in partem apostolicae sollicitudinis vocati adstare continenter romano Pontifici eique in regimine uuiversae ecclesiae studium suum operamque praestare debeant, graves eisdem multiplicesque indixit poenas ipso facto et absque judicis declaratione incurreudas si extra civilem ecclesiae statum demigrare ausi fuerint quacumque ex causa etiam publica et favorabili et in corpore juris clausa nisi eadem causa a Romano Pontifice pro tempore existente expresse antea fuerit et probata et admissa.

Jamvero hujusmodi inobedientiae atque irreverentiae exemplo adversus Nos et apostolicam Sedem per memoratum Cardinalem edito proculcatisque tam audacter ab eo sacrorum canonum sanctionibus et pontificiis constitutionibus, diu multumque sed tamen frustra expectavimus dum ille resipisceus errati veniam postularet, frustra illum per Cardinalem publicis negotiis praepositum ac deinde per Cardinalem sacri collegii Decanum admonendum curavimus de gravissimis poenis, quibus juxta sacros canones et pontificias constitutiones obnoxius evasisset. Ipse etenim adhibitas admonitiones nihil faciens actionem illam suam tamquam culpa vacuam tueri pertinaciter institit evulgatisque in eam rem literis amplissimorum nonnullorum Cardiualium et spectatissimorum Antistitum nomen famamque proscindere non dubitavit iniquissimis conviciis et contumeliis omni posthabito et humanitatis et christianae etiam charitatis officio. Tanta haec agendi scribendique licentia viro potissimum indigna qui et cardinalitia et episcopali dignitate honestaretur maximum Nobis dolorem inussit, sed tamen ne quid inteutatum relinqueremus ad ejus animum permovendum ac ne ullae Nostrae beniguitatis et clementiae partes in hujusmodi re desiderarentur, literas ei mittendas duximus manu Nostra conscriptas quibus hortati eumdem sumus, ut consideraret etiam atque etiam quam grave fidelibus scandalum intulisset et quantam idcirco culpam sustineret aeter-

*) Vd. *Residentia.*

naeque suae saluti consulens in rectam viam redire ne moraretur, ac postremo denunciavimus nisi paterna Nostra monita libens volensque audiret et sequeretur ipso apostolici muneris officio Nos fore cogendos ut judicis tandem partes susciperemus. At enim nihil de animi sui pertinacia atque elatione remittens tam procaciter Nobis atque injuriose respondit ut id expectare vix potuissemus ab homine, cum nulla sit erga apostolicam Sedem fides et observantia.

Tam gravibus tamque reprobaudis admissis aequa lance perpensis et spectata praedicti decessoris Nostri Innocentii X. constitutione nemo non videt, quanto gravior per Nos fuisset animadversionis adhibenda severitas. Siquidem in eadem constitutione memoratus Praedecessor Noster statuit decernitque, ut omnes et singuli s. rom. Ecc. Cardinales, qui non obtenta a romano Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem ecclesiae ditionem se transferant statim eo ipso absque aliqua judicis vel alterius praecedente declaratione omnibus et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et indultis a Sede apostolica concessis privati sint et existant atque insuper poenam interdicti ingressus ecclesiae eo ipso pariter incurrant necnon et aliis per romanos Pontifices quovis modo arbitrandis poenis subjaceant et etiam ad sequestrum omnium et singulorum fructuum, redditnum, proventuum tam quorumcumque officiorum et munerum etiam majorum et consistorialiter concessorum specialique expressione dignorum, quam mouasteriorum et aliorum quorumlibet beneficiorum saecularium et cujuscumque ordinis regularium etiam jurisdictionem sive spiritualem sive temporalem habentium, necnon pensiouum super quibusvis fructibus ecclesiasticis contra eosdem Cardinales etiam sine aliqua citatione vel declaratione deveuiri possit ac debeat. Et si Cardinales praedicti per sex menses, qui pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignantur a die eorum recessus computandi, ad romauam curiam personaliter et cum effectu non redierint, ultra poenas praedictas et cumulative cum illis atque eo ipso poenam incurrant privationis omnium et singulorum fructuum, redditnum, proventuum tam quorumcumque officiorum, munerum etiam majorum et consistorialiter concessorum specialique nota dignorum quam monasteriorum et aliorum quorumlibet beneficiorum saecularium et cujuscumque ordinis regularium, quae in titulum, commendam, admiuistrationem et alio quocumque modo obtineant, necnon pensionum super quibusque fructibus ecclesiasticis eisdem Cardinalibus assignatarum. Quodsi lapsis praedictis sex mensibus per alios sex menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis monitionibus et peremptoriis terminis assignantur, ad romanam curiam personaliter et cum effectu minime redierint, cumulative cum singulis praedictis poenis etiam poenam privationis omnium praedictorum officiorum, munerum etiam majorum et consistorialiter concessorum et beneficiorum quorumlibet tam saecularium quam regularium eo ipso itidem et absque alia declaratione incurrant. Si autem Cardinales praedicti per alios tres meuses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canouicis admonitionibus peremptoriisque dilationibus assignantur et sic in totum infra quindecim menses ad romanam curiam personaliter et cum effectu non redierint, decernitur deveniri posse ad alias poenas etiam quantumlibet majores et graviores, atque individua mentione dignas, per romanos Pontifices declarandas atque etiam usque ad poenam privationis cardinalatus inclusive. Jamvero quum exeunte mense Septembris an. 1865 quindecim mensium spatium effluxisset postquam memoratus Cardinalis a civili ecclesiae statu illicite recesserat nullisque monitis atque hortationibus permotus in eadem contumacia perstaret, dignus profecto censendus erat qui juxta canonicas sanctiones et praedictam Innocentii X. constitutionem cardinalatus honore et episcopatu Sabinensi aliisque quibus gauderet beneficiis privaretur. Verum ut aute grave illud animadversionis genus adhuc ei spatium relinqueremus colligendi se et saniora consilia suscipiendi utque securitati consuleremus fidelium Sabinorum et Sublaquensium, quibus datus ad salutem pastor ob prava illa exempla lapis offeusionis evaserat et petra scandali, per memoratas superius Nostras literas nulla ex parte derogando Innoceutii X. constitutioni praedictum Cardialem suspensioni dumtaxat subjecimus omnis jurisdictionis in ecclesiam Sabinensem et Abbatiam Sublaquensem eisque Antistites praefecimus, qui ad Nostrum et Sedis nutum commissas sibi dioeceses administrarent. Hae porro irrogata suspensionis poena, quae

levior multo esset quam culpae gravitas postularet, sperabamus quidem futurum, ut is ad bonam mentem voluntatemque converteretur. Sed tamen concepta spes in irritum cessit quippe eo temeritatis devenit ut ab apostolicis Nostris literis ad melius informatum Pontificem provocationem palam interjecerit atque ad eludendam si fieri posset apostolicae Sedis auctoritatem illud adhibuerit effugii genus, quod ii plerumque adhibuerunt qui s. Sedis sententiam declinare niterentur; quam quidem appellationem Praedecessores Nostri romani Pontifices merito rejecerunt ac reprobarunt. Atque in hujusmodi causa absurda prorsus erat ea provocatio, quippe quod memorati Cardinalis admissa sic erant extra dubitationem posita, ita certa utque explorata omnibus, ut nulla possent tergiversatione celari.

Neque vero hic se continuit, sed literis ad utrumque clerum et populum Sabinensem et Sublaquensem missis et vero etiam quaquaverus diffusis asseruit ac propugnavit irritas prorsus esse et nullius vis ac roboris ad quoslibet canonicos effectus apostolicas Nostras literas quibus interdictum illi est jurisdictionis exercitium; nulla legitima potestate pollere praepositos a Nobis administratores eosque tamquam furtive ac per vim suum in ovile immissos existimandos; se unum legitimum pastorem habendum, sibi proinde obedientiam praestandam. Atque eo progressus est ut per epistolam typis editam andacter a Nobis petierit ut memoratas Nostras apostolicas literas revocaremus, utpote injustas ac nullius vis atque efficaciae; absisteremus aliquando ab ipso injuste insectando sibique integrum esse affirmaverit interdictam per Nos jurisdictionem in utraque dioecesi exercere tam in foro interno quam externo.

Quid quod suis in scriptis in lucem editis plura congessit ad minuendam deprimendamque apostolicae Sedis auctoritatem pertinentia et Nos partim privatis literis partim etiam in vulgus emissis omni incessere contumelia minime veritus in persona humilitatis Nostrae apostolicae Sedis sanctitatem dignitatemque violaverit? Quid quod publicas commendaverit ephemerides quae pravis infectae doctrinis et sanctae Sedi maximopere adversae civilem illius principatum oppugnarent atque adeo non obscure significaverit assentiri se nonnullis per suos fautores evulgatis libellis qui propositiones falsas et omnino damnandas complecterentur?

Gravia haec quidem sunt et reprobanda, in eo tamen reprobanda maxime planeque non ferenda qui episcopali et cardinalitia dignitate insignitus catholicam tueri ac propagare doctrinam, peculiarem erga beatissimi Petri Sedem exhibere reverentiam ejusdemque honorem, jura, privilegia servare ac promovere omni ope debeat, quemadmodum sese interposita juramenti fide *) in accipiendis cardinalitiis insignibus obstrinxerat. Itaque quum tres et eo amplius anni elapsi fuerint ex quo memoratus Cardinalis pertinaciae culpa aliisque excessibus insordescat nullamque faciat spem ad bonam se frugem recipiendi quumque scriptis in vulgus editis perversis ac turbulentis fidelium animos perturbet ac transversos agat, quaque ornatus est dignitate in religionis detrimentum et romanae Ecclesiae dedecus abutatur; nec hoc tantum malum serpat latius ac roboretur Nobis qui dati sumus speculatores domui Israel providendum omnino est aliaque praecavenda pericula quae ecclesiae Dei exinde impendere noscamus. Proinde ipso vigilantiae pastoralis officio quantumvis inviti, uti in illum cogimur severitate poenarum quas adversus hujusmodi contumaces sacri canones et pontificiae constitutiones decernunt: quippe animo etiam reputamus verissima illa s. Sirici Praedecessoris Nostri ad Himerium Episcopum Tarraconensem verba: »Necesse est ut ferro abscindantur vulnera quae fomentorum non senserint medicinam.« Attamen cum praedicto Cardinali mitius agere adhuc volentes, auditis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, supersedendum a dictarum gravitate poenarum et suspensionem ab insignibus et privilegiis Cardinalitiis adversus ipsum decernendam in praesens existimavimus. Quapropter certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque eorumdem Cardinalium consilio auctoritate Nostra apostolica memoratum Hieronymum D'Andrea Cardinalem suspendimus ac suspensum declaramus ab honoribus, insignibus et juribus dignitatis cardinalitiae et signanter a voce activa et passiva in electione summi Pontificis, sic ut ejusmodi poenae subjectus evocari non debeat nec possit ad conclave neque admitti, quam evocationem et admissionem Cardinalibus eorumque collegio prorsus

*) Vd. *Cardinalis* (jurament. p. 830.)

prohibemus, sublata penitus quacumque ad suffragandum et votum pro dicta electione dandum habilitatione, eumque ad conclave evocandum facultate, quam quovis titulo et ratione in corpore juris clausa aut vigore quarumcumque constitutionum Pii PP. IV., Gregorii XV. aliorumque Praedecessorum Nostrorum allegari contigerit, quibus omnibus et singulis, quorum tenores hic pro expressis et contentis habemus, et plenaria Nostra auctoritate derogamus et pro derogato haberi volumus et mandamus. Praeterea memorato Cardinali D'Andrea trium mensium peremptorium terminum adsignamus, a datis hisce Nostris literis computandum, infra quem non per procuratorem sed personaliter et cum effectu coram Nobis et hac apostolica Sede sistere se debeat ad recipienda humiliter mandata Nostra. Quo termino inntiliter elapso ad declarationem privationis cardinalatus, episcopatus sui cardinalatus nempe Sabinensis necnon Abbatiae Sublaquensis aliorumque beneficiorum, quibus ipse fruitur, deveniemus.

Haec volumus ac mandamus, decernentes has literas etiam ex eo quod illi quorum interest minime consenserint et ex alia quacumque causa ullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostrae defectu impugnari posse, sed ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere et ab omnibus ad quos spectat seu spectabit inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes sublata eis aliter judicandi et interpretandi facultate judicari et definiri debere atque irritum futurum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo necnon quibusvis etiam in universalibus conciliis editis constitutionibus aliisque ordinationibus etiam favore Cardinalium evulgatis, privilegiis quoque et indultis, quibuscumque personis quavis dignitate etiam cardinalitia fulgentibus concessis et pluries etiam confirmatis et innovatis, caeterisque in contrarium facientibus, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus ... ad praemissorum effectum plene et expresse derogamus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 29. Septembris anno 1867.

3) Aetas.

Vd. t. I. p. 311. n. 4; infra n. 6.

4) Beneficiorum collatio.

Vd. *Bull. rom.* t. II. p. 784. Ed. Luxenbg 1742; t. III. p. 276. *Const. Pauli V.* diei 22. Oct. 1609; *Beneficium reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.* (praecipue *notam* ad regul. IX.*); regulam XXXII.**); t. II. p. 401. k.

5) Dignitas Cardinalis.

Vd. *Cardinal.* (titulus). Vd. Bullam: *Non mediocri* Eugenii IV. emissam 1447. ad venerabilem magistrum Henricum Archiepiscopum Cantuariensem etc. in bullar. rom. t. V. p. 34. Ed. Aug. Taur. 1860.

6) Electio, numerus, qualitas etc.

De S. R. E. Cardinalium creandorum praestantia, numero, ordine, aetate et qualitatibus et de optione sex cathedralium ecclesiarum quae Cardinalibus conferuntur vd. *Sixti PP. V. Constitutionem: Postquam verus* die 25. Novb. 1586. editam cum adnexa declaratione.

Quod frater germanus alicujus romanae ecclesiae Cardinalis viventis ad cardinalatum promoveri non possit, vd. constitutionem Pii PP. III. editam die 26. Jan. 1554 in bullar. r. t. VI. p. 475. Ed. Aug. Taur. 1860.

7) Electio SS. Pontificis per Cardinales.

Sanctae romanae ecclesiae Cardinales in electione romani Pontificis Lugdunensis ac Viennensis sancita concilii servare debere decernitur.

Eugenius IV. Episcopus.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi circa orbis ecclesiarum et monasteriorum omnium bonum dum vacant juxta nostris, divina disponente clementia, commissum humeris apostolatus officium per apostolicae providentiae ministerium occurrere consueverimus, de romana ecclesia quae ecclesiarum omnium mater est et magistra ac illarum divina institutione primatum obtinet, cui licet immeriti praesidemus, Nos procul dubio propensioris curae studio excogitare convenit, ne ipsam quam Christus sibi sponsam

*) Vd. *t. II. p. 820.*
**) Vd. *t. II. p. 829.*

copulavit et extra quam nemini salus est, variis ambiguitatibus submissam relinquamus.

§. 1. Hinc est quod Nos attendentes *quod in civitate Basileen* sub nomine generalis concilii *circa electionem romani* Pontificis vacatione Sedis apostolicae occurrente *plura et diversa et per Sedem praedictam forsan approbata emanarunt statuta*, ordinationes et decreta et etiam innovata fuerunt diversas etiam excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque sententias, censuras et poenas in se continentia propter juris communis dispositionem, quorum occasione attenta rerum et temporum conditione si Nos ab hac luce subtrahi contingeret in electionis hujusmodi celebratione facienda, plura et diversa pericula, divisiones et scandala verisimiliter exoriri possent in ecclesiasticae libertatis offensam cunctorumque christifidelium praejudicium et jacturam.

§. 2. Nos tantis periculis prout ex alto Nobis permittitur occurrere ac fidelium ipsorum quieti consulere necnon perversorum conatibus viam praecludere cupientes *omnium etiam et singulorum statutorum, ordinationum et decretorum hujusmodi formas, etsi de illis ab eorum totis tenoribus de verbo ad verbum specialis et expressa praesentibus habenda foret mentio, pro expressis habentes praesentium serie volumus et auctoritate apostolica ac ex certa scientia necnon potestatis Nobis traditae plenitudine* statuimus pariter et ordinamus, ut dum extremae nostrae peregrinationis diem advenire contigerit venerabiles fratres nostri S. R. E. tunc existentes Cardinales, alias juxta fel. recor. Gregorii X. in *Lugdunen.* et Clementis V. romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum in *Viennen.* conciliis generalibus circa hoc edita statuta et ordinationes ad romani Pontificis Successoris nostri electionem, juxta traditam eis a Domino intelligentiam, quos sub primodictis statutis, ordinationibus et decretis nullatenus comprehendi nec eis subjici decernimus, procedere ceteraque circa hoc quomodolibet solida et opportuna facere et exequi libere et licite possint et valeant in omnibus et per omnia, ac si primodicta statuta, ordinationes et decreta nullatenus emanassent.

§. 3. Non obstantibus omnibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Januarii 1447.

(Bull. r. t. V. p. 87. Ed. Aug. Taur. 1860.)

Pontificis electionem ad Cardinales non ad concilium si tempore concilii eum obire contigerit spectare declarat

Pius Papa IV.

Prudentis patrisfamilias spectat cuncta, quae in ejus domo sunt, provide disponere quod illa debito ordine procedant, nec unum aliud impediat aut aliqua eorum insimul confusionem inducant.

Hinc est quod Nos, qui a summo patrefamilias in illius domo meritis licet imparibus dispensatores effecti sumus et ex causis tunc expressis sacrum oecumenicum et generale concilium in civitate Tridentina indiximus, ne, si forte eveniat Nos, concilio hujusmodi durante, pro divina voluntate decedere, super electione romani Pontificis confusio oriatur et exinde perturbandae unitatis ecclesiae praestetur occasio, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris s. romanae ecclesiae Cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, de ipsorum fratrum consilio et unanimi consensu, ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine statuimus, decernimus et ordinamus quod, si contingat Nos concilio hujusmodi durante, etiamsi ejusdem concilii causa vel occasione aut alias quomodolibet, etiam cum curia romana et causarum ac literarum apostolicarum audientia ab Urbe recesserimus, vel in ipsa Urbe seu Nobis ab ea quovis modo absentibus,*) ante nostrum ad illam reditum alibi ubicumque ita Domino volente decedere in quibuscumque statu et terminis concilium ipsum fuerit et quantumque civitas seu locus, in quo seu qua Nos etiam inibi forsan cum curia et audientia praedictis decedemus, ab eadem Urbe distet et civitati Tridentinae aut alteri ubi concilium etiam fuerit vicina seu vicinus existat, electio romani Pontificis in alma Urbe praefata, nisi Urbs ipsa interdicto ecclesiastico per Nos apposito tunc subjaceat, vel inibi de oppressione dubitaretur, super quo majori parti Cardinalium tunc in civitate seu loco decessus nostri existentium stari debeat, et

*) Vd. *Conclave* (constitut. Pii PP. VI.: *Christi ecclesiae etc.*

tali casu in civitate Castellana seu Urbevetana vel Perusina civitatibus, servato scripturae hujusmodi ordine, dummodo illae, ut praefertur, interdictae aut rebelles tunc non sint et non in ea in qua seu cujus dioecesi Nos decedere continget, aut Tridentina seu alia, ad quam concilium hujusmodi translatum fuerit, civitate et *solum per ipsos s. romanae ecclesiae Cardinales et non per concilium* hujusmodi aut etiam cum eisdem Cardinalibus aliquot dicti concilii, servatis alias Alexandri IV., quae *Licet de evitanda*, et Gregorii X. in Lugdunensi quae *Ubi periculum* et quae: *Ne Romani* incipiunt Clementis V. romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum in Viennensi circa electionem tandem editis constitutionibus et aliis extravagantibus ac omnibus in eis contentis, quibus per hoc alias non intendimus praejudicare, fieri debet.

Decernentes ex nunc Cardinales praefatos etiam per concilium hujusmodi dispensare nullatenus posse ac quamcumque electionem romani Pontificis contra praesentium tenorem concilio hujusmodi durante attentatum nullam, irritam et inanem nulliusque roboris vel momenti fore et ea non obstante per eosdem Cardinales ad aliam electionem romani Pontificis servata earundem praesentium forma procedi debere; ac similiter ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis etiam concilii ejusdem auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 22. Septembr. 1561.

(Bull. r. t. VII. p. 143. Ed. Aug. Taur. 1862.)

8) Excommunicatio persecutorum Cardinalium.

Offendens Cardinales est reus laesae majestatis: *Cap. felicis, de poenis in 6.* et incurrit excommunicationem in bulla Coenae, in quam incidit etiam, qui sciens non denunciet conspirantem contra Cardinalem, ex *const. s. Pii V. 19. Januar. 1569.* ob mortem attentatam contra s. Carolum Borromeum, Benedict. XIV. *de synod. dioecesan. lib. 9. cap. 6. §: Verum Communis in fin.*

Excommunicationem latae sententiae speciali modo romano Pontifici reservatam incurrunt omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes s. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque apostolicae Legatos vel Nuncios aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes necnon ea mandantes vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octob. 1869.)

Contra offendentes aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel ejus domum invadentes etiam tempore conclavis aut bona ejusdem diripientes eorumque complices et fautores vd. constit. »Temerariorum« Leonis PP. X. editam 16. Mart. 1516 in bullar. rom. t. V. p. 648. Ed. Aug. Taur. 1860.

Constitutio Bonifacii VIII. contra offendentes S. R. E. Cardinales extenditur etiam contra scientes et non revelantes per Pium PP. V. in constitut. »Infelicis« diei 19. Decbr. 1569 in bullar. rom. t. VII. p. 792. Ed. Aug. Taur.

9) Fides in eum.

Jam diu traditum est, Cardinali asserenti esse credendum, etsi literas non exhibeat: idque propter excellentiam et auctoritatem Cardinalium S. R. E., atque ex aequitatis decore fieri debere inquit *Layman in cap. Quod translationem num. 5.* et *Reiffenstuel. in lib. 1. decretal. Tit. 30. num. 27. de officio Legati.*

10) Habitus, privileg.,*) visitatio etc.

Vd. *Cardin. religios.* (habit. p. 832.)

Decreta sac. Congregationis caeremonialis.

S. Congregatio caeremonialis cujuscumque abusus et novitatis eliminationi sedulo ac provide intenta et ad amplissimam praecipue sacri Cardinalatus dignitatem in sibi debito decore conservandam, decreta jam confecta diligentissime examinavit, auxit et in formam ut infra redegit:

I. Emmi DD. Cardinales nuper creati, etiamsi ab oratoribus Principum ante susceptam Cardinalatus insignia private fuerint visitati, eos tamen nullo modo revisitabunt,

*) Vd. infra n. 14.

nisi prius publice ab eisdem Oratoribus fuerint visitati post suscepta hujusmodi Cardinalatus insignia. 16. Novembris 1627.

II. Nuper s. collegio adscripti ante solemnem receptionem galeri rubri quoscumque alios DD. Cardinales non visitent neque ab iis etiam sub praetextu, quod clam et private id fiat, visitentur, neque eis ad Urbem accedentibus ante praefatam pilei rubri receptionem ab aliis DD. Cardinalibus Romae degentibus obviam eatur; excipiuntur tamen DD. Cardinales, quos contigerit Sede vacante ad Urbem accedere, non habitis cardinalitiis insigniis, quibus ut caeteris DD. Cardinalibus licet se mutuo invisere; Conclavi autem recluso, qui praedicta cardinalatus insignia suscepturi sunt, donec illa susceperint, ab aliis DD. Cardinalibus nullo modo visitentur aut alios visitent. 19. Novembris 1627.

III. A quocumque visitati cujusvis gradus et conditionis ille fuerit exceptis Principibus illis, quibus locus in subselliis eorumdem DD. Cardinalium cum Capellae pontificiae intersunt designari consuevit, dum abeuntes domo deducunt, nullum scalarum gradum descendant. 16. Novembris 1627.

IV. In ecclesiis et in omnibus aliis locis et actionibus publicis quibus DD. Cardinales interfuerint numquam in eodem scamno, genuflexorio seu pari sella assideant seu genuflectant, nisi cum illis Principibus, qui in subselliis DD. Cardinalium et in Capella pontificia locum obtinent. 7. Februarii 1656.

V. Cum per Urbem rocchetto induti incedunt quocumque modo proficiscantur, nemini subsistant, liceat tamen Gubernatori almae Urbis, Vicecamerario, senatori etiam Urbis ac oratoribus Principum, qui aula regia gaudent, officium hujusmodi exhibere. Caeteris autem magnatibus et status ecclesiastici Baronibus, etiam si Pontificis viventis fratres aut nepotes fuerint, gradum non sistant. 7. Februarii 1656.

VI. Cum sine rochetto per Urbem proficiscuntur, liceat ipsis si libuerit ex ordine ecclesiastico Patriarchis, Episcopis, Auditori Camerae apostolicae, Thesaurario generali, utriusque sacri Palatii apostolici Praefecto et Decano collegiorum Protonotariorum, sac. Rotae Auditorum et Camerae apostolicae clericorum, ex ordine vero laicali illis magnatibus status ecclesiastici, qui fuerint ducatu vel principatu insigniti et civitates et castra, quorum Duces seu Principes nuncupantur, possederint in statu ecclesiastico, officium salutationis reddere subsistendo dummodo ab illis prius DD. Cardinales visitati fuerint ac tres antiquiores DD. Cardinales hujus s. Congregationis audito si libuerit primo Rmo caeremoniarum magistro id convenire judicaverint; caeteris vero cujuscumque gradus, conditionis vel dignitatis extiterint DD. Cardinales salutationis reddendae gratia nullo modo subsistant. 7. Februarii 1656.

VII. Nemini ex DD. Cardinalibus liceat etiamsi fuerit invitatus publicis umquam disputationibus, academiis, laurearum traditionibus aliisque similibus actis interesse, nisi eorum tantum, qui s. Palatii vel rotae auditores vel Advocati consistorialis aulae fuerint designati necnon exceptis tribus orationibus, quae in collegio romano, initio studiorum, in laudem b. Aloysii Gonzagae et funeri fel. rec. Gregorii PP. XIII. singulis annis peraguntur, quibus quatuor tantum Emi DD. interesse poterunt, declarando huic praesenti decreto eos DD. Cardinales obnoxios non esse, quibus alicujus collegii protectionis munus demandatum est vel quibus conclusiones seu theses et actiones hujusmodi dicatae fuerint, illorum siquidem praesentia tales coetus decorari posse non prohibetur.

Excipitur praeterea academia convictorum collegii Clementini semel in anno in honorem Assumptionis b. M. Virginis solemniter celebrari consueta, cui quatuor tantum Emi DD. Cardinales cum Emo D. Cardinali collegii pro tempore Protectore inter quatuor adnumerato poterunt interesse. 11. Julii 1702.

VIII. Non erigantur umbellae seu baldachina occasione thesium aliorumque actuum scholasticorum, in quocumque loco, nisi pro summo Pontifice, regibus etc. et Cardinalibus in titulis et diaconiis necnon in monasteriis et conventibus aliisque locis quae eorum protectioni subsunt. 11. Julii 1702.

IX. Cum tres DD. Cardinales in curru simul incedunt, quocumque habitu utantur praelatos seu alios personas non admittant. 6. Julii 1699.

X. Emmi DD. provinciarum Legati hospitio recepturi oratores Principum ad Urbem properantes vel ab ea revertentes, ipsis obviam non procedant. Quo vero ad eorumdem oratorum exceptionem in propriis Legatorum domibus servabitur consuetus et approbatus mos cujuscumque legationis. 18. Julii 1701.

XI. Emi DD. cum primum oratores Principum ad Urbem pervenerint nisi prius fuerint certiorati nomine eorumdem oratorum obsequuto ipsorum adventu, suos nobiles familiares officiositatis gratia ad eosdem oratores non mittant. 18. Julii 1701.

XII. Observetur decretum antiquum quo cautum est, ablegatos Principum excipiendos fore sine lemniscis, vulgo *fiocchi* et sine titulo *Excellentiae* nulla habita ratione ad quemcumque gradum, dignitatem et praeeminentiam aut natalium qualitatem, quibus coruscare contigerit. 19. Julii 1704.

XIII. Emi DD. occasione luctus a rochettis lacinia vulgo merletti necnon a pileis cingula aurea quocumque tempore non auferent et sicuti in persona et in proprio curru nil luctus habere debebunt, ita neque in domibus neque in curribus quibuscumque. 18. Julii 1701.

XIV. Cum Emi DD. ss. paramentis induti ex aula paramentorum ad capellam pergunt et ex ipsa ad aulam praefatam revertuntur etiam in supplicationibus, quae in paramentis ss. peraguntur, caudatarium et duos nobiles familiares tantum secum habebunt. 28. Maji 1702. Quod decretum ss. D. Benedictus XIV. extendi jussit etiam Eminent. Cardinales in supplicationibus usuali habitu cardinalitio tantum sint induti. 18. Augusti 1743.

XV. Dominus Cardinalis Sacrum audiens in privato oratorio palatii suae habitationis nemini etiam Cardinali ad se venienti occurrat. 16. Novembris 1627.

XVI. Dominus Cardinalis mitram habens nulli hominum (romano Pontifice excepto) caput detegat. 16. Novembris 1627.

XVII. Emi DD. Cardinales in rebus dubiis quomodolibet Caeremoniale concernentibus Decanum sacri collegii et alium antiquiorem Cardinalem primum ministrum SSmi Dni Nostri Papae consulent, qui in eisdem rebus dubiis s. Congregationem convocari mandabunt. 11. Julii 1703.

XVIII. Praelati usum rocchetti habentes eodem induti Eminent. DD. nuper creatos visitabunt, quos denuo cum rocchetto ut supra visitabunt post suscepta cardinalatus insignia. 26. Aprilis 1701.

XIX. Dicti Praelati si ab Eminent. DD. in propriis domibus visitabuntur, ipsos dominos Eminent. pro prima vice rocchetto induti excipient. 26. Aprilis 1701.

XX. Barones romani Eminentissimos DD. noviter creatos post suscepta cardinalatus insignia publice visitabunt ad formam decreti sa. mem. Alexandri VII. 18. Januarii 1667 et qui usque adhuc visitationem publicam non fecerunt Eminent. DD. Cardinalibus nunc viventibus quamprimum expleant. 5. Decembris 1702.

XXI. DD. Cardinales quando prima vice a principibus magnis qui solent sedere in banco Cardinalium visitantur erunt cum rocchetto discooperto. Idem quoque servetur pro prima et unica tantum vice toto cardinalatus tempore quando visitantur ab oratoribus sive ordinariis sive extraordinariis, qui aula regia gaudent, et cum rocchetto, mantelletto et mozzetta illis visitationem reddent, ita ut semel recepto et visitato ut supra uno ex supradictis oratoribus sive fuerit ordinarius sive extraordinarius non licet amplius DD. Cardinalibus in praedictorum visitationibus rocchetto uti sed eos recipient cum subtana et mozzetta et in eodem habitu cum pallio praefatos oratores visitabunt. Quicumque vero oratores qui ss. Domino Nostro in consistorio publico obedientiam praestabunt tunc ratione obedientiae praestitae cum rocchetto discooperto in prima visitatione semper excipiendi et honorandi erunt et cum rocchetto, mantelletto et mozzetta illis visitationem reddent. 4. Septembris 1703.

XXII. Emi DD. cum a capellis pontificiis, concionibus et consistoriis discedunt rocchettum non deponant et pallium in ecclesiis prout in ipsomet palatio apostolico, in quibus cum rocchetto interfuere, non sument. 9. Decembris 1704.

XXIII. Emis DD. habitu communi confraternitatum indutis non licebit interesse missis, vesperis et concionibus earundem confraternitatum. 9. Novembris 1704.

Facta autem per me prosecretarium relatione SSmo Dom. Nostro Clementi PP. XI. Sanctitas Sua non tantum decreta supradicta laudavit et approbavit sed etiam DD. Cardinales memores fore voluit juramenti in receptione pilei praestiti de observando

omnia et singula decreta a s. Congregatione caeremoniali hactenus emanata et imposterum emanatura pro sublimi ejusdem cardinalatus honore et dignitate conservanda. Ad quem effectum eorumdem decretorum exemplar authenticum quousque illa in reviso ac emendato libello de varietate et usu vestium inserta et typis tradita evulgentur ad omnes et singulos DD. Cardinales qui ea observare omnino debeant transmitti mandavit.

Die 14. Maji 1706.

N. Episcopus Portuensis Card. Acciajolus Praef. Candidus Cassina Secret.

Vd. *Constitutionem Innocentii PP. X. super titulo et insignibus s. romanae ecclesiae Cardinalium* editam die 19. Decbr. 1644 in bullar. r. t. V. p. 410. Ed. Luxenbg.

11) Juramentum praestandum.

Formula juramenti a novis Cardinalibus praestandi.

Ego s. romanae ecclesiae Cardinalis promitto et juro me ab hac hora deinceps quamdiu vixero fidelem et obedientem b. Petro sanctaeque et apostolicae romanae ecclesiae ac SSmo Domino Nostro Patri ejusque successoribus canonice et legitime electis futurum: nullum consilium aut consensum vel auxilium adversus pontificiam Majestatem aut personam praestiturum; consilia mihi ab eis per se aut Nuncios aut per literas credita nemini unquam scientem prudentemque in eorum damnum vel dedecus enunciaturum, praesto item eis futurum, ut ipsi Papatum romanum et regalia s. Petri retineant, defendant et recuperent salvo meo ordine adversus omnes, honorem et statum eorum omni studio et totis viribus propugnaturum. Legatos et Nuncios Sedis apostolicae benigne et honorifice in terris et locis ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum mihi commissorum directurum et defensurum ipsisque securum iter curaturum ac eosdem in eundo, morando et redeundo honorifice tractaturum et quibusque contra eos aliquid conantibus usque ad sanquinem restiturum. Jura, honores, privilegia et auctoritatem sanctae romanae ecclesiae, Domini Nostri Papae et successorum praedictorum conservare, augere et promovere omnibus sensibus curaturum, ubi vero contra illa aliquid praejudicii, quod a me impediri nequeat, machinando intentetur statimque procurari vel tractari noverim eidem Domino Nostro vel successoribus praedictis aut alteri per quem possit ad notitiam eorum perferri significaturum, sanctorum Patrum regulas, decreta et ordinationes, provisiones et mandata apostolica et constitutionem fel. rec. Sixti V. de visitandis liminibus Apostolorum certis praescriptis temporibus juxta illius tenorem nuper a me perlectum observaturum et adimpleturum ab aliisque observari et adimpleri procuraturum. Haereticos, schismaticos et rebelles eidem Domino Nostro Papae vel successoribus praedictis omni conatu persecuturum et impugnaturum. Accersitum ab eodem SSmo Domino Nostro et successoribus praedictis ex quacumque causa ad eosdem profecturum vel justo impedimento detentum excusatorem missurum eique reverentiam et obedientiam debitas exhibiturum. Possessiones ad mensam ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum mihi commissorum seu ad illa quomodolibet pertinentes nequaquam venditurum neque donaturum neque oppignoraturum neque de novo infeudaturum neque aliter alienaturum, inconsulto romano Pontifice, etiam cum consensu capitulorum seu conventuum, ecclesiarum, monasteriorum vel beneficiorum eorumdem: et constitutionem b. Pii V. quae incipit *Admonet* sub datum Romae IV. Kalendas Aprilis anno Incarnationis Dominicae 1567 pontificatus sui anno secundo, una cum declarationibus romanorum Pontificum successorum praesertim Innocentii Papae IX. sub datum Romae pridie Nonas Novembris anno Incarnationis Dominicae 1591 pontificatus sui anno primo et felicis recordat. Clementis VIII. sub datum Romae 16. Kalendas Martii anno 1592 pontificatus sui anno primo de civitatibus et locis s. romanae ecclesiae non infeudandis seu alienandis perpetuo observaturum; necnon perpetuo et inviolabiliter observare promitto atque juro decreta et incorporationes facta et factas per eumdem Clementem VIII. sub diebus 26. Junii praedicti anni 1592, die 2. Novembris 1597, 19. Januarii et 11. Februarii 1598 de civitate Ferrariae et toto ejus ducatu necnon de civitatibus et locis quibuscumque per obitum bonae memoriae Francisci Mariae ultimi Ducis seu alias ad s. romanam ecclesiam devolutis et ab ea recuperatis. Item decretum et incorporationem per felicis recordationis Alexandrum VII. die 20. Decembris 1660 in consistorio factum et factam de ducatu Castri statuque Roncilionis atque aliorum locorum, terrarum seu bonorum alias per Raynutium Parmensium ducem Camerae apostolicae venditorum et constitutionem ejusdem felicis recordationis Alexandri VII. ratione et occasione decreti et incorporationis hujusmodi die 24. Januarii 1661 publicatam cum confirmatione, innovatione, extensione et declaratione aliorum decretorum et constitutionum per romanos Pontifices de non infeudando editarum et contra ipsa et ipsas quocumque tempore et quacumque causa, colore, titulo vel occasione etiam evidentis necessitatis et utilitatis nullo modo directe vel indirecte venire, tractare, moliri aut machinare aut auxilium seu consilium dare et consensum praestare: quinimo cuicumque tractatui et machinationi semper et perpetuo dissentire, opponere, resistere ac quascumque machinationes et tractatus, qui ad meam notitiam pervenerint, per ne ipsum seu meum nuncium Sanctitati Suae et ejus successoribus legitime intrantibus statim revelare tam sub poenis in dictis constitutionibus contentis quam aliis quibuscumque gravioribus Sanctitati Suae et ejus successoribus praedictis bene visis. Item constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae XII. moderatoriam donationum et distributionis, reddituum ecclesiasticorum in consanquineos vel affines romani Pontificis sub datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae 1692. 10. Kalendas Julii pontificatus sui anno primo, et demum literas memorati Urbani Papae VIII. sub datum Romae apud s. Petrum anno incarnat. Dominicae 1625. 5. Kalendas Februarii pontificatus sui anno tertio confirmationis bullae recolendae memoriae Gregorii Papae XV. de electione romani Pontificis juxta illarum tenores a me perlectos et plene cognitos. Item omnia et singula quae per eumdem Urbanum seu s. romanae ecclesiae Cardinales vel alios ab eo deputatos vel a SSmo Domino Nostro aut pro tempore existente romano Pontifice ad hoc specialiter deputandos et praecipue omnia et singula decreta a s. caeremoniali Congregatione *) hactenus emanatura pro sublimi ejus cardinalatus honore et dignitate conservanda decerni, statui et signanter Motum proprium ejusdem Innocentii Papae X. confirmationis decreti ab eadem s. caeremoniali Congregatione facti super aequalitate inter s. romanae ecclesiae Cardinales servanda in honorificis appellationibus seu titulis eorum cuilibet attribuendis et super expunctione Coronorum aliarumque notarum saecularium a gentilitiis eorumdem Cardinalium insigniis, sigillis seu armis sub datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1644. 14. Januarii pontificatus sui anno primo juxta illius tenorem mihi plene cognitum, me ad unquem observaturum neque quidquam quod ejusdem cardinalatus honori et dignitati quovis modo et ex quavis causa repugnet aut diminuat acturum. Juraque annulli cardinalatus per eumdem Gregorium XV. Congregationi de propaganda fide concessa et applicata eidem Congregationi juxta concessionis et applicationis hujusmodi formam et tenorem persoluturum et super praemissis omnibus absolutionem non petiturum et oblatam nullo modo recepturum.

Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

(Anal. I. P. II. Ser. Romae 1857. p. 1934.)

*) Vd. *p. 827. n. 10.*

12) Praecedentia.

a) Super omnes Ecclesiasticos.

Vd. *Cardinalis* (dignitas.)

b) Inter sese.

Quando S. R. E. Cardinales diaconi ad ordinem presbyteratus transeuntes locum obtineant ante illos Cardinales presbyteros, qui post eos ad Cardinalatum assumpti fuerunt.

Sanctissimus D. N. Clemens Papa VIII. decrevit, ut qui in praesenti Cardinales diaconi existunt, si in ordine diaconatus per integrum decennium a die eorum promotionis ad cardinalatum perseveraverint, transeuntes ad ordinem presbyteratus, locum obtinere valeant ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post illos ad cardinalatum assumpti fuerint, dummodo decem saltem annis Cardinales diaconi in eodem ordine remaneant.

Inposterum vero Cardinales diaconi promovendi eodem privilegio potiantur uno hoc excepto, quod ipsis decennii tempus non a die quo ad ordinem presbyteratus promoveri potuerint currere incipiat.

Actum Romae apud s. Marcum die 18. Augusti 1597.

(Bull. r. t. III. p. 72. Ed. Luxbg.)

13) Privatio cardinalatus.

Vd. *Cardinalis* (absens decr. Pii PP. IX. p. 820.)

14) Privilegia per vim abductorum Cardinalium manent.

Declaratio quod Cardinales ab Urbe per vim abstracti gaudere debeant omnibus juribus ac privilegiis ac si praesentes essent in eadem Urbe.

Pius VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nonus excurrit annus ex quo Redemptor Noster suo inscrutabili judicio universalis ecclesiae curam Nobis committere dignatus est. In hoc permolesti temporis spatio ultra gravissimas quotidie sollicitudines illud Nobis singulariter identidem accidit quod nonnulli ex venerabilibus fratribus Nostris s. romanae ecclesiae Cardinalibus ab iis qui sub Galliarum imperatore militiam exercent quique romanam Urbem occuparunt per vim a latere Nostro avulsi variasque ad regiones traducti, ubi moram adhuc facere coguntur, absentes nunc reperiantur ab ipsa Urbe ad quam omnipotentis Dei beneficio speramus eos fore redituros.

§. 2. Quoniam vero nec ss. canonum statutis nec aequitati consentaneum esset, ut Cardinales hujusmodi praeter voluntatem ab Urbe absentes juribus illis ac privilegiis orbarentur, quibus gauderent si in Nostra pontificia curia praesentes existerent atque inter haec non inferiorem locum habet jus optandi ad ecclesias episcopales suburbicarias quae pro titulo cardinalatus assignantur iis sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus, qui in cardinalitia hierarchia ordinem Episcoporum constituunt, idcirco eorum indemnitati opportunum consulere pro Nostri supremi officii munere congruum existimamus.

§. 5. Cum itaque in apostolicis nonnullorum romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum constitutionibus et praecipue in literis fel. rec. Clementis PP. XII. datis die 10. Januarii 1731 atque incipientibus *Pastorale officium* caveatur expresse, quod cathedrales ecclesias suburbicarias ii tantummodo Cardinales optare valeant, qui tempore ipso vacationis praesentes in curia existant vel ab eadem curia absentes dumtaxat ex causa publica et ex destinatione romani Pontificis, cumque praefati etiam Cardinales vi a Nobis abstracti et contra Nostram et eorum voluntatem longe ab Urbe traducti censendi sint habiles ad fruendum iisdem juribus ac privilegiis quibus fruerentur si personaliter adessent in Urbe, Nos propterea de consilio nonnullorum dilectorum filiorum S. R. E. Cardinalium ad quamcumque super hac re tollendam ambiguitatem ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine declaramus, volumus atque praecipimus quod Cardinales hujusmodi tamquam praesentes in curia reputentur ad effectum gaudendi praefatis omnibus et singulis juribus ac privilegiis, ita ut cathedrales quoque episcopales ecclesias suburbicarias praevia Nostra scientia et consensu servatis tamen reliquis omnibus servandis per procuratorem ex eodem Cardinalium collegio specialiter deputandum in qualibet vacatione de more optare libere ac licite possint et valeant.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 19. Jan. 1808.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 251. Ed. Romae.)

15) Religiosus.

(Habitus.)

Vd. *Cardinalis* (habitus etc.)

Tarraconen.

Pro parte capituli et Canonicorum Cathedralis Tarraconen. expositum fuit quod ss. Rituum Congregatio habita die 12. Augusti 1673 ad eorum instantiam declaravit non licere Archiepiscopo Tarraconen. religioso professo ordinis s. Benedicti gestare habitum cardinalitium sericum ad instar aliorum saecularium et pro ejusdem decreti observatione expeditae fuerunt literae remissoriales ab auditore Camerae eique Archiepiscopo personaliter notificatae. His vero non obstantibus continuavit in gestatione dicti habitus serici soloris rubei et quod majus est, quia nonnullae Dignitates et Canonici dictae Cathedralis qui consueverunt associare dictum Archiepiscopum ab ejus palatio ad ecclesiam recusarunt ultimo loco illum associare eo quia contraveniendo antedicto decreto ac literis monitorialibus praedictum habitum gestabat, idem Archiepiscopus declaravit illos excommunicatos, et quia pro dicta causa per oratores praefatos fuerunt reproductae dictae literae monitoriales ac doctum de positiv

contraventione necnon servati termini ad docendum de paritione pro obtinenda sententia declaratoria incursus censurarum in praedictis literis fulminatarum, idem Archiepiscopus ad evitandam dictam declaratoriam et continuandam gestationem dicti habitus adivit R. P. D. secretarium hujus s. Congregationis Rituum et instetit coram illo inhiberi ipsis oratoribus ne auderent ad ulteriora procedere in tribunali auditoris Camerae et allegavit se suosque Antecessores extitisse et existere in immemorabili quasi-possessione gestandi dictum habitum et propterea posse continuare dictam possessionem instetitque sibi concedi literas remissoriales ad probandam dictam immemorabilem et dictus D. secretarius remisit partes ad s. Congregationem et mandavit supersederi usque ad primam Congregationem. Hodie vero s. Congregatio declaravit: Non licere dicto Archiepiscopo uti cappa rubea et omnino abstineat et quoad censuras suspendantur ad tres menses et audiatur Archiepiscopus.

Die 16. Junii 1674.

Adnotatio.

Juvat hic referre pauca ex informatione capituli: Illus D. secretarius summa cum benignitate procedendo retardavit expeditionem decreti (12. Junii 1674) et per suas literas certioravit Illum D. Archiepiscopum de dicto decreto eum commonendo ut se abstineret ab ulteriori gestatione dicti habitus et successive quia ex justificationibus sibi exhibitis constitit, quod adhuc post receptionem dictarum literarum continuabat sicut antea in gestatione dicti habitus relaxavit et expedivit dictum decretum cujus vigore fuerunt expeditae dictae literae monitoriales; quibus non obstantibus continuavit in gestatione dicti habitus et quod est pessimi exempli declaravit excommunicatos Dignitates et Canonicos quia recusarunt eum associare videntes quod contemnendo decretum s. Congregationis gestabat dictum habitum sibi non licitum neque permissum cum potius debuisset statim recurrere ad s. Congregationem et interim se abstinere a gestatione dicti habitus ob reverentiam debitam huic s. Congregationi, unde pro parte meorum principalium ad cauthelam supplicatur pro absolutione.

Immemorabilem vero esse penitus improbabilem patet ex eo quia cum Illmus D. Royos s. Rotae auditor qui desiit esse talis de mense Februarii 1653 per promotionem ad ecclesiam Tarraconensem est ex cujus persona effectus fuit talis Archiepiscopus D. adversarius et impossibile reperiri testes qui de ea deponere valeant; siquidem unum ex praecipuis requisitis et quod testis per 40 annos viderit ita fuisse observatum et ad hujusmodi effectum est necesse quod testis sit aetatis 14 annorum ante quadragenariam per ipsum testem de visu probandam, atque ita cum d. Illmus Royos esset saecularis admisso sine veri praejudicio quod alii antiquiores Archiepiscopi fuissent regulares, quod tamen est falsissimum, testes ad probandam dictam quadragenariam deberent esse ad minus aetatis 75 annorum cumque, antequam dictus Illmus Royos efficeretur talis Archiepiscopus Tarraconensis, occasione revolutionum ac bellorum Cathaloniae extiterit sedes vacans fere per decennium hinc est quod dicti testes deberent esse aetatis 85; quo casu s. Rota denegat remissoriam.

Superaddito maxime, quod de anno 1626 erat Archiepiscopus D. Joannes de Manzada pariter saecularis prout etiam immediate praecedenter talis D. Joannes de Hoces pariter saecularis: unde eo difficilior ac penitus impossibilis redditur dicta praetensa probatio immemorabilis.

Ultra quod cum dictus habitus sericus rubei coloris cardinalitii expresse fuerit prohibitus regularibus professis in Caeremoniali Episcoporum ut in *cap. 1. lib. 1.* et sa. me. Innocentius PP. X. suo speciali brevi dictum Caeremoniale omniaque disposita et ordinata confirmaverit et inviolabiliter observari jusserit, prout etiam sa. me. Clemens PP. VIII., ut in brevibus registratis in principio libri dicti Caeremonialis graviterque peccet Praelatus illud non observando, *Barbosa de off. et pot. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 4. n. 17.* prope finem, inde sequitur dictum D. Archiepiscopum adversarium non posse juvari contraria consuetudine tamquam nutritiva peccati et consequenter denegandam remissoriam.

16) Residentia.

Vd. *Cardinalis* (absentia etc. p. 817.)

17) Restitutio in dignitatem cardinalatus.

Vd. *Cardinal.* (absens, decr. PP. IX. p. 820.)

LITERAE APOSTOLICAE

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX.

Quibus Cardinalis Hieronymus D'Andrea ad insignia et privilegia cardinalitiae Dignitatis restituitur.

Pius PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolici Nostri officii memores per similes in forma Brevis literas die 12. Junii 1866 datas Hieronymum D'Andrea S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem et Antistitem commendatarium Abbatiae Sublaquensis utpote quod contra canonicas sanctiones et Praedecessorum Nostrorum constitutiones, Nobis renuentibus aliasque regiones ad curandam valetudinem suadentibus, Neapolim commigrasset ibique contra voluntatem Nostram commorari pergeret et aliis pluribus gravioribusque de causis ab administratione utriusque dioecesis ad Nostrum et s. Sedis beneplacitum suspendimus et apostolicos administratores eisdem dioecesibus praefecimus. Postea vero per similes Nostras pariter in forma Brevis literas die 29. Septembris superioris anni 1867 evulgatas gravissimis Nos permoti causis prout in memoratis literis videre licet dictum Cardinalem ab omnibus juribus, privilegiis et insignibus cardinalitiae dignitatis ac potissimum a voce activa et passiva in electione summi Pontificis suspendimus eique trium mensium terminum adsignavimus, a datis iisdem literis computandum, infra quem personaliter et cum effectu coram Nobis sistere se deberet ad audienda humiliter mandata Nostra, quo termino inutiliter elapso, ipsum tum cardinalatu et episcopatu Sabinensi, qui ejus cardinalatui adnexus est, tum Abbatia Sublaquensi aliisque beneficiis privatum iri declaravimus. Nunc vero, quum memoratus Cardinalis infra dictum temporis spatium in urbem reversus admissa sua scripto reprobvaerit *) illum apud Nos excipiendum et honores ac privilegia cardinalitiae dignitatis eidem restituenda censuimus. Nos itaque memoratum Cardinalem Hieronymum D'Andrea ad insignia, honores ac privilegia cardinalitiae dignitatis ac proinde ad vocem activam et passivam in electione summi Pontificis auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium restituimus. Quod vero spectat ad regimen ecclesiae Sabinensis et Abbatiae Sublaquensis, eas curari ac regi volumus ab apostolicis administratoribus a Nobis deputatis, donec aliter per Nos et Apostolicam Sedem statuatur. Haec volumus et mandamus, contrariis etiam speciali mentione dignis minime obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 14. Januarii 1868.

N. Card. Paracciani Clarelli.

18) Supellectilia.

Vd. *Bullar. Bened. XIV.*, Const. diei 9. et 22. Apr. 1749, t. III. p. 46. Ed. Romae 1753; *Utensilia sacra.*

19) Titulus.

De praefinitione titulorum et diaconiarum pro s. romanae ecclesiae presbyteris et diaconibus Cardinalibus vd. constitutionem Sixti PP. V. editam die 13. Apr. 1587 in bullario r. t. VIII. p. 833. Ed. Aug. Taur. 1863.

Vd. *Decretum consistoriale ssmi D. N. Urbani divina providentia PP. VIII. de titulis »Eminentissimi« et »vestrae Eminentiae« una cum antiquo titulo »Reverendissimi« S. R. E. Cardinalium. Die 10. Junii 1630. In Consistorio secreto. Fuit facta per Dnum Cardinalem Pium relatio decreti s. Congregationis Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium.*

*) In officiali Urbis ephemeride diei 7. Januarii hunc articulum legimus qui latino sermone, in quem accurate vertimus, sic sonat: »Die 14. elapsi Decembris cum Neapoli Romam reversus esset Emus ac Remus D. Card. Hieronymus De Andrea, sanctissimus Dominus Noster juxta Breve apostolicum *Quamquam illius* die 29. Septembris 1867 editum mandata sua per Antistitem Patriarcham Constantinopolitanum sacri Collegii a secretis ad eumdem dedit, caeteris deinceps significandis sibi reservatis. Juxta ea mandata idem Cardinalis De Andrea hunc retractationis actum ad SSmum Patrem misit.«

Subscriptus Cardinalis obediens sanctissimi D. N. mandatis haec declarat:

1°. Se inobedientiae suae, quam Neapolim vetante Pontifice contendens admisit, veniam petere.

2°. Se scandalum fidelibus datum deplorare sua agendi ratione erga sacram Sanctissimi Patris Personam et sacras Congregationes suis scriptis et communicationibus a se habitis cum *Examinatore* Florentino, cujus doctrinas, ab eodem SSmo Patre uti haereticas atque schismaticas habitas, se reprobare.

3°. Literis communi Episcoporum catholicorum suffragio datis Romae mense Junio 1867 se integre adhaerere.

4°. Protestationes atque alios actus a se contra publicationem Brevis diei 12. Junii 1866 factam emissos se reprobare.

5°. A Sanctissimo Patre suisque collegis atque aliis qui a se quoquomodo laesi sunt veniam humiliter se exposcere.

Romae die 26. Decemb. 1867.

Hieronymus Card. De Andrea
Episcopus Sabinae, Abbas Sublacensis.

Carentiae Annus.

Vd. *Canonicatus* (fructus primi anni p. 174. l.; canonicatus vacantis p. 230. XII) *Chorus* (consuetudo gratis etc.)

Carmelitae.

1) Origo.

Imponitur perpetuum silentium super quaestione de institutione Ord. Carmelitarum a Prophetis Elia et Eliseo.

Congregationem Discalceatorum componere ordinem Carmelitarum declararunt romani Pontifices, ut in Clem. X. const. ed. 1670. Oct. 31. et Bened. XIII. const. edit. 1730. Febr. 14. agitur de decretis circa doctrinam s. Thomae.

Innocentius Papa XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris ac Domini nostri Jesu Christi qui charitas est et Deus pacis vices licet immeriti gerentes in terris christifidelium quorumcumque, potissimum vero divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatorum uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris aura proferre jugiter satagentium quieti et tranquilitati sublatis jurgiis atque altercationibus quae fraternae charitatis serenitatem obnubilare possent quantum Nobis ex alto conceditur consulere commissaeque Nobis a Domino potestatis partes desuper interponere studemus, sicut omnibus naturae considerationis trutina perpensis salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Cum itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus ex acribus super primaeva institutione ordinis fratrum b. Mariae Virginis de Monte Carmelo illiusque successione a ss. prophetis Elia et Eliseo dudum enatis contentionibus magnum christifidelium ejusmodi minus necessarias quaestiones utpote de rebus ad fidei veritatem seu morum disciplinam minime pertinentibus praesertim inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate et justitia paeque fraterna reddere decet, summopere improbantium scandalum obvenerit illudque ob quamplures libros ac libellos acerbiori stylo desuper hinc inde conscriptos in dies plurimum augeatur, hinc est quod Nos ex injuncto Nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere serio considerantes, in quantam malorum segetem ejusmodi dissidiorum zizania succrescere possint, nisi provide ex agro Domini evellantur, ac proinde gravioribus perturbationibus quae praemissorum occasione in dies oriri possent omnem ansam praecidere et opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, habita super iisdem praemissis cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii

Tridentini interpretibus qui rem mature discusserunt diligenti deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine super praefata quaestione de primaeva institutione ac successione ordinis supradicti a prophetis Elia et Eliseo perpetuum silentium tenore praesentium imponimus illudque a defensoribus utriusque sententiae necnon ab omnibus et quibuscumque aliis cujuslibet status, gradus, conditionis, ordinis, congregationis, societatis et instituti etiam specifica et individua mentione et expressione digni tam in scriptis, dissertationibus et libris imposterum typis edendis quam in publicis disputationibus ac thesibus sub excommunicationis latae sententiae poena per contrafacientes ipso facto incurrenda perpetuo servandum esse decernimus et ordinamus.

§. 2. Praeterea libros, theses seu scripta quaecumque contra earumdem praesentium formam imposterum edenda motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus harum serie prohibemus sub poenis et censuris in regulis indicis librorum prohibitorum contentis illaque eo ipso absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus. Non intendimus tamen per silentii hujusmodi impositionem uni seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere volumus in statu et terminis, quibus de praesenti reperitur, donec aliter Nobis et Sedi apostolicae visum fuerit determinare.

§. 3. Decernentes etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 20. Novembris 1698.

(Bull. r. t. XII. p. 312. Ed. Luxbg.)

2) Privilegia et gratiae.

De extensione privilegiorum et gratiarum spiritualium ad omnia gallica monasteria sororum Carmelitarum votorum simplicium.

Decretum.

Postremis hisce temporibus ad respectivorum Ordinariorum supplicationem ssmus Dnus noster Pius Papa IX. dignatus est aliquibus monasteriis sororum Carmelitarum in Galliis concedere communicationem privilegiorum et gratiarum spiritualium quibus fruuntur moniales ejusdem ordinis quae alibi existentes vota solemnia nuncupant, etiamsi ab illis simplicia tantum vota emittantur. Nuperrime vero nonnulli Episcopi Galliarum in quibus quamplurima sororum Carmelitarum monasteria extant ad spirituale earumdem sororum emolumentum et solamen expedieus esse existimarunt et penes hanc s. Congregat. Episcoporum et Regul. adprecati sunt, ut a s. Sede praefatus apostolicus favor ad omnia sororum Carmelitarum monasteria Galliarum extendatur. Facta autem de praemissis relatione ssmo Dno Nostro in audientia habita ab infrascripto Dno secretario hujus s. Congregationis Episcop. et Regul. sub die 5. Martii 1869 Sanctitas Sua dignata est demandare, ut omnibus et singulis monasteriis sororum Carmelitarum, quae in Galliis reperiuntur, tribuatur prout praesentis decreti tenore tribuitur communicatio omnium privilegiorum et spiritualium gratiarum quibus gaudent sanctimoniales Carmelitae votorum solemnium, ita tamen ut ab illis etiam imposterum vota simplicia emittantur nullamque habeant exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione.*)

Datum Romae ex secretaria Congregat. Episcop. et Regul. die 23. Martii 1869.

L. † S. A. Card. Qualia, Praef.

S. Svegliati, Secretarius.

*) Cum ob politicas praesentis saeculi vicissitudines legesque civiles in pluribus catholici orbis regionibus moniales, quae antea vota solemnia in iisdem regionibus Deo nuncupare poterant, vota tantum simplicia emittere nunc permittantur contigit, ut hujusmodi moniales ea magna facultate privatae quaererent, ut sibi indulgerentur caetera privilegia spiritualia, quibus suus ordo frueretur in aliis regionibus, in quibus consorores moniales emittere atque implere vota solemnia possunt.

Ejusmodi indulta seu potius extensiones declarativae spiritualium favorum passim conceduntur ex generalibus jam emissis declarationibus. De qua re satis est recolere, quod s. Poenitentiaria rescripsit ad Episcopum Cenomanensem die 23. Decembris 1835, qui posterum novisset vota, quae in praesent rerum statu a monialibus in regno Galliarum emitterentur, uti simplicia a s. Sede aestimari, quaesivit: An spiritualia privilegia regularibus concessa v. g. indulgentia nihilominus permaneant? Cui s. Poenitentiaria respondit: *Sorores monasteriorum Galliae lucrari posse indulgentias omnes, quae religioni seu instituto aliarum monialium solemnia vota emittentium secundum institutum seu regulam respectivam concessae fuerunt: idque ex indulto Pii VII. a ssmo Domino Gregorio PP. XVI. confirmato.*

Caro.

1) Esus in Sabbatho.

Esus carnium diebus Sabbathi per annum permittitur in regnis Castellae, Legionis et Indiarum.

Venerabili fratri Henrico Archiepiscopo Naziazeno apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem catholicum nostro et apostolicae Sedis Nuntio.

Bened. PP. XIV.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Jampridem a dilecto filio nostro Trojano S. R. E. Cardinali Aquaviva nuncupato, pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici, supplicatum Nobis fuit, *ut regnis Castellae, Legionis atque Indiarum, in quibus veteri consuetudine licet edere partes extremas animalium, pedes nempe, alas, colla atque intestina die sabbathi per totius anni spatium, non tamen diebus sabbathi per quadragesimam occurrentibus aut cum jejunium praecipitur, apostolica auctoritate licentiam et facultatem impertiremur retiquas etiam partes ipsorum animalium sabbatho edendi,* uti caeteris hebdomadae diebus fieri consuevit: ea vero causa potissimum in medium ferebatur, arduum prorsus ac difficile esse vetitas animalium partes satis accurate ac diligenter secernere a reliquis partibus, quae in cibum permittuntur, idque molestos scrupulos ac dubietates in animis fidelium excitare.

§. 1. Quapropter opinionem b. mem. Ludovici dum viveret S. R. E. Cardinalis Bellugae nuncupati exquisivimus, qui sententiam suam scripto exaratam Nobis declaravit, nempe in regnis Castellae, Legionis et Indiarum veterem morem obtinuisse ut sabbathis simplicibus idest quibus nullum jejunii aut quadragesimae praeceptum indicitur edere liceret pedes, alas et colla animalium, eadem tamen facultate carere regna Aragoniae, Valentiae, Majoricae, Minoricae et principatum Cathalauniae, quibus in locis temperantia a carnibus eodem pacto per sabbathum quo per dies Veneris observatur. Tandem idem Cardinalis affirmavit eo rem devenisse adeoque sollicitos et anxios esse populos omnes, qui versantur in illis locis ubi partibus extremis animalium vesci solummodo, a reliquis autem abstinere debent, ut necessarium duxerit elargiri licentiam et facultatem, quae a memorato Cardinali Aquaviva uti dictum est petebatur.

§. 2. Consilio tanti Cardinalis quem Nos semper maximi fecimus ob singularem pietatem, doctrinam et rerum Hispaniarum cognitionem acquiescere tutissime poteramus sed cum nulla diligentia supervacanea judicari deberet in hoc gravissimo negotio, in quo disciplina nimis relaxari et pravae consuetudini nova superaddi videbatur ab institutis ecclesiae prorsus aliena, aliorum pariter in hac re sententias requisivimus. Itaque postquam certi facti sumus Episcopos et viros ecclesiasticos Hispanos, sapientiae ac pietatis laude insignes, qui in Hispania degunt, in hanc opinionem convenire omnes non modo utile, sed necessarium esse, populis quos antea nominavimus elargiri licentiam et facultatem ut non solum quibusdam partibus animalium sed omnibus libere ad mensam utantur per sabbatha simplicia, et si nequaquam id liceat illud necessario consequi, ut illi qui Deum timent in maximas angustias ac dubietates adducantur, caeteri vero, qui parum de ecclesiae disciplina solliciti sunt, ipsam apertissime atque injuriose contemnant, rem etiam universam praeclaris theologis doctisque viris hic Romae examinandam proposuimus Nosque ipsi accurato studio perpendimus.

§. 3. Ac primum in mentem venit integram abstinentiam a carnibus indicere per dies sabbathi, quemadmodum tot aliae nationes et plura quoque Hispaniarum loca facere magna religione consueverunt. At Nos (omittimus hic recensere qualiscunque sit illorum opinio, qui hanc consuetudinem edendi postremas animalium partes tum caepisse arbitrantur, cum fel. rec. Adrianus I. Egilam Toleti Archiepiscopum vehementer objurgavit, eo quod in Hispania carnes apponerentur die sabbathi, sicuti in Graecia fieri solebat) Nos inquam permoti exemplo s. Gregorii VII. Praedecessoris itidem nostri, qui potius admonens quam praecipiens hortatus est christianos, ut sabbathi diebus a carnibus abstinerent, nisi forte solemne aliquod festum iisdem diebus celebraretur, adducti pariter exemplo Innocentii III. Praedecessoris itidem nostri, qui hujusce con-

suetudinis plurimam rationem habuit, insuper expendentes doctrinam s. Antonini aliorumque praestantium theologorum, illos nempe lethali culpae obnoxios esse, qui die sabbathi absque legitima causa vescantur carnibus »*in iis locis, ubi consuetudo contraria fuerit*,« postremo illud animo cogitantes non solum in Hispania, sed etiam in quibusdam Galliae dioecesibus, veteri instituto, carnis esum permitti in sabbathis, quae inter diem natalem Domini ac festum Purificationis interjiciuntur, his inquam causis perducti, primum consilium, quod in mentem venerat, deposuimus facili conjectura perspicientes maximam difficultatem, quae futura erat, si consuetudinem diuturnitate temporis confirmatam abrogaremus iis populis, quibus edere postremas animalium partes permittitur.

§. 4. Post hoc consilium aliud nobis occurit nempe veterem consuetudinem ab ea, quae recentior est, secernere sive quod idem prorsus est solum indulgere ut intestina et partes extremae animalium in mensam afferantur, uti consuetudo jamdudum tenuit, at simul auctoritate nostra praescribere, ne reliquae partes animalium in cibum sumantur, sed huic sententiae magnopere adversantur ea quae superius commemoravimus, nempe dubietates molestique scrupuli fidelium ex una parte et ex altera contemtus abstinentiae, quam facile negligerent illi, qui divino timore parum dnenntur: siquidem hoc pacto ratio habetur humanae fragilitatis ac tenuitatis, pii fideles ab omni sollicitudine metuque eripiuntur ac postremo plurimis scandalis aditus intercluditur.

§. 5. Qua de causa morem gerentes voluntati ejusdem Philippi Regis catholici et obsecundantes vehementi studio tot virorum qui in Hispania commendatione pietatis excellunt *fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut nostro nomine nostraque apostolica auctoritate permittas et indulgeas, ut in regnis Castellae, Legionis atque Indiarum per dies sabbathi (quibus tamen neque abstinentia consueta quadragesimae neque aliud jejunium praecipitur) quibuslibet animalium partibus fideles vescantur, cum vero conditionem adjicimus, nempe si consuetudo hujusmodi postremas animalium partes edendi diebus sabbathi jamdudum in iisdem regnis invaluerit et a veritate aliena minime sint pericula Nobis exposita et ipsa certo subcunda videantur, si carnium esus ad certas animalium partes solum redigatur.* Interea apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 23. Januarii 1745.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 485.)

Instante Rege catholico declaratur circa indultum Benedictinum vescendi carnibus in diebus sabbathis totius anni.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis Abbatibus seu Ordinariis civitatum ac locorum in regnis Castellae, Legionis, Aragoniae et partis Navarrae ac in ditionibus Indiarum carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum Regi catholico subjectis existentibus.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Decet romanum Pontificem ex pastoralis officii sibi commissi debito ea quae alias ad tollendos ex fidelium animis molestos conscientiae scrupulos provide ac maturo consilio statuta fuere, si ex intempestiva aliquorum cunctatione fideles nondum ab omni sollicitudine ac metu erepti sunt, ita declarare ac illorum executionem urgere, ut amota quavis ficta et ulteriori dubitandi causa quae ab apostolica Sede disposita sunt et convenienti recipiantur reverentia et omnino impleantur prout in Domino salubriter expedire conspicit.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum Rex catholicus, quod cum alias fel. record. Benedictus PP. XIV. Praedecessor Noster accepisset in regnis Castellae, Legionis atque Indiarum eidem Regi catholico subjectis veterem obtinuisse consuetudinem, ut in sabbathis simplicibus, in quibus scilicet nullum jejunii aut quadragesimae praeceptum indicitur, edere liceret extremas partes animalium pedes nempe, alas, colla atque intestina ac cum arduum prorsus ac difficile esset licitas animalium partes satis accurate ac diligenter a vetitis secernere, Deum timentes in maximas hinc adduci augustias et anxietates, caeteris vero qui parum de ecclesiae disciplina solliciti erat religionem non esse, quominus omnes indiscriminatim carnes comederent, fidelium conscientiae securitati

provide consuleret ac plurimis scandalis aditus intercluderetur, clar. mem. Philippi dum vixit Regis catholici precibus obsecundans benigne indulsit, ut in regnis praedictis christifideles per quoslibet dies sabbathi simplices, in quibus nempe aut quadragesimae aut aliud jejunium non esset praeceptum, omnibus animalium partibus vesci libere ac licite possent prout in suis in simili forma Brevis 23. Januarii 1745. expeditis literis uberius continetur, et quum dictis regnis Castellae et Legionis alia regna coronae Aragoniae et partis Navarrae eidem Regi catholico subjecta limitropha sint, quorum confinia non adeo certa ac distincta sint ut facile definiri possit quibus vel non Benedictinum indultum praedictum prodesset, adeo ut piorum hominum conscientia semper esset in ancipiti ac propterea eadem regna gravi piscium penuria laborent,

§. 3. Nos memorati Caroli Regis catholici precibus Nobis hisce desuper humiliter porrectis annuentes ac omnes dubietates in animis fidelium sedare immo tollere cupientes ad dicta regna coronae Aragoniae et partis Navarrae toties memorato Carolo Regi catholico subjecta Benedictinum indultum hujusmodi extendimus et ampliamus, prout in Nostris sub die 9. Februarii 1779 expeditis literis uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat aliqui inter eos qui christifidelium animas spiritualiter dirigunt quoad Benedictini indulti praedicti interpretationem in diversas abeant opiniones et sententias praesertim vero in oppido civitate nuncupat. s. Christophori Havanna Cubanae dioecesis, in qua non sine gravi bonorum omnium dolore ac fidelium scandalo tot et tantae turbae suscitatae sunt ut ejusdem oppidi civitatis nuncupatae gubernator et magistratus e re sua putarunt, incommoda quae exinde proficiscebantur eidem Carolo Regi catholico referre: hinc desiderans ipse pro sua pietate ac religione ut ex suorum subditorum animo quivis scrupulus evellatur atque ipsis certum exploratumque sit, quid in re tam gravi tenendum quidve faciendum sit: Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur justis ac piis memorati Caroli Regis catholici votis quantum cum Domino possumus annuere eumque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati per praesentes fraternitatibus ac discretionibus vestris committimus et mandamus ut quatenus in vestris respective dioecesibus opus sit quavis seposita circa memorati Benedictini indulti interpretationem dubitandi ratione christifideles vestrum vigilantiae respective commissos ac in memoratis regnis Castellae, Legionis, Aragoniae et partis Navarrae ac in omnibus ditionibus Indiarum dicto Carolo Regi catholico subjectis commorantes per quoscumque dies sabbathi simplicis, citra nempe quadragesimam aliasque sabbathi dies in quibus ecclesiasticum jejunium praecipitur quibuscumque animalium carnibus libere ac licite vesci sinatis nullique inposterum fas esse fictis rationibus Benedictinum indultum praedictum adversari auctoritate Nostra apostolica statuatis.

Nos enim scientes quaedam esse, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa esse quae pro rerum necessitate oporteat temperari, malumus aliquid de vigore disciplinae ecclesiasticae relaxari quam illius custodiam nimis urgendo vobis concreditas plebes circa esum carnium per dies simplices sabbathi cum gravi animarum suarum periculo et bonorum scandalo in novas anxietates et dubietationes adducere.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 23. Septembris 1788.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 240. Ed. Romae.)

Indultum vescendi carnibus in diebus sabbatis regnis Castellae, Legionis et Indiarum Regi catholico subjectarum alias concessum extenditur ad regna coronae Aragoniae et partis Navarrae. Vd. Constitut. Pii PP. VI. diei 9. Febr. 1779 incip.: *Ex paternae charitatis* in bullar. r. t. VI. p. 75. Ed. Romae.

2) Esus Inservientibus Hospitalis concessus.

Licentia perpetua vescendi carnibus quibuscumque anni temporibus prohibitis pro inservientibus hospitalis generalis civitatis Caesaraugustanae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Pia loca quaecumque, praesertim vero illa, in quibus cum spiritus profectu misericordiae opera pauperibus nempe refu-

gium, aegris solamen et dementibus subsidium praestando exercentur, Nos decet apostolicae providentiae favoribus prosequi atque ad ea libenter intendere per quae locorum eorumdem prospero ac felici incremento una cum ministrorum eisque quomodolibet inservientium incolumitati consulatur.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum modernorum rectorum et deputatorum apostolici hospitalis generalis nuncupati s. Mariae Gratiarum civitatis Caesaraugustanae exponi Nobis fecit dilectus etiam filius eques Joseph Nicolaus de Azara charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis catholici negotiis apud Nos praepositus, quod dictum hospitale (in quo infirmi non tantum sed expositi, puerperae et dementes etiam infideles undique adventantes excipiuntur, itaut domus infirmorum urbis et orbis meruerit appellari) a cl. mem. Alphonso V. cum vixit Arragonum Rege catholicam ecclesiam fel. record. Eugenio PP. Praedecessore Nostro tunc gubernante institutum ab eo tempore citra per diversos romanos Pontifices itidem Praedecessores Nostros, praecipue per rec. mem. Clementem VII qui suis sub plumbo de mense Majo 1705. expeditis literis illud immediate Sedis apostolicae protectioni cum delegatione judicum apostolicorum ut asseritur subjecit eique indulgentias omnibus fere hospitalibus sacrisque locis almae Urbis Nostrae elargitas communicavit, multis privilegiis favoribus et gratiis insignitum fuit.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat hospitale hujusmodi ad tot onera subeunda ingentem inservientium numerum retinere cogatur, quorum multi ejus expensis inibi convivunt, multi etiam mercede conducti tenuitate emolumenti non obstante pro viribus famulari conantur aliosque habeat deputatos et ministros gratuito servitium praestantes et extra illud degentes atque insuper sex rectores quorum duo ecclesiastici, laici caeteri, atque a nunc et pro tempore existente Hispaniarum rege catholico nominari soliti, qui charitatis titulo et gratis alternatim per hebdomadas aegrotantium pauperumque curae advigilantes bis etiam per hebdomadam congregationibus ad prosperum ejus regimen intersunt, cumque ejus redditus tot substinendis expensis impares omnino sint, ita ut majori ex parte eleemosynis piisque fidelium largitionibus subsistat, Nobis propterea exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut tum ejusdem hospitalis graviori dispendio ex varietate ciborum esurialibus diebus occurrente, dum salubres pro infirmis, quadragesimales pro non infirmis parari debeut, tum etiam incolumitati inservientium, ministrorum aliorumque omnium praedictorum saepe ex lethali habitu infirmorum hujusmodi in adversam valetudinem incidentium consulere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati modernis et pro tempore existentibus tam inservientibus et in dicto hospitali conviventibus quam aliis ejus ministris sive in mercede sive gratis servitium praestantibus necnon sex rectoribus praedictis eorumque familiis, ut donec et quousque munera inserviendi aut ministrandi vel alias ut praefertur obierint, quadragesimalibus aliisque per annum temporibus et diebus quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus (majori hebdomada tantum excepta) carnibus sine tamen scandalo vesci libere et licite ac absque ullo conscientiae scrupulo possint et valeant ac quilibet eorum possit et valeat licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus et impertimur.

§. 5. Non obstantibus.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 24. Septembris 1777.

(Bull. r. Contin. t. V. p. 405. Ed. Romae.)

De licentia administratoribus ceterisque inservientibus hospitalis loci s. Idelphunsi nullius dioecesis concessa provinciae Toletanae perpetuo vescendi carnibus temporibus prohibitis vd. constit. Pii PP. VI. diei 18. Decembr. 1787 incip.: *Pia loca* in bull. r. Continuat. t. VIII. p. 111. Ed. Romae.

De indulto ministris aliisque inservientibus hospitalis Gerundensis concesso vescendi prohibitis diebus jejuniorum excepta tantum majori hebdomada carnibus, ovis et lacticiniis vd constitut. Pii PP. VII. diei 16. Jan. 1801 incip.: *Quod Christus* in bull. r. Cont. t. XI. p. 165. Ed. Romae.

Carthusiani.

(Statuta et regulae etc.)

Vd. Constitut. Innocentii XI. diei 27. Mart. 1688 in Bull. r. t. XI. p. 533 etc. Ed. Luxbg.

Casinenses.

Vd. *Abbas Casinensis* (t. I. p. 22.)

Casus.

1) Conscientiae.

Obligatio interessendi Congregationi casuum conscientiae; vd. *Conferentia.*

2) Reservatus.

Vd. *Censurae.*

a) Absolutionis facultas in articulo mortis.

Vd. t. I. p. 136. n. 2; 138. n. 3. etc.; 140. n. 4.

b) Absolutio a Praelatis regul. quoad subditos.

Vd. t. I. p. 145. g.

Ad dub: An Praelati regulares post constitutionem *Apostolicae Sedis**) iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta constitutione *simpliciter* reservatis?

S. Poenitentiaria resp.: Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis *particularibus* ad tempus concessis.

Die 5. Decb. 1873.

c) Absolutio per confessarios regul. a casib. reserv. a Sede apost. vel ab Episcopo.

Vd. *Absolutio* (t. I. p. 136. n. 2; p. 139. b.; p. 141. b; p. 145. g;) *Ferraris biblioth.* c. verb.: *Confessar. art. II., art. IV. n. 81.*

*) Vd. *Censurae* (limitatio.)

d) Absolutio per confessarios Urbis a casib. reservatis ab Episcopo.

Vd. t. I. p. 140. a.

Decretum.

Cum nuper inter theologos Urbis exorta fuerit quaestio, utrum scilicet reservatio casuum facta Episcopis seu locorum Ordinariis a constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12. Octobris 1869 comprehendat etiam Cardinalem Urbis Vicarium pro tempore, ita ut confessarii teneantur facultatem ab ipso obtinere pro validitate absolutionis, quamvis hactenus in usu fuerit jurisdictionem memoratis confessariis haud cohibere quoad casus a jure Episcopis et Ordinariis locorum reservatos, Emus ac Rmus Cardinalis Constantinus Patrizi modernus Urbis Vicarius pro sua spectata prudentia literis diei 15. Octobris labentis anni, expositis hinc inde eorumdem theologorum opinionibus cum rationum momentis quibus innituntur, ejusmodi controversiam examinandam proposuit s. Congregationi supremae Inquisitionis hac rogationis formula:

An in vim constitutionis *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12. Octobris 1869 confessarii Urbis speciali facultate Emi Urbis Vicarii indigeant ut absolvant a censuris quae in dicta constitutione Episcopis seu locorum Ordinariis reservantur?

Feria IV. die 1. Decembris 1875.

In Congregatione generali s. romanae et universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus proposito suprascripto dubio et praehabito voto DD. consultorum iidem Emi ac Rmi DD. dixerunt: Ad R. P. D. Adsessorem cum SSmo ut attentis omnibus declarare dignetur posse servari solitum.

Eadem die ac Feria.

SSmus D. N. Pius divina Providentia PP. IX. in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, audita relatione, ut supra suffragia DD. Eminentissimorum adprobare dignatus est.

I. Pelami s. romanae et universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Signi.

e) Absolutio per Poenitentiarium.

Pisauren.

Canonicus Poenitentiarius cathedralis ecclesiae Pisaurensis, quem duobus officiis idonenm asserit Praepositus in antecedenti causa camerariatus, ne unum quidem ferre posse contendit et gravissimum putat planeque factu impossibile ob suam ingravescentem aetatem morborumque affectiones, quod praeter integras omnium confessiones quas excipere tenetur in amplissima dioecesi referta triginta fere millium animarum absolutionem quoque debeat impertiri a casibus Episcopo reservatis, quos in copioso nnmero recensent tabellae in postrema dioecesana synodo publicatae. Facultatem itaque a reservatis absolvendi recusare nisus est; sed obstitit Episcopus, qui comminata suspensione a Divinis ipso facto incurrenda ei praecepit, ut facultate illa uteretur et poenitentes in reservata lapsos quos absolutione dignos judicasset absolveret. Quapropter Poenitentiarius excitavit controversiam quae modo proponitur quatuor collecta capitibus.

Et disputat, jurisdictionem in foro poenitentiali, quam de jure assequutus est cum suo canonicatu, ex notatis per *Barbos. de offic. et potest. Episc. allegat. 55. num. 19.* nequaquam extendi ad peccata Episcopo reservata, pro quibus indiget speciali delegatione Episcopi ut definivit haec s. Congregatio in *Fossanen. 2. Decembris 1637.* et communiter firmant *Navar. consil. 20. de poenit., Garz. de offic. et potest. Episc. allegat. 55. num. 23., Pignatell. Consultat. canon. 135. num. 29. tom. 9.* et san. mem. *Bened. XIV. de synodo dioeces. lib. 5. cap. 5. num. 8;* quare arbitratur se invitum non teneri nec cogi posse ab Episcopo ad acceptandam hujusmodi delegationem seu facultatem absolvendi a casibus reservatis illaque utendum, quum nequeat Episcopus nova onera beneficiis addere, *) quae in illorum institutione imposita non fuerunt, juxta censuram s. Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 5. de reformat.*

Sed quatenus EE. PP. contrarium videatur, putat nihilominus substineri non posse comminatam poenam suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae in casu non acceptatae delegationis vel non usus facultatis absolvendi a casibus reservatis quia hujusmodi comminatio tamquam extremum remedium est tautum adhibenda, cum malum gravissimum est neque aliter praecidi aliisque poenis cohiberi potest ut monet san. mem. *Benedictus XIV. de synodo*; nullae ab Episcopo afferuntur probationes negligentiae et desidiae ipsius Poenitentiarii de cujus caeteroquin solertia et diligentia in audiendis confessionibus testantur quatuor Canonici et duo inferiores presbyteri.

Disserit etiam alium confessarium constituendum esse in Cathedrali sumptibus Episcopi praeditum facultate absolvendi a casibus reservatis, cum ipse Poenitentiarius debeat solam operam suam praestare, non autem conducere coadjutorem, ubi solus audire non possit confessiones omnium poenitentium dioecesis in reservata lapsorum, quorum saluti prospicere inprimis tenetur Episcopus, deputando per dioecesim idoneos viros pro excipiendis illorum confessionibus, illisque absolvendis etiam a reservatis, juxta praescriptum *textus in cap.: Inter caetera 15. §: Unde praecipimus de offic. Ordinar.*, et cavetur in epistola encyclica de mandato summi Pontificis evulgata die 26. Novembris 1602 **) a s. Congregatione Episcoporum et Regularium, quam referunt *Barbos. de offic. et potest. Episc. alleg. 50. n. 188., Nicol. in Floscul.* verbo: *Casus reservati n. 1.* ac propterea non esse incongruum, plures Poenitentiarios in cathedrali ecclesia deputari firmant *Pignatell. Consultat. canon. 13. sub. num. 2. t. 7.* et *Rota decis. 743. num. 1. et 15. coram Merlino.*

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 4.*
**) Vd. *t. I. p. 138. a.*

Demum postulat reformationem tabellae casuum reservatorum, qui novem supra viginti numerum constituunt eorumque octo sunt sub excommunicatione et novem sub poena suspensionis, cum Episcopi circumspecte et nimis caute procedere debeant in reservatione casuum pluresque haud expediat reservare, ne subditis aut confessariis sint onerosi et in animarum detrimentum convertantur, quae salubriter pro earum salute fuerunt instituta, ut relatis s. Congregationis Episcoporum et Regularium decretis monent *Barbos. de offic. et potest. Episc. alleg. 50. n. 185. ad 187., Nicol. in Floscul.* verb.: *Casus reservati num. 1. ad 3.* et san. mem. *Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 5. cap. 4. et 5. num. 6.*

Episcopus autem in sua relatione edita jussu s. Congregationis illiberalem putat Poenitentiarii recusationem sub praetextu senectutis et malae valetudinis, cum post exceptas poenitentium confessiones, quas ille ratione sui muneris audire non renuit, nullum aut levissimum incommodum afferat concessio vel denegatio absolutionis juxta poenitentium meritum et ideo censet hanc affectari excusationem a Poenitentiario in odium decreti quo privatur officio camerariatus.

Caeterum defenditur, despuere illum non posse delegatam jurisdictionem in foro poenitentiali et facultatem absolvendi a casibus reservatis, tum quia munus publicum uti est jurisdictio a nemine recusari potest, ad *textum in leg. fin. §: Judicandi quoque necessitas ff. de muner. et honor.* et in *leg. Sancimus 6. ibique gloss.* verb.: *Arbitrium cod. de advoc. divers. judiciorum*, et etiam invitus quis compelli potest delegationem acceptare, *cap.: Pastoralis officii 27. ibiq. gloss.* verb.: *Renuentem, de offic. et potest. Jud. deleg.*, tum insuper quia Episcopus ratione obedientiae sibi debitae a clericis dioecesis potest ob gravem et legitimam causam sacerdoti injungere ut populi confessiones excipiat juxta firmata per san. mem. Benedictum XIV. in suis institutionibus ecclesiasticis *institut. 94. num. 17. et 18.* Nec deesse subditur gravem et legitimam causam cogendi Poenitentiarium, ut acceptet delegatam facultatem absolvendi a reservatis, cum ille institutus fuerit a s. Concilio Tridentino ad confessiones pro Episcopo audiendas, ut notat *Barbosa de Canon. cap. 26. num. 23.* et ideo pro illis excipiendis semper debeat esse paratus horis, loco et sede opportunis arbitrio Episcopi, ut rescripsit haec s. Congregatio in *Abulen. 21. Aprilis 1587.* de qua *Garz. de benef. par. 5. cap. 4. num. 117.*: maxime quia ex generali fere consuetudine receptum est, quod Poenitentiarii, quodammodo ratione officii, adjunctam habeant facultatem absolvendi a reservatis ad tradita per *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 26. num. 16.*

Quamobrem autumat Episcopus juste comminatam fuisse suspensionis ipso facto poenam incurrendae, quia Poenitentiarius renuens munus suum adimplere, ut Canonicum oratorem saepe renuisse testatur ex relatione confessariorum, potest ab Episcopo puniri, ut ex mente hujus s. Congregationis firmant *Campanil. divers. jur. canon. rubr. 7. cap. 6. num. 27., Garz. de benefic. part. 5. cap. 4. num. 118. et seq.* et *Barbosa de offic. et potest. Episc. allegat. 55. num. 26.* et *de Canon. et Dignit. cap. 26. num. 14.* Et cum de gestis ab eo in poenitentiae tribunali rationem petere non valeat atque relatione confessariorum edoctus sit, quod ille nolens uti facultate delegata pluries sine absolutione dimisit poenitentes in reservata lapsos: ideo in re gravissima et in defectum aequioris remedii valide arbitratur indixisse poenam suspensionis ipso facto incurrendae etiam sequendo monitum san. mem. *Benedicti XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 45. num. 4.*

De alterius vero confessarii deputatione et de reformatione tabellae casuum reservatorum censet Episcopus, plus aequo sollicitum videri poenitentiarium, cui nec imminet cura animarum dioecesis neque onus augetur ex deficientia alterius confessarii et ex multiplicitate casuum reservatorum, cum ipse debeat ratione sui muneris statis diebus et horis in ecclesia cathedrali et in sua sede confessionali assistere, ut sancitum est a san. mem. *Bened. XIII. in Concil. roman. tit. 32. cap. 4.*

His itaque perpensis definiendum erit ab EE. VV.:

I. An Episcopus cogere possit Canonicum Poenitentiarium ad acceptandam delegationem facultatis absolvendi poenitentes a casibus reservatis?

Et quatenus affirmative,

II. An teneatur Episcopus deputare sum-

ptibus propriis alium sacerdotem dicta facultate praeditum?

III. An comminatio suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae substineatur?

IV. An tabellae casuum reservatorum sint moderandae in casu?

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Negative et ad mentem.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Dilata.

Die 21. Novb. 1761.

f) Absolutio per Vicarium general.

Adrien.

Vicarius generalis non potest sine speciali mandato absolvere etiam ab Episcopo reservatis quum id non veniat in generali commissione, *cap. penult. de Poenit. et remissione 1. 6., Peregr. in prax. Vicar. part. 1. sect. in consect. 1. n. 43, Ventrigl. prax. rerum not. t. 2. ann. 25. §. 1. n. 30, Barbosa par. 2. de off. et potest. Ep. alleg. 54. n. 116.*

Die 30. Maji 1835.

g) Absolutio per Episcopum a casibus reservatis Papae.

Vd. t. I. p. 142. c.

Feria IV. 27. Junii 1866.

Decretum.

SS. Dominus Noster Pius PP. IX. in solita audientia R. P. D. adsessori s. officii impertita auditis suffragiis Eminent. Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium attentis rerum et temporum circumstantiis decrevit ut a facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus s. Sedi reservatis excipiendos semper inposterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV. quae incipit: *Sacramentum poenitentiae.*)* Et s. Congregationi de propaganda fide injunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formulis post verba: »absolvendi ab omnibus casibus apostolicae Sedi reservatis in bulla in coenae« addatur: »exceptis casibus reservatis in bulla Benedicti XIV. quae incipit *Sacramentum Poenitentiae.**)*

---

*) Vd. *Complex.*

**) Casus reservati in praedicta bulla Benedicti XIV. d. d. 1. Junii 1741 sunt:

1) sacerdotis *attentantis absolutionem* personae simplicis in materia turpi,

2) personae cujuscumque sexus *falso denuntiantis* sacerdotem aliquem de sollicatione. Qui casus in rituali minori pag. 43. sub num. 47. et 48 recensentur.

Catechesis.

Vd. *Doctrina christiana; homilia.*

1) Indugentiae docentium.

De indulgentiarum docentibus et pueris discentibus doctrinam christianam in Urbe ac universa Italia insulisque adjacentibus concessarum extensione ad adultos, qui cathechismo hujusmodi interierint, vd. constitut. Clementis PP. XII. incip.: *Coelestium munerum* editam die 16. Maji 1736 in bull. r. t. XV. p. 101. Edit. Luxenbg.

2) Intra Missam habenda.

(Conc. Tr. s. 5. c. 2; s. 24. c. 4.)

Vd. *Cateches.* (obligatio parochi, parochi Canonici.)

Neritonen.

Edixerat Episcopus Neritonensis, ut quicunque sacerdos in ecclesia paroch. primum Sacrum acturus esset vel primum et secundum in aliis ecclesiis et capellis sive intra civitatem sive in 16 terris et oppidis, quibus constat universa dioecesis, teneretur post I. evangelium docere populum doctrinam christianam juxta methodum ab ipso scriptam in folio, quod publicis formis impressum ecclesiis omnibus distributum fuit. Si quis secus faceret, declarabatur suspensus per tres dies. Folium autem illud ita custodiri jussit, ut si quacunque de causa etiam fortuita periret ecclesia interdicta esset donec novum reponeretur.

Ab hoc edicto quum appellatum esset ad quaestionem:

1) An sustineatur edictum in ea parte qua sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi doctrinam christ. sub poena suspensionis?

2) An sustineatur poena interdicti in eodem edicto inflicta adversus ecclesias, in quibus contigerit deficere formularium doctrinae christ.?

S. C. C. resp.

Ad 1: Affirmative juxta modum explicandum Episcopo.

Ad 2: Negative.

Die 3. Decb. 1757.

3) Obligatio Parochi.

Vd. *Praebenda theol.* (Oblig. legendi etc.); *Ludimagist.* (approb. etc. decr. diei 17. Julii 1688); *Concio Parochi*; *Cura anim.* (personae elig.; decr. *Bened. XIV.*); *Doctrina christiana* (Methodus etc. Constit. Bened. XIV. diei 7. Febr. 1742).

Satis esse ut parochi, *etiamsi formaliter non praedicent*, saltem dominicis et festis diebus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutarib. verbis s. C., quum ei praeesset Card. Carafa, respondisse refert *Bened. XIV. instit. X.*: parochos Priores etc. quibus incumbit *principaliter* cura animarum, quamvis adsint alii sacerdotes ad eos adjuvandos vel certis diebus curam exercendam, teneri praedicare et explicare catechismum *per se ipsos* omnibus diebus festis nisi sint legitime impediti.

S. C. C. die 30. Julii 1591. *Nullius*, 12. Febr. 1590 *Mileten*; 8. Maji 1706 *Montis Falisci*; 28. Apr. 1736 *Nullius Orbetelli.*

Priorem ecclesiae colleg. eundemque parochum teneri diebus festis concionare et evangelium explicare *per se ipsum* vel, si legitime sit impeditus, per substitutum diebus a Conc. Tr. statutis.

Die 26. Maji 1639. *Tolentina.*

Innocentius XIII. ad Episcopos Hispaniae.

Non sine gravi animi nostri dolore etiam accepimus, quod quamquam Tridentina synodus decreverit omnes, qui parochiales vel alias curam animarum annexam habentes ecclesias quocumque modo obtinent, debere diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascere salutaribus verbis docendo ea quae christifideles ad salutem scire oportet ac explicando divinae Legis praecepta fideique dogmata puerosque ejusdem fidei rudimentis imbuendo et brevi facilique sermone vitia denunciando, quae declinare, et virtutes quas sectari oporteat, nihilominus nonnulli parochialium ecclesiarum rectores haec quae suarum partium adeo sunt praetermittunt, culpam hujusmodi amoliri nitentes vel praetextu immemorabilis sed quidem pravae consuetudinis vel quia haec ab ipsis praestare necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium sacras conciones in aliis ecclesiis itemque imbuentium pueros mysteriis fidei vel in scholis vel in computis. Ne itaque sub inani istarum aliarumque similium excusationum praetextu tanta christianae reipublicae pernicies struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum Archiepiscopis et Episcopis, ut omnino efficiant quod omnes qui animarum curam gerunt munia praedicta per se ipsos vel si legitime impediti fuerint per alios idoneos diligenter exequantur. Si vero aliqui non satis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiscopi per alios a se deputandos sumptibus parochorum minus idoneorum opportune suppleri curent; et inposterum beneficia quibus animarum cura imminet nonnisi vere idoneis ad memorata officia per se ipsos adimplenda conferentur.

Dat. Romae 23. Maji 1723.

(Bull. r. t. XIII. p. 62. Ed. Luxbg.)

Montis Politiani.

Episcopus in relatione status suae ecclesiae haec exposuit:

Inolevit mos apud parochos civitatis omittendi evangelii explicationem tempore ad-

ventus et quadragesimae et cathechesim pro parvulis mense Octobri et in Cathedrali cum Episcopus concionatur in missa solemni, cum fit lectio s. scripturae, et dominica in Albis ob multitudinem concurrentium ad explendum paschale praeceptum. Ruri item ut plurimum mense Octobri et tempore messis nec fit pro pueris cathechesis nec evangelii explicatio.

Hinc a s. Congregatione postulabat quid pro ecclesiae bono et conscientiae suae tranquillitate sibi esset agendum.

Antequam hujusmodi postulatum sapientissimo EE. VV. judicio subjicerem, operae pretium duxi ab eodem Episcopo opportunas informationes et documenta exquirere.

Nil particulatim in synodis ad rem faciens quia forsan nulla tunc aderat causa alicujus animadversionis. In monitis tamen pastoralibus Episcopi Carletti monentur parochi adhibita auctoritate Concilii Tridentini, Innocentii XIII. et Benedicti XIII. et XIV., nullam afferri posse excusationem a peccato gravi si per tres non continuos menses vel per unum continuum Verbi Dei praedicationem omittant. Nil vero Ipse statuit pro dominicis adventus et quadragesimae et pro Cathedrali cum lectio s. scripturae vel Episcopi homilia in Cathedrali habetur. Voluit tamen ne mensibus Septembris et Octobris catecheses pro pueris omitterentur. Interim vero expositiones evangelii et cathecheses supradictae omittuntur aestivo et aliquoties etiam sed non integro autumnali tempore, et si fiunt fere nonnullus adest nec adveniunt ad cathechesim pueri et puellae; adventuri forsan si non matutina sed vespertina aut fere vespertina hora catecheses fierent.

Hisce nonnulla in jure subnectere juverit.

Ad explicationem s. evangelii quod attinet sedulo notanda sunt quae sacrum Concilium Trid. statuit *sess. 5. cap. 2. de reform.* ubi postquam declaraverit praedicationem esse praecipuum Episcoporum munus sermonem ad parochos convertens haec sanxit: »Archipresbyteri quoque, plebani et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis . . . . neque hujus decreti executionem consuetudo impedire valeat.« Similiter in *sess. 22. cap. 8.* haec habentur: »Mandat s. synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in missa leguntur aliquid exponant atque inter caetera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod exponant diebus praesertim dominicis ac festis.« In altero autem decreto *sess. 24. cap. 4. de reform.* haec statuit:

»Praedicationis munus quod Episcoporum praecipuum est cupiens s. synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri mandat, ut in ecclesia sua ipsi per se aut si legitime impediti fuerint per eos quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per parochos sive iis impeditis per alios ab Episcopo impensis eorum qui eas praestare vel tenentur vel solent deputandos in civitate aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire saltem omnibus diebus dominicis et solemnibus festis, tempore autem jejuniorum quadragesimae et adventus domini quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus si ita expedire duxerint sacras scripturas divinamque legem annuncient et alias quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint.«

Porro cum Concilium Trid. toties ac tanta verborum vi et efficacia s. evangelii explanationem omnibus praesertim diebus festis inculcaverit, consequitur parochos ab hoc onere haud excusari praetextu contrariae consuetudinis vel quia satis provisum sit per publicos annales concionatores, vel quod exiguus sit suarum plebium numerus vel ob alias id generis causas ceu post *Benedictum XIV. inst. eccles. 10. num. 3.* docet *Giraldi Expos. jur. pontif. part. 2. sect. 8. p. 816.* In casu itaque nulla subesse ratio videtur omittendi explanationem evangelii ruri tempore messis ob exiguum scilicet adstantium numerum, quippe qui plerumque ex negligentia rectorum dimanat ceu inquit *Benedictus XIV. cit. inst. 10. num. 3.*, in Cathedrali illis diebus quibus habetur lectio s. scripturae, cum id oneris Canonico theologo impositum a Concilio Trid. *sess. 5. cap. 1. de reform.* plane distinctum sit a praedicatione quae in *sess. 5. cap. 2. de reform.* parochis injungitur. In quo quidem ne ulla excusatio suppetat, siquidem mane ut videtur lectio scripturalis in ecclesia Politiana

haberi solet; Episcopus cujus in arbitrio est curare poterit eam ad tempus vespertinum differri. Pariter nihil impedimento est, quominus parochus Cathedralis evangelium explanet iis diebus quibus Episcopus concionem habet ceu s. Congregatio definivit in *Terulen. 11. Junii 1631* apud *Barbosam de off. et pot. parochi p. 1. cap. 14 num. 5.* et in *Pientina Praedicationis 14. Septembris 1748* in qua Praepositus Pientinae cathedralis ecclesiae parochus, ut se ab obligatione explicandi evangelium liberaret, urgebat sacrorum canonum apertissimam dispositionem, qua cautum est, ut Episcopus per se ipsum munus hoc explere teneatur; ideoque non posse parochos Cathedralium poena suspensionis a Divinis compelli, ut id agant; festis diebus Episcopus in Cathedrali praesens esse debet. At proposito dubio:

An parochus in ecclesia cathedrali Pientina teneatur diebus festivis in actu celebrationis missae parochialis ad evangelii explicationem in casu?

S. Congregatio respondit: »Affirmative.« Quod quidem pariter tenuit in *Lunen. Sarzanen. Praedicationis diei 16. Aug. 1828.* insequenti mense Septembris. Quo vero ad obligationem explanandi evangelii tempore adventi et quadragesimae in illis ecclesiis in quibus praedicto tempore conciones habentur, articulus iste formiter etiam discussus fuit coram s. Congregatione in causa *Pisana**) *29. Martii 1817.* in qua plura in utramque partem erudite disseruntur. S. Congregatio autem ad dubium propositum:

An parochi in quorum ecclesiis tempore adventus et quadragesimae habentur conciones per praecones ab Ordinario approbatos teneantur diebus festis in missa parochiali explicare evangelium in casu?

resp.: »Dilata et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet paroeciae.«

Cumque deinde s. Congregatio jam antea editum novisset ab Archiepiscopo praeceptum, contrariam hac in re consuetudinem abrogans: iterum proposito dubio die 30. Augusti ejusd. anni respondit:

»In casu de quo agitur servandum esse decretum Archiepiscopi.« Ceterum pro illis ecclesiis ubi conciones praedicto tempore non habentur contraria praxis suffragari non posse videretur ceu patet ex iis quae exposita sunt. Quid vero statuendum sit in casu judicabunt EE. PP. qui decernent etiam an toleranda sit consuetudo, ubi viget, omittendi evangelii explicationem dominica in Albis ob expositam ab Episcopo causam vel etiam mense Octobris ceu in aliquibus dioecesibus factitari solet.

Quoad cathechesim autem haec praescribit Concilium Trid. *sess. 24. cap. 4. de reform.*: »Idem etiam (nempe Episcopi) saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et si opus sit etiam per censuras ecclesiasticas compellent non obstantibus privilegiis et consuetudinibus.«

Quamobrem viderint EE. VV. utrum tolerari in themate queat mos qui apud parochos civitatis inolevit omittendi cathechesim pro parvulis mense Octobri et ruri nedum eodem mense Octobri sed tempore etiam messis. In *Hortana diei 8. Augusti 1744.* contendente parocho, servandam esse consuetudinem doctrinam christianam mense Octobri et Decembri usque ad diem 13. Januarii intermittendi, quod homines aucupio, vindemiis et rusticatione distent, nulli ad eam audiendam accederent et brevitate illa dierum mensis Decembris et Januarii impossibile foret omnia parochi munera suo tempore implere, proposito dubio:

An servanda sit consuetudo intermittendi doctrinam christianam mense Octobris et mense Decembris usque ad diem 13. Januarii aliisque diebus impeditis in casu?

S. Congregatio respondit: Negative. Quoniam vero frequentiae hisce temporibus defectus horae intempestivae qua cathechesis habetur juxta Episcopum tribuendus sit, alia magis commoda hora assignari ab eo poterit.

Dubia:

I. *An parochis civitatis liceat omittere explicationem s. evangelii tempore adventus et quadragesimae et cathechesim mense Octobris in casu etc.?*

II. *An item liceat omittere evangelii explicationem in Cathedrali dum Episcopus concionatur in missa, cum fit lectio s. scripturae et in dominica in albis in casu etc.?*

III. *An parochis ruralibus liceat omittere evangelii explicationem et cathechesim mense Octobris et tempore messis in casu etc.?*

*) Vd. *p. 848.*

S. C. resp.:

Expectetur novus Episcopus.

Die 23. Febr. 1856.

4) Obligatio parochi Cathedralis.

Vd. supra n. 3.

Pientina.

Disputatio hujus causae est, an praepositus Pierius in Cathedrali Pientina parochus teneatur inter Sacrum agendum ad evangelii explicationem seu potius id incumbat Episcopo: urget praepositus ss. canonum apertissimam dispositionem qua cautum est, ut Episcopus per se ipsum munus hoc explere teneatur ideoque non posse parochos Cathedralium poena suspensionis a Divinis compelli, ut id agant festis diebus, quibus Episcopus in Cathedrali praesens esse debet. Hac ratione renuit semper obtemperare Pierius. Hac de re questus est promotor fiscalis in hoc s. Tribunali. Non inficiatur Episcopus hoc sibi munus incumbere at cum gravioribus curis distentus, quibus pastorale officium carere non solet, praedicationem per se ipsum explere non potest, teneri parochum putat, ne desit, qui Evangelium explicet. Haec quaestio est definienda; dubium est:

An parochus in ecclesia cathedrali Pientina teneatur diebus festivis in actu celebrationis missae parochialis ad evangelii explicationem in casu etc.?

S. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 11. Jan. 1865.

Camerinen.

Onus instituendi plebem salutaribus verbis singulis diebus dominicis aliisque festis spectare declaravit s. Congregatio ad Vicarium curatum, non vero ad quatuor Canonicos primae erectionis in Collegiata ecclesia oppidi Sanctanatoliae habitualem curam habentes.

Die 16. Dec. 1820.

Tusculana.

Jam de mense Julii anni ultimo effuxi Provicarius generalis Tusculi sub pecuniaria mulcta locis piis applicanda sedulo monuit Andream Brescianum Archipresbyterum cathedralis ecclesiae, ut memor parochialis officii rationisque qua Deo obstringitur diebus festivis vel saltem dominicis minime praetermitteret pabulum verbi Dei ovibus suis exhibere juxta praescriptum apostolicae visitationis et synodalium constitutionum.

Verum enimvero prafatus Archipresbyter ab hujusmodi praecepto appellationem interposuit ad s. Congregationem Visitationis remissaque subinde hujusmodi causa in EE. PP. consessu decidenda inpraesentiarum promotor fiscalis contendit, quod sibi tantum blandiatur Archipresbyter, qui explicationem divini verbi subire recusat. Eodem tamen pro hujusmodi libertate declamante, quod licet in caeteris ecclesiis tam urbicis quam dioecesis parochi teneantur plebem in lege divina erudire, in cathedrali tamen ecclesia id muneris obire debeat Episcopus vel per se vel per alios idoneos substitutos quatenus legitimo detineatur impedimento. Hinc superest quod EE. VV. id dubium sapientissime definiant:

An Archipresbyter cathedralis ecclesiae Tusculanae teneatur inter missarum solemnia ad explicationem verbi Dei diebus dominicis et aliis festivis in casu?

S. Congregatio Concilii rescripsit: Affirmative et amplius.

Die 29. Julii 1713.

5) Oblig. parochi, etiamsi concionatores speciales ab Episcopo missi praedicant.

Vd. p. 845: *Montis Politiani.*

Pisana

Ad dub.: Utrum parochi in quorum ecclesiis tempore adventus et quadragesimae habentur conciones per praecones ab Ordinario approbatos soluti sint ab obligatione in missae parochialis celebratione explicandi evangelium?

S. Congregatio resp.: Dilata et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet paroeciae.

Archiepiscopus Pisanus animadvertens hunc saluberrimum divini sermonis panem parciori dispensatione administrari, eo scilicet acceptabili tempore, quo majori frequentia et largitate distribui oporteret, experientia docente familiares parochorum instructiones ruricolis praesertim utiliores fieri quam concionatorum declamationes sui muneris debitum existimavit, cum aliquos parochos in hac parte officio suo deesse rescierit, ad eos datis literis inhibere ne ab usitatis cathechesibus et evangelicis explanationibus in

quadragesimae et adventus festivitatibus integrae observantiae se eximant quamvis in propria eorum ecclesia per alios idoneos viros ab Ordinario immissos disertior concio fiat etc. Recogitavit Archiepiscopus quae in Trid. concilio *sess. 5. cap. 2.* personalem cuique parocho instruendae plebis obligationem imponunt, diebus saltem dominicis et solemnibus, facultate dumtaxat attributa iis parochis, qui legitime impediuntur, alium sacerdotem praeficiendi qui huic muneri satisfaciat; omnes de caetero indistincte teneri ad plebem sibi commissam scientia Sanctorum imbuendam non exceptis festis diebus quadragesimae et adventus. Insuper ex praefato concilio *sess. 24. c. 17.* in quadragesima et adventu potest Episcopus subditos parochos ad praedicandum compellere quotidie, sed saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerit etc. Concessum est contrariam consuetudinem invaluisse. Quid roboris consuetudo ista retinebit in praejudicium pastoralis sollicitudinis Ordinarii et animarum utilitatis, omni assiduitate ac labore comparandae? Qui aderit justus titulus officium supra relatum impune deinceps negligendi?

Ad dub.: An parochi in quorum ecclesiis tempore adventus et quadragesimae habentur conciones per praecones ab Ordinario aprobatos teneantur diebus festis in missa parochiali explicare evangelium in casu?

S. Congregatio censuit: In casu de quo agitur servandum esse decretum Archiepiscopi.

Die 15. Maji 1865.

6) Obligatio Parochorum duorum in una parochia cum separatis ecclesiis.

Massen.

In territorio Castilionensi in Carferoniana Estensi sito olim sedi archiepiscopali Lucen. nunc autem Massensi episcopatui subjecto binae extant ecclesiae parochiales quarum una cum titulo Vicariae perpetuae sub invocatione s. Michaelis, altera cum titulo prioratus sub invocatione s. Petri. Hujus animarum numerus si Episcopi testimonium accipias ad duo circiter millia ascendit, iis comprehensis quae ad ecclesias curatas a paroecia s. Petri dependentes pertinere dignoscuntur. Si vero parochos audias qui modo ecclesias illas moderantur ad septingentos tantum deprimunt parochianos. In eo autem quod attinet ad ecclesiam s. Michaelis pax utrinque est, tercentenas et quinquaginta animas eam complecti.

Constat jam vero hisce in ecclesiis morem invaluisse remoto usque ab aevo ut diebus dominicis ac festivis pleraque divina officia alternatim modo in una, modo in altera ecclesia celebrarentur; sed obortis aliquando non sine gravi animarum detrimento inter utriusque ecclesiae parochos dissidiis cl. me. Card. Bonvisius Archiepiscopus Lucen. cujus jurisdictioni tunc terra Castilionensis suberat cum nihil sibi potius esset quam haec nefasta jurgia compescere ac praecavere 1722 decretum tulit ad cujus tramites sacrae functiones in utraque paroecia deinceps eraut peragendae, adjecta insuper poena pecuniaria in illius transgressores.

In primo articulo providus ille Emus Praesul indigitat cuinam parocho singulis festivitatibus incumbat missam solemnem ac vesperas decantare. Deinde proxime gradum facit ad onus praedicandi. Subsequenter ejusdem decreti partes turnum respiciunt in fungendis muneribus sacris servandum diebus dominicis ac ceteris anni festivitatibus quin verbum proferatur sive de explanando Evangelio sive de cathechizandis adultis sive tandem de pueris doctrina christiana imbuendis.

Hisce itaque obtinentibus dispositionibus missa solemnis ac vesperae alternatim in utraque paroecia decantabantur, quinimo autumantibus parochis memorato decreto eandem alternativam inductam fuisse quoad instructiones ab ipsis ad populum habendas usus sensim inolevit, ut diebus dominicis ab uno dumtaxat parocho in ea scilicet ecclesia in qua pro tempore missa solemnis celebratur s. evangelii explanatio fieret, qui mos ad haec usque tempora perduravit. Ast ut ad aures hodierni Massensis Episcopi id pervenit, cum sibi suasum esset turnariam ejusmodi concionandi methodum abusivam esse atque ediametro pugnare cum iis quae a Trid. synodo ea super re parochis praescripta leguntur, utrosque pastores monitos voluit ut inposterum ad tramites conciliaris sanctionis *sess. 24. cap. 4. de ref.* unusquisque in sua respective ecclesia populum evangelium edoceret, adultos cathechizaret necnon adolescentes ad doctrinae christianae praecepta informaret.

Haudquaquam hujusmodi mandatum parochis arrisit qui ex eo se gravatos censentes,

antequam ad illius exequutionem devenirent, consentiente Episcopo ad s. H. O. recursum habuerunt postulantes supplici libello ut servari possit decretum Cardinalis. Quod sane nonnullis protuentur rationum momentis, quae meum est modo exponere.

Et primo quidem ipsi asserunt ab immemoriali tempore consuetudinem invectam fuisse ut in suis parochiis quae familiarum nomine non territorio invicem sunt distinctae diebus dominicis omnia et singula pastoralia munia praedicationis onere haud excepto fiant per modum unius ita ut relate ad ea ambarum ecclesiarum parochiani velut unum idemque corpus, unum eundemque populum efformare censeantur, omnes enim indiscriminatim ad eam ecclesiam se conferunt in qua pro tempore divina officia solemniter peraguntur et in qua illius parochus de more instructionem ad populum habet, altera ecclesia cum in ea hisce diebus nihil agatur speciem praeseferente simplicis oratorii.

Atque unitas haec magis innotescit si animadvertatur quod tempore Paschatis utriusque paroeciae fideles posthabita propria ecclesia modo in una modo altera praeceptum annuae communionis adimplent, imo ipsi parochi tempore quadragesimali omnes indiscriminatim ad confessionem ac s. synaxim admittunt in ea ecclesia in qua solemnis eucharistica expositio 40 horarum locum obtinet licet neminem lateat ex *can. 21. conc. VI. Lateranensis* a s. Trid. synodo renovato quemque a proprio pastore teneri paschalem communionem sumere. Extante itaque hac inveterata consuetudine maximo cum fidelium plausu servata inoportunum prorsus esse autumant aliquid velle modo innovare contra vulgarem regulam, quae monet a recepta consuetudine maxime si centenaria vel immemorabilis sit non esse recedendum. *Fagnan. lib. 1. decret. de consuet.*, cap. *Consuetudines n. 14.*, s. Congr. in *Praenestina Reparat. ecclesia 6. Maji 1820* et Rota in *Rom. Locat. 15. Martii 1789 cor. Cesarei.* In jure enim maxima est ejus vis atque juri scripto aequiparatur ex *cap. final. de consuetud.* Eoque minus abolendam sustinent consuetudinem et pateretur turnus ille, quem pro bono pacis sapientissime in peragendis s. functionibus stabilierat Cardinalis Bonvisi.

Quin obsit in ejus decreto rationem aperte non haberi de evangelii explanatione; id siquidem implicite saltem ex eo deprehenditur quod scilicet, stante methodo relata pro s. functionibus, admodum difficile ni dici velit impossibile foret ut post missam solemnem hora X. astronomice computata inceptam et cum concione evangelica expletam alterius ecclesiae parochus peracto Sacro prope meridiem secundae evangelicae concioni operam daret. Quod tamen novum onus ubi induci vellet supervacaneum prorsus dicunt, quia fideles indistincte ad eam se recipiunt ecclesiam in qua missa solemniter decantatur et cujus parochus instructionem facere solet, ita ut nil ultra desiderandum sit ad finem assequendum a Trid. synodo in decretis ad hanc rem spectantibus intentum.

Tandem parochi et illud adnotatum volunt esse scilicet in suscipiendo pastorali ministerio ad ea se tantum devinxisse onera ad quae suos praedecessores adstrictos fuisse probe noverant; nec aliunde ambigendum esse quin alternativa illa sit legitimum consectarium turni a citato decreto Card. Bonvisii statuti, ita ut hodie novum prorsus onus esset imponendum contra receptam regulam qua docemur onera esse potius minuenda quam amplianda.

At vero Episcopus justitiam sui mandati in epistola quam super re de more rogatus transmisit mordicus propugnat. Atque praemisso binas ecclesias de quibus sermo parochiales esse, invicem omnino distinctas ac independentes, suum quasque habentes proprium pastorem ac populum licet non per territorium sed per familias distinctum ad juris censuram descendit, quemque parochum teneri ad explicandum in sua ecclesia per se evangelium singulis dominicis ac festis diebus ita statuente Trid. synodo in *sess. 5. cap. 2.* § *1*: »Archipresbyteri quoque, Plebani et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis«, tribuente inferius facultatem Episcopis, ut etiam per ecclesiasticas censuras aliasve poenas negligentes ad id muneris explendam compellant. Id ipsum injungitur *cap. 4. sess. 24.* ubi insuper mandatur Episcopis ut moneant »populum diligenter teneri unumquemque parochiae suae interesse ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei . . . .« Iidem saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis

fidei rudimenta, obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis ad quos spectabit doceri curabunt.

Idque etiam accuratius commendatur a s. m. Benedicto XIII. in sua constit.: *In supremo majestatis* 13. Sept. 1724. atque admodum cordi fuit s. m. Benedicto XIV. qui ut cogeret aliquo modo parochianos diebus festis confluere ad audiendam missam in ecclesia parochiali ibique facilius auscultandum parochum sermocinantem in constit. *Etsi minime* 7. Febr. 1742 § XIV. mandavit Episcopis ut prohiberent ne in ecclesia parochiali proxima quis missae sacrificium celebraret ante missam parochialem. Quibus omnibus accedit s. hujus Ordinis oraculum in *Tolentinaten. Missae parochialis et professionis fidei diei 26. Maji 1739* ubi quaesitum est in 2. dubio:

An idem Prior teneatur per se ipsum concionem facere et evangelium explicare populo et quibus diebus et an in casu legitimi impedimenti valeat supplere per substitutum?

Et quatenus affirmative ad utramque partem,

3. An et quomodo in casu omissionis veniat multandus?

Et datum fuit responsum

Ad 2: Affirmative arbitrio Episcopi quoad utramque partem ad formam Concilii.

Ad 3: Affirmative arbitrio Episcopi ad formam Concilii.

Jam vero ex iis meridiana luce clarius exurgere Episcopus autumat ambos parochos qui contra sunt per se ipsos in sua respective ecclesia teneri legi satisfacere evangelicae concionis atque instructionis erga plebem sibi commissam, quin ullam ex adverso quaeri valeat praesidium vel ex contraria consuetudine vel ex decreto Card. Bonvisi vel demum ex incommodis quae a decreti exequutione pertimescuntur. Qua super re praestat primum referre doctrinam *Giraldi in exposit. jur. pontif. par. 2. t. 3. ad not. 3. ad sess. 5. cap. 2. Conc. Trid.* § *2.* ubi legitur statutum »quod ab hujus oneris nempe concionis evangelicae se eximere aut excusare non possint parochi, vel quod nullo unquam tempore id praestandi consuetudo extiterit vel quod satis superque provisum sit per publicos annuales concionatores vel tandem quod exiguus sit suarum plebium numerus«. Ex hoc sane satis educi posse videtur nulla quantumvis plausibili ratione subduci sese posse parochos a lege praedicationis utpote quae ex divino ecclesiastico jure patronaus potissimam nobilioremque officii pastoralis partem constituit.

Pressius vero ad jactatam consuetudinem quod attinet eam utpote aperte a Concilio reprobatam despiciendam imo tollendam prorsus esse statuit Pius IV. in sua bulla: *In principis Apostolorum sede.* 13. Calend. Martii 1565, quia illa abusus potius et corruptela nuncupanda est, utpote quae officiis parochialibus in conc. Trid. expressis adversatur veluti docuit s. C. in *Nullius Sublacen. 18. Sept. 1824* §: *Caeterum* et *Rota decis. 57 n. 6. coram Lancetta.* Neque vero eadem s. Congr. tolerandam esse censuit consuetudinem quam jamdiu invaluisse comperuit Boloniae Card. Episcopus Lambertinius postea Benedictus XIV., ut nonnulli parochi negligerent in suis ecclesiis docere pueros fidei rudimenta et pueri unius paroeciae alienas adirent ab alieno parocho imbuendi. Et licet ut in nostro casu pueri tandem instructione non carerent attamen ipsa ab eodem Episcopo hac super re percontata die 9. Aug. 1732. ita respondit: . . . . Sed approbari profecto non potest nec tolerari ea minus recta consuetudo ut sive foeminae sive mares in una parochia degentes alias parochiales ecclesias adeant ibidem imbuendi rudimentis fidei ab alieno parocho: sic scilicet inducta parochianorum confusione et pluribus fortasse saepius ad nullum a quo doceri possint adeuntibus, quin etiam aliquot ex parochis sese omnino eximentibus ab onere tradendi fidelibus suae curae commissis praecepta orthodoxae fidei ejusque mysteria explicandi. . . . Itaque ssmo Domino Nostro etiam laudante s. Congregatio approbat quod ipsius quoque auctoritate interposita Eminentia vestra mandet efficiatque, ut juxta saluberrima Tridentinor. PP. decreta oves suum agnoscant pastorem et vocem ejus audiant . . ., adeoque unusquisque parochus elementis christianae legis informet pueros propriae parochiae etc.; quod legitur relatum ab eod. Benedict. XIV. in suo opere *Notification.* etc. *Notific. 9.* §. *4. ad 10.*

Nec sane majoris sunt momenti ea quae ex decreto Card. Bonvisi deducuntur; res enim facti est nullum in eo verbum occurrere de explorando populo evangelio eru-

diendisque pueris, quod pugnet cum regula a Concilio tradita, sed tantum ratio habetur de concionibus quadragesimalibus aut de iis quas festis solemnioribus parochi facere solent. Sed licet aliquid reapse in eo statueretur vel ad normam juris communis intelligendum esset, prout profecto omnia statuta episcopalia veniunt interpretanda, vel prorsus despiciendum, quia Episcopus nequit statuere ea quae juri communi adversantur, *cap.*: *Super his de major. et obed.*, s. Congreg. in *Gallien. Jurium parochialium 20. Dec. 1828.* §: *Ex his* et in *Derthonen. 12. Sept. 1829.*

Quoad alterum objectum ex incommodis ac dissidiis ex decreti executione orituris animadvertit Episcopus eatenus tantum ea esse pertimescenda, quatenus inde turnus in peragendis s. functionibus laederetur.

Jam vero ex declaratione evangelii ab unoquoque parocho facienda nulla turni laesio aut in exercitio earum functionum confusio oriri potest.

Nec est quod fideles inde conquerantur, ii enim omnes qui praeteritis temporibus instructionem parochialem audire impediebantur ad eam facilius rebus ita compositis accedere valebunt.

Haec utrinque discutienda proponuntur quibus proinde libratis ea qua praestant sapientia dignabuntur EE. VV. dirimere

Dubium:

An et quomodo servandum sit mandatum Episcopi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus et firmo remanente decreto Card. Bonvisi quoad conciones quadragesimales et functiones ecclesiasticas, in reliquis servetur decretum Episcopi ad formam s. Conc. Tridentini *sess. 24. cap. 4.*

Die 27. Novb. 1847.

7) Obligatio estne Regularium?

Vd. t. I. p. 207, 0; p. 215. p.; *Visitatio monasterior.* (jus non est Episcopo, decr. diei 16. Mart. 1866.)

Ugentina.

In postrema relatione status ecclesiae Ugentinae haec Episcopus exponebat: »In dioecesana synodo statutum est quod in diebus dominicis aliisque festis de praecepto in prima missa in omnibus ecclesiis et publicis oratoriis post Evangelium clara et intelligibili voce, sacerdote verbo ad verbum praeveniente et populo comitante, recitari debet brevis instructio quae scienda necessitate medii vel praecepti continet. Quidam ex regularibus in hac dioecesi degentibus putant se non teneri ad illud synodale statutum servandum in ecclesiis sui ordinis utpote exemptis. Quod si verum est, frustraneus foret illius decreti finis i. e. ut rudiores agricolae, qui in diebus festis vix ac ne vix quidem missam auscultant, eruditi possint in iis quae sunt de necessitate medii vel praecepti ad salutem, praecipue in pagis hujus dioecesis in quibus rudis populus ad ecclesias regularium concurrit. Unde sequeretur quod privilegium exemptionis in aedificationem regularis disciplinae concessum in destructionem tendat morum et disciplinae populi christiani.« Quamobrem duo infrascripta dubia s. Congregationi definienda subjecit.

Posterioribus literis retulit Episcopus familias regularium quae extant in sua dioecesi esse octo nempe quatuor ex ordine Capucinorum, unam minorum de observantia, unam minorum reformatorum, unam minorum conventualium et unam minorum s. Francisci de Paula. Hinc audiendos censui procuratores generales respectivorum horum ordinum antequam causa proponeretur, a quibus omnibus responsum in scriptis accepi.

Porro procuratores tam Capucinorum quam reformatorum hoc unum reposuere regulares nempe sui ordinis synodali praescriptioni sese libenter conformasse, nihil propterea advertendum sibi esse super proposita quaestione.

Idem refert procurator Minorum de observantia haec ad rem perpendens: Cum res de qua agitur bonum commune evidenter respiciat et uti exponitur una adsit periculum, quatenus synodali propositae ordinationi obsisti contingat, non paucos inter fideles iis cognitionibus destitutum iri, quae ex necessitate medii vel praecepti sunt cum aquisitione aeternae salutis arctissime conjunctae, subscriptus est in sententia, haud in hoc casu locum fieri privilegiis seu exemptionibus, quaecunque istae sint, faventibus ordini nostro quaeque reapse in bonum cedere debent et aedificationem inservire et non e contra malum importare et esse ad destructionem. Quo accedit, praescriptionem seu

statutum antedictum non posse sub aspectu considerari obligationis nimis ponderosae nec religiosorum qui Ugenti desunt haberi viribus impar.

Vicarius procurator ordinis minorum plura disserit super hujusmodi quaestione ejusque relationem heic referre praestat: »Quod I. dubium attinet videndus Benedictus XIV. in sua constitutione incip.: *Apostolicum Ministerium**) ex qua liquet exemptio regularium a jurisdictione Episcopi.

Idem Pontifex in eadem constitutione subjungit: Episcopis non licere in synodis derogare privilegiis a s. Sede regularibus concessis.

Imo s. Congregatio Episcoporum et Regularium quorumdam querelam qua conquesti sunt Episcopos in synodis praecepta et statuta emisisse de regulae observantia cum verbis »praecipimus et statuimus« jussit a synodalibus constitutionibus illa verba expungi et decretum reformari hoc modo: intelligant regulares se teneri ad regulas quas professi sunt, uti tradit *Fagnanus in cap. Quod super his n. 25. de obed.*

Insuper ex illa constitutione s. m. Gregorii XV. etiam colligitur quaenam exemptorum sint privilegia: quaenam ab his subjectio debeatur Episcopis; quae incipit: *Inscrutabili.* **)

Subjectio enim regularium Episcopis debetur ex Concilio Trid. *sess. 25. de regularibus* quoad personam si regularis sit parochus aut curatus in his dumtaxat, quae concernunt curam animarum, et bene quidem dummodo ecclesia parochialis non sit illius conventus, in quo Generalis ordinis habet ordinariam residentiam et sic s. Congregatio Concilii in una *Laud. Jurisdictionis 1. Decembris 1691.*

Hinc clare patet ex dictis quod regulares non subjiciantur jurisdictioni episcopali ob privilegia a ss. Pontificibus concessa et quia in eorum ecclesia non adest cura animarum, sic videtur ob defectum jurisdictionis synodum dioecesanam non posse regulares compellere ad observandum statutum de quo in casu agitur.

Quoad secundum scilicet an Episcopus ut delegatus s. Sedis potest cogere regulares servare a suis ecclesiis statutum synodale:

Quamquam regularium privilegia pluries a ss. Pontificibus concessa innovata atque confirmata fuerint non tantum in forma communi sed etiam in forma speciali ut adducit constitutio Benedicti XIII. quae incipit *Summe decet*, tamen in hoc sedulo attendenda est constitutio Gregorii XIII. *Impositi Nobis*, qua privilegia regularium redacta sunt ad terminos juris. Itaque si ab exemptione regularium a statutis synodalibus in casu expresso saltem dubium oriatur, an tale privilegium sit contra jus aut cedat in praejudicium populi, videtur quod Episcopus uti delegatus s. Sedis possit mentem pontificiam interpretari per comprehensionem ut dicit *Fagnanus cap. 26. de privilegiis incipiens: Quod nonnullis.*

Et si maxime verba legis hunc habeant intellectum tamen mens legislatoris aliud vult. Interpretatio enim potius menti quam verbis legis convenire debet. Et ratio est quia non debet aliquis unde et simpliciter verba considerare sed voluntatem et intentionem. Neque debet intentio verbis deservire sed verba intentioni. Quamobrem si Episcopus cui datur regere ecclesiam Dei verbo et exemplo ob ignorantiam populi sibi crediti statuit in synodo dioecesana quae ad salutem aeternam ejus gregis pertinent, videtur quod uti delegatus s Sedis possit interpretari mentem Pontificum circa exemptionem regularium ab hujusmodi statutis et cogere regulares degentes in ejus dioecesi observare statuta quae ordinata sunt ad rudis populi instructionem. Mens enim Pontificum exemptionem regularibus concedentium in casu de quo agitur et cum sit privilegium regularium stricte interpretandum ex eo quod possit vertere in praejudicium animarum videtur posse reduci ad hoc, quod privilegium exemptionis concessum a ss. Pontificibus regularibus in casu expresso sit privilegium honoris quod et colligitur ex constitutione 40. quae incipit: *Causarum.*

Et quamvis praefatum privilegium facit ne locus aut persona sine mandato Sedis apostolicae subjiciatur ecclesiasticis censuris tamen non probat loci aut personae exemptionem ab ordinaria Episcopi jurisdictione

Hujusmodi enim privilegium universim ordinibus regularibus concessum ex eadem constitutione clare patet non extendi ad omnes Ordinariorum sententias. Sententia enim Episcopi uti delegati s. Sedis qua judicat

*) Vd. *t. I p. 1041.*
*) Vd. *t. I. p. 208.*

regulares teneri ad observantiam statuti synodalis etiam videtur ex congruis circumstantiis esse juxta mentem ss. Pontificum qui satis superque regulares ordines cumulaverunt privilegiis. Circumstantiae dictae in casu clare apparent. In oppido enim Galiani ubi degunt patres minimi s. Francisci de Paola diebus festis magna pars rudioris populi concurrit, quae quidem illis instructionibus necessariis ad salutem aeternam indiget. Et si omnes sacerdotes sive saeculares sive regulares non sint ex justitia obligati ad instruendum populum rudiorem ministerio praedicationis tamen ex charitate tenentur, cum ad utilitatem ecclesiae ordinati sint presbyteri. Charitas enim impellit ad officium complendum juxta mentem ecclesiae quae est, ut clerus intendat totis viribus ad aedificationem et non ad destructionem utilitatis ecclesiae. Hinc quocumque privilegio praediti sint PP. Minimi ab Episcopo ecclesiae Ugentinae cogi possunt observare praefatum synodale statutum. Sed hoc judicium submitto sapientiae Vestrae et mihi humillime respondere videtur:

Ad I: Negative vi legis synodalis.

Ad II: Affirmative.

Tandem procurator ordinis Minorum conventualium ita quaestionem expendit:

Antequam super dubiis ab Illmo et Rmo Ugentino Episcopo propositis mihique a s. Congregatione Concilii pro informatione et voto remissis mentem meam aperiam, nonnulla praetermittenda reor, quae utrinsque prolati dubii solutioni viam accommodam parare valeant.

Primum quippe venit observandum constitutiones seu ordinationes synodales haud quaquam obligare regulares ex defectu auctoritatis veluti in verbis declaravit s. Rota in *Neapolitana Jurium parochialium coram Ansaldo sub die 13. Martii 1711.* §. *Atque haec,* atque expresse tradunt *Ursaya de Peyrinis*, *Lezana*, *Lantusca*, recensiti a *Lucio Ferraris* verbo: *Synodus dioecesana n. 50.* aliique passim.

Animadvertere oportet deinde synodales ordinationes, quae nullam relationem habent ad observantiam ss. canonum, conciliorum, apostolicarum constitutionum et decretorum ss. Congregationum, vim legis habere in illa tantum dioecesi in qua synodalia decreta publicata fuere et unice ligare clericos et laicos Episcopo illius dioecesis subjectos, ut habet *Barbosa ad Concil. Trid. cap. 2. n. 34*, *Massobrius de synodo cap. dub. 76.*, *Gavantus in Manuali Episc.* verbo: *Synod. dioeces. n. 65. et alii.*

Ulterius ad rem nostram etiam perpendere juvat, Seraphicum meum Patriarcham s. Franciscum in sua regula cap. 3. fratribus suis circa divina officia ita praecipere: »Clerici faciant divinum officium secundum ordinem s. romanae ecclesiae« et in apostolicis constitutionibus ordinis mei *in cap. 3. regulae titulo 2. num. 6.* sic de celebratione missae praescribi: »Singuli nostri ordinis sacerdotes accurate addiscere adamussimque omnes et singulas s. romanae ecclesiae in missis celebrandis caeremonias observare teneantur; novos ritus novasque caeremonias inducere seu ullo modo servare ne praesumant.« Quae quidem sunt consona decreto s. Concilii Trid. *sess. 22. de observandis et evitandis in celebratione missae* ita se habenti: »Episcopi edicto et poenis propositis caveant ne sacerdotes . . . ritus alios aut alias caeremonias et preces in missarum celebratione adhibeant praeter eas quae ab ecclesia probatae ac laudabili usu receptae fuerint.«

Hisce praemissis sponte sua descendit synodale decretum Episcopi Ugentini, quo praecipitur ita: in diebus dominicis aliisque festis de praecepto in prima missa in omnibus ecclesiis et publicis oratoriis post evangelium clara et intelligibili voce sacerdote verbo ad verbum praeveniente et populo comitante recitari debet brevis instructio, quae scienda necessitate medii vel praecepti ad salutem continet«, minime posse obligare regulares meosque fratres in illa diocesi cum ejusmodi decretum haud quaquam contineat ea quae concernunt observantiam ss. canonum, conciliorum, pontificiarum constitutionum vel decretorum ss. Congregationum.

Dignoscendum hic praeterea foret an illa instructio post evangelium missae recitanda a populo vernacula lingua verbo ad verbum praeeunte sacerdote, quaeque scienda necessitate medii vel praecepti ad salutem continet, sit necne quaedam formula seu symbolum fidei. In casu affirmativo dictum synodale decretum adversaretur ss. Rituum Congregationis decretis, quibus in celebratione missae recitatio symboli interdicitur in festis s. Joseph et s. Joannis Baptistae quando

haec festa non veniunt in dominica vel infra aliquam octavam et sacerdos celebrat extra propriam horum Sanctorum ecclesiam scilicet in eorumdem honorem dicatam.

Sed nedum ss. Ritibus tunc illud repugnaret synodale decretum imo etiam apertissime obsistit iis quae a s. Trid. Concilio *cap. 8. sess. 22.* circa usum linguae vulgaris in missa interdicta fuere hisce verbis: »Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque ecclesiae antiquo et a s. romana ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra probato ritu ne oves Christi esuriant neve parvuli panem petant et non sit, qui frangat eis, mandat s. Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in missa leguntur aliquid exponent; atque inter cetera ss. hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent diebus praesertim dominicis et festis.« Hinc duo ad rem nostram ex hisce Trid. Concilii verbis eruuntur,

I.: Non omnes in Ugentina dioecesi sacerdotes festivis in diebus primam missam celebrantes debere ex Trid. inter missarum celebrationem exponere populo et declarare hujus ss. Sacrificii mysteria et quae leguntur in missa adstantibus aperire et vulgare, sed ad hoc per s. Trid. synodum tantum teneri ex ejusdem mandato pastores et curam animarum gerentes proindeque regulares curam animarum non habentes nequaquam adstringi posse in Ugentina dioecesi eorundem in ecclesiis post evangelium primae missae ad imperatae a synodo instructionis recitationem, de qua sermo habetur;

II.: E superius relatis Trid. Conc. verbis eruitur expositionem et declarationem rerum quae leguntur in missa et mysteriorum istius s. Sacrificii peragendam esse vernacula lingua post missae evangelium diebus dominicis et festis a pastoribus aliisque curam animarum gerentibus non autem praescripta quadam verborum formula inter missarum celebrationem fore recitandam a populo clara et intelligibili voce ut synodale decretum de quo est sermo praescribit. Nollem igitur Ugentinae synodi statutum ejusmodi in partes aliquatenus propendere Pistoriensis damnatae synodi snb Episcopo Ricci celebratae vernaculam linguam in missarum celebratione inducentis. S. siquidem romana ecclesia omnium ecclesiarum mater et magistra quando pro opportunitate preces injungit a populo proferendas sacerdote verbo ad verbum praeeunte in more jugiter habuit consuevitque semper praecipere ut indictae preces non inter missarum celebrationem sed vel ante vel potius post missam recitentur sicut inpraesentiarum accidit in recitatione illius cantici *Dio sia benedetto* et aliarum precum pro circumstantia temporum dicendarum.

Ceterum ad omnimodam propositorum dubiorum solutionem notandum denique venit, idem ss. Trid. Concilium circa finem superius citati decreti *sess. 22. de observandis ac evitandis in celebratione missae* ita se habere: »Haec igitur omnia quae summatim enumerata sunt omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa sed quaecunque alia huc pertinere visa fuerint ipsi pro data sibi a s. Synodo potestate ac etiam ut Delegati Sedis apostolicae prohibeant, mandent, corrigant, statuent atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis quae illorum arbitrio constituuntur fidelem populum compellant non obstantibus etc.« Episcopi igitur tanquam apostolicae Sedis Delegati possunt utique omnes etiam regulares adigere ad observantiam eorum, quae statuta sunt atque sancita a Conciliis, a constitutionibus apostolicis et a ss. Congregationibus, eapropter enim Delegati apostolici a s. Trid. Concilio constituti fuere; non autem Episcopi sunt Delegati apostolici in his quae nullam habent relationem minimeque pertinent ad Conciliorum et s. Sedis statuta, quaeque praeter quamlibet observantiam canonum, conciliorum, apostolicarum constitutionum et ss. Congregationum decretorum ab ipsis Episcopis pro eorundem libito et placito per dioecesanam synodum jubentur. Re quidem vero Benedictus XIV. in aureo opere de *synodo dioecesana l. IX. cap. 15. et seq.* titulos et casus omnes recenset in quibus Episcopi jurisdictionem exercere valent super regulares veluti s. apostolicae Sedis Delegati, verum nullimode ibidem legitur, posse Episcopos vi delegationis apostolicae compellere et adigere regulares ad observantiam alicujus synodalis decreti, quod neutiquam concernat observantiam canonum, conciliorum, apostolicarum constitutionum et decretorum ss. Congre-

gationum, immo ipsemet Benedictus XIV. ibidem praescribit in synodis dioecesanis nil esse decernendum in regulares, quod ad praedictam observantiam quamdam relationem non habeat nihilque constituendum quod regularium privilegia laedat.

Unde Episcopi sunt Delegati apostolici ad hoc tantum, ut sarta tectaque serventur quae ab ipsa apostolica Sede fuere decreta atque sancita, minime vero ad aliquid de novo statuendum, quod non sit in iisdem apostolicis constitutionibus contentum aut iisdem ullatenus opponatur multoque minus ubi agitur de statuto eorumdem Episcoporum in synodo dioecesana, eo quod tunc uti apostolici Visitatores possent cogere ad observanda ea quae ipsimet decreverunt contra privilegia, quae ab apostolicis constitutionibus in regularium favorem promanant quaeque a synodi dioecesanae jure eosdem regulares faciunt exemptos. Nimirum, ut habet formula juris, delegatus excederet limites potestatis a Delegante collatae aliquid peculiari ratione sanciendo aut innovando circa quod nullum habet a Delegante speciale mandatum.

Hisce praehabitis ad I. dubium his verbis expositum:

Utrum in casu etc. dicti regulares teneantur statutum synodale servare in suis ecclesiis?

respondendum esse arbitrarer: Negative.

Et ad II. dubium: quatenus non teneantur vi legis synodalis, utrum cogi possint ab Episcopo uti Delegato a s. Sede item negative rescribendum fore censerem.

Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 9. cap. 15. per tot. probe monet ex *Fagnan. in cap. Quod super his de major. et obed. a num. 14. ad finem* nihil ab Episcopis esse synodalibus constitutionibus inserendum, quod praejudicium inferat privilegiis a Sede apostolica concessis regularium ordinum institutis. Attamen vel idem ss. Pontifex non exinde consequi advertit, quod Episcopi statuta conficere omnino nequeant quoad regulares quatenus super iis versentur in quibus regulares ipsos habent suae jurisdictioni obnoxios. Pro generali autem regula *lib. 13. cap. 4. n. 5.* tradit regulares, eorum exemptione non obstante, parere debere dioecesanae synodi sanctionibus in iis quae respiciunt curam animarum aut Sacramentorum administrationem, juxta decretum Conc. Trid. *sess. 25. cap. 11. de regular.* atque apostolicas constitutiones concilii textum applicantes; decretis pariter subjici, quae materiam concernunt, in qua subsunt jurisdictioni delegatae Episcopi juxta decisionem Innocentii IV. in *cap. 1. de priv.*, in ea Episcoporum jurisdictioni subesse, canonica praecipiunt instituta.« Plures vero ex hisce casibus enumerat in *cit. lib. 9.* ac singillatim eos recensent *Fagnanus in cap. Grave de off. Ord. a num. 37. usque ad fin.*, *Chokier de jurisd. Ord. in exempt. part. 2. quaest. 45*, *Passerin. de hom. statu et off. t. 3. quaest. 189. art. 10. Insp. 10. cap. 5. per tot.*, *Ferraris bibl. can. v. Regulares art. 1.* aliique. In iis vero, in quibus a jure communi, a s. Concilio Trid., a constitutionibus apostolicis tributa est Episcopo jurisdictio in regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere, ceu rescriptum fuit a s. Congregatione ad Episcopum Nebicuren. die 7. Febr. 1637.

Praeterea idem Pontifex cum *Suarez. lib. 4. de leg. cap. 20. n. 10.* adnotat *lib. 13. cap. 14. num. 3.* aliquando ad vitandum scandalum et fugiendam difformitatem a ceteris dioeceseos membris teneri regulares obtemperare constitutionibus synodalibus, a quibus ceteroquin ratione suae exemptionis essent soluti, uti etiam demandati ab Episcopo jejunii exemplum afferens, si antiqua invaluisset in regularium communitate consuetudo observandi aliquod Episcopi praeceptum, ad illud inposterum observandum communitatem ipsam compelli posse quia tunc nempe obligatio non oritur ab Episcopi jurisdictione sed ab ipsa consuetudine, quae vim habet inducendi legis obligationem.

Ad praesentem quod attinet quaestionem praescriptio synodalis de qua quaestio est haud quidem comprehenditur expresse saltem inter illas in quibus sive ex jure communi sive ex concilio Trid. aut constitutionibus apostolicis regulares Episcopo jubente parere coguntur quasque singillatim citati auctores enumerant ac expendunt, nec praeterea quoad constet de regularibus aut ecclesiis agitur quibus animarum cura imminet. Quatenus itaque ad illius observantiam non teneri regulares putaverint EE. VV., in vim ordinariae aut delegatae jurisdictionis Episcopi viderint utrum teneantur, sin minus ad id hortandi sint ex causa evitandi scan-

dalum et difformitatem ab aliis dioecesis ecclesiis etiam regularium illorum ordinum qui decretum synodale jamdudum observant seu potius ex titulo charitatis erga miseros et rudes pagarum incolas qui ad illorum conveniunt ecclesias.

Ceterum iis prae oculis habitis matureque perpensis quae ex relationibus superius exscriptis deducuntur rogantur EE. VV. diluere quae Episcopus proponit

Dubia:

I. *An regulares teneantur statutum de quo agitur servare in suis ecclesiis ex vi legis synodalis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An cogi ad id possint ab Episcopo uti delegato Sedis apostolicae in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: In proposito casu servetur mandatum Episcopi.

Die 2. Mart. 1861.

Votum.

Ex qua responsione ex verbis nempe: *in proposito casu* satis eruitur ob peculiares circumstantias s. Congregationen praecepisse ut episcopale mandatum servetur.

Neque existimandum est praescriptum modum tradendi christianam doctrinam rudibus pagorum incolis adversari Tridentinae legi; siquidem Tridentini Patres pluries mentem suam aperuerunt, ut christianus populus maxime inter missarum celebrationem edoceretur circa res fidei et iis verbis usi sunt quae ostendunt maxime ipsis cordi fuisse ejusmodi populi instructionem. Quare parochis s. synodus injungit, ut inter missarum solemnia aut Divinorum celebrationem s. eloquia et monita eadem vernacula lingua singulis diebus festivis vel solemnibus explanent, eadem in omnium cordibus postpositis inutilibus quaestionibus inserere atque eos in lege Domini erudire studeant, *sess. 24. c. 7. de refor.*

Item retento ubique cujusque ecclesiae antiquo et a s. romana ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant neve parvuli panem petant et non sit qui frangat eis, mandat s. synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se per alios, quae in missa leguntur, aliquid exponant atque inter caetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent diebus praesertim dominicis et festis, *sess. 22. de sacrif. missae c. 8.*

Pariter in *sess. 5. c. 2. de refor.*: Archipresbyteri quoque etc. ut supra p. 850. §. *At vero.*

Quamvis autem in iis sermo sit de parochis ecclesiisque parochialibus nihilominus quam solliciti fuerint Tridentini Patres dignoscitur, ut in re fide pro cujusque captu christianus populus edoceretur idque praesertim fieret in missarum celebratione quibus populus diebus praesertim festis assistit.

Et ad rem praesentem facit resolutio s. Congregat. Conc. quae data est in quadam causa *Neritonensi die 3. Decembris 1757.**)

Etsi datum non sit noscere, quid s. Congreg. Episcopo illi significaverit circa modum certum tamen est s. Congregationem approbasse episcopale decretum tradendi catechismum post evangelium. Ad modum praeterea quod spectat non sine ratione conjicere possumus dicto Episcopo significasse sequendam esse normam praescriptam in synodo romana a Benedicto XIII. celebrata 1725 in qua *tit. 1. cap. 5.* sub rubrica: *Rustici et adulti quomodo in fidei rudimentis instituendi,* ea quae sequuntur decreta sunt:

Ad haec Nos alia et dolenda quidem recogitamus pueros nempe christianam doctrinam edocendos non omnes in civitatibus et oppidis habitare; imo non paucos in campestribus animalium custodiae addictos rusticam sic vitam agere, ut post receptum salutaris aquae lavacrum spirituali ibi absque educatore enutriti neque an Spiritus s. sit unquam audierint: adultosque insuper multos intra communitates occurrere qui nostrae etiam principaliora fidei, summae scilicet Trinitatis et Incarnationis mysteria ignorent, quod magis lamentabile est, cum caeteris in schola addiscere verecundantur. Aeternae idcirco eorum saluti consulere quocumque modo cupientes parochis districte praecipimus et mandamus, ut infra earumdem solemnia missarum, statim post habitum ut supra sermonem, alta voce et materno idiomate populo universo respondente, quod et in secunda missa post parochum, ut omnimode ignorantium malitiae occurratur, qui

*) Vd. *supra p. 844.*

catechismum effugiunt, ac etiam in oratoriis, capellis et ecclesiis ruralibus, ubi Sacra celebrari consuevere, celebrantes adimplere teneantur sub poena suspensionis a Divinis Episcoporum arbitrio imponenda, saltem sequentia paulatim cantando edoceant: »Signum s. crucis, mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis, symbolum apost., orationem dominicalem, salutationem angelicam, praecepta decalogi, ecclesiae septem Sacramenta, actum contritionis. Haec ex romana synodo.

Eo itaque redeuntes, quo discessimus, quamvis Episcopus neque vi ordinariae jurisdictionis neque vi jurisdictionis delegatae injungere posse videatur in ecclesiis regularium exemptis praefatam obligationem, nihilominus ob peculiares populi locorumque urgentes circumstantias regulares abnuere non possunt si id praecipiatur, in hypothesi enim de qua agimus obligatio urget Episcopum edocendi plebem sibi concreditam fidei rudimenta; plebs autem ad ecclesias exemptas confluit neque Episcopus cogere plebem potest ut ad ecclesiam parochialem accedat: superest ergo ut ecclesia regularium exempta ordine sic exigente semet accommodet episcopali statuto.

Porro altera autem quaestione: An scilicet regulares prohiberi possint quominus publice catechismum explicent in suis ecclesiis exemptis non parochialibus plures habentur resolutiones s. Congregat. Concilii quae quaestionem dirimunt. S. Congregatio generali responso statuit, prohibitum non esse regularibus doctrinam christianam*) in suis ecclesiis tradere, quemadmodum refert *Nicolius in floscul.* verbo: *Regularis num. 7.*; habetur resolutio in *Tudertina Doctrinae christianae*, quae pariter ad rem facit. In hac agebatur de testatore, qui mandaverat erigi ecclesiam in proprio fundo ibique residere debere sacerdotem, qui schola pro adolescentibus habita diebus dominicis in dicta ecclesia traderet tum masculis tum foeminis doctrinam christianam. Cum parochus intra cujus paroeciae fines sita erat ecclesia sese opposuisset ne fidei rudimenta ibidem exponerentur, contendens id muneris ad parochialem ecclesiam privative spectare proposito dubio:

An praemissa testatoris voluntas sit exequenda?

die 30. Martii 1675. responsum prodiit: Servandam esse mentem testatoris et quoad modum arbitrio Episcopi. Item in *Florentina diei 30. Martii 1726* ad dubium:

An presbyteri missionis sacramenta poenitentiae et Eucharistiae administrare et doctrinam christianam docere possint contradicente parocho in casu?

S. Congregatio respondit: Affirmative dummodo doctrina christiana non fiat in hora qua fit in parochia.

Ad normam harum resolutionum prodiit responsio, quae occasione s. visitationis supra expositae adducta est; ad dubium enim:

An sacerdotibus missionis liceat tradere populo doctrinam christianam diebus dominicis in ecclesia rurali Fantiolinae ad formam piae dispositionis Canonici Bertoni seu potius sit exequendum decretum Emi de Ilcio in casu?

responsum est: Affirmative ad primam et quoad modum arbitrio Archiepiscopi. Instructio enim populi christiani in rudimentis fidei summa res est, quae licet speciali modo commissa sit parochis, tamen illis omnibus qui in ecclesiae magisterium sunt vocati, non solum non est prohibitum sed imo pluries a romanis Pontificibus inculcatum ut faciant. Quod omissis caeteris apparet ex constitutione s. Pii V., quae incipit: *Ex debito* diei 5. Octobris 1571, qua jussit institui ab Ordinariis locorum confraternitates doctrinae christianae ad pueros aliosque divinae legis expertes bonis moribus sanaque doctrina instruendum. Nec praetereunda est constitutio Benedicti XIV., quae incipit: *Etsi minime* diei 7. Februarii 1742.*)

Ad modum vero quod spectat, res tota ab Episcopo pendet, cui cura imminet ne ordo publicus ecclesiasticus detrimentum patiatur.

8) Omissio.

Vd. supra: *Montis Politiani. p. 845.*

Ad dub.: An servanda sit consuetudo intermittendi doctrinam christianam mense Octobris et mense Decembris usque ad diem 13. Januarii aliisque diebus impeditis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 8. Aug. 1744.

9) Poenae in contravenientes.

Vd. p. 844. n. 2; 845. n. 3.

*) Vd. *Doctrina christ.*

*) Vd. *Doctrina christ.* (method.)

Catechismus romanus.

(Commendatio.)

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universae ecclesiae catholicae de uniformi fidelium instructione in catholica fide agit et cathechismi romani praestantiam et utilitatem demonstrat atque commendat.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres.

Salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. In dominico agro cui excolendo divina disponente providentia praesumus nihil tam vigilantem curam et perseverantem requirit industriam, quam jacti boni seminis catholicae nimirum doctrinae a Christo Jesu et ab apostolis acceptae Nobisque traditae custodia, ne si pigro otio et inerti desidia negligatur dormientibus operariis inimicus humani generis superseminet zizania; ex quo fiat ut in die messis potius quam condenda in horreis inveniantur ea quae urenda sint flammis. Atque ad tuendam quidem semel traditam Sanctis fidem Nos vehementer excitat b. Paulus qui Timotheo scribit, ut bonum custodiat depositum, quod periculosa tempora instarent, cum in ecclesia Dei homines mali et seductores existerent, quorum opera adhibita insidiosus ille tentator his erroribus incautas mentes conaretur infigere, qui sint evangelicae veritatis inimici.

§. 2. Verum si quod saepe accidit quaedam in ecclesia Dei sese extulerint pravae sententiae, quae adversis quidem sibi frontibus pugnantes in eo tamen conspirent, ut catholicae fidei puritatem quoque modo labefactent, tum vero difficillimum est ea cautione inter utrumque hostem ita nostrum librare sermonem, ut nulli eorum terga vertisse, sed utrosque Christi hostes aeque vitavisse et condemnasse videamur. Atque interdum res est ejusmodi ut facile diabolica falsitas, veri quadam similitudine, coloratis se tegat mendaciis, dum vis sententiarum brevissima adjectione corrumpitur et confessio quae operabatur salutem subtili nonnunquam transitu vergat in mortem.

§. 3. Ab his propterea lubricis angustisque semitis quibus insistere aut ingredi sine prolapsione vix possis avertendi sunt fideles ac praesertim qui rudiore sint ac simpliciore ingenio: nec per invia loca ducendae sunt oves ad pascua: nec singularia quaedam, etiam catholicorum doctorum, placita iis sunt proponenda: sed illa certissima catholicae veritatis nota tradenda est, doctrinae universitas, antiquitas et consensio. Praeterea cum non possit vulgus ascendere in montem in quem gloria Domini descendit et transcendens terminos ad videndum peribit, termini figendi sunt populo ab ejus doctoribus per circuitum ut ultra ea quae sunt ad salutem necessaria aut summopere utilia sermo non divagetur et fideles apostolico dicto pareant: non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

§. 4. Haec cum probe intellexissent romani Pontifices Praedecessores Nostri in id omnem suam operam contulerunt, ut non modo venenata germina subnascentium errorum anathematis gladio praeciderent, sed etiam subcrescentes opiniones quasdam amputarent quae vel redundantia in christiano populo fidei uberiorem fructum impedirent vel fidelium animis proximitate noscere possent erroris. Postquam igitur Tridentina synodus eas, quae tum temporis ecclesiae lucem obfuscare tentaverant, haereses condemnavit et catholicam veritatem quasi discussa errorum nebula in clariorem lucem eduxit; cum iidem Praedecessores Nostri intelligerent, sacrum illum universalis ecclesiae conventum tam prudenti consilio tantaque usum esse temperantia, ut ab opinionibus reprobandis abstineret, quae doctorum ecclesiasticorum auctoritatibus fulcirentur, ex ejusdem s. Concilii mente aliud opus confici voluerunt quod omnem doctrinam complecteretur, qua fideles informari oporteret et quae ab omni errore quam longissime abesset. Quem librum *catechismi romani* nomine typis impressum evulgarunt; dupliciter in ea re laudandi. Nam et illuc eam doctrinam contulerunt, quae communis est in ecclesia et procul abest ab omni periculo erroris; et hanc palam populo tradendam disertissimis verbis proposuerunt, ita Christi

Domini praecepto obtemperantes, qui apostolos dicere in lumine jussit, quod in tenebris ipse dixisset et quod in aure audierant super tecta praedicare, ecclesiaeque sponsae obsequnti, cujus illae voces »indica mihi ubi cubes in meridie«, ubi enim non sit meridies atque ita perspicua lux, ut liquido veritas cognoscatur, facile pro ea recipitur falsitas propter veri similitudinem, quae in obscuro difficulter a vero discernitur. Noverant enim fuisse antea et deinceps futuros, qui pascentes invitarent et sapientiae scientiaeque uberiora promitterent pascua, ad quos multi confluerent, quia aquae furtivae dulciores sunt et suavior panis absconditus. Ne igitur seducta vagaretur ecclesia post greges sodalium qui et ipsi sint vagi, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, idcirco quae ad salutem tantummodo essent necessaria et maxime utilia clare in romano catechesimo et dilucide explanata christiano populo tradenda proposuerunt.

§. 5. Verum hunc librum non mediocri labore et studio compositum, omnium consensione probatum ac summis laudibus exceptum his temporibus e pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, cum alios atque alios cathechismos extulerit nullo modo cum romano comparandos: unde duo mala exstiterunt, alterum quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi jam non amplius esse videantur in terra labii unius et sermonum eorumdem: alterum quod ex diversis variisque tradendae catholicae veritatis rationibus ortae sunt contentiones et ex aemulatione, dum alius se Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dictat sectatorem, disjunctiones animorum et magna dissidia: quarum dissentionum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitialius putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos e christiana disciplina aequum est fideles percipere, calamitosius. Itaque duplex hoc malum ut ab ecclesia tandem amoliremur, illuc duximus redeundum, unde quidam parum prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in ecclesia jactitent sapientiores, jamdudum fidelem populum avocaverant et eumdem catechismum romanum pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus ut qua ratione confirmata olim fuit catholica fides et in doctrina ecclesiae, quae est columna veritatis, fidelium mentes corroboratae, eadem nunc a novis quoque opinionibus, quibus nec consensio nec antiquitas suffragatur, quam longissime avertantur. Atque parabilior ut fieret liber et maculis quas operarum vitio contraxerat emendatior illum ad ejus exemplum, quem s. Pius V. Praedecessor Noster ex Tridentinae synodi decreto vulgavit, iterum omni adhibita diligentia excudendum in Urbe curavimus; qui in popularem sermonem ejusdem s. Pii jussu conversus et editus propediem mandato itidem Nostro typis impressus denuo prodibit in lucem.

§. 6. Quod igitur hoc christianae reipublicae difficillimo tempore ad pravarum opinionum fraudes removendas et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium cura Nostra praebet et diligentia, vestrum est venerabiles Fratres operam dare, ut a fidelibus recipiatur. Ac propterea hunc librum, quem veluti catholicae fidei et christianae disciplinae normam, ut etiam in tradendae doctrinae ratione constaret omnium consensio, romani Pontifices pastoribus propositum voluerunt, vobis venerabiles fratres nunc maxime commendamus vosque etiam enixe in Domino cohortamur, ut jubeatis ab omnibus qui animarum curam gerunt in informandis catholica veritate populis adhiberi, quo tum eruditionis unitas tum caritas animorumque servetur concordia. Vestrum enim est tranquillitati omnium studere; quae denique sunt partes Episcopi: qui propterea illuc intentos oculos habere debet, ne quisquam propter suos honores superbe agendo schismata faciat, unitatis compage disrupta.

§. 7. Nullum tamen aut certe exiguum hi libri fructum praebebunt utilitatis, si qui eos proponere et explanare audientibus debent minus docendo sint ipsi idonei. Itaque permagni interest, ut ad hoc munus christianae doctrinae populo tradendae homines eligatis, non modo sacrarum rerum scientia praeditos sed multo magis et humilitate et sanctificandarum animarum studio et charitate flagrantes. Tota enim christiana disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi neque in appetitu laudis et gloriae sed in vera et voluntaria humilitate consistit. Sunt enim quos major quidem scientia erigit, sed a caeteroquin societate disjungit; et quo plus sapiunt, eo a concordiae virtute desipiunt: qui sapientia ipsa, Dei verbo, admonentur: Habete sal in vobis et pacem habete inter nos ita enim sapientiae sal habendum, ut eo proximi amor custodiatur et infirmitates condiantur. Quod si a sapientiae studio a cura etiam proximi ad discordias vertantur, sal sine pace habent, non virtutis donum sed damnationis argumentum; et quo molius sapiunt, eo deterius delinquunt, quos quidem damnat Jacobi apostoli sententia illis verbis: Quod si zelum amarum habetis et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus est et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans, sine aemulatione.

Datum in Arce Castri Candulphi die 14. Junii 1761.

(Bull. r. Contin. t. II. p. 134. Ed. Romae.)

Cathechumeni.

(Romae educandi.)

Vd. *Bull. r. t. VI. p. 509.* Ed. Aug. Taur. 1860.

Cathedralis.

(In primariis civitatibus erigenda.)

Bovinen.

A primis ecclesiae temporibus non in oppidis aut pagis sed in primariis civitatibus Episcopos suam Cathedralem habuisse, in qua clericorum collegium aderat, *s. Basilius epist. 319*, qui illius erant ecclesiae adscripti *canoni* seu *albo* ex quo omnes illi Canonici nuncupabantur, *Thomassin. Vet. et nov. eccl. disciplin. pag. 1. lib. 2. cap. 22. num. 2.*

Die 27. Maji 1820.

Cathedraticum.

Vd. *Procuratio.*

1) Augeri potestne?

Vd. infra decret.: *Firmana. dub. III.*; p. 865; *Camerinen.* p. 867; *Cathedr.* (jus Episcopi; a monasterio non solvendum.)

2) Beneficiis, non personis, inhaeret.

Vd. *Cathedraticum* (a parochis etc.; a Canon. parochis).

Reatina.

Cathedratici praestandi onus non beneficiatorum personis sed beneficiis ipsis inhaeret. Et reapse ab ecclesia deberi ex bonis sibi in dotem assignatis inquit *Pirhingh. lib. 3. tit. 39. sect. 2. §. 2. n. 6;* ex redditibus ecclesiae vel

beneficii solvendum esse docent *Barb. de offic. et potest. Episcop. alleg. 86. n. 40., Reiff. lib. 3. tit. 39. n. 10.* aliique; *et esse onus nativum infixum ipsis ecclesiis a sua primaeva erectione et fundatione quasi canon,* ait *Pitonius Disc. eccl. dis. 35. n. 18.* Ipsa laudata romana synodus *tit. 8. cap. 4.* in illius definienda taxa ad majores vel minores beneficiorum redditus tantum respexit, percipiendo, ut ab ecclesiis et beneficiatis quibus sunt redditus infra scuta decem duo Julii exigerentur, quibus infra scuta quinquaginta Julii decem etc.

Insuper cum illud in signum subjectionis solvatur, si onus esset personale utique foret praestandum ab universo dioecesis clero, qui certe episcopalem cathedram obedientia et honore prosequi tenetur; ast clericos, qui ecclesiastico beneficio donati non sunt, ad illud cogendos non esse tradit *Bened. XIV. in synod. dioec. lib. 5. c. 7. n. 2.* et respondit *S. C. in Albiganen 3. Dec. 1645**) *ad III. dubium.* Accedit denique resolutio Congregationis particularis a SSmo deputatae super cathedraticis, quae ad quintum dubium propositum sub formula: *An debeatur cathedraticum a beneficiatis ratione personae seu beneficiorum in casu?*

die 5. Octob. 1731. responsum dedit: *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

Cassanen.

Episcopus Cassanensis obsecuturus consultissimae sanctioni in recenti concilio romano indictae sub *tit. 8. cap. 4,* ubi habetur: »quod si forte aliquid sub alio vel fixorum munerum vel xeniorum nomine offeratur ab Episcopis tanquam qui non premium sed honorem postulant munera et xenia recusentur hujusmodi,« sub annum 1733 veterem abusum, juxta quem capitulum cathedralis ecclesiae duodecim ducatos sub nomine strenae quotannis Episcopo praestabat, promulgato edicto jussit aboleri vicissim praecipiens, ut singuli Canonici et beneficiati civitatis Cassani ad normam ejusdem concilii romani deinceps cathedraticum solvere tenerentur.

At adversus edictum hoc reclamarunt primum Canonici et beneficiati civitatis Cassanensis contendentes, se ad cathedratici solutionem obstringi non posse, tum quia nunquam illud eo usque persolvissent tum quod praestari debeat tantum in casu, quo synodus ab Episcopo celebretur, tum demum quia veluti subsidiorum quoddam vectigal tribuendum minime sit Praesuli, qui annuis episcopalis mensae redditibus reperitur abunde provisus. Verumtamen discussis in hac s. Congregatione duobus hisce dubiis:

I. *An sit locus solutioni cathedratici?*

Et quatenus affirmative,

II. *In qua quantitate sit solvendum a capitulo cathedralis, Canonicis el beneficiatis civitatis Cassani in casu?*

Die 21. Maji 1735 rescriptum prodiit

ad I: Affirmative,

ad II: Solvendum esse juxta taxam praescriptam in concilio romano et amplius.

Post haec etiam clerus ecclesiae s. Mariae de Colle oppidi Mormanni inter plurimas controversias contra Episcopum excitatas eam promovit, qua se immunem a solutione cathedratici jactitabat, quamobrem Episcopus inter cetera sategit, haec duo dubia decidi:

I. *An debeat solvere (nimirum clerus praedictus) cathedraticum?*

Et quatenus affirmative,

II. *In qua quantitate sit taxandum in casu?*

Quibus s. Congregatio sub diem 15. Decembris ejusdem anni 1725 respondit: Deberi in summa juliorum viginti collective ab omnibus.

Habitis vero binis hisce resolutionibus, cum dictus Episcopus novum per totam dioecesim mandaverit promulgari edictum, quo prioris observantia omnibus beneficiatis indiscriminatim injungitur, parochi et beneficiati italo graeci degentes in octo oppidis dioecesis Cassanensis, ubi graecus ritus custoditur, in scenam prodiere et authumantes se minime adigi posse ad solvendum cathedraticum Episcopo latino, appellatione ab enunciato edicto interposita curarunt ejus executionem suspendi; quare praefatus Episcopus, ut ecclesiae suae jura sarta tecta tueatur impetrata delegatione controversiae ad hoc sacrum tribunal eo potissimum nixus fundamento, quod parochi et beneficiati italo graeci constitutionibus apostolicis obligentur ac legi dioecesanae subsint quodque existentes in conterminis dioecesibus cathedraticum solvere non detrectent, ab Eminentiis VV. postulat responderi:

*) Vd. *Cathedrat.* (jus Episcopi).

I. *An Episcopo Cassanen. debeatur cathedraticum per parochos et beneficiatos italograecos seu Albanenses atque cleros de communibus graecarum ecclesiarum massis participantes?*

Et quatenus affirmative,

II. *A quo tempore idem cathedraticum debeatur in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative;

Ad II: Deberi a tempore novi edicti per Episcopum promulgati.

Die 25. Jan. 1738.

S. Severini.

In dioecesana synodo sub annum 1733 coacta et postmodum typis evulgata modernus Episcopus civitatis Septempedanae hodie s. Severini frequentius appellatae inhaerens sanctioni provincialium conciliorum tum romani sub san. mem. Benedicto XIII editi tum et novissime Firmani haec de cathedratico annuatim praestando *sess. 3. cap. 27. §. 2.* decrevit: »Cathedraticum a clericis in signum subjectionis Episcopis debitum et in jure commune ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti nec a quoquam valeat quocunque titulo vel immemorabili consuetudine praescribi, ab ecclesiis omnibus (non tamen regularibus) et a beneficiatis subjectis ad rationem duorum solidorum servata tamen moderatione in concilio romano praescripta exigatur juxta decretum ultimi concilii provincialis Firmani tit. 4,« deindeque taxam praescripsit promulgavitque ab unaquaque ecclesia et singulis beneficiis in ejusdem cathedratici solutione servandam.

Huic synodali sanctioni et taxae annunciatae paruerunt capitulum cathedralis ecclesiae pluresque aliarum ecclesiarum et beneficiorum rectores, cathedraticum in quantitate ab Episcopo praefinita absque ulla contradictione solventes; at illud de contra praestare detrectant nonnulli parochi et beneficiati eo sub obtentu, quod Episcopus s. Severini ex duplici potissimum capite nequeat cathedraticum exigere, primo nempe, quia illud censeri debeat comprehensum in summa scutorum mille, quam san. mem. Sixtus V. in actu erectionis d. ecclesiae in Cathedralem constituit pro dote mensae episcopalis juxta ejus bullam incipien.: »Superna dispositione« inter constitutiones d. summi Pontificis la *49. bullar. nov. tom. 2.*; cum etenim summa praedicta retrahatur ex vectigali ut inquiunt moliturae cujus solutioni etiam ecclesiastici sunt obnoxii putant ipsi nil aliud ad praestandum Episcopo ratione cathedratici compelli posse ne bis quolibet anno illud percipi contingat ab Episcopo contra canonici juris censuram quam tradunt *Barbos. de jur. eccl. lib. 3. cap. 20. n. 1, Pignatell. consult. 385. tom. 1.,* et secundo, quod episcopalis mensa ita sit opulenta, ut cathedratici exactio minime deceat praesulem annuis redditibus abunde provisum.

Episcopus vero propugnans synodale decretum quo cathedratici solutio praecipitur priorem ex praemissis exceptionibus satis refelli arbitratur ex eo, quod in memorata bulla erectionis episcopatus s. Severini constituitur quidem mensae episcopalis dos in summa scut. 1000 postmodum ab universitate assignata super enunciato moliturae vectigali, ad cujus solutionem obligantur quoque ecclesiastici, sed de cathedratico nulla ibidem habetur mentio et tamen in jure receptum est, cathedraticum in apostolicis constitutionibus, bullis aut privilegiis non censeri comprehensum nisi de eo expresse fuerit dispositum, quemadmodum per text. in *cap. Pastoralis de donat.* docent *Fagnan. in cap. Conquerente de offic. judic. ordinar. n. 49. et seq., Barbos. de offic. et potest. Episc. alleg. 58. n. 44, Pax Jordan. tom. 2. lib. 7. tit. 18. n. 113, Antonell. de jur. et oner. cleric. lib. 2. par. 6. cap. ult. n. 5.*

Posterius autem objectum desumptum ex opulentia mensae episcopalis multo minus sibi obesse ait Episcopus tum quia reipsa non subsistat allegata mensae opulentia cum iidemmet parochi et beneficiati illam asserentes fateantur, annuos mensae redditus summam scutorum mille, adeoque conciliarem Episcopi congruam non excedere, tum quia, etiamsi de asserta opulentia constaret id minime officeret, quominus cathedraticum deberetur, cum illud in signum subjectionis ac in honorem cathedrae, non autem in subsidiariam Episcopi sustentationem praestandum sit juxta expressos textus in *can. Placuit,* in *can. Illud te 4. qu. 7,* in *cap. Conquerente de offic. ordin.,* in *cap. Pastoralis 7. de donat.* et in *cap. Olim de censibus,* et apposite s. Congregatio non obstante simili exceptione, quod mensae episcopalis red-

ditus supra Episcopi congruam abundaret, in *Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734.* et in *Cassanen Cathedratici 21. Maji 1735.**) censuit, cathedraticum solvendum esse juxta taxam in concilio romano praescriptam.

Delata itaque hujus controversiae cognitione ad sacrum consessum rogantur hodie eminentissimi PP. pronunciare:

An cathedraticum debeatur, in qua summa et a quo tempore in casu?

S. C. C. resp.:

Deberi in summa praescripta a concilio romano a die promulgatae synodi anno 1733.

Die 22. Novb. 1738.

Maceraten.

Dectrectante clerico Licinio Assortati rectore ecclesiastici beneficii quod in ecclesia ss. Trinitatis extra moenia terrae Montis Milonis erectum reperitur cathedratici pensum Episcopo solvere eique antedictam ecclesiam et beneficium visitanti procurationem praestare sub obtentu, quod ecclesia praedicta fundata sit in solo ad Basilicam Lateranensem pertinente, oborta inde est inter eumdem clericum Assortati et promotorem fiscalem curiae episcopalis controversia, ad quam dirimendam subscriptum est dubium in calce restrictus apponendum, cujus decisio nomine ejusdem promotoris fiscalis modo flagitatur.

Privilegium exemptionis ab ordinaria Episcoporum jurisdictione, quod Bonifacius IX.**) ecclesiis in solo Lateranensi erectis fuit pridem elargitus et subinde Sixtus V. redintegravit, competere tantum ecclesiis sive capellis, quae in fundo ad Lateranensem Basilicam antea jure dominii vere spectante aedificantur, non autem iis prius constructis et eidem Basilicae cum annui tributi pensitatione postea subjectis definitum est ab *Auditorio Rotae in dec. 228. num. 5. et seqq.* et *dec. 260. coram Emerix Junior* et in *Squillacen. Jurisdictionis super bono jure 7. Junii 1723. coram Lancetta*, quae est inter ejus impressas in ordine *la 56. tom. 1.* probatumque fuit ab hac s. Congregatione in *Militen. Jurisdictionis 23. Aprilis 1701.* et *13. Maji 1702.* et praesertim in *Regien Exemptionis* in qua cum rector capellae seu ecclesiae ss. Crucifixo dicatae amplam sibi hoc nomine tam ab episcopali quam a parochiali jure assereret exemptionem em. PP. sub diem 21. Junii 1698 controversiae definitionem distulere, ut uberius doceretur an dominium fundi vere spectasset ad Lateranensem Basilicam priusquam in eo aedificaretur ecclesia cumque id satis probatum subinde visum non fuerit, proposito sub diem 15. Novembris dubio:

An capella seu ecclesia ss. Crucifixi sit exempta a jurisdictione Ordinarii?

responsum est: Negative.

At dato, quod ecclesia veluti constructa in solo ad Basilicam Lateranensem dominii jure prius spectante probetur ab ordinaria Episcopi jurisdictione exempta, altera suboritur quaestio: num istud exemptionis privilegium immunem reddat eandem ecclesiam a cathedratici et procurationis solutione, qua in re negativam tenet sententiam materia late discussa cl. me. *Card. de Luca de jurisdict. disc. 38. per tot.* et consonare videtur resolutio a s. Congregatione edita in alia *Maceraten. Cathedratici* in qua condententibus confratribus societatis ss. suffragii Montis Milonis suam ecclesiam uti in solo Lateranensi sitam ordinariae jurisdictioni non subjacere ac proinde ad persolvendum cathedraticum obstringi minime posse, contra vero authumante promotore fiscali curiae episcopalis vel satis non constare dictam ecclesiam erectam fuisse in Lateranensi solo ad formam apostolicarum constitutionum vel memoratum privilegium a solutione cathedratici exemptionem non tribuere, em. PP. die 8. Maji 1734 rescripserunt: Cathedraticum deberi juxta taxam praescriptam in Concilio romano.

Juxta has itaque canonici juris theoricas contendit promotor fiscalis perperam tueri se velle clericum Licinium allegato exemptionis privilegio tum quia controversa ecclesia non probetur habere qualitatem ex praescripto constitutionis Sixti V. necessariam, imo vero nulli ecclesiae terrae Montis Milonis ejusmodi competere praerogativam constet ex resolutione s. Congregationis Immunitatis edita sub diem 7. Junii 1678 tum demum quia, ubi etiam praefata ecclesia ostenderetur ad formam Sixtinae constitutionis in Lateranensi fundo aedificata, non inde immunis clericus Licinus a cathedratici et procurationis solutione censendus foret juxta authoritates supra indicatas.

*) Vd. *p. 862.*
**) Vd. *t III. p. 492. XV.*

Ad haec profertur testimonium Francisci Bulgarini, qui affirmat spatio triginta quinque annorum hoc idem beneficium possedisse suamque procurationis ratam Episcopo illud visitanti nunquam detrectasse persolvere. Quibus omnibus perpensis una cum juribus clerici Licinii, si quae circumferentur, dignabuntur Em. PP. respondere:

An clerico Licinio Assortati rectori ecclesiae ss. Trinitatis fundatae extra muros terrae Montis Milonis jurispatronatus illius communitatis competat exemptio a solutione cathedratici et procurationis respective occasione s. visitationis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 10. Junii 1741.

Acerrarum.

Duos capos vulgo capponi cathedratici nomine praestare solebant Acerrarum Episcopo singuli ecclesiastici singulis annis. Modum hujus pensitationis mutavit Episcopus anno 1745. decreto lato, ut qui dignitates obtinerent, julios 20, qui canonicatus, julios 15, qui simplices essent sacerdotes, carolenos 6, clerici 4, ecclesiae vero julios 20 penderent. Decretum hoc impletum fuit ab omnibus ecclesiasticis tam civitatis quam dioeceseos paucis exceptis cathedralis ecclesiae Canonicis, quos inter Archipresbyter et Primicerius, qui ope veteris consuetudinis ab hoc decreto appellarunt ad Sedem metropolitanam. Sed causa in ea audientia non definita delata fuit ad tribunal A. C., a quo avocata fuit decreto Emin. Cardinalis proauditoris SS. Domini Nostri et ejus notio Eminent. Patribus data fuit. Disputat itaque nunc promotor fiscalis taxam decreto episcopali constitutam argui non posse de excessu, cum longe major ea sit, quae a concilio romano *tit. 8. cap. 4.* praefinita fuit, cum ex eo simplices clerici pendere debeant julios 20, mitior itaque taxa episcopalis qui hanc summam Dignitatibus constituit, nulla etiam habita ratione beneficiorum simplicium, quae iis adnexa sunt. Ab Archipresbytero et Canonicis nihil habuimus. Dubium est:

An, a quibus et in qua summa sit solvendum cathedraticum Episcopo Acerrarum in casu?

S. C. resp.: Affirmative quoad beneficiatos ad formam decreti, quo vero ad reliquos videatur particulariter.

Die 12. Julii et 20. Decbr. 1755.

3) A Beneficiis in pia legata mutatis.

Vd. *t. II. p. 624.*

4) A Beneficiis minorum reddituum solvendum.

Firmana.

In Congregatione particulari super cathedraticis pridem a ss. D. N. deputata quatuor ad instantiam promotoris fiscalis curiae archiepiscopalis Firmanae die 29. Aprilis 1731 contra Collegiatam Murri Valis propositis dubiis nimirum:

1. An beneficia quae sunt ad collationem capituli Firmani praeter solutionem census quam ei facere solent teneantur etiam solvere cathedraticum Archiepiscopo?

2. An capellae et confraternitates laicales teneantur solvere cathedraticum?

3. An cathedraticum jam in certa summa taxatum et solvi consuetum potuerit augeri?

4. An augmentum hactenus exactum veniat restituendum?

Responsum fuit

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Capellanias et confraternitates laicales non teneri.

Ad 3: Negative.

Ad 4: Affirmative.

Totidemque pariter propositis contra Collegiatam s. Elpidii, scilicet:

1. An Capitulares et beneficiati s. Elpidii quatenus habeant praebendas distinctas a massa communi teneantur solvere cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra cathedraticum in communi?

2. An antiqua seu potius nova taxa cathedratici etiam quoad beneficia extra gremium dictae Collegiatae et loca pia dictae terrae sit exequenda?

3. An beneficia et loca pia de praeterito non taxata pro cathedratico teneantur imposterum illud solvere et ad cujus taxae rationem?

4. An constet de attentatis?

Prodiit rescriptum

Ad 1: Negative.

Ad 2: Antiquam taxam esse servandam.

Ad 3: Ad mentem quae fuit ut servetur dispositio Concilii romani.

Ad 4: Negative.

Ac deinde reproposita causa die 5. Octobris ejusdem anni responsum fuit: In decisis in omnibus et amplius.

Ad normam istarum resolutionum caeperat Archiepiscopus cathedraticum exigere; sed paulo post nempe sub initium anni 1732 ab eadem particulari Congregatione deputata datae sunt ei literae, quibus demandatum fuit ut elencum omnium ecclesiarum beneficiorum, capellaniarum et confraternitatum totius dioecesis una cum taxa cathedratici antiqua et moderna transmitteret, interea vero supersederet in ejusdem cathedratici exactione ab illis ecclesiis quae illud olim non solvebant quaeque dumtaxat vi memoratae resolutionis taxatae fuerant.

Jussa faciens Archiepiscopus petitum transmisit elencum, quo recepto s. Congregatio ei rescribi mandavit

primo: ut pro nunc exigeret cathedraticum ab iis ecclesiis et beneficiis in nova descriptione indicatis, quorum annui redditus deductis oneribus excederent summam scutorum quindecim,

secundo: ut respectu capellaniarum, quae ante Concilium romanum et provinciale respective cathedraticum non solvebant, illae eidem cathedratico subesse deberent, quatenus haberent propriam et veram naturam beneficii ecclesiastici et deductis oneribus ut supra gauderent annuis redditibus ultra dictam summam scutorum 15,

et tertio demum, quod respectu confraternitatum s. Congregationem melius instructam redderet, explicando scilicet, an et quae erectae essent auctoritate ordinaria, quaenam haberent annexam ecclesiam publicam vel non, ac denique, an eorum redditus qui descripti apparebant in praefato elenco spectarent ad ipsas confraternitates uti tales vel potius ad ecclesias, quarum administratio reperiebatur penes eadem sodalitia.

Hisce pariter mandatis obtemperans Archiepiscopus praedictis omnibus postulatis respondere sategit suis ad s. Congregationem (cui fuerunt interea temporis controversiae omnes de cathedraticis a SSmo remissae) sub die 30. Augusti 1733 datis literis, quibus cum arbitretur satis instructam reddidisse s. Congregationem de iis, quae causae decisioni viam sternere possunt, ut tandem libera sibi fiat potestas exigendi ab omnibus debitum cathedraticum, dubiis infra describendis responderi postulat.

Sane quod attinet ad primum, cum cathedraticum debeatur mensae episcopali in signum honoris et subjectionis juxta sancita *in cap.: Conquerente de offic. Ordin. in can.: Placuit* et in *can.: Inter caetera 10. quaest. 3.* non videtur ambigendum, quin etiam beneficia, quorum redditus non excedunt annua scuta 15, illud solvere teneantur. Sola igitur quaestio constitui posset in summa, qua sit solvendum; sed hoc quoque sancitum reperitur in Concilio romano *cap. 5. tit. 8.*, ubi inter caetera definitum est, ut a beneficiis, quorum redditus sunt infra decem scuta, duo julii exigantur.

Ad resolutionem vero subsequentium dubiorum quae respiciunt confraternitates ordinaria auctoritate erectas vel propriam habentes ecclesiam vel simplicem tantum capellam in honorem Sancti sub cujus titulo sunt erectae conferre posse videntur tum ea quae nuperrime ponderata sunt in *Macraten. Cathedratici proposita die 8. Maji**) proxime praeteriti, tum ea, quae tradit *Fagnan. in d. cap.: Conquerente num. 10* et *num. 43.* ubi loquendo de regularibus haec habet: »Nota primo differentiam inter eorum monasteria et eorum capellas; nam monasteria ad cathedraticum non tenentur. Capellae vero hoc nomine tenentur solvere duos solidos etc., ratio differentiae est quia monasteria exempta sunt a lege dioecesana sed eorum capellae secus.«

Jura Archiepiscopi cui nemo hactenus contradicit circumferentur. Ex his itaque decernendum erit:

1. An beneficia, quorum redditus non excedunt annua scuta 15 deductis oneribus teneantur solvere cathedraticum et in qua summa in casu?

2. An confraternitates erectae auctoritate ordinaria et habentes propriam ecclesiam teneantur solvere cathedraticum in casu?

3. An ad solutionem cathedratici teneantur etiam confraternitates non habentes propriam ecclesiam sed simplicem tantum capellam in honorem Sanctorum sub quorum titulo sunt erectae in casu?

*) Vd. *p. 864. §: At.*

S. C. C. resp.
Ad I. et II: Affirmative.
Ad III: Negative et amplius.
Die 24. Julii 1734.

5) A Beneficiis unitis massae capitulari vel singulis praebendis solvendum.

Vd. n. 4.

Camerinen.

Ad tramites providae Benedictinae constitutionis incipientis »*Pastoralis Officii*« unita anno 1736 fuerunt praebendis theologali et poenitentiali*) Cathedralis Camerini nonnulla beneficia simplicia cum respectivis eorum titulis. In unione autem beneficiorum praeceteris cathedratici onus expressum fuit illudque omnino praestare professi sunt ipsimet Canonici, a quibus unio fuerat obtenta. Elapso vix quadrisemestre ac Sede episcopali vacante Canonicus theologus alia quatuor beneficia simplicia decreto Vicarii capitularis suae theologali praebendae uniri curavit. Denique ob expositam ab eodem Canonico redditum tenuitatem aliorum etiam beneficiorum unionem reportavit, ita quidem ut annui praebendae redditus qui sc. 35 non excedebant ad annua sc. 300 adaucti fuerint. Quamvis pro hujusmodi beneficiis unitis cathedraticum ab antecessoribus beneficiatis semper fuerit persolutum, illud tamen post secutam unionem rependere detrectarunt Canonicus Mancini theologus et Canonicus Flaminii poenitentiarius illudque praestare modo renuunt Canonici Vivani et Carducci eorum successores. Hac itaque de causa promotor fiscalis illos in judicium vocavit et modo instat pro resolutione dubii, quod EE. VV. sapienti judicio subjicitur.

Inquit enim, omnes beneficiatos teneri ad solutionem cathedratici erga proprium Episcopum in signum subjectionis et in honorem Sedis episcopalis, *cap. Conquerente de officio Ord.* et *cap. Pastoralis de don.*

Idque etiam pro beneficiis simplicibus, cum eadem quoad ista honoris et subjectionis ratio concurrat. *Abbas in cap. Conquerente num. 1., Barbos. de jure ecclesiastico lib. 3. cap. 20.*, s. Congregatio *in Albiganen. Cathedratici 3. Decembris 1744.* Inferunt ex his Canonicos Vivani et Caducci compellendos esse ad solutionem cathedratici pro iis omnibus beneficiis, quae praedecessores eorum respectivis praebendis uniri obtinuerunt. Et quamvis ex speciali ss. Pontificis privilegio quaelibet ecclesia et quodvis beneficium ab Episcopi jurisdictione et cathedratici solutione eximi possit, id tamen nunquam praesumi debere dicit, nisi expressum exemptionis privilegium exhibeatur, *cap. Cum Instantia tit. de cens.*, *cap. Accedentes de praescription.*, *Cardin. de Luca de Jurisdict. discurs. 38. num. 1. et seq.* Observat autem non modo nullum exemptionis monumentum hactenus exhibitum fuisse, sed potius plures adesse synodales dioecesis Camerinensis constitutiones annorum 1726 et 1748, quae cathedratici solutionem omnino praecipiunt. Animadvertit ulterius, nonnisi per injuriam obligationem solvendi cathedraticum in discrimen modo revocari posse, cum in relatione status activi et passivi beneficiorum pro obtinendis unionibus Episcopo exhibita onus quoque cathedratici descriptum fuerit. Accedere sollemnem obligationem solvendi cathedraticum a Canonico Mancini emissam, dum beneficiorum unionem reportavit. Nec prodesse, quod in quibusdam decretis unionum factarum praebendae theologali nihil in specie de cathedratico cautum inveniatur, cum sufficiant solutiones a praedecessoribus expletae nec quisquam ab hujusmodi praestatione eximi valeat, nisi per violationem legis unionum, quae semper factae censeri debent cum omnibus honoribus et oneribus et absque alterius praejudicio, *cap. 2. de religiosis domibus*, *Rot. decis. 69. num. 7. par. 1. rec. et coram Caprar. decis. 131. num. 16.* Neque ob secutam beneficiorum unionem cum praebendis canonicalibus onus cathedratici extinctum praesumi posse affirmat; cum enim per unionem exempta beneficia non evaserint ab aliis missarum et decimarum oneribus, multo sane minus eximi potuisse dicit ab onere cathedratici, quod ex ipso actu erectionis beneficiorum oritur eique semper inseparabiliter inhaeret neque ab Episcopo in totum remitti valet, *cap. Pastoralis de donat.*, *Abb. in cap. Exposuisti num. 7. de praebend.* Aequum quippe putat, ut qui ab ecclesia stipendia recipit ecclesiae etiam moderatori ejusque cathedrae aliquod tributum in signum honoris et subjectionis persolvat, *cap. Nulla ratione 8. distinct. 93.*, *Panormit. in cap. Pastoralis de donat. num. 7.*, idque procedere etiamsi beneficiorum unio favore capituli secuta fuisset, *Rot. in Tuden. Cathedratici de-*

*) Vd. *t. II. p. 994. XV.*

cis. 227. §. 17. coram Cardinale Mollino et s. Congr. *in Cathacen. 21. Maji 1644.* Quin objici possit, quod Canonici duplici cathedratici solutione gravarentur. Sustinet enim nullam adesse repugnantiam, quod ipsi utpote Canonici simul et beneficiati distinctum solvant Episcopo cathedraticum, quando constat, beneficia non fuisse unita massae capitulari, pro qua Canonici cathedraticum in commune persolvunt, sed particularibus praebendis, nec illorum titulus fuit extinctus, ut advertit *sa. mem. Benedictus XIV. de synodo dioeces. lib. 5. cap. 7. §. 3.*

Dubitari autem non posse dicit de secuta beneficiorum unione cum eorum respective titulis favore tantum praebendae theologalis et poenitentiariae, quia id aperte eruitur ex decretis unionum, in quibus singulorum beneficiorum titulus inscriptus deprehenditur. Cum itaque beneficia praebendis unita in titulum collata fuerint, censendum ac si cuilibet clerico et beneficiato in titulum fuissent concessa, et quemadmodum isti cathedraticum omnino solvere deberent, ita etiam ab illis persolvi omnino debere contendit. Nec sufficere oblationem unius librae cerae quam pro quodam beneficio sub titulo s. Margharitae suae praebendae unito Canonicus theologus mensae episcopali rependit. Advertit enim integrum cathedraticum persolvi oportere, non obstante quacumque canonis solutione, *s. Congreg. in Asculana Cathedratici 22. Maji 1734**) et *in Perusina Cathedratici 19. Novembris 1735.* Nec prodesse diffugium mutuatum ex regula, quod auctis beneficiorum redditibus cathedraticum augeri non debeat, cum hujusmodi regula locum habeat, quando agitur de augumento ex ipsismet beneficiorum bonis obvento, non autem quando res est de augmento bonorum, quod supervenit per adjectionem aliorum beneficiorum, quae cathedratici oneri antea subjiciebatur. Haec quoad primam dubii partem. Quo vero ad secundam contendit, cathedraticum deberi a die adeptae per Canonicos beneficiorum possessionis quia sicuti ab ea die acquirunt beneficiati jus percipiendi redditus, ita illamet die jus cathedrae episcopali acquiritur exigendi honoris atque subjectionis tributum. Idque pluries decisum a s. Congregatione et signanter *in Amalphitana Cathedratici 26. Februarii 1707 ad I. dubium.* In nihilum refragante quod ab Episcopo Antecessore nunquam fuerit perceptum, quia cathedraticum utpote debitum in signum jurisdictionis et in honorem cathedrae episcopalis nec praescribi potuit nec ab Episcopo remitti, *Barbos. de officio et potest. Episcoporum alleg. 86. num. 44., Pignatell. consult. 8. num. 6. t. 6.*, et jus illud percipiendi translatum fuisse in hodiernum Episcopum etiam virtute cessionis ejus favore factae a san. mem. Clemente XIII. de omnibus fructibus, qui tempore obitus sui Antecessoris inexacti remanserunt. Denique quantitatem cathedratici praefiniendam esse confidit ad formam decreti Episcopi Terelli post Concilium romanum evulgati necnon synodalium constitutionum Episcopi Vivani et hodierni Episcopi, in quibus omnibus juxta taxam Concilii romani persolvenda praecipitur. Ex alia parte nihil hactenus deductum est.

Episcopus in sua relatione censet, Canonicos theologum et poenitentiarium teneri ad solutionem cathedratici a die adeptae possessionis pro singulis beneficiis unitis, habito etiam respectu ad distinctos illorum fructus. Haeredes autem Canonicorum antecessorum adigendos esse ad solutionem ab anno 1746 usque ad eorum obitum respective attenta concessione fructuum mensae episcopalis, quam ipse a s. m. Clemente XIII. reportavit. Inter caetera episcopalia jura cathedraticum potissimum recensetur illudque singulis annis ab omnibus ecclesiis et beneficiatis Episcopo praestari debet in signum honoris et subjectionis cathedrae pontificali, *cap. Placuit. 10.* et *cap. Conquerente de offic. Ordinar.*

Debetur autem Episcopo a die adeptae possessionis suae ecclesiae, prout definiit s. Congregatio in *Amalphitana Cathedratici 5. Septemb. 1705* et *in Cassanen. 21. Martii 1625.*, nullo habito respectu ad synodum. Quamvis enim cathedraticum in synodi celebratione persolvatur, quemadmodum advertit san. mem. *Benedictus XIV. in synodo dioecesana lib. 5. cap. 7.* non est tamen ita affixum synodo, ut extra synodum cesset obligatio illud persolvendi, cum semper urgeat eadem reverentia et subjectionis ratio, propter quam cathedratici praestationem jura praescribunt. Hinc in synodo Avenionensi anni 1366 decretum fuit, ut non solum cathedraticum illius anni sed etiam pro tempore praeterito ante synodi dimissionem integre Episcopo persolveretur. Quod tamen intelligendum est: nisi adsit longaeva et legitime praescripta consuetudo illud non solvendi

*) Vd. *p. 873.*

nisi in synodo, quia quamvis consuetudo jus non tollat potest tamen adaequalem quoad tempus solutionis variationem importare, ita quidem, ut non singulis annis, sed solum in synodo congregata persolvi debeat. Servatur enim honor cathedrae, quoties cathedratici solutio perseverat, quae praescribi nunquam potest, prout observat *Marsobius de synodo cap. 4. dub. 33.* et *san. mem. Benedictus XIV. eodem tit. cap. 7. §. 8.*

Videndum tamen, an unicum cathedraticum a toto Canonicorum et beneficiatorum coetu seu potius ab unoquoque singillatim persolvi debeat. Hac in re notandum, quod si Canonici et beneficiati sustentantur ex massa communi, ex eaque unusquisque suam percipit partem, tunc unicum cathedraticum rependere sufficiat, quemadmodum statuit *Concilium rom. tit. 8. cap. 4.* his verbis: *Ab ecclesiis vero ubi plures de massa participant ab omnibus in communi Julii viginti salvis tamen consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus persolvantur.* Si vero beneficiati, praeter portionem, quam ex massa communi retrahunt, alia etiam beneficia simplicia obtineant, e his omnibus cathedraticum Episcopo solvere debent, prout advertit *Bened. XIV. in synodo dioec. citato cap. 7. §. 5. In Tolentina**) *Cathedratici* cum tria beneficia simplicia theologali praebendae unita fuissent et sacerdos Antonius Magonzelli theologus cathedraticum pro his Episcopo rependere recusaret proposito dubio:

An et in qua summa Canonicus theologus solvere teneatur cathedraticum mensae episcopali etiam pro beneficiis unitis praebendae theologali in casu etc.?

S. Congregatio die 14. Martii 1739 respondit: *Affirmative in summa praescripta a Concilio rom. et amplius*; et in *Amalphitana diei 26. Februarii anni 1707* cum quaesitum fuisset: *An cathedraticum sit solvendum a parochis ratione parochiae tantum quam possident titulum vel potius ratione etiam beneficiorum eisdem parochiis unitorum?*

responsum pariter fuit: *Affirmative et amplius.*

Quo vero ad quantitatem statutum est, ut duo solidi persolvantur et in Concilio rom. julii viginti monetae romanae fuerunt pro solidis praefiniti. Ceterum sicuti Concilium rom. non fuit oecumenicum nec certam quoad omnes dioeceses regulam constituere potuit, idcirco a peculiaribus cujusque dioecesis statutis et a consuetudine rem totam dimetiendam existimat *Barbos. de officio et potestate Episcopi allegat. 83. n. 84.* et *Benedictus XIV. in Synodo dioecesana cap. 7. §. 1.*

His sedulo perpensis dignabuntur Eminent. PP. decernere:

An et a quo tempore et in qua annua summa debeatur cathedraticum pro beneficiis unitis praebendis theologali et poenitentiariae Cathedralis in casu?

S. C. resp.: Affirmative a die adeptae per Episcopum possessionis et in summa praefinita a Concilio rom. Die 18. Mart. 1775.

Tolentina.

Cum nuper ad tramites providae constitutionis Benedictinae incipientis: »Pastoralis officii« unita fuerint praebendae theologali cathedralis ecclesiae Tolentinae tria simplicia beneficia, unum scilicet anno 1726 et alia duo sub annum 1728 Antonius Magonzelli, qui postmodum de dicta theologali praebenda obtinuit provideri, ratus, se minime teneri annuum cathedratici censum pro dictis tribus beneficiis eidem praebendae unitis Episcopo solvere, sacrum hunc adiit consessum postulans ab ejusmodi praestatione sibi dudum Praesulis nomine indicta immunem declarari.

Contendit ille nimirum, nihil cathedratici jure posse Episcopum ab ipso exigere supra id, quod collective omnes dictae cathedralis Canonici eidem ex conducto persolvunt, tum quia praefata tria beneficia »extinctive«, *) ut ait, fuerunt theologali praebendae »per incorporationem« unita, adeo ut unica tantum praebenda beneficiaria debeat hodie considerari, tum etiam quia in actu ejusmodi unionis nullum fuerit cathedratici jus super controversis beneficiis episcopali cathedrae reservatum. Contra vero Episcopus duplici potissimum titulo arbitratur ex tribus memoratis beneficiis cathedraticum sibi deberi in summa a concilio romano *tit. 6. cap. 4.* pro eorum unoquoque praefinita; altero scilicet, quia eorumdem beneficiorum uniones utpote factae a Vicario generali Episcopi antecessoris speciali facultate ad id necessaria destituto irritae prorsus et invalidae sint, **) ad tradita per *Ventrigl. in prax. for. eccl. art. 2. annot. 8. §. 1. n. 10., Garz. de benef. part. 12.*

*) Vd. *infra.*

*) Vd. *t. II. p. 1033. x.*
**) Vd. *t. II. p. 1036. ii.*

cap. 2. n. 69., *Pax Jordan. elucubr. tom. 2. tit. 32. n. 42.* et scite monet em. *Petra in comment. ad constit. I. d. Leonis Magni sect. 2. n. 82. pag. 76.*, ita quidem, ut beneficia praedicta, ipsorum unione sublata, eidem, ut antea, cathedratici oneri adhuc subjacent; altero autem, quod ubi etiam oppugnatae uniones sustineri velint, qualescunque illae tandem, sive, ut ajunt, aeque principaliter sive accessorie tantum peractae censeantur, nullum quiverint cathedrae episcopali detrimentum affere, quemadmodum agentes in specie de cathedratico notant *Abb. in cap. Conquerente de censibus n. 11* ibique *Ancharan. n. 5.*, *Fagnan. n. 10. et 43.*, *Reiffenstuel in jus can. lib. 3. tit. 39. §. 1. n. 13.* et resolvit s. Congregatio in *Cathacen. 21. Maji 1643,* in *Amalphitana Cathedratici 26. Februarii 1707* et in *Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734.**)

His itaque libratis rationum momentis hinc inde latius fortasse exornandis non graventur emin. PP. pronunciare:

An et in qua summa Canonicus theologus solvere teneatur cathedraticum mensae episcopali etiam pro beneficiis unitis praebendae theologali in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative in summa praescripta a Conc. rom., et amplius.

Die 28. Febr. et 14. Mart. 1739.

6) A Canonicis solvendum.

Vd. supra n. 2. 4. 5.

Viterbien.

(Conc. Tr. c. 13. s. 23. de ref.)

In ecclesia cathedrali Viterbii duae olim aderant Dignitates ac duo supra decem canonicatus peculiaribus praebendis praeter massam omnibus communem ditati. His adjuncti postea fuere nonnulli alii Canonici veteris **) tamen communis massae haud quaquam participes, sed singuli propria distinctaque dote contenti. Ejusmodi generis est canonicatus, qui ex redditibus suppressae parochialis ecclesiae s. Stephani fuit in eadem Cathedrali sub annum 1656. erectus. Hunc autem aliquot abhinc annis adeptus Christophorus Calabresius, non renuit ille primum cathedratici nomine annuum censum scuti unius cum dimidio ex fructibus suae praebendae Episcopo solvere, quemadmodum alii quoque Canonici a praedictae massae consortio seclusi consueverant illud praestare seorsim ab iis, qui ex eadem massa participant. At postmodum authumans se nullo jure posse ad separatam singularemque istam cathedratici solutionem compelli detrectavit eam imposterum persequi; cumque ipsius vestigiis caeperint inhaerere quidam alii Canonici collegiatae ecclesiae s. Angeli ejusdem civitatis Viterbii contendentes se non posse uti singulos ad cathedratici solutionem pro suis praebendis adigi quamquam istas habeant distinctas nec ipsi de communi veterum Canonicorum massa participent, oborta inde est controversia, quae sub dubiis inferius apponendis sapientissimo Eminentiarum VV. judicio decidenda proponitur.

Censet Canonicus Calabresius, qui aliorum quoque Canonicorum in eadem navi versantium jura tueri profitetur, controversam cathedratici exactionem hactenus ab Episcopo factam a censura ss. canonum deviare. Inquit enim, non aliud jus Episcopo esse quam duos solidos ab unaquaque ecclesia sibi subjecta cathedratici exigere ad *text. in can. Placuit, can.: Illud te, capit. fin. 10. quaest. 3.* et *cap.: Conquerente de off. jud. ord.*, neque hac in re innovatum aliquid dici posse a Concilio rom. sub s. m. Benedicto XIII. habito, quippe quod veteres tantum ut tolleret dubitationes saepius exortas cujusdam valoris esse deberent isti duo solidi, scuta duo romana in eorum locum constituit, ut conjicitur ex ejus sanctione sub *tit. 3. cap. 4.* Inde autem colligit, quod, sicuti solius ecclesiae onus est, ejusmodi censum in honorem cathedrae episcopalis persolvere, ita nec ipse neque caeteri Canonici, quamvis de antiqua massa communi nihil participent, ad cathedratici solutionem uti singuli compelli queant, sed praefatos duos solidos sive duo scuta praestanda esse ab omnibus Canonicis collective sumptis sive antiquis sive aliis de massa non participantibus, per quos omnes, quemadmodum unum duntaxat corpus atque unum capitulum constituitur, sic etiam tota cathedralis ecclesia repraesentatur

Contra vero Episcopus propugnat sibi jus esse exigendi cathedraticum a Canonico Calabresio aliisque Canonicis postea adjunctis seorsim ab illis, qui de massa communi participant; primo quidem ex titulo eos omnes indiscriminatim complectente, quia scilicet dum ipsi massae communionem non habent distinctum quoque ac peculiare debeant sub-

*) Vd. *p. 864. §: At.*
**) Vd. *p. 385. n. 18.*

ire onus cathedratici, quum Episcopo cathedraticum debeatur ab universis dioecesis suae beneficiatis, uti expresse in ss. canonibus superius adductis praescribitur; secundo vero ex ratione peculiariter Calabresium tangente, ab eo nimirum desumpta, quod, sicuti canonicatus per ipsum possessus erectus fuit ex redditibus parochialis ecclesiae olim collapsae atque suppressae, ita idem canonicatus adhuc remaneat affectus primaevo cathedratici oneri, cui subjiciebatur ecclesia ipsa parochialis, ne detrimentum ex ea suppressione dicatur Episcopo illatum.

Partes collitigantes in scripturis circumferendis jura sua exponunt. Iis itaque una cum relatione quam dedit Episcopus diligenter inspectis grave non erit respondere:

I. *An Canonici possidentes praebendas distinctas et non participantes de massa teneantur contribuere in communi cum Canonicis de massa ad solutionem cathedratici sive potius uti singuli pro illorum praebendis cogi valeant ad illius solutionem?*

Et quatenus affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam,

II. *An Episcopus teneatur restituere summas hucusque a dictis Canonicis separatim exactas in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.

Ad II: Satis provisum in primo.

Die 7. Apr. 1742.

7) A Canonico parocho nihil solvendum extra quod solvitur a capitulo.

Aquipendien.

Capitulum ecclesiae ss. Apostolorum Joannis et Andreae oppidi Canini Aquipendiensis dioecesis constat ex Archipresbytero et Canonicis, quorum singuli praeter communem massam particulares obtinent praebendas ab unoquoque pro libito administratas. Archipresbyter prima dignitas est, curam animarum exercet et ultra suam praebendam duplicatam percipit portionem ex massa capitulari. De hoc archipresbyteratu anno 1754. provisus fuit sacerdos Laurentius Mancinelli. Quum vero, ultra cathedraticum in scutis duobus solvi solitum a capitulo, promotor fiscalis anno 1763 aliud cathedraticum in scuto uno et obulis quinque etiam pro tempore praeterito exigere sategerit ab Archipresbytero ratione parochiae et ob id sub sequestro posuerit decimales redditus ad ipsum pertinentes, hinc Archipresbyter, ut ab hoc onere distincti cathedratici immunis declaretur, justitiam sacrae Congregationis implorat.

Asserit idem Archipresbyter, cui adhaeret capitulum, se cum caeteris Canonicis unicum corpus ecclesiae collegiatae constituere, ideo unicum tantum cathedraticum in communi ab omnibus membris ejusdem capituli esse Episcopo praestandum, *can.: Placuit, can.: Illud te* et *can. final. 10. 9. 3.* et in *cap.: 4. tit. 5. Concilii romani.*

Addit sibi inutiliter objici, quod distinctam habeat praebendam vel duplicatam portionem ex massa capitulari percipiat; haec enim nec distinctum ab archipresbyteratu prima capituli dignitate titulum praeseferre nec efficere, ut Archipresbyter duplicem personam repraesentet, alteram membri capituli, alteram parochi.

Advertit se curam tantum actualem habere, penes capitulum habitualem residere. Canonicos ultra suam particularem praebendam de emolumentis quoque parochialibus participare. Quare sicut Canonici nec ratione curae nec ob particularem praebendam ad distinctum cathedraticum tenentur, ita nec ipsum ad illud solvendum esse adstringendum.

Sustinet demum, spernendam esse assertam partitam rubricellae anni 1705 tum quia nullibi constat, de mandato illius temporis Episcopi conscriptam fuisse post celebratum Concilium romanum, tum demum, quia nunquam executioni fuit demandata. Ipsum ab anno 1754, quo de archipresbyteratu fuit provisus, nunquam distinctum cathedraticum persolvisse; hinc concludit, injuste ab Episcopo perceptum cathedraticum sibi esse restituendum ac sequestra esse removenda.

Promotor vero fiscalis tuetur, omnes parochos ratione parochialitatis teneri ad solutionem cathedratici erga Episcopum in signum subjectionis, *cap.: Inter caetera 10. quaest. 3*, *Fagnan. in cap.: Conquerente de off. ordin. num. 114.*, idque innovatum fuisse in Concilio romano cap. 4. tit. 8. de off. ordin., hoc onus proinde inesse quoque Archipresbytero ecclesiae collegiatae terrae

Canini curam animarum per se exercente ratione parochialitatis cum ejus dignitate conjunctae.

Contendit, Archipresbytero suffragari non posse cathedraticum, quod a Capitulo solvitur in communi, quia cura actualis non penes capitulum, sed penes Archipresbyterum exstat; ideo Archipresbyterum distinctam ratione curae praebendam possidere; ipsum de omnibus parochialibus emolumentis privative participare; hinc sequi, ut ratione curae adnexae archipresbyteratui distinctum cathedraticum debeatur, s. Congregatio in *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.* et *26. Februarii 1707.*

Inutiliter vero ad contrariam observantiam ab Archipresbytero recurri, cum cathedraticum neque ab Episcopis saltem in totum remitti neque ullo titulo aut etiam immemorabili consuetudine praescribi possit, praesertim in casu, quo statim post Concilium romanum in libro proventuum mensae episcopalis inscriptum fuit cathedraticum ab Archipresbytero debitum.

His positis prosequitur promotor, inaniter peti ab Archipresbytero restitutionem cathedratici jure debiti et juste exacti firmeque esse servanda sequestra, ut integra cathedratica etiam pro praeterito non soluta exigantur. Quae enim rite rectoque gesta sunt, nullo modo esse revocanda sed sarta tectaque servanda.

Cathedraticum, quod propter honorem cathedrae episcopalis et in signum subjectionis annuatim Episcopo solvitur, primis ecclesiae seculis a consuetudine potius quam a lege manavit. Synodus Bracharensis praestandum a capitulis et ecclesiis parochialibus cathedraticum Episcopo prima omnium mandavit, *can.: Placuit caus. 10. quaest. 3.* Illud vero ab omnibus etiam aliis quibuscumque capellis et beneficiis ecclesiasticis solvi per viam legis universalis statutum fuit ab *Honorio III. in cap.: Conquerente de off. ordin.*

Benedictus XIII. anno 1723. ut innumeris, qui invaluerant, abusibus occurreret, in Concilio rom. *tit. 8.* ita disposuit: »Ipso communi jure est cautum, ut Episcopis cathedraticum a clericis debeatur, quod est duorum solidorum, viginti scilicet juliorum, census cathedrali ecclesiae solvendus, in signum honoris et subjectionis cathedrae pontificali. Jus sane, inter caetera episcopalia, ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti nec a quoquam valeat quocumque titulo vel immemorabili consuetudine praescribi. Quod si forte aliquid sub alio vel fixorum munerum vel xeniorum nomine afferatur, decernimus, ut ab Episcopis tanquam qui non praemium, sed honorem postulant munera et xenia recusentur hujusmodi et cathedraticum duntaxat, summam non excedens praedictam, ab ecclesiis (non tamen regularium) et a beneficiatis sibi subjectis, tali etiam volumus moderatione, exigatur, videlicet:

I. *Quibus sunt redditus infra scuta decem*, (idem de ducatis monetae Neapolitanae intelligatur) *duo Julii.*

II. *Quibus scuta infra quinquaginta, Julii quinque.*

III. *Quibus infra centum, Julii decem.*

IV. *Quibus ultra centum vel quacunque in alia majori summa, Julii quindecim.*

V. *Ab ecclesiis vero ubi plures de massa participant ab omnibus in communi julii viginti salvis tamen consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus.*

S. Congregatio cathedraticum deberi quacunque non obstante immemorabili consuetudine rescripsit in *Maceraten Cathedratici 8. Maji 1734*,*) in *Cassanen. Cathedratici 21. Maji 1735.***) et in *Perusina Cathedratici 19. Novembris 1735.* ac quamlibet majorem taxam abolevit eamque ad Concilii romani formam reduxit in dicta *Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734.* et in *Auximana seu Cingulana Cathedratici 31. Martii 1759.*

De jure exigendi cathedraticum et de nonnullis quaestionibus cathedraticum respicientibus late san. mem. *Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. 5. cap. 6. et 7.*

De Canonicis vero vel beneficiatis unum idemque corpus constituentibus disputato dubio in una *Firmana Cathedratici*:***)

An Capitulares et beneficiati s. Elpidii quatenus habeant praebendas distinctas a massa communi teneantur solvere cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra cathedraticum in communi?

Congregatio particularis super cathedraticis deputata rescripsit die 29. Aprilis 1731.: *Negative.*

*) Vd. *p. 864.* §. *At.*
**) Vd. *p. 862.*
***) Vd. *p. 865.*

S. Congregatio in una Viterbien. *) Cathedratici, qua Canonici novae fundationis non participantes de massa communi et particularem praebendam possidentes contendebant, se non uti singulos, sed tantum in communi ad cathedraticum teneri proposito dubio:

An Canonici possidentes praebendas distinctas et non participantes de massa teneantur contribuere in communi cum Canonicis de massa ad solutionem cathedratici sive potius ut singuli pro illorum praebendis cogi valeant ad illius solutionem?

rescripsit die 7. Aprilis 1742: *Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.*

Quid in casu dicendum sit EE. PP. sua juris scientia edicent. Rogantur enim his respondere quaesitis:

I. *An Archipresbyter Collegiatae Canini teneatur persolvere cathedraticum ratione parochiae ultra illud, quod persolvitur a capitulo dictae Collegiatae in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sit locus restitutioni cathedratici et remotioni sequestrarum in casu?*

S. C. resp.

Ad. I.: Negative et amplius.

Ad II: Affirmative et amplius.

Die 20. Decbr. 1766.

8) A Canonicis Colleg. solv.

Vd. t. III. p. 440. n. 7; supra decr.: *Viterbien* pag. 870.

9) A capellaniis et confraternit. quando solvendum?

Vd. supra decr.: *Firmana* p. 865; *Cathedrat.* (quod etc. infra decr.: *Ferentina, Maceraten.*)

Asculana.

(Conc. Tr. c. 12. s. 24. de ref.)

Cum Episcopus ad normam novissimi concilii romani *tit. 8. cap. 4.* solvendum indixerit cathedraticum, quod ipso communi jure cautum est deberi cathedrae pontificali ab omnibus beneficiatis in signum honoris et subjectionis juxta *can.: Inter caetera 2. qu. 3, cap.: Pastoralis de donat.* et *cap.: Conquerente de offic. jud. ordin.*, orta est dubitatio, num in dimetienda ejusdem tributi quantitate detrahi prius debeant onus missarum et alia quaeque onera super beneficiis legitima authoritate imposita.

Ajunt enim beneficiarii multa esse in ea dioecesi beneficia, quorum onera omnes ferme redditus exaequant, ita quidem, ut si cathedraticum esset solvendum nulla habita ratione eorumdem onerum minui deinde oportet numerum missarum pro quibus juxta praescriptum fundatorum celebrandis idonei proventus non suppeterent; sicque, ut iidem beneficiati resumunt, s. Congregatio in quadam *Tudertina proposita die 7. Junii 1728.* censuit juxta dispositionem ipsius concilii romani mediam annatam deberi ex fructibus beneficiorum, detractis oneribus pensionum, collectarum cameralium ac etiam missarum juxta legem fundationis celebrandarum, eodem quin etiam potiori jure arbitrantur, nonnisi detractis prius omnibus in ejusdem generis oneribus solutionem cathedratici esse taxandam.

Quae contra opponere intendat Episcopus, nondum apparuere. Ea tamen, quum proferentur, poterunt ab EE. VV. de more ponderari, unde mutuo collatis decertantium rationibus consultissime decidatur:

An sint detrahenda onus missarum caeteraque onera a beneficiis in solutione cathedratici in casu?

Continuatio ejusdem causae.

In folio Congregationis diei 17. Aprilis proxime praeteriti ad instantiam cleri sive beneficiariorum dioecesis Asculanae posita fuit causa ista sub unico dubio, quod est primum ex infra describendis. Quia vero tunc proponi non potuit, deinde promotor fiscalis curiae episcopalis efflagitavit ut praeter dubium illud in memorato folio benigne resumendo examini subjicerentur etiam alia tria, quae dudum inter partes concordata discuti debebant in Congregatione particulari a Sanctissimo super cathedraticis deputata, in qua jam pridem causa ista pendebat. Huic itaque petitioni cum annuendum esse videatur, partes erunt Eminentiarum VV. ex juribus utrinque circumferendis decidere:

I. *An sint detrahenda onus missarum caeteraque onera a beneficiis a solutione cathedratici in casu?*

II. *An ab ecclesiis habentibus redditus per confraternitates administratos debeatur cathedraticum in casu?*

*) Vd. *p. 870.*

III. *An cathedraticum sit solvendum ab ecclesiis confraternitatum laicalium non habentibus beneficia ecclesiastica in casu?*

IV. *An debeatur cathedraticum ab ecclesia s. Petri in Castello in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II., III. et IV: Affirmative.

Die 7. Apr. et 22. Maji 1734.

Reatinen et Nucerina.

Ut spirituali bono incolarum loci *Capo d'acqua* in Nucerina dioecesi positi consuleret Marchio Joseph Benigni, cujus familiae ille feudali jure olim devinciebatur, s. m. Leonem XII. supplex adiit rogatum, ut cujusdam beneficii in Reatina dioecesi sub invocatione ss. Eleuterii et Juliani erecti, propria tamen ecclesia destituti nulloque onere praegravati, necnon duarum capellaniarum de familiae suae jurepatronatus bona ac redditus ecclesiae praefati loci applicare dignaret, ut capellanus in ea constitutus singulis festis diebus Sacrum litaret ac christianae catechesi Sacramentorumque incumberet administrationi. Precibus annuit Pontifex literisque apostolicis in forma brevis sub die 28. Junii 1828. expeditis Vicario generali Nucerino mandabat, *ut beneficium . . . . illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, essentiam beneficii collativi . . . ac superius memorata legata pia seu capellanias . . . . auctoritate nostra perpetuo supprimas ac extinguas illisque sic suppressis ac extinctis . . . . unam perpetuam capellaniam in secundo dicta s. Hugonis et ss. Apostolorum Petri et Pauli ecclesia . . . auctoritate nostra erigas ac instituas . . . . . et pro ejusdem capellaniae dote pro tempore obtinentis congrua substentatione omnia bona . . . . . pari auctoritate applices et appropries.* Marchioni ejusque haeredibus ac successoribus in latifundiis laicale juspatronatus super nova capellania voluit Pontifex reservatum; capellano vero ab Ordinario instituendo praeter alia onera illud quoque attribuit missas celebrandi quae capellaniis inhaerebant juxta reductionem, quam eodem tempore impertiebatur.

Hisce apostolicis literis exequutioni demandatis numquam superioribus Reatis Episcopis a capellano dictae ecclesiae cathedraticum persolutum est. Verum hodiernus Antistes pro illius solutione anno 1836. instare caepit apud Marchionem Benigni, qui nullo jure eidem debitum esse autumans ideo ad vestrum Senatum aufugit.

E S. O. disciplina Antistites tum Reatinum tum Nucerinum de informatione et voto rogavi. Ille promotoris fiscalis transmissae allegationi omnino adhaeret, addens tantum, possessores beneficii ss. Eleutherii et Juliani in obulis 60 cathedraticum quotannis pensitare consuevisse; alter vero postquam redditus hodiernae capellaniae ex triennali bonorum locatione ad scut. 71 non deductis oneribus assurgere retulerit ac capellani munera, ita animi sui sententiam pandit, ut ex verbis pontificii Brevis *supportatis oneribus* cathedratici quidem solutionem inferat at sibi potius suisque successoribus minime Reatino Antistiti praestandam.

Profecto neminem latet, inter episcopalia jura, quae a lege dioecesana dimanant, cathedraticum numerari, illum nempe censum, quem omnes ecclesiae, beneficia ac beneficiati in signum subjectionis et in honorem cathedrae episcopalis quotannis pensitare debent, Quamvis autem illud primaevis ecclesiae saeculis consuetudine tantum invaluisset ut notat *Thomassinus de benef. cap. 25. n. 2. lib. 9. t. 3.* subinde tamen per Patres Concilii provincialis Bracharensis in jus scriptum redactum fuit, *can. Placuit 10. qu. 3.* ac demum per legem universalem praeceptum ab Honorio III. *cap. Conquerente de off. ord.*, neque deinceps a Tridentino Concilio in *cap. 3. sess. 24.* sublatum fuisse, definivit S. H. C. teste *Fagnàno in d. cap. Conquerente n. 60.* et in *cap. Venerabili n. 16. de censibus*, immo novissime in synodo romana habita anno 1729. a fel. rec. Bened. XIII. ad pristinam obligationem novimus restitutum *tit. 8. cap. 9.* Quamobrem juris adsistentia fulciuntur Episcopi illud exigendi a singulis dioecesis suae ecclesiis ac beneficiis, donec vel per speciale privilegium vel per exemptionem a dioecesana lege ab ejus praestatione immunitas plene fuerit comprobata.

Quo adnotato minime ambigit promotor fiscalis de bono jure Reatini Episcopi, quod bona beneficii ss. Eleuterii et Juliani semper fuerunt et adhuc posita sunt in ejus dioecesi, licet inpraesens unita ecclesiae loci *Gapodaqua* in Nucerina dioecesi positi ab hujus capellano possideantur. Nam cathedratici

praestandi onus non beneficiatorum personis sed beneficiis ipsis inhaeret. Et reapse ab ecclesia deberi ex bonis sibi in dotem assignatis inquit *Pirhingh. lib. 3. tit. 39. sect. 2. §. 2. n. 6.;* ex redditibus ecclesiae vel beneficii solvendum esse docent *Barb. de offic. et potest. Episcop. alleg. 86. n. 40, Reiff. lib. 3. tit. 39. n. 10.* aliique; et *esse onus nativum infixum ipsis ecclesiis a sua primaeva erectione et fundatione quasi canon,* ait *Pitonius Disc. eccl. dis. 35. n. 18.* Ipsa quoque romana synodus *dict. tit. 8. cap. 4.* in illius definienda taxa ad majores vel minores beneficiorum redditus tantum respexit, praecipiendo, ut ab ecclesiis et beneficiatis quibus sunt redditus infra scuta *quinquaginta julii decem etc. p. 872.*

Insuper cum illud in signum subjectionis solvatur, si onus esset personale utique foret praestandum ab universo dioecesis clero, qui certe episcopalem cathedram obedientia et honore prosequi tenetur; ast clericos qui ecclesiastico beneficio donati non sunt ad illud cogendos non esse tradit *Bened. XIV. in synod. dioec. lib. 5. c. 7. n. 2.* et respondit *s. C. in Albinganen. 3. Dec. 1644. ad III. dubium.* Accedit denique resolutio Congregationis particularis a SSmo deputatae super cathedraticis, quae ad V. dubium propositum sub formula:

An debeatur cathedraticum a beneficiatis ratione personae seu beneficiorum in casu?

die 5. Octob. 1731 responsum dedit: *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

Perperam, instat, oggeretur vi unionis jus illud in Reatino Episcopo extinctum esse. Siquidem ea est unionis natura, ut absque alterius praejudicio facta intelligatur *cap. 2. de relig. dom.* et ibi *Abbas*, Rota *dec. 131. cor. Caprara dec. 69. n. 7. p. 1. rec.*, et quaecumque fuerit unio, hanc eximere non posse ecclesias ab aliis oneribus et juribus episcopalibus, quibus antea erant subjectae, docet *Rota dec. 228. n. 50. cor. Tanara;* ac demum per unionem factam a ss. Pontifice Episcoporum jura non censeri sublata animadvertunt *Rebuf. super reg. union. glos. II. n. 13., Pax Jord. tom. 2. eluc. lib. 10. tit. 32. n. 112.*

Quod magis in themate sentiendum est, cum agatur de cathedratico inter alia jura adeo privilegiato, ut neque ullo titulo, etiam immemorabili consuetudine praescribi queat, ceu habet communior DD. sententia et declaravit s. Congr. *in Lavallen. 18. April. et 6. Junii 1692,* neque in generali dispositione comprehendatur, ita ut ab ejus solutione liberatio numquam ab apostolicis constitutionibus et privilegiis impertita conseatur, nisi de ea expressa mentio facta fuerit, quemadmodum post textum *in cap.: Pastoralis de donat.* firmant *Gratianus dis. 620. n. 11., Fagnan. in cap. Conquerente de off. Ord. n. 49. et seq., Pignatel. t. 6. consul. 8. n. 2.* et late *Pitonius Dis. eccl. disc. 35*; *s. C. in S. Severini 22. Novemb. 1738.* §. *Episcopus* *) etiamsi unio vel exemptio cum clausula *pleno jure* concessa fuerit, *Barbos. de offic. et pot. Epis. alleg. 86. §. 3. n. 44., Antonel. de jurib. et onerib. cler. lib. 2. p. 6. cap. 17. n. 34., Card. de Luca ad Ventrigl. in praxi p. 2. an. 25. §. 2. n. 4., Reiff. lib. 9. dec. tit. 39. n. 13.* Atqui in literis apostolicis nec vola nec verbum quibus hujusmodi exemptio indigitetur, immo Reatino Antistiti reservatum innuit addita clausula: *Supportatis tamen prius' . . . si quae sint dicti beneficii oneribus.* Sane cathedratici onus, quod vel ex ipso beneficiorum erectionis actu oritur, eisdem medullitus inhaerere nemo iverit inficias.

Tandem explorati juris est, monasteria, quae caeteroquin a cathedratico immunia sunt, ejus solutioni esse obnoxia pro beneficiis sibi unitis, *cap. Conquerente* et ibi *glos., Fagnanus n. 10., Reiff. loc. cit., s. C. in Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734* **) et in *Guardien. Jurisdictionis 4. Martii 1736*; sic pariter teneri pro beneficiis unitis canonicatibus, parochiis et seminariis, ceu videre est *in Cathacen 21. Maji 1644.*, in *Amalphitana Cathedratici 26. Feb. 1807*, in *Tolentina* ***) *14. Martii 1739*, in *Camerinen. 18. Martii 1775.*†) Nec in ipsa Reatina curia ejusmodi deest exemplum; siquidem a Balneoregiensi Episcopo persolvitur cathedraticum pro beneficio illi episcopali mensae adjecto.

Verumtamen ex adverso propugnat Marchio Benigni capellanum ecclesiae loci *Capodacqua* ad cathedraticum Reatis Episcopo solvendum nulla obligatione devinci. Enimvero beneficium ss. Eleutherii et Juliani olim in Reatina dioecesi fundatum a ss. Pontifice suppressum extinctumque fuisse illiusque bona una cum aliis duarum capellaniarum in dotem constituta pro nova capellania in praefata ecclesia erigenda, verba literarum apostoli-

*) Vd. *supra p. 863.*
**) Vd. *p. 864.* §: *At.*
***) Vd. *p. 869.*
†) Vd *p. 867.*

carum aperte demonstrant. Porro cum per extinctionem tituli beneficialis desinat esse beneficium in rerum natura, ceu ait *Leurenius For. benef. par. III. sect. II. cap. II. quaest. 966. n. 1.*, pronum est omne cathedraticum abiisse, eo vel magis quod nec ecclesia remanserit, quam nunquam beneficium habuit. Quum vero cathedraticum in signum subjectionis debeatur et quemadmodum quousque remanet signatum, hoc est subjectum, remanere debeat et signum quod est cathedraticum, uti argumentatur *Imol. in cap.*: *Pastoral. de donat. n. 21*, *Ancharan. 22. apud Piton. loc. cit.*

Nec aliquid negocii facessit, pergit ipse, si extincti beneficii bona adhuc in Reatina dioecesi existant. Animadvertere siquidem occurrit, quod de subsidio charitativo traditur, scilicet *non esse onus praediorum et fundorum, cum non transeat ad quoscumque istorum possessores, sed ipsarum ecclesiarum et beneficiorum, cum ratione istorum et fructuum ex iis perceptorum petatur*; verba sunt *Schmalzg. par. IV. tit. 9. n. 65.*, qui hac ratione suffultus resolvit, illud solvendum esse Episcopo, in cujus dioecesi ecclesia vel titulus beneficii situs est, licet praedia extant in altera. Ita quoque sentiunt *Bellencin. Tract. de subsid. charit. quaest. 35.*, *Azorius Inst. mor. p. 2. lib. 9. cap. 12. quaest. 6*, *Barbosa de offic. et potest. Episc. par. 3. alleg. 87. n. 51*, *de Gonny tract. de subs. charit. quaest. 39.* qui addit, idem in similibus puta in procuratione et decima papali judicandum esse. Et sane id ipsum cathedratico aptandum esse illud suadet, quod hae duae praestationes licet in aliis differant inter se in eo tamen conveniunt, quod utraque a lege dioecesana dimanet et ratione beneficiorum debeatur, cum ab iis tantum exigi fassit, qui beneficio potiuntur, uti de subsidio charitativo docent *Azor. Inst. mor. p. 2. lib. 9. cap. 14.* §. *6*, *Ferrar.* §. verb.: *Subsidium char. n. 29.*, *s. C. in Tarentina Procurationis 25. Februarii 1826.* §. *Quum.* Porro in themate bona quae ad beneficium ss. Eleutherii et Juliani spectabant a primaevo titulo soluta dotis partem novae capellaniae in ecclesia loci *Capodacqua* erectae modo constituunt.

Quod autem asseritur, subdit, unionem factam censeri absque alterius praejudicio, hoc procedit, ubi agitur de unione conservativa juris antiqui, non autem extinctiva,*) ceu ponderat *Rota dec. 370. n. 5. par. 3. rec.* Frustra quoque in literis apostolicis specialis cathedratici remissio requiritur, utpote quae suapte naturae consectabatur, ubi subjectio beneficii evanida fiebat; et reapse etiam in unione omnibus illis juribus, quae, ea valida existente, salva esse non possunt, ob repugnantiam derogatum censendum esse per textum *in Lubi repugnantia ff. de reg. juris* tradit *Pax Jordan. t. 2. eluc. lib. 10. tit. 32. n. 113.*

Tandem juvat recolere S. C. oraculum *in Setina 8. Maji 1765 in qua ad I. dub.* responsum fuit: Non teneri solvere cathedraticum *convictrices sacrae familiae*, quarum monasterio a ss. Pontificibus nonnulla beneficia cum extinctione tituli fuerant unita. Uti in themate, in apostolicis literis addita fuerat clausula: *supportatis oneribus.* Sed per convictrices animadvertebatur illam intelligi debere de oneribus quae intrinsecus beneficiis ex fundatione inhaerebant, non vero de aliis, quae numquam conveniri possunt cum extinctione tituli, quae naturam beneficii et ejus bonorum prorsus immutant.

Hisce utrinque expensis EE. DD. judicio proponitur

Dubium:

An capellanus ecclesiae loci Capodacqua teneatur solvere cathedraticum Episcopo Reatino in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 14. Mart. 1840.

10) Causae solvendi.

Vd. *Cathedrat.* (a benef. unitis massae etc. decr.: *Camerinen* p. 867.; p. 878: *Aesina.*)

11) Consuetudines circa illud.

Vd. *Cathedraticum* (jus Episcopi; quod et quantum, decr.: *Cassanen.*; a monasterio non solvendum); p. 880. II.; p. 878: *Anglonen.*

Sicuti Concilium romanum non fuit oecumenicum nec certam quoad omnes dioeceses regulam constituere potuit, idcirco a peculiaribus cujusque dioecesis statutis et a consuetudine rem totam dimetiendam existimat *Barbos. de officio et potestate Episcopi allegat. 83. n. 84.* et san. mem. *Benedictus XIV. in synodo dioecesana cap. 7.* §. *1.*

*) Vd. *t. II. p. 1033. u.*

Consuetudinem etiam immemorabilem eximere haud posse a praestatione cathedratici firmavit *Rota coram Tanar. decis. 238. n. 46.*

12) Detrahenda quae sunt prius?

Vd. supra decr.: *Asculana p. 873.*

13) Dies a quo solvendum?

Vd. p. 868 §§: *Dubitari, Episcopus*; decr.: *Cassanen* p. 862; decr. *S. Severini* p. 863; decr. *Anglonen* p. 878.

14) Ab Ecclesia abbatiali comendatitia non solvendum.

Vd. *Cathedr.* (a monasterio etc., a parochis etc.) vd. n. 15.

Assisien.

Petit Episcopus cathedraticum ab ecclesia s. Crispoliti sub titulo abbatiae possessa ab Octaviano Gentili; isto autem contendente ad illius solutionem non teneri, quia praefata abbatia utpote jamdudum spectans ad monasterium ordinis s. Benedicti ab onere cathedratici sit exempta, supremum sacrae hujus Congregationis oraculum ad controversiae decisionem exquiritur.

Petitio Episcopi fomitem habet a novissimo Concilio romano *tit. 8. cap. 4.*, ubi redintegratae fuerunt veteres juris canonici sanctiones de cathedratico Episcopis solvendo ab ecclesiis et beneficiatis sibi subjectis. Licet autem abbatia s. Crispoliti olim esset regularis et hoc nomine censenda foret a cathedratico immunis, attamen putat Episcopus, statum ipsius fuisse jampridem immutatum ab innumeris pene apostolicis provisionibus tercentum et ultra annorum spatio de illa factis in clericos seculares. Si enim ex sola possessione beneficiorum regularium ad quadraginta annos a secularibus habita illorum status immutatio censetur inducta, per *text. in cap. Cum de benefic. de praebend. in 6.*, quanto magis ubi adeo diuturna clericorum secularium possessio concurrit, potissime vero accedentibus etiam plurimis visitationibus ecclesiae s. Crispoliti ab Ordinariis pro tempore expletis, uti docetur ab illarum serie in summario Episcopi relata.

At in oppositum Abbas Gentili sustinet primaevum regularis abbatiae statum non potuisse immutari, cum ea semper in commendam clericis secularibus collata fuerit. Haec enim est virtus commendae,*) ut praeservet beneficia in eo statu, quo antea reperiebantur, *Fagnan. in cap.*: *Ecclesiis de capellis Monach. num. 16*; visitationes autem ecclesiae ab Episcopis factas non probare transitum abbatiae a statu regulari ad secularem, quia peragi potuerunt vi illius apostolicae delegationis, qua locorum Ordinarii ecclesias quascumque quomodolibet exemptas singulis annis visitare tenentur, ut statuit s. Concilium Trid. *sess. 7. cap. 8.* et loquendo praecise de abbatiis seu beneficiis etiam regularibus qualitercumque commendatis decrevit *sess. 21. cap. 8.* de reform.

Ex his igitur aliisque juribus utrinque adducendis onus erit Eminentiarum VV. statuere:

An cathedraticum debeatur in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 18. Decb. 1734 et 15. Jan. 1735.

15) Ab Ecclesiis regularibus quando solvendum?

Vd. n. 14; 17.

Regulares non tenentur solvere cathedraticum pro monasteriis et eorum ecclesiis regularibus, ubi ipsi resident et quae monasteriis ipsorum contigue seu immediate penes ipsa existunt, textu expresso in *cap.*: *Inter caetera 8. caus. 10. qu. 3*, ibi: Monasteriorum tamen Basilicis solutionis pensione exemptis. Et sic tenent *Engel lib. 3. decretal. tit. 49. n. 6*, *Barbosa l. 3. Juris ecclesiast. univ. cap. 20. n. 11.* cum communi aliorum. Et ratio est, quia a lege dioecesana (vi cujus competit Episcopo potestas exigendi jura episcopalia) sunt exempta. *Barbosa loc. cit. n. 44.* et communis aliorum, *arg. cap. Cum pro utilitate 34. caus. 15. quaest. 2.* et *cap. 1. de statu Monachor.* Pro ecclesiis tamen, beneficiis, capellis et parochiis saecularibus quibus regulares praesunt cathedraticum solvere Episcopo tenentur, etiamsi monasteriis aut eorum ecclesiis pleno jure sint incorporatae. *Fagnan. in dict. cap. Conquerente 16. de offic. Ordinar. n. 10. et 43*, *Abbas ibidem n. 1*, *Ancharanus ibidem n. 5.* et *Glossa communiter recepta in cap. Inter caetera 8. caus. 10. qu. 3*, *in cap. Cum pro utilitate 34. caus. 16. qu. 1. cap. Quam sit. 5. caus. 10. qu. 2.* Non sic autem ecclesiae, beneficia et parochiae saeculares monasteriis et ecclesiis regularium incorporatae et unitae quia istae nullibi reperiuntur exemptae a lege dioecesana, sed potius eidem positive

*) Vd. *t. II. p. 505. n. 26.*

subjectae; *cap. de Monachis 12. de praebend. cap. Ex part. 3.* et *cap. Ad audientiam 4. de capellis Monachorum* cum similibus et notat *Glossa in dict. cap. Inter caetera*, in verb.: *Solutiones, Hostiens. in d. c. Conquerente n. 1.* et *Fagnan. ibid. n. 43.* S. Congregatio Concilii decrevit ad cathedratici et synodatici solutionem non teneri neque compelli posse fratres s. Joannis Hierosolymitani sive eorum Vicarios in parochialibus religioni praedictae unitis. Sic ipsa s. Conc. Congregat. in *Augustana 4. Dec. 1630.* et referunt *Sellius in select. canon. cap. 10. n. 20, Barbosa Summa apostolicar. dec. collect. 137. n. 4.*

16) Jus Episcopi.

Vd. *Cathedrat.* (quod etc. solvendum); supra n. 2—15.

Anglonen.

(Conc. Tr. c. 3. s. 24. de ref.)

Inter caetera jura episcopalia cathedraticum recensetur, quod ad duos solidos ab unaquaque ecclesia et persona dicto oneri affecta solvendos restringitur juxta Concilium Bracharense et Concilium Toletanum VII., de quibus in canone *Inter caetera 10. quaest. 3.* et licet horum Conciliorum utpote non generalium constitutiones vim legis in universa ecclesia obtinere minime valeant, quamvis insertae in decreto Gratiani, juxta propositionem etiam in tribunalibus Urbis receptam, de qua Rota *decis. 377. num. 36. et seqq. coram Penia* in Veneta editione, memoratum nihilominus jus cathedratici et quidem in quantitate supra expressa suum fundamentum habet in jure communi, in sequelam videlicet *Decretalis Honorii III. in cap. Conquerente de officio Ordinarii*, absque eo quod juri cathedratici derogatum dici valeat a s. Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 3. de refor.*, cum Concilium ibi alias quasdam prohibuerit exactiones, sed cathedraticum nullatenus excluserit, *Thomasin. de benef. par. 3. lib. 2. num. 7., Fagnan. in cap. Conquerente num. 48. et seqq. de censibus*, adeoque s. Carolus Borromaeus fidelissimus s. Concilii Tridentini executor in sua II. Synodo legem renovavit cathedratici: *illud ss. canonibus constitutum est, ut a singulis parochis in dioecesana synodo cathedratici nomine solidi duo exigantur, idque argumento honoris qui cathedrali ecclesiae tamquam matri a caeteris parochialibus ecclesiis tribui debet*, et quod caput est, inter caeteras resolutiones a s. Congregatione editas anno 1587 haec habetur: *Congregatio Concilii censuit Concilium Tridentinum nequaquam sustulisse cathedraticum, non illud tamen solvendum in visitatione, sed extra et in synodi celebratione*, et concordat alia anni 1591, ibi: *Quod si Episcopo cathedraticum legitime et vere debeatur illud plane exigere posse, alio tamen tempore quam visitationis;* et in quadam causa *Albinganen. 1644*, in qua tria dubia fuerunt disputata super cathedratico, responsum fuit: *Cathedraticum posse exigi ab Episcopo licet in praeteritum non fuerit exactum, dummodo exactum fuerit a suis Praedecessoribus et exigi tantum posse duos solidos juxta juris communis dispositionem, et in moneta antiqua juxta illius aestimationem non concurrente contraria consuetudine et exactionem demum non esse faciendam a toto clero sed tantum ab ecclesiis, capellis et beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium apostolicum exemptionis vel immemorabilis;* et denique in causa *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.* resolutum fuit: *Cathedraticum esse solvendum Archiepiscopo Amalphitano a parochis et beneficiatis terrae Tramontis;* et die 26. Februarii 1707 resolutum fuit: *Illud esse dicto Archiepiscopo debitum a die adeptae possessionis et solvendum esse a parochis tam ratione beneficiorum parochiis unitorum.* His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An Episcopo debeatur cathedraticum?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 30. Jan. 1723.

Aesina.

Cathedraticum definiri vulgo solet census duorum solidorum ecclesiae solvendus in signum honoris et subjectionis cathedrae pontificali, *Concil. rom. ann. 1725. tit. 8. cap. 4.* Nullum sane jus episcopale antiquius est cathedratico, ut ostendit Christianus Lupus, Thomasinus necnon Benedictus XIV. de synodo dioeces. *lib. 5. cap. 6. num. 3.* nullumque pariter jus est, quod potiori privilegio fruatur, cum neque ab Episcopis in totum remitti neque ullo titulo aut immemorabili consuetudine praescribi possit, quemmadmodum declaravit s. Congregatio in *Lavellen. 18. Aprilis et 6. Junii 1693,* statuitque sa. me. Beneditus XIII. in Concil. rom. *loc. cit.*

Praestari cathedraticum olim Episcopis consueverat vel dum dioecesim visitabant vel

extra visitationem, praesertim tempore synodi, hodie vero exigi nequit in visitatione, cum Concilium Trid. *sess. 24. cap. 3. de ref.* Episcopis dioecesim visitantibus expresse mandaverit, ut caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint neque ipsi aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine nec pecuniam nec munus, quodcumque sit etiam qualitercumque offeratur, accipiant. Hinc quaerenti Episcopo Ferentino:

An Concilium Trid. *cap. 3. sess. 24.* vers.: *Interimque* censeatur substulisse cathedraticum quod singulis annis tam in visitatione quam extra exigi consuevit ab Ordinario? s. Congregatio anno 1537 respondit: »Concilium nequaquam substulisse cathedraticum sed illud non solvendum in visitatione sed extra et in synodi celebratione.«

Quantitas pecuniae pro cathedratico solvenda est solidorum duorum, sed disputant inter se doctores relati a Benedicto XIV. *loc. sup. cit. cap. 7. num. 1*, quaenam solidi species intelligi debeat. Hinc certa et universalis regula, quod cathedratici praestationem statui non posse videtur, sed illius quantitas desumenda est a peculiaribus locorum statutis et recepta in qualibet dioecesi consuetudine, *Abbas in cap. Olim de censibus, Barbos. de offic. et potest. Episc. alleg. 86. num. 84, Monacell. part. 2. tit. 14. form. 1. num. 8,* s. Congregatio in *Satrianen. 13. Feb. 1694* et in *Albinganen. 3. Decembris 1644,* cum quaesitum fuisset:

In qua quantitate pecuniae posset illud exigere?

responsum fuit: Exigi posse tantum duos solidos juxta juris communis dispositionem et in moneta antiqua juxta illius aestimationem non occurrente contraria consuetudine.

Verum Concilium rom. 1725. singulis solidis valorem tribuit unius aurei monetae romanae, ac proinde duos solidos pro cathedratico persolvendos constituere statuit julios viginti illius monetae. Illud etiam decretum in eodem Concilio fuit: »Quod si forte aliquid sub alio vel fixorum munerum vel xeniorum nomine offeruntur, decernimus ut ab Episcopis, tanquam qui non praemium sed honorem postulant, munera et xenia recusentur hujusmodi et cathedraticum dumtaxat summam non excedens praedictam ab ecclesiis (non tamen regularium) et a beneficiatis sibi subjectis exigatur.« Deindeque addit, ut ab iis »quibus ultra centum vel quocumque in alia majori summa julii quindecim« solvantur. »Ab ecclesiis vero ubi plures de massa participant ab omnibus in communi julii viginti salvis tamen consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus.« *)

Haec eadem omnia iisdem fere verbis expressa leguntur in dioecesana synodo Aesina habita 1727 et typis edita 1728 *par. 6. cap. 1. de pertinentibus ad Episcopi dignitatem n. 3*, ubi additur: »Quod si forte aliqui consueverint munerum vel xeniorum nomine aliqua nobis offerre, id inposterum nolumus exhiberi.«

Praeter jus cathedratici habent quoque Episcopi jus quartae decimarum, *cap. Conquerente 16. de offic. jud. ordin.* et *cap. Quoniam 13. de decimis.* Communis tamen est doctorum sententia, ut sola juris assistentia suffulti nisi concurrat etiam consuetudo non possint Episcopi quartam decimarum percipere. Id videtur innuisse Alexandrum III. *cap. De quarta 4. de praescript.* per hac verba: »De quarta decimae et oblationis defunctorum clericus ab impeditione Episcopi quadragenaria praescriptione temporis se posse tueri videtur. Nisi forte interim pastoralis sedes caruisset pastore, quia jura ecclesiae suae exigere debuisset.« Idemque erui potest ex *cap. Cum olim 19. de censibus.* Hinc probata consuetudine s. Congregatio die 30. Januarii 1723. declaravit, quartam decimarum deberi Episcopo Anglonen. **) a clero terrae Carbonis.

His summatim praemissis inquirendum primo loco in praesenti casu est an praestatio annua frumenti et hordei, inspecta tum natura decimae spiritualis et quartae canonicae tum notula, in qua titulo cathedratici expressa dicitur, ad quartam decimarum vel potius cathedraticum referri debeat. Quatenus vero ad quartam decimarum refereuda sit, inquirendum praeterea videtur an firma remanente hujusmodi praestatione novo cathedratici onere gravari potuerint plebanus et capellani seu potius ea rejicienda ab Episcopo sit, quemadmodum Concilium rom. et synodus Aesina praecipiunt. Ac tandem vi-

*) Vd. *p. 872. I—V.*
**) Vd. *p. 878.*

dendum, an plebanus et capellani habendi sint tamquam plures de unius ecclesiae massa participantes, ita ut ab omnibus in communi julii tantum viginti pro cathedratico persolvi debeant.

In Congregatione particulari super cathedraticis a san. mem. Clemente XII. deputata urgente promothore fiscali curiae archiepiscopalis Firmanae contra Collegiatam Murri Vallis quatuor die 29. Aprilis 1731 proposita fuerunt dubia; vd. dub. I. III. IV. *supra n. 4. p. 865.*

Iisdem propositis dubiis contra Collegiatam s. Elpidii*) cum primo loco disputatum fuisset:

An Capitulares et beneficiati s. Elpidii quatenus habeant praebendas distinctas a massa communi teneantur solvere cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra cathedraticum in comuni? rescriptum fuit: Negative.

Ac reproposita causa die 5. Octobris ejusdem anni resolutio in omnibus fuit confirmata. Vide in *Viterbien. Cathedratici 7. Aprilis 1742 cum disceptata fuissent* dubia I. II. *supra n. 6. p. 870.*

Notandum tamen in his dubiis actum non fuisse de canonicatibus seu beneficiis dismembratis ab aliqua plebania sed de canonicatibus noviter erectis et ab aliis distinctis, uti resultat ex folio illius causae.

Denique praetereundum non est ex aliquorum sententia verba illa Concilii romani: »Salvis tamen consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus« referri non posse ad cathedratici quantitatem, cum alias inutilis evaderet major ex locorum consuetudine inducta, sed potius ad modum solutionis, ita ut qui in communi solvere consueverunt ad particularem solutionem neque ratione separatae praebendae adigi valeant, ut respondit Congregatio particularis in dicta causa Firmana ad I. dub.,**) et qui consueverunt solvere uti singuli, tanquam non participantes de massa communi, non possint solutionem in communi explere, ut definitum fuit a s. Congregatione in citat. *Viterbien.* pariter ad I. dub.***)

Die 23. Febr. 1771.

*) Vd. *supra n. 4. p. 865. n. 1.*
**) Vd. *p. 865.*
***) Vd. *p. 871.*

Licet videretur, quod per immemorabilem consuetudinem posset cathedraticum praescribi juxta declarationem olim emanatam a Congregat. Conc. 3. Decem. 1645. in una *Albinganensi*, ubi Episcopus cum clero ejusdem civitatis supplicavit pro declaratione dubiorum

I.: An modernus Episcopus, qui nunquam adhuc exegit cathedraticum, possit pro praeterito tempore et in futurum exigere?

II.: In qua quantitate et qualitate monetae possit illud exigere?

III.: An a toto clero, an vero a beneficiatis tantum sit facienda exactio?

S. C. respondit

Ad I.: Si cathedraticum Episcopis Antecessoribus aliquando fuerit solutum, posse per modernum Episcopum exigi.

Ad II.: Exigi tantum posse duos solidos juxta juris communis dispositionem et in moneta antiqua juxta illius aestimationem non concurrente contraria consuetudine.

Ad III.: Exactionem non esse faciendam a toto clero, sed tantum ab ecclesiis, capellis et beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium exemptionis vel immemorabilis,

nihilominus cum Episcopus Lavallensis in synodo cathedraticum in praeteritum non solutum ab ecclesiis sibi subjectis necnon a clero in futurum solvi debere statuisset et capitulum et clerus reclamando hanc resolutionem opponerent et nunquam ab immemorabili solvisse assererent, s. Congregatio die 18. Aprilis 1693. rescripsit: Examinetur formiter Albinganensis 3. Dec. 1644. ad III. dubium. Unde reproposita deinde causa in plena Congregatione sub dubio:

An cathedraticum Episcopo debeatur? respondit: Deberi ad formam juris ab ecclesiis et beneficiatis tantum. Et quod cathedraticum solvi debeat Episcopo non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, iterum declaravit s. Congregat. *Concil.* in ead. *Amalphitana 26. Feb. 1707.*

17) A Monasterio non solvendum.

Vd. *Cathedraticum* (ab eccles. abbat. etc., regul. p. 877); supra decret.: *Reatinen* p. 874; *Cathedrat.* (quod etc. decret. *Maceraten.* p. 888.)

Aesina.

Ad oppidum Majuleti Aesinae dioecesis

in ecclesia s. Sixto dicata antiquissima extat hujusmodi nominis abbatia (quae origine sua beneficium regulare seu monasticum,*) deinde in commendam conversum fuisse asseritur), cujus postremus possessor ex literis apostolicis expeditis 1808 fuit Cardinalis Erskin. Rebus pontificiae ditionis per ea tempora exturbatis regnoque italico composito omnia hujus abbatiae bona publico aerario vulgo demanio subjecta fuere. Pace reddita et s. m. Pio VII. in sedem honoris sui restituto rev. Camera apostolica possessionem bonorum omnium ejusdem abbatiae adepta est et retinuit usque ad annum 1829. Quo anno Emus Cardinalis Mattei tunc pontificii aerarii praefectus summo Pontifice Pio VIII. auctorante nomine R. C. apostolicae ipsius abbatiae omnia et singula bona ven. ordini Monachorum Cisterciensium in dotationis supplementum attribuit.

Inter abbatiae onera ex natura rei ac antecessorum exemplo existimans hodiernus Episcopus Aesinus recenseri etiam taxam in seminarii dioecesani subsidium et cathedraticum Episcopo Aesino persolvendum non omisit utriusque oneris solutionem exposcere a monachis ordinis Cisterciensis, qui tamen ab iis persolvendis sese immunes reputantes quaestionem ad s. Congregationem deferendam censuerunt, ut quid juris sit certo innotescat.

Tam Episcopus quem ut moris est super quaestione informationem ac votum rogavi quam procurator generalis ordinis suas quisque transmiserunt relationes in quibus sive quae facti sive quae juris sunt cumulatissime pertractantur. Operae itaque pretium duco illas heic ex integro transcribere, ut quid consilii in re capiendum sit probe judicent EE. PP.

Emus itaque Episcopus praeprimis in facto haec adnotat: »Quod spectat ad taxam seminarii eam solutam fuisse usque 1655 edocent dioecesana synodus a Cardinale Petruccio Episcopo Aesino 1695 celebrata et decretum 19. Jan. 1686 editum ab ista s. Congregatione Tridentinarum sanctionum interprete ac vindice. Atque heic refert sanctionem synodi qua taxae solutio beneficiis dioecesis imponitur vel imposita augetur, quae inter abbatia s. Sixti enumeratur. Item cit. decretum s. Congregationis taxae solutionem demandat ad supplicem seminarii libellum.

Quum autem (persequitur) defunctus Cardinalis Ostini Aesinae ecclesiae Episcopus animadverteret taxam ipsam in seminarii subsidium ab omnibus Aesinae dioecesis beneficiis minime persolvi et illam quae tunc pendebatur imparem omnino esse angustiis sublevandis in quibus seminarium versabatur, rebus omnibus mature perpensis adhibitisque in consilium ejusdem dioecesani seminarii deputatis decrevit ab omnibus Aesinae dioecesis beneficiis taxam eidem seminario numerata pecunia inposterum esse solvendam. Ex quo decreto evenit ut commemorata s. Sixti abbatia ipsi seminario summam annuam scut. duodecim persolvere teneretur.

Ad cathedraticum vero quod attinet, quum injuria temporum et vicissitudinum deperditi fuerint veteris administrationis libri satis sit testimonium hodierni mensae episcopalis administri declarantis ex ipsius mensae gestione comperiri emphiteutam bonorum ad ipsam s. Sixti abbatiam pertinentium cathedraticum solvisse Episcopis Aesinis Cardinalibus cl. mem. Tiberi et Ostini necnon Emo Corsi ipsius Ostini successori, qui tamen cathedratici summam quae in libro redditiuum mensae episcopalis persoluta apparebat, eundem Claravallensi coenobio hodieruo abbatiae possessori eleemosynae titulo reddebat, quod inposterum se peracturum promisit ea tamen lege ut nullum exinde suis successoribus illatum censeretur praejudicium.

Narrat inde se cum primum Episcopus Aesinus renunciatus fuit omne studium, curam et cogitationem in seminarium convertisse, ex quo unice pendere cognovit sacram Aesinae dioecesis conditionem, in qua messis quidem multa, operarii autem pauci. Quumque vehementer, ut inquit, angeretur ex seminarii ipsius tenuitate redditiuum in tanta praesertim annonae charitate, id unum superesse facile intellexit, ut ad taxae super beneficiis imponendae remedium confugeret. Hinc facultatibus utens a Concilio Trid. et s. m. Benedicti XIII. constitutione quae incipit »Creditae Nobis« omnibus Episcopis tributis duobus ex cathedralis ecclesiae Canonicis, totidem a clero civitatis spectatis viris in consilium accitis mandavit, ut taxa scutat. quatuor pro singulis centenis et annis ab omnibus dioecesis beneficiis penderetur mensa episcopali ceteros exemplo praeeunte. Atque hinc quaestionis praesentis origo.

Porro hisce in facto praemissis haec in jure edisserit:

Illud inprimis quoad taxam seminario per-

*) Vd. *t. II. p. 803. n. 87.*

solvendam animadvertendum duco, Concilium Trid. cui tam pia tam sancta debetur seminariorum institutio ad collegii fabricam instituendam et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam et ad alendam juventutem et ad alios sumptus necessarios perferendos, si in eam rem haud pares praesto essent designati redditus, illud omnino remedium Episcopis adhibendum mandasse, ut ex fructibus integris mensae episcopalis, capituli et beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiamsi jurispatronatus cujusvis fuerint, partem aliquam vel portionem detraherent eamque collegio applicarent et incorporarent. Cui quidem Tridentini Concilii sanctioni concinnit providentissima Benedicti XIII. constitutio cujus initium: »Credite Nobis« qua statutum sit ut tam pro erectione novi seminarii quam pro supplemento reddituum seminarii jam erecti taxa conficeretur, quae juxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutatorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii et si necessitas urgeat augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenaria, ita ut nunquam minor tribus scutis neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario et anno atque huic taxae omnia et singula beneficia subjici et ad illius solutionem perpetuo teneri decrevit.

Quod onus abbatiae s. Sixti jam a vetere tempore fuisse impositum nos edocent supra relatum decretum istius s. Congregationis anno 1686, dioecesana synodus Cardinalis Petrucci anno 1695 et nuperrima decreta ab Aesinis Episcopis evulgata.

Atque hic frustra objiceretur taxam ipsam per plures annos non fuisse revera persolutam. Etenim ubinam titulus, actuum frequentia et tempus ad praescribendum et ad observantiam inducendam plane necessaria? Si qua forte invaluisset anteactis temporibus consuetudo ac praescriptio, haec bono seminarii juri officere nunquam potest. Etenim Trid. synodus edixit, ut ad eam fructuum portionem exsolvendam omnes beneficiorum possessores ab Episcopo loci compellerentur, quibusvis privilegiis, exemptionibus, consuetudine etiam immemorabili non obstantibus. Scitum autem est irritas ac inanes esse consuetudines, quae leges aliquas in iisdem Tridentinae synodi capitibus contentas violent, prout docet Benedictus XIV. *Instit. eccl. 60. n. 7.* ac late disserit *Pitonius de controv. patron. alleg. 5, Card. Petra ad constit. 4. Callixiti III. sect. 2. n. 14. t. 5* et adnotat s. Congreg. Concilii in *Bovinen. Jurium parochialium 27. Maji 1820. §.: Animadvertendum* ac in *Ariminen. et Caesenaten. Juris quaestuandi 25. Feb. 1826. §: Consuetudo.* Profecto s. Congregatio nihili faciens consuetudinem etiam centenariam qua innittebantur nonnulli beneficiarii, eos ad taxam seminarii praebendam omnino obstrictos et beneficiarios et beneficia hactenus non taxata similiter taxanda esse pluries respondit ac potissimum in *Veliterna Taxae seminarii 24. April. 1723,*)* in *Romana Taxae seminarii 19. Julii 1732,* in *Terracinen seu Setina Taxae 9. Sept. 1752 ad 3. dub.* et in alia *Veliterna Taxae seminarii 16. Martii 1771. §.: Neque.*

Unicum effugium igitur remanet Monachis ordinis Cisterciensium in concessione bonorum hujus s. Sixti abbatiae ipsi facta a pontificii aerarii praefecto anno 1828 ex qua putant immunes ipsos esse debere ab hujusmodi taxae solutione. Jam vero cum dubitari non possit de ecclesiastica hujus beneficii institutione demonstrandum ipsis esset ss. Pontificem in praefata bonorum concessione vel ecclesiasticam hujus beneficii delevisse conditionem vel saltem indulsisse, ut ipsius beneficii bona a taxa seminario persolvenda essent inposterum exempta. Etenim Benedictus XIII. in pluries citata constitutione »Creditae Nobis« declaravit ab ea exemptos esse debere regulares pro iis tantum beneficiis et fructibus, quorum ratione ipsis apostolica Sedes diserte ac expresse et ex causa vere et proprie onerosa indulsit, ut ab onere taxae seminarii exempti sint. Jam vero nihil certe faciendum est italici Gubernii decretum quod abbatiae s. Sisti bona demanio subjecit nec officit defectus institutionis hujus taxae favore seminarii, ex eo quod insinuationem lex debita bonis infixa tantum respiceret et taxa pro seminario non sit debitum sed onus beneficiorum ecclesiasticorum naturae inhaerens.

Nullum praeterea extat pontificium decretum, ex quo demonstrari possit hujus ecclesiastici beneficii suppressio, neque instrumentum concessionis bonorum monachos exemit a taxae solutione. Imo vero instrumentum confirmasse taxam ipsam videtur.

*) Vd. *Seminaristicum.*

Atque ita procul dubio visum est Cardinali Episcopo Ostini qui supra relato decreto anni 1840 edixit ut ex his bonis taxa seminario penderetur in scutata duodecim annua. Imo visum idipsum est ipsis monachis, qui post publicatum Ostini Cardinalis decretum nullam emiserunt protestationem.

Itaque quocumque se vertant monachi Cistercienses taxae praestationem effugere non posse existimarem, donec seminarium dioecesanum eo augeretur censu qui nedum ad fabricae tuitionem et ad magistrorum famulorumque mercedem sed etiam ad egentium alumnorum alimoniam ex decreto Concilii Trid. sufficere deprehendatur.

Quod autem de taxa seminario persolvenda hactenus dictum est, idem dicendum existimo de cathedratico, quod ut verbis utar Concilii romani *tit. VIII. cap. IV.* jus est inter cetera episcopalia ita privilegiatum ut neque ab Episcopo in totum remitti nec a quoquam valeat quocumque titulo, etiam immemorabili consuetudine praescribi. Hac tamen in re diu non immorabor, ne in causa propria patronus agere videar ex animo fretus s. Congregationis sapientiae et justitiae, cujus judicio utriusque rei solutionem reverenter submitto, nunquam perteritus quidquid ab eadem fuerit definitum.

Haec quae Emus Episcopus in sua relatione edisserit pluribus allatis auctoritatibus confirmat in scripta mihi exhibita allegatione ejus procurator, ac quoad jus cathedraticum exigendi praesertim allegat hujus s. Congregationis auctoritatem in *Nucerina Cathedratici 14. Mart. 1840.*)* ubi pariter docetur cathedraticum inter alia jura adeo privilegiatum esse, ut neque ullo titulo etiam immemorabili consuetudine praescribi queat neque in generali dispositione comprehendatur ita ut ab ejus solutione liberatio nunquam apostolicis constitutionibus et privilegiis impertita censeatur, nisi de ea expressa mentio facta fuerit, et concluditur explorati juris est monasteria quae ceteroquin a cathedratico immunia sunt ejus solutioni esse obnoxia pro beneficiis sibi unitis. **)

Ex altera parte procurator generalis ordinis Cisterciensis contra haec rationum momenta haec in facto et in jure primo perpendit:

*) Vd. *Cathedrat.* (a capellaniis etc. p. 874.)
**) Vd. *p. 867. n. 5.*

Olim abbatia s. Sixti intra dioecesim Aesinam ab origine fuit in fundatione monastica seu beneficium titulo ut vocant regulare, postea etiam commendatum Abbati ante hoc saeculum. Ex perversione omnis divini juris et humani tempore gallici regiminis in confiscationem dominii imperialis cum ceteris ecclesiasticis bonis pertransiit. Restituto pontificio regimine a tempore s. m. Pii VII. coeptum est iterum reintegrare regulares familias in legitimis bonis vel alia ex illo manso bonorum in fiscum collatorem et eorum favore dotationis vel compensationis subrogare titulo oneroso nulla imposita neque retenta aut assignata bonis ipsis natura aut titulo beneficii. Ita sane cum monachis Cisterciensibus loci Claravallis contigit. Etenim ut liquet ex instrumento firmato a thesaurario generali bona olim abbatiae s. Sixti titulo oneroso assignabantur monachis et ut patet ex causis relatis et ex tabella adnexa in substitutionem census et in compensationem summae quanti minoris data erat in aestimatione agrorum, pro pensione singulorum religiosorum ad claustra reversorum, pro expensis cultus, fabricae et similium. Assignatio facta est his titulis et nullo alio beneficiali.

Cum petitio hodierna ex parte cathedrae Aesinae et seminarii omni careat praecedenti exemplo, hodie contra meos monachos urgetur pro solutione taxae cathedratici et seminarii. At qua par est reverentia mei animi sensus requisitus pandendo cum vindicia ss. canonum ad neutrum ex petitis religiosos adstringi posse consulto ostendere confido.

Nam quoad cathedraticum primo nulla affertur in Episcopi voto ratio canonica quae regulares meos ad cathedraticum suadeat; ait enim hoc tantum: »Cathedraticum esse ita privilegiatum ut nequeat remitti neque valeat quocumque titulo praescribi.«

Obsequenter animadversis breviter per Antistitem reponimus hic non de remissione, non de praescriptione sermonem esse praecipuum sed vero an debeatur ex bonis monasticis, ab ecclesia regulari sive supposita contra veritatem facti et instrumenti existentiae tituli abbatialis, an debeatur ex beneficio ex sui origine et fundatione semper regulari, quae beneficia unice commendantur. Commenda non mutat statum et naturam beneficii, ut cum *de Luca tract. de benefic. et jurisd.* firmat *Rota dec. 317. par. 17. recent.* et apud *de Rubeis* verbo: »Commenda.«

Cathedraticum non potest intrare nisi sit onus reale et nativum de jure infixum ipsis rebus seu beneficiis a sui primaeva erectione et fundatione. Principium certum est conclusum per *Rotam coram Coccino decis. 1274.* penes *Piton. disc. eccl. 35. n. 18.* In casu non intrat neque ratione rei neque ratione ecclesiae neque ratione personarum. Non intrat ratione rei quia

1. bona hodie libere tradita sunt non titulo beneficiali extincto oneroso dotationis, subrogationis, compensationis aliorum bonorum non beneficialium,

2. quia dato etiam et non concesso quod permaneret titulus, ab origine fuit beneficium monasticum in sua fundatione et non jam beneficium saeculare regularibus unitum.*) Beneficia monastica sunt exempta ex dispositione juris a cathedratico, *Benedict. XIV. de synod. lib. V. cap. VII. n. 3.* Consulto diximus: ab ecclesiis et beneficiariis saecularibus persolvendum, quoniam ecclesiae regulares gaudent exemptione a synodatico persolvendo, *text. Canc. inter cetera caus. 10. qu. 3*, *Barbosa de off. et pot. Episc.*: »Aliud est de ecclesiis, capellis, parochiis et titulis saecularibus regularium monasterio pleno jure unitis, a quibus esset Episcopo pensitandum, quia tunc non reperiuntur subtracti a lege dioecesana.«

Neque intrat ratione ecclesiae, quae idem est ac titulus; nam Concilium rom. eod. *tit. 8. cap. 4.* ubi de praescriptione loquitur edicit: »Cathedraticum dumtaxat ab ecclesiis, non tamen regularium et a beneficiatis sibi subjectis exigatur.«

Non intrat ratione personarum ut firmat *Piton. discept. eccl. 35. n. 6.* Regulares de jure sunt exempti a cathedratico ut disponit *Conc. Bracharen.* relatum in *capite Placuit* et *Conc. inter cetera qu. 3,* ibi: Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis expensione sejunctis; et tradunt *Barbosa alleg. 80. de potest. Episcop.*, *Antonell. de jur. et oner. cleric.*, *Lotter de re beneficiaria lib. 1. qu. 21. n. 53*, *Barbosa item in jure eccles. lib. 3. cap. 20. n. 9.* et *Rota coram Merlino decis. 902. n. 2.* quae est confirmatoria decisionis Coccini. Exemptio enim ecclesiae regularis est literalis exemptio a cathedratico, quod nihil aliud est, neque vocatur ac definitur quam »census debitus Episcopo in signum subjectionis, ut fatetur *Rota coram Coccina decis. 1274.* ex *gloss. in cap. Olim de censibus.*

Nullo ergo pacto probatur contra monachos jus exigendi cathedraticum sive ratione personarum sive ecclesiae aut tituli, *Bened. XIV. loc. cit. n. 76.* Hic nulla remissio vel praescriptio intrat, quia numquam intravit jus Episcopi, numquam titulus petendi aut tempus exercitae solutionis aut bona fides in praescribendo contra jus expressum favore regularium, hic etsi ageretur de praescriptione ista retorqueretur, quia res est inter Episcopum et non subditos sed exemptos monachos, quare in ipsa observantia nunquam soluti cathedratici quocumque tempore, initio uti a commenda regulari et postmodum in bonis alimoniae, plurimum facit tum via interpretativa tum etiam, si opus fuisset, contra jus via praescriptiva, dum tamen illud »contra jus« verificatur de petente cathedraticum a regularibus.

Haec subjicienda justitiae s. C. quoad cathedraticum et exemptionem monachorum breviter adnotari ad taxam seminarii transiturus.

Mitto enim appositionem hujus taxae esse quidem ex lege subsidiariam, ita ut non intret ubi non satis constet de pauperie seminarii, mitto hic contingentias, graves quidem, ut cuique videntur, temporum, dum ipsa pauperies urget oneribus religiosas familias et praesertim illam Claravallensem. Quod ex lege est solet in themate pro taxa afferre Concilium Trid. *sess. 23. cap. 8.* et constitutio Benedicti XIII. »Creditae Nobis« ex Concilio romano pro Italia, ubi legitur: »Episcopi ex fructibus mensae episcopalis et capituli et quarumcumque dignitatum, praebendarum, portionum, abbatiarum, prioratuum, hospitalium et regularium quae dantur in titulum seu administrationem, exceptis mendicantibus et docentium collegiis .... partem aliquam detrahent.« Ex his arguit Emus Antistes Aesinus, bona olim abbatiae s. Xisti subjecta esse taxae relato s. C. uno decreto anni 1680 in quo non pro abbatia s. Xisti sed pro aliis beneficiis saecularibus unitis et non extinctis edictum est nisi doceant de exemptione contribuere compelli, et ex synodo Petrucci anni 1695 super taxa in genere. Sed bona venia concessum sit ponderando subjicere rescriptum illud Concilii et Synodum

*) Vd. *t. II. p. 1010. II.*

non praecise loqui de abbatia s. Xisti cui onus fuerit impositum, eo vel magis quia alio titulo quam beneficii data bona fuerunt Claravallensibus. Etsi expressis verbis comprehenderet, notandum est, neque de eo anno usque ad praesentem unquam fuisse subjectum taxae, vel quia non imposita vel quia monachi et commendatarius exempti ad haec usque tempora. Etenim ordinem et gradum esse servandum, ut scilicet primo experiatur an taxa sufficiens sit super mensa, capitulis, beneficiis saecularibus, locis piis et clero saeculari necnon ex praevia unione beneficiorum quae vacaverint antequam ad regulares descendatur, docent s. Congregatio Concilii in *Asculana Taxae 5. Julii 1749* et *Rota apud Panimoll. decis. 27*, *Riganti* et *Ferraris* verbo: »Seminarium« *n. 18.*, ibidem: »Ubi pro seminario bona non sufficiunt debet Episcopus primo ex mensa contribuere, postea capitulum et deinde beneficiatos suo exemplo compellere.« Sic de mente Concilii ut refert *Barbosa*, *Pignatell.*, Monacell. et alii passim.

A tot saeculis existit seminarium Aesinum sine hac extensione taxae ad monachos: non constito de insufficientia remedii ex unione beneficiorum simplicium quae debent praecedere: siquidem in odiosis stricte applicationem juris constituti per gradus fieri debere docet *Reiffenst. ad juris canonici regul. 38.*, cum aliis.

Quod vero dicitur in materia praescriptionis taxam non esse praescriptibilem sive ostensa centenaria seu ut in casu immemorabili a fundatione, quia nullus affertur casus contrarius solutionis, non bene fundari probatio universaliter videtur in illo effato a Pitonio sumpto post Concilium Trid. non posse alligari contenariam, quia Concilium munitur decreto irritanti ex constit. s. Pii V., quia hoc effatum non valet quando resisteret libertas fundationis tituli ante Concilium et libertas tractus successivi, eo quia consentiunt omnes et ipse allatus ex adverso *Piton.* eadem *allegat. 5. n. 7. de controv. patr.*, »quod quia Concilium non derogavit legibus fundationis ita censeri etiam non denegasse anteriori centenariae, quae praesumendo meliorem titulum de mundo praesumit etiam ipsam legem fundationis: hanc autem desumi posse inspecto utroque tempore tum ante quam post Concilium.« Scio quidem anteriorem fuisse abbatiam quam seminarium erectum in fine saeculi XVI. Sed a decreto Concilii ad annum 1686 jam adest centenaria sine taxae soiutione, ab hoc anno ad haec tempora fere ad annos bis centum nunquam abbates et monachi subjecti taxae: dum tamen quibusdam annis haec taxa imposita fuit, nec tamen in hoc olim titulo persoluta. Quare etsi legantur conservata onera quae impendebant Commendatario, non tamen ex adverso probatur inter haec onera adfuisse illud taxae pro seminario.

Quidquid vero de hac materia praescriptionis concludendum videretur, ex parte monachorum duo praecipue urgent, scilicet, hodie eos non possidere abbatiam in titulum sed bona titulo oneroso, quia titulus beneficialis extinctus est, et quia paupertas aggravatis oneribus ita urget ad defectum necessariae substentationis. Bona suppressae abbatiae non titulo abbatiali aut beneficii extincti auctoritate Pontificis concedentis tradita sunt sed titulo oneroso, cultus alimentorum stricte taxatorum ad exulem individuam subsistentiam in annuis scut. 64, aeris alieni dimittendi et compensationis bonorum et crediti liberi seu census, cujus loco fuerunt bona sine titulo beneficiali subrogata. Delevit in concessione aperte Pontifex ecclesiasticam beneficii naturam.

Supposito ad abundantiam titulo beneficii existente jam vero ipsa lex Tridentina repetita et confirmata in constitutione »Creditae Nobis« concedit, ut exempta ea bona iique fructus atque ea beneficia censeantur, quorum ratione ipsis regularibus apostolica Sedes indulsit directe, ut ex causa vere et proprie onerosa sub onere taxae pro seminario exempti sint.

Quaero reverenter an major titulus onerosus pro his bonis olim abbatiae ostendi queat et ubi accipienda vel reservata taxa praesumenda ex his fructibus sit pro seminario? Si ergo ita instrumento stipulatum utique stipulatum cum suppressione tituli sine taxa vel indeclinabiliter titulo oneroso, qui eximit ex lege, quia ne obolus quidem ultra causam onerosam superest: imo videtur, aperte inter onera olim Abbatis non fuisse taxam et ab hac Pontificem omni modo exemisse quia publico instrumento testamentum a Superiore thesaurario Pontificis de voluntate concedentis sine onere taxae, quia nihil ultra causam onerosam supererat.

Quod si haec pensitanda subjiciuntur de

tempore concessionis, quid addendum superesse ad praesentem monasticam egestatem, ut adauctis ex necessitate taxis directis in latifundiis, municipalibus, provincialibus, ecclesiasticis seu cleri deficiat, et non mentior, quotidiana alimonia, victus et vestitus, ita ut ex subsidiis ordinis illa monastica Congregatio vivat, quod documentis ostendam evidentibus ex actis Congregationis a plurimis annis.

Valde ergo, ut sapientissime ponderavit nuper ss. Pontifex Pius VII. in *Urbinaten. Taxae seminarii* penes s. Congregationem, immutata est conditio oeconomica et subsistentia a tempore conditae legis sive Tridentinae sive constitutionis »Creditae Nobis«. Hodie ex repristinatione, post demanium, ordinum regularium bona non suppetunt, nec aliquid ultra miseram vitam superest: quippe monasteria et praesertim hoc nostrum dotata non sunt nisi ad taxam bucellae panis; quod si quidquam detrahatur alimonia quotidiana deficit ad limites necessaria propriae conservationis de jure naturae. Hoc extremum seu maxime ponderabile ita certum est quam certissimum; videmus enim benigne contemplatum a s. Congregatione in annis et temporibus felicioribus cum altero motivo quod in monasteriis adsit aequipollens seminarium in studiis: unde docentes exempti ex altero capite legis Tridentinae, ut refert *Card. de Luca disc. 25. in adnot. ad Concilium Trid.*: »Raro autem aut vix praxis docet istam contributionem monasteriis vel conventibus divitiis licet affluentibus demandare quoniam pro vitae spiritualis et cultus tuitione ipsarumque literarum doctrina nimium proficere solent regularium monasteria, cum in hujusmodi monasteriis fundari solent studia, quae licet regularium profectu specialiter destinata, adhuc tamen quaedam aequipollens seminarii species adesse videtur: et sic dicta ratio exemptionis in ipsismet verificetur.« Et eadem repetit *disc. n. 3*: Exempta sunt a taxa regularium monasteria vel conventus, licet illa tradita in commendam, in quibus religiosi actu vivunt, eo magis si omnes redditus in necessarios religiosorum usus ejusdemque religionis taxas et collectas convertantur, et etiam exempta sunt monasteria monialium ex ea congrua ratione, quod nihil detractis oneribus necessariis superest, dum in monasteriis actualibus Italiae et tot religiosi assignari solent, quot ibi sustentari valeant (praecise ut egerunt Pius VII. et Leo XII.) cum quadam verisimili taxa (scutor. 64) unde propterea nihil superest. Idcirco si de illis regularibus agatur, in quibus mensa religiosorum est distincta a commendatarii pinguibus bonis, tum non intrat contributio religiosorum.

Quibus utrimque perpensis definient EE. PP. quod proponitur

Dubium:

An sit locus solutioni taxae seminarii et cathedratici in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 28. Mart. 1857.

18) A Parochis solvendum.

Vd. *Cathedraticum* (beneficiis inhaeret p. 861; a Canon. parocho p. 871).

Amalphitana.

Renuentibus parochis ac beneficiatis terrae Tramontis annuum cathedratici censum Archiepiscopo Amalphitano persolvere eminent. PP. s. Congregationis ad quos definitio judicialis controversiae inde exortae delata fuerat sub diem *5. Sept. 1705* rescripsere: »Parochos ceterosque beneficiatos antedictos teneri quotannis solvere cathedraticum ad rationem carolenorum septem,« deindeque altera emergente subalterna quaestione: num scilicet idem cathedraticum esset solvendum pro »beneficiis parochiis unitis et a quo tempore?« die 26. Feb. 1707 censuerunt: »Solvendum esse ratione beneficiorum parochiis unitorum a die adeptae possessionis«. *)

Ejusmodi resolutionum praesidio suffultus Archiepiscopus coepit parochum quoque et Abbatem commendatarium**) parochialis ecclesiae s. Mariae oppidi Positani Joannem Baptistam Zolla aliosque ejusdem oppidi beneficiatos sub annum 1709 excitare, ut instar aliorum beneficiatorum terrae Tramontis cathedraticum sibi praestarent. At iis contendentibus ad petitam cathedratici solutionem compelli non posse tum quia praedicta parochialis et abbatialis ecclesia territorium a dioecesi Amalphitana distinctum ac separatum constitueret tum etiam quia antiquitus ad monachos Benedictinos pertineret adeoque, veluti presbyteris saecularibus simpliciter commendata pristinum regularem statum adhuc retinens tam a lege, ut ajunt, dioe-

*) Vd. *p. 867. n. 5.*

**) Vd. *p. 880. n. 17*; *p. 877. n. 14.*

cesana quam ab episcopali jurisdictione exempta censenda foret, debuit idem Archiepiscopus hujus pariter controversiae decisionem ab hoc sacro senatu deposcere, quam votis suis respondentem obtinuit. Rejecta quippe instantia parochi postulantis literas, quas remissoriales vocant, ad effectum probandi assertum territorium separatum, die 6. Julii 1709 resolutum fuit: »eumdem parochum et beneficiatos dicti oppidi Positani teneri ad solutionem cathedratici ad formam decretorum, quae in alia simili causa superius relata prodierant«.

Dignentur itaque EE. VV. decernere dubium:

An ab Abbate ecclesiae s. Mariae terrae Positani debeatur cathedraticum Archiepiscopo Amalphitano in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 24. Jan. et 14. Mart. 1739.

19) Quod et quantum?

Cassanen.

Vd. *Cathedrat.* (jus Episcopi p. 878.); vd. supra n. 2 — 5; p. 870. n. 6.

Cum ss. Pontifex Benedictus XIII. in recenti Concilio rom. *tit. 8. cap. 4.* post imperatam solutionem cathedratici ita statuerit: »Quod si forte aliquid sub alio vel fixorum munerum vel xeniorum nomine offeratur decernimus, ut ab Episcopis, tamquam qui non praemium sed honorem postulant, munera et xenia recusentur hujusmodi.« Episcopus Cassanensis synodicae huic sanctioni obsequutus sub annum 1733 edicto praecepit ut abolita imposterum consuetudine, juxta quam a capitulo cathedralis ecclesiae duodecim ducati sub nomine strenae quotannis Episcopo tradebantur, singuli Canonici et beneficiati civitatis Cassani ad normam memorati Concilii romani et deretorum s. Congregationis cathedraticum persolverent statutoque illis termino dierum sex ad comparendum pro stabilienda taxa pollicitus fuit in eodem edicto vigintiquatuor ducatos sub titulo enunciatae strenae praeteritis annis receptos restituere.

Adversus hoc edictum reclamarunt praetati Canonici et beneficiati contendentes ex triplici potissimum capite ad solutionem cathedratici non teneri, primo, quia nunquam illud persolverint, secundo, quia praestari debeat solum in casu, quo synodus ab Episcopo hactenus non coacta celebretur, et tertio quia veluti subsidiarum quoddam vectigal solvendum minime sit Praesuli annuis episcopalis mensae redditibus abunde proviso.

At auditus Episcopus licet in facto non controvertat antiquam sedis illius consuetudinem non exigendi cathedraticum minusque inficietur, se hucusque synodum haud celebrasse mensaeque episcopalis redditus, quamquam non adeo pingues, uti a Canonicis et beneficiatis exaggerantur, congruae suae sustentationi sufficere posse, ea tamen omnia putat in jure nihil obesse quominus cathedraticum sibi debeatur. Quocirca ad ejus petitionem duo infrascripta dubia in hodierno consessu proponuntur.

Sane jus cathedratici nulla consuetudine quantumvis immemorabili praescribi posse, nedum expresse declaravit in loco allegato praefatum Concilium rom., sed pluries etiam s. Congregatio tam ante dictum Concilium in *Lavellen. 18. Aprilis 1693.* et *6. Julii ejusdem anni* et in *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.**) quam deinde post illud in *Asculana Cathedratici die 29. Aprilis 1731* et nuperrime in *Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734.***)

Iteratis pariter hujus s. Congregationis resolutionibus decisum fuit cathedraticum singulis annis solvendum esse in *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.* et *26. Februarii 1707.* illudque tum ad praescriptum in dicto Concilio rom. tum per textus expressos in *can.: Placuit*, in *can.: Illud te 4. quaest. 7*, in *cap.: Conquerente 16. de offic. Ordin.*, in *cap.: Pastoralis 7. de Donat.* et in *cap.: Olim de censib.* non in Episcopi subsidium sed in signum subjectionis et honoris cathedrae pontificali deberi dictum est in *Messanen. 2. Octobris 1587*, in *Turonen. 26. Novembris ejusdem anni*, in *Reatina 5. Martii 1590.* et in *Cathacen. 21. Maji 1644.*

Ejusdem vero cathedratici summa taxata reperitur a praecitatis ss. canonibus in duobus solidis, quos viginti juliorum aestimationem aequare perhibet Concilium romanum ea tamen subinde adjecta lege ut in illo exigendo salvae forent consuetudines ecclesiis et Episcopis magis favorabiles.

*) Vd. *p. 886.*

**) Vd. *infra p. 888.*

Ex his igitur ad decisionem utriusque dubii spectantibus pronunciandum est:

I. *An sit locus solutioni cathedratici?*

Et quatenus affirmative,

II. *In qua quantitate sit solvendum a capitulo Cathedralis, Canonicis et beneficiatis civitatis Cassani in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Solvendum esse juxta taxam praescriptam in Concilio rom. et amplius.

Die 21. Maji 1735.

Sancti Marci.

(Conc. Tr. c. 3. sess. 24. de refor.)

Ad instantiam cleri saecularis Terrae Belvederii petentis moderari nonnullas excessivas exactiones, qui dicebantur fieri per Episcopum tam ratione procurationis quam sub praetextu cathedratici, octo dubia fuerunt proposita et resoluta, quorum duobus ultimis, nempe

VII: *An Episcopus possit annuatim exigere a singulis sacerdotibus carolenos sex, videlicet tres in festivitatibus natalitiis et reliquos tres in solemnitatibus Paschatis Resurrectionis ratione praetensi cathedratici?*

VIII: *An indebite exacta sint restituenda et cui?*

S. Congr. die 7. Julii proxime effluxi 1708 respondit

Ad VII: *Negative;*

Ad VIII: *Affirmative prout de jure.*

Non acquiescens hujusmodi resolutionibus Episcopus adversus eas noviter audiri obtinuit. Quare hodie partibus monitis proponitur EE. VV. consuetum dubium ex deducendis resolvendum:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis sub die 7. Julii 1708 in casu etc.?

S. C. C. resp.

Ad 1 (VII.): In Decisis;

Ad 2 (VIII.): Non esse restituenda exacta quoad praetensum cathedraticum. In reliquis in decisis et amplius.

Die 13. Apr. 1709.

Ad dub. 1: An Episcopus s. Marci possit exigere a quocunque sacerdote suae dioecesis carolenos sex quolibet anno ratione cathedratici seu canonicae?

Et quatenus negative,

2: An Episcopo debeatur cathedraticum et in qua summa quolibet anno?

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative et detur decr. in s. Marci 7. Julii 1708:

Ad 2: Dilata.

Die 16. Jan. 1723.

Maceraten.

(Conc. Tr. c. 3. s. 24. de ref.)

Cum in Concilio rom. 1725. *tit. 8. cap. 4.* redintegratae fuerint veteres juris canonici sanctiones de cathedratico Episcopis solvendo Episcopus Maceratensis credidit jus sibi esse illud exigendi universim a singulis ecclesiis ac beneficiis sibi subjectis. At contradictores sese praebentibus confraternitate s. Antonii Abbatis terrae Montis Miloni, clero et capitulo Tolentini necnon monasterio s. Agnetis et ecclesiis pacis et crucis coactus fuit jura sua deducere in Congregatione particulari habita die 29. Aprilis 1731, ubi propositis tribus hisce dubiis

1. *An cathedraticum debeatur et in qua summa?*

Et quatenus affirmative,

2. *An ad illius solutionem teneantur etiam capellaniae laicales et ad nutum amovibiles?*

3. *An et quomodo sit procedendum in ejus executione?*

Obtinuit rescribi

Ad 1: Affirmative ad formam synodi provincialis.

Ad 2: Negative.

Ad 3: Ad mentem, quae fuit, ut scriberetur encyclica juxta instructionem.

Facta autem reclamantibus adversus hanc resolutionem facultate iterum de suo jure experiendi eo tamen addito, quod societas erecta in ecclesia s. Antonii jura sua deduceret, praeter motivum ejus situationis in solo Lateranensi, postmodum ex decreto D. Cardinalis Proauditoris Sanctissimi causa remissa fuit ad s. Congregationem, in qua modo praecedens decisio favore Episcopi edita ad trutinam est revocanda.

Porro quod attinet ad societatem, quae nuncupatur *la Compagnia di s. Antonio del Suffragio*, nititur haec solutione cathedratici sese eximere triplici fundamento: I: quod sit confraternitas *) mere laicalis et quidem ob ejus inopiam impar huic oneri sustinendo, II: quod ab immemorabili tempore reperiatur in possessione pacifica non solvendi, III: quod sita sit in solo Lateranensi adeoque tamquam exempta a jurisdictione episcopali nequeat oneri solvendi cathedraticum subjici.

At Episcopus inquit, se petere cathedraticum a confraternitate ratione ecclesiae s. Antonii, cui unita fuit.

Ob ejusmodi autem uniones cum beneficiis seu ecclesiis exigi posse cathedraticum alias declaravit s. Congregatio in *Cathacen. 21. Maji 1644.* et in *Amalphitana Cathedratici 26. Februarii 1707.*

Praeterea contendit cathedraticum uti reservatum in signum jurisdictionis et cathedrae honorem nulla praescriptione quantumvis immemorabili potuisse tolli juxta sancita per Concil. rom. *tit. 8. cap. 4.*, ibi: »Jus sane inter caetera episcopalia ita privilegiatum ut neque ab Episcopis in totum remitti nec a quoque valeat quocumque titulo vel immemorabili consuetudine praescribi«. Quod quidem conforme videtur decretis alias editis a s. Congregatione in *Lavellen 18. Aprilis 1693.* et *6. Junii* ejusdem anni, ubi proposito dubio: An cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante asserta immemorabili **) in contrarium? responsum fuit: Deberi ad formam juris, et in *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.*

Subindeque consentanee ad haec decisum fuit in Congregatione particulari deputata super cathedraticis die *29. Aprilis 1731.*: ***) »Cathedraticum deberi ab ecclesia cathedrali Asculana aliisque existentibus in centenaria possessione non solvendi.« Et demum quoad situationem in solo Lateranensi opponit non probari, quod ecclesia s. Antonii sita et erecta fuerit in solo ante renovationem privilegiorum Basilicae Lateranensis a Xisto V. factam, ut requiritur pro asserendo exemptionis privilegio juxta constitutionem dicti Pontificis in ordine la 19. bullar. *t. 2. pag. 513.*, minusque doceri, quod solum, in quo sita est ecclesia praedicta, ante ejus erectionem pertinuerit ecclesiae Lateranensi, quod pariter ad exemptionis privilegium requiri dixit *Rot. dec. 228. n. 5. et seq. dec. 260. cor. Emerix Jun.* et in *Squillacen. Jurisdictionis super bono jure 7. Junii 1723. cor. Lanceta*, sed ubi etiam haec probarentur nullius tandem momenti esse in hypothesi, quia situatio in solo Lateranensi non tribuit exemptionem a cathedratico ad firmata per *Card. de Luca de Jurisd. disc. 38. per tot.*

Circa exemptionem quam sibi asserit monasterium *) s. Agnetis notandum est, quod, tametsi regulares non teneantur solvere cathedraticum de monasteriis eorumque ecclesiis, ubi ipsi Divina peragunt, juxta *text. in can.: Inter caetera 8. 10. 9. 3.*, ibi: »Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione exemptis,« et tradunt *Anaclet., Reiffenstuel. in jus can. lib. 3. tit. 39. §. 1. n. 12, Engel. cod. loc. n. 6, Barbos. lib. 3. jur. eccles. univers. cap. 20. n. 11.* et cum aliis *Piton. discept. eccles. 35. num. 6. t. 2.*, attamen, quod illud solvere teneantur de ecclesiis, beneficiis, capellis et parochialibus secularibus, quibus praesunt, etiamsi monasteriis eorum pleno jure sint incorporatae, tradunt *Abb. in cap.: Conquerente de censib. num. 1,* ibique *Ancharan. num. 5, Fagnan. num. 10. et 43* et *Reiffenstuel. loc. cit. num. 13.*

Praecipua demum oppositio cleri Tolentini in eo residens, quod mensa episcopalis sit dives et opulenta, removeri praetenditur, ex quo cathedraticum praestatur in honorem cathedrae, non autem in Episcopi subsidium. Sique illud postulatur etiam ab ecclesia rurali s. Rocchi et ab altera ecclesia crucis et pacis Montis Miloni, id sibi debitum ait Episcopus ab ipsis ecclesiis utpote congrua dote instructis, minime vero ratione capellaniarum laicalium ibi erectarum, quas ipse non vexat.

Quatenus ergo cathedraticum debeatur putat Episcopus deberi in summa a synodo provinciali statuta. Ex ss. enim canonibus taxatum reperitur in duobus solidis, ut ex *can.: Placuit, can.: Illud te, can. fin. 10. qu. 3.* et in *cap.: Conquerente de offic. Judic. Ordin.* Hos autem duos solidos aequare aestimationem viginti juliorum inhaerendo sententiae plurium doctorum declaravit Concilium rom. *d. tit. 8. cap. 4.*, ubi in fine verba haec subjiciuntur: *Salvis consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus.* Unde cum nulla favorabilior ecclesiae consuetudo proferatur, standum sit provinciali

*) Vd. *p. 873: n. 9.*
**) Vd. *p. 876. n. 11.*
***) Vd. *p. 865. n. 4.*

*) Vd. *p. 880. n 17.*

synodo, quae in juliis viginti cathedraticum deberi sancivit.

His igitur aliisque juribus circumferendis serio ponderatis definiendum erit:

An et in qua summa debeatur cathedraticum in casu?

S. C. C. resp.: Deberi juxta taxam praescriptam in Concilio rom.

Die 8. Maji 1734.

Feretrana.

Dioecesanam synodum coacturus sub annum 1734. Feretranus Antistes permultas accepit parochorum querimonias, quod eorum ecclesiae quo minori copia reddituum essent instructae eo graviori premerentur onere census cathedratici, aliae vero plurimae longe opulentiores episcopali cathedrae parum aut nihil rependerent; indeque fere intolerabilis fieret ista cathedratici contributio, nisi redigeretur ad aequalitatem ac pro modo et quantitate redditnum uniuscujusque parochialis ecclesiae tradenda imposterum statueretur.

In hoc itaque non levis momenti negocio pretium operae censuit Episcopus s. Congregationis oraculum praestolari, quae, ut maturam deliberationem iniret, jussit illi primum, ut novam, quam ipse stabiliendam censeret, exigendi cathedratici rationem conficeret ac una cum vetere scripto adnotatam s. Congregationi transmitteret.

Manum ille operi admoverat, sed postea substitit advertens, magnam ex rei novitate inter eos, quorum interesset, commotionem facile orituram atque etiam perdificilem fore imperatam cathedratici partitionem ad exactissimam amussim. Verumtamen parochis qui de immodica pensitatione conquesti fuerant iterum atque iterum urgentibus ex nova s. Congregationis jussione taxam, quae a singulis parochialibus ecclesiis deinceps servanda foret, perfecit ac publicavit. At non pauci alii suae dioecesis parochi moleste ferentes antiquae taxae reformationem contra eam reclamarunt in precibus Sanctissimo D. N. porrectis, super quibus ad hoc supremum tribunal rejectis oportuit idcirco Feretranum Praesulem rursus sciscitari.

Hic itaque significavit, novam solvendi cathedratici praescriptionem denunciatam in synodo ac postea confectam a se fuisse secundum notulam ab unoquoque beneficiato de eorum redditibus sibi exhibitam atque auditis prius duobus cleri procuratoribus qui superfuerant ex quinque electis. Ex his autem duobus unum se excusatum haberi voluisse ob malam valetudinem, alterum vero nihil contra opposuisse.

Renunciavit praeterea se in veteri libro cui titulus est: »Taxa omnium beneficiorum episcopatus Feretrani sub annum 1566. conscripto et ad annum 1600. continuato« nuper comperiisse triplicis taxae distinctionem ex antiquioribus libris decerptam.

Prima inquit, »est in solidis quatuor pro qualibet plebania et in solidis duobus pro qualibet alia ecclesia et haec appellationem habet cathedratici, a quo nemo exemptus existit ob honorem et reverentiam cathedrae«.

Secunda »in solidis tribus cum dimidio pro qualibet libra extimae uniuscujusque ecclesiae et haec nuncupabatur collecta persolvenda ratione visitationis. Ad hanc quoque tenebantur omnes exceptis quibusdam ecclesiis, quae adnotantur pro exemptis«.

Tertia »nomen habet census et haec exigebatur nulla habita ratione ad libram, sed tantum in quo ipsa beneficia fuerant taxata vel in tritico vel in hordeo, spelta et similibus quae excepto tritico, hordeo et vino apparent appretiata et solvebantur in pecunia.«

Ab hoc postremo censu refert exempta reperiri pleraque ex ditioribus beneficiis, quo tamen jure incertum omnino esse. De Plebe vero Talamelli id speciatim adnotatum haberi, quod praeter certam pecuniae quantitatem ex causa cathedratici et visitationis solvendam quasdam pariter tribueret mensuras tritici et hordei illudque etiam »quod ex permutatione facta tempore rev. D. Celsi de quodam molendino dictae Plebis debet solvere solidos duos annuatim«. Sed id per errorem scriptum fuisse inquit, quum Molendinum quod unice possidet episcopalis mensa non Episcopus Celsus, sed longe pridem Episcopus de Claravallensibus a communitate Talamelli receperit »ad habendam exemptionem a livellis, quibus pleraque bona incolarum subjiciebantur, ut liquet ex publico instrumento«.

Subdit vero in sex libris post annum 1600. ad praesens usque tempus conscriptis vitiata fortasse fuisse rerum nomina ea inscitia scribentium atque ordine converso iis, quae debebantur nomine cathedratici, tributam esse appellatione census, iis vero quae persolvebantur ex causa census inditum esse nomen cathedratici atque ita sub harum vocum interversione descriptas et exactas apparere annuas fructuum et pecuniae quantitates.

His ita enarratis in haec verba concludit: »Quum itaque census abusive nunc cathedraticum esset persolvendus ut creditum ad Episcopi sustentationem nec alia allegari valeat causa in contrarium, uti aequissimum veneror, quod per EE. VV. decretum jam fuit pro confectione et executione novae taxae, sublata quacumque praetensa immemorabili exemptione, ut sicuti Episcopus Pastor communis est pro unaquaque ecclesia ita unaquaeque sentiat pro rata redditnum onus sustentationis eidem debitae. Ab eo idcirco non recedendum censerem, licet aliter suaderent commoditas et utilitas hujus mensae: commoditas quia perdifficilis praevidetur exactio per libras et uncias; utilitas, quia quum solutio cathedratici fiat pluribus in locis, majoris quantitatis est secutura in locis remotioribus a residentia, quod sine majori dispendio esse non poterit, si ad ipsum locum residentiae translatio occurrat.«

Necdum allata sunt jura parochorum novae taxae firmitatem impugnantium.

Quamobrem expensis tum iis, quae in facto superius recensita sunt, tum iis quae de jure ac modo exigendi cathedratici Concilium rom. sub s. m. Benedicto XIII. sancivit in *cap. 4. tit. 8.*, dignabuntur em. Patres decernere:

I. *An quoad exactionem cathedratici sive census sit servanda taxa antiqua sive potius moderna?*

Et quatenus affirmative quoad secundam partem,

II. *An et in quibus illa sit moderanda et reducenda ac respective exigenda in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam;

Ad II: Provisum in primo.

Die 4. et 18. Maji 1743.

Ferentina.

Episcopus Ferentinus nuper indixit in universa sua dioecesi, ut beneficiarii omnes et ecclesiae sibi subjectae cathedraticum rependerent in quantitate praescripta a Concilio rom., quod anno 1725. celebratum est a s. m. Benedicto XIII. Renuit clerus Ceccani fretus longa consuetudine solvendi minorem quantitatem: sed captis distractisque pignoribus exactionem pati coactus est in summa quam Episcopus postulaverat.

Delatis querelis ad hanc s. Congregationem Episcopus jussit exactam pecuniam restitui binis confraternitatibus laicalibus ss. Sacramenti et ss. Rosarii, quae propriam non habentes ecclesiam erectae sunt in respectivis capellis ecclesiae archipresbyteralis s. Joannis Bapt. quaeque idcirco immunes sunt ab onere cathedratici juxta resolutiones editas tam in *Firmana* *) *Cathedratici* prius a Congregatione particulari die *29. Aprilis 1731 ad 2. dub.* et deinde a s. Congregatione die *24. Julii 1734 ad 3. dub.* quam in *Urbeventana Cathedratici 20. Martii 1745.*

Sed parem exemptionem non esse tribuendam contendit Episcopus ecclesiae s. Sebastiani de jurepatronatus communitatis Terrae Ceccani neque capellaniis ecclesiasticis ibidem erectis sub invocatione Nativitatis Domini et s. Francisci, quia cathedratici pensum in signum honoris et subjectionis Episcopo debitum est ab omnibus ecclesiis et beneficiatis illi subjectis ut habetur in *can.: Placuit 10. qu. 3. cap. Conquerente 16. de off. Ordinar.* et veterum canonum sanctionem innovando praescripsit *Concil. rom. tit. 8. cap. 4.* et late explicat s. m. *Benedictus XIV.* in tractatu *de synodo dioecesana lib. 5. cap. 7. n. 2.* Et ideo s. Congregatio definivit, cathedraticum deberi etiam ab ecclesiis administratis per confraternitates laicales et beneficium non habentibus, in *Asculana* **) *Cathedratici 22. Maji 1734. ad 2. et 3. dub.*, in *Firmana Cathedratici 24. Julii 1734.* ***) *ad 2. dub.* Solumque immunes declarantur capellaniae laicales et ad nutum amovibiles ut responsum est a Congregatione particulari in *Maceraten. Cathedratici 29. Aprilis 1731. ad 2. dub.* †)

Nec obstare censet, quod cathedraticum fortasse numquam solutum fuerit in praeteritum a dictis ecclesia et capellaniis, quia illius praestatio neque ab Episcopis in totum remitti nec a quoquam valet quocumque titulo vel immemorabili consuetudine

*) Vd. *supra n. 4. p. 865.*
**) Vd. *supra n. 9. p. 873.*
***) Vd. *supra n. 4. p. 865.*
†) Vd. *p. 888.*

praescribi ut expresse sancitum est a Concilio rom. *d. cap. 4. tit. 8.* et saepe definivit s. Congregatio in *Lavellen. 18. Aprilis* et *6. Junii 1693.*, in *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.*,*) in *Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734.***) et in *Perusina Cathedratici 19. Nov. 1735.* et in *Cassanen. Cathedratici 21. Maji 1735.****) et concordat tractatus de synodo dioecesana *lib. 5. cap. 7. num. 6.*

Et circa quantitatem eo nomine praestandam petitionem suam defendit Episcopus, quod fuerit moderata in juliis duobus quoad ecclesiam s. Sebastiani, in juliis quinque pro singulis capellaniis in ea erectis et in juliis viginti pro quolibet capitulo trium ecclesiarum s. Joannis Bapt., s. Nicolai et s. Mariae ad Flumen, licet in illis plures sint beneficiati de massa communi participantes et separatas praebendas obtinentes.†) In hoc enim servasse inquit taxam Concilii romani in *dicto tit. 8. cap. 4*, quae adamussim praescribit, duos julios exigendos esse nomine cathedratici super redditibus non excedentibus scuta decem, quinque autem julios ex redditibus infra summam sc. 50 et decem julios infra summam sc. 100 ac quindecim pro alia quacumque majori summa, viginti autem ab ecclesiis, ubi plures de massa participant.

Et licet taxam praescripserit Concilium cum reservatione, ibi: »Salvis tamen consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus,« attamen putat, id referri minime posse ad quantitatem, cum alias inutilis fuisset taxa, ob aliquam consuetudinem ubique locorum vigentem, sed referendum esse arbitratur ad modum solutionis, ut qui consueverunt solvere in communi non teneantur solvere particulariter, etiam ratione praebendae separatae, ut respondit Congregatio particularis in *Firmana 29. Aprilis* et *5. Octobris 1731.*††) *ad 1. dub.*, et qui consueverunt solvere uti singuli, tamquam non participantes de massa communi, non possint in supplantationem Episcopi solutionem in communi explere, ut pariter definitum est a s. Congregatione in *Viterbien. Cathedratici 7. Aprilis 1742.*†††)

*) Vd. *p. 886.*
**) Vd. *p. 888.*
***) Vd. *p. 862.*
†) Vd. *n. 5. p. 867.*
††) Vd. *p. 864. et 865.*
†††) Vd. *p. 870.*

Contra vero clerus Ceccani ostendit, per sexaginta et ultra annos scutum unum solutum fuisse tum a capitulo s. Joannis Bapt. tum ab altero capitulo s. Mariae ad Flumen et julios sex ad summum a capitulo ecclesiae s. Nicolai, quin extet memoria majoris solutionis praecedenter factae et ideo efflagitat antiquam servari consuetudinem, quam laudant *gloss. in can.: Placuit* verb.: *duos solidos 10. quaest. 3., Abbas in cap.: Olim in prim. not. de cens.* et *Barbos. de off. et potest. Episcopi alleg. 86. n. 45.* et quam induci per observantiam quadragenariam tenet *Abbas in d. cap. Olim n. 6. de cens.*

Praesertim attenta expressa litera Concilii rom., qua hujusmodi praeservantur consuetudines non circa modum solutionis juxta interpretationem Episcopi sed circa quantitatem debiti, ut explicat *Rota in decis. 28. n. 43. coram clar. mem. Card. Tanara* et concordant resolutiones particularis Congregationis, quae mandavit servari taxam antiquam in *Firmana Cathedratici 29. Aprilis 1731. ad 3. dub.* et in *altera Firmana* sub eadem die ad 2. dub. et ita etiam definivit s. Congregatio in *Feretrana Cathedratici 18. Maji 1743.*) ad I. dubium* solumque perpendi poterit num legitimae consuetudini quae in Conc. rom. praeservatur obstet quoad ecclesiam s. Nicolai differmitas summae aliquando juliorum quatuor et aliquando juliorum quinque vel sex juxta quem modum inconstanter expletae fuerunt cathedratici solutiones.

Ab ecclesia vero s. Sebastiani impugnatur cathedraticum deberi, quia sit de jurepatronatus laicali communitatis Ceccani: et a capellaniis in illa erectis non deberi praetenditur utpote laicalibus et ad nutum amovibilibus; quod tamen impugnatur ab Episcopo, qui narrat in sua relatione, capellanias praedictas esse ecclesiasticas et perpetuas. Omnibus itaque perpensis definiendum erit ab EE. VV.:

I. *An et in qua summa debeatur cathedraticum mensae episcopali Ferentini a capitulis s. Joannis Bapt., s. Nicolai et s. Mariae Fluminis in casu?*

II. *An et in qua summa ecclesia s. Sebastiani de jurepatronatus communitatis terrae Ceccani et capellae ibidem sitae sub titulo s. Francisci Assisii et Nativitatis Domini*

*) Vd. *p. 890.*

teneantur solvere cathedraticum mensae episcopali Ferentini in casu?

S. C. C. resp.

Ad I: Deberi juxta solitum in sc. 1 a capitulo s. Jo. et a capitulo s. Mariae Fluminis et in juliis sex a capitulo s. Nicolai.

Ad II: Quoad ecclesiam s. Sebastiani teneri juxta taxam praescriptam ab Episcopo. *In reliquis:* Dilata et exhibeantur instrumenta fundationis capellaniarum.

Die 19. April. 1760.

20) Remitti non potest in totum.

Vd. *Cathedrat.* (Benef. unitis massae etc. decr.: *Camerinen* §: *Idque etc. p. 867.)*

21) Tempus solvendi.

Cathedraticum non est sublatum a Concilio Trid., non tamen solvi debet in visitatione sed extra et in synodi celebratione; sic decrevisse s. Congregationem Concil. refert *Fagnan. in cap. Venerabili 24. de censibus n. 16*, ubi dicit, quod Episcopo Tarantino quaerenti, an Concilium *cap. 2. sess. 24.* verb. *Interimque* censeatur sustulisse cathedraticum quod singulis annis tam in visitatione quam extra exigi consuevit ab Ordinario, s. Congregatio respondit: Concilium nequaquam sustulisse cathedraticum sed illud non solvendum in visitatione sed extra in synodi celebratione et late probat ipse *Fagnan. in cap. Cum olim 16. de officio Ordinar. a n. 48. usque ad 60.*

Tempus vero non est praestitutum praestationi cathedratici. Licet enim ut plurimum praestari soleat in synodo tamen consuetudine vel conventione partium potest alio tempore praestari. Et quod summopere notandum est, debet praestari illis etiam annis in quibus non celebretur synodus, s. Congregatio Concilii interpres in *Cassanen**) *Cathedratici 21. Maji 1735 ad 1. et 2. dub.* et rursus in *Perusina Cathedratici 19. Nov. 1735. ad secund. dub.*

*) Vd. *p. 862.*

Causa.

1) Differentia inter causam, litem et quaestionem.

Causa proprie dicitur ipsa res controversa quae in judicium deducitur et differt a *lite* quod lis proprie dicatur post contestationem, causa vero ante et post. *Jason. in l. Postquam liti n. 10.* Differt etiam causa a *quaestione*, quod haec tam intra quam extra judicium dicatur, causa vero proprie solum in judicio. *Pirhing. lib. 2. tit. 1. n. 4.*

2) Finalis.

Causa finalis dicitur illa, sine qua disponens non disposuisset, *Rota in recent. decis. 511. num. 11. part. 18.*

3) Matrimonialis.

Vd. *Matrimonium.*

praescribi ut expresse sancitum est a Concilio rom. *d. cap. 4. tit. 8.* et saepe definivit s. Congregatio in *Lavellen. 18. Aprilis* et *6. Junii 1693.*, in *Amalphitana Cathedratici 5. Septembris 1705.*,*) in *Maceraten. Cathedratici 8. Maji 1734.***) et in *Perusina Cathedratici 19. Nov. 1735.* et in *Cassanen. Cathedratici 21. Maji 1735.****) et concordat tractatus de synodo dioecesana *lib. 5. cap. 7. num. 6.*

Et circa quantitatem eo nomine praestandam petitionem suam defendit Episcopus, quod fuerit moderata in juliis duobus quoad ecclesiam s. Sebastiani, in juliis quinque pro singulis capellaniis in ea erectis et in juliis viginti pro quolibet capitulo trium ecclesiarum s. Joannis Bapt., s. Nicolai et s. Mariae ad Flumen, licet in illis plures sint beneficiati de massa communi participantes et separatas praebendas obtinentes.†) In hoc enim servasse inquit taxam Concilii romani in *dicto tit. 8. cap. 4*, quae adamussim praescribit, duos julios exigendos esse nomine cathedratici super redditibus non excedentibus scuta decem, quinque autem julios ex redditibus infra summam sc. 50 et decem julios infra summam sc. 100 ac quindecim pro alia quacumque majori summa, viginti autem ab ecclesiis, ubi plures de massa participant.

Et licet taxam praescripserit Concilium cum reservatione, ibi: »Salvis tamen consuetudinibus ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus,« attamen putat, id referri minime posse ad quantitatem, cum alias inutilis fuisset taxa, ob aliquam consuetudinem ubique locorum vigentem, sed referendum esse arbitratur ad modum solutionis, ut qui consueverunt solvere in communi non teneantur solvere particulariter, etiam ratione praebendae separatae, ut respondit Congregatio particularis in *Firmana 29. Aprilis* et *5. Octobris 1731.*††) *ad 1. dub.*, et qui consueverunt solvere uti singuli, tamquam non participantes de massa communi, non possint in supplantationem Episcopi solutionem in communi explere, ut pariter definitum est a s. Congregatione in *Viterbien. Cathedratici 7. Aprilis 1742.*†††)

*) Vd. *p. 886.*
**) Vd. *p. 888.*
***) Vd. *p. 862.*
†) Vd. *n. 5. p. 867.*
††) Vd. *p. 864. et 865.*
†††) Vd. *p. 870.*

Contra vero clerus Ceccani ostendit, per sexaginta et ultra annos scutum unum solutum fuisse tum a capitulo s. Joannis Bapt. tum ab altero capitulo s. Mariae ad Flumen et julios sex ad summum a capitulo ecclesiae s. Nicolai, quin extet memoria majoris solutionis praecedenter factae et ideo efflagitat antiquam servari consuetudinem, quam laudant *gloss. in can.: Placuit* verb.: *duos solidos 10. quaest. 3., Abbas in cap.: Olim in prim. not. de cens.* et *Barbos. de off. et potest. Episcopi alleg. 86. n. 45.* et quam induci per observantiam quadragenariam tenet *Abbas in d. cap. Olim n. 6. de cens.*

Praesertim attenta expressa litera Concilii rom., qua hujusmodi praeservantur consuetudines non circa modum solutionis juxta interpretationem Episcopi sed circa quantitatem debiti, ut explicat *Rota in decis. 28. n. 43. coram clar. mem. Card. Tanara* et concordant resolutiones particularis Congregationis, quae mandavit servari taxam antiquam in *Firmana Cathedratici 29. Aprilis 1731. ad 3. dub.* et in *altera Firmana* sub eadem die ad 2. dub. et ita etiam definivit s. Congregatio in *Feretrana Cathedratici 18. Maji 1743.**) *ad I. dubium* solumque perpendi poterit num legitimae consuetudini quae in Conc. rom. praeservatur obstet quoad ecclesiam s. Nicolai difformitas summae aliquando juliorum quatuor et aliquando juliorum quinque vel sex juxta quem modum inconstanter expletae fuerunt cathedratici solutiones.

Ab ecclesia vero s. Sebastiani impugnatur cathedraticum deberi, quia sit de jurepatronatus laicali communitatis Ceccani: et a capellaniis in illa erectis non deberi praetenditur utpote laicalibus et ad nutum amovibilibus; quod tamen impugnatur ab Episcopo, qui narrat in sua relatione, capellanias praedictas esse ecclesiasticas et perpetuas. Omnibus itaque perpensis definiendum erit ab EE. VV.:

I. *An et in qua summa debeatur cathedraticum mensae episcopali Ferentini a capitulis s. Joannis Bapt., s. Nicolai et s. Mariae Fluminis in casu?*

II. *An et in qua summa ecclesia s. Sebastiani de jurepatronatus communitatis terrae Ceccani et capellae ibidem sitae sub titulo s. Francisci Assisii et Nativitatis Domini*

*) Vd. *p. 890.*

teneantur solvere cathedraticum mensae episcopali Ferentini in casu?

S. C. C. resp.

Ad I: Deberi juxta solitum in sc. 1 a capitulo s. Jo. et a capitulo s. Mariae Fluminis et in juliis sex a capitulo s. Nicolai.

Ad II: Quoad ecclesiam s. Sebastiani teneri juxta taxam praescriptam ab Episcopo. *In reliquis:* Dilata et exhibeantur instrumenta fundationis capellaniarum.

Die 19. April. 1760.

20) Remitti non potest in totum.

Vd. *Cathedrat.* (Benef. unitis massae etc. decr.: *Camerinen* §: *Idque etc. p. 867.)*

21) Tempus solvendi.

Cathedraticum non est sublatum a Concilio Trid., non tamen solvi debet in visitatione sed extra et in synodi celebratione; sic decrevisse s. Congregationem Concil. refert *Fagnan. in cap. Venerabili 24. de censibus n. 16*, ubi dicit, quod Episcopo Tarantino quaerenti, an Concilium *cap. 2. sess. 24.* verb. *Interimque* censeatur sustulisse cathedraticum quod singulis annis tam in visitatione quam extra exigi consuevit ab Ordinario, s. Congregatio respondit: Concilium nequaquam sustulisse cathedraticum sed illud non solvendum in visitatione sed extra in synodi celebratione et late probat ipse *Fagnan. in cap. Cum olim 16. de officio Ordinar. a n. 48. usque ad 60.*

Tempus vero non est praestitutum praestationi cathedratici. Licet enim ut plurimum praestari soleat in synodo tamen consuetudine vel conventione partium potest alio tempore praestari. Et quod summopere notandum est, debet praestari illis etiam annis in quibus non celebretur synodus, s. Congregatio Concilii interpres in *Cassanen**) *Cathedratici 21. Maji 1735 ad 1. et 2. dub.* et rursus in *Perusina Cathedratici 19. Nov. 1735. ad secund. dub.*

*) Vd. *p. 862.*

Causa.

1) Differentia inter causam, litem et quaestionem.

Causa proprie dicitur ipsa res controversa quae in judicium deducitur et differt a *lite* quod lis proprie dicatur post contestationem, causa vero ante et post. *Jason. in l. Postquam liti n. 10.* Differt etiam causa a *quaestione*, quod haec tam intra quam extra judicium dicatur, causa vero proprie solum in judicio. *Pirhing. lib. 2. tit. 1. n. 4.*

2) Finalis.

Causa finalis dicitur illa, sine qua disponens non disposuisset, *Rota in recent. decis. 511. num. 11. part. 18.*

3) Matrimonialis.

Vd. *Matrimonium.*

Censurae.

1) Absolutio.

Vd. *Casus reservatus*; t. I. p. 136. n. 2; p. 149. n. 5; *Poenitentiarius apost.* (Facult., Constit. Bened. XIV.: *Pastor bonus etc.*); infra n. 6.

2) Aetas incurrendi.

Vd. t. I. p. 321. n. 5.

3) Appellatio.

Vd. t. I. p. 600—602.

4) Causa excusans ab incurrenda censura.

Vd. *t. I. p. 602. n. 16.*

5) Causae infligendi.

Vd. t. III. p. 223. §: *Hisce etc.*

6) Limitatio per constit. »Apostolicae Sedis«.

Pius Episcopus.
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum autoritate constituta sunt, sic retinere, ut si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius ecclesiae tutandam effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse, eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates angoresque conscientiae: Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes plenam earundem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus ut diligenti adhibita consideratione, statueremus quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis fidei generalibus Inquisitoribus per universam christianam rempublicam deputatis in consilium adscitis reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis sive suspensionis sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant, simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

I.

Omnes a christiana fide apostatas,*) et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur et cujuscumque sectae existant, eisque credentes*) eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores.

*) Vd. *t. I. p. 574.* Quaeritur utrum hac censura cum suis omnibus effectibus illaqueati exsistant illi catholici, qui repulsa data catholicae fidei se dicunt *liberos cogitatores*, nullam religionem profitentes.

Resp. Puto sub hac censura comprehendi.

Animadvertendum est, omnes qui a catholica fide pertinaciter recedunt suo judicio se damnare et ipso facto ab ecclesiae unitate segregatos esse juxta praeclaram illam theologicam dicendi rationem, quae legitur in Bulla dogmatica de immaculato Virginis conceptu his verbis: *Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat*, praesumpserint corde sentire, *ii noverint ac porro sciant*, se proprio judicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse et ab unitate ecclesiae defecisse. Haec verba repetenda sunt iis omnibus, qui aliquem articulum fidei ab ecclesia vel ab ejus capite propositum pertinaciter denegaverint multoque magis qui plures fidei articulos vel etiam totam revelationem aperte repudiaverint.

Sed dubitatio aliqua moveri potest, utrum *liberi cogitatores* comprehendantur sub verbis hujus censurae, ita ut subjiciantur omnibus hujus censurae effectibus, puta, quod absolutio eis dari non possit sine speciali romani Pontificis auctoritate; quod omnes eorum receptatores, fautores et defensores pari censura multentur, quod eorum libri haeresim propugnantes eo ipso sint sub eadem censura prohibiti, quod mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae eosdem, qui notorii fuerint, sint eo ipso excommunicati; quod subjiciantur ceteris poenis canonicis, quae per hanc constitutionem non sunt abrogatae quaeque antiquitus multae erant, easque recensent canonistae sub titulo *de haereticis* quamquam aliquae in desuetudinem certo abierunt.

In hoc itaque quaestio consistit, si quaestio appellari potest; dici namque posset, *liberos cogitatores* stricto sensu non appellari haereticos, quum non christiano nomine, quod repudiarunt, suos errores sustineant: et sub aliquo sensu fortasse non appellari apostatas, si nomine apostatarum intelligi velint, qui ad superstitionem sive Judaeorum sive Mahometanorum sive Ethnicorum transierint. Ipsi enim sunt absolute increduli, qui omnem fidem religionemque pertinaciter repudiant.

Sed his objectis facilis est responsio; comprehenduntur enim aperte sub verbis *apostatas a christiana fide:* nihil enim ipsis deest cur non comprehendi dici possint, quum christiani sint, saltem per susceptum baptismum, et a christiana fide penitus abscesserint, in quo proprie consistit apostasia a christiana fide, quin necessarius sit terminus superstitionis ad quem accedant.

*) Quaeritur in quo consistat discrimen inter haereticos et inter eorum credentes.

Ad intelligendum hoc discrimen recolenda est hujus censurae historia. Innocentius III. in Synodo Lateranensi IV. excommunicavit omnes haereticorum sectas ejus temporis, quae variis multisque nominibus appellabantur per haec verba: *Condemnantes haereticos universos, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas quia de vanitate conveniunt in idipsum.* Atque praeter excommunicationem multas canonicas poenas adjecit *cap. 13. de haereticis:* deinde secundo veluti loco subjunxit: *credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum excommunicationi decernimus subjacere.* Hi constituebant secundam veluti classem, quum ad haereticorum sectas formaliter non pertinerent, puta, quia cooptati non erant in sectas haereticorum. Postea ad dubium exortum Gregorius IX. in *cap. 15. de haereticis* respondit: *credentes autem eorum erroribus haereticos similiter judicamus.* Id fuit repetitum a subsequentibus romanis Pontificibus. Nihilominus quamvis et hi ut haeretici judicarentur, non omnes tamen canonicas poenas subibant, ut illi, qui ad haereticas sectas formaliter pertinerent.

Credentes itaque sunt illi qui adhaereant damnatis haereticorum erroribus quamquam ad sectas haereticorum formaliter non pertineant: possunt esse aut haeretici proprie dicti aut non omnino haeretici, si actio externa credendi non sit conjuncta cum animi pertinacia in erroribus; quo in casu essent potius haereticorum sequaces quam haeretici, quo sensu hic accipiuntur.

II.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.*)

III.

Schismaticos et eos, qui a romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.**)

*) Libri in prima parte hujus articuli sub censura prohibiti tres praeseferre debent conditiones, quarum prima, ut sint apostatarum vel haereticorum, altera vero ut haeresim contineant, tertia eandem ut haeresim propugnent: quaeritur, utrum libri eorum qui credant apostatis et haereticis, de quibus sermo est in primo articulo, vel fautorum et defensorum, si haeresim propugnent, sint sub hac censura comprehensi. (Vd. *Libri prohibiti*)

Non videntur comprehendi: ratio est quia prohibentur libri eorum haeresim propugnantium, qui pertinent ad primam classem, videlicet eorum, qui duces sunt apostatarum et haereticorum, vel qui ad eorum sectas formaliter pertineant.

Quaeritur, an libri apostatarum et haereticorum, in quibus haeresis simpliciter traditur, quin propugnetur, sub hac censura comprehendantur.

Resp. Non comprehenduntur sub hac censura quum requiratur haeresis propugnatio.

Quaeritur, an ephemerides seu diaria eorundem haeresim propugnantia sub ea censura sint prohibita.

Respondemus: non videntur sub ea censura prohibita, quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.

Quoad secundam partem articuli quaeritur, utrum per verba *Apostolicas literas* intelligantur decreta Judicis librorum prohibitorum.

Resp. Non intelliguntur decreta judicis. Apostolicae enim literae sunt quae nomine romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma bullae vel alia quavis forma. Animadvertendum quoque est, libros, qui per literas apostolicas prohibentur, prohiberi solere propter haeresim.

**) Praeter notos schismaticos comprehenduntur sub hac censura etiam illi, qui *pertinaciter se subtrahunt vel recedunt:* quare 1° non comprehenduntur illi qui simpliciter non obediant, quum esse debeant pertinaciter rebelles ab obedientia: 2° non est tamen necessarium, ut sint rebelles ab auctoritate s. Sedis universim sumpta, sed sufficit, ut sint rebelles ab obedientia ejus personae quae actu b. Petri Sedem legitime occupat.

Quaeritur: Comprehendunturne sub hac censura

IV.

Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.*)

V.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes necnon ea mandantes vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.**)

illi catholici liberales, ut ajunt, qui, repulsa data legibus et mandatis romani Pontificis sese publice gerunt tamquam solutos ab ejus obedientia, licet nulli alii ecclesiasticae auctoritati adhaereant vel nullam auctoritatem constituere conentur?

Puto comprehendi quia et hi sunt vero sensu rebelles ab obedientia existentis romani Pontificis. Conditio autem ut alicui auctoritati schismaticae adhaereant vel eam constituere conentur, ut schismatici faciunt, non requiritur, quum satis sit ab obedientia pertinax recessio.

*) Vd. t. I. p. 604. n. 19.

**) Vd. *p. 827. n. 8.* Quoniam exempla, quae ostendunt quomodo constitutio aliqua fuerit exsecutioni mandata, ad ejus intellectionem maxime conferunt, ideo refero constitutionem Clementis X., quae incipit: *Cum sicut*, diei 5. Decembris 1672, de Patriarcha Antiocheno, qui Romae fuerat vulneratus. Haec constitutio est applicatio hujus articuli ad factum: hic enim articulus ipsis fere verbis exscriptus est ex bulla coenae ad quam appellavit Clemens X. in dicta constitutione *Cum sicut*.

VI.

Impedientes directe vel indirecte exercitium

Clemens PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cum, sicut non sine gravissima animi nostri perturbatione accepimus, venerabilis frater Jacobus Patriarcha Antiochenus die ultima Novembris proxime praeteriti circa primam noctis horam, dum per viam Juliam nuncupatam hujus almae Urbis nostrae rheda sua domum revertebatur, a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad praesens ignorantur, uno seu pluribus archibusii jaculatibus nefarie petitus et gravissime lethaliterque vulneratus fuerit: Nos crimen adeo horrendum atque execrandum, et quod Nos sui atrocitate confudit, poenis per sacros canones, conciliorum generalium decreta et constitutiones apostolicas inflictis et promulgatis pro officii nostri debito vindicare et punire volentes ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra omnes et singulos, qui nefarium facinus praefatum in personam dicti Jakobi Patriarchae commiserunt aut illud fieri mandaverunt seu factum ab aliis ratum habuerunt vel socii in hoc fuerunt in facientium aut consilium, auxilium vel favorem illis dederint seu illos scienter defensaverunt vel receptaverunt et generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices et culpabiles, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, sive ecclesiasticae sive saecularis, etiam specialem et individuam expressionem requirentis existant, anathematis et excommunicationis majoris aliasque poenas quascumque a sacris canonibus, conciliorum generalium decretis et constitutionibus apostolicis et speciatim illa quotannis in die Coenae Domini legi solita inflictas eo ipso damnabiliter incurrisse tenore praesentium declaramus ipsosque, eorum quemlibet et quoscumque scientiam de praedictis delinquentibus habentes et non revellantes anathematizamus et excommunicamus ac anathematizatas et excommunicatas publicamus et nunciamus.

§. 2. Ab excommunicationis autem et anathematis hujusmodi sententiis nemo praedictorum per alium, etiam majorem Sedis Apostolicae Poenitentiarium, quam Nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam in mortis articulo constitutis, nec etiam tunc, nisi de stando ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestita, atque cum reincidentia eo ipso quo convaluerint) etiam vigore seu praetextu jubilaei anni sancti, cruciatae sanctae aliorumque jubilaeorum, indulgentiarum, indultorum, facultatum et privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel alia majori dignitate praeditis ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, etiam s. Joannis Hierosolymitani, et locis piis necnon laicis, etiam regali, ducali et alia mundana praecellentia fulgentibus, per Nos et Sedem Apostolicam ac cujusvis concilii decreta, verbo, literis aut alia quacumque scriptura in genere vel in specie concessorum et etiam pluries innovatorum ac concedendorum et innovandorum, absolvi possit.

§. 3. Et quia eo major erit ipsorum confusio, quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem praestiterint et absolutionis beneficium, ut supra, se obtinuisse docuerint, omnium et singulorum Urbis praedictae ejusque districtus basilicarum ac collegiatarum, parochialium ceterarumque tam saecularium quam regularium virorum tamen ecclesiarum respective capitulis, rectoribus, conventibus, collegiis, superioribus et aliis quibusvis administratoribus seu alias quomodolibet earum curam gerentibus necnon omnibus et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis, ubilibet constitutis, per easdem praesentes committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut capitula quidem, rectores, conventus, collegia, superiores, ad-

jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.*)

ministratores et ecclesiarum curam gerentes praefati in eisdem basilicis et ecclesiis Urbis, dicti vero Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et locorum Ordinarii, per se vel alium seu alios, per omnes civitatum et dioecesum suarum ecclesias respective, quibuslibet diebus dominicis et festivis, dum in eis major populi multitudo ad Divina convenerit, pulsatis campanis et candelis accensis, praedictos sic excommunicatos et anathematizatos solemniter publicent seu publicari curent et faciant.

»§ 4. Quod si forte aliqui, contra tenorem praesentium, talibus excommunicatione et anathemate illaqueatis vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter prout expedire noverimus, processuri. . .«

Haec referuntur ad modum quo puniebatur gravissimum illud sacrilegii genus coram catholica societate: qui modus et poenae pro rerum et societatis adjunctis possent in hujusmodi criminibus magis minusve renovari, prae oculis habita hac ultima Clementis X. constitutione.

Exinde quoque apparet, quam juste antea in Bulla coenae, nunc in Constitutione *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes speciali modo reservatas recenseatur peculiaris articulus de quo agimus.

*) Quaeritur, an particula *et* sit copulativa, ita ut incisum *et ad hoc recurrentes* etc. sit alia necessaria conditio, quae concurrere debeat ut *Impedientes* hac censura innodati exsistant: vel potius particula *et* habeat vim disjunctivam et significet *aut*.

Resp. Particula *et* habet vim disjunctivam, ita ut significet alteram classem eorum, qui pariter sub eadem censura sunt comprehensi.

Hoc ex eo evincitur, quod hic articulus, quamquam aliquatenus immutatus et valde laconice scriptus, ita in bulla coenae erat expressus; »*Necnon* (excommunicamus) *qui Archiepiscopos, Episcopos aliosque superiores et inferiores Praelatos et omnes alios quoscumque Judices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe vel indirecte carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos et affines aut alias impediunt quominus sua jurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae et Decreta Conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt*; ac etiam eos, *qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et Decreta aut alias fori ecclesiastici judicium eludentes ad Cancellarias et alias Curias saeculares recurrunt, et ab iis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis et delegatis praedictis decerni et contra illos exsequi procurant; eos quoque qui haec decernunt et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.*«

Ex quibus clare apparet, articulum, de quo agimus, exprimere substantiam articuli bullae Coenae quamquam paucis verbis: ad substantiam articuli bullae Coenae pertinet distinctio quae fit inter eos, qui impediunt jurisdictionis ecclesiasticae exercitium, et eos, qui eludent effectum ejusdem jurisdictionis per recursum ad laicum tribunal.

Praeterea idem evincitur ex ipso contextu articuli Constitutionis *Apostolicae*, quum illi qui impediunt exercitium jurisdictionis alii esse soleant et majoris potestatis, quam illi, qui recurrunt ad forum saeculare ad impediendum jurisdictionis effectum.

Item quaeritur, utrum sub verbo *edentes* intelligatur tertia classis eorum, qui sub hac censura comprehenduntur, quique alii sint a *procurantibus mandata*.

Resp. Affirmative. Intelligitur enim judex vel quisque alius saecularis fori, qui mandata edant, quae impediant jurisdictionis ecclesiasticae exercitium: id ostenditur quoque expositis verbis bullae Coenae: *qui haec decernunt*, quae verba respondent verbo *edentes*.

Quaestio praeterea erat inter interpretes bullae Coenae, utrum ad incurrendam ejusmodi censuram satis esset recurrere ad Curias saeculares, etiamsi a judice laico nihil obtineretur, vel opus esset, ut mandatum seu prohibitio contra judices ecclesiasticos obtineretur, et etiam exsecutioni mandaretur. Prima sententia recepta fuerat a ss. Congregationibus, quarum praxis haec est, ut quoties in causis judicandis noscant, aliquem contra auctoritatem Ordinarii recurrisse ad laica tribunalia, indicere soleant ejusmodi recurrenti: *consulat conscientiae suae ob recursum ad laicum tribunal*. Ceterum hodie haec quaestio moveri amplius non potest, quum in articulo constitutionis non alia verba reperiantur quam: *recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes*.

Sequitur in hac causa decisio S. C. C.:

Oppidana paroecia A. extat in dioecesi N. ad quam septem pertinent pagi seu oppida flumine intersecta, quorum tria cis flumen: horum vero incolae absque notabili difficultate et gravi incommodo ad paroecialem ecclesiam A. in altera parte positam accedere non poterant sive ob distantiam per vias asperas et loca praerupta percurrendam, sive ob dictum flumen confluentibus hyemalibus pluviis saepe redundans, adeo ut, modo periculis plenum, modo vadatu impossibile haberetur.

Pius sacerdos commiserans spirituale damnum incolarum horum pagorum, qui trans flumen positi sunt, universa bona testamento reliquit ut in pago B. nova paroecia erigeretur. Incolae itaque hujus pagi dismembrationem efflagitarunt, implorata prius aperitione oris ob literas apostolicas Clementis XIII. approbantes quamdam conventionem inter paroecianos omnes initam respicientem parochi residentiam. Cum autem his precibus refragaretur quaedam pars paroecianorum necnon parochus decimarum perceptionem in pagis dismembrandis amissurus, discussa quaestione in S. C. C. die 15. Martii et 19. Aprilis 1845, postquam S. C. definivisset locum esse aperitioni oris, in supplicantium vota concessit atque Episcopo commisit ut praefiniret annuam summam a novo parocho exsolvendam rectori antiquae paroeciae in compensationem decimarum praeter oblationem unius librae cerae elaboratae in festo s. Titularis in obsequium matricitatis ecclesiae ac denique ut curaret assignari a populo idoneum fundum pro manutentione tam ecclesiae quam lampadis sive diurnae sive nocturnae facto de omnibus verbo cum SSmo qui omnia confirmavit.

VII.

Illius temporis Episcopus licet faveret novae paroeciae erectioni et saepe ad eam erigendam sollicitaretur, rem tamen perficere distulit, ut interim ex annuo redditu haereditatis administratae dos augeretur, ampliaretur aedes sacra jam in eo pago existens, domus paroecialis extrueretur, constitueretur sufficiens portio pro sumptibus divini cultus et caetera, quae ad novae paroeciae erectionem requiruntur.

At novus Episcopus, cum ex pastorali visitatione comperisset incolas dictorum quatuor pagorum in dies satis augeri et rationes ob quas dismembratio decreta fuerat tractu temporis evasisse fortiores, omnem adhibuit curam, ut ea omnia perficerentur sine quibus dismembratio esse non potuisset.

Omnibus itaque fere paratis suo decreto dismembrationem absolvit die 4. Maji 1864.

In eo decreto, relictis ecclesiae matrici omnibus bonis, reservavit parocho ejusdem matricis jus decimarum super territorio avulso, quarum loco determinavit libellas annuas quinquaginta solvendas a novo parocho, aequa facta aestimatione decimarum quas antea parochus A. in illis oppidis percipiebat. In obsequium autem matricitatis ecclesiae libram unam decrevit cerae elaboratae a novo parocho pro tempore singulis annis et personaliter offerendam inter missarum solemnia in festo s. Titularis rectori pro tempore ecclesiae A.

Rector ecclesiae A. qui ab initio dismembrationi refragatus erat omnibus quibus potuit artibus, ne ea postquam decreta fuerat effectum sortiretur, usus est atque eam impugnare pergens ad s. Congregationem preces convertit. Quinimo ausus est provocare laicam auctoritatem ne Episcopi decretum exsecutioni mandaretur, a qua reapse habuit responsum die 25. Novembris 1864: se manere debere parochum integrae paroeciae ac sine placito civilis auctoritatis dismembrationem subsistere non posse.

Ex hac rerum expositione satis apparet, quaestionem principalem jam fuisse diremtam, cum non solum ab Episcopo, sed etiam a s. C. C. dismembrationis causae cognitae essent: neque defuisse solemnitates cum eaedem causae cognitae et admissae essent in ipsarum partium contentione. Quare rationes quas parochus iterum adduxit obsistens dismembrationi non quidem ad causae necessitatem sed ad eruditionem tantum adducimus.

Initio animadvertebat, se non esse simplicem Episcopi mandatarium sed jure ss. canonum jurisdictionem habere super universa parochia, a qua jurisdictione, nisi insuperabilis necessitas id exigeret, se non posse jure quaesito privari: difficultatem autem viarum, flumen intersecans et similia incommoda, si quae adessent, non esse causam sufficientem dismembrationis; *Card. de Luca de parochis disc. 18:* »Parochias erigere minus expedit quam deputare Vicarios.« Item *s. Rota decis. 224. n 16. et seq. part. 10. recent. et decis. 158. part. 105. n. 5*: »Si enim deputando capellanum satis occurritur necessitati parochianorum et consuluit r antiquae ecclesiae absque aliqua dismembratione, quae sine causa necessitatis non permittitur, quando aeque sine illa consulitur, cum sit sacris canonibus odiosa; quod quando aliunde provideri potest deficit necessitas quae est causa dismembrationis et cessat dispositio Concilii Tridentini et caput: *Ad audientiam* et in specie, quod non sit directe judices laicos ad trahendum deveniendum ad dismembrationem, quandó deputatione unius presbyteri possunt sacramenta in aliqua ecclesia ministrari.«

Item *Ceccoper. ad Scarfanton. lucubrat. in decis. Rotae 21. n. 18:* »Et cum dicta deputatione remaneat omnibus consultum necessitatibus nempe suburbanorum ac indemnitati ecclesiae matricis ac ejus rectoris, consequens est, quod dum potest alio modo provideri nullatenus deveniri debet ad odiosum remedium dismembrationis ut in praecitatis terminis resolvit Rota etc. et ex mente s. Congregationis Concilii communiter probant *Barbosa ad Conc. Trid sess. 21. c. 4. de refor. n. 10.* et de *potestate Epis. alleg. 78. n. 7* et in *Summ. apost. decis. in verb. n. 2, Bertacchini Vot. decis. 117. n. 2.* ubi refert resolutionem dictae s. Congregationis in *Militen. 26. Januarii 1697*, inquiens etiam non sufficere ad effectum dismembrationis notabilem distantiam nec intermedium flumen nec multos sine sacramentis decessisse, nisi probetur, quod per applicationem capellani suppleri non possit.†) Nec in tot auctoritatum concursu meretur attendi illa Monacelli in *Formul. p. 1. tit. 2. form. 3. n. 6*, asserentis, quod ubi communitas polliceatur novam parochialem dotare sit deveniendum ad dismembrationem etc.

†) Haec Bertacchini sententia inserta in hac s. Rotae decisione et s. Congregationi Concilii attributa movit ad eam resolutionem videndam in regestis s. C. cum mihi improbabile videretur, eam fuisse sententiam s. Congregationis. Reapse ea causa perlecta dicta sententia nullimodo continetur. In allegata enim *Militen.* agebatur de dismembratione paroeciae facta hac ratione. Vacavit per obitum quaedam ecclesia archipresbyteralis; populus cujusdam pagi intra eamdem archipresbyteralem paroeciam hac occasione petiit dismembrationem ob distantiam unius milliarii uti asserebatur et difficultatem itineris ex torrente interposito. Episcopus concursum pro archipresbytero eligendo indixit et habuit octo concurrentes, quos vocavit simul coram Vicario generali, Examinatoribus synodalibus et actuario, eisdemque patefecit suum consilium dismembrandi paroeciam ita ut in dicto pago, quadringentis fidelibus constante, novus parochus poneretur percepturus decimas ejusdem pagi injuncto insuper onere ecclesiae archipresbyterali solvendi novo parocho 50 Ducata annua. Res in illis comitiis plenis votis fuit excepta veluti per quasi inspirationem ut idem Episcopus inquit: unde decretum dismembrationis fuit emissum et novus Archipresbyter novusque deinde parochus fuerunt electi et instituti juxta emissum decretum. Res tranquilla remansit per octo annos, donec Archipresbyter reclamavit contra dismembrationem utpote factam sine causa legitima, sine solemnitatibus et tempore vacationis nullo defensore pro ecclesia archipresbyterali vacante constituto. Causa proposita coram s. C. et novo parocho, ad sua jura dicenda, invitato, non respondente ad dubium: »An dismembratio loci Polyoli ab ecclesia archipresbyterali et erectio novae parochiae ut supra facta sustineatur?« S. C. die 26. Januarii 1867 censuit: *Injungendum prout praesentis decreti tenore injungit Episcopo Militen. ut conficiat processum servatis servandis et ad s. C. transmittat.*

Quisque autem videt ex hoc responso sententiam superius expositam non posse deduci cum in ea ageretur de verificandis dismembrationis causis deque necessariis solemnitatibus servandis.

Non est autem mihi dubium s Rotam hac in re

ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositionem testamentariam dicti sacerdotis *cum nemo possit in testamento suo cavere, ne leges in testamento suo locum habeant, l. 55. ff. de legat.*

Neque juvare posse in praesenti themate dispositionem testamentariam dicti sacerdotis *cum nemo possit in testamento suo cavere, ne leges in testamento suo locum habeant, l. 55. ff. de legat.*

Neque obstare Concil. Trid. *sess. 22. cap. 4. de ref.* neque caput *Ad audientiam, de ecclesiis aedificandis*, namque, quando alio modo paroecianorum incommodis succurri potest, non esse deveniendum ad dismembrationem, quae speciem habet prohibitae alienationis: in pago autem B. constitui optime posse capellanum, cum jam templum extaret et presbyterum quoque, qui illis oppidanis missas celebraret.

Asserebat autem parochus inter eos oppidanos populos magnam non intercedere distantiam neque adesse itineris difficultatem, ideoque neque dictum caput *Ad audientiam* ex hac ratione invocari potuisse. Et in hujus rei confirmationem recolebat, anno 1767 fuisse motam quaestionem translationis paroeciae ejusdem ex uno pago in alium; itemque motam fuisse quaestionem dismembrationis, et propositis dubiis S. C. C. die 14. Martii:

I. An sustineatur translatio parochialis ecclesiae ad novam ecclesiam *Villae* vel potius sit locus restitutioni ad antiquam ecclesiam *Arcis?*

II. An sit decernenda illius divisio vel dismembratio?

S C. resp.

Ad I: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II: *Provisum in primo.*

Deesse praeterea inquiebat populi consensum, cum jam anno 1839 ad curiae intimationem duos populos ex dismembrandis reclamasse ex ea ratione quod dismembratio necessaria non esset et paroeciae positio sibi commoda esset neque casus deplorabiles unquam contigissent: quod si haec patefacta essent s. Congregationi anno 1839, illa non judicavisset, locum esse dismembrationi contra populi parochique consensum: namque *nullus invitus jure suo spoliandus est, leg. 64. ff. de regul. juris.* »*Et quod nostrum est sine consensu nostro ad alium transferri non potest.*«

Qui populi dissensus ex eo praesertim nunc ostendebatur, quod haud obstante Episcopi decreto incolae unius avulsi pagi cum utile sibi esse cognoscerent manere junctos cum antiqua paroecia ad ejus rectorem confugissent pro spiritualibus indigentiis: Et Episcopus ipse sub poena suspensionis interdixisset eidem rectori ne in illos incolas ullum jurisdictionis paroecialis actum exerceret.

Ad laesionem denique quod attinet inquiebat per dismembrationem a sua paroecia avelli ditiores familias: paroeciae autem redditus esse tenues, quod Episcopus affirmabat: decimas in episcopali decreto dismembrationis aestimatas fuisse libellis 50 annuis, dum e contra aestimandae essent libellis 150. Atque ad emolumenta tandem totam restringebat quaestionem.

Nihil animadversum fuit ex officio quoad dismembrationis causas, cum hae jam consideratae essent a s. Congregatione anno 1839, quae causas dismembrationis in facto adesse judicavit, nihilque deductum nunc esse per parochum, quod resolutionem illam posset infirmare, maxime cum in rem judicatam transierit: relatae itaque sunt literae Episcopi. qui inter caetera ait, stolae incerta veteri parocho compensari ex diminutione laboris; quae quidem cedere debent laboranti: eo vel magis quod dismembratione facta nihil demptum esset ex bonis veteris paroeciae, quamvis Trid. Conc. *sess. 22. c. 4. de ref.* statuerit: *Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi. competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus.* Consideratum insuper est, Episcopum aestimasse decimas quas antea parochus percipiebat libell. 50, audito Vicario foraneo et ipso parocho, ac rationem habuisse numeri familiarum avulsarum a paroecia et pretii frumenti per decennium.

fuisse paullo tenaciorem, considerasse plerumque dismembrationem paroeciarum veluti nudam dismembrationem beneficiorum: proindeque si aliqua ratione succurri posset distantiae et itineris difficultati per constitutionem alicujus coadjutoris seu capellani non devenit ad dismembrationem judicandam.

S. Congregatio Concilii pronior etiam fuit ad admittendas paroeciarum dismembrationes, quando dos pro novo parocho aliunde constituta esset: de qua re sic scripsit *Monacelli loc. sup. cit.:* Verum tamen est, quod cum frequenter ad formalem dismembrationem solet devenire quando parochianorum pars vel communitas quae id petit ob distantiam loci et magnam incommoditatem itineris congrue dotet novam parochiam erigendam ut observat *Card. de Luca de decimis disc. 12. n. 8*, tunc oblatio capellani seu coadjutoris pro administratione Sacramentorum diebus festis per rectorem facta ad evitandam dismembrationem non est sufficiens ad retardandam novae paroeciae erectionem, sed ad illam juste proceditur, ea non obstante, ut declaravit s. Congr. Concilii in *Januen.* 16. Januarii 1649, quod est contra opinionem Rotae in *Ovecten.* 1681, quae decisio allegabatur in dicta causa *Januen.*

Multo enim melius populo christiano consulitur per proprios parochos quam per caeteros eorum delegatione suffectos.

Dubia:

An et pro qua summa annuendum sit precibus parochi tum pro decimis tum pro aliis incertis emolumentis?

S. Congregatio C. die 12. Septembris 1868 respondere censuit: *Decretum Episcopi omnino esse servandum et parochus consulat conscientiae suae ob recursum ad potestatem laicam et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Eos, qui recursum provocant ad laicam auctoritatem, ne decreta ecclesiasticae auctoritatis exsecutioni mandentur, ipso facto in censuras incurrere.

II. Colliges insuper, existentibus canonicis causis, idest necessitate aut evidenti utilitate, Episcopum devenire posse ac debere ad paroeciae dismembrationem.

III. Neque exigi populi parochique existentis consensum, quando reddituum jacturam ipsi non patiantur.

IV. Quinimo eorum dissensum esse spernen

nes †) *(vd. notam ad hoc signum pag. 901. †)*, item edentes leges vel decreta contra liber-

dum, si causa canonica existente jacturam aliquam reddituum persentirent.

V. Neque conqueri parochos posse de coercita sibi jurisdictione, cum ss. canones, quorum jure ipsi fruuntur, canonica existente causa dismembrationem tueantur.

In causa supra exposita t. II. pag. 1110. XVIII. super extinctione debiti s. Congregatio Episc. et Reg. ad I. dubium respondit: Supplicandum SSmo pro culpabilium absolutione a censuris et pro dispensatione super irregularitate quovis modo contracta, recitatis semel septem psalmis poenitentialibus etc. Duplici de causa Canonici de quibus sermo est in excommunicationem incidisse videntur, nimirum ob praesumptionem alienandi, auctoritate propria, ecclesiastica jura contra dispositionem Constitutionis *Ambitiosae* et ob recursum ad laicum tribunal. Quodsi circa primam subeundae excommunicationis causam adduci possit aliqua ratio ob quam videantur posse a dicta excommunicatione excusari, quamvis actus gesti ipso jure irriti fuerint,*) non ita tamen excusari poterant ob secundam causam, videlicet ob recursum ad laicum tribunal.

Aperta est sanctio bullae Coenae, in qua excommunicatio romano Pontifici reservata infligitur et ipso facto contrahitur ab illis omnibus sive clericis sive laicis qui declinantes ecclesiasticam jurisdictionem causam ecclesiasticam deferunt laico tribunali. Verba autem sanctionis hujus sunt sequentia:

Excommunicamus et anathematizamus . . . qui Archiepiscopos, Episcopos aliosque superiores et inferiores Praelatos et omnes alios quoscumque judices ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet hac de causa directe vel indirecte . . . impediunt quominus sua jurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur secundum quod canones et ss. constitutiones ecclesiasticae, decreta Conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt. ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumque sententias et decreta aut alia fori ecclesiastici judicium eludentes ad cancellarias et alias curias saeculares recurrunt et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis aut Delegatis praedictis decerni et contra illos exequi procurant.

Bonacina textum bullae Coenae amplis commentariis illustrans *in disp. 1. quaest. 7. punct. 1. n. 26.* secum quaerit, quisnam dicatur eludere judicium fori ecclesiastici et resolvit: illum dici eludentem, qui non habita ratione judicii ecclesiastici ad curias saeculares confugit in praejudicium potestatis et juris-

*) Cardinalis Petra in Const. V. Pauli II. sect 4. n. 35. haec habet: Bona fides et utilitas ecclesiae excusat contrahentem sine beneplacito a censuris et poenis impositis, quia haec bulla (Ambitiosae) quoad nullitatem actus indefinite dicit quod nulla (alienatio) sit; et quoad alienantes ut incurrant in poenas voluit adesse praesumptionem, qua cessante cessat incursio, et in foro conscientiae non incurrunt has poenas. *Quaranta in summ. bull.* verb. *Alienat. n. 50.* ubi excusare ignorantiam facti probabilis: imo ignorantia juris in personis non peritis, vel in jure valde dubio, et in quo adesset aliqua discrepantia doctorum ac apparentia justae causae vel existentia illius, *Jabarel in Clement. I. quaest. 39. n. 22,* quam theoricam sequuntur doctores etc.

dictionis, quam judex ecclesiasticus contra confugientem exercuit vel exercere debebat.

Quaestio est inter doctores utrum ad incurrendum in hanc excommunicationem satis sit recurrere ad curias saeculares, etiamsi a judice laico ad quem recurritur nihil obtineatur, vel opus sit ut mandatum seu prohibitio contra judices ecclesiasticos obtineatur. Alii enim auctores non satis esse censent, sed requiri contendunt ut prohibitiones seu mandata contra supradictos judices obtineantur et executioni mandentur, ita *Vivaldus* in hunc locum, *Navarrus cons. 20. de sent. excom., Filliucius tract. 16. cap. 10. quaest. 12. n. 284., Ugolinus* vers.: *ac etiam eos n. 2., Duardus can. 16. quaest. 6. n. 3. et seqq.* hanc sanctionem exponentes. Contrariam sententiam exponit ac sustinet *Bonacina loc. cit. n. 28.* hisce verbis: Secunda sententia quae mihi probabilior videtur est affirmantium, sufficere ut a judicibus ecclesiasticis ad saeculares recurratur animo petendi a saecularibus judicibus auxilium seu mandata vel inhibitiones contra ecclesiasticos judices, etiamsi postea reipsa non obtineatur vel obtenta executioni non mandetur. Haec Bonacinae sententia quam gravibus argumentis idem Auctor corroborat, videtur etiam conformis praxi ss. Congregation., quae non admodum respicere videntur ad effectum secutum, sed satis est ut declinata ecclesiastica potestate causa judicanda deferatur laico tribunali. Hisce enim in casibus ss. Congregationes causam deinde cognoscentes, post ejusdem resolutionem injungere solent Oratoribus vel litigantibus ut consulant conscientiae suae, ut videre est in *Casertana Reintegrationis capellaniae die 8. Augusti 1863,* in qua post resolutionem causae s. Congregatio C. adjecit: Et Episcopus moneat Franciscum aliosque interesse habentes, ut consulant conscientiae suae. Conatus scilicet fuerat Franciscus aliique sibi vindicare bonorum proprietatem cujusdam capellaniae, quam laicalem esse contendebant, causamque judicandam detulerunt laico tribunali, et Franciscus duplicem sententiam sibi favorabilem obtinuit, quin tamen appareret ulla Episcopi oppositio.

In *Ariminen. Administrationis die 5. Julii 1862* quidam Canonicus contra Episcopi decretum reddere nolens administrationis rationem bonorum capitularium sua praesumpta jura detulit laico tribunali, expostulans ut sententia adversus capitulum pronunciaretur. Vix vel ne vix quidem incepta contestatione litis capitulum ad s. Congr. C. confugit ob laici judicis incompetentiam. Quamvis autem judicatus Canonicus sese excusaret dicens, laicale tribunal adivisse, quo coram et ipsi Canonici comparuere, constituto sibi procuratore qui eos defenderet, idque fecisse ut quaestio tandem resolveretur in defectu aliorum mediorum, quibus lis juridice dirimi posset: attamen s. Congregatio resolutioni causae adjecit: et idem Canonicus (N) consulat conscientiae suae ob recursum ad laicam potestatem.

Verum cum de clericis agitur graviores sancitae sunt poenae pro ejusmodi recursu ad laicam potestatem, de quibus loquitur *De Nigris in tract. de Vacatione benefic. cap. 56. per tot.* et in additione huic capiti haec scripsit: »Clericus recurrens ad judices laicos animo obtinendi justitiam ab officialibus Principis contemnit potestatem ecclesiasticam contra dispositionem ss. canonum, bullam Coenae et constitutiones apostolicas . . . Martini V. et Innocenti VIII.,

tatem aut jura ecclesiae. *) *(Cf. n. VIII.)*

quae ipso facto declarant ex hoc capite clericum excommunicatum et beneficiis privatum denunciant.«

Abhorrent omnino ss. canones ab ejusmodi turpi recursu, ut speciminis gratia videre est in *can. Inolita q. 1:* »Inolita praesumptio usque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, ut clerici clericos (suo relicto Pontifice) ad judicia publica pertrahant. proinde statuimus ut hoc de cetero non praesumatur. Si quis hoc praesumpserit facere, conventus et causam perdet et a communione efficiatur extraneus.« Item in can.: *Placuit,* ibidem.

In decretalibus inter caetera haec in *cap. Decernimus,* de Judiciis, Eugenius romanus Pontifex in synodo decrevit: »Decernimus ut laici ecclesiastica tractare negotia non praesumant. Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi et alii ecclesiastici (maxime de illis quae spiritualia noscuntur) laicorum judicio non disponant: nec propter eorum prohibitionem ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.« Item *cap. Noverit, cap. Gravem de sentent. excomm.*

Et quidem summa ratione haec et similia sancita extant, agitur enim de contemptu ecclesiasticae potestatis et de turpissima violatione immunitatis ecclesiae, qua a suo divino Auctore ecclesia decorata est.

†) *Ad pag. 900.* Quaeritur, utrum judices laici, qui ex officio imposito per leges sive Regni sive Imperii, quae sunt contra ecclesiasticas sanctiones (ut in praesenti societatis civilis ordine usuvenit), ad suum tribunal personas ecclesiasticas trahant, ut dicto suo officio fungatur, in ejusmodi censuram incurrant.

Huic quaesito vix respondere audeo. Dicam tamen, in articulo bullae Coenae ejusmodi formulam fuisse ita expressam: Excommunicamus eos »*qui* ex eorum praetenso officio *vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum praeter juris canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte quovis quaesito colore.*« Comparatione facta inter utriusque articulum apparet, articulum bullae Coenae fuisse valde coercitum, habita certe ratione conditionis praesentis societatis. Revera, qui judicis officio funguntur, identidem sine gravi jactura abstinere non possunt a declinandis ejusmodi legibus Regni contra immunitatem ecclesiasticam latis; ideoque multo magis rei sunt, qui haec noscentes aliqua ratione cogant judicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, quam judices, qui ex praetenso officio eos trahere cogantur. Ceterum heic agitur de poena excommunicationis, quae potest deesse, quamvis actio sit et maneat illicita. Judices autem laici, qui sciant, se non posse judicare Clericos (hi enim exempti sunt a potestate laica ob ecclesiasticam immunitatem. quae a jure divino derivat, eamque Tridentina Synodus *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam* dixit), suae conscientiae consulerent, si facultates ab Apostolica Sede ad judicandas personas ecclesiasticas obtinerent.

Per verba *praeter canonicas dispositiones* alluditur ad Concordata Regni vel Imperii cum Apostolica Sede, quae in vigore permanent: et sub iisdem verbis alluditur quoque ad casum, quo aliqua persona ecclesiastica rite degradata fuerit et laico

VIII.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede apostolica vel ab ejusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes. **) *(Cf. p. 898. VII et notas ad XII.)*

IX.

Omnes falsarios literarum apostolicarum etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Ro-

judici punienda tradita: item ad ceteros casus: quando ex. gr. persona ecclesiastica trahat in judicium laicas personas: namque persona ecclesiastica sistere se potest in laico judicio in causa non ecclesiastica *tamquam actor;* sed ipsa trahi non potest *tamquam reus* De hac re copiose scribunt Canonistae.

*) Haec secunda articuli pars comprehendit leges *de Regio placeto, de Regio exequatur* aliaque vincula quocumque appellentur nomine; necnon decreta omnia, quae libertatem ecclesiae laedant vel jura ecclesiarum. Hic articulus sic erat expressus in bulla Coenae: »*Necnon* (excommunicamus) *qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causa et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cujusvis consuetudinis aut privilegii vel alias quomodolibet fecerint et ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint.* unde libertas ecclesiastica tollitur *seu* in aliquo laeditur *vel* deprimitur *aut alias* quovis modo restringitur *seu nostris et dictae Sedis ac quarumcumque ecclesiarum juribus quomodolibet* directe vel indirecte, tacite vel expresse praejudicatur.«

Articulus bullae clare explicat verba constitutionis; notandum tamen est, sub articulo constitutionis comprehendi tantum *edentes,* et non ceteros; idest comprehenduntur auctores legum et decretorum.

**) Hic articulus triplex personarum genus complectitur:

1°. *Recurrentes* ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede apostolica vel ab ejusdem Sedis apostolicae Legatis ac Delegatis quibuscumque profecta.

2°. *Prohibentes* directe vel indirecte eorundem actorum promulgationem vel exsecutionem.

3°. *Laedentes* vel *perterrefacientes* partes ipsas, idest personas, quae rescriptum aliquod sive gratiae sive justitiae a S. Sede vel ejus Legatis obtinuerint, aut sententiam aliquam sibi favorabilem etc. vel laedentes aut perterrefacientes *alios,* puta patrocinatores earundem partium causa actorum obtentorum, aut exsecutores vel personas ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur. Haec omnia non raro locum habent in locis in quibus viget *regium placetum* vel *regium exsequatur* vel *regulae organicae etc.*

manum Pontificem vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem romani Pontificis signatarum: necnon falso publicantes literas apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut gerentis vices praedictorum.

X.

Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.*)

XI.

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.**)

*) Sanctissimus D. N. peculiari generalique Decreto per S. U. Inquisitionem edito feria IV. die 27. Junii 1866 edixit: »*In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper inposterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV, quae incipit:* Sacramentum poenitentiae. †)« Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit. Duo autem sunt casus reservati in hac constitutione, idest casus sacerdotis *attentantis absolutionem* personae complicis in materia turpi, et casus personae cujuscumque sexus *falso denunciantis* sacerdotem aliquem de sollicitatione. Verum primus casus in superiori articulo commemoratur ob censuram adjectam; secundus autem reservatus manet sine censura, et fere unicus hodie dici potest casus S. Sedi reservatus sine censura.

**) Quaeritur, utrum illi, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus accipiant per aliquem contractum, comprehendantur sub hac censura.

Resp. Non comprehenduntur. Ratio est, quod quamvis illi, qui, noscentes rem esse usurpatam, ab usurpatoribus accipiant, ejusdem causae rei generatim sint habendi, attamen, quum heic agatur non de natura et gradu criminis, sed de censura voluntate legislatoris inflicta, locum habet regula juris: legislator quodvoluit expressit, quod autem non expressit, noluisse censendus est. Quod aliis verbis dici solet: res est strictae interpretationis.

Item quaeritur, an comprehendantur sub hac censura illi, qui usurpant vel sequestrant bona quidem ecclesiastica, quae tamen non pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum, ut ex. gr. sunt bona piorum lo-

†) Vd. *Complex.*

XII.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad ecclesiam romanam pertinentia; vel

corum, idest nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium.

Resp. Puto non comprehendi; idque ob eandem rationem: attamen tum illi tum hi comprehenduntur sub censura Tridentina, de qua inferius, quae romano Pontifici est reservata, non tamen reservata speciali modo.

Item quaeritur, an comprehendantur illi, qui usurpant aut sequestrant bona Monasteriorum.

Resp. Affirmative: pertinent enim ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum.

Quaeritur, an pariter comprehendantur usurpantes et sequestrantes bona vel redditus capellanierum laicalium.

Puto non comprehendi: ratio est, quia capellaniae laicales non appellantur nec sunt vero sensu beneficia†) et resolvuntur in pias fundationes vel pia legata; neque eriguntur auctoritate Episcopi, ideoque eorum bona nec ecclesiastica stricto sensu appellantur; quamquam ex voluntate fundatoris et natura rei haec bona sint plerumque inalienabilia et venia apostolicae Sedis indigeat ut alienari possint.

Quaeritur, an usurpantes aut sequestrantes bona vel redditus jurispatronatus laicalis sub hac censura comprehendantur.

Puto comprehendi: ejusmodi enim bona ad ecclesiasticas personas pertinentia sunt bona beneficiorum stricto sensu acceptorum, quamquam haec beneficia sint obnoxia alicui servituti patronorum, qui jus habent praesentandi beneficiarium quum vacaverint, jus habent ad quasdam praerogativas honoris et jus aliquod ad alimenta, si ad egestatem vergant. Beneficia haec eriguntur Episcopi auctoritate et eorum bona evadunt propria Ecclesiae, ita ut patroni neque sese ingerere possunt in eorundem administratione.

EX S. CONC. U. I.

Dubia.

Em. Philippus Deangelis S. R. E. presbyter Card. et Episcopus Firmanus sequentia dubia S. U. I. Cong. proposuit:

1. Qua parte Tridentinae censurae a const. apostolicae Sedis confirmatae adhuc vigeant? Quod idem est ac quaerere an peccans in materia, quam et constitutio: Apostolicae Sedis et Conc. Trid. attingunt, in duplicem excommunicationem incidat alteram Rom. Pontifici specialiter reservatam vi supradictae constitutionis, alteram simpliciter reservatam vi Conc. Trid.? Et proinde an usurpatores bonorum ecclesiasticorum duplici innodentur excommunicatione?

2. An qui emant ecclesiastica bona ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici specialiter reservatam vi articuli XI. memoratae constitutionis?

3. An saltem in excommunicationem R. Ponti-

†) Vd. *p. 587. a. b.*

usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.*)

fici simpliciter reservatam vi cap. XI. de ref. sess. XXII. a Conc. Trid. editam?

S. U. I. Congr. die 8. Julii 1874 respondit

Ad 1: Negative. Videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione R. Pontifici specialiter reservata.

Ad. 2: Minime dubitandum, quia ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici reservatam: etenim prescindendo a quaestione an supradicta emptio aliquo modo attingatur a constit. Apost. Sed. art. XI. nulli dubium esse potest quin comprehendatur a clarissima dispositione cap. XI. de refor. sess. XXII. Conc. Trid.

Ad 3. Provisum in praecedenti.

Cf. *t. I. p. 1088. X; p. 1099. c.*

*) Saepe accidit, ut sub censuris dicantur comprehendi illi, qui *auxilium, consilium, favorem* praebeant actionibus prohibitis vel etiam *qui adhaereant.* Haec autem ita sunt intelligenda, ut interveniat formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistat solum in intentione, sed in actione; non ex ignorantia aut timore, sed ex deliberata voluntate. De qua re satis est mihi affere responsum S. Poenitentiariae inter plura, quae retuli: sic enim S. Poenitentiaria respondit die *10. Decembris 1860* de his fere rebus rogata: »*Censuras ecclesiasticas juxta Literas Apostolicas diei 26. Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis pontificae. Quare ad dignoscendum in foro conscientiae* (de quo S. Poenitentiaria est sollicita), *utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per confessarium uniuscujusque conscientia*«.

Dictus articulus XII. in bulla Coenae ita erat expressus: »*Item excomunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae et Corsicae . . . et alias civitates, terras et loca, vel jura ad ipsam romanam Ecclesiam pertinentia dictaeque romanae Ecclesiae mediate vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis nobis et eidem romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt; necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes.*«

Comparato hoc articulo bullae cum articulo Constitutionis apparet, submotos fuisse *adhaerentes, fautores et defensores eorum.* De hac re tamen adhuc vigent literae apostolicae anni 1860, quae sunt:

Sacra Poenitentiaria cum noverit plurimos animarum Pastores ob praesentes rerum vicissitudines non paucis urgeri anxietatibus multis in circumstantiis quomodo gregem sibi commissum consilio juvare vel quid ei praescribere aut prohibere teneantur, opportunum censuit nonnulla Locorum Ordinariis communicare responsa, quae dubiis jamdiu expositis data ab ipsa s Poenitentiaria fuerunt, ut nuam eam-

A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem romano

demque doctrinae regulam in docendo grege sibi commisso prae oculis habere possent, hisce praesertim temporibus, in quibus hostes infensissimi filiique degeneres Ecclesiae Matri suae bellum movent amarissimum et in agro Domini zizania superseminari omni studio conantur. Id vero ex parte jam praestitit s. Poenitentiaria per literas datas Locorum Ordinariis die 6. Octobris nuper elapsi, in quibus praeter facultates peculiares ad consulendum christifidelium necessitatibus concessas plures etiam dubiorum resolutiones continebantur. Verum cum hujusmodi literae ad omnes Locorum Ordinarios, ad quos missae fuerunt, minime pervenerint et plures interea supplices libelli s. Poenitentiariae porrecti fuerint, quibus vel super novis dubiis explanationes quaerebantur vel circa nonnulla in iisdem literis disposita apostolica venia postulabatur, hinc ipsa s. Poenitentiaria per praesentes literas eadem responsa, quorum aliqua attentis peculiaribus circumstantiis ex SSmi Domini oraculo moderata, alia vero ampliata fuerunt, de novo transmittere pluraque alia adjicere, quae subinde prodierunt, opportunum similiter judicavit. Hujusmodi autem responsa sunt quae sequuntur:

Dubia et Responsa.*)

1. An liceat hymnum *Te Deum* canere occasione proclamationis intrusi Gubernii aut alio simili eventu?

R. Negative.

2. An in Missa aliisque sacris functionibus recitari possit collecta *pro Rege* quando ab invasore Gubernio edicatur?

R. Negative.

3. An liceat cooperari functioni religiosae legibus Subalpinis expostulatae die anniversaria statuti?

R. Negative.

4. An liceat propriam domum externis luminibus ornare occasione inaugurationis novi Gubernii aut alio simili eventu, item an liceat uti insignibus novi Gubernii, cujusmodi sunt *Coccarde*, vittae tricolores et alia id genus?

R. Negative, dummodo non immineant gravia damna et absit scandalum.

5. An a clero invitari possint gubernativae Auctoritates ad ecclesiasticas functiones. Et si forte nec invitatae intersint, an clerus possit iis honoris actus in Caeremoniali praescriptos tribuere?

R. Negative: Et quatenus non invitati interveniant, clerus passive se habeat; hoc est abstineat se ab actibus honorificis in Caeremoniali praescriptis.

*) Non desunt nonnulli catholici scriptores, qui suis scriptis videntur deflectere a ratione cogitandi Apostolicae Sedis circa materiem de qua agitur in ejusmodi *dubiis et responsis*; ideoque utile esse duximus haec responsa evulgare quibus accurate perlectis statim affulget, quaenam sit mens sanctae Sedis a qua deflectere sapienti viro nefas est. Maxime cum non desit unus vel alter scriptor qui aliquid docuerit, quod hisce responsis directe opponitur, et cavillationibus conatus sit confirmare, quas suo loco exponere curabimus.

Pontifici pro tempore *speciali modo* reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus romano Pontifici

6. An excipi in ecclesia possint Magistratus municipales iisque tribui honoris actus ut supra?

R. Affirmative, dummodo tamen magistratus non peregerint actus reprobatos per literas apostolicas diei 26. Martii 1860; secus ut in praecedenti.

7. An liceat civicae aut nationali militiae nomen dare, quae ab intruso gubernio suae defensioni ac conservationi in provinciis usurpatis est constituta?

R. Negative.

8. Quid de iis dicendum, qui inviti conscribuntur et ad eamdem militiam ineundam adiguntur?

R. Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno seu incommodo deserere nequeunt, dummodo tamen animo parati sint eam deserere quam primum poterunt et interim ab omnibus actibus hostilitatis in subditos et milites legitimi principis et ab actibus contra bona, jura et personas ecclesiasticas se abstineant.

9. An liceat parochis elenchos dare a Gubernio intruso pro militia nationali et militari delectu habendo in usurpatis provinciis expostulatos?

R. Negative; et quatenus per vim libri auferantur, passive se habeant.

10. An liceat dare suffragia ad componenda consilia et municipales repraesentativas personas et an electi possint officio fungi Consiliarii et Magistratus municipalis?

R. Dummodo municipales non adigantur ad ea quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis et se abstineant a praestando juramento juxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari.

11. An liceat ad magisteria concurrere eaque suscipere oblata ab aliqua communitate vel etiam a Gubernio, si qui suscipiunt ab adhaesione abstineant Gubernio intruso exhibenda et ab omni actu qui ad illud ratum habendum suapte natura dirigatur?

R. Affirmative, semoto scandalo, si adsit et sub conditionibus in quaesito expositis; praesertim vero sub conditione, ut in dicendo sint omnino conformes doctrinae catholicae.

12. An juxta indultum jam a s. Poenitentiaria transmissum administratoribus locorum piorum ab invasore Gubernio occupatorum ab Ordinariis habilitari non modo ad administrationem prosequendam sed et ad suscipiendam ii qui ab illegitima auctoritate denuo eligerentur?

R. S. Poenitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate omnibus et singulis locorum Ordinariis quorum territoria a Gubernio invasore occupata fuerunt ad sex menses duraturam facultatem concedit, praefatis personis ut officium administratoris, dummodo exinde non requiratur adhaesio Gubernio invasori aut juramentum fidelitatis juxta formam ab eodem Gubernio praepositam et ad effectum et sub conditione curandi utilitatem locorum piorum et abstinendi omnino ab alienatione bonorum et cum dependentia ab Episcopo seu ab Ordinario loci, cui rationem reddere teneantur, retinere et de novo assumere et exercere licite valeant, apostolica expressa auctoritate indulgendi. Porro quisque curabit scandalum removere caute manifestando se id peragere de licentia apostolica. Episcopi vero et Ordinarii in administratione locorum piorum passive se habeant nullumque positive conniventiae argumentum quoad gubernium exhibeant et eidem dumtaxat si fuerint interrogati respondeant.

13. An retineri et suscipi possint sub intruso gubernio officia?

R. Dummodo non agatur de officiis quae directe et proxime influunt in spolium vel in ejusdem spolii manutentionem et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum, posse tolerari; in praxi vero quilibet ex dictis officialibus aut personis ditionis pontificiae, qui paratus sit stare mandatis s Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum seu loci Ordinarium qui in singulis casibus decernet juxta mentem SSmi Domini.

14. An liceat juramentum ab intruso gubernio propositum hisce vel similibus verbis, quibus illimitata obedientia continetur: »Juro fidelitatem et obedientiam Victorio Emmanueli Italiae regi ejusque successoribus. Juro me Statutum omnemque aliam status legem pro inseparabili et regis et patriae Italiae bono observaturum.«

R. Juramentum prout exponitur non licere, tolerari autem posse juramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur juxta formam a s. m. Pii VII. approbatam et hisce verbis expressam scilicet: Promitto et juro me cujuslibet generis conjurationi sive seditioni contra actuale gubernium operam numquam daturum: itemque eidem me subjectum fore atque obtemperantem in iis omnibus, quae nec Dei nec ecclesiae legibus adversentur.

15. Quomodo Ordinarii circa *regium placet* et *exsequatur*, quod gubernium sibi arrogat super bullis, brevibus et rescriptis pontificiis, se gerere debeant?

R. Non esse inquietandas privatas personas quae ut se servent indemnes ad gubernium pro regio placet *seu* exsequatur *recurrunt; verum Ordinarii hac in re quantum poterunt passive se habeant et, si a gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiae et ad formam ss. canonum sententiam suam patefaciant.*

16. An Ordinarii, Parochi, Beneficiarii caeterique bonorum ecclesiasticorum administratores, si gravibus sub poenis expostulentur, reddituum respectivorum inventarium gubernio tradere possint?

R. Permitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis actis a respectivis administratoribus super necessitate traditionis ad evitanda majora mala et pro tuitione jurium ecclesiae. Mens autem est SSmi Domini ut Ordinarii ante vel post traditionem si fieri possit super praemissis collectivam faciant protestationem reverenter quidem, sed cum evangelica libertate.

17. Quomodo Ordinarii se gerere debeant circa quempiam sacerdotem, qui cum in censuras inciderit cum ecclesia reconciliari negligat, nec decerni possit a Divinis suspensus absque gravium scandalorum ac malorum timore?

R. Curandum pro viribus ejusdem sacerdotis resipiscentiam, prout boni ac prudentis pastoris officium exposcit et si vocem Ordinarii non audierit, recurrendum esse ad s. Concilii Congregationem.

reservatis nullo pacto sufficere declaramus revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam regularibus†) cu-

18. Quomodo se gerere debeant parochi in celebratione matrimoniorum illorum qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint?

R. Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum ecclesia reconcilientur; at si reconciliari recusent et nisi matrimonium celebretur gravia inde damna imminere videantur parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a s. Alphonso (lib. 6. tract. I. cap. 2. n. 54.) traduntur, ea declaret quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper missae celebratione.

19. Item quomodo se gerere debeant Episcopi et parochi, si qui ex supra dictis censura innodatis se sisteret ut sive in sacramento confirmationis sive baptismatis patrinum agat?

R. Ut in praecedenti.

20 An possit SSma Eucharistia notorie censura innodatis ministrari, quin prius fuerint, uti par est, cum ecclesia reconciliati?

R. Negative.

21. Si quis ex iisdem censura ecclesiastica notorie innodatis obierit et juxta sacros canones et normas hac super re a doctoribus traditas ecclesiastica sepultura carere omnino debeat et contra pertinaciter gravibus minis expostulentur exequiae et ipsa ecclesiastica sepultura, quomodo in hujusmodi casu se gerere debeat parochus?

R. Curandum, ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat.

22. An Episcopus praedicatores adprobare possit, qui ab actualibus municipalibus auctoritatibus offeruntur?

R. Posse Episcopum tamquam ex se eligere praesentatos, dummodo in eis concurrant omnes qualitates necessariae.

23. An exactores et cursores possint mandata exsequi contra ecclesiasticos et loca pia morosa quoad exactiones dativarum tum cameralium tum municipalium, et quibus normis quibusque cautelis?

R. Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate benigne sic annuente SSmo. Domino Nostro Pio PP. IX. omnibus et singulis locorum Ordinariis, quorum territoria a gubernio invasore occupata fuerunt, ad sex menses duraturam facultatem concedit, sive per se sive per aliam ecclesiasticam personam ad hoc specialiter a quolibet ex dictis Ordinariis deputandam apostolica auctoritate habilitandi cursores et exactores ad exequenda mandata tum contra loca pia tum contra personas ecclesiasticas, petita et obtenta prius in singulis casibus venia a respectivo Ordinario et remoto prudenter scandalo: contrariis quibuscumque non obstantibus.

24. An parochi et caeteri ecclesiastici, quibus decimarum abolitione per gubernium facta damnum illatum est, compensationes ab ipso gubernio propositas accipere possint?

R. Posse juxta oraculum SS. Domini, titulo merae compensationis pro damno sibi a gubernio illato ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a gubernio assignatas, facta tamen prius sive ab Ordinario loci in communi sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesiasticis in particulari protestatione per hujusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut adprobari decimarum abolitionem a gubernio factam et caute monitis earumdem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a gubernio latae ab onere easdem solvendi liberatos.

25. An parochi illa subsidia a gubernio petere possint, quae idem gubernium iis parochis promittit, qui numerum animarum quinquies centum majorem habent et redditum octingentis francis minorem?

R. Non expedire.

26. An confessarii debeant eos existimare in censuras incidisse, qui suffragium pro Italiae sub uno rege unione sive timore sive dolo sive ignorantia ducti dedere, tum eos, qui idem suffragium dederunt aliis in provinciis extra pontificiam ditionem aut dederunt suffragium negativum aut nullum aut nihil significans, tum eos qui non timore gravi permoti domos suas luminibus ornarunt, usi sunt *coccardis* etc. aut levitate ducti cantui hymni *Te Deum* interfuerunt, tum denique mulieres et minorennes, qui votorum sive honoris protestationes (vulgo *indrizzi*) subscripserunt, vexilla consuerunt etc.?

R. Censuras ecclesiasticas juxta litteras apostolicas diei 26. Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis pontificiae. Quare ad dignoscendum in foro conscientiae utrum quis censuras incurrerit discutienda est per confessarium uniuscujusque conscientia. In praxi vero satis provisum per facultates locorum Ordinariis transmissas sub die 16. Novembris 1860.

27. Quonam modo debeat reparari scandalum publicum ab iis datum, qui absolvi petunt a censuris, in quas his temporibus inciderunt, quibus talis reparatio difficilis est et periculis obnoxia?

R. Reparationem scandali esse necessariam de jure divino eamque faciendam esse meliori modo quo potest prudenti judicio Ordinarii seu confessarii.

28. An ii qui absolutionem petunt debeant antequam absolvantur ea damna resarcire quae pontificium gubernium praesentibus rerum vicissitudinibus est passum?

R. Sufficere, ut animo parati sint stare mandatis s. Sedis desuper ferendis.

Datum Romae in s. Poenitentiaria die 10. Decembris 1860.

Dubia s. Poenitentiariae proposita ac responsa ab eadem s. Poenitentiaria data die 1. Decembris 1866.

1. Quomodo sciscitanti, an oblatum deputati munus in nationali conventu, quem *parlamento* Itali vocant, excipi possit, respondendum sit?

†) Vd. *p. 841. b. d; p. 909. §: Quod.*

juscumque Ordinis, Congregationis, societatis et instituti, etiam speciali mentione dignis

R. Affirmative sub sequentibus conditionibus. 1. Ut deputati electi in emittendo juramento fidelitatis et obedientiae a lege praescripto adjiciant limitationem: salvis legibus divinis et ecclesiasticis. *2. Ut hujusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius juramenti, audientibus saltem duobus testibus. 3. Ut ipsi deputati electi animo comparati sint et declarent se nunquam legibus improbis et injustis favorem et suffragium esse laturos, imo hujusmodi leges. quatenus proponantur, sese notorie reprobaturos.*

2. Qua se ratione gerere possint Episcopi rogati ut bonorum deputatorum electioni faveant?

R. Nihil obstare, quominus Episcopi et Ordinarii occasione electionum, quoties ad id requisiti fuerint, in mentem populi revocent, quemque fidelium pro suis viribus teneri ad impedienda mala et ad promovenda bona.

Dubia s. Poenitentiariae proposita ac responsa ab eadem s. Poenitentiaria data die 14 Decembris 1866.

1. Potestne Episcopus dioecesim primo ingrediens provinciae praesides constitutos invisere?

R. Nihil obstare, quominus expleantur urbanitatis officia.

2. Potestne Episcopus rogatus jusjurandum proferre? Aut saltem quamnam novo rerum ordini observantiam promittere potest?

R. Negative, tum quia a ss. canonibus prohibitum est ecclesiasticis juramentum emittere coram auctoritatibus laicis, tum quia juramentum, prout proponitur, est illicitum, uti constat ex responso in literis 10. Decembris 1860 sub n. 14. (Vd. p. 904.)

3. Regressus in suam dioecesim Episcopus potestne cum Viris auctoritate publica praeditis epistolarum commercia habere itemque cum syndicis, qui id temporis ex sui muneris officio ad Episcopos scribunt?

R. Rem dijudicandam esse in casibus particularibus ex objecto et fine, habita prae oculis sacra Episcopi dignitate et necessitate utilitateque ecclesiae.

4. Potestne Episcopus aliive ex clero hymno *Te Deum* politicam ob causam canendo dare operam, cum s. Poenitentiaria post bellum venetum ejus hymni cantum licere declaravit? (Vd. p. 903. n. 1.)

R Prout exponitur non licere ex pluribus s. Poenitentiariae responsis et ex literis 10. Decembris 1860 sub n. 1, neque ad rem facere responsum datum ab ipsa s. Poenitentiaria circa cessationem belli, quo declaratum fuit licere cantum hymni Te Deum *sub sequentibus conditionibus:* dummodo *scilicet* cantus hymni Ambrosiani fiat solo fine gratias agendi Deo pro cessatione belli, et hic finis sit publice notus, et inde recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione, omisso quocumque alio versiculo et oratione.

5. Quomodo in iis quae contra seminariorum institutiones italum gubernium injuria exigit se quisque Episcoporum gerere debet? Ubi vero ea eliminata ac deleta jam sunt, poteritne Episcopus ad gubernium se convertere, cum eoque agere, ut saltem quemdam ut vocant *convictum* instar illius qui monte regali erectus est aperire liceat? Possuntne praeterea seminarii magistri se ad gubernium convertere, ut tanquam publici professores habeantur?

R. Satis provisum per instructiones circa seminaria alias datas. Quoad vero convictus instituendos s. Poenitentiaria censet eos expedire, quoties morum ac studiorum disciplina ab Episcopo dependeat. Nihil autem obstare, quominus ad vindicanda ac restituenda seminaria atque ad convictus instituendos Episcopus sive per interpositas personas rem agat cum laicis potestatibus. Ac pariter nihil obstare, quominus magistri seminarii, tamquam privatae personae, ad auctoritatem civi'em pro licentia docendi aliquam artem seu scientiam recurrant.

6 Quanam agendi ratione uti debet Episcopus in bonorum ecclesiae invasione ac venditione, dum et loqui gravis periculi causa esse possit et silentium tanquam probantis seu adsentientis judicium suscipi? Quanam item ratione se gerere debet Episcopus gubernio eorumdem bonorum titulos postulante ac nisi sibi obtemperetur *sequestra* minitante? Poteritne praeterea Episcopus ad parochos et ad caeteros qui ecclesiae beneficiis potiuntur encyclicas, quas ipsemet hac super re a gubernio accipit, remittere?

R. Silendum vel loquendum, prout prudentia et fructus inde speratus dictaverit. Titulos vero violenter requisitos posse in casu necessitatis et ad evitandum grave damnum exhiberi praevia tamen protestatione, qua declaretur se cedere coactioni neque ullo modo cooperari pravis gubernii intentionibus. Similiter posse Episcopum notas facere, per interpositas praesertim personas, hujusmodi gubernii violentias parochis aliisque beneficiatis, ad finem eos docendi modum, quo sibi consulere possint, exhibendo, praevia eadem potestatione, titulos sub gravibus poenis seu damnis requisitos.

7. Juxta hodiernas in Italia vigentes leges presbyteri officiis civilibus funguntur uti syndici, (jurejurando prolato), consiliarii, quos vocant charitatis etc., potestne Episcopus eosdem in officiorum suorum exercitio tolerare? (Vd. p. 904. n. 12. et 14.)

R. Ex ss. canonibus non licere clericis absque legitima potestatis ecclesiae licentia assumere et exercere officia civilia seu laicalia. Juramentum, prout a gubernio proponitnr, esse illicitum et eos, quid illud emiserint, teneri ad retractationem. Quoad consiliarios charitatis provisum per literas 10. Decembris 1860 sub n. 12. Quoad vero clericos in praemissis delinquentes agendum ut infra ad nonum.

8. Onera Missarum, Legata pia, capellaniae laicales etc. per viros a gubernio electos unice praesenti tempore administrantur, qui etiam capellanos ecclesiasticis officiis in templis gerendis nominant: poteritne id Episcopus tolerare?

R. Dummodo nominati seu electi habeant necessarias qualitates neque laedatur jus quaesitum tertii, posse Ordinarium illos tolerare; etiam et tamquam ex se, quatenus institutio requiratur, illis con-

tate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo romano Pontifici reservatae innodatos se sciant*) dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis ecclesiae, si convaluerint. **)

ferre capellaniam seu legatum, nulla facta mentione nominationis seu electionis illegitime peractae.

9. Plerique presbyterorum ecclesiasticas vestes exuerunt ac nonnulli novo rerum ordine tecti ac freti Ordinario vocanti ac jubenti non auscultant; quanam agendi ratione erga eosdem uti Episcopus debet?

R. Praemissis admonitionibus agendum prout prudentia dictaverit juxta ss. canones contra eos, qui non incedunt habitu et tonsura. Si autem Ordinarium non audierint, recurrendum esse ad s. Concilii Congregationem. (Vd. t. II. p. 144. n. 16.)

10. Provinciarum praefecti sibi jus adrogarunt constituendi, quinam festi dies exteriori pompa sint celebrandi, quaenam *processiones* peragendae: poteritne id tolerari?

R. Affirmative, attenta violentia et exclusis semper novis festis ab auctoritate civili incompetenter institutis.

10. Seminariorum magistris poteruntne testimoniales literae ab Episcopo tradi, ut a gubernio tanquam publici professores ratihabeantur?

R. Nihil obstare, quominus Ordinarius concedat seminarii magistris literas testimoniales, quibus generice comprobetur eorum in docendo exercitium et in scholis regendis peritia.

Romae ex s. Poenitentiaria die 20. Februarii 1867.

A. C. Panebianco P. M.
L. Peirano Secretarius.

*) Quare casus romano Pontifici *simpliciter* reservati qui mox numerantur, non sunt septem et decem, sed hoc comprehenso sunt duodeviginti.

Heic quaeri potest, quid juris si quis absolveret sine facultate ejusmodi poenitentes, non ex inobedientia, sed ex persuasione pertinaci, r. Pontificem vel Episcopos non habere jus servandi peccata?

Hic confessarius esset haereticus ex *Can. 2. Concilii Trid. sess. 14 de poenit.* in quo legitur: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus servandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*«

**) EX S. R. U. INQISITIONE.

De constitutione *Apostolicae Sedis*, qua censurae limitantur, dubium et decretum pro confessariis saecularibus et regularibus, qui in nosocomiis romanis spiritualia auxilia infirmis conferunt.

Supplices Preces.

Beatissimo Patre.

Essendosi promosso il dubbio da alcuni sacerdoti se della Costituzione Apostolica della Santità Vostra del 12. Ottobre 1869 sieno state tolte le facoltà e i privilegi concessi dai sommi Pontifici ai confessori secolari e regolari che prestansi alla cura spirituale degli infermi negli spedali di Roma; i sacerdoti della pia Unione di s. Paolo apostolo, che fra le altre opere pie si dedicano anche al predetto santissimo ufficio di carità, dimandano umilmente una dichiarazione in proposito.

Decretum.

Feria IV. die 9. Martii 1870.

SSmus D. N. Pius divina providentia PP. IX. in solita audientia R. P. D. adsessori s. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli una cum Emorum ac Rmorum DD. Cardinalium generalium Inquisitorum suffragiis, benigne annuit pro gratia, ut sacerdotes tam saeculares quam regulares pro confessionibus excipiendis in nosocomiis infirmorum spirituali curae operam dantes qui recensentur sub nn. I, II. §. 1. in libello seu catalogo typis edito anno 1856 auctoritate et jussu Emi Dni Cardinalis Urbis Vicarii, omnibus facultatibus et privilegiis gaudeant quae in eodem libello notantur. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

J. Pelami S. R. U. Inquis. Notarius.

Libellus in decreto indicatus, quique evulgatus fuit anno 1856, jussu Emi Card. Urbis Vicarii, tenoris est qui sequitur; quemque ex ea ratione praesertim referimus, ut locorum Ordinarii si velint possint a s. Sede postulare harum facultatum extensionem pro nosocomiis, quae in suis extent dioecesibus.

FACOLTA E PRIVILEGI

Concessi ai sacerdoti secolari e regolari che prestansi alla cura spirituale degli infermi negli spedali di Roma.

I.

Confessori autorizzati ad ascoltare le confessioni negli spedali di Roma.

1º. Tutti i sacerdoti secolari e regolari approvati per le confessioni dall' Ordinario di Roma, possono confessare in qualsivoglia spedale della città.

2º. Quanto ai regolari, anche quelli approvati solamente in altre diocesi, possono confessare gl'infermi di quegli spedali, ai quali sono mandati dai loro superiori, secondo la prescrizione a questi fattane dai sommi Pontefici.

II.

Facoltà quanto all'assoluzione dalla censure e dai peccati.

La facoltà quanto all'assoluzione dalle censure *(in foro tantum conscientiae)* e dai peccati, la quale secondo il Concilio di Trento (sess. XIV. cap. 7.) concede la s. Chiesa a qualunque sacerdote per i fedeli costituiti *in articulo mortis.* cioe *ut nulla sit reservatio. Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt*; questa stessa amplissima facoltà si concede

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae. †)

Excommunicationi latae sententiae romano Pontifici reservatae subjacere declaramus: (Vd. *p. 907.* *)

dai sommi Pontefici ai confessori nel modo predetto approvati, in beneficio dei soli infermi negli spedali di Roma, quantunque non sieno costituiti *in articulo mortis*.

Riguardo poi ai due casi riservati al Vicario di Roma, cioè della compra e vendita del biglietto della Pasqua, e dell'inadempimento del precetto pasquale (oltre la facoltà d'assolverli nel foro interno) si concede altresì la facoltà d'assolvere nel foro esterno dall'interdetto chi vi fosse incorso per l'inadempimento di detto precetto, e che il nome di lui fosse stato publicato alla porta della Chiesa, coll'obligo al confessore che, fattone consapevole il penitente, trasmetta subito la notizia per mezzo di autentica fede alla secreteria del Vicariato, usando la sequente formola.

Dichiaro io sottoscritto di avere assoluto l'infermo N. N. della parrocchia N., notoriamente denunziato e interdetto per il non adempimento del precetto pasquale. In fede ecc. Dal venerabile arcispedale N. il dì ecc.

III.

Altre facoltà e privilegi.

1°. *Vota quaecumque in alia pietatis opera commutandi, exceptis ecc.* Cioè di commutare in altre opere pie qualunque voto semplice, eccettuati quello di castità, di religione, e dei tre pellegrinaggi, ai luoghi di terra santa, *ad limina ss. Apostolorum*, e a s. Giacomo in Compostella.

2°. *Juramenta quaecumque relaxandi.* Ossia di sciogliere qualunque giuramento promissorio, quando non siavi danno del terzo.

3°. *Ipsisque infirmis ecclesiastica sacramenta ministrandi.* Con ciò intendesi, oltre lamministrazione del Sagramento della penitenza, anche quello della Eucaristia, tanto in forma comune, quanto in forma di Viatico, e il Sagramento della estrema Unzione. Della qual facoltà, è cosa conveniente, di non farne uso, quando potesse dispiacere al sacerdote. che per suo speciale ufficio è obligato di amministrare detti Sagramenti.

4°. *In articulo mortis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem impertiendi;* e ciò non solo ai moribondi dello spedale, ma a quelli ancora della famiglia, usando la formola prescritta.

5°. In suffragio delle anime dei defonti negli spedali, sono privilegiati, l'altare del ss. Crocifisso nel cemeterio di s. Spirito, e qualunque altro esistente nelle sale e cappelle degli spedali dipendenti dalla commissione.

IV.

Luoghi ove possono esercitarsi le predette Facoltà.

In tutti gli arcispedali e spedali di Roma, in quelli cioè, che sono pubblici e generali per ogni ceto di persone, quali sono al presente i qui appresso notati; come anche in quelli, che in avvenire si aprissero, ancorchè succursali e temporanei, e nei luoghi ai medesimi annessi.

Gli spedali sopra indicati sono quegli appunto che ora dipendono dalla commissione, cioè

1°. L'arcispedale di s. Spirito, a l'annesso brefotrofio (ossia conservatorio de'fanciulli esposti, e il conservatorio delle femine (bastarde), all'arcispedale medesimo annesso, colla sua infermeria.
2°. L'arcispedale del ss. Salvatore a s. Giovanni in Laterano.
3°. L'arcispedale di s. Giacomo in Augusta
4°. L'arcispedale di s. Maria della Consolazione.
5°. L'arcispedale di s. Gallicano.
6°. Lo spedale di s. Maria de'pazzi.
7°. L'ospicio di s. Rocco.

Avvertimenti.

I. I Confessori approvati per li soli uomini non possono confessare le donne inferme negli spedali.

II. I Confessori ascritti alla pia Unione di s. Paolo Apostolo possono ottenere dal regolatore primario della medesima altre facoltà speciali da usarne negli spedali, ai quali vengano da esso destinati, e in altri luoghi e opere della detta pia unione.

III. I Sacerdoti, che confessano gl'infermi negli spedali, non sono obligati (come lo sono sotto pena di sospensione riguardo agl'infermi nelle case private) di rilasciarne l'attestato scritto. Ma sarà ben fatto, dopo aver udita la confessione di un infermo, che ivi per la prima volta si confessi, farne consapevole chi ha cura dello spedale.

IV. I Confessori, che recansi a confessare gl'infermi negli spedali, possono ivi confessare anche le persone sane, tanto della famiglia (eccettuate le monache sdedaliere, per le quali richiedesi speciale approvazione), quanto altre persone estranee. Ma per le persone sane possono i Confessori fare uso solamente delle facoltà ordinarie, e di puelle, che avessero personalmente ottenute anche per altri luoghi.

V. Gli ecclesiastici secolari e regolari, che prestansi al bene spirituale degl'infermi negli spedali di Roma, predicando, catechizzando, amministrando loro i ss. Sagramenti, ecc. lucrano per ogni volta l'indulgenza di ducento giorni, e la plenaria una volta l'anno se almeno 12 volte vi si prestino.

I.

Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena

†) EX S. CONGREGATIONE S. U. INQUISITIONIS.

Super constitutione »*Apostolicae Sedis*«

Instructio

Ad quaesita Ordinarii N.

Ad supremam hanc Congregationem nonnulla dubia delata sunt ab amplitudine tua proposita, quibus Feria IV. die 15. Junii labentis anni 1870 ita responsum est:

latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi

In quarto dubio plura a te congesta sunt. Et primo quidem anxium te exhibebas circa magistratus catholicos et gubernii servos, qui immunitatem asyli ecclesiastici violant, veritus nimirum ne omnes excomunicationi subjaceant, quae in constitutione *Apostolicae Sedis* 12. Octobris 1869 est *quinta* inter excommunicationes latae sententiae R. Pontifici reservatas eaque est tenoris sequentis: Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes aut ausu temerario violantes. Qua te anxietate ut eximerent Emi Patres, audito etiam SSmi oraculo, monitum te voluere in ea formula verba *ausu temerario* utrumque membrum complecti. Ex quo intelligas eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet aut exequendo violat, quem porro utpote omnis excusationis expertem excommunicationi subjacere mirum esse non debet.

Deinde similem aperiebas sollicitudinem quoad eosdem magistratus et gubernii servos *trahentes clericos ad suum tribunal propter violationem legis civilis sive* alio modo, quos omnes timebas excommunicatione esse irretitos quae in dicta constitutione *Apostolicae Sedis* est *septima* inter excommunicationes latae sententiae R. Pontifici speciali modo reservatas. Sed in ea formula attendere debes verbum *cogentes*, quod sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia vel alios ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam mereri facile perspicies.

Mirum autem visum est, quod tertio loco de iisdem censuris addebas, *an revera excommunicationem incurrunt illi, qui vix ideam habent legum a longo tempore obsoletarum sive in Anglia sive in Gallia.* Agitur enim de constitutione *Apostolicae Sedis*, quae non a longo tempore, sed die 12. Octobris anni 1869 edita est, et in qua summus Pontifex expresse monet censuras omnes, quae in ea continentur, — non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa constitutione nostra non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere —. Non igitur adeo recentis legis, regulariter loquendo, ignorantia obtendi potest. cum fuerit ea constitutio et pro tota Ecclesia in Urbe promulgata et ad omnes Ecclesiae partes reapse propagata et ubique jam celebretur.

Quarto loco quaerebas, an ii qui praedictas censuras incurrerunt admonendi sint, quod porro minime constabat, utrum de interno an de externo foro quaereres. Sed si de interno res est, licet theologi doceant, aliquando (hoc est debitis factis exceptionibus, de quibus iidem agunt) dissimulari cum poenitente posse, cum duo haec simul concurrunt, bona fides et indubia praevisio, nullum ex admonitione fructum perceptum iri: heic tamen apertum est, sive ob personarum qualitatem, quae excommunicationi subjiciuntur, sive ob qualitatem constitutionis eamdem censuram inferentis, quae recentissima est ac plane notoria, difficile dari posse bonam fidem quae admonitionem omitti posse suadeat. Quod si de externo foro sermo sit, distinguendum a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in const. *Suprema* erit inter pastoralem admonitionem ac judicialem sententiam, qua reum, de quo agitur, excommunicationem incurrisse declaratur. Sententiam hanc declaratoriam, utrum ferri expediat definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet. Ad pastoralem vero admonitionem quod attinet, quid theologi doceant probe nosti, qui, deficiente probabili spe emendationis ac fructus prudentique metu gravioris cujuspiam mali concurrente, differri admonendi officium, quod ex proprio munere pastorem urget, posse consentiunt; nihilominus monent, si scandalum a pastoris silentio oriatur, intermitti illud non licere.

Quod denique quinto loco addebas, *utrum habeas facultatem absolvendi a praedictis excommunicationibus* censuerunt Emi Patres, id a te quaeri ob clausulas derogatorias, quae in constitutione *Apostolicae Sedis* leguntur; nam ceteroqui, quid facultatum tibi datum sit, nosse ipse debes. Itaque decreverunt, ut declaratio circa praedictas clausulas de mandato Sanctitatis Suae ab hac suprema Congregatione edita tibi communicetur, quae est tenoris sequentis: *colla detta costituzione il santo Padre non ha punto inteso di recare la menoma alterazione alle facoltà di qualsiasi natura dalla S. Sede innanzi alla promulgazione della medesima accordate sieno esse quinquennali o straordinarie o relative al presente Giubileo e vuole che rimangano nel pieno loro vigore durante il termine nelle rispettive concessioni od indulti prefinito* †).

In quinto dubio non satis te intelligere indicas, cur in constitutione *Apostolicae Sedis* sub numero quarto excommunicationum latae sententiae, quae romano Pontifici reservantur, ea quoque recensetur, quae est *contra non denunciantes occultos coryphaeos ac duces sectae massonicae aut carbonariae aliarumve ejusdem generis sectarum, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur,* eaque dubii ratio a te proponitur, quod *nomina praesidentium et membra cujusque logiae publice typis dentur.* Sed ne in re tam gravi, quaeque tanti interest incolumitatis Ecclesiae, salutis animarum publicaeque tranquilitatis, quempiam indormire sinas, persuadere tibi debes, non sine gravissimis causis romanum Pontificem e sua specula ex qua totam Ecclesiam omnesque simul circumstantias circumspicit excommunicationem illam jampridem latam multo mitioribus terminis cohibitam retinuisse. Quamquam haud difficile cuique erit

†) Haec declaratio communicata fuerat Patribus Vaticani Concilii, qui id peterent, per Emum Cardinalem Bizzarri: eaque responsio data fuit per S. C. de propaganda fide atque longe lateque vulgata. Ita autem latine sonat: »Per constitutionem SSmus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem, detrimentum inferre facultatibus cujuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem ejusdem constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales sive extraordinariae sive respicientes praesens jubilaeum, atque vult ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito«.

7. Julii 1745, *Ubi primum* 2. Julii 1746, *Ad eradicandum**) 28. Septembris 1746.**)

aliquam per se causam videre injunctae denunciationis, licet, ut ais, *praesidentium ac membrorum nomina*, saltem in secta Massonica et Carbonaria, *publice typis dentur*. Ceteris enim praetermissis, quis sane dicere aut nosse valeat, utrum qui in publicis ephemeridibus apparent specie tantum ac nominetenus coryphaei ac duces sint, veri autem machinationum artifices directoresque delitescant? Aut quis etiam divinet, utrum perpetuo et constanter ducum nomina evulgare velint? Vides igitur, non inutiliter neque sine causa praeceptum esse, ut coryphaei saltem qui occulti sint denuncientur.

At quaeris cui et a quibus fieri ejusdem denunciationes in missionibus debeant. Obscurum esse minime potest, a quibus faciendae sint. Generale quippe est praeceptum omnibus fidelibus injunctum. Cui vero sunt faciendae manifestum quoque est, nimirum ei, qui pro pastorali officio vigilare et cavere debet, ne oves sibi concreditae in lupos incurrant neve peste inficiantur; cujusmodi est quicumque episcopale munus in missionibus gerit, Vicarius videlicet vel Praefectus Apostolicus vel ab eis ad hunc effectum delegatus.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA.

Dubium S. Poenitentiariae propositum: An praelati regulares post constitutionem Apostolicae Sedis iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta constitutione simpliciter reservatis?

Sac. Poen. die 5. Decembris 1873 respondit: Negative salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.

*) Vd. *Complex.*

**) Benedictus XIV. in Const. *Suprema* praxim inquirendi a poenitente nomen vel individuam personam complicis hisce verbis ad Lusitanos scribens reprobavit: »Notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandum esse, eandem a Nobis per praesentes nostras in forma Brevis literas reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam ac tam famae proximorum quam ipsi etiam Sacramento injuriosam tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem atque ab ejusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.«

In Const. *Ubi primum* idem Pontifex priorem confirmans Constitutionem inter alias sanctiones haec ndixit: »Statuentes ac decernentes, ut quicumque ... usus pinposterum fuerit docere licitam esse ejusmodi praxim prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem vel ea quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quocumque, etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis vel pro tempore existente romano Pontifice, absolvi.«

II.

Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.*)

In Constitut. *Ad eradicandum* Pontifex contra pravas opiniones eorum, qui docerent eas Constitutiones non ultra Lusitaniam extendi ad quam missae essent, ita declaravit: »Decernimus et declaramus memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere ...«

*) Hoc articulo continetur celebre illud privilegium clericorum, quod ex Canone Concilii Lateranensis sub Innocentio II.: *Si quis suadente diabolo*, appellatur privilegium Canonis. Canon indicatus his verbis erat expressus: »*Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui praesentetur et ejus mandatum suscipiat.*« Nulla unquam fuit inter censuras reservatas in jure tam celebris et christianis populis tam cognita, quam ejusmodi canonis censura.

Haec canonis verba ampla ratione tum romani Pontifices tum explanatores ss. canonum in titulo Decretalium *de sententia excommunicationis* interpretati sunt: namque idem est sive masculus sive femina, pariterque sive saecularis sive regularis persona sit percutiens, ex cap. *Cum pro causa,* cap. *Porro,* cap *Monachi, de sententia Excom.* Percussus sive sit clericus saecularis sive regularis ex cap. 2. cap. *Cum pro causa, eod. tit.* et idem si clerici se ad invicem percutiant. Incurrunt eandem poenam non solum percutientes, sed mandantes, instigantes, consulentes et sollicitantes, ex vulgata regula, qui per alium facit per se ipsum facere videtur. Item auxiliantes faventes et assistentes percussorem clerici, glossa in cap. *Mulieres de sentent. excom.* Item Canonis poenam incurrit etiam offendens clericum minoribus et prima tousura initiatum, cap. 1 *de clerico conjug. in 6*, necnon conversos ecclesiarum regularium, cap. *Non dubium,* cap. *Parochianos,* cap. *Ex tenore,* cap. *Monialibus, de sentent. excom.*, similiter novitii religionis approbatae gaudent privilegio canonis, cap. *Religioso* §. *fin. de sententia excommunicationis in 6°.* Hi sunt casus praecipui.

Hic facile quaeritur, utrum per verba superioris Articuli hi casus, qui sub stricto eorum verborum sensu non omnes comprehenderentur, comprehendi dici debeant.

Respon. Puto omnes enumeratos casus comprehendi: namque ubi est eadem lex et eadem ratio legis, ibi eadem esse debet interpretatio. Etiam sub verbis citati canonis *Si quis* stricto sensu acceptis non omnes enumerati casus comprehendebantur; et tamen romani Pontifices eos comprehenderunt. Ratio autem quae tradi solet, cur haec poena intellecta fuerit in omnes cooperatores extensa, quaecumque fuerint personae percussae, dummodo ecclesiasticae Hierarchiae se mancipaverint aut nomen dederint

III.

Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*)

religioso Instituto, quo Deo perpetuo sacrarentur, est, quia agitur de re Ecclesiae favorabili, idest de immunitate personarum Ecclesiae, de privilegio ordinis clericalis: sed haec quamquam sit aliqua ratio non est tamen adaequata: namque repeti posset de omni censura, ob ecclesiae immunitatem illata, quod verum semper non esset. Ratio adaequata canonis *Si quis suadente* haec esse videtur. Semper in catholica Ecclesia uti gravissimum sacrilegium considerata est impia vis in personas Deo dicatas illata: gravis autem censura adjecta est non tantum ad arcenda ejusmodi sacrilegia sed quia censura consentanea et cohaerens videbatur gravissimo sacrilegio a fidelibus horrore quodam semper reprobato: ideoque quantum pateret et protenderetur sacrilegii reatus ex vi illata, tantum patere et protendi intelligenda erat censura. Quare hac in re non valet principium: legislator quod expressit voluit, quod non expressit noluisse censetur: sed Articulus intelligendus est juxta canonis, ex quo est desumptus, traditionem.

Articulus Constitutionis de quo agimus est expressio dicti canonis, ipsis fere verbis facta: censura reservata est romano Pontifici, servatis tamen limitationibus jure vel privilegio permissis: quibus satis indicatur, ejus Articuli interpretationem eandem esse, quae in jure jam facta reperitur.

*) Hic Articulus comprehendit Constitutionem Tridentinam *sess. 25. cap. 19. de Reform.* eamque extendit et declarat. Extendit 1° ad *simpliciter provocantes*, quamquam alter non acceptet duellum, ideoque duellum non sequatur. 2°. *Ad acceptantes duellum*, sive inde duellum sequatur vel non sequatur; quum e converso Tridentina Constitutio edixerit: *qui vero pugnam commiserint.* Quod Constitutio Tridentina edixerat: *Spectatores*, hic datur interpretatio: *de industria spectantes.* Quod Constitutio Tridentina edixerat: *Imperator, Reges . . . . , qui locum ad monomachiam in terris suis . . . concesserint*, hic ita protenditur: *illud permittentes vel quantum in illis est non prohibentes cujuscumque dignitatis sint etiam regalis vel imperialis.* Adjungit praeterea reservationem, quae vi Tridentinae sanctionis non videtur adfuisse.

**) Vd. *p. 793; p. 909.* §: *In quinto.* Secta Fenianorum declaratur comprehensa sub sectis in hoc articulo significatis per decretum s. Inquisitionis quod sequitur:

Decretum.

Feria IV. die 12. Januarii 1870.

Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an societas fenianorum comprehensa censeatur inter societates damnatas in pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX. exquisito prius suffragio Eminentissimorum Patrum

IV.

Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae* aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.**)

V.

Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes. †)

Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa christiana Republica Inquisitorum generalium ne fidelium praesertim simplicium corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens decretis alias a s. Congregatione universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim Decreto feria IV. die 5. Julii 1865, decrevit ac declaravit, societatem Americanam seu Hibernicam, fenianorum appellatam, comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in constitutionibus summorum Pontificum et praesertim in nuperrima ejusdem Sanctitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869. incip. »*Apostolicae Sedis*« qua sub num. 4. excommunicationi latae sententiae romano Pontifici reservatae obnoxii declarantur »Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.«

Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit.

Loco † Sigilli

Pro D. Angelo Argenti
S. Rom. et Univ. Inquis. Notario
Jacobus Vogaggini Substitutus.

In eodem exposito articulo IV. ad verba *eorumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint,* quaeritur: an cessaverit obligatio denunciandi ceteros, qui non sint neque coryphaei neque duces, quique tamen sint occulti sectarii.

Resp. Per Constitut. *Apostolicae Sedis* nihil est *per se* innovatum quoad obligationes ceteras cujuscumque generis: limitatae dumtaxat sunt censurae; ideoque in omnibus locis ubi viget ecclesiastica lex denunciandi, obligatio manet. Haec lex denunciandi tum ratione publici boni inducta est tum ratione privati boni personae denunciatae: si ejusmodi secunda ratio cessaret, manet prima ratio; namque utile Episcopo et auctoritati ecclesiasticae semper erit pro pascendis fidelibus suae curae commissis cognoscere occultos haereticos vel sectarios aliosque denunciandos. Et ob has rationes, etiamsi lex ecclesiastica denunciandi cessavisset, maneret obligatio ex jure naturali derivans; quod jus naturale gravibus concurrentibus adjunctis, ut quando agitur de gravi damno evitando, graviter potest obligare.

†) In prima editione Constitutionis ex officio facta quidam error irrepsit in hoc articulo: ita enim legebatur articulus ille: *Immunitatem asyli ecclesia-*

VI.

Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo *); pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a s. Pio V. in const. *Decori* praescriptam *) (Vd.: *Clausura.)*

---

stici violare jubentes aut ausu temerario violantes. E converso eo modo legendus est, prout modo exposuimus. Id constat ex literis Rmi adsessoris sancti Officii datis de hac re ad s. Poenitentiariam hoc anno 1871 die 10. Februarii.

Hoc articulo comprehenduntur pari modo tum *jubentes violare* tum *violantes:* ut autem in censuram incurrant duo copulative requiruntur, idest *violatio* immunitatis asyli et *ausus temerarius*: ideoque si alteruter terminus deficiat censura non incurritur.

Hic facile quaeritur, quid sit immunitas asyli? Intelligitur immunitas ecclesiastica localis quatenus refertur ad asylum reorum ad eam confugientium.

Namque inter praecipua jura immunitatis localis Ecclesiae fuit semper sacrum jus illud quo Christiani ob aliquod crimen confugientes ad ecclesias non possent inde extrahi, nisi in casibus jure exceptis; forma quoque ab auctoritate ecclesiastica praescripta servata, quando extrahi deberent ob casus exceptos.

Quaeritur, utrum milites, qui nollent violare immunitatem asyli, tamen contra vel praeter voluntatem cogantur a suis ducibus eam violare in censuram incurrant.

Resp. Non incurrunt: deest enim ausus temerarius, qui exigit et legum cognitionem et voluntarium spretum earundem legum.

Quaeritur, utrum qui jubeant reum extrahere ex aliquo loco quem Episcopus judicaverit immunitate ecclesiastica gaudere, tamen illi jubeant, quod certum aliunde habeant, locum illum immunitate ecclesiastica non gaudere.

Resp. Non videntur incurrere in hanc censuram: namque deesset violatio juris asyli, quamquam haberi posset ausus temerarius ob contemptum legitimae formae.

De temerario ausu mentio quoque fit in Constitutione Benedicti XIII.: *Ex quo divina*, edita sexto Idus Junii anno 1725. In ea namque Pontifex universos Episcopos hortatus est, ut »*etiam sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui ejusdem praesentis Constitutionis executionem ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire praesumerent*«. (Vd. p. 909. §: *In quarto.*)

*) Haec verba desumpta sunt ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Reg. c. 5.* ubi legitur: »*Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat cujuscumque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerit sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta. . .*« Desunt tamen in articulo haec ultima verba, in quorum loco posita sunt haec alia *absque legitima licentia*, ne fortasse putarentur excommunicationem esse quoque connexam cum defectu *formae* licentiae obtinendae. Sufficit itaque ut licentia sit legitima, quae ab iis, a quibus dari debet, in praescripta forma dari oportet, quin tamen formae defectus censuram secumferat.

*) S. Pius V. in Constitutione *Decori* edita die 24. Januarii 1570 haec constituit: §. 1. Sane periculo et scandalo plena res est ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos necnon monasteria et alia filiationes nuncupata, etiam eis subjecta, visitandi aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

§ 2. Unde Nos malo huic, pro nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto s. Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti ac aliis nostris literis desuper hujusmodi clausura editis adjicientes. volumus, sancimus et ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum superiores quibus cura monasteriorum incumberet etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere;* aliter autem quam ut praefertur egredientes seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes necnon concomitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis majoris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subjacere, a quo, praeterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant.« Quae tamen nunc sunt abrogata.

Quaeritur, utrum sub nomine clausurae veniat etiam illa clausura, cui identidem alligantur illae mulieres in communitate viventes, quae vota simplicia emittunt: quae clausura imponitur sive ab Episcopis sive vi suarum Constitutionum sive etiam vi voti specialis.

Resp. Non illa intelligitur: ea enim legibus gubernatur, quas Episcopus injungit vel Constitutiones vel votum; sed ea intelligitur, quae vi generalium Ecclesiae legum praescripta est monialibus vota solemnia emittentibus. Sermo namque est in hoc articulo de illis monialibus et de clausura illa, de qua loquitur Concilium Trid. et Constitutio S. Pii V. in Constit. *Decori.*

De hac re exstat etiam quaedam recens resolutio S. Congregationis Episc. et Regul. his verbis: »Die 1. Augusti 1839. S. Congregationi Episc. et

VII.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.*) (Vd.: *Clausura.)*

Reg. duo quae sequuntur dubia resolvenda proposita sunt: I. Utrum, si non sint solemnia vota, moniales nihilominus teneantur ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Tridentina Synodo edictis, ubi Episcopus clausuram restituerit. II. Utrum etiam excommunicationis incurrat poenam, qui sine licentia ingrediatur septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo restituta fuerit.«

S. Congregatio respondit ad I: *Negative quoad poenas sacris canonibus et apostolicis constitutionibus praescriptas: affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.*

Ad II: *Affirmative si ab Episcopo decreta fuerit.*

»Notandum tamen, quod S. C. Episc. et Reg., quum clausurae lex sub censuris in monasteriis votorum simplicium ab Episcopis imposita fuisset et proinde contra eam reclamatum esset, *solitum servari* responderit in *Ravennaten.* 18. Junii 1728, 23. Sept. 1757 et 10. Mart. 1758.«

*) De hoc articulo idem quaeri potest, quod de superiore dixi; eademque videtur danda responsio. Namque sermo est de clausura virorum regularium; hoc autem nomine non appellantur Congregationes ecclesiasticae eorum, qui emittunt vota simplicia. Notandum tamen est heic sermonem esse tantum de censura, non autem, utrum id sit conveniens aut licitum ad normam sacrorum canonum. Romae autem consuetudo viget, qua mulieres non solum non admittuntur in domibus Congregationum ecclesiasticarum, sed neque in locis piis ut in seminariis et collegiis clericorum aliorumve.

S. Pius V. in Constit. *Regularium*, edita die 25. Octobris 1566 haec statuit: »Quia igitur et Carthusiensium Ordinis et aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres, modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum, contra ipsorum instituta, praetextu confessionalium aut aliarum literarum apostolicarum, ingredi audeant, ipsis Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis Praesidentibus aliquando recusantibus et renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi aliquorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

Huic rei providere volentes motu proprio et certa scientia ac de apostolica potestatis plenitudine omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ac domos Carthusiensium et *aliorum quorumcumque regularium ordinum etiam mendicantium*, mulieribus, cujuscumque status et quacumque dignitate ac praeeminentia praeditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis concessas . . . revocamus . . .

Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates et licentias praetendentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non possint, nisi a Nobis aut romano Pontifice qui pro tempore fuerit absolvi, praeterquam in mortis articulo, ne dictas domos et monasteria ingredi audeant.

Ipsis vero monasteriorum et conventuum Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis Praesidentibus, quocumque nomine vocentur, et eorum Monachis, Canonicis et Fratribus, sive Mendicantibus sive non Mendicantibus, sub privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis inposterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a Divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis poenis *ne eas introducere admittereve praesumant.*«

In Constitutione *Apostolicae Sedis* de qua agimus hae poenae, certe suspensio ipso facto incurrenda inflicta regularibus introducentibus et admittentibus, conversae sunt in excommunicationem ipso facto incurrendam et romano Pontifici reservatam.

Dixi: certe suspensio ipso facto incurrenda: namque de aliis poenis canonicis dubitari potest, an permaneant, quum per gravissimam excommunicationis poenam videatur satis consultum fini qui intenditur; ideoque ceterae poenae videntur hac nova dispositione cessare.

Sed constitutio s. Pii V., quam retuli, a monachis Congregationis Montis Virginis non fuit recte intellecta juxta Pontificis mentem: quare idem Pontifex alias apostolicas litteras dedit die 16. Julii 1570 quae incipit: *Decet*, mentem suam uberius declarans his verbis: »Dicimus et declaramus fuisse et esse mentem et intentionem nostram, quod dictae litterae non solum comprehenderent mulieres habere praetendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes et quascumque mulieres tam in genere quam in specie.

Significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc et praedictas nostras literas non intelleximus nec intelligimus, quod mulieribus praecluderetur vel praecludatur aditus ad monasteria et loca regularia dictae Congregationis ac eorum claustra, quando in eis missae et alia divina officia celebrantur ac dum processiones fiunt, et quando christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca dictae Congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis personis accedere libere et licite possint et valeant.

Et similiter, quod quando divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum Congregationis hujusmodi proponitur vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint et egredi per portam ecclesiae, perpetuo concedimus, ut dictae mulieres, una cum aliis saecularibus personis, possint ingredi et egredi per portam claustri monasteriorum et locorum regularium Congregationis hujusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur e monasterio.«

Hae quamvis videantur speciales concessiones factae monachis Montis Virginis, attamen ex consuetudine, his in circumstantiis, idem videmus quoque servari in nonnullis Regularium Ordinibus, qui intra monasteria habeant, puta cubiculum S. Fundatoris vel alterius Sancti, die ejusdem festo. Unde sine comparatione multo rigidior multoque amplior est lex de clausura monialium quam lex de clausura Regularium, quae quidem est severior quoad limites claustrales veterum monachorum quam quoad limites monasteriorum et domorum subsequentium ordinum,

VIII

Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices.*)

IX.

Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.**)

X.

Reos simoniae realis ob ingressum in religionem.

XI.

Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur constitutione s. Pii V. *Quam plenum* 2. Januarii 1569.***) (Vd. *Mühlbauer*, Decr. auth. S. R. C. *suppl. t. II. p. 294. n. 6; t. I. 675. n.*)

*) Simonia quae dicitur realis, ideo realis dicitur ut distinguatur ab ea quae appellatur mentalis, et ab altera quae appellatur conventionalis. Crimen simoniae realis tunc committitur, quando conventio vel pactum de danda re spirituali pro temporali aut viceversa de danda re temporali pro spirituali, exsecutioni mandetur ex utraque parte, saltem haec executio ex utraque parte sit incepta. Si hoc simoniae genus locum habeat in ecclesiasticis beneficiis, sive haec sint saecularia sive regularia, sive altioris ordinis, ut Episcopatus, Dignitates, sive inferioris ordinis, ut beneficia simplicia, sive jurispatronatus sive liberae collationis, talis simoniae tum rei tum complices sub hoc articulo comprehenduntur. (Vd. *Simonia; t. II. p. 443. tt.)*

**) Simonia confidentialis est alterum, quod subsequutum est, simoniae genus, quod locum habet in beneficiis ecclesiasticis ex confidentia, qua inducitur certa quaedam obligatio disponendi de beneficiis. Committitur haec simonia, quando aliquis dat vel confert beneficium ecclesiasticum vel ad illud praesentat et eligit seu electum vel praesentatum instituit et confirmat cum certa confidentia et obligatione, idest cum expresso vel tacito pacto vel conditione ut tamquam ex debito illud sibimet vel alteri, ut fratri, nepoti, amico certo tempore iterum cedat seu resiguet. De hoc simoniae genere legenda est constitutio s. Pii V., quae incipit *Intolerabilis*, quam habes expositam t. II. p. 455.

***) Illi, qui excommunicatione plectuntur ex constit. *Quam plenum* sunt Episcopis inferiores, causa quaestus, qui simoniam redoleat. Pontifex ille in hac constitut. graves quosdam enarrans abusus in quorundam facultatum concessione, easque inde concessiones irritat atque demum poenas sancit hac ratione: §. 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis detestandum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes literas suas in eorum civitatibus et dioecesibus publicare praesumpserunt, quibus inter caetera pericula deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere sacerdotem †), qui confessione audita ipsum absolvere valeat, non in iis tantum casibus in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen hujus sanctae Sedis esset omnino referendus.

§. 2. Ad haec, ipsi, in dispensandis caelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic literas praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum injunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint, et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacri appendi jusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

§. 2. Itemque missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum ††) esum, assumptionem duorum vel plurium Compatrum ad sacrum baptisma, contra decretum Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus adsciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendunt, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

§. 4. Cum igitur, inter caetera scandala etiam simoniae pravitas non obscure redoleat et praedictis sacri Tridentini Concilii decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat et poenitentialis satisfactio enervetur: Nos his malis celeri remedio occurrendum eademque opera futuris praecavendum fore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine supradicta omnia, quae in ipso Archiepiscopatu Toletano et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum hucusque, etiam praetextu confraternitatum augendarum et quocumque alio emanarunt, damnamus et exsecramus ac perpetuo abolemus nullaque et irrita fuisse et esse nunciamus mandantes literas et indices.

§. 5. Necnon scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dilacerari, confringi penitusque deleri et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

§. 6. Quicumque, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, secus egerint seu contenderint attentari, ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspensi jaceant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; *inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant*, a qua nisi in mortis articulo constituti ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere.

†) Vd. *t. I. p. 146. h.* ††) *p. 837.*

XII.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.*)

XIII.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus s. Pii V.: *Admonet nos*, quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam*, 26. Junii 1592 et Alexandri VII., *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S.R.E. respicientibus.*) (Cf. *p.902.XII.*)

*) In hoc articulo sermo est de eleemosynis missarum manualibus, ut deprehenditur ex verbo *Colligentes*, necnon ex constitutione Benedicti XIV., quae incipit *Quanta cura*, edita die 30. Junii 1741. †) ex qua hic articulus originem duxit. Hanc itaque censuram incurrunt qui colligant missarum stipendia majoris pretii ut lucrum captent faciendo eas missas celebrari in locis in quibus minus sit missarum stipendium.

Constitutio indicata: *Quanta cura*, postquam enarasset quosdam graves abusus de his eleemosynis ea de causa colligendis, ita subsequebatur: »Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant. Exsecrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Praedecessores nostri . . . decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote stipendium seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione missae a quocumque accepta non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset.«

Postquam idem Pontifex exhortatus esset Episcopos, ut ejusmodi abusum atque avaritiam exstirpassent, denique subjunxit, ut iidem Episcopi haec nota facerent.

»Quemcumque, qui, eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum sive ididem sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcumque sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium quam per Nos ipsos seu Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.«

Haec Benedicti XIV. sanctio, quam ad illustrationem attuli, per articulum, de quo agimus, partim est extensa, partim videtur limitata: est extensa, quum in omnes excommunicationis poena lata fuerit sive laicos sive clericos; est limitata seu potius declarata, quum non dicatur *ibidem*, sed *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse soleant:* quibus verbis satis indicatur non agi de uno paucisque numero stipendiis sed de quadam copiosa collectione facienda usu mercaturae, ut ea colligens verum lucrum percipiat: quod ex. gr. non esset difficile si in America colligerentur missarum stipendia et in Italiam translata fierent celebrari juxta synodales plurium italicarum dioecesium taxas vel consuetudines. Qui haec facerent in hanc censuram incurrunt, manente firma prohibitione retinendi sibi partem eleemosynae manualis unius etiam missae sine legitimo titulo.

Hic multa quaeri possunt, quae tamen, ex iis quae indicavi, quum facilis solutionis esse videantur, omitto.

De abusu, qui in variis Galliae partibus irrepsisse dicitur, quaero: an sub hoc articulo comprehendantur, qui superfluas eleemosynas manuales propriae ecclesiae cumulantes ad negotiatores mittant (ex quibus utile aliquod percipiunt) ut iidem negotiatores iisdem utantur ad vendendas merces iis Presbyteris, qui indigeant missarum stipendiis, lucrum non capientes ex stipendiis, sed ex frequentiori negotiatione ita ut commodum et utile negotiandi medium mercatoribus stipendia missarum evadant.

Resp. Non videntur sub hoc articulo comprehendi, quamquam illicite agant, qui ad publicos negotiatores stipendia mittant utile aliquid sibi hae de causa ab iisdem negotiatoribus recipientes. Illicite dixi, duplici praesertim de causa, tum quod ad publicos negotiatores mittant, quum mittere deberent ad Episcopum si modus ipsis desit, quo eas celebrari a ceteris Presbyteris faciant, tum quod utile, quidquid sit, percipiant, ex quo percipere non deberent, quum negotiatores non donent nisi quia ope stipendiorum oblatorum industria sua uberius lucrum sciunt percipere: quod inhonestum in hac re facile est, sive ob facile periculum, quod negotiatores obligationi susceptae non faciant satis, sive quod laici negotiatores, in lucrum proprium intenti, facile protrahunt missarum celebrationem ex quarum stipendiis fructus interim percipiunt; vel etiam eandem indirecte protrahunt ex copioso missarum numero, quem sacerdoti merces ementi committunt, cui satisfacere identidem sacerdos non potest, nisi decursu annorum, tum ob similes ecclesiasticarum legum transgressiones.

Ceterum huic rei prospicere debent sacrorum Antistites qui ita rem moderari possunt, ut Presbyteri, qui eleemosynis missarum indigeant ex superfluis aliorum habeant, sibi negotium assumentes. Nihil tamen esset illiceitudinis, immo potest esse quoque opus charitatis, si Presbyteri, qui missarum stipendiis indigeant, habere valeant mercem aliquam, missas celebrando, quarum stipendia relinquant iis qui mercem transmittunt.

*) In constitutione *Admonet nos* solemnissime edita a s. Pio V. excommunicatione mulctantur omnes illi, qui per se vel alios agere studeant sive insinuare vel suadere Romano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad s. Sedem

†) Vd. *Mühlbauer l. c t. III. p. II. pag. 219.*

XIV.

Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.*)

XV.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.**)

pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Ita autem se habet constitutio: §. 3. Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam communitates et universitates, quam cives et incolae civitatum et locorum praedictorum *(quae sanctae Sedi in temporalibus sunt subjecta)* aliaequae quaecumque personae tum ecclesiasticae tum saeculares, cujusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel majoris, exsistentes, ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales †), tam publice in conciliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earundemque Gubernatores aut Sedi Apostolicae Legati vel Pro-Legati exsistant, tractantes, consulentes aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad Nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a Nobis et Sede praefata quibusvis personis, cujusvis dignitatis, status, gradus, etiam Nobis et successoribus nostris secundum carnem conjunctis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad Nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationis hujusmodi Romano Pontifici pro tempore exsistenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant.«

Innocentius IX. in constitutione *Quae ab hac Sancta Sede* in primo Consistorio secreto post suam electionem ad Pontificatum inseruit integram constitutionem *Admonet* S. Pii V., atque commemorans, Gregorium XIII. Constit. *Inter*, Sixtum V. Constit. *Quanta* et Gregorium XIV. jurasse eam Pianam constitutionem servaturos eandemque adprobasse, confirmasse et innovasse; ita ipse Innocentius eam iterum approbavit, confirmavit, innovavit et prohibitionem infeudandi et alienandi dictas civitates, terras et loca uberius quoque explicavit.

Clemens VIII. in constitutione *Ad Romani Pontificis curam*, iterum confirmavit utramque constitutionem: immo derogavit cuidam moderamini quod induxerat Gregorius XIV., atque explicavit quomodo sub juramentum de non alienandis civitatibus et locis cadere possint casus necessitatis et evidentis utilitatis, his verbis: »Cum hujusmodi casus absolutae necessitatis aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi quam usu venire possint, multo magis expedire

†) Vd. *p. 830. n. 11.*

omnem prorsus alienationum et investiturarum prorogationum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix umquam contingere possunt, apertam relinquere.«

*) Clemens V. in Concilio Viennensi, prout legitur in *Clementina 1. de privilegiis* haec inter cetera statuit: »Religiosi, qui clericis aut laicis sacramentum Unctionis extremae vel Eucharistiae ministrare matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali, . . . praesumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides. . . .«

In eadem Clementina Constitutione limitatio in paragrapho ultimo fuit adjecta, his verbis: »Sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus sacramenta possint ecclesiastica ministrare nullum ex praemissis volumus quoad hoc praejudicium generari.«

Haec limitatio, uti patet, per articulum de quo agimus non est abrogata: immo quod in Clementina dicitur, *Religiosis illis quibus est ab Apostolica Sede concessum ut familiaribus suis domesticis : . . sacramenta possint administrare*, transiit in commune jus ut colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 11. de ref.* his verbis: *»exceptis tamen iis. qui praedictis locis* (a jurisdictione episcopali exemptis) *aut militiis* †), *actu inserviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt.«* († Vd. *p. 699.*)

Hic quaeri potest, utrum dictus Articulus, quo ex parte innovata est Constitutio Clementina, comprehendat quoque instituta votorum simplicium.

Respond. Non videtur comprehendere. Namque in odiosis ejusmodi instituta neque regularia neque religiosa appellantur. Quod autem illicite agerent si praesumerent administrare extremam Unctionem vel sacram Eucharistiam per viaticum extra necessitatis casum sine licentia Episcopi vel Parochi non est quaestio. Namque haec duo jura sunt exclusive paroecialia, et nemo alius sine Episcopi vel parochi licentia potest in illis sese ingere; excipi tamen legitimam horum jurium praescriptionem. (Vd. *t. I. p. 202. i; p. 207; 215.*)

**) In hoc Articulo agitur de reliquiis e romanis priorum ecclesiae saeculorum cryptis sine legitima venia extrahendis; quum vero in eisdem cryptis seu catacumbis passim reperiantur ossa et cineres in loculis apertis de quibus jam constat non esse ossa et cineres martyrum, sed fidelium qui ibi reconditi sunt, quaeritur, utrum qui cryptas visitans memoriae vel

XVI.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII.

Clericos scienter et sponte communicantes in Divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.*)

devotionis causa sibi assumeret aliquid ex his ossis et cineribus in hanc censuram incurreret.

Respond.: Non videtur incurrere, ideo quia de his jam constat non fuisse corpora martyrum: secus esset dicendum si de reliquiis ageretur, de quibus non adhuc constaret an sint martyrum vel tantum fidelium.

In quo autem consistat legitima venia de qua sermo est in exposito Articulo deprehenditur ex constitutione Clementis X. *Ex commissae*, edita die 13. Januarii 1672, quaeque inserta est in opere: *Mühlbauer, Decreta auth. S. R. C. t. III. p. I. pag. 64.*

Ex ea decerpimus: »Ex commissae Nobis caelitus curae pastoralis officio providere volentes, ut sanctorum martyrum corpora et reliquiae pie ac decenter et sine turpi quaestu ex hujus almae Urbis nostrae et locorum circumvicinorum coemeteriis extrahantur, recondantur, asserventur ac fideliter prudenterque distribuantur, de nonnullorum etc., qui rem jussu nostro mature discusserunt et quorum sententia Nobis a dilecto filio nostro Gaspare S. R E. Presbytero Card. Carpineo nuncupato, in Urbe praefata Vicario in spiritualibus generali ac Prodatario nostro, relata fuit, consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, *ut nemo ad extrahendas a coemeteriis praefatis reliquias accedat, nisi ejus rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis Card. moderni seu pro tempore exsistentis in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus generalis sigillo munito et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poena excommunicationis latae sententiae effodiat et ex aliquo coemeteriorum hujusmodi extrahat aliter quam coram Sacerdote per dictum Gasparem Card. modernum seu pro tempore existentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita.*

Qua omni recognitione facta statim singula corpora et cujuscumque martyris reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem in palatio nostro asservandas etc.«

*) Ante Concilium Constantiense omnes excommunicati excommunicatione majore erant vitandi: post hoc Concilium ob Constitutionem Martini V. quae incipit *Ad evitanda scandala*, vitandi tantum erant notorii percussores Clericorum et qui excommunicati essent nominatim, expresso videlicet nomine ut consuetudo hactenus tulit: multa autem in jure non sine ambagibus reperiuntur constituta de illis, qui cum excommunicatis communicarent, qui modo excommunicationem minorem ipso facto incurrerent modo majorem secundum id in quo communicarent et modo reservatam modo non reservatam: ejusmodi autem censurae cohibitae sunt post Martini V. Constitutionem ad eos tantum, qui communicarent cum excommunicatis sive *nominatim* sive cum *notoriis* Clericorum percussoribus. Notorii namque percussores Clericorum non indigebant ut denunciarentur ut excommunicati, ut haberentur uti tales. Quod confirmat, quae superius scripsi de iis, qui violentas manus in clericos inferrent. (Vd. *p. 910. II.)*

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

Hodie autem post Constitutionem *Apostolicae Sedis*, de qua agimus, cessat censura quaevis quam antea contrahebant illi, qui communicarent cum notorio Clericorum percussore; de hac censura nonnisi in hoc et superiori articulo sermo habeatur. Quare hodie sub poena excommunicationis vitandi tantum manent *nominatim* excommunicati a Papa: atque excommunicationem majorem, eandemque Romano Pontifici reservatam, incurrunt omnes, qui communicant cum his in crimine criminoso; et clerici *scienter et sponte* communicantes in Divinis et eos in officiis recipientes: haec sanctio, ad clericos quod spectat, ipsis verbis desumpta est ex capite *Significavit, de sententia excom.* in quo sic respondit Clemens III: *»Verum Clericos, qui scienter et sponte participaverunt excommunicatis a Nobis et ipsos in officiis receperunt eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad Nos volumus cum literarum tuarum insinuatione remitti.«* Prima autem sanctio, quae ad omnes refertur, desumpta est ex cap. *Nuper, eod. tit.* in quo Innocentius III sic inter cetera rescripsit: *»In secunda vero quaestione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem, aut alias in oratione vel osculo aut orando secum aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, quum talis communicet crimini et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel ejus superiore merito delicti tunc erit obsolutio requirenda, quum facientem et consentientem par poena constringat: in secundo vero casu a suo Episcopo vel a proprio sacerdote etc.* Sed hic secundus casus de eo qui communicat extra crimen post Constitutionem *Apostolicae Sedis* censuram minorem antea dictam non amplius secumfert: manet autem tantum major excommunicatio et reservata in omnes, qui in crimine criminoso participent, quum facientem et consentientem par poena constringat; necnon in Clericos, qui communicent scienter et sponte in administratione et receptione sacramentorum aliisque Divinis. (Vd. *p. 905. n. 20.*)

I.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*)

*) Hic quaeri potest, utrum enunciatae personae si sponsalia sola contraherent, in hanc censuram incurrerent.

Resp. Non incurrerent; ratio est, quod juridica verba *praesumentes contrahere matrimonium* non significant *constituentes contrahere matrimonium*. Ad incurrendam hanc censuram requiritur et matrimonii celebratio et scientia de ejus nullitate, ob legem vel votum solemne castitatis, quae scientia cum celebratione conjuncta exprimitur per verba *praesumentes contrahere*.

Item quaeritur: si ejusmodi inhabiles personae matrimonium dumtaxat civile contraherent, ubi publicatum est Tridentinum Decretum *Tametsi c. 1. sess. 24. de ref. matr.* incurrerentne in ejusmodi censuram?

Resp. Incurrerent. Ratio est, quia omnes enunciatae personae in hanc censuram incurrunt, *quae praesumunt matrimonium contrahere*, idest praesumunt contractum illum inire, qui matrimonii habeat figuram: numquam enim possunt verum matrimonium contrahere. Quamvis autem matrimonium civile non sit matrimonium validum (ob impedimentum dirimens, quod clandestinitatis appellamus, ex defectu formae ab ecclesia sub poena nullitatis praescriptae), est tamen contractus qui juxta naturae leges esset verum matrimonium: ideoque licet per accidens, ob carentiam praescriptae formae, sit nullum, in se tamen figuram matrimonii habet, nullamque aliam habet figuram: ita ut matrimonium civile neque vim habeat sponsalium, quia sponsalia aliam habent indolem et naturam: ideoque personae illae, quae ad verum contrahendum matrimonium jam sunt inhabiles, matrimonium civile contrahere praesumentes, contractum illum inirent, qui habet matrimonii figuram, quod esset nullum ex duplici saltem capite.

Haec ad normam veterum canonum jam sanxerat Clemens V. in Concilio Viennensi per constitutionem, quae legitur in *Clement. unica de consanguinitate et affinit.* his verbis: »*Eos qui divino timore postposito in suarum periculum animarum scienter* (his verbis significatur praesumptio)... *cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: necnon religiosos et Moniales ac Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refrenare metu poenae ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subjacere: praecipientes ecclesiarum Praelatis, ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse excommunicatos publice tamdiu nuntient, seu a suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quoque juribus, quae sic contrahentibus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari.*«

Quid autem juris si haec praesumptio non oriretur ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione, quod matrimonium sit validum, quia ecclesia non posset reddere irrita ejusmodi matrimonia?

Respond. Qui haec teneret, esset haereticus et puniendus quoque poenis in haereticos inflictis ob Tridentinum canonem 9. *sess. 24. de ref. Matrim.* qui ita se habet: »*Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum, anathema sit, quum Deus id recte petentibus non deneget nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*«

II.

Procurantes abortum, effectu sequuto.*)

*) In hoc articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum vel inanimatum atque ideo neque nos distinguere debemus. Indistincte pariter sub censura comprehenduntur *procurantes* abortum; ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret sive quisquis alius, nulla facta personarum distinctione, omnes in hanc censuram incidunt.

Tamquam autem conditio, ut abortum procurantes in censuram incidant, est effectus qui sequatur, ita ut effectu non sequuto ab excommunicatione sint immunes.

Quinam autem sub nomine *procurantes* abortum veniant colligi potest ex Constitutione Sixti V., quae incipit *Effrenatam*, edita die 29. Octobris 1588, per haec verba: *omnes ... qui per se aut per interpositas personas abortus seu foetus immaturi tam animati quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri praegnanti impositis ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde sequutus fuerit.*« (Vd. *t. I. p. 121. n. 4.)*

Hic quaeri potest, quid esset sentiendum si abortus sequutus quidem fuerit, sed ex alia accidentali causa, non vero ex causis studiose adhibitis, incurrerentne *procurantes* in hanc censuram?

Resp. Non videntur in hanc censuram incurrere, si tamen satis constaret vel media studiose adhibita fuisse inefficacia, vel constaret effectum adscribendum esse causae accidentali. Articulum secundum aperte quoque declarant relata verba Sixtinae Constitutionis, *ita ut abortus reipsa secutus fuerit*; quae verba conjunguntur cum mediis studiose adhibitis, tamque effectus cum sua causa efficiente.

Sixtus V. in indicata Constitutione ea justitiae severitate, qua in crimina erat incensus, omnibus quibus poterat poenis procurantes abortum foetus animati vel inanimati mulctavit atque etiam procurantes sterilitatem: sed postea eam Constitutionem Gregorius XIV. magna ex parte mitigavit per Constitutionem *Sedes Apostolica* (Vd. *t. I. p. 124*), atque ceterae poenae canonicae inflictae per Sixtinam Constitutionem videntur jam redactae ad jus commune; idest, quod si abortus fuerit animatus, qui fuerint causae abortus poenis mulctantur quibus in

III.

Literis apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.*) (Cf. *p. 901. IX.*)

jure mulctantur homicidae voluntarii. Adverte tamen ejusmodi poenas et ceteras ejusdem generis per ss. canones inflictas, ut privatio beneficiorum ipso facto vel privilegiorum clericalium aliorumque similium generatim exsecutioni mandari non solere, nisi per sententiam judicis *declaratoriam:* id ex aequitate canonica est inductum.

*) Hic Articulus vix expositione indiget: placet tamen nonnulla documenta ad eruditionem referre quae licet in decretalibus contineantur, paucis tamen sunt cognita. Innocentius III. in *cap. 4. de Crimine falsi* ad evitandum quoque periculum, id temporis certo non infrequens, ne literae Apostolicae falsarentur haec constituit: »Statuimus et sub excommunicationis poena et suspensionis Ordinis et Beneficii districtius inhibemus, ne quis apud Sedem Apostolicam literas nostras nisi a Nobis vel de manibus illorum recipiat, qui de mandato nostro ad illud sunt officium deputati. Si vero persona tantae auctoritatis exstiterit, ut ipsam deceat per nuntium literas nostras recipere, nuntium ad cancellariam nostram vel ad Nos ipsos mittat idoneum, per quem literas Apostolicas juxta formam praescriptam recipiat. Si quis autem in hac parte mandati nostri transgressor exstiterit, si laicus fuerit excommunicationi subjaceat, si clericus officii et beneficii suspensione damnetur. (Vd. *Literae apostol.*)

Adjicientes statuimus ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas paroecias faciatis frequentius innovari, quod si quis falsas literas se habere cognoscit, intra viginti dies literas illas aut destruat aut resignet, si poenam excommunicationis voluerit evadere quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali mandato nostro a quoquam nolumus relaxari, nec etiam, si praesumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis.«

Atque in *cap. 7. eod. tit.*, postquam gravissimas censuras et canonicas poenas in falsarios intulerit, sic sanxit de his qui falsis literis Apostolicis utantur: »*Qui vero sub nomine nostro literis falsis utuntur, si Clerici fuerint, officiis et beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici tamdiu maneant excommunicationi subjecti, donec satisfaciant competenter, ita tamen ut in istis et illis malitia gravius quam negligentia puniatur.*«

Idem Pontifex varia indicia dedit, ex quibus argui posset literarum Apostolicarum falsitas; sic ex. gr. in *cap. 6. eod. tit.* ad Episcopum Antimacensem argute pro suo more rescripsit: »Nos vero literas, quae tibi sub nostro nomine praesentatae fuerunt, diligentius intuentes, in eis, tam in continentia quam in dictamine, deprehendimus falsitatem: atque in hoc fuimus admirati, quia tu talis literas a Nobis credideras emanasse, quum scire debeas, Apostolicam Sedem consuetudinem in suis literis hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos *fratres*, ceteros autem, Reges, Principes vel alias cujuscumque ordinis *filios* in nostris literis appellemus. Et quum uni tantum personae nostrae literae diriguntur, numquam ei loquimur in plurali, ut *vos* sive *vester*

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

I.

Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.*)

et his similia in ipsis literis apponamus. In falsis autem literis tibi praesentatis in salutatione *dilectus in Christo filius* vocabaris, quum in literis, quas aliquando tibi transmisimus, te videre potueris a Nobis *fratrem venerabilem appellatum*. Propter quod sic literas Apostolicas studeas intueri, tam in bulla, filo et charta quam in stylo, quod veras pro falsis vel falsas pro veris literis modo aliquo non admittas.«

Et in *cap. 9. eod. tit.* sic rescripsit: Verum litteras ipsas, quae redargutae fuerant falsitatis, diligentius intuentes nullum in eis falsitatis signum vel suspicionis invenimus *nisi paucarum literarum rasuras*, quae nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt ...« Ex quo capite interpretes ss. canonum arguunt, propter paucarum literarum rasuram in loco non suspecto rescriptum non probatur falsum.

*) Ejusmodi censura restringitur ad *Mandantes et cogentes tradi ...*, quando agitur de sepeliendis *haereticis notoriis* (idem repete de apostatis notoriis a christiana fide qui eodem censu habentur) aut de *excommunicatis nominatim* vel *de interdictis nominatim.* (Vd. *p. 905. n. 21.*)

Antea ejusmodi censura ad multos extendebatur juxta *cap. 2. de Haereticis in 6°* in quo Alexander IV. haec constituit: »*Quicumque haereticos, credentes receptatores, defensores vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiae se noverint subjacere. Nec absolutionis beneficium mereantur nisi propriis manibus publice extumulent et projiciant ejusmodi corpora damnatorum; et locus ille perpetua careat sepultura.*

Inde vero Clemens V. in concilio Vienensi, prout legitur in *Clement. cap. 1 de Sepulturis*, haec constituit: »*Eos, qui propriae temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium ecclesiae in coemeteriis interdicti tempore in casibus non concessis a jure vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos vel usurarios manifestos scienter sepelire praesumant, decernimus ipso facto excommunicationis sententiae subjacere, a qua nullatenus absolvantur nisi prius ad arbitrium dioecesani Episcopi eis, quibus per praemissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa praemissa exemptionis vel quovis alio privilegio, sub quacumque forma verborum concesso, aliqualiter suffragante.*«

Interpretes ss. canonum sub hac censura comprehendebant tum aperientes terram, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes aut concedentes vel procurantes tum etiam cooperantes, associantes seu crucem portantes et luminaria deferentes; quia omnes isti participabant in crimine criminoso subjecto excommunicationi.

II.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes testes aliosve ministros S. Officii, ejusve sacri Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis: *Ambitiosae,* de Reb. Ecc. non alienandis*). (Cf. *t. I. p. 438. h., 441. i., 456. r., t. II. p. 1075. a. b.*)

*) Constitutio *Ambitiosae* quae legitur in Sexto Decretalium *lib. 8. Extrav. Commun. cap. unic. de rebus Ecclesiae non alienandis* edita fuit a Paulo II. anno 1467, quaeque quotidie allegatur ubi agitur de contractibus rerum Ecclesiae, tenoris est, qui sequitur: »Ambitiosae cupiditati illorum praecipue, qui divinis et humanis affectatis, damnatione postposita *immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata,* ex quibus Ecclesiae, Monasteria et pia Loca reguntur illustranturque et eorum Ministri sibi alimoniam vindicant, profanis usibus applicare aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento, exquisitis mediis usurpare praesumunt, occurrere cupientes *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum,* praeterquam in casibus jure expressis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc *Ecclesiarum evidenti utilitate* ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione *fieri prohibemus,* Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus et Decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra hujus nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem *quicquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum Locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Ponificali vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem a regimine et administratione suae Ecclesiae vel Monasterii, cui praesidet, in spiritualibus et temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Praelati, Commendatarii et aliarum Ecclesiarum Rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Praeposituris, Praepositatibus, Dignitatibus, Personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus et regularibus beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur possintque per locorum Ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quae propterea privatae fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositione Apostolicae Sedis sint specialiter aut generaliter reservata. Nihilominus alienatae res et bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria et Loca pia, ad quae ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis et innovationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Marcum anno Dominicae Incarnationis MCCCCLXVII. Calendis Martii, Pontific. Nostri anno III.

IV.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Const. *Universi* 20. Augusti 1622 et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1. Junii 1741*). (Cf. *p. 902. X.)*

*) Casus expressi in Contitutione Gregorii XV.: *Universi* ita se habent: §. 4. . . . Statuimus, decernimus et declaramus quod omnes et singuli Sacerdotes tam saeculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cujuscumque dignitatis et praeeminentiae aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, *ad inhonesta sive inter se sive cum aliis quomodocumque perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis hujusmodi etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiuntur seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.*

§. 6. Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes. . . .«

Casus expressi in Constitutione Benedicti XIV.: *Sacramentum Poenitentiae,*†) sunt qui sequuntur: »*Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis vel ante vel immediate post Confessionem, vel occasione aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis, in Confessionale sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.*«

†) Vd. *Complur.*

Praeter hos hactenus recensitos eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus, excepta anathematis poena in decreto Sess. IV. *De editione et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.*)

Heic quaeri potest 1° a quo die mensis ad denunciandum utilis, quin excommunicatio incurratur, computandus est?

2°. Si elabatur mensis ad denunciandum utilis atque ob negligentiam vel culpam persona sollicitata in excommunicationem inciderit, poteritne a Confessario absolvi ab excommunicatione contracta?

Respondeo ad primum: mensis utilis ad denunciandum incipit a certa notitia hujus obligationis et simul a certa notitia temporis utilis praescripti ad denunciandum: duplex est enim praescripta obligatio tum ad denunciandum tum ad denunciandum infra mensem; ideoque persona sollicitata, quae cognosceret tantum denunciandi obligationem sub poena excommunicationis faciendam, non vero sciret se infra mensem ad id teneri, elapso mense in excommunicationem illico non incideret: dixi *illico* non incideret, namque in excommunicationem posset incidere si cognita dicta obligatione sub dicta excommunicationis poena satisfacere adhuc negligeret, quum gravis et urgens obligatio jam neglecta videatur, si ultra mensem culpabiliter protrahatur. Pariter neque ad denunciationem teneretur, si certo non sciret se ad denunciandum teneri. Confessarius, qui noverit poenitentem fuisse ab alio sollicitatam juxta dictos casus, sive ipsa sollicitationi consenserit sive non consenserit, tenetur eandem de sua obligatione monere; atque ab eo die incipit mensis ad denunciandum utilis.

Ad secundum respondendum videtur, posse a Confessario absolvi, si poenitens promittat, se quam primum denunciaturam; non enim in hoc Articulo habetur illa clausula: *donec non denunciaverint,* quae habetur in Articulo IV. *de excomm. R. Pontifici reservata.* (Vd. *pag. 911.*)

*) (Vd. *Mühlbauer, Decr. auth. S. R. C. suppl. t. II. p. 473.)* Hic quaeri potest, quinam libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium?

Resp. Nomine librorum de rebus sacris tractantium illi intelligendi sunt, quos Tridentina synodus *in sess. IV. de editione et usu sacrorum librorum* intellexit; intellexit autem libros sacrae scripturae et eorundem librorum adnotationes et expositiones.

Tridentina Synodus Decretum illud emisit postquam Decretum dogmaticum edidit de canonicis scripturis, quo, sapientia summa, juxta Ecclesiae traditionem determinavit canonem librorum divinitus inspiratorum: atque praeterea postquam determinavit ex omnibus latinis editionibus sacrae scripturae quae id temporis circumferebantur vulgatam editionem pro authentica habendam esse: ne autem haec Decreta perverterentur districte prohibuit, ne ederentur libri de rebus sacris tractantes sine nomine auctoris. Decretum quod in Constitutione *Apostolicae Sedis* temperatum est ita se habebat:

Nota ad Lectorem.

Heic paulisper sistimus, ut inseramus excommunicationis poenas, quas inflixit Tridentinum Concilium cum adjectis ab eo reservationibus, atque inde prosequemur exponere constitutionem de qua agimus. Namque ad commodum Lectorum nostrorum eas excommunicationis poenas inquirere curavimus in Tridentinis dispositionibus, ut eas possint cum ipsis textus Tridentini verbis sub oculis habere.

Et quoniam poena *anathematis* in Decreto Sess. IV. excipitur eaque, quoad extensionem, coercetur, expedit quoque hoc Tridentinum Decretum in medium deducere, ut limitatio facta melius intelligatur. Illud autem est quod immediate sequitur:

EXCOMMUNICATIONES LATAE A CONCILIO TRIDENTINO.

Sess. 4. ex Decreto de editione et usu sacrorum librorum: »Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi prius examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant et evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur.« Quod Tridentinum Decretum quoad censuram nunc cohibitum est ad eos tantum, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii adprobatione imprimunt vel imprimi faciunt.

nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur.«

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut jurium, quorum excommunicatio est Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservata.

Sess. 22. c. 11. de Reform. »Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere illosque usurpare praesumpserit seu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur, is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus, quos occupaverit vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam jurepatronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus existat. Clericus vero qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subjaceat necnon quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur.*)

*) Confer hoc caput Tridentini Concilii cum Articulo XI. pag. 902 atque deprehendes, *usurpantes et sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum* ex hoc capite Tridentino fuisse submotos, ut sub prima excommunicationis classe comprehenderentur, quae reservata est *speciali modo* Romano Pontifici. Haec submotio ex Tridentino capite seu subtractio praecipuorum usurpantium et sequestrantium bona et jurisdictionem undequaque ecclesiasticam, ut graviori censura mulctarentur, efficit, ut verba dicti Articuli XI. tantum valeant pro nova censura, quantum exprimant, quemadmodum ibidem adnotavi. Sed quum in suo quoque vigore permaneat Tridentinum caput, quod eos quoque comprehendit, consequitur, ut si ex aliqua causa illi usurpantes vel sequestrantes evadere possent dictam censuram Articuli XI. tunc non facile effugerent censuram Tridentinam, quae est paullo mitior, quum reservata quidem sit Romano Pontifici, sed non *speciali modo*.

Item confer hoc caput Tridentini Concilii cum Articulo XII. pag. 902 atque deprehendes pariter, *invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad ecclesiam romanam pertinentia vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis, necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes* fuisse subtractos e Tridentina censura, ut pariter graviori censura mulctarentur quum in re majoris momenti usurpationem patrarent, eandemque censuram fuisse protensam ad omnes cooperatores.

Confer pariter Tridentinum Decretum cum Articulo III. p. 920 atque deprehendes Articulum illum, qui excommunicatione nemini reservata plectit *alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis »Ambitiosae«* non esse comprehensum *per se* sub Decreto Tridentino; namque deprehendes in eo Articulo III. agi de legitima administratione bonorum ecclesiasticorum; quae administratio Episcopis ceterisque ecclesiasticis vel legitimis personis jure commissa non adeo protenditur, ut possint eadem bona aliqua ratione alienare, sine Beneplacito Apostolico, exceptis nonnullis tantum casibus. Quod si alienatio fieret sine Apostolico Beneplacito, quum non sit usurpatio proprie dicta, non comprehenditur sub dicto Tridentini capite. (Vd. *t. I. p. 441. i.*)

Dixi Articulum III. *per se* non esse comprehensum sub Tridentino Decreto; namque *per accidens* posset comprehendi; idest quando legitimi administratores bonorum ecclesiae bona alienarent, ut eadem usurparent, puta ob tenuissimum pretium, quo alienarent, ut aliunde ipsi lucrum perciperent: hoc enim in casu titulo illegitimae alienationis tegeretur quoque usurpatio: eaque proinde alienatio comprehenderetur sub Tridentina censura hujus capitis inflicta omnibus usurpationem bonorum quorumcumque ecclesiasticorum *quacumque arte aut quocumque quaesito colore* factam.

Haec Tridentina dispositio adeo ampla est, ut omnia ecclesiastica bona, etiam *locorum piorum, quae in ministrorum et pauperum necessitates con-*

Excommunicatur Magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae monialium: itemque violantes earum clausuram.

Sess. 25. c. 5. de Regul. »Bonifacii VIII. Constitutionem, quae incipit: *Periculoso*, re-

verti debent, comprehendat omnesque personas, qui aliquo modo ecclesiastica bona usurpant vel usurpata, ab aliis sibi retineant, quodcumque fuerit medium per quod ea bona usurpata sibi devenerint, *etiam per suppositas personas clericorum vel laicorum* idest etiam quando eadem bona aliquis sibi retineat, quia derivaverint per medium clericorum vel laicorum, qui sint legitimi eorundem bonorum administratores, puta ex donatione ab eis facta.

Et non tantum comprehendit eos, qui bona, redditus etc. aliqua ratione usurpaverint vel impediverint, ne eadem bona et redditus ab eis, ad quos jure pertinent, percipiantur, sed etiam qui usurpaverint jurisdictiones ecclesiasticas ecclesiarum vel Beneficiorum etiam piorum locorum, puta usurpaverint potestatem eadem pia loca gubernandi, ordinandi contra leges in fundationibus praescriptas independenter a legitima ecclesiastica auctoritate. Idem est sive sint patroni sive non sint. Clerici praeterea, quamquam essent legitimi administratores, etiamsi bona et jurisdictiones sibi non usurparent, sed essent usurpationis fabricatores vel etiam si tantum suo consensu usurpationem coadjuvarent, iisdem poenis subjacent.

Hic quaeri facile potest, utrum qui emant ecclesiastica bona usurpata ab usurpatoribus in hanc Tridentinam censuram incidant: ratio dubitandi est, quod in Tridentino capite hic casus non videtur consideratus; qui enim per contractum onerosum bona usurpata acquirat non videtur stricto sensu usurpator: e converso Tridentina dispositio videtur tantum loqui de eis, qui quovis praetextu et quaesito colore bona sibi usurpant, non vero per solutionem pretii bonorum venditorum. Eo magis quod quum de censura agitur verba dispositionis protendere non debeamus. (Vd. *t. II. p. 1099 c.*)

Resp. Comprehenduntur sub sententia Tridentinae dispositionis, quamquam fortasse non comprehendantur sub verbis dispositionis ejusdem. Sententia autem legis est, ut quaevis bonorum ecclesiasticorum usurpatio eadem censura plectantur: qui autem emit bona usurpata ab usurpatoribus, actione sua in usurpationem concurrit atque bona quae acquirit non cessant esse usurpata bona per pretium usurpatori solutum: quum ipse eorum dominus vel legitimus saltem administrator non sit.

Quod vero censuram non debeamus protendere ultra verba dispositionis, est juridicum sophisma in praesenti casu; namque *»certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem*, quae est alia regula juris *Reg. jur. 88. in 6°*. Ceterum quando invocantur juris regulae prae oculis habendum est, non jus ex regulis oriri, sed e converso regulas ex jure oriri ideoque eum praeseferre sensum ex jure ex quo desumptae sunt, et secundum jus intelligendas. His positis apparet, quam parum inserviant juris regulae in legum interpretatione, et quam facile sophismata juridica committi possint, si his Regulis indiscriminatim utamur, indole et sententia legum neglectis.

novans sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialum, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes christianos Principes hortatur sancta Synodus et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus injungit.*)

Sess. 25. ex cap. 5. de Reg. »Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda.« **)

Excommunicantur raptores mulierum eorundemque consocii.

Sess. 24. ex cap. 6. de Refor. matr. Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati. . . .« ***) (Vd. *Raptus.*)

Quod si ejusmodi emptores ex aliqua justa causa effugere possent hanc Tridentinam censuram, facile inciderent in censuram constitutionis *Ambitiosae p. 920.*

*) Haec tamen censura in praesenti societatis statu per non usum jam videtur in desuetudinem abiise.

**) Haec censura jam comprehensa est sub articulo VI. constitutionis *de Excom. R. Pontif. reserv. p. 912* ideoque convertitur in eam expressam in eodem articulo.

***) Ejusmodi censura in sua vigore manet, quamquam tempore Tridentini Concilii casus hujusmodi erant multo frequentiores quam aetate nostra. Namque homines effrenati id temporis ad haec patranda crimina erant magis intenti, quum minus intenti essent ad ideas passionesque politicas.

Excommunicantur, qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Sess. 24. ex cap. 9. de Ref. matr. »Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae hereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, quum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare et ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, praecipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.« *)

Excommunicantur, qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium vel impediant.

Sess. 21. cap. 18. de Regul. »Anathemati sancta Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodolibet coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in jure expressis **), ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere aut professionem emittere quoquo modo eidem actui vel praesentiam veli consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.«

Excommunicantur duellantes et reliqui, qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt vel adjuvant vel assistunt.

Sess. 25. ex cap. 19. de Ref. »Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis . . . poenam incurrant. . . . Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure quam in facto dederint aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur.« *)

Hae sunt excommunicationes quas in rebus disciplinae inflixisse Tridentinum Concilium reperimus. Sequitur modo SSmi Domini Nostri Constitutio, quam referre assumpsimus.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I.

»Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum s. Sedis Capitula et Conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem s. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione. *)

II.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. **) (Vd. *Ordinatio.*)

*) Pariter haec censura in dominos vel magistratus inflicta, qui subditos cogerent, quominus libere matrimonium contraherent, in suo vigore permanet, quamquam minores admodum aetate nostra sint ejusmodi casus, qui frequentissimi erant Tridentini Concilii tempore.

**) Casus in jure expressi ad hos reducuntur: in *cap. 18. de Convers. conjugatorum* Innocentius III. ita legitur ad propositum eidem casum rescripsisse: »Significavit nobis A mulier, quod, quum ipsa F viro suo coram Decano sancti Quiriaci, vice Archiepiscopi Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit religionem intrandi, continentiae tamen voto eidem injuncto et recepta fide ab ipsa, quod perpetuo contineret, idem Decanus, post factam professionem a viro praedicto in monasterio in quo habitum assumpserat monachalem, asseruit, ipsam debere religionem intrare, quamquam id primo non expressisset eidem, et hoc expresso, illi licentiam non dedisset. Quocirca mandamus quatenus si est ita, et est talis de qua suspicio haberi non possit, ipsam, votum continentiae observantem, intrare monasterium compelli non permittatis invitam.« Ex quo capite Glossa sic arguit: »Ex eo enim quod dicit *de qua suspicio haberi non possit non debet compelli*, intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam.«

Item Gregorius IX. *in cap. 19. eod. tit.* alterum consideravit casum atque ita rescripsit: »Mulieres vero, quae relicto maritali toro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam poenitentiam ibi agant.«

*) Haec censura jam comprehensa est sub Articulo III *pag. 911*, ideoque in eam convertitur.

**) Haec censura originem duxit ex Extravaganti *Injunctae nobis, de Electione c. 1 inter communes*, sic enim inter cetera in ea sanxerat Bonifacius VIII.: »Praesenti itaque perpetuo valitura Constitutione sancimus, ut Episcopi et alii Praelati superiores necnon Abbates, Priores et ceteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem (*Apostolicam*) promoventur aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monasteria absque dictae Sedis litteris hujusmodi, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus, accedere vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant; nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant aut pareant vel intendant. Quod si forsan contra praesumtum fuerit, quod per Episcopos, Praelatos, Abbates, Priores et alios monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur; nec quicquam interim iidem Episcopi vel Praelati, Abbates, Priores vel regimina exercentes, de ecclesiarum vel monasteriorum proventibus percipiant earundem. *Capitula vero et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum et alii quicumque, ipsos absque hujusmodi dictae Sedis litteris recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.* Similiter quoque Episcopi, Praelati, Abbates, Priores et alii monasteriorum regimina exercentes praedicti, solito fidelitatis et obedientiae juramento non praestito. Illi etiam Pontifices, quos apud praedictam Sedem pallium contingit recipere, absque litteris traditionis ipsius pallii nequaquam ab eadem discedant; discedentes vero (quousque hujusmodi juramentum praestiterint et litteras obtinuerint) nihil de ipsarum ecclesiarum et monasteriorum proventibus percipiant et quicquid interim per eos (ut de aliis praedicitur) actum fuerit, viribus non subsistat.«

***) Gregorius IX. in *cap. Si quis 45, de Simonia*, haec statuit: »*Si quis ordinaverit seu ad ordinem praesentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquiet eundem, ordinator a collatione, praesentator vero ab exsecutione ordinum per triennium et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.*«

Ejusmodi juris dispositio, uti patet, ex parte tantum est innovata: incurrunt enim hanc suspensionem solum ordinantes.

Haec dispositio reperitur in Decretalibus sub titulo *de Simonia*, quia propositus casus simoniam redolet. Neque huic juris dispositioni derogaverat Tridentina synodus, quae immo hac in re veteres canones innovavit.

Namque Tridentina synodus de titulo s. ordinationis plura disponens in *cap. 2. sess. 21. de Refor.* his verbis caput hoc clausit: *antiquorum canonum poenas super his innovando:* ideoque dispositio Gregorii IX. de qua loquor renovata censenda erat quamquam etiam ob speciem simoniae esset inflicta.

Abs re hic non erit, indicare quandam dubitationem ortam post Tridentinam synodum super illis verbis: *antiquorum canonum poenas super his innovando.* Nonnullae erant poenae antiqui juris, relatae in Decreto Gratiani *can. Neminem et can. Sanctorum dist. 70.*, quibus canonibus infligebatur perpetua privatio exsecutionis ordinis in eos, qui sine titulo ordinabantur, idque in injuriam ordinantis sine titulo: sed aliae poenae erant minus antiquae, quae derogaverant illis antiquissimis, et sunt illae quae leguntur in Decretalibus, *capitibus 2, 4, 16. et 23. de Praebendis* et *cap. 37. eod. tit. in 6°*, quae quidem poenae non plectunt ordinatos, sed ordinantes, et sine censura: namque his capitibus hoc principium dumtaxat continetur: ordinans sine titulo clericos in sacris ordinibus tenetur eisdem subministrare congrua alimenta donec per ipsum ordinantem vel per alium consultum non fuerit titulo s. ordinationis.

S. Congregatio authentica Concilii Tridentini interpres in dubii solutione, juxta ea quae tradit Fagnanus in *cap. Cum secundum, de Praebendis n. 63. et seq.*, hanc tenuit viam, ut non intelligeretur renovata poena antiquissima, propterea quod eidem poena jam esset derogatum per subsequentes canones, quando tamen ageretur de ordinato sine titulo non interveniente fraude: quod si fraus interveniret, puta ob confictum falsumque titulum, quo ordinatus decipiat Episcopum, tunc sustinet Fagnanus locum habere vetustissimam poenam in sic ordinatum.

Successit Constitutio Sixti V.: *Sanctum et salutare*, edita die 5. Januarii 1589, qua Pontifex ille praeter alias poenas suspendit tam ordinantem quam ordinatum nulla distinctione facta, nisi justus error vel probabilis facti ignorantia Episcopum excusaret; quam Constitutionem tamen ad terminos communis juris et Constitutionis Pii II., *Cum ex sacrorum* editae die 17. Novembris 1461, reduxit postea Clemens VIII. in Constit. *Romanum Pontificem*, edita die 28 Februar. 1506. Ita res manserat ut prius.

Denique Urbanus VIII. in Constit. *Secretis* edita die 11. Decembris 1624 inter cetera perpetuo eos suspendit *qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines promoveri fecerint*, quod est id, quod docuerat cum aliis Fagnanus, quodque jam confirmaverat S. Congregatio Concilii die 27. Novembris 1610 ut refert Bened. XIV. *Institut. eccles. 26. n. 16.*

III.

Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes

alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus,*) vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus.*) (Vd. *Literae dimissor., testimon.; Ordinatio* [ordinans, subditorum].)

Hic facile quaeritur, quid hodie sentiendum post Constit. *Apostolicae Sedis* de iis clericis saecularibus, qui fortasse conficto titulo ordinari se fecerint?

Resp. Nulla censura irretiti manent tum quod suspensio ab Urbano VIII. cessavit tum quod Tridentina expressio, *antiquorum canonum poenas super his innovando*, de qua, ut exposui, jamdridem dubitatum est, videtur quoque cessasse, quum Constitutio *Apostolicae Sedis* renovans Tridentinas censuras non videatur renovasse censuras Tridentinas indirecte inflictas.

*) Juxta ss. canones de sacra ordinatione ille est diciturque non subditus causa ordinationis alicui Episcopo, qui non sit ei subditus ratione originis aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis aut ratione Beneficii; namque quisquis, si aliquo ex his quatuor titulis gaudeat, jam dicitur Episcopo subditus causa recipiendae ordinationis. Ex his quatuor titulis duo sunt quae possunt facile pendere a voluntate Episcopi ordinantis cujusmodi est titulus familiaritatis, praesertim vero titulus Beneficii: si itaque qui ordinandus est Beneficium obtineat extra suam dioecesim, quod redditus sufficientes praebeat juxta ejus dioecesis leges in qua Beneficium extat, quibus ceteri ordinari possint, non est dubium, eum qui tale Beneficium possideat, ab Episcopo ejus dioecesis posse ordinari sine litteris dimissorialibus sui Episcopi, qui solet esse Episcopus domicilii.

Sed quaeritur: si Beneficium non sit sufficiens, ob tenues redditus ad constituendum ordinationis titulum juxta leges vel consuetudinem dioecesis in qua Beneficium exstat, poteritne suppleri per patrimonium ordinandi? (Vd. *Ordinatio* [titulus].)

Resp. Non potest suppleri per patrimonium; et si Episcopus ordinaret ejusmodi Beneficiarium cum supplemento patrimonii, sine literis dimissorialibus ejus Episcopi, ordinaret alienum subditum et in suspensionem incideret ipso jure in hoc articulo declaratam: ordinaret enim *alienum subditum sub praetextu beneficii jam collati, sed minime sufficientis.*

Namque hac in re quoad dispositiones canonicas sacrae ordinationis in vigore manet celebris Constitutio Clementis XII. *Speculatores*, edita die 4. Novembris 1694, quae explicavit uberius atque determinavit Tridentinas dispositiones de s. ordinatione. Ita autem Pontifex ille constituit: »Licet vero Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena dioecesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi in cujus dioecesi Beneficium situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta taxam synodalem sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat illudque ab ordinando pacifice possideatur, *sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret.*«

Item quaeri potest, utrum Episcopus in eandem suspensionem incurrat, si collato alieno subdito Beneficio sufficienti eundem ordinet, quin habeat literas testimoniales alterius Episcopi vel aliorum Ordinariorum quibus ordinandus quoque subsit ex aliis titulis.

Resp. In suspensionem incurreret, si violata maneret regula, quae in secunda parte articuli exprimitur per verba: *vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* Si enim haec regula violata non maneret, puta, quia Episcopus conferat Beneficium alieno clerico (conferri enim Beneficia non possunt nisi illis, qui jam saltem prima tonsura sunt initiati), qui a prima juventute in suo seminario degerit, non videtur in censuram incurrere. Attamen ejusmodi Episcopus, quamquam in censuram non incurrit, violaret ecclesiasticam legem in Constit. *Speculatores* expressam his verbis: »*Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eandem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione ac titulo cujuscumque Beneficii in illius dioecesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit.*«

Item quaeri potest, quomodo conciliatur cum hac parte hujus articuli III. dispositio Tridentina *sess. 23. c 8. de Ref.* quae ita se habet: »*Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*«

Resp Nulla datur oppositio inter hanc Tridentinam dispositionem et articulum III. constitutionis de quo agimus. Namque dispositio Tridentina videtur respicere peculiarem casum de eo, qui petat promoveri ab alio, qui non sit Episcopus proprius neque ratione originis vel domicilii neque Beneficii vel familiaritatis; item respicit casum ejus, qui forte obtinuerit aliquod apostolicum rescriptum, vi cujus posset ordinari ab alio Episcopo; itemque casum respicit de Episcopo, qui vi alicujus privilegii ordinare posset quemlibet ad se accedentem, juxta id quod legitur in *sess. 14. c. 2. de Ref.* Hisce enim in casibus tum Episcopus, qui ordinaret subditum alienum sine dictis literis testimonialibus, tum ipse Ordinatus in eam Tridentinam censuram incideret.

*) Quaeri potest, qua ratione aestimandum sit tempus commorationis alibi factae ut Ordinarius

IV.

Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.*)

---

sub hac poena teneatur exquirere literas *testimoniales* dandas ab aliis locorum Ordinariis?

Resp. Norma ad aestimandum commorationis tempus alibi factae est ea quae in ipso articulo indicatur per verba: *ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* In qua re tamen est animadvertendum, sermonem non esse de philosophica possibilitate (canonicum enim impedimentum potest contrahi per brevissimum morae spatium), sed de possibilitate juridica, quae juxta locorum et personarum circumstantias frequentius exsecutioni mandatur. Lex enim respicit ad id quod frequentius accidit, et non ad ea quae raro contingunt, *l. Non ad ea, ff. de Legibus.* Si tamen hac in re quaeratur aliqua regula, tutissime posset aptari illa, quae viget de literis testimonialibus de *statu libero* pro matrimonio contrahendo ab illis exhibendis, qui commorati fuerint tantum temporis in variis locis, ut documentum liberi status existimetur necessarium.

Animadverti quoque potest, non omnia canonica impedimenta s. ordinationis esse ejusdem indolis: alia enim sunt quae contrahi possunt in loco originis vel domicilii, alia quae contrahi possunt in quovis commorationis loco, ut patet ex sequenti elencho, quem ex Monacelli *(Formularium legale practicum de collat. ordinum form. 1.)* exscribo.

PROMOVERI NON POSSUNT:

Non baptizati, *cap. Veniens de Presbyt. non baptiz.* (Vd. *t. I. p. 218. r.*)
Illegitimi, *can. Presbyter 56. dist.*
Minores natu, *can. Qui in aliquo 51. dist.*
Non confirmati, *Conc. Trid. sess. 23. c. 4. de Refor.*
Neophyti, *dicto c. Qui in aliquo, can. Quoniam 48. dist.*
Uxorati, *Extravag. Joannis XXII., Antiquae.*
Bigami, *can. Si quis 33. dist. et tot. tit. de big. non ordinandis.* (Vd. *t. II. p. 1060. n. 2.*)
Criminosi, *can. Laici dist. 33; Concil. Trid sess. 14. c. 7. de Refor.*
Infames, *can. Infames 6. q. 1.*
Publicis rationibus impliciti, *can. Legem, 53. dist.*
Servi, *c. De servorum, de serv. non ord.*
Eunuchi, *can. Si quis, 55. dist.*
Corpore vitiati, *can. Illetteratos, 36. dist.*
Insigniter deformes, *can. fin. 51. dist.*
Amentes et furiosi, *dicto c. Qui in aliquo.*
Energumeni, *can. Communiter 33. dist.*
Peregrini et ignoti, *dicto c. Qui in aliquo.*
Ebrietati et gulae dediti, *cap. 23. de vita et honest. cleric.*
Usurarii manifesti, *c. Episcopus 47. dist.*
Rudes et ignari, *Concil. Trid. sess. 23. per tot.*
Irregulares, *c Saepe de temp. ord. in 6°.*
Suspensi.
Interdicti.
Excommunicati.
Morbo comitiali laborantes.
Lanii, Cauponae, Mimi, Histriones.

Qui saeva exercuit vel denunciavit secuta poena vel mutilatione, *can. Communiter, can. Clerici, dist. 33, cap. unic. de vita et honest. Cleric. in 6°, Clem. 1. eod. tit., can. His quibus 23. quaest. 8, cap. Sententia sanguinis, Ne clericor. vel Monachor, cap. Ex literis, de Excess. praelat.*

Constitutio *Speculatores*, excepta poena suspensionis, juxta articulum de quo agimus temperata, in reliquis in suo vigore permanet.†)

*) Concilium Tridentinum in *sess. 21. c. 2. de Refor.* agens de titulo s. ordinationis pro saeculari Clero nihil de Regularibus disposuit: ejusmodi enim rem reliquit juxta primaevam consuetudinem, secundum quam Regularibus titulus erat ipsa religiosa professio, qua perpetuo regulari Ordini mancipantur, et ex quo ali debent. Post Tridentinum Concilium s. Pius V. ad removendos abusus eorum, qui se jactabant Religiosos et Regulares quamvis non emisissent professionem in aliqua adprobata religione, statuit, ut etiam Regulares non professi non promoverentur ad sacros ordines nisi ad titulum Beneficii vel Patrimonii vel Pensionis et non aliter, sub poena suspensionis. Ita autem sanxit in Constitutione *Romanus Pontifex* edita die 14. Octobris 1568†):

§. 2. Cum autem nulla in hujusmodi Decreto *(Concilii Trid. sess. 21. c. 2. de Ref.)* religiosorum Clericorum mentio facta fuerit ac propterea nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi seu Canonici vel Clerici intra claustra monasteriorum seu domorum more Regularium, in communi viventes, qui numquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu, titulo sufficientis Beneficii, nec juxta Decreti tenorem ad sacros ordines se promoveri praetendant et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio quamplurimum christifidelium scandalo cogantur.

§. 3. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus, quantum in Nobis est, sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura sanctione *Decretum praedictum de Clericis saecularibus loquens ad omnes et singulos etiam cujuscumque Ordinis Clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri,* necnon omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos hujusmodi religiosis personis impendere possint nisi observata forma dicti Decreti, Nos virtute sanctae

†) Vd. *Ordinatio (subditorum alienorum, Regularium).*

V.

Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.*)

obedientiae et sub indignationis nostrae poena, interdicimus et prohibemus *ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum ipso jure suspendimus.*

§. 4. Statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines hujusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cujusvis licentiae . . . concessae praetextu, factas exsecutione praedictorum ordinum omnino carere nullasque prorsus et irritas exsistere, sic promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse, etc.

Haec secunda sanctio, qua Pontifex renovavit veteres canones *Neminem 1.* et *Sanctorum 2. dist. 7.* de quibus mentionem feci in superiori articulo II., per constitutionem *Apostolicae Sedis* cessat. (Vd. *p. 925.*)

Vide: *Ordinatio Regular.*

*) Haec articuli verba deprompta sunt ex decretis S. Congregationis Concilii editis sub Urbano VIII. die 21. Septembris 1624; ea inserta exstant Bullario romano. In paragrapho 10. horum decretorum haec leguntur: »*Item* (s. Congregatio statuit) *ut ejecti, extra religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.«*

Praeterea in §. 6. eorundem decretorum s. Congregatio statuerat ordinem judicialem servandum ad expellendos Regulares; qui expelli non possunt nisi sint incorregibiles. Atque in §. 11. renovavit constitutionem Gregorii IX. in *cap. fin. de Regularibus*, in qua refertur constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III. Haec constitutio Gregorii IX. ita se habet: »Ne Religiosi vagandi occasionem habentes salutis propriae detrimentum incurrant et sanguis eorum de Praelatorum manibus requiratur, statuimus, ut praesidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii generalis *seu Patres Abbates seu Priores fugitivos suos et ejectos de Ordine suo requirant sollicite annuatim. Quod si in monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem regularem, Abbates seu Priores eorum monitione praevia per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva ordinis disciplina. Quod si hoc regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud ea monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi poenitentiam, talibus vitae necessaria ministrentur. Si vero ejusmodi fugitivos vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent et tamdiu faciant ab ecclesiarum Praelatis excommunicatos publice denunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.«* (Vd. *Regulares.*)

Haec decretalis his verbis fuit innovata in dicto §. 11. decretorum S. Congregationis: »*Ac postremo censuit* (s. Congregatio) *esse innovandam et suae Beatitudinis auctoritate innovat constitutionem fel. rec. Gregorii IX. relatam in c. fin. de Reg. ac praeterea declarat eam constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum servandamque esse, qui juste, definitive ac juris ordine servato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in literis concedendis s. Congregatio serio oneravit.«*

VI.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere

Hic quaeri potest. utrum illi, qui injuste ejiciantur e Religione in hanc perpetuam suspensionem incurrant.

Resp. Videntur incurrere. Ratio est quod in hoc Articulo non fit distinctio inter justam vel injustam ejectionem, sed tantum limitatio adjicitur per verba *extra religionem degentes:* proindeque qui ejecti sunt et extra Religionem degunt, sive juste sive injuste fuerint ejecti, quousque extra religionem degunt, sive extra suam quam professi sunt, sive extra aliam in quam possint canonice transire, suspensi manent ab exercitio ordinum.

Qui autem putent, se injuste extra religionem ejici, habent juris remedia per recursum ad S. Sedem, a qua tamen neque audiuntur si extra religionem degant, juxta *c. 19. Concil. Trident. sess. 25. de Regul.* nisi forte prius obtineant facultatem reclamandi extra religionem degentes.

Si quaeras, quaenam sit canonica ratio, cui hic Articulus V. innitatur, haec esse videtur. Qui a sua Religione ejicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, immo et ecclesia, cui sit adscriptus, et simul obligatione gravissima obstringitur faciendi satis votis solemnibus per religiosam professionem Deo nuncupatis; ideoque non aliud superest remedium, nisi ut ad suam redeat religionem si forte in aliam non transeat, vel nisi forte valeat obtinere a S. Sede saecularizationis indultum, quo, substantia votorum incolumi manente, possit reperire benevolum Episcopum, qui eum recipere velit. (Vd. *t II. p. 868. a; 869. c., 885. e;* supra p. *237. e.*)

Quaeri item potest, utrum sub eadem Articuli V. censura comprehendantur etiam Regulares fugitivi et apostatae a religione: videtur enim eadem ratio canonica militare, quae militat contra ejectos.

Resp. Non videntur comprehendi sub eodem Articulo fugitivi et apostatae: ratio est, quod in jure satis distinguuntur apostatae seu fugitivi ab ejectis: ideoque sub nomine ejectorum non intelliguntur apostatae seu fugitivi. Quod si eadem ratio canonica militet tam contra ejectos quam contra fugitivos quoadusque extra religionem degant, ideoque eadem poena possent juste mulctari; nihilominus alia ratione consultum est apostatis et fugitivis. Quod constat ex ipsis citatis Decretis S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII editis: in his enim ejecti mulctantur dicta poena expressa in §. 10: de apostatis vero et fugitivis sic est dispositum in §. 4: »*Rursus statuit* (s. Congregatio) *ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi; utque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa Decreto Concilii cap. 3 sess. 6.«* Praeterea apostatae a religione vel fugitivi nullo

praesumserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus*).

privilegio sui ordinis juvantur, *Concil. Triden. sess. 25. c. 9. de Regul.* atque subjiciuntur aliis poenis juxta peculiares singulorum Ordinum constitutiones statutis, in quibus communis fere dicitur esse excommunicatio ipso facto inflicta. (Vd. *t. I. p. 575. n. 2.*)

*) In hoc Articulo plura determinantur, quae in veteribus canonibus sancita quidem fuerant, sed non undequaque determinata et circumscripta erant. Firmum quidem semper fuit, sacram ordinationem ab ejusmodi Episcopis collatam in se validam esse si juxta substantialem catholicae Ecclesiae ritum fuerit peracta: sed quoniam ipsi omni jurisdictione ecclesiastica carent, eorum ordinationes irritae sunt appellatae juxta veterem dicendi modum, quo significabatur, ordinatos ab eis nullo ordinis exercitio frui nullaque ecclesiastica dignitate potiri. Sic ex. gr. in *cap. 1. de Schismaticis* legitur Alexander III. in Concilio Lateranensi constituisse: »*Ordinationes ab Octaviano et Guidone haeresiarchis factas et ab ordinatis ab eis irritas esse censemus, adjicientes, ut qui dignitates ecclesiasticas seu Beneficia per dictos schismaticos acceperint careant impetratis.«* Item in *cap. 2. eod. tit.* Innocentius III. ita respondit: »*Priorem, quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum et ab ea persona, quae potestatem habuerit dispensandi.«* Duriora quoque sunt, quae a sanctis Patribus tradita leguntur in Decreto Gratiani de ordinationibus factis ab excommunicatis et haereticis, *c. 1, 2, 3, causa 9. quaest. 1.*

In *cap. 2. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui* haec respondit Gregorius IX.: »*Cum Clericis qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt per suos poterit Episcopos dispensari.«* Item in *cap. 1. eod. tit.* agitur de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui et episcopali dignitati, qui proinde quum careat et jurisdictione et quavis extrinseca dignitate, ita respondit Alexander III.: «*Sane si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, executionem officii non habebit, ubi autem non scienter, poterit (nisi crassa et supina fuerit ignorantia) discretus Pontifex dispensare.«*

His canonici juris capitibus innititur Articulus VI. de quo agimus. Haec tamen juris capita nonnullis difficultatibus erant obnoxia; namque quaestio oriebatur, utrum Episcopi excommunicati deberent esse denunciati ut ordinati ab eis in eas poenas incurrerent, utrum ordinati a suspenso Episcopo vel interdicto puniendi pari modo essent, utrum bona fide ordinati ab excommunicatis suspensi essent; id affirmarunt Suarez *de cens. disp. 31. sect. 2,* Bonac. *de censur. disp. 3. p. 5;* quod haec suspensio non sit poenalis, et ideo ad illam non praerequireretur culpa: e converso Diana *part. 1. tract. 10. res. 39.* visus et cum Turriano tenere contrarium eo quod jura citata possent accipi de ignorantia culpabili.

VII.

Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii*) vel absque

Haec jam soluta reperiuntur in eodem Articulo. Suspensi itaque manent. qui *praesumpserunt,* idest *scienter* receperunt Ordinem ab eis, a quibus recipi non debet, et haec suspensio est romano Pontifici reservata. Sed quaeri potest, utrum reservata quoque sit R. Pontifici suspensio eorum, qui bona fide ordinem ab eis receperunt, ob verba Articuli: *qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Resp. Non videtur reservata; ita ut verba indefinita *donec dispensentur* contineant clausulam *prout de jure.* In jure autem haec dispensatio non est reservata uti constat ex allegatis juris capitibus.

Item quaeri potest, utrum in hoc Articulo differant ejusmodi rationes dicendi: *suspensio ab ordine,* et *suspensio ab exercitio ordinis.*

Resp. Differre puto juxta ea quae scripsit Thesaurus in doctissimo opere de *Poenis eccles. par. 2. verb. Ordo cap. 24.* his verbis: »Limita quod si promotus ignoraverit totaliter vitium ordinantis, tunc «*non est proprie suspensus* neque irregularis, sed «improprie, quatenus ante dispensationem peccat «ministrando in susceptis.« De juridica ratione dicendi *non habere exsecutionem ordinis vel exercitium ordinis.* (Vd. *Ordinatio.*)

*) Hic quaeri potest, quinam veniant nomine exterorum Clericorum?

Resp. Veniunt illi omnes clerici, qui non pertinent ad romanam dioecesim neque pertinent ad sex dioeceses suburbicarias: de clericis enim suburbicariarum dioecesium peculiari ratione disponitur in altera parte Articuli.

Item quaero, an clerici exteri, qui completis Romae quatuor commorationis mensibus obtentisque dimissoriis litteris a suo Ordinario ex Urbe discedant animo non redeundi Romam, possint ab alio Episcopo ordinari sine licentia Emi Urbis Vicarii vel sine examine Romae subeundo, quin locum habeant hujus Articuli censurae.

Resp. Videntur ejusmodi censurae locum non habere ob verba Articuli: *in Urbe commorantes ordinati ab alio:* quae verba significant commorationem perdurantem et in ejus perduratione ordinationem ab alio factam. Haec verba conveniunt cum Edicto Emmi Urbis Vicarii ex jussu Clementis VIII. edito die 24. Novembris 1603, qui primus hanc legem edixit per Verba: »*Universis et singulis Clericis nunc et in futurum pro tempore in urbe commorantibus et ad minores vel sacros etiam Presbyteratus ordines promoveri volentibus . . . edicimus et praecipimus, ne de cetero extra eandem urbem . . . promovere se faciant . . .«* Eadem verba reperiuntur in alio Edicto ex mandato Alexandri VII. die 15. Maji 1664.

Sed aliqua difficultas oritur ex altero Edicto Emi Urbis Vicarii edito ex mandato Benedicti XIV. die 20. Martii 1743, in quo edicto, renovatis prioribus, leguntur haec verba: »*Universis et singulis Clericis, qui in hac alma Urbe ultra quatuor menses*

praevio examine coram eodem peracto vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint: necnon Clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum s. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

I.

Interdictum romano Pontifici *speciali modo* reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.*)

II.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes Divina in locis ab Ordinario vel delegato Judice vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt competenter satisfecerint.*)

---

quacumque ex causa nunc et in futurum pro tempore commorati fuerint districte praecipimus et mandamus ne de cetero extra eandem Urbem etc.« Atque in hoc Edicto adjecta quoque est poena interdicti in ordinantem ab usu Pontificalium ad annum.

At vero inspecto integro hujus Edicti tenore, verba illa *commorati fuerint* non aliam vim habere videntur, quam *commorantes ultra quatuor menses in Urbe atque commoratione perdurante:* non enim in hoc Edicto agitur de primaeva lege quoad hoc caput declaranda, sed tantum de eadem lege executioni mandanda quae negligebatur, addita nova sanctione. Attamen subintrare facile videtur dispositio Articuli III. suspensione plectens Episcopum proprium, qui ordinet suum subditum vel aliis ordinare committat, sine litteris testimonialibus Ordinarii ejus loci, in quo Ordinandus tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit: commoratio enim in Urbe quatuor mensium et amplius aestimatur quidem sufficiens ad canonicum impedimentum contrahendum: ideoque litterae testimoniales exquirendae essent ab Emo Urbis Vicario. (Vd. *p. 934.**)

*) Hoc interdictum quod respicit *communitates* (singulares enim personae subjiciuntur excommunicationi romano Pontifici speciali modo reservatae, de qua loquitur Articulus IV. superius expositus *p. 896*), de promptum est ex Bulla coenae. (Vd. *t. I. p. 604. n. 19.*)

*) Hic Articulus ipsis fere verbis desumptus est ex *cap. 8. de Privilegiis in 6°*, in quo Bonifacius VIII. haec constituit: »Episcoporum et aliorum Praelatorum querelis frequentibus et querulosis clamoribus excitati praesenti Decreto duximus statuendum, ne aliqui saeculares aut regulares quantumcumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicae privilegiis communiti, cujuscumque ordinis, religionis, status vel conditionis exsistant, *scienter celebrent vel faciant celebrari Divina in civitatibus, castris, villis (nisi quatenus ejus jure conceditur) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis sive delegatis judicibus vel a jure: aut excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra praesumpserint (praeter alias poenas a jure statutas) ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.*«

Quamquam verba Articuli deprompta sunt ex hac Decretali Bonifacii VIII., non est tamen existimandum, ejusmodi Articulum intelligendum undequaque esse, ut intellecta fuit Decretalis Bonifacii: namque Decretalis comprehendebat tantum *exemptos* ab auctoritate episcopali sive essent regulares sive saeculares, ne videlicet ratione exemptionis interdictum episcopale careret effectu in detrimentum ecclesiasticae disciplinae. Eademque Decretalis sartas tectasque reliquit ceteras poenas per verba: *praeter alias poenas in jure statutas*, quae desunt in nostro Articulo. Ideoque illi, qui jam incurrant excommunicationis poenam R. Pontifici reservatam de qua sancit Articulus XVII. quem supra vidimus pag. 917, non videntur incurrere utramque poenam tum illam excommunicationis tum hanc interdicti ab ingressu ecclesiae, quum poenae non sint multiplicandae pro eadem causa, nisi constet esse multiplicandas. Item *loca a jure interdicta* post Constit. Martini V. *Ad evitanda* non censentur talia, nisi accedat declaratio; proindeque qui violaret loca a jure quidem interdicta sed non declarata talia ab auctoritate ecclesiastica, non evaderet interdictus ab ingressu ecclesiae.

In hoc Articulo itaque per verba *nominatim excommunicatos* intelliguntur excommunicati ab Episcopis vel aliis Ordinariis, qui jurisdictione et potestate polleant excommunicandi vel declarandi in foro externo excommunicatos: idemque Articulus II. est pro hac parte parallelus cum dicto Articulo XVII, in quo excommunicationi romano Pontifici reservatae subjiciuntur *Clerici scienter et sponte communicantes in Divinis cum personis a romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes*: quae verba si conferantur cum verbis hujus Articuli II.: *scienter . . . admittentes nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta*, apparet aliquod discrimen adesse per verba: *Clerici sponte communicantes*, quae desunt in Articulo II. Unde quaero, utrum hoc verborum discrimen aliquem effectum diversum inducat.

»Denique quoscumque alios sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Nota ad Lectorem.

Heic iterum paulisper sistimus inserentes Suspensiones vel Interdicta a Concilio Tridentino lata, ut has canonicas censuras Lectores sub oculis habeant:

Suspenduntur vel interdicuntur qui variis modis violant canones de sacra ordinatione.

Sess. 23. ex cap. 8. de Ref. »Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.«*)

Sess. 23. ex cap. 14. de Ref. »Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.«**)

Resp. Puto non inducere: ratio est, quod non agitur in themate de diversa Constitutione vario tempore variisque de causis lata, sed de una eademque Constitutione, quae, quantum fieri possit, armonice est intelligenda: ideoque quum ambo Articuli in eadem Constitutione reperiantur et propter eandem causam, idest ne cum excommunicatis denunciatis Clerici communicent in Divinis, eodem sensu Articuli sunt accipiendi: eo magis quod discrimen reale jam adest in discrimine poenae. Quare Clerici omnes sive sint saeculares sive regulares, qui sponte communicent in Divinis cum excommunicato nominatim a Romano Pontifice excommunicationem ipsi reservatam incurrent; qui vero sponte communicent in Divinis cum excommunicato ab aliis Ordinariis erunt interdicti ab ingressu ecclesiae. Articuli autem cum sint paralleli ad invicem sunt declarandi et, si opus sit, ad invicem supplendi.

Nota praeterea discrimen inter Articulum I., quem habes *pag. 919*, quo excommunicationi nemini reservatae subjiciuntur *mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos*, et inter hunc Articulum II. de quo agimus per verba: *admittentes ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos:* alii enim sunt *mandantes et cogentes*, alii sunt *scienter admittentes:* nomine *admittentium* intelliguntur illi, qui possent non admittere: qui autem sint, qui possint non admittere, sunt Parochi, Rectores ecclesiarum seu cocmeteriorum vel alii, qui in singulis casibus melius dignoscentur. Poena autem interdicti ab ingressu ecclesiae lata est in *admittentes nominatim excommunicatos;* non autem in admittentes haereticos notorios vel nominatim interdictos: his tamen manet prohibita ecclesiastica sepultura juxta ss. canones, neque admitti possunt, quamquam, qui eos admittant, censura non amplius plectuntur.

*) De hac Tridentina censura vide superius in articulo III. p. 925.

**) Tridentina Synodus non declaravit expresse, utrum ille qui per saltum ordinaretur esset irregularis vel suspensus: si ordinatus per saltum esset irregularis, hoc caput locum non haberet in praesenti recensione; namque irregularitas non est censura: sed quoniam usus determinavit, adstipulante ipso Tridentino Decreto, ordinatum per saltum esse ipso jure suspensum, ideo hoc caput recensendum inter Tridentinas censuras. (Vd. *Ordinatio per saltum.)*

Auctores antiqui valde ancipites fuerunt in hac quaestione: alii putarunt recipientes ordines per saltum, idest, omisso aliquo inferiori superiorem recipientem esse irregularem quoad omnes ordines: alii putarunt neque esse irregularem nec suspensum sed suspendendum, interim autem esse impeditum, ita ut non possit licite in receptis per saltum ministrare donec accipiat omissum: alii denique putarunt non esse irregularem sed suspensum ipso jure ab exercitio ordinis sic male suscepti tantum nec posse ulterius promoveri nisi cum eo dispensaretur. Haec tertia sententia praevaluit et hoc jure hactenus usi sumus. Cf. Thesaurum *de poenis eccles.* verbo: *Ordo c. 13.*

Inspectis ss. canonibus antiquitus ordinatio facta per saltum considerata videtur tamquam ordinatio facta contra consuetam regulam, quae nullam secumferret poenam ut erui potest ex can. 14. (alias 11.) Concilii Sardicensis, in quo Patres illi comprobarunt sententiam Osii Episcopi dicentis: »*Et hoc necessarium esse puto, ut cum omni scrupulositate ac diligentia examinetis, ut si quis dives vel scholasticus sive de publico dignus episcopatu videatur, hunc non ante ordinari quam Lectoris, Diaconi et Presbyteri compleverit ministerium, quo per singulos gradus si dignus fuerit visus, ad fastigium episcopatus gradatim ascendat.*«

Episcopatus juxta antiquitatem dicitur sacerdotii fastigium, plenitudo, apex, non quasi tenuis apex, qui compleat sacerdotium, sed tamquam plenum sacerdotium quod in se jam caetera contineat per quae ad ejus plenitudinem ascenditur. Namque juxta conceptum qui ex veteribus documentis erui potest episcopatus ordo est quodammodo basis integrae pyramidis non vero pyramidis apex, ita ut totum ordinis sacramentum materiali quadam imagine repraesentari posse videtur per pyramidem sic conversam, ut vertex terram, basis autem caelum aspiciat, quae esset sacerdotii plenitudo per episcopatum.

Quodnam autem impedimentum secumferret ordinatio facta per saltum tempore Alexandri II. erui potest ex can. *Solicitudo*, qui legitur in Decreto Gratiani *dist. 52*, quo sic Alexander II. rescripsit: »*Solicitudo dilectionis tuae statuit consulere, utrum portator istarum literarum Diaconatus et Pres-*

Sess. 7. c. 10. de Ref. »Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant. In majoribus vero ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso jure suspensi.« *)

Sess. 23. c. 10. de Refor. »Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat inposterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti aut collegia vel capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium literas dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui, contra hujus sanctae Synodi sub Paulo III. Decretum *),

byteratus officium idoneus sit peragere necne, quum ad id praepostero cursu, Subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo caritati tuae mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi rite imponas et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.«

Cui consonat caput unicum *de Clerico ordinato per saltum*, quod in sua primaeva integritate refero, in quo Innocentius III. sic respondit: »*Tuae literae continebant, quod (sicut ex relatione quorundam receperas) P. Presbyter, Diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri. Ipse tibi quoque secreto confessus est, se pro certo nescire si res taliter se haberet, sed ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat intra annos discretionis fuerat constitutus. Tu igitur ipsum ad Apostolicam Sedem transmittens nobis supplicasti humiliter, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur ejus miseriae condolentes fraternitati tuae per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus condignam poenitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem; qua peracta (quod non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare procures et sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis*«. Ex quibus mihi apparet, sententiam veteri juri magis conformem eam esse, quae docet, ordinatum per saltum esse irregularem; sed post Trid. Decretum ob verba *si non ministraverint*. . . . Episcopus possit dispensare: declaratum satis videtur, ordinatum per saltum non esse irregularem, sed esse ipso facto suspensum, ita ut si ministraverit irregularis evadat, proindeque indigeat Apostolica dispensatione. Quum haec suspensionis censura non solum sit a Tridentina Synodo indirecte innovata sed potius declarata, facta quoque Episcopis facultas eam absolvendi in suo vigore permanet.

*) Synodus Tridentina in hoc capite limitavit constitutionem Bonifacii VIII., quae legitur in *cap. Cum nullus, de Temporib. ord. in* 6°, ubi statutum legitur: »*Episcopo autem in remotis agente ipsius in spiritualibus Vicarius generalis vel sede vacante Capitulum seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.*« Haec juris communis dispositio limitata fuit ita, ut Capitulum sede vacante dimissorias dare non possit intra primum annum a die vacationis nisi *arctatis*, id est illis, qui ex Beneficio obtento adstringuntur ordines suscipere, vel illis, qui occasione Beneficii recipiendi coguntur pariter eosdem ordines suscipere. Facultatem tamen reliquit Tridentina synodus dandi dimissorias post primum annum a die vacationis. Ratio quae datur hujus limitationis est, quod Capitulo seu Vicario capitulari non amplior auctoritas sit concedenda quam illa, quae existimatur necessaria ad dioecesis administrationem sede vacante: necessarium autem non est, ut intra primum vacationis annum clerici novi ordinentur; sed post primum annum, si sedes adhuc vacaverit, incipit necessitas dandi facultatem ad recipiendos ordines.

Poena interdicti lata est in Capitulum contraveniens, quia juxta ss. Canones haec poena consuevit ferri in *communitates*, ut vidimus quoque in articulo I. p. 930. de collegiis, quae appellent ad futurum concilium; et e converso in art. IV. *pag. 896*, ubi poena excommunicationis fertur in singulos, qui ad concilium appellent.

Hodie tamen, quum Capitulum, sede episcopali vacante, non possit sibi reservare auctoritatis partem in electione Vicarii capitularis et tota auctoritas, ad dioecesis administrationem necessaria, devolvatur per Capitulum in Vicarium capitularem, hic solus erit interdictus si fecerit contra Tridentinum Decretum.

*) Hoc Decretum est illud *sess. 7. c. 10*, quod modo retuli: ex quo patet, quaenam sit poena imposita iis, qui literas dimissorias impetrant intra primum vacationis annum a Capitulo seu Vicario capitulari; idest, ut in minoribus non gaudeant privilegio clericali: in sacris autem ordinati sint suspensi ab exsecutione ordinum ad beneplacitum proprii Episcopi. Sed praeterea concedentes dimissorias contra formam hujus capitis 10. ab officio et beneficio per annum sunt ipso jure suspensi. Cui addendum est, Ordinantem quoque incurrere suspensionem per annum, ut in art. III. *pag. 925*, et in relato capite 8. Tridentin. *sess. 24.* quum ordinaret alienum subditum.

a Capitulo episcopali sede vacante literas dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem literas non a Capitulo sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.«

Sess. 6. cap. 5. de Ref. »Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso jure suspensi.«

Sess. 14. ex cap. 2. de Ref. »Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis ordinis resederint ant moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut literis dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contrafaciens exercitium Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.« *)

In hoc capite 10. sermo est, ut apparet, de collegiis vel capitulis, sede non vacante, quae ex aliquo titulo sive privilegii sive consuetudinis sive praescriptionis hoc jus dandi dimissorias sibi praetenderent, necnon de Abbatibus aliisque Praelatis quantumvis exemptis, de quibus haec scripsit Benedictus XIV. in opere de *Syn. dioec. l 2. c. 9 n. 9:* »Quoniam autem Tridentinum Abbatibus quovis modo exemptis facultatem dumtaxat reliquit primam tonsuram minoresque ordines conferendi suis subditis Regularibus, et Abbates saeculares, quantacumque gaudeant exemptione, Regularibus non praesunt, necessario inde consequitur, eos non posse ullum quemquam suae jurisdictioni subjectum ad primam tonsuram minoresque ordines promovere, nisi hanc potestatem a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum impetraverint.« (Vd. *t. I. p. 6. n. 10; p. 15. n. 11; p. 24. c. d.; p. 33. n. 21; p. 41. n. 30; p. 58—61; p. 65; p. 73. d; p. 86. n. 60*)

*) Ut Episcopus tantum titularis ordinare aliquem legitime possit, requiritur expressus consensus aut literae dimissoriae Ordinarii cui subest Ordinandus, ac praeterea requiritur expressa licentia Ordinarii loci in quo ordinare velit; si enim haec secunda licentia desit, tum Episcopus titularis ordinans tum Ordinatus inciderent in poenam capitis 5. *sess. 6.* modo relati: in aliena enim dioecesi Pontificalia exerceret.

*) Ante Tridentinum Concilium ederat excommunicationis poena lata in Religiosos, *qui matrimonia solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali*, praesumerent, ceu fuit statutum in *Clementina 1a de Privilegiis*, quam indicavi in articulo XIV. *pag. 916*. Haec censura mitigata est a Synodo Tridentina et conversa in hanc suspensionem; quae tamen extenditur in omnes sacerdotes sive regulares sive saeculares, qui absque licentia Parochi sponsorum proprii vel Episcopi matrimonio conjungere vel benedicere ausi fuerint.

Hic quaeri potest, an in locis in quibus publicatum non sit Tridentinum Decretum *Tametsi*, in quo haec censura reperitur, locum habeat eadem censura. (Vd. *Matrimon.*)

Resp. Locum habere videtur; namque Tridentina synodus peculiari ratione »*decernit ut hujusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.*« Per verba *hujusmodi Decretum* integrum Decretum intelligitur. Itaque ubi hoc Decretum publicatum non fuerit, neque censura Tridentina suspensionis locum habere dicenda est nisi forte aliunde haec poena jam viguerit: quinimmo hodie neque poena excommunicationis viget lata in Religiosos per citatam Clementinam, quum de hac mentio non fiat in constitutione *Apostolicae Sedis*. Namque in citato articulo XIV., in quo ex parte fuit innovata Clementina, non fit mentio de Religiosis, qui sine licentia Parochi matrimonio benedicunt.

Suspenduntur qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt.

Sess. 24. c. 1. de Ref. »Eadem sancta synodus hortatur, ut conjunges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri nec a quoquam nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.« *)

Interdicuntur Episcopi, qui non denunciant Episcopos illegitime absentes.

Sess. 6. ex cap. 1. de Refor. »Crescente vero contumacia (Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus) ut severiori ss. canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres mienses per literas seu nuncium romano Pontifici denunciare teneatur.« (Vd. *Residentia.*)

Sess. 23. ex cap. 14. de Ref. »Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine (concubinatus) non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.«

Nota ad Lectorem.

Hactenus de Suspensionibus vel Interdictis a Synodo Tridentina inflictis. Sic autem prosequitur et explicit Constitutio Sanctissimi Patris de qua agimus:

»*Quae vero censurae* sive excommunicationis sive suspensionis sive interdicti Nostris aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse et in suo robore permanere volumus et declaramus.*)

Dixi *nisi aliunde* viguerit: vigere enim facile potest per consuetudinem, etsi Decretum non est publicatum. (Vd. *p. 713. d.*)

*) Animadvertas velim, hoc paragrapho declarari non abrogatas reliquas censuras latas a romanis Pontificibus vel ss. canonibus in peculiaria instituta aut peculiaria loca cujuscumque generis sint: sed aliud est dicere *eas non esse abrogatas* et in suo vigore manere, aliud est dicere, *eas esse innovatas:* innovatio enim adjicit novum vigorem si forte in desuetudinem censurae abiissent, quae per innovationem reviviscerent: sed quando dicuntur per aliquam constitutionem non abrogatae, intelliguntur manere in eo statu quo reperiuntur, quin constitutio eas vel deleat vel innovet. Quod satis indicatur in ipso paragrapho per verba: *atque hactenus in suo vigore perstiterunt.* Quare ejusmodi peculiares censurae si forte in aliquo instituto vel pio loco in desuetudinem abiissent vel ex aliqua causa cessassent, nullatenus censentur innovatae per constitutionem *Apostolicae Sedis.*

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis,*) nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore hucusque concessae fuerint, ea omnia easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris aut apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica vel immemorabili etiam consuetudine aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis aliisque efficacioribus et

Hic aliqua umbra posset menti occurrere dicendo, si constitutio *Apostolicae Sedis* agit tantum de censuris universalibus, relinquens ceteras in eo vigore quo reperiantur, cur in articulo XV. p. 916 recenset extrahentes absque legitima venia reliquias Catacumbis Urbis Romae. eosque censura plectit? Nonne haec est censura ratione peculiaris loci inflicta, sicut ex. gr. ea quae infligeretur ratione Bibliothecae servandae ne libri extrahantur? Item, cur in articulo VII. p. 929. censuras infligit in exteros Romae commorantes ne ab aliis ordinentur quam ab Emo Card. Vicario vel sine ejus licentia? Nonne haec censura inflicta est ratione peculiaris loci ubi exteri commorantur?

Resp. Haec umbra diluitur, si animadvertas, ejusmodi censuras latas esse non ad privatorum petitiones pro tutandis locis, ut contingit in censuris latis pro Bibliotheca, ne libri extrahantur, vel aliis similibus, sed per universales romani Pontificis constitutiones ex publica universalique Ecclesiae causa et hoc sensu jam universales dici possunt: praeterea agitur de locis, quae, sub aliquo respectu, dici possunt universalia, tum quia Urbs est princeps catholici Orbis cui nullus fidelium est extraneus, ideoque patria est omnium christifidelium, tum ob frequentissimum concursum invisendi ea coemeteria, sacra pignora vetustissima nostrae religionis, itemque ob eundem concursum juvenum ex omni Orbis parte ut Romae sacras scientias addiscant. Ejusmodi rationes efficiunt, ut dictae censurae majori jure recenseantur inter universales quam inter particulares.

*) Vd. *p. 903. §. A quibus.*

insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi *speciali modo* reservatas declaravimus.*)

Decernentes has Literas atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris aut ex aliis sacris canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum generalium et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, ratas et firmas ac respective rata atque firma esse et fore suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios ac quosvis alios quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1869 quarto Idus Octobris. Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.«

M. Card. Mattei Pro-Datarius. — N. Card. Paracciani Clarelli.

Visa de Curia.

Dominicus Bruti

Loco † Plumbi

I. Cugnoni.

*) Sic se habet Decretum Tridentinum *c. 6. sess. 24. de Refor.*: »*Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium a se specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Item et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.*«

De constitutione „Apostolicae Sedis", qua censurae generales limitantur, quaesita nonnulla generalia.

Sanctissimus Dominus Noster per hanc Constitutionem reipublicae christianae consuluit, ut planior et certa tum Sacrorum Antistitibus tum confessariis redderetur via, ne vagari cogerentur per innumeros et difficiles censurarum, quae generatim inflictae fuerint, anfractus.

Quod quisque non solum diserte significatum declaratumque legit in ea Constitutione, sed aperte quoque colligit ex ipsa abscissione et abrogatione facta quamplurimarum censurarum. Namque harum rerum peritis perspectum est, quot auctores quantumque de censuris scripserint, quot per saeculorum decursum latas collegerint vel allegaverint, manente nihilosecius legentium animo saepenumero in dubietate perplexo, utrum necne, sive per non usum sive per cessationem finis ob quem inflictae essent sive ob rerum supervenientium mutationem cessaverint.

Licet autem, ut dixi, via planior et certa per ejusmodi limitationes confessariis praesertim, quoad substantiam, sit reddita, non tamen est putandum, simplicem hanc Constitutionem peritorum commentariis interpretationibusque locum non dare. Hoc enim est proprium omnium legum, etiam sapientissimarum, ut, quando de earum applicatione agitur viam facile aperiant dubitationibus atque disquisitionibus pro casuum adjunctorumque varietate. Exemplo sint vetustissimae romanae Leges, tum quae duodecim tabularum appellantur tum ceterae quae sunt consecutae: hae enim licet pro veterum Romanorum more sapientissime concinnarentur nihilominus adeo prudentum interpretationibus auctae fuerunt, ut Justinianus Imperator suo tempore manum apponens ad pandectas concinnandas per Tribonianum scriptum reliquerit: *Maximum opus aggredientes ipsa*

vetustatis studiosissimus opera jam paene confusa et dissoluta eidem viro excelso (Triboniano) *permisimus tam colligere quam certo moderamini tradere. Sed cum omnia percontabamur, a praefato viro excelso suggestum est, duo paene millia librorum esse conscripta et plus quam tricies centena millia versuum a veteribus effusa, quae necesse esset omnia et legere et perscrutari et ex his quod optimum fuisset eligere. Quod caelesti fulgore et summae Trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata.*

Hujus quidem Constitutionis interpretatio ad rerum moralium peritos, qui fidelium conscientias dirigunt, maxime pertinet, quique juxta recepta prudentiae moralis principia pro variis rerum adjunctis eam explanabunt: attamen quaedam praecipua capita in ea Constitutione habentur, quae occasionem nobis praebent in medium deducendi nonnulla interpretationis legum principia, quae Constitutioni, de qua agimus, applicanda esse videntur.

Nec praetereundem est, rem facilem haud esse, legem novam (quamquam novae non sint res, de quibus Constitutio agit) explanare et interpretari; idque duplici praesertim de causa:

1a est, quod nova lex, ideo quia nova, nullam determinationem per usum est assequuta:

2a quia facile potest contingere, ut interpretatio a privatis data sit praeter vel contra mentem legislatoris, ex eo quod legislator non omnes praevidens casus in condenda lege, quibus intelligi a subditis potest, non omnibus casibus per latam legem prospexit, sicut prospexisset si praevidisset. Unde saepe contingit, ut post aliquam datam Constitutionem subsequantur novae authenticae declarationes, quae et usum determinant et mentem legislatoris uberius explanant.

Ejusmodi authenticae interpretationes sunt duplicis generis: aliae sunt simplices interpretationes datae juxta consueta interpretandi principia, quae non differunt a privati auctoris interpretationibus nisi ratione auctoritatis. Sive enim ex. gr. s. Alphonsus ita legem interpretetur sive s. Poenitentiaria, res in se est eadem, propterea quod eadem sunt principia quorum ope lex explanatur: est tamen diversa auctoritas; ob quam diversitatem interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat; de interpretatione autem ab Auctoritate facta non est quaerenda ratio. Quum autem eadem soleant esse interpretationis principia, juxta eadem principia intelligi quoque debet authentica interpretatio.

Aliae sunt interpretationes authenticae, quae non tam legem interpretantur quam mentem legislatoris in lege non satis significatam declarant: et ideo sunt interpretationes praeter legem et habent rationem novae legis: quae quidem interpretationes quamvis non sint facile aptandae sunt tamen apprime servandae. Recentissima habemus utriusque generis exempla in declarationibus authenticis datis ad Constitutionem *Nemo*, datum die 11. Aprilis 1869 *), qua conceditur Indulgentia plenaria in forma Jubilaei, quae exempla heic singillatim exponere supervacaneum foret.

I.

De revocatione facultatum.

Vetustissimus est in Ecclesia catholica usus, quo romana Sedes et Episcopi quorundam criminum absolutionem sibi reservant sive ob censuram reservatam appositam sive nulla censura adjecta: de qua re in *Sess. 14 de Sacram. Poenit. c. 7.* sic Patres Tridentini sunt loquuti: »*Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis., sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.*«

Hac facultate utitur romanus Pontifex in bonum Ecclesiae et fidelium, ut scilicet disciplina ecclesiastica quoad praecipua sua principia in suo robore permaneat et fideles gravitatem criminum magis magisque cognoscant per aggerem censurarum, quarum absolutio poenitentibus ex speciali gratia conceditur.

Quum autem non ut ardua nimis evadat absolutio casus reserventur, ideo romanus Pontifex communicat facultates speciales Cardinali Majori Poenitentiario cujus delegata potestas quousque sese protendat exposuit

*) Vd. *Mühlbauer, Decr. auth. S. R. C. Suppl. t. II. p. 386. n. 7.*

Benedictus XIV. in celebri Bulla quae incipit: *Pastor bonus* edita die 13. Aprilis an. 1744:*) atque praeter facultates rite concessas, quae in ea describuntur, alias quoque eidem pro rerum supervenientium varietate Pontifex tribuit vel protendit: idemque facit quoad alterum tribunal quod propagando christiano nomini praesidet quoad omnes, qui in locis missionum versantur. Per ejusmodi tribunalia non solum conceduntur facultates quae pro singulis casibus petantur sed dantur quoque Episcopis ampliores minoresque pro variis in quibus versantur locis facultates absolvendi a censuris s. Sedi reservatis; quinimmo, et confessarii obtinere possunt similes facultates: quae quidem ad tempus determinatum tum Episcopis tum confessariis concedi solent.

Quaerimus nobis itaque I: Utrum ejusmodi facultates personales, quae ad tempus a sancta Sede conceduntur ac concessae fuerint, vel forte etiam perpetuae, si quae sint, per rescriptum concessae sive Episcopis sive confessariis, revocatae sint per verba Constitutionis *Apostolicae Sedis*, quae leguntur in §. *A quibus,* **) post enumeratas excommunicationes speciali modo romano Pontifici reservatas.

II: Utrum extraordinariae facultates, per Jubilaeum concessae, revocatae censendae sint.

Hisce quaesitis jam SSmus Dominus Noster suae vocis oraculo respondere dignatus est his verbis latine conversis: *Per Constitutionem etc. p. 909.*

Immo scimus, per s. Poenitentiariam renovari confessariis consueta Indulta, quae vulgo *Pagellae s. Poenitentiariae* appellantur, sine ulla immutatione, quibus tantum nunc adjicitur clausula: *non obstante Constitutione etc.* Idque servabitur, usque dum nova indultorum formula concinnata non fuerit. Itaque nihil quoad hujusmodi concessiones innovatum intelligitur; eveniet tamen, ut nonnulla reservata peccata seu censurae, quae antea sine speciali indulto absolvi non poterant, nunc nulla speciali facultate indigeant, quae in his indultis fuerit expressa.

Constitutio praeterea de qua agimus enumerat quidem censuras generales et indicat Tridentinas statuitque, ut hae solae in vigore permaneant reliquis generalibus abrogatis; attamen in §. *Quae vero p. 934* subjungit, ut firmae quoque permaneant censurae omnes quae generales non sunt et spectant ad aliquem peculiarem coetum vel locum, quaeque hactenus in suo vigore perstiterint.

Quoniam vero omnes facultates absolvendi a censuris reservatis simul revocentur, quae competant, puta, ratione officii vel perpetui privilegii vel dignitatis, quaeque reales appellari possunt, quaeri potest, utrum illae etiam facultates reales revocatae sint, quae respiciant censuras reservatas quidem, sed peculiares coetuum vel locorum. Pone ex. gr. Regularem aliquem in censuram incidere, quae propria sit ejus regularis instituti, eademque fuerit romano Pontifici reservata; pone pariter, Superiorem regularem vel alium habere ex aliquo perpetuo et legitimo titulo facultatem absolvendi Regularem ab ea censura: quaeritur, utrum per revocationem facultatum, quas dixi, intelligatur revocata etiam haec facultas. *)

Respondendum videtur, ejusmodi facultates non esse revocatas. Ratio est quia revocatio facultatum refertur ad enumeratas vel indicatas censuras generales reservatas, non vero ad censuras peculiares coetuum vel locorum: hae enim peculiares censurae ob eam tantum causam memorantur, ne abrogatae per Constitutionem censerentur; nihil autem de his cavetur quoad facultatem absolvendi. Revocatio autem facultatum legitimarum non praesumi sed ostendi debet.

II.

De censuris Tridentinis confirmatis. **)

In Constitutione de qua agimus dum omnes censurae quae ipso facto ac jure incurrendae latae universim sunt, praeter enumeratas, abrogantur; confirmantur tamen censurae Tridentinae: sed constat Tridentinum Concilium alias censuras *directe* inflixisse, alias vero *indirecte.* Expedit hoc exemplis declarare.

Censuras, quas *directe* Tridentina Synodus inflixit, jam retuli in constitutione quam exposui *pag. 287. et seqq.* Censurae autem quas eadem Synodus *indirecte* inflixit, illae sunt quae indicuntur sive per generalia verba ut ex. gr. in *sess. 21. c. 1. de Ref.* in quo legitur: *et qui secus fecerint . . . poenas a jure inflictas ipso facto incurrant.* Et in capite sequenti: *antiquorum canonum poenas super his innovando*, et ita passim, sive per

*) Vd. *Poenitentiarus apostol.*
**) Vd. *p. 903.*

*) Vd. *p. 841. b. d., p. 909. §.: Quod.*
**) Vd. *p. 921—924; p. 931—934.*

speciales allegationes ut ex. gr. in *sess. 14. cap. 6. de Ref.* in qua legitur: *Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quae incipit:* Quoniam, *innovando et ampliando.* In hac autem constitutione *Quoniam* inter ceteras poenas recensetur etiam quaedam suspensio ipso facto incurrenda: item in *sess. 24. cap. 3. de Ref.* legitur: *Aliis etiam poenis juxta constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit:* Exigit . . . *mulctentur.* In hac autem constitutione *Exigit*, si qui mulctae non paruerit interdictum ingressus ecclesiae ipso facto contrahendum edicitur vel suspensio.

Nobis itaque, exercitii causa, quaerimus utrum censurae a Tridentino *indirecte* inflictae comprehendantur sub constitutione, *Apostolicae Sedis*, vel ut aliis id exprimam verbis utrum censurae a Concilio Tridentino sive per generalia verba sive per speciales allegationes innovatae in vigore sint post dictam constitutionem.

Respondendum videtur, non comprehendi nec in vigore esse post dictam constitutionem.

Prima ratio petitur ex constitutionis scopo, qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura evitanda incommoda haberetur; quod legitur in ejusdem constitutionis initio: »*Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes plenam earundem recensionem fieri nobisque proponi jussimus, ut diligenti adhibita consideratione statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione facta . . . decernimus, ut ex quibuscumque censuris . . . nonnisi illae, quas in hac ipsa constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant.*«

Porro nec certus esset censurarum numerus nec ea incommoda satis essent sublata, si intelligantur comprehensae censurae per generalia verba a Tridentino renovatae.

Quod spectat ad censuras renovatas per allegationes speciales, notandum est, paucissimas esse constitutiones veteres a Tridentino sic renovatas, quae censuras ipso facto incurrendas contineant, eaeque, si unam vel alteram constitutionem excipias, ita sunt innovatae, ut satis significaretur a Concilio, censuras in illis contentas non intelligi innovatas.

Sane reperi, Tridentinam Synodum septem et viginti constitutiones innovasse vel commemorasse, inter has illae, quae censuras ipso facto incurrendas continent, sunt: Constitutio Sixti IV. de immaculata Deiparae Conceptione, quae constitutio incipit *Grave nimis*, quaeque legitur in *Extrav. commun. L. III. de Reliquiis et venerat. Sanct. c. 2.* a Concilio Tridentino expresse innovata in *Sess. 5. de peccato origin.* §. *5.* Per eam constitutionem infligebatur excommunicatio ipso facto incurrenda et romano Pontifici reservata illis omnibus qui catholicae doctrinae de immaculata Conceptione contradicerent, sicut et illis, qui eam ut dogma jam definitum traderent. Haec constitutio cessavit per anathema solemnissime adjectum doctrinae a SSmo D. N. definitae.

Altera constitutio, quae censuras continet, commemoratur a Tridentino Concilio *in sess. 14. can. 8. de Poenit.* his verbis: *Si quis dixerit . . . ad eam* (confessionem omnium peccatorum) *non teneri omnes et singulos utriusque sexus christifideles juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno . . . anathema sit.* Constitutio Lateranensis commemorata est celebris canon his verbis editus: »*Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura.*« At vero haec constitutio a Tridentino alia de causa fuit commemorata quam ob poenas; nec poena interdicti intelligitur latae sententiae sed ferendae per verbum *arceatur.*

Tertia Constitutio, quae a Tridentino innovata continere videtur censuras, est illa, quam superius indicavi, Clementis V. in Concilio Viennensi edita, quae incipit *Quoniam**); eaque plures poenas continet contra clericos vestibus clericalibus ordini congruentibus non incedentes, quam innovavit Tridentinum in *Sess. 14. c. 6. de Ref.* his verbis: »*Si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant, constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam quae incipit* Quoniam *innovando et ampliando.*« Verum 1° Tridentinum eam

*) Vd. *t. II. p. 147.*

constitutionem renovavit ampliando: quod secumfert, ut poenae, quas Tridentinum inferendas edixit, praevaleant poenis constitutionis: 2° in ea constitutione agitur quidem de suspensione ipso facto incurrenda, sed de suspensione a fructibus tantum beneficiorum et intra determinatum tempus, quae suspensio cum consistat in privatione fructuum nec censura appellari meretur.

Quarta constitutio a Tridentino renovata, quae censuras continet, est illa, quam Tridentinum in *sess. 24. de Ref.*, agens de victualibus, quae ratione visitationis sunt Episcopis ministranda,*) his verbis innovavit: »*Quod si quispiam quod absit aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere praesumpserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam aliis etiam poenis juxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit:* Exigit, *necnon et aliis poenis in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniae mulctetur.*« Porro in const. *Exigit*, quae legitur in *c. 2. de Censibus in 6*, quaedam mulctae infliguntur: *alioquin* (id est si non solvantur intra mensem) *ex tunc Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ingressum sibi ecclesiae sentiant interdictum; inferiores vero ab officio et beneficio noverint se suspensos, quoadusque de duplo etc.* Quamvis in hac constitutione de censuris ipso facto incurrendis agatur, attamen Tridentinum loquitur de poenis, quae in pecuniaria mulcta consistunt: ac praeterea, si de censuris verbum illud *mulctetur* intelligi quoque velit, intelligi tamen deberet ex Tridentina dispositione de censuris ferendae sententiae.

Haec de singulis constitutionibus quae censuras ipso facto incurrendas continere videntur quaeque a Tridentino innovatae sunt.

Alia denique generalis ratio habetur quae ostendit in constitutione *Apostolicae Sedis* non comprehendi censuras a Tridentino *indirecte* inflictas. Id scilicet ostendit ratio loquendi ejusdem constitutionis. Nam ea loquendi ratio est in usu romanae Curiae, ut quando agitur sive de poenis sive de constitutionibus, quas Tridentinum innovavit, dici non soleat poena a Concilio inflicta vel Constitutio tridentina, sed poena inflicta in constitutione N. (adjecto scilicet constitutionis nomine) vel Constitutio N. et saepius negliguntur quoque verba: *a Tridentino innovata.* Quum itaque haec sit consueta loquendi ratio agaturque de constitutione facta ad coercendum censurarum numerum, si non reperiantur verba: *censurae a Tridentino innovatae*, hae exclusae sunt censendae.

*) Vd. *Procurationes.*

Porro in constitutione *Apostolicae Sedis* haec verba non habentur; immo habetur quaedam verborum conceptio, quae ex sese eas excludere videtur; sic enim statuitur: *Praeter hos hactenus recensitos eos quoque quos sacrosanctum Concilium Tridentinum sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione sive absque ulla reservatione excommunicavit Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus excepta anathematis poena in sess. IV.* de editione et usu sacrorum librorum *constituta etc.* Et paulo post: »*Denique quoscumque alios sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.*

Hac enim ratione dicendi non solum censurae per Tridentinum innovatae vel implicite confirmatae heic non memorantur, sed directe indicantur legum violatores, quos Tridentinum voluit excommunicatos vel suspensos vel interdictos cum adjunctis quibus ipsum voluit: quae verba non bene applicarentur illis, quos censuris subjecerunt alii canones licet a Tridentino commemorati vel innovati, quin censuras ipsum Concilium explicite significaret.

III.

De censuris, quae circa eandem materiam versantur, latis tum a Constitutione de qua agimus tum a Tridentino Concilio.

Quando Tridentinum de aliqua materia agens censuras explicite inflixit, quin sacros commemoraret canones, dici solet, hoc ipso facto censuras, si quae essent latae de eadem materia a veteribus canonibus, manere abrogatas, propterea quod Concilium Tridentinum nova ratione de eadem materia prospexit.

Haec autem dici non possunt de constitutione *Apostolicae Sedis* quoad Tridentinum. Id patet non solum ex eo quod constitutio voluit, ut censuris subjicerentur, quos subjectos voluit Tridentinum, sed etiam ex eo, quod unam excepit censuram sessionis IV. *de editione et usu sacrorum libror.* quam temperavit.*)

*) Vd. *p. 921.*

Hisce positis duplicem exercitii causa facimus hypothesim:

1. Ponamus censuram aliquam pontificiam non posse cohaerere cum censura Tridentina in eadem materia; quaeritur quaenam vincat, an pontificia vel Tridentina?

2. Ponamus censuram pontificiam posse quidem componi cum censura Tridentina quia diversos ejusdem rei respiciunt casus, sed si censura pontificia specialem vel non specialem habeat reservationem, debetne dici pari modo specialiter vel non specialiter reservata censura Tridentina?

Ad primam quod spectat quaestionem facilis quidem est responsio, namque principium est in canonica jurisprudentia, universales leges, anteriorem et posteriorem, si ad invicem componi non possint, posteriorem derogare anteriori: sed praeterea in legibus de quibus agimus huic rei est jam prospectum per clausulam constitutioni pontificiae appositam his verbis; »*Decernentes has literas atque omnia et singula, quae in eis constituta et decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus constitutionibus . . . etiam Conciliorum generalium et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes ratas et firmas . . . esse.*« *) Ideoque si quid in conflictu veniat, quod componi non possit inter pontificiam constitutionem et Tridentinas dispositiones, praevalere debet Constitutio pontificia.

Ad secundam quod spectat quaestionem pariter non difficilis videtur responsio. Namque quando constitutio pontificia de una re agens casum specialiter vel non specialiter reservat et Tridentinum de eadem re agens et alios considerans casus reservationem non adjiciat vel non pari modo reservet, hoc tantum secumfert, ut censurarum ordo ratione reservationis non congruat cum ordine censurarum ratione materiae; quod hoc exemplo potest illustrari. Censura XI. **) de excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata infligitur illis his verbis significatis: *Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.*

Concilium Tridentinum de eadem re agens in *sess. 22. c. 11.* ***) ampliores numero casus considerans, qui usurpant vel usurpata quovis modo recipiant ecclesiae et locorum pium bona, excommunicationi subjecit romano Pontifici simpliciter reservatae.

Constitutio pontificia in censura III. excommunicationi nemini reservatae subjecit »*Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis* Ambitiosae *de Rebus Eccl. non alienandis.* *)

Itaque triplici loco sermo habetur de bonis ecclesiasticis, sive de usurpatoribus eorundem sive de usurpatoribus quorumcumque bonorum et usurpata recipientibus vel retinentibus sive de alienantibus vel recipientibus per contractus non usurpata absque apostolica venia. Hi omnes excommunicationi ipso facto subjiciuntur; et ratione excommunicationis et rei de qua agitur ad unum genus unamque classem referuntur: at vero non possunt sub unam classem recenseri si de censurae reservatione ratio habeatur, sed in triplicem classem sunt distinguendi, quorum primi incurrunt excommunicationem romano Pontifici specialiter reservatam, secundi non specialiter reservatam, tertii denique nulli reservatam.

IV.

Difficultates quae objiciuntur in applicanda Constitutione.

Non semel audivimus nonnullos haec objicientes: in Constitutione de qua agimus quasdam obligationes statutas esse, censuris quoque sancitas, quae plurimis in nationibus, aetate qua vivimus applicari non possunt, ut lex non trahendi clericos causasve ecclesiasticas ad laicalia tribunalia, lex asyli, quae tum a Guberniis tum a fidelibus penitus ignoratur, lex denunciandi sectariorum occultos duces et coryphaeos, quae multis in locis christiano populo vix dici posset; **) et alia id genus. Ejusmodi difficultates ex eo petuntur, tamquam ex suprema causa, quod Gubernia jura ecclesiae non admittant legesque et consuetudines hisce legibus adversae vigeant.

His difficultatibus generice objectis non potest breviter, nisi generice responderi; atque respondeo:

1°. Ejusmodi obligationes novae non sunt in catholica Ecclesia, sed vetustissimae; et Constitutio non solum eas obligationes non creavit, sed immo mitius quoad adjectas poenas egit: poenas enim limitavit.

*) Vd. *p. 935.*
**) Vd. *p. 902.*
***) Vd. *p. 922.*

*) Vd. *p. 920.*
**) Vd. *p. 898. VII. 911. IV. V.*

2°. Si hae leges servari non possint ob conditiones penitus anormales, in quibus fideles populos reperiri contingat, non ideo legislator abstinere debet ab his legibus commemorandis inculcandisque; de talibus enim legibus agitur, quarum, saltem pleraeque, ecclesiasticae disciplinae fundamentum constituunt et principiis quoque innituntur, quae cum Ecclesiae constitutione cohaerent. Fidelibus autem ecclesiasticisque viris perquam utile semper erit, ut cognoscant, quid ecclesiastica disciplina exigit, ne pedetentim putent, jure alios facere, quod contra Ecclesiae jura et honestatem publicam publicumque bonum injuria faciunt.

3°. Falsum est, eas leges non posse in plurimis nationibus universim servari. Variae enim sunt rerum hominumque conditiones in variis locis; et quod uno in loco forte servari non possit vel aegre admodum possit servari, in multis aliis servabitur, praesertim si Episcopus sua vigilantia cognoscat difficultates, si quae sint, se posse suo zelo superare easdemque superare aggrediatur.

4°. In praxi autem, quid sit confessariis agendum pro singulis rerum, hominum locorumque adjunctis, jam tradiderunt probati auctores, quum non agatur de re nova et firma maneant principia prudentiae moralis, quae suggerunt, quibus in adjunctis lex ecclesiastica non obliget, et quomodo confessarii cum poenitentibus, sive scientibus sive bona fide leges ignorantibus, sese gerere debeant.

Census.

1) Dispositio ecclesiastica.

Anno 1856 quidam Natalis P. renunciatus fuit Primicerius confraternitatis SSmi. Sacramenti in sua patria erectae. Officium Primicerii fuit ut rerum temporalium administrationem gereret una cum aliquo ex confratribus. Verum ob negligentiam, quae haud raro sodalitiorum membra tenet, Natalis P. proventus ejusdem confraternitatis solus administravit.

Rebus male gestis fama ad sodalitii socios pervenit, qui Curia adita petierunt ut Natalis P. reddita ratione ab officio removeretur. Rationes expensi et accepti initae fuerunt; nimio forsitan zelo ut negligentia quodammodo emendaretur. Ex quibus miser Primicerius debitor apparuit ex scutatis 172, 05. At consideratis laboribus, anxietatibus et curis ab ipso in difficili exactione praestitis atque etiam attento quod debitor nedum ex eo ditior, imo pauperior evaserat, ex bono et aequo omne debitum, consentientibus syndicis, ad centum scutata redactum fuit.

Confratres vero, cum illico solvere centum scutata Primicerius nequiret, consilium inierunt, ut census sive annuus redditus scutatorum 4, 50 crearetur, ad favorem confraternitatis, super domo, duobus ambientibus constante, Natalis P. moerens homuncio ille subscripsit instrumento nomen suum seseque obligavit in forma legis et hypothecam super dicta domo sustinuit. Fiebat id sub die 6. Martii 1862; verum nec una solutio creati census usque adhuc facta fuit. De hac re Natalis P. reclamavit, submissa tamen voce, donec Vicarius generalis, qui constitutionis census auctor fuerat, officium amiserit et alius Vicarius eligeretur. Tandem Natalis P. consilio sui Ordinarii compulsus S. C. Congregationi preces obtulit, ut census declararetur nullus defectu *numeratae pecuniae*. Declaravit insuper sese imparem fuisse solvendo quotannis scutata 4, 50, dum penuria extrema laboraret et semper munere Secretarii gratis functus sit.

Ordinarius, qui a s. Congregatione C. de informatione et voto rogatus fuerat, adhaerens opinioni oratoris et sodalitii ipsius, nullum ait fuisse censum. Quinimo Natalem P. dispensandum quoque fuisse a debiti solutione ob ejus comprobatam paupertatem. Idque, ait Ordinarius, componi facile posse cum justitia et aequitate, constabit ex informatione inferius inscribenda.

Duas in themate adfuisse resolvendas quaestiones clare patet:

1. utrum nempe census constitutio valida sit necne;

2. utrum dispensatio a debito liquido concedenda esset.

Et quoad primam partem ex officio observatum fuit haud dubitari posse quod impositio census valida fuerit atque efficax extiterit, quandoquidem consensus utriusque partis coram testibus et notario expressus intercessit, pretium solutum fuit et inscriptio hypothecaria capta. Neque refert, quod pecunia actu numerata haud fuerit. Cautum enim in jure est, quod pro solutione habetur quidquid datur de consensu contrahentis, *leg. satisfactio ff. de solut. leg. 1. ff. qui satisd. Leg. si rem. §. omnis ff. de pignorat. act.*, imo quidquid datur in solutum, illud habetur pro numeratione et solutione pretii, *leg. praedium Cod. de evict.* Ideoque Parisius *consil. 75. n. 4.* tenet censum sustineri, quamvis pecunia non fuerit numerata, fingitur enim numeratam fuisse.

Attamen Episcopus omnimode conatus est ut evinceret nullum fuisse censum, constitutioni inhaerens sancti Pii V. quae incipit: *Cum onus.* Ait enim sanctus ille Pontifex: «*Statuimus censum seu annuum redditum creari constituique nullo modo posse, nisi in re immobili .... rursum nisi vero in pecunia numerata, praesentibus testibus ac notario et in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro justoque pretio. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci prohibemus.*»

Ex verbis istis quisquis aspicit nullum superesse dubium et ab eisdem excludi quamlibet aliam interpretationem, qua quis adhuc contendere velit, voluntate et consensu contrahentium validari posse id quod legislator conditionibus necessariis conclusit. Pecunia de praesenti numerata in census creatione est conditio, sine qua non permittit s. Pontifex census constitutionem, quia oppositum *cum manifesto divinarum legum* contemptu et animarum pernicie conciliari non potest. Neque objici potuisse Natalem P. reverva accepisse summam centum scutatorum: nam ex eo jus tantum fuisset confraternitati repetere summam illam a debitore, atque etiam si libuisset actionem super bona ejus immobilia intentare et judicis sententia per publica experimenta vendere: nullimode vero valida et licita fuit creatio census. Cui quidem nihil detrahit beneficium redimibilitatis, quominus vere et realiter sit constitutio annui redditus ex pecunia numerata: quod putidam usuram redolet. Ex quibus animadversionibus patuit impositionem census in themate nullitate laborare. Quod firmatur ex s. Rota *in decis. 80. part. 14. num. 7. et decis. 338. n. 2. part. 19. tom. 1. recent.*

Quoad quaestionem secundam observatum fuit Natalem P. nullimode absolvi potuisse a solvenda sorte principali et fructibus, quia census impositio valida atque efficax dici debuit et quia etsi census uti nullus retineri vellet certum exploratumque fuit Natalem P. liquidum fuisse debitorem Sodalitii SSmi. Sacramenti. A quo debito neque summus Pontifex eum absolvere potuit, quia orator adhuc in bonis habet neque paupertate laborat et quia summus Pontifex haud gratias concedere adsolet cum praejudicio juris tertio quaesiti.

Attamen videri Oratorem posse dispensari a solvendo debito

1. quia honestate atque religione praelucet:

2. quia debitum contraxit malitiis haud indulgens, sed ex imperitia in suis ac alternis rebus administrandis:

3. quia revera pauper existit, cum parum vel paene nihil habeat in bonis, testante Ordinario. Et ipse summus Pontifex ejusmodi gratias concedere potest, quia in themate praejudicium tertii non habetur, dum sodalitium jam Oratori debitum remiserit. Etenim constat illum dici a suo debito absolutum, cui debiti remissio a creditore facta est. *Rota decis. 138. num. 3. part. 15.*

Quamvis praeterea praejudicium ejusmodi existeret, tamen neque dubium suboriri posset, quod summus Pontifex ea qua pollet auctoritate atque eminenti dominio *) super confraternitatibus earumque bonis absolutionis gratiam elargiri posset.

Ordinarius, probata nullitate census, asseruit sodalitium absolvisse a suo debito exprimicerium Natalem P. Sed falsis rationibus deceptum fuisse supra quantitatem debitam quam putaverat ascendisse ad octuaginta scutata tantum dum revera centum tangeret. Retulit etiam exprimicerium eundem habuisse ex quatuor immobilibus annuum redditum scutatorum 18. Nullam exercuisse industriam, sed aeditui munere functum esse tam in Ecclesia parochiali quam apud confraternitatem; quatuor oneratum filiis fuisse natu minimis, quibus persaepe nec frustulum panis praebere potest. Nihilo tamen secius debitor est debitumque non tollitur nisi solutione et satisfactione. Attamen ejus patrimonium ita parvum est ut apud jus canonicum paene

*) Vd. *t. II. p. 1095. XV.*

nullum censeatur. Quapropter cum vere pauper aestimandus esset ideo pro absolutione debiti sese rogare s. Sedem. Verum extare, ait Ordinarius, modum quo justitiae et misericordiae jura concilientur. Solutio enim fieri censetur etiam per justam compensationem, *Communem per text. inl. Dedisse 76. ff. de verbor. signific.* Praeterea solutio potest fieri per partes quoties ita conventum sit inter debitorem et creditorem. *Comm. per tot. in l. arbitria 2. §. 4. ff. De eo quod certo loco dari oportet.* Sciendum ergo est Natalem P. pro munere aeditui confraternitatis stipendium habere quatuor scutatorum quolibet anno. Factum recte quod novem jam anni effluxerint ex quo mercedem non recipit, ita ut confraternitas triginta sex scutata ex centum jam exegerit. Quapropter censuit Ordinarius, ut abrogata census creatione obligetur exprimicerius ad inserviendum *gratis* in officio aeditui per 16 annos; quibus transgressis, si adhuc vivat, solutus a debito censeatur, si vero antea vita excesserit, absolutus habeatur.

Hisce aliisque praenotatis EE. Cardinalium prudentiae remissum fuit decernere quonam responso dimittendae essent oratoris preces.

S. C. Congr. die 5. Augusti 1876 causa cognita respondere censuit:

Censum Pianum fuisse nulliter contractum et nihil obstare, quominus debitum extinguatur per solutiones ratarum annualium.

Ex quibus colliges:

I. Ad censum ineundum juxta sacros canones varias concurrere debere conditiones, quibus fit ut census ab avaritia immunis reddatur et licitus justusque evadat.

II. Inter has conditiones apprime recenseri *numeratam pecuniam* ut nempe pecunia numeretur coram testibus et notario in actu celebrationis instrumenti.

III. Quapropter ex pretio antea recepto, quamvis integro justoque, nulliter constitui censum, quia ex Piana constitutione anticipatae pretii solutiones haud fieri patiuntur.

IV. In themate defuisse conditionem numeratae pecuniae coram testibus et notario facile patet ex dictis; ideoque censum ejusmodi nullum fuisse renunciandum videri.

Addere putavimus non esse abs re disceptationi praeallatae quoad census constitutionem a s. Pio V. anno 1569 editam, et cujus initium est *Cum onus.* Nam etsi Martinus V. in sua constitutione quae incipit *Regimini* edita an. 1423 et ralata in *Extravagan. commun. cap. 1. de emptione et venditione* et Calistus III. in constitutione *Regimini* anno 1455. edita et relata pariter in *d. Extravag. cap. 2. de emptione et venditione* de census conditionibus loquuti fuerint, tamen de iisdem diffusius loquitur s. Pius V. hac in constitutione.

Ex conditionibus istis cuilibet notum est, aliae a jure naturae requiruntur, aliae a jure canonico ut justus atque licitus census habeatur. A jure naturae requiritur ut census fundetur in re fructifera, ut est praedium vel domus,*) ut justo vendatur et ematur pretio; ad quamlibet enim emptionem et venditionem justum pretium ex natura rei exposcitur; pretium vero justum taxatur vel a lege vel a consuetudine. Jus pariter naturae innuit quod si res in totum vel in partem pereat aequalem exitum habeat census; ut pereat ideo in totum vel in parte necesse est census quoque. Ne autem pensionem vel minus secure vel majori difficultate exigere cogatur censualista exigitur ab eodem jure naturae ne res censui subjecta alienetur sine consensu censualistae ejusdem.

Plurimas autem conditiones a jure canonico requiri ad censum licitum et justum constituendum erui potest ex ipsa constitutione s. Pii V., quae sequentis est tenoris:

Pius Episcopus.
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum onus apostolicae Servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuisse et in dies celebrari censuum contractus, qui nedum continentur intra limites a nostris Antecessoribus eisdem contractibus statutos, verum etiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propter ardentem avaritiae stimulum, Legum etiam divinarum manifestum contemptum praeseferunt, non potuimus animarum, prout tenemur, saluti consulentes ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes tam gravi morbo lethiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

1. Hac igitur nostra Constitutione statuimus, census seu annuum redditum creari constituive nullo modo posse nisi in re immobili aut quae pro immobili habeatur de

*) Vd. *t. II. p. 1089. XI.*

sui natura frugifera, quae nominatim certis finibus designata sit.

2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, praesentibus testibus ac Notario et in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro justoque pretio.

3. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant fieri aut in pactum deduci prohibemus.

4. Conventiones directe vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

5. Quemadmodum nec pactum auferens aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper et libere ac sine solutione laudemii, seu quinquagesimae aut alterius quantitatis vel rei tam inter vivos quam in ultima voluntate alienari.

6. Ubi autem vendenda sit, volumus Dominum census aliis omnibus praeferri eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, et per mensem expectari.

7. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis vel ad cambium seu certas expensas aut certa salaria seu expensas medio juramento Creditoris liquidandas aut rem censui subjectam sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu sive aliunde acquisitum perdere aut in aliquam poenam cadere, ex toto irrita sint et nulla.

8. Immo et censum augeri et novum creari super eadem vel alia re in favorem ejusdem aut personae per eum suppositae pro censibus temporis, vel praeteriti vel futuri, omnino prohibemus.

9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure et ex natura contractus non spectarent.

10. Postremo census omnes in futurum creandos non solum re in totum vel pro parte perempta aut infructuosa in totum vel pro parte effecta volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis ac immemorabili immo centum et plurium annorum praescriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clausulis concepta sint.

11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciare ei, cui pretium dandum erit et post denunciam intra annum tamen etiam ab invito pretium repeti posse, et ubi pretium nec volens intra bimestre solvat nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum extingui posse, praevia tamen semper denuncia, de qua supra, et non obstantibus his, de quibus supra; idque observari mandamus etiam quo ad pluries, ac pluries denunciatum fuisset nec unquam effectus secutus fuisset.

12. Pacta etiam continentia pretium census extra casum praedictum ab invito aut ob poenam aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus.

13. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos foeneratitios judicamus et ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse vel tacite contra haec nostra mandata dari, remitti aut dimitti contingat a fisco volumus posse vindicari.

14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo et in omnibus servari volumus.

15. Declarantes pretium semel censui constitutum numquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatem seu aliud accidens nec quoad ultimo contrahentes minui vel augeri.

16. Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censurae bonorum Religiosorum subjiciant et animarum saluti consulant.

17. Non obstantibus etc.

18. Volumus autem, quod praesentes in Cancellaria et acie Campi Florae publicentur et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

19. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis alicujus Notarii subscriptis ac sigillo alicujus Praelati munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

20. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud s. Petrum 1569 quartodecimo Kalendas Febr.

Edita sed vero constitutione superallata, ut pene semper usuvenit, in applicatione ejusdem singulis praxeos casibus quaedam dubia in quorumdam mentibus superexorta sunt. Quapropter idem sanctus Pontifex expedire arbitratus est ut sequentes quoque in lucem daret declarationes:

Pius Papa V.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi Apostolica Sedes magna adhibita industria operam det, omnia perspicue promulgare, vix tamen est ut umquam satis queat usquequaque cavere, quin scrupulosae quorumdam mentes novos illi sensus inducant, quorum perplexitate multi in dubium evocantur.

1. Pridem enim per constitutionem nostram de censuum creatione inter alia volumus, census omnes in futurum creandos non solum re in totum vel pro parte perempta aut infructuosa in totum effecta ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum census debitorem ad interesse lucri cessantis vel ad cambium seu salaria et expensas medio creditoris juramento liquidandas teneri, aut rem censui subjectam sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus sive ex eodem contractu sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ex toto nulla atque irrita esse. Censum autem seu annuum redditum nonnisi in re immobili aut quae pro immobili habeatur ex sui natura fructivera atque nominatim certis finibus designata sit. Sed nec censum ipsum nisi vere in pecunia numerata praesentibus Notario et Testibus in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro justoque pretio creari constitutive nullo modo posse.

2. Deinde per dilectum Filium Octavium Spinolam Regni Siciliae Magistrum Portulanum hac de causa ad Nos destinatum accepimus in d. Regno Siciliae scrupulum exoriri, an rerum praedictarum infructuositas etiam annalis aut alias temporalis intelligatur.

3. Et an per nullitatem pactorum aliorum praedictorum etiam jus recuperandi sive repetendi impensas, quas litigando contra morosos praedictos aut executores ad eorum loca transmittendo aut alias ex Judicum mandato subire oportet, auferatur.

4. Praeterea an tam pro ipsis expensis quam etiam pro censu recuperando contra tertium possessorem procedit? Et etiam Fidejussores dari aliave bona praedii censu gravati evictione, et ipsius census solutione hypothecari? Denique, an census hujusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui possit?

5. Postremo an id, quod pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione census creari possit?

6. Nos haec discrimina quantum in Nobis est tollere cupientes tenore praesentium declaramus rem infructuosam, quae tota vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus pluribusque annis sive tempestate sive alio casu non proveniunt, salva alia juris communis dispositione intelligi debere.

7. Praeterea exactionem illarum expensarum prohiberi, quae ex pacto vel conventione tantum inter contrahentes inita et instrumento census specialiter appositae refici permittuntur, non autem eae, quae ex dicti juris dispositione repetendae veniunt et mandato judicis adjudicantur.

8. Caeterum Fidejussores dari aliave bona hypothecari pro praedii censu gravati evictione, aut si praedium in alium devenerit, aut si aliquis tertius Fidejussor intercesserit, tertium possessorem vel ejus bona obligari minime prohibemus. Haec autem omnia pro evictione dumtaxat, non autem solutione poenae adjudicari posse intelligimus.

9. Postremo in dotium assignandarum casu censuum erectionum et constitutionem praedictam respectu actualis numerationis coram Notario et Testibus faciendae locum non habere. Sed in hoc casu census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

10. Denique, ut periculis, quae ex trasportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur, permittimus ut si in creatione census pecunia ad manum commode haberi nequiverit, illius loco emptor apocam seu schedulam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

11. Constitutione nostra praedicta tam in casu dotium quam caeteris omnibus in ea contentis in suo robore permanentibus.

12. Volumus autem etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 10. Junii 1570.

Quum ob avaritiae praesumptionem Constitutio ejusmodi lata fuerit, quaeri etiam posset an ista Constitutio obliget in conscientia, quatenus constet quod contractus censualitius immunis ab avaritia fuerit. Quamvis *Navar. de usuris num. 69. et 70.* affirmativam sententiam retineat, tenendum tamen est quod Constitutio absolute obliget in conscientia ubi usu recepta fuerit aut per legitimam contrariam consuetudinem non fuerit abrogata. Nam ex ipsa Rota *part. 19. tom. 1. decis. 338. num. 2.* nullus absque distinctione declaratur census creatus contra formam Constitutionis s. Pii V. Verum si eadem Constitutio primitus recepta per legitimam contrariam consuetudinem abrogata fuerit vel si non usu recepta fuerit, uti in Gallia, Belgio, Germania, Hispania et Sicilia, in locis eisdem non obligat ibique licite fiunt contractus censuales, non attentis conditionibus ab eadem praescriptis. Quomodo autem id fieri queat optime innuitur ab *Herincx. part. 2. Summae theologicae disp. 3. de legibus n. 117: Ex his patet quomodo multae Leges seu Bullae pontificiae in variis regionibus non obligant videlicet, quia vel in iis neque divulgatae seu publicatae neque acceptatae fuerunt, consentiente seu tacite conniveute Pontifice, vel quia defectu publicationis et acceptationis, esto in principio culpabili, tandem in perfectam desuetudinem desierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quod Ordinarii frequenter advertant aut existiment ac saepe non infundate Leges varias non congruere publicae utilitati suarum dioecesium ob inveteratas et rationabiles earumdem consuetudines, genium plebis, defectum finis legis v. g. quia lata fuit ob pericula et defectus, qui ibidem generatim non grassantur, imo vix noscuntur. Interdum etiam Ordinarii ob potestatem laicam non possunt exequi pro libitu suo mandata apostolica. Interea vero tempore fluente in desuetudinem leges abeunt, antequam usu recipiantur.*

2) Qualitas et Reductio.

Vd. *t. II. p. 1089. XI.*

Ariminen.

Duo erant controversiae capita quae a capitulo Ariminensi ad hanc s. Congregationem delata *die 26. Januarii 1850 per summaria precum* dirimenda EE. Patrum sapientiae proponebantur. Cum nimirum Ariminensis Canonicus Philippus Capioli ex ultimae voluntatis elogio pro mansionaria in cathedrali ecclesia erigenda cum annuo redditu 80 scutatorum demandasset ut ab eadem ecclesia uti haerede ex asse census crearetur cum 1000 scutatis ad rationem octuncem pro quolibet centenario et anno, qui a capitulo administraretur, factum est ut labente anno 1839 redempta a debitore parte ejusdem census conquererentur Capitulares de impotentia pretium ex census redemptione retractum ad rationem octo pro singulis centenis iterum investiendi, eo quod recenter Episcopus legem tulerit, qua omnibus locorum piorum administratoribus vetabatur ultra rationem sexuncem pecuniarum investimentum. Hinc duplici quaestioni de quantitate scilicet pensionis mansionario solvenda et de vigore legis ab Episcopo latae EE. Patribus visum est rescribere: »*Capitulum teneri solvere mansionario annuatim scutata octoginta independenter a quovis incremento vel decremento fructuum. In reliquis ponatur in folio.*

Jam itaque restat, ut postremo huic mandato obtemperans pro munere perpendam alterum illud quod a capitulo propositum est dubium: »*Se si debba osservare la prescrizione dell' Ordinario negl' investimenti dei capitali del capitulo e della chiesa cattedrale di Rimini in censi, che proibisce di stipolare un frutto maggiore del sei per cento ed anno.*«

Communis juris est ut primum capituli partes expendam; nulla omnino dispositio adest, quae certum aliquod in censibus constituendis pretium *infra* rationem octo praescribat, cum leges in hac potissimum re omne negotium liberae contrahentium dispositioni reliquerint, *Fagnanus in p. lib. V. Decret. cap. In civitate de usuris, Cencius de cens. qu. 47. num. 14.* Dubitari jam inde haud poterit, quin ex trita juris regula standum sit vel maxime privatorum voluntati, veluti in omni contractu naturale est atque necessarium. Census enim qui est exemptionis et venditionis species essentialiter per contractum constituitur. *Fagnan. loc. cit. n. 27.*

Quod quidem magis roboratur gravi animadversione, non solum legem non providisse, sed suapte ratione providere noluisse: siquidem spectata diligenter census natura ejusmodi ad certum pretium restrictio omnino a sapienti legis dispositione abesse debeat, *Giraldi par. 1. lib. 3. decr. de empt. in adnot. ad bull. s. Pii.* Census enim, ut proprie definitur jus aliquo contractu constitutum percipiendi annuos fructus sive pensionem ex re aliena, *Reiffenst. in lib. V. decr. de usur. n. 126. ex Pirhing. Sessio et com.* post constitutionem s. Pii V., quae incipit: *Cum Onus*) §. 1.*, nisi super re immobili et fructifera imponi nequit, *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 10. cap. 5. num. 5.;* et quidem tota hujus contractus aequitas ex eo pendet, ut pretium, quo jus emitur, fructuum valori secundum praesens tempus et deductis oneribus commensuretur. *Fagnan. loc. sup. cit. num. 22.* Aliter enim pretium non esset justum, quod tamen cum ratio naturalis in omni emptione tum maxime in censu constitutiones exigunt ss. Pontificum *Martini V. et Calisti III. cap. 1. et 2. Regimini Extrav. com. de Empt. et Vend. et Bullu Piana, Giraldi loc. cit., Cencius de cens. qu. 47. n. 1.* Ast fructuum valor semper idem esse atque constans minime potest, sed rerum pretia non solum pro diversitate locorum, verum et temporum variantur, item pro copia vel penuria ementium aut vendentium.

Quare sicut legis sapientissima dispositio est, ut nullum unquam certum pretium in censibus creandis statuerit, doctores etiam censent ejusmodi pretium generaliter taxari jam non posse neque debere, *Fagnan. praed. loc. in cap. in Civit. de usuris num. 22, Giraldi loc. cit.*, ne ita quidem, ut decernatur, ne annales census certam summam excedant. Nam, ut ait *Fagnanus*, experientia docuit, si ostendatur certa summa, cedere hoc in praejudicium venditorum pecuniis indigentium: semper enim suadebunt emptores vendentibus, ut sint contenti dicto praetio. His ex causis cum Fagnano etiam *Navarr. in Manual. cap. 23. num. 77. et J. Bapt. Lupus de leg. cap. 2. de pact. in empl. et vend. §. 2. num. 71.* ejus generis taxationem improbare non dubitant.

Praetermittendum porro non erit, periculum, onera necnon pactum de redimendo facere partem pretii, *Fagnan. in dic. loc. num. 26.* ex Tiraquell., Abb. et comm. Atqui censuum emptores multis sane periculis subjiciuntur, cum certum sit *ex cap. 1. et 2. de Regim. necnon ex bulla Piana, Reiffenst. de usur. num. 148, Molina de just. et jur. disp. 389. num. 12, Pirhing. de usur. n. 78,* si bona frugifera super quibus census impositus est vel pro parte vel penitus destruantur vel etiam pauciores fructus singulis annis ferant, quam census exigant, cessare vel ex parte vel penitus venditoris obligationem praestandi annuum censum. Quae tamen pericula sane varia sunt pro rerum et locorum necnon temporum diversitate, ideoque generali quadam taxa aestimari vel stabiliri non possunt. Onera insuper censuum emptori imposita, exceptis iis, quae a bulla Piana in perpetuum praescribuntur de redimendo venditoris favore, omnia continuis mutationibus sunt obnoxia et proinde aequitatis ratione pretium vel minuere vel augere debent, *Bona de censib. art. 81. num. 114.*

Omnium sane gravissima videntur in puncto argumenta *Card. de Luca tit. de censibus discurs. 32. per tot.*, ubi formiter ac magistraliter more suo articulum tractat sub rubrica: »*An et quando Princeps possit vel debeat reducere fructus censuum jam impositorum ad minorem summam illamque taxare etiam in futurum?*« Narrat praeprimis clarissimus scriptor quomodo hujusmodi disceptationi occasionem praebuissent debitores nonnulli, qui post sequutam usurarum judeorum reductionem a decem et octo ad duodecim pro centenario proposuerant eidem Pontifici Clementi X. ut reductionem quoque censuum faceret tam eorum, qui jam impositi fuerant, quam qui in futurum crearentur, et peculiaris Congregatio ad id deputata jam fuisset in voto eam consulendi ubique uniformem ad rationem quinque pro centenario, nisi creditores nonnulli, pro quibus auctor ipse ad scribendum fuerat accitus, insurrexissent; et refert quod *ista oppositio produxit, ut sub silentio res manserit.*

Enucleans mox oppositionis momenta, postquam declinaverit ab ardua quaestione super Principis potestate census reducendi cunctaque recensuerit antiqua quaestionum capita quae penes theologos ac canonistas in variis Europae regnis super ejusmodi contractibus fervuerant et varia pro variis temporibus remedia a ss. Pontificibus ad immoderatas cohibendas usuras adhibita, maximumque demonstraverit discrimen inter antiquos censuales contractus et censum juxta bullam Pianam conficiendum, ita *n. 16. §. 2.* argumentatur: »Per consequens nullatenus in hac ultima specie (census nimirum ad formam Pianae) dari potest certa et uniformis taxa pretii ob diversam qualitatem

*) Vd. *p. 943.*

fundi censiti, ex qua pendet major vel minor probabilitas periculi: prorsus etenim improprium est dicere ut eodem modo regulari debeat census impositus super aliquo castro vel magno casali seu conspicuo praedio aut palatio a peremptionis vel infructuositatis periculo magis exempto quam super parvis domunculis, ex ignobilibus caementis constructis, ideoque de facili subjectis ruinae, vel super vineis ob desertam culturam de facili infructiferis, cum similibus juxta suam proportionem.

Considerari quoque solent (prosequitur Auctor) aliae circumstantiae hujusmodi pretium regulantes, super qualitate scilicet locorum, quoniam aliud est in magnis civitatibus et emporiis, aliud vero in parvis locis in quibus major pecuniae penuria habeatur; quinimmo in eadem specie civitatum vel emporiorum aliorumque locorum consideratur discretio locorum et provinciarum, majoris vel minoris commercii, sive majoris vel minoris abundantiae pecuniae; necnon inspicitur etiam quantitas investimenti, dum quotidiana praxis docet, quod in Urbe investimenta censuum super casalibus vel palatiis aliisque magnis ac tutis fundis vix fiunt ad quatuor immo tria pro centenaria et minus et tamen in valde adjacentibus locis intra districtum, in quibus ob qualitatem fundorum et personarum fiunt parvi census super exiguis fundis ad septem et octo et ultra, cum similibus considerationibus; inter quas etiam in eodem loco viget illa qualitas personarum, ut ex. gr. docet praxis in civitate Neapolis, quod inter idoneos privatos vix reperiuntur investimenta ad dictam rationem scutatorum quatuor pro centenario et minus, et tamen barones etiam cum difficultate inveniunt ad septem et octo; igitur fabulosum videtur hanc uniformam taxam statuere non distinguendo loca, tempora, bona, personas et alias circumstantias ut supra; ac propterea contra hanc uniformem reductionem bene scribunt Fagnan. et Carena seu Moneta etc.«

Ad diluendam inde difficultatem obvenientem ex reductionibus censuum a Pontificibus peractis favore communitatum, prout inter alia practicatum fuit a Clemente VIII. constitutione »*Quae ad sublevationem*« et postremo a Benedicto XIV. motu proprio »*Ci è stato riferito*« pergit num. 19. haec addere: »Ad rem facere dicebam dicta exempla reductionum censuum cum communitatibus, ob pariter longe diversam rationem; communitates etenim ob bella aliasque nostrorum temporum calamitates effectae sunt impotentes ad restitutionem sortis et extinctionem censuum neque de facile inveniunt dantes pecunias sub minoribus fructibus ut extinguant census antiquos graviores; cumque illae sint sub cura et peculiari administratione Principis atque in eis vigeat magis proxime ratio publicae necessitatis vel utilitatis atque in praediis et bonis communitatum non ita adaptentur dictae ponderationes circa peremptionem fundorum. . . ., istae vero rationes non procedunt in privatis, in quibus se regulando ex notaria praxi intrat clarum dilemna quod aut ipsi sunt idonei atque bonos et tutos fundos habent a dicto peremptionis vel infructuositatis periculo minus exemptos, aut non: si sint idonei de facili invenient dantes pecuniam ad censum sub moderatis fructibus, juxta usum currentem, ut census graviores extinguere possint, ob penuriam investimentorum. Et si non sunt idonei, tunc ut praemissum est ipsum periculum dicitur pars pretii atque producit fructus majores.«

Hinc concludit auctor num. 20: »Quod ista taxa uniformis gravamen potius ac praejudicium pareret personis indigentibus, parumque tutis, pro quarum levamine eam fieri supponebatur, quoniam ita non de facili reperirent datores pecuniae qui ob incommodum majoris fructus tamquam per speciem aleae cum personis minus tutis et super praediis periculosis, ut supra faciunt investimenta, praesertim exigua, ac propterea ita esset magis eos supponere usuris et suffocationibus judeorum aliorumque foeneratorum et per consequens ex pluribus incongruum; ac improbabile dicebat quod in hac materia cadere posset taxa uniformis regulanda ex usu unius civitatis vel regionis, sed solum attendi deberet antiqua taxa decimae partis ubique, ne illam excedere liqueat, ob praefatas apostolicas determinationes, sed intra illam major vel minor conventio normam reciperet a singulorum casuum circumstantiis.«

Quae omnia igitur cum clament sicuti rerum pretia pro adjunctis et circumstantiis, ita etiam censuum valorem variari debere, hoc magis sane valet eo quod census, in quantum violat pretii aequitatem, in tantum ad usurariam pravitatem accedit, *Giraldi p. 1. lib. 3. decret. de empt. et vend. adnot. ad cap. Regim.*, siquidem hoc modo fundamento illo destituitur, ad quod ut licitus sit a ss. Pontificibus est severe restrictus.

Hinc sane est, quod s. Pius V. licet summopere sollicitum se praebuerit, ut omnia quae ad usurarios abusus imposterum praecavendos conducere possunt adamussim praescriberet servanda, praecipue vero ut res juxta rationem dati pretii sit et perduret fructifera, certae tamen taxae ne mentionem quidem facere voluerit. *Cencius de cens. qu. 47. num. 20.* Quare doctores ad unum omnes sentiunt sancti Pontificis sapientiam esse imitandam et ad locorum consuetudines et hominum prudentum judicium in pretio singulis casibus stabiliendo recurrendum.

Verum etiam in casu speciales non desunt causae, quae illam Episcopi sanctionem praeprime dissuadeant. Jam enim capitulum urget, agi de testamentaria dispositione facta in cathedralis ecclesiae utilitatem atque ab ipso Ariminensi Episcopo quoad pretium etiam census constituti probata, siquidem testamentarius executor die 7. Januarii 1830 omnia sciente et annuente Episcopo ordinavit. Quibus hoc non minus grave accedere videtur, quod census et annui redditus, praesertim ex bulla Piana creati, sunt immobilia et sine solemnitatibus nequeunt alienari. *Clemen. Exivi §. annui redditus* de verb: *Non alienand. §. 2. n. 11., Rota decis. 413. n. 72. par. 12. recent.* Quare cum etiam diminutio sit species alienationis cadens sub praescriptione *Extrav. Ambitiosae,* *) consequenter census ad bullam Pianam creati absque solemnitatibus dimminui et reduci ab Ordinariis non possunt, *Monacelli formul. legal. p. 2. tit. 14. form. 5. n. 4.* et *Ferraris Biblioth. jurid.* ad verbum: *Census.* Inter caeteras vero alienandi conditiones venit etiam consensus capituli *ex cap. Ut super 8. §. fin. de reb. eccles. non alien., can. sive except. 12. q. 2.* praesertim si agatur de rebus ecclesiae cathedralis, Abbas *in cap. 1. num. 5. de his quae fiunt a Praelatis, Pirhing. l. 1. num. 29. et 45.* Atqui in casu capitulum vehementer conqueritur, damnum haud sane parvum ipsi ex tali lege obvenire.

Insuper generalis lex ab Episcopo Ariminensi lata damnum locis piis afferre videtur: siquidem spectata consuetudine, qua in dioecesi Ariminensi census cum lucro majori quam sex pro centenario creantur, cum imposterum aliquis ex locis piis summa aliqua indigeat, difficilius invenietur, qui eam suppeditet juxta taxam ab Episcopo uniformiter praescriptam, sicuti ex altera parte loca etiam pia cum de investiendis ipsorum pecuniis agetur lucrum sane notabiliter minus percipient, licet compertum sit ejusmodi investimenta nostro maxime tempore frequenter occurrere.

Ex adverso quae pro lege ab Episcopo lata mititant rationes haud sunt spernendae. Quemadmodum enim jus commune omnem de pretio census dispositionem generaliter reliquit liberam, quare privatis capituli pactis vis sua competere videatur, ita etiam sub eodem juris respectu particulari cujusque Ordinarii legi plena tribuenda videtur vis ac auctoritas. Nam minime consequitur, ubi jus commune certis ex causis generaliter disponere noluit, ibi prohibitam quoque esse ejusmodi particularem pro certa regione sanctionem, dummodo certa justae legis requisita non desint. Ad vero in re praesenti jus commune, sicut nullum unquam in censibus creandis pretium infra rationem octo pro centenario et anno stabilivit, ita nec ultra rationem sexuncem dandum esse unquam definivit. Licet enim s. Pontifex Nicolaus V. constitutione sua »*Sollicitudo Pastoralis*« pretium ad rationem decem pro singulis centenis statuerit, consentiunt tamen doctores, hanc constitutionem esse particularem pro regno utriusque Siciliae, *Cencius de censib. qu. 47. num. 20.*, et insuper ea ratione praecavere, ne plus quam decem pro singulis centenis solvatur, *Giraldi loc. saep. laud. in adnot. ad bull. s. Pii V.*

Quid quod tota, quam jus commune atque summi Pontifices patefaciunt, ratio legi ab Episcopo Ariminensi latae favorabilis magis videtur. Negari namque non potest, quin canones et Pontifices contractus censuales tamquam facile ad usurariam labem accedentes semper restrictione potius quam favore dignos habuerint: quamobrem Fagnanus ex praeclaris doctoribus tradit abstinendum esse ab iis et veluti odiosos esse restringendos; quod reipsa fecerunt Martinus V., Calixtus III. et s. Pius V. Eos enim Pontifices certis quidem conditionibus tales contractus indulsisse patet, non tamen ut conducibiles approbasse. Itaque tam memoratas Pontificum constitutiones quam Nicolai V.

*) Vd. *p. 920.*

bullam reputandas esse tamquam dispensationes in nimirum locis indultas, ubi sit emendi et vendendi census immemorialis consuetudo, *Fagnan. in cap. cit. num. 19*, *Giraldi part. indic. adnot. ad cap. Regim. n. 7.* Quibus ex causis non raro fit ut Episcopi serio adhortentur et ss. Pontifices et canonistae, ut qua majori possint vigilantia ad praecavendum usurarium vitium incumbant. *Benedictus XIV. synod. dioeces. lib. 10. c. 5. num. 6.* Videndum itaque non est, cur non eo quo fecerit Episcopus Ariminensis modo arcendum sit ejusmodi labis periculum.

Quoad enim ad contrariam *Fagnani* sententiam, quae non paucis doctoribus, Card. de Luca non excepto, auctoritas fuit, docet ille quidem, pretium generaliter statui non posse aut debere; attamen imprimis respicit ad pretium ita taxatum, ut census nec minoris emi vel vendi possit: quod scilicet tam contractus quam ipsius census naturam offendit. At Episcopus Ariminensis non ita taxam sancivit, sed tantum praecipit, ne ultra sex pro centenario exigantur. Verum quidem est, ipsum Fagnanum cum aliis etiam sentire, *utile* non esse ut decernatur, ne annuales census ultra certam summam excedant. At vero si generaliter et theoretice dicatur non esse alienationis speciem ideoque absque solemnitatibus fieri non posse. At notandum sedulo est, quod cum nunc temporis debitor habeat liberam census redimendi facultatem, jam per se fieri debet, ut plus semel censuales redditus minuantur nec quidquam perpetuae alienationis ejusmodi diminutioni adhaereat: quae scilicet intelligi non potest, nisi certum aliquod et stabile lucrum alienetur. Quare s. Congregatio non semel definivit non requiri etiam apostolicum beneplacitum in reductionibus concessis ab ipsis locorum piorum administratoribus, licet ageretur de censibus jam constitutis, ceu videre est in *Romana Census diei 11. Maji 1720* et *in Aquipendien. 4. Julii 1722* et late tradunt distinguendo censum consignationum a reservatis, *Card. de Lucca de cens. disc. 14. n. 5*, *Card. Petra t. 1. comment. ad constit. 1. divi Leonis M. sect. 4. num. 27. et 88*, *Ventriglia in praxi rerum notab. tom. 1. adnot. 1. §. 2. num. 6.* Et quidem hoc imprimis de Episcopo valere debet, qui est primarius administrator bonorum ecclesiarum suae dioecesis, *Benedict. XIV. cit. op. lib. 3. cap. 4. n. 1.* Quibus etiam non obstat opinio Monacelli qui tam doctorum auctoritate quam juris ratione ductus revocavit et ad solos census reservativos restrinxit, *t. 4. in supplem. ad tom. 2. tit. 14. form. 5. n. 147.*

Licet denique generatim doceat Episcopum exquirere in legibus condendis capituli velut senatus sui consilium, imo in rebus praesertim, quae in capituli praejudicium cedere possunt, ejus etiam consensum praestolari teneatur; hoc tamen ad legis valorem plerumque non requiritur, maxime cum capitulum sine rationabili causa non vult consentire, *Abbas cap.: Cum consuetud. num. 5*, *Reiffenstuel in lib. 1. decret. de constit. §. 4. num. 72.* At in casu non agitur de lege specialiter capituli bona respiciente, sed Episcopus per legem generalem communi animarum bono consulit aeque ac coetus et personarum ecclesiasticarum decori et quod magis est miserabilium personarum indigentiis et gravaminibus prospicit. Nulla igitur subesse videtur ratio, cur capitulum cathedralis ecclesiae dictae legis dispositioni obtemperare non debeat; cum etiam exceptio, quod tali sanctione fructus ecclesiae cathedralis aeque ac omnium locorum piorum imminuatur, tanti sane facienda non videatur, ut propterea legi ex totius cleri judicio providentissimae expediat derogare.

Haec utrinque super quaestione expendenda esse videbantur: erit modo Ordinis Vestri amplissimi dirimere

Dubium:

An et quomodo servanda sit lex ab Episcopo edita in casu?

Continuatio.

Etsi disceptatio omnis super praesenti controversia eo potissimum tendat, ut definiatur num per legem dioecesanam, quae relate ad pia loca quamdam generalitatis notam exhibet, liceat necne statuere quod fructus censuum certam summam haud excedant, nec proinde ratio de casibus peculiaribus habeatur, sinant tamen EE. PP. ut ob oculos ponam doctrinas hac super re receptas tam a s. Rotae auditorio super casu *coram Serlupi* discusso ac definito in *Romana seu Florentina Fructuum censuum die 2. Junii 1815* quam a s. Congregatione EE. et RR. *in Spoletana diei 13. Februarii 1835* ut, si quo adhuc indigeat, controversiae lumen addatur. Casus itaque memoratae decisionis erat cujusdam debitoris census qui in ejusdem imposi-

tionis instrumento octunces annuas usuras depactus fuerat creditori solvere. Creditor census dum de eodem ad causam piam ultimo suae voluntatis elogio disponeret, religiosum aliquid forsan habens super usuris constitutis, quasi quae immodicae viderentur, exequutores suos testamentarios habiles fecit ad easdem reducendas quoad futurum et peractas solutiones compensandas. Hanc propitiam nactus occasionem debitor institit coram dictis exequutoribus pro fructuum imminutione; cui tamen ipsis refragantibus dubitatum fuit in s. auditorio:

An et quomodo sit locus solutioni fructuum in casu?

Et datum responsum: *Affirmative et esse locum solutioni fructuum ad formam instrumenti.* Decidendi ratio in eo stetit, quia agnita fuit a tribunali justitia conventi fructus octuncis et meri scrupuli effectus quidquid creditor morti proximus de reductione caverat.

Sic nitide argumentabatur decisio super rationis justitia. Ponebat principium tamquam utroque jure agnitum atque ab interpretibus et praecedentibus decisionibus admissum, quod regula super justitia fructuum percipiendorum in censibus ceterisque creditis pecuniariis desumenda venit aut ab expressa lege quae illum praescribat aut a more regionis et temporis quo recepta fuerit a probatis personis, *quae nec avide aliena appetant nec temere sua projiciant.*

Quoad primam regulam, legem nimirum, observabat, quod, quum augmentum vel decrementum fructuum super creditis pecuniariis dependeat a pluribus causis et pecuniae valor varietatibus obnoxius evadat, prout variare contingit pretium cujuscumque mercis, quae a pecunia ipsa repraesentatur, fieri non potest ut legislator pecuniae fructum praefiniat, ita ut quaevis quae edenda esset lex hoc super negotio suo procul dubio careret effectu. Ex quo repetit ipsa decisio causam quare nulla Pontificum constitutio habeatur, qua praestitutus fuerit pecuniae fructus.

Normam hinc sumendam evincit a personis bene moratis *quae nec avide appetunt aliena nec sua temere projiciunt* eamque justam interusurii mensuram habendam, quae ab ipsis practicari solet. Quam regulam agnitam etiam ac confirmatam dicit a ss. Pontificibus qui dum abstinuerunt sese a stabiliendo fructu pecuniae non dubitarunt aliunde constitutiones edere ad declarandum licitum ac probatum eum pecuniae fructum quem mos personarum probatarum introduxerat. Sic memorat constit. Martini V. qua probatus fuit fructus censuum ad rationem decem pro quolibet centenario *juxta locorum consuetudinem*, quam confirmavit etiam Pont. Callistus III. altera constit. quae incipit: *Pro parte* inter *extrav. eod. tit. de empt. et vendit.*; additque Pontificem Nicolaum V. a Siculis Episcopis requisitum eamdem interusurii mensuram probasse, quia ea in ditione communiter receptam agnoverat.

Hac itaque statuta regula decisio cohibens controversiam ad merum factum, utrum nimirum fructus ad rationem octuncem receptus esset penes bene moratas personas et constito sibi quod ejusmodi esset consuetudo penes tribunalia Urbis et provinciarum, petitionem reductionis fructuum rejecit omnino.

Nec negotium facessere visum est quod ex adverso objiciebatur, nimirum redditum censuum minorem esse debere fructu qui exigi solet in cambiis necnon respondere proportionabiliter debere redditui fundorum. Siquidem quoad primum decisio utrumque census et cambii contractum comparans utilitatem deprehendebet, quam contractus cambii obtinet super primo: quippe in eo cum praefiniatur tempus restitutioni sortis, creditor inde magnam utilitatem habet procurandi sibi aliud investimentum; dum contra in censu emptor pendere omnino debet a venditore seu debitore, in cujus omnino arbitrium collocata est restitutio; atque ex hoc satis fieri perspicit deteriorem emptoris conditionem, quum sibi pecuniam restitui contingere possit dum nullum praesto habet medium eam utiliter investiendi vel erogandi. Quo fit ut pretium censuum imminui atque minoris emi soleat, quam redditus cambii. Id ipsum sentiendum dicit quoad fructus bonorum facta utriusque conditionis comparatione et observat fundi emptorem habere super eodem integrum dominium et possessionem, ita ut utilitas omnis rei adhaerens ipsi integra cedat ejusque jus atque proprietas a nemine turbari atque auferri valeat. Dum e converso census emptor jus acquirit unice percipiendi redditum annuum, quod etiam eventuale dici posset, ob facultatem venditoris illud redimendi.

Hisce pariter argumentis innixa fuisse videtur s. Congregatio EE. et RR. in relata

Spoletana, dum, licet decunces usurae essent depactae et debitor indemnitatem quoad praeteritum et reductionem quoad futurum urgeret, argumentum etiam sumens a fructibus praediorum qui eo loci vix ad rationem quatuor pro quolibet centenario colligebantur, reductionem haudquaquam decrevit, sed animadvertens usuras a decem ad octo amicam concordiam fovit scribens Archiepiscopo ut debitori census suaderet ad sponte oblatam reductionem acceptandam.

Ex hisce aliisque in superiori folio resumendo relatis arguent Emmi. Patres num expediat probare legem ab Ariminensi Episcopo latam vel potius alteri sit regulae adhaerendum, quae ex locorum consuetudine et personarum probatarum usu dimanat. Id unum animadvertat, quod si verum est pretia rerum continuo imminui vel augeri, prout suadent temporum, personarum, rerum ac locorum vicissitudines, lex quae fructum ad certam cohiberet summam injustitiae quandoque fomitem suppeditare posset, quandoque autem improvida maneret, prout pretia rerum minora vel majora essent, et mos eorum qui *nec avide appetunt aliena nec sua temere projiciunt* majores vel minores fructus admitteret ac reciperet. Ex utraque hinc rei contingentia quisque videt verum utique esse quod praevidit decisio, nimirum legem hoc super negotio editam facile suo posse carere effectu.

Sed erit EE. VV. dirimere

Dubium:

An et quomodo servanda sit lex ab Episcopo edita in casu?

S. C. resp.:

In casu dotationis Mansionarii de quo agitur non expedire.

Die 5. Apr. et 17. Maji 1851.

Character indelebilis.

(Utrum imprimitur invito?)

Vd. *Subdiaconatus; Diaconatus. Ordinatio* (intentio).

Biterren.

Ob coactionem *absolutam* non imprimitur s. ordinis character, *ex cap. majores 3. §. Item de Baptism.*, sed ob causativam ex metu atque saevitiis, quae illum non impedit, juxta *can.: Merito 15. quaest. 1. et gloss. in cit. cap. Majores §.: Item quaeritur, verb.: Conditionaliter.*

Die 21. Aug. 1790.

Valentin.

Coactio *absoluta* seu vis exterior characterem impedit ejusque effectus, *cap. Majores §.: Item quaeritur de baptism.*, sed causativa ex interiori metu, qui aliquam relinquit voluntatem, *ex can. Merito 15. quaest. 1., gloss. in cit. cap. majores §. item quaeritur*, verb.: *Conditionaliter*, ordinem non irritat, can.: *de Judeis dist. 45.*

Die 31. Maji 1794.

Charitativum.

(A Collegiatis estne solvendum?)

Vd. t. III. p. 447. §.: *De; Cathedraticum* (Jus Episcopi decr.: *Anglonen.* p. 878.)

Chimia.

Vd. *Alchimia.*

Chiromantia.

Vd. *Divinatio; Astrologia; Alchimia.*

Chirurgi.

(Irregul. suntne?)

Vd. *Medicus.*

Lucana.

Physici vel Chirurgi, si periti sint in arte et nihilominus erant de contingentibus et habuerint super hoc sanam conscientiam, poterunt promoveri, si causa eorum aliquid in homine contigerit, sunt verba s. *Petri Coelestini in sua opusc. 7. part. 4. sect. 1. cap. 3. t. 25. bibliotl. Patrum pag. 822.* Quoniam vero certus esse nequit, omnes semper adhibuisse artis regulas ad curandum morbum, qui aegrotum interemit, opus idcirco ei esset ad cautelam dispensatione ab irregularitate, ut in praxi servari testatur *Benedict. IV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 10. num. 4.*

Die 18. Julii 1795.

Choreae.

1) Clericorum.

Vd. *t. II. p. 144. n. 16; Clerici* (negotia etc.); *Alea.*

Anagnina.

In causa Anagnina vertente inter promotorem fiscalem curiae episcopalis ejusdem civitatis ex una et clericum Carolum Severa aliosque clericos et laicos terrae Articuli ex altera, reclamantes adversus decreta Episcopi illiusque edicta et constitutiones respective synodales prohibentia ecclesiasticis gestationem larvarum ac choreas et tripudia bachanali tempore et laicis festivis diebus, sicuti et adversus indictionem mulctae contra presbyteros et clericos, etiam conjugatos transgressores applicandae locis piis, et contra laicos prout in edicto, in quo etiam imponitur poena peragendi exercitia spiritualia, necnon adversus hujusmodi prohibitiones inposterum faciendas

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, partibus voce et scripto hinc inde informantibus, referente Emmo Nicolao Spinola rescripsit: Pareant omnino et amplius et Severa petat humiliter veniam ab Episcopo.

Romae 7. Februarii 1718.

Vasionen.
Decretorum Synodalium.

Informatio Rmi. D. Episcopi. Non sine admiratione accepi porrectas s. Congregationi preces nomine presbyterorum loci du Pumeras contra constitutiones nostras synodales. Cum enim in nostro in hanc dioecesim adventu cum dolore accepissemus nos in hoc tempore esse de quo loquebatur divus Bernardus dum ait: Nec sit populus sicut sacerdos. Nunciatum nobis fuit sacerdotem paucis diebus ante adventum nostrum non erubuisse choreas publice per totam urbem cum fae-

minis ducere et totum diem et etiam partem noctis in alearum ludis cum foeminis transigere. In tantum malum tamque scandalum remedium adhibere quantum Deus dedit sine mora conati sumus.

Ideoque post duos menses synodum nostram convocavimus, ut cum auxilio et consilio totius cleri istius dioecesis huic morbo mederi possemus. Superabundavimus gaudio, quod omnes una voce huic nostrae dioecesi sanandae studio applauserint et vocem pastoris sui audientes se paratos esse dixerint sanctorum canonum sanctionibus obedire; rogarunt omnes ut pro muneris nostri officio sequendas regulas indicaremus, quibus omnes unanimiter subscripsere etc.

Prohibui ecclesiasticis ludos alearum sub poena excommunicationis: motus primo ad hoc auctoritate Concilii Trident., quod legendum et fideliter observandum ab omnibus qui sub cura mea sunt totis viribus curabo. Etenim *sess. 22. cap. 1.* statuit s. Synodus, ut quae alias a ss. Pontificibus et a ss. Conciliis de clericorum vita, honesto cultu doctrinaque retinenda ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus necnon saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt eadem inposterum iisdem poenis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio executionem horum quae ad morum correctionem pertinent suspendat. Excommunicantur autem juxta antiquos canones clerici aleae deservientes, ut patet ex *can. Episcopus, distinct. 35, qui est 41. Apostolorum* tam egregie laudatus a s. Ephrem Syro: *Serm. de abrenuntiatione in baptismo facta.* Ex quo canone infert s. Raimundus *(lib. 2. tit. de negotiis saecularibus)* quod peccatum eorum qui aleae deserviunt est mortale: ex canone Apostolorum, inquit, colligitur, quod peccatum eorum qui aleae deserviunt est mortale et grave cum tales poenae non sint imponendae pro levi crimine. In concilio Senonensi anno 1527 canon. 25. prohibetur omnibus clericis, ne in publico pila ludant aut aliis ludis maxime cum laicis et a ludo alearum aliisque qui a sorte pendant abstineant. In concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III., relato in canone *Clerici, de vita et honestate clericorum,* sic legitur: Clerici ad aleas vel taxillos non ludant nec hujusmodi ludis ntersint. Nec dici potest, quod illud sit tantum prohibitum, quando clerici ludunt ex cupiditate lucrandi non autem si id tantum faciant recreationis causa. Ait enim *glossa in Authentica de Episcopis* §.: *Interdicimus:* Numquid gratis ad tabulas ludere potest clericus? Resp.: Quod non, cum etiam spectatores fieri hic prohibeat. Et non erit licitum Episcopo toto suo clero requisito ecclesiasticis injungere, ut ab aleis abstineant sub excommunicationis poena, praesertim cum ipsi compertum ex illo ludo oriri innumera scandala?

Miror, quod latores illarum precum petere ausi sint ab EE. VV. ut praeceptum impositum clericis a ss. Pontificibus et Conciliis generalibus deferendi vestes talares intelligeretur tantum quando divinis officiis intersunt, cum Concilium Trident. *sess. 14. cap. 6.* dicat: Oportet tamen clericos vestes proprio ordini congruentes semper deferre.

Falsum tamen est, quod illud prohibuerim sub poena excommunicationis; reservavi mihi tantum facultatem dandi absolutionem illis qui contra decreta conciliorum sine vestibus talaribus in loco residentiae incedunt, exemplo s. Caroli in synodo Mediolanensi anni 1568, in qua sic habetur: »Cum ad populi christiani disciplinam et religionem conservandam ss. Patrum sententiis et multorum conciliorum decretis cum Trident. Concilio perpetuoque ecclesiae universae usu et consuetudine illud observatum sit, ut quae graviora essent peccata non quibusvis sacerdotibus, sed ab Episcopis solum absolverentur, nos propterea quorumdam gravium casuum absolutionem nobis reservavimus eosque una cum illis quos in concilio nostro provinciali nobis item reservavimus hoc decreto infra ordine quodam descriptos explicari et promulgari voluimus etc. . .: qui clerici quaevis ecclesiastica beneficia obtinentes habitum clericalem non induunt. . .« Quod attinet ad prohibitionem chorearum et saltationum inter personas diversi sexus diebus dominicis et festivis s. Caroli exemplum secuti sumus in suo Concilio provinciali III. in quo sic legitur: s. Tridentina synodus cum statuit fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comessationes, ad luxum, ad lasciviam, tum pastores omnes vehementer in Domino obtestatur debitam sanctamque eorumdem observantiam pastorali diligentiae magnopere commendavit.

Quoniam autem usu jam hac in provincia nimis compertum est depravatis his temporibus et moribus ad choreas, tripudia, saltationes et id genus alia numquam fere conveniri sine multis et iis quidem gravissimis Dei offensionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obscaena dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas et perniciosas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuo conjunctas, tum propter caedes, rixas, dissidia, stupra, adulteria aliaque mala plurima inde consequentia quam saepissime, sicut ad instantiam cleri nostri constitutiones synodales contra clericos promulgavimus, sic ad instantiam communitatum nostrae dioecesis eas quae concernunt sanctificationem festorum edidimus, ad hoc moti non solum per innumera mala quae s. Carolus testatur ex hujusmodi saltationibus quotidie evenire quaeque nos in his partibus experti sumus (nam nostro in hanc dioecesim adventu fere quotidie puellae ad nos accedebant dicentes se deceptas esse a juvenibus: jam omnino a publicatione nostrarum constitutionum cessavit hoc malum) sed ex hoc etiam, quod major pars nostrae dioecesis sita sit in Gallia, in qua quamplures sunt noviter ad fidem conversi, qui scandalum patiebantur ex eo quod, cum apud illos choreae et saltationes diebus praesertim dominicis prohiberentur, apud nos ut licitae habebantur. Unde constitutiones nostras omnes cum amore susceperunt et fideliter observant. Unum referam in favorem loci du Pumeras, quod cum soliti essent festum s. Bartholomaei patroni illius loci in choreis, saltationibus ebrietatibusque transigere essetque res omnino insolita quod vel unus in hoc festo Sanctissimum reciperet: hoc anno maxima omnium congratulatione fere omnes ex nostris manibus Eucharistiam susceperunt. Quantum ad poenas impositas iis qui constitutionibus nostris contraire praesumpserint judicavimus quod illi non poterant in baptismate fidejussores pro aliis esse, quod mundo pompisque ejus renuntiarent, quas ipsi sectarentur. Cum autem in ecclesia ad matrimonium contrahendum necesse sit fidei rudimenta edixisse, dubitavimus an qui diebus dominicis et festivis saltationibus vacabant iis rudimentis imbuti essent, ideoque per nos ipsos de illorum eruditione certiores fieri consentaneum esse censuimus.

Vasionen. 19. Septembris 1687. Franciscus Episcopus Vasionen.

Vasionen.
Decretorum Synodalium.

Cum Rmus Episcopus Vasionen. in synodo dioecesana habita de anno praeterito quaedam decreverit, ansam praebuit presbyteris loci Podii Almeratii recurrendi ad hanc s. Congregationem adversus primum et secundum decretum prohibitivum necnon communitati ejusdem loci adversus tertium; porrectis de mense Julii proxime praeteriti supplicibus libellis pro obtinenda revocatione dictorum decretorum, super quibus expectata informatione ejusdem Rmi Episcopi, cum haec ad Urbem pervenerit, renovant hodie dicti presbyteri et communitas principalis instantias pro revocatione dictorum decretorum et sperant fieri voti compotes.

Quo enim ad primum decretum prohibitivum clericis ludos alearum et taxillorum supplicamus Emmum D. advertere quod in subjecta materia sacrum concilium Trident. jus aliquod novum non inducit, sed simpliciter mandat servari sancita a ss. Pontificibus et a ss. Conciliis, ut videre est in *sess. 22. de roform. cap. 1.* De jure autem antiquo juxta ss. canonum determinationes hoc sancitum habemus, ut damnentur et communione priventur presbyteri et clerici deservientes aleae et aleatores, *can. Episcopus dist. 35, cap. Clerici, 15 de vit. et honest. Cleric.* Ubi *Gloss.* in verb.: *Ad Aleas*, cap.: *Inter dilectos, de excess. Praelator.;* sub quorum nomine veniunt illi qui frequenter ludum exercent et in eo saepissime versantur; *Menoch. de arbitr. cas. 399. n. 19, Barbosa in can. Episcopus n. 5, Molin. de Instit. et jure tract. 2. disp. 512.* versic.: Quod vero, *Bonacin. t. 2. de restit. in gen. disp. 2, 9. 3.*

Itaque cum prohibitio Rmi Episcopi facta fuerit cum illa expressione: in qualunque contingenza e con qualunque persona che sia, et sic includat ludum qui fiat in convivio aut alias recreationis gratia, qui secundum receptissimam doctorum sententiam est permissus, neque cadit sub interdicto ss. canonum, *gloss. in cap.: Inter delictos,* verb.: *Voluptuosos, de excessibus praelat., Navarr. in Enchiridio cap. 19, Thomas Del Bene de Immunit. eccles. cap. 5, Bellet. Disquisit. clerical. §. 24, Bonacina, loco superius allegato n. 12,* debet dicta prohibitio revocari. Praesertim quia facta fuit sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, cujus causa materialis proxima cum non sit nisi

peccatum mortale, *cap.: Per tuas de sent. excomm.*, *Alagon. in cap. Clerici de vit. et honest. clericor.*, *Nicol. Lucubration. jur. p. 2. lib. 5. tit. 39.* Immo non quodlibet peccatum mortale, *Jacobus de Graff. t. 1. Consil. tit. de voto cons. 3.*, *Bonacina, t. 2. de restit. in genere 9. 3. punct. 7*, *Del Bene de Imm. Eccles. cap. 5. dubitat. 3. sect. 3.* Nec est facienda vis ad effectum substinendi poenam excommunicationis, prout facit Rmus Episcopus in *can. Episcopus dist. 35. qui est 41. Apostolorum*, ubi feriuntur poena excommunicationis clerici qui ludunt aleis, quia, ut supra diximus, dispositio hujus textus procedit contra aleatores qui frequentissime versantur in ludo, etiam cum neglectu officii, non autem contra clericos aliquando ludentes recreationis gratia, et cessaverit per contrariam consuetudinem ubique locorum receptam tradit *Del Bene loco mox allegato n. 7.* Quodque nec dispositiones aliorum canonum de subjecta materia disponentium accipi debeant cum tanto rigore, ut interdicant ludum recreationis gratia, tradit pariter *Bonacina* superius allegatus.

Praetereundum non est, quod dispositio dicti canonis *Episcopus* non importat poenam excommunicationis latae sententiae, ut patet ex lectura, qualis imposita fuit in casu praesenti; proindeque videtur in dubium revocari non posse quin excesserit Rmus Episcopus tam in dispositione prohibitiva quam in impositione poenae.

Transeundo ad secundam prohibitionem emissam super eo quod presbyteri et clerici non incedant sine veste talari extra domum in locis ac territoriis eorum residentiae, reservata sibi absolutione in casu contraventionis, reverenter insinuant presbyteri et clerici loci Podii Almeratii, quod de jure non reperitur determinatus certus clericorum habitus *(Clar. in §. final. qu. 36*, *Ricciul. de jure person. lib. 7. cap. 6.)*. Ideoque illae vestes dicuntur clericis esse decentes, quae a communi usu et consuetudine provinciae in qua commorantur reperiuntur admissae, *Ricciul. d. cap. 6*, *Barbos. de off. et potest. Episcop. p. 2. alleg. 1.*

Et quamvis s. Concilium Tridentinum *sess. 14. de refor. cap. 6.* praecipiat, ut clerici vestes congruentes proprio ordini deferant, sano tamen modo hoc debet intelligi, non de continua sine intermissione habitus delatione, sed pro tempore et loco, *Barbosa loco mox allegato n. 8.* Hoc posito credunt principales nostri debere deferri vestes talares, quando divinis officiis intersunt, non tamen quando propriis negotiis aut domesticis servitiis incumbunt, praesertim quia commorantur in regione, in qua vestes breviores reputantur habitus decens clericorum, ut patet ex communi usu.

Et quia degunt in loco Podii Almeratii, qui est oppidum parvum, in villis autem et in locis campestribus reputatur decens habitus clericalis illa vestis, quae se extendat infra genua usque ad medios crures, ut ex sententia s. Congregationis tradit *Passerinus in cap. Clerici, de cleric. conjug. in 6.*

Et revera esset grave nimis et dispendiosum personis ecclesiasticis degentibus in dicto loco Podii Almeratii gestare vestem talarem per vias saxosas et dumis refertas.

Cum Rmus Episcopus in casu contraventionis factae decretis conciliorum et ss. canonum circa delationem vestis talaris sibi reservaverit absolutionem, de hoc magna versantur in inquietudine conscientiae personarum ecclesiasticarum, dum aliquid certum ac determinatum sacri canones et concilia in hoc non disponant, ut supra dictum est.

Praeterea reservatio absolutionis sibi facta quam fecisse asserit exemplo s. Caroli Borromaei casui nostro non congruit, quia s. Carolus sibi reservavit absolutionem illorum clericorum obtinentium beneficia qui habitum clericalem non induunt, intelligendo de illis qui deserebant habitum vel induebantur vestibus fulgidis, fucatis seu virgatis necnon variatis et sericis texturis, quae proprie sunt laicorum et clericis non conveniunt.

Can.: Omnis et *can.: Praecipimus. 21. qu. 4.*

Quoad tertium decretum concernens prohibitionem chorearum et saltationum, pro illius revocatione non supplicant personae ecclesiasticae, sed laici nempe communitas dicti loci Podii Almeratii, et sperat obtinere.

Dictae namque choreae et saltationes sunt permissae de jure civili. Textus est in *L. Ut prophanos c. de Pagan.*, *Novar. de gravam.*, *Vassall. t. 2. gravam. 198.*

De jure vero canonico non sunt prohibitae, nisi ratione loci, ut si fiant in locis sacris, ratione temporis, ut si fiant in horis destinatis ad celebrationem divinorum officiorum, et ratione personarum, ut si fiant a clericis et personis regularibus, ut habetur in canone *Presbyteri, dist. 34., in can. Irre-*

ligiosa, dist. 3. de consecr. et *in Clem. Gravi*, vers.: *Nonnulli etiam, de celebratione missar.*, et tradunt *Bonazina t. 1. de magno matrim. sacram. q. 4. punct. 9.*, *Azor. Inst. moral. p. 3. lib. 3. cap. 26.*

Et illas posse fieri in diebus festivis tradit idem Bonacina mox allegatus, ea ratione, nempe quia choreae sunt signa publicae laetitiae et receptae per consuetudinem, quae in hac re non videtur corruptela, nisi respectu mali eventus. Et quod talis in statu Avenionensi ab omni aevo extiterit consuetudo faciendi dictas saltationes et choreas testatur a *Laurentiis decis. Aven. 183. n. 14. ubi* cum fieri possint honeste et sine delicto, quod in dubio non praesumitur malae et vitiosae non sunt reputandae; maxime quia fiunt palam et in societate multarum honestarum puellarum et matronarum illuc recreandi animi causa confluentium et in horis non destinatis ad celebranda divina officia.

Hinc non meretur attendi, quod Rmus Episcopus asserat illas prohibuisse ratione mali eventus, scilicet ut tolleret occasionem et scandalum removeret; nam cum dictae saltationes palam et publice fiant in plateis et viis publicis, cessat quaecumque sinistra suspicio, quia qui mala agere volunt eligunt potius extraneos et solitarios vicos, ne suorum malefactorum testes habeant, ut bene advertit a *Laurentiis praecitata decis. 183.* Ubi quod in iis contingentiis non est respiciendum ad cogitationes et ad intentionem eorum qui choreas agunt, quia de his judicat solus Deus.

Can.: Erubescant et ibi *Gloss. distinct. 32*, *Fagnan. in cap. Vestra num. 46. de cohabit. cleric. et mulier.*

Scandalum vero quod dicitur ex dictis choreis generari nuper conversis ad fidem, quorum plures degunt in dioecesi eo quod videant choreas et saltationes in diebus festivis et praesertim dominicis penes haereticos prohibitas, apud catholicos esse permissas, excluditur ex qualitate actus qui est licitus et de genere permissorum, et sic scandala inferre non potest, ut bene *Castropal. oper. moral. p. tract. 6. disput. 6.*

Et cum diebus festis liceat non tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter honeste laetari et in illis partibus ab omni tempore extiterit consuetudo chorearum et saltationum, satis planum est ex his scandalum aliquod oriri non posse, quia ecclesia et consuetudo dictos actus permittunt. *Fagnan. in cap. Concilium, n. 19. et seqqu.* et *in cap. Explicari, n. 18. de observ. jejun.*

Et quatenus dicti nuper conversi male opinarentur de dictis choreis, viderentur per Rmum. Episcopum edocendi et monendi monito s. Augustini de quo in *can. Illa distinct. 12.*

Mulctavit Rmus Episcopus contravenientes prohibitioni chorearum ea poena, ne denunciationes eorum matrimonii publicarentur, et ne admitterentur compatres et commatres in baptismate. Quae poena videtur pariter devia a ratione, supplicando Emum. D. advertere, quod cum morales licitas choreas dicant, ex eo praesertim quod ex his arripitur occasio contrahendi matrimonia, ut post Silvestr., Filliuc. et alios quos allegat, tradit *Bonacina t. 1. de magn. matrim. Sacrament. qu. 4. punct. q. sub n. 24.*, non debuit Episcopus vetare denunciationes matrimoniales eorum qui choreas egerunt, minusque prohibere, ne admitterentur compatres seu patrini in baptismate.

Et cum dicta decreta afficiant omnes laicos et respective omnes ecclesiasticos tamquam singulos et non tamquam universos, ex consensu aliquorum non fit praejudicium aliis qui non consenserunt nec eis praecluditur via petendi illorum revocationem. *Glossa in cap.: Cum omnes*, et ibi *Barbosa n. 6. de Constitut.*, *Rota coram Cardinal. Cavaler. dec. 135. n. 5.*

Quare etc. Carolus Nicolaus Severinus.

Vasionen.
Decretorum Synodalium.

In dioecesana synodo proxime habita Episcopus inter caetera edidit tria decreta, quorum verba ex gallico in italicum idioma translata sunt haec:

1. Che li preti non possino giuoco giuocare ad alcun di carte, e di dadi, in qualunque contingenza, e con qualunque persona che sia sotto pena di scommunica da incorrersi ipso facto.

2. Che non possino comparire in publice e territorii di loro rezidenza, senza vestire l'abito lungo, riservando a se stesso l'assoluzione di quelli, che contre i decreti dei sacri concilii contra venissero a quest' ordinazione.

3. Che per tutta la dioecesi tra le persone di diffirente sesso nei giorni festivi e

di domenica non si faccino balli soto pena alli contraveniente, che le denuncie matrimoniali di quelli che vorrano maritarsi non saranno publicate, e che non saranno ammessi per compatri e commatri nelli battesimi.

Adversus dicta decreta habitus ad hanc s. Congregationem recursus nomine presbyterorum et incolarum loci Podii Almerati, et successive duo ejusdem loci sacerdotes pro obtinenda revocatione primi et secundi, consules vero et communitas pro obtinenda revocatione tertii ex eisdem decretis specialem procuratorem in curia constituerunt.

Audito proinde Episcopo, cujus relatio per manus circumferetur, et procuratore presbyterorum et communitatis praedictae informante dignabuntur Emi PP. respondere:

An et quod ex praefatis decretis substineatur et respective servandum seu revocandum sit?

Sacra etc. resp.: Non proposita. Die 20. Decembris 1687.

2) Publicae.

Vd. p. 956. §.: *De jure.*

Choreae publicae festis diebus prohibentur a Benedicto XIV. t. 1. constit. 60. incip. *Nihil profecto* §. *4.* in qua constitut. multa ad rem merito observanda traduntur.

Chorus.

I. Absentia.

Vd. *Distributiones.*

1) Adjuncti.

Vd. *t. I. p. 181; Chorus* (absentia: *causae excus.*).

2) Canonici theologi.

Vd. *Chorus* (absentia-causae excus.: *Legendi officium.*).

3) Causae excusantes.

Vd. *Chorus* (*alternativa*).

a) *Aer insalubris.*

Vd. *Chorus* (absentiae causae-celebratio missae, decr.: *Comen.*).

Grossetana.

Praepositus et Canonici cathedralis ecclesiae Grossetanae ob aerem aestivis mensibus nimis infensum veniam absentiae a choro et a residentia postularunt. Canonicorum petitioni propitium suum pandidit votum Episcopi; retulit enim ita desertam aestivo tempore ob aeris inclementiam remanere civitatem, ut vix ac ne vix quidem quinta incolarum pars domicilium suum alio non transferat; hinc in ea erat sententia »ut liceat oratoribus per tres menses, Julii videlicet, Augusti et Septembris, vacare singulis annis ob aeris intemperiem a chori servitio, diebus exceptis s. Laurentii civitatis Patroni principalis et assumptionis b. Mariae, dummodo per alios novem menses non ut hactenus per quatuor, sed per sex Canonicos choro inserviatur et dummodo missae conventuales, quae omittuntur in mensibus exemptionis, reliquo anni tempore decantentur et applicentur pro benefactoribus: firmo et in suo robore permanente exercitio curae animarum, quod Praeposito Cathedralis incumbit, aeque ac quatuor missis, quae populi commodo a Canonicis omnibus diebus de praecepto celebrari debent et duobus diebus ferialibus. Et quoniam abusus irrepserat recitandi Tertiam sine cantu ante missam conventualem, teneatur capitulum Tertiam inposterum decantare«.

Episcopi sententiam amplexus est hic s. Ordo; nam in comitiis diei 18. Martii 1820 proposito dubio:

An et quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu etc.?

responsum prodiit: Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium.

Indultum ejusmodi cum ad exitum suum jam properare intelligant Canonici atque Grossetanum aerem haud minus corporum valetudini infensum probe sentient, preces denuo offerunt, quibus indultum illud ad decennium prorogari enixe efflagitant. Quae Canonici narrant, eadem firmat Episcopus inquiens:

Satis mihi compertum est ex decennali experientia hujusmodi indultum in majorem Dei cultum, Ecclesiae decorem et populi commodum evasisse. Aliud equidem est

ss. officia peragere cum tertia capituli parte, aliud cum dimidia. Missas conventuales trium mensium aestivorum non detrectant Canonici decantare reliquis anni diebus; non omittunt cantum Tertiae et completorii, juxta conventionem quam mihi exhibuerunt quando per eos s. Sedes supplicata fuit pro gratia abessendi a residentia de qua agimus.

Causa principalis quae Canonicorum petitioni arridet aeris nempe hujus orae maritimae venefica indoles, quae non tantum in dubium revocat singulorum vitam, sed si salvi fiant per aliquot annos, ita infirmae valetudinis sunt ut officium suum obire nequeant et ecclesiae servitium populique commodum negligere conantur. Non me latet Hetruriae Magnum Ducem maximis sumptibus paludibus in hac planitia positis iisque pene pestiferis bellum indixisse et Princeps et Idrentici omnes, qui huic operi perficiendo adhibentur, in evidentem adducunt spem fore ut brevi annorum spatio aeris inclementia corrigatur et terra melius vegetationi inserviat et agrorum cultus augeatur. Quando haec erunt? Certo certius haberi potest, effectum hujusmodi non posse expectari nisi post decennium proximum decurrendum. Hisque cognitis oro enixeque obtestor EE. VV., ut praevia confirmatione indulti diei 18. Martii 1820. nihil quoad hoc, si ita placuerit, innovetur.

Rursus itaque proponitur

Dubium:

An et quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad aliud decennium ad formam praecedentis indulti, facto verbo cum SSmo.

Die 20. Mart. et 24. Apr. 1830.

b) *Caecitas.*

Vd. *Distributiones*; t. III. p. 212. a; p. 191 a.

Spoletana.

Cum labente anno 1844. Cajetanus Cherubini in Lionissae Collegiata Canonicus Spoletanae dioecesis ab hoc s. Ordine ob calamitosum coecitatis vitium exemptionem a choro poposcisset, praeeunte jurata medicorum fide acriter licet contradicente capitulo, trinis praesertim de causis, quod scilicet ex octo supra triginta annis, quibus canonicatu fruebatur, quinque tantum vel sex ad summum interrupte choro interfuerat, quodque non omnimoda tenebatur caecitate, meruit tamen ut ipsius petitioni rescriberetur: Pro gratia ad annum, arbitrio et conscientia Archiepiscopi, amissis etc. Cui cum non acquievisset rescripto ob adjectam clausulam *amissis* etc. attenta praesertim praebendae canonicalis tenuitate, rei familiaris angustia et impedimento, quo tenebatur, quominus ad finitimas paraecias accederet, ut ex missarum eleemosynis aliquid perciperet emolumenti, ac insuper a praeteritis omissionibus et negligentia sanationem implorasset, factum est, ut die 17. Februarii anni superioris ss. Principis indulgentiam consequeretur, ex qua prodiit rescriptum: »Attentis peculiaribus circumstantiis, praevia sanatione quoad praeteritum, ad effectum consequendi praesens indultum, pro gratia ad triennium, onerata, si tamdiu etc. Quod illico ab Archiepiscopo Spoletano fuit executione donatum.

Audito praeter expectationem hujusmodi indulto preces continuo dedit capitulum, quibus ostendere conabatur praefatum indultum obreptione et subreptione laborare, quippe cum caecutiens et non omnino lumine orbus attenta inveterata ipsius negligentia nullam consequi mereretur indulgentiam, cumque falsitati prorsus niti, quod exposuerat Canonicus Cherubini, se nimirum nequire ad proximas paraecias accedere, ex oblatis viciniorum parochorum attestationibus luculenter demonstraretur. Bina deinde libello attexuit Archiepiscoporum hodierni Praedecessorum decreta, alterum nimirum sub anno 1831 Archiepiscopi Mastai, qui nunc auspicatissimo Pii Noni nomine ex praesentissimo Supremi omnium bonorum Largitoris beneficio divi Petri cathedram providentissime moderetur, alterum sub anno 1835 Archiepiscopi Cadolini, qui postea inter Emos S. R. E. Cardinales cooptatus Ferrariensem nunc archidioecesim administrat. Quorum primo formiter monetur praedictus Canonicus Cherubini de negligentiis et defectibus in chori servitio et residentia per plures annos admissis, sub poena privationis, servata gradatione per Concilium statuta: altero vero attentis contemptu ejusdem decreti et contumacia medietate fructuum primi anni privatus declaratur. *)

Ex quibus cum Cajetanus Cherubini iterum institisset pro denegatis sibi a capitulo di-

*) Vd. *t. II. p. 580. o.*

stributionibus, preces Archiepiscopo remissae sunt, ut capitulum in scriptis audiret super asserta distributionum denegatione adversus s. Ordinis rescriptum. Transmisit Archiepiscopus capituli deductiones, haec tantum adnotando: »Utrum deductiones capituli vim habeant attenta actuali conditione oratoris, erit sapientiae et prudentiae Vestrae Em. Patres definire.

Duo sibi proponit probanda capitulum, ut rescripti superius enunciati revocetur executio: primum scilicet Canonicum Cherubini haud esse omnino coecum et proinde haud fore exemptioni locum; alterum, etsi exemptio illi concederetur ex gratia, haud tamen fieri posse, ut ipse a quotidianarum distributionum seu tertiae partis praebendae ammissione cum omnium Capitularium praejudicio declaretur immunis.

Et primum quidem comprobant Capitulares auctoritate *Barbos. de Canon. cap. 24. num. 90.* Ibi enim deberi distributiones absque choro interessentia tradit auctor Canonico totaliter caeco, utpote omnino ad chori servitium inhabili; eumque sequuntur *Pignatell. consult. 115. num. 60. tom. 9.* et *Fagnan. in cap.: Cum percussio num. 12. et sqq. de cler. aegrot.* Si vero, ita sequitur *Scarfantonius in lib. 2. tit. 9. n. 25. et seqq. lucubr. canonical.*, non sit omnino orbus sed tantum ob visus debilitatem non valeat legere in libro et soleat per vias ambulare, tenebitur adire chorum et ibi recitare quae scit memoriter, *Filiucc. tr. 28. cap. 9. n. 28.* Nam praebendatus ad duo obligatur, nempe ad exhibendam corporalem sui praesentiam in choro et divinum officium celebrandum, *Azor. lib. 3. cap. 11. quaest. 12. tom. 2., Garz. de Benef. in add. ad 3. part. cap. 2. num. 515.* Unde Canonicus coecutiens non valens persolvere utrumque respondeat uni, faciendo in choro copiam suae praesentiae, quae chorum illustrat, honestat et authorizat, ut inquiunt *Trullen. in dec. cap. 7. d. 28. num. 8.* et *Sanchez consil. lib. 2. cap. 2. dub. 90.* Hisce consonat etiam *Ferraris* in V.: *Distributiones quotidianae art. 1. n. 15.* ubi allata s. Congregationis auctoritate eum a choro eximi ait et quotidianas lucrari distributiones, qui coecus est et propterea missas celebrare et divina officia recitare non potest.

Idque exemplis confirmant asserentes alios aliarum regionum Canonicos coecitate laborantes exemptionem a choro ubi manu ducebantur obtinere haud potuisse. De Canonico autem Cherubinio contrarium affirmant, cum ipse et urbem circumeat et missam absque alterius sacerdotis ope quotidie celebret et viciniores adeat pagos, ut missarum eleemosynas vel ex defunctorum officiis vel ex solemnitatibus provenientes sibi comparet; ac tandem ejus domum paululum ab ecclesia collegiata distare et proinde nulli incommodo ei fore observant ad ipsam ecclesiam accessum, ut suam in choro praesentiam exhibeat.

Alterum vero ex eo demonstrant, quod praefatus Cherubinius ex octo supra triginta annis quibus possidet canonicatum quinque vel sex ad summum et quidem interrupte ad chorum accesserit. Ut autem coecus sicut et caeteri qui infirmitatis causa chori obligatione solvuntur quotidianas valeat lucrari distributiones necesse est ut tempore sanitatis non fuerit culpabiliter negligens, dummodo scilicet ante infirmitatem fuerit solitus inservire, uti declaravit s. Congr. in *Reatina* et alibi centies, quia tunc absentia, uti observat *Benedict. XIV. in sua inst. eccl. 107. §. 8. num. 47.*, non morbo tribuitur sed voluntati, qua putantur inhaerere eidem proposito ecclesiae minime inserviendi. Ratio enim hujusmodi indultorum in eo tota est, ut infirmus fictione juris censeatur praesens in choro satisque ecclesiae servire aestimetur per bonam voluntatem eo tempore, quo propter adversam valetudinem ei servire exterius impeditur, uti tradunt *Lott. de re ben. lib. 3. qu. 27. num. 13.*, *Panimoll. dec. 20. adnot. 3. n. 57. et seq.* et *Antonell. de jur. et oner. cleric. lib. 2. part. 3. cap. ult. n. 123.*

At vero Canonicus orator pergit capitulum non solum negligens sed negligentissimus in chori servitio est reputandus, dum vix sextam temporis partem, quo canonicali praebenda fruitur, inservierit. Quare non solum ex patula juris dispositione est distributionibus privandus, si ex damnata hypothesi a choro declaretur exemptus, sed nec ullam mereri veniam contendit non modo ex culpabili hujusmodi absentia et contumacia post decreta Praedecessorum Antistitum, sed etiam ex prava ejus vitae ratione, quam detegunt ex quodam Rmi Praesulis Scerra Spoletti anno 1820 Vicarii apostolici ad Vicarium generalem Lionissae epistolio necnon ex literis Archiepiscopi Cadolini ad eumdem Vicarium generalem anno 1837 datis.

Ex quibus concludit capitulum, nisi ipsi Canonici nimia in Cherubinium usi fuerint indulgentia et commiseratione non modo omnibus suae praebendae fructibus sed ipsam et canonicali praebenda privatus jampridem extitisset. Nunc autem ne ipse ex vitio et negligentia praemium videatur percipere ex hactenus deductis non modo distributionibus cumulandum sed ne exemptione quidem donandum esse propugnat.

Hisce Canonicorum animadversionibus en quae Cherubinius reponit. Ad primum quae spectant animadversionum caput refellendum apponit s. Congregationis decretum relate ad coecum, quod refert *Bened. XIV. in cit. instit. num. 48.* hisce verbis: »Non teneri horis canonicis interesse nec in choro eam officii partem quam memoriter tenet recitare et nihilominus lucrari distributiones quotidianas perinde ac si interesset. Ex quibus decreti verbis satagit deducere se ad chori servitium non teneri eo ipso, quod ab artis medicae professoribus omnino inhabilis declaratur alla lettura; decretum enim recitatum hunc adamussim videtur casum respicere, dum declarat non teneri ad eam officii partem quam memoriter tenet recitare: eum enim esse choralis interessentiae finem, ut inibi horae canonicae recitentur; statim ac igitur quis legere nequit ut horas canonicas recitet, eo ipso a chori obligatione evadere debet immunis.

Nec in pretio habenda subjungit quae a capitulo objiciuntur tum quoad missae celebrationem tum quoad ejus potentiam absque aliorum auxilio ambulandi. Si enim missas celebrat, id ex eo tantum fit quod a s. Poenitentiaria missam votivam celebrandi facultatem quae extat in actis habuerit. Quoad reliqua vero se a facultate legendi ac scribendi praepediri, uti semper fassus est usque a prima petitionis die juratam exhibens medicorum fidem; quare nil mirum si nullius ope agere valeat. Praeterea indultum, de quo queritur, ex eo potissimum sibi asserit necessarium, ut alio relicta Lionissae civitate possit divertere ad mitiorem aeris temperiem pro sua valetudine conquirendam.

Alterum vero animadversionum caput quod respicit duplici ex titulo conatur infirmare. Primo quidem, etsi non inficietur ad lucrandas distributiones tempore infirmitatis opus esse, ut antea fuerit solitus inservire, id tamen ita intelligendum esse ait, quod solitus interesse censendus sit, qui per triennium ante infirmitatem non abfuerit ultra tres menses quolibet anno per Concilium concessos aliisque temporibus choro Divinisque persolvendis juxta solitum interfuerit, ut docent communiter doctores, quos refert et sequitur *Antonelli lib. 1. quaest. 4. n. 26.*, atque ideo hujusce soliti cognitio remitti solet Episcopi conscientiae, uti patet ex resolutione s. Congregationis in *Mantuana* quam refert *Bened. XIV. loc. cit. num. 47.*

Deinde quidquid sit vel contra dici possit hujusmodi capituli exceptionem haud locum amplius habere contendit, postquam ss. Princeps quemlibet praecedentem defectum in oratore sanare dignatus est, cum die 17. Februarii elapsi anni rescriptum in principio relatum plene cognita causa per hanc s. Congregationem emanavit. Tunc siquidem in actis exstabant tum validae Capitularium oppositiones, quas hodie tantum repetunt, jurata medicorum fides necnon quaedam de anno 1830 Rmi Archiepiscopi Mastai, supremi nunc Principis ac Pontificis amantissimi informatio, quae et oratoris negligentiam ejusque non laudandam vitae disciplinam detegebat. Hisce licet plene cognitis ac tamen sepositis sanatio praeteritarum omissionum atque culparum benigne concessa fuit. Indignum igitur esse clamat adversus praefatum rescriptum venire ac insuper oratori injuriosum ob notam ei falsitatis irrogatam.

Praeterea si negligentia notatus fuit, fuit etiam poena mulctatus: fructuum enim privatio contra illum per Archiepiscopum Cadolini decreta et distributionum quoties abfuit amissio habenda est poena sufficiens. Quavis demum in hypothesi benigne cum ipso agendum concludit ex canonica aequitate, qua jubetur non esse addendam afflictionem afflicto.

Omnia hucusque tum in facto tum in jure disquisita habentes prae oculis EE. PP. dignentur dissolvere

Dubium:

An et quomodo sit exequendum rescriptum diei 17. Februarii anni superioris in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative in omnibus.

Die 5. Dec. 1846.

Cont. Spoletana.

Pernoscens deinde Canonicus Cherubini tempus in indulto praefixum jam exspirasse preces geminavit sub die 14. Augusti 1849 pro perpetuo indulto ob perpetuum coecitatis vitium; cui rescriptum fuit die 21. Augusti sequentis: *praevia sanatione quoad praeteritum, pro gratia prorogationis ad aliud triennium ad formam praecedentis.* Quod pariter decreto executoriali roboratum fuit. Hisce fretus decretis institit Canonicus Cherubini apud Capitulum, ut fructus sui canonicatus sibi traderentur. Incassum tamen Canonicis quocirca id praestare obsistentibus e re sua censuit recursum ad regium Tribunal habere: et primo contra agricultores, deinde contra Canonicum Hyacinthum Ettorre litem habuit ea super re. Sed ob litem intentatam perperam causa cecidit Cherubinio.

Hisce in irritum cessis die 28. Maji 1850 apud H. S. C. rediit Cherubinius et EE. PP. precatur, ut per capitulum hujusmodi decreta ita exequantur, ui sibi tradantur fructus suae praebendae.

Precibus pro informatione et voto Archiepiscopo Spoletano ablegatis idem Archiepiscopus transmittens deductiones collegii Lionissae haec habet: »Jure meritoque Canonici civitatis Lionissae de eorum collega Canonico Cherubinio conqueruntur, qui post nullum servitium praestitum Collegiatae, post jurgia et lites contra ipsos promotas, post criminosos etiam processus constructos praemium jubilationis sub praetextu coecitatis retulit. Sed cum praedictae Collegiatae capitulum in suas deductiones valde bene Cherubinio recurrenti respondit, quia falsum asseruit, et multo magis declaratum videtur favore Canonici Hyacinthi et Torre a Tribunali Aquilae, in silentio puto retinenda mea sententia eo quod dum ad hanc Sedem perveni sub anno 1838. S. Congregatio Episcoporum et Regularium jussit ut praecurrens domicilium statueret in hac archiepiscopali curia ad effectum decidendi processus ab antecessore Emo Catholinio exstructos; huic mandato ipse renuit nec unquam usque adhuc acta fuerunt absoluta.«

Ex deductionibus capituli eruitur ipsum iterum conqueri de Cherubinio qui praetextu coecitatis indultum exemptionis a choro obtinuit. Negat enim ipsum esse coecum quia urbem circumit, dum populus frequens, absque duce, quia nemine adstante missam quotidie celebrat; idque testimonio Praepositi ecclesiae s. Clementis affirmant. Queritur insuper quod Cherubinius falso extulerit suam paupertatem.

Quae ajunt Canonici cum causa fuerint concessionis rescripti, obreptio ac subreptio patens est *ad text. in cap.: Super literis*, ibique glossa verb.: *Dedissemus, de rescript., Piton. de controv. patronor. alleg. 1. n. 6, Rigant. ad reg. 1. cancell. §. 1. num. 332. et seqq.* adeoque ipso jure inferunt ipsius rescripti gratiae nullitatem *ad text. in cit. cap. 20. de rescript., Rota decis. 1397. n. 12. 13. 14. coram Lancetta, decis. 2. n. 8. decis. 28. num. 15. coram Olivatio.* Neque enim praesumi potest s. Congregationem voluisse ceteris Canonicis praejudicium irrogare, *Bellon. Jan. cons. 66. per tot., Constantin. vot. 500. num. 14. et seq. tom. 4.* Praeterea indignum putant indulto ex doctrinis in praecedenti folio relatis sub §.: *Et primum.*

Addunt praeterea sibi nunquam de exemptionis indulto constitisse.

Quod confirmant epistola ipsius Pacifici ad Vicarium foraneum Falconi sub die 27. Julii 1848. Cum igitur a Cherubinio rescriptum exemptionis exhibitum non fuerit pro eo saltem tempore, quo non fuit praesentatum, suo caruit effectu; *Rota decis. 26. num. 8. recent.*, quem ab executione pendere debuisse suadet apposita clausula: *arbitrio tuo*, quae aequipollet alteri »*si tibi videbitur*«, *ad leg. fideicommisum §. quamquam ff. de legib. 3.* Lap. *alleg. 60.*, Rota *decis. 126. par. 5. t. 2. recent.*

Post haec universam in praesens cohiberi ait capitulum controversiam ad id: utrum scilicet Cherubinius cum choro numquam interfuerit frui possit fallentiis ceterorum Canonicorum. Ex adverso Canonicus Cherubinius capituli deductiones infirmare ac dirimere conatur. Ac primum asserit in superiori causae propositione deductas a capitulo fuisse easdem exceptiones quas licet plene perspectas ac abunde discussas nullo tamen in pretio habuit s. Congregatio, quae indultum confirmavit; perperam hinc eamdem crambem impraesentiarum recoqui; nec amplius esse locum insurgendi contra rescripta exemptionis, quae cum capitulum ab eis non appellaverit ni rem judicatam migrarunt. Res autem judicata lex est: firmat ipsa veritatem actione dubium declarat, ut *ex Reg. si ed. interpretat. ff. de Legib., Castren. cons. 348.*

in fin. lib. 1., Rota cor. Coccin. decis. 609. n. 2. et cor. Lancetta decis. 115. num. 14. adeo ut contra rem judicatam insurgere incivile sit, ait *Rota coram Ansaldo decis. 762. num. 8. coram Rotta, decis. 223. num. 1.* et in *Romana Reintegrationis 3. Julii 1761. §. 9. coram Frangipane et decis. 918. num. 51. et 1008. num. 4. coram Molino* et *Interamnen. Salviani 1. Decemb. 1758. coram Emo Elephantutio.* Quinimmo addit Cherubinius se non amplius teneri decretis Mastai et Cadolini; res enim judicata liberat ab omni obligatione et molestia, ut tradit *Raynald. observ. crim. cap. 1. §. 10. num. 44, Julius Clar. lib. 5. sent. §. final. quaest. 57. n. 9.*

Res autem judicata hoc solum expectat ut executioni ea mandetur, *Leg. si se non obtulit §. si ex conventione ff. de re judicata leg. 2. c. de execut. rei judic.*, quae executio nullatenus prohiberi nequit, cum juxta etiam adagium forense habeat executionem paratam, *Rota decis. 229. num. 16. par. 5. t. 1. recent.*

Quod deinde objiciunt Canonici rescriptum exemptionis nec sibi nec Vicario Pacifici exhibitum fuisse, id Cherubinius invicte refellit, allegans testimonium Francisci Ettoro Vicarii generalis dioecesis Spoletanae in regno Neapolitano quod exhibitum fuit Tribunali Aquilae ab ipso Cherubinio ac videre est in Tribunalis ejusdem sententia. Ex hoc sane infert Cherubinius se exhibuisse indultum exemptionis et curiae Spoletanae et capitulo Lionissae.

Super controversia quae fallentiarum perceptionem respicit id adnotari posse videtur: distributionum nomine intelligi ea emolumenta, quae tamquam fructus canonicatus dietim lucratur Canonicus ratione servitii et laboris. *Barbos. de jur. eccles. cap. 18. num. 4.* et *de Canonic. et Dignit. cap. 21. num. 3.*; minime autem comprehendi punctaturas, quae nullimode suut fructus canonicatus sed tamquam praemium interessentibus debentur et in poenam absentium seu traditur penes s. C. in *Reatina Jubilationis 28. April. 1770. §.: Neque.*

Hoc tamen cum limitatione sentiendum: siquidem ubi contingat nullimode distributiones existere vel quae ex integra praebenda componuntur vel ex tertia ipsius parte vel ex bonis ecclesiasticis omnino discretis, sed illarum vice haberi fallentias seu punctaturas, quas praebendati non ex fructibus beneficii sed aere proprio solvere tenentur, habito respectu ad finem, quo hae persolvuntur, videri procul dubio poterit, has omnino locum distributionum quotidianarum tenere, quippe, quemadmodum illae constitutae sunt, ut praebendati alliciantur ad divina officia accuratius obeunda, ut praeter Conc. Trid. *sess. 21. cap. 3. de ref.* tradit *Ceccoper. Animadvers. ad tit. 6. n. 1. pag. 133. et tit. 8. num. 42. etc.* et s. Congregatio passim, ita hae in poenam negligentiae exsolvuntur atque diligentioribus accrescunt. Igitur etsi non per se, effectu tamen inspecto, inter quotidianas distributiones enumerari posse docet quoque Cardinalis de Lucca *de jur. patron. disc. 10. num. 12.* et *de Canonicis disc. 18. num. 6.*

Quoties autem hujusmodi punctaturae subrogatae sint in locum distributionum consequens est, ut in omnibus earum naturam et conditionem induant *ad text. in leg. Si eo. §. Qui injuriar. ff. Si quis*, Gratian. *in disceptat. 624. num. 10*, Card. de Lucca *de statut. succes. num. 4.* et *in recentior. decis. 56. num. 4. part. 18*; eamdem insuper esse sententiam s. Congregationis eruitur ex *Nullius Farfen. Distributionum quotidianar. 20. Decemb. 1738.* et *Eugubina Punctatur. 15. Mart. 1783. ad I. dub.*

Quod vero Canonicus infirmus veluti est coecus lucretur etiam absentium absque legitima causa distributiones in discrimen non adducitur. In specie autem fallentiarum eamdem ac pro distributionibus legem servari communis est canonistarum sententia, quos inter *Ceccoper. lib. 2. tit. 11. num. 3, s. autem Congreg. die 29. Sept. 1657 in Alexandrina lib. 21. decret. pag. 90*, proposito sequenti dubio:

An quando Canonici legitimis ex causis absentes non amittunt proprias distributiones quotidianas debeant etiam lucrari et participare pro rata de distributionibus aliorum Canonicorum absentium absque legitima causa? responsum fuit: *Deberi etiam punctaturas absentium.* Et in terminis Canonici absentis a choro propter morbum et cum indulto quod omnes fructus et distributiones sui canonicatus perciperet non secus ac si choro et divinis officiis personaliter interesset quod eidem debeantur aliorum fallentiae resolutum fuit *die 5. Maji 1703 in Romana Distributionum et in eadem 27. Julii 1705. Et in Mediolanen. Distributionum*, ubi cum Joseph Sistorus Canonicus s. Mariae Scalensis, ex-

hibitis indultis S. C., quibus absens a servitio chori ex causa infirmitatis tamquam praesens factus fuerit, perinde ac si divinis officiis personaliter interesset, sub die 4. Februarii 1715. ad dubium: *An et a qua die debeantur distributiones in casu?* rescriptum fuit: *A die 22. Febr. 1711. per totum residuum triennii et amplius.* Sed cum inde partes contenderent ipsi non deberi fallentias Canonicorum illegitime a choro absentium, praesentium praesertim si adversa valetudo sit continua et habitualis juxta assertum capitulare decretum sive consuetudinem Canonicus Sistorus ab hujusmodi Canonicorum praetensione reclamavit coram EE. PP. supponens, quod memoratae fallentiae et portiones eadem prorsus regula metiri deberent ac quotidianae distributiones; proposito hinc dubio: *An debeantur fallentiae de quibus agitur in casu etc.?*

S. Congregatio die 7. Decemb. 1715 respondit: *Affirmative et amplius.*

Et pressius in specie Canonici caecitate misere laborantis discusso dubio: *An Canonico Joanni Joseph Caresti praetenso caeco debeantur distributiones quotidianae etiam provenientes ex Canonicorum fallentiis in casu?* responsum fuit: *Affirmative*, in *Aprutina Distributionum 7. Junii 1755.*

Hic tamen notandum est cum *Bened. XIV. Instit. ecclesiast. 107. §. 45. et seq.* et *Caeccoper. loc. cit.* quod ut Canonicus infirmus lucretur distributiones et multo magis fallentias aliorum necesse est ut ipse solitus fuerit residere; *S. C. in Ripana Jubil. 8. Febr. 1783. §.: Verum.*

Quod sane in Cherubinio summopere desideratur: nam ut semper Canonici conquesti sunt ex octo supra triginta annis quibus canonicatu fruitur quinque tantum vel sex ad summum interpolate choro interfuit, ut videri potest adnotatum in citato folio diei 5. Dec. 1846.

Se tamen satis excusatum habet Cherubinius ab omissionibus legitimas in medium proferens absentiae causas. Reque vera postulavit ipse ab anno 1830 ut sibi concederetur indultum abessendi a choro ac residentia, quo perduceret ad exitum plures lites de rebus suis familiaribus, quae dilapidationem passae erant illis tristissimis temporibus, licet tamen hoc indultum fuerit ei denegatum. Praeterea si non interfuit choro decem circiter abhinc annis, id fuit quia jam laborabat morbo coecitatis.

Quanti autem sint haec facienda, judicabunt EE. VV. quibus proponuntur dirimenda

Dubia:

I. An et a quo tempore debeantur a capitulo Canonico Cajetano Cherubinio fructus suae praebendae in casu?

II. An durante indulto lucretur idem Canonicus fallentias aliorum Canonicorum absque legitima causa choro absentium in casu?

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad formam rescriptorum s. Congregationis.

Ad II: Affirmative.

Die 25. Jan. 1851.

c) *Cantoris, organistae etc. officium.*

Vd. *Canon. Cathedr.* (celebrans miss. convent., decr.: *Signina* t. III. p. 321); *Chorus* (absentia-causae excus. —: *Munera* etc. dub. 4.; causae non excus.: *organistae* etc.)

Concessio facultatis alternatim absendi per duos menses a choro ecclesiae collegiatae civitatis s. Philippi dioecesis Valentinae pro officialibus cantoribus ejusdem ecclesiae.

Venerabili fratri
Archiepiscopo Valentino.
Pius PP. VII.
Venerabilis frater.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales cantoresque ecclesiastici collegiatae ecclesiae oppidi civitatis nuncupati s. Philippi Valentinae dioecesis numero tredecim, duo scilicet subcantores, duo »domeros«, organistae duo duoque evangelistarii, unus epistolaris, unus capellae magister tresque auxiliatores, quod ipsi ad levandum assiduum laborem viresque servandas per duos annuatim menses ab eadem ecclesia abesse posse plurimum desiderant. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat assensum ad id jam obtinuerint a dilectis filiis capitulo et Canonicis dictae Collegiatae, hisce tamen legibus et conditionibus, videlicet:

I. Tres tantum ex ipsis exponentibus et ex eorum successoribus abesse valeant eodem tempore, minime vero plures, idque sub omnimoda dependentia a capitulo.

II. Si per triduum tantum abfuturi erunt a rationali capituli eorumque praesidente, si

vero ultra triduum ab eodem capitulo licentiam prius obtinere debeant.

III. Nemini umquam liceat abesse adventus et quadragesimae temporibus neque Paschatis aliisque solemnioribus festis diebus et octavis ss. Corporis Christi ac b. Mariae V. vulgo »de la Seo« nuncupatae.

IV. Non simul absint duo subcantores vel (hisce aegrotantibus aut emeritis seu alia quacumque de causa absentibus) eorum vices gerentes, ita ut eorum unus semper remaneat pro necessaria chori moderatione.

Atque haec eadem prorsus regula servetur quoad organistas etiam, evangelistarios et »domeros«. Nobis propterea dicti officiales et cantores humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate assensum et resolutionem capitularem praedictam cum praeinsertis conditionibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et prudentia confirmes illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis rebur adjicias ac omnes et singulos cum juris tum facti defectus si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint suppleas et sanes eisdemque modernis et pro tempore existentibus officialibus et cantoribus ecclesiae praedictae, ut ab ipsa ecclesia juxta praemissa abesse libere et licite possint et valeant, auctoritate et arbitrio praedictis concedas et indulgeas.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 13. Maji 1808.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 285. Ed. Romae.)

d) *Celebratio missae intra chori servitium.*

Vd. *Missa temp. chori*; *Distributiones*; infra lit. *e*; cf. p. 365. n. 8.

Spoletana.

De celebratione missae tempore divini officii in utramque partem disputant doctores. Nonnulli siquidem illius horae distributiones adimendas firmant, licet quis eorum celebret *ex obligatione* alicujus simplicis capellaniae, quam possidet una cum canonicatu etc.,*) quia hujusmodi missam planam celebrat non ut Canonicus sed ut capellanus, ut in haec verba dissert *Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 3. tit. 9. num. 10.* atque adhaerent *Zypaeus lib. 3. tit. de cleric. non resid. num. 31.*, *Covaruvias var. resolut. lib. 3. cap. 3. num. 5.* et *Gonzalez. in lib. 3. decretal. §. 3. num. 18.* Opinantur alii consuetudinem lucrandi distributiones in ea absentia non esse reprobandam, ex quo Canonici absentes, ut faciant Sacrum, aeque actum exercent divini cultus, ita *Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 441.*, *Antonell. de cleric. non resident. lib. 3. cap. 16. num. 25.*, *Monet. de distribut. part. 1. quaest. 11. num. 52.*, praesertim si celebrent pro oneribus adnexis canonicali praebendae, quo in casu exequuntur munus suum, quod nemini debet esse damnosum, juxta *cap. Pervenit de fidejussor.* et *Engel. in jus can. lib. 3. tit. 4. num. 33.* et *Ceccoper. lucubrat. can. lib. 3. tit. 11. num. 20.*

Tertia denique sententia eorum est, qui cum *consuetudine* ecclesiae quoque *utilitatem* conjunctam esse voluerunt, ita ut nisi de legitimi Superioris licentia quis abfuerit ad missam celebrandam *in populi commodum* distributiones lucrari nequeat, qualibet non obstante consuetudine, ut decrevit *s. Carolus Borromaeus in Concil. IV. Mediol. part. 2. cap. 13.* et firmant *Vanespennius in jus eccles. univers. part. 1. tit. 7. cap. 11. sub §. 4.*, *Braschi Promptuar. synodal. cap. 81. n. 26.* et *Benedictus XIV. institut. eccles. 107. n. 74. et seq.* Haec autem opinio jamdiu s. hujus Congregationis auctoritate invaluerat. Cum enim anno 1573. propositum fuisset dubium in his terminis:

„Quia quandoque in Cathedralibus et Collegiatis sunt aliqui Canonici vel alii officiales, qui in eisdem habent capellanias vel in titulum vel tamquam mercenarii, quaeritur an eo tempore quo in dictis capellaniis celebrent distributiones recipere debeant licet absint a choro et quid de illis Canonicis, qui celebrant in eadem ecclesia suae devotionis gratia, an quando hac de causa a choro absunt distributiones recipere possint et dato quod non, quid si a Superiore ecclesiae injungatur, ut eo tempore celebrent?

re ad SSmum relata SS. Dominus Noster etiam ex sententia s. Congregationis Concilii

*) Vd. *t. II. p. 137. n. 7.*

declaravit: non posse, nisi quando sic jussissent superiores, quos tamen admoneri voluit ut ab hujusmodi jussu abstineant, ut legitur in *lib. 13. decret. p. 51.* Cui resolutioni recentiora accesserunt decreta et praesertim in *Comen. Celebrationis missarum*, in qua cum II. loco quaesitum fuisset:

An sustineatur consuetudo celebrandi missas a Canonicis tempore horarum canonicarum?

sub die 23. Novembris 1771. s. Congregatio rescripsit: Negative, nisi de legitimi Superioris licentia.

Die 28. Febr. 1795.

Spoletana.

Ad dub.: An et quomodo Capitulares absentes ad missam in eadem ecclesia s. Petri celebrandam tempore choralis officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas in casu?

S. C. resp.: Negative juxta votum Episcopi et constitutiones Episcopi Facchinetti.

Die 28. Febr. 1795.

Canonici non possunt exire de choro non expetita licentia ab Archidiacono. S. R. C. die 7. Maji 1695; die 17. Decemb. 1695.

Ad dubium: An debeantur distributiones Canonicis, qui tempore horarum canonicarum exeunt *proprio marte* a choro ad celebrandam missam?

S. R. C. respondit: Episcopus utatur jure suo juxta decreta tam in hoc quam in iis quae respiciunt disciplinam chori.

Die 10. Sept. 1701.

Canonicus Ferdinandus Valenti passus est punctaturas ad formam constitutionum capitularium suae ecclesiae collegiatae s. Mariae in Via Lata Urbis, qui discessit a choro pro celebratione missae *absque obtenta Praefecti licentia*, sed tantum cum *bona fide* praevia solita salutatione in discessu a choro juxta ecclesiae consuetudinem. Hinc postulat punctaturarum restitutionem. S. C. autem non debere dictam restitutionem resolvit. *Romana Servitii chori 17. Sept. 1796. dub. 2.* Deinde dubio reproducto respondit quoad punctaturas elapsas post decretum diei 1. Januarii 1793: In decisis, in reliquis recedendum a decisis. Nam eo tempore capitulum mandavit ut aedituus moneret de *ecclesiae necessitate* et de Canonico, qui celebrare vellet.

Die 19. Aug. 1797.

Comen.

Consuetudinem jactat capitulum Comen. quoad celebrationem missae tempore divinorum officiorum. Rationabilem contendit hanc consuetudinem, quia alias congruum deficeret tempus ad Sacrum peragendum tum quia ob insalubritatem aeris*) nimiumque frigus prohibentur Canonici Sacrum facere summo mane et antequam chorum incipiat; tum etiam quia absoluto choro vix superest dimidium horae, quo brevi temporis spatio non omnes Canonici, qui numero 20 sunt, Sacrificium celebrare possunt, tum demum quia ecclesia dum divinum recitatur officium vacua esset et advenientis populi devotio imminueretur. Invectam hac super re consuetudinem probatam sustinet a pluribus Episcopis, qui in suis decretis nihil contra illam statuerant et quamvis praeterito saeculo Episcopus Carafini reclamaverit, nihilominus capitulum sese opposuit et coram s. Congregatione consuetudinem probasse affirmat.

Quoad hoc dubium proponit Episcopus antiqua Capituli statuta et ordinationes, quibus ita decernitur: »Ad hoc ut major intelligentia intendatur circa divinum cultum, et ne aliquis residentium requisitos colores inveniat se absentandi a divinis horis etc. non recedant ab ipso loco, ubi missa celebratur nisi post finem missae et perfecto evangelio s. Joannis«. Deindeque allegat decretum ab Episcopo Archinto editum anno 1598 quo idem statuitur.

Neque adversus hujusmodi decretum opponi posse censet capituli reclamationes, tum quia eae non respiciunt casum absentiae a choro ad effectum celebrandi missam, tum etiam quia Episcopus Caraffini contra abusum qui irrepserat querelas 1642. proposuit s. Congregationi Episcoporum et Regularium tum demum quia Episcopus Turriani 1668 punctari mandavit quemcumque Canonicum, qui tempore divinorum officiorum a choro discederet, ut missam celebraret. Et hoc modo priora jam edita decreta confirmavit.

Non diffitetur Episcopus posse praefectum chori ob temporis angustiam et commodum populi aliasque circumstantias facultatem Canonicis impertiri missam celebrandi etiam tempore divinorum officiorum, sed negat liberum capitulo esse legem hac de re dicere certamque methodum absque ipsius Episcopi

*) Vd. *Chorus* (absentia etc. — aer insalubris p. 958 —).

licentia praefinire tum quia Concilium Trid. Episcopi consensum requirit in iis, quae ad chori servitium pertinent tum etiam quia idipsum Episcopus Caraffini suo decreto mandavit.

Caeterum probari non posse censet methodum a capitulo praefinitam, quod scilicet duo ex Canonicis tempore matutini, tres vero tempore aliarum horarum ad missam celebrandam absint a choro. Etenim ponderandum proponit, capitulum constitui ex viginti Capitularibus comprehensis Canonicis, Dignitatibus et Archipresbytero, qui ratione curae animarum ut plurimum a choro abesse cogitur. Capitulares vero excepta Quadragesima et Adventu aliisque diebus festis gaudere alternativa et plerumque evenire, ut unus vel alter impeditus non intersit. Infert igitur, quod si duo vel tres pro celebranda missa a choro discedant, adeo imminuetur ecclesiae servitium, ut inde divinus cultus detrimentum patiatur.

Tandem negat, deesse Canonicis tempus pro missae celebratione post chori servitium. Negat etiam insalubritatem aeris a Canonicis expositam et hac de re medicorum attestationes de suspicione et falsitate redarguit. Ac negat ulterius vitae periculum ea de causa imminens, cum ab anno 1702. ad haec usque tempora 45 Canonici obierint, quorum novem ad annos 60, totidem ad annos 70 et etiam 80 pervenerunt.

Erit definiendum:

An sustineatur consuetudo celebrandi missas a Canonicis tempore horarum canonical. in casu?

S. C. resp.: Non proposita.
Die 28. Sept. 1771.

Anagnina.

Anagninae dioecesis administrator Episcopus incipiens s. visitationem a cathedrali ecclesia nonnulla in capite XII. constitutionum capitularium animadvertit, quae communi juri sibi adversari videntur et quarum transmisit exemplar, rogans s. Congregationis sententiam, antequam absolutae lustrationis redderet rationem. Ut sciant EE. Patres quaestionis statum referam primum constitutionum verba.

Capite XII. sub num. 16. ita sancitur: »Si quis neque susceptae missae celebrandae onere neque occasione eleemosynam capiendi, sed *pietatis ac devotionis* suae studio tantum in ecclesia cathedrali quo tempore divina officia ibidem celebrantur impetrata a praeposito facultate missae Sacrum fecerit, is hoc tempore quod in missae Sacro faciendo posuerit in choro adesse censeatur.«

Num. 17: »*Si ex onere* celebrandae missae et *occasione alicujus eleemosynae* missae Sacrificium facere Canonicus voluerit, tunc *pro commoditate populi*, dummodo divinum officium in choro recitandum ex ministrorum defectu incommodum non patiatur, neque id a pluribus coacervatim fiat et impetrata a Praeposito facultate, dum missam celebrat, pariter in choro praesens censeatur.«

Num. 18: »Similiter ante inchoatum officium missae Sacrum si quis inceperit et dum celebrat divinum officium in choro incohetur, si peracto missae Sacrificio statim divinis officiis intervenerit pro praesente censeatur etiam eo tempore quo celebravit.«

Num. 19: »Si vero pro absentia sacerdotum qui in ecclesia tunc ex tabellae praescripto missam facere debent necessitas aliquando acciderit, ut praepositus aliquem Canonicum sacerdotem e choro exire stataque hora officio abesse missae celebrandae causa jubeat, is pro praesente similiter habeatur.«

Num. 20: »Quando item, qui a choro abest ad missam pontificalem celebrandam vel quia ab ecclesia recedendum est ob processionem aliamve ob causam vel ob munia a ministris in conventuali officia obeunda, idem liceat.«

Num. 21: »Si praeterea Episcopus aut ejus Vicarius opera aliquorum de capitulo in visitationibus urbanis vel dioecesanis una secum utitur aut ejusdem visitationis munus demandarit, qui revera in ipsis visitationibus aut earum causa impediti aberunt, distributionum perinde participes sint ac si praesentes in choro semper fuissent.« *)

Num. 22: »Illorum autem opera in eo visitandi munere occupata, quod ad distributiones percipiendarum facultatem attinet, quotannis ne amplius sit duobus mensibus continuis aut intermissis, quod tempus an vere illis visitationum laboribus aut earum causa insumpserint, ipsi testes sint, quorum conscientiae et dicto eo in genere credatur.«

Num. 23: »De visitandi autem facultate Episcopi aut ejus Vicarii patentibus literis capitulo liquido constet.«

*) Vd. *Chorus* (absentia - causae excus., — *munera* —); p. 200. h.

Num. 24: »Si quis autem Episcopi ejusdemque Vicarii jussu iis occupationibus in cathedrali ecclesia impeditus est aut in eadem ecclesia vel confessiones audiat vel baptisma Eucharistiamque ministret vel alia ejusdem generis agat, is, quo tempore talibus occupationibus fuerit impeditus, pro praesente habeatur.«

Num. 25: Idem etiam de iis statuitur, qui examinatores*) adhibentur ad eorum doctrinam cognoscendam, qui vel ad sacros ordines erunt promovendi vel quibus beneficia vel audiendarum confessionum munus aliudve ejusdem generis ecclesiasticum officium erit committendum.

De Poenitentiario autem eodem capite statuitur num. 14: »Poenitentiarius etiam quemadmodum Concilii Trid. decreto constitutum est, quo tempore missae conventualis offertur Sacrificium et horae divinorum officiorum preces canuntur, si a choro confessionis sacramentalis audiendae causa abest, dum tamen studiose poenitentium confessiones audiendi causa divinorum officiorum horas non recitat, super quo ejusdem conscientia onerata sit, omnia et quaecumque emolumenta assequatur, quae in choro praesentibus quavis causa etiam anniversariorum obveniunt, non tamen, quae litaniarum, mortuorum exequiarum et processionum, quae per Urbem et extra aguntur, dari consuetum est.«

Haec vero adjiciebat Episcopus: »Hoc primum admonebo Canonicorum Anagninae cathedralis ecclesiae stipendia ex distributionibus constare, quando quidem lex ea est *constit. cap. 1. n. 2. ut omnes ejusdem residentiae census detractis tamen legitimis expensis et aliis sumptibus seu debitis legitime cum capituli consensu factis quolibet anno inter Praepositum et Canonicos distribuantur.*« Praeterea Canonicos quotidiano chori servitio adstrictos teneri duobus unice demptis mensibus, per quos Trid. Synodus Canonicos universos residendi lege exemit. Canonici cathedralis ecclesiae Episcopo praesto sint,**) non modo si missam pontificalem solemni ritu celebret sed etiam si privatim ordinationes habeat vel si publice in aliis extra cathedralem ecclesiis missam ritu plano celebret; quem morem diuturna consuetudine roboratum et ad conciliandam apud vulgus episcopali gradui auctoritatem peropportunum debilitari nescio me hercule utrum expediat. Quod ipsum pertinet ad Canonicos, qui ex diuturna itidem consuetudine soli adhiberi solent ab Episcopo in sacra ecclesiarum quarumlibet visitatione vel qui ad seminarii negocia expedienda*) vel ad eorum, quos ordinibus initiari aut animarum curae praefici oporteat, expendendam peritiam adscisci ab Episcopo in consilium consueverint: quae sane munera, praesertim ratione habita non interrupti servitii, quod choro praestare Canonici debent, difficile sane fuerit inposterum ab iis expletum iri, si quidem propterea distributionibus carere cogantur. Quocirca videndum foret, satiusne sit, majora, quam quae commemoravi officia, quum id ei visum e re fuerit, adhibendi, quin distributionibus iidem priventur.«

Novam ab ipso Episcopo postulavi informationem, utque audito praesertim capitulo in scriptis referret *de consuetudine.* De rationibus a capitulo allatis inferius redibit sermo; Episcopus vero haec addidit: »De iis constitutionum hujus cathedralis ecclesiae Anagninae capitibus, quae canonico juri generatim vigenti adversari viderentur, quid ejusdem ecclesiae Canonici animadvertendum censuerint ex eo patet scripto, quod meis hisce literis junctum EE. VV. dijudicandum subjicio. Seorsim porro a ceteris a me interogatus Canonicus Poenitentiarius nihil sibi esse respondit, quod contra collegarum sententiam afferret: quandoquidem eoque per constitutiones, etiam num sunt, statu praebendam accepisset; nec vero aequum sibi videri, ut emolumenta sibi arroget, quae praesertim ex funeribus, exequiis et anniversariis obveniant; quippe quae in eos dumtaxat, qui revera adsint, distribui fideles qui vel pia legata condiderint vel sumptus modo faciant, optare ac velle censendi sint.

Ad me quod attinet, nihil addendum arbitror ad ea quae superioribus literis exposui: Nec enim inficiari possum, quae ut dixi constitutionum capita decretis aliis adversari videantur, ea diuturno admodum usu et consuetudine roborata esse.

Quocirca videant EE. VV. utrum liceat Canonicis usitatum hactenus morem disciplinamque retinere, modo tamen ut Episcopus ejusque Vicarius aut Praepositus majore quam per commune jus haberent potestate sic utantur, ut ne propterea detrimentum ullum chori servitio afferatur.«

*) Vd. *Chorus* (absentiae-causae excus. — *Examinatores*).
**) Vd. *p. 191. b; 204. l.*
*) Vd. *p. 199. g; 200. h.*

Antequam de singulis capitularibus constitutionibus agam nonnulla in genere praemonenda censeo, quae viam sternant ad unumquodque definiendum controversiae caput. Ex sacrorum canonum censura *a percipiendis fructibus quotidianisque distributionibus arcentur ii qui in suis ecclesiis non resident et divinis officiis non intersunt, cap. un. de cler. non resid. in 6.*, fructus enim praebendae sunt in praemium residentiae, distributiones vero in praemium interessentiae juxta *Engel in Jus canon. lib. 3. tit. 4. num. 24.* Requiritur proinde tum residentia in loco beneficii tum interessentia Divinis, ut docent *Passerin. in Comment. ad cit. cap. unic. de cler. non resid. in 6., Schmier. jurisprud. canon. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 384.* et s. Congr. *in Frisingen. Residentiae 3. Julii 1762. ad 1. dub.* Tribus in casibus a Bonifacio VIII. permittitur in *cit. cap. un. de cler. non resid. in 6.* clericis absentibus, ut tamquam praesentes habeantur et quotidianas absentes lucrentur distributiones, si nimirum infirmitas vel justa et rationabilis corporis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas eos a residentia excuset, quam constitutionem innovavit Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* et observari praecepit non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus. Dantur etiam alii casus, qui ad tres illos principales reducuntur, quos passim enumerant juris canonici doctores in commentariis ad *lib. 3. decretal. titul. 4. de cler. non resid.* Inter quos et illud recensetur si Canonici ob aliquem casum particularem absint et nihilominus de quotidianis distributionibus participent ex indulto apostolico vel ex statuto ecclesiae per Sedem apostolicam confirmato ut docent *Reiff. in Jus can. lib. 3. tit. 4. §. 7. num. 214., Fagn. cap. Licet num. 132 et seq. de praebend.* Requiritur enim, ut tale statutum sit per Sedem apostolicam confirmatum, secus nullius roboris est, *ex cap. super his de majorit. et obed.* notatque *Fagn. ibidem num. 6.* atque *ex cap. Sicut olim num. 8. et seq. de accusat.*; non enim inferior tollere potest legem superioris eique derogare, *Passerin. loco supra citato num. 175.* ac proinde hujusmodi constitutiones in ea tantum parte quae juri communi non adversantur exequutioni dandas esse declaravit s. Cong. in *Pisaurien. Cameriatus 21. Novembris 1761. §.: Et ultra.*

Jam vero constitutiones capitulares cathedralis ecclesiae Anagninae in iis partibus, de quibus Episcopus s. Congregationis sententiam exquisivit, adversari videntur tum juri communi supra relato tum iis juris dispositionibus, quae referam dum de unaquaque agam: cumque numquam illae fuerint vel ss. Pontificis vel s. hujus Congregationis auctoritate roboratae, sequitur, ut in iis partibus nullitate laborent.

Verum plura in suo voto affert capitulum, ut hujusmodi vitium a constitutionibus excludat et primo quidem illas tuetur ratione personae et temporis, quo conditae fuere. Eas enim non suo marte concinnavit, *sed ex antiquis synodalibus sanctionibus ecclesiae Anagninae* collegit Episcopus Antonius Seneca 1618. Fuerat porro hic antea s. Caroli Borromaei Vicarius generalis, qui et ob sua praeclara merita ad episcopalem dignitatem evectus, ac proinde quamlibet meliorem praesumptionem tanti Praesulis personam praeseferre autumat capitulum. Accedit temporis circumstantia. Efformatae namque fuere 1618, dum adhuc recens erat s. Concilii Trid. memoria, dum Episcopi incumbebant in reformandos mores ad tramites decretorum, quae Trid. Patres ediderant; impossibile autem videtur tantum virum legis vim dare voluisse iis dispositionibus juri ecclesiastico contrariis, nisi legitima praeditus auctoritate id in ecclesiae Anagninae bonum et utilitatem necessarium duxisset, quas tamen multis conditionibus temperasse negari non potest.

Ex hoc ad duorum saeculorum observantiam numquam interruptam progreditur, quae legitimam efformare valet consuetudinem quaeque vim habet apostolici beneplaciti, hujusque praesumptionem inducit ad tradita per text. in *cap. super quibusdam §. Praeterea de verb. Signif.*, ubi glossa in verb.: *Non extat*, et per *Felinum in cap. Accedentes num. 6. de praescript.* Ita enim firmavit Rota pluribus omissis in *decis. 739. num. 2. et 6. cor. Caprara.*

Opponi tamen possit huic observantiae doctrina *Fagnani in cap. Licet de praebend. num. 77. et seqq.* asserentis contra citatum superius Conc. Trid. decretum *sess. 24. cap. 2.* nullam valere consuetudinem sicque saepius respondisse s. Congregationem Concilii. At animadvertere praestat hujusmodi consuetudinem praeterquam quod includit praesumptionem apostolici beneplaciti ex superius dictis excedere hominum memoriam: immemorabilis vero consuetudo non tollitur clau-

sula generali: *quacumque consuetudine contraria non obstante*, sub qua ipsa non comprehenditur, nisi exprimatur, juxta doctores allatos a *Reiffenst. in lib. 1. decretal. tit. 4. §. 1. num. 189.* Id vel magis in themate locum obtinet, cum non sit ipsa contra jus naturale vel divinum positivum sed tantum contra jus ecclesiasticum, quo in casu subintrat pro ejus validitate dispositio *cap. ult. de consuetud.* de qua idem *Reiff. in jus can. lib. 3. tit. 4. §. 4. num. 110.*

Ex rationabili hac consuetudine factum fuisse dicunt Canonici, ut in nulla unquam parte mutatae fuerint capitulares constitutiones, sed potius approbatae, quoties de aliqua ipsarum semotione disceptatum est penes s. Congregationem, licet contraria dispositioni juris communis. Hinc 1729 Canonicus Scipio Ambrosi licet fulcitus dispositione juris communis expressi *in Clem. Ut ii, qui de aetat. etc. et in sess. 24. Concil. Trid. cap. 12. de reform.* sibi deberi autumaverit distributiones eorum mensium, quibus choro in minoribus ordinibus inservivit, quibus clerici privantur in cap. XI. constitutionum capitularium: nihilominus ob has unius saeculi observantias roboratas, quas tantum opposuit capitulum, s. Congregatio *audita relatione Episcopi Anagnini instantiam rejecit* ceu patet *ex t. 79. decret. fol. 517. a tergo et 518.*; eadem consuetudo confirmans statuta capituli satis fuit, ut *die 5. Julii 1777.**) proposito dubio: *An beneficiati ecclesiae cathedralis Anagninae gaudere debeant per duos menses infra annum eadem exemptione a choro, qua gaudent Canonici ejusdem ecclesiae in casu etc.?* responsum fuerit a s. consessu: *Negative et amplius.*

Animadvertant insuper Emmi Patres definiendum non solum esse, an absentes ex peculiaribus causis lucrari possint in genere distributiones, sed etiam quae distributiones eorum favore cedere debeant. Constant enim universi capituli Cathedralis Anagninae redditus massa communi, quae distribuitur *pro rata servitii.* Videndum igitur, utrum has omnes ex consuetudine percipere debeant vel amitti ab ipsis debeat tertia pars, quae inservientibus accrescat. Vestrum praeterea erit perpendere utrum absentes ex justa ac rationabili causa lucrari debeant quotidianas tantum distributiones ex massa provenientes quae certae sunt et stabiles prout ii fruuntur, qui gaudent jubilationis indulto juxta *Scarfanton. ad Ceccoper. add. 3. num. 9. t. 3. pag. 17*, an vero percipere debeant etiam eventuales et incertas ex mortuorum exequiis et anniversariis promanantes, quas solis praesentibus praestandas esse docent *Passerin. in cap. un. De cler. non resid. num. 6., Pirhingh. in jus canon. lib. 3. tit. 4. sect. 2. num. 49. in fin.* et s. Congreg. *in Mantuana Distributionum 31. Julii 1694. ad 1. dub.* Anniversaria enim tamquam pia legata distincta sunt a praebenda canonicali, *Fagn. in cap.: Licet de praebend. num. 20., Piton. discept. 1. num. 35.*, sicut et exequiae censentur interessentibus tantummodo, qui actu pro benefactoribus defunctisque orant, *Scarfant. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 10. num. 1. et seq., Piton. loc. cit.*

Hisce in genere praemonitis quaerendum primum est de Canonicis, qui missam celebrant tempore choralis officiaturae, vel jam inchoatae vel proxime incipiendae, sive ex devotione sive ex onere et eleemosyna sive ex jussu Praepositi, ac utrum ipsi et quas lucrentur amittantve distributiones, de quibus sermo est in I., II., III., IV. et V. dubio. Magna est quoad hoc canonistarum discrepantia. Sunt enim qui affirmant non posse Canonicum tempore divinorum officiorum missam celebrare illiusque horae distributiones amittere etsi Sacrum peragat *ex obligatione alicujus simplicis capellaniae quam possidet una cum canonicatu**), *quia hujusmodi missam planam celebrat non ut Canonicus sed ut capellanus, ut ait Ceccoper. Lucubr. can. lib. 3. tit. 9. num. 10.*; idemque docent *Zipaeus lib. 3. tit. de cler. non resid. num. 31., Covaruv. Var. resolut. lib. 3. cap. 3. num. 5.* et *Gonzalez. in lib. 3. decret. §. 3. num. 18.* Censent alii consuetudinem celebrandi missas privatas tempore choralis officiaturae non esse reprobandam distributionesque illius horae lucrari Canonicos tunc temporis celebrantes cum aeque exerceant actum divini cultus, ut contendunt *Garzias de Benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 441, Antonell. de cler. non resid. lib. 3. cap. 16. num. 25, Monet. de distributionibus art. 1. 9. 11. num. 52.*, praesertim si celebrent pro oneribus canonicali praebendae infixis, *) hoc enim in casu exequuntur munus suum quod nemini debet esse damnosum ad tradita per *text. in cap. Pervenit de fidejussor.*, *Engel in Jus can.*

*) Vd. *Chorus* (absentia-causae excus. — *Feriae* decr.: *Anagnina.*)

*) Vd. *p. 558. n. 11; p. 415. n. 32.*

lib. 3. tit. 4. num. 33. et *Ceccoper. loc. cit. tit. 11. num. 20.* Sunt denique qui sentiunt praeter consuetudinem adesse debere etiam utilitatem ecclesiae; adeoque requirunt legitimi superioris licentiam, qua deficiente si missam privatam celebret Canonicus, distributiones lucrari nequit. Ita sane decrevit s. Carolus Borromaeus in *Conc. IV. Mediol. part. 2. cap. 13.* et ita docent *Vanespen. in jus eccl. univers. part. 2. cap. 13. et tit. 7. cap. 26.* et *Benedictus XIV. Instit. eccl. 107. num. 74. et seq.* Postremae huic sententiae constanter adhaesit s. Cong., ut videre est, caeteris omissis, in *s. Miniatis Visitationis ss. Liminum 8. Februarii 1817.**) et usque ab anno 1573 superiores monuit, ut a jubenda celebratione missae privatae tempore divinae psalmodiae sese abstinerent.

Quaeritur VI. dubio utrum Canonicis liceat abesse, quin distributiones amittant, ad missam pontificalem celebrandam aliamve ob causam vel ob munia a ministris in conventuali officio obeunda vel ob processiones. Non certe ut personae Episcopi,**) sed ut episcopali dignitati inserviant absunt Canonici dum praesto sunt Episcopo celebranti sive ritu solemni sive plano in aliqua ecclesia extra Cathedralem: utrum haec justa sit absentiae causa, quasque lucrari vel amittere debeant distributiones ex praenotatis superius, ratione habita etiam ad consuetudinem, judicabunt EE. VV. Quoad absentes ob processiones non constat utrum processionibus istis unus aut plures Canonici interesse debeant ex onere infixo praebendae vel de mandato Episcopi vel ob aliam justam causam. Si qui absunt ob munia in conventuali officio peragenda ex. gr. ad assumenda vel deponenda paramenta videntur lucrari distributiones, cum absint in *servitium ecclesiae* et choralis officiaturae, ut pluries firmavit s. Congregatio, uti videre est in *Maceraten. 23. Aprilis 1768. §.: Disceptatum.*

Sermo est in VII. dubio de iis Canonicis, qui Episcopum vel ejus Vicarium comitantur in sacris visitationibus vel etiam quibus sacra visitatio committitur. Archidiaconus ratione visitationis ei incumbenti potest abesse ultra tres menses, ut docent *Garzias de benef. part. 3. cap. 2. num. 352., Reiffenst. dict. lib. 3. tit. 4. §. 4. num. 118.* Dum tamen Archidiaconis adempta est ampla illa potestas, in eorum locum suffecti sunt Vicarii Episcopi, ut ostendit *Thomasinus in suo opere: Vetus et nova ecclesiae disciplina part. 1. lib. 2. cap. 8. t. 1.*, non autem Canonici; unde quod Archidiacono concessum erat, non videtur concessum Canonicis. Quinimo de Canonicis ita censuit s. Congregatio *in Sulmonen 5. Octobris 1626: Canonicos suum Episcopum in visitatione Liminum comitantes distributiones quotidianas lucrari debere: Comitantes vero in visitatione dioecesis si omnes fructus ut supponitur in distributionibus quotidianis consistant lucrari duas partes, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.* Et novissime *in s. Miniatis Visitationis ss. Liminum 8. Februarii 1817.* ob praebendarum tenuitatem dumtaxat concessum fuit ut lucrari possent quotidianas distributiones tempore visitationis. Hinc quarto dubio:

An et quomodo sit concedendum indultum absentiae a choro duobus Canonicis comitantibus Episcopum in s. visitatione in casu etc.?

Responsum prodiit: *In casu de quo agitur attenta tenuitate reddituum affirmative juxta votum Episcopi*, qui nimirum indulti saltem concessionem postulaverat.

Utrum Canonici, qui tempore choralis officiaturae Sacramenta baptismatis, Eucharistiae et poenitentiae administrant pro praesentibus haberi debeant disseritur in VIII. dubio. Sancitum per Trid. Patres est *in sess. 24. cap. 8. de reform., ut poenitentiarius etc. dum sacramentales confessiones in ecclesia audit interim praesens in choro censeatur.**) Dispositio isthaec juxta *Fag. in cap. Licet de praeben. num. 118.* ad eos ampliata est, qui ex lege fundationis ad animarum curam incumbunt, quae imminet suae dignitati vel praebendae; ac proinde dum confessiones excipiunt, Sacramenta ministrant vel alia ad curam spectantia peragunt, tamquam praesentes choro habentur, *Garc. de Benef. part. 3. cap. 2. num. 335., Barbosa de Canonicis et Dignitat. cap. 24. num. 11. et seq.*, et s. Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praeposita *in Laudensi 24. Novembris 1617.* Idem videtur ampliatum etiam ad eos Canonicos, qui de mandato Episcopi absunt ad Sacramenta ministranda, ut firmavit sacra haec Congreg. *in Mediolanen. ad cap. 3. sess. 22. de reform. posit. 41.* relata in *Maceraten. 23. Aprilis 1768. §.: Si vero.*

*) Vd. *p. 975.*

**) Vd. *Chorus* (absent. — caus. excus. —: *Episcopi servit.*)

*) Vd. *Chorus* (absentia-causae excus. — *Cura animar.*); *p. 975. e.*

De Canonicis, qui examinatorum synodalium munere funguntur, dum hac de causa absunt, num ceu praesentes in choro considerari possint perpendendum est in IX. dubio; *Barbosa* in suo opere *de Canonic. et Dignitat. cap. 24. n. 9.* resolutionem refert s. Congregationis Episcoporum et Regularium *diei 22. Martii 1600.*, qua examinatores synodales ceu praesentes habendos esse declaravit dum confessorum et Ordinandorum peritiam periclitantur.

An vero haec resolutio extendi debeat etiam ad eos Canonicos, qui absunt ad seminarii negotia expedienda judicabunt EE. VV. in dubio X. et XI. Licet enim de his sileant constitutiones capitulares, attamen eos hac de causa abesse colligitur ex informatione Episcopi, quam superius exscripsi. Certum in jure est Canonicos absentes pro aliquo servitio suae ecclesiae vel capituli praesentes censeri juxta *Reiffenst. cit. lib. 3. tit. 4. num. 204. et seq.*; verum idem non legitur de Canonicis absentibus ad expendenda negocia aliorum locorum piorum.

Definiendum tantum est, an substineatur consuetudo, qua Poenitentiarius dum audit sacramentales confessiones*) lucratur tantum emolumenta, quae caeteri Canonici in choro assequuntur, non item, quae pro litaniis, anniversariis, mortuorum exequiis et processionum causa distribuuntur. Concilium Trid. pro praesentem habendum esse decrevit Poenitentiarium, dum confessiones sacramentales excipit ac proinde omnes ei debere distributiones etiam mortuorum, litaniarum et processionum definivit s. Congregatio *in Januen. 5. Septembris 1591.* Requisitus tamen Poenitentiarius ex jussu s. Congregationis ab Episcopo, huic interroganti respondit: »Nihil sibi esse quod contra collegarum sententiam afferet (denegat enim capitulum eas distributiones Poenitentiario), quandoquidem eo quo per constitutiones etiam nunc sunt statu praebendam accepisset; nec vero sibi aequum videri, ut sibi arroget, quae praesertim ex funeribus, exequiis et anniversariis obveniunt, quippe quae in eos dumtaxat, qui revera adsint, distribui fideles, qui vel pia legata condiderint vel sumptus modo faciant, optare ac velle censendi sint.« Atque hic animadvertendum est quoad emolumenta funeralia ex constitutionibus capitularibus Poenitentiario deberi emolumenta tantum anniversariorum non autem exequiarum, quae fiunt occasione alicujus defuncti; at ex verbis Poenitentiarii patet inolevisse morem neutrum hoc emolumentum percipiendi.

Ex his tum in genere tum in specie expositis dignentur Emmi Patres dirimere dubia quae sequuntur:

I.: *An Canonici ecclesiae cathedralis Anagninae qui tempore choralis officiaturae ex devotione missam faciunt impetrata a Praeposito facultate in choro adesse censeantur in casu?*

II.: *An Canonici iidem, qui tempore divinorum officiorum ex onere missam celebrandi et occasione alicujus eleemosynae missam celebrant, impetrata a Praeposito facultate praesentes in choro habeantur in casu?*

III.: *An Canonici iidem, qui statim post celebratam missam interveniunt chorali officiaturae inceptae dum missa celebratur pro praesentibus sint habendi eo tempore celebrationis missae in casu?*

IV.: *An iidem Canonici jussi ob necessitatem a Praeposito e choro exire et missam celebrare tempore divinae psalmodiae tamquam praesentes in choro considerari debeant in casu?*

Et quatenus affirmative,

V.: *An omnes vel quas distributiones in praedictis casibus lucrari debeant in casu?*

VI.: *An iidem Canonici absentes ad missam solemnem celebrandam vel quia ab ecclesia recedendum est ob processionem aliamve ob causam vel ob munia a ministris in conventuali officio obeunda, tamquam interessentes choralibus functionibus existimari debeant et quas distributiones lucrentur in casu?*

Et quatenus affirmative,

VII.: *An itidem praesentes putandi sint iidem Canonici, qui Episcopum vel ejus Vicarium comitantur in s. visitatione sive urbana sive dioecesana vel quibus haec comittitur et quas distributiones lucrari debeant in casu?*

VIII.: *An Canonici absentes ad Sacramenta in eadem cathedrali ecclesia ministranda pro praesentibus haberi debeant et quas distributiones lucrentur in casu?*

IX.: *An Canonici examinatores synodales ut praesentes sint considerandi, dum examinatoris munus exercent et quas distributiones lucrentur in casu?*

X.: *An ut praesentes censeri debeant Canonici absentes ad seminarii negotia expedienda in casu?* (Vd. *p. 200. h.*)

*) Vd. *p. 975. e.*

Et quatenus negative,

XI.: *An et quas distributiones amittant in casu?*

XII.: *An Canonico Poenitentiario ejusdem cathedralis ecclesiae absenti ad confessiones sacramentales excipiendas debeantur emolumenta funeralia, exequiarum, anniversariorum necnon processionum et litaniarum in casu?*

S. C. resp. Ad I. — IX. inclusive: Affirmative ad formam constitutionum capitularium.

Ad X.: Negative.

Ad XI.: Affirmative pro tertia parte reddituum responden. diebus et horis absentiae.

Ad XII.: Negative ad formam constitutionum capitularium.

Die 20. Novbr. 1819.

Perusina.

Veteres capitulares constitutiones, quae in desuetudinem abierant aut praesentibus temporum circumstantiis minus aptae videbantur, emendare atque edere studio ac sollicitudine hodierni Episcopi decreverunt Canonici cathedralis ecclesiae Perusinae; operi manus admoverunt Canonici, sed animadvertentes apostolica venia indigere, ut nonnulla constituerent, quae ad majorem domus Dei decorem conducunt et fidelium pietatem excitant ac fovent, hunc adiere s. Ordinem, ut voti compotes reddantur. Exposuerunt enim quinquaginta Capitulares chorali servitio alternis hebdomadis esse addictos, quos inter octo beneficiati et quatuor clerici perpetui peculiaribus praebendis aucti ac distributionibus tum quotidianis tum communibus praediti. Verum quinque supra decem beneficiati ac tres clerici perpetui licet praebendis non destituti quotidianis tamen et communibus distributionibus penitus carent. Quo fit, ut aliquando a choro impune absint. Hanc eorum negligentiam mirum in modum auget tenuitas praebendarum; qui namque majori fruuntur praebenda, subductis publicis vectigalibus ac missarum oneribus, quolibet anno lucrantur scut. 48, qui vero minori, annua percipiunt scut. 30, alii scut. 20 et alii 15. Imo possessor beneficii a Hieronymo Lantucci 1668. instituti quotannis lucratur scut. 13. 65. eique deductis oneribus supersunt oboli $92^1/_2$. Praeterea adsunt duo beneficiati ab eorum fundatoribus nuncupati *Cervellieri* et *Crispoti*, diebus tantummodo communibus onere servitii choralis obstricti, qui adeo exiguis potiuntur fructibus, ut, si onera realia perferre ac statutum missarum numerum celebrare adigantur, beneficiatus Crispoti scut. 12. $70^1/_2$ singulis annis jacturam faciant. Ut itaque hujusmodi beneficiati et clerici ad laudes divinas in ecclesia rite diligenterque persolvendas inflammentur, postulant Canonici, ut ex singulis praebendis detrahatur certa quantitas fructuum in quotidianas distributiones eroganda, quae aliorum beneficiatorum et clericorum aequet quotidianas distributiones, atque insuper ut ea impertiatur missarum reductio, quae satis sit ad statuendas communes distributiones, quibus alii beneficiati et clerici similiter gaudent. Cumque nihilominus tenues essent et angusti hujusmodi Capitularium redditus, ideoque ad decentem tuitionem sibi comparandam aliis ecclesiis inservire compellerentur et aliquando nonnulli ex Canonicis ad ecclesiastica munia obeunda ab Episcopo assumantur, hinc efflagitant etiam, ut praefecto chori ad tramites jam inductae consuetudinis potestas concedatur eximendi Capitulares a chori servitio, ut sine distributionum jactura Sacrum faciant vel alia munia etiam extra ecclesiam cathedralem brevi tempore expleant.

Rogavi Episcopum Perusinum, ut hac super re suam panderet sententiam, qui transmissis tabulis accepti et expensi confirmat tenuitatem reddituum beneficiatorum, qui massa distributionum destituuntur. Monet quoque pleraque hujusmodi beneficia juripatronatus capituli esse subjecta; hinc pergit: »Ad efformandam massam communem in ea forem sententia, potiusquam minuantur onera missarum, satius esse, si aliquod beneficium quod sit de jurepatronatus ejusdem capituli cum primum vacaverit usurpetur. Caeterum ex ministrorum defectu contigit, ut pro mea pastorali sollicitudine debuerim duobus Canonicis ac tribus beneficiatis munus confessariorum monialium injungere. Sed ex primis unus, sicut ex alteris itidem unus jubilatus existit. Aliunde enim nihil mihi antiquius, quam omnibus parcere choro addictis, ne psallentium »Deo numerus unquam, citra veram necessitatem, elevetur«.

Petitam facultatem dispensandi a praesentia in choro non modo utilem sed admodum necessariam autumant Canonici. Nam redditus beneficiorum generatim valde exigui sunt neque ullo modo sufficere valent ad congruam rectorum sustentationem. Hinc

illi, ut de altari vivant, venia prius obtenta, parvo temporis spatio a choro discedere consuescunt, ut missam celebrent vel ut aliud praestent officium in propinquioribus ecclesiis. Quod si haec facultas inposterum denegaretur, beneficiati potius choro non interessent et punctaturas subirent, quam ejusmodi eventuales proventus amitterent.

At vero consuetudo discedendi a choro tempore, quo laudes Deo persolvuntur, sive celebrandi missas privatas sive confessiones audiendi causa adversum tenet ss. canonibus *Passerin. in cap. Consuetudinem reg. 10. n. 163. de cleric. non residen. in 6.*, *Bened. XIV. Instit. eccl. 107. n. 76.*, nisi pro absentia sacerdotum, qui in ecclesia tunc missam faciant, necessitas aliquando inciderit, ut praefectus Canonicum aliquem sacerdotem e choro exire, a stataeque horae officio abesse missae celebrandae causa jubeat aut nisi a Sede apostolica aliter concessum fuerit, ut tradit s. Carolus Borromaeus in Concilio Mediol. apud *Bened. XIV. loco cit. n. 75.* Hinc s. Congr. 1620. respondit: *Canonicos dum horae canonicae recitantur non posse a choro abscedere ad confessiones audiendas aut missas celebrandas devotionis causa, ac qui discesserit illius horae distributionem amitteret.* Itaque ut Capitulares tempore divinorum officiorum missam celebrantes lucrentur quotidianas distributiones, oportet, ut chorum dimittant de licentia legitimi Superioris et ad missam *pro populi commoditate non in alia sed in eadem ecclesia* celebrandam, *Bened. XIV. loc. cit. n. 102* et s. Congreg. in *Spoletana**) *Servitii chori 28. Februarii 1795.* et in *Reatina Jurium parochialium 1. Junii 1825. §. Praeterea.*

Quod vero pertinet ad quotidianas distributiones pro beneficiatis, qui illis destituuntur, instituendas, capituli petitio profecto consona est menti Concilii Trid.: nam beneficiati magis excitarentur ad laudes divinas rite solliciteque in choro absolvendas. Inquirendum tamen quonam pacto eas deceruere oporteat. Edixerunt sane Tridentini Patres *sess. 21. cap. 3. de refor.* in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum tam canonicatuum quam beneficiorum separari debere et in distributiones quotidianas convertendi, quae inter Divinis interessentes distribuantur, salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt. Quocirca nihil obesse videretur, quominus EE. VV. morem gererent precibus Canonicorum, qui eam fructuum portionem ex beneficiis de quibus agitur detrahendam et in quotidianas distributiones erogandam arbitrantur, quae aliorum beneficiatorum quotidianas distributiones coaequet; nam etiamsi eadem portio tertiam proventuum partem superaret, id nihilominus Trid. Synodo non adversaretur. Quinimo Canonicorum votis annuendum quoque foret missarum reductionem impertiendo, ut distributiones communes constituantur. Etenim s. Congregatio ad augendos redditus praebendarum indulsit missarum reductionem in *Asculana Missarum 20. Aprilis 1782* et in *Nullius s. Martini 12. Septembris 1801.*

Verum animadvertere praestat pleraque beneficia adeo exiguis pollere praebendis, ut integri annui fructus in quotidianas distributiones converterentur,*) imo ne satis quidem essent ad aliorum beneficiatorum quotidianas distributiones aequandas. Potius igitur Episcopi sententia amplectanda videtur et quaedam beneficia jurispatronatus Canonicorum, cum primum vacaverint, supprimenda, ut eorum annui fructus in quotidianas erogentur distributiones inter beneficiatos et clericos perpetuos, qui illis carent, aequa lance dividendas, praesertim quia aliquarum praebendarum suppressio in frequenti Perusino capitulo nihil afferre valet detrimenti chorali servitio. Huc sane spectavit Trid. synodus, dum *sess. 24. cap. 15. de reform.* statuit: »In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire**), vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen

*) Vd. *p. 976.*

*) Vd. *p. 177. II.*

**) Vd. *t. II. p. 972. IV.; 984. VII. 999. XVI; 1036. n. 109.*

ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.

Dignabuntur Emi Patres dirimere

Dubia:

I.: *An et quomodo Capitularibus indulgenda sit facultas abessendi a choro in casu?*

II.: *An et quomodo sit efformanda massa distributionum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative, nisi in casibus a jure expressis et *pro celebratione missae in eadem ecclesia ad populi commodum*, petita venia a praefecto chori.

Ad II.: Affirmative juxta votum Episcopi.

Die 21. Julii 1827.

e) *Confessiones audiendae.*

Vd. supra decr : *Anagnina* p. 967.

Vd. p. 197. *e.*; p. 493. n. 1.; lit. *f.*; *Poenitentiar.*, *Chorus* (absentia-*munera* etc., decr.: *Dubia indultorum.*)

S. Miniatis I.

In *Trident. sess. 24. cap. 8. de reform.* sancitum est *ut Poenitentiarius etc. dum confessiones in ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur.* Quae dispositio quum ad eos tantum ampliata sit, qui pro muneris necessitate confessiones excipere tenentur, *Fagnan. in cap. Licet de praeben. num. 118*, ideo nisi quis ex lege fundationis aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum illud administrandum, distributionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis firmavit s. Congregatio *in Maceraten. 13. Aprilis 1768.* et *in Spoletana Servitii chori 28. Februarii 1795**) in qua proposito III. dubio:

An et quomodo Capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem ecclesia s. Petri quo tempore confessiones audiunt pro praesentibus haberi debeant?

S. Congregatio respondit: *Negative juxta votum Episcopi*, nempe *excepto parocho et capellano curato necnon deputatis in casu populi confluentiae.*

Die 25. Jan. 1817.

*) Vd. *infra p. 976.*

S. Miniatis II.

Ad dub. I.: *An et quomodo Canonici Cathedralis s. Miniatis absentes ad audiendas confessiones in eadem ecclesia cathedrali quo tempore confessiones audiunt pro praesentibus haberi debeant, ita ut lucrari possint quotidianas distributiones in casu etc.?*

II.: *An et quomodo iidem Canonici absentes ad missam in eadem ecclesia cathedrali celebrandam tempore choralis officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas in casu etc.?*

III.: *An distributiones quotidianae lucrari debeant a Canonicis singulis horis officiaturae seu potius dimidium ad missam cantatam conventualem et aliud dimidium ad vesperas et matutinum juxta introductam consuetudinem in casu etc.?*

IV.: *An et quomodo sit concedendum indultum absentiae a choro duobus Canonicis comitantibus Episcopum in s. visitatione in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative in omnibus excepto Poenitentiario.

Ad II.: Negative nisi de licentia praefecti chori *in populi commodum.*

Ad III.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV.: In casu de quo agitur attenta tenuitate reddituum affirmative juxta votum Episcopi.

Die 8. Febr. 1817.

Maceraten.

Ad dub.: An Praepositus ecclesiae collegiatae s. Blasii Terrae Montis Milonis sit punctandus, dum audit confessiones in dicta ecclesia in casu?

S. C. resp.: Negative pro tempore, quo actu audit confessiones.

Die 14. Febr. 1767.

Ad dubium: an primicerii ecclesiae collegiatae Aquaevivae abesse possint a choro audiendi causa *monialium seu saecularium* confessiones et dirigendi confraternitates vel ex quacunque alia causa? S. C. R. respondit: Affirmative pro diebus, quibus tenentur interesse choro.

Die 24. Novemb. 1731.

Nullo modo posse Canonicos lucrari distributiones quotidianas, nisi quando aliquis Canonicus vel ex officio vel de expresso Episcopi mandato in casu necessitatis confessiones poenitentium audiret, dum recitantur in choro horae canonicae et hoc tantum casu excepto; qui tantum adsunt, dum oratio pro Matutino et horis cantatur, non lucrari licite distributiones; quidquid hactenus in contrarium servatum fuerit potius abusum esse quam consuetudinem.

S. R. C. die 14. Junii 1608.

Spoletana.

Administrantibus poenitentiae Sacramentum tempore choralis officiaturae in hac absentia consuetudo distributiones concedit. Nil qnidem hac de re constitutiones ecclesiae disposuerunt, verum sancitum est per Trid. Patres in *sess. 24. cap. 8. de ref.*, ut Poenitentiarius etc. dum confessiones in ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur; quae dispositio quum ad eos tantum ampliata sit qui pro muneris necessitate confessiones excipere tenentur, *Fagnan. in cap. Licet de praebend. num. 118.*, ideo nisi quis ex lege fundationis aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum illud administrandum distributionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis firmavit s. Congregatio in *Maceraten. 23. Aprilis 1768.* Si autem in Collegiata s. Petri unus Prior qui animarum curam exercet eo munere fungi debet, merito dubitare posset, num ceteri Capitulares quo tempore confessiones andiunt *proprio marte*, non de mandato Episcopi, pro praesentibns haberi debeant. Ab ipsa tamen unins parochi obligatione administrandi Sacramentum illud rationabilem Canonici eorum consuetudinem ostendere conantur, cum frequentis popnli pietati solemnioribus praesertim festis unus confessarius satisfacere non possit. Reque vera in populi commodum similis permissa est absentia sive in Collegiata s. Gregorii eamque licitam defendit *Vannespenius in jus eccles. part. 1. tit. 7. cap. 11. sub §. 4.* Sed qnamquam haec ita sint, punctandos tamen censet Episcopns hac de causa absentes excepto Priore qui curam adnexam habet animarum et capellano curato; necnon exceptis depntatis ab Ordinario in casu alicujus populi confluentiae illudque notat quod collegiata ecclesia s. Petri qnia extra civitatis moenia constituta parum frequentatur praeter uuam vel alteram infra annum festivitatem quae ibi celebratur et mensem Maji pro lucranda indulgentia plenaria defunctis applicanda et tunc non desunt media providendi ecclesiam de missis et confessariis ad populi commoditatem absque ullo capituli dispendio. Quibus positis dijudicent Emmae VV. num omnibus in genere Capitularibus permittenda sit absentia tempore choralis officiaturae ad excipiendas confessiones, quoties non unus Prior sed capellanus etiam curatus dietim ex officio munus illud exercent, aliique ab Ordinario deputari possunt solemnioribus festis.

Ad dub.: An et quomodo Capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem ecclesia s. Petri, quo tempore confessiones audiunt, pro praesentibus haberi debeant in casu?

S. C. resp.: Negative juxta votum Episcopi.

Die 28. Febr. 1795.

Sutrina.

Ambrosius Mignanti Collegiatae Tulpharum Sutrinae dioecesis Canonicus vocatus ad exercendum confessarii munus in monasterio Montis Castrilli Tudertinae dioecesis supplex adiit ss. Pontificem petens: »un benigno indulto abessendi per un triennio dalla sua residenza colla percezione delle distribuzioni, come se fosse presente, coll' obbligo bensi di far cantare le sei messe annuali, che deve in turno pro benefactoribus, abitarlo insieme a poter celebrare nella chiesa del snddetto monastero le messe annuali lette, che deve celebrare nell' altare di s. Egidio della sua Collegiata, tanto per peso del canonicato, che per quello di un semplice beneficio, che unitamente vi gode.« SSmus benigne rescripsit: Pro gratia juxta petita 1. Julii 1819. Quadragesimali tempore anni 1820., quando praefatae moniales extraordinarium confessarium habent, verbum Domini in Hortana Cathedrali annuntiare cum deberet Canonicus Mignanti, indulti confirmationem exoravit. Voti compos factus est et per secretarium Memorabilium rescriptum prodiit: »Pro gratia juxta petita toto quadragesimali tempore, servata in reliquis omnibus ennnciati indulti (1. Julii 1819) forma, contrariis quibuscumque non obstantibus.« Denique 1822. praevio apostolico beneplacito ad aliud triennium in confessarii munere confirmatus idem Canonicus SSmo rursus humiliter snpplicavit atque ab Emmo et Rmmo Cardinali supplicum libellorum a secretis rescriptum obtinuit:

Ex audientia SSmi die 6. Maji 1822.

SSmus benigne annuit pro petita enuntiatarum prorogatione facultatum ad aliud triennium servata in omnibus praecedentis indulti forma et dispositione, superaddito insuper onere oratori amittendi distributiones, quae dicuntur fieri inter praesentes relate ad servitium chori, quod ipse praestare teneretur.

Indulta haec aegre tulerunt Canonici Tulpharum capitulariter congregati die 26. Maji 1822.

Tum vero Canonicus Mignanti novas ss. Pontifici porrexit preces, ut obtenta indulta plenum sortirentur effectum et ipse ab omni fallentiarum solutione liberetur et die 6. Julii 1822 rogatus fuit Episcopus pro informatione et voto audito capitulo ut transmissa copia indultorum et particulis constitutionum capitularium referret de statu litis in curia episcopali, tempore absentiae, an et quam mercedem recipiat orator ob munus confessarii et de consuetudine quoad praeteritum: sed antequam ipse suam huic s. Congregationi panderet sententiam, curia episcopalis mandatum pro scutis 35. 21. contra Canonicum Mignanti relaxavit. Itaque alias obtulit preces Canonicus, quae Episcopo remissae sunt pro informatione et voto audito capitulo super novis precibus, ut referret de eleemosyna persolvi solita pro missis cum cantu, nihil interim innovato contra oratorem, et certioraret de resultantibus ex rescripto s. Congregationis diei 6. Julii.

Episcopus in sua informatione haec habet: Canonicus orator in duplici supplici libello Sanctitati Suae porrecto opus superrogationis quod ipse illis monialibus impendit expendendum praesefert et s. ministrorum Tudertinae dioecesis penuriam exponit; monasterii miseriam enarrat; iis de causis indulgeri sibi postulat, ut non solum sit absens verum etiam nihil amittat et omnia tamquam praesens lucretur. Quoad opus superrogationis nescio qua illud laude in casu dignum sit, cum ut illis monialibus opem ferat non solum ecclesiam suam sed et longaevam suam genitricem deserat, quae filium urget apud supremum Auditoris SSmi Tribunal, tum pietatis officiis tum stricto justitiae jure, ob assumptum a filio onus matri subveniendi, cujus doti distrahendae sub ea obligatione consensit. Quoad s. ministrorum inopiam, si haec Tudertinam dioecesim, cui ille ex charitate inservit, affligit, non minus premit Sutrinam, cui justitiae titulo adstringitur. Requisitae informationi cum satisfecerim superest, ut sensum meum aperiam circa preces, in quibus duo exposcit, ut immunis sit a fallentiis, ut distributiones inter praesentes lucrari queat.

In primo rescripto SSmi diei 1. Julii 1819 mentio quidem fit de lucrandis distributionibus at nulla fit de immunitate a fallentiis, cumque haec odiosa sit et aliorum juri noxia, hinc praesumenda videtur exclusa, dum non fuit expresse concessa.

In altero vero diei 6. Maji 1822 conceditur prout in primo et expresse denegatur jus percipiendi distributiones: videtur itaque pro currenti triennio denegata utraque facultas.

Canonici vero in capitulari conventu ita senserunt: non hic agi de justitia vel injustitia indultorum, cum facultas de iis cognoscendi s. Congregationi concessa minime fuerit, sed rem esse tantummodo de eorumdem indultorum interpretatione. Pro primo triennio SSmus concessit indultum absentiae colla percezione delle distribuzioni come se fosse presente: si igitur Canonicus Mignantius tamquam praesens in choro censendus est nec fallentiis mulctandus erit nec distributiones amittet cum praesentes in choro omnia percipiant. Verum distributiones inter se valde differunt: aliae enim sunt beneficio adnexae, aliae conceduntur ratione servitii, aliae appellantur inter praesentes vel quia ex massa communi praesentibus tantum conceduntur, vel quia ex voluntate testatorum atque benefactorum his dantur, qui divinis officiis personaliter intersunt. Dubitandum non est, quin distributiones beneficio adnexas et ratione servitii tributas percipere debeat Canonicus Mignanti, prout statuit s. Congregatio in *Beneventana 7. Martii 1818* favore Canonici Aloysii Coppola, qui indultum obtinuerat percipiendi fructus et distributiones sui canonicatus perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset. Distributiones vero quae a benefactoribus sunt relictae eidem Canonico Coppola fuerunt a s. Congregatione denegatae.

Atque hanc ss. Pontificis fuisse mentem perspicue pandit secundi triennii indultum, in quo haec verba prout superius exposui leguntur: superaddito insuper onere etc. Cum enim novum onus amittendi distributiones inter praesentes superadditum dicatur, cen-

sendum omnino est in primo indulto earum perceptionem indultarie Pontificem concessisse. Plurimi quoque facienda est bona oratoris fides, qui a chori servitio abfuit sub tutela apostolicae concessionis, quin Canonici unquam de fallentiis controversiam excitaverint: praesertim cum praesto esset exemplum Canonici Buttaoni, qui nihil distributionum amisit, cum Vicarii generalis Tudertini Episcopi munus exercuit. Denique oratoris petitioni favere videtur alia quoque hujus s. Ordinis resolutio in *Auximana Distributionum 22. Decembris 1821*, qua denegatae tantum fuere distributiones inter praesentes Canonico Vagnozzi, qui indultum obtinuerat absentiae, ita ut canonicatus sui fructus, redditus et proventus percipere possit.

At Principum rescripta nunquam ita sunt intelligenda, ut aliis detrimentum inferant, nisi id fuerit expressum, *Fagnan. lib. 1. cap. Causam de rescript. n. 10. et seqq.* Quod si favore Canonici Mignanti indulta interpretentur, caeteri Tulpharum Canonici praejudicium sentire videntur; quandoquidem de jure fallentiae seu punctaturae praesentibus conceduntur veluti diligentis servitii praemium. Consideranda quoque est hujus s. Congregationis praxis, quae semper indulta ratione munerum concedit cum clausula amissionis distributionum. Praeterea Canonicus Mignanti emolumentum a monialibus percipit; non recte igitur exemptionem a fallentiis poscit, *cap. 3. de clericis non resid.* Plura demum habent EE. PP. in voto Episcopi et resolutione capituli superiis allatis, quae obstare petitioni possunt.

Praestat autem animadvertere, quod Canonici Tulpharum non solum missas canere debent, sed onus habent offerendi Sacrificia certis horis *pro populi commoditate:* absente Canonico Mignanti haec omnia ab aliis Canonicis sunt adimplenda. Vestrae proinde sapientiae erit PP. EE. decernere; utrum ab iis oneribus oratorem exemerint indulta absentiae vel potius ipse aliquid dare teneatur Canonicis, qui ejus munus exercent et implent. Nemo certe onus non suum ferre cogendus est et dignus est operarius mercede sua, *Reiffenst. lib. 3. tit. 4. n. 28.* Verum indultario favere videtur regula in eo, quod plus sit, semper inest et minus, *Leg. 110. Dig. de Reg. Jur.* Si igitur ss. Pontifex absentiae indultum concessit et permisit etiam, ut missae lectae ab oratore in monasterii ecclesia celebrarentur, ipsum a mox indicatis oneribus tacite liberasse dicendum erit.

Dignentur itaque EE. PP. dirimere, quae sequuntur

D u b i a:

I. *An et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro primo triennio in casu?*

II. *An et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro secundo triennio in casu?*

III. *An et quae summa et a quo tempore solvenda sit a Canonico Mignanti pro unaquaque vice ei qui munus sui canonicatus exercet tum pro celebratione missae statutis horis tum pro servitio altaris in casu?*

S. C. resp. ad I: Affirmative quoad distributiones tantum, quae ex voluntate benefactorum solis praesentibus debentur; in reliquis negative.

Ad II: Affirmative amissis cum solitis clausulis.

Ad III: Affirmative a die 27. Maji 1822 ad taxam ab Episcopo statuendam.

Die 19. Apr. et 24. Maji 1823.

Episcopus A. S. Congregationi exposuit in sua cathedrali ecclesia consuetudines invaluisse quae sequuntur:

I. Tum Canonicos tum Mansionarios divini officii tempore missas celebrare.

II. Existente in sacrario parva capella ibi qui adversa valetudine laborant celebrare dum chorale servitium expletur.

III. Ab immemorabili Canonicos et Mansionarios, expletis mane *capitolo ad laudes* et a prandio *capitulo ad vesperas*, fidelium confessiones audire toto superextante tempore divini officii, immo ex eis quosdam, etiam tempore matutini et vesperum, de Ordinarii licentia confessionibus adstare.

Verumtamen quoad primam et secundam esse praemonendum, Mansionariorum et Canonicorum numerum ad sexaginta circiter evehi: missas vero quotannis ex voluntate testatorum celebrandas esse 10500 et maxima ex parte ipsi cathedrali ecclesiae vel altaribus assignatas: easque dividi inter Canonicos et Mansionarios quorum ad minimum viginti

in ecclesia constanter celebrant. Ingenti huic missarum numero et adventitias accedere.

Praemonendum quoque esse, ab hora octava ad decimam cum dimidio quotidie chorum protrahi: et usque ad meridiem cum Episcopus pontificalem missam celebrat.

Rebus in facto ita se habentibus ante chorum celebrationem expleri nequire, quia pro celebrantium numero indumenta deficerent: post chorum incommodum grave vitari non posse, quia prope meridiem quisque ad alia vocatur.

Confessiones quod attinet sciendum: habitualem animarum curam penes capitulum et Mansionarios esse et quotannis e capitulo parochum, ex Mansionariis duos capellanos eligi pro actuali animarum cura. Sciendum esse etiam populum solere pro confessionibus ad Cathedralem se ferre cum noverit ibi se confessarios inventurum.

Itaque instabat Episcopus A. ut

1. Canonicis ac Mansionariis liceret divini officii tempore missas celebrare,

2. necnon confessiones audire,

3. quoad praeteritum fructus percepti illis condonarentur, qui intra chorum missas celebrare ac confessionarii munus exercere consueverunt.

Ad haec cum s. Congregatio rescripsisset *eidem Episcopo qui curet una cum capitulo conficere normam seu ordinem quo Capitulares celebrare missas ac audire confessiones tempore divinorum officiorum valeant*, ipse normam proposuit quae sequitur:

1. A chori initio ac deinceps Canonici et Mansionarii pro stalli ordine missas celebrabunt: ita tamen ut plus quam tertia praesentium pars nunquam abeat.

2. A capitulo *ad laudes* et a capitulo *ad vesperas* poterunt et confessiones audire dummodo tot Capitulares maneant quot necessitati non modo sed et decori ecclesiae necessarii sunt.

3. Cantoribus nec celebrare nec confessionibus adesse licebit, quousque opus sit eorum in choro.

4. Temporibus quadragesimae, jubilaei aliisque ab Ordinario designandis quidam ex Canonicis et Mansionariis electi a chori initio confessionibus excipiendis operam dabunt.

5. E morbo convalescentibus vel adversa valetudine laborantibus licebit in interno sacrarii oratorio celebrare ac distributiones quotidianas percipere, exceptis dominico vel festo quoque die.

Axioma exponebatur in jure canonico notissimum, distributiones percipi non posse nisi ab iis qui sunt actu praesentes in choro. Quod prostat in decreto Bonifacii VIII. *Consuetudinem* relato in *cap. unic. de cleric. non resid.* in 6. cui Tridentini Concilii confirmatio accessit *in cap. 12. sess. 24. de reform.*

Haec in genere. Eos autem qui tempore servitii choralis missam celebrant respicere decretum quod s. Concilii Congregatio edidit anno 1573 jussu Pontificis et extat in lib. I. Decret. pag. 51. alleg. 77, his verbis conceptum: »Quia quandoque in cathedralibus et collegiatis ecclesiis sunt aliqui Canonici vel alii officiales qui in iisdem habent capellanias vel in titulum vel tamquam Mercenarii, quaeritur an eo tempore quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant licet absint a choro. Et quid de illis Canonicis, qui celebrant in eadem ecclesia suae devotionis gratia, an, quando hac de causa a choro absunt, distributiones accipere possint et dato quod non, quid a Superiore ecclesiae eis injungatur ut eo tempore celebrent? Sanctissimus Dominus noster etiam ex sententia Congregationis Concilii declaravit non posse nisi quandoque sic jussissent eorum Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujusmodi abusu abstineant.«

Ab hac sententia nunquam recessisse s. Congregationem; siquidem in *Interamnen. 23. Februarii et in Comen. 23. Novembris 1771* propositum dubium: *An sustineatur consuetudo celebrandi missas a Canonicis tempore horarum canonicalium* — dirimet respondens: *Negative nisi de legitimi Superioris licentia.*

Idem dicendum de iis Capitularibus qui a choro abscedunt ut in ipsa capitulari ecclesia sacramentales confessiones excipiant; privilegium enim tempore divini officii distributiones non amittendi ut confessarii munus exerceatur pertinere tantum ad Canonicum Poenitentiarium, quia *Concil. Trid. sess. 24. cap. 8.* expresse sancivit ut solus Poenitentiarius *dum confessiones in ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur.*

Hinc caeteros Canonicos qui tempore choralis servitii confessiones excipiunt distributiones amittere: ceu statutum est in causa *Romana Servitii chori 23. Decembris 1690.*

Nec sustineri posse consuetudinem in contrarium ad monitum *Fagnani lib. 3. decret. cap. Licet de praeb. num. 118* et *Bened. XIV. instit. 107. n. 76.* referentis sententiam Passerini *ad cap. Consuetudinem de cler. non resid. in 6. reg. 10. num. 163* ubi quaeritur an contraria consuetudo hac in re probari debeat? et respondit: »praecisa deputatione vel legitimi superioris licentia consuetudo introduci non potest ut Canonici interessentes choro causa celebrandi missas privatas lucrentur distributiones. Nam causa excitandi Canonicos ad frequentem celebrationem cum praejudicio obligationis ad chorum nec est rationabilis nec nova causa et specialis, sed generalis et praevisa a jure et reprobata: ex eo quod tantum tres aliae fuerint approbatae: et idem dicendum de absentibus causa confessionum audiendarum «

Animadversum est inprimis, decretum Bonifacii VIII ex adverso relatum causas tres admittere quae absentiam a choro excusant: 1. *infirmitatem justam et rationabilem*, — 2. *corporalem necessitatem*, — 3. *evidentem ecclesiae utilitatem* — et videri postremam hanc extendi etiam posse *ad populi commodum* cum haec clausula plerumque adjecta fuerit a S. C. C. uti in causa *s. Miniatis diei 8. Februarii 1817* *) et *in Tranen. diei 20. Decembris 1862.*

In cathedrali ecclesia ingentem legatorum numerum haberi quibus satisfacere necesse est. Capitularium saltem viginti quotidie in Cathedrali celebrare. Qui omnes si vellent ante chori initium celebrationem explere, nec paramenta sufficerent nec ministri. Aliquos cogere ad celebrandum post chorum onerosum maxime esse nec fideles inveniri qui ad missas audiendas ea hora conveniant. Hinc necessitatem celebrandi tempore choralis servitii. Jamvero extantibus legitimi superioris licentia et populi commodo s. Congregationem benignae concessioni contrariam non fuisse in ipsa *Comen. 23. Novembris 1771*, ex adverso citata, nec non in causis *s. Miniatis 8. Febr. 1817* et *Tranen. 20. Decembris 1862.*

Quoad confessiones divini officii tempore audiendas unum maxime prae oculis esse habendum: nempe curam habitualem animarum penes capitulum manere eamque exerceri ab uno Canonico et duobus Mansionariis quotannis eligendis. Hanc ob rationem dici posse, Canonicos omnes parochialibus juribus frui. Itaque si choro non intersint ut confessiones excipiant vel alia ad cnram animarum spectantia exerceant, distributiones suas facere posse, ut eadem s. Congregatio tenuit in *Mediolanen. 13. Februarii 1639* et in *Teorten. 19. Septembris 1643.*

Haberi etiam in casu in Cathedrali ecclesia populi frequentiam ad confitendum: ideoque necessitatem ut aliqui ex Capitularibus tempore choralis servitii confessiones audiant.

His ex officio praemonitis proposita sunt

D u b i a:

I. *An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo celebrandi missas tam in ecclesia quam in sacello tempore divinorum officiorum in casu?*

II. *An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo excipiendi sacramentales confessiones tempore divinorum officiorum in casu?*

Et quatenus negative,

III. *An consulendum SSmo pro absolutione et condonatione perceptarum distributionum in casu?*

S. Congregatio causa cognita respondere censuit

Ad I. et II: *Consuetudinem non sustineri: attentis tamen peculiaribus circumstantiis normam ab Episcopo de consensu capituli propositam admitti posse: addito de licentia praefecti chori et Episcopus curet ne ante et post chorum desint missae.*

Ad III: *Affirmative: celebrata una missa cum cantu, universo adstante capitulo.*

Die 1. Apr. 1876.

Exinde erues:

I. Obligationem adstaudi divinis officiis talem esse pro Capitularibus ut nonnisi de legitimi superioris licentia et gravibus existentibus causis ab ea deflectere liceat.

II. Nec consuetudinem opitulari in contrarium existentem quia ratio celebrandi missas privatas vel confessiones audiendi

*) Vd. *p. 975.*

tempore divini officii non est nova et specialis sed generalis et a jure praevisa et reprobata: ideoque nec rationabilis censeri potest ut absentiam a choro excuset.

III. Tres tantum admitti in jure legitimas absentiae causas, eas scilicet quae in decreto Bonifacii VIII. enumerantur.

IV. Propterea missam cum cantu celebrandam s. Congregationem capitulo indixisse.

V. In casu justam et rationabilem necessitatem necnon evidentem ecclesiae et populi utilitatem normam ab Episcopo praestitutam et probandam fecisse. Necessitatem haberi si impossibile sit vel nimis incommodum ut omnes ante vel post chorum celebrent; utilitatem vero ne in eximia cathedrali ecclesia populo missae aut confessarii deesse dicantur.

f) Cura animarum.

Vd. t. III. p. 493. XVI., p. 457. n. 1; supra lit. *d. e.*; supra decr.: *Anagnina* p. 967; *Cura animar.* (exercenda etc.); *Chorus* (absentia — causae excus — : *Legendi officium* etc. decr.: *Arboren* §: *Haec vero*; *Munera* etc. §: *Postea.) Chorus* (obligatio Archipresbyteri).

Firmana.

Praesbyter Dominicus Antonius Moschetti possidet canonicatum collegiatae ecclesiae nuper erectae in oppido Montegiorgis, quae constat ex septemdecim Canonicis et aliis octo praebendatis nempe vigintiquinque individuis, qui servitium chori diebus festis praestant. Canonicatus vero hujusmodi possessus a praesbytero Moschetti erectus fuit ex capellania snb invocatione s. Antonii Patavini in testamento Hyppoliti Abinanti, qui jussit, ut si in praedicto oppido erigeretur Collegiata bona capellaniae applicarentur massae capitulari et ex eis unus aut alter canonicatus institneretur. Ita sane evenit et praesbyter Moschetti, qui titulo hujus capellaniae ad s. ordines promotus fuerat ante erectionem Collegiatae, postea ex capellano factus est Canonicus. Hoc interea temporis idem Moschettus obtinuit aliam capellaniam cum annexa cura animarum ad nutum amovibilem in contermino agro Pagi Monteverde, quae nunc compatibilis non est cum capellania Abinanti in canonicatum erecta, quippe quod utrumque beneficium personalem residentiam requirit.*) Utrumque tamen saltem ad triennium retinere postulat Canonicus Moschetti, cum patrimonialibus bonis careat et octogenarium patrem viduamque defuncti fratris nepotesque alere debeat. Quod ut consequatur postulat simul indultum, quo a choro abesse per triennium possit.

Rogata est sententia Emi Archiepiscopi audito capitulo. Canonici cunctis suffragiis assentiti sunt. Emus vero Archiepiscopus censet cum cura animarum requirit continuam residentiam dispensationem a choro orator postulat, cui nullum praejudicium affertur, ex eo quod per caeteros Canonicos satis superque suppleri potest, praesertim quia ad praesens chori servitium obligatur in diebus festis solummodo. Fructus talis canonicatus, comprehensis missarum oneribus, quae sex numerantur in singulis mensibus, vix attingunt scuta triginta. Fructus vero capellaniae curatae comprehensis oneribus non excedunt scuta centum. Post triennium fructus canonicatuum augeri certe poterunt et orator capellaniae curatae tunc renunciando, cum nihil de suo possideat, habebit pro honesta sustentatione, quod sibi sufficiat.

Cum utrumque beneficium personalem requirat residentiam est prorsus incompatibile, neque ab uno beneficiato retineri potest, quemadmodum cavetur in *cap. Ordinarii de offic. Ordinar. in 6. in Extravagan.*: *Execrabilis de Praeben., Trid. sess. 7. cap. 4. de reform.*, et de incompatibilitate*) beneficii curati cum canonicatu firmat *Rota in Frisingen. Canonicatus 9. Januarii 1705. coram Scotto.* Quare dispensatio requiritur, quae post *decretum Innocentii* III. in Conc. Lateran. III. latum quod est in cap.: *De multa de praeben.* reservata est Sedi apostolicae, ut tradit *Fagnan. ad dict. cap.: De multa num. 31.* et *Pirching. in jus canon. lib. 3. tit. 5. sect. 5. num. 18.* Dispensationes vero hujusmodi concedi non solent nisi concurrant causae in jure probatae scilicet necessitas ecclesiae, magna utilitas et meritorum praerogativa, ut ad text. in can.: *Requisitis* et can.: *Talis quaest. 17.* docent *Fagnan.* in cap.: *Nimis de fil. praesbyt. num. 6., Corradin. in prax. dispensat. lib. 1. cap. 1. num. 12., de Sanctis in examin. consistorial. cap. 8. num. 2.* Nulla ex hisce causis subest in re praesenti, cum Canonicus Moschetti imploret dispensationem, ut suae paupertati subveniatur. Videant tamen EE. PP. cum agatur de dispensatione ad effectum

*) Vd. *t. II. p. 595. III.*

*) Vd. *t. II. p. 608 II*; *p. 602 IV*; supra *p. 234. n. 10.*

retinendi duo incompatibilia non ad vitam, sed ad triennium tantum, habenda sit ratio paupertatis oratoris, qui ad titulum capellaniae est ordinatus nec proinde eam dimittere potest neque ex ea, cum redeant annua scuta triginta, profecto habet, ut se, patrem decrepitum, viduam nepotesque ex fratre praedefuncto alat. Profecto non agitur nunc, ut duo incompatibilia beneficia uni concedantur, sed ne orator privetur altero beneficio, ad cujus titulum ordinatus erat quodque ante erat compatibile cum altero, et nunc incompatibile evasit, quia erectum fuit in canonicatum. Ne igitur ab hoc beneficio dejiciatur possessor cum maximo suo detrimento, concedenda videtur retentio, cum Collegiatae, quae Canonicis abundat, nullum praejudicium inferatur, si ad tres annos differatur, ut unus ex Canonicis choro intersit.

Quatenus vero haec dispensatio oratori indulgenda esset, tum simul concedendum foret indultum, ut a choro abesse possit. Etenim capellania curata requirit continuam residentiam, ut curae animarum capellanus incumbat. Emus vero Archiepiscopus affirmat nullum praejudicium chori servitio ex unius absentia redundare, tum quia nunc diebus tantum festis praestatur tum quia frequens est Canonicorum aliorumque choralium numerus. Capitulum vero assentitur, ut orator a choro absit dummodo per alium caetera onera praestet et duas ex tribus partibus distributionum amittat. Haec tamen postrema conditio est contra praxim, qua indulta absentiae conceduntur. Etenim quatenus justa subsit causa, ut quis a chori servitio dispensetur, tum sane nonnisi tertiam partem distributionum amittit.

Gemina proponuntur dubia:

I. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ad effectum retinendi et ad quod tempus duo beneficia incompatibilia in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo et ad quod tempus sit concedendum indultum abessendi a choro in casu?*

S. C. resp. Ad I: Affirmative ad triennium et notificetur ministris Datariae apostolicae.

Ad II: Affirmative ad triennium amissa tertia parte tantum distributionum et adimpletis per alium caeteris oneribus.

Die 27. Junii et 18. Julii 1807.

Bugellien.

Capitulo cathedralis ecclesiae Bugellensis pervetustum jus est rectorem ecclesiae b. Virginis in Monte Oropae quae maxima populorum frequentia celebratur constituere eumque ex suo collegio adsciscere; quo fit, ut cum sacra ea aedes a Cathedrali distet Canonico, qui huic muneri praeficitur, abesse a choro datum sit, quin stata in absentes punctatura mulctetur. Legitima ex consuetudine atque ex capituli statutis hoc ipsis delatum esse privilegium certo constat neque de ipso unquam disputatum est.

Cum vero paucis abhinc annis, anno nimirum 1823, ut Canonici Poenitentiarii officium eo in capitulo ex Trid. Concilii praescripto constabiliretur, Ignatius Marocchetti Canonicus id oneris perpetuum in modum sibi suaeque praebendae, quam antea liberam tenebat, imponi passus sit, dubium inde occurrit, an possit Canonicus Poenitentiarius Oropensi ecclesiae praefici ex jure Canonicis ceteris communi.

S. idcirco vestrum Ordinem ipse adiit, ut de ea re decernatur.

Rogatus de sententia Episcopus nullam animadvertit extare consuetudinem, qua pateat de ea quaestione pronunciandi ratio, cum Canonicus Marrocchettius primus sit, qui eo in capitulo Poenitentiarii munere, quod antea ibidem deerat, fuerit auctus: de proposito tamen dubio haec habet: »Etsi ex adprobata consuetudine ac statutis capitularibus Oropae sanctuarii rector, qui Canonicus sit, oportet, propter nimiam ab ecclesia cathedrali distantiam choro interesse minime teneatur, difficultas sane major accurrebat quoad Poenitentiarium Canonicum, quem ibi residere necesse est ob ecclesiae utilitatem fideliumque commodum, Oropae vero alius designatus Poenitentiarius sit. Verum ex altera parte occurrit observatio; ob quam ego oratoris precibus annuendum arbitror; fuisse scilicet ipsum ex parte auctorem, quomodo nova Poenitentiaria constitueretur, ob quod juribus a se antea acquisitis minime renunciare voluisse dicendus est. Itaque ob grati animi maxime sensum, crederem ego, ipsum unum, exclusis dein successoribus suis, admittendum, ut in electione ad tale officium rectoris scilicet Sanctuarii Oropae complecti possit.« Haec quidem Episcopi sententia est, qui ad vicissitudinem potius referendae gratiae et ad aequitatis consilia infirmanda quam

ad decernendum ex jure respondere adnisus est. Constat quippe, plura officia, quae residentiae obligationem injiciunt, haberi simul neutiquam posse, ne quando quis uni ex iis muneribus operam atque assiduitatem debitam praestat careat alterum Rectore, qui in ecclesiae illius vigilia custodiaque permaneat. *Conc. Trid. sess. 24. cap. 17. de reform.*, s. C. *Maceraten. 3. Septembris 1825.* §: *Verum.* Sed qui regendae ecclesiae Oroponensi praeponitur degat apud ipsam necesse est, ut iis ibidem praesto sit, qui supplicatum ad eam frequentes accedunt ac navi sedulique sacerdotis operam pro Sacrorum procuratione exquirunt. Consociari autem id muneris cum Canonici Poenitentiarii officio absonum a canonum jure videtur, quo illam praebendam in eum finem constitui cautum est, ut adest assidue in cathedrali ecclesia Canonicus ad excipiendas fidelium confessiones. *Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de roform.* Quod quidem constanti adeo ac immota ecclesiasticarum legum disciplina semper servatum est, ut nec Episcopi possint Canonicum Poenitentiarium convisitatorem renunciare, nisi stato vacationum tempore, S. C. C. *Parmen. 7. Martii 1652*, *Gonzales. ad reg. canc. 8. glos. 6.*, nec capitulo fas sit illum ad officia eligere, quae adeo gravia et operosa sint, ut eum a confessionibus in ecclesia audiendis, praesertim per dominicos ac festos dies, praepediant, S. C. *Guardien. 19. Aug. 1598* et *Montis Falisci 13. Augusti 1652* et *Conversanen. 19. Nov. 1729*, *Card. Petra in const. 11. Innocent. IV. n. 45. t. IV. ad Const. PP.*, nec cogi is possit ad Cathedralis negotia procuranda, S. C. C. *Dubiorum 3. Octobris 1671* et *Anagnina 12. Decembris 1676*, nec demum monialium confessarius rite praeficiatur, si inde a suo munere in cathedrali ecclesia sedulo gerendo distineretur, *Pignatell. t. 7. consult. 10.*, *Garzias de benef. part. 5. cap. 4. num. 122.*

Verum si vetatur Canonicus Poenitentiarius officia id genus suscipere, quae in eadem civitate extant, graviora profecto rationum momenta videntur occurrere, quibus arceri ipsum deceat ab Oropensis rectoris loco, quo qui potitur ex Episcopi testimonio propter nimiam a Cathedrali distantiam choro interesse non tenetur.

Neque animarum necessitas objici posset, quae s. ministri praesentiam ea in ecclesia in fidelium commoditatem exquirat: ipsi quidem apprime consultum legimus designato jamdiu ibidem alio Poenitentiario una cum decem capellanis, quos continuo ibidem inservire narrat Episcopus in sua relatione de Burgellensis ecclesiae statu. Perpendant itaque Emi Patres, utrum, quae de peculiari oratoris Marocchetti meritis asserit Episcopus illum scilicet pro animarum bono sponte sibi tantum illud onus imposuisse, quantum obligationes Poenitentiarii inferunt, quo quidem juribus a se antea acquisitis minime renunciare voluisse dicendus est, ipsum ita peculiariter commendent, ut id ex gratia ipsi impertiatur ob merita, quod successoribus omnino esset denegandum.

Sit itaque dubium:

An et quomodo rectoria sanctuarii Oropensis conjungi possit cum canonicatu Poenitentiario Cathedralis in casu?

Contin. ejusd. Causae.

Ut de proposita per Canonicum Poenitentiarium Bugellensem quaestione facilius decernant EE. VV. nonnulla ab Januensi Archiepiscopo illius ecclesiae Administratore percunctatus sum, ut inde luculentius constet de natura, oneribus aliisque adjunctis praefecturae sacrae aedis Oropensis. Maximo quippe usui in praesenti disceptatione esse animadverteram, si ea certo cognoscantur, quibus tuto conjiciatur, an id muneris sit cum Canonici Poenitentiarii officio consociari.

Partite retulit Archiepiscopus Administrator, qui praeterea Bugellensis capituli decretum adjecit, quod Poenitentiarium in ceteros ad praefecturam Oropensem adsciscendos absque hesitatione recenseret, si ita s. huic Ordini visum fuerit.

Dum vero haec typis mandarentur, literae a Canonico Poenitentiario datae sunt, quibus tuetur, se posse ad praefecturam Oropensem adscisci, eaque regerit, quae ab Archiepiscopo Administratore proposita legimus in folio superiori ipsum nimirum sponte munus suscepisse Poenitentiarii, quo immunis erat. Id proinde oneris quod in ecclesiae Collegiique utilitatem splendoremque lubens sibi imposuit, haud esse in illius detrimentum convertendum. Se porro assensum in id neutiquam praebiturum fuisse si vel minimum subdubitatum esset se idcirco ab Oropensi Praefectura arcendum fore. Antistitem in id plane annuere, altero in cathedrali ecclesia

interea temporis subrogato, qui confessionibus audiendis praesto sit: complures vero ex ipso collegio facultatibus ab Antistite auctos esse quae Poenitentiariorum sunt: nihil hoc pacto detrimenti ecclesiam ex ipsius absentia capturam: capitulum suo etiam suffragio in praefecti Oropensis electione Poenitentiarium una cum ceteris eligendis admisisse: hoc demum privilegii sibi dandum ob Poenitentiarii officium ab ipso ea in Cathedrali inductum cujus proinde cum ipse auctor inprimis haberi debeat id confidit sese peculiari quodam jure esse consequuturum.

Hisce enucleatis praepositis expensisque iis quae in superiori folio adnotata sunt facilius erit decernere:

An et quomodo rectoria sanctuarii Oropensis conjungi possit cum canonicatu Poenitentiario Cathedralis in casu?

S. C. resp.:

Negative et ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem. Mens est, ut ex speciali gratia in exemplum non deducenda dignetur SSmus annuere precibus oratoris primi Poenitentiarii juxta votum Episcopi, proviso per ipsum Episcopum, ne desit alter ex gremio capituli, qui suppleat loco Poenitentiarii absentis quatenus eligatur rector Oropensis.

Die 22. Dec. 1832 et 26. Jan. 1833.

Melevitana.

Perinsigne capitulum Collegiatae sub invocatione b. Mariae V. in civitate conspicua Melevitanae dioecesis a san. mem. Pio VII. 1822. institutum ab ipsa erectione habitualem animarum curam habuit, cujus exercitium Archipresbytero pro tempore existenti fuit in eadem institutione concreditum. At temporum calamitatibus canonicalium praebendarum redditibus imminutis ita ut solius Archipresbyteri praebendae ex certis et incertis emolumentis ab exercitio curae provenientibus satis esset provisum, cumque inter Canonicos ipsos et Archipresbyterum jam exortae fuissent controversiae praesertim super jure quod idem Archipresbyter sibi independenter a capitulo asserebat quoad ecclesiasticas functiones ordinandas auctoritate Pii Papae VIII. fel. record. 1830 factum est, ut cura animarum ab archipresbyteratu, postquam illum ex persona tunc existentis Archipresbyteri quomodolibet vacare contigisset, perpetuo dismembrata cura eadem tam habitualis quam actualis illiusque liberum exercitium capitulo praedicto concederetur et uniretur, exercenda tamen vel per Dignitarios et Canonicos per turnum vel per presbyterum saecularem Vicarium curatum nuncupandum, a capitulo deputandum et ad ejus nutum amovibilem. Congrua vero annua mercede idem Archipresbyter ab ipso capitulo praefinienda donatus erat, ceteris omnibus emolumentis certis atque incertis ab exercitio curae animarum provenientibus inter Capitulares, comprehenso Archipresbytero aequis inter omnes portionibus dividendis.

Felice successu ab initio hac dispositione Canonicorum sustentationi provisum fuit et jurgiorum causae peremptae; novis tamen tractu temporis supervenientibus difficultatibus exequutio literarum 1830 Pii Papae VIII. suspensa mansit, donec 1850 vacante archipresbyteratu per obitum Antonini Scasciato rebus amice compositis cum Ordinario et capitulo nonnulla ad dismembrationem perficiendam ulterius statuta fuere quae SSmus Dominus Noster apostolicis literis die 1. Octobris ejusdem anni sancivit, ita ut »firmae remaneant atque confirmatae (sic ss. Pontifex) literae Pii Papae VIII. quoad ea quae unionem respiciunt curae habitualis cum actuali favore capituli moderato tamen ejus curae exercitio, ut nempe cura actualis sic unita cum habituali exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario curato per capitulum universum comprehenso Archipresbytero eligendo et per Ordinarium confirmando . . . . utque ad Vicarium ipsum curatum spectet tantum administratio Sacramentorum et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit salvis et reservatis favore capituli caeteris juribus et privilegiis etiam super hujusmodi exercitio quae eidem capitulo uti ecclesiae rectori debentur . . . ., ut Vicarius curatus eligi debeat per turnum e gremio capituli ipsius . . . . facta facultate singulis Capitularibus, excepto Archipresbytero, optandi idem officium .... ut sic electus examini Ordinarii subesse debeat . . . . et quatenus nemo ex Capitularibus Vicarii curati officium assumere voluerit . . . . tum a capitulo alius presbyter extra illius gremium eligi queat.«

Quoad redditus vero in iisdem literis provisum fuit, ut Vicario curato loco congruae assignarentur scutata annua tercentum

monetae Melevitanae ab omni prorsus onere immunia; residuique fructus (deducta eleemosyna missarum pro populo et pensione scutatorum quinquaginta favore rectoris parochialis ecclesiae Casalis Dingli necnon dempta mercede pro vicerectoribus ecclesiae Conspicuensis) relicti fuere Dignitatibus et Canonicis aequis inter eos portionibus ad formam literarum Pii VIII. distribuendi.

Iis ergo pontificia Auctoritate statutis et executioni jam mandatis Canonicus praefatae ecclesiae Rosarius Mercieca, qui anno 1858 Vicarii curati officium assumpsit et hoc usque sic institutam vicariam exercet, cum saepius ob curae animarum exercitium divinorum officiorum horis persolvendis choro non interfuerit, de respectiva fallentiarum solutione a capitulo requisitus est, eo quod capitulum eumdem Canonicum Mercieca non tanquam proprie dictum parochum habeat et animarum cura canonicatui minime sit adnexa. Sed capituli voluntati Canonicus Vicarius haud acquievit et inde praesentis origo controversiae, qua super noluit Episcopus suam proferre sententiam. Exquisito enim voto tum capituli Conspicuensis tum sui Vicarii generalis tum ss. caeremoniarum in sua Metropolitana magistri, quamvis horum postremus Canonico Mercieca faveret, cessit tamen Archiepiscopus consiliis capituli et Vicarii generalis suadentium ad s. Sedem oratorem fore remittendum. Prodiit idcirco in curia episcopali rescriptum: Attentis relatis recurrat orator ad s. Sedem. Quod illico ab oratore peractum est transmissis ad hanc s. Congregationem precibus, quibus rogavit, ut Emi Patres judicare dignarentur.

Rogatus Antistes informationem et votum audito capitulo in scriptis et transmissis documentis ad rem facientibus acta omnia curiae suae H. S. O. concredidit unacum capituli animadversionibus, quin tamen aliquam mentis suae proferret super enata quaestione sententiam. Haec igitur inter capitulum et Can. Vicarium coram Eminentiis Vestris in hodiernis comitiis pertractatur scripto tantum commendatis nonnullis hinc inde animadversionibus quas summarie referam adjunctis etiam pro meo munere iis rationum momentis, quae dirimendae controversiae magis congrua visa sunt.

Actor Canonicus Mercieca voto ss. caeremoniarum magistri metropolitanae ecclesiae innixus quod in actis extat jura sua tuetur inprimis ex literis apostolicis erectionis Collegiatae Conspicuensis, quibus cum animarum cura Archipresbytero commissa fuisset arguit eumdem juxta Trid. privilegium *sess. 22. c. 3. de refor.*, *Benedict. XIV. Instit. eccl. 107. n. 56.* et plures ab H. S. O. latas resolutiones praesertim in *Tortonen. 9. Sept. 1643* jure distributionibus frui potuisse quoties ejusdem curae exercitio detentus a choro tempore divinorum officiorum abfuisset; nec ullam dubitandi rationem contra Vicarios curatos desumendam esse subdit ex eo, quod in iis literis sermo fuerit de Archipresbytero non vero de Canonico quocumque alio titulo memoratae curae animarum addicto. Patet enim ideo apostolicas literas locutas esse de Archipresbytero, quia Archipresbytero tunc temporis actualis cura commissa erat eidemque non ratione tituli archipresbyteralis sed unice officii sui causa tributum fuerat, ut praesens in choro reputandus esset licet absens curae animarum ministerio detentus. Nec ullo modo praeterea juri repugnare ait, ut etiam Vicarii perpetui*) seu inamovibiles eodem privilegio gaudeant, quo fruuntur parochi, cum et ipsi Vicarii perpetui, uti *Abbas in cap. Extirpandae* §. *Qui vero n. 5. de praeb.*, vere curati sint quoad exercitium et effectum, etsi quoad habitum et proprietatem cura penes rectorem principalem resideat. Eo vel magis cum ex perpetuitate vicariae in persona electi Vicarii curati prope deduci valeat eamdem vicariam esse beneficium**) ad *text. in cap.: Postulasti de rescript.*, *Reiffenst. lib. III. t. 5. de Praeb. et Dign.*, *Riganti ad reg. canc. reg. 9.* §. *2. num. 79. et seqq.*, dum e contrario vicaria ad nutum amovibilis non titulus beneficialis dicatur, sed simplex salarium nudumque stipendium, *Garcias de benef. tit. 1. p. 1. c. 12. n. 93.*, *Barbos. lib. 3. Jur. eccl. c. 6. n. 58.*

Non immerito idcirco idem Vicarius curatus perpetuus, qui tanquam vere beneficiatus nonnisi ex causis in jure expressis per privationem aut depositionem amoveri posset ab exercitio curae, *cap. Ad haec* et *glossa 16.* verb.: *Removere de off. Vic.*, etiam ab aliorum placito independenter gaudere posse videretur superius enunciato privilegio, quod Concilium Trid. Dignitatibus et Canonicis curam animarum exercentibus attribuit.

Qua in re facile Canonicus Mercieca refellit, quae eidem objici possent ex defectu

*) Vd. *Vicarius perpetuus.*
**) Vd. *t. II. p. 1052. n. 114.*

verae parochialitatis in Vicariis Conspicuensis Collegiatae ex literis apostolicis 1830 s. m. Pii VIII. Admittit enim ipse literas apostolicas s. m. Pii VIII. dismembrata actuali cura ab archipresbyteratu revera nonnisi precarie et ad nutum capituli reliquisse Vicariis curam animarum, quod a parochialitatis qualitate alienum videtur, at illico subjungit peculiaribus tantum circumstantiis id a ss. Pontifice fuisse permissum, quibus propterea anno 1850 minime perseverantibus merito pariter a ss. Patre Pio IX. fuisse sancitum, ut omnis inposterum praepediretur electio Vicarii curati temporalis sive ad nutum amovibilis. Quo praecise factum esse ait, ut cessante imperiosa necessitate providendi omnium Canonicorum sustentationi ea disciplina in capitulo Conspicuensis ecclesiae fuerit constituta, quae juxta *Monacellium form. praet. For. eccl. supplem. ad I. tit. 13. n. 33.* solet Episcopis commendari in erectione vicariae perpetuae, ubi parochia capitulo vel collegio est adnexa, ut oves certum habeant pastorem quem agnoscant et e contrario certa sit persona quae sciat illud sibi onus incumbere et a qua Episcopus rationem de sibi commissis ovibus exquirat. Quod hoc eodem anno in una *Atrien. 22. Februarii* s. Congregatio sapientissime fieri mandavit.

Quin aliquid etiam opponi valeat ut addit de speciali mercede quae Vicario curato in literis apostolicis anni 1850 statuta est. Ea siquidem induere videtur rationem congruae quae statui solet Vicariis perpetuis ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum juxta Concil. Trid. *in cap. 7. sess. 7. de reform.* et notissimam s. Pii V. constitutionem: »Ad Exequendum«. Quae congrua etsi cedere Vicario videatur praecise ob curam animarum non obstare dicenda foret ad percipiendas distributiones in absentia ejusdem a choro propter officium ad instar Poenitentiarii aut Theologi, qui choro non interessentes ut proprio muneri satisfaciant veluti praesentes habentur, quamvis eorum congrua sit specialiter instituta pro respectivis obeundis muneribus, *de Luca lib. 12. p. 3. de parochis disc. 17. n. 6. circa finem* Cum ergo nihil in superius enunciatis literis apostolicis anni 1850 peculiari lege sancitum sit quod Vicario in praesenti quaestione contradicat negari non posse visum est Vicario Mercieca exercitium curae animarum eidem impositum independenter a capitulo administrandum esse et ad tramites privilegiati juris fore dimetiendum. Non levia tamen esse videntur quae Capitulares afferunt contra exemptionem Vicarii curati a choro ob animarum curae exercitium. Eumdem enim Vicarium omnino repellendum esse dicunt cum capitulum juxta apostolicas literas anni 1830 reapse sit habitualis et actualis parochiae rector non vero Vicarius curatus. Cura siquidem animarum in dicta ecclesia nulli canonicatui vel praebendae adnexa est, quo fit ut illi cui Sacramentorum administratio committitur et Vicarii nomine donatur mercenarius dici debeat: nec intersit sitne Canonicus vel quilibet alter sacerdos etiam capitulo extraneus. Qua praecise de causa minime locum esse arguunt in ipsorum ecclesia privilegio Trid. *cap. 3. sess. 22. de reform.* ad tramites doctrinae *Benedict. XIV. Instit. eccl. 107. n. 56.* vers. *Aliter de Canonico* qui canonicatum et adnexam animarum curam in eadem ecclesia possideat; sed potius privilegium ipsum excludi juxta ea quae laudatus Pontifex in principio ejusdem *n. 56.* praemonet de parochis qui canonicatum obtinent cum parochia extra civitatem, quae proinde canonicatui non sit adnexa, qua distinctione s. Congregatio usa sapienter est, quoties casus contigerit de hujusmodi Canonicis parochis distributiones chorales requirentibus licet a choro abessent ut animarum curae vacarent. Etenim in *Mediolanen. diei 13. Febr. 1639.* censuit oratorem habentem onus curae animarum adnexum, si tempore quo Divina celebrantur audiat confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat lucrari debere distributiones quotidianas etiamsi Divinis non intersit. Idemque responsum prodiit in causa *Tortonen 19. Septemb. 1643*: »Praeposito ... cui annexa est cura animarum cum administratione Sacramentorum deberi distributiones tempore divinorum officiorum, si eo tempore sit in actu dictam curam exercendi et sacramentalia ministrandi.« A contrariis igitur Capitulares contra Vicarium curatum argumentantur loco congruae salarium eidem statutum esse asserentes et a saeculo non esse auditum affirmantes hominem mercenarium adversus eos a quibus conductus est non levibus impensis eorumdem deinde damno contendere, ut ab onere se subtrahat, quod sponte suscepit. Jura ergo quae Vicario favere videntur casum praecise respicere dicenda forent, quo praebenda aliqua sit veluti subtracta curae animarum, simulque cum alia quavis praestatione unicam constituat con-

gruam parochialem et fructus canonicatus, ita ut eidem subjecto ex eodem titulo duplex incumbat onus curae scilicet animarum et choralis officiaturae; *Fagnan. cap. Licet de praebendis n. 163.* Eo enim in casu cum eadem persona nequeat simul disparata munia adimplere consultissime ac juxta rerum naturam sancitum esse videretur, ut Canonicus curae animarum praepositus cumulative obligationi suae praebendae satisfaceret, alteri ex praedictis officiis vacans. In contrario vero casu, quando nempe, ut habet *de Luca annot. ad Conc. Trid. disc. 15. n. 6*, chorale servitium non praestatur, ut vacetur alteri diverso muneri, puta pro sola administratione Sacramentorum .... vel pro exercitio curae adnexae eidem ecclesiae cathedrali vel collegiatae cum congrua distincta a participatione massae distributionum, tunc Canonicus consideratur tanquam duplex ac diversus homo nec poterit utrumque lucrum obtinere. Atqui in themate etsi in Canonico Mercieca concurrat unio personalis curae animarum et canonicatus perseverat tamen realis et originalis utriusque distinctio tum ratione officii tum ratione praebendae.

Ad hunc ergo casum pertrahenda non fore viderentur allata superius jura praesertim cum agatur de materia odiosa ob divini cultus imminutionem, quae non admittit ad casus diversos illationem; et eo etiam vel magis ne usuveniat illud, propter quod pluralitas beneficiorum reprobatur,*) *cap. 3. Quia nonnulli de cler. non resid.*, ne scilicet eadem persona duplex emolumentum propter unicum officium cum ingenti avaritiae fomite lucretur. Maxime in collegiata ecclesia civitatis Conspicuae in qua omnes Canonici ratione canonicatus et curae actualis, quae capitulo restituta fuit anno 1830, onus celebrationis missarum pro populo sustinent, doctrinam christianam fideles docent, mercedem Viceparochis persolvunt et conciones catechisticas quavis secunda dominica mensis tenent, praeter alias quas singulis feriis sextis horis serotinis instituendas curarunt.

Quibus positis minime Vicarium Mercieca juvare videnter genericae illae juris dispositiones quibus choro praesentes considerantur beneficiati absentes vel ad expedienda capituli negotia vel propter evidentem ecclesiae utilitatem. Ipse enim potius suum exercere negotium dici deberet, qui pro curae animarum exercitio integram distincti muneris exigeret satisfactionem. Cum igitur receptum esse constet nullum Canonicum seu beneficiatum a choro absentem ratione muneris sibi commissi quotidianas distributiones lucrari, ubi pro dicto munere stipendium aliquod peculiare percipiat, ceu definitum legitur in *Romana Dubia indultorum 25. Maji 1822.**) Quod etiam in specie de Canonico caeremoniarum magistro declaratum fuerat *Ravennaten.***) *Distributionum quotidianarum 1. Augusti 1739*, itemque de Canonico tempore divinorum officiorum organum pulsante***) vel cum musycis psallente, in s. *Severini Visitat. ss. Liminum 15. Nov. 1659.* Item de Vicario generali tradunt *Pignatell. Consult. can. 115. n. 29.*, *Garzia de benef. p. 2. c. 2. num. 357.*, *Moneta de distribut. p. 2. q. 11. et 83.*, *Fagnan. cap. Licet de praebendis n. 111.* necnon s. Congregatio in *Bitecten. 19. Dec. 1627.* Merito concludendum fore videretur in casu parochum sui canonicatus officio non satisfacere, dum gregi sibi commisso etiam in ecclesia beneficii consulit, cum canonicatus a parochia sit omnino distinctus. Proponitur ergo

Dubium:

An Vicarius curatus tempore divinorum officiorum absens a choro ob curae animarum exercitium et fallentias solvere teneatur in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 13. Sept. 1862.

g) Episcopi Servitium.

Vd. supra decr.: *Anagnina* p. 967. *Chorus* (absentia — causae excus.: *Munera* etc.); p. 12: *Caeremon.*; p. 191. b; p. 200. h; p. 204. l; t. I. p. 1129. n. 4.

Leodien.

Comes de Hoensbroeck Canonicus Scholasticus capitularis est s. Mariae Aquisgranensis et est Canonicus cathedralis ecclesiae Leodiensis. Scholasticus dignitas capituli non dicitur; suos habet peculiares redditus, sex

*) Vd. *t. II. p. 731. n. 76.*

*) Vd. *Chorus* (absentia — causae excus. —: *Munera* etc.)

**) Vd. *p. 12.*

***) Vd. *Chorus* (absentia — causae excus.: *Cantoris* etc. p. 964. c.; causae non excus. —: *organistae officium.)*

menses seu 183 dies in annum residere tenetur; salva autem residentia per vicescholasticum e gremio capituli omnia impleri posse affirmant. Nuperrime ab Ordinario Leodiensi in cancellarium ac in Canonicum a latere*) continuum assumptus est.

Dubitavit capitulum Aquisgranense an tempore quo scholasticus Ordinario Leodiensi inservit lucrari possit suos fructus ob suae ecclesiae exemptionem; atque ejus rei declarationem a s. Congregatione petit. Ordinarius censet illum suo jure posse lucrari fructus nec indigere, ut hoc *concedatur et adjudicetur ex gratia.*

Facti historia ex ipsa authentica capituli scriptura est: »Comes de Hoensbroeck ecclesiae cathedralis Leodiensis Canonicus est etiam Canonicus capitularis, diaconus et scholasticus ecclesiae regalis b. Mariae V. Aquisgranensis requirentis singulis annis residentiam sex mensium vel 183 dierum ad lucrandos fructus praebendae ac sub poena foraneitatis.

Scholasteria autem (quae est nominationis laicalis scilicet Regis Borussiae et electoris Palatini ac separatos habet redditus necnon juxta juramentum scholastici in numero primo etiam requirit debitam personalem residentiam) salva dicta residentia per vicescholasticum e gremio capituli administrari potest et consuevit nec in dicta ecclesia Aquisgranensis est dignitas.

Reverend. et celsissimus D. electus et confirmatus Episcopus et Princeps Leodiensis dictum Comitem de Hoensbroeck testantibus literis patentibus non solum denominavit in suum et patriae Leodinensis cancellarium sed etiam in suum a latere Canonicum continuum assumpsit.

Idem dictus Comes propterea postulat juxta decretales in *cap. De extero* et *ad audientiam de cleric. non resident.* in ecclesia Aquensi haberi pro praesente et sibi responderi de fructibus praebendae et scholasteriae.

Regale capitulum Aquisgranense contra sustinet se ad hoc non teneri, quia dicta ecclesia Aquensis est ecclesia regalis et capella coronationis Regis Romanorum a divo Carolo Magno exstructa et fundata extra patriam Leodiensem sita semperque fuit et est exempta ac soli ss. Pontifici subjecta, consequenter licet sit in dioecesi Leodiensi non tamen est de dioecesi, sed habetur vigore suae exemptionis tanquam particulare territorium subjectum soli Pontifici et immune a quolibet Ordinario, prout de hac ecclesia regali pluribus edixit s. Rota coram *Merlino die 14. Martii 1642.* in quadam causa *Leodien. Canonicatus decis. 891.* Quam decisionem etiam exhibet *Verborst. in addit. ad tract. Erasmi a Chokier de jurisdictione Ordinar. in exempt. part. 4. quaest. 29.*

Cum tamen regale capitulum absque consequentia et ullo exemptionis suae praejudicio in respectum celsissimi Episcopi et Principis Leodiensis atque ex amore domini sui confratris libenter deferre vellet hujus petitioni contra vero dubitet an idipsum propter dispositionem s. Concil. Trid. *sess. 6. de reformat. cap. 2.* et alibi ac ceteras praefatas circumstantias tuta conscientia facere, hoc est ipsum Comitem pro praesente habere eique de fructibus praebendae ac scholasteriae necnon de jure turni (de quo in clausula concernente sub num. 3.) respondere possit. Hinc s. Congregationis Cardinalium Concilii Trid. interpretum declarationem hoc super puncto humillime petit.

Interrogatus officialis Leodiensis sub die 1. Maji respondit: »Occasione precum capituli Aquisgrani directis mihi a s. Congregatione Concilii literis humiliter obsecutus meliori quo potui modo audivi interesse habentes.

Capitulum inprimis se remissit ad facti speciem, quam exhibitam fuisse asserit s. Congregat. cum tribus adjunctis, quorum primum incipit per haec verba notatu digna: Ab hac hora in antea juro ego N. N. Scholasticus ecclesiae b. Mariae Aquensis Leodien. dioecesis, quod ero fidelis etc.; secundum exhibet literas patentes celsissimi et reverend. Leodien. denominantis comitem de Hoensbroeck in suum Canonicum a latere; tertium dicit: Capitularis autem qui jure turni utetur sit residens et pro residente illo anno reputatur etc.; tum de novo producit reperta quaedam, numero quinque ad causam ut ait pro et contra facientia. Ex 1. evincitur scholasteriam de qua est sermo non esse dignitatem et salva debita residentia per vicescholasticum e gremio capituli administrari posse et consuevisse. Ex 2. eruitur, statutum illorum de personali residentia auctoritate

*) Vd. *p. 462. XII.*
**) Vd. *p. 199. g; 522. d.*

apostolica fuisse confirmatum. E num. 3. probatur capitulum 1589. rejecisse requisitionem Arnoldi Bucholz suae ecclesiae Canonici praetendentis se haberi pro praesente sub praetextu, quod esset de consilio secreto existentis tunc Electoris Colon. et Episcopi Leodien. Ex 4. habetur eandem eodem anno repulsam passum esse eique acquievisse suum tunc Deianum postulantem similiter sibi in absentia responderi de fructibus sub obtentu, quod esset ab Elect. Colon. nuncupatus legatus ad Caesarem in quadam causa Argentaratensi. Ex 5. demum dicitur, quendam Othonem dicti capituli quondam Praepositum redditus scholasteriae amisisse et voluisse, ut non conferretur nisi Canonico residentiam facienti. Denique in haec verba concludunt: Certum esse credimus in nostra haud positum esse potestate Comitem de Hoensbroeck a residentia liberandi ipsique de fructibus praebendae et scholasteriae respondendi. Unde conscientias nostras desuper exonerando ss. Pontificis vel s. Congregationis Concilii declarationi nos humillime subjicimus. Haec sunt Eminent. Domine quae ex transmissis mihi a capitulo authenticis extractibus percepi. Illustrissimum Comitem de Hoensbroeck ob investituram hujus principatus et multa alia negotia tam spiritualia quam temporalia a pluribus hebdomadibus in aula caesarea morantem personaliter audire non potui; vice ejus constitutus procurator haec mihi significavit: Satis constare ex praxi et ex pluribus declarationibus s. Cong. Concil. unum vel duos Canonicos Episcopo inservientes juxta privilegium ad favorem Episcoporum *in cap. de caetero de cleric. non resident.* lucrare praebendam suorum canonicatuum, Comitem unum ex his esse ut patet ex literis Episcopi Leodien. eum assumentis et formiter nuncupantis in suum a latere Canonicum continuum contra evidens juris clausi privilegium; capitulum difficultates scrupulosque insubsistentes regerere dum in qualitate supradicta ab eo postulavit sibi in absentia responderi de fructibus suae praebendae et scholasteriae: exempla repulsae DD. Arnoldi Bucholtz et Decani non esse ad rem: concedi non quodlibet servitium Episcopi praebere jus absentiae privilegiatae; Comitem non qua supremum cancellarium praefectumque consilio secreto sed qua Canonicum familiarem et a latere id postulare, necquidquam amplius efficere statuta de personali residentia esse juramento firmata, absentes quippe non debere dici sed praesentes, qui in Episcopi et ecclesiae servitio commorantur, dicta statuta juramentaque non obstitisse, quominus de fructibus praebendae et scholasteriae ipsi responderent (sicut de facto responderunt) dum pro ipsius et capituli ecclesiaeque particularibus negotiis non resedit, et obstabunt, dum de bono totius dioecesis agitur. Cum itaque legitime corpore licet absens fictione privilegioque juris revera sit praesens, jure merito audet confidere s. Cong. Conc. benigne declaraturam Comiti omnino suffragari in casu gratiam absentiae ipsique fructus praebendae et scholasteriae cum jure turni deberi vel saltem sine ullo scrupulo concedi posse a capitulo. Et haec tandem sunt Eme Dne quae utrinque apud me deducta fuere.

Attentis autem praestantissimis dignissimi viri meritis negotiis hujus dioecesis et Principatu cum maxima sui laude et publici satisfactione occupatissimi liceat mihi privatim Eminentiae vestrae reverenter supplicare, ut si fortassis (quod non reor) non foret evidens Comiti praedicta de jure deberi, in casu eidem concedatur et adjudicetur ex gratia sapientissimo s. Congregationis oraculo sic temperatis terminis, ut et suum stet Episcopo jus et illud capituli si quod est non tangatur et meritissimi viri votis pro majori hujus ecclesiae et dioecesis bono satisfiat.«

Non importunum erat, ut haec omnia haberentur sub oculis.

Pro scholastico dicitur certam esse juris regulam Canonicum, quem Episcopus sibi assumit, haberi pro praesente et residente ac lucrari fructus praebendae, *cap. De caetero 7. de cler. non. resident.*, *Loter. de re benef. lib. 3. quaest. 12. num. 190.*, *Ceccoper. Lucubr. can. lib. 2. tit. 11. num. 13.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 11. num. 12.*, *Benedict. XIV. in instit. eccles., instit. 107. num. 58.*

Eamque habere locum tametsi capitulum dissentiat, *Fagnan. in dicto cap.: De caetero num. 5. et 6.*, *Monet. de distrib. par. 2. quaest. 8.*, *Barbos. de Canon. cap. 25. num. 5.*, ac etsi ipsius capituli de residendo peculiares leges ac constitutiones adsint etiam auctoritate apostolica ac jurejurando Canonicorum firmatae, *Lauren. de for. benef. t. 1. quaest. 105.*, et sive agatur de Cathedrali

sive Collegiata, *Barbos. de Canon. cap. 25. n. 5.*

Exemplo autem a capitulo Aquisgranensi allato non mutari hanc regulam, quia casum non tangunt Canonici ab Episcopo in sui servitium assumpti, de quo apertissime canonicae leges sunt.

Nec dubitari posse civitatem Aquisgranae exstare in dioecesi Leodiensi. Pluries de hac controversia interrogatam Rotam id constantissime re plene cognita respondisse, *Leodien. seu Aquisgranen. Jurisdictionis 5. Decembris 1687. coram Ursino*, in *Leodien. Jurisdictionis 17. Junii 1699. et 15. Martii coram clar. mem. Card. Scotto et 29. Aprilis et 1. Julii 1701. coram clar. mem. Card. Priolo* et *die 11. Maji 1748. coram clar. mem. Card. Caprara.*

Quamobrem capitulum Aquisgranense et Canonicos non liberari a jurisdictione territoriali, a lege dioecesana et ab obsequio et reverentia erga Episcopum ac teneri ad bonum et utilitatem dioecesis universae convenire cum caeteris. Reliqua ex scriptis quae ex parte Ordinarii et scholastici Hoensbroeck dantur.

Capitulum nihil de novo addit. Allata autem sunt scripta nomine Canonici Aquisgranensis Henrici Cornelii, qui ultro in hanc disputationem pro liberanda ut ait sui animi religione atque anxietate concurrit. Suas animadversiones ex facto offert, nempe:

I. Ex propria Canonici Hoensbroeck confessione aperte constare scholasteriam esse veram et propriam dignitatem, onus habere aretae et personalis residentiae ac ejusdem officium per vicescholasticum administrari nec consuesse unquam nec licuisse.

II. Patronos scholasteriae duos quidem potentissimos Germaniae Principes semper ad eam nominasse qui resideret: qui ideo non residet, ut fructus ejus praebendae habeat, periculosum esse.

III. Eam ob rem nullum antea ejusmodi rei datum exemplum.

IV. In literis Innocentii IV. 12. Calend. Septembris 1250. expresse cautum esse: »Nullum ejusdem ecclesiae Aquisgranensis Canonicum ad percipiendos ullos proventus admittat, nisi divinis insistens obsequiis personaliter resideat in eadem, quibuslibet indulgentiis cuicumque personae ab apostolica Sede concessis huic contrariis nequaquam obstantibus.«

V. Munus de quo est sermo et ad quod assumitur scholasticus Hoensbroeck nihil pertinere ad utilitatem aut servitium ecclesiae Aquisgranensis, quae interim sine ulla sua utilitate debito sui Canonici defraudaretur obsequio.

VI. Imo suum scholasticum evectum ad munus cancellarii quod politicum est ac valde quaestiosum inconveniens esse, ut etiam fructus scholasteriae persequatur ac teneat.

Demum certat privilegium juris de Canonicis ab Episcopo assumendis nullo modo extendi ad Canonicos habentes dignitatem aut officium, cui aliquod designatum certum et peculiare servitii onus injunctum sit.

Celebres duo in jure canonico textus sunt de Canonicis Episcopo inservientibus, *ad tit. de cler. non resid. Alexander III.* in *cap. de cactero rescripsit:* »Statuimus ne a Canonicis, donec in servitio suo fuerint, quidquam subtrahi debeat vel aufferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur, nisi forte sint victualia quae non consueverunt absentibus exhiberi.« *Honorius* vero III. in *cap.: Ad audientiam 15. eodem tit.* haec habet: »Ad audientiam nostram pervenit, quod cum in Melden. ecclesia quaedam sit constitutio vallata juramento et auctoritate Sedis apostolicae confirmata, ut Canonici qui non resident in eadem suarum priventur fructibus praebendarum illis exceptis, quos infirmitas excusaret sive in apostolicae Sedis servitio contingeret detineri;« et infra: »Decernimus, ut duo ex Canonicis ecclesiae memoratae in tuo servitio existentes suarum fructus integre percipiant praebendarum, cum absentes dici non debeant sed praesentes, qui tecum pro tuo et ipsius ecclesiae servitio commorantur.« Ob eam certe rationem ut innuit textus et declarat *gloss. in cap.: De caetero*, quia Episcopo inserviens ipsi ecclesiae inservit.

Concilium Trid. de residentia Canonicorum clarissimas leges dixit *sess. 24. cap. 12. de reformat.*, sed de inservientibus Episcopo nullum sermonem habuit. Hinc praecedentes sanctiones non immutavisse communiter apud canonistas receptum est.

S. Congregatio in una *Fesulana 4. Junii 1633.* respondit: »Ex privilegio inserto in corpore juris Episcopum uti posse opera duorum Canonicorum sive Cathedralis sive Collegiatae eosque interim lucrari fructus praebendae, non autem distributiones quotidianas; quodsi omnes fructus ejusmodi distributionibus constent, tum percipere eos debere duas tertias illarum partes amissa tertia, qui inservientibus accrescat.« Ita pariter censuit in *Aversana 10. Martii 1635.* et in *Sypuntina Distributionum 29. Aprilis 1702.* in qua respondit: »Danda esse decreta et signanter in dicta *Fesulana* et *Aversana* etc.

Dubitatio hinc unica esse potest: an locum habeat haec regula in ecclesia ab Ordinarii jurisdictione exempta. Ponderandum ideo esset, cujus generis haec exemptio sit, quam ecclesia Aquisgranensis propugnat se habere. Videndae decisiones *Rotae in Leodien. Canonicatus 14. Maji 1642. cor. Merlino* inter impressas 891., *Leodien. Jurisdictionis 17. Junii 1699. coram Scotto* et *15. Martii coram eodem* et *diei 21. Aprilis 1701 coram Priolo.*

Ponderandum: an *exemptio* solum *passiva* sit; ideoque eadem ratio dandi privilegii concurrat, quia ejusmodi *exemptio* ab Episcopi jurisdictione non liberat*) »de visitatione, de corrigendis moribus, de disciplina, de legibus synodalibus.« S. Congregat. *Januen. 4. Julii 1722., Gnesnen. 14. Aprilis, Benedict. XIV. de synod. lib. 13. cap. 4.*

Advertendum nesciri unde Canonicus Cornelius hanc scholastici Hoensbroeck sumat confessionem, quod scholasteria sit vera et propria dignitas et quod administrari nequeat per vicescholasticum. Capitulum in sua specie facti ad s. Congregationem transmissa et officialis Leodiensis in sua relatione quae dantur supra contrarium dicunt.

Proponitur dubium:

An Comes de Hoensbroeck Canonicus et scholasticus collegiatae ecclesiae b. Mariae V. Aquisgrani in Canonicum a latere continuum assumptus ab Episcopo Leodiensi et in ejus servitio existens haberi debeat pro praesente et residente ad effectum percipiendi fructus praebendae et gaudendi jure turni in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative in omnibus.

Die 24. Aug. et 28. Sept. 1765.

Archidiaconum haberi pro praesente in choro dum assistit Episcopo tam in ecclesia s. Venantii quam in quocunque alio loco, in quo ipse Prior interveniat vel intervenire soleat unacum capitulo ecclesiae cathedr. S. R. C. die 15. Mart. 1608.

*) Vd. *p. 769. k.*

h) Examinatorum officium.

Vd. *Chorus* (absentia etc. — *Celebratio missae*, decr.: *Anagnina* p. 968. n. 25; — *Legendi officium* etc. decr.: *Arboren.* — *Munera* etc. decr.: *Gallien* §. *Inspiciendum.*) *Concursus* (examinator.)

Canonicos examinatores non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri hora commoda extra tempus, quo tenentur assistere in choro. S. R. C. 7. Mart. 1607.

i) Exilium.

Vd. p. 202. i.

Majoricen.

Christophorus Ferrer beneficiatus parochialis ecclesiae existentis in Portu nuncupato di Maone a laicis ministris exilio proscriptus eo quia detrectaverat rationem coram ipsis reddere de quibusdam ecclesiasticis redditibus, nocturno tempore ad Vicarium generalem confugit indeque Romam sese transferens exhibitis commendatitiis literis, quibus idem Vicarius generalis testatur: Christophorum Ferrer esse presbyterum ac in ss. ordinibus constitutum et a praesenti Minoricarum insula (licet coactum cum exilio a regiis ministris magna cum illius vexatione et oppressione injustisque, palliatis ac falsificatis motivis et causis, ut nobis legitime constitit et publice successit) recessisse et postulavisse ab hac s. Congregatione decerni, ut fructus*) omnes sui beneficii unacum quotidianis distributionibus sibi praemissam ob causam absenti traderentur; ejusque petitioni annuens s. Congregatio die 28. Augusti 1728 rescripsit Vicario generali: »ut veris existentibus expositis durante impedimento oratori solvi mandaret omnes fructus et quotidianas distributiones, perinde ac si esset praesens et ecclesiae inserviret.«

Verum quia huic rescripto contradictores sese praebuerunt ceteri beneficiati contendentes praefatum Christophorum a dicta parochiali ecclesia non ex laicorum ministrorum persecutione sed culpa sua abesse ideoque neque fructus neque distributiones quotidianas lucrari secundum ea, quae distinguendo tradunt *Franch.* et *Ancharan. in cap. unic. de clerico non resident. in 6.* et *Ciarlin. contr. foren. t. 3. cap. 227. fere per tot.*

*) Vd. *p. 202. i; p. 194. c.*

praefixo usque ab anno 1729. dictis beneficiatis congruo termino duorum mensium ad deducenda jura sua in s. Congregatione hodie tandem infrascriptum dubium supremo Eminentiarum VV. judicio discutiendum proponitur. Conatus Christophori non alii sunt quam ut pluribus documentis ostendat, se ab ecclesia sua coactum fuisse abscedere ob injustam dictorum ministrorum vexationem et alioquin donec sibi licitum fuit apud eam residere diligens eidem servitium praestitisse. Hoc enim praemisso, putat, sibi favere claram juris censuram, qua cavetur, Canonicum seu beneficiatum a residentia suae ecclesiae absentem vel ob inimicitias adversus eum ibi exortas aut ob Principis indignationem vel propter aliam injustam molestam lucrari fructus omnes sui canonicatus aut beneficii necnon quotidianas distributiones unacum ceteris emolumentis, dummodo antea chori ecclesiaeque servitio incumbere consueverit, ut per *textum in cap. unic. de Cleric. non residen. in 6.* tradunt *Ancharan., Prob. ad Monach. n. 2. et seq., Franch. n. 2. et 4., Monet. de distributionibus quotid. part. 2. quaest. 5. n. 49., Ciarlin. d. cap. 227., Piton. t. 1. discept. eccl. 34. n. 4. et 24.*, resolvit s. Congregatio in *Arianen 28. Aprilis 1635.*, in *Anagnina 23. Augusti 1681.*, in *Theatina Distributionum 19. Novembris 1707.*, in *Caputaquen. 18. Augusti 1731.* et novissime in *Fundana Distributionum et fructuum 3. Julii 1734.*

Nomine universitatis beneficiatorum nihil hactenus deductum est, quocirca perpensis iis quae tam in facto quam in jure summatim mox exposita sunt dignabuntur Eminentiae VV. definire:

An et a quo tempore debeantur distributiones in casu?

S. C. C. resp.:

Deberi a tempore discessus ob illatum impedimentum.

Die 14. Apr. 1736.

k) Feriae.

Vd. *Chorus* (absent. — causae excusantes: *Infirmitas*, decr.: *Illerden.*) *Chorus* (absent. — causae non excus: *Feriae.*)

l) Infirmitas.

Vd. p. 373: *Calaritana;* p. 191. a; 112. a; *Distributiones;* infra lit. *n.* decr.: *Bisachien*; *Chorus* (absentia, causae excus.: *Munera* etc.; causae non excus.: *Infirmitas.*)

Veliterna.

Juris rigore inspecto nulla sane subest legitima causa, cur ut a choro et residentia absit oratori indulgeri possit. Siquidem nec *infirmitas* subest nec *urgens corporalis necessitas* nec *ecclesiae utilitas*, quae causae ad concedendam absentiam probatae sunt a Bonifacio VIII. *in cap. unic. de cleric. non residen. in 6.* et a Concilio Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.*

Die 27. Maji 1808.

Lauretana.

Conquestus jam pridem fuit apud hanc s. C. Sebastianus Morigius beneficiatus ecclesiae cathedralis Lauretanae, quod coactus a residentia abesse causa curandae suae infirmitatis exclusus fuit qer capitulum a participatione quotidianarum distributionum ex ea justa causa sibi debitarum. Unde exoravit pro declaratione easdem distributiones sibi deberi. Informari in his requisitus Episcopus refert oratorem revera discessisse ab ea civitate de mense Junii 1706, ut suae consuleret valetudini, quam ob causam usque ad principium anni 1707 distributionum quotidianarum participem fuisse, ac si omnibus canonicis horis interfuisset, ab indeque citra capitulum renuisse oratorem ipsum ad earumdem distributionum perceptionem admittere ex causis quibusdam ab eisdem praetensis. Quapropter jam praefixo termino Canonicis ad sua jura deducenda in s. Congregatione et concordato dubio infrascripto rogantur EE. VV. ex deducendis declarare:

An debeantur distributiones quotidianae Sebastiano Morigio absenti ex causa infirmitatis in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 16. Nov. 1709.

Praten.

Innocentius Bonamici Canonicus theologus ecclesiae Pratensis veniam exorat, ut sibi infirmo liceat ab ecclesia abesse neque omnia emolumenta suae praebendae amittat. Capitulum non assentitur, imo repugnat apertissime. De ea re controversia agitur.

Bonamici extollit suam antecedentem assiduitatem, per triginta perpetuos annos, dum potuit, sua priora facta, ut diligenter omne officium munusque suum impleret. Et praeter haec se praecipue pietatis causa atque ut Episcopi imperio pareret munus Poenitentiarii sine ulla mercede viginti quinque annorum spatio exercuisse; se in septuagesimo secundo anno aetatis versari nunc; laboribus fractum jam senioque confectum versari periculoso ac desperato morbo, quod probatur ex testimonio medicorum, nec negatur ab ipsis suis sociis, qui contradicunt: cetera omnia certa esse ex patenti facto et ex ipso Episcopi testimonio, quod cuicunque contrariae assertioni est praeferendum.

Addit satis superque ea esse, ut postulata vacatio concedatur neque pars ulla, sibi aegroto plane debita, ex omnibus quos antea habuit redditibus auferatur. Hanc perpetuo fuisse s. Congregationis sententiam humanitatis quidem plenissimam, quae infirmorum miserias non adauxit iisque pro apostolica indulgentia ac benignitate opitulata est semper.

Cuncta impugnat capitulum. Primo enim ait veterem s. Congregationis usum esse, ut non aliter vacationem concedat nisi post ecclesiae servitium annorum 40 et ultra ac illud laudabiliter et assidue praestitum: certum id esse ex innumeris s. Congregationis resolutionibus quae cuique patent.

Utrumque vero existimat deesse Bonamicio et quadragenarium temporis spatium et servitium laudabile. Insignis eum praedicat fuisse negligentiae praeteritis annis Canonicum; sua munia ut impleret coactum tantummodo minaci auctoritate Episcopi; extare de ea re publica monumenta: suae indiligentiae saepissime subiisse poenas: probari id ex publicis capituli libris et ex communi Canonicorum affirmatione quae datur.

Hinc, ait, nullius illum esse indulgentiae dignum: hinc jure facere capitulum, quod contradicat, ut ecclesiae communia jura tueatur; nec certe iniquo et omnis humanitatis experti animo *sine instigatione nonnullorum, qui privatis de causis et spiritu contradicendi se opponunt*, ut re non bene cognita fatur Episcopus, cujus Vicarius generalis consanguineus Bonamici est.

Episcopus certe enixe Canonici petitionem suo testimonio adjuvat; diligentiam ac mores collaudat: »orator in aetate annorum duorum et septuaginta constitutus spatio annorum triginta et ultra Canonici theologi officio sacrae scripturae lectiones habuit, eidem ob defectum alterius Canonici idonei poenitentiarii munus demandavi, quod viginti quinque annorum spatio laudabiliter gessit et absque ullo emolumento. Inpraesens gravibus morbis afficitur iisque ferme omnibus habitualibus, a quibus inhabilis redditur: existimo parum esse curandam capituli repugnantiam ipsumque dignum censeo, ut cum eo maxima cum aequitate agatur non solum propter miserum valetudinis statum in quo reperitur, sed etiam, quia quoad ipsius valetudo permisit officium poenitentiarii gratis diligenter et laudabiliter gessit et quia semper vitam ecclesiastico dignam duxit, qua stante integritate vitae cum doctrina conjuncta aestimationem quandam obtinet etiam extra suam civitatem.«

S. Congregatio eam vacationem quae jubilatio dicitur ei indulgere est solita, qui quadraginta et ultra annos ecclesiae continuo et laudabiliter inservierit, *Aversana 20. Martii 1700., Tranen. Jubilationis 13. Januarii 1703.* et *Ripana Jubilationis 29. Novembris 1710.* et alibi.

Adeo autem necessarium hoc temporis quadragenarii spatium et laudabile servitium existimavit, ut etiam concessas antea jubilationes si prius narrata falsa comperta fuerint revocaverit, *Romana Juris canonicalis 5. Maji 1703.* relat. per *Fargn. ad singul. canon. de jurepatron. part. 2. can. 27. cas. 11. num. 23.*

Eoque casu infirmis omnia emolumenta praebendae deberi censuit ex juris canonici apertissima sanctione, *cap.: Ad audientiam de cleric. non residentibus., cap. unic. eod. tit. in 6.. Fagnan. in cap.: Licet num. 137., Monet. de distribut. part. 2. quaest. 6. num. 6., Hortad. de resident. lib. 5. resolut. 3. §. 1. num. 1., Barbos. de potest. Episcopi allegat. 53. num. 116., Gonzal. ad repul. Cancellariae gloss. 5. §. 9. num. 119.*

Videnda est *Aquilana Indulti 13. Februarii 1745.*, in qua propositis dubiis:

I. *An et quomodo Archidiacono Francisco de Carolis concedendum sit indultum, de quo agitur in casu?*

Quatenus affirmative,

II. *An et quibus emolumentis perfrui debeat in casu?*

respondit ad I: Affirmative onerata conscientia oratoris durantibus infirmitatibus, arbitrio Episcopi.

Ad II: Deberi omnia emolumenta exceptis iis quae sive ex dispositione testatorum sive

ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus et amplius.

Quaesivit autem s. Congregatio, ut de necessaria hujus vacationis concedendae conditione de laudabili et assiduo praecedenti servitio dum valetudo sinebat doceretur; in *Asculana 5. Junii 1705.* proposito dubio:

An distributiones quotidianae debeantur Canonico infirmo si alias sanus non esset solitus residere?

Responsum fuit: Negative.

Integra igitur de hac concessione disceptatio in facto est; Episcopus de Bonamicio dicit *punctationes autem omnes vel ut ajunt fallentias suas orator semper solvit. Videndum esset quae et cujus generis hae fallentiae fuerint.* Ponderandum est num solvisse negligentiae poenam sufficiat, ut diligentiae laudem aliquis mereatur.

Proponitur:

I. *An et quomodo Canonico Innocentio Bonamici concedendum sit indultum vacandi a choro?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et de quibus emolumentis participare debeat in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative durantibus infirmitatibus onerata conscientia arbitrio Episcopi.

Ad II: Deberi omnia emolumenta exceptis iis quae sive ex dispositione testatorum sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus.

Die 23. Junii 1764.

Sanctae Agathae Gothorum.

Nonnullis abhinc annis sacerdos Antonius Roberti cathedralis ecclesiae s. Agathae Gothorum Canonicus talem passus est infirmitatem, ut nervorum debilitatem, viscerum obstructionem, emaciationem aliaque incommoda adhuc experiatur, ex quibus capitis vertigines et in toto corpore tremores oriuntur. Hinc cavere debet a frigore, ab humiditate, quam suae valetudini noxiam testantur medici; et ne ingravescente in dies morbo inutilis curatio reddatur, magis exactam vivendi agendique rationem servare tenetur, cujus causa chori ecclesiaeque servitio interesse non potest. Facultatem proinde postulat abessendi a choro per triennium, quo tempore medicinalium auxilio pristinam sanitatem recuperare non desperat.

Petitioni contradicit capitulum Cathedralis, cujus oppositio causam praebet discussioni dubii in calce expositi. Non aliam capitulum adducit rationem denegandi consensum, quam consuetudinem in ecclesia vigentem, ut exemptio a choro nonnisi iis tribuatur, qui ob infirmitatem e domo egredi non possunt, idque servatum semper fuisse, ut aditus fraudibus praecluderetur. Quamvis autem pro accuratiori oppositae consuetudinis examine praefixus fuerit eidem capitulo terminus ad jura sua deducenda renuit nihilominus in lite sese immiscere, asserens, nil praeter consuetudinem contra oratoris preces opponendum et satis fore, ut de illa EE. VV. certiores fierent ab Episcopo. Quatenus autem ea non obstante exemptionem oratoris concedere existimaverint, addendam supplicant conditionem, ut si contingat ipsum e domo exire vel ad missae Sacrificium celebrandum vel ad negotia peragenda aut ad Cathedralem accedat pro lucrandis extraordinariis emolumentis omnino iis diebus choro interesse teneatur, alias quotidianas distributiones amittat.

Episcopus omnia confirmat, quae ab oratore exposita sunt, ejusque precibus assentiri posse censet dum ait: »Judicem ob oratoris morbos quibus laborabat hujusmodi exemptionem saltem ad biennium indulgere posse, quoties notissimum EE. VV. accesserit judicium, cum nullum ex hoc indulto detrimentum divini cultus ratio patiatur ob numerum quadraginta ministrorum vicissim ipsi ecclesiae actu inservientium.«

Pia mater ecclesia, quae neminem cum gravi incommodo aut periculo ad propria exequenda compellit, eos a chori et ecclesiae servitio abesse permisit, quibus adversa valetudo interesse praepediret. Sane Gregorius IX. in *cap.: Cum percussio de cleric. aegrot.* candido Episcopo Urbevetano haec scripsit: »Fraternitatem tuam hortamur, quatenus latorem praesentium ad percipienda, quae consueta sunt ab ecclesia sua, aegritudo non debeat impedire; quia si alii ejus essent exemplo deterriti forte non posset qui militaret ecclesiae inveniri, sed secundum ejus ordinem quaecumque ei, si sanus esset, poterunt ministrari, de ipsa exiguitate, quae ecclesiae potest accedere, Fraternitas tua

praebeat aegrotanti; et notat glossa ibidem: *Ac infirmus inservire intelligitur et omnia percipere debet ac si sanus esset: satis enim affligitur ipsa infirmitate.* Ex his infert *Fagnan. in comment. ad dict. cap. Cum percussio num. 11:* Canonico infirmitatis causa absenti deberi non solum fructus sed etiam distributiones quotidianas, *dummodo tamen infirmitas sit principalis causa non serviendi.* A perceptione autem distributionum arceri non debet infirmus, si ad balneas accedat aut e civitate exeat, ut salubriori aura fruatur; haec enim conferunt ad valetudinem recuperandam et ad sublevandum aegrotum ab iis quibus affligitur infirmitatibus, *Barbos. ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. n. 93., Fargn. in comment. ad sing. Can. de jurepat. part. 2. cons. 27. caus. 11. n. 21.*

Consona est praxis s. Congregationis, quae indulta abessendi ob infirmitatem denegare non consuevit, prout quotidiana docent exempla. Omnibus praetermissis unum sufficit in causa *Acernen. Distributionum quotidianarum die 11. Aprilis 1739.*, qua Philippus Ragone Canonicus collegiatae ecclesiae s. Petri Montis Corvini petiit quotidianas omnes distributiones a tempore, quo infirmitatis causa choro non interfuerat. Quaesitum tunc fuit:

An Canonico Philippo Ragone attenta ejus infirmitate debeantur distributiones quotidianae et alia emolumenta, de quibus agitur in casu?

Prodiitque responsum: »Affirmative, exceptis distributionibus et emolumentis, quae juxta voluntatem testatorum debentur tantum actu interessentibus.

Videndum in praesenti casu, an aegritudo quo laborabat orator tanta sit, ut abessendi indultum impertiri posse saudeat. Ponderanda objecta a capitulo consuetudo tribuendi quotidianas distributiones iis tantum infirmis, qui e domo egredi non possunt. Ac demum prae oculis habendae sunt conditiones a capitulo propositae in casu, quo indultum concedatur. His ergo perpensis dijudicandum erit:

An et ad quod tempus Canonico Antonio Roberti sit concedendum indultum abessendi a choro in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad annum.

Die 13. Febr. 1773.

Avenionen.

De infirmitatibus judicium a solis medicis esse ferendum veluti pluribus allegatis docent *Pellizzar. t. 1. tract. 5. cap. 8. num. 115., Bonaccin. de horis disp. 1. quaest. 6. part. 1. num. 5. et seqq., La Croix lib. 3. part. 1. num. 1225., Zacchias quaest. med. leg. lib. 2. tit. 2. quaest. 5. num. 3., Stryk Jur. dissert. vol. 5. disp. 3. cap. 3. num. 54.*; infirmitate detentos a choro excusari et quotidianas distributiones ac si praesentes essent lucrari ad definitionem *textus in cap. unico de cleric. non resid. in 6., Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. num. 362., Barbos. Collect. apostolic.* verb.: *Distributiones quotidianae num. 17. annot. ad decis. 576. part. 4. t. 3. rec. num. 125.* et ex auctoritate s. Congregationis *Fagnan. in 3. decretal. cap. Cum percussio de cleric. aegrot. num. 11. et 29.*

Cum dubitationis minime sit, quin valetudine affecti quotidianas distributiones lucrentur atque adeo, ut contrarium statutum tamquam irrationabile non valeat viribusque desit ad tradita per *Fagnan. lib. 3. decret. in cap. Licet de praebend. num. 138.*, quaestio fieri solet de infirmitatum qualitatibus, quae magis minusque a choro legitime excusant. In qua quidem quaestione medici inprimis audiendi videntur, quorum est de iis proferre judicium. Caeterum si valetudinis gratia sive medicina sumatur oporteat sive minuendus sanguis sit sive ad balnea discedendum, distributiones quotidianas deberi docuerunt *de Grassis decis. part. 2. lib. 3. cap. 15. num. 10.* et pluribus allegatis *Barbosa in Collect. apostolic. decis.* verb.: *Distributiones num. 60. et 61.*

Limitatur tamen regula, quae infirmis favet, si Canonicus aut beneficiatus residere non sit solitus. Sic post nonnullos tradit *Fagnan. in 3. decretal. cap. Licet de praebend. num. 148.* ubi rationem reddens inquit: *Quia morbus non est causa non residendi in eo qui etiam sanus non residisset*, prout ex eadem ratione similiter limitatur regula, quoties infirmitas absentem occupat, quia sicut ante aegritudinem non debebantur illi distributiones, ita nec debentur, si in eo statu morbus superaccedat. Idem *Fagnan. in d. lib. 3. decret. de cleric. aegrot. cap. Cum excussio num. 11.* et s. Congregatio *in Asculana dici 5. Junii 1706.*

Die 16. Decbr. 1786.

Illerden.

Ex antiquissimo Illerdensis Cathedralis statuto anni 1237. usu etiam recepto ab omnibus absentes Canonici, capellani, portionarii et beneficiati privantur distributionibus, in quibus potissimum exceptis Canonicis eorum redditus consistunt, infirmi etiam, dummodo non sint in civitate et quotidie choro interesse non consueverint priusquam aegrotarent. Haec sunt illius verba: Supradictae autem distributiones non distribuantur nec dentur de cetero alicui nisi in choro dictae sedis et dumtaxat in eo personaliter constitutis. Qui vero aliter de supradictis distributionibus acceperit, quam sit dictum, exceptis illis quas infirmitas aut evidens ecclesiae utilitas excusaret, rerum sic receptarum dominium non acquirat nec faciat eas suas, immo ad omnium restitutionem quas contra hujusmodi nostram constitutionem receperit teneatur. Insuper etiam de infirmis sic duximus ordinandum, ut illi solum et dumtaxat recipiant distributiones, qui antequam infirmarentur consueverant venire quotidie ad divinum officium ad dictam ecclesiam Illerden., et quod dumtaxat recipiant de illis horis, in quibus consueverant interesse tempore sanitatis. Volentes etiam, quod ad hoc quod dicti infirmi praedicta possint recipere tempore infirmitatis, habeant sese residentes in civitate Illerden. Consuetudine insuper ex testimonio punctatoris inductum est, ut neque distributiones lucrentur matutino non solemni assignatas infirmi in civitate praesentes.

Post sexcentenariam fere observantiam EE. Vestris supplicarunt hodierni capellani, portionarii et beneficiati pro indulto absentiae recreationis causa per duos anni menses a choro et civitate ac tempore etiam infirmitatis vel confirmandae valetudinis cum perceptione distributionum. Eis vero annuendum non censuit Illerdiensis Episcopus quoad bimestrem absentiam in haec verba: Indultum absentiae per duos menses ob animi recreationem quod summopere desiderant denegandum esse suadet universa pene consuetudo omnium ecclesiarum hujus ditionis, in queis beneficiati et capellani nulla gaudent exemptionis immunitate et continuam praestant assistentiam. Favet vero quoad tempus infirmitatis vel tuendae valetudinis, eo quod timendum est, ne nimis sit rigor deterreatque in futurum venturos a militia et servitio ecclesiae et afflictionem addere afflicto quis non videt, longe abesse a visceribus ac pietate ecclesiae?

Ac distinguendo inter Canonicos et beneficiatos haec habuit: »Ut separemus certa ab incertis dubium non extat quod Canonici jure et merito non fruantur distributionibus, quando recreationis causa absunt ex indulto Concilii Trid. et quod iisdem non denegentur quando male valent in civitate aut balneis egent ad salutem firmandam et reparandam; aegrotantes enim favore digni sunt et beneficiati et clerici choro inservientes multo majori et ampliori quam Canonici tam propter diuturnam assistentiam quam praestant quam propter tenuitatem redditum. Ideoque non erit abs re indulgere distributiones quotidianas omnibus infirmis et omnibus qui abfuerint valetudinis tuendae causa, modo infirmitas vera sit et realis et dum sani soliti sint residere hac praecisa lege adjecta, ut coram Ordinario comprobent salutis languorem praevio judicio medicorum eorum juramento firmato et obtineant licentiam in scriptis, ut discedant e civitate. Ita fit obviam fraudibus et auxilium reportat imbecillitas, supplentibus distributionibus tenuitatem reddituum beneficiorum et capellaniarum, qui vix exaequant sustentationem; maxime quando ob infirmitatem Sacrificium celebrare non valent.

Initio se per »nihil transeat« opposuerunt Canonici tum quia de distributionibus participant oratorum tum quia sufficientes asserebant illorum redditus. Secundum ipsos enim beneficiati officiis divinis assistendo annua percipiunt scuta romana circiter 160 praeter liberam missarum celebrationem et proventus societatum ss. Salvatoris et s. Mariae, qui lucrantur a residentibus in ecclesia cathedrali, portionarii ex mensa capitulari distributionibus aliisque proventibus scuta 208 et capellani ex distributionibus scuta 135. eorumque plerique non tenues insuper propriae capellaniae redditus. At mutato consilio petierunt et ipsi gratiam lucrandi distributiones, dum infirmitatis et valetudinis causa absunt a choro et civitate et consensum dederunt quoad hanc partem lacerationi »nihil transeat«.

Bimestris absentiae indultum urgent capellani dumtaxat, beneficiati et portionarii. Eo namque ad formam s. Concilii Trid. jam gaudent Capitulares. Antiquissima profecto obesse posset perpetui servitii consuetudo, quum in permittendis trium mensium vacationibus adjecerint Trid. Patres *sess. 24. cap. 12. de reform.*: salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. At conciliaris haec limitatio de consuetudinibus forsan intelligi debet, quae minores concedunt vacationes, non item quae nullas; namsi constitutio aut consuetudo ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa. Est enim dura residentia totius anni oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquid ad recreationem corporis et animi, ut inquit *Garz. de benefic. part. 3. cap. 2. num. 311.*, *Monet. de distribut. quotid. part. 2. quaest. 12. num. 55.* et *Benedict. XIV. quaest. can. 293. §. Haec procedunt.*

Flagitatum etiam retardare videtur indultum aliarum ecclesiarum Hispaniae consuetudo juxta votum Episcopi; nam allegari posset in exemplum. Probant tamen beneficiati in eorum summa concessas etiam fuisse a san. mem. Clemente XIV. sub annos 1771. et 1772. conciliares vacationes beneficiatis Valentiae aliisque; et recens accedit s. Congregationis rescriptum 19. Februarii elapsi anni favore Collegiatae Pultoviensis in *Plocen. Servitii chori*, licet insalubritas concurreret aëris. Neque in nostro themate de servitio timendum ecclesiae; nam plurimi in ea sunt praebendati. Major vero difficultas esset quoad distributiones, quae praesentibus tantum debentur, juxta s. Concil. Trid. in cit. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Sed advertendum rogant beneficiati omnes fere ipsorum redditus consistere in distributionibus, quae Episcopo teste profluunt ex massa burrae et anniversariorum et novissime omnia sunt disposita etc. et singulis est assignata congrua portio et quota pro qualibet hora. In his sane terminis naturam distributiones assumunt praebendarum, ut per *Extravag. Cum nonnullae la 1. quae est in ord. 11. de praeben.* tradunt *Monet. de distribut. part. 1. quaest. 3. sub num. 2.*, *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 21. num. 2.* et pro duabus saltem partibus in conciliari absentia lucrantur, *Piton. discept. eccles. 34. num. 1. tom. 1.*, *Pignatel. consult. 115. num. 43. t. 9.*

Adnotari posset, quod neque in tribus absentiae mensibus percipiunt distributiones Canonici. Una enim ex punctaturis fit massa, quae inter praesentes sequenti anno distribuitur. Si contederentur autem capellanis, beneficiatis et portionariis distributiones in bimestri, quam petunt, absentia, praejudicium inferretur Canonicis, qui illos sequenti anno ad suas admittere deberent distributiones; de ipsorum punctaturis in bimestri absentia participes fieri non possent. Et hac sane de causa consensum dederunt Canonici quoad punctaturas in casu infirmitatis tantum, quas ipsi etiam postulant.

Facultatem insuper abessendi a choro et civitate cum perceptione distributionum postulant beneficiati, capellani, portionarii simul et Canonici in casu infirmitatis et ad confirmandam valetudinem; eisque favet juris dispositio in *cap. unic. de cleric. non residen. in 6.*, confirmato per Trid. synodum *in sess. 24. cap. 12. de reform.* In eo siquidem Bonifacius VIII. post vetitas absentibus distributiones illos excipit, quos infirmitas seu justa et rationabilis corporis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas excusaret. Ex quibus verbis inferunt doctores, omnia infirmos emolumenta distributionesque lucrari ac praeceteris *Monet. de distribut. part. 2. quaest. 9. per tot.*, *Ursaya discept. ecclesiast. 16. num. 16. t. 1. part. 2.* Idque etiam si infirmitatis tempore absit a loco residentiae; nam aeque impediti sunt ad interessendum choro, si adessent, *Pignatell. consult. 115. num. 67. t. 9.*, *Ursaya cit. discept. 16. num. 23.*, *Monet. de distribut. part. 2. quaest. 6. num. 10.*

Obstat tamen capitularis constitutio, quae distributiones concedit aegrotantibus in civitate; neque de hujus aëre queruntur oratores, unde salubriori indigeant. Antiquissima etiam obstat consuetudo; nam a sexcentis fere annis conditi statuti fuerunt Illerdae Canonici et Beneficiati infirmi nec ullus hactenus ob rigidam illius dispositionem a servitio deterritus est ecclesiae.

Vestrae igitur proponitur deliberationi:

I. *An et pro quo tempore beneficiatis, capellanis et portionariis sit concedendum indultum abessendi a choro et residentia cum perceptione distributionum in casu?*

II. *An et quomodo absentes etiam a residentia causa infirmitatis percipere valeant distributiones in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative pro duobus mensibus, amissa tertia parte distributionum; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Ad II: Affirmative juxta votum Episcopi, comprehensis Canonicis.

Die 3. Mart. 1792.

Urbinaten.

Capitulum Cathedralis Urbinatensis constat ex Dignitatibus et Canonicis simulque ex VII beneficiatis, qui ex fundatione s. m. Clementis XI. corpus penitus separatum constituunt*) et nil commune nisi chori servitium cum Canonicis habent. Servitio capituli addicti sunt mansionarii stipendio conducti, qui cum sint extra gremium capituli ad nutum e servitio dimitti illudque pro arbitrio ipsi derelinquere possunt. Inter hos per annos viginti .quinque mansionariatus munus obivit praesbyter Antonius Ceccarelli, qui postea inter beneficiatos cooptatus jugiter et sedulo per alios viginti quinque annos ecclesiae inservivit. Cum morbo oculorum captus esset obtinuit jam ex indulto s. Congregationis commutationem horarum canonicarum in alias preces atque indultum celebrandi missam votivam b. M. V. etiam in festis duplicibus. Nunc vero novis oblatis precibus deprecatur indultum jubilationis post completum quinquagenarium servitium. Instantiae omnino assentiti sunt beneficiati, Dignitates vero et Canonici repugnant. Episcopus de sua sententia interrogatus haec habet: Facili controversia negotio componitur; una capituli cura est, ne jubilatio beneficiatis concedatur, nisi per quadraginta annorum spatium tamquam beneficiati servitium praestiterint. Hi econtra pretendunt servitium etiam cumulare in mansionariis praestitum. Pergravis in qua orator reperitur aetas, adversa qua laborat valetudo loco jubilationis ipsi esse possent. Benignum jubilationis indultum ad solam conscientiae tranquillitatem, quod ei dignentur concedere EE. VV. ob pessimam valetudinem, capitulum haud offendit et oratoris consulit necessitati.

Modus fateor usui parum accommodatur: verum ita indulgendi in casu alia non deest ratio. Infelix sacerdos Ceccarelli oculis tam parum valet ut a s. Congregatione canonicarum horarum in alias preces commutationem atque indultum votivam B. M. V. etiam in festis simplicibus celebrandi missam obtinuerit. Choro praeterea praesens esse potuit aliquando, non autem inserviet choro. In capituli itaque praejudicium gratia non tendit. Gratiae ipsi hac ex causa concedendae non contradicunt. Cum presbyter Ceccarelli per annos quinquaginta ecclesiae inservierit postulat jubilationem quae post expletum quadragenarium servitium beneficiatis indulgetur non quidem ex privilegio in corpore juris scripto sed ex universali consuetudine introducta, ut tradit *Benedict. XIV. de synodo dioeces. lib. III. cap. 4. §. 6. et lib. 13. cap. 4. §. 15.* et concedere passim consuevit s. Congregat. et praecipue in *Spoletana et Reatina Jubilationis 7. Augusti 1779,*) in *Montis Falisci Jubilationis 6. Decembris 1796.* Nec sibi obesse putat si Canonici jubilationi repugnent.

Nam ipsi corpus penitus distinctum a beneficiatis efficiunt adeoque cum beneficiati assentiantur nihil interesse debeat eorum dissensus. Quinimmo nullum sibi jus vindicare potest capitulum ad praestandum vel denegandum consensum jubilationis petitae ab iis, qui sunt de gremio. Nam capitulum interrogare solet s. Congregatio, ut illud de praestito vel continue et laudabili servitio testimonium perhibeat.

Ideoque si constat de injusto dissensu pluries s. Congregatio nihilominus jubilationem indulsit et praecipue in *Civitatis Plebis Jubilationis 23. Novemb. 1782.*

Verum Canonici petitae jubilationi sese opponunt ex eo quod Ceccarellius tamquam beneficiatus servitium praestiterit per annos viginti quinque tantum nec ei prodesse possit ad beneficium jubilationis consequendum, si in munere mansionariatus per alios viginti quinque annos ecclesiae servitio addictus fuerit. Etenim cum mansionarii non sint de graemio capituli profecto indultum jubilationis consequi nullo modo possunt, ut de capellano ad nutum amovibili definivit s. Congregatio in *Camerinen. Jubilationis 12. Martii 1796.*

Id quod consuetudine exceptum videtur in Metropolitana Urbinatensi. Et tandem orator non expectasset usque ad quinquagesimum annum, nisi et ipse comperiisset incongruum servitium in mansionariatu praestitum ad perficiendum juge et laudabile servitium chorale, cujus intuitu ex ecclesiae indulgentia choralibus et capitularibus Jubilationis indultum concedi solet.

*) Vd. *t. II. p. 139. n. 11*; supra *p. 450. b.*

*) Vd. *Jubilatio.*

Neque a vigenti disciplina recedi posse videtur ex eo quod orator scrupulis agitatur, dum consulentibus medicis a choro abest, quippe grandaevus, infirmus et morbo oculorum captus. Etenim ex infirmitate jubilatio omnino nunquam concedi solet. Episcopus ipse fatetur, quod modus hic parum usui accommodatur. Praeterea infirmitati oratoris consuli posset per temporaneum indultum abessendi a choro, quod durante infirmitate a jure conceditur iis, qui valetudine laborant, *cap. I. et tot. fere tit. de cler. aegrot. et in cap. I. de cler. non residen. in 6.* Infirmitas autem talis esse debet non ut omnino impediat accessum ad chorum sed ne choro interesse possit sine periculo, *Reiffenstuel. in Jus canon. lib. 3. tit. 4. §. 7. num. 193., Schmalzgruber in Jus canon. t. 1. tit. 8. §. 4. n. 86.*, et ex morbo non adeo gravi indultum abessendi a choro durante infirmitate concessit s. Congregat. in *Piscen. Indulti 22. Novembr. 1760.* Orator quidem laborat morbo oculorum ita ut commutationem horarum canonicarum et indulti celebrandi missam votivam b. M. V. impetraverit. Quamquam haec infirmitas ei impedimento non sit ut aliquando praesens in choro adsit, attamen ejus praesentia esset omnino inutilis, cum munia choralia implere non possit, ut Episcopus testatur. Quare morbus oculorum, gravis aetas et longum servitium idonea quidem causa esse videtur, cur indultum hujusmodi posset exorare. An vero in casu et quomodo concedendum sit indultum jubilationis judicabunt EE. PP. sub proposito dubio:

An et quomodo sit concedendum indultum jubilationis in casu?

S. C. resp.:

Negative, sed concedendum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine.

Die 18. Sept. 1802.

Nucerina.

Nucerinae in Umbria Cathedralis Canonicus Dominicus Antisari 1826 apostolicam Sedem adibat exponens: Laborantem se ab anno hujus aevi super decimum nono ad diem illam habitualiter hepatico morbo debuisse fere semper chorali servitio de medicorum judicio abstinere. Tresdecim porro inter Canonicos ejus Cathedralis chorali servitio praeter ipsum mancipatos; nonnullos in proposito perstitisse eum punctandi tamquam illegitime absentem et integrarum ferme distributionum jacturae subjiciendi, quamvis anno 23. capitulo universo medicorum testimonia exhibuisset morbi veritatem et necessitatem chorum omittendi probantia: atque hinc petebat legitimam chorale servitium aegritudine perseverante omittendi facultatem, plenam atque integram distributionum restitutionem*) ab iis, qui immerito sibimet vindicaverant, punctaturarum deinque a capitulari libro dealbationem.

Sacri hujus consessus ad quem de more preces remissae jussa faciens Nucerinus Antistes Nucerinae civitatis medici et chirurgi testimonia dabat, quibus illi jurisjurandi fide veritatem testabantur. Capitularis autem sententia licet ea varie se habuerit nihilominus ejusmodi se praefert, ut non inficientur Capitulares Canonicum Antisari morbo illo habituali aegrotantem aliquando a chorali servitio excusari, attamen et aliquoties posse servitium idem obire omnes consentiunt.

Porro ad distributionum restitutionem quod attinet capituli Prior ab Episcopo de sententia requisitus opinari inquit che le distribuzioni eseguite negli anni passati rimanessero ferme e nessuno fosse inquietato a restituire ciò, che ha percepito.

Quibus votum suum adjiciens laudatus Antistes inquit: Nullum de sodalibus infirmis sermonem instituunt constitutiones capitulares . .; stylus est, quod veri infirmi tantummodo ob negligentiam poenis ut ajunt punctaturis immunes sint, minime vero gaudeant distributionibus quae dividuntur inter praesentes. Nam ut animadvertit Canonicus Campana distributiones quotidianae illae solummodo adsunt quae ex massa capitulari conficiuntur, caeterae quae ex tribus legatis profluunt debent solummodo de voluntate testatoris actu interessentibus distribui adeo ut jus habeant eas percipiendi etiam mansionarii et sacerdotes qui dicuntur societatis dummodo adsint . . . Quare mei capituli sententiam sequi autumo, oraculo quod s. Congregatio protulerit ipsemet et Canonici universi acquiescimus nosque reverenter subjicimus.

Jam vero causas inter quas quilibet quovis munere chorali servitio mancipatus vel

*) Vd. *p. 212. a.*

Canonicus vel beneficiarius choro adeundo legitime queat excusari aegritudinem corporis esse recensendam docent ss. canones adeo ut qui ea detentus chorum non adierit veluti praesens habendus atque integra fructuum perceptione frui aeque debeat, *cap.: Communiter 33. dist.*, *cap.*: *Praecepta 55. dist. cap. 1. 2. 3. 4. 7. 9. ult.*, *cap.: Si quis Abbas 16. 9. 2. c. 1. de cleric. non resid. lib. 6.*, *cap. Grandi de supplenda negliy., c. Significatum 11. de praebend.* Et si vel jure civili infirmitas ab officio et munere semper excusat, *l. 2. §§. si quis in judicio ff. si quis cautum ff. col. quesitum ff. de re judicata*, eo magis excusabit jure canonico quod ab ecclesia procedit, quae viscera pientissimae matris induit filiorumque suorum calamitatibus blande consolari omni ope semper studuit.

Hinc saniores omnes ss. canonum interpretes omnes id unum sensere clericos sive Canonicos infirmos ita choro legitime abesse posse, quo tempore infirmitate vexantur, ut omnibus emolumentis potiri debeant, quibus ii fruuntur, qui chorale servitium actu obeunt: ideoque non fructus annuos seu grossos tantummodo sed et quotidianas distributiones percipere veluti ac si praesentes se choro exhiberent, *Barbosa in Collect. apost. decis.* verb.: *Distrib. quotidianas n. 17.*, *Garcias de benef. p. 3. cap. 2. num. 361.*, *Gonzalez. in lib. III. Decret. c. de cleric. aegrot. 1. c. 1.*, *Covar. lib. 3.*, *Schmalzgruber* et *Reiffenstuel. tit. de cleric. aegrot.*, *Canisius in summa juris canonici 4. tit.* ac demum *Benedictus XIV. Instit. eccles. c. VII. VIII.*, quinimmo testante hoc eodem Pontifice qui ob infirmitatem absunt a servitio chori non modo percipere debere quotidianas distributiones sui canonicatus perinde ac si statis horis interessent, verum etiam augmentum distributionum quas amittunt illi, qui Divinis non interfuerunt, sanxit s. Congregatio *die 15. Aprilis 1611.* quod ipsum confirmavit in *Viterb. 26. Augusti 1621.*, *Acernen. die 14. Martii 1739.*, *Aquilana Indulti 16. Junii 1745.*, *Tranen. Distrib. 12. Sept. 1750.*, *Cremonen. Indulti 1760.* aliisque quam plurimis: atque hanc sane regulam servari voluit etiam si in aliquo capitulo statutum vigeret distributiones quotidianas infirmis Canonicis absentibus non elargiendi, statutum idem veluti irrationabile, ecclesiae bono contrarium penitus abrogans.

Verum ut quilibet sive beneficiarius sive Canonicus infirmus hoc speciali munere perfruatur, duo praerequiruntur, ut primo de ejus aegritudine deque impedimento ex eadem dimanante legitime constet, secundo, ut pateat diligentem eumdem cum sanus esset choro se praestitisse, non enim omnis aegritudo excusat nec omnis semper, »nam si quis cum sanitate valebat interesse negligebat tunc etsi gravetur aegritudine distributiones non obtinet. Nec ita frequenter existimari oportet tamquam in choro praesentem, qui se aegrotum fatetur, sed urbem circumire potest, neque veluti praesens haberi debet, qui morbi specie domum suam diurna luce non deserit, nocturno vero tempore frequentes coetus adire non metuit.« *Benedictus XIV. Instit. eccles. 107. §§. 7. 45.*

Primum a probatae fidei medicorum juratis testimoniis potissimum eruendum, *Antonell. de distrib. quotidian. 123.* et alii quos supra citavimus, tum s. hic Ordo *Reatina 6. Martii 1667.*, *Aquilana Indulti 26. Junii 1745.*

Sufficit autem, ut is probetur morbus, qui etsi de se sit levis potest tamen per accessum ad chorum fieri gravior, *Garz. de benef. 3. p. 2. n. 363.*, *Antonell. ibid.* Hinc s. Congregatio facultatem faciebat Antonio Guiducci Cathedralis Eugubinae Canonico abessendi a choro ad vesperas et completorium eo quod asmatico morbo laboraret, qui cum iis vertentibus diurnis horis magis eum affligeret gravior accedenti ad chorum incidisset, *Eugub. Servitii chori 23. Aug. 1738.* Quid plura, etiam prudente existente timore superventurae infirmitatis quemlibet choro legitime excusandum consentiunt *Barbosa de offic. Episcop. alleg. 53. num. 169.*, *Pignatelli consult. 130. n. 15.*, *Schmalzgruber. de cleric. non resid. tit. IV. num. 36.* aliique et s. Congregatio firmat in *Casert. Indulti abessendi 16. Decembris 1797.* Demum nec ejus indolis debet esse morbus adeo ut excuset legitime, ob quem quis domi perpetuo morari debeat aut nequeat alio se conferre vel ut inclementiam aëris suae valetudini adversam de Medicorum judicio effugiat, *Monet. de distribut. p. 2. c. 2. 9. 6. num. 10.* Hinc si sanitatis causa ad balnea vel alium locum se transferat aegrotus Canonicus aut quilibet clericus chorali oneri mancipatus non erit aut secus legitime excusandus; atque ut rem undecumque cum *Benedict. XIV. Inst. eccles. c. VII. VIII.* concludamus inquiunt *Pas-*

serini ac *Panimolle* posse dari casum, quod infirmitas sinat Canonicos aliquantisper domo causa sanitatis exire et non faciat choro se praesentes exhibendi.

Jam vero in hac conditione videtur versari Canonicus Antisari. Habituali ipse morbo affectus donec egreditur causa sanitatis aliquantulum melioris comparandae, chorum accedere praetermittit tum quod nimia aëris cui Cathedralis subest elasticitas ob ejus locum in montis culmine situm et ejusdem intemperies maxime conferret ad morbum ejus agendum; atque hac de causa Sacrum faciendo quotidie ad ecclesiam s. Philippi accedit in planiori loco sitam: itinera suscepit Eugubium Urbem hauc nostram; alioque modo medicorum consilio audiens modo ut Sanctuaria celebriora inviseus coeliculas sibi faceret propitios pro obtinenda sanitate: videretur itaque a chorali servitio posse legitime excusari.

Ast diligentem se eidem servitio cum sano esset corpore non praebuit, redegerunt Capitulares. Ut autem quis legitimam excusationem tempore infirmitatis mereatur diligentiam illam necesse est, ut probet *Antonell. ib. 124.*, *Decian. t. 2. cons. 69. n. 8.*, *Monet. 2. part. 9. 5. n. 21.*, *Covar. 3. ver. cap. 13. n. 8.*, *Azor. 2. lib. 7. cap. 7. quest. 11.* aliique doctores omnes teste *Bonaccin. de hor. can. q. 5. p. 1. n. 10.*, *Rota in Hispal. Distribut. 2. Maji 1603 coram Coccino*, tum s. hic consessus, qui quoties facultatem legitimae absentiae elargitur clausulam hanc adjicit: Si ante infirmitatem fuerit solitus suae ecclesiae inservire.

Verum hoc ei per invidiam et calumniam objectum contendit orator probans allato punctaturarum libro a die captae possessionis canonicalis praebendae 19. Septembris anni 1809 ad integrum mensem Decembrem anni 1818, quo primum affici eo habituali morbo coepit, pro eo signari diligentias numer. 8337, spatio solummodo quinque annorum, (debent enim anni quatuor quibus communi deportationi obnoxius fuit in eo spatio non computari) ingens quidem diligentiarum numerus, eoque ingentior si consuetudo attendatur apud Nucerinum capitulum choro per hebdomadas inserviendi obtinens. Videant igitur EE. VV. utrum hisce existentibus dignus orator habendus sit, qui legitime excusetur.

Caeterum s. Congregatio quoties habituaIiter aegrotis absentiae indultum elargita est obligationem tamen chorum solemnioribus anni festis accedendi mandare consuevit. Cum vero duplex distributionum genus haberi possit et quotidianarum et manualium, quarum postremarum lucrum diversimode se habet juxta diversas capitulorum constitutiones et voluntates testatorum, s. Congr. in *Aquilana Indulti 13. Martii 1746*, *Hurnen. 14. Martii 1793*, hinc circa concedendam Canonico Antisari distributionum in casu quo legitima excusatione dignetur perceptionem erit distinctio attendenda, ut quotidianae quidem absque ulla exceptione concedantur, manuales vero de capituli Nucerini constitutionibus largiantur in quibus sane docente Episcopo nulla de sodalibus infirmis quoad distributionum istarum perceptionem mentio est.

Alterum est, quod orator exposcit integram scilicet distributionum non perceptarum restitutionem iis, qui sibimet eas vindicarunt irrogandam. Eam vellet omnino praetermitti ad jurgia omnia tollenda pacemque inter Capitulares firmandam Prior capituli, nihilominus habitualem Canonici Antisari morbum non inficiatur et vellet hoc inpraesentiarum constitui ut inposterum ad perceptionem earumdem distributionum admittatur Canonicus Antisari, etiam cum morbo impediente domi se debeat continere. Jam quanti facienda sit haec animadversio, si causa morbi domi se contineat, secus vero si domo egrediatur etiamsi habitualiter aeger, videbunt EE. VV. Porro si revera Canonicus Antisari aegrotavit ac ob id choro se abstinuit et legitime ab eo fuit excusandus: Canonici qui distributiones ei obvenientes lucrati sunt injuste perceperunt adeoque ad restitutionem teneantur. Tritum enim in utroque jure fructus injuste perceptos debere restitui et beneficium restitutionis ei qui laesionem est passus esse concedendum:*) quod quidem s. Congregatio tum alias tum praecipue in *Cremonen. Indulti 2. Aug. 1760.* egit, ubi Joanni Cardoni ejus Cathedralis Canonico, qui licet pedum dolore cruriumque contractione vexatus choro abfuerit per aliquod tempus ab aliis Canonicis fuerat distributionibus privatus, mandavit ut ab iis, qui eas perceperant earum restitutio integra conferretur. Videant tamen EE. VV. num forte in casu bona fide Canonici eas consumpserint et perceperint; bona enim fide posita viderentur ad restitutionem non teneri, *Felin. in cap.*: *Aposto-*

*) Vd. *p. 212. XI.*

licae 12. de except., Gutier. lib. 1. canonic. quaest. cap. 1. num. 136., Garc. de benef. 7. par. cap. 13. n. 12., Antonelli loc. cit. n. 230.

Ad tertium quod flagitat in eo ducimus non esse immorandum nempe punctaturarum e libro capitulari dealbationem prono alveo ex prioribus concessis fluit; quapropter summae EE. VV. sapientiae dirimenda subjicimus

D u b i a:

I. *An et quomodo Canonico Antisari concedendum sit indultum choralis servitii omittendi durante infirmitate in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An debeatur ei restitutio distributionum non perceptarum ab iis, qui sibi eas vindicaverunt in casu?*

III. *An dealbandae sint e libro capitulari punctaturae adversus oratorem inscriptae in casu?*

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative exceptis solemnioribus festis et iis quibus adsistentia etiam absque cantu praebetur amissis distributionibus inter praesentes, onerata strictissime oratoris conscientia super omnibus.

Ad II. et III: In casu de quo agitur non expedire.

Die 17. Febr. 1838.

Pisana.

Rescripto diei 23. Septb. 1839 infirmitatis gratia indultum obtinuerat abessendi a choro ad biennium si tamdiu infirmitas perduraverit Joseph Morosius, alter ex universitate capellanorum cathedralis*) Pisanae, ita scilicet, ut fructus ac distributiones suas facere interim posset, veluti si choro praesens interesset. Obstiterunt quidem caeteri capellani, ne Morosius indulto auctus universas distributiones lucraretur; ast rem amice composuit Archiepiscopus.

Expirato biennio redit ad s. Ordinem idem capellanus. At adstitit simul coram s. hoc Ordine universitas capellanorum contra Morosium ipsum obtestans ac exponens, eum, cum sana valetudine uteretur, haud sedulum fuisse in explendo chori servitio, petiit declarari, Morosium lucrari non posse, ubi indulto donetur, »se non quel tanto, che solea guadagnare quando interveniva al coro«, hanc esse consuetudinem allegans, quae penes capitulum et universitatem capellanorum jamdiu viget.

Ex actibus ad s. Congregationem transmissis constat capellanos beneficiatos nulla obligatione teneri choro interesse: sed quoties intersunt toties lucrari distributiones atque a negligentibus amissas nec caeteris diligentibus accrescere, sed pro lubitu Archiepiscopi in pios usus erogari ceu etiam eruitur ex *Pisana Jurisdict. et jurium 27. Julii 1839**). Modus autem quo fructuum et distributionum perceptio regitur sequens est: fructus quos lucrari capaces sunt capellani beneficiati, ex triplici fonte derivant,

1. ex praebenda valde exigua unicuique beneficio annexa;

2. ex quotidianis distributionibus jam supra enunciatis, quas lucrantur beneficiati quoties chori servitium praestant Hae distributiones pro diligentissimo assurgere possunt ad duo supra viginti mensuras (sacca) frumenti;

3. ex distributionibus inter praesentes, quae ideo fuerunt statutae ut certis quibusdam anni diebus, nocte Nativitatis Domini, vesperis quadragesimae, processionibus rogationum et Corporis Christi major numerus beneficiatorum haberetur.

Archiepiscopus ex fide jurata medici testatus est et subinde animi sui sententiam sic aperuit:

Juri et aequitati consonum esse, ut infirmis concedantur indulta abessendi a choro quamdiu perduret infirmitas ita ut nihilominus fructus beneficii et distributiones quotidianas percipiant, dubitari non potest post *cap. 1. de cleric. aegrot.* et *cap. 1. de clerico non residente in 6., Trid. synodus sess. 24. cap. 12. de reform., S. C. in Eugubina Indulti 13. Januarii 1816.*

Quaestio orta est, an distributiones hujusmodi lucrari posset omnino, qui abesse sueverit etiam cum bona valetudine uteretur. Docuit autem *Moneta de distribut. p. 2. qu. 6. n. 21.* talem durante aegritudine distributiones quotidianas nequaquam percipere »quia tunc infirmitas non est causa absentiae seu impedimentum praesentiae.« Consonat autem *Fagnanus in 3. decret. cap. Licet de praeb.*

*) Vd. *p. 672. a.*

*) Vd. *loco cit.*

n. 148. eadem innixus ratione scilicet *quia morbus non est causa non residendi in eo, qui etiam sanus non resedisset.* Consonat etiam *Thesaur. de poenis part. 2. cap. 2. cap. 3. n. 5. not. 4.* ac refert s. Congregationis resolutionem in *Reatina 5. Martii 1667.*, quae ita se habet: *Censuit oratori dandam esse resolutionem alias editam sequentis tenoris: Congregatio Concilii censuit Canonico infirmo durante ejus infirmitate quamvis choro non intersit deberi fructus omnes sui canonicatus necnon distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire: caeterum infirmitatem ipsam coram judice probandam.* Et pridem idem resolutum fuerat in *Mantuana 6. Febr. 1627* et in *Ferrarien. 12. Sept. 1648.*

Pariter cum quaesitum fuisset de distributionibus extraordinariis, quae ex voluntate testatorum et benefactorum actualem Canonicorum praesentiam omnino requirunt, an eae infirmis deberentur, resolutum est eas non deberi teste *Piton. discept. eccl. 1. num. 35., s. Cong. in Ferrarien. seu Privernen. Emolumen. 23. Dec. 1826.* §. *Dein* et in *Calaritana Onerum 17. Sept. 1831.* §. *Quod.*

Jam vero in themate probata oratoris infirmitas non impugnatur. Perpendit autem universitas capellanorum Morosium desidem choralibus officiis se praebuisse dum sanus esset, atque ideo distributionibus quotidianis privandum esse ad formam consuetudinis inibi vigentis pro modo, quo privabatur dum sanus aberat. Morosius oppositas fallentias non diffitetur; at reponit abfuisse se in ecclesiae seu dioecesis Pisanae utilitatem sive qua ludimagister sive aliquando pro causis nonnullis contra ipsum per universitatem motis peragendis: ista autem servitia etsi extra cathedralem ecclesiam prestita satis compensare tenet absentiam a choro, exemplo ducto a primaevis ecclesiae praesbyteris, qui nulli peculiari ecclesiae adstricti hac illac ab Episcopis mittebantur, prout fidelium necessitas exigeret. Videant EE. VV. num id oratori suffragetur.

Quodsi eum privandum esse duxerint distributionibus quotidianis, definiant circa modum, an servanda sit consuetudo, qua absens infirmus non universis privatur distributionibus, sed habita ratione decennii, uti est explicatum superius, seu potius universas amittere debeat juxta regulam desuper relatam.

Equidem, ut videre fuit, eo innititur regula ipsa, quod qui solitus erat abesse sanus absens etiam haberi debeat cum est infirmus: porro nulla consuetudine induci posse, ut absens lucretur distributiones (scilicet vel in toto vel in parte) pluries docuit s. hic Ordo cum Bonifacio VIII. *in cap. 1. de clerico non resid.*

Videndum vero in themate, an observantia primatialis Pisanae ecclesiae adversa sit regulae praefatae vel eam potius interpretetur, nempe absentiam pro eo tantum tempore admittendo, quo quis sanus abesse sueverat, pro reliquo praesentiam fictione jure constituendo.

Sane *in cap. 1. de clerico aegrotante lib. 3. decret.* Gregorius Pontifex expresse jussit Episcopo, ut *secundum ejus ordinem quaecumque ei si sanus esset poterant ministrari, de ipsa exiguitate quae ecclesiae potest accedere fraternitas tua praebeat aegrotanti.*

Nec praetereundum qua ratione suas facere valeat infirmus eas distributiones, quae vulgo *sedute seu mancie* nuncupantur in casu. Capitulum censet eas eamdem sequi debere regulam, quae viget pro quotidianis jam memoratis. Verum pro quaestione hac rite definienda decernendum videtur, an hae postremae distributiones inter ordinarias censeri debeant seu inter extraordinarias, nam in hoc altero casu nonnisi actu praesentibus accrescerent ex doctrinis supra relatis. Viderit EE. PP. sapientia num finis ad quem constitutae sunt prioris generis distributionibus seu potius posterioris adscribat.

Denique abs re non erit animadvertere, indulta perpetua abessendi ex causa infirmitatis concedere non solere s. Congregationem, sed cum clausula *durante infirmitate* interdum fuisse concessa, ut in *Piscien. 22. Nov. 1760., in Urbanien. 18. Septembr. 1802.*

His positis dirimenda veniunt

D u b i a:

I. *An et ad quod tempus concedenda sit prorogatio indulti capellano Joseph Morosi in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sint eidem concedendae distributiones quotidianae in casu?*

III. *An et quomodo sint eidem concedendae distributiones, quae dicuntur »sedute et mancie« in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad aliud triennium.

Ad II: Affirmative ad formam consuetudinis.

Ad III: Negative in omnibus.

Die 5. Junii et 8. Julii 1823.

Forolivien.

Sacerdos Laurentius Pettini mansionarius in cathedrali Foroliviensi ecclesia post miserandam postremi temporis calamitatem in tam gravem nervorum morbum incidit, causa praesertim truculentissimae illatae ipso spectante propeque adstante necis Archidiacono cathedralis ecclesiae ut necesse ei ceu asseritur omnino fuerit a chori servitio abstinere, quod absque praesentissimo valetudinis discrimine subire nequiret et a quo reapse medicorum consilio usus mansionariis et Capitularibus non contradicentibus plus minusve ab anno 1849 usque ad 1851 abstinuit ac integras nihilominus quotidianas distributiones percepit.

At vero volvente anno 1852 cum absentiam ipse adhuc produceret, mansionariorum collegium *) existimans non adeo gravem esse Pettini infirmitatem ut chori servitium impediret posthabitis medicorum ad id exhibitis attestationibus quoque penes episcopalem curiam mense Julio 1853 institit, sed rapuit Pettinius capituli Camerarium, ut ad denegatam solutionem cogeretur, ac propitiam sententiam tulit.

Ab hac sententia appellationem ad s. hunc Ordinem interposuit mansionariorum collegium ac post varios frustra utrimque habitos concordiae tractatus acceptis jam ab Episcopo, qui votum suum non pandit, primi judicii actis causa in hodierna Congregatione proponitur.

Collegii mansionariorum defensor contendit infirmitatem ut legitimam abessendi a choro causam constituat evidenter esse demonstrandam. Quamvis vero Pettinius trium in arte salutari peritorum, Nanni, Bufalini et Ferriani testimonia ad eam evincendam produxerit, plane ea hujusmodi non esse quae rem omnino conficiant. Nam praetermisso quod non semper et quandocumque peritorum judicium praesertim in subjecta materia admodum fallacissima excipi debeat, ut adeo integrum non sit judicium illud aliquando posthabere juxta doctrinam s. Rotae *in decis. 183. num. 4. coram Riminaldo* et ad rem in *decis. 308. num. 8. part. 6. recent.*, cujus imo prudenti arbitrio res tota permittitur, ceu docet *Moneta de distrib. quotid. part. 2. §. 6. num. 24.* et *Menoch. de arbitr. jud. lib. 2. cent. 1. cas. 60. num. 7.*, accedit, hujusmodi attestationes vel ex eo posthabendas esse quod juratae non sint, ceu opus esset, juxta ea quae docet *s. Congregatio in Anagnina Distributionum 28. Febr. 1795. §: Inter.* Nec prodesse quod informe suum testimonium in judiciali examine alter ex peritis Paulus Nanni juramento confirmaverit, cum ipsa jurata judicialis depositio ante redditum testimonium magis extet et quod in hac fatetur, medicus se ex Pettini relatione testimonium edidisse.

Eoque minus attendi posse Ferriani et Bufalini testimonia, quorum utrique Pettinius ignotus erat; primus enim Ferrariae degit, alter semel eum invisit, ceu ex ejus attestatione eruitur. Incredibile demum esse ac ridiculum quod quietum chori exercitium ac moderata recitatio tantum commovere nervos ac mentem perturbare possit, ceu ipsi asserunt.

Sed infirmitatis commentum magis magisque patere prosequitur defensor ex eo quod dum Pettinius morbum confingeret aliis incumberet ministeriis. Constat enim toto quadragesimae anni 1852 tempore eumdem nedum chori servitio sed et magistri caeremoniarum munere diligenter perfunctum fuisse et id quidem ne praestitutam singulis vicibus decem obolorum multam ei solveret qui ejus vices gessisset. Constat pariter eumdem constanter iis officiaturis interfuisse in quibus distributiones inter praesentes tantum dividuntur. Eodemque tempore munus explevit capellani carcerum, confessiones in paroecia excepit aliasque s. functiones peregit, quae quidem graviorem operam quam chori servitium requirunt.

At vero nec satis est quod de morbo constet, sed gravem esse oportet, qui nimirum cujusque rei agendae impedimento sit, ut beneficiatum a choro excuset, ceu innuit *Benedictus XIV. Inst. 107. num. 47.* Hinc

*) Vd. *p. 450. b.*

communis est doctorum sententia, talem ad hunc effectum debere esse infirmitatem, ut impediat quominus beneficiatus ad ecclesiam et ad divina officia sese conferat. Ita *Schmalzgrueber t. 3. part. 1. tit. 4. de cler. non resid. num. 86.*, *Moneta de distrib. quot. part. 2. quaest. 6. num. 22.*, *Ceccop. Lucubr. canon. t. 1. lib. 2. tit. 8. numer. 2, Scarfantonius ad Ceccoper. lib. 2. tit. 9. num. 5*, ubi exigit etiam, ut id absque vitae periculo fieri nequeat. Atqui gravem adeo concipi non posse morbum, quin ex aliquo externo signo appareat, arguit ex s. *Rota in cit. decis. recent.* Porro non ita gravem ac ab externis patentem judiciis objectam hanc nervorum infirmitatem existimari posse, ut a divinis persolvendis officiis impedimento sit; quae exercitatio imo quin noceat prodest potius hujusmodi vitio laborantibus, ceu monet *Zacchias in quaest. med. leg. lib. 7. tit. 2. quaest. 2. numer. 11.*, eamque neque impossibilem neque gravem neque demum valetudini jacturam inferre posse ea quae superius exposita sunt manifesto evincunt.

Postremo nec infirmitatis gravissimae rationem prodesse pro distributionum perceptione, si cum sanus erat beneficiatus ex negligentia a choro abesse consueverat, exploratissimi juris est. *Schmalzgrueber jus eccl. unic. t. 3. part. 1. tit. 4. de cler. non resid. num. 87.*, *Sabell. in summa* v.: *Infirmitas num. 9.*, *Ceccop. Lucubr. can. t. 1. lib. 9. numer. 7.*, *Benedictus XIV. Inst. 107. §. 8. num. 47.* pluribus ibi adductis s. Congregationis resolutionibus. Ad hujusmodi autem negligentiae notam incurrendam satis esse, ut infirmus dum incolumis erat raro ad chorum accederet, ita ut ob absentiam ultra tres menses lapsu duorum vel trium annorum qui infirmitatem praecedunt censeatur quis solitus interesse divinis ad effectum amittendi distributiones, ceu monet *Antonell. de loco leg. lib. 1. quaest. 4. num. 26.* Jam vero praetermissis annis 1850 et 1851. in quibus Pettinius (non computato spatio quo ipse ex obtenta venia abesse poterat) ad longum tempus fallentias produxit, quin pro hoc tempore infirmitatis causa excusare eum possit, quia non continua fuit ejus absentia, sed alternata cum frequentia singulis mensibus; ad tempus etiam quod attinet commentitiae infirmitati praecedens annis scilicet 1847 et 1848. aeque eum in chorali obeundo munere negligentem fuisse, exhibito fallentiarum schemate, demonstrat defensor.

Ex altera parte qui causam pro Pettinio dicit praemittit controverti in jure non posse, absentibus ex causa infirmitatis distributiones quotidianas et fructus praebendarum deberi, perinde ac si choro et divinis interessent officiis, ex *cap.*: *Cum percussio de cler. aegrot.* et *cap. unic. de cler. non resid. in 6.* Quoad rationem vero qua de infirmitate constare debeat, ubi ea sit notoria, nullam aliam requiri probationem monet cum *Ceccop. Luc. canon. lib. 2. tit. 9. num. 14*, notorietate autem deficiente standum esse medicorum judicio et attestationi, *Ceccop. loc. cit.*, *Passerin. in dict. cap. Consuetudinem num. 91.*, *Fagnan. in cap.: Licet de praebend. num. 141.*, *Bonacina de hoc canon. quaest. 6. punc. 1. num 4.* qui addit etiam, quod si medicus dubitat de morbi gravitate et an horarum recitatio vel accessus ad chorum nocere infirmo possit, hujus favore dubium esset resolvendum. Quod si res sit de morbo occulto et interno, qualis est nervinus et vertiginosus, ipsius infirmi declarationi medicorum subnixae judicio deferendum esse docet, tunc enim infirmi conscientia onerari solet, ac probat auctoritate s. Congregationis in similibus casibus, uti in *Trojana 16. Nov. 1719.* et in *Tranen. Distrib. 12. Septembris 1750.* in qua proposito dubio:

An constet de legitimo impedimento abessendi a choro ita ut debeantur distributiones quotidianae in casu?

responsum prodiit: Affirmative onerata conscientia oratoris.

Porro in themate Pettinium legitime fuisse impeditum ne choro adesset evinci tum a notorietate morbi ex notoria et lamentabili causa contracti tum ex medicorum judicio et attestatione qui chori frequentiam eidem perniciosam judicarunt, tum ex declaratione ipsius Pettinii viri religione ac pietate spectatissimi, ut adeo omne probationum genus concurrat ad suadendam veritatem morbi, quem adversarii ipsi ab anno 1849. usque ad annum 1851 agnoverunt probaruntque. Quoniam vero impedimentum ab infirmitatis duratione dimetiri oporteat, qua perseverante perdurat legitima absentiae causa, plane integrum non esse arguit adversariis eam limitare usque ad annum 1852 a cujus initio denegant distributiones, quamvis per id temporis infirmitatem perdurasse (et perdurat adhuc ita ut Pettinius de sanitate recuperanda desperans coadjutorem assumpserit)

pateat ex medicorum attestationibus juxta ea quae ad rem docet *Ursaya t. 1. part. 2. discept. 16. num. 58. et seq.*

Nullius vero momenti faciendas quae ex adverso afferuntur exceptiones quoad exercita eodem temporis intervallo alia sacerdotalia munera, quae ipsius morbi naturae haud adversari visa sunt, uti chori servitium, quaeque non ex lucri cupidine sed religionis ac pietatis causa ipse obivit, ceu testes comprobant. Ceterum monet defensor, ad effectum abessendi ac lucrandi distributiones in absentia haud illud exigi infirmitatis genus quod aegrotum lecto aut domi necessario detinent, sed satis esse quod ex chorali servitio morbi etiam levis incrementum timeatur. Ita s. Congregatio in cit. *Tranen. et Cremonen. 12. Julii 1760.* §. *ult., Reiff. lib. 3. decret. de cler. non resid.* §. *7. num. 193., Schmalzgr. t. 1. tit. 4.* §. *7. num. 86., Pignatell. consult. 115. num. 57. t. 9.*

Denique perpendit agi in casu de distributionibus in beneficiati alimoniam assignatis, quippe ex illius ecclesiae statuto; tertia tantum pars distributionum quibus constant omnes proventus loco praebendae succedit absenti cuilibet attributa; deinde quod summa distributionum quae hoc in judicio postulatur consumpta adhuc non sit, sed integra penes Capituli Camerarium maneat: quamobrem ne absque sua culpa iis Pettinius privetur justitiae et aequitatis ratio suadet, praesertim cum ipse pro damno vitando, adversarii autem pro lucro captando decertent. Quibus accedit eo majori Pettinium dignum esse indulgentia, quia de diligenti ejus praestito servitio dum sanus erat manifesto constat ab exhibito Canonicorum punctatorum testimonio.

Quibus breviter expositis latiusque recolendis in allegationibus quae circumferentur proponitur dirimendum

Dubium:

An sit confirmanda vel infirmanda sententia curiae episcopalis in casu?

S. C. resp.:

Dilata et Episcopus curet rem componi de bono et aequo.

Die 2. Aug. 1856.

Raphael Canonicus Cathedralis ecclesiae N. senio confectus et asthmatico morbo laborans, ut valetudini suae consulere posset, puriori aere sub temperato coelo ex medicorum consilio frui cogebatur. Quare supplici libello a S. C. C. petiit, ut indultum ei tribuere dignaretur abessendi a choro per sex menses rigidiores anni *quin ab onere fallentias solvendi eximeretur.*

Hisce acceptis precibus Episcopus de more rogatus est, ut audito capitulo ac medica fide transmissa referret animique sui sensum aperiret. His Episcopus diligenter faciens satis transmisit medici attestationem, quae confirmabat quod Raphael in precibus exposuerat.

Capitulum denegandum esse indultum existimavit tum propter morbi levitatem cum in comperto esset, Raphaelem e domo pro suo lubito exire sive die sive noctu nulla habita variae tempestatis ratione, tum ob anteactam negligentiam in chorali servitio, ita ut ab ejus canonicatus possessione per spatium circiter quadraginta annorum semper negligens fuerit, quod ex libris choralibus constabat.

Episcopus, his factis, praeter existentiam morbi, confirmatis prosecutus est dicens: »Rata sic habita morbi existentia juris remedia, quibus efficaciter uti et poterat et debebat capitulum penes meos Decessores, florenti adhuc aetate et valetudine Canonici supplicantis in ipsum adhibere, nunc temporis, scilicet infirmum, plusquam septuagenarium et praeter canonicalem praebendam aliis mediis ad honestam vitam traducendam destitutum, inhumanum videri posset, cum dedeceat afflictionem addere afflicto. Hinc, ne chorale servitium (quod ordinario sex dumtaxat aut septem alii Canonici ob temporum volventium circumstantias obire valent) magis magisque cum divini cultus jactura minuatur et orator suae anteactae negligentiae aliquam poenam luat, existimarem, si ita isti s. Congregationi visum fuerit, ejusdem precibus indulgendum esse, ea tamen lege, ut Episcopus possit alium licet inferioris ordinis clericum substituere, qui aequa mercede ab ipso Episcopo statuenda solvendaque a praedicto Canonico in hujus absentia chori officiaturae adsistat etc.«

Animadversum est, inter causas legitimas, ob quas quilibet chorali servitio addictus sive Canonicus sive Beneficiarius a choro adeundo excusari possit, aegritudinem corporis recenseri, ita ut, qui ea detentus chorum

non adierit veluti praesens sit habendus atque integra fructuum perceptione frui debeat, ceu, omissis ceteris, eruitur ex cap. *Ad audientiam, de cler. non resid.* et ex *cap. unic. eod. tit. in 6; ex cap. 11. de Praeben.* Ex his enim erui non solum beneficii fructus aegrotantem accipere, sed etiam distributiones, atque hac in re consonantes esse ss. canonum interpretes, *Institut. eccles. 107.* §. *8.* inter opera Benedicti XIV.

Nec secus censuisse S. C. C., quemadmodum ostenditur ex dicta *Institut. eccl. 107.*, ita ut Beneficiarius aegrotans non solum jus habeat ad quotidianas distributiones, sed etiam ad augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui Divinis non interfuerint, ceu in *Viterbien.* 26. Augusti 1621., in *Acernen.* 14. Martii 1739., in *Aquilana Indulti* 26. Junii 1745, in *Tranen. Distrib.* 12. Septemb. 1750., in *Cremonen. Indulti* 12. Julii 1760. aliisque.

Sane, ut aliquod exponam exemplum, in *Acernen. Distributionum* die 14. Martii 1739 agebatur de Canonico, qui canceroso ulcere in dextero oculo aliisque morbis ita vexabatur, ut ob ingravescentem aetatem et dictas aegritudines nequiret amplius choro interesse: hic supplicans Episcopo ut ei indulgeret abesse, ita ut, quamvis absens, canonicalem portionem, quotidianas distributiones et quidquid sibi spectaret si choro inserviret lucrari posset, Episcopi veniam obtinuerat his verbis: »Attentis narratis concedimus oratori licentiam absentiae ad se omnino curandum, cum facultate durante ejus infirmitate sive curatione propter causam supra expressam percipiendi fructus et redditus canonicales tam ex stabilibus divisis inter RR. Canonicos enunciatae Collegiatae quam indivisis et remansis penes Rmum capitulum ejusque Procuratorem, cum onere tamen satisfaciendi turno annuarum missarum et anniversariorum ad instar aliorum RR. Dignitatum et Canonicorum praesentium et residentium, expresse tamen exceptis distributionibus manualibus, anniversariis et suffragiis, funeralibus et similibus, in quibus totius fere R. capituli interventus accersitur, quia tunc lucrantur tantum praesentibus et interessentibus juxta decreta Concilii Tridentini.«

Sed idem Canonicus postea ad s. Sedem confugit petens omnes distributiones quotidianas et alia emolumenta, innixus *cap. Ad audientiam de cleric. non resid.* et *cap. unico eod. tit. in 6.* Proposito autem dubio: »An Canonico Philippo Ragone attenta ejus infirmitate debeantur distributiones quotidianae et alia emolumenta de quibus agitur in casu?« S. C. C. respondit: *Affirmative exceptis distributionibus et emolumentis, quae juxta testatorum voluntatem debentur tantum actu interessentibus.*

Similiter in Aquilana *Indulti* 16. Junii 1745. disputatis dubiis:

I. An et quomodo Archidiacono Francisco de Carolis concedendum sit Indultum de quo agitur?

II. An et quibus emolumentis perfrui debeat?

Rescriptum fuit

Ad I: *Affirmative onerata conscientia oratoris durantibus infirmitatibus, arbitrio Episcopi.*

Ad II: *Deberi omnia emolumenta exceptis iis, quae sive ex dispositione testatorum sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus et amplius.*

Item in *Cremonen. Indulti* 2. Augusti 1760 agebatur de Canonico qui pedum dolore et surarum contractione affectus non valuit continuare chori servitium: ab initio tempore absentiae non percepit quotidianas distributiones; deinde Canonici ultro eas dederunt; postea denegarunt, quod posset e domo exire, deambulare etc. Propositis denique dubiis coram S. C. C.:

I. An sit concedendum Indultum pro exemptione a servitio chori et ecclesiae in casu?

II. An debeantur Canonico Joanni Cadonici distributiones quotidianae decursae a mense Septembri 1758 in casu?

S. C. respondit

Ad I: *Affirmative durante infirmitate et onerata conscientia oratoris.*

Ad II: *Affirmative juxta votum Episcopi.* Episcopi autem votum fuerat, annuendum esse oratoris precibus, dummodo distributiones ex lege fundationis non essent reservatae tantum actu praesentibus.

Nihilominus est animadversum, de aegritudine constare debere necnon de anteacta diligentia in frequentando choro. Et ad primum quod attinet, id probari debere juratis medicorum testimoniis; nec tamen necessarium esse, ut gravitas morbi urgeat,

sed satis esse ut morbus per se levis probetur posse evadere gravem per accessum ad chorum: hinc s. Congregationem facultatem fecisse cuidam Canonico abessendi a choro ad vesperas et completorium, qui asthmatico morbo laborabat, a quo vespertinis horis magis affligebatur, in *Eugubina Servitii chori*, 23. Augusti 1738. Quinimo prudentem timorem superventurae infirmitatis a choro quemvis excusare, Barbos. *de offic. Episcop. alleg. 53. n. 169;* Pignatell. *cons. 130. n. 15;* Schmalzgr. *de cleric. non res. tit. 6. n. 35:* eamque sententiam firmare s. C. C. in *Casertana Indulti* 16. Decembris 1797.

Ad secundum quod spectat, dicebatur, non mereri percipere distributiones quotidianas eos qui bene valentes chorum neglexerint; hinc in consuetis Indultis abessendi a choro causa infirmitatis clausulam adjungi solere: *dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire:* cujus rei vetusta adesse quoque exempla, ex. gr. in causa *Mantrana* die 6. Febr. 1627. S. C. C. respondit: *Distributiones quotidianas ita demum oratori aegroto deberi, si alias ecclesiae solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiae Episcopi.* Et in *Reatina* 12. Septembris 1667 S. C. respondit: *Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus interesse minime consueverint.*

In themate autem ipsum Canonicum qui postulabat Indultum fallentias non petere, quamquam videndum superesset, an in themate idem essent fallentiae seu punctaturae, ut ajunt, atque distributiones ut in *Januen.* 8. Augusti 1862.

De modo autem ab Episcopo proposito est adnotatum, novum in jure non esse ut aliquis de gremio alium repraesentet in choro, ut in *Fulginaten.* 22. Martii 1721 aliisque et Benedictus XIV. in *cit. Instit. 107. §. 8. n. 37 et 38.*

His autem coram S. C. C. propositis die 16. Septembris 1871 reque de more diligenter discussa s. Congregatio respondit: *Pro gratia ad sex menses, ac benigne commisit Episcopo, ut ad exsecutionem hujus resolutionis pro quo etc. gratis devenire possit et valeat.*

Ex quibus colliges:

I. Capitularem infirmum ipso jure esse a chorali servitio exemptum, quin jus amittat percipiendi distributiones quotidianas et reliqua emolumenta quae percipere solent actu praesentes: iis tamen distributionibus exceptis, quibus recipiendis resisteret fundatoris vel dantis voluntas vel altera peculiaris legitima causa.

II. Constare tamen debere de infirmitate, quae sive directe interventum in choro impediat sive indirecte per necessariam aegritudinis curam, quae ex praescripto medicorum sit facienda.

III. In dubio de legitima aegritudinis causa judicem esse Episcopum, qui post juratam medicorum fidem judicare potest juxta ss. canones et rerum adjuncta, an et quomodo sit danda absentiae venia.

IV. In danda ejusmodi venia causa lucrandi distributiones considerari quoque debere, an aegrotans Capitularis satis diligens choro fuerit cum bene valeret.

V. Justitia enim non patitur, ut Capitularis aegrotans veluti praesens in choro consideretur, qui bene valens sua absentia chorum neglexerit.

VI. In themate negligentem Canonicum temporanea gratia donatum ad percipiendos tantum beneficii fructus consulto distributiones quotidianas petere omisisse.

m) Jubilatio.

Vd. *Jubilatio*; p. 482. XIV.; t. I. p. 716. VII; supra decr.: *Urbinaten* p. 998.

n) Legendi officium ex parte theologi.

Vd. p. 199 g; p. 522. d; *Praebenda theolog.*; *Chorus* (absentia — causae excus. — : *Studia, Munera*); p. 200. h.

Bisarchien.

Vicarius capitularis Bisarchien. sequentia exponit: »In hac cathedrali ecclesia nonnulla dubia excitarunt innovatio nuper inducta super officium praebendae theologalis et Canonici Theologi valetudo. A prima enim Bisarchiensis episcopatus erectione hoc tantum oneris Canonico Theologo injunctum fuit, ut theologiam scholastico dogmaticam clericis legeret ad tramites literarum apostolicarum in forma Brevis. fel. record. Clem. PP. XIV. incipien.: *Nuper*. Ab anno autem 1843. quo dicta praebenda vacavit bo. mem. Episcopus D. Fr. Seraphinus Carchero praestituit in literis edictalibus, ut quicumque per indictum concursum eamdem inposterum obtineret et scholasticam theologiam et sacrae scripturae libros legere teneretur.

Cum ob inexperientiam tum ob reverentiam suo Praelato debitam acceptavit equidem novus provisus ac utrique parti quousque potuit satisfecit. Sed salus viresque cupidum alacremque deficere paullatim coeperunt; subitis enim antea laboribus susceptique muneris obeundi urgente sedulitate in habitualem gravemque incidit stomachi infirmitatem, quam virium intellectualium praesertim postratio crebrique ac violenti adeo vertiginum motus subsequuti sunt, ut vel a Sacro conficiendo abstinere debuerit, veritus ne quando ss. Eucharistiae Sacrificium irreverentiae periculo exponeret.

Ad medelam ingravescenti morbo quaerendam doctissimos consuluit medicos, qui unanimi suffragio id unum eidem praeceperunt, ut graves quaslibet mentis curas laboresque remitteret atque tantum ageret, quae animi quietem ac tranquillitatem parere ac fovere possent. Quibus monitis parere cum aliquandiu retardavit aeger Canonicus ea quae sui muneris erant implere percupiens seviores in dies atque asperiores vertiginum motus perpessus est, eoque tandem infirmitatis processit, ut vel organi sonitum, cantum et quemvis strepitum ac rumorem (sine quibus coeteroquin peragi nequeunt ecclesiasticae functiones) sustinere amplius non posset.

Quare amplius choro interesse nequit domique se continere necesse fuit, quamquam domestico in secessu scholasticam theologiam ut antea solebat clericis tradere nunquam destiterit, eo quod parum hac officii parte gravetur, utpote quae instituendae studiosae juventuti jam pridem adsueto nihil fere negotii laborisque facessat.

Sacrae scripturae libros autem etsi nec per se legeret nec per idoneum substitutum confisus fore, ut aliquando contracto a morbo convalesceret; curavit tamen ut singulis annis per quatuor dominicas adventus suis expensis concio ad populum haberetur prout ejus consueverat Praedecessor, cui ab apostolica Sede indultum fuit, ut loco supradicti muneris has conciones haberet et fidelium confessionibus excipiendis vacaret.

In his rerum adjunctis scribens et capitulum nunquam sese tutos in conscientia putarunt nec hactenus oborta dubia eum de utraque officii parte a dicto Canonico sive per se sive per alium implenda tum de allegati morbi gravitate depellere potuerunt.

Quare ope omni ac opera semper institerunt ac hodiedum instituunt ut praeter scholasticam theologiam, quam domi tradit, sacros quoque scripturae libros legat per idoneum substitutum et cum aliis choro intersit ad horas canonicas persolvendas.

Unde quoties abfuit eum punctationibus subjecerunt perinde ac si nulla laboraret infirmitate; imo iis etiam diebus quibus docet eum tantum a choro immunem esse pronuntiant, vespere autem nullum habere titulum effugiendi punctaturas, quas quoties abfuit non effugit.

Ad vitandas contentiones forique strepitum, quae ecclesiasticos viros quam maxime dedecent his praesertim luctuosis temporibus, dictus Canonicus utut infirmus punctaturae jacturam ferre maluit, quam eas in judicio prosequi, easdem pacifice et sine strepitu petiisse contentus. Quae agendi ratio cum nedum capitulum ad humaniora consilia inflexerit, adeo excitata dubia auxit ac fovit, ut exposita superius incommoda esse commentitia traducat et affectata, etsi eadem vera et gravia experiatur ac conqueratur aegrotans, qui revera et authentica medicorum exhibuit testimonia, juramento quoque ubi necesse fuerit confirmanda, et ab indicato tempore habitualis infirmitatis nunquam et nuspiam urbem circumire et quosvis hominum coetus adire visus fuit, vix rusticatum aut deambulatum decies domo exivit, ad graviora incommoda ex medicorum consilio praecavenda.

Hinc iterum ansam arripuerunt nonnulli de populo nonnullique de capitulo ad excitanda dubia nova; si enim ajunt ipse domi docere potest domoque aliquando saltem ad deambulandum exire, cur choro interesse ecclesiaeque functionibus non posse praetexit? Quasi vero nihil intersit domesticas inter umbras docere ac inter hominum coetus rumoresque versari aut dari non possit casus, quo infirmitas permittat Canonicos aliquantisper exire domo ex causa sanitatis et non permittat adesse choro? ut ait *Passerinus apud Benedictum XIV. instit. 107. §. VIII. n. 47.*

Idem doctissimus Pontifex ac in jure canonico versatissimus, qui numero praecedenti observat: »Ecclesiam piissimam matrem morbo vexatos summa prosequi humanitate ac pietate« postquam *n. 46.* ejusdem institutionis

attulisset decretum s. Congreg. Concilii quo die 15. Aprilis anno 1511. statutum fuit »eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem . . . . percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus perinde ac si statis horis interessent; percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui Divinis non interfuerunt.« Haec sibi favere ait dictus Canonicus quoad infirmitatem. Quoad duplicem vero muneris partem sive per se sive per alium implendam scribens et capitulum inhaerentes bullae provisionis et liberae acceptationi Canonici provisi eum copulative teneri censent ad scholasticam theologiam et sacros scripturae libros statis diebus explicandos.

Provisus vero inhaerens ss. canonum sanctionibus ac universali cathedralium ecclesiarum praxi, quae alterutram dumtaxat e dictis partibus disjunctive praescribunt, putat non potuisse praelaudatum Episcopum Canonici Theologi officium ita duplicare, ac proinde satisfacere tuta tranquillaque conscientia putat sui muneris partibus si scholasticam theologiam clericis tradat; *Benedictus* enim *XIV. lib. VIII. de syn. dioec. cap. IX. num. 17.* in suis quaestionibus canonicis et moralibus, in materiis ad s. Congregationem Concilii spectantibus *quaest. 330., in adnotationibus circa dubium praebendae theologalis die 15. Junii 1811. §: Concilium* et demum *Institut. 57. n. 7.* circa finem aperte docet Canonicum Theologum suo munere perfungi sive s. scripturae libros explicet sive scholasticam theologiam afferens plurimas s. Congreg. Concilii resolutiones.

Quare ad conscientiarum pacem ac tranquillitatem sine ullo strepitu et scandalo utrinque conciliandam scribens, capitulum et Canonicus Theologus concorditer in hoc mutuo consenserunt, ut omnia Eminent. ac Reverend. Dominationibus Vestris subjicerentur, prompti omnes aequeque parati ad quidquid decisum fuerit humillime ac obsequentissime amplectendum. Hinc nonnulla proponit dubia ad folii calcem relata.

Praeter ea quae scite edisserit Vicarius capitularis haec ad singula dubia in jure adnotare non inutile erit.

Et quoad primum: Concilium Trid., plurimum commendans et ad observantiam revocare studens quae Concilia Lateranense III., IV. et V. laudabiliter constituerant quoad praebendae theologalis erectionem et Theologi munus *sess. 3. cap. 1. de reform.* ne coelestis ille ss. librorum Thesaurus quem Spiritus s. summa liberalitate hominibus tradidit neglectus jaceat, decrevit, ut in ecclesiis in quibus praebenda theologalis instituta jam erat locorum Ordinarii eos qui illam obtinerent »ad ipsius s. Scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos si idonei fuerint alioquin per substitutum« compellerent. In aliis vero ecclesiis etiam collegiatis alicujus insignis oppidi in quibus hujus praebendae institutio nondum peracta esset illam omnino institui mandavit per unionem praebendarum vel alia ratione, prout commodius fieri posset ut ipsa s. Scripturae lectio habeatur, ita tamen ut quaecumque aliae lectiones vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae propter id minime praetermittantur.«

Demum ut haec quae de praebenda theologali a Concilio Tridentino demandata fuerant executioni rectius committerentur, plura praefinivit *Benedictus XIII. in Concilio rom. 1725. tit. 1. cap. 6. et 7.* et *cap. 8.* methodum praescribens, quo s. Scripturae lectio explenda foret.

Porro dum in Concilio Trid. actum est de lectione s. Scripturae, teste *Card. Pallavicino in historia Concilii lib. 7. n. 33. ad 90.*, controversia orta est num in monachorum coenobiis lectio s. scripturae vel potius theologiae scholasticae institui deberet, res autem ita composita fuit, ut licet primario ratio haberetur ad lectionem s. scripturae nihilominus non excluderetur lectio s. theologiae. Quamobrem doctores sustinent Canonicum Theologum muneri suo satisfacere, si explicet s. scripturam vel legat theologiam scholasticam. Hanc quaestionem exornat *Benedictus XIV.* in opere *de syn. dioec. lib. 13. cap. 9. n. 17.* atque s. hujus Congregationis allatis resolutionibus probat decretum illud Trid. Concilii aeque comprehendere scripturarum ss. expositionem ac theologiae scholasticae disciplinam adeoque a Canonico Theologo non magis suo muneri satis fieri, si ss. scripturae libros explicet et declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat. Quam quidem sententiam secuta est s. Congregatio ut in *Pacen. 28. Septembris 1765. ad 1. dub.*, in *Fulginaten. 3. Julii 1784.* et in *Oppiden. 15. Martii 1820.**)

*) Vd. *Praebenda theolog.*

Ad praesentem itaque quod pertinet quaestionem duplex munus explicandi scilicet s. scripturam ac docendi theologiam scholasticam Canonico Theologo imponi fortasse non potuisse videretur, cum alterutrum implendo Theologus muneri suo satisfaciat; qua quidem in re *Giraldus part. 1. t. 2. ex lib. 5. decret. tit. 5. de Magist. sess. 784. Honorii III. decretalem* a Tridentino moderatam affirmat »quod haec declarat officium Theologi esse, ut sacerdotes et alios doceat in sacras paginas instruatque in iis praesertim, quae ad curam animarum spectare noscuntur; ex Tridentino vero illius munus est s. scripturam dumtaxat exponere et interpretari.«

Eoque minus id probandum in themate, quo ex lege fundationis ad alterum tantum ex hisce muneribus implendum tenetur Canonicus Theologus. Siquidem Concilium Trid. *sess. 25. cap. 5. de reform.* provide animadvertit et ratio postulat, ut illis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur, videlicet imponendo nova onera; et hinc quod praebendis jam erectis auctoritate ordinaria non possit ab Episcopis*) novum onus imponi saepe declaravit s. Congregatio, ceu refert *Fagnan. in cap. Significatum num. 3. et seq. de praebend.* et conveniunt *Reiff. lib. 3. decret. tit. 12. num. 12. num. 7., Scarfanton. qui lib. 4. tit. 5. de Theologo haec habet:* »Canonicus Theologus satisfacit plene menti s. Concilii docendo Theologiam scholasticam nec videtur aretari posse ad legendam aliam materiam, nisi ubi est consuetudo etc.« Nec secus *Ventriglia in praxi part. 2. art. 12. 51. num. 27:* »Satisfacit tamen Concilio nec ad aliud potest adstringi Canonicus Theologus, docendo theologiam scholasticam, ut referunt *Garzia, Barbosa* etc.«

Nihilominus animadvertere praestat nedum in nonnullis praebendae theologalis erectionibus, verum etiam et in pluribus synodis dioecesanis conjunctim praescribi consuevisse onus docendi theologiam scholasticam vel moralem et explicandi s. scripturam. Haec exempla referuntur in cit. *Pacen.* §: *Revera* et *Fulginaten.* §. *Non desunt.* Quare in Episcopi facultate censendum est, utrumque onus Theologo injungere ex hac in pluribus ecclesiis recepta disciplina, quam quidem s. Congregatio probavit in praecitatis *Farven. et Fulginaten.* ac praesertim in *Oppiden. 15. Martii 1828.*, in qua cum ex lege fundationis teneretur Theologus ad unam s. scripturae explanationem, cumque contingente praebendae vacatione Episcopus decreto suo eidem imposuisset etiam munus docendi s. theologiam scholasticam et moralem, contendente Theologo se exemptum fore a lectione s. scripturae, ex quo munus docendi assumpserat, ac in eo, contradicente Episcopo, perseverare vellet, propositum fuit dubium:

An Canonicus Theologus tenetur habere lectiones s. scripturae in casu? responsum prodiit: Affirmative.

Re enim vera nulla invenitur lex aut constitutio quae prohibeat, quominus Theologus sive ex lege fundationis sive ex statuto synodali aut Episcopi decreto sive ex consuetudine hisce muneribus cumulative subjiciatur. Ipse enim Giraldius, licet affirmet Concilium Trid. hac in re Decretalem Honorii III. moderatum fuisse, subjungit tamen *cit. loco*: »Quamvis in sensu s. Congregationis Concilii videatur, Tridentinum respexisse ad utramque facultatem, ad explicationem scilicet sacrae paginae et ad Theologiam scholasticam.« Et merito; nam sive lectio quam vi sui muneris habet Canonicus Theologus sit s. scripturae sive theologiae dogmaticae aut moralis vel alterius materiae ab Episcopo juxta exigentiam praescriptae, omni casu censetur lectio scripturalis, cum omnes praefatae materiae ad s. scripturam referantur ceu monet *Card. Petra t. 4. ad const. 2. Innoc. VI. num. 69.* et convenit s. Congregatio in *Amerina et Fossanen 22. Sept. 1668.*, in qua juxta mentem Tridentini traditur, lectionum theologalium numerum, materiam, modum, tempus, locum et horam relinquenda esse prudenti arbitrio Episcopi, ut adeo utrumque munus et legendi s. scripturam et docendi theologiam scholasticam juxta rationem ab Episcopo praefiniendam praebendae theologali ex vi institutionis indistincte inhaereat. Ceterum ne actualis Canonicus theologus ab unius vel alterius muneris adimplemento sese eximat, illud prohibere videretur, quod sub hac conditione praebendam theologalem assumpsit, accepto habuit ac per plures annos imposita onera sine querela implevit.

Quatenus itaque in hanc postremam sententiam concedant EE. VV., secundi dubii resolutioni erit provisum in primo. Nihilominus hoc etiam in casu videndum an quoad actualem Theologum Bisarchiensem ob pe-

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 4.*

culiaria adjuncta rerum aliqua provisio decernenda foret, ne nimis sive in valetudine sive in pecunia gravetur, ut puta vel a munere docendi omnino dispensatur, quamvis id minus ei detrimentum afferat, vel numero pauciores, quam quae praestitutae sunt, lectiones per substitutum, cum per se nequeat, habere debeat, ut in simili rerum eventu aequitate mota in more habet s. Congregatio.

Quod si tamen ad alterutrum dumtaxat ex praedictis muneribus Theologum obligatum esse censeant, tunc prae oculis habendum id quod, ut superius innui, docet *Card. Petra cit. loc. num. 96.* quod nimirum Episcopus juxta sui prudentiam statuere debet, quid a Canonico Theologo agendum erit; hinc si agnoverit auditores capaces et praesertim laicos in casu adigat Theologum, ut e suggestu s. scripturam explicet, sed si populus non adsit et clerus rudis fuerit melius tunc erit, si in theologia illos erudiat. Idipsum traditur in cit. *Fulginaten.* §: *Eamdem,* ubi refertur, a capitulo ecclesiae collegiatae Hispalen. quaesitum fuisse:

Num obtinens praebendam theologalem sicuti sine fructu prius s. scripturam legebat ita prosequi posset lectiones theologiae scholasticae quas explicandas susceperat?

ac die 5. Aprilis 1756 responsum prodiisse: Satisfieri decreto Concilii *sess. 5. cap. 1.* si vel s. scriptura vel theologia scholastica legatur. Ceterum ex superius recitata Concilii Trid. sanctione patet, Tridentinos Patres in praebendae theologalis institutione rationem habuisse praecipuam ad s. scripturae explanationem, quam omnino haberi jusserunt, quin tamen aliae praetermitterentur lectiones vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae, quae ideo omittendae non videntur, hisce praesertim luctuosissimis temporibus, in quibus ecclesiae hostes ss. libris ad incautos decipiendos falsasque tradendas doctrinas, in alienum sensum eos interpretantes ac detorquentes, tantopere abutuntur. Et haec plane mens perpetuo fuit s. Congregationis, ceu patet ex resolutione in cit. *Fulginaten.* aliisque in ejusdem causae folio allegatis. Cui quidem praescriptioni omnino adhaerendum post celebratissimam encyclicam s. m. Gregorii XVI. incipien.: *Inter multiplices* anni 1844., quae lectiones s. scripturae ob easdem rationes pluribus commendat atque inculcat.

Ex quibus liquet, quod etsi Theologus in casu valetudine sit impeditus ad habendas per se conciones scripturales, cum e contra munere docendi theologiam scholasticam absque incommodo personaliter fungi valeat, attamen possit ab Ordinario ab hoc altero dispensari munere et ad illud cogi per aliud implendum. Nam si Canonicus Theologus infirmus foret infirmitate sanabili non posset quidem ab Episcopo compelli ad substituendum alium, at vero si impedimentum sit diuturnum, ceu in casu, tenetur per substitutum ad lectionem s. scripturae, cum per se non valeat, ceu a s. Congregatione decisum refert *Ferraris, bibl. can.* verb.: *Canonicus, art. 9. num. 17. et seq.*

Ad tertium sat est recolere quae Concilium Trid. *sess. 5. cap. 1.* ad rem statuit: »Docentes ipsam s. scripturam dum publice in scholis docuerint . . . privilegiis omnibus de perceptione fructuum*) praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant et fruantur.« Hinc monet *Ferraris cit. loco num. 41.*: Canonico Theologo die qua legit licet choro non intersit deberi distributiones non solum pro illis horis quibus legit, ut si mane legat pro horis matutinis et missa solemni, sed etiam pro tota die.**) Imo non solum tribuendas illi esse distributiones quotidianas omnium horarum illius diei qua legerit sed etiam emolumenta quaecumque personaliter interessentibus dari solita, etiamsi choro non intersint, juxta resolutiones s. Congregationis in *Oriolen 5. Augusti 1616. et 12. Augusti 1682* et in *Fanen. 3. Augusti 1624.*

Ad quartum: Notum est ex *cap.*: *Consuetudinem de cleric. non resid. in 6.* absentes a choro causa infirmitatis percipere debere omnes distributiones sui canonicatus imo et augmentum distributionum quas amittunt illi qui Divinis non interfuerint ceu pluries decrevit s. Congregatio. Probe autem monet *Benedictus XIV. Inst. 107. §. 8. num. 47.*: » Ecclesia tamquam piissima mater aegrotantibus plurimum indulget, sed inter morbos haud recenset levissimum etiam capitis ,dolorem et quamcumque tristitiae causam, quae Canonicum et beneficiatum non impediunt, quin suis negotiis operam impendant. Quapropter requirit morbum verum haud fictum, neque levem sed gravem.« Addit

*) Vd. *p. 199. g.*
**) Vd. *p. 1018. §: Contra; p. 1020. §: Principio.*

praeterea: Neque id satis habetur si Canonici aegrotantes a choro abesse consueverint, dum incolumes erant. Tunc enim absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putantur inhaerere eidem proposito ecclesiae minime inserviendi.« Ac inferius cum Passerinio advertit: »quod posset dari casus quod infirmitas permitteret Canonicos aliquantisper ex causa sanitatis exire e domo et non permitteret adesse choro: unde in his arbitrium boni viri debet attendi.« Sed cum de infirmitate praesertim diuturna agatur, quae evidenter non appareat quaeque ab aliis exercendis officiis beneficiatum non omnino impediat, haud uni ejusdem beneficiati attestationi adhaerendum, sed infirmitas ab asserente probanda est. S. Congregatio in *Mantuana 6. Febr. 1657.* infirmitatis justificationem reliquit conscientiae Episcopi. Pariter in *Reatina 3. Martii 1667.* infirmitatem ipsam coram judice probandam edicit. Ex hodierna autem praxi exigi solent juratae medicorum attestationes, quibus omnino acquiescendum. Quae quidem juris dispositiones quomodo postremo huic dubio aplicandae sint, judicabunt EE. PP. iis probe perpensis quae in sua relatione Vicarius capitularis exponit.

Interim dantur

D u b i a:

I. *An Canonicus Theologus teneatur cumulative tam ad explicandam s. scripturam quam ad docendam theologiam scholasticam in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An idem Canonicus Theologus cogi possit ab Ordinario ad legendum per alios s. scripturam, cum dispensando a munere docendi scholasticam theologiam, cui potest satisfacere per seipsum in casu?*

III. *An diebus quibus docuit et docet sit immunis a choro pro tota die ad effectum lucrandi quotidianas distributiones in casu?*

IV. *An ejusdem Canonici depositio et medicorum attestationes satis sint ut ipse pro infirmo habeatur in casu?*

S. Congreg. resp.

Ad I: In casu de quo agitur affirmative.

Ad II: Attentis peculiaribus circumstantiis non esse cogendum ad legendam per alios s. scripturam.

Ad III: Affirmative.

Ad IV: Affirmative dummodo attestationes medicorum sint juramento munitae et onerata ejusdem Canonici conscientia.

Die 26. Sept. 1857.

Sedunen.

Prae ceteris est in Sedunensi capitulo praebenda theologalis annui redditus Ludovicorum quadraginta aureorum eaque conferri consuevit Canonico extra Dignitates seniori. Simplicem autem theologi nomenclaturam hactenus habuit praebendatus nec unquam docuit theologiam, eo quod se juvenes ad exteras universitates hujusce studii causa conferebant. At alibi nonnullis abhinc annis corrupta doctrina erecta tandem fuit Seduni s. theologiae cathedra et sufficienter per alios tres Canonicos parvo contentos stipendo suppletur Canonici theologi defectus. Qua de re in novissima ss. Liminum visitatione postulavit Sedunensis Praesul, ut ex Canonicis lectoribus saltem uni secundum discretionem Episcopi concedi possit privilegium circa praesentiam in choro, quod alias de jure convenit Canonico theologo quando docet, vel potius juxta votum capituli ut singulis tribus lectoribus seu possessoribus s. theologiae privilegium unius saltem mensis in anno propter lectionem circa praesentiam in choro concedatur. Postulavit rursus an proxima vice vacatura theologalis, cujus fundationis redditus 40 Ludovicos aureos excedunt, potius ab aliquo lectore, qui etiam sit Canonicus, quam a seniore debeat adoptari vel conferri ab Episcopo uni ex Canonicis theologiae ac ss. canonum professoribus.

Quoad primum postulatum cogi quidem posset ad suum adimplendum munus, qui praebendam modo obtinet theologalem, non per se, quum testimonio Episcopi non sit idoneus, sed per alium ab ipso Episcopo eligendum, congruo ex fructibus ejusdem praebendae assignato stipendio. Ita *s. Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. de reformat.* et *Fagnan. in lib. 5. Decretal. cap. 4. de Magist. num. 35.* Sed cum fortasse excusat longa consuetudo ex qua praebendam obtinuit absque onere docendi theologiam et in hoc casu fieri potuit locus electioni alterius Canonici theologi, qui sua contentus praebenda illius vices suppleret.

Posita autem hujusce electionis necessitate tribui posse videretur lectori privi-

legium absentiae a choro et perceptionis fructuum praebendae canonicalis tempore lectionis ex dispositione juris communis in *cap. V. de magistr.* et *s. Concil. Trid. cit. cap. I. sess. 5. in fin. de reform.*, ibi: Docentes s. scripturam privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant et fruantur«, amissis nempe distributionibus vel tertia parte reddituum si omnes in distributionibus consistant, *Fagnan. in cap. 5. de Magistr. num. 2. et 3.*

At quaestio est num frui debeat privilegio perceptionis fructuum,*) qui ut lector Sedunensis Cathedralis stipendii nomine theologalem non habet praebendam. Affirmativam cum pluribus aliis tuetur *Fagnan. in cap. 5. de Magistr. num. 7. et 8*:

I. Quia ratio ob quam a jure concessum est lectoribus privilegium percipiendi fructus beneficii in absentia est, quia promovent utilitatem nedum ecclesiae particularis sed etiam universalis, quae quoad sui regimen jurisliteratis indiget.

II. Quia lectoribus non mandant canones assignari stipendium, sed praeberi competens aliquod beneficium.

Haec procederent, si ad praescriptum Concilii Trid. unus Canonico Theologo substitutus fuisset lector. Verum supponit in primo postulato Episcopus Theologos tres, dum concedi posse censet privilegium ex Canonicis lectoribus saltem uni, capitulum vero singulis tribus lectoribus per unum anni mensem. Quae sit trium lectorum necessitas ignoratur, eaque opinari valet, ut unus alterum adjuvet impeditum. Eorum sane numerus non adversatur fortasse Trid. synodo, quae unam in Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis insignibus praescribit theologalem praebendam sed plures non prohibet lectores. Et si ita EE. Vestrae censeant deliberare etiam dignentur de modo concedendi privilegium.

Si juxta primum Episcopi postulatum concedatur ex Canonicis lectoribus saltem uni, reliquos duos privilegium offenderet. Si vero juxta votum capituli, singulis tribus lectoribus privilegii triplicatio non parum minueret servitium chori. Quamquam animadverti posset, tres privilegii menses pro tribus lectoribus haud forsan aequare tempus quo unus lector docere debet theologiam per integrum annum.

Quantum vero ad II. postulatum perantiqua est consuetudo cooptandi ad praebendam theologalem Canonicum extra Dignitates seniorem proindeque cum ea praebenda vacaverit facile commutandum non erit, quod temporis vetustas confirmavit, *per text. in leg. In rebus ff. de constit.*, *Fagnan. in lib. I. Decretal. cap.: Consuetudines, de consuetud. numer. 14.* Non agitur contra de re indifferenti quae consuetudinem admittat, sed de praebenda, quae illi omnino conferri debet, qui idoneus est ad docendum per se ipsum theologiam. Ceteris paribus ergo praelationem ex consuetudine meretur Canonicus senior non item si non sit idoneus; nam in hoc casu negligenda videretur consuetudo tamquam abusus et corruptela et sub poena nullitatis eligi nequit senior, ut aperte disponit *s. Concilium loco cit.* in haec verba: »Praebenda, praestimonium aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quae per se ipsos id munus exhibere possint, conferentur et aliter facta provisio nulla sit et invalida.«

Hoc ipsum statuit san. mem. *Benedictus XIII. in constitutione »Pastoralis«* quae est in appendice Concilii rom. verbis illis: »Quotiescumque hujusmodi praebenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere et examini sese subjicere voluerint et illi, qui in ejusmodi concursu probatus magisque idoneus*) renunciatus fuerit, praebenda conferatur. Quodsi Episcopus primo vacaturam praebendam contra formam in praesenti constitutione praescriptam conferre praesumpserit illius collatio ipso jure nulla et irrita nulliusque prorsus valoris vel momenti sit.« Et *rom. quoque Concilium tit. I. cap. 6.* Directa quidem fuit Benedictina constitutio ad Episcopos dumtaxat Italiae: et Concilium rom., cui se non subscripsit Sedunensis Episcopus, ad illius dioecesim extendi forsan nequit sed utriusque sanctiones utpote consentaneae Concilio Trid. universalem constituere videntur legem.

Quaeritur ergo:

I. *An et quomodo lectori vel lectoribus theologiae sit concedendum privilegium abessendi a choro et percipiendi fructus praebendae canonicalis in casu?*

*) Vd. *p. 199. g.*

*) Vd. *t. II. p. 411. q.*

II. *An et cui vacatura praebenda theologalis sit conferenda in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative hoc uno lectore ab Episcopo eligendo, qui vacet a choro in diebus, quibus legit, perceptis etiam distributionibus quotidianis.

Ad II: Affirmative ad formam s. Concil. Trid.

Die 24. Jan. 1801.

Sarsinaten.

Praebendam theologalem instituerat in cathedrali ecclesia Sarsinatensi sub 1649. c. m. Episcopus Riglimius assignatis fundis cum redditu medio ducatorum circiter vigintiquinque *cum onere etiam et obligatione Canonico pro tempore existenti, quod ipse teneatur residere et alia onera et obligationes adnexas dicto canonicatui et praebendae theologali adimplere juxta formam s. Concilii Trid.* Ast cum mox secuta vacatione praebendae ob mortem prioris nominati idem Episcopus ut ait »*Nullum sacerdotem vel clericum s. theologiae Magistrum vel licentiatum et quoad probitatem et prudentiam ad praefatam theologalem idoneum invenerit, cum nullus in civitate vel dioecesi Sarsinae scholasticus Theologus reperiatur atque exteri hujusmodi onus recusent ob reddituum tenuitatem et servitium quotidianum assistendi choro*«, alio decreto edito 1655 *cogitavit necessarium et opportunum esse futurum Theologum eligendum a dicto onere servitii quotidiani ad beneplacitum suum ejusque successorum liberare donec dicti fructus ad summam congruentem reducantur*; adjuncta tamen interim hac obligatione, *quod diebus ferialibus theologus pro tempore teneatur et obligatus sit docere theologiam moralem hora competenti in seminario.*«

Post haec theologalis praebenda ita usque ad 1806 collata est, ut modo injuncta reperiantur ipsius rectori omnia et singula onera ad formam fundationis, modo onus servitii choralis tantum festivi cum obligatione docendi vel s. scripturam vel moralem theologiam. Tandem sub praefato anno suppressum extitit capitulum et ipsa praebenda. His autem restitutis sub anno 1819, pace reddita ecclesiae factum est, ut redditus praebendae theologalis pares effecti fuerint ceteris praebendis, in scutatis nempe 100, quibus nuper accessit ex donatione Canonici Gentili domus cum adnexo horto, cujus fructus in scutatis annuis fere 15 computatur. Rebus ita se habentibus collata est theologalis praebenda sub anno 1826 praesbytero Tobiae Masacci, cum expressa obligatione chori quotidiani et aliis quoad formam Tridentini: quibus ille obligationibus rite satisfecit. Nuper vero altera facta vacatione Episcopus nominavit ad id muneris presbyterum Aloysium Crescioli et decretum edidit quod utpote fundationis legi adversum et ecclesiae servitium minuens necnon diligentibus praemium revocari postulant a s. hoc Ordine Sarsinatenses Capitulares.

Rationum momenta hinc inde ab Episcopo et capitulo deducta paucis comprehenduntur. Fulcrum est Antistiti commune jus ex dispositione Trid. synodi resultans *sess. 25. cap. 1. de ref.*, ubi cum promiscue sermo sit de lectione s. scripturae et de lectione theologiae, s. Congregatio censuit quod obtinens praebendam theologalem suo muneri satisfaciat sive s. scripturam interpretetur sive legat theologiam scholasticam, uti post *Fagnanum*, *Pirhing.* aliosque refert *Bened. XIV. in adnot. secret. circa dubium praebendae theologalis in thesaur. resolut. s. C. diei 5. Junii 1723.* §: *Concilium.**) Quum porro lectioni theologiae scholasticae fuerit subrogata lectio casuum conscientiae sive theologiae moralis, hinc factum ut Canonicus eos explicaverit, ut refert idem *Bened. XIV. loc. cit.* §: *Si onus et seqq. Atque id nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum fuisse* adnotat idem *Pontifex de synodo dioeces. lib. 13. cap. 9.* §. *17.* Et sane s. Ordinem »*ejus rei doctrinam temporibus, locis ac rerum circumstantiis accommodasse* aperte tradit folium diei 24. Augusti 1765 in una *Pacen.* adductis pluribus ad rem resolutionibus, quas juvabit perlegere. In ipsa autem causa, qua agebatur de obligatione tradendi theologiam moralem Canonico Theologo imposita ab ipso limine fundationis semperque observata, propositum est dubium:

An Canonicus Theologus cogi possit pro arbitrio Episcopi etiam per mulctas loco s. scripturae legere casus conscientiae seu theologiam moralem in casu?

responsum fuit: *Affirmative.*

Neque huic juris communis dispositioni opponi aestimabat idem Episcopus decretum

*) Vd. *Praebenda theolog.* (habilitatio.)

erectionis a c. m. Riglimio editum, imo ad ejusdem mentem decernere se declarabat dum suum ederet nuperum decretum.

Demum difficultatem evadendo, quae ex adverso afferebatur, potuisse eum canonicas praetermittere institutiones ac pro moralis theologiae lectione stipendium Theologo suppeditare ita ei choralis servitii pensum integrum relinquendo.

Caeterum seminarii fortunas attritas valde lamentatur proindeque in ea se esse durissima conditione, ut difficilime invenire valeat hominem qui tenui stipendio contentus »velit se sepelire in cacumine brevissimo scopuli deserti, horroribus undequaque circumfusi.« Episcopo accedit Canonicus ipse Theologus, qui animadvertit, si quis est episcopali decreto gravatus, ipsum esse, cui loco lectionum quadraginta s. scripturae quotidianum scholae exercitium tributum est. Hinc justitia exigi clamat, ut si a choro dispensatur Canonicus legens scripturam dispensetur et ipse edocens morales casus majori labore et incommodo: distributiones interim quotidianas non amittendo.

Capitulum at vero contraria disserit. De jure ait nunquam expresse resolutum per modum regulae idem esse si Theologus s. scripturam vel theologiam moralem legat, hoc autem alterum laudatum dumtaxat fuisse a Benedicto XIV. quando scilicet justae urgentesque exigerent causae; ast eas adesse negat in themate. Dum enim ex una parte theologi lectionem si demas, neglectus jaceret Sarsinae coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus s. summa liberalitate hominibus tradidit, contra Tridentini monitum ac finem institutionis theologalis; ex altera lectio theologiae moralis optime procurari posset ex redditibus seminarii hodie sane florentibus. Ex fide oeconomi administratoris, cui subscribunt etiam universi seminario deputati, constat ejusdem redditus annuos ascendere inpraesens ad scut. nummos 566:75, expensas autem (comprehenso emolumento magistris aliisque inservientibus assignato) ad sc. 207. adeoque superesse summam sc. 359.75. Ceterum symbolam, quam in scut. 33 persolvunt convictores dioecesani, in scut. 36 extradioecesani, satis suppeditare opportuna ad victum nedum alumnorum sed aliorum etiam, qui eidem seminario pro diversitate officii addicti sunt. Quodsi media seminario deficerent, satis consuli potuisse urget huic defectui, canonicis institutionibus posthabitis, de quibus ne mentio quidem in seminarii statutis, assignatoque moralis professori stipendio, quod professori ss. canonum tribuitur; ac firma ceteroquin Theologo s. literarum lectione.

Opponi episcopale decretum legi etiam fundationis sustinet capitulum. Voluit enim Riglimius institutor per modum regulae ut Theologus s. scripturam legeret ad formam Tridentini et quotidianum choro servitium prout ceteri Canonici praestaret, cui regulae mox derogavit per modum exceptionis attenta tantum tenuitate praebendae, donec illius redditus augeretur. Atque redditus hujusmodi inpraesens adaucti valde sunt, ut patet ex enarratis: cessat itaque exceptionis ratio, adeoque exceptio ipsa. Atque hoc profecto declaravit facto suo decessor Episcopus, quum anno 1826 praebendam ipsam restituens eam contulit cum onere quotidiani choralis servitii ad formam fundationis. Scitum est fundationis leges ita esse observandas, ut nulla contra eas nec immemorabilis consuetudo nec lex attendatur, nisi a suprema potestate processerit.

Ceterum strictius procedendum esse in casu perpenditur a capitulo, quatenus controversa a chorali officio dispensatio et in servitii divini inminutionem vergit privatque diligentiores in choro eo praemio ac illicio, quod prae oculis maxime habuit Trid. synodus in quotidianarum distributionum ordinatione.

Simili de re mihi alias occasio fuit disserendi coram EE. VV. in una *Piscien. Indulti 23. Martii 1839.* cum Canonicus Anzilotti in Cathedrali Pisciensi Theologus decretum retulisset ab Episcopo de consensu capituli, quo confirmari illud s. Ordinis auctoritate postulabat. Animadverti autem ex una parte de theologia dogmatica et scholastica pluries resolutum fuisse eam legitime stare posse loco lectionum s. scripturae, ita ut Canonicus Theologus alterutrum tradendo muneri suo satisfaciat; certum porro esse, Theologum diebus, quibus legit, praesentem in choro haberi ac quotidianas distributiones percipere: adeoque justum videri, ut etiam docens iisdem privilegiis perfruatur eo potius, quod ita majus sibi incommodum assumit. Ex altero adnotavi docentes generatim distributiones amittere et in specie super theologo in scholis docente adversam sententiam relatam a *Moneta de distrib. quotid.*

part. 2. quaest. 11. n. 72., quia *praedicta sess. 5. cap. 1. Tridentinae* et *cap. fin. de magistris* aequiparantur quoad fructuum et proventuum beneficiorum perceptionem docentes ac studentes in sacra pagina. EE. autem Patres attentis tantum peculiaribus circumstantiis praesertim miserrima seminarii conditione propositum dubium:

An et quomodo confirmandum sit decretum ab Episcopo Rossi latum super perceptione distributionum in casu?

dimittendum censuerunt responso: *In casu de quo agitur affirmative exceptis distributionibus inter praesentes tantum dividendis usque ad electionem novi Episcopi.*

Dirimendum erit

D u b i u m:

An et quomodo substineatur decretum Sarsinatensis Episcopi in casu?

S. C. resp.: Dilata.

Die 9. Sept. 1843.

Perusina.

Modernus Perusinae cathedralis ecclesiae Canonicus Theologus Hannibal Brutti quamvis sciat sese gaudere privilegio choro non interessendi ea die qua ad populum lectionem habet scripturalem, cum tamen variae hac super re identidem moveantur quaestiones ex parte capituli, quae ad cohibendum hujusmodi privilegium tendunt, censuit e re sua ad praecavenda jurgia et ut tutior esse possit quoad usum ejusdem privilegii s. Ordini definienda proponi dubia, quae ad calcem prostant.

Supplicem libellum de more remisi Emo Episcopo pro informatione et voto audito capitulo et ut transmissa particula statutorum capitularium ad rem facienti referret super observantia et numero lectionum infra annum habendarum. Capitulares interrogare haud omisit Emus Episcopus ipsorumque in scriptis factam relationem quam veritati consonam testatur transmisit proprioque praetermisso voto rem totam EE. PP. sapientiae et aequitati definiendam reliquit.

Quaedam ad singula dubia adnotanda pro munere veniunt. Et ad primum quod spectat negativam responsionem suadere videtur in casu consuetudo ab immemorabili vigens, cujus testes sunt in sua relatione Capitulares haud refragante ipsomet Canonico Brutti. Talem enim consuetudinem vim legis habere nemo nescit, praesertim cum versetur circa actus ad divinum cultum tendentes, qui etiamsi in principio facultativi fuerint transeunt ex longa consuetudine in obligationem et necessitatem inducunt, s. Congr. in *Urbanien. Anniversarii 24. Januarii 1795.* §: *Quasi profecto post Abb. in cap.: Suam nobis num. 8. de Simonia.* Hoc autem principium eo vel magis in themate vim suam exerere videtur, quod privilegium distributiones etiam quotidianas lucrandi ea die qua legit, etiamsi choro non intersit, Theologo Canonico non est jure communi impertitum, *Card. Petra ad const. 2. Innoc. VI. n. 53. t. 4.*, sed primum ex Gregorii XIII. oraculo petentibus concessum, dein vero ex iteratis singularibus indultis in generalem disciplinam paulatim redactum. Unde longa Theologorum Perusinae Cathedralis observantia, capitulari statuto, saltem implicite, roborata, privilegium istud ad jus commune revocasse censenda est, ideoque nedum infirmanda sed probanda potius et confirmanda videretur.

Praeterea juri suo vel privilegio pro se introducto quemlibet renunciare posse notum est, *cap.: Si terra 6. de privil.* Quam renunciationem non solum hodierni Theologi antecessorem sed et ipsum per contrariam quindecim annorum observantiam peregisse non immerito forsan videtur. Accedit quod non semel s. Congregatio similes admittere visa est consuetudines particularesve constitutiones ex quibus quotidianas distributiones non lucrarentur absentes a choro qui ceteroquin, jure communi inspecto, iis gaudere potuissent. Ita de Canonico infirmo resolutum habetur in *Nullius Distrib. 2. Dec. 1666. ap. Bened. XIV. Instit. 107. num. 46.* illum non lucrari distributiones quotidianas si consuetudo contraria sit legitime praescripta. Item in *Reatina Distrib. 19. Aprilis 1692.* rescriptum est deberi quidem Canonico jubilato lucrum ex fallentiis accrescens, sed dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae. Eamdemque disciplinam tenuit in *Veliternen. 25. Nov. 1857.* inter supplices libellos, dum nihili habuit oratoris preces, qui cum lucro quod ex aliorum fallentiis, infirmitatis ipsius tempore, praesentibus accreverant privatus fuisset, contra hujusmodi capituli sanctionem suam proposuerat quaerelam, illi siquidem adversabatur immemorabilis consuetudo, ex qua jam ipse commodum retulerat.

Contra vero non desunt rationum momenta quibus pro Theologo responsum edi posset. Inprimis enim certum est et tradit *Card. Petra loc. cit. num. 54.* quod a temporibus Gregorii XIII. theologus non solum pro eo tempore et hora in quibus legit sed pro tota die distributiones quotidianas lucratur etiamsi choro non inservierit et rationem affert Emus scriptor, quia secus vere frustratorium fuisset privilegium cum lectio fieri non debeat horis divinorum officiorum et ulterius impracticabile foret, ut utrique oneri succumberet, uti semel et iterum s. C. resolvit et praecise in *Tropien. 9. Maji 1517.* et in *Mediolanen. 29. Aprilis 1593.* et omnes consentiunt DD. Re quidem vera *Nicolius Lucubr. canon. lib. tit. 5. num. 4.* et *Pignatell. t. 3. consult. 62. num. 38.* a s. Congregatione Episcoporum et Reg. decisum referunt, quod si Theologus legat de mane habetur pro interessente in choro quoad officium quod dicitur ante meridiem, si de sero, pro officio vespertino; sed incontinenti subjungit uterque »vel ad summum pro tota die qua ex officio legit, sicut et pro tota die qua ex obligatione concionem habet.« *)

Hujusmodi autem privilegium non tam in ipsius Theologi gratiam introductum fuisse censendum est quam in favorem officii seu pro bono publico, nempe ad allicieudos theologos ut muneri suo praestantissimo, quod animi praeparationem et studium exigit, vigilantius incumbant, ut ait *Pax Jordan. Elucubr. divers. t. 2. lib. 7. tit. 3. n. 57.*, majorique cum audientium fructu satisfaciant. Quod autem quis juri suo renunciare possit, dumtaxat procedit quando jus seu privilegium cuipiam competens est dumtaxat personale, idest in merum favorem privatorum singularium concessum, non vero si quid ut in themate pro bono publico sit concessum, **) *Reiffenst. lib. 2. decret. tit. 2. n. 243.* Quamvis igitur quisque Theologus uti possit vel non pro lubitu et circumstantiis privilegio sibi concesso, huic tamen certe pro successoribus renunciare nequit; imo nec se ipsum potest jure hujusmodi privilegio fruendi in perpetuum exuere, cum nonnullis in rerum adjunctis renunciatio haec in publicum detrimentum vergere posset. Hinc itidem ruit quod de actibus etiam facultativis ex longa consuetudine in obligationem transeuntibus superius adnotatum est. Illud enim non procedit nisi vel ubi quis ab hujusmodi actibus desistere volens, aliis redarguentibus, morem gesserit vel cum specialis adest pro talium actuum observantia ecclesiae favor, ut in casu quem expendit *Abbas loc. cit.* de oblationibus nempe temporalibus ecclesiae ejusve ministris a populo exhiberi solitis.

Ast in themate utraque deficere videtur conditio; prior quidem cum hucusque, ipso profitente capitulo, nullus ea de re motus fuerit lapis, posterior vero cum ex jam animadversis invocatae observantiae nedum favaet jus, sed ei potius resistere dicendum est et concinnunt s. Ordinis resolutiones praesertim in *Corien. 26. Augusti 1849.*, in qua non obstante statuto capitulari observantia firmato quo Theologus missae collegiali ipsis quibus legebat diebus interesse debebat, sin minus quotidianis distributionibus carere, inter alia rescriptum est Canonico Theologo integrae tradantur quotidianae distributiones pro diebus quibus legit perinde ac si choro perenniter adesset. Et nuperrime in *Bisarchien* *). *Praebendae theologalis 20. Septembris 1837.* contendente capitulo Theologum iis etiam diebus quibus docebat mane tantum a choro immunem esse, vespere autem nullum habere titulum effugiendi punctaturas, quas quoties aberat non effugiebat: s. C. discusso formiter dubio hujusmodi constitutionem reprobavit, dum immunem pronunciavit Theologum a choro pro tota die qua docet ad effectum lucrandi quotidianas distributiones, prout ad III. dub. ejus causae.

His de primo dubio adnotatis vix ulla superesse videtur difficultas quoad II. et III. Juris enim axioma notissimum est, quod ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus. Jamvero privilegium Canonico Theologo concessum abessendi a choro tota die qua legit nullibi coarctatum videtur pro casibus in duplici praefato dubio contemplatis. Sed etsi in ancipiti aliquatenus versaremur causa, pro omnimoda tamen Theologi immunitate pronunciandum videretur: agitur quippe de materia favorabili, in qua non stricta sed lata habenda est interpretatio ex *cap.: Quia circa 22. de privil.* et *cap.: Odia 15 de reg. jur. in 6.*

Rogari forsan posset quoad II. dubium, deficere privilegii finem ac proinde privilegium ipsum ubi studio horis matutinis operam

*) Vd. *p. 1012.* §: *Ad tertium; p. 1020.* §: *Principio*

**) Vd. *p. 1022.* §: *Cum.*

*) Vd. *p. 1008.*

non det Theologus, sed solummodo hora statuta vespertina legat. At facili negotio huic difficultati occurri potest: inprimis enim, cum de privilegio ipso certissime constet non nostrum est principis mentem finemque scrupulosius investigare. Dein vero etiamsi ipsa die qua legit studio proprio dicto non indigeat Theologus, semper tamen aliqualis est animi corporisque praeparatio lectioni praemittenda; semper non levis inest ipsi lectioni labor; quae omnia cum servitio chori non compati, sed loco illius succedere arbitratos fuisse romanos Pontifices, cum saepe dicto privilegio Theologum honoraverunt, jure meritoque praesumere fas est cum *Card. Petra loc. cit. n. 33.*

Tandem ultimum dubium quod attinet, negativum responsum, praeter generalem supra allatam rationem, suadere videntur plurimae s. Ordinis resolutiones, diverso licet in themate. Quoties nempe Canonicus qui quadraginta annos in laudabili ac continuo servitio transegerit jubilationem postulat, illa concedi solet, despecta paucitatis Canonicorum exceptione, uti videre est in *Feltren. 11. Januarii 1721.*, *Terracinen. 20. Aprilis 1771.*, *Civitatis Plebis 23. Novembris 1782.* et *Florentina 24. Aprilis 1784*, etsi quandoque tres tantummodo remanerent qui choro inservirent, uti factum est adamussim in *Civit. Castellanae 17. Julii 1826.* et in *Narnien. Jubilationis 27. Junii 1857.* §: *Ceterum.* Jam vero si ita se liberalem exhibet s. Congregatio quando agitur de concedenda Canonico omnimoda et perpetua immunitate a choralis servitii oneribus et ab ipso residentiae vinculo, et quidem privilegio non generali concessione firmato, sed singulis in casibus causa cognita impartiendo, eo fortius eadem tenenda est norma, ubi quaestio est de Canonico Theologo, qui diebus ipsis quibus a chori servitio solvitur servitium aliud praestantissimum ecclesiae praebet nec aliunde speciali concessione indiget ut suo gaudeat privilegio, sed illud tamquam generali impartitum disciplina ipso theologalis praebendae adoptionis titulo sibi vindicare potest.

Ad paucitatem lectionum quod pertinet, animadverti posset, quod si hoc equidem capite minus gravatur Theologus, minus iusimul ex eo incommodum chorali servitio exurgere censendum est. Ceterum Episcopi munus est judicare utrum augeri possit debeatve lectionum numerus; ipsum siquidem haud latere potest quid ea super re statuat constitutio sa. me. Bened. XIII.: *Pastoralis officii.* Quidquid vero statuendum ipsi visum fuerit, nihil inde theologi privilegio detrimenti exoriri posse videtur.

Placeat EE. VV. dirimere quae proponuntur

D u b i a:

I. *An Canonicus Theologus censeatur dispensatus a choro etiamsi sui praedecessores nunquam usi fuerint hoc privilegio pro tota die qua legit sed tantum pro vespertinis horis in casu?*

II. *An censeatur dispensatus etiamsi illa die scripturalis lectionis studio operam non dederit sed solummodo legat hora statuta in casu?*

III. *An paucitas lectionum scripturalium infra annum et parvus Canonicorum numerus sit ratio sufficiens ut Canonicus Theologus interesse debeat choro illa die qua legit in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Negative.

Die 30. Julii 1859.

Arboren.

Antonius Vincentius Putzolu in Metropolitana Arborensi Canonicus Theologus conqueritur quod illius Metropolitanae capitulum posthabitis privilegiis Canonico Theologo ex jure et constanti s. hujus Ordinis disciplina attributis illum suis orbare juribus vel indebitis subjicere oneribus consueverit. Scilicet putat capitulum, Canonicum Theologum qui loco lectionis scripturalis dogmaticam theologiam ibi docet teneri ad interessendum divinis officiis, horis vespertinis, quibus diebus mane lectiones scholasticas habet: deiude gaudere non posse emolumentis incertis quae ex anniversariis aliisque s. functionibus fixis aut adventitiis percipiuntur, queis non interfuerit ut suo muneri vacet, quamvis iisdem emolumentis ceteri Canonici ratione capitularium officiorum absentes, veluti Parochus, Poenitentiarius, Thesaurarius, archivii custos etc. perfruantur: denique eumdem amittere debere quotidianas etiam distributiones diebus vacationum, etsi choro interesse praepediatur ut sui ratione officii clericorum examini iis diebus assistat. Nonnulla eapropter

dubia resolvenda humiliter proposuit, quae ad folii calcem exscribuntur.

Ab Archiepiscopi relatione, capituli voto et Theologi deductionibus colligitur in facto: Canonico Theologo, cum antea s. conciones habere soleret, postea vero munus docendi theologiam dogmaticam impositum fuisse apostolicis literis expeditis V. Calendas Octobris 1832. quibus canonicatui etiam parochiali in illa Metropolitana provisum fuit. In iis autem ubi de emolumentis ab utroque Canonico Parocho et Theologo lucrandis sermo fit, edicitur: »Dum suorum onerum adimplemento vacant tamquam praesentes in choro aliisque saepe dictae metropolitanae ecclesiae functionibus aliisque incertis perfrui debeant.« Profertur etiam particula synodi dioecesanae celebratae 1756 in qua cap. XVII. de clero ecclesiae metropolitanae legitur: »Qua die Theologus legit.... distributiones accipiat.« Capitulum vero deficientibus statutis capitularibus ad normam dumtaxat consuetudinis et cujusdam capitularis resolutionis die 20. Martii 1829. hac in re hucusque sese gessisse affirmat. Constat enim Theologum Actualem praedecessorem, qui primus post evulgatas pontificias literas munus docendi theologiam scholasticam assumpsit, hujusmodi privilegiis quae Theologus orator sibi vindicat gavisum non fuisse, quin umquam conquestus fuerit. In memorata autem capitulari deliberatione ad consuetudinis tramites conventum fuit, ut Theologus emolumenta incerta anniversariorum aliarumque functionum nonnisi praesens perciperet. Ceterum non renuit capitulum oratoris Theologi votis in omnibus assentiri, quatenus ita judicandum censuerit s. Congregatio.

Archiepiscopus demum pro eodem Canonico Theologo propositas quaestiones resolvendas putat innixus praesertim apostolicis desuper commemoratis literis et dioecesanae synodi lege. Quin difficultatem ingerat capitularis deliberatio anni 1829, utpote quae literarum apostolicarum promulgationem praeesset, et ab iisdem non confirmata sed correcta et antiquata potius fuit. Eoque minus praetensae consuetudini vim ullam et efficaciam tribuendam censet. Quae sane consuetudo siquidem viguisset intercepta dubio procul fuit ex novo rerum ordine per bullam pontificiam inducto ab anno 1852, a quo tempore duo tantum Theologi numerantur, Canonicus nempe Orrù et Actualis qui praebendam theologalem post illius obitum adeptus est vertente anno 1850. Ast peculiares profecto circumstantiae rerum Canonico Orrù suasere ut capituli agendi rationem aequo perferret animo, quod scilicet pinguissima prae ceteris frueretur praebenda quodque valetudine laborans coadjutorem in munere sibi paulo post adsciverit, ita ut non mirum videri debeat nihil eum de suis tuendis juribus fuisse sollicitum. Aliter vero ac antea se res habent in praesenti quoad Canonicum oratorem, qui cum per se laborioso hoc munere fungatur tum abolitis eo loci decimis, quibus maxima reddituum theologalis praebendae pars constabat, gravissimum cepit detrimentum neque potiori quam ceteri Canonici jam amplius praebenda fruitur. Cujus quidem rei gratia amplissima et benigna quaelibet ac Theologo favens interpretatio Archiepiscopo auctore accommodanda erit verbis apostolicarum literarum et dioecesanae synodi superius relatis.

Silentium itaque et acquiescentiam Antecessoris Theologi nihil prodesse autumat Archiepiscopus ad confirmandam consuetudinem neque sane diuturnam neque ullo juris fundamento innixam, nihil vero nocere Actuali Theologo, qui non omisit frustra licet illico obtestari ne jurium suorum jacturam faceret.

Quibus ita se habentibus oratori propitiam in singulis dubiis sententiam pandit.

Principio itaque dubitandi locus non est, quin Canonicus Theologus suo muneri aeque satisfacere censeatur si biblicas conciones habeat vel si theologiam dogmaticam tradat ceu scitissime suo more docet *Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. 9. num. 17.* Ac reapse munus erudiendi clerum in theologia dogmatica impositum deprehenditur Canonico Theologo Arborensi, ad quem propterea omnia pertinent privilegia, quae hujusmodi gravissimi officii gratia constituta habentur. Jam vero constanti s. hujus Ordinis disciplina traditum est, Canonicum Theologum suos facere fructus et distributiones quotidianas nedum tempore et hora in quibus legit sed tota die etiamsi choro non inserviat,*) quia secus ut optime perpendit *Card. Petra Comment. ad const. II. Innocentii VI. num. 53. t. 4.* »vere frustratorium fuisset privilegium, cum lectio fieri non debeat horis divinorum officiorum, et ulterius impracticabile foret, ut utrique oneri succumberet.« Hanc porro sententiam omnium esse DD.

*) Vd. *p. 1012.* *; *p. 1018.* *.

idem Petra tradit atque ita saepe resolutum fuisse a s. C. praesertim in *Tropien. 9. Maji 1547.* in qua auctoritate sibi tributa s. Congregatio indulsit ut eo die quo Theologus legit s. scripturam ex munere sui officii ad praescriptum Concilii percipere possit distributiones quotidianas, quamvis Divinis non intersit.« Nec secus in *Mediolanen. 29. Aprilis 1597.*, ibi: »Theologo illa die qua legit tribuendae sunt integrae distributiones quotidianae omnium horarum, licet choro non inservierit.« Posteriori aevo perpetuo secuta est s. Congregatio eamdem sententiam ceu in *Corien. 26. Augusti 1848.* relata inter supplices libellos, in qua prodiit rescriptum: »Canonico Theologo integrae tradantur quotidianae distributiones pro diebus quibus legit perinde ac si choro perenniter adesset.« Ita pariter in *Bisarchien. 26. Septbr. 1857.* in III. dubio.*) Idem habetur in *Perusina Theologalis 30. Julii 1859.* ad II. dubium.**) Denique idipsum censuit rescribendum in *Barchinonen per summ. precum 3. Julii 1860*, ubi pariter de Canonico Theologo scholasticam theologiam docente agebatur. Hoc enim privilegium concessum Canonicis Theologis censendum est ad eos alliciendos ut muneri suo praestantissimo vigilantius incumberent vel quia theologale munus animi praeparationem et studium exigit, quod cum servitio chori non compatiatur sed loco illius succedat, ut advertit *Card. Petra loc. cit. n. 53.*

Quoad secundum dubium animadvertere praestat ex jure communi theologiae lectores causa legendi absentes a choro nedum non percipere emolumenta incerta quae inter praesentes dividi solent et neque distributiones quotidianas ita ut lucrentur tantummodo fructus***) suae praebendae ex textu in *cap. Quia nonnullis de magistris;* nec ipsum Concilium Trid. hujusmodi privilegium Canonico Theologo impertivit. Quapropter immediatis post Concilii celebrationem temporibus saepe s. Congregatio resolvit hujusmodi Theologos amittere quotidianas distributiones cum Divinis non intersunt ceu teste *Card. Aciato in manuscripto ad cap. 1. sess. 5. de reform.* refert *Card. Petra loc. cit. num. 53.* Verum uti idem Petra adnotat recurrente Theologo Eginaten. ecclesiae s. Congregatio iterum consulendo, an pro horis quibus legit quotidianas distributiones lucrari posset, cum s. Congregatio iterum censuisset jure non deberi sed agendum cum SSmo pro gratia, re delata ad Gregorium XIII. tunc primum ex ejusdem Pontificis oraculo distributiones etiam quotidianas ex gratia deberi Canonico Theologo pro tota die qua legit etiamsi choro non intersit, resolutum extitit, minime obstante textu in contrarium adducto in *cap.: Quia nonnullis,* quippe qui non loquitur de lectore qui ratione ecclesiae suae in ea legit, ut facit Canonicus Theologus. Ab eo itaque tempore mens s. Congregationis fuit habendi Canonicum Theologum uti praesentem in choro, cum ratione sui muneris impeditur quominus eidem intersit; adeoque ipsum lucrari etiam praeter fructus et quotidianas distributiones emolumenta quaecunque incerta personaliter dari solita. Ita in *Avenionen. Octobr. 1586.*, ibi:« Theologalem praebendam obtinens non lucratur distributiones quae dantur pro anniversariis nisi anniversaria incidant pro diebus lectionis, in quibus lector habetur pro praesente,« praeter alias resolutiones a *Card. de Petra loco cit. num. 55.* citatas, qui DD. etiam auctoritate utitur, quidquid secus dicant Nicolius et Pignatell. ex asserta resolutione s. Cong. diei 19. Augusti 1622. *in Limana*, quae inquit in registris s. Congreg. non invenitur.

Haec vero quae disserta sunt de emolumentis incertis in genere, limitationem recipere videntur quoad illa emolumenta quae ex voluntate testatorum aut benefactorum actu tantum praesentibus debentur; ea enim perpetuo excipere suevit s. Congregatio, quamvis res esset de Canonicis jubilationis indulto donatis aut causa valetudinis absentibus, qui ratione officii sui absunt a choro ceu patet ex *Asculana Literarum apostol. 20. Nov. 1830.* in qua ad IV. dub.: »*An et quae distributiones et emolumenta percipere possint Canonici curati absentes a chorali servitio pro exercenda cura animarum in casu?*

respondit: Affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta, exceptis iis, quatenus non intersint, quae ex voluntate testatorum debentur tantum actu praesentibus.

Idemque resolvit quoad Canonicum ad confessiones excipiendas deputatum et privilegiis donatum ad instar Canonici poenitentiarii in *Romana Distributionum 27. Novbr. 1859. ad I. dub.*

Ad III. denique dubium quod attinet eadem hic convenire videtur legitima absen-

*) Vd. *p. 1008.*
**) Vd. *p. 1017.*
***) Vd. *p. 199. g.*

tiae ratio, quae Theologum munus suum actu exercentem excusat, quominus choro intersit. Ad sui enim muneris partes teste Archiepiscopo refertur ut ipse clericis examinis periculum subeuntibus assistat aliaque perficiat quae ad magisterii injuncta officia et curas pertinent, ita ut merito censendum sit eumdem muneri suo actu vacare cum hisce variis et a magisterio ipso dependentibus occupationibus distinetur.

Cum vero privilegia hujusmodi non tam in ipsius Theologi gratiam invecta fuerint quam in favorem officii seu pro bono publico nempe ut diligentius et fructuosius Theologi muneri suo satisfacerent consequitur proinde jactatam ex adverso consuetudinem quae bono huic adversaretur nullo haberi posse in pretio neque praeterea factum antecessoris juribus successoris detrimentum inferre. Quamvis enim quisque Theologus uti possit vel non pro lubitu et circumstantiis privilegiis sibi concessis, iis tamen pro successoribus renunciare plane nequit;*) imo nec seipsum potest jure hujusmodi privilegiis fruendi in perpetuum exuere, quia nonnullis in rerum adjunctis renunciatio haec in publicum detrimentum vergere posset. In praesenti autem specie alia etiam suppetunt facti momenta, ut superius adnotatum est, quae contrariae consuetudini omne profecto robur adimere videntur. Nec aliter ob eamdem rationem de opposita capitulari deliberatione sentiendum. Punctuales ad rem extant s. hujus Ordinis resolutiones tum in cit. *Perusina Theologalis 30. Julii 1859.***) in qua formiter discusso articulo ad I. dubium favore Theologi s. Congregatio rescripsit, quamvis contraria consuetudo comprobaretur et constaret nunquam Canonicos Theologos privilegiis de quibus agitur antea usos fuisse, tum in cit. *Barchinonen. 2. Junii 1860.* per summ. precum, in qua pariter nihil adversam obstare consuetudinem declaratum est. Item deliberationes vel decreta capitularia privilegiis hujusmodi infensa posthabuit s. Congregatio, uti in *Bisarchien. Praebendae theol. sup. cit. 16. Sept. 1857.****) ac praesertim in cit. *Romana Distributionum* quae de Poenitentiario agit *27. Nov. 1858. ad II. dub.*

Haec ad causae meritum. Ceterum cum ab exhibitis documentis deprehendatur, capitulares constitutiones in Metropolitana Arborensi deesse, hinc expedire videtur, ut terminus eidem capitulo praefigatur ad illas conficiendas et Archiepiscopo pro approbatione praesentandas ceu fert praxis s. Congregationis; de qua recens habetur exemplum in *Viterbien. Suppress. et suspens. canonicatuum et transact. diei 27. Julii hujus anni.*

Sequuntur itaque

D u b i a:

I. *An Canonicus Theologus teneatur interesse choro vespere illorum dierum quibus mane docet in casu?*

II. *An eidem praedictis diebus debeantur praeter quotidianas distributiones emolumenta etiam incerta in casu?*

III. *An exemptus a choro declarandus pariter sit ad praedictum effectum lucrandi distributiones et emolumenta incerta in diebus quibus licet non doceat attamen ratione officii sui clericorum examini assistit in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative exceptis emolumentis quae ex voluntate testatorum aut dantium debentur tantum actu praesentibus.

Ad III: Affirmative ut in secundo et ad mentem: mens est, ut Archiepiscopus praefigat terminum congruum ad conficienda statuta ab eodem approbanda.

Die 7. Decb. 1861.

o) Metus et vis saecularis potestatis.

Vd. p. 194. c; 202. i; t. II. p. 576. m

Caputaquen.

Natalis Quaranta 1728 fuit ss. ordinibus initiatus ad titulum ecclesiae receptitiae quae est in oppido Serarum. Sed cum moram semper fecerit in Urbe adeoque non satisfecerit oneribus, quibus obstringuntur presbyteri ejusdem ecclesiae qui choro interesse debent omnibus diebus festis et quatuor missas cum cantu celebrare quacunque hebdomada, negarunt collegae eum posse participare fructus et proventus ecclesiae multoque minus decimas quas pertinere contendebant solum ad parochum aliosque presbyteros eum adjuvantes in cura animarum et administratione Sacramentorum; nam etiam Canonicos qui decimarum sunt participes debere operam

*) Vd. p. 1018. §: *Hujusmodi.*
**) Vd. *p. 1017.*
***) Vd *p. 1008.*

conferre suam in auxilium praepositi sustinentis parochiale officium rescripsit s. Cong. in *Montis Falisci 8. Maji 1706.*

Ipse autem Natalis Quaranta non solum per illius anni spatium quo abfuit potestate ad id sibi facta ab Ordinario sed etiam per aliud omne tempus absentiae deberi sibi putabat tam annuos ducatos 25, qui singulis presbyteris assignari solent instar s. patrimonii, quam portionem reliquorum omnium emolumentorum demptis tamen oneribus missarum, propterea quod absentia nec voluntaria nec culpabilis fuerit sed necessaria ob indignationem Baronis ejusdem oppidi et graves molestias sibi illatas, quas adhuc vigere ajebat. Quamobrem in Congregatione habita die 7. Apr. proposita fuerunt duo illa dubia, quae mox subjicientur. Sed Eminent. PP. dilata illorum decisione mandarunt dari iterum literas ad Episcopum et ab eo exquiri, quaenam esset peculiaris causa metus, quae impedimento fuerit Natali Quarantae, ne in ecclesia resideret et num talis causa cessaverit, non retardata tamen interim solutione portionis ex massa capitulari debitae per illum annum, quo absentia fulciebatur facultate ab eodem Episcopo impertita.

Respondit Episcopus se summa ope magnaque adhibita diligentia investigasse causam, ob quam Natalis Quaranta abesset sed nullam comperisse legitimam rationem, quae ei juste valeat suffragari, ne residentiae oneri satisfaciat; causam vero, quam obtendit, scilicet metus potestatis saecularis, omnino esse a veritate alienam et commentitiam. Plura etiam addit circa leges, quibus obstringuntur presbyteri hujus receptitiae ecclesiae necnon circa proventus et emolumenta, quae inservientium commodo cedere solent. Sed haec uberius exponentur in scriptis, quae nomine cleri ad EE. VV. deferentur.

Sacerdos Quaranta sibi ipsi non deerit in medium proferendo ea documenta, quibus veram et justam suae absentiae causam demonstrari omnesque objectiones refutari existimat.

Quod spectat ad quaestionem juris probant *Joa. Andr.*, *Ancharan.*, *Felin.* et *Calderin.* citati a *Fagnan. in cap.: Licet n. 151. de praebend.* et *Monet. de distrib. quotid. par. 2. q. 5. n. 68. et seqq.* justam esse causam absentiae pro percipiendis etiam quotidianis distributionibus si quis fuerit injuste expulsus*) civitate, ad quam idcirco redire sine periculo non possit, vel si quis absque sua culpa adversarium habeat gravem et infensum vel Principem vel alium potentem virum in eodem loco. Et s. Congreg. instante quodam Canonico Caspensi, qui ob metum Principis temporalis residere non poterat in ecclesia, cui erat adscriptus, die 17. Septembris 1616. respondit his verbis: »Censuit dandas esse ad Ordinarium literas, ut capitulum cogeret ad integras distributiones ei assignandas usque ad mensem Aprilis futuri. Caeterum ipsi Joanni Blasio significari voluit, ut interim curet canonicatum resignare vel permutare aut rationem aliquam iniri, qua et sibi et ecclesiae indemnitati consultum sit,« ut refert *Barbos. de jur. eccles. lib. 3. cap. 18. n. 65.* Denique distributiones deberi etiam Canonico absenti, ut injustam judicis vexationem redimeret, fuisse a s. Cong. declaratum testatur *Fagn. in d. cap.: Licet. n. 154. de praebend.*

Caeterum videtur considerandum, an quae tradita sunt de Canonicis ecclesiae cathedralis vel collegiatae indiscriminatim conveniant etiam presbyteris adscriptis servitio ecclesiae receptitiae. Quandoquidem in causa Castren. cum sacerdos jam cooptatus in coetum similis ecclesiae receptitiae, fuisset a curia episcopali mulctatus non solum suspensione a Divinis sed etiam exilio, deindeque causa cognita s. Congregatio Episc. et Regul. decrevisset: Eum non esse amplius molestandum,« disceptatum in hac s. Congregatione fuit: *An eidem sacerdoti per absentiae tempus deberentur distributiones et proventus dictae ecclesiae*, cui fuerat adscriptus? die 13. Apr. 1726. rescriptum fuit: Negative.

At ex diverso in terminis Canonici, qui appellatione interposita a praecepto Episcopi de habendo domum pro carcere, se in carcere constituerat et postea obtinuerat decretum: »Non esse molestandum, s. Congr. in *Theatina Distributionum die 19. Novemb. 1707.* respondit: Distributiones ei deberi,« rejecta contradictione capituli, a quo contendebatur distributiones quotidianas ei solum competere, qui absolvatur tamquam innocens. Atque eadem fuit s. Congr. sententia in *Reatina Distributionum* proposita die 5. Maji 1708., in qua agebatur de Canonico, qui in criminali causa homicidii**) cujus fuerat accusatus obtinuerat decretum: Non molestetur.

*) Vd. *t. III. p. 202. i.*
**) Vd. *Homicidium.*

Decernendum itaque ab EE. VV. erit:

I: *An sacerdoti Natali Quaranta de tempore suae absentiae debeatur portio massae communis, sicut caeteris sacerdotibus, deductis tantum oneribus missarum?*

II: *An eidem sint solvenda annua ducata 25 pro patrimonio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative pro tempore praeterito et ad D. Secretarium juxta mentem.

Ad II: Provisum in I. et amplius.

Die 18. Aug. 1731.

Canonicus metropolitanae ecclesiae N. 1864 ex italici gubernii sententia carceris damnatus est *ob cooperationem suam in fuga cujusdam juvenis delecti militis, ob obsequium suum aulae romanae et aversionem praesenti gubernandi ordini.* E patria exsulans proinde SS. Pontificem exoravit, ut impedimento perdurante ab obligatione inserviendi choro ita eximeret ut redditus simul suos faceret et distributiones.

Praevia Archiepiscopi informatione SS. Pater die 8. Januarii 1866 precibus annuit ad 6 menses ea tamen lege, ut distributiones illas quae audiunt *inter praesentes* amitteret. Elapsis sex mensibus iterum s. Sedi orator preces admovit et die 27. Julii 1867 alterum obtinuit rescriptum quo ad alios duos menses gratia prorogata est hac adjecta clausula, ut amissa tertia reddituum parte obstacula, quae ad propriam sedem illum remeare non sinebant, removere conaretur. Hujusmodi rescripto orator non acquievit, iterum proinde petiit ut sibi applicaretur resolutio S. C. data die 8. Julii 1865 in causa *Nucerina Paganorum*, in qua ipse resolutum fuisse inquiebat, quosdam Canonicos, qui simili de causa abesse cogebantur, posse percipere omnes fructus et distributiones etiam adventitias.

Hae preces s. Congregationi exhibitae de more ad Antistitem remissae sunt qui inter caetera haec respondit: »Quoad nuperrimas preces Canonici oratoris Romae degentis omnes omnino canonicales redditus ac caeteras adventitias obventiones postulantis, non modo quoad futurum sed etiam quoad praeteritum tempus . . . Capitulum canonice collectum interpellavi et responsum per secreta suffragia emissum in scriptis accepi, vi cujus Capitulares sese referunt ad capitularem resolutionem diei 16. Maji 1867, in qua oratori faverunt, dummodo tertiam distributionum seu reddituum partem dimitteret sive pro transacto sive pro futuro.

In casu vero oratoris observatum jam est, fuisse ipsum quodammodo causam suae absentiae, propterea quod in rebus a s. ministerio alienis minime coactus sese immiscuit. Et paulo post: »Denique in hac nostra Metropolitana plures ob legitimas causas, puta valetudinis curandae, Vicarii generalis muneris gerendi*), Auditoris pro apostolica nuntiatura in extero regno muneris peragendi**) causa a propria residentia novissimis hisce annis elapsis abfuerunt et obventiones licet fixas ob consuetudinem non perceperunt.«

Cum tota quaestio nunc versaretur utrum indicatum rescriptum exsecutioni mandandum esset, ex officio de more nonnulla adducebantur quae pro affirmativa sententia militare viderentur et nonnulla quae pro sententia negativa.

Commemorata itaque constitutione Bonifacii VIII. quae legitur in *cap. unic. de cler. non resid. in 6°* quamque servandam inculcat Trid. *sess. 24. c. 12. de ref.* observabatur in ea constitutione eos tantum fuisse exceptos, quos *justa et rationabilis corporalis necessitas vel evidens ecclesiae utilitas* a residentia excusaret. Sic enim in ea legitur: »*Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas vel evidens ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat . . . De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum.*«

Porro non videbatur orator in praesenti themate has similesque exceptionis causas posse certo invocare ad percipiendas distributiones. Considerato autem variarum distributionum genere, quarum aliae desumuntur ex communi massa, cujusmodi solent esse distributiones quotidianae vel etiam quae *inter praesentes* nuncupantur, aliae vero ex extrinsecis causis, cujusmodi sunt distributiones quae dicuntur *incertae*, quarum quidem aliae sunt *fixae* aliae *adventitiae et manuales*, quoad incertas distributiones, cum

*) Vd. *p. 200. h.*
**) Vd. infra: *Dubia Indultorum p. 1027.*

hae proveniant ex piis legatis aut largitionibus, eaeque non alia mente censeantur relictae, quam ut ab iis percipiantur, qui reipsa sacrarum functionum celebrationi intersint, non videbantur posse in themate a profugo Canonico percipi.

Eo vel magis, quod ipse ex dictis fuerat quodammodo suae absentiae causa et consuetudo in eo capitulo vigeret non percipiendi has distributiones neque ab illis, qui legitima de causa abessent.

Observabatur autem, oratorem frustra opponere allegatam resolutionem in *Nucerina Paganorum*, cum concessae non fuerint oratoribus de quibus in ea agitur obventiones *adventitiae* cumque alia adjuncta in ea causa concurrerent.

Verum e contrario animadversum est, explorati juris esse, tamquam praesentem eum esse habendum, qui absit ex timore injustae conjectionis in vincula, *Fagnanus c. Licet de praeb. n. 15;* s. Congr. C. in *Lancianen. 16. Febr. et 8. Maji 1627*, item ex *Reatina 9. Sept. 1815* et ex *Ferentina eadem* die et anno; in quibus cum quaereretur, num deportati vel sponte profugi sub gallico regimine, sese vetito juramento subtrahendi causa, fructus suarum praebendarum distributionesque absentiae tempore lucrati fuissent, affirmativum edidit responsum.

In praesenti autem themate eadem videbatur vigere causa, cum ex authentico sententiae civilis exemplari desumeretur, ideo ad annum carceris fuisse Canonicum damnatum *quia adversus actuali gubernandi ordini et quia obsequens aulae romanae.*

Neque omisisse, observabatur, oratorem opportuna adhibere remedia ad obstacula removenda, quae ipsum a residentia prohiberent, ceu ipsum capitulum die 18. Maji 1867 testatum fuerat. Si igitur per oratorem non stetit, quominus obstacula removerentur, absentiam a choro eidem haud esse imputandum.

Neque facile posse opponi oratorem poenam carceris sibi conscivisse sese imiscendo in rebus a sacro ministerio alienis: huic enim objectioni respondebat idem supplex orator, se tali damnationi occasionem non dedisse neque id ex tenore sententiae inflictae apparere: certum insuper esse, cum de ecclesiae ministris agitur, quodvis vel leve indicium satis esse judicibus gubernii italici ad infligendam illis damnationem.

Hisce autem in adjunctis non apparere rationem, quare eidem deneganda esset tum tertia redditum pars, in qua consistunt distributiones quotidianae, tum distributiones non quotidianae fixae.

Propositum est

D u b i u m:

An et quomodo sit exequendum rescriptum s. Congregationis diei 27. Julii 1867?

S. Congregatio die 12. Septembris 1868 respondere censuit: *Affirmative juxta modum nempe prorogato indulto diei 8. Januarii 1866 usque ad annum computandum a die praesentis resolutionis cum clausulis in eodem indulto contentis.*

Ex iis colliges:

I: Eos Capitulares qui timore carceris aliarumque poenarum quae a civili magistratu violenter injusteque comminentur a residentia abscedunt tamquam choro praesentes esse considerandos, quousque violenta absentiae causa perduret.

II: Ejusmodi fictam praesentiam non semper eosdem parere effectus sed eos dumtaxat, quos major vel minor causae validitas suadeat et locorum consuetudo facile ferat.

III: In praesenti autem themate occasionem quamdam suae absentiae Canonicum dedisse ex minus consulta agendi ratione: et consuetudinem eo in capitulo viguisse non dandi distributiones fixas iis qui justa quavis de causa abessent.

p) Munera temporalia et spiritualia.

Vd. p. 191. b; 200. h; 203 k; 204. l; supra lit. *d—h.* p. 965; *Chorus* (absentia — causae excus.: *Celebratio missae*, decr.: *Anagnina* p. 967.)

Florentina.

Ad preces Rmi Archiepiscopi Florentini expetentis indultum, cujus vigore Canonicus suae Metropolitanae Joseph Chiecchini incumbens *constructioni processus ordinarii* Servae Dei Reginaldae Tosetti participare valeat de distributionibus choralibus, quamvis hac de causa choro non intersit, S. R. C. rescripsit: »Non indigere et detur decretum in Neapolitana diei 23. Dec. 1817. quo declaratur Dignitates et Canonicos ubique locorum

existentes, *qui construendis processibus ordinariis vel apostolicis operam dabunt* licet a choro ea de causa absint, lucrari nedum quotidianas distributiones verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo et nomine et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Hoc autem indultum locum habere iis tantum diebus, quibus conficiendis et adornandis Inquisitionibus incumbunt.

Die 27. Aug. 1836.

Viglevanen.

Capitulum Cathedralis ecclesiae Viglevanensis in tres classes dividitur, quarum in prima sunt Dignitates et Canonici, qui chorum superiorem seu capitulum constituunt, in secunda vero numerantur illi, qui generali vocabulo *Residentes* nuncupantur et hi sunt parochi, capellani, levitae et mansionarii, qui clerum inferiorem constituunt; in tertia demum classe continentur sacristae et clerici ecclesiae inservientes. Ex lege statutaria Viglevanensis ecclesiae a s. m. Clemente VII. confirmata jus habent omnes de capitulo vacandi a choro per duos menses. Cum autem in hac vacationis concessione nulla mentio facta fuerit de lucrandis distributionibus quotidianis, hinc Canonici 1593. supplicarunt et obtinuerunt a SS. Pontifice Clemente VIII. jus percipiendi quotidianas distributiones etiam tempore ipsorum absentiae duorum mensium.

Hanc ipsam facultatem lucrandi quotidianas distributiones tempore vacationis a residentia per aliquot dies infra annum nuperrime petierunt etiam illi, qui clerum inferiorem constituunt, gemini duo nempe mansionarii, duo levitae, duo parochi, novem capellani et octo sacristae ea innixi ratione, quia iidem, attento quotidiano chori servitio, incumbere non possunt *culturae praediorum unicuique ex eis assignatorum*, ob idque praedia in deterius abeunt et fructus imminuuntur.

Super his auditus Episcopus retulit, petitam gratiam necessariam esse pro capellanis, quibus certe necessarii sunt aliqui saltem dies absentiae, ut melius diligentiusque incumbant curae bonorum beneficii. Ast quoad caeteros nimirum mansionarios, parochos et levitas licet quoad ipsos nulla urgeat positiva necessitas pro cura et administratione bonorum, quae non possident, nam omnia praedia per Canonicos administrantur dicturque massa communis: »verumtamen, ut subdit Episcopus, cum rationabile et congruum sit vel saltem esse videatur, ut ex necessaria aliqua animi relaxatione etiam ad ipsos vacatio aliqua extendatur absque amissione distributionum, dummodo tamen moderata sit pluribusque subjecta conditionibus tum de tempore tum de numero, ne una simul omnes, ita tamen ut quinque saltem ex capellanis choro semper intersint, etiamsi aliqui ex iis essent infirmitate detenti, unus de duobus semper ex mansionariis et unus ex levitis, cui onus sit substituere aliquem ex capellanis, qui ejus vices gerat eo die, quo abest; sacristae vero nunquam, cum eorum officium sit mere mercenarium, licet et ipsi participent de massa residentiali. In hanc feror sententiam, quod si gratia istis limitata sit conditionibus servitium chori parum vel nihil detrimenti capiet.«

Auditoque capitulo prosequitur Episcopus »licet se remiserit ad Episcopi votum hisce tamen conditionibus se praestitit, videlicet, quod servitium ecclesiae et choro praestandum a clero inferiori firmum ita maneat, ut praestitum fuit usque modo et ita fruatur dictus clerus petita indulgentia, ut nullum resultet gravamen in damnum capituli ullo unquam tempore, circumstantia et occasione«.

Quapropter proposita cleri inferioris instantia per summaria precum in Congregatione diei 17. Martii 1781 prodiit rescriptum:

Quoad sacristas: Lectum.

Quoad novem capellanos: Pro gratia ad quadraginta dies unicuique ita concessos, ut quinque saltem ex ipsis choro semper intersint etiam si aliquis ex ipsis infirmitate aliove legitimo detineretur impedimento.

Quoad mansionarios et levitas: Ad triginta dies salvis etiam distributionibus a choro vacare licebit, ita tamen ut alteruter ex illis tam mansionariis quam levitis choro semper personaliter intersit, absens vero idoneum substituat sacerdotem, qui vices suas absentiae tempore rite peragere valeat.

Quoad parochos denique: per idem spatium triginta dierum choralibus vacationibus tantum frui liceat, firma tamen manente quoad residentiam parochialem Concilii Trid. dispositione aut dioecesis consuetudine, cui per praesens rescriptum nullatenus derogetur.

Dubium nunc oritur super clausula: *salvis etiam distributionibus favore mansionariorum et levitarum* apposita, an scilicet distributiones salvae etiam intelligendae sint pro capellanis et parochis; super cujus dubii dilucidatione et declaratione praefati rescripti capellani et parochi supplicem huic s. Congregationi porrexerunt libellum.

Atque hinc ponderandum est clerum inferiorem ex statutaria capituli lege a s. m. Clemente VII. approbata confirmataque jam frui beneficio vacationum per duos menses solumque petitam ab eo nuperrime fuisse facultatem sive indultum lucrandi quotidianas distributiones tempore absentiae per aliquos saltem dies infra annum. Quemadmodum enim hujusmodi indultum fuit a s. Congregatione concessum mansionariis et levitis propter quamdam rationabilitatem et congruitatem, velut innuit Episcopus, ut ex necessaria aliqua animi relaxatione etiam ad ipsos vacatio aliqua extendatur absque amissione distributionum«, adjecta in dicto rescripto clausula »salvis etiam distributionibus«, ita examinandum erit, an haec clausula intelligenda sit pro apposita quoque in eodem rescripto nedum favore capellanorum, qui petunt indultum, ut retulit Episcopus, ex necessitate, sed etiam favore parochorum, quibus idem indultum competere videtur ex eadem rationabilitate et congruitate prout in voto fuit Episcopus. Dubium est:

An oratorum precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 23. Febr. 1782.

Dubia Indultorum.

Ut Basilicarum et Collegiatarum Urbis frequentiori servitio divinique cultus splendori prospiceret s. m. Innocentius XII., particularem Congregationem deputavit, quae ad examen revocatis omnibus indultis sive ratione munerum sive studiorum causa concessis pro exemptione a chorali servitio *moderationes*, *reformationes* ac etiam *revocationes*, quae opportunae visae fuissent, proponeret.

Re mature perpensa quid censuerit s. illa Congregatio ex quinque S. R. E. Cardinalibus et quatuor Praesulibus coacta, patet ex sequenti decreto diei 2. Maji 1693.

Censuit, si SSmo Domino Nostro placuerit, indulta quoad Nuncios apostolicos necnon intimos et eidem SSmo actu inservientes familiares ac Subdatarium et Camerae apostolicae commissarium non esse immutanda.

Quoad Gubernatores et Vicelegatos provinciarum, civitatum et locorum status ecclesiastici, qui durante absentia numquam possunt ecclesiis interesse, necnon Procuratorem generalem Montium ac Familiares s. R. E. Cardinalium firmo tamen quoad eorumdem Cardinalium caudatarios remanente decreto moderatorio s. Congregationis Emorum Cardinalium s. Concilii Trid. Interpretum die 19. Augusti 1690. edito esse revocanda; expedire, quod inposterum non concedantur.

Indultum inserviendi secretariae Congregationis Eminent. Cardinalium consultationibus negociorum ditionis temporalis ejusdem S. R. E. praepositorum concessum esse reformandum et inposterum restringendum ad illos dies et horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actualiter praestandi impeditus fuerit, ejus conscientia desuper strictissime onerata.

Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda pro ecclesiis, quarum redditus consistunt vel in solis distributionibus quotidianis vel in iisdem distributionibus unacum aliquibus fructibus tenuis praebendae, dempta tamen tertia parte, quae inservientibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus viginti quinque annis, quinimo hujusmodi aetate vigintiquinque annorum expleta eadem indulta, licet idem triennium adhuc completum non fuerit, expirare.

Omnes denique habentes indulta pro singulis diebus et horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus seu officiis actualiter praestandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos toties, quoties ecclesiae seu choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada hujusmodi puncta posse et deberi deleri seu tolli pro illis tantum diebus et horis, quibus indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorumdem munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, et circa hujusmodi impedimentorum relevantiam judicio proprii Vicarii cujuslibet ecclesiae, in ecclesiis vero ubi non adest hujusmodi Vicarius judicio dignioris Canonici esse deferendum.

Facta praedictarum resolutionum SS. Pontifici relatione die 8. ejusdem mensis et anni ita eas probavit:

Sanctitas Sua illas probavit et a die I. Junii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari; indultis tam a se quam a romanis Pontificibus Praedecessoribus suis quomodolibet concessis et aliis contrariis quibuscumque non obstantibus, quibus pro observatione praemissorum amplissime derogavit.

Quod in rebus humanis saepe saepius contingit, ut quae olim sapienti consilio constituta sunt volventibus annis vel sensim relaxentur vel etiam mutatis temporum circumstantiis minus apta videantur, id etiam visum est ssmo Domino Nostro, ita ut exemptiones a chorali servitio aliqua novae supremae auctoritatis providentia indigerent. Hinc suorum Praedecessorum ut in caeteris in hoc etiam aemulatus religionem et gloriam per R. P. D. Auditorem suum in mandatis ita dedit:

Sua Santitá vuole, che si richiamino ad esame tutti gli indulti, perché sieno quindi confermati, rivocati, o riformati secondo le regole allora stabilite, e constantemente poi adottate, ed eseguite dalla s. Congregazione del concilio. Non crede, peró necessario deputare altra Congregazione particolare, ma crede, che la stessa Congreg. de Concilio, appunto perché ben conosce le norme, che devono regolare gl' indulti, e le ha costantemente eseguite, debba ella medesima richiamarli ad esame e proporre alla stessa Santità Sua, quali dovrebbero confermarsi, quali rivocarsi, e quali rettificarsi secondo le stesse norme.

Hinc priusquam rem Vestro amplissimo Senatui judicandam proponerem rogavi Emos Archipresbyteros ac Titulares, ut de singulis eorum ecclesiarum indultariis referrent ipsaque indulta remitterent, ex quorum accurato examine depromsi dubia, quae inferius proponuntur. Prius tamen nonnulla in jure et ex praxi s. Congregationis permittenda censeo.

Indulta abessendi a chori servitio sive *pro diebus et horis ratione munerum sive ad certum tempus valetudinis**) *tuendae causa* semper concessa fuisse innumera testantur s. Congregationis resolutiones. Neminem etiam latet juris canonici dispositio in *capit. unic. de clericis non resident. in 6.*, ubi Bonifacius VIII. post vetitas clericis residentibus sed divinis officiis non interessentibus quotidianas distributiones illos ab hac censura excepit »*quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas excusaret*« quod confirmavit s. Trid. synodus *in sess. 24. cap. 12. de reform.* Aliae vero sunt distributiones inter praesentes quae melius dici possent extraordinariae, eventuales et incertae, quaeque ut distinctae sunt a communi massa et praebenda ita praesentibus tantum praestari solent sive ex peculiari statuto aut consuetudine cujuslibet ecclesiae, sive ex expressa benefactorum voluntate. Hujusmodi distributiones non percipere absentes a choro etiam ex justa causa vel etiam ex apostolico indulto docent *Scarfan. ad Ceccop. lib. 2. tit. 10. num. 1., Piton. discept. 1. per tot., Fagnan. in cap. Licet de praebend. num. 20., Bened. XIV. Institut. 107. num. 58. et seqq.* et s. Congregatio *in Bosanen. Visitationis ss. Liminum 6. Februarii 1734.*

Quinimmo etiam in casu apostolici indulti cum facultate percipiendi quascumque distributiones quotidianas, ordinarias et extraordinarias, quas percipiunt personaliter residentes, firma semper sententia censuit s. Congregatio, ut exclusae remanerent eae distributiones, quae ex fundatorum voluntate inter praesentes dividi debent, ita *Leodien. Indulti 10. Julii 1717.*, etiamsi ageretur de Canonico cum indulto jubilationis ut *in Novarien. Jubilationis 2. Octobris 1617.* et in *Bituntina Anniversariorum 1. Julii 1679.* ac demum in casu etiam Canonici amplissimo causa infirmitatis indulto donati, ut in *Romana Jurium canonicalium 6. Maji 1703.* et *27. Junii 1705.*

Notandum tamen *plurimum differe simplex indultum non interveniendi choro* certis diebus et horis quod facile conceditur ratione munerum *ab altero indulto non residendi**) *in loco beneficii,* de quo late tractant *Fagnan. in capit.: Licet de praebend. num. 11. et Reiffenst. in jus canon. tit. 4. de cleric. non resid. per tot.* quod difficilius conceditur et nonnisi ad breve tempus et arctioribus cohibitum clausulis. In primo enim casu Canonicus seu beneficiatus aliquod servitium ecclesiae suae praestare potest ac debet iis diebus et horis, in quibus non impeditur a munere, in altero vero casu nunquam ad ecclesiam accedere potest is, qui longe a residentia aberat. Hinc in nuperius relato decreto jussu s. m. Innocentii XII. edito sta-

*) Vd. *p. 992 l.*

*) Vd. *p. 191.* notam: *Beneficiati.*

tuitur, revocanda esse jam concessa et inposterum non concedenda indulta quoad Gubernatores et Vicelegatos, qui temporali ecclesiastici status servitio mancipati sunt et confirmanda jussit indulta quoad *Nuncios* tantum, in quibus sine ulla dubitatione verificatur legitima causa utilitatis ecclesiae, de qua neminit Bonifacius VIII. in capite supra relato.

Nec praetereunda est constans s. Congregationis praxis in concedendis indultis pro absentia a residentia ob maxime laudabile munus annunciandi verbi Dei in quadragesima et Adventu, in quibus semper adjecta est clausula *amissis distributionibus*, si tertiam partem praebendae aequent, vel tertiam partem tum praebendae tum distributionum simul cumulatarum.

*Lectores qui in publicis universitatibus s. theologiam docent**) indulto donari statutum est in *cap. super specula 5. de Magistris,* ubi Glossa haec addit: *Non tamen percipiant quotidianas distributiones, quae tantum residentibus dari consueverunt.* Hanc juris canonici regulam semper sectata est s. Congregatio et novissime indultum concessit Archipresbytero Caliendi, ut theologiam in dioecesano seminario Feretrano doceret, pro solis horis matutinis et diebus, in quibus haberentur lectiones et ad triennium *amissis distributionibus* favore inservientium ut *in Feretrana Indulti 12. Julii 1817.*

Postea inquirendum occurrit, *utrum pari indulgentia donandi sint, qui aut in Urbe ad excipiendas christifidelium confessiones***) *aliaque exequenda pietatis opera,* vel etiam extra Urbem ad peragendas s. missiones laudabili pietate et summo animarum lucro occupantur quique in hisce piis operibus (non tamen necessariis) tempus insumunt, quo deberent divinis officiis in choro vacare. Nullum de hujusmodi casibus inveniri potuit exemplum exemptionis in s. Congregationis resolutionibus excepto tamen casu verae necessitatis ipsius ecclesiae, in qua extat beneficium chorali servitio addictum. Id tamen locum habere potuit ex speciali apostolico indulto. Nam generatim prohibentur Canonici a choro discedere sive ad faciendum Sacrum sive ad excipiendas confessiones. Ita die 14. Martii 1620. s. Congregatio decrevit nimirum: *Canonicos dum horae canonicae recitantur non posse a choro abscedere ad confessiones audiendas aut Missas celebrandas devotionis causa et qui discesserit illius horae distributionem amittere.* Meminerint tamen EE. Patres ex speciali rescripto s. m. Clementis XIII. diei 18. Februarii 1767. exemptos fuisse a punctaturis Canonicos et beneficiatos qui tempore quadragesimae in cathecheseos explicatione operam navant.

Quod vero spectat ad eos Canonicos vel beneficiatos qui nullo publico munere funguntur, sed *tantum particularis personae servitio mancipati**) indultum absentiae postularunt, illud negavit s. Congregatio et certum tantum tempus ad deliberandum eis concessit. Ita postulavit Joannes Sanchez capellanus in ecclesia s. Mariae in Via Lata indultum absentiae, ut Panormi maneret, ubi Emo Archiepiscopo famulabatur**), attenta praesertim exiguitate redditus capellaniae et proposito dubio: *An et pro quo tempore sit concedendum indultum?* responsum est: *Affirmative ad annum ad effectum deliberandi.*

Die 11. Julii 1818.

Tandem quoad *coadjutores, qui studiorum****) *causa postulant indultum,* re mature perpensa prius in causa *Praten. Indulti 2. Martii 1697.* et postea *in Tarentina Indulti 28. Martii 1733.*, s. Congregatio instantiam rejecit. *Decretum hoc firmavit regulam, quae semper servata fuit, rejiciendi concessionem indulti pro absentia ob studiorum causam. Quinimmo coadjutoribus nec etiam dari a s. Congregatione consuevit indultum, quod ratione alicujus muneris in hac romana Curia concedi alioquin solet Canonicis pro diebus et horis, quibus impediti ob hujusmodi officium fuerint.*

Dubia proponuntur:

I. *An et quomodo sit confirmandum vel concedendum indultum abessendi a chori servitio sive in temporali sive in ecclesiastico munere?*

II. *An et quomodo sit concedendum indultum iis, qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii nunquam possunt durante munere suis ecclesiis deservire et chorali officiaturae personaliter interesse?*

*) Vd. *p. 1008. n.*
**) Vd. *p. 975. e.*

*) Vd *p. 194. c; 202. i; 203. k; 205 m*
**) Vd *p. 987. g.*
***) Vd. *p. 205. m*; infra lit. *Studia p. 1036.*

III. *An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium pro expediendis negociis tum ecclesiastici tum temporalis regiminis?*

IV. *An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus pontificiae capellae *) sive in munere magistri caeremoniarum **) sive Accolythorum et clericorum?*

V. *An et quomodo sit concedendum indultum lectoribus in publicis universitatibus?*

VI. *An sit confirmandum vel concedendum indultum pro excipiendis fidelium confessionibus sive in ecclesia beneficii sive in alia ecclesia vel monasterio vel vacantibus exercitio ss. missionum aliisque pietatis operibus?*

VII. *An et quomodo sit concedendum indultum coadjutoribus sive ratione munerum sive causa studiorum?*

VIII. *An sit concedendum indultum addictis servitio particularium personarum quavis etiam dignitate fulgentium?*

IX. *An et quomodo sit providendum in futurum?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus pro diebus et horis amissis distributionibus inter praesentes tantum.

Ad II: Negative exceptis Nunciis et Internunciis.

Ad III: Affirmative pro diebus et horis, amissis etc.

Ad IV: Affirmative pro diebus et horis dummodo personaliter et ex munere intersint, amissis distributionibus inter praesentes, onerata etc.

Ad V: Affirmative pro diebus et horis, amissis etc.

Ad VI: Negative, excepto tantum casu verae necessitatis.

Ad VII: Negative in omnibus.

Ad VIII: Negative exceptis Capitulariis S. R. E. Cardinalium ad formam tamen decreti die 19. Augusti 1690.

Ad IX: Ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem: et mens est indulta adhuc concessa esse confirmanda sive reformanda sive revocanda ad formam praecedentium resolutionum et supplicandum SSmo, ut inposterum non concedantur nisi per s. Congregationem Concilii sub poena nullitatis, utque ea indulta non valeant nisi obtento decreto exequutoriali Ordinarii vel legitimi Superioris.

Die 6. Maji 1820.

*) Vd *p. 964. c; p. 1032: Romana.*
**) Vd. *Caeremon. p. 12.*

Continuatio. Romana.

Dubia Indultor.

Facta Sanctissimo die 10. ejusdem Maji relatione Sanctitas Sua resolutionem ejusdem s. Congregationis ad 9 praedicta dubia in omnibus benigne approbavit et respective confirmavit voluitque, ut in casibus particularibus sub praemissis dubiis non comprehensis provideatur pariter ab eadem s. Congregatione Concilii ad formam ss. canonum et ss. Concilii Trid. et juxta praxim ab ea hactenus servatam atque omnia praemissa inviolabiliter inposterum servari mandavit a die I. Julii proximi futuri, indultis omnibus tam a se quam a romanis Pontificibus Praedecessoribus suis quomodolibet concessis et aliis quibuscumque non obstantibus, quibus pro exequutione praemissorum amplissime derogavit. Inter ea novem dubia actum etiam fuit de inservientibus secretariis Congregationum, ad quaesitum enim et respousionem ad III.

Statim indultarii hujusmodi secretariis inservientes supplices Sanctissimum adierunt, qui eorum preces s. Congregationi ablegavit, ut Vos EE. PP. declarare dignemini, an clausula illa *amissis etc.* eo sensu accipi debeat, an scilicet amittant distributiones quotidianas quum ratione indulti absunt a choro an vero amittant distributiones, quae ex testatorum voluntate inter praesentes tantummodo distribuuntur.

Varia pro altera hac sententia proferunt indultarii rationum momenta. Auditor quippe Sanctissimi ajunt huic s. Congregationi commisit: »Che si richiamino ad esame tutti gl'indulti, per chè siano quindi confermati, rivocati, o riformati, secondo le regole allora stabilite, e costantemente poi adottate, ed eseguite dalla s. Congregazione del Concilio.« Ideo vero tale munus fuit huic s. Congregationi a Sanctissimo demandatum »appunto perchè ben conosce le norme, che devono regolare gl'indulti, e le ha costantemente eseguite, debba ella medesima richiamarle ad esame, e proporre alla stessa Santità Sua quali dovrebbero confermarsi, quali rivocarsi, e quali rettificarsi secondo le stesse norme.«

Hinc indultarii oratores conjiciunt s. Congregationis resolutionem ita esse intelligendam, ut scilicet amissis distributionibus, quae *inter praesentes dividuntur*, integrae sibi remaneant distributiones quotidianae. Etenim SS. Dominus indulta revocanda, reformanda vel confirmanda praecepit ad normam resolutionum, quae prodiere sub Innocent. XII. 1693. a Congregatione particulari ab eodem deputata. Jam vero s. illa Congregatio approbante Sanctissimo censuit: »Indultum inserviendi secretariae Eminent. S. R. E. Cardinalium Consultationibus negotiorum ditionis temporalis ejusdem S. R. E. praepositorum concessum esse reformandum et inposterum restringendum ad illos dies et horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actualiter praestandi impeditus fuerit, ejus conscientia desuper strictissime onerata«; in qua resolutione praecepta non fuit amissio quotidianarum distributionum. Inverisimile ipsis videtur s. Concilii Congregationem ab eo quod tunc temporis statutum fuit recedere ac commissionis a SS. D. N. habitae limites excedere voluisse. Et licet verba laudati decreti accipienda videantur de inservientibus secretariis S. R. E. Cardinalium praepositorum negociis temporalis romanae Sedis ditionis dumtaxat, duo tamen ipsi in contrarium opponunt.

Primo scilicet ita ajunt: Consuetudo invaluit post decretum 1698. a s. particulari Congregatione ab Innocent. XII. deputata emanatum ut inservientes secretarii EE. S. R. E. Cardinalium negotiis ecclesiastici regiminis praepositorum donarentur indulto abessendi a chori servitio pro diebus et horis amissis distributionibus inter praesentes tantum, sicut et inservientibus secretariis Cardinalium temporali regimini praepositorum. Ubi vero eadem ratio legis ibi et eadem dispositio adsit oportet. Ac propterea ubi potior adsit ratio ibi magis ac magis oportet, ut eadem dispositio vigeat. Inservientes vero secretarii inquiunt EE. Cardinalium ditioni temporali praepositorum ideo indultum illud consequuti sunt, quod ecclesiae utilitatibus inservirent. Cum ergo non unius aut alterius ecclesiae sed universi christiani gregis utilitatibus famulentur ii, qui EE. S. R. E. Cardinalium negotiis ecclesiasticis praepositorum inserviunt et magis quam inservientes illi in decreto memorati ecclesiae commodo studeant, pari saltem indulto donentur oportet.

Accedit et alia dispositio Congregationis ab Innocent. XII. deputatae praememorato decreto comprehensa quam etiam ad sese defendendos proferunt indultarii: »Omnes denique (verba sunt decreti) habentes indulta pro singulis diebus et horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus seu officiis actualiter praestandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos toties quoties ecclesiae seu choro non interfuerint sed in qualibet hebdomada ejusmodi puncta posse et debere deleri seu tolli pro illis tantum diebus et horis, quibus indultarii allegaverint particularia impedimenta, ratione eorumdem munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, et circa hujusmodi impedimentorum relevantiam judicio proprii Vicarii cujuslibet ecclesiae, in ecclesiis vero ubi non adest hujusmodi Vicarius judicio dignioris Canonici esse deferendum.«

Decretum itaque (a quo recessisse EE. PP. inverisimile putant oratores) punctandos esse decernit inservientes indultarios, quoties ratione servitii ad tramites indulti a choro abfuerint. At hujusmodi puncta tollenda decernit habita prius ratione impedimenti ex servitio praestando obvenientis (ut ipsi ratiocinantur) quam indulti obtenti. Quare conficiunt declarationem expeditam esse consonam decretis antea emanatis et propterea etiam decreto s. hujus Congregat. 6. Maji 1820.

Quod vero ecclesiae utilitati incumbunt oratores, de quibus agimus, demonstrare ipsi conantur ex indultis per longissimam temporis intercapedinem sibi concessis, quae quidem non obtinuissent si ecclesiae commodo non laborarent. Neque vero silentio praetereunt ipsius servitii genus. Secretariae quippe quibus addicti sunt oratores sunt earum Congregationum, quae maximae fidei, morum disciplinae et temporalis s. Sedis ditionis negotia pertractant, negotia inquiunt saepe ardua, secreta et difficilia, quibus obeundis requiritur peculiaris personae fides, industria, probitas, doctrina, prudentia. Ex quibus concludunt memoratam resolutionem intelligendam esse tantum de amissione distributionum inter praesentes.

Contra vero animadvertendum est ex praxi

s. Congregationis, quoties indulto additur clausula *amissis* simpliciter absque ullo alio verbo, intelligi a praebendato amittendas esse quotidianas distributiones, quae inter praesentes dicuntur. In praesenti autem casu amissio distributionum quotidianarum congrua videtur juris dispositioni. Etenim in *cap. Licet 23. de praeben. et dignitatibus* legitur quotidianas distributiones tantum residentibus in ecclesiis et his qui intersunt horis canonicis exhibendas esse et fusius ac clarius patet legenti *cap. unic. de cleric. non resid. in 6.* Atque hinc s. Congregatio ea attenta legis ratione inservientibus secretariis Congregationum indultum semper concessit adjecta clausula: amissionis distributionum quotidianarum. Accedit praeterea inservientes Secretarii congruam mercedem ex ipso munere percipere, nonnisi itaque summae avaritiae esset, ut animadvertit *cap. 3. de cler. non resid.*, eos, dum ex munere congruam recipiunt mercedem, nedum praebendae fructus lucrari, sed etiam quotidianas distributiones, quae inservientibus ex juris dispositione accrescunt. Quinimo ex constanti s. Congregationis praxi quotidianas distributiones amittunt, qui muneri licet summopere laudabili praedicationis Verbi Dei operam dant, cum ex hujusmodi exercitio aliquod lucrum persentiant et aliunde hujusmodi officium adnexum praebendae non sit ex fundatione. Postremo si in memorato capite *Licet de praeben.* denegantur distributiones clerico studenti s. scripturae et in celebri *glossa ad cap. unic. de magistris in 6.* docetur distributionibus privandos esse absentes a choro causa studiorum licet agatur de causa tam necessaria, quae in clericis irregularitatem constituit, ne ad ordines promoveantur, multo magis distributiones quotidianae amittendae videntur a praebendatis inservientibus Secretariis, ut semper peregit s. Congregatio.

Caetera quae oratoribus favent et quae eisdem adversantur colligere poterunt EE. PP. ex folio diei 6. Maji 1820., quod reassumere precor ut respondere possint:

An et quomodo recedendum sit a decisis sub die 6. Maji 1820. quoad III. dubium in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 25. Maji 1822.

Romana.

Alexander Testa Canonicus Basilicae s. Mariae in Cosmedin inter capellanos quos dicunt communes et acolythos ceroferarios pontificii sacelli jam inde 1815 cooptatus indultum a s. Congregatione assequutus fuerat, quo facultas eidem facta est, ut diebus et horis quibus suo munere in pontificali sacello perfungitur possit a choro abesse, quin absentium poena mulctetur, ita tamen ut de praecisa necessitate vacandi conscientia ipsius onerata rescripto illo denuncietur. Aliud haud simile rescriptum 1820 ob capellani adsistentis munus adeptus utroque indulto usus est, ut ad Sacra solemnia in pontificale sacellum adiret, suam ibidem operam praestiturus. Verum edita haud ita pridem per collegii acolythorum Decanum certa quadam dispositione, qua acolythi, qui duodecim sunt, iis recensitis, quos supra numerum dicunt, bifariam distributi in sacellum alternis vicibus praesto esse adigebantur, dubitatum est, an quo die ex turni lege Canonicus Testa abesse a sacello pontificali libere poterat, privilegio indulti gauderet, si illuc potius quam ad chorum sese contulisset: idque inpraesens definiendum Emis Patribus proponitur.

Eam quidem controversiam liquido et procul dubio resolvi posse respondit Emus et Rmus Cardinalis Basilicae Cosmedinianae diaconus habito respectu clausulae in indulto appositae a s. Congregatione Concilii »onerata tamen Oratoris conscientia de praecisa necessitate vacandi«. Scitissime enim distinguit jus ac debitum interessendi ex munere pontificiis functionibus. Jus in oratore nemo est qui inficiari possit: ad debitum vero quod spectat omne tollit punctum regula statuta inter clericos ceroferarios pro diebus et capellis, quibus unusquisque ex ipsis singulariter interesse tenetur ad suum obeundum officium. Num haec regula ex superiori mandato vel sanctione proveniat, an vero ex singulorum privato et unanimi consensu aut conventione, nihil ponit in esse, hoc unum: quisque clericus ceroferarius stricte pontificiis capellis interesse ex munere non tenetur nisi diebus in eadem regula constitutis; proindeque in aliis, si intersit, servitium, quod praestat, ex propria voluntate est repetendum. His itaque diebus Canonicus Testa a choro abesse non potest, quia suum munus in ecclesia provenit ex jure simul et debito, nec probatur praecisa vacandi necessitas in indulto praescripta.

Haec pro ea qua praestat sapientia Emus Cardinalis diaconus: patet profecto, controversiae causam ex norma per collegii acolythorum Decanum praestituta esse potissimum repetendam: hinc ut de rei ratione certo constet testimonium expendendum est Decani ipsius, qui legis auctor fuit.

Et qui a caeremoniis Pontificis sunt, experti et ipsi fatentur, non inde satis prospectum fuisse de necessitate.

Haec ad sua jura tuenda profert Canonicus Testa, qui id etiam summopere animadvertendum censet nec liberum profecto nec jus esse Decano collegii detrimentum inferre pro lubitu iis, qui pontificio indulto sunt donati: id porro manifesto irrogari, si ex inducta per ipsum regula privilegium indulti cessaret pro iis, qui diebus etiam, quibus turni lege non compellantur, pontificali Sacro potius quam choro intersint: nuspiam siquidem ante editum illud Decani placitum de ea re cernitur fuisse disputatum.

Nequit vero, inclamat ipse, destrui per regulam illam indultum, veluti utriusque origo, vis et natura suadent: diuturnam postmodum observantiam favore indultariorum commemorat et exempla collegarum profert, e quibus qui collegiis Canonicorum accensentur sine nulla eorumdem Capitulorum querimonia indulto perfruuntur, quin ulla turni ratio habeatur, quo privilegio ad haec usque tempora vidente et consentiente capitulo et ipse gavisus est.

Quaerit autem ipse, quo pacto praecisa illa necessitas, de qua in s. Congregationis rescripto mentio est, probari possit, hodie maxime cum saepe saepius ex insperato fuit, ut alter ex clericis defectum alterius absentis supplere necessario debeat, quod quidem cum ut plurimum prospici nequeat Pontificalibus semper interesse muneris sui esse arbitratur.

Sunt quidem indulta ac privilegia stricte explicanda, ne gravius quam causae ratio postulet vulnus juri communi, cui derogatum inde est, illatum asseratur. Sacer proinde hic Ordo certas quasdam regulas accuratissime servandas mandat, quibus quidquid e jure est religiose immoteque custodiatur, nisi necessitate suadente severitas canonum ex s. Gelasii Pontificis monitu temperanda identidem esse dignoscatur. Huc spectat, quod de oneranda oratoris conscientia in agnoscenda praecisa necessitate vacandi pro gratiae conditione imponi consuevit.

Ceterum illud pensandum est spectare ad splendorem majestatemque Sacrorum, quae in amplissimo totius Orbis conventu et ipso SS. Pontifice adstante habentur, ministros ibidem praesto esse, qui statis muneribus assiduam operam impendant: quod quidem dum haec typis traderentur monemur, R. P. D. pontificalis palatii Praefectum datis ad Decanum acolythorum literis graviter commendasse, ne quid minus decorum ex ministrorum absentia contingat. His adnotatis definiendum est

D u b i u m:

An et quomodo Canonicus Testa gaudeat exemptione a chorali servitio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Emi Decani.

Die 23. Nov. 1833.

Gallien et Pergulana.

(Officium Deputati.)

S. M. Pontifex Pius VII. motu proprio publici juris facto die VI. Julii 1816 inter cetera prudentissime cavit ut *comitiis, quae a singulis communitatibus suae pontificiae ditionis haberentur, sacerdotes interessent, qui laicis hominibus admixti municipii negotia cognoscerent* ac publico bono consultius providerent. Quod cum conformasset SS. Dom. Noster Gregorius XVI. motu proprio edito die V. Julii 1831, accidit ut ad hoc munus ab eodem SS. Principe eligeretur sacerdos Joseph Bonaccorsi Canonicus Poenitentiarius in cathedrali ecclesia Pergulana. Hic animadvertens fieri non posse ut uno eodemque temporis momento comitiis municipalibus intersit, supplex implorat a s. Congregatione, ut a fallentiis chori absolvatur quoties praesens esse debeat comitiis eo ipso tempore quo etiam ecclesiae debeat inservire.

Episcopus sententiam rogatus ait capitulum instantiae adversari tum quia hae fallentiae ad duos vel tres julios quotannis rediguntur, de qua tenui pecuniae summa indecorum est questionem instituere, tum quia si hoc Bonaccorsio concedatur concedendum etiam erit Praeposito Cathedralis, qui et ipse eodem honore est auctus, ac aliis Canonicis, qui forsan ad hoc munus eligentur: quo sane in casu servitium chori patietur detrimentum.

Ad haec tamen ita advertit Episcopus: »Hoc vero nullo pacto innititur veritati: Non enim quatuor aut quinque vicibus ut asseritur hisce coetibus interessentia quotannis requiritur sed viginti aut triginta etiam vicibus potest esse necessaria, prout majores vel minores in concilio agendae res sunt et discutiendae. Addendum absentias a choro per oratorem enuntiatis circumstantiis commissas vere et realiter negligentias in servitio propriae ecclesiae praestando non apparere, quando hujusmodi minimae sint, cum tantum ad publicum curandum bonum abfuerit atque ut Principis supremi imperio a quo consiliarius adlectus est obsequeretur. Atque hoc in allata hypothesi Canonico praesertim, qui longo tempore ecclesiae deserviret, officere posset, cum jubilationis indultum ab ista s. Sede esset postulaturus, obstantibus quam maxime deficientiis, ut supra recensitis, quae apparentes solummodo, minime reales, verae et propriae appellandae sunt. Addendum insuper a coetibus consiliariis absentias nulla interveniente legitima causa poena pecuniaria mulctari; ideoque Canonicus Conciliarius in iis adversis reperietur circumstantiis, ut aliquid semper ab eo sive pro deficientia a choro sive pro deficientia a consiliariis conventibus foret persolvendum.

Ad id vero quod ulterius opponitur a capitulo psalmodiam et s. functiones cessandas esse, si plures Canonici eligerentur Consiliarii, respondetur primo hunc casum esse pure metaphysicum, cum numquam accidere possit ut 9 et 10 Canonici ex quibus totum conflatur capitulum sint ex maxima parte in communalibus consiliis adhibiti, ita ut chorus impediatur omnino. Sed hoc etiam dato minimeque concesso quid inde? Chorus quidem sileret sacraeque functiones suspensae remanerent, in sententia capituli unice persolvendae essent deficientiae, nullo ceteroquin respectu habito sive ad conculcatas apostolicas constitutiones ad chori servitium spectantes sive ad populi scandalum sive ad laudem gloriamque Dei imminutam atque contemptam.

Jam vero inquirendum videtur an Canonico Bonaccorsio concedendum sit indultum pro iis diebus et horis quibus praesens adest comitiis tanquam deputatus ecclesiasticus. Id negat capitulum ejusque sententiae suffragari videtur juris dispositio ac ipsa beneficiorum institutio. Beneficium enim datur propter officium*) et sicuti in veteri ecclesiae disciplina clerici redditibus fruebantur ecclesiae cujus albo erant adscripti,**) ita modo de canoniae***) fructibus participant Canonici, qui ecclesiae interveniunt ejnsque chorali servitio intersunt Non omnes ergo causae pro legitimis habendae sunt ut a choro vacare possint Canonici.

Verum contra ea animadvertendum videtur, ex ss. canonum sanctionibus nonnullas censeri legitimas causas ob quas nedum a chori servitio vacare sed etiam ab ipsa residentia liceat clericis chori servitio addictis. Eae sunt christiana charitas, urgens necessitas et evidens ecclesiae utilitas, *cap. unic. de cleric. non resid. in 6.*, quas confirmavit Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* Porro Canonici videntur abesse servitio chori propter publicam utilitatem, dum absunt ut comitiis intersint tanquam deputati ecclesiastici, nimirum ut ipsi tueantur jura ecclesiae et ss. canonum sanctiones patefaciant caeteris conciliariis, quos utpote laicos fieri potest non aeque ac ecclesiasticos ss. jurium scientia pollere.

Quatenus EE. PP. hujus muneris exercitium pro justa indulti concedendi causa haberi posse existimaverint favore cujuslibet beneficiati, videndum erit num haec ratio militare possit etiam pro Canonico Poenitentiario de quo agitur in praesenti facti specie.†) Ipsius enim peculiare officium est excipere fidelium confessiones et a choro licite abesse potest dum fidelibus poenitentiae Sacramentum administrat idque tanti semper fecit s. Congregatio ut aliorum munerum, quae huic impedimento essent, exercitium ei vetuerit. Hinc in *Parmen. 7. Maji 1652.* declaravit Episcopum non posse renuntiare convisitatorem Canonicum Poenitentiarium, nisi vacationum tempore, nec ipsum posse eligi ad officia, quibus a confessionibus in ecclesia excipiendis praepeditur, ut in *Gardien. 19. Augusti 1598.*, *Montis Falisci 13. Augusti 1652.*, *Conversana 19. Novembris 1652.*, nec cogi posse ad capituli negotia procuranda.

Inspiciendum dein superest num ex praemissa causa vacans a servitio chori distributiones lucretur. Porro iis privandos esse absentes a chori servitio tradit *Honorius III.*

*) Vd. *t. II. p. 551. f.*
**) Vd. *t. II. p. 139. n. 10.*
***) Vd. *p. 47.*
†) Vd. *p. 975. e.*

cap. 32. de praebend. confirmavitque *Bonifacius VIII. cap. unic. de cleric. non residen. in 6.* Quae decreta probans Concilium Trid. sancivit distributionibus carere absentes quavis remissione exclusa ac non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus, *sess. 21. cap. 3.* et *sess. 24. cap. 12. de reform.* Idque servari praecepit s. Congregatio in *S. Severini 16. Julii 1695.* et in *Cathacen. 18. Julii 1699.*; eae enim sunt praemium laboris, quod praemium consequi nequit qui quavis ex causa ab opere vacaverit.

Conjici quinimo non potest SS. Principem, dum officium deputati ecclesiastici tribuit Canonico, maluisse illud cedere in aliorum Canonicorum incommodum potius quam converti in ipsorum compendium et lucrum. Hoc enim munus alienum prorsus est a qualitate Canonici et non modo nihil ad capitulum pertinet quod ipse in conventibus illis pertractat sed ne ecclesiae quidem hoc interest, si laicorum tantum negotia in iis administrentur. Nullum hinc damnum ex Canonici absentia pati debet chori servitium. Nec vero necessarium videtur comitia habenda esse tempore quo divina officia in choro absolvuntur. Quapropter s. Congregatio in *Brixien. 19. Julii 1638.* definivit: Canonicum examinatorem synodalem vocatum ad interessendum examini pro parochialibus ecclesiis vacantibus vel pro collatione ordinum tempore quo divina officia celebrantur si eis non intersit non lucrari distributiones quotidianas; idque confirmavit *in Cremonen. die 20. Septembris 1692.**)

Praeterea quamvis juxta *cap. de cetero de cleric. non resident.* uti possit opera duorum Canonicorum tamen s. Congregatio pluries sancivit eosdem lucrari fructus praebendae**) non autem distributiones quotidianas: *in Colonien. 1587.* et in *Sorana 22. Aprilis 1679.* Neque aliter judicavit s. hic Ordo quoties de Canonicis Episcopum in s. visitatione comitantibus actum est: eos enim amittere quotidianas distributiones decrevit in *Sulmonen. 5. Dec. 1626.* Quae sane resolutiones jus constituerunt ita ut ex earum praescripto omnes hujusmodi instantiae definire consueverint.

Praestat nihilominus animadvertere non ita generaliter fuisse constitutum, absentibus omnibus distributiones esse denegandas, ut nulla prorsus ratione haec juris canonici sanctio attemperari possit. Multae enim dari possunt justae causae nedum vacandi a servitio chori sed etiam lucrandi quotidianas distributiones etsi beneficiatus non absit ob directam utilitatem ecclesiae, in qua praebendam possidet. Atque ut cetera mittam exempla in dubiis indultorum die 6. Maji 1820*) ii omnes, qui absunt tanquam familiares SS. Pontificis vel inserviunt capellae pontificiae, sed praesentes in choro sunt et quotidianarum distributionum compendio ditantur. Idem sancitum pro romanae curiae Praesulibus qui s. Sedis servitio sive in temporali sive in ecclesiastico munere sint addicti: praeterea s. Congregatio hoc idem indultum tribuere consuevit consultoribus ss. Congregationum, qui absque ulla mercede ac lucro operam suam navant. Ii enim omnes post demandatam a s. m. Pio VII. indultorum reformationem hoc indulto gaudent pro diebus et horis sine ulla quotidianarum distributionum jactura. Videant EE. VV. utrum hac ipsa indulgentia digni sint ii qui munus obeunt ecclesiastici Deputati, quod in ecclesiae utilitatem et populi commodum vergere videtur.

Hinc definire dignabuntur

D u b i u m:

An et quomodo sit concedendum indultum in casu?

S. C. resp.: Consulendum SSmo.

Die 20. Dec. 1834 et 31. Jan. 1835.

q) Senectus.

Cf. *Distribut.*; *Fructus*; *Feriae* (Canon. Cath.) *Coadjutor Canon.*; *Jubilatio*; p. 207. VI.; p. 482. XIV.

C o l o n i e n.

Statutum collegiatae ecclesiae ss. Cassii et Florentii oppidi Bonhen. haec inter caetera quoad Canonicum seu ordinaria seu apostolica auctoritate noviter provisum statuit et decernit: »Promittet se lapsis exspectationis suae annis dum ad primam annalem ejus residentiam pervenerit eandem per unum integrum annum personaliter completurum etc., sic videlicet, quod idem Canonicus per hujusmodi primum annum in choro primus et ultimus de choro causis cessantibus legitimis existat. Ad quorum praemissorum remissionem et indulgentiam sibi faciendas a quo-

*) Vd. *p. 991. h.*
**) Vd. *p. 191. b; p. 987. g.*
*) Vd. *p. 1027.*

cunque cujuscunque dignitatis, status, praeeminentiae aut potestatis fuerit sub suo juramento praestito non impetrabit neque impetratis seu sibi concessis fruetur quovis modo vel gaudebit.« Joannes Stuben provisus a Sanctissimo usque ab anno 1711 de canonicatu in d. Collegiata, cum sit septuagenario major et mala affectus valetudine ex quadam asthmatis specie usque a die 8. Aug. per supplicem libellum extra ordinem et folium EE. VV. supplicavit pro indulto, ut statuto praefato non obstante a choro saltem pro horis matutinis possit abesse etiam in dicto anno captiosae, ut nuncupant, residentiae; cumque EE. VV. rescripserint, in folio instantiam esse describendam, ideo preces humillime pro gratia renovat. Capitulum et Canonici statutum relatum obstare praetendunt, cum ejus observantiam ipse Stuben juraverit conceptis verbis, ibi: Annalem residentiam more reliquorum Canonicorum complebo. Et quatenus EE. PP. censeant indultum esse concedendum capitulum et Canonici dispicere exorant, an necessaria sit absolutio a juramento tam pro ipso Stuben impetrante quam pro reliquis Capitularibus necnon apponi in indulto derogatorio statuto clausulam: »pro hac dumtaxat vice et attenta senii septuaginta annorum raritate et gravitate, eodem statuto in aliis futuris casibus in suo robore permansuro. Summa EE. VV. sapientia decernet:

An et quomodo sit concedendum indultum?

S. C. C. resp.:

Affirmative ad sex menses pro horis matutinis.

Die 28. Nov. 1716.

r) Studia.

Vd. p. 354. a; supra *Dubia Indultorum* p. 1027; p. 205. m; *Residentia; Chorus* (absent. — causae non excus. —: *Studia*); p. 1008. n.

Eugubina.

Honorius III. *in cap. Super specula de magistris* statuit: *Doctores in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis apostolicae proventus praebendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua consuetudine vel statuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Id ipsum confirmavit Innocentius IV. in *cap.: Cum de diversis de privilegiis in 6.*, ubi haec habentur: *Volumus et statuimus ut studentes in scholis ipsis penes sedem eamdem talibus privilegiis omnino, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus gaudeant studentes in scholis, ubi generale viget studium, ac recipiant integre proventus suos ecclesiasticos sicut illi.* Concilium Trid. *sess. 5. cap. 1. de reform.* hujusmodi privilegia praeservavit voluitque, quod *Docentes ipsam s. scripturam dum publice in scholis docuerint et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant et fruantur.*

Quamvis autem absentes causa studiorum sive studuerint sive docuerint pro praesentibus habeantur et integros fructus suae praebendae lucrentur, distributiones tamen quotidianas amittunt. Idem *Honorius III. in cap. Licet de praebendis* scribens Abbati et Priori s. Genovefae ita loquitur: *Licet vobis dixerimus scripto nostro ut magistro N. Eboracen. Archidiacono in sacra pagina cupienti studere proventus suos ecclesiasticos faciatis integre ministrari, nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quae tantum residentibus in ecclesiis et iis qui intersunt horis canonicis exhibentur, ei tribui faciatis.* S. Congregatio in *Maceraten. 10. Decembris 1616.* censuit: *Canonicos studiorum causa absentes eam tantum portionem amittere, quam residentes non percipiunt, nisi Divinis interfuerint, aliam vero partem, quam residentes lucrantur et si ecclesiae non inserviant, deberi absentibus studiorum causa, quia ss. canonibus pro residentibus habentur.* Sustinet *Card. Petra in commentar. ad constit. IX. Bonifacii VIII. num. 18. et 19.*, quod privilegiati causa studiorum, cum tantum ficte dicantur praesentes, non participant de quotidianis distributionibus, pro quibus percipiendis non ficta sed vera praesentia requiritur.

Die 15. Mart. 1783.

Balneoregien.

Capitulum Cathedralis Balneoregiensis constat duplici Canonicorum classe, quarum altera dicitur massa di s. Donato altera massa di s. Nicola, quae alterna vice chori servitium praestant. Massa Canonicorum s. Nicolai habet Priorem et septem Canonicos, quorum duo morbo conflictantur, duo sunt

parochi et munere curae animarum distenti, alter gaudet indulto jubilationis, alter causa studiorum manet in seminario dioecesano. Quare duo tantum sunt, qui choro interesse possint. Ex his unus est clericus annorum 18 Cosmas Colasanti. Ejus parentes consultius fore putant, si longe in seminario Amerino juvenilis animus moribus et scientiis informetur, cum domi periculum sit, ne illecebris distractus parum proficiat. Probavit Episcopus consilium et nunc postulatur indultum abessendi causa studiorum. Sed omnino repugnat capitulum, ne chori servitium detrimentum patiatur. Fieri enim poterit, ut in hebdomada quae pertinet ad missam s. Nicolai unus tantum sit Canonicus, qui choro intersit et idcirco servitium praestari non possit. Ex quibus negant se assensum daturos, nisi sub conditione, quod in seminario dioecesano studiis operam navet, quia hoc modo choro interesse poterit. Episcopus tamen narrata confirmans putat rem omnem conciliari posse si *in concessione gratiae a s. Congregatione imploratae imponatur oratori obligatio deputandi alterum ecclesiasticum, qui suas gerat partes in chori assistentia.*

Habet orator aetatem annorum 18, necessarium ei est studium scientiarum, in quibus hactenus parum profecit adeoque his concurrentibus indultum causa studiorum concedi solet *a s. Congreg.* passim et praecipue *in Nullius s. Ruffilli 12. Maji 1783.* Quaestio itaque redit ad locum in quo studiis incumbere debeat. Nam Canonici repugnant, ut in seminario Amerino maneat orator, ne chori servitium detrimentum patiatur, sed potius in seminario Balneoregiensi studiis incumbat, ut simul choro adesse possit, ubi id necessitas postulet. Episcopus vero putat oratorem abesse posse a patria, si indultum hac conditione concedatur, ut alium substituat, qui ejus vices in choro praestet. Verum haec conditio numquam in indultis hujusmodi usuvenit; et nil conferre videtur ad servitium chori. Nam extra gremium suae massae orator deputare posset neminem et in ipsa massa alius non erit, qui servitium pro absente clerico praestare possit.

Proponitur dubium:

An et quomodo sit concedendum indultum in casu?

S. C. resp.: Affirmative dummodo maneat in seminario dioecesano cum obligatione inserviendi choro diebus festis et vocationum recurrentium.

Die 16. Febr. et 30. Mart. et 20. Julii 1805.

4) Causae non excusantes.

a) Consuetudo.

Vd. *Chorus* (consuetudo, obligatio); p. 1042. c; 1044. d.

Ariminen.

In civitate s. Archangeli Ariminensis dioecesis insignis adest Collegiata titulo ss. Rosarii erecta e parochiali prius ecclesia a s. m. Benedicto XIV. 1742, unica constans prioratus dignitate et octo Canonicis *qui cum Priore praedicto capitulum primodictae confraternitatis ecclesiae hujusmodi in saecularem et insignem collegiatam quae etiam parochialis esse debeat ecclesiam ut infra erigendae constituant et apud illam personaliter residere ac inibi debitis temporibus horas canonicas diurnas et nocturnas necnon conventualem et majorem aliasque missas caeteraque divina officia cum debita mentis attentione servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare et psallere divinisque officiis tam diurnis quam nocturnis hujusmodi interesse .... respective debeant et teneantur.*

A primis secutae erectionis temporibus accidit ut Prior quin ulla dignoscatur facti ratio et origo nunquam choro per hebdomadas unacum ceteris Canonicis interfuerit, sed solummodo missam conventualem in solemnioribus anni festivitatibus celebraret. Quod cum aegre ferret major Canonicorum pars, ultimae vacationis prioratus tempore ob mortem Aloysii Masi die 27. Junii 1861 obventam cogitare incepit de hujusmodi exemptione auferenda: cumque per bullam pontificiam mox suffectus in prioratu fuisset Joseph Maggioli eumdem memorati Canonici sciscitati sunt an vellet juxta primaevam institutionem unacum ipsis choro interesse. Refragante vero huic oneri se submittere novo Priore Capitulum supplex adiit SS. Pontificem.

Sede Ariminense vacante remissae fuerunt preces ad Vicarium capitularem pro informatione et voto et ut audito Priore ac capitulo in scriptis transmissa particula statutorum capitularium aliisque documentis ad rem facientibus super bono jure referet. Quapropter Canonici habito capitulari conventu die 20. Februarii currentis anni quinque

in eam ierunt sententiam, ut Prior unacum caeteris teneretur ad chorale servitium, duo vero adstipulantes Prioris sententiae protestati sunt servandam esse praecedentem consuetudinem. Agnita sed vero per Vicarium capitularem eorumdem actorum nullitate ob Prioris praesentiam in capitulo et suffragiorum publicitatem in praedicta resolutione, eaque penitus rejecta, calata iterum fuere comitia die 6. Martii subsequentis, in quibus praecedens sententia ab utraque dissidentium parte propriis argumentis scripto traditis hinc inde propugnata fuit et vicissim confirmata. Quae omnia a Vicario capitulari ad H. S. O. transmissa fuere literis 19. mensis Martii, quin tamen iisdem particula statutorum capitularium fuerit adjecta. Quoad suam vero sententiam idem Vicarius haec habet: »*Ne videar vobis neque s. Archangeli capitulo favere partes potius istorum quam illorum contendentium, eo quod jurisperitorum opiniones nobis exhibitae in contraria scinduntur, enodandam quaestionem unacum Canonicis ipsis censeo sapientissimo Vestrum inappellabili judicio omnino submittendam.* Iis vero non obstantibus, praenotare non omittam folium in actis reperiri, quo idem Vicarius capitularis favet exemptioni Prioris ab hebdomadali servitio chori.

Naturae quidem beneficiorum choralium consonum est, praesentem beneficiatum quotidie divinis officiis operam navare, *cap. ult. dist. 92.* Beneficium enim datur propter officium, *cap. ult. de rescript. num. 6.* Praecipuum vero immo unicum argumentum, quod Prior et cum eo Canonici Philippi et Genci in exhibito folio proferunt ad evincendam exemptionem a chorali servitio, innititur consuetudini et centenariae observantiae quam ipsi vocant immemorabilem. Ajunt enim a perantiquo tempore cujus memoria non extat immo vel ab ipsa Collegiatae erectione nunquam consuevisse, ut Prior choro cum ceteris Canonicis interesset. Atqui subdunt tantum est robus hujusmodi consuetudinis et centenariae observantiae, ut melioris tituli praesumptionem secumferat, *Pitonius de contr. patr. alleg. 38. num. 15. et 36.* Doctores communiter et s. Congregatio in *Perusina Capellaniae 15. Sept. 1828.* et *die 24. Nov. eodem anno.* Necnon vim habeat privilegii a Principe concessi, *Gonzalez. in reg. VIII. canc. gloss. 33. num. 4.*, cui consonat *Corradus de prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 94.* et *Rota in decis. 12. et decis. 117. num. 13. coram Gamberini* ceu fuse relatum est in *Ferentina Procurationis 25. Februarii 1826.* §: *Nullum*, ubi haec leguntur: »In cardinalitiis Congregationibus consuetudo plurimum attenti solet .... ut solitum non alteretur, ceu tradit *de Luca de parochis disc. 14. n. 1.*« Imo juxta *Riganti in regul. 2. cancel. n. 138. seq.* (adjuncto *n. 194.* §. *2. reg. IX.* ubi docet centenariam aequipollere immemorabili) *licet privilegium apostolicum ambulet pari passu cum immemorabili tamen haec est majoris virtutis et efficaciae, cum illius ope possit quis allegare meliorem titulum de mundo.* Neminem vero latet privilegio apostolico si adfuisset eximi legitime potuisse Priorem Collegiatae s. Archangeli a chorali servitio, *Nullius seu Sublacen. 18. Julii 1807.*

Porro in hujusmodi consuetudinis argumento maxime insistentes memoratus Prior et Canonici Pilippi et Cenci rationabilem ipsius originem arguere nituntur ex quodam forte grati animi sensu erga primum Priorem Petrum Augustinum Gosti, summopere de Collegiata benemeritum; eamque firmatam fuisse dicunt favore successorum Gosti patientia Capitularium et tacito consensu auctoritatis ecclesiasticae, quae per centum et amplius annos nil unquam contra decrevit. Maximi ergo facienda foret hujusmodi observantia praesertim cum diuturna et perennis sit, qua proinde solet esse optima legis et voluntatis interpres eo vel magis cum proxima fuerit fundationi, *Piton. de contr. patr. all. 17. num. 13*; *Card. de Luca de jurepatr. disc. 60. n. 11.*, illis nempe viventibus qui erectionem Collegiatae postulaverant, quique ita interpretati sunt onus Prioris, ut hebdomadali servitio ipse non teneretur. Nec ratione etiam hujusmodi observantiam caruisse autumant vel ex eo quod majora in dicta Collegiata sint onera prioratus quam aliorum Capitularium. Prior enim solemnioribus omnibus anni festis missam canere et quolibet anno 16 numero plures quam ceteri Canonici conventuales missas celebrare tenetur. Missa vero conventualis grave est onus et praecipua pars divinorum officiorum Canonicis incumbentium, ita ut horas canonicas ad eam ordinari liquet *ex cap. Cum creatura de celebr. miss., Gavant. in rubr. miss. t. 1. partit 1. t. 7. rubr. 2.*, s. Congregatio *in Mazzarien. 18. Martii 1826.* §: *Canonicorum* et in *Terracin. seu Privernen. Missae conventualis 15. Septembris 1827.* Ex quo arguunt

chorale onus prioratui impositum respective majus esse chorali servitio, quod Canonicis reliquis incumbit et compensationem quamdam praeseferre cum ejusdem exemptione ab hebdomadali servitio.

Iis vero praejactis nihili faciendas esse inquiunt querimonias nonnullas quorumdam praedecessorum Canonicorum, quibus hodierni Capitulares, qui interruptam aliquando fuisse praedictam consuetudinem evincant, contradicunt. Praeter quam quod enim hujusmodi querelae et adversae reclamationes nullimode probantur, certa insuper earumdem testimonia vel documenta afferri debuissent, quod hucusque peractum esse adversarii Canonici non docuerunt. Sed dato etiam quod ipsi aliquando reclamaverint, illud etiam concludenter in hypothesi statuendum foret, legitimo nempe tempore, seu nondum inducta consuetudine, easdem querelas fuisse promotas, ne secus ad infirmandam observantiam omnino despici debeant juxta *Engel. Coll. jur. canon. lib. 2. tit. 26. p. 5. num. 34.* Iis ergo non undequaque probatis concludendum esse ajunt, vel ab ipso erectionis die exemptionem a chorali servitio per privilegium concessam fuisse Priori Collegiatae vel per legitimam consuetudinem fuisse deinde aquisitam. Per consuetudinem enim, ut habent doctores, totum id acquiritur quod potest acquiri.

Ex adversa autem aliorum Canonicorum parte animadvertitur inprimis eam esse omnium beneficiorum naturam, ut propter ecclesiasticum officium formaliter instituta sint. Quod quidem officium in praebendis Cathedralium et Collegiatarum constitutum esse in chorali servitio nemo unquam dubitavit. Hinc post sanctiones juris canonici *in cap. Inter quatuor* et *cap. ult. de clericis non resident.* et *Clement. de celebrat. missae* Concilium Trid. *in sess. 24. cap. 12. de refor.* jussit *ut omnes* Canonici *divina per se compellantur obire officia**) . . . . *atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Quibus canonicis sanctionibus innumerae accedunt s. Congregationis resolutiones, quas hic referre operae pretium haud esset; praesertim cum bulla quoque erectionis Collegiatae in themate de quo agitur aperte loquatur, statuens et jubens Priorem unacum ceteris Canonicis ad obeunda munera Collegiatae teneri. Ad adstruendam quapropter exemptionem ab hujusmodi onere legibus solemniter sancitam et naturae praebendarum inhaerentem legitimum et vigens beneplacitum seu indultum apostolicum requireretur nec sufficeret quomodocumque praesumptum. Qua in re quanti facienda sit deficientia indulti apostolici, manifestum fit ex una pariter *Ariminen. Servitii chori 18. Aug. 1827.* super exemptione a chorali servitio Archipresbyteri ecclesiae s. Luciae oppidi Sabiniani, a SS. Pontifice Benedicto XIV. eodem anno quo ecclesia ss. Rosarii s. Archangeli in Collegiatam erectae. Cum enim Archipresbyter consensum erectioni Collegiatae dedisset assumpturus onus inserviendi choro diebus festis tantum, aegre proinde tulisset graviora sibi onera imposita per apostolicas literas, suffultus licet ab Episcopo ad exemptionem evincendam, frustra adlaboravit apud S. H. O. ut petitam exemptionem obtineret.

Nec aliquid ad rem facere videretur contraria observantia. Omisso enim quod eadem explicitae fundationis legi resisteret et manifeste contra naturalem beneficiati obligationem a ss. canonibus statutam adduceretur, idcirco tanquam abusus rejicienda fuisset nec tractu temporis convalescere unquam potuisset, cum nonnisi per corruptelam disciplinae choralis fuisset inducta, s. Congreg. *in Perusina 21. Junii 1828;* illud etiam objiceretur in casu non defuisse nempe praeterito tempore querelas et reclamationes Capitularium contra eamdem observantiam, ex quo fuisse aliquando interruptam retinendum foret; quippe quae etiam ex solo in contrarium rumore funditus everti potuisset, ceu monet *Riganti Reg. cancell. reg. 4. p. 6. n. 44. et seqq.*

Sed et ulterius urgent Capitulares; quaecumque enim sit indoles adsertae observantiae, dubitari nullatenus posse dicunt, eam directe adversari sanctionibus Trid. ideoque necessario incidere sub censura constitutionis s. m. Pii IV.: *In Principis Apostolorum,* quae consuetudinem quamcumque Concilio Trid. contrariam nullam et irritam declaravit. Ea vero constitutio ceu sapienter monuit Benedictus XIV. *Inst. eccl. 60. num. 7. singula ejusdem concilii capita simul complectitur et nullius efficit momenti consuetudines quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent.* Quod si ex contextu ejusdem constitutionis ita omnino retinendum de consuetudinibus quae decreta Tridentina prae-

*) Vd. *p. 379. c.*

cessissent, potiori sane ratione idem dicendum foret de iis consuetudinibus quae contra jam statuta decreta introduci vellent. Ob decretum siquidem irritans in ipsa constitutione Pii IV. contentum, infecta illico remanet quaecumque contraria possessio vel observantia, ut propterea consuetudo incipere non potuisset. *Card. de Luca de Canonic. et Capit. disc. 33. n. 2. adnotat. ad Concil. Trid. disc. 1. n. 16,* et alibi *Pitonius Disc. eccl. disc. 23. n. 16. et 17. disc. 112. n. 29; Ferraris,* verb.*: Consuetudo n. 37.*

Et haec in genere, in specie vero de chorali officio monet *Barbosa de off. et potest. Episc. all. 33. num. 131. et 133.* pluribus allatis auctoritatibus: *Canonici et qui dignitates obtinent in ecclesiis cathedralibus et collegiatis etiam seclusa consuetudine vel statuto .... tenentur psallere in choro ...; omnibus diebus et horis debent Canonici interesse .... et non possunt juvari aliqua consuetudine, quin teneantur omnibus septem horis inservire.*

Argumento denique ducto a Canonico qui in choro praesens minime psallet ad Canonicum qui, quod majus est, ne praesens quidem choro unquam assistit, ad rem praestat citare textum supramemoratae constitutionis Benedicti XIV. *Cum semper oblatas 19. Augusti 1744. num. 24.: Equidem scimus in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imponant neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusmodi vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria aut etiam praetensa ecclesiarum privilegia. At cum .... receptae in universa ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur, quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Trid. interpretationi proposita examinata sit, quin statim explossa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis innixa perhiberetur .... nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent.*

Cui doctrinae apprime consentanea esse dignoscitur praxis hujus s. Ordinis; ex centenis enim resolutionibus, quae in praesenti materia afferri possunt, id constanter eruitur, quod quoties exemptio a chorali servitio sustineretur ab aliquo capitulo vel Canonico in vim peculiaris apostolici indulti vel ex imminutione reddituum ita ut fructus viderentur impares ad sustinenda onera beneficii, tunc s. O. ex justissima aequitate motus eamdem exemptionem vel saltem imminutionem*) in chori servitio approbare consueverit, ut apparet ex jam citat. *Nullius seu Sublacen. Visitationis ss. Liminum 18. Julii 1807.* in qua proposito dubio:

An Canonici s. Andreae compelli debeant ad recitandas integras horas canonicas diebus dominicis aliisque festis de praecepto?

responsum prodiit: *Negative.* Favebat enim Canonicis decretum in actu s. visitationis ab Emo Canale latum, quod a SS. Pontifice Pio VI. probatum fuerat. Eamdem e contra exemptionem constanter respuisse videtur, quoties ipsa ex titulo consuetudinis et jugi observantia adstrueretur, ceu patet ex *Setina 21. Jan. 1786.* Cum enim Episcopus retulisset consuetudinem, quantum hominum memoria extenditur, fuisse, ut Canonici integrum officium nonnisi in aliquibus anni festivitatibus recitarent et ipse Episcopus arbitraretur Canonicos adstringendos esse ad integrum officium recitandum diebus dominicis et festivis de praecepto ultra consuetos, s. Congregatio respondit: compellendos esse Archipresbyterum et Canonicos ad chori servitium juxta votum Episcopi. Item in *Albanen. 4. Aprilis 1789* in qua cum ad declinandam integri servitii choralis legem Canonici inveteratam observantiam adduxissent eorum preces ab Emis Patribus in Congregatione 16. Maji ejusdem anni rejectae penitus fuerunt.

Emi Patres dignabuntur resolvere

D u b i u m:

An Prior collegiatae ecclesiae ss. Rosarii teneatur ad chori servitium in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et amplius.

Die 13. Sept. 1862.

b) Feriae beneficiatorum.

Vd. p. 211. VIII; *Feriae*; supra p. 292. k.

A n a g n i n a.

Capitulum Anagninae cathedralis ecclesiae olim erat compositum uno Praeposito, viginti

*) Vd. *Chorus* (reductio.)

quatuor Canonicis et duobus dumtaxat Mansionariis. Defectus beneficiatorum in obeundis ecclesiasticis functionibus tantopere necessariorum in causa fuit, ut ad petitionem bo. me. Antonii Seneca tunc Anagnini Episcopi unacum capitulo praefatae ecclesiae sa. mem. Paulus V. in suis apostolicis literis sub X. Calendas Septb. 1608. praeciperet, quatuor ex dictis viginti quatuor esse supprimendos canonicatus, tunc cum primum per cessum vel decessum aut alio quovis modo vacare contingerent et cum eorum fructibus, redditibus et proventibus octo esse erigenda perpetua simplicia beneficia ecclesiastica*) pro octo perpetuis beneficiatis *ad instar aliorum in aliis ecclesiis perpetuorum beneficiatorum*, ita ut ipsis pro tempore existentibus licere deberet *fructus, reditus, proventus, distributiones, jura, obventiones et emolumenta inde provenientia quaecumque* percipiendi, exigendi et in proprios usus et utilitatem convertendi.

Hodierni beneficiati supradictae cathedralis ecclesiae civitatis Anagninae, quibus in novis legibus et constitutionibus capitularibus a praefato Anagnino Antistite efformatis observandisque tum a Canonicis tum a beneficiatis tributum fuerat beneficium vacandi a choro per unicum tantum mensem anno quolibet, precibus oblatis s. Congregationi supplicarunt, ut ipsis concederetur indultum annuae vacationis duorum mensium, ut eo potiuntur Canonici; quod ut facilius assequerentur plures exposuerunt causas et praesertim assiduum ac ultra modum laboriosum chori servitium cui absque intermissione per totum anni cursum interesse debent mane et vespere pro recitandis horis canonicis necnon onus praeter cantum Gregorianum etiam canendi musicam, quoniam omnibus diebus dominicis aliisque indistincte festis tenentur missam solemnem cum organis musice canere, ac etiam celebrandi et applicandi toto anno, etiam indistincte diebus, in quibus semiduplex vel Sancti simplicis occurrit officium.

Super his precibus auditus fuit Anaguinus Episcopus, qui veritatem expositorum confirmans retulit, illis adversari capitulum suamque tamen aperuit animi sententiam favorabilem concessioni gratiae, quam postulant beneficiati, *ita tamen ut sex eorum eodem tempore semper choro intersint.*

Licet enim s. Trid. Synodus *sess. 24. cap. 12. de reform.* ita statuerit: *Non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt«* et consentanee ad hanc conciliarem dispositionem s. Congregatio Canonicis adstrictis ecclesiae servitio vacationem ultra tres menses denegare consueverit teste *Fagnan. in cap. Licet num. 48. et seqq. de praeben.*, attamen quoad Canonicos sive beneficiatos, qui ex constitutione sive consuetudine ecclesiae tenentur ut in casu toto anno chori ecclesiaeque servitio incumbere, haec apud *Garzium de benefic. part. 5. cap. 2. num. 311.* habentur: *Si tamen constitutio aut consuetudo ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa. Est enim dura residentia totius anni opportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi et ita s. Congregatio Concilii censuit in una Astoricen. his verbis: Decretum Concilii cap. 12. sess. 24. concedit Canonicis absentiam trium mensium si constitutiones ecclesiae servitium totius anni requirunt.*

Atque hinc contendunt beneficiati, vacationem unius tantum mensis parem non esse laborioso totius anni quo premuntur ecclesiae chorique servitio. Sustinent enim, ipsos juxta pontificiam fundationis legem exaequatos fuisse *ad instar aliorum in aliis ecclesiis perpetuorum beneficiatorum* probantque beneficiatos tum Patriarchalium Urbis tum ecclesiae cathedralis Veliternae et Ferentinae civitatis tum etiam collegiatae ecclesiae s. Angeli custodis ejusdem Anagninae civitatis par servitium paremque vacationem habere cum Canonicis eosque propterea, qui majus ferunt onus eo Canonicorum, aequale saltem beneficium vacationis duorum mensium, quo fruuntur Canonici, perfrui debere, juxta regulam, quod ubi par est onus ibi etiam par esse debet emolumentum, quam exornat *Piton. alleg. 26. num. 21. t. 2., Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 19. num. 36.* et *Pignatell. t. 6. consult. 48. num. 13.*

Nec obstare ajunt capitulares leges post editam Paulinam fundationem compositas a tunc Anagnino Episcopo, quia jus non erat eidem Episcopo per has novas leges qualitatem et naturam beneficiorum immutare*) non

*) Vd. *t. II. p. 524. a; 530. e.*

*) Vd. *t. II. p. 358. n. 4; p. 622. e.*

approbante Pontifice illorum fundatore, *Formosin. de potest. capit. tract. 3. quaest. 4. num. 5.*, *Rota coram Manzaned. decis. 723. num. 7.*, quinimmo nullas esse praefatas ordinationes utpote contrarias juribus, quae in fundatione beneficiatis concessa et indulta fuerunt, *cap. Ex parte 12. de constit.*, *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 41. n. 17.* et s. Congregatio in *Juvenacen. 22. Augusti 1738.* Animadvertunt insuper antedictas capitulares leges efformavisse quidem, non autem edidisse Episcopum Seneca, dum eas edidit illius in Anagnino episcopatu successor Gerardus circa initium praesentis saeculi ideoque nullam vim fieri posse in recepto earum legum usu, quem tamen vel ante vel post illarum indictionem non probari et quatenus probaretur, nihil esse momenti sine apostolico privilegio, *Card. de Luc. de jurisdict. disc. 24. num. 13.* versic.: *Respondebam, Rot. recen. decis. 396. num. 15. part. 18., et in nuperrim. t. 7. decis. 28. num. 17.*, maxime in praejudicium modernorum beneficiatorum, qui cum eorum jus agnoscant a solo Pontifice fundatore hinc a facto vel agnitione praedecessorum obligari non possunt, *Piton. de controv. patron. alleg. 17. num. 10., Rot. cor. Ansald. decis. 68. num. 21.* et in *Tuden. Servitiorum super bono jure 6. Martii 1758. §. 11. cor. cl. mem. Card. Paracciano.*

Itemque ponderant, quod quiescentibus duobus ex octo beneficiatis ratione vacationum bimestrium juxta votum Episcopi, non ideo ecclesia dum alii sex interessent choro debitis fraudaretur obsequiis vel minori decentia divina officia celebrarentur. S. Congregatio, assiduo et ultra modum laborioso concurrente servitio, ut chorales aliquo vacationis levamine perfruantur, vacationem unius mensis ad duos auxit in *Tarraconen.* proposita *28. Januarii* et resoluta *die 18. Februarii 1764.* in qua proposito dubio:

An et quomodo petitis sit annuendum in casu etc.?

responsum fuit: *Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum et pro duobus mensibus tantum et cum solitis clausulis.*

Alia plurima ponderanda sunt in libello beneficiatorum. Legenda est Anagnini Episcopi relatio. A Capitulo nihil hactenus deductum fuit. Dubium definiendum proponitur:

An beneficiati ecclesiae cathedralis Anagninae gaudere debeant per duos menses infra annum eadem exemptione a choro, qua gaudent Canonici ejusdem ecclesiae in casu?

S. C. resp.:

Negative et amplius.

Die 7. Junii et 5. Julii 1777.

c) *Infirmitas.*

Vd. p. 992. l.

Regineten.

Ex relata factorum serie dubitari nullatenus potest, Canonicum Decanum per majorem anni partem chori servitio deesse, immo iis ultimis temporibus et praesertim hoc anno a choro penitus abfuisse, cum a prima Januarii die usque ad diem 5. Maji, ne una quidem vice ut ait capitulum choro praesens adstiterit. Qua super re nec ipse Decanus vel Archipresbyter Galamini aliquid refragati sunt quoad facti existentiam; ea vero quae iidem reposuere unice causas defectus ipsius et excusationes respiciunt. Sane ex testimonio quod Decano a curia episcopali traditum fuisse dicitur 1857 ad coadjutorem obtinendum, satis certo eruitur, legitimam tunc temporis allatam fuisse causam a choro abessendi; ipse enim Vicarius capitularis ait eumdem Decanum exhibuisse *de infirmitate fidem medici.* Item de nulla negligentia in chorali servitio incusandus videretur a die 5. Septembris 1857. usque ad 31. Maji 1860, quo temporis lapsu de eadem negligentia, si extiterit, coadjutor ipsius respondere deberet, Non ejusdem vero valoris causae et excusationes hucusque adductae sunt quoad ulteriorem negligentiam a die nempe assumpti decanatus, qua coadjutore in chorali servitio carere iterum incoepit. Animadvertendum ergo hujusmodi negligentiam ceu habitualem adduci a Capitularibus, nec praeter ipsius Decani et Archipresbyteri assertiones nullum in actis extare de aliquo morbo medicorum aliorumque legitimum testimonium, imo contraria non pauca afferri quibus infirmitatis cujuspiam existentia vel ipsius saltem gravitas et diuturnitas excludi videntur.

At beneficium datur propter officium, *cap. ult. de rescript. in 6°.* Merito ergo ex generalibus juris canonici regulis edocemur, omnes Canonicos ecclesiarum cathedralium sive collegiatarum singulis diebus teneri ad horas canonicas in ecclesia ipsa seu in choro per se ipsos persolvendas,*) *cap. Clericus dist. 91, cap. Si quis presbyt. dist. 92, cap. un.*

*) Vd. *p. 379. c.*

de cleric. non resid. in 6, Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Nec ullatenus dubitari unquam licuit, chori obligationem ad horas canonicas persolvendas praecipuum esse officium Canonicorum aliorumve clericorum quovis titulo ecclesiis cathedralibus vel collegiatis addictorum, *Antonelli cap. ult. de cleric. onerib. art. II. de pub. divin. offic. recit.*, *Cajet.* in verb.: *Hora*, *Suarez. t. 2. Relig. lib. 4. et 10.*, *Bonacina de horis can. disp. 2. quaest. 1.* Cui obligationi cum clerici minime resideant, hinc meritae per ss. canones et pontificias constitutiones et ipsum Concilium Trid. statutae sunt poenae quibus in eorumdem socordiam et maxime pervicaciam animadverteretur. Qua in re neminem latent curae diligentissimae, quibus s. Congregatio semper studuit, ut ad tramites celeberrimi *cap. 12. sess. 24.* Concil. Trid. in qualibet collegiata ecclesia nedum in cathedralibus distributiones constituerentur, quas ii recipiant *qui statis horis interfuerint, reliqui quavis collusione aut remissione exclusa* his careant. Nullatenus pariter ignotum unquam fuit, qua justissima severitate alteri ejusdem Trid. capitis dispositioni H. S. O. semper insti terit, ut contra non residentes procederetur, ut nempe *primo anno privetur unusquisque* absens ultra tres menses *dimidia parte fructuum quos ratione etiam praebendae ae residentiae fecit suos, quod si iterum eadem fuerit usus negligentia privetur omnibus fructibus ejusdem anni, crescente vero contumacia contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur*, ita ut privari possint et debeant ipso beneficio seu praebenda, *Girald. in part. 1. lib. 3. decret. ad cap. XI.* Ita porro contra non residentes. At cum *residere* in hac materia, ut notat *Fagnan. in c. Relatum 4. t. de cleric. non resid.* et *cap. Licet num. 23. de praeb.*, nihil aliud sit quam deservire in officiis divinis et juxta *Reiffenst. cum communi lib. 3. t. 4. num. 1.* is dicatur residere, qui ferme continuo commoratur in loco beneficii sui causa officii seu servitii ecclesiastici personaliter praestandi, hinc si clericus ut idem tradit *Reiffenst. loc. cit. n. 3.* personaliter quidem existat in loco beneficii sed officium suum numquam praestet (puta si Canonicus ceteroquin praesens in loco ecclesiae cathedralis vel collegiatae nunquam accedat ad chorum aut capitulum) vel non censetur residere, *Pirhing. de cler. non resid. num. 1.*, vel cum *Barbosa ad rubric. eod. t. num. 8.* hujusmodi Canonicus diceretur residere dumtaxat *materialiter*, non vero *formaliter*, cum non maneat in loco beneficii cum effectu, hoc est cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur. Nec aliter unquam ab hac doctrina s. Congregatio docuit, ut videre est in una *Lucen. 1. Febr. 1766.*, in qua formiter discusso articulo et relata distinctione de residentia *praecisa* et *causativa* praecisam requiri dicitur in beneficiis quae servitium chori habent in Cathedralibus vel Collegiatis juxta *Fagnan. in cap. Ut Abbates de actat. et qualit.*, *Antonell. de regim. eccles. lib. 3. c. 3. numer. 6.*, *Piton. de contr. part. all. 27. num. 5.*, *Rigant. ad reg. cancell. reg. 1. §. 8. n. 25. 26. et 27.* Unde 1573. proposito dubio huic s. Ordini ab Episcopo Mutinensi, an censendi forent absentes, qui non absunt ab ecclesia vel a civitate sed ab ecclesiae servitio tot vicibus, ut trium mensium spatium excedant, respondit: Istos haberi pro absentibus, *ex lib. 1. decr. p. 178.* apud *Bened. XIV. Inst. 107. §. 6. n. 32.*, qui insuper ex alia responsione data a s. Congreg. ad eumdem Episcopum Mutinensem eod. ann. 1573. *l. 1. Decr. p. 178. et seq.* declaravit ad absentiam ultra tres menses necessarium non esse, quod continua trium mensium absentia procedat, sed *satis esse*, quod dies absentiae quanquam interpolati superent trimestre. Adeoque s. Congr. puniendos esse decrevit eos Canonicos, qui chorale servitium, ut supra, negligunt, licet ipsi in civitate locove, in quibus est ecclesia, sint praesentes, eod. anno 1573, *ex l. 1. decret. n. 3.* iterum apud *Benedictum XIV. Instit. 107. §. 6. n. 32.*, quod factum fuisse legimus in una *Terracinen. Absentiae dici 26. Nov. 1853*, in qua cum Episcopus processisset in Canonicum Tarricelli poenis absenti Canonico irrogandis, proposito II. dubio:

An decreta episcopalia sustinenantur in casu?

III: *An et quomodo procedendum sit contra eumdem Canonicum in casu?*

Emi Patres responderunt

Ad II: *Affirmative.*

Ad III: *Proviso in secundo.*

Et iterum proposita causa die 31. Martii 1860. sub dubiorum formulis:

II: *An sit standum vel recedendum a decisis in II. dubio in casu?*

III: *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?*

responsum prodiit ad II. et III: *In decisis et amplius.*

Hinc demum pro meo munere adnotare non omittam, quod occasione hujus controversiae nuper innotuit, minime scilicet adesse in Recinetensi Cathedrali distributiones quotidianas quae respondeant ad tertiam fructuum et proventuum partem, uti sancitum esse patet a Concilio Trid. *sess. 22. cap. 3. de reform.;* punctaturas vero, quae loco distribntionum sunt, adeo tenues esse dignoscitur ut Decanus cui ex praebenda et proventibus 350 scutata quotannis obveniunt vix summam scutatorum 40 punctaturarum titulo per integrum annum persolvat. Cum ergo iis in casibus soleat per s. Congregationem mandari Episcopis, ut innixi Trid. decretis super distributionibus constituendis statutae dispositioni curent satisfieri, hinc Emos Patres rogarem ut etiam hac super re chori servitio in Recinetensi ecclesia consulere non dedignentur.

Iis ergo religiose perpensis EErum VVrum sapiens judicium exspectant ad dub.:

I. *An constet de consuetudine ut de legitima absentiae causa Decani Bonacci a chori servitio in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An Decanus ita absens censendus sit a chori servitio, ut contra eum procedi valeat ad formam Conc. Trid. contra non residentes?*

III. *An et quomodo providendum sit quoad futurum circa quantitatem fallentiarum seu distributionum a Dignitatibus et Canonicis capituli Cathedralis Recinetensis solvendarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Dilata et Vicarius capitularis audito capitulo referat quare non serventur regulae a s. Concilio Trid. et a s. Congreg. interprete praescriptae circa distributiones et fallentias.

Die 9. Aug. 1862.

d) Organistae officium.

Vd. supra p. 964. c.

Terracinen.

Inter Canonicos cathedralis ecclesiae Terracinae numeratur Gregorius Rossetti, qui munus ibi exercens organistae et emolumentum percipit rubrorum quatuor frumenti eidem officio assignatum et quotidianas consequitur distributiones ac si choro praesens interesset; absonum id existimantes nonnulli ejusdem Cathedralis Canonici preces s. Congregationi obtulerunt, ut dictus Canonicus Rossetti dimisso munere choro interesse compelleretur. Hoc est praesentis disputationis subjectum, quod duobus dubiis in calce transcriptis comprehensum est.

Sustinent ad I. dubium Canonici recurrentes, eam esse praecipuam Canonicorum obligationem, ut choro intersint, *Concil. Trid. sess. 23. cap. 12. de reform.* Huic autem oneri non satisfacere Canonicum qui pulsandis organis dat operam, dum divinae laudes persolvuntur et offertur Sacrificium, cum de essentia residentia sit, ut praecise et corporaliter in choro adsit et divinas psalmodias concinnat, *Pitton. eccles. 1. num. 25.* Organi pulsationem tunc solum ad lucrandas distributiones corporali praesentiae aequipollere, quando nullum stipendium percipiatur, *Clericat. decis. 37. num. 37. de s. miss. t. 1., s.* Congreg. in *s. Severini 15. Decembris 1659*, in *Nullius Putignani 6. Maji 1741 ad IV. dub.* Nec obesse capituli acquiescentiam, quum tempore praeterito necesse fuerit aequo animo ita ferre, cum nullus adesset, qui musicam artem caleret, quae quidem ratio nunc locum amplius non habet. Caeterum observant Capituli consensum validam honestamque reddere non potuisse consuetudinem tribuendi distributiones absentibus contra expressam legem, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*, cui adhaesit s. Congregatio in *literis datis Episcopo Ruben. 24. Aprilis 1593* et in *Sypontina Servitii ecclesiae 6. Februarii 1734.*

Minusque relevare putant 12 adesse in Cathedrali Terracinensi Canonicos, qui choralia munia possint obire. Respondent enim non raro evenire, ut nonnullis vel gravi morbo aut alia legitima causa impeditis tres tantum ad canendas vesperas et compleudam s psalmodiam in choro sint praesentes. Adduntque, quod etsi Canonicorum numerus ad Divina peragenda sufficiens esset, permitti nihilominus non posset, ut Canonicus Rossetti ad pulsandum organum a choro recedat, ut extrinsecum organistae stipendium lucretur et nihilominus quasi praesens esset in choro quotidianas distributiones percipiat, reliqui vero totum onus chori subire cogantur

Denique advertunt mirum haud esse quod plures ex Canonicis hodiernae disputationi non adhaeserint, cum id tribuendum sit vel timori vel consanguinitati aut familiaritati cum Canonico Rossetti, qui munere praeterea fungitur Vicarii generalis. Satis autem esse, quatuor tantum recurrentes Canonicos capituli jura proponere, cum id unicuique de gremio permissum sit, quemadmodum unicuique de populo datum est communitatis jura tueri, *Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 21. num. 65.*

Ad II. gradum facientes ajunt, cautum jure esse, ut Canonici choro non interessentes punctaturis subjiciantur, sed hanc poenam libenter subiturum Canonicum Rossetti, qui ex organi pulsatione stipem consequitur longe excedentem fallentiarum quantitatem. Inquiunt propterea aliter consulendum esse in hac hypothesi illius coactioni ad interessendum choro, si non sufficiat sola paena punctaturarum, quae ordinaria est, *Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 22. num. 44. et seqq.*, aliamque proinde extraordinariam et arbitrariam constituendam esse, quum agatur de Canonico, qui voluntarie suum munus pessumdat in solemnioribus etiam festivitatibus, non sine divini cultus detrimento et populi scandalo. In his itaque terminis infligendam existimant poenam vel privationis omnium fructuum vel aliam arbitrio s. Congregationis, ut jam resolutum fuit in *Brixien. 26. Novembris 1611.*

Maxime quia s. hoc Tribunal gravibus paenis mulctandos decreverat Canonicos e choro discedentes tempore divinorum officiorum missam privatam celebrandi*) causa tempore missae conventualis, ut in *Ortonen. 27. Febr. 1706, in Oriolen. 27. Martii 1732, in Salernitana Edictorum 27. Sept. 1732 ad IX. et X.* Quare putant, severiori paena puniendum esse Canonicum Rossetti, qui causa pulsandi organum chorum deserit et altare ideoque malctandum paena etiam pecuniaria, ultra amissionem distributionum, quemadmodum actum est in citata *Ferentina 7. Junii 1760 ad II.*

Ex alia vero parte Canonicus Rossetti ait 12 Cathedralis Canonicos digniorem partem sibi non contradicere, sed quatuor tantum absque ullo capituli mandato sese contradictores praebere. Ex his autem Canonicum Bottiglieri a decennio decumbentem ratione infirmitatis sanum ferre haud posse judicium. Sustinet praeterea festis quibusque diebus choro adesse novem aut decem Canonicos, praeter tres capellanos chorales et octo beneficiatos collegiatae ecclesiae s. Joannis, qui diebus solemnioribus Cathedrali interesse tenentur. Hinc infert nullum ecclesiasticis functionibus praejudicium afferri, si ad pulsandum organum absit: praecipue quia postquam decantatae sunt laudes in festis I. classis et post missam solemnem et vesperas, quando cum cantu persolvuntur, statim choro se restituat ibique diuturniori temporis spatio cum aliis assistat ac laudabilius etiam praestet servitium iis diebus, quibus organum non pulsatur.

Pressius dein loquendo de propositis dubiis affirmat ad I. nil aliud esse chorum quam multitudinem concinnentium, *Rot. decis. 84. num. 2. part. 1. Recen.*, ideoque Canonicum pulsantem organum censeri cum aliis Dei Laudes persolvere et in Divinis convenire atque etiam proprio oneri satisfacere, quin opus sit ut materialem praesentiam in loco, qui chorus dicitur, assidue praestet, *Bonac. de iis, quae ad divina off. etc. disp. 2. quaest. 5. punct. 3. §. 3. num. 5.* In praesenti vero casu accedere mandatum Episcopi, cui in id auctoritas est, *cap. Cum super his de major. et obed.*, ibique DD.

Advertit etiam ex longaeva ipsius Cathedralis consuetudine a quadraginta et ultra annis permissum esse alicui ex Canonicorum gremio munus organistae obire. Hanc vero consuetudinem Episcoporum placitis probatam non posse a quatuor tantum Canonicis labefactari, maxime quia major Canonicorum pars non consentit, *Leg. quod semel placuit ff. de Reg. Fur.* Mentem autem ss. Congregationum eam fuisse, ut cujusque ecclesiae consuetudines intactae servarentur quando divinis legibus non obsisterent, *Rot. decis. 102. num. 28. part. 10.* et *dec. 560. num. 7. part. 19. t. 2. Recent.*

Quo vero ad II. contendit ipsum privari non posse quotidianis distributionibus, quae ex constanti consuetudine tribuuntur Canonicis aliquibus dumtaxat horis interessentibus, licet in reliquis absint, *Monet. de distrib. part. 2. quaest. 3. num. 3. et seq.* et *quaest. 12. num. 42.*, praecipue quando Ordinarii licentia intercesserit, *Nicol. in flosc. p. 318.* Eam-

*) Vd. *supra p. 965. d.*

demque consuetudinem eo minus ullum ecclesiae Terracinensi afferre praejudicium, quia choro intersunt capellani, qui hac ipsa de causa ex fructibus avulsis a bonis Canonicorum emolumentum percipiunt. Concludit consuetudinem hanc introductam fuisse tum ob utilitatem tum ob necessitatem ecclesiae: quarum causa eidem organi pulsationi operam danti quamvis a choro absenti distributiones non sunt denegandae, cum caeteros praesertim omnes in musicis artibus antecellat, *gloss. in cap.*: *Relatum* verb.: *Praelat. de cler. non residen. in 6.*, *Rot. in Lycien. Fructuum 2. Aprilis 1663. cor. Pamphil.*

Episcopus postquam nonnulla retulit tum de chori servitio, quod nihil ex absentia Canonici Rossenti imminui asserit, tum de ejusdem peritia in musicis artibus supra caeteros, qui in civitate Terracinae sunt, satis dilucide illius favore suam aperit sententiam.

Quemadmodum Concilium Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* renovando dispositionem *cap. unic. de cleric. non residen. in 6.* a distributionibus quotidianis non repellit Canonicos eos, quos aut infirmitas prohibet aut justa et rationabilis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas impediunt, quominus choro interesse valeant, ita plures prodierunt s. Congregationis resolutiones, quae in casibus absentiae propter evidentem ecclesiae utilitatem non indignum renunciarunt Canonicum absentem, qui particeps fieret distributionum quotidianarum. Inter hos casus juxta rerum circumstantias habitus est quandoque ille pulsationis organi. Pro regula tamen statutum est, Canonicum absentem causa pulsandi organum distributiones lucrari si nullum stipendium accipiat, secus vero si mercedem consequatur. Ita in *s. Severini*, nam cum Episcopus exposuisset, unum ex Canonicis Cathedralis musicis artibus eruditum a choro solemnioribus quibusdam diebus abesse, ut organum pulsaret, et ideo quaesivisset:

An praedictus Canonicus sit punctandus ob ejus e choro absentiam an vel ejus interessentia in organis pro servitio ecclesiae sit reputanda ad effectum percipiendi ipsas distributiones?

S. Congregatio *die 15. Nov. 1659* censuit:

Gaudere si stipendium pro musica non accipiat. Et in *Nullius Putignani 6. Maji 1741* cum quaereretur:

*An idem Abbas possit expunctare tamquam absentes sacerdotes illos qui tempore divinorum officiorum vel confessionali *) assistunt vel pulsant organum?*

respondit: *Pulsantes organum absque stipendio et audientes confessiones ex deputatione non amittere distributiones.*

Si vero ex deficientia unius Canonici divino cultui et ecclesiae decori aliquid decedat tunc vetita semper fuit absentia injunctis etiam gravioribus poenis contra inobedientes. Hoc ipsum s. Congregatio declaravit *in Brixien. 26. Nov. 1611 his verbis: Canonicum non debere ullum etiam minimum chori servitium praetermittere causa organum pulsandi et si praetermiserit praeter amissionem fructuum ac distributionum etiam aliis poenis esse coercendum.* Similiter in *Faventina*, cum capitulum collegiatae ecclesiae s. Agathae Terrae Proxendi,**) quod praeter Archipresbyterum sex tantum Canonicis et duobus beneficiatis constabat, petiisset:

I. *An Canonicus Joannes Baptista Petacci teneatur ad interessendum in choro seu potius permittenda sit tempore divinorum officiorum ejus interessentia in organo pro servitio ecclesiae?*

II. *An et quomodo sit cogendus in casu?*

rescriptum est die 7. Maji 1760.

Ad I: Affirmative ad primam partem et negative ad secundam et amplius.

Ad II: Esse cogendum aliis poenis pecuniariis arbitrio Ordinarii.

Ac renovato examine super secundo dubio die 2. Augusti ejusdem anni responsum fuit: *In decisis.*

Animadvertendum tamen quod si nullus alius praeter unum de gremio capituli reperiatur per totam dioecesim in pulsandis organis peritus, non ex hoc videtur ecclesiae servitio praejudicium inferri, si alternatim cum aliis in organo psalmos decantaverit. Siquidem Episcopo *Adjacen.* qui inter alia nonnulla dubia s. Congregationi proposita unum his verbis exposuerit:

An Canonicum, qui solus in arte per totam dioecesim in Cathedrali tempore solemnium officiorum organum pulsat et aliquando

*) Vd. p. 975. e.
**) Vd. p. 1047.

etiam psalmos cantat, alternatim cum aliis Canonicis existentibus in choro, punctaturis subjaceat ac si non intersit? responsum fuit die 11. Julii 1671: *Negative, dummodo non habeat salarium.*

Vestrum erit EE. PP. declarare:

I. *An liceat Canonico Gregorio Rossetti abesse a choro tempore divinorum officiorum causa pulsandi organum in casu?*

II. *An et quomodo sit cogendus ad interessendum choro in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Negative et amplius.

Ad II: Affirmative ad formam juris et amplius.

Die 28. Apr. et 12. Maji 1770.

In collegiata ecclesia s. Agathae Terrae Proxendi pluribus abhinc annis exercet munus organistae Canonicus Joannes Baptista Petacci cum annuo stipendio sc. 25, quod a communitate et confraternitatibus loci praestari solet nec distributionibus privatur pro absentia, dum in moderandis organis est occupatus. Abusum tollere cupientes Canonici Caesar et Dominicus Papi et Gaspar Primotici preces s. Congregationi obtulerunt quibus postulabant illi prohiberi absentiam a choro causa pulsandi organum, ne diminuto ministrorum numero ecclesia quae praeter Archipresbyterum sex tantum habet Canonicos et duos beneficiatos quotidiano servitio addictos debitis fraudetur obsequiis. Episcopus de more auditus precibus non dissentit. Et disputant nunc recurrentes, distributiones dandas esse inservientibus choro et divinis officiis ad praescriptum Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref.* nec assistentiam in organis aequipollere servitio ecclesiae ad effectum lucrandi distributiones nisi fiat sine stipendio, ut notat *Clericat. decis. 37. n. 37. de Sacrif. missae t. 1.*

Vd. s. Congregationis responsum in una *s. Severini**) et in *Nullius Putignani 6. Maji 1751.* **)

Nihilque prodesse autumant recurrentes observantiam vigintiquinque annorum continuatam cum Canonico Petacci et diu etiam cum altero Canonico illius antecessore, tum quia in praeteritum non aderat alius in arte musica peritus, qui modo in Terra Proxendi non deest, tum insuper quia ex Canonicorum tolerantia vel expresso consensu valida fieri non potest consuetudo percipiendi distributiones in absentia, contra expressam censuram s. Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12.*, ad cujus tramites s. Congregatio die 24. Aprilis 1593 respondit Episcopo Ruben: Caveat ut distributiones non dentur, nisi actu inservientibus, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili«.

Immo putant, nedum quotidianis distributionibus privandum esse Canonicum Petacci pro horis absentiae quas facile dimitteret pro lucrando majori stipendio organistae, sed quatenus persistat in contumacia, coercendum esse aliis paenis pecuniariis arbitrio Ordinarii, ut in identificis terminis definivit s. Cong. in una *Brixien. die 26. Novembris 1611.*

Canonicum non debere ullum etiam minimum chori servitium praetermittere causa organum pulsandi et si praetermiserit praeter amissionem fructuum ac distributionum etiam aliis paenis esse coercendum. Et pro discedentibus a choro tempore divinorum officiorum causa celebrandi missam alias censuit s. Congreg. in *Oriolen. 27. Martii 1632.* ad XII. dub., in *Ortonen. 27. Februarii 1706.*, non refragante, quod instantia non promoveatur a toto capitulo, quia negligentibus caeteris ob attinentiam vel amicitiam cum Petaccio vel unus Canonicorum valet jura promovere, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 21. n. 65.*

Placeat itaque EE. VV. decernere:

I. *An Canonicus Joannes Baptista Petacci teneatur ad interessendum in choro seu potius permittenda sit tempore divinorum officiorum ejus interessentia in organo pro servitio ecclesiae in casu?*

Et quatenus affirmative quoad primam partem,

II. *An et quomodo sit cogendus in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative ad I. partem et negative ad II. et amplius.

Ad II: Esse cogendum aliis poenis pecuniariis arbitrio Ordinarii.

Die 7. Junii 1760.

*) Vd. supra p. 1046. §: *Quemadmodum.*
**) *Ibidem.*

e) Parentum et sororum cura.

Melevitana.

Sacerdos Dominicus Bonnici civitatis Victoriosae Melitensis dioecesis 1708 suos haeredes ex asse instituit Dominicum, Stephanum et Margaritam fratres sororemque Zahra quibus erat sanguine junctus relicto interim universali usufructu praefatae Margaritae. Hac defuncta voluit testator ut omnia et singula bona sive eorum fructus et proventus applicari debeant pro patrimonio sive patrimoniis illorum sacerdotum saecularium nasciturorum ex legitimo matrimonio praedictorum Dominici, Stephani, Margharitae et ex aliis descendentiis eligendis per dictam Margaritam et in omni vacatione ex descendentiis praedictis, tunc redditus dictorum bonorum cumulari debeant ac applicari in utilitatem dictae fundationis . . . Et tunc ille sive illi (qui promoti ad ss. ordines fuerint assecuti praedictum patrimonium) censeantur usufructuarii tantum ejusdem eorumve vita perdurante et post ejus eorumve mortem fieri debeat nova electio presbyteri ex descendentiis praedictis, cum hac tamen conditione, quod si in dicta ecclesia parochiali civitatis Victoriosae fundata fuerit aliqua Collegiata Canonicorum, tunc illi presbyteri, qui fuerint promoti ad ss. ordines cum patrimonio praedicto, intervenire debeant choro cum dictis Canonicis et officiare. Item, quod teneantur in perpetuum respective applicare missam seu missas hebdomadarias pro anima dicti testatoris. Et si descendentes ex dictis tribus haeredibus noluerint esse praesbyteri saeculares, tunc dicti tres haeredes eorumque descendentes possint nominare alios pro consequendo dicto patrimonio cum obligationibus praedictis toties quoties dederit casus.

Dudum patrimonii possessionem nactus est sacerdos Joseph Camilleri ex familia a testatore invitata descendens, qui Naxarii lares habet ibique longaevorum parentum nubiliumque sororum curam gerit. Bona a testatore relicta sita sunt in territorio civitatis Victoriosae annuumque afferunt fructum Melitensium sc. 150 circiter. Verum cum ecclesia parochialis Victoriosae anno 1821. fuerit erecta in collegiatam, hujus Canonici statim postularunt ab Episcopo, ut sacerdos Camilleri ad residentiam ad divinas laudes in Collegiata persolvendas secundum fundationis tabulas compelleretur. Id autem gravate ferens memoratus sacerdos ad hanc s. Congregationem confugit indultum abessendi efflagitans.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto post recensitas rationes hinc inde ei propositas et inferius exponendas sic sententiam suam aperuit: *Arbitror ego memorati sacerdotis Camilleri instantiam aequam et rationabilem esse quoties ipse perdurante causa onus a testatore illi injunctum per alium impleverit sacerdotem.*

Et sane petitio Camilleri pietate, aequitate et praesumpta testatoris voluntate innititur. Pietate: petit enim exemptionem a choro et a residentia, ut ipse, qui est unicus filius, possit nedum sororum curam habere sed insuper opitulari patri qui octavum supra sexagesimum et matri quae octogesimum aetatis explevit annum: aequitate: nam pagus Naxarii, ubi degit, a civitate Victoriosae quinto circiter lapide distat: quocirca vix aut ne vix quidem fieri posset ut ipse bis altero quoque die choro interesset et ad suos remearet. Tandem praesumpta voluntate testatoris: si enim testator praevidisset circumstantias, in quibus versatur sacerdos Camilleri, istum patrimonio frui statuisset, quin servitio chorali obstringeretur. Testatorum enim voluntatem ex rerum adjunctis potius quam ex verborum cortice colligendam esse monent *can. Ultima voluntas quaest. 15.* et *s. Congregatio in Albinganen Legati 18. Martii* §: *Verum.*

Nec ullum timendum ex oratoris absentia servitii choralis detrimentum: siquidem subdit Episcopus: »Capitulum Collegiatae conflatum patet ex 4 Dignitatibus et 14 Canonicis, qui alternis vicibus chori servitium persolvunt, adjunctis sibi aliis duobus sacerdotibus veluti mansionariis, ipsaque divini officii celebratio cum cantu nonnisi certis solemnibus per annum diebus peragitur.« Et licet hic numerus decedentibus actualibus Canonicis defecturus sit et ad septenarium reducturus, quousque singulae praebendae canonicales ex mensa capitulari certis annuis redditibus dotentur juxta leges contentas in apostolicis literis erectionis dictae ecclesiae in Collegiatam, nihilominus si orator ad alium presbyterum subrogandum adigatur quaelibet evanescit servitii jactura tum quia hoc in casu nulla deficit vox tum etiam quia in praecipiendo chori interventu non personae industriam desiderasse videtur fundator sed

potius commodo et ecclesiastico cultui Collegiatae providisse. Praeterea non desunt dispensationum exempla a s. Ordine justa intercedente causa concessa, ut residentialis beneficii rector alium sufficeret sacerdotem, qui oneribus satisfaceret, *ut in Lunen. Sarzanen. Indulti 24. Augusti 1824.*

Imo in praesenti casu quaestio institui potest, utrum orator ad personalem residentiam ac per se ipsum choro interesse teneatur; quandoquidem agitur de laicali capellania seu de legato patrimonii sacri, cujus possessori testator onus imposuit choro interessendi; capellaniae autem atque etiam simplicia beneficia ex consuetudine personalem residentiam non requirunt sed potest eorum oneribus satisfieri per alium, nisi fundator expressis verbis postulet, ut beneficiatus per se ipsum praescriptas functiones peragat *), *Zallinger. lib. 3. tit. 4. decret.* §. *33., Gonzalez. in cap. 6. de cleric. non resid.* et *s. Congregatio in Ferentina Residentiae 6. Augusti 1825.*

Verum Canonici contendunt sacerdotem Camilleri nedum ad residentiam in civitate Victoriosae sed etiam ad laudes divinas in ecclesia collegiata canendas devinctum esse. Profecto statuit testator, ut si ejusdem civitatis parochialis ecclesia ad collegiatae gradum eveheretur, *presbyteri qui fuerint promoti ad ss. ordines cum patrimonio praedicto intervenire debeant choro cum dictis Canonicis et officiare.* Capellaniae autem et beneficia erecta in cathedrali vel collegiata ecclesia cum onere interessendi choro et divinis officiis secumferunt residentiam ac pondus per se ipsum et non per substitutum **) horis canonicis interessendi, veluti fuse evincit atque ita a s. Congreg. definitum refert *Fagnan. in cap. Ut Abbates n. 88* et *seqq.*, siquidem Trid. synodus *sess. 24. cap. 12. de reform.* decrevit, ut *omnes divina per se et non per substitutum compellantur obire officia . . . atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Quin obsit in themate agi de capellania laicali seu pio legato tum quia ea fuisse videtur testatoris mens atque voluntas, ut capellani ad chori servitium explendum per se ipsos tenerentur tum quia ad canonum censuram se accommodasse praesumitur, eo quod, cum potuerit, contrarium non expresserit, *L. 2. cod. de haered. instit., Gonzalez. ad reg. 8. cancel. gloss. 5. num. 81.*

Camillerius itaque subdunt Canonici ad residentiam adigatur oportet imo muletetur poenis a ss canonibus contra non residentes statutis. Nec ei concedendum indultum abessendi; quae enim ab ipso afferuntur causae pro obtinenda gratia, haud tanti sunt faciendae, ut testatoris voluntati derogari et divino cultui jactura inferri debeat. Postulat namque orator indultum abessendi a residentia, quod difficillime ac tantummodo ad breve tempus arctissimisque cohibitis clausulis concedi solet, *s. Congreg. in dubiis Indultorum 6. Maji 1820.* §. *Notandum* *) et in *Lunen. Sarzanen. Indulti 14. Augusti 1824.* §: *Manifesta.*

Decernant quoque Emi Patres an Camillerius fructuum privatione sit puniendus. Nam etiamsi ex lege fundatoris per se choro interesse haud obstrictus fuisset, alium tamen, qui ejus vices gereret, suis sumptibus subrogare tenebatur: poena autem non implentis voluntatem defuncti sistit in privatione emolumenti, quod ei relictum fuit, *cap. 6. de testament.* ibique *Gonzalez. n. 5.* Verum animadvertendum est hanc privationem non induci ipso jure sed ab Episcopo praevia monitione esse irrogandam, *Gonzalez. loc. cit. n. 8., Barbos. in cap. Ut haeredes de testament. n. 5.*, cumque in praesenti casu desideretur hujusmodi monitio, in poenam privationis Camillerius mimine incidisse videtur.

Proponuntur dubia:

I. *An Camillerius teneatur residere in civitate Victoriosae et per se choro interesse cum Canonicis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo concedendum sit indultum abessendi in casu?*

III. *An et a quo tempore Camillerius inciderit in poenam privationis fructuum capellaniae in casu?*

Et quatenus affirmative,

IV. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad I. partem, affirmative ad II.

*) Vd. *t. II. 164. n. 21; p. 723. n. 65; p. 724. n. 67.*

**) Vd. *p. 520. XXIV.*

*) Vd. *p. 1028.*

Ad II: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad III: Negative in omnibus quoad praeteritum, quo vero ad futurum prout de jure, et Episcopus praefiniat ratam solvendam pro fallentiis favore sacrarii proportionabiliter ad redditus.

Ad IV: Provisum in praecedenti.

Die 15. Dec. 1827.

f) Studia.

Vd. supra p. 1036; 520. XXIV.

Tarrentina.

Dominicus Cataldus Lo Jucco metropolitanae hujus ecclesiae Canonicus ob servitium per 40 annos cum laude obitum impetravit a s. Congregatione 1726 ut moris est indultum quod vocant jubilationis. Deinde sub annum 1730 senio jam affectus atque aegra utens valetudine obtinuit a Sede apostolica coadjutorem in canonicatu cum successionis jure sibi dari clericum Franciscum Antonium Ciuram, qui tunc 18 annos numerabat. In literis vero apostolicis coadjutoriae cautum fuit, ut Franciscus Antonius divinis officiis vice et loco Domini Cataldi residere nolentis aut non valentis interesse posset omnesque proventus canonicatus atque etiam distributiones quotidianas lucrari ad commodum Canonici coadjuti, his verbis subjectis: »*Si vero tui culpa vel negligentia seu ob tui non residentiam apud primodictam ecclesiam praedictus Dominicus Cataldus aliquid ex fructibus, redditibus et proventibus, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis praedictis dictorum canonicatus et praebendae perdiderit seu lucrari omiserit, omne et totum id sit deperditum seu non lucrifactum tuque te tuis propriis bonis praedicto Dominico Cataldo etiam debeas et tenearis.*« At cum in assequenda hujusmodi coadjutoria expositum Pontifici non fuisset Canonicum Dominicum Cataldum jam ante obtinuisse indultum jubilationis, Franciscus Antonius curavit prioris gratiae vitium sanari 1732 per alias literas, quas nuncupant: »Perinde valere«, quibus expeditis possessionem coadjutoriae adiit.

Nunc vero cum Neapolis literarum studiis vacet supplex petit facultatem sibi impertiri, ut ob eam causam a Tarentina ecclesia abesse possit absque ullo vel suo vel Canonici coadjuti detrimento. Capitulum, ut Archiepiscopus refert, non repugnat, quod Canonicus coadjutor studiorum causa absens habeatur pro praesente quoad assecutionem redditum, qui de massa communi percipiuntur, sed negat, id esse permittendum quoad distributiones quotidianas praesentibus et reipsa inservientibus destinatas.

Peculiari itaque discussione res haec digna visa est, non quidem circa distributiones, quas certe amittere debet, qui studiorum causa abest, sed quoad ipsius indulti concessionem. Siquidem in alia causa *Praten. Indulti die 2. Martii 1697.* propositus jussu s. Congregationis in folio fuit casus Canonici itidem coadjutoris, qui istud petebat indultum, offerente etiam coadjuto se ipsum interea divinis officiis interfuturum. Sed qui tunc secretarii munere fungebatur considerandum proposuit in eodem folio, quod facultas ab ecclesiasticis sanctionibus circa id tributa in *cap.*: *Tuae de cleric. non resid.* et in *cap. Licet de praeb.* collata est in Canonicos et praebendarios; talis vero proprie dici non potest coadjutor, qui superstite coadjuto titulum non acquirit nec est vere Canonicus aut praebendarius. Tum et illud subjecit, quod si coadjutor istiusmodi indulto potiri posset frustraretur finis coadjutoriae, quae ideo admittitur, ut servitium, quod praestare nequit Canonicus, reipsa obeat alter in coadjutorem datus, cui simul assignatur remuneratio per jus certum succedendi deinde in ipsum canonicatum, proindeque concesso indulto sequeretur, mercedem quidem servitii ab ecclesia persolvi, neque tamen eam ministri opera frui, itemque sequeretur coadjutorem assequi proemium successionis sine merito et labore servitii. Denique exposuit oblationem a Canonico coadjuto tunc factam inserviendi per semetipsum repugnare causae ejusdem coadjutoriae, utpote concessae, quia ingravescens aetas minus aptum reddiderat Canonicum ad servitii onus subeundum per seipsum. Itaque s. Congregatio petitum indultum censuit negandum rescripsitque: Oratorem uti posse jure suo, scilicet quia si Canonicus coadjutus ut ajebat poterat et volebat interim divinis adesse officiis licebat coadjutori sine indulto abesse

Decretum hoc firmavit regulam, quae semper deinceps servata fuit, rejiciendo preces coadjutorum postulantium indultum pro absentia ob studiorum causam.

Quinimo coadjutoribus nec etiam dari a s. Congregatione consuevit indultum, quod

ratione alicujus muneris in romana curia concedi alioquin solet Canonicis pro diebus et horis quibus impediti ob hujusmodi officium fuerint.*)

At nihilominus casus qui hodie proponitur peculiarem habet circumstantiam in eo positam, quod Canonicus Dominicus Cataldus coadjutus jam ante coadjutoriam obtinuerat indultum jubilationis, ac proinde si permittatur coadjutori abesse, ut studiis det operam, non fraudabitur ecclesia servitio, quod alioquin sibi debitum esset a coadjuto, cum hic jam fuisset exemptus ab ejus praestandi onere.

Sed ad hoc posset responderi, tum quod ideo fortasse Franciscus Antonius Ciura coadjutoriae gratiam impetravit, quia ab initio reticuit Canonicum Dominicum Cataldum potiri indulto jubilationis, tum etiam quod coadjutoria, quamvis concessa post indultum jubilationis, id habere videtur pro scopo, ut divino cultui prospiciatur subrogando alterum, qui ecclesiae serviat in locum Canonici, qui propter indultum jubilationis servire non tenetur et verisimiliter nec etiam potest. Quamobrem deduci inde fortasse posset casum praesentem in ratione decidendi parum aut nihil differre ab alio casu, in quo agatur de coadjutore Canonici non habentis indultum jubilationis, sed tamen ob senectutem non valentis per se ipsum inservire ecclesiae.

Pertinet ad Eminentias vestras decernere:

An petitum indultum pro absentia ob studiorum causam sit concedendum in casu?

S. C. C. resp.:

Negative et amplius, et ad mentem.

Die 28. Martii 1733.

5) Coadjutoris Canonici.

Vd. lit. *f.* p. 1050.

6) Indultorum norma.

Vd p. 1027: *Dubia.*

7) Poenae absentium.

Vd. *Chorus* (obligat quotid., decr. *Clementis IV.*)

In causa Acerrarum 23. Augusti 1727. discussum fuit dubium:

An substineatur edictum Episcopi quo sub poena suspensionis ipso facto praecipitur, quod Canonici non possint frui absentia trium mensium a Concilio Trid. concessorum tempore Adventus et Quadragesimae?

Prodiitque responsum: Affirmative deletis verbis: *Ipso facto.*

Dignabuntur itaque EE. VV. dernere:

An poena trium carolenorum pro quolibet die praeter ordinariam punctaturam substineatur adversus Dignitates et Canonicos sine legitimo impedimento absentes a choro in solemnioribus festis ac quoties Archiepiscopus solemniter interfuerit officiis necnon dominicis Adventus et tota Quadragesima?

S. C. C. resp.:

Affirmative subrogata tamen poena in duplici punctatura.

Die 27. Sept. 1732.

Terracinen.

Collegiale Sermonetae capitulum quod extat in ecclesia b. Mariae V. Gregorio XVI. fel. rec. Pontifici 1842. ab Anxuris finibus in Urbem revertenti obviam festive occurrens ad Pontinas paludes illustris cappae magnae ornamentum ab Eo oblata sibi fausta occasione petiit. Neque id tum primum; nam quadriennio ante apud eumdem SS. Principem iter primo illuc habentem hujusce privilegii studiosissimi Canonici jam supplices institerant. Unus tamen aberat Joannes clericus Farricelli capituli Decanus, qui vir omnis vanitatis expers, ubi ea quae fama acceperat, cognovit, porrectis precibus obsistere nuspiam destitit. Lamentatus acriter est sua exinde laesa fuisse jura, quod primum se absente, dein se inscio capitularis petitio subdolis artibus obvenerit. Animo hinc reputans cappae magnae decus haud mediocrem fastum redolere satius decrevit perpetuo divertere a choro quam illa penulatus inter Canonicorum coetum prodire. Rarum sane humilitatis exemplum ita in se ipso praebere studuit, ut contra communem omnium Capitularium sensum collegiale illud decus ac divini cultus splendorem appetentium ire non dubitaverit.

Obtentis namque die 14. Januarii 1844. apostolicis literis queis cappae usus illi Sermonetano capitulo indulgebatur statim praefatus Farricelli a choro disparuit nunquam reversurus ceu constans decennis fere experientia docet, cum ad hodierum usque diem exceptis capitularibus comitiis quibus videtur crebro interfuisse nunquam amplius ad chori servitium accesserit.

*) Vd. *p. 1027: Dubia.*

Hinc paterno quo decet affectu nil Episcopus intentatum reliquit, ut eum modo precibus, nunc poenarum comminatione ad officium reduceret. Ex jurato enim duorum Canonicorum testimonio colligitur, 1845. cum ageret Ordinarius s. visitationem in dicto Capitularium coetu cunctis annuentibus rogasse Farricellium, ut ad chorum saltem superpelliceo ac rocchetto quo aestivo tempore capitulum utitur amictus rediret. Magnam proinde in spem veniebat cognitis suis votis fore, ut pertinacia desisteret. Verum cum nihil monita profecissent, ad Trid. Concil. tramites in eum animadvertendum esse censuit. Principio enim judiciales actus instituit pro medietatis fructuum privatione, sed ab eis statim declinavit Farricellius ad V. H. O. interposita appellatione. Interim cum longum ejusdem absentiae tempus non absque servitii choralis detrimento protraheretur ad alteram intimationem episcopalis curia devenit pro integri anni fructuum amissione declaranda; ac tandem die 13. Septembris 1850 eum tertio judicialiter commonefecit atque diem dixit ad hoc ut, nisi personale chori servitium comprobaret, beneficio caducatus decerneretur. *)

Quare hac super re Episcopum de more audivi qui in sua diei 28. Januarii 1848 relatione haec habet: »Verissima est obstinata negligentia Canonici Farricelli, qui nunquam postquam cappam capitulum induit chorum adiit sed solum interest sessionibus capitularibus .... Ego ad formam Concilii confeci acta pro privatione medietatis fructuum at ipse appellationem interposuit ad istam s. Congregationem .... Hujusmodi Canonicus elusit decretum s. Congreg. Rituum quoad praecedentiam et s. Congregationis Episcop. et Regul. super exercitiis aliisque peragendis. Quid mirum si Episcopo non paret? .... Vestrum sit decernere et exigere obedientiam.« Iteratis exinde epistolis ac precibus idem Episcopus ac capitulum urgerunt causae definitionem ne ulterius fas esset contumaci Farricellio redditus ecclesiae impune deglutire non sine ingenti divini cultus detrimento ac bonorum scandalo.

Causa proponitur. Ex foliis quibusdam pro suo jure tuendo a Farricellio datis haec colligenda videntur. Non esse nimirum ipsi imputandam tanquam culposam absentiam a choro eoque minus poenis canonicis contra non residentes statutis eum esse plectendum, quum per ipsum non steterit neque stet quominus ad chorum accedat, sed unice per capitulum quod facto suo injusto obicem ipsi paravit. At vero absentiam legitimam a DD. agnosci eam quae causatur ob impedimentum proveniens ex facto capituli injusto vel ob litem et Canonicum percipere distributionem probat cum *Thesaur. de poenis par. 2. cap. 3. num. 5. Rota dec. 694. num. 5. cor. Buratt.* et *dec. 1239. num. 4. cor. Seraphin.*

Incusat nimirum capitulum quod ipso prorsus inscio ac reluctante nullaque legitima adhibita forma per preces obreptionis ac subreptionis vitio infectas insigne cappae magnae a Pontifice obtinuerit. Hujusmodi autem gratiam sibi haud parum praejudicialem edicens ad eam agnoscendam ac probandam nulla ratione induci ac cogi posse contendit cum ad eam obtinendam ipsius consensus non praecesserit; tralatitii juris est ab omnibus approbari debere quod omnes tangit.

Eoque minus ipsius culpae tribuendam absentiam, quo verum propositum ad chorum accedendi pandit integro capitulo in comitiis 29. Januarii 1844 quum quamdam compositionis viam initurus proponebat: sese choro interfuturum absque pelliceo paludamento usquedum de valore privilegii jura hinc inde direpta fuissent; ast nulla capitulum induci potuit ratione ut aequam propositionem acceptam haberet. Exinde vilipendia, inimicitias ortum habuisse lamentatur. Quare ex eo tempore coactum fuisse a choro abesse concludit. Quibus positis nullitatis vitio laborare contendit decreta episcopalia quibus canonicatus fructus ipsi aufferre pertentatum est, quum neque absentia neque contumacia ipsi imputari posset, sed impotentia a capituli facto inducta; agere autem non valenti tempus et tempora non currere.

Sed contra cum Episcopo tum Capitulo haud levia occurrunt rationum momenta.

Pervulgati juris est Canonicos vel qui aliam praebendam habent in ecclesiis cathedralibus et collegiatis ad personalem residentiam obligari, *Pirhingh. in lib. III. decret. lit. 4. num. 4. de cler. non resid.* Quae quidem non materialis tantum sed etiam formalis esse debet, cum personalis nempe muneris exercitio in quod ipsa residentia ordinatur, *Barbos. in jur. canon. collect. DD. in lib. 3. Decret. in summ. num. 8.* Nemini

*) Vd. *p. 6.*

sane clam est beneficium officii causa esse institutum ac propterea propriam et praecisam, uti vocant, non causativam residentiam tantum requiri in beneficiis, quae servitium chori habent in collegiata ecclesia, s. Cong. in *Lucen. 1. Febr. 1766. §. 3.*

Quod si s. Trid. synodus trimestrem vacationem recreationis ergo elargitur dummodo non omnes simul absint Canonici, s. Congregat. in *Firmana Servit. chor. 23. April. 1896. §. 4.*, nihilominus ad monitum *Garz. de benefic. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 321.* dicendum est, quod si ultra tempus a Concilio permissum notabiliter absint peccant mortaliter, nam contraveniunt gravissimo Concilii praecepto nec satisfaciunt suae obligationi. Hoc procedit etiamsi resideant in civitate quin ecclesiis debitis horis inserviant; ad quod comprobandum varias s. Congregationis resolutiones in medium *loc. cit.* idem auctor profert; nec fructus faciunt suos, s. Cong. in *Hydruntina Servitii chor. 16. Sept. 1837. §: Jam vero.*

Verumtamen inficiandum non est ultra illud trimestre spatium impune posse Canonicos abesse sed nonnisi justis intercedentibus causis a Concil. Trid. in *sess. 23. cap. 1. de reform.* expressis. Hae autem sunt: christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia vel evidens ecclesiae et reipublicae utilitas. Quamvis vero ad secundam urgentis necessitatis causam doceant passim DD. spectare quoque corporis infirmitatem *) atque inimicitias,**) limitant tamen in casu, quo istae capitales sint, ut tradit *glossa in cap. final. de cler. non resid.*, et infirmitas sit causa non residendi vel non deserviendi, ut refert *Fagnan. in libr. 3. decret. cap. 15. num. 7.*, uno verbo utramque talem esse oportere ut inter impedimenta recenseantur, ob quae beneficiati choro interesse nequeant, *Thesaur. de poenis eccl. part. 2. cap. 3. num. 4.*

Jam vero nulla ex hisce causis Canonico Farricelli opitulari valet ad suam octo annorum absentiam excusandam. Factum enim capituli, quod uti injustum incusat, eo quia primum se absente deinde se ignorante cappam expostulaverit, justas inter abessendi causas haud recensetur; imo illud summa justitia inniti palam est. Re quidem vera quod capitulariter decretum fuit 1839. super precibus pro cappae usu Pontifici porrigendis, id quamvis illico fuerit executioni demandatum quin plenum sortiretur effectum, tamen postea iterato petitum unanimiter fuit 1841 ac dein privilegium anno 1844. a s. m. Gregorii XVI. munificentia gratuito obtentum. Atqui ex universo ss. canonum jure diserte colligitur illud firmum haberi quod majori parti capituli placuit,*) in quolibet enim capitulari actu nonnisi majorem vel duas saltem totius partes requiri docet s. *Rota in decis. 79. num. 10. part. 17. Recent.* Imo haud opus esse omnium Canonicorum consensu, ubi agitur de ejusdem ecclesiae utilitate, in *dec. 29. num. 7. et seqq. part. 6. Recent.*, idque vel maxime obtinere in iis, quae sunt communia pluribus uti universis, non autem uti singulis, in *decis. 263. num. 23. part. 12. Recent.*

Nec valet heic patulam juris *regulam 20. in 6.* invocari, qua sancitur: »Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.« Nam ut explicat *Reiffenstuel. t. 6. ad regul. jur. 29. num. 5*, ibi: »Regula praesens intelligenda venit de eo dumtaxat quod omnes et singulos, non autem de eo quod omnes simul vel collective vel collegialiter sumptos tangit, id est, ad eos pertinet eisque ut singulis de jure competit, ita ut agendo de illo, de jure et praejudicio cujuslibet in specie ac individuo, directe, primario ac quasi principaliter agatur, ab omnibus unanimiter approbari debet, ita ut unico dissentiente, spreto aut neglecto tota actio sit nulla et invalida.« Atque inde subjungit *num. 11. prope finem:* »Ubi etiam addimus unicum caeteris omnibus efficaciter contradicere posse; tunc nempe quando reliqui in manifestum damnum collegii, communitatis aut ecclesiae decernunt.«

Porro in themate insigne cappae paludamentum apud omnes ecclesias dignitati atque honori maxime conveniens ducitur; quod sane decus omnes Canonicos respicere uti universos, cum perpetuo collegio inhaereat, non uti singulos tangere nemo non videt. Imo cum gratioso sit indulto s. Sedis concessum, in Canonicorum praejudicium nullimode cessit. Perperam inde a Farricellio obtruditur subreptionis atque obreptionis vitio laborare Canonicorum preces, quippe qui ejus absentiam in prima petitione atque ignorantiam in altera reticuerint.

Siquidem compertum est apud omnes,

*) Vd. *p. 992. l.*
**) Vd. *p. 1022. o.*

*) Vd. *p. 742. e.*

praesentes tantum Canonicos ad capitulum vocandos*) esse nec interdum inter praesentes eum vocandum, qui jam est in probatione habitus, *Barbos. de Canonic. et Dignit. eccl. pag. 223. cap. 40. num. 8.*

Praeterea Canonici unius dissensus in subjecta materia haud obstat universo Capitularium consilio atque idcirco exsulat quaevis subreptio, quae non inducitur ex taciturnitate eorum, qui possunt esse et non esse, *Rota dec. 452. num. 21. part. 5. tom. 2. Recent.*, atque ut in eadem quaestione decisum reperitur: In gratia non sunt narranda nisi ea quae de jure veniunt exprimenda nec est curandum an Papa si scivisset difficilius concessisset, *dec. 250. part. 7. num. 18. Recent.* Consonat *Ventriglia prax. eccl. annot. 1. §. 3. de alienat. bonor. eccl.*, ubi inquit, subreptionem non attendi in literis gratiae, quando non concernit causam alienationis.

Quasvis exinde evanescere inimicitias atque hostilitates quae gratis asseruntur ex parte capituli adversus Farricellium in propatulo est, si tantisper perpendatur, Canonicos eum semper in amicis habuisse necnon ad sessiones accedentem debito fuisse semper honore prosecutos. Neque simplicia vilipendia, si quidem comprobarentur, inter capitales inimicitias recensentur, quae unice justa se a chori servitio abstinendi causa existimantur. Universalis dein speciosis ejus consiliis in capitularibus negotiis peragendis habita contradictio haud hostilitatis nomen meretur.

Quae cum ita se habeant nulla suppetit honesta ratio, cur Canonicus Joannes Farricelli cappa indutus universo capitulo morem haud gerere debeat; quin culpa carere nequit cum longaevo octenni intervallo sine justis causis proprium officium deseruit.

Perpendendum jam usuvenit, constantem semper fuisse ecclesiae vigilantiam in hujusmodi punienda Canonicorum absentia etiam cum beneficii privatione et licet ad istam executioni demandandam non unus idemque servatus usque ordo fuerit, hodie tamen haec methodus est a Tridentino praescripta in *sess. 24. cap. 12. de reform.*, ut primo anno absentes ultra tres menses priventur**) dimidia parte fructuum quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecerunt suos; secundo anno si eadem usi fuerint negligentia priventur omnibus illius anni; ac demum crescente contumacia, ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint et debeant juxta ss. canonum sanctiones ipso beneficio seu praebenda, *Girald. in part. 1. lib. 3. decret. ad cap. XI.*

Hanc regulam adamussim Episcopus servavit in debitis absenti Canonico poenis irrogandis, uti in actibus processualibus videre est, potissimum diei 11. Septembris 1850 ultima prolata citatione. Profecto mirandum non est, Episcopum post interpositam ad S. V. O. appellationem ad alios judiciales actus gradum fecisse; nam a mandato de residendo et a sententia privationis beneficii ob non residentiam non datur appellatio ad effectum suspensivum,*) quando debiti servati sunt termini, *Ventrig. prax. eccl. adnot. 19. de resid. Canonic. §. 3*, confirmat s. Rota in *dec. 742. sub num. 1. part. 2. Recent.* Quamobrem merito Farricellius judicio Ordinarii subjacere debet omnesque subire poenas a ss. canonibus in non residentibus praestitutas.

EE. VV. judicio subjiciuntur diluenda

Dubia:

I. *An Canonicus Joannes Farricelli cappa indutus chorum adire teneatur in casu?*

II. *An decreta episcopalia sustineantur in casu?*

Et quatenus negative,

III. *An et quomodo procedendum sit contra eundem Canonicum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative.

Ad III: Provisum in secundo.

Die 26. Nov. 1853.

Capitulum Cathedralis A. ad S. C. C. literas transmisit, in quibus lamentabatur modum agendi Canonici Decani N., *quod* fere nunquam ad chorum accedebat, *quod* arbores illegitime exciderat in terrulis sui beneficii. Insuper memorabat hujusmodi querimonias se pluries exhibuisse Ordinario, at sine effectu; quare expostulabat a S. C. C. hisce abusibus opportunum remedium.

De more S. C. C. rescripsit Vicario capitulari (vacabat enim episcopalis sedes) pro informatione et voto ut ipse, auditis in scriptis tum capitulo tum Decano N., referret, praesertim super asserta arborum caesione.

*) Vd. *p. 742. e.*

**) Vd. *p. 289. n. 17; t. II. p. 758. n. 80.*

*) Vd. *t. I. p. 619. b.*

Omittimus ea quae relata sunt a Vicario capitulari circa arborum caesionem, quoniam haec quaestio non fuit formiter resoluta. Quod spectat ad chori absentiam, Vicarius capitularis retulit, constare de habituali absentia Decani N. a choro, qua ecclesiae praejudicium obveniebat; eumdemque horis divini officii saepe deambulatum ire et frequenter ad missam celebrandam accedere ad quandam ecclesiam non longe ab ipsa Cathedrali. Adjungebat insuper, tempore quo Decanus N. erat simplex Canonicus, obtinuisse, ex medici fide de ejusdem infirmitate, coadjutorem Canonicum, quo prospiciebatur in ejusdem absentia chori servitio, sed hisce in adjunctis, vacante praebenda Decani, hanc praebendam optavisse eamque per judicium obtinuisse et ideo onus iterum in eumdem incumbere servitii choralis.

Ab his diversa non sunt, quae exposuit capitulum S. C. C., quod ex libris fallentiarum deprehendit habitualem a choro absentiam Canonici Decani N. praesertim diebus solemnioribus.

Decanus N. censuit per se ipsum literas mittere ad Emum Praefectum S. C. C., in quibus a choro absentiam fatebatur, sed causam adducebat, nempe se diuturno morbo hepatario laborare et nervorum perturbationibus agi, adeo ut saepe eidem obveniret ut neque missam celebrare posset. Addebat praeterea se constanter fallentias solvisse et laetanter inter collegas chorum esse frequentaturum, si pristinam valetudinem recuperaret.

Post haec unus ex Canonicis scripto protulit, se noscere conditionem valetudinis habitualem Canonici N., cujus antecedentem vivendi modum commendabat et testabatur ex propria scientia Canonicum N. per integras hebdomadas et menses e propria domo non exire et ejusdem defensione assumpta capitulum denique redarguebat utpote quod ad ipsum contra Capitularem inquirere non spectabat.

Hisce super literis iterum capitulum audiri oportuit, quod respondit, se nunquam documentum vidisse assertae infirmitatis: neque deesse rationes quae suadeant assertas infirmitates non esse magni momenti, ex eo quod Decanus N. per urbem saepe vagabatur et ad missam celebrandam se conferebat ad ecclesiam a Cathedrali non dissitam; et tamen eo ipso anno a prima die Januarii usque ad diem quintam Maji, qua haec capitulum scribebat, nunquam Decanus N. choro interfuerat.

Praeter haec ex habitis literis constabat tenues omnino esse distributiones quotidianas in comparatione fructuum. Decanus enim ex praebenda et proventibus scutata quotannis 359 percipiebat et solummodo titulo punctaturarum vix scutata 40 annua persolvebat. Hinc *ex officio* observabatur distributionum massam non pertingere ad tertiam fructuum et proventuum partem juxta praescriptum a Tridentino Concilio *sess. 22. cap. 3. de reform.* Quare juxta S. C. praxim, qua hisce in casibus Episcopis injungitur ut curent satisfieri Concilii decreto, aliud dubium duobus infrascriptis super hac re additum est.

Animadvertebatur *ex officio* non posse in dubium revocari, memoratum Canonicum Decanum per majorem anni partem chori servitio deesse; imo ultimis temporibus et praesertim eo anno, quo quaestio agebatur, penitus abfuerat, cum a primo Januarii die usque ad diem quintam Maji ne una quidem vice choro praesens adstiterit. Qua super re nec ipse Decanus vel alter Canonicus aliquid in contrarium deduxerunt; ea vero quae iidem responderant unice causas absentiae et excusationes respiciebant.

Adfuisse videbatur legitima causa abessendi a choro eo tempore quo Decanus uti simplex Canonicus obtinuerat coadjutorem, testante Vicario capitulari *rationem infirmitatis recognitam fuisse legitimam ex medici fide.*

Item de nulla negligentia in chorali servitio incusandus videbatur a die 5. Septembris 1857. ad 31. Maji 1860, quo coadjutor ipsius tenebatur ad chori servitium.

Verum a die assumpti decanatus qua coadjutore in chorali servitio caruit non videbantur adesse ejusdem valoris absentiae causae et excusationes. Nullum enim afferebatur documentum quod fidem faceret de gravis existentia morbi, imo in contrarium habebantur gravia indicia quae, sin minus existentiam alicujus infirmitatis excluderent, saltem videbantur excludere ipsius gravitatem et diuturnitatem.

At, subjungebatur, beneficium datur propter officium, *cap. ult. de rescript. in 6.*, et ideo omnes Canonici tenentur ad chori servitium, *cap. un. de cleric. non resident. in 6., Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.* Cui obligationi si clerici non satisfaciant, ut

si choro psallentes non adsint vel, quod majus est, si in loco non resideant, poenis mulctandi sunt per sacros canones statutis in eorumdem socordiam et pervicaciam. Nempe praeter distributionum amissionem primo anno privandus est unusquisque absens ultra tres menses, dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos; quod si iterum eadem fuerit usus negligentia privandus est omnibus fructibus ejusdem anni: crescente vero contumacia, contra eos juxta ss. canonum constitutiones procedi debet, *Conc. Trid. loc. cit.*, ita ut privari possit et debeat ipso beneficio seu praebenda. *Giraldi in part. pr. lib. 3. decretal. ad cap. 11.* Haec contra eos qui non resident.

At, subdebatur, cum *residere* in hac materia, ut notat Fagnanus *in cap. relatum 4. t. de cleric. non resid. et cap. licet num. 23. de praebend.* nihil aliud sit quam deservire in officiis divinis et juxta Reiffenst. cum communi *lib. 3. tit. 4. num. 1.* is dicatur residere, qui ferme continue commoratur in loco beneficii sui, causa officii seu servitii ecclesiastici personaliter praestandi, hinc, ut idem tradit Reiffenst. *loc. cit. 3.*, si clericus personaliter quidem existat in loco beneficii, sed officium suum nunquam praestet, vel non censetur residere vel, cum Barbosa *ad rubric. de cler. non resid. n. 8.*, hujusmodi Canonicus diceretur residere dumtaxat *materialiter* non *formaliter*, cum non maneat in loco beneficii cum effectu, hoc est cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur.

Nec aliter censuit s. Congregatio Concilii, ut videre est in una *Lucen. 1. Febr. 1766.* Et anno 1573 proposito dubio S. C. C. ab Episcopo Mutinensi, an censendi forent absentes qui non absunt ab ecclesia vel civitate sed ab ecclesiae servitio tot vicibus, ut trium mensium spatium excedant, respondit: Istos haberi pro absentibus, *lib. 1. decret. p. 178.*, Benedict. XIV. *instit. 107. §. 6. n. 32.* qui insuper ex alia responsione data a S. C. ad eumdem Episcopum Mutinensem eod. an. 1573 declaravit ad absentiam ultra tres menses necessarium non esse quod *continua* trium mensium absentia procedat, sed *satis* esse ut dies absentiae, quamquam interpolati, superent trimestre. Nec aliter resolutum fuisse legimus in una *Terracinen.**) *diei 26. Novembr. 1853.* In qua agebatur de Canonico qui choro intervenire detractabat eo quod induere nolebat cappam a Pontifice Gregorio XVI. fel. r. capitulo concessam, et ob hanc absentiam Episcopus privationem medietatis fructuum decreverat; deveniente deinde causa ad S. C. C. proposito II. dubio: »An decreta episcopalia sustineant»tur in casu?« III. »An et quomodo proce»dendum sit contra eumdem Canonicum in »casu?« responsum fuit ad II: *Affirmative.* Ad III: *Provisum in secundo.* Et iterum proposita causa die 31. Martii 1860 sacra Congregatio stetit in decisis.

*) Vd. *p. 1051.*

D u b i a:

I. An constet de legitima absentiae causa Decani N. a chori servitio in casu?

Et quatenus negative,

II. An Decanus ita absens censendus sit a chori servitio, ut contra eum procedi valeat ad formam Concilii Tridentini contra non residentes?

III. An et quomodo providendum sit quoad futurum circa quantitatem fallentiarum seu distributionum a Dignitatibus et Canonicis capituli cathedralis A. solvendarum in casu?

Sacra Congregatio Concilii die 9. Augusti 1862 respondere censuit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Affirmative.*

Ad III: *Dilata et Vicarius capitularis audito capitulo referat quare non serventur regulae a s. Concilio Tridentino et a s. Congregatione interprete praescriptae circa distributiones et fallentias.*

Ex quibus deprehendes:

I. Canonicum absentem in ejusmodi quaestionibus illum dici, qui chori servitio non intervenit, sive in eadem choralis ecclesiae urbe resideat sive longe absit.

II. Imo Canonicum censeri absentem etiamsi interdum chori servitio satisfaciat.

III. Quare si ultra tres menses, sive continuos sive intra annum interruptos, debito chori servitio non satisfaciat, nisi legitimam absentiae causam aperte demonstret, praeter distributionum amissionem pro rata absentiae privari successive posse per judicis sententiam fructibus beneficii ad normam Tridentini decreti.

Canonicus A. conciliaribus trium mensium vacationibus usus Romam tres successivos annos venerat suam valetudinem curaturus. Cum vero a medicae artis perito longior ad id in Urbe commoratio necessaria dijudicaretur, s. Congregationem Concilii supplex adivit et die 2. Augusti 1859 indultum absentiae obtinuit *a die discessus usque ad totum mensem Septembris proximi futuri*, quod indultum deinde ad alios sex menses prorogatum fuit. Elapso semestri pro ulteriori prorogatione tertio institit, sed revocante Episcopo ejusdem praesentiam in dioecesi et in choro die 16. Junii 1860 rescriptum a S. C. C. fuit: *Gaudeat impetratis.* Nec spe tamen omnino decidit Canonicus: novum enim tunc obtulit supplicem libellum, quo a Beatissimo Patre efflagitavit anni spatium ad deliberandum an sibi magis expediret canonicali praebendae renunciare vel potius in suam urbem redire. At die 28. Septembris 1860 responsum obtinuit: *Relatum* —*). Cum vero praedictus Canonicus in sua absentia perseveraret capitulum apud curiam episcopalem institit die 29. Maji 1861 ut ille *privaretur omnibus vel medietate fructuum sui canonicatus, juxta dispositiones Tridentini Concilii etc.* Favorabilem sententiam capitulo emisit episcopalis curia, qua decretum fuit: *ut reus conventus privatus maneret medietate fructuum sui canonicatus.*

Ab hac sententia appellavit Canonicus ad S. C. C. quae juxta morem Episcopum rogavit pro informatione et voto. In Episcopi responsione duo accurate distinguebantur, nempe meritum causae et procedendi forma. *Quoad meritum causae* dicebatur, constare, ex facto et ex actis, Canonicum A. per annum a choro abfuisse et apertam esse dispositionem synodi Tridentinae qua Canonicus pro primo anno non residens privatur medietate fructuum, praesertim cum nulla data fuerit a Canonico A. dilatoria vel peremptoria exceptio. *Quoad formam* in iisdem responsionis literis adnotabatur verum quidem esse juxta resolutionem S. C. C. in causa *Vercellen.* relata a Benedicto XIV. *in Inst. 107. n. 37.*, citari debere Canonicum sic absentem *ad allegandam causam quare non debeat privari* juxta Concilii decretum fructibus beneficii. At praeterquamquod haec in substantia observata fuerunt, eo quod Canonicus A. citatus seu vocatus fuerat in judicio, ut audiret decretum super privatione medietatis fructuum, nisi legitimam justamque adduceret absentiae causam et contumax extitit, has tamen formas judiciarias in praesenti causa, ajebat, locum sibi non vindicare. Etenim duobus negativis rescriptis preces Canonici A. rejectae fuerant a S. C. C. in qua ad trutinam causae legitimae abessendi a choro revocantur. Praesertim cum non agebatur de privatione beneficii in qua formae judiciales praescriptae adamussim et sub nullitatis poena sunt observandae, sed tantum de prima fructuum privatione. Haec ex Episcopi literis.

Proposita itaque sacrae Congregationi fuit causa sub dubio quod infra scribitur, scilicet, an confirmanda esset vel infirmanda Episcopi sententia.

Tum Canonicus A. tum capitulum defensorem in Urbe pro hac causa constituerunt. Defensor Canonici contendebat primo, nullam censeri debere fructuum privationem ab Episcopo decretam, eo quod observatae non fuerant formae praescriptae, quae praeteriri nequeunt. Observabat enim poenam privationis non esse latae, sed ferendae sententiae, ut apparet ex verbo *privetur* in decreto Concilii Trid. adhibito *sess. 24. cap. 12. de reform.*: »*Obtinentibus dignitates et canonicatus . . . non liceat ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse . . . Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum.*«

Porro, subjungebat, omnem poenam, quae irrogari debet per sententiam judicis, secumferre necessario praefixionem termini, quo reus justam causam judici exhibere possit ad poenam evitandam, et in re de qua agebatur requiri citationem *ad allegandam in termino causam quare non debeat Canonicus absens puniri secundum hoc Tridentini decretum*, ceu decisum fuisse a S. C. C. refert Garzias *de benefic. p. 3. c. 2. n. 152.* Hinc Monacellius *in Supplem. formul. eccles. t. 2. tit. 13.* hanc tradit in hujusmodi judiciis formulam citationis:*) *Citetur et moneatur N. Canonicus nostrae Cathedralis sive Collegiatae ad allegandam in termino causam, quare ob suam absentiam non debeat puniri ad formam decreti Concilii Tridentini etc. Instante Promotore fiscali.*

*) Quando supplex libellus relatus R. Pontifici nullum sortitur effectum, responsio quae datur ex stylo curiae est — *relatum* — qua significatur libellum relatum quidem fuisse R. Pontifici, preces tamen exaudiri non meruisse.

*) Vd. *t. II. p. 790. b.*

Atqui, prosequebatur, hujusmodi forma neglecta fuit omnino in casu, quapropter nullam fuisse fructuum privationem concludebat ex auctoritate de *Nigris de vacatione benefic. lib. 2. n. 37.* Formam enim a Concil. Tridentino praestitutam praeteriri non posse tradit Pius IV. in constit. *In Principis 109 in Bullar. magno.*

Insuper cum contra Canonicum A. non Procurator fiscalis instaret, sed capitulum ipsum, contendebat defensor ostendere, hanc actionem contra Capitularem absentem non competere capitulo. Jure enim decretalium inspecto uni Episcopo concessum fuit jus revocandi Canonicos ad residentiam eosque contumaces poenis mulctandi, prout innuunt textus *in cap. 5. de cleric. non resident. et in cap. 10. et sequent.* Concilium vero Tridentinum hoc jus non immutavit, sed solummodo absentiae tempus determinavit, quo praeterlapso Canonicus puniri debeat. Hinc Barbosa *de potestate Episc. alleg. 53.*, Ugulin. *de offic. Episc. c. 12.*, de *Nigris loc. cit. cap. 6. n. 45.* tradidere, contumacem nec a Vicario quidem generali, sed a solo Episcopo esse beneficio privandum. Quare, concludebat, citare absentem ejusque poenam expetere solius esse promotoris fiscalis. Quandoquidem fructus ab absente amissi in pios usus erogari debent, ceu docent Pax Jordanus *lib. 10. tit. 40. n. 105.*, Garzias *loc. cit. n. 105.* Novar. *de cler. non resid. consil. 3.* aliique. Haec quidem praejudicialiter.

Gradum deinde faciens ad causae meritum contendebat defensor ostendere non defuisse causam legitimam abessendi. Medicus enim B. anno 1848 jam testabatur, eumdem Canonicum morbo reumatico laborasse, ob quem injunctum ei fuerat *ne se exponeret cueli inclementiae et vociferationi cantus coactae.* Medicus C. anno 1859 referebat Canonicum subjectum fuisse *morbo herpetico* aliisque morbis laborasse, quare eidem moram Romae suggerebat. Id alter medicus affirmaverat 1860. Alii duo insuper periti anno 1861 judicabant necessariam moram Canonici A. in Urbe, ne morbi conditio invalesceret.

Neque obstare, adjungebat orator, quod Episcopus de morbi gravitate dubium moveat, eo quia Canonicus A. per Urbem iret et ageret, cum ipsa rubrica textus decretalium de aegrotante ac *debilitato* pariter loquatur, et sub eodem titulo *cap. 1.* monetur: *diversis in ecclesia militantibus varia . . . saepe contingit infirmitas.*

Quare, concludebat, in casu adfuisse veram gravemque infirmitatem, quae absentiam a propria ecclesia exegit.

Defensor capituli econtra legem Tridentinam proferebat *ex citato cap. 12. sess. 24. de reform.* et ultro concedens poenam ibi sancitam non esse *latae* sed *ferendae* sententiae, contendebat deesse legitimam abessendi causam. Ad poenam enim in hoc decreto sancitam evitandam, ajebat, requiri tum justam necessariamque causam tum Superioris licentiam, adeo ut si alterutra desit, quamvis excusationem a residentia exulare, ceu tradunt Card. Petra *comment. tit. 3. n. 7.*, Fagnanus *de cler. non resid. cap. relatum n. 10.* aliique.

Atqui, subsumebat, a die prima Aprilis 1860 qua indultum a S. C. C. concessum cessaverat ad diem usque motae litis non solum deerat quaevis legitima superioris licentia, sed aderat etiam expressa voluntas Episcopi Canonicum ad residentiam revocantis.

Deerat insuper quaevis legitima abessendi causa, siquidem ea quae a Canonico A. proferebantur semel iterumque rejecta jam fuerant a S. C. C. Ea vero quae forte Canonicus A. esset deinde prolaturus, fide destituebantur, utpote in aestu litis ad opportunitatem conquisita.

Neque praetermittebat orator animadvertere, non quamvis infirmitatem legitimam esse absentiae causam, sed gravem requiri, Benedict. XIV. *Instit. 107. c. 8. n. 47.*, Passerin. *ad cap. de cleric. non resid. concl. 5. n. 9.*, Moneta, Giraldi aliique. Et propter hanc rationem praescribi, ut causa absentiae sit prius a Superiore cognita et probata, ceu docuit Rota *in decis. 608. n. 4. p. 1. recent.*

Neque requiritur, prosequebatur, ut absens moneatur ut redeat et resideat, quasi ita absens puniri non possit nisi constituatur in mora. Giraldi *de poenis eccles. p. 2. cap. 3. n. 4.*, Ferraris *biblioth. can.* verbo: *Canonici art. 5. n. 18.*, Benedict. XIV. *in Instit. eccles. 107. n. 37.* qui refert anno 1573 quaesitum a S. C. C. fuisse: »*an hujusmodi contumaces et absentes sint prius monendi ad residendum antequam puniantur? . . . et s. Congregatio censuit non esse monendos aut citandos ad residendum . . .*«

Relate vero ad illud quod ex adverso dicebatur, de capitulo quod actionem non habet contra Capitularem absentem reponebat, allatos textus ad rem non posse recitari, ex eo quod ibi non de fructuum, sed de beneficii privatione agatur. Et ideo quae ibidem sancita sunt trahi non posse ad fructuum privationem.

Porro, prosequebatur, eos omnes in judicio agere posse qui vel ex lege vel ex conventione jus aliquod sibi quaesitum habent. Fructus autem quibus privandus erat Canonicus A. in utilitatem ecclesiae capitularis cedere debebant. Proindeque jus Capitulo in praesenti casu agendi contra Canonicum absentem denegari non poterat.

Circa formam vero, quae, ex adverso, neglecta dicebatur, animadvertebat defensor, aequivalentem fuisse adhibitam. Capitulum enim Canonicum absentem in judicium vocaverat *ut privaretur omnibus vel medietate fructuum juxta dispositionem Tridentini Concilii.* Quam citationem esse aequivalentem contendebat illi, quae exprimitur verbis supra relatis, nempe *ad allegandam in termino causam, quare ob suam absentiam a residentia non debeat puniri.*

D u b i u m:

An sententia curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Sacra Congregatio die 6. Junii 1863 censuit confirmandam esse Episcopi sententiam respondendo: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* —

Ex supra disputatis colliges:

I. Decurso trium mensium spatio, si Canonicus ulterius a choro absit, citari a curia eumdem posse ad allegandam in termino causam, quare non debeat fructibus privari etc.

II. Neque esse necessarium ut Canonicus absens moneatur vel citetur ad residendum, ac si non possit puniri nisi constituatur in mora. Probata enim absentia militat adversus eum juris praesumptio, qua censetur illegitime a choro abfuisse.

III. Quare onus in talem absentem incumbit destruendi per allegationem et probationem legitimae causae, hanc juris praesumptionem, si nolit fructibus privari.

IV. In praesenti autem causa supradictas judiciales formas, licet non in terminis, saltem aequivalenter observatas fuisse. Neque admodum iis insistendum videbatur post preces iterato a sancta Sede rejectas.

8) Poenitentiarii.

Vd. *Chorus* (absentia — *cura animar.* p. 981; *confessiones etc.* p. 975).

9) Tempus infra quod?

Vd. *Feriae Canon.*; *Chorus* (absentia: *causae excus.* p. 958; *causae non excus.* p. 1037; *alternativa* p. 1061.).

Controversiae exortae inter Canonicos Basilicae s. Joannis Lateranensis quoad chorale servitium super interpretatione art. XXVI. et XXVII. capitularium constitutionum dirimuntur et interpretatio illis data a Benedicto XIV. perpetuo servari mandatur.

(Literae in forma Brevis Benedicti XIV. diei 26. Maji 1751 quibus novae approbantur constitutiones capituli et Canonicorum Basilicae s. Joannis Lateranensis non reperiuntur impressae in hujus Pontificis Bullario. Vd. *p. 492 XV.)*

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exposuit Nobis dilectus filius Noster Nereus S. R. E. Diaconus Cardinalis Corsini nuncupatus, Basilicae s. Joannis in Laterano de Urbe Archipresbyter, quod alias postquam fel. rec. Benedictus PP. XIII. Praedecessor Noster constitutiones dilectorum filiorum capituli et Canonicorum ejusdem Basilicae reformatas atque correctas 1728. typis impressas et a rec. mem. Benedicto PP. XIV. Praedecessore itidem Nostro per suum vivae vocis oraculum confirmatas per quasdam suas in simili forma Brevis die XXVII. Maji 1741. motu proprio expeditas literas confirmaverat et approbaverat, nonnullae difficultates inter Canonicos praefatos prodierant circa interpretationem num. XXVII. tit. tertii. de servitio chori in quo praescripta reperiuntur haec verba nempe: »Eadem facultate per quindecim dies gaudeant et potiantur, si ad visitandam s. Lauretanam aedem perrexerint, qua vero die semel quolibet anno septem Urbis ecclesias visitaverint exempti sint a servitio«, quippe qui aliqui ex Canonicis praedictis contendebant hujusmodi num. XXVII. esse referendum praecedenti numero XXVI. quo statutum est: »Liceat cuilibet Canonico

caeterisque omnibus ecclesiae servitio mancipatis semel in anno per decem dies ita spiritualibus exercitiis vacare ut tamquam praesentes reputentur dummodo tamen exercitia peragantur obtenta prius a capitulo licentia, a quo solum denegari debeat tempore adventus, quadragesimae et in solemnioribus festivitatibus ac propterea facultas praefata in ejusmodi numero XXVII. contenta subjecta existeret eisdem conditionibus praefato numero XXVI. appositis«, alii vero ex hujusmodi Canonicis existimabant, licentiam praefatam esse concedendam absque ulla limitatione et in quocumque anni tempore ad arbitrium sive Canonici sive alterius cujuscumque de clero ejusdem Basilicae.

§. 2. Ad auferendam autem et de medio tollendam quamcumque interpretandi ambiguitatem tunc existentes Decanus et duo memorati capituli Canonici supplicem eidem Nereo Cardinali et Archipresbytero libellum porrexerunt, quo supplicarunt, ut idem Nereus Cardinalis et Archipresbyter suos in praemissis sensus aperiret; ipse vero Nereus Cardinalis licet existimaret justum aequumque esse efflagitatum, tamen super octo dubia interpretationem aliquam praebere omisit supplicemque pro parte eorumdem Decani et duorum Canonicorum sibi porrectum libellum ipsi Benedicto XIV. Praedecessori de hujusmodi constitutionibus plenissime edocto exhiberi facere curavit, ut super octo dubia statueret et decerneret. Ipse Benedictus Praedecessor postquam dubium inter Canonicos ortum perpenderat per epistolium a dilecto filio Magistro Joanne Carolo Boschi tunc secretario supplicum libellorum nunc cubiculi Nostri praefecto eidem Nereo Cardinali datum declaravit, leges et conditiones numero XXVI. ejusdem cap. III. de servitio chori injunctas esse intelligendas ac intelligi debere iteratas et repetitas etiam in sequenti num. XXVII., ita ut exemptione a servitio chori ratione accessus et recessus visitationis s. Domus Lauretanae nemo gaudere possit, nisi prius licentiam a capitulo praefato obtinuerit, quam quidem licentiam capitulum praedictum nullo modo temporibus Adventus et Quadragesimae neque in solemnioribus festivitatibus concedere debeat.

§. 3. Postmodum dictus Nereus Cardinalis suum juxta mentem, intentionem ac interpretationem a dicto Benedicto Praedecessore expressam decretum ediderat ac decreverat in mandatis, ut illud in capitulo ejusdem Basilicae renunciaretur ac in illius archivio describeretur, collocaretur ac debitae exequutioni demandaretur et tunc quando existimaverat easdem dissentiones inter Canonicos praedictos absolutas esse magna cum animi sui molestia accepit, quod idem capitulum contemptis declaratione et decreto praefatis, quae nihilominus dum idem Benedictus XIV. Praedecessor romanam rexit ecclesiam sine ulla controversia fuerant observata, post tamen illius obitum atque hoc ipso anno alteri ex choro ejusdem Lateranensis Basilicae licentiam concesserat visitandi s. Lauretanam domum tempore in praedictis constitutionibus excepto, quae quidem licentia prius a dilecto itidem filio Nostro Andrea ejusdem S. R. E. Diacono Cardinali Consino nuncupato tunc temporis ejusdem capituli Vicario neutiquam admissa deinde vero ab ipso Nereo Cardinali et Archipresbytero tamquam aperte contraria declarationibus et decreto praedictis nulla ac irrita declarata extitit, ex quo factum fuit, ut Canonici praedicti recursum habuerint ad ipsummet Nereum Cardinalem obtendentes tum verbis tum in scriptis, praemissam licentiam rite concessam dictis constitutionibus minime adversari: contra vero idem Nereus Cardinalis nova declaratione atque decreto dictam licentiam nullimodo sustineri posse declaravit, quae quidem nova declaratio novumque decretum non aliter a praedictis Canonicis fuit admissum quam sub expressa protestatione videlicet, quod reservata remaneat eidem capitulo facultas deducendi semper et quandocumque jura sua adversus supradictam decisionem in quocumque judicio contra quoscumque et ita etc. et non alias etc., quemadmodum de facto ejusmodi capitulum et Canonici habito nuper ad Nos recursu per supplicem libellum nonnulla rationum momenta exponere sategerunt.

§. 4. In hoc rerum statu ipse Nereus Cardinalis Nobis supplicavit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum capituli et Canonicorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. absolventes et absolutas fore censentes et supplicationibus ejusdem Nerei Cardinalis Nobis porrectis inclinati, ne ulla inposterum oriatur controversia super capite XXVII. capitularium constitutionum ejusdem Basilicae Lateranensis, quod ad chori servitium

pertinet, eo per Nos perlecto expensoque ac simul praecedenti capite XXVI., adhaerentes menti, voluntati et opinioni ejusdem Benedicti XIV. Praedecessoris, illius vestigia in praemissis sectantes auctoritate apostolica tenore praesentium quamcumque protestationem pro parte dictorum capituli et Canonicorum dictae Lateranensis Basilicae tum coram quocumque judice tum in quibusvis publici Notarii actis adversus decretum ab ipso Nereo Cardinali ut praefertur editum factam, etiamsi in ipsa protestatione appositae sint quaecumque clausulae, annullamus, cassamus et irritamus illamque nullam, cassam irritamque declaramus ac nullius roboris et momenti fore et esse decernimus ac insuper auctoritate et tenore praedictis declaramus, statuimus ac praecipimus et in virtute sanctae obedientiae injungimus, ut posterius caput XXVII. tituli III. de servitio chori ipsarum constitutionum eisdem omnino praeservationibus subjectum sit et esse debeat ac intelligatur, quibus anterius caput XXVI. conceptum est, atque unum alterumque ejusdem sit indolis et relationis in omnibus et per omnia perinde ac si eaedem conditiones quae in XXVI. capite hujusmodi appositae et expressae reperiuntur etiam de novo in dicto capite XXVII. appositae, expressae et declaratae fuissent.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 8. Februarii 1760.

(Bull. r. Contin. t. I. p. 288. Ed. Romae.)

Oriolen.

Concilium Trid. implicite dumtaxat trimestres permisit vacationes, dum prohibuit, ut non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses; adeoque stricte accipiendum esse innuit permissum hoc absentiae tempus, ut salvas voluerit constitutiones, quae illud restringerent, ut in *cit. sess. 24. cap. 12. de reform.* Sex mensium ergo cumulus adversatur ejus menti, quae ea fortasse fuit, ne diuturnioribus vacationibus desidiosi evaderent ecclesiae ministri, ut observat *Van. Esp. in decret. part. 3. cap. 5. §. 2.*

Die 14. Jan. 1792.

Illerden.

Bimestris absentiae indultum urgent *capellani dumtaxat, beneficiati et portionarii.* Eo namque ad formam Concilii Trid. jam gaudent Capitulares. Antiquissima profecto obesse posset perpetui servitii consuetudo, quum in permittendis trium mensium vacationibus adjecerint Tridentini Patres *sess. 24. cap. 12. de reform., salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* At conciliaris haec limitatio de consuetudinibus forsan intelligi debet, quae minores concedunt vacationes, non item quae nullas; nam si constitutio aut consuetudo ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa. Est enim dura residentia totius anni, oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquid ad recreationem corporis et animi, ut inquit *Garz. de benefic. part. 3. cap. 2. num. 311., Monet. de distribut. quotid. part. 2. quaest. 12. num. 55.* et *Benedict. XIV. quaes. can. 293.* §: *Haec procedunt.*

Die 3. Martii 1792.

II. Alternativa (per turnum) concessa.

Vd. t. I. p. 679: *Colonien*; *Chorus* (consuetudo; absentia — causae excus. — *Celebratio missae* — decr.: *Perusina* p. 973; obligationis reductio; obligat. in dieb. festis); t. III. p. 489: *Sabinen*; p. 481: *Montis Polit.*

Castri Maris.

Supplici libello s. Congregationi porrecto quo Episcopus exponens capitulum cathedralis ecclesiae 18 Dignitatibus et Canonicis, 9 presbyteris ac 3 hebdomadariis quos vocant supranumerarios constare, sed ejusdem ecclesiae servitio 10 dumtaxat ex illis unaquaque hebdomada etiam Adventus et Quadragesimae ut ajunt per turnum seu tertiariam incumbere, itaut divino cultui satis consultum non esset et pontificales functiones ex ministrorum defectu quandoque rite peragi nequirent, postulaverat huic deformitati aliquod parari remedium, s. Congregatio die 6. Februarii 1734. sequens dedit responsum: »Scribatur Episcopo ut servari faciat dispositionem Concilii Trid. non permittendo vacationes ultra tres menses, ita tamen etiam, ut Canonici iis frui nequeant tempore Adventus et Quadragesimae aliisque excipi solitis juxta alia decreta et duae saltem ex tribus partibus semper choro intersint.«

Verum quia Canonici ceterique memoratae ecclesiae Capitulares huic decreto non acquiescentes die 27. Februarii 1734. obtinuerunt rescribi: »Audiantur et reproponatur in prima post Cineres, ita tamen ut

tempore Quadragesimae omnes inserviant;« utentes hodie impetrato novae audientiae beneficio nulla proferunt documenta, ex quibus satis constare putant, Vicarium quemdam apostolicum ante annum 1587. inspecta aeris insalubritate ac tenui redditum assignatione statuisse, ut chori ecclesiaeque servitium a Canonicis et presbyteris per turnum vel tertiariam praestaretur, idemque posthac perpetuo fuisse servatum, quin et accessisse in ejusdem consuetudinis approbationem tum vetera tum sequiora a pluribus Episcopis in actu s. visitationis edita decreta et praesertim 1698 ab Episcopo Annibale de Petro Paulo in haec verba prolata: »Et pro bono regimine chori nostrae cathedralis ecclesiae et pro majori gloria et cultu Dei nostrum rev. capitulum debeat conservare et continuare sicuti in antea in praeteritum tres hebdomadas divisas cum novem etiam divisis hebdomadariis juxta solitum.« Addunt praeterea, se graviori plane servitio non esse onerandos, cum toti proventus, qui in solis quotidianis distributionibus consistunt, unicuique eorum contingentes triginta ducatos annuos non excedant.

Porro ad hanc rem praestat animadvertere quod licet Canonici ceterique Cathedralium vel Collegiatarum servitio addicti singulis diebus choro interesse ibique horas canonicas psallere teneantur juxta textus expressos in *cap.: Licet de praeben.*, in *cap. Inter quatuor*, in *cap. fin. de cleric. non resid.* et in *cap. unic. eod. tit. in 6. Clement. 1. de celebr. miss.* et in Concilio Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.*, attamen nec sublata nec improbata est consuetudo juxta quam in nonnullis ecclesiis attenta praesertim proventuum tenuitate receptum est, ut illarum Canonici et Capitulares per turnum sive ut ajunt per hebdomadas choro et ecclesiae inserviant, uti cum aliis tradit *Card. de Luca de Canonic. disc. 11. per tot.*

Bina autem prae ceteris conferunt s. Congregationis decreta. In *Cassanen.* Episcopus sublata veteri consuetudine in cathedrali ecclesia vigente qualibet hebdomada alternatim inserviendi praeceperat, ut omnes Canonici aliique sacerdotes memoratae ecclesiae adscripti singulis diebus choro interessent ecclesiaeque servitio incumberent, sed cum capitulum exposita gravi illius inopia ob redditum tenuitatem postulasset, praefatam consuetudinem ad pristinum statum redintegrari, s. Congregatio sub mensem Junii 1589. respondit: »Modum interveniendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur, juxta *cap. 12. sess. 24. de refor.*«

In *Cathacen. vero Servitii chori* capitulo cathedralis ecclesiae quod ex 4 Dignitatibus, binis personatibus *) et 14 canonicatibus componitur apud s. Congregationem conquerente, improbatam fuisse ab Episcopo uti Concilio Trid. contrariam consuetudinem, qua omnes illius Dignitates et Canonici diebus quidem dominicis et solemnioribus choro ecclesiaeque inserviebant, sed aliis diebus alternatim, nempe tertia illorum pars diebus Lunae et Martii, tertia diebus Mercurii et Jovis et alia tandem tertia diebus Veneris et sabbathi, atque contendente praefatam consuetudinem aequitati consonam esse eo quia singuli Canonici dumtaxat annuos ducatos 50 perciperent disceptatum fuit dubium: *An liceat Capitularibus inservire per tertiarias in casu?*

Cui s. Congreg. die 29. Novembris 1698. respondit: Negative.

At reproposita causa die 5. Septembris 1699. ad instantiam ejusdem capituli sub consueto dubio:

An esset standum vel recedendum a decisis?

s. Congregatio stetit *in decisis*, sed attenta tenuitate redditum censuit ex gratia indulgendum esse prout benigne indulsit praefatis Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis missae, matutino et omnibus horis interesse valeant ita tamen ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore de Adventus et Quadragesimae ac octavarum Nativit. Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. ac ss. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium qui non erunt de servitio missae et vesperis inservire teneantur.«

Dignabuntur Eminentiae VV. respondere:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. C. resp.:

In decisis, sed ex gratia indulgendum esse, ut inserviri possit per mediarias ad formam rescripti in *Cathacen. Servitutis chori 5. Septb. 1699.*

Die 30. Julii 1735.

*) Vd. *t. II. p. 522.*

Tranen.

Capitulum ecclesiae s. Mariae Majoris oppidi Baruli in Collegiatam insignem erectae in supplici libello quem superiori anno porrexit s. Congregationi postulavit indultum inserviendi choro et ecclesiae per turnum, alternis scilicet hebdomadis exceptis tamen diebus festis de praecepto necnon toto tempore adventus et quadragesimae. Illud vero sibi impertiendum fore blanditur hisce rationum momentis innixum:

I. quod cum dignitates et canonicatus praefatae ecclesiae nequeant conferri nisi illis, qui prius eidem spatio 9 annorum in gradibus subdiaconi, diaconi et presbyteri inservierint, omnes ferme earumdem dignitatum et canonicatuum possessores in aetate admodum provecta ac ut plurimum senio proximi reperiuntur tempore, quo praefatas dignitates et canonicatus obtinent;

II. quod memorata ecclesia vivis lapidibus exstructa est ac prope mare sub coelo ita aperto consistit, ut hiemali tempore ob frigoris rigorem, aestivo vero propter humiditatem grave detrimentum Canonicorum et Dignitatum valetudini afferat;

III. quod capitulum ejusdem ecclesiae constet ex 3 Dignitatibus, 30 Canonicis ac 6 mansionariis eum in finem a capitulo deputatis ut servitio chori ecclesiaeque jugiter incumbant; proptereaque, si petitum indultum concedatur, nunquam minor 20 personis erit numerus eorum, qui singulis diebus choro interesse ecclesiaeque servitio operam navare tenebuntur.

Jussus Archiepiscopus Tranensis certiores reddere eminent. PP. de iis quae in precibus capituli fuerunt exposita relationem capitulo propitiam die 13. Aprilis 1737 transmisit.

Deliberari oportet:

An Dignitatibus et Canonicis collegiatae ecclesiae s. Mariae Majoris Baruli sit concedenda gratia inserviendi d. ecclesiae alternatim et per hebdomadas in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative cum solitis clausulis.

Die 22. Nov. 1738.

Vigilien.

Canonici cathedralis ecclesiae qui 21 numerantur ab immemorabili tempore consueverunt quotidie divinis officiis interesse praeterquam Canonicus Decanus ex fundationis lege certis dumtaxat festis diebus ad subeundum chori servitium obstrictus.

Sex praeterea capellani ex pia fundatorum voluntate chorum ejus cathedralis ecclesiae frequentare tenentur singulis diebus festis, tribus postremis majoris hebdomadae perque totam octavam ss. Corporis Christi.

Sub haec novissima tempora causati sunt praefati Canonici intolerabilem fere sibi esse continuam in choro praesentiam, gravia exinde adserentes propriae saluti derivare incommoda, omne sibi otium praeripi, quo possent necessario tamque utili scientiarum studio vacare; quibus propterea in publico instrumento enarratis, suoque animo speciatim explicato, quod in hunc unicum finem impetrandi ab apostolica Sede facultatem inserviendi ecclesiae alternis hebdomadis id consilii ceperunt, singulos ex capellanis in cathedrali ecclesia jam existentes annuo 3 ducatorum stipendio ex redditibus mensae capitularis desumendo auxerunt et duas alias fundarunt capellanias tributa unicuique dote 15 ducatorum per annos singulos; cunctis vero hisce capellanis onus imposuere conveniendi vicissim ad chorum perfungendique diaconi et subdiaconi officio in festis I. ac II. classis atque si alii capellani vel clerici desint etiam in dominicis quibusque ac festis diebus.

Haec in eo instrumento constituta subindeque peculiari decreto per modernum Episcopum confirmata postulaverunt Canonici ex s. Congregationis sententia probari. At super oblatis precibus rogatus clar. mem. Cardinalis Lanfredinus votum suum proferre censuit retinendum omnino esse veterem continui servitii morem neque alternativae gratiam concedi oportere, quoniam ea cessura foret in manifestum divini cultus detrimentum.

Laudati Cardinalis sententia placuit s. Congregationi quae propterea sub diem 17. Decembris 1740. mandavit servari solitum iterumque die 17. Februarii 1742. ad repetitas Canonicorum preces SS. Domino Nostro porrectas et eidem s. senatui remissas stetit in decretis, tametsi in iis oblatis fieret duobus aliis capellanis ecclesiam cathedralem augendi supra numerum superius enunciato instrumento comprehensum.

Rursus pro impetranda ejusmodi alterni

servitii gratia demisse exorarunt Sanctitatem Suam, quae super libello sibi exhibito dignata est praecipere Episcopo tunc in Urbe moram trahenti, ut circa preces in eo contentas de scripto referret suumque sensum aperiret. Paruit Episcopus; sed ejus relatione accepta denuo SS. Pater petitionem Canonicorum ad s. Congregationem rejecit. Porro memorati Canonici qui preces suas sub dubio inferius describendo ab Eminent. PP. examinandas proponi magnopere optarunt ut voti compotes fiant in medium proferunt exempla similium indultorum, quibus perfruuntur Canonici ecclesiae metropolitanae aliarumque fere omnium circumadjacentium cathedralium ecclesiarum itidemque tenuitatem redditnum sibi ex ecclesiae penu obvenientium, dum praeter archidiaconatus atque alterius canonicatus praebendas, quarum prima scutorum 80, altera vero totidem ducatorum annuum fructum exhibent, ac praeter aliam Canonici theologi praebendam annui redditus ducatorum 17, reliquae omnes vix 4 aut 5 scutor. vel etiam minorem tribuunt quantitatem; redditus autem massae capitularis inter omnes aequis partibus dividendi nonnisi annuam circiter summam ducatorum 1300 conficere dicuntur et ii quidem ex stipendiis missarum et anniversariorum constant.

Addunt praeterea testimonium medici perhibentis cathedralem ecclesiam velut ex vivis lapidibus cum in omni pariete tum in pavimento constructam atque ob aliorum aedificiorum vicinitatem neque soli hybernis mensibus neque salubribus ventis aestivo tempore perviam frigidis adeo pravisque humoribus redundare, ut is quidem plures gravesque morbos, quibus Canonici conflictantur, ex nimia chori frequentia provenire dijudicat.

Postremo ne divini cultus haudquaquam minuendi ratio difficultatem ingerat gratiae impetrationis, paratos modo se offerunt iidem Canonici non modo quemlibet ex sex capellanis in cathedrali ecclesia jam existentibus annuorum trium ducatorum accessione ditare, verum et alias sex capellanias fundare imposita omnibus lege divinis officiis ac sacris incumbendi ministeriis unde fiet ut servata licet alterni servitii norma 16 Capitularium ex Canonicis nimirum et capellanis constans numerus semper choro sit adfuturus. Episcopus in relatione quam Sanctitati Suae demisit Canonicorum petitioni suffragatus est.

Momenta vero, ob quae cl. me. Card. Lanfredinus censuit annuendum non esse prioribus capituli precibus, ea fuere quod scilicet non in divini cultus augmentum sed in manifestam diminutionem, quidquid ab illo proponebatur, videretur esse cessurum. »Nunc enim (sunt ejus verba) quotidie divinis officiis intersunt 21 Capitulares, prout semper ab immemorabili tempore servatum fuit: praetereaque iisdem divinis officiis etiam assistunt ex lege fundationis sex capellani omnibus diebus festis necnon tribus hebdomadae majoris et per totam octavam ss. Corporis Christi. Hic porro est praesens status. At in futurum si vota capituli effectum sortirentur in una hebdomada inservirent cathedrali ecclesiae 10 Canonici et 4 capellani sive mansionarii; in alia autem hebdomada 11 Canonici cum quatuor similiter mansionariis et sic deinceps alternatim. Itaque manifestum est detrimentum divini cultus. Praeterea ut constat ex memorato instrumento mens capituli etiam est, quod inposterum praedicti capellani vel mansionarii in missis cum cantu celebrandis a Dignitatibus et Canonicis officium diaconi ac subdiaconi exerceant. Idque eo etiam tendit, ut Canonici non amplius ministerium diaconi et subdiaconi in missis solemnibus exhibeant, prout hactenus fecerunt. Haec vero prisci moris immutatio, quam capitulum meditatur, non pertinet ad augmentum divini cultus sed ad augmentum commoditatis Canonicorum. Quamobrem censeo resolutionem capituli ejusque confirmationem ab Episcopo factam nor esse a s. Congregatione approbandam sed servandum esse solitum.«

Haec scripserat laudatus Cardinalis, quum a capitulo nondum oblata fuisset auctio majoris numeri capellanorum, quae hodie exhibetur, adeoque quantum ea ponderis iteratis Canonicorum precibus tribuat, nunc est expendendum. Poterunt etiam ad hujus negocii definitionem considerari, quae adnotata fuerunt in *una Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735*)* itidemque resolutio edita in *Tranen. Indulti 22. Novembris 1738.**)* Duplex autem a Canonicis ibi fuerat adducta causa pro impetranda ea gratia, prima nimirum, quod illi per novennium ante adeptionem canonicatus gratis ecclesiae famulari tenerentur, sicque fere jam consenescerent, antequam praebenda et canonicatu fruerentur, altera quod situs ecclesiae ob frigoris rigorem

*) Vd. *p. 1061.*
**) Vd. *p. 1063.*

atque humiditatem valetudini Canonicorum esset nimium infestus. Ponderatum insuper fuit ab Eminent. Patribus, quod de collegiata non autem de cathedrali ecclesia ibi ageretur.

Proponitur dubium:

An capitulo cathedralis ecclesiae Vigiliarum sit concedenda gratia inserviendi eidem ecclesiae alternatim et per hebdomadas in casu?

S. C. resp.:

Facta erectione sex capellaniarum permittendas esse vacationes ad tres menses, ita tamen ut Canonici iis frui nequeant tempore Adventus et Quadragesimae aliisque diebus excipi solitis et duae saltem ex tribus partibus choro semper intersint.

Die 18. Maji 1743.

Continuatio Vigilien.

Post haec capitulum redditus annuos capellaniarum quae jam in eadem ecclesia erectae fuerant auxit ducatis 8, ut earum rectores choro divinisque officiis interessent alternatim et per hebdomadas, duasque alias capellanias cum annuo redditu ducatorum 15 eodemque onere erexit. Aegre id tulerunt Cives Vigilienses, Magistratus et parochi ecclesiarum ejusdem civitatis et quaerelam nullitatis omnis hujusce rei proposuerunt oblato libello amplissimis Patribus a quibus auditus fuit ut moris est Episcopus, qui secundum capitulum respondit. Parochi igitur et cives nullitatem rerum gestarum monstrare conantur, contra capitulum validitatem tuetur. Amplissimorum Patrum onus erit cognoscendi quaenam potiores sint rationes, ut tria, quae sequuntur, dubia definiant:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis?*

Et quatenus affirmative,

II. *An substineatur erectio jam facta seu potius alia sit facienda?*

Et quatenus negative ad secundam partem,

III. *An sit ex integro concedenda gratia perfectae alternativae et per hebdomadas, attento numero aucto aliarum sex capellaniarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis, facta tamen prius erectione aliarum 4 capellaniarum ad formam decreti 18. Maji 1747.

Ad II et III: Provisum in I.

Die 17. Sept. 1746.

Auximana.

Postularunt 1646 a s. Congregatione Canonici cathedralis ecclesiae Auximanae qui tenues habebant praebendas ut duobus mensibus quibus a chori servitio vacationem habent quotidianas eis liceret ac si praesentes essent distributiones percipere. Annuit s. Tribunal »arbitrio tamen Episcopi et ea lege, ut eodem tempore duae partes ex tribus eorumdem Canonicorum semper inserviant ecclesiae et exceptis diebus solemnioribus in quibus omnes inservire teneantur.« Arbitrium suum interposuit clar. mem. Cardinalis Verospius Episcopus et considerata eorumdem Canonicorum qualitate ac illorum assiduitate et frequentia in servitio chori et ecclesiae sacri Tribunalis rescriptum exequendum censuit reservato tamen non solum sibi sed successoribus suis jure statuendi et assignandi eisdem Canonicis certum et determinatum tempus, quo illis abesse liceret intra dictum spatium duorum mensium si forte vel temporum varietate personarumque mutatione vel alia causa divinus cultus minueretur et ecclesia solito fraudaretur servitio. Ea tempestate in cathedrali ecclesia erant 12 Canonici, iis additi fuerunt variis fundationibus alii 8 itaut nunc 20 Canonici ecclesiae serviant et licet auctus fuerit, aucto personarum servientium numero, cultus divinus, tamen 1721. clar. mem. Cardinalis Spada Episcopus non assignavit Canonicis certum et determinatum tempus, quo illis abesse liceret sed synodali constitutione decrevit, ut inter Canonicos absentes vacationum tempore numerarentur qui adversa valetudine praepediti choro interesse non possent.

Haec synodalis constitutio insuper habita fuit et impune neglecta, dum in episcopatu sederunt clar. mem. Cardinalis Pippia et Episcopus Radicati successores Cardinalis Spadae, sed 1727. clar. mem. Cardinalis Lanfredinius Episcopus Auximanus constitutionem illam ad alteram quasi vitam revocavit voluitque, ut inter absentes nedum numerarentur Canonici aegroti sed etiam honore usi et rude donati, qui vulgo jubilati nuncupantur. Grave id fuit Canonicis, quibus pene inutilis

fuit indulgentia rescripti sacri Tribunalis editi 1646., cum aut non semper aut non omnes vacationum beneficio frui possent, preces itaque obtulerunt SS. Principi nostro quibus postulabant, ut vel rescriberet infirmos et jubilatos non esse numerandos inter absentes vel gratiam, quam 1647. a s. Tribunali obtinuerant, ita locum habere declararet, ut Canonici vacationum beneficio frui possent, dummodo pars eorum dimidia choro semper adesset. Data fuit postulationis hujus cognitio amplissimis Patribus et auditus Episcopus respondit: privilegium indultum infirmis et jubilatis, ut inter praesentes numerentur, in eorum dumtaxat non vero aliorum Canonicorum commodum cedere debere; in aliorum commodum cedere privilegium, si duas Canonicorum praesentium partes etiam infirmi et jubilati constituere possint: ad cultum divinum non fictam et praesumptivam sed veram praesentiam necessariam esse. Gratiam vacationis per menses duos cum perceptione distributionum quotidianarum a jure communi deviam stricte esse interpretandam ideoque jure indulgeri non posse, ut infirmi et jubilati praesentium numero habeantur, quo caeteri vacationibus gaudeant. An ex gratia id Canonicis dandum putat idem Episcopus et causas numerat

I, eorum laudabilis frequentia et studium in divinis officiis persolvendis,

II, quod vere plures mansionariae post indultum chori accesserint,

III, quod reipsa hoc tempore non sit admodum facile ut plures simul indulti beneficio utantur.

Quae in causa fuerunt ut ipse quoque synodalis constitutionis rigorem relaxaverit. Haec Episcopus.

Proponitur nunc haec causa et Canonici disputant jure definiendum esse ab hoc amplissimo Ordine, ut infirmi et jubilati inter praesentes habeantur, ne beneficium iis a s. Tribunali datum 1646. in detrimentum vergat vel inutile sit, respondentque omnibus Episcopi rationibus, ut ex eorum Libello EE. PP. agnoscent, demumque postulant, ut saltem gratia illa anni 1646. ita declaretur, ut iis abesse liceat vacationum tempore, dummodo pars eorum dimidia choro semper intersit, auctus enim est Canonicorum numerus et cum Cardinalis Nerospii tempore octo tantum interessent, inter quos infirmi et jubilati numerabantur, si nunc 10 choro semper intersint, satis consultum erit cultui divino et ecclesiae servitio. Haec Canonici. Onus nunc erit EE. PP. deliberandi qua juris ratione duo haec capita sint expedienda:

I. *An in vim indulti vacationis a Congreg. concessi die 3. Martii 1640. inter absentes a choro censeantur compraehensi Canonici infirmi et jubilati ad effectum impediendi aliis Canonicis solitam vacationem seu potius censeantur praesentes, itaut constitutiones synodales clar. mem. Cardinalium Spadae et Lanfredini non sint in hac parte servandae in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam,

II. *An indultum sit extendendum in modum ut medietas Canonicorum inservire debeat ecclesiae cum conditionibus contentis in indulto in casu?*

S. C. resp. I: Affirmative quoad I. partem et negative ad II.

Ad II: Affirmative.

Die 24. Aug. 1748.

Sarnen.

Distat cathedralis ecclesia Sarnensis a civitate fere duobus millibus passuum: sita est in sylvis, *via aspera et invia: hyeme boreales venti, aestate flagrantissimi solis radii et incommodum augent viae et gravissimis morbis afficiunt* Dignitates et Canonicos ejusdem Cathedralis, qui 12 numero singulis diebus choro adesse tenentur. Hinc consequens est, ut contractis morbis aut eorumdem periculo deterritis Canonicis servitium ecclesiae negligatur. Ad haec mala tollenda optimum capitulo visum est, ut erigerentur octo loca hebdomadariorum et duobus ex iis dotem assignavit Episcopus duarum capellaniarum, quarum jus praesentandi ad eum pertinet; reliquis sex assignavit capitulum annuam quantitatem ducatorum 60 ex decimis praedialibus et partem quintam omnium emolumentorum et jurium parochialium. Mens capituli est, ut aucto ministorum ecclesiae numero levetur labor singulorum, nam omnes festis et communibus diebus servitium ecclesiae praestare poterunt, aliis vero diebus per *hebdomadam sive alternativam*, atque ita sublata diuturna servitii assiduitate facilius Canonici choro atque horis intererunt et ecclesia cunctis diebus a 10 personis servitium

accipiet. His compositis preces SS. Principi nostro obtulit capitulum quibus postulabat, ut haec pontificia authoritate confirmarentur. Data haec cognitio fuit amplissimis Patribus: auditus Episcopus secundum capitulum respondit. Decernendum est ab Eminent. Patribus:

An sit deferendum oratorum precibus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative cum solitis clausulis.

Die 6. Junii 1750.

Bituntina.

Capitulum ecclesiae cathedralis Bituntinae sex numerat Dignitates, 30 Canonicos, 36 mansionarios seu portionarios et 8 clericos. Non eadem tamen est singulorum Canonicorum praebenda, nam aliqui carolen. 15., alii 20, alii 30 habent, alii vero ducatos 10, 11, 12, 13, unus ducatos 17, alii duo ducatos 22 et tres demum nullam habent praebendam. Distributiones vero adeo tenues sunt, ut Capitularis quotidie intervenieus choro vix lucretur summam ducatorum 13, 14, plus minusve pro modo interventus Capitularium.

Capitulo inest onus canendi quotannis 300 circiter missas defunctorum, cum interventu 36 presbyterorum choralium seu medietatis Capitularium, necnon celebrandi alia 28 anniversaria nuper injuncta, quibus omnes interesse debent et praesentes esse quoque tenentur vesperis, matutinis ac laudibus secundum voluntatem piorum fundatorum.

Potitur capitulum indulto alternativae servitii choro eidem jam usque ab anno 1627. concesso a s. Congregatione cum expressa lege *dummodo communia absorbeant tot dies, ut non remaneant oratoribus nisi tres menses, quibus absint a servitio ecclesiae.* Verum cum demptis diebus dominicis, festis aliisque communibus ac anniversariis singuli Capitulares nequidem 50 dies vacationis habere contendant supplicant modo ut attenta *redditurum tenuitate ac insalubri ecclesiae statu* donentur indulto interessendi per tertiarias tam choro quam anniversariis ac missis cantatis.

Ad I. inquiunt ecclesiam valde humidam esse atque hinc hyemali tempore asperum frigoris rigorem, aestivo autem nimium fervidam vim caloris exitiosam esse valetudini Capitularium aliorumque sacerdotum divina officia peragentium. Redditus vero ac distributiones adeo tenues essse, ut honestam haud praebeant sustentationem. Apertam ideo necessitatem vel saltem aequitatem urgere, ut totum servitium ad tertiariam reducatur.

S. Congregationem 1627. indultum alternativae dedisse ea lege, ut singuli Capitulares tres haberent menses vacationis. At praestito alternatim servitio si excipiantur dies festi, dominici aliique communes ac anniversarii vix 50 superesse vacationis dies. Ideo a s. Congregatione exposcunt, ut pluribus nunc audactis oneribus totum servitium tertiatim impleatur ad hoc ut singuli trimestrem conciliarem vacationem consequantur.

Hinc ad II. concludunt tertiatim quoque interessendum esse anniversariis et missis cantatis quae fere quotidie capitulo incumbunt ne aliter inanis ac frustratoria reddatur indulgenda vacatio coganturque singuli fere quotidie choro pro anniversariis ac missis defunctorum interesse.

Vicarius generalis confirmat praebendarum ac distributionum tenuitatem necnon ecclesiae insalubritatem, et quoad servitium chori ita concludit: Quae cum ita se habeant, cum *et praebendae canonicales et distributiones quotidianae sint tenuissimae, servitium vero quasi continuum, incommoda salutis in Capitularibus maxima nec ulla sit spes acquirendi augendique fructus, proventus etc., imo potius diminuuntur redditus ob damnum plurium millium ducatorum a siccis frigidisque ventis illatum arboribus praesertim Olivetis; pro ingenii mei tenuitate arbitror, nisi aliter EE. VV. videbitur, oportunius concedi posse ab EE. VV. capitulo hujus Cathedralis ut inposterum servitium chori dirigatur tertiatim cum assistentia in qualibet hebdomada duarum Dignitatum, 10 Canonicorum, 12 participantium et 4 clericorum.*

Has tamen adjiciendas proponit conditiones:

I, quod punctaturae subsit tam Capitularis absens quam qui debito tempore ad chorum non accedat, ita tamen ut autumno liceat Capitularibus alium ejusdem dignitatis ac gradus per aliquot dies substituere;

II, ut omnes de mane tantum teneantur interesse diebus dominicis, festis I. et II. classis, tota octava Corporis Domini, die Cinerum et a I. vesperis feriae IV. majoris hebdomadae ad sabbathum usque inclusive;

III, ut punctandi sint omnes celebrantes *) missam tempore divinorum officiorum nisi a punctatore vocati ac missi fuerint, itemque punctaturae subsint audientes s. confessiones**) exceptis diebus festis ob populi frequentiam.

Demum de anniversariis ac missis cantatis haec habet: *Cum denique in anniversariis communibus totum capitulum et missis cantatis medietas capituli interesse debeat EE. VV. possent casu quo servitium tertiatim concedatur obligare tantum, qui de hebdomada, ad ipsa anniversaria et missas implorando tamen pro defectu personarum a SS. D. N. indulgentias plenarias in dictis anniversariis et cantatis missis defunctorum vel alio quovis spirituali aut salutari modo providere.*

S. Trid. synodus ad doctrinam ss. canonum constabiliendam et corruptelas exterminandas miscuit severitati indulgentiam et intra tres menses vacationem in ecclesiis toleravit, longiorem proscripsit ac generalem legem edixit: *obtinentibus in ecclesiis cathedralibus aut collegiatis* dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt, *sess. 24. cap. 12. de ref.*

Abrogavit itaque Concilium eas constitutiones ac consuetudines, quae longiorem concedebant vacationem ultra tres menses, eas vero retinuit, quae longius servitii tempus statuebant. Haec s. Congregatio deficiente necessaria causa semper reprobavit statuta vel consuetudines vacandi a servitio chori ultra tres menses, ut in *Bargen. 22. Aprilis 1624.*, in *Catacen. 29. Novb. 1698.****) et in *Urgellen. Statuti 8. Martii 1730.*

Procul tamen a necessitate ob causam videlicet nimiae tenuitatis praebendarum et distributionum, nimiae rigiditatis aeris et intemperiei, plenissimi Canonicorum numeri, gravis plurimum aetatis et malae valetudinis aliquando etiam concessit servitium alternis vicibus et etiam per tertiarias ut in *Farfen. 13. Novbr. 1635, in Catacen. Servitii chori 5. Septemb. 1699.*†) et *in Tranen. 22. Nov. 1738.*††)

*) Vd. *p. 965. d.*
**) Vd *p. 975. e.*
***) Vd. *p. 1062.*
†) Vd. *p. 1063.*
††) Vd. *p. 1062.*

In omni tamen casu justissimam certe et aequissimam legem adjecit praescribentem, *ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. N. I. C., Pentecostes et ss. Corporis Christi et per totam octavam ejusdem ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter servire teneantur, ut plene in Terraconen. 23. Martii 1765.*

Atque ita constans immotaque fuit s. Congregationis providentia, ut in eadem *Terraconen. 23. Martii 1765* proposito dubio:

An moderandae sint clausulae appositae in rescripto seu potius augendus sit numerus Capitularium, qui abesse possint?

responderit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam pro sex Capitularibus tantum.*

Ponderandum itaque num in casu de quo agitur rationabilis urgeat necessitas ut vacatio 1627. concessa ad mediariam, modo ad tertiariam sit amplianda. Confert in hanc rem plura circumspicere nimirum ante oculos habere fructuum et distributionum quantitatem, onera Capitularium, eorumdem numerum ac insalubrem ecclesiae conditionem.

Demum quoad 28 anniversaria, quae ex voluntate piorum fundatorum celebranda sunt cum interessentia omnium Capitularium, advertendum est s. Congregationem semper ab eorum participatione exclusisse omnes quomodocumque privilegiatos et etiam jubilatos ut in *Novarien. 29. Nov. 1681, in Lunen. Sarzanen. Jubilationis 30. Septemb. 1684.* EE. PP. respondere dignabuntur:

I. *An Dignitatibus, Canonicis et Capitularibus ecclesiae cathedralis Biluntinae sit concedendum indultum inserviendi choro et ecclesiae per tertiariam in usu etc?*

II. *An sit consulendum SSmo pro facultate explendi anniversaria et missas cantatas defunctorum per dictas Dignitates, Canonicos et Capitulares etiam per tertiariam?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et detur decretum in Terraconen. exceptis etiam anniversariis.

Ad II: Provisum in primo.

Die 15. Septbr. et 24. Novbr. 1770.

Eugubina.

Archipresbyteralis ecclesia s. Joannis Baptistae oppidi Canthiani erecta fuit 1661. ab Alexandro VII. in Collegiatam, eamque Clemens XI. 1721 declaravit insignem. Sex in prima institutione fuerunt Canonici comprehenso Archipresbytero qui animarum etiam curam habebat. Quale antiquitus praestarent servitium choro, non constat. Post quatuor alios tamen additos Canonicos hanc serviendi methodum statuit s. Congregatio 1755: chorale scilicet servitium per duas hebdomadas, tertia per turnum vacante, praeter tempora Adventus et Quadragesimae diesque festos Circumcisionis Domini, Epiphaniae, Purificationis, s. Marci, Ascensionis, s. Ubaldi protectoris oppidi, pervigilii et trium sequentium dierum Pentecostes, ss. Corporis Christi, s. Joannis Baptistae, ss. Apostolorum Petri et Pauli, dedicationis ecclesiae, Nativitatis et Assumptionis Deiparae, omnium Sanctorum, commemorationis Defunctorum et s. Gregorii Taumaturgi. Satis tamen erit, ad quem pertinet vacatio hebdomadae dictae, ut unus dies remaneat, juxta additionem ad constitutiones capitulares anni 1755. Ter vero Canonici singulis servitii diebus interveniebant choro, summo nempe mane ad recitandum matutinum et Primam, circa meridiem ad alias canonicas horas missamque canendam conventualem et pomeridiano tempore ad vesperas et completorium.

Quum valde in hieme incommoda esset recitatio matutini et Primae de mane ex pontificia idcirco delegatione concessit s. Congregatio 1757. facultatem recitandi eas horas post completorium praecedentis diei ab adventu Domini N. I. Christi usque per totum tempus quadragesimale. Nunc vero ob alios duos fundatos canonicatus reductionem Canonici postulant servitii choralis ad hebdomadalem alternativam, exemptionem insuper a servitio communi quoad matutinum et Primam diebus festis iis exceptis I. classis, ut exempti a servitio ad celebrandas eant missas in ruralibus ecclesiis, et exemptionem denique a servitio communi in octavis privilegiatis praeter illas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Domini, juxta praesentem eorum consuetudinem. Refert autem Eugubinus Episcopus, quod annuus praebendarum canonicalium redditus dispunctis expensis summam vix aequant scutorum 26 monetae romanae pro quolibet, dempto Archipresbytero, qui duplici gaudet rata in massa communi praecipuosque alios habet redditus, parochialis praebendae titulo distinctos, quos per sese ille administrat proptereaque annuo potitur fructu scutorum circiter 100.

Hinc de alternativa haec habet: Quum in duodenario numero modo illi sint et commode possit per eorum dimidiam partem servitio chori prout moris est satisfieri, non possum ego meam eorum petitioni sententiam non dicere consonam, attento etiam universi capituli per secreta suffragia praestito consensu; ex qua alternativa nemo non videt, majorem omnipotentis Dei gloriam, populi aedificationem et ecclesiae decorem emergere. Et haec alia de exemptione a matutino et Prima diebus festis circa canonicas horas matutini et Primae censerem, quibus aliqui ex Canonicis celebrandis missis in ecclesiis ruralibus addicti adesse certe non possent, attenta itineris longitudine, viarum asperitate et rusticorum praesertim senum aut mala valetudine affectorum commoditate. Cui quidem Canonicorum servitio in ecclesiis ruralibus ad Sacra facienda non potest alia ratione neque aucta quantumvis eleemosyna suppleri ex sacerdotum deficientia in terra praedicta Canthiani, ex multiplicitate ecclesiarum filialium et longe lateque per montes diffusa familiarum habitatione, prout mihi apprime constat ex sacra signanter 1794. de mense Septembri visitatione per ea impervia pene loca peracta.

Servitium profecto, quod praestant modo oratores, duarum nempe ex tertia quaque hebdomada, conciliares fere tribuit vacationes, si ex hebdomadis septendecim, quibus illi quotannis vacant, solemniores detrahantur festivitates et octavae privilegiate. Deliberandum ergo, num contra interdictum s. Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* restringi amplius debeat servitium illud ad alternativam, quae trimestrem vacationum terminum excederet. Notandum altera ex parte cum Episcopo, quod modo Canonici in duodenario sunt numero et commode valet per eorum dimidiam partem servitio chori satisfieri. Dum enim servitio ecclesiae praejudicialis non esset alternativa, imo ex ea juxta Episcopum majorem omnipotentis Dei gloriam, populi aedificationem, ecclesiae decorem emergere, per illam etiam consuli posset indigentiae oratorum, qui tenues habent praebendas et communi quoque gravan-

tur servitio in exceptis festivitatibus et octavis. Non raro siquidem ob tenuitatem praebendarum reductum sit servitium chori ut in *Romana Reductionis Servitii chori et missarum 18. Aprilis 1722.* et in *Vigilien. Decanatus. 23. Julii 1729. ad II. dubium.*

Aequa videri posset et ad salutem animarum necessaria secunda petitio. Quandoquidem ob aliorum sacerdotum defectum difficiles diebus festis ire debent vias Canonici exempti, ut Sacrum faciant in ruralibus ecclesiis; neque locorum distantia patitur, ut adsint etiam matutino et Primae in Collegiata Episcopo teste. Et hac forsan de causa in praescripta methodo anni 1755. dicitur: satis tamen erit ad quem pertinet vacatio hebdomadae dictae, ut unus dies remaneat. Dubitandum tamen, qui decresceret ex hoc divinus cultus cui principaliter diebus praesertim festis incumbere tenentur Canonici in sua ecclesia. Ignoratur enim numerus celebrantium in ecclesiis ruralibus et fortasse talis est, ut demptis etiam infirmis vel aliter impeditis perpauci superessent, qui intervenirent choro. Commune tandem servitium debitum videri posset in octavis omnibus ex ritu universalis ecclesiae et s. Congregationis praxi. At praestari per oratores consuevit in octavis tantum Paschatis Resurrectionis, Pentecostes es ss. Corporis Domini; ideoque deliberare dignentur EE. Vestrae num haec servari debeat consuetudo, ut in *Ferentina Servitii chori 3. Augusti 1782* et in *Alatrina Servitii chori 24. Aprilis 1784.*

Dubia sunt:

I. *An sit concedenda alternativa servitii chori in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda exemptio a chorali recitatione matutini et Primae diebus festis in casu?*

III. *An et in quibus octavis sit praestandum commune servitium choro in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Juxta votum Episcopi.

Ad III: In octavis Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et SSmi Corporis Christi tantum.

Die 13. Junii 1795.

Casertana.

Casertanae cathedralis ecclesiae Canonici hebdomadali exemptione a choro alternatim ex constitutionibus gaudebant praeter quadragesimale tempus omnesque per annum ad primas secundasque vesperas cujusvis diei festi persolvendas communiter choro interesse tenebantur. Duobus abhinc annis supplices porrexerunt preces Eminent. Archiepiscopo Neapolitano binisque Episcopis tunc a s. m. Pio VI. condelegatis et juxta eorum preces rescriptum fuit ut oratores primo alternativa a chorali servitio exemptione gaudeant etiam in diebus festis minus solemnibus per eas hebdomadas in quibus praedicta exemptione fruuntur. Secundo eamdem exemptionem iisdem indulget »pro tempore Quadragesimae et pro festis diebus per easdem hebdomadas recurrentibus, idque ad biennium«. Tertio denique »recitationem vesperarum ante meridiem indulget, praeterquam in tribus per hebdomadas diebus ab Ordinario designandis, contrariis non obstantibus«.

Priusquam biennale indultum expiraverit s. Congregationem supplices adivere Canonici pro confirmatione veteris vel pro concessione novi indulti in perpetuum, sin minus ad decennium. Audito de more Casertano Episcopo haec sunt quae ad rem ex ejus voto colliguntur: »Cathedralis ecclesia in *summitate asperi Montis posita* difficilem praebet accessum cum hyberno tum aestivo tempore sive ex baccantium ventorum fervore qui non raro domorum imbrices et tegulas auferunt projiciuntque sive ex collectis pluviarum aquis quae more rapidi torrentis saxa secum trahunt scabramque viam et periculosam reddunt ex relictis lapillorum acervis; facile hinc est, subdit Episcopus, justas causas deprehendere, quae adhuc vigent, ob quas Canonici indultum impetraverunt.

Plura tamen huic gratiae obstare videntur utpote contrariae dispositiones canonicae, leges peculiarum constitutionum et antiquissima nunquam interrupta consuetudo. Omnibus Canonicis ad psallendum Deo quotidie in ecclesiis suis conveniendum esset ad integrum in choro recitandum divinum officium ut ex *Clementina I. de celebrat. miss. et s. Concil. Trid. sess. 21. 22. cap. 3. et sess. 24. cap. 12. de reform.* atque ita pariter ex *Setina Chori et missae conventualis 21. Januarii 1786.*

Non improbantur tamen peculiares eccle-

siarum constitutiones chorale servitium inter Canonicos in hebdomadas alternatim dividentes, cum immo *»s. Trid. Concilium* provincialibus synodis statuenda reliquerit, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria eruut, *sess. 24. cap. 12. de reform.«* Quum igitur constitutiones Casertanae cathedralis ecclesiae alternativum in hebdomadas Canonicis praescribant servitium exceptis tamen singulis per annum quibuscunque diebus festis a primis ad secundas vesperas inclusive necnon omnibus quadragesimalis temporis diebus adamussim observanda est lex constitutionum neque praetereundum est exorbitantem videri petitam limitationem praefatae exceptionis quoad tempus quadragesimale, cum semper s. Congregatio ab indultis exceperit tempora Quadragesimae et Adventus et omnium ferme ecclesiarum stylus alternativam utroque tempore excludit prout in *Terraconen. 18. Februarii 1764;*)* ita s. Congregatio in *Arianen. 12. Novembr. 1697.* alternativam concessit Canonicis Cathedralis cum clausula sequenti: »Ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis ac solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. Nostri, Pentecostes et ss. Corporis Christi ac per totam octavam ejusdem et aliis temporibus Episcopo benevisis interesse et jugiter inservire teneantur.« Idem demum confirmatum fuit in *Cathacen. die 5. Sept. 1699.***) Has vero constitutiones Canonici jurejurando servare promiserunt et immemorabilis non interrupta observantia praedecessorum et praesentium Canonicorum etiam ex consuetudine vim legis obtinet contra omnes difficultates, quae ex locali incommoditate jam antea existebant. Consuetudo itaque ecclesiasticae legi consona immutanda non esset, nisi ex gravi et legitima superveniente causa, *in cap.: Ad Apostolic. de simon.* Innocentius III. ex Concilio generali laudabiles consuetudines s. ecclesiae praecipit observare, quibus ex verbis induci praecepti obligationem tenent d. *Thomas 2. 2. quaest. 86. part. 1., Aragona et alii firmantque Panorm., Host. aliique in cap.: Suam nobis in dicto cap. Ad Apostolic. de simon.*

*) Vd. *p. 1068.*
**) Vd. *p. 1062.*

et *tradit Covarruvias lib. I. Variar. cap. 17. num. 3*, ubi ait esse communiter receptam nemine refragante, quam etiam multis allegationibus expressit *Guttier. Can. quaest. cap. 21. n. 140. et sequen.*, proindeque laudabilius ecclesiae consuetudinibus, praesertim si fuerint immemorabiles nisi gravissimae urgeant causae, nullo pacto est derogandum.

E contra inficiari nequit parvam veteremque Urbem extitisse in eodem monte, ubi cathedralis ecclesia aedificata est, sed nova exstructa in planitie Caserta, exiguus habitantium numerus in difficili illa civitatis parte remanet cum vix ad quingentos adscendat; ii omnes sunt glebi addicti itaut exceptis diebus festis de praecepto quibus Sacro tantum intersunt ecclesiam non salutant et ad vesperas nunquam conveniunt, hinc defraudatur s. Matris ecclesiae intentio, qua populum festis et illis omnibus diebus quibus praecipua redemptionis nostrae mysteria recoluntur ecclesiasticis functionibus interesse exoptaret, in ecclesia praesertim cathedrali, a qua jus parochiale ortum duxit eique semper censetur praeservatum proindeque parochia est universalis civitatis et dioecesis *ut ex cap. 1. de rapt. et cap.: Licet in regul. 6. quaest. 1.* et notant *Host. supr. num. 3., Lap. cum Calder. alleg. 62. num. 4., Petrus de Ubald. cap. I. num. 5. part. I., Guttier. Can. quaest. cap. 27. num. 4.*

Et si tenetur unusquisque ex ecclesiae voluntate parochiae suae interesse ad verbum Dei audiendum et ad assistentiam divinis officiis praestandam uno verbo ad catholicae religionis cultum exercendum ut *Joan. de relig. t. 2. lib. 2. cap. 26. n. 5., Azor. instit. moral. part. I. lib. 7. cap. 3. quaest. 7. et lib. 12. cap. 2. quaest. 1., Zerol.* verbo: *Parochia, Guttier lib. I. cap. 3. num. 7. 13. et 14.*, majori quilibet obligationis vinculo adstringitur ad interessendum ecclesiae cathedrali, eo quod in ipsa prae aliis ecclesiis catholicus cultus exercetur, majori frequentia habetur verbi Dei praedicatio proindeque christifidelis majores in illa spirituales percipit utilitates.

Nullum pariter elapso biennio obvenisse populo scandalum ex indulto testatur Episcopus, cum omnes morem suum gerentes ad negotia sua pergant nec hora conventualis missae vir ac mulier in ecclesia conspiciatur. Ex alteruo Canonicorum servitio non deest ecclesiae sufficiens Laudantium Deum nu-

merus ad decenter explendas chorales functiones quia tres supra viginti sunt in totum Canonici Casertanae Cathedrali addicti, quo in casu similia indulta s. Congregatio concessit prout in *Vercellen. Servitii chori 19. Junii 1790.* Constitutiones exaratae sunt tempore quo omnes cives sublimiorem partem montis habitabant.

De aeris inaequalitate atque ejus commutatione ubicumque omnes conqueruntur.

Nescimus quid antea sed nunc testatur Episcopus cum de inconstante et inaequali aere tum de spissa et opaca nebula quae certis anni temporibus urbem totam obtegit itaut humiditatis effectus tam in privatis quibuslibet aedibus quam in ipsa Cathedrali perpetuo et conspiciuntur oculis et sensibus hauriuntur. Hujusmodi incommoda forsan labentibus annis adaucta nec veteres illi firmioris corporum constitutionis Canonici sustinere possent, eoque minus hujus aetatis plerumque imbecillioris valetudinis homines. Haec omnia attento etiam quod cathedralis ecclesia omni prorsus canonico pro Canonicis domicilio caret Episcoporum Neapoli a s. m. Pio VI. delegatorum animum, ni fallor, induxerunt ut petitam gratiam concederent ad biennium, cujus hodie vel confirmationem vel ex integro concessionem sive ad decennium sive in perpetuum ab EE. VV. supplices petunt Casertani Canonici.

Quatenus vero pro gratia rescribendum sit, cum ipsa peculiaribus circumstantiis loci et aeris et fabricae innitatur, quae omnia lapsu temporis queunt immutari, ideo nonnisi ad tempus vel cum aliqua praeservativa clausula precibus annuendum esse videretur.

Patribus proponitur dubium:

An et quomodo sit locus indulto in casu?

S. C. resp.:

Praevia sanatione quoad praeteritum affirmative, quoad futurum ad decennium excepta hebdomada majori, die Titularis ecclesiae et ejusdem consecrationis.

Die 16. Maji 1801.

Continuatio Casertana.

Modo cathedralis ecclesia ex veteri quam ajebant Caserta ad novam ut dicunt in planitie sitam translata est in templo non sine munificentia pientissimi Regis nuper extructo. Nihilominus redeunt Cathedralis Capitulares EE. VV. clementiam postulaturi pro nova obtentae dispensationis prorogatione. Narrata firmat Episcopus ac in Canonicorum sententiam descendit in sua relatione quae ita se habet: »Quum preces capituli accurate examinaverim bene fundatas inveni ideoque ex conscientia iisdem assentiendum puto, nisi aliter Eminentiis Vestris videatur. Etenim duo tantum Canonici ad novam pertinent Casertam: caeteri vero pagos incolunt non minus a nova quam a veteri distantes nec praesentibus vigentibus circumstantiis quibus fit, ut numerus incolarum Casertae novae in dies angeatur, ad residentiam cogi possunt tum ob inopiam domorum tum ob praetium earumdem nimis elevatum, praeterea, etiam sequuta translatione, non pauci eorum ad juventutis instructionem in hoc seminario prope episcopium assidue incumbunt, quorum opera saepissime utor ad hujus dioecesis quamplurima negotia persolvenda: his omnibus accedit, quod admissa alternativa nullum praejudicium choro infertur tempore quadragesimali, nam deficientia Canonicorum per mansionarios suppletur, qui antea non extabant.«

Jam vero rationes praecipuas quibus alias motus s. Ordo precibus indulsit capituli Casertani innuit folium editum sub die 16. Maji 1801, scilicet aeris intemperies et inconstantia in loco nimis elato et in cacumine montis necnon difficilis accessus ac parvus numerus habitantium inibi incolentium itaut ne unus quidem persaepe praeter Canonicos adesset ss. functionibus, qua de causa cessabat scandalum ex petito indulto forte obventurum, ac demum difficultas vel domum inveniendi, qua Canonici itineris asperitate fessi possent quiescere. Probandum itaque impraesentiarum erit num eaedem, num saltem similes urgeant circumstantiae.

Sane modo sita est ecclesia in planitie, in medio civitatis, ut capitulum ipsum alias s. Ordini exposuit, prout edocet folium diei 27. Aprilis 1839 *in Casertana Translationis ecclesiae cathedralis*: ubi selecta ac frequens degit populi portio ac universa praesto sunt accedentibus commoda ad vitae cultum opportuna.

Nihilominus illud adhuc permanere incommodum clamant Capitulares, quod plerique rura incolunt nimis dissita ab ecclesia cathedrali, cui incommodo occurrere nequeunt absque gravi substantiae suae jactura, ob pensiones domorum in nova civitate abnormiter auctas praeterea et seminario dioecesano juvenibus edocendis plerique dant operam, quod seminarium et ipsum episcopali palatio adjunctum haud valde proximum est ecclesiae cathedrali. His de causis etiam Episcopi votum oratoribus suffragatur.

Porro ni satis evidentes ac probatae sint rationes quae ad impetrandam indulti prorogationem allegantur meminerint EE. PP. quodsi omnibus Canonicis maxime cathedralium ecclesiarum injunctum est a *Clementina I. de celebrat. missarum* et a Trid. synodo *sess. 21. et 22. cap. 3.* et *sess. 24. cap. 12. de ref.* ut singulis diebus integrum canant in choro divinum officium. Praeterea recolant stylum esse s. Congregationis ut in alternativarum hujusmodi indultis concedendis tempus excipiatur Adventus et Quadragesimae, prout in *Tarraconen. 18. Februarii 1764*, siquidem expedit ut his praesertim diebus divinus cultus augeatur nec opportuni ecclesiae desint ministri.

Proponitur dubium:

An et quomodo sit prorogandum indultum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad quinquennium quoad servitium alternativum tantum exceptis tamen diebus festis etiam reductis, tempore adventus et quadragesimae, festo s. Titularis, Corporis Christi et octavis privilegiatis et cum solitis clausulis, facto verbo cum SSmo.

Die 12. Aug. et 9. Sept. 1836.

Continuatio Casertana.

Hoc inauspicato accepto responso alterum Capitulares supplicem porrexere libellum quo animadvertebant exscriptam resolutionem eo sub errore latam fuisse, quo putatum fuerit, se annualem chori alternativam postulasse, dum e contra petierunt, ut venia servitii alternandi etiam ad quadragesimale tempus protraheretur, qua tantum indigere afferunt; siquidem a tempore, cujus initium hominum memoriam excedit, in more positum est, ut chorale servitium alternis vicibus per Capitulares expleatur exceptis festis ac quadragesima.

De hisce iteratis precibus mei muneris esse duxi a Casertano Antistite suetam exquirere informationem eidemque demandare ut transmissis capitularium constitutionum particulis ad rem facientibus certioraret de resultantibus ex resolutione superius relata. Haec ille reposuit: »Quaecumque a Canonicis hujus capituli Cathedralis exposita et narrata leguntur in supplici libello EE. VV. porrecto mihique transmisso sub die 19. Januarii 1844, ne latum quidem unquem a veritate recedunt. Quamvis enim fundatio, statuta ac privilegia dicti capituli ob varias vicissitudines, quibus barbarorum praesertim incursionibus fuit obnoxium, partim dispersa fuerint partim incendio perierint, attamen, cum consuetudo hebdomadas alternandi hominum memoriam excedat neque unquam in dubium fuerit vocata, perspicuum est, capitulum Calactinum seu Casertanum in ipso fundationis initio hoc privilegium perpetuo duraturum accepisse, exceptis tantum diebus festis et tempore quadragesimali; quod idem confirmatur ex eo quod capituli preces, quas hactenus s. Congregatio benigne excepit et pluries ad decennium prorogavit, quadragesimale tempus solummodo respexerint.

Quod vero spectat ad particulas constitutionum capitularium ad rem facientes sciendum est hujusmodi constitutiones ob causas paulo ante relatas nullas exstitisse usque ad tempora Illmi ac Rmi Josephi Schinosi Episcopi Casertani qui veteri attenta consuetudine et traditione statuta composuit et capitulo observanda mandavit.

Ex his quae habet Antistes in comperto esse videtur Canonicos Casertanos alternos per annum onus chorale explendi privilegio frui; idque praeterea relevare fas est ex precibus 1793 porrectis ab illis Canonicis Archiepiscopo Neapolitano ejusque condelegatis necnon ex propitio ejusdem Archiepiscopi ac condelegatorum rescripto relato in praecitato folio diei 12. Augusti 1843 ac tandem ex informatione Episcopi Casertani, qui die 22. Januarii 1801 super preces Capitularium suorum ad H. S. O. rescribens asserebat: »Ad qualitatem servitii choralis quod attinet Canonici hujus ecclesiae cathedralis alternativa sive hebdomada alternatim libera gaudent.«

Jam vero immemorialem consuetudinem beneplaciti apostolici praesumptionem secumferre; *leg. hoc jure* §: *Diutius ff. de aqua quot. tradit Rot. in Barchinonen. Jus paroch. 3. Mart. 1777* § *2. cor. Ratto*, s. Congregatio in *Anagnina Nominationis 25. Jan. 1825.* §: *Animadvertunt;* insuper nec sublatam nec improbatam esse consuetudinem juxta quam

in nonnullis ecclesiis attenta praesertim proventuum tenuitate receptum est ut per turnum sive ut ajunt per hebdomadas Capitulares choro inserviant, docet cum aliis *Card. de Luca de Canonic. dis. 11. per tot.* et s. Congregatio in *una Cassanen. mense Junii 1589.* Episcopo respondit: modum interveniendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur, juxta *cap. 12. sess. 24. de ref.*, ceu relatum legitur in *Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735.* §: *Bina**) Quapropter ex his edita resolutio reformanda videtur ea in parte quae alternativum servitium ad quinquennium tantum concedebat. Ex adverso autem animadverti posset quod alternandi methodus apud Casertanos Capitulares invecta complectitur quoque tempus Adventus, quod ex praxi s. Ordinis semper excipitur; praeterea illam forsan suaserint peculiares circumstantiae ac ea potissimum, quod antiquitus et Casertana urbs et cathedrale templum in montis jugo posita erant, ut proinde ob aëris intemperiem ac alia quae in montanis civitatibus experiuntur incommoda grave nimis quotidianum servitium reputaretur; verumtamen eae impresentiarum defecisse dicendae forent, cum et civitas et cathedralis ecclesia ad planitiem translatae sunt.

Quoad indultum vero quod Capitulares efflagitant alternandi servitii etiam diebus quadragesimae recolendum venit, quod etsi s. Trid. Synodus per trium mensium spatium veniam a choro vacandi Canonicis tribuens nullam anni partem exceperit, quemadmodum *sess. 23. cap. 1. de ref.* disposuerat quoad Episcopos aliosque animarum curam habentes quibus prohibuit, quominus tempore adventus, quadragesimae aliisque solemnioribus festivitatibus a residentia abeant, nihilominus s. Congregatio hanc limitationem ad choro addictos quoque extensam voluit ceu videre est in cit. *Castri Maris*, in qua sic legitur: Scribatur Episcopo etc. ut *p. 1061.*

Hinc constans semper fuit ejusdem praxis, ut quotiescumque Capitularibus alternatim choro inserviendi per annum facultatem fecit, eam clausulam semper apponere consueverit, ut iis omnes temporibus nuper dictis in chorum convenirent, quemadmodum patet ex *Arianen. 12. Decembris 1599.*, *Setina Chori et missae convent. 21. Januarii 1786.* aliisque. Quinimo Tiphernati capitulo alternativam choralem pro quadragesimali tempore postulanti gratiam fuisse denegatam, docet causa *Civitatis Castelli Servitii chori 14. Junii 1738.* Neque mihi percurrenti s. C. decisiones ulla quantum fas fuit sese obtulit, qua alternatim chori servitio incumbere tempore quadragesimae indultum fuerit excepta una Casertana diei 16. Maji 1801, quae ipsa eadem est, quam modo oratores prorogari exoptant. Verum circumstantias illas ob quas ea prolata fuit hodie evanuisse demonstrat supracitatum folium 1843: et tantum superesset distantia domorum quas in pagis incolunt Canonici ab ecclesia cathedrali; sed haec ab aliis disjuncta circumstantiis haud legitima causa visa est s. Congregationi pro concedenda vel ipsa annuali alternativa, uti eruitur ex una *Aliphana Servitii chori 27. Aprilis 1708;* multoque minus legitima censenda videretur in themate dum ex ipsa fit, ut Canonici in loco residentiae non morentur nisi forte excusentur ex iis quae habet Antistes in relatione in saepe citato syllabo exscripta.

Ex hoc ipso syllabo deprehendent EE. VV. rationum momenta quae pro obtinenda gratia proferunt Capitulares. In adaucto choro inservientium numero potissimum modo instant, ut proinde pertimescendum non sit ajunt fore ut ecclesiae servitium detrimentum patiatur. Et sane s. Congregatio quoties satis frequentem Capitularium coetum agnoverit benignam se praebuit annuali alternativae indulgendae quae certo a majori onere Canonicos liberat prae ea quam Oratores pro feriis quadragesimalibus expetunt uti videre est in *Tranen.**) *Indulti 22. Nov. 1738:* in relata autem *Aliphana* Capitularium mediariam expostulantium ob distantiam trium milliariorum a Cathedrali ideo forsan petitio rejecta fuit, quod capitulum duodennario numero constabat; at in Casertana Cathedrali 30 numerantur ii qui chorali servitio mancipati sunt.

Erit EE. VV. dirimere dubium:

An si standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis dempta limitatione temporis tantum.

Die 10. et 24. Jan. 1846.

*) Vd. *p. 1062.*

*) Vd. *p. 1063.*

Indulgetur parocho et beneficiatis ecclesiae parochialis s. Stephani Valentinae dioecesis ut in perpetuum pro quarta eorum parte per turnum a chori servitio abesse possint.

Venerabili fratri Archiepiscopo Valentino.

Pius Papa VII

Venerabilis frater. Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii parochus clerusque beneficiatus ecclesiae parochialis s. Stephani Prothomart. Valentinae civitatis multos esse beneficiatos residentiales ejusdem ecclesiae sed non multos fructus, beneficia fructusque beneficiorum in distributionibus partim ex ea fundatione partim ex oblatione votiva fidelium provenientes tantum consistere ideoque se ad eas lucrandas choro quotidie et tam mane quam vespere pro multiplici functionum genere necessario adesse debere; hinc ut paullulum nanciscantur otii in tanto labore quartam ipsorum partem ac per temporis spatium praefigendum a Nobis vicissim a choro quin tamen fructuum seu distributionum perceptionem amittant abesse posse se vehementer optare atque a Nobis humiliter poscere, eo vel magis quod simili otio aliae communiter gaudent Valentiae parochiales ecclesiae quodque aliunde etiam absente ut expetunt quarta beneficiatorum parte a s. Stephani parochiali supersunt semper 14 alii, qui quotidianum chori servitium sat bene poterunt illic explere.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes et ipsorum singulos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut veris existentibus praenarratis eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi ac successores ipsorum in perpetuum pro quarta eorum parte seu 4 inter eos per turnum ac pro duobus mensibus tantum in quolibet anno, dummodo tamen per majorem anni partem ac cunctis praesertim diebus festis solemnioribus primisque horum vesperis quos dies expresse volumus reservatos choro intersint, ab eodem choro vacare ac interim omnes et singulos beneficiorum suorum fructus, redditus et proventus etiamsi in solis ut praefertur consistant distributionibus, iis tamen exceptis, quae vulgare isthic vocabulo distributiones votivae seu adventitiae dicuntur quaeque personalem praesentiam et assistentiam praecipue requirunt, lucrifacere ac cum omni integritate percipere suosque in usus et utilitatem convertere, perinde ac si cunctis chori ecclesiaeque functionibus personaliter interveniret, libere ac licite possint et valeant auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et prudentia impertiaris atque concedas.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 4. Maji 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 156. Ed. Romae.)

Indulgetur parocho et beneficiatis ecclesiae parochialis oppidi Alcoy Valentinae dioecesis ut pro tertia vel quarta eorum parte per turnum abesse possint a choro duos tantum menses in quolibet anno certis tamen temporibus et festis exceptis et in absentia percipere fructus et distributiones.

Venerabili fratri Archiepiscopo Valentino.

Pius Papa VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii parochus et clerus beneficiatus ecclesiae parochialis oppidi Alcoy Valentinae dioecesis se onus ferre inserviendi choro quotidie sed beneficium unde onus hujusmodi provenit non reddere unicuique ipsorum quotannis nisi 69 scutata monetae romanae de certo seu amortizado uti vocant et 37 de adventitio seu votivo, eleemosynis tamen non computatis missarum, quas si quis poterit singulis celebrare diebus poterit quoque quolibet anno ad summam 162 scutatorum usque pertingere. Quamobrem, ut aliquid nanciscantur levaminis in tanto labore, cum ipsi per aliquam temporis partem alternatim a choro in anno vacare ac beneficiorum fructus et distributiones vel absentes percipere, eo vel magis quod ex nonnullis eorum per intervallum absentibus nihil pertimescendum sit detrimenti ecclesiae servitio, quum ibi unus et 20 beneficiati praeter parochum numerentur, utque in eadem dioecesi jam aliae parochiales ecclesiae alternent ex apostolico indulto chori servitium: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. interpretum, qui tuam hac de re relationem ad eosdem transmissam attenderunt, consilio per praesentes committimus et mandamus, quatenus veris existentibus narratis eisdem exponentibus eorumque in perpetuum successoribus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis indulgeas, ut ad duos cujuslibet anni menses tantum tertia vel quarta ipsorum pars per turnum a te constituendum a chori servitio vacare et a residentia abesse possit ac interim fructus omnes et distributiones quotidianas percipere valeat amissis distributionibus inter praesentes seu votivis necnon exceptis praemissa vacatione tempore adventus et quadragesimae, diebus festis solemnioribus Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes et ss. Corporis Christi et per totam octavam eorumdem festorum necnon festi s. Titularis quibus in diebus aliisque tuo arbitrio benevisis omnes ex praedictis exponentibus choro inservire divinisque officiis personaliter interesse teneantur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 29. Maji 1804.

(Ibid. p. 169.)

Ampliatio indulti de uno ad duos menses vacandi a choro et percipiendi in absentia fructus et distributiones quotidianas in perpetuum pro beneficiatis ecclesiae parochialis s. Catharinae v. et m. civitatis Valentinae.

Venerabili fratri Archiepiscopo Valentino.

Pius Papa VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii beneficiati qui clerum constituunt ecclesiae parochialis s. Catharinae V. et m. civitatis Valentinae, quod fel. rec. Clemens PP. XIV. Praedecessor Noster 1771 ipsis indulsit, ut tertia eorum pars pro uno tamen mense cujuslibet anni vacare posset a choro absque distributionum quotidianarum jactura, iis tamen exceptis, quae personalem praesentiam postulant. Tunc temporis autem 60 beneficiati ista in ecclesia numerabantur, qui inpraesentiarum ad 40 tantum redacti sunt defectu reddituum, qui pro hoc solo numero substentationem congruam afferunt. Sed praeterquam quod multum imminuta est quantitas beneficiatorum, multum quoque eo abhinc tempore excreverunt tam mane quam vespere functiones ecclesiasticae, ita ut gravius non factum sit pondus laboris iis qui choro inserviunt, hinc vacatione duorum in anno mensium aeque ac clerus fere omnis aliarum parochialium licet et numero minor et minori obstrictus servitio ex apostolicae Sedis gratia isthic jam gaudet posse gaudere vel ipsi desiderant enixisque precibus humillime a Nobis efflagitant.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes ac ipsorum singulos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicum nomine Nobis humiliter porrectis precibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus veris existentibus praenarratis laudati Praedecessoris indultum, quod ad unum dumtaxat mensem in anno pro tertia parte beneficiatorum praedictae ecclesiae ut praefertur concessum fuit, deinceps ad duos menses uniuscujusque anni et non ultra ac exceptis festis solemnioribus a te designandis pro quarta vel eorumdem ac etiam successorum parte per turnum, prout magis in Domino expedire censueris, ita quidem ut pars hujusmodi a choro per eos menses abesse et nihilominus omnes et singulos suorum beneficiorum fructus, redditus et proventus necnon distributiones quotidianas servata tamen quoad has conditione prioris indulti, dummodo nempe praesentiam assistentiamque personalem non requirant, exigere atque percipere suosque in usum et utilitatem convertere, perinde ac si cunctis chori et ecclesiae servitiis functionibusque interessent, libere et licite valeant auctoritate Nostra apostolica pro tui prudentia et arbitrio gratis extendas et amplies.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 8. Decembris 1811.

(Ibid. p. 255.)

Facultas Praeposito et beneficiatis ecclesiae metropolitanae Caesaraugustanae vacandi a choro per alios triginta dies cujuslibet anni

et percipiendi fructus in absentia in perpetuum.

Venerabili fratri Archiepiscopo Caesaraugustano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii praepositus et beneficiati metropolitanae ecclesiae nostrae Dominae Del Pilar nuncupatae Caesaraugustanae civitatis se admodum arcto onerosoque obstrictos residentiae vinculo, quum praeter assistentiam communi choro praestandam ac praeter majorem partem missarum in eadem ecclesia earumque etiam multas in altaribus horisque praefixis celebrandas debeant ipsi per turnum recitare quotidie officium parvum b. Mariae V. in choro s. capellae nostrae Dominae, cantare plura anniversaria in capella s. Laurentii, interesse defunctorum vel pauperum exequiis evenientibus ut plurimum post finem chori ac in iis cantando missas praesente cadavere reliquaque explendo juxta morem suffragia. Ex hinc fieri ut divisum quum sit quotidianum ipsorum servitium in decem punctationes, matutino non comprehenso, solae illae dies, quibus vel involuntarie inter annum abfuerint, viginti dies sibi tantum ad vacandum concessos prorsus absorbeant. Porro accedere et illud, quod ipsi post reductionem beneficiorum pluribus jam abhinc annis in ista ecclesia peractam licet multo minores numero evaserint integrum tamen onerum, quae beneficiis reductis inhaerebant, pondus perferant, quin majorem simul assecuti sint fructum, vix ac ne vix quidem percipientes, de quo valeant congrue sustentari. Quamobrem ad nanciscendum aliquod tanto in labore levamen se orare humiliter atque enixe obsecrare, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut veris existentibus praenarratis eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi ac successores ipsorum in perpetuum praeter et ultra 20 vacationis dies, quibus in quolibet anno ut praefertur gaudent, per alios dies 30 in eodem anno a chori ecclesiaeque servitiis vacare ac in diebus hujusmodi omnes et singulos suorum beneficiorum fructus, redditus et proventus ac quotidianas quoque distributiones lucrari suasque facere omni cum integritate atque percipere suosque in usus et utilitatem convertere, perinde ac si cunctis ecclesiae et chori functionibus personaliter interveniret, libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et conscientia gratis impertiaris, proviso tamen, ut per turnum a te statuendum id fiat et sufficiens semper beneficiatorum qui uti par est choro et ecclesiae quotidie inserviant numerus remaneat, exceptis vero diebus festis solemnioribus anni primisque eorum vesperis ac per totam eorumdem octavam necnon aliis etiam, quae tum magis in Domino excipiendos esse censueris, tum demum temporibus adventus et quadragesimae, nam tempora et dies hujusmodi praesenti vacationis ampliatione expresse reservari volumus et declaramus.

Datum Romae die 30. Aprilis 1805.

(Ibid. p. 305.)

Facultas beneficiatis ecclesiae collegiatae Setabitanae Valentinae dioecesis vacandi a choro in perpetuum per duos menses in anno et distributiones percipiendi.

Venerabili fratri Archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri beneficiati ecclesiae collegiatae Setabitanae Valentinae dioecesis se grave chori pondus modico emolumento ferre in dicta ecclesia, ubi per singulos anni dies mane et vespere cunctis functionibus interesse adeo arcta obligatione tenerentur, ut qui non intersunt nec assignatas distributiones lucrentur, e quibus suorum laborum fructus omnis eruitur, sed quae vix tamen ad congruam uniuscujusque substentationem pertingunt. In eadem autem ecclesia et

plures numerari Canonicos, qui praeter distributiones tum praebenda seu ut vocant primitiis tum tribus in anno vacationis mensibus gaudent et 27 recenseri beneficiatos et his omnibus non paucos accedere officiales atque cantores ad ecclesiae chorique servitia a capitulo deputatos, ita ad nullum pertimescendum sit divino cultui detrimentum, si ad aliquid quietis otiique captandum dentur beneficiatis, ut et aliis dioecesis istius ecclesiis datum indultumque jam est, duo menses in anno, quibus tertia vel quarta ipsorum pars vacare ab ecclesia possit per turnum absque ulla distributionum jactura. Se Nobis idcirco humiliter supplicari fecisse, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos expouentes eorumque singulos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi ac successores etiam ipsorum in perpetuum pro quarta eorum parte per turnum ac pro duobus mensibus tantum in quolibet anno, non tamen diebus festis solemnioribus, incipiendo a primis vesperis aliisque etiam, quos tuo judicio satius in Domino reservandos ceusueris, a memorata ecclesia choroque abesse ac interim omnes et singulos suorum beneficiorum fructus, redditus et proventus etiam si in solis ut praefertur consistaut distributiouibus, iis tamen expresse exceptis, quas vulgo isthic votivas appellant quaeque personalem praeseutiam et assistentiam absolute expostulant, lucrifacere ac omni cum integritate, perinde ac si cunctis chori ecclesiaeque servitiis personaliter adessent, percipere suosque in usus et utilitatem convertere libere et licite possint et valeant auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et prudentia gratis impertiaris.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 9. Augusti 1805.

(Ibid. p. 362.)

Confirmatio decreti editi a capitulo ecclesiae collegiatae terrae s. Elpidii Firmanae dioecesis super immutatione temporis absendi a choro et celebratione missae conventualis tempore quadragesimae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Archipresbyter et Canonici insignis collegiatae ecclesiae s. Elpidii Firmanae dioecesis, quod quamquam ex lege erectionis dictae Collegiatae per duos menses conciliares ad uniuscujusque Canonici libitum intra annum a choro abesse liceret, *minime vero in principalioribus anni festivitatibus*, recens tamen usus invaluerat, ut praestatuta hujusmodi absendi licentia ad dies quoque festos extenderetur. Quoniam vero magna ibi esse solet populi christiani frequentia eo quod dicta ecclesia est etiam parochialis locique matrix, idcirco in actu s. visitationis dilectus frater Noster Julius Caesar S. R. E. Cardinalis Brancadorius nuncupatus ex concessione et dispensatione apostolica ecclesiae Firmanae praesulis, quo s. functiones decentius ibi celebrarentur, censuit non in principalioribus modo sed in aliis etiam omuibus festis diebus Canonicos omnes choro iuteresse oportere, ideoque eo magis, quod dictus Archipresbyter cum duobus perpetuis vicariis aliisque duobus Canonicis ex respectivis eorum fundationibus e choro absentes sacramenta diebus praesertim festis ministrare tenentur. Illud quoque ex altera parte ipse Cardinalis censuit, quidquam compeusationis fore concedendam memoratis Canouicis, ut divini cultus hujusmodi incrementum animarumque curam cum veteri abessendi licentia praedicta inter se conciliaret. Ne autem quidquam durius idem Cardinalis statuere videretur, rem omnem ipsis etiam Canonicis cousiderandam reliquit.

§. 2. Qui et ipsi eodem divini cultus studio incensi in eamdem venere sententiam atque memorato Cardinali capitularem deliberationem exhibuerunt sequentis tenoris, videlicet: »Quod adempta inposterum Canonicis aliisque addictis servitio ecclesiae collegiatae s. Elpidii vacandi licentia in festis cujuscumque ritus a primis vesperis (dummodo uon agatur de simplici dominica, quae nou habet primas vesperas) ad secundas inclusive servitium dierum ferialium sit alteruativum, adeo ut in prima hebdomada inserviant Archipresbyter, sex Canonici, unus vicarius perpetuus tresque beneficiati, reliqui vero

sex Canonici, alter vicarius perpetuus et tres beneficiati in secunda hebdomada et sic alteruatim per hebdomadas subsequentes, excepto tamen toto adveutus et quadragesimae tempore in quo omnes, ut in dictis festis diebus, interesse teneautur sicuti et in tota octava ss. Corporis Christi ad formam ultimae dioecesanae synodi 1793, sub poena amissionis omnium distributionum pro rata absentiae singulis vicibus. In principalibus autem anni festivitatibus poena duplicabitur, uti habent antiquae coustitutiones ejusdem ecclesiae. Hanc vero deliberationem ab eodem Cardinali minime improbatam esse affirmant. Quoniam autem sicut in eadem expositione additum erat diebus etiam ferialibus septem ejusdem Collegiatae individui plerumque remanent in sacramentis administrandis occupati haud facile secunda et tertia missa juxta generales rubricas seu statuta celebrari possunt cum cantu praeter missam conventualem in feriis quadragesimae praesertim in quibus et sacra concio publice habetur et frequeutior esse solet sacramentorum administratio; ideo archipresbyter et Canonici praedicti Nobis humiliter supplicari feceruut, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicatiouibus hujusmodi inclinati praememoratum a dicto praesule susceptum consilium immutandi ut supra tempora abessendi a choro atque praeinsertam Canouicorum deliberationem et singula in ea contenta cum poenis ibidem expressis adprobamus et confirmamus illique inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Die 2. Jan. 1807.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 84. Ed. Romae.)

Tusculaua.

Non una sed pluribus distinctis fundationibus coaluit capitulum cathedralis ecclesiae Tusculauae atque modo inter Diguitates et Canonicos et beneficiatos primae et secundae erectionis*) discriminatur. Primam erectionem fecit 1537. Paulus III. postquam creverat nova civitas ad radices Montis Tusculi, ubi se receperunt profugi incolae veteris muuicipii Tusculani, quod in summo vertice moutis positum 1191. vi eversum fuit. Pontifex enim ex parochiali ecclesia cathedralem sedem erexit atque capitulum instituit constans ex parocho Archipraesbytero, 4 Canonicis et geminis beneficiatis. Sixtus V. aeque duas canonicales praebendas adjunxit assignatis scutis 100 ex redditibus cameralibus et aliis scutis 100 super redditibus mensae episcopalis. In causam vero distributionum quotidianarum Clemens XII. qui ante pontificatum maximum sedem Tusculanam tenuit scuta bismille donavit, quae in fundum frugiferum collocata fuere. Ex *secunda* vero *erectione* sunt duo Dignitates, Archidiaconus et Primicerius, 11 alii Canonici et tres beneficiati. Sunt praeterea alii 5 beneficiati quin vel omnibus diebus festis vel solemnitatibus tantum I. et II. classis chori servitium praestant. Has praebendas II. erectionis instituit fundatorum pietas et munificentia decessoris Episcopi cl. me. Cardinalis Eboracensis atque separatos habent redditus quos administrant praebendarum possessores collata tertia parte pro distributionibus quotidiauis.

Non satis constat quale servitium chori obierit capitulum primis fundationis temporibus. Cousuetudine tameu inolevit, ut servitium esset continuum ita tamen ut per turnum duo Canonici vacarent una hebdomada diebus ferialibus ut patet ex actis ss. visitatiouum quas 1636. et 1660. gesserunt Episcopi Altieri et Leveroli. Aliquantulum postea immutata fuit haec ratio obeundi choralis servitii. Nam ex actis s. visitationis peractae 1703. ab Archiepiscopo Hydruntino de Aste constat Canouicos vacare consuevisse per unam hebdomadam singulis mensibus sive tres Canonicos per singulas hebdomadas. Ex constitutionibus porro ecclesiae quas 1761. vulgavit et in synodo habita 1763. confirmavit cl. me. Cardinalis Eboraceusis praescriptae sunt vacationes per turnum, ut scilicet quisque choro intersit per duas hebdomadas, tertia ab eo vacet. Sed idem Cardinalis Eboracensis a s. Congregatione opportunis facultatibus auctus servitium chori ad mediariam reduxit, *exceptis tamen diebus festis et tempore adventus et quadragesimae et octavarum privilegiatarum* juxta indultum concessum *die 16. Martii 1771.*, quam reductionem servandam esse jussit in synodo 1776.

Usquedum Canonici ad hauc normam servitium chori exegerunt, sed diminutis ob

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

varios rerum casus fructibus praebendarum postularunt a s. Congregatione ut eximerentur a communi servitio chori tempore adventus et octavarum privilegiatarum atque ut tempore quadragesimae reduceretur ad interventum matutini et in octava ss. Corporis Christi ad servitium vespertinum. Sed rejectae fuere preces per rescriptum diei *23. Novembris 1805: Gaudeant impetratis.* Renovarunt tamen instantiam Canonici et adductis exemplis aliarum Cathedralium insteterunt poscere reductionem servitii chori. Emus Episcopus in sua informatione deducit ea, quae instantiae favent quaeque erunt inferius recensenda. Nunc ex ejus voto scire praestat ab anno 1771. ad 1806. decrevisse praebendarum fructus atque id demonstratur ex folio, in quo singularum praebendarum fructus adnotantur, qui 1771. et 1806. percepti sunt, unde instituta veluti comparatione pateat, quod fructus praebendarum certe quidem decreverint. Describuntur aeque onera missarum, quae singulis praebendis inhaerent, atque alia onera quae a singulis praestanda sunt atque hisce omnibus detractis calculantur fructus, quos quisque praebendarum possessor percipit omnino liberos. Si excipiatur Canonicus theologus qui annua scuta 121. 63., Archidiaconus qui scuta 89. 50., Archipraesbiter, qui scuta 69. 46. percipit libera prorsus ab omnibus oneribus etiam missarum, ex caeteris praebendis piguior est scutorum 55. 89., tenuior scutorum 14., reliquae vero inter haec extrema consistunt.

Hujus diminutionis porro rationem affert Episcopus in sua informatione: *Verumtamen* ait *si quaeras cur ab anno 1771. ad praesens decreverint proventus, in promptu est utique certissima ratio, nempe ex LL. MM. fructuum diminutione, ex censibus vel deperditis vel diminutis ob rerum publicarum vicissitudines, ex domorum dislocationibus ob populi deficientiam, a quibus nominibus praecipue fructus canonicales conflantur. Num augeri poterunt? Nec spes quidem fulget; desperanda quaecumque auctio videtur, timendum potius ne magis magisque decrescant ceu consideranti patet.*

Postulat capitulum ut quodammodo temperentur clausulae illae appositae in indulto s. Congregationis 1771., quo Episcopi arbitrio permittebatur ut servitium ad alternas hebdomadas sive ad mediariam reduceretur, *ita tamen ut omnibus diebus festis et tempore adventus et quadragesimae et octavarum privilegiatarum ecclesiae inservire et choro et divinis officiis interesse teneantur.* Verum clausulae hujusmodi numquam praetermittuntur, ubi servitium chori redncitur. Tum enim compelluntur omnes interesse tempore quadragesimae, adventus, omnibus diebus festis praecipue solemnioribus et saltem in octava ss. Corporis Christi, quemadmodum videre est inter plures alias resolutiones s. Congregationis *in Arianen 12. Dec. 1796., in s. Severinae 13. Julii 1725., in Tranen. 22. Nov. 1718.,**) *in Bituntina Servitii chori 15. Sept. 1770.***) Imo cum *in Terraconen. 18. Februarii 1764.****) reductum fuerit servitium chori cum *solitis clausulis* reclamantibus Capitularibus, ut clausulae hujusmodi essent moderandae, s. Congregatio die 23. Martii 1765. petitionem rejecit clausulasque illas firmas voluit. Si servanda est incolumis disciplina hujusmodi, frustra postulat capitulum Tusculanum, ut temperentur clausulae, quae respiciunt commune servitium tempore adventus, quadragesimae et octavae ss. Corporis Christi. Ad summum investigandum erit num reducendum esset servitium in aliis octavis privilegiatis vel saltem num concurrat justa causa, quamobrem inveteratae disciplinae sit derogandum. Praecipua quae affertur causa est diminutio, quam ab anno 1771 tulerunt fructus praebendarum; de qua quidem diminutione nonnulla vobis EE. PP. prae munere observanda proponam priusquam Emi Episcopi sententiam referam.

Etenim non tam quaerendum videtur, si fructus diminuti sint, quam num habeant Capitulares congruum emolumentum servitio, quod nunc praestant. Sane de omnibus praebendis hoc affirmari non potest, cum quaedam sint pinguiores prae aliis, quaedam mediocritate quadam superant tenuiores. Non igitur indiscriminatim concedenda esset exemptio a choro sed iis tantum, quae certum habent stipendium. Deinde licet nonnullae praebendae tenues omnino videantur, aliae vero haud ita multo pingues, attamen observandum, quod detracta ex iis est eleemosina pro oneribus missarum. Hanc vero eleemosinam ipsi praebendati percipiunt neque eam consequerentur, nisi praebendas ipsas

*) Vd. *p. 1063.*
**) Vd. *p. 1067.*
***) Vd. *p. 1068.*

possiderent. Quare has eleemosinas revera augent fructus praebendae et calculandae sunt quodammodo pro emolumento muneris canonicalis cui inest onus servitii choralis. Et revera tenuior illa praebenda, cui annua scuta 14 tantum superesse dictum est, annua 34. 60. dat possessori, praeter scut. 12 et 60. 90. quae in exhibita notula pro exitu detrahuntur, ita ut redditus annuus in totum ad annua scuta 47. 50. nunc ascendit post passam diminutionem servitii choralis. Quamquam vero afferuntur exempla aliarum ecclesiarum in quibus praestatur servitium ad *mediariam*, ad *tertiariam* et ad *quartariam*, et nihilominus non habent communes illos dies, quos a reductione excipit indultum 1771., attamen ad rem facere non videntur, quia non constat utrum id in fundatione constitutum sit, an vero ex indultis impetratis ob peculiares circumstantias.

Nihilominus Episcopus haec habet: »Eo inquit redit tota disputatio et inspectio ut perpendendum veniat ni fallor an in praesenti hypothesi aut urgens aut justa aliqua et rationabilis causa concurrat, quae servitii tempus ac modum alias definitum 1771. moderandum imminuendumque suadeat. In qua quidem disquisitione praecipua ratio eruenda videtur ex reddituum tenuitate. Qui sit itaque Canonicorum et beneficiatorum census habetur ex enunciato folio . . . Caeterum non desunt in meo capitulo nec aetate graves, valetudine mala affecti nec hyeme in ecclesia aeris rigor, quo indulgetur diebus ferialibus horas canonicas in sacrario persolvere nec tandem desiderandus venit cumulatissimus Canonicorum et beneficiatorum numerus ad laudes alternatim per hebdomadas decore exolvendas, ita ut ecclesiae servitium nullum expetitae indulgentiae concessione in detrimentum venire poterit, praecipue quoad completorium tempore quadragesimae exceptis diebus festivis atque quatuor postremis diebus hebdomadae majoris, cum res sit de minima officii parte a reliquis sejuncta. At quis opponet, quid utilitatis, quid lucri exinde obtinent Canonici, nisi per plateas, per vicos ociari? Verumtamen illi reponunt nimis probare objectionem. Sequeretur enim umquam ob reddituum tenuitatem concedi posse servitii reductionem, quod pugnat cum s. Congregationis decretis. Praeterea num proprium commodum despiciendum, num canonicalium vestium posthabenda parsimonia?

Dubium proponitur:

An et quomodo moderandae sint clausulae indulti diei 16. Martii 1771. in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 18. Junii 1808.

Vigilien.

Geminae sunt colleg. ecclesiae seu potius receptitiae et parochiales in civitate Vigiliensi, altera s. Adveno, altera s. Matthaeo nuncupata, constat scilicet illa s. Adveni Abbate curato et Canonico catechista et 8 Canonicis coadjutoribus curatis, illa porro s. Matthaei Abbate curato et rectore curato atque 8 Canonicis pariter curatis, quorum plerique sacramentales confessiones excipiunt et divinum verbum annuntiant. In utraque ecclesia omnes per concursum apud curiam providentur et quotidie persolvuntur horae canonicae nocturnae et diurnae et canuntur per turnum quotidie missae conventuales pro benefactoribus et in vigiliis duae missae de requie ex legatis.

Aucto in civitate Vigiliensi animarum numero ad capita 14 millia, *ne Abbates curati et Canonici in obeunda parochiali cura laboribus succumberent et ne detrimentum ferret servitium chori,* quinimmo diebus solemnibus functiones chorales majori decentia celebrarentur, quinque in utraque Collegiata adjuncti sunt capellani, quibus singulis ex massa ecclesiae, cui inserviunt, assignatum est stipendium ducatorum 12 praeter incerta adventitia, imposito iisdem tantum onere ut choro et ss. functionibus interessent. Qua facta electione die 19. Febr. 1804 prodiit a curia episcopali decretum hujusmodi: »Attenta electione jam canonice facta 10 capellanorum liceat et licitum sit duabus ecclesiis ss. Matthaei et Adveni earumque Canonicis frui vacatione tertiativa juxta conciliares leges et statuta ecclesiae, ita ut duae ex tribus partibus choro semper intersint, exceptis tamen temporibus in quibus omnes et singuli teneantur interesse nempe tempore quadragesimae necnon in omnibus solemnibus diebus utriusque praecepti et expositionis SSmi et hoc juxta conciliares leges et statuta.«

Hujus decreti confirmationem utriusque Collegiatae Canonici postularunt. Semel iterumque rogata est sententia Vicarii capitularis, ut *audito capitulo utriusque Collegiatae et transmissa copia resolutionis capitularis et canonicae erectionis capellanorum referret de*

numero omnium individuorum choro interessentium et qualitatis choralis servitii ex ecclesiae constitutionibus praestandi, quoque modo praestabatur ante 1804, de legitima et necessaria causa reductionis ejusdem servitii ad tertiariam, de consuetudine in finitimis Collegiatis, an capellanis pro servitio ad instar Canonicorum assignatum stipendium sit congruum juxta constitutiones synodales, de securitate ejus perceptionis et an per petitam reductionem chori servitium detrimentum patiatur. Sed ex remissis informationibus nil aliud habetur, quam quod in facto exposui.

Sane in utraque Collegiata quantum ex informatione Vicarii capitularis assequi potest quotidianum chori servitium praestatur et nunc postulant Canonici, ut ad *tertiariam* reducatur, dum implorant confirmationem illius decreti curiae episcopalis diei 16. Febr. 1804, quo eisdem indultum *frui vacatione tertiativa juxta conciliares leges et statuta ecclesiae itaut duae ex tribus partibus choro semper intersint.* At Concilium Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform.* praescripserat ne liceat *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis abesse salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus quae longius servitii tempus requirunt.* Si igitur in utraque Collegiata quotidianum servitium chori praestatur sive id ex constitutionibus sive ex consuetudine introductum sit videtur quod permittendum non sit servitium *ad tertiariam*, quae minuit servitium quotidianum ex mente Tridentini servandum.

Nihilominus quandoque justa ex causa s. Congregatio indulgere consuevit, ut servitium quotidianum *ad tertiariam* reduceretur. Causa hujusmodi vel a tenuitate reddituum desumitur vel a gravi chori servitio ut in *Romana Reductionis servitii chori et missarum 18. Aprilis 1722.* et *in Recanaten. Servitii chori 8. Julii 1786.* Cum de tenuitate reddituum nihil meminerit vel episcopale decretum vel Vicarii capitularis relatio videant EE. PP. num gravius quam par sit servitium quotidie praestetur ab Abbate et Canonicis *qui distenti sunt laboriosa animarum cura in ea civitate in qua nunc auctus est populus ad capita 14000.* Si ita esse censeant tum confirmationem forsan mereri posset decretum ampliatis tamen interpositis conditionibus ut nimirum omnibus diebus festis de praecepto, tempore adventus et quadragesimae singulisque octavis privilegiatis omnes inservire teneantur veluti ex praxi s. Congregationis definitum in *Castri Maris Servitii* chori 30. Julii 1735 *) plurimisque allatis resolutionibus in *Terraconen. 23. Martii 1765.***)

Dubium proponitur:

An decretum curiae episcopalis diei 16. Februarii 1804. sit confirmandum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative exceptis quoque omnibus diebus festis de praecepto et octavis privilegiatis.

Die 25. Maji et 15. Junii 1816.

Aquilana.

Quotidianum chori servitium quod capitulum Cathedralis Aquilanae olim praestabat 1558 *ad tertiariam* redactum fuit atque ita fere biscentum annis continuatum, donec 1757 per decretum s. Congregationis diei 17. Septembris postulante capitulo data est Episcopo facultas indulgendi oratoribus *ut toto anni tempore per mediarias id est per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis choro et officiis divinis interesse atque ecclesiae inservire possint et valeant ita tamen, ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore adventus et quadragesimae ac octavarum Nativitatis D. N., Paschatis Resurrectionis et ss. Corporis Christi ultra medietatem eorum qui erunt de servitio caeteri omnes missae et vesperis interesse teneantur.*

Hoc indultum ita Episcopus exequutioni commisit, ut praeter designatos dies capitulum interesse quoque deberet *supplicationibus seu processionibus quae fiunt extra ecclesiam et interesse matutino et horis canonicis, missae cantatae et vesperis die Paschatis Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, die festivitatis Pentecosten cum duobus diebus sequentibus, die festivitatis s. Maximi Patroni et Titularis, die Assumptionis B. M. V. cum feria V. in Coena Domini, feria VI. in Parasceve et Sabbato s.*

Ita praestitum fuit chori servitium ad annum usque 1813 quo tempore modernus Episcopus Aquilanus auctus facultatibus sibi oretenus a R. P. D. Delegato apostolico tributis nonnulla quoad chori servitium praesertim in diebus solemnioribus mutare de consensu capituli et ad biennium duratura statuere censuit. En verba illius decreti:

*) Vd. *p. 1061.*
**) Vd. *p. 1068.*

I. Firma et intacta remaneat obligatio quae viget modo apud universos praebendatos interveniendi processionibus quae fiunt intra annum extra ecclesiam necnon assistendi missae cantatae et vesperis diebus festivis totius anni ac feria IV. cinerum et solis vesperis octo dierum praecedentium Nativitatem Domini et excepto completorio omnibus horis canonicis et functionibus majoris hebdomadae incipiendo a feria IV. post prandium a primo tenebrarum matutino ac tribus diebus Paschatis et Pentecostes atque festis Assumptionis Deiparae et Translationis s. Maximi praecipui Patroni civitatis et dioecesis.

II. Omnes et singuli Capitulares absque ulla exceptione teneantur deinceps persolvere integrum officium in choro nocte et die Nativitatis Domini necnon in solemnitatibus Epiphaniae, Ascensionis, ss. Corporis Christi, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis ecclesiae cathedralis, omnium Sanctorum, Conceptionis B. M. V. et tandem in I. vesperis translationis s. Maximi.

III. Pro hisce oneribus noviter adjectis absolvimus et dispensamus pariter ad biennium praebendatos praedictae nostrae Cathedralis in ea hebdomada, qua fruuntur vigore alternativae, ab obligatione, quae viguit hucusque assistendi missae cantatae et vesperis in diebus ferialibus tantum, qui numerantur toto tempore adventus et quadragesimae et durantibus octavis Nativitatis Jesu et ss. Corporis Christi.

IV. Durante tota quindenna paschali, jubilaei et indulgentiarum tempore necnon praecipuis solemnitatibus utriusque praecepti praeter Canonicum Poenitentiarium et parochos, qui de jure tenentur, quatuor Capitulares sive Canonici sive capellani, qui chorali habitu induti confessiones excipiunt, dum tali funguntur munere, ad annum pro nunc tamquam praesentes in choro censeantur et quotidianis gaudeant distributionibus.*)

Biennio nondum expleto Canonici postularunt a ss. Pontifice, ut temporaneum hoc indultum suprema authoritate perpetuum redderetur. Datae sunt Episcopo literae ut super capituli postulatione suam aperiret sententiam necnon authenticam praecedentium indultorum copiam transmitteret ac de constitutionibus Aquilaniae ecclesiae et consuetudine finitimarum dioecesium referret, quae omnia Episcopus praestitit in sua informatione.

*) Vd. *p. 975. e.*

Ex primaeva fundatione capitulum Aquilae constabat ex Archidiacono et 11 Canonicis totidemque mansionariis, duobus sacristis presbyteris et 4 cantoribus. 1793 ex redditibus suppressi autoritate apostolica archipresbyteratus s. Mariae *de Cascina* auctum fuit capitulum altero canonicatu et altero mansionario. Illius constitutiones utpote reformatae post 1458 in quo servitium quotidianum *ad tertiariam* redactum fuit favent alternativo chori servitio. Varia in singulis finitimis ecclesiis consuetudo nullam congruam decedendi rationem in hac causa praebere valet.

Non est amplius querendum de servitio quotidiano juxta constitutionem Benedicti XIV. *Cum semper oblatas,**) cum jam antea 1558 ac postea ex indulto s. Congregationis 1757 alternativum obtineat servitium. Quaestio est, utrum conditiones adjectae juxta constantem praxim s. Congregationis in indulto 1757 omnino servandae sint seu potius perpetuo retinenda illarum commutatio ab Episcopo ad biennium facta 1813. Siquidem in indulto s. Congregationis 1757 praescriptum fuit, ut capitulum Aquilanae Cathedralis alternativum chori servitium praestaret exceptis *diebus dominicis aliisque festis de praecepto, tempore adventus et quadragesimae et octavarum Domini Nostri, Paschatis Resurrectionis et ss. Corporis Christi*, in quibus omnes missae ac vesperis interesse tenerentur.

Episcopus vero Aquilanus in posteriori indulto 1813 has clausulas immutavit. Nam ex facultatibus a Delegato apostolico sibi concessis dispensavit capitulum ab interventu missae et vesperis in diebus ferialibus tempore *adventus, quadragesimae et octavarum* Nativitatis et ss. Corporis Christi. Sed jussit, ut omnes de capitulo tenerentur persolvere in choro singulas horas canonicas completorio excepto *nocte ac die Nativitatis Domini* et diebus solemnioribus *Epiphaniae, Ascensionis, ss. Corporis Christi, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis ecclesiae cathedralis, omnium Sanctorum, Conceptionis B. M. V. et I. vesperis translationis s. Maximi*, in quibus diebus ex praecedenti Indulto s. Congregationis nonnisi missae cantatae et vesperis Capitulares qui vacabant in hebdomada interesse tenebantur. Addit ut firma manente obligatione interveniendi et vesperis in omnibus festis *ac feria IV. Cinerum* et

*) Vd. *t. I. p. 695.*

solis vesperis excepto completorio *octo dierum praecedentium Nativitatem Domini* necnon processionibus quae fiunt extra ecclesiam omnes tenerentur choro adesse singulis horis canonicis et functionibus *majoris hebdomadae* incipiendo a feria IV. post prandium a primo Tenebrarum matutino ac tribus diebus *Paschatis et Pentecostes* atque festis *Assumptionis Deiparae ac translationis s. Maximi.*

Porro clausulae quae in indulto 1757 adjectae sunt ex inveterata s. Congregationis consuetudine semper adjici solent, cum servitium chori reducitur. Ita videre est *in Tranen. 22. Nov. 1738.*,*) in *Isernien. 26. Junii 1723.*, in *Bituntina Servitii chori 24. Novb. 1770.***) Quin etiam et si aliquando reclamatum fuit vel ob inclementiam aeris tempore hyemali vel ob tenuitatem praebendarum postulatumque, ut praedictae clausulae delerentur, s. tamen Congregatio eas sartas tectas voluit ut praesertim in *Terraconen. 23. Martii 1765****) et in *Tusculana Servitii chori 18. Junii 1808.*

At enim in praesenti disceptatione haud postulant Canonici ut omnino deleantur clausulae in indulto 1757 appositae sed quaerunt dumtaxat, ut perpetuo servetur commutatio servitii facta ad biennium ex Episcopi decreto, ut necessitati christifidelium occurreret in solemnioribus diebus, praesertim ob deficientiam sacerdotum tum saecularium tum regularium. An sit omnino servanda praxis s. Congregationis vel potius ex peculiaribus rationibus favendum commutationi facilius judicabunt EE. PP. ex iis, quae Episcopus in sua informatione deducit in haec verba: *Si juxta antiquum alternativae statum soli praebendati quibus hebdomadae servitium obtingebat etiam in solemnitatibus choro interesse deberent, quomodo animarum necessitatibus occurrendum? Hoc in rerum discrimine quid ergo erat agendum? Vel horae canonicae et ceterae liturgicae functiones omittendae vel christicolae spiritualibus auxiliis fuerant penitus fraudandi. Collatis itaque cum capitulo meo consiliis existimavi omnes de collegio absque ulla exceptione praecipuis festis dempto completorio ad integrum ecclesiae servitium fore inposterum adigendos, ut sic sufficienti numero in choro remanerent et 4 saltem presbyteri praeter Canonicum Poenitentiarium ac parochos qui de jure tenentur fidelium confessiones exciperent. E contrario aequitati consonum duxi pro hujusmodi oneribus noviter adjectis etiam attenta praebendarum extrema pauperie eos tantum, quibus hebdomadis vacatio obtingit, fore deinceps dispensandos ab assistentia missae cantatae et vesperis in solis diebus ferialibus, qui occurrunt tempore adventus et quadragesimae et infra octavas Nativitatis Jesu et ss. Corporis Christi, ad quae omnia praestanda ante commutationem praedictam tenebantur. Et profecto indulgentiam de qua agitur locum esse authumavi tum quia materialis absentia in missa cantata et vesperis ferialibus nonnullorum Capitularium minuit haudquaquam divinum servitium, cum adsint plures voces musicales a collegio ad id fixa mercede conductae, tum quia Canonici inter quos potissimum reperire est perpaucos operarios hic adhuc superstites qui possint adventus et quadragesimae tempore in Dei verbo annuntiando et animabus excolendis, praesertim penes 8 monialium coenobia et 3 mulierum conservatoria, quae hac in civitate supersunt, novam operam impendere.*

Dubium proponitur:

An indultum Episcopi diei 26. Novembris 1813 sit in perpetuum confirmandum in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative ad triennium.

Die 23. Nov. 1816.

Continuatio Aquilana.

Canonici aliique Capitulares Cathedralis Aquilanae ex decreto s. Congregationis 1757 choro et officiis divinis per *mediariam* alternis hebdomadis interesse obstringebantur ita tamen ut festis et quibusdam aliis diebus cuncti ecclesiae inservire tenerentur. Verum imminuto sacerdotum numero auctaque populi tum civitatis Aquilae tum circumstantis agri spirituali necessitate Episcopus apostolicis praeditus facultatibus die 26. Nov. 1813 nonnulla quae chorale servitium attingerent ad biennium immutanda censuit. Decrevit enim I. *Firma et intacta*, reliqua vd. supra *p. 1083.*

Hoc Episcopi decretum eisdem perseverantibus rerum circumstantiis ad tempus *pluries* prorogandum existimavit Ordo ac die 21. Febr. 1824 proposito dubio:

*) Vd. *p. 1063.*
**) Vd. *p. 1067.*
***) Vd. *p. 1068.*

An et quomodo sit prorogandum indultum in casu etc.?

responsum prodiit: *Affirmative ad aliud triennium ad formam praecedentis.*

Quum hujusmodi triennalis prorogationis indultum ad exitum jam properasset, supplices ipse Aquilanus Episcopus dedit literas ad s. Congregationem, quibus perpetuam memorati indulti confirmationem enixe implorat. Ait enim: »Rationes perquam momentosae quibus nititur concessio de qua agitur tam ab Episcopo Praedecessore meo quam a me isti s. Congregationi satis superque fuerunt alias patefactae. Arbitror nihilominus mihi modo addendum dumtaxat infaustas causas, quarum vi hujuscemodi commutationi fuit locus, quin cessaverint vel saltem decreverint, quemadmodum exoptabam, esse nunc non parum adauctas ob numerum praebendatorum magis magisque imminutum in quatuordecim fatiscentibus Collegiatis Aquilanis eo quia in ipsis collatio canonicatuum novem abhinc annis remanet adhuc interclusa et quod pejus nulla affulget spes melioris status inposterum. Sufficiat tantum hic innuere ex 67 Canonicis, qui antedictis Collegiatis antea famulabantur, vix solos 22 ad praesens superesse, comprehensis quoque iis, qui saenio atque aegritudinibus ecclesiae servitio impares evaserunt. Praemissarum idcirco perurgentium calamitatum intuitu exoptatam relati indulti commutationem perpetuam favore meae Cathedralis pro animarum spirituali emolumento vehementissime pastorali mihi fas erit.«

Proponitur dubium:

An et ad quod tempus sit prorogandum indultum in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative ad decennium ad formam praecedentis.

Die 26. Jan. 1828.

Recanaten.

Recanatensis cathedralis ecclesiae capitulum 18 constat Canonicis et 14 beneficiatis, qui altaristae nuncupantur. Quaenam fuerit antiquitus divinas laudes in choro persolvendi methodus, in tenebris antiquitatis delitescit. Certum vero exploratumque est plures in Recanatensi ecclesia hac super re irrepsisse abusus, ad eosque eliminandos Episcopum Gherardum dum 1711 ageret s. visitationem edidisse decretum ac declarasse: *Dignitates et Canonicos praefatos ad praescriptum Concilii Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. teneri et obligatos esse ad personalem residentiam et ab hac cathedrali nisi ad tres menses et juxta tabellam pro ipsorum vacationibus ab anno in annum per nos vel per Vicarium nostrum generalem pro prima vice et deinde in futurum ad illius normam per secretarium capituli ad eas omnium ipsorum insimul et in temporibus a jure prohibitis evitandas subscribendam abesse non posse.* Tabellam vacationum revera ipse omnium primus confecit Episcopus illamque postea Canonicus a secretis capituli exarare et in calendario ut omnibus innotesceret describere consuevit. Factum hinc ut duae ex tribus Capitularium partibus (verba sunt hodierni Vicarii generalis, qui in eadem Cathedrali Praepositurae gaudet dignitate) quotidie choro interessent ad mensem integrum dum interim pars tertia vacationibus gauderet, quae tamen ultra dies 15 a quolibet individuo protrahendae non essent, et quae toto anni decursu tres menses a s. Concilio permissos non praetergrederentur.

Gravis admodum nec ad ecclesiae bonum conducere nuper visa est Canonicis haec choro inserviendi ratio, qui enim ante vel post quadragesimale tempus divinis tenebantur laudibus, per tres fere menses sine intermissione choro inservire compellebantur, cumque usus inolevisset ut quisque pro suo lubitu trium mensium vacationibus frueretur, illud incondite usuveniebat, ut quibusdam diebus Capitulares omnes choro adstarent, nonnumquam autem vix unus et alter ex Canonicis ad ecclesiam se conferret horas canonicas absoluturus. Hisce incommodis et malis remedium dare cupientes hodierni Canonici supplicem Recanatensi Antistiti porrexerunt libellum eumque deprecati sunt, ut Dignitatibus, Canonicis ceterisque Capitularibus in duas classes distributis per alternas hebdomadas inposterum divinas laudes quotidie persolvere fas esset. Capituli votis annuendum putavit Episcopus die 20. Decembris 1824.

Novam Canonici illico exararunt tabellam et ab Episcopo probatam in vulgus ediderunt, qua cautum est, ut Capitulares per alternas hebdomadas ecclesiae inserviant atque insuper ut ad unum omnes choro intersint singulis dominicis aliisque festis diebus etiam reductis, toto Quadragesimae et Adventus

tempore, integra octava ss. Corporis Christi, die anniversaria dedicationis ecclesiae, in festo s. Flaviani Titularis nonnullisque aliis diebus, adeo ut ducto calculo dierum in quibus a choro abesse licet Canonici et Capitulares quolibet anno gauderent vacationibus dierum circiter 25 praeter menses tres a Trid. Synodo concessos. Ejusmodi choralis servitii regulam jam inde ab anno 1824. executioni commiserunt Canonici, nunc autem illam a s. Congregatione confirmari enixis precibus expostulant votique compotes fieri non dubitant, praesertim quia ad cathedrale templum in extrema oblongae civitatis parte positum tum hyemali tum aestivo tempore difficilis patet aditus.

Quae supra narravi ea confirmat Vicarius generalis atque insuper addit: »Quinam singulorum Canonicorum annui sint redditus, non ita facile dignoscitur, cum distincta quilibet fruatur praebenda annexo cum beneficio *canonicalis provisionis* nuncupato 200 scutata ut plurimum superanti. Ceterum praeter publica vectigalia quaedam pecuniae summa cuique quotannis imponitur pro cujusque viribus ad divinum cultum, propriam ecclesiam et sacrarii ornamentum decentius amplificandum. Onus est insuper cuivis ex Canonicis missas celebrandi ut proprii beneficii obligationibus satisfaciant praeter illas chorales in gyrum canendas, quae collective ingentem numerum constituunt. Tres insuper existunt Canonici congrua carentes praebenda, qui diebus tantummodo festivis (duo tamen ex ipsis Quadragesimae et Adventus etiam tempore) addicti sunt choro.

Capituli constitutiones publicis consignatas monumentis numquam hactenus extitisse at nunc ab addictis huic operi praefectis conficiendas curavi, sententiam hujusce Recanatensis capituli scrutatus sum super supplici petitione ab ipso porrecta, et unanime constansque comperi Canonicorum votum per secreta exquisitum suffragia (cum unus tantum inter 15 discrepuerit) supremam impetrandi adprobationem alternae in choro sessionis cum hebdomadali vicissitudine. Justa etiam mihi et rationabilis videtur petitio. Nam varia praeteritis temporibus systemata ab ipso capitulo tentata fuere nullumque quod magis ad ecclesiae commoditatem ac famulatum conduceret praeter hoc de quo agitur inventum fuit, quod ab anno 1824. hactenus est adhibitum.«

Exoptarunt quidem Trid. Patres *scss. 24. cap. 12. de reform.*, ut Canonici omnes tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum assiduum ac diurnum in choro exhiberent servitium atque hymnis et canticis Dei nomen quotidie laudarent; at perpendentes gravem nimis futuram humanae fragilitati totius anni residentiam ac severitati indulgentiam optimo consilio miscentes trium mensium vacationem a choro et a residentia cunctis Canonicis indulserunt indicta lege ut eis *non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Hujus legis vindicem jugiter se praebuit s. Congregatio suisque decretis reprobavit statuta et consuetudines etiam immemorabiles, quae absentiam a servitio chori ultra tres menses permitterent, veluti monet *Benedictus XIV. Instit. eccl. 107. §. 6. n. 31.* et concinnit definitio *in Jovinen. Jurium parochialium 17. Junii 1820.* et in *Brundusina seu Ostunen. Servitii chori 26. Junii 1824. ad I. dub.* Quod vero attinet ad methodum exhibendi chorale servitium per mediarias vel ut ajunt per tertiarias, eam quippe non esse a Concilio sublatam respondit s. Congr. *in Cassanen. 15. Junii 1580.* relata *in Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735. §: Bina**), *dum tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur juxta cap. 12. sess. 24. de reform.*

Verum si tenuitas intercederet *praebendarum aut aeris postularet rigiditas vel alia praesto esset rationabilis causa*, s. Congregatio servitium chorale imminuendum et vacationes ampliandas aliquando rescripsit, ut pluribus allatis exemplis traditur *in Bituntina Servitii chori 15. Sept 1770. §: Procul.***) Quasdam autem hisce consuevit in casibus praescribere leges, sic *in Cathacen. Servitii chori 5. Sept. 1699.****), licet prius improbasset methodum a Canonicis cathedralis ecclesiae invectam, nihilominus postea *attenta tenuitate reddituum censuit ex gratia indulgendum esse prout benigne indulsit praefatis Capitularibus ut toto anni tempore per mediarias idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis missae, matutino et omnibus horis interesse valeant ita tamen ut diebus*

*) Vd. *p. 1062.*
**) Vd. *p. 1068.*
***) Vd. *p. 1062*

dominicis et festis de praecepto, tempore Adventus et Quadragesimae ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. C. ac ss. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium qui non erunt de servitio missae et vesperis inservire teneantur. Idemque protulit judicium *in cit. Castri Maris.**)

In themate duae eaeque rationabiles inquiunt Canonici occurrunt causae ut methodus choro inserviendi per alternas hebdomadas ab Emis Patribus humaniter probetur, scilicet *bonum ecclesiae et grave incommodum adeundi cathedrale templum.* Et sane si instituto chorali servitio per alternas hebdomadas statis quisque diebus divinis concinnendis laudibus interesse cogetur, exulabit abusus pro cujusque lubitu abessendi ab ecclesia nec amplius eveniet, ut magna fidelium admiratione vix aliquis adstet in choro, quando horae canonicae sunt persolvendae. Praeterea *cathedrale templum in extrema oblongae civitatis parte cum sit* positum, iis qui oppositam inhabitant regionem valde molestum est sese quotidie ad ecclesiam conferre, dum saeviunt venti, nives decidunt aut maximi sunt calores. Tandem si alternis hebdomadis dies communes addantur, in quibus Capitulares omnes ecclesiae inservire obstringerentur, liquescet vacationum excessum ultra tres menses a Concilio Trid. et a consuetudine Recanatensis ecclesiae indultos pertingere ad 5 tantum supra 20 dies; hujusmodi autem excessus, si cum onere perennis residentiae, quo Canonici posthac devincirentur, conferatur, vix alicujus videri poterit momenti.

Videant nihilominus Emi Patres, utrum necesse sit vacationes ad 4 fere menses protrahere, ut incolumitati Canonicorum consulatur et inductis abusibus pro cujusque lubitu vacandi a choro remedium adhibeatur. Utrique profecto rei prospici posse videtur, si antiquus choralis servitii ordo a Praesule Gherardo praescriptus ad vitam evocetur; duae enim Capitularium partes per certos statosque dies choro interessent, dum altera a concinnenda psalmodia quiesceret et ad sua gerenda negocia vel etiam ad rusticandum e civitate discedere non prohiberetur. Haec autem choro inserviendi ratio consona est hujus s. Ordinis resolutionibus. Prostat exemplum *Auximana 12. Julii 1631.* in qua censuit: *Emum Episcopum facere debere decretum in collegiatis ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Trid. gaudent vacatione 3 mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitatibus.* Hisce similiter conditionibus vacationes 3 mensium concessit capitulo collegiatae ecclesiae s. Mariae Castri Novi Recanatensis civitatis *in Recanaten. Servitii chori 8. Junii 1786.* Animadvertere tamen praestat s. Congregationem aliquando probasse methodum inserviendi per alternas hebdomadas injuncta lege augendi dies communes. Et revera capitulo ecclesiae cathedralis Bituntinae uti habetur *in Bituntina Servitii chori 15. Sept. 1770. §: Potitur* indulsit facultatem alternis hebdomadibus adstandi choro, *dummodo communia absorbeant tot dies ut non remaneant oratoribus nisi tres menses, quibus absint a servitio ecclesiae.*

Et quoniam oratores jam inde ab anno 1824 nulla impetrata venia apostolicae Sedis per 4 fere menses singulis annis a choro abfuerunt erit sapientiae EE. VV. decernere:

I. *An Dignitatibus, Canonicis aliisque Capitularibus ecclesiae cathedralis Recanatensis sit concedendum indultum inserviendi choro et ecclesiae per alternas hebdomadas in casu?*

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative, dummodo vacationes non excedant tres menses.

Ad II: Affirmative celebratis duabus missis cum cantu et interventu totius capituli.

Die 21. Nov. 1829.

Conversana.

Capitulum cathedralis ecclesiae Conversanae dispertitur in Dignitates, Canonicos et portionarios ut vocant quorum omnium numerus ad 44 assurgit. Ex antiquissima consuetudine cujus initii memoria desideratur choro intererant per tertiarias ut dicunt et singuli post unius hebdomadae servitium duabus insequentibus hebdomadis a choro vacabant. Hanc consuetudinem utpote non alio monumento quam antiquitate temporis suffultum sustulit quatuor abhinc annis hodiernus Episcopus dum primam dioecesis

*) Vd. *p. 1061.*

visitationem obiret servitiumque chori statuit pro mediariis, itaut, qui prima hebdomada choro interfuisset, in altera tantum ab eo vacaret. Quod onus plus aequo grave ac molestum a se amovere studentes Capitulares supplices s. Congregationem exorarunt, ut vetus servitii modus revocaretur, recenti hac penitus obrogata. Causantur

I, reddituum tenuitatem e conspectu servitii choralis et onerum quibus subsunt: vix enim singulis obveniunt annui ducati 40 et adesse debent choro, anniversariis ceterisque publicis ecclesiae precationibus et missas 4613 celebrare comprehensis anniversariis, conventualibus ac aliis cum cantu;

II, ipsum ecclesiae situm, jacet enim in colle qui urbi imminet estque ab omni prorsus aedificio secreta: praeterea est frigida ac humida et quod caput est aërem exhalat grave olentem ob cadavera nondum tabe absumpta quae in sepulcreto inferius extructo condita sunt. Hinc valetudini sane noxium dicunt illuc frequenter se conferre horis praesertim matutinis;

III, quum Capitulares ut dixi sint 44 nullum ecclesiae servitio detrimentum timeri potest, quia semper saltem 12 praesto sunt ac revera nulla tot annos quaerela hac in parte aut ab Episcopis aut a populo excitata est. Denique se paratos declarant ad novum onus subeundum ut quum ss. Eucharistiae Sacramentum ad infirmos defertur quatuor portionarii illud comitari debeant ex iis qui illius hebdomadae servitio sunt addicti, non dubitantes fore ut aliqui etiam ex Canonicis eorum exemplum sequantur.

Episcopus confirmat veritatem eorum omnium quae ab oratoribus exposita sunt.

Quaeritur hic num infirmanda sit consuetudo, quae ab antiquissimo tempore inoleverat in capitulo Conversano, ut servitium chori fieret per tertiarias, seu potius probandum sit Episcopi decretum, qui illud ad mediarias ut vocant cohibuit. Quamvis Canonici ceterique cathedralibus vel collegiatis ecclesiis addicti singulis diebus choro interesse et horas canonicas psallere debeant ex textu expres. in *cap. Licet de Praebend., cap. Inter quatuor* et *cap. fin. de cleric. non resident.* et alibi, tamen neque sublata neque oboleta est consuetudo qua in nonnullis ecclesiis praesertim ob tenuitatem reddituum receptum est ut Capitulares per turnum seu per hebdomadas huic muneri satisfaciant. Hinc s. Congregatio mense Junio 1589 dum Cassanensi capitulo cui servitium hebdomadale antiqua consuetudine roboratum ab Episcopo interdicebatur veterem methodum restituit respondens: modum interveniendi per hebdomadam non esse sublatam a Concilio, dum tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur, juxta *cap. 12. sess. 24.* In *Cathacen vero Servitii chori* capitulo ecclesiae cathedralis, quod ex 4 dignitatibus, 2 personatibus*) et 14 canonicatibus componebatur, apud s. Congregationem conquerente improbatam fuisse ab Episcopo ut s. Concilio Trid. contrariam consuetudinem qua omnes illius Dignitates et Canonici choro ecclesiaeque interveniebant omnibus quidem diebus dominicis et solemnioribus sed aliis alternative tantum nempe tertia illorum pars diebus Lunae et Martis, tertia diebus Mercurii et Jovis et alia tandem tertia diebus Veneris et Sabbati praefatis muneribus satisfaciebant, atque contendente praefatam consuetudinem aequitati consonam esse, quia singuli Canonici dumtaxat annuos ducatos 50 perciperent, disceptatum fuit: *An liceat Capitularibus inservire per tertiarias in casu etc.?***)

S. Congregatio die 25. Nov. 1698 respondit: Negative.

Ac proposita iterum causa die 5. Septb. 1699. ad instantiam ejusdem capituli sub consueto dubio:

An esset standum vel recedendum a decisis?

S. Congregatio *stetit in decisis*, sed attenta tenuitate reddituum censuit: Ex gratia indulgendum esse prout benigne indulsit praefatis Capitularibus ut toto anni tempore per mediarias id est per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis missis, matutino et omnibus horis interesse valeant, ita tamen ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore Adventus et Quadragesimae ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. Ch. ac ss. Corporis Christi altera medietas Capitularium qui non erant de servitio missae et vesperis inservire teneantur.

Praeterea in *Castri Maris Servitii chori* s. Congregatio die 6. Febr. 1734 rescribendum putavit ut servari faceret Episcopus dispositionem s. Concilii Trid. *etc. p. 1061.*

*) Vd. *t. II. p. 522.*
**) Vd. *p. 1062.*

Capitulum huic decisioni non acquievit obtinuitque ut controversia novo subesset examini: tunc porro et pervetustam consuetudinem et aëris insalubritatem et reddituum tenuitatem ii Capitulares obtendentes favorabile sibi decretum implorabant ac s. Congregatio die 30. Julii 1635 aliquod iis concedendum ex benignitate censuit rescribens: »In decisis, sed ex gratia indulgendum esse ut capitulum inservire possit per mediarias ad formam rescripti in *Cathacen. Servitii chori 5. Sept. 1699.*«)

Verum s. Congregatio nonnumquam ubi vidit frequentem esse Capitularium numerum, praebendas satis tenues, aërem inclementem ex quo aestivo praesertim tempore plures adversa conflictabantur valetudine, probavit servitium etiam per tertiariam, ut in *Bituntina 15. Sept. 1770.***)

Videant igitur EE. VV. num in themate haec omnia rerum adjuncta intercedant pro Conversano capitulo.

Dignabuntur EE. PP. respondere dubio:

An Dignitatibus, Canonicis aliisque Capitularibus cathedralis ecclesiae Conversanae sit concedendum indultum inserviendi choro ac ecclesiae per tertiariam in casu?

S. C. resp.:

Affirmative cum solitis clausulis, firma remanente adsistentia ss. Viatico.

Die 20. Dec. 1834.

Hydruntina.

Annus exibat supra millesimum centesimus quintus, quum Turcarum armis insectata ita solo extitit Castrensis civitas Hydruntina in regione posita, ut nonnisi rara mapalia hodierna die hinc illinc ibidem surgant quae vel raros piscatores vel milites vel agris colendis addictos pauperculos homines recipiant, quorum multitudo centesimum vix numerum attingit. Hinc ab illo usque aevo quo civitas episcopalis esse desiit usque modo Capitulares cathedralis olim ejus ecclesiae adhuc superstites singuli si Canonicum curatum excipias proximas incolunt exdioecesis regiones, quae 3, 4 et 5 etiam millibus passuum ab ecclesia distant, quibus subinde aspera jura, haud tuti calles, brumali praesertim tempore incommodum praebent ac difficillimum iter. Caeterum in finitimis terrulis habitationem necessariam adserit hodiernus Episcopus deficientibus Castripoeni solo aequati non modo ad incolendum aedibus, sed et ad honeste aliquantulum per diem ibi manendum diversoriis.

Porro iidem primum supra decimum numerum attingunt nec alius praeter eos adest ecclesiae servitio mancipatus atque onere singuli ab origine gravantur choro quotidie interveniendi divinis laudibus persolvendis. Proventus autem sunt tenues.

Adest praeterea redditus peculiaris cujusque praebendae, qui ad hosce terminos redigi potest. Ducata 80 cum onere missarum lectarum quinquaginta Archidiaconus percepit unica dignitas, reliquae canonicatuum praebendae a ducatis 17 ad 5 et 6 aestimari queunt, quibus tamen singulis sua subsunt Sacrorum onera, quae a numero 12 ad 65 computantur.

His attentis rerum circumstantiis ab excathedralis ecclesiae registris patet usque ab anno 1738 a tunc temporis Episcopo Constantini choralem praesentiam quotidianam antea pro Capitularibus singulis redactam in binas hebdomadas fuisse seu per alternativam ut ajunt quin de obtenta apostolicae Sedis legitima facultate innotescat. Jussum quidem fuit a proximo hodierni Episcopi decessore ut omnes saltem per Adventum, Quadragesimam, octavarium Corporis Christi et rogationes choro adessent. Verum id nonnisi solemnioribus festis modo servari hodiernus Praesul enarrat.

Exinde 1781 supplices rogabant Excathedralis Canonici Neapolitanum gubernium pro facultate s. Sedem adeundi ad veniam impetrandam vesperas et completorium antemeridianis horis recitandi; ast preces ut constat remissae ad proprium Episcopum, qui ex se precibus annuit excipiens vesperas Nativitatis Domini, Annunciationis b. M. V., omnium Sanctorum, primae diei octavae ss. Corporis Christi et officiis, quae dicuntur tenebrarum.

Ambigunt hodie praesentes Capitulares de indultorum quae memorata sunt validitate deque ea qua usi hactenus sunt choro interveniendi ratione, quare ut omnem conscientiae formidinem a se removeant apostolicam Sedem enixis precibus efflagitant.

*) Vd. *p 1062.*
**) Vd. *p. 1067.*

Canonicorum precibus suas de more rogatus jungit Episcopus, a quo hactenus relata hausi; suamque ille quod ad rem attinet sententiam aperit.

Jamvero Castrensium Canonicorum preces ad tria haec maxime ut innotuit referebantur:

1. Ad choralis servitii munus per hebdomadam implendum.

2. Ad vesperarum et completorii antimeridianam in choro recitationem.

3. Ad absolutionem integram a culpa et poenis tum condonationem a qualibet restitutione ob omissiones in obeundo chorali servitio hactenus admissas obtinendam ab apostolica Sede.

Ad I. quod spectat si res esset ad stricti juris regulam definienda haud tam facilis esse videretur concessio ejus quod flagitant, immo idem ferme negandum, quippe ex generalibus juris canonici regulis clericos omnes et Canonicos ecclesiarum cathedralium sive collegiatarum singulis diebus ad horas canonicas in ecclesia ipsa seu in choro per se ipsos *) persolvendas teneri edocemur, *cap. Clericus dist. 91., cap. Si quis praesb. dist. 82., cap. unic. de cleric. non resid. in 6., Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 12.*

Cujus quidem obligationis eam esse rationem inquiunt saniores interpretes, qua choro ad horas canonicas quotidie persolvendas adstricti sunt, aliorumve clericorum quovis sub titulo ecclesiis cathedralibus vel colleg. addictorum muneris officium, *Antonelli cap. ult. cleric. onerib. art. II. de pub. divini off. recit., Cajet.* in verb.: *Hora, Suarez tom. 2. rellig. lib. 4. et 10., Bonacin. de horis canon. disp. 2. quaest. 1.*

Verum juribus illis legitimis accedentibus causis derogari aliquando posse iidem ipsi testantur Interpretes immo et earum respectu ecclesiam catholicam cum aliquibus Canonicorum caetibus derogasse aliquando, annuentem nimirum, ut Canonici alicujus ecclesiae vel cathedralis vel collegiatae non teneantur singulis diebus singuli pro canonicarum horarum recitatione choro interesse sed possint diviso sibi chorali servitio alteri alternis diebus eo munere rite fungi.

Atqui inter causas illas legitimas *praebendarum tenuitatem* maxime recensendam, ut naturalis inprimis ratio atque aequitas docent, quibus conforme est onus ibi esse minuendum, ubi minor sit merces atque insuper ita reapse pluries sanxit s. Congregatio ut videre est in *Bituntina 15. Septembris 1770.**)

Nec aliter se gessit in *Auximana 14. Julii 1631., Castri Maris 30. Julii 1735.***) ubi singulis affirmativo indulto chorale servitium vel alternis vicibus vel per tertiariam obeundum concessit juxta preces oratorumque numerum ac circumstantias.

Porro in themate de quo agimus et haec et locorum praeterea ab ecclesia distantia supplicantibus suffragatur, ut ex Episcopi relatione videre EE. VV. fuit. Quae quidem postrema et pro legitima causa habita a s. Congregatione fuit praecipue in *Recanatensi Servitii chori 21. Nov. 1829.****)

Demum idipsum locum habuit novissime in *Conversanen. die 20. Dec. 1834.* †)

Quae sane locorum distantia eo majoris facienda esse in themate videtur, quo major est ac ferme inaudita ipsa Castrensis ecclesiae distantia uti ex enarratis superius compertum habent EE. VV. Majori proinde commiseratione digni renunciandi sunt Castrenses Capitulares, qui nonnisi gravissimo terendi difficilis longique itineris incommodo Castrensem ecclesiam obeundi choralis servitii ergo accedere possunt.

Verum opponi potest detrimentum, quod in divini cultus splendorem majestatemque permanaret, timendum ne videretur, si Castrensis ecclesiae Canonicis indultum concederetur chorale servitium partito numero seu per hebdomadam aut per mediariam obeundi, attento exiguo eorum numero, qui ex Archiepiscopi relatione nonnisi undecimum numerum aequat, nemine altero praeter eos clerico vel presbitero ecclesiae ejusdem servitio mancipato: ideo eorum numerus si dividatur impar prorsus fieri videtur ea qua decet majestate divino cultui implendo. His addatur, quod alter ex iis Canonicis animarum quae Castri sunt curae addicitur, qui proinde plerumque a suo parochi munere prohiberi posset, quominus choro adesset atque inserviret etiam iis diebus quibus ex facta partitionis regula tenetur.

*) Vd. *p. 379.*

*) Vd. *p. 1067.*
**) Vd. *p. 1061.*
***) Vd. *p. 1085.*
†) Vd. *p. 1087.*

Atqui ubi detrimentum aliquod divinus cultus patiatur palam est non esse indultum de quo in themate concedendum non modo ipsa recta ratione suadente, sed hujus s. Ordinis quamplurimis sanctionibus; is enim, quoties indultum hoc idem concessit, prae oculis semper habuit sufficientem Canonicorum numerum, ex quo etiam partito nihil quoad choralis servitii munus adimplendum decorum minus aut indecens in divini cultus nitorem oriretur. Revera Bituntinae ecclesiae Canonici, quibus ut videre superius fuit servitium chorale per tertiariam adimplendum indulsit 15. Septembris 1770, numero aderant triginta, quibus accedebant mansionarii 36, clerici 8. Alteri autem Recanatensis ecclesiae Canonici queis per hebdomadam servitium idem obire concessit secundum supra vigesimum numerum attingebant habebantque praeterea beneficiarios numero 14 adeo ut diviso quoque inter eos numero divinus cultus haud secus ea qua par est majestate impleretur. Contra vero 1770 supplices erant Vercellensis ecclesiae Canonici pro reductione oneris servitii chori; qui huic ecclesiae erant pro servitio addicti undecimum haud secus ac Castrensis ecclesiae Canonici numerum aequabant et s. Congregatio nullum omnino reductioni locum esse sanxit.

Nihilominus attenta exposita superius locorum distantia et praebendarum tenuitate videant probeque perpendant EE. VV. quid in casu consultius sit, quidque tutius.

Ad alterum, pro quo supplices advenere Castrenses Capitulares, ut nimirum ipsis indultum elargiri dignentur EE. VV. quo possint in matutina vesperarum et completorii in choro recitatione jam inde ab anno 1781 circiter inita et hucusque protracta perseverare, illico obstare supplicibus videntur *Clem. lib. III. tit. XIV. de celebr. missar. et divin. off.*, ubi conceditur quidem clericis et sacerdotibus qui chorum accedere non tenentur facultas horas canonicas etiam non servata methodo qua diurnus cursus ordinatur legitimis impeditis causis privatim recitandi, verum Canonicis aliisque quibusvis clericis vel presbyteris collegiatis vel cathedralibus ecclesiis addictis expresse injungitur, ut horas canonicas debitis horis sive in collegiatis sive in cathedralibus quilibet suis devote psallant, quod idem sanxit *Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de ref.* Et quidem ad evitandum christianae plebis scandalum inquiunt *Antonelli cap. ult. de onerib. cleric. art. 11. de pub. divin. off. rec., Schmalzgrueber. de recit. divin. off. in decret. lib. III. Greg IX.*

Nihilominus non novum hoc quod petunt ad s. Congregationem affertur, quae de eo cum alias supplicaretur quomodo essent jura illa accipienda satis aperte demonstravit, maxime in *Sarnen.**) *Servitii chori 25. Martii 1833.*, cui quidem ecclesiae extra urbem sitae via patens cum esset ob pulverem aestiva tempestate maxime terentibus incommoda, s. Congregatio ad dubium: *An et quomodo capitulo ecclesiae cathedralis Sarnensis concedendum sit indultum recitandi mane vesperas et completorium aestivis mensibus in casu? affirmative* respondit *juxta votum Episcopi ad decennium facto verbo cum SSmo.* Sed rem plane definit *Benedictus XIV.* qui 1744 collegio Canonicorum cathedralis ecclesiae Anconitanae cui olim pastor extiterat a die I. Novb. ad dominicam palmarum exceptis diebus festis concessit vesperas cum completorio horis matutinis recitare eo quod ecclesia ipsa in summo montis vertice posita hyemali temporis difficilis admodum accessu sit, *synod. Ancon. Card. Bufalini lib. 1. tit. 2.* et *in app. part. 4. 28.*

Porro in themate distantia super exposita a Castrensi ecclesia cum aspera ad eam ducente via pro oratoribus concurrit, cujus utriusque incommodum quavis anni tempestate perseverat; accedit et jam quae inolevit supra quadragenarium ferme consuetudo, quam, etsi utrum legitima sit dubitetur, sufficere nihilominus inquiunt Capitulares, ut publici scandali timor evanescat; praesertim si consideretur incolarum Castri conditio, hominum ipsomet confirmante Archiepiscopo vel villica vel piscatoris vel militari arte escam sibi quaerentium, qui certe eam horarum canonicarum immutationem vel non percipiunt vel minime animadvertunt.

Reliquum est ut de absolutione et condonatione pauca dicamus; absolutionem hanc ac fructuum condonationem flagitant oratores ob omissiones in chorali servitio quadragesimali dumtaxat tempore admissas. Ast videant EE. VV. num eadem absolutione indigeant etiam pro universa qua ab anno 1731 usi sunt choro interessendi ratione; etenim quae proferuntur indulta carere be-

*) Cf. aliud *Sarnen p. 1066.*

neplacito apostolico Archiepiscopus exponit caeteroquin hisce in rebus necessario.

Jamvero optatae gratiae obstat animadversio, quod Canonici non residentes ac divinis officiis non interessentes fructus non faciant suos, *Senogall. 3. Aprilis 1794. num. 7.*; quod si aliquid ex distributionibus quotidianis temporum illorum sumpserunt, teneri conferre in ecclesiae bonum atque utilitatem debito cultu injuste defraudatae, tradunt *Antonelli ibid., Covar. lib. 3. cap. 13. n. 7., Macigni de Canon. cap. 11. n. 107.*

Attamen prae oculis habitis bona fide atque impotentia oratorum, quae justissimae semper et absolutionis et fructuum condonationis causae aestimatae sunt, videant EE. VV. utrum oratorum voto annuendum sit uti s. Congregatio *in Recanaten. 21. Novb. 1829.**) obsecuta est illius Cathedralis Canonicis.

Erunt dirimenda dubia:

I. *An et quomodo Castrensis ecclesiae Canonicis concedendum sit indultum per hebdomadam choro inserviendi in casu etc.?*

II. *An et quomodo concedendum sit alterum vesperas et completorium mane in choro recitandi in casu?*

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritas omissiones et condonationem fructuum perceptorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad servitium alternativum hebdomadale juxta votum Archiepiscopi facto verbo cum SSmo.

Ad II: Affirmative ad decennium juxta votum Archiepiscopi facto verbo cum SSmo.

Ad III: Affirmative juxta votum Archiepiscopi celebrata unica missa cum cantu.

Die 16. Sept. et 18. Nov. 1837.

Cusentina.

Metropolitanae Cusentinae ecclesiae capitulum ab anno 1521 chorale servitium explebat per tertiariam adeo ut Canonicorum quilibet terna quaque hebdomada choro interesset; idque ex constitutionibus capitularibus eo tempore rite confectis et approbatis. Placuit circa 1650 Antistiti Cusentino Sanfelicio servitium illud ad mediariam coarctare singulosque Capitulares ad divinas laudes alterna hebdomada explendas adigere: qua punctim de causa ignoratur. Etenim nulla hujus rei indicem scripturam in archiepiscopali vel capitulari archivio datum est invenire. Quod multos post annos durum nimis prae tenuitate reddituum sentientes chori servitio mancipati 1833 SSmo D. N. supplicaverunt gratiam impetraturi di poter tornare all' antico servizio di terziaria.

Preces quae ss. R. Congregationi primum oblatae fuerant ad s. hunc Ordinem remissae sunt; ast singulari prudentia qui tunc temporis munus a secretis s. Congregationis gerebat Archiepiscopi noviter eligendi sententiam (tunc etenim archiepiscopalis illa sedes suo Pastore viduabatur) expectandam fore rescripsit.

Habita tandem est nuperi Metropolitae relatio quam praestat ob oculos EE. VV. exponere; plura enim ad rem penitus dignoscendam suppeditat: »Sive Canonicorum praebendatorum (ait ille) aliorumque sacerdotum choro inservientium numerus attendatur sive reddituum tenuitatis ratio haberi velit facile evinci poterit, dignas esse quae exaudiantur postulationes oratorum. Capitulum post tempora Sanfelicii Praesulis quinque aliis praebendis auctum conflatur modo ex 4 Dignitatibus ac 22 Canonicis, quot vix perpauca Canonicorum collegia suo sinu complectuntur; 16 insuper hebdomadarii cappa magna pontificia liberalitate donati ac in partem quotidianarum distributionum admissi choro singulis diebus interesse tenentur ac reipsa injunctum sibi onus laudabili zelo exequuntur; utrisque 20 alii sacerdotes accedunt participantes nuncupati, qui ad s. Officia celebranda cum illis convenientes fructuum etiam communium, jure patria consuetudine acquisito, consortes fiunt. Hinc etiamsi ad constitutiones pristinas chorale servitium iterum exigatur, nullum exinde damnum divino cultui inferretur, quum nulla esset dies in qua viginti quinque sacerdotes sacram psalmodiam exequi non tenerentur in conscientia et ex participantibus plerique libenter intersint, ut quotidiana emolumenta percipiant. Spectato igitur ss. ministrorum numero quis non existimet capituli hujus petitiones justitia et aequitate fulciri? Quis non videat tertiariam ipsum expostulare potiori jure ac complurima ex iis capitulis, quae modo hoc privilegio fruuntur?

*) Vd. *p. 1085.*

Idipsum autem omnibus erit persuasius, quum ante oculos habebuntur proventus, quibus Capitulares nostri de laboribus suis ab ecclesia compensantur. Canonicorum ac Dignitatum praebendae adeo tenues et miserabiles sunt ut opinionem omnem exsuperent. Pleraeque ex iis 10 ducatorum summam pro annuo redditu non excedunt; quaedam contemptibili paucorum carolenorum dote dumtaxat potiuntur; nulla fere tantum habet quantum requiritur ad decoram sustentationem personae ecclesiastica dignitate praeditae in loco, in quo veluti in hoc splendide vivitur et sumptuose. Distributiones quotidianae ne satis quidem spei queunt suppeditare. Canonici continuo et sine ulla dierum interruptione stallo suo insidentes nil ultra scutata triginta quovis anno hoc capite habere praesumunt; est hic veluti terminus, quem transilire non licet. Miseranda admodum merces pro servitio chorali cui Canonicorum quisque tenetur? Hinc fit, ut Capitulares plerumque cogantur aliunde petere, quod frustra exspectant ab ecclesia, cui inserviunt. Hinc nonnulli juventuti scientiis imbuendae in seminariis et collegiis vel privatim etiam animum adjiciunt; nonnulli spiritualium monialium curam suscipiunt; nonnulli verbo Dei disseminando aliisque utilibus operibus vacant, ut conveniens ex labore proprio lucrum reportent. Infringunt hoc modo obligationem, quo choro interesse adstringuntur; ast necessitas, in qua versantur, illos apud Deum reddit excusatos. Ut autem meliori, quo fieri potest, modo justae commoditati et conscientiae simul quieti consulant, valde opportunum judicantes levamen aliquod impetrare oneri, cui se subjicere tenentur, beneficii quo primitus perfruebantur restitutionem expostularunt. Suam posthaec absolvit epistolam Archiepiscopus EE. VV. enixe adprecans ut exquisitam a capitulo facultatem libenter impertiamini.

Canonicos aliosque alicujus ecclesiae collegiatae servitio mancipatos ex veteri disciplina debuisse quotidie sine ulla intermissione divinum in choro officium recitare docet *textus in can. ult. dis. 92.* de quo *Bened. XIV. Institut. 107. §. 1.* idemque onus imponit renovatque Concilium Trid. *sess. 24. cap. 2. de ref.* Ast praeterquam quod ipsa Trid. synodus humanam commiserata fragilitatem tribus anni mensibus posthac vacare Canonicis indulsit, decretum illud ejusdem synodi limitationem pati ex reddituum tenuitate, quoties nempe in aliqua Collegiata adeo tenues sint redditus ut Canonici ali non valeant, tradunt *Card. Petra ad constit. apostolic. in const. 17. Junii IV. n. 28., Pignat. consult. 114. n. 10. t. 9. et consult. 150. n. 84. t. 10.*, maxime vero *Fagnanus in I. lib. decret. cap.: Cum omnes de const. n. 31.* qui nititur resolutionibus s. Congregationis. Profecto hac praecipue de causa s. Ordo chori servitium ad certos dies redegit in *Cathacen. Servitii chori 5. Sept. 1699.**) in *s. Severinae 13. Julii 1735.*, in *Civit. Castelli Servit. chori 10. Maji 1738.* et in *Signina Servitii choralis et reduct. oner. 16. Dec. 1837.* Punctim vero servitium chorale ad tertiariam eadem de causa deduxit in *Bituntina 15. Sept. 1770.*,**) in *Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735.*,***) in *Eugubina Servit. chori 13. Junii 1795 ad dub. I.* Quandoquidem canonicatus et beneficia nedum ad implenda missarum onera et ad ferendum chori servitium eriguntur sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam,†) s. C. in *Senogallien. Reduct. oner. 28. Aprilis 1827.* §: Jam vero et in *Asculana Reduct. 22. Januarii 1830.* §: *Verum.*

Erit itaque ab EE. VV. judicandum, an jactata reddituum tenuitas intercedat in themate pro Cusentino capitulo. Regula in dimetienda reddituum sufficientia communis est ad hunc effectum, ut tenues non censeantur redditus, qui scutatos numeros 30 vel 40 annuos pertingunt ut in *Camerinen. 14. Dec. 1793.* et in *Messanen. Reduct. onerum 14. Dec. 1822.* §: *At videant.* Probent EE. VV. ex iis quae narrat Archiepiscopus, num redditus pro Capitularibus singulis eam summam exaequent ac praeterra num ex concessione expetitae gratiae aliquod divino cultui detrimentum obveniat: quod sane cavendum est in ejusmodi indultis ad *text. c. 12. de constit.* §: *Verum* et s. C. in *Signina Servitii chor. et reduct. oner. 16. Dec. 1837.* §: *Ast in his.* Quoties vero precibus annuendum censeant recolant eam esse s. Ordinis disciplinam, ut nonnulli excipiantur solemniores dies per eam clausulam: Ut tamen Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus festis et solemnioribus Nativit. et Resurrect. D. N. Jesu Christi, Pen-

*) Vd. *p 1062.*
**) Vd. *p. 1068.*
***) Vd. *p. 1061.*
†) Vd. *p. 156. III.*

tecostes et ss. Corporis Christi et per totam octavam ejusdem ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter inservire teneantur.

D u b i u m:

An et quomodo Dignitatibus, Canonicis aliisque Capitularibus cathedralis ecclesiae Cusentinae concedendum sit indultum inserviendi choro per tertiariam in casu?

S. C. resp.:

Affirmative cum solitis clausulis, exceptis nimirum tempore Adventus, Quadragesimae, festis diebus etiam reductis, octavis privilegiatis et festo s. Titularis ac aliis temporibus Ordinario benevisis, in quibus omnes jugiter servire teneantur, facto verbo cum SSmo.

Die 23. Junii 1838.

Aliphana.

In Collegiata s. Martini civitatis Cerretanae in Aprutio quotidianum explent chori servitium Archipresbyter cum 11 Canonicis antiquae erectionis habitae sub anno 1544 et 6 mansionariis novae erectionis*) peractae sub anno 1762. Omnes igitur junctim 18 sunt, qui perpetuo absque ulla alternativa chorale munus exercent. Praeter divina officia insuper nonnullis etiam aliis tenentur oneribus Canonici scilicet cura animarum habituali, anniversariis quolibet anno persolvendis 74 sacrisque litandis 1357 quorum tamen reductionem aliquam ad tempus obtinuerunt, adeo ut hodie referente Episcopo quisque Canonicus 100 missas applicet.

Hisce aliisque etiam oneribus queis praegravantur actuales redditus minime respondere videntur, a prima erectione valde imminuti. Antiquitus enim proventus annualis frumenti erat mensurarum vulgo *tomoli* (quarum uniuscujusque praetium est circiter 80 obolorum monetae romanae) 432., nunc autem 324, ex eo quod nonnulla ex primaevis praediis sterilia et infaecunda reddita sint, nonnulla autem omnino deperdita; proventus vero in numerata pecunia dum antiquitus erat ducatorum 693, nunc vix attingit summam ducatorum 340., idque sive ex deperitione nonnullorum capitalium ex parte ipsius regiae dominationis sive ex gravissima aliorum imminutione ob retentiones ac vectigalia quae pluribus de causis imposita sunt. Hisce qui residuantur proventibus supplere oportet iis quibus tenentur oneribus ac gravissimis impensis manutentionis fabricae ecclesiae, pensionis ministrorum inservientium ac restaurationis ss. utensilium; unde totus redditus cujuscumque praebendae canonicalis vix est ducatorum 10 numeratae pecuniae mensurarumque frumenti 27 scilicet, supputando totum redditum pro ratione monetae romanae, scutatorum circiter 29 obolorumque 60 non comprehenso onere pro missis 100, quibus hodie Canonicum quemque teneri testatur Antistes. Cumque hic annuus redditus decenti Canonicorum sustentationi non sufficiat teneanturque ipsi alia honesta via sibi aliquod auxilium comparare, humillimas SSmo D. N. Gregorio XVI. preces dederunt expostulantes, ut in ipsorum chorale servitium induci possit alternativa ita ut quotidie dimidia Canonicorum pars deserviat hac insuper lege, supplendi scilicet casu quo aliquis ex ipsis etiam legitime inposterum praepeditus fuerit, ut sic medietas inservientium semper et quotidie habeatur. De mansionariis qui distinctas habent praebendas nulla mentio fit in supplici libello, atque hinc de eorum redditu aut oneribus peculiare aliquid habitum minime est.

Preces hae Canonicorum s. Ordini datae ad Episcopum remissae sunt qui rogatus de more ut super assertis referret suamque in scriptis adaperiret sententiam precibus supplicantium omnino favet.

Jamvero licet Canonici caeterique cathedralibus vel collegiatis ecclesiis addicti singulis diebus choro interesse ac horas canonicas psallere debeant ex text. expresso in *cap. Licet de praebendis*, *cap. Inter quatuor* et *cap. fin. de cleric. non resid.* et alibi, tamen inde sicuti neque ex Trid. Concilio *sess. 23. cap. 12.* sublata aut aboleta est consuetudo, qua in nonnullis ecclesiis praesertim ob reddituum tenuitatem receptum est, ut Capitulares per turnum seu per hebdomadas huic muneri satisfaciant. Hinc s. Congregatio mense Junio 1589 Cassanensi capitulo cui servitium hebdomadale antiqua consuetudine roboratum ab Episcopo interdicebatur veterem methodum restituit respondens: *Modum interveniendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur juxta cap. 12. sess. 24.*

Imo stante antiqua consuetudine ac tenuitate reddituum concessum est a s. C. etiam

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

servitium per mediarias ut in *Cathacen. Servitii chori 5. Sept. 1699.**) et in *Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735.***)

Amplius tamen etiam absque ulla consuetudine praeexistente tradidit s. C. ex reddituum tenuitate imminui posse choralia munera, ut in *Aretina Reductionis Servitii chori* proposita die 22. Augusti 1807. et decisa sub die 12. Septb. ejusdem anni; item in *Civitatis Castellanae 6. Augusti 1808.****)

Quaenam vero censenda sit tenuitas reddituum habetur in *Aretina* supra laudata. Legitur enim ibi: *Nuper s. C. censuit pro servitio chori quotidiano congruum esse emolumentum scutorum 36 ex quibus etiam stipendium missarum erat deducendum in Civitatis Castellanae Reductionis servitii chori 27. Junii nuper elapsi, quamquam in hac causae specie ageretur de canonicatibus Collegiatae in parvo oppido.* Itemque ait in *Messanen. 14. Decb. 1822.* §: *At* et in *Mazzarien. 20. Nov. 1824.* §: *Profecto.* In casu de quo agitur non adesse consuetudinem inserviendi per mediarias, ipsi postulantes ultro fatentur. Attamen exiguitatem lamentantur reddituum. Haec tamen an revera demonstretur ad effectum concedendi petitam reductionem choralis servitii, PP. EE. prudentia decernet prae oculis habita factorum historia, divini cultus majestate ne detrimentum patiatur necnon consuetis clausulis quae apponuntur pro exceptione nonnullorum solemnium dierum, ac dirimere dignabuntur

D u b i u m:

An et quomodo reducendum sit servitium chori in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus affirmative ad mediariam exceptis diebus festis etiam reductis, octava ss. Corporis Christi, festo s. Titularis, tempore Adventus et Quadragesimae, feria VI. et sabbato, facto verbo cum SSmo.

Die 7. et 28. Aug. 1841.

Sypontina.

Capitulares cathed. ecclesiae Sypontinae postulant, ut quotidianum quo singuli tenentur chori servitium ad alternativum redigatur. Constat capitulum ipsum Canonicis numero 16 et 4 mansionariis, qui tamen postremi nonnisi missae conventuali adstare adstringuntur. Redditus cujusque Canonici tenuis valde est: etenim eorum communis massa gignit quotannis ducata libera 180 inter omnes partienda in quotidianas distributiones; praeterea quisque nonnullos exigit quotannis canones ac census, qui simul sumpti summam aequant scut. 60; hi vero proficiscuntur ex legatis missarum quarum celebratio singulis incumbit pro numero 140 ad formam reductionis jam obtentae. Exinde per multos annos assecuti sunt a s. Ordine reductionem applicationis missae conventualis ad ternos dies dumtaxat in hebdomada, prout veteri jam consuetudine celebrabatur.*) Episcopus favet oratorum precibus illasque commendat suis literis.

Difficultatem ingerere possent ne oratorum preces excipiantur graves Trid. sanctiones *sess. 24. cap. 12. de ref.* ubi omnibus Cathedralium vel Collegiatarum servitio addictis onus firmiter injungitur singulis diebus et per seipsos choro interessendi:**) post caput: *Sicut de praebend.* et *cap.*: *Inter quatuor* et *cap. fin. de cleric. non resid.* Quamvis porro tenuitas reddituum facilem quandoque reddiderit s. hunc Ordinem ad reductionem servitii choralis impertiendam, attamen antequam cathedralis ecclesia quae ab aevo quotidianum habuit omnium Canonicorum servitium eodem in praesentia privetur, probe pensandum an alia suppetant providendi media uti onerum reductio ceu docuit s. Ordo in *Perusina Distribut. 21. Junii 1828.* §: *Porro*, et an revera ex reductione servitii choralis solatium tenuitati reddituum nanciscantur Canonici, ne scilicet onera in fundatione ad tramites juris imposita, perpetuo observata pacifice et ab actualibus Capitularibus in singulorum possessione accepto habita, temere redigantur cum divini cultus remissione. Item porro animadvertendum circa allatam aëris intemperiem, quae hodie primum gravat Capitulares, caeteris hucusque ea de re nullam querelam admoventibus. Hinc quandoque s. Ordo, quamvis mediariam ut ajunt indulserit Capitularium conditionem miseratus, tamen insimul Trid. sanctioni insistens de non abessendo ultra tres menses clausulam adjecit: Dummodo communia absorbeant tot dies, ut non remaneant orato-

*) Vd. *p. 1062.*
**) Vd. *p. 1061.*
***) Vd. *Chorus* (obligationis reductio.)

*) Vd. *t. I. p. 786. II.*
**) Vd. *p. 379. c.*

ribus nisi tres menses, quibus absint a servitio chori ceu punctim in *Bituntina Servitii chori 15. Septb. 1770.* §: *Potitur* *) et in *Recanaten. 21. Nov. 1829. ad 1. dub.***)

Verum in casu notabilissima sane adest redditnum tenuitas et oneri, quod Canonici ferunt, valde impar, quin teste Episcopo spes affulgeat augmenti: atque permolestum sane edicitur et eorum valetudini adversum bis quotidie chorum accedere, dum saeviunt venti, nives viam exasperant vel maximi sunt calores: his in rerum adjunctis prae oculis habito quod pro decenti etiam Canonicorum alimonia canonicatus instituti sunt et humana infirmitate inspecta haud semel indulsit s. Ordo alternativum chori servitium etiam in ecclesiis cathedralibus ceu probant exempla in *Cathacen. Servitii chori 5. Sept. 1699.*,***) in *Castri Maris 30. Julii 1735* †) et docuit in *Lycien. Servitii chori 25. Februarii 1826.* §: *Quamvis*, adjecta tamen Ordinario conditione: Ita tamen ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore adventus ac quadragesimae ac octavarum Nativit. Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. ac ss. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium qui non erunt de servitio missae et vesperis inservire teneantur ceu videre est in praefata *Cathacen. et Castri Maris.* Ceterum quaelibet alterius generis abesse remedia testatur Antistes. Missae jam alias nacti sunt reductionem; ac s. Ordini doctrina esse suevit, ut missas prae caeteris quantum fieri potest oneribus integras servaret, ut ait in *Urbanien. Missae convent. 19. Junii 1828.*, ne scilicet defunctorum piis dispositionibus et suffragiis detrahatur; demum haud sufficiens ex earum reductione solamen Capitulares in themate sibi forsan possent praestolari.

EE. VV. sapientia definiat

D u b i u m:

An et quomodo Capitularibus Sypontinae Cathedralis concedendum sit indultum inserviendi choro per alternas hebdomadas in casu?

S. C. resp.:

Praevia assignatione congrui fundi favore mansionariorum affirmative juxta votum Archiepiscopi et cum solitis clausulis, facto verbo cum SSmo.

Die 4. Febr. et 11. Mart. 1843.

Firmana.

Quotidianum, quo vi fundationis tenetur, chorale servitium postulat capitulum oppidi Carassari vel ad festos dies aliosque s. C. benevisos imminui vel alternativum fieri, diviso bifariam onere inter Capitulares. Quibus autem id praestoletur rationibus, quidque de rationibus ipsis sentiendum sit explicat in sua relatione Emus Archiepiscopus de more rogatus:

»Ut alterutram, ita Emus, expetitis facultatibus s. Congregatio eis tribuat, exponunt Canonici, *ecclesiam extra oppidi maenia esse extructam*, ut ad omnes canonicas horas quotidie persolvendas accedere non solum provectis sed etiam virili aetate florentibus laboriosum summopere evadat. Insuper cum in *vertice collis sit positum templum* duobus fluminibus dextra laevaque fluentibus qui ad illud pergunt aeris insalubritati viarumque difficultati obnoxii sint exponunt. Redditus praebendarum tandem exiguitatem numerumque Canonicorum petitae gratiae favere confidunt.

»Ut de expositis referam mihi exploratum est ex bulla fundationis factae 1788, omnes Canonicos et praebendatos singulis anni diebus ad totum diei officium juxta horas in tabella praescriptas persolvendum teneri. Retulerunt etiam Canonici de annuo redditu comprehensis distributionibus et oneribus uniuscujusque praebendae adnexis, quod prostat alleg. sub lit. B, ex quo plane fluit, majores praebendas canonicales non excedere summam sc. 40, ceteris ad valde minorem summam descendentibus. Habent quoque fidem juratam peritorum tum de viarum difficultate tum de insalubritate aeris, ex quibus plurima incommoda Canonicorum saluti obvenire luculentum illi testimonium perhibent alleg. sub lit. C. Constat demum 14 esse jure erectionis Canonicos unacum praebendatis, sed cum ex iis duo jubilationis munere fruantur et una canonicalis praebenda vacet, ut collecti fructus in bonum nosocomii cedant, ad 11 individuos choro inservientes redigi patet. Inter quos animadvertendum esse puto 3 animarum saluti incumbere, 4 praebendatos per *turnum* diebus per statuta

*) Vd. *p. 1067.*
**) Vd. *p. 1087.*
***) Vd. *p. 1062.*
†) Vd. *p. 1061.*

Collegiatae praefixis s. Virginis Rosarii decades persolvere necnon bis in singulis hebdomadibus una cum 6 Canonicis per *turnum* sub auroram ad populi commoditatem Sacrum facere teneri. Hoc autem praeter alias plures missas quae plus minus gravant singulas praebendas.

Ita relationem suam absolvit Archiepiscopus. Quae cum ita sint EE. VV. volo decernere utrum oratores gratia vel quoad alternativam vel quoad chori servitium obeundum diebus festis digni haberi possunt.

Generatim non dubitatur ex expositis adamussim per capitulum rationibus id est, ob *aeris inclementiam*, *ecclesiae distantiam et difficilem accessum* vel ob praebendarum tenuitatem chorale pensum a s. Ordine redigi consuevisse, mandando nempe ut vel per tertiariam aut mediariam aut ad certos dies Capitulares inservirent excepto tempore Adventus et Quadragesimae, ut testantur exempla in *Ferentina Servitii chori 3. Augusti 1782.*, *in Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735.**) et in *Cusentina 23. Junii 1838.* §: *Canonicos.* **) Modo demum arbitrio Episcopi reductionem remisit, ita tamen ut ante declarationem dicti arbitrii prius de illo certioret s. Congregationem, ut in *Tinen. 1. Dec. 1635.* Et sane per Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* sublatum nec improbatum fuisse modum interveniendi per hebdomadam dummodo tamen novem mensibus integris ecclesiae serviatur, declaravit s. Congregatio mense Junio 1589.

In specie vero circa modum perpendere imprimis est, quemcumque demum magis placeat EE. VV. inter propositos deligere, an excipiendi saltem sint dies solemniores, praesertim Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis ac ss. Corporis Christi necnon Adventus et Quadragesimae aliique Episcopo benevisi quos consuevit s. Ordo excipere in hujusmodi concessionibus quippe privilegiatis voluitque ut in his omnes inservire teneantur. Unum enim vero prostat exemplum in *Ferentina Servitii chori*, ubi allegabatur cathedralis ecclesiae incommodus accessus et redditnum tenuitas ut episcopale decretum tolleretur, quo adigebantur Canonici contra veterem consuetudinem choro interesse universi toto Adventus tempore et in Quadragesima ad completorium: et proposito dubio die 3. Augusti 1782:

An et quomodo capitulum cathedralis ecclesiae Ferentinae inservire debeat etiam tempore Adventus et Quadragesimae?

responsum prodiit: *Affirmative juxta solitum, attentis circumstantiis in casu concurrentibus.*

Tum deliberandum erit, quod magis expediat ex binis propositis indultis capitulo impertiri. Si priori selecto id est obligatione interessendi pro omnibus Capitularibus ad solos dies festos arctata plenius ac decentius habetur servitium ratione majoris numeri personarum, quae chorali satisfacerent officiaturae: per mediariam e contra, ubi ea seligatur, majori frequentia ecclesia honestaretur ac quotidianum remaneret servitium ad formam fundationis.

Quatenus demum alternativam placeat retinere praesentiam duo erunt enucleanda, I. num nimia fortassin indulgentia sit etiam binos vacationis menses ulterius elargiri prout expetunt oratores, absentiam sic fortasse protrahendo ultra tres vacationis menses a Trid. synodo dumtaxat permissos, *sess. 24. cap. 12. de reform.*; quamvis enim non desint exempla vacationum etiam quatuor mensium per Pontifices concessarum, quae refert una *Corduben. 14. Dec. 1765.* §. *In Hispania*, tamen ultra tres menses s. Ordo vacationes suevit denegare in *Anagnina Indulti 7. Junii 1777.* §. *4.* et fuse in cit. *Corduben* §. *Sed quod* et seq., II. num illis vacationibus semel concessis decurrentibus expediat Canonicos absentes lucrari distributiones. De jure equidem id fieri non posse non est dubitandum post explicitam resolutionem s. C. in *Asculana 15. Januarii 1707.* Ex gratia tamen concessae fuisse videntur Canonicis ecclesiae collegiatae s. Nicolai civitatis de Alicante attenta praesertim miserrima redditnum conditione et excessivo regionis calore aestate perdurante in *Oriolen. 6. Decb. 1794.* Ecclesiam porro collegiatam proximi oppidi *Monte Rubbiano* hoc ipso privilegio frui testatur capitulum, etsi non iis illa prematur circumstantiis, quae ipsi adversantur, quae una insimul conjunctae raro invenientur, ita ut verendum non sit, quin ad exemplum praesens gratia trahatur.

*) Vd. *p. 1061.*
**) Vd. *p. 1092.*

Erit EE. VV. dirimere

D u b i u m:

An et quomodo annuendum sit precibus oratorum in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro reductione servitii quotidiani ad alternativam exceptis diebus festis etiam reductis, tempore Adventus et Quadragesimae, octavis privilegiatis, octava Corporis Christi et festo s. Titularis.

Die 27. Apr. et 25. Maji 1844.

Fanen.

Jam ab anno 1836. 6 in majori Fanensi templo extant beneficia choralia Uffreduci.

Processu temporis factum est ut servitium chorale beneficiatorum in vim ceu fertur rescripti s. Congregationis aliquam subierit immutationem; siquidem obtinuere ut alternis hebdomadis prout Canonici choro deservirent, unis tamen exceptis horis matutinis. Isthaec onera religiose impleta a beneficiatis fuere usque ad tempora italici gubernii, a quo propriis bonis (plerumque in locis montium constitutis, cuique stipendium annuum suppeditabatur scutator. 40) expoliati fuere: exinde namque a chorali explendo servitio sibi abstinendum duxere. Sed tandem ut propriae prospicerent conditioni utque fundatoris vota in dies obliterata reviviscerent, supplices iidem beneficiati capitulo assentiente s. me. Gregorium XVI. adierunt eum in finem, ut suppressa, quando suo rectore vacare contigisset, paroecia s. Joannis vulgo filiorum Ugonis in urbe Fanensi, cum unione animarum alteri proeciae ecclesiae cathedralis, ipsius bona perpetuo beneficiatorum collegio unirentur,*) ea lege ut onera etiam omnia eidem paroeciae inhaerentia ab eodem substinerentur, atque compotes voti facti fuerunt literis in forma Brevis evulgatis sub datum diei 14. Julii 1843.

Pendente hucusque praefatae paroeciae unione beneficiatorum conditio augeri visa est per binas haereditates ipsi elargitas alteram nimirum Ceccoti, per quam nil novi imponitur, sed tantum »assistere al coro quotidiano alternativamente due per settimana, secondo la loro originaria istituzione, cioè a Terza, Sesta, Nona, Vespro e Compieta, alteram autem Monaldi cujus redditus quotquot sunt impendendi in litaudis« ripartitamente tante messe all' elemosina di bajocchi 20 per ciascheduna ad un altare privilegiato qualunque, detratte però le spese della loro manutenzione.«

Quapropter autumans capitulum redintegratum quam primum iri chorale servitium in id venit consilii, ut novae traderentur regulae a beneficiatis servandae vix ac bona suppressae paroeciae ipsi cederent. Unde coacto capitulari conventu ad majus robur s. hujus Ordinis sanctioni varia subjiciuntur.

De more Episcopus sententiam rogatus beneficiatos collegialiter ab ipso auditos instantis capituli precibus in iis quae choralis servitii augmentum respiciunt obnixe contradictores expertum fuisse retulit eorumque scriptas animadversiones suffragio etiam patroni roboratas una cum capituli juribus transmisit. De praebenda cuique beneficiato obventura quum ad bona suppressae paroeciae immisi fuerint habet, eam ad 3 aut 4 supra 40 scutata constitutum iri. Suam demum sententiam profert in haec verba: »Beneficiatis omnia omnino onera quae ipsis ab eodem fundatore injuncta fuerunt iterum injungenda jure meritoque videtur, praeter alia, quae jam ceteris haereditatibus supprimendaeque s. Joannis paroeciae inhaerent, in dictis capituli precibus memorata; adeo ut imposterum, ubi ejusdem paroeciae fructus percipient, terni saltem non bini quemadmodum nunc solent singulis hebdomadis Canonicorum more alternatim, cuncti vero, qui numero sunt sex, diebus festis ac dominicis choro interesse ac commune servitium quod apud nos in more positum est praestare teneantur.«

Cum ex Trid. synodi dispositione *sess. 25. cap. 5. de reform.* leges fundationis sancte ac pie sustineri et custodiri debeant cautum hinc jure est, ut post peractam beneficiorum erectionem non alia queant beneficiatis imponi onera, quam quae a fundatore initio imposita et constituta sunt.*) Hinc non solum non est in facultate Episcopi vel capituli novis praegravare oneribus beneficia, ceu post textum in *cap.: Significatum num. 2.* Porro *de privileg.* admonet *Fagnan. in cap. Significatum num. 2. et seq. de praebend.* et

*) Cf. *t. II p. 972. IV; 978. VI; 1004. I.*

*) Vd. *t. II. p 353—362.*

in *cap. Conquerente de cleric. non resident. num. 24., Garzias de benef. part 7. cap. 1. num. 12., Monacell. formul. pract. tom. 2. tit. 15. ad formul. 1. num. 19.* et tenuit s. Congregatio in *Verulana 12. Sept. 1750. §. Confugit* et in *Calaritana Onerum 7. Sept. 1770. §: Haud vero*, sed nec ipsis patronis fas est pro lubitu suo quidquam agere, ex quo et beneficii status immutari et ejusdem onera ac servitutes augeri possint, *Abbas lib. 3. Decretor. cap. 3. num. 1. de jure part., Rota in Recent. dec. 5. num. 4. part. 5. tom. 2.*

Quod adeo verum est, ut ne id quidem liceat, quamvis per novas leges ab Episcopo vel a capitulo vel a patronis latas fundatoris voluntatem in melius ampliari contingat; nam praeterquam quod de oneribus agatur, quae utpote odiosa coarctari potius quam ampliari debeant, illud continuo recurrit fundatorum voluntates adeo religiose servandas esse, ut ne in melius quidem immutari debeant, quemadmodum post *textum in Clementina: Quia contingit de religios. domib. leg. 7. cod. de testam.* docet *Gratianus discept. forens. cap. Nos quidem de testam. num. 35.* ac saepe definivit s. Congregatio cen *in Forolivien. Translationis legati 16. Junii 1830. §: Hisce* ac praecipue in *Montis Falisci 25. Januar., 8. Febr., 8. Mart. et 31. Maji 1721.*, in qua abrogata fuere onera, licet imposita ab Ordinario ad majorem Dei cultum et ecclesiae servitium et per spatium annorum 90 circiter adimpleta.

Haec in jure certissima sunt; in specie autem perpendendum venit num capitulum Cathedralis justas ac legitimas causas habuerit ut novis oneribus beneficiatos subjiceret. Exponunt siquidem Canonici, se praestasse consensum suppressioni ac unioni paroeciae s. Joannis collegio beneficiatorum eum in finem, ut scilicet chori servitio magis consultum foret et nil aliud intendisse autumant SS. Pontificem, cum praedictam unionem approbavit. Nunc vero cum in apostolico Brevi nec pristina onera in vigorem revocentur nec nova imponantur, integrum sibi esse putant eas leges beneficiatis indicere quae pro recto chori servitio magis expedire sibi videantur, ne ipsorum beneficiatorum arbitrio id prorsus relinquatur. Atqui praescriptam onerum impositionem adeo aequam esse, ut de ea falso beneficiati querantur. Dato enim quod paroeciae bona antiquos praebendarum beneficialium redditus non exaequent, attamen in vim hujusmodi unionis deberent ipsi choro interesse saltem horis diurnis juxta legem fundationis; auctis vero postea redditibus ex bonis haereditatis Ceccotti, justitiae consonum esse ut eorum servitium ad horas etiam matutinas protendatur. Quinimo cum horis diurnis jam ipsi hodie choro inservire teneantur ex praescripto testatoris Ceccotti, profecto redditiuum augmentum ex unione paroeciae ipsis obventurum novi istius oneris impositionem omnino suadere.

Quibus accedit, beneficiatos redditibus imminutis proprio marte chori servitium deseruisse, a quo, nemine auctorante, eximi sane non potuissent; quandoquidem redditiuum imminutio haud necessario secumfert onerum imminutionem. Quodsi igitur beneficiati in hanc conditionem dejecti, debuissent nihilominus iisdem subjacere oneribus quae in fundatione constituta fuere, grave ipsis esse non debet si una cum redditiuum augmento novum onus accedat. Quodsi etiam immunes declarandi forent ab horis matutinis persolvendis, numquam tamen ipsis indulgendum esset, ut chori servitium praestent juxta reductionem impetratam a s. Congregatione, ut scilicet alternis hebdomadis terni choro intersint sed denuo revocandam esse methodum a fundatore praescriptam, qua cuique ex beneficiatis 20 dierum servitium in unoquoque mense impositum fuit, ita ut quatuor numero choro perpetuo adessent, praeter cetera onera quae in fundatione leguntur. Siquidem hujusmodi indultum obtinuere beneficiati causam praetexentes imminutionis redditiuum, qui cum ex eorum confessione denuo ad scutata saltem 40 uti in fundatione evehantur ex accessione bonorum paroeciae et haereditatis Ceccotti, jam indulti causa cessante et ipsum cessasse indultum ac pristinam revixisse obligationem censendum erit.

Haec quidem obtinerent, quoties daretur augmentum praebendarum nonnisi ad 40 scutatorum summam pertingere; ast facta computatione demonstrant Canonici illud ad 50 circiter scutata provehi; unde non solum reviviscere pristina, sed nova quoque onera beneficiatis injungenda esse contendunt. Tandem nec praetereundum existimant, ecclesiam cathedralem majori choralium numero indigere, quippe quae nonnisi septem in unaquaque hebdomada habet Canonicos computatis

de jure absentibus et duos mansionarios nec alias ecclesiae decori ac Dei cultui satis provisum esse, nisi etiam beneficiati ad chori servitium eadem ratione ac ipsi Canonici praestandum adigantur.

Capituli petitioni acriter obsistunt beneficiati et plura in medium proferunt rationum momenta, ut sarta tectaque eorum jura serventur. Primo autem animadvertunt nec Episcopum nec ipsum capitulum cum unioni paroeciae assentitum est nec tandem SS. Pontificem in Brevi unionis ullam mentionem fecisse de novis oneribus injungendis collegio beneficiatorum. Non enim aliud ea concessione sibi praestitisse SS. Pontificem affirmant, quam decenti beneficiatorum sustentationi prospicere, ceu verba in eodem Brevi adhibita sonant. Ex quo manifesto consequi, quod cum SS. Pontifex noluerit eos novis praeter ea quae in fundatione statuta sunt oneribus praegravare, non possit sane capitulum hanc sibi arrogare facultatem ac Principis beneficium in eorum vertere detrimentum.

Idipsum magis magisque patere, si perpendatur, in vim praedictae unionis nullam originarii tituli mutationem subire beneficiales praebendas; siquidem paroeciae supprimendae bona haud equidem novas constituunt praebendas, sed jam extantes augent et congruis redditibus ditant; nova igitur onerum adjectio fundatorum voluntati manifesto adversaretur et beneficiatorum jura laederet, qui non aliis sese devinxere oneribus quam quae fundator ipse praescripsit. Nec aliter plane sentiendum, prosequuntur beneficiati, quamvis admitteretur, ceu asserere non dubitarunt Canonici, redditus beneficialium praebendarum tum ex unione bonorum paroeciae tum ex accessione haereditatis Ceccotti summam conficere scutatorum 50; quippe illud redit, hujusmodi bonorum accessionem novas non constituere praebendas nec tituli mutationem inducere. Ast capituli assertionem plane inficiantur et exhibito reddituum schemate, probant eos vix conscendere ad scutata 41 50. quot nempe in fundatione assignata sunt; atque ideo aequitati consentaneum esse ut chorale pensum iterum ipsi adimpleant juxta legem fundationis, justitiam vero non pati ut gravius servitium perferre cogantur.

Demum exaggeratam dicunt necessitatem habendi majorem choralium numerum cum exploratum sit, a tempore fundationis beneficiorum Uffreducci usque inpraesens eodem semper numero fuisse Canonicos, quin unquam querelae de hoc excitatae fuerint aut ecclesiae servitium intermissum vel pessumdatum extiterit. Postremo huic necessitati facile occurri posse, si Canonici ipsi qui diviti censu potiuntur alias praeter duas quot modo sunt mansionarias constituant atque ita sine beneficiatorum praejudicio majori Dei cultui et ecclesiae decori provisum erit uti in votis habent.

Itaque datur definiendum

D u b i u m:

An et quomodo statutum a Capitulo propositum pro beneficiatis Uffreducci sit approbandum in casu?

S. C. resp.:

Negative servata lege fundationis.

Die 12. Mart. 1853.

Pius VII. fel. rec. per bullam *De salute animarum* diei 16. Junii 1821 in regno Borussico novam dioecesium circumscriptionem atque cathedralium ecclesiarum erectionem constituit. Voluit praeterea, ut ecclesia N. quae nunc sex Canonicis constat et Praeposito necnon pluribus vicariis in collegiatam erigeretur: et in eadem bulla facultas tributa est Capitularibus condendi capitularia statuta eo modo et forma, qua capitulis Cathedralium tribuebatur. Expedit verba bullae referre, quae loco generalis normae in condendis capitularibus statutis habenda sunt. Haec autem leguntur in §. *18.*: »Cuilibet similiter ex supradictis capitulis cathedralibus nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro modo et circumstantiis magis accommodato earumdem archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum earumque chori quotidiano servitio necnon rerum ac jurium tam spiritualium quam temporalium prospero felicique regimine, gubernio ac directione onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum et aliorum quorumcumque emolumentorum exactione ac divisione et poenarum incurrendarum a non interessentibus divinis officiis in cursu, singulorum praesentiis et absentiis notandis, caeremoniis ac ritibus servandis et quibusvis aliis rebus circa praemissa necessariis et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta

licita tamen atque honesta et ss. canonibus, constitutionibus apostolicis decretisque Concilii Trid. minime adversantia, sub praesidentia, inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere atque edita declarare et interpretari ac in meliorem formam redigere et reformare seu alia de novo ab illis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observanda sub poenis in contrafacientes statuendis pariter concedere atque edere libere ac licite valeant, facultatem perpetuo concedimus et impertimur.«

Eadem facultas tributa est in iisdem litteris apostolicis Capitularibus ecclesiae N. de qua agimus.

Idem Pontifex bullae exsecutionem commisit Episcopo Varmiensi, cui expressam tribuit facultatem subdelegandi, praesertim in locis ab ejus residentia remotis. Subdelegatus ab Episcopo exsecutore ea quae pertinebant ad capitulum N. peregit, ac inter caetera ejusdem etiam capitularia statuta tamquam s. Sedis Subdelegatus diplomate dato approbavit atque confirmavit.

Archiepiscopus intra cujus dioecesim capitulum N. reperitur 1857 in relatione status suae ecclesiae exposuit, inter capitularia ejusdem statuta haec reperiri §. 13: »Singulis diebus saltem missarum solemniis ab introitu usque ad finem si non toti officio divino intersint Praepositus et Canonici, nisi morbus gravis aut absentia legitima in ecclesiae negotiis eos excuset; qua quidem praesentia sola non modo fructus suos facient, sed negligentes etiam quinque argenteis mulctentur in usum sacristiae impendendis. Vicarii vero omnibus officii horis et summo Sacro intersint; qui sine licentia aberunt in eamdem mulctam committunt.«

Et §. *16.* exponebat idem Antistes, provisum fuisse, ut die dominica, in festis duplicibus I. et II. classis necnon in duplicibus majoribus Canonicus hebdomadarius legeret in choro capitula, responsoria, orationes etc., caeteris vero diebus per hebdomadam Vicarii legerent; atque Canonicos putare, se ad chori frequentationem plus quam his statutis expressum esset non teneri.

Praeterea exposuit, haec quoad missae conventualis applicationem statuta fuisse §. *19*: »Caeteri quoque Canonici diebus dominicis missam conventualem pro iis applicabunt qui benefecerunt Basilicae nostrae; caeteris diebus per hebdomadam intentione libera fundationum obligationibus erga congruum stipendium satisfiat.«

Quaerebat itaque Archiepiscopus utrum haec tuta conscientia servari possent.

Quaestione proposita per *summaria precum* seu per supplices libellos in comitiis habitis die 17. Decb. 1858 hoc prodiit rescriptum: *Esse locum reformationi statutorum ita ut facta aequa mulctae quinque argenteorum partitione pro singulis horis Canonici toti officio divino interesse et missam conventualem pro benefactoribus in genere quotidie applicare teneantur. Supplicandum tamen SSmo pro gratia reductionis servitii alternis hebdomadis, exceptis diebus festis etiam suppressis.* Hanc resolutionem SSmus D. N. adprobavit die 9. Jan. 1859.

Canonici non statim acquieverunt, praesertim quoad chori frequentationem ex ea ratione, quod Archiepiscopus non retulerat s. Congregationi, statutis capitularibus accessisse adprobationem subdelegati a romano Pontifice; quodque si ejusmodi circumstantia omissa non esset profecto statutorum reformatio decreta haud fuisset.

Novus Archiepiscopus antequam Canonicos cogeret ad plenam resolutionis exsecutionem, cum rationes a Canonicis adductae speciem aliquam veritatis praeseferrent, melius duxit rem s. Congregationi iterum proponere et suam quoque sententiam s. C. patefecit. Enarravit autem ejus Antecessorem Archiepiscopum (eum nempe, qui ad eam archiepiscopalem Sedem jam evecturus exsecutioni mandaverat, ut subdelegatus, apostolicas literas quoad capitulum N.) statuisse, ut Praepositus, Canonici numerarii et Vicarii, funeralium titulo, continuarent percipere praebendarum redditus per 90 proximos post obitum dies: Redditus ultra hoc tempus vacantis praepositurae et canonicatuum aerario distributionum accrescerent et in census annuos elocarentur, quorum usum futurae destinationi faciendae sibi reservaverat; Vicariorum autem redditus inter eosdem Vicarios distribuerentur. Cum autem morte fuisset praeventus de horum censuum usu nihil statuisse: successorem autem ejus ad preces Canonicorum pro nonnullis annis concessisse, ut ecclesiae redditus, qui subtractis omnibus oneribus quotannis superessent, aerario di-

stributionum pariter applicarentur; atque insuper resolvisse, ut ejusdem aerarii seu fundi redditus ab ipsis Canonicis numerariis aequali portione et a Praeposito portione duplici perciperentur: nihil autem statuisse de servitio, quod a Canonicis praestandum esset ad hos redditus lucrandos: interea autem annuos hujus fundi redditus adeo fuisse auctos ut singuli sex Canonici 200 circiter thaleros Borussicos, Praepositum autem 46 ex eo fundo perciperent: porro a gubernio singulis Canonicis quotannis solvi salarium 420 thalerorum et Praeposito 840: praeter haec Canonicos ex aliis ecclesiae fructibus 200 circiter thaleros percipere, ita ut annui redditus aerarii distributionum omnium cujusvis canonicatus fructuum quarta pars circiter esset, quae tamen paulatim excresceret in futuris vacationibus.

Hisce enarratis quae enarranda erant Archiepiscopus suam aperuit sententiam his verbis: »Optime provisum foret, si loco multae quinque argenteorum hujus aerarii distributionis annui redditus reapse converterentur in quotidianas distributiones in singulas horas dispertiendas, quas ii tantum lucrari possint, qui juxta resolutionem s. Congregationis diei 9. Januarii 1806 a SS Pontifice confirmatam statis diebus in choro deserviant. Quare humillime precor, ut Emi Patres a SSmo facultatem mihi impetrare dignentur, ut sublata quinque argenteorum multa pro tertia parte fructuum secundum decreta Conc. Trid. in quotidianas distributiones convertenda subsistere possim annuos redditus dicti aerarii distributionis.«

Nonnullae animadversiones, prout moris est, ex officio factae sunt: animadversum est triplicem esse quaestionem, quarum prima respiceret statutorum reformationem quoad chori frequentiam, altera distributionum fundum, tertia denique absolutionem ab omissionibus.

Quoad primam animadvertebatur, praecipuum Canonicorum munus esse, ut in choro integrum divinum officium recitent; *Clement. cap. 1. de celeb. missar.* ubi juxta ss. canones praescriptum habetur: *In cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur.* Item in *cap.*: *Dolentes, eod. tit.* legitur: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote.*

Trid. autem synodum *sess. 24. cap. 12. de reform.* nihil antiquius habuisse, quam assiduam chori frequentationem Canonicis jubere, ita ut neque statutum neque consuetudinem indebitae absentiae patrocinari posset.

Benedicto XIV. teste *de syn. l. 13. c. 9.* apostolicae Sedis judicia nunquam Canonicorum intentioni suffragata esse, qui ad has vel illas canonicas horas teneri se non putarent etiam ex tenuitate redditnum eorumque Episcoporum zelum s. Sedem maxime commendasse, qui sese opposuerint Canonicis id contendentibus.

Cum autem unica dubitandi ratio a Canonicis de quibus agimus reponeretur in confirmatione statutorum ab apostolico subdelegato, observabatur, apostolicam confirmationem vim illam quam Canonici contenderent tribuere, quando confirmatio a SS. Pontifice prodeat ex certa scientia et causae cognitione ut non semel factum est.

Quinimo vulgatum esse juris principium liberum non esse mandatario seu delegato aut subdelegato fines mandati excedere: commissum autem fuisse subdelegato statuta capitularia confirmare juxta literas apostolicas id est, statuta, quae essent *licita atque honesta et ss. canonibus, constitutionibus apostolicis decretisque Concilii Trid. minime adversantia:* obsistere autem praedictis capitularibus statutis ss. canones: proindeque subdelegatum apostolicum non solum mandati limites excessisse sed contra ipsum mandatum fecisse.

Quoad secundam quaestionem observabatur quinque argenteos nummos Borussicos, si singulis diebus a cujusque Canonici redditu detraherentur constituere dumtaxat partem decimamquintam redditnum uniuscujusque canonicalis praebendae: ideoque hanc multam tenuem esse: ac proinde subintrare Trid. decretum *cap. 3. de reform. sess. 21.*, in quo statuit s. Synodus: *in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis in quibus nullae sunt distributiones quotidianae vel ita tenues ut versimiliter negligantur tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum . . . separari debere et in distributiones quotidianas converti . . . juxta divisionem ab Episcopo etc.*

Denique quod ad tertiam quaestionem attinet animadvertebatur, pro absolutione a

praeteritis omissionibus impertienda bonam fidem semper plurimi factam fuisse a s. Congregatione: considerandum ideoque remanere, utrum ratio a Canonicis adducta propter quam morem gerere resolutioni distulerunt in pretio esset habenda.

D u b i a:

I. An et quomodo sit locus reformationi statutorum capitularium quoad chori frequentationem in casu?

II. An et quomodo constituendus fundus distributionum in casu?

III. An consulendum sit SSmo pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu?

S. Congregatio die 12. Sept. 1868 respondere censuit

Ad I. et II: *Affirmative in omnibus juxta votum Archiepiscopi.*

III: *Affirmative, imposito onere unius missae cum cantu integro adstante capitulo et quinque missarum lectarum ab unoquoque Canonico et a Praeposito celebrandarum, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Legem ecclesiae universalem esse singulos Canonicos obligari ad singulas canonicas horas in choro debite devoteque psallendas: quamlibet proinde limitationem, si quae obtineat, legitime contigisse ostendendam esse.

II. Statuta capitularia nullo extrinseco corroborata legitimo praesidio ab ea universali lege Canonicos eximere non posse.

III. Hoc praesidium non posse collocari in approbatione facta a Superiore etiam apostolica delegatione munito, cui facultas adprobandi tributa sit juxta commune jus.

IV. Ad normam communis juris capitularia statuta facta non posse censeri, nisi quae sint licita, honesta et ss. canonibus, constitutionibus apostolicis decretisque Concilii Trid. non adversentur.

V. Colliges insuper distributionum fundum juxta Trid. normam etiam in illis capitulis adesse debere, quae propriis destituta praebendis salarium a gubernio accipiant: et si fundus desit, ad multas respondentes pro rata parte absentiae solvendas Canonicos cogi posse ac debere.

VI. Colliges demum mitem esse s. Sedem in poenis imponendis illis, qui interveniente aliqua bona fide suo officio satis non fecerunt. *)

Capitulum ecclesiae collegiatae N. in Neapolitano regno anno 1853 supplicem libellum s. Congregationi Concilii porrigens postulavit, ut Canonicis alternis vicibus choro interesse liceret; ac praeterea gratiam postulavit celebrandi sine cantu missam conventualem his diebus, quibus alias missas ex peculiaribus fundationibus praeter praescriptas a rubricis canere obligaretur.

Rogatus Archiepiscopus ejus dioecesis respondit: in ecclesiae ac populi spirituale bonum alternativam choralem de qua in precibus futuram se existimare; ita enim fieri inquiebat, ut altera pars capituli, quod viginti Canonicis atque sex mansionariis constabat, suam operam impendere posset in alias ecclesias, in pia et ecclesiastica instituta, cum extra capitulum non suppeteret clerus, qui spiritualibus duodecim fere animarum milium necessitatibus praesto esse posset. Alternativam tamen methodum diebus tantum ferialibus circumscribendam esse, exceptis videlicet diebus dominicis, diebus festis primae et secundae classis itemque sanctorum protectorum ac ecclesiarum titularium cum singulorum octavis. Ad cantum vero missae conventualis quod spectat nihil fore innovandum opinatus est; quod si plures missas cantu celebrari contigeret, ingressus in chorum ante consuetam horam fieri posset.

Die 28. Martii 1857 S. C. C. his precibus sic respondit: *Pro gratia reductionis servitii chori juxta votum Archiepiscopi, excepto etiam tempore Adventus et Quadragesimae, facto verbo cum SSmo. Quo vero ad dispensationem a cantu missae conventualis: lectum.* Relato responso per Secretarium ad SSmum Patrem Pontifex pro gratia annuit, sed voluit quoque exceptum diem commemorationis omnium defunctorum.

Ejusmodi gratiam in acceptis habentes Capitulares preces tamen hisce postremis annis renovarunt postulantes, ut obligatio con-

*) Errarunt quidem Canonici, qui morem non gesserant resolutioni s. Congregationis a SSmo adprobatae: sed causa erroris nobilissima fuit: *Vir apostolica delegatione munitus statuta nostra comprobavit, quod s. Sedi significatum non est.* Quid nobilius exsecutioni poterat opponi, quod speciem veritatis praeseferens eamdem impeditam redderet?

veniendi omnes in chorum diebus primae ac secundae classis transferretur potius in dies *duplicis*, ut ajunt, *vel simplicis praecepti qui essent abrogati*, et loco octavarum, patrocinii s. Joseph, ecclesiae eorum titularis ac dedicationis s. Michaelis Archangeli Protectoris, quibus diebus vi praecedentis rescripti omnes convenire tenerentur, substituerentur alii dies, quorum elenchum exhibebant. At quum neque admodum clare rem exposuissent neque causam quae ejusmodi substitutiones faciendas esse suaderet satis exponerent, propositis precibus in Congregatione diei 17. Aprilis 1867. S. C. respondit: *Dilata et exquirantur pleniores informationes.*

Pro-Vicarius generalis ejus dioecesis ad hujus rescripti tramites rescribens nomine Archiepiscopi innuit, capituli preces esse secundum indolem reductionis dierum festorum, quam in Neapolitano Regno fecerunt summi Pontifices. Reductis enim suppressisque festivitatibus, dum fideles exempti essent ab obligatione quiescendi a servilibus operibus, manserunt omnes obligationes ecclesiasticae quoad sacras functiones. Quas preces commendavit Archiepiscopus.

Ad pleniorem, quae petebatur, rerum informationem haec ex officio sunt adnotata. Ante pontificatum Benedicti XIV. in regno Neapolitano plurimi erant dies festi praeter dies dominicas et solemniores. Archiepiscopi et Episcopi ejus regni, perspicientes gravi cum incommodo tot dierum numero fideles a saecularibus negotiis et operibus servilibus arceri, supplices porrexerunt preces Benedicto XIV. pro dierum festorum reductione. His Pontifex ille benigne indulsit per literas in forma Brevis *Cum sicut* datas die 12. Decembris 1748.*) Statutum enim fuit, ut retentis omnibus diebus dominicis necnon Ascensionis, Corporis Christi et Nativitatis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. Virginis Mariae Immaculatae, natale die ss. Apostolorum Petri et Pauli, die festo omnium Sanctorum ac festo die cujusvis praecipui quarumque civitatum ac locorum Patroni, quibus diebus non tantum missas fideles audire tenerentur sed etiam a servilibus operibus abstinere, *in reliquis festis sive per Apostolicam hanc Sedem sive per synodales quarumcumque dioecesum hujusmodi constitutiones sive quacumque alia de causa ... praeceptis, qui sacrosancto missae sacrificio intersint ... negotiis familiaribus servilibusque suis operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo incumbere integrum unicuique esse.*

Ex eo tempore dies illi festi, quibus sola obligatio audiendi missam relicta est, dicti fuerunt unius vel *simplicis praecepti*, ceteri vero *duplicis praecepti.*

At labentibus annis et miseria in illis regionibus ob publicas calamitates excrescente Ferdinandus I. utriusque Siciliae Rex Pontificem Pium VII. humilibus precibus rogavit pro nova festorum reductione. Pontifex ille precibus obsecundans per literas in forma Brevis *Paternae charitatis* editas die 10. Aprilis 1818 haec edixit: *Retineantur nempe praeter universos dies dominicos per annum festa sequentia videlicet Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae Domini, Purificationis Bmae Virginis, s. Joseph Patriarchae, Ascensionis Domini, festum s. Joannis Baptistae, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis b. Mariae Virginis in caelum, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Pro urbe vero Neapolis tantum retineantur festa ss. Januarii et Antonii de Padua ac pro urbe Panormi festum s. Rosaliae Virginis. Festa autem patronorum principalium singularium civitatum, oppidorum et locorum quibus adjunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus transferantur cum respectiva officiorum et missarum celebratione ad proximum diem dominicum, eoque impedito ad diem dominicum proxime sequentem. In praedictis igitur omnibus festis diebus pro veteri ecclesiae catholicae instituto christifideles Sacris adesse et a servilibus operibus abstinere omnino debeant. . . .*

Hujusmodi constitutio praeter festa indicata, quum de reliquis sermonem non faciat, uti abrogata quoad utrumque praeceptum habita fuerunt. Verum nihil per eam innovatum fuit quoad missas, officia et obligationes chori vel applicationem missae pro populo, addidit enim Pontifex: *Sed quoniam, dum populorum conscientiae et eorum qui in sudore vultus sui panem comedunt indulgere providemus, Sanctorum venerationem et salutarem christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo Sanctorum solemnitatum officia et missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus.*

*) Vd. *Festum* (reductio); *Decreta auth. s. R. C.* Edit. Mühlbauer *Suppl t. II. p. 162. p.*

Die 18. Decembris 1869 S. C. respondit: *Pro gratia juxta petita ad septennium, exceptis tamen diebus festis primae classis, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Eam esse s. Sedis intentionem, quando numerum dierum festorum in populi commoditatem coercet, ut nihil innovatum intelligat quoad sacras functiones obligationesque clericorum.

II. Quare, qui choro tenebantur diebus festis ante reductionem festorum, pari modo tenentur post reductionem.

III. Neque dispensationem ab ejusmodi obligatione facile a s. Sede concedi.

IV. Concessa Canonicis gratia alternis vicibus frequentandi chorum, excipi tamen solere praeter dies dominicos, Adventus et Quadragesimae etiam dies festos primae et secundae classis, etsi quoad populi obligationes veluti extincti forte censeantur.

V. Colliges demum, petitionem non clare sed confuse factam non mereri gratiam, quae si ex aliqua extrinseca et generica causa concedatur limitibus saltem temporis coercetur.

III. Alternativa non extensa.

Vd. p. 1073: *Contin. Casertana.*

Rossanen.

Postulante Archiepiscopo Rossanensi in literis ad s. Congregationem datis 22. Junii labentis anni declarari, num omnes 5 Dignitates, 19 Canonici et 24 presbyteri participantes quibus capitulum metropolitanae ecclesiae constat teneantur singulis dominicis aliisque diebus festis de praecepto missae conventualis celebrationi caeterisque divinis officiis interesse, juxta synodales praesertim constitutiones pridem ab Archiepiscopis antecessoribus editas et secundum plura hujus s. consessus rescripta, contra vero authumante memorato capitulo servandum esse veterem morem, juxta quem, diviso in 4 hebdomadas chori ecclesiaeque servitio, una dumtaxat Dignitas, 5 Canonici et 6 presbyteri participantes consueverunt diebus etiam dominicis et festis de praecepto sive I. sive II. classis unaquaque hebdomada ad chorum aliaque divina officia obeunda convenire, vel saltem Dignitates, Canonicos et presbyteros participantes non posse compelli, ut omnes singulis diebus festis de praecepto choro intersint, nisi prius quotidianae distributiones praevia praebendarum suppressione aut simplicium beneficiorum unione aut alia ratione in notabili summa augeantur, oportuit subscribi tria sequentia dubia, ad quorum decisionem praeter jura, quae nomine tam Archiepiscopi quam capituli proponentur, plurimum videnter conferre s. Congr. resolutiones descriptae in die 30. Julii 1735. in causa *Castri Maris Servitii chori.**)

Libratis itaque juribus in utramque partem circumferendis partes erunt EE. VV. rescribere:

I. *An omnibus diebus dominicis et festis omnes Dignitates, Canonici et alii de capitulo missae conventuali aliisque divinis officiis interesse debeant vel potius eis liceat etiam praedictis diebus per quartariam inservire, per assistentiam nempe unius Dignitatis, 5 Canonicorum et 6 presbyterorum?*

II. *An sit locus augmento distributionum, quomodo et in qua summa?*

Et quatenus affirmative,

III. *An donec idem augmentum non fuerit factum teneantur omnes DD. diebus dominicis et festis choro et ecclesiae interesse in casu?*

S. C C. resp.

Ad I: Affirmative quoad I. partem, negative quoad II.

Ad II: Habebitur ratio in casu recursus cum opportunis documentis.

Ad III: Affirmative.

Die 8. Febr. et 1. Mart. 1738.

Civitatis Castelli.

Cum bon. mem. Alexander Codebo Episcopus civitatis Castelli in synodalibus comitiis 1720. habitis inter cetera chori ecclesiaeque servitium concernentia sanciverit, Dignitates et Canonicos omnes cathedralis ecclesiae qui nullo legitimo detenti impedimento verbi Dei praedicationi non interveniunt cum habitu chorali tempore adventus et quadragesimae punctandos esse pro integris distributionibus illius diei ad formam decretorum s. Congregationis, capitulum ejusdem Cathe-

*) Vd. *p. 1061.*

dralis quod antea consueverat per mediariam ut ajunt etiam festis diebus itidemque tempore quadragesimae ac adventus choro interesse adversus praemissum synodale decretum provocavit ad s. Sedem sed particularis Congregatio ex rescripto s. m. Benedicti XIII. deputata post plurimorum dubiorum definitionem die 30. Januarii 1728 statuit: »Chori officiaturam esse imposterum servandam modo sequenti, ut firmo scilicet remanente quotidiano servitio quoad capellanos et clericos Canonici et Dignitates ex gratia ad inserviendum choro sive officiandum admittantur per tertiariam itaut una hebdomada quinque Canonici et una ex Dignitatibus choro assistant et intersint integrae celebrationi divinorum officiorum, alia hebdomada hoc ipsum praestetur a 5 aliis Canonicis et altera ex dignitatibus et tertia hebdomada haec eadem adimpleantur a 5 Canonicis et loco Dignitatis a Canonico Decano, exceptis tamen diebus dominicis et festis de praecepto totius anni et diebus omnibus adventus, quadragesimae, octavis Nativit. et Resurrectionis Domini, Pentecostes et ss. Corporis Christi, quibus omnibus et singulis diebus teneantur omnes Canonici et Dignitates choro interesse ac divinorum officiorum celebrationi assistere sub poena in casu contraventionis tam quoad capellanos et clericos quotidiano servitio adstrictos quam quoad Canonicos et Dignitates obligatos ad inserviendum per tertiariam vel sine beneficio tertiariae certis quibusdam diebus supra expositis mulctae sive punctaturae jam statutae a bon. mem. Episcopo Conello in sua constitutione quoad eos, qui in choro non intersunt.

Post haec idem capitulum adiit s. consessum postulans declarari, ut Dignitates et Canonici qui non essent ut vocant de tertiaria tenerentur missae solemni ac vesperis tantum interesse illis diebus, quibus juxta enunciatam resolutionem congregationis particularis obstricti sunt omnes chori ecclesiaeque servitio incumbere, obtinuitque die 17. Aprilis ejusdem anni attenta etiam supplicatione Episcopi sibi indulgeri: »ut diebus, quibus omnes juxta dictum decretum tenentur assistere et inservire, integra officiatura expleatur ab his, qui sunt de tertiaria, et alii non teneantur assistere nisi missae conventuali et vesperis sequentibus tamen diebus exceptis nempe Nativitatis Domini Nostri, feria IV., V., VI. et sabbato majoris hebdomadae, dominica Paschatis Resurrectionis, festo ss. Apostolorum Petri et Pauli, solemnitatis dedicationis ecclesiae ipsius Cathedralis, festo s. Laurentii antiquioris ejusdem Patroni, festo s. Floridi Titularis ecclesiae cathedralis et civitatis patroni, quibus tam qui sunt de tertiaria quam alii integre inservire teneantur.«

Novissime vero in supplici libello SS. Domino nostro porrecto post expositam praemissam facti seriem petiit idem capitulum chori ecclesiaeque servitium ita reduci, ut imposterum etiam diebus festis ac tempore tam adventus quam quadragesimae possit tertiaria indistincte a Dignitatibus et Canonicis servari, confidens, sibi annuendum fore, tum ex eo quod redditus cujusque canonicatus fuerint ita imminuti ut vix annua scuta 28 attingant, tum etiam, quia Canonici ob aeris rigiditatem hiemali praesertim tempore assiduis infirmitatibus et incommodis sint obnoxii si velint juge chori servitium praestare, tum demum, quia in Cathedrali Perusina servitium chori per tertiariam indistincte toto anni tempore etiam adventus et quadragesimae praestetur; at ejusmodi precibus ad hanc s. senatum remissis infrascripti dubii discussio juxta capituli petitionem hodie assumenda est.

Episcopus s. Congregationem certiorem reddere jussus de iis quae in memorato capituli libello exposita fuere suamque aperire sententiam post recensitam facti hactenus relati seriem comprobatasque tum aeris inclementiam tum reddituum tenuitatem ita concludit: »Ideo pro tempore adventus tantum et quadragesimae ad persolvendum in diebus ferialibus integram chori officiaturam per solam tertiariam Canonicos et Dignitates admitti posse sentirem, firma tamen remanente obligatione omnibus et singulis pro utraque temporis differei tia interveniendi cum habitu chorali verbi Dei praedicatione sub eadem mulcta in casu contraventionis moderata ac reducta a praedicta sacra congregatione particulari in responsione ad sextum ex undecim primis praecitatis dubiis. Et quatenus in re tam gravi in qua de divino cultu et servitio ecclesiae tractatur agendum potius videretur per viam permutationis quam dispensationis, fieri possit ut chori officiatura, quae pro dictis temporibus adventus et quadragesimae indulgeri et moderari mereretur, si videbitur EE. VV., in gratiam Canonicorum valetudinis, ut qui non sunt de tertiaria

censeantur dictis diebus sicuti in aliis dispensati; ab istis suppleri inde debeat hujusmodi dispensationi intra annum in aliis festis in supracitatis decretis non nominatis et assignatis, sed nominandis et assignandis per novum rescriptum gratiosum, sive per quamlibet aliam compensationem a supremo EE. VV. arbitrio praescribendam, taliter, ut omnes Canonici licet non adstricti inservire in aliis festis nisi per tertiariam obligati remaneant sub eisdem poenis ad interessendum et inserviendum insimul et integrae officiaturae etiam festorum, videlicet Pentecostes, Ascensionis, ss. Trinitatis sive etiam festorum et solemnitatum Annunciationis et Assumptionis B. M. V., majori fidelium concursu et devotione ubique colendarum.«

Erit EE. VV. pronunciare:

An et quomodo Dignitatum et Canonicorum precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.:

Negative et serventur resolutiones ed. 30. Jan. et 17. Apr. 1728. et amplius.

Die 10. Maji et 14. Junii 1738.

Ferentina.

Capitulum cathedralis ecclesiae Ferentinae numerat 17 Canonicos et 4 beneficiatos. Uniuscujusque canonicatus annuus redditus est scutorum 130 monetae romanae comprehensis distributionibus. Capitulares alternis hebdomadis choro inservire solent et licet nonnulli sint dies in quibus omnes convenire tenentur tamen in hac communi servitii lege non comprehendantur dies Adventus et completorium tempore Quadragesimae. Hujusmodi inserviendi modum quoad Adventus dies invectum jam fuisse deprehenditur de tempore, quo Episcopus Fabritius Capanna synodum celebravit 1605. In synodo dioecesana 1732. bon. mem. Fabritii Borgia compilatae fuerunt constitutiones pro capitulo Cathedralis et cap. 4. enumeratis diebus communis servitii non recensentur dies feriales Adventus, deinde quoad completorium Quadragesimae ita disponitur: Dies Quadragesimae communes excepto completorio in ferialibus et non sit dies antecedens festum de praecepto.

Morem hunc improbavit hodiernus Episcopus qui in prima pastorali visitatione habita die 29. Febr. 1756. decretum edidit quo non obstante consuetudine sub poena amissionis distributionum quotidianarum adegit omnes Canonicos caeterosque choro addictos ad chori servitium toto Adventus tempore, in Quadragesima etiam ad completorium et in octavis solemniorum festivitatum quas privilegiatas vocant. Ab Episcopi decreto provocarunt Canonici ad A. C., sed ablegata causa s. Congregationi, illa sub dubio inferius describendo ab EE. VV. definienda proponitur.

Sustinent Canonici praxim inductam in Cathedrali Ferentina alternatim inserviendi per hebdomadas haud excepto tempore Adventus et completorium tempore Quadragesimae pro diebus ferialibus et qui non anteceduut festum de praecepto immutandam modo non esse, quoties ab immemorabili tempore servatam variisque synodorum decretis confirmatam fuisse dignoscatur; potissimum quia ss. canonum institutis minime contraria deprehenditur insuperque usu aliarum ecclesiarum et praesertim Patriarchalium et Collegiatarum Urbis comprobata dignoscitur. Addunt consuetudinem hanc a cathedralis ecclesiae institutione exordium sumpsisse et licet ad id probandum propter archivi capitularis combustionem desint monumenta, observant tamen, quod Episcopi Capanna et Morelli, qui paulo post Concilium Trid. Ferentinam ecclesiam rexerunt, consuetudinem improbassent, nisi eam fundationi agnovissent conformen.

Praeterea advertunt Ferentinam civitatem abrupto in monte sitam hyemali tempore pluvia, nivibus, gelu redundare, cathedralem ecclesiam in summo ipsius montis vertice constructam, ad eamque nonnisi gravi periculo ob viarum asperitatem patere accessum; capitulum aliis etiam esse gravatum oneribus; manifestam ideo necessitatem urgere ne assuetum chori servitium immutetur, quod fortasse ex loci qualitate et statu fuit constitutum.

Episcopus in sua relatione rem totam luculenter expendit et sic concludit: Unicum mihi videtur Canonicis superesse effugium ad servitii diminutionem ex gratia tantum juxta eorum petitionem obtinendam, quod nempe ex supra relatis habeant prae se supradatum suarum constitutionum statum, longaevam consuetudinem et conniventiam usque ad 1756. continuatam locique asperitatem, in quo cathedralis haec ecclesia sita est quae ex commiseratione dumtaxat animum EE.

VV. flectere fortasse possunt ut reor ad petitam servitii diminuendi gratiam indulgendam.

In cap. *Presbyter. de celebratione Miss.* haec habentur: »Septies in die laudem dixi tibi,« qui septenarius numerus a nobis impletur, si matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae et completorii tempore nostrae servitutis officia persolvamus, et in *Clementina 1. eodem tit.* statuitur: Ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur: in aliis vero convenienter et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium. Concilium Trid. ad tollendos abusus *sess. 24. cap. 12. de reform.* statuit, quod obtinentibus in ecclesiis cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis abesse salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus quae longius servitii tempus requirunt.

Quamvis ex s. Concilii lege abrogata fuerint statuta, quae ultra tres menses longiorem concedebant vacationem, tamen non defuerunt aliqui, qui opinati sunt non fuisse sublatam a Concilio consuetudinem immemorabilem, ut Canonici ultra tres menses a choro vacare possint. Hanc opinionem reprobavit s. Cong. in *Calaguritana*, in qua 1581. sic respondit: Sac. C. censuit non licere praebendatis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum ecclesiis ultra tres menses abesse. Et licet postmodum declaraverit consuetudinem inserviendi per hebdomadas non fuisse sublatam a Concilio, illam tamen locum habere voluit, dummodo per novem integros menses Capitulares inservirent. Prostat resolutio edita in *Cassanen. de mense Junii 1589.* his concepta verbis: Sac. C. censuit modum inserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur juxta *cap. 12. sess. 24.*

Ut autem debitus Deo cultus et ecclesiae obsequium nonnullis praesertim temporibus praestetur, e praxi s. Congregationis Canonicis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum petentibus indultum abessendi a servitio chori per tres menses, non aliter conceditur quam sub conditione, ut tempore Adventus et Quadragesimae aliisque infra annum solemnitatibus omnes inserviant. In *Tarraconen.* cum capitulum ecclesiae collegiatae Ville de Reus quae praeter Priorem 36 numerat praebendatos petiisset indultum, ut 8 ex praebendatis abesse possent a choro per duos menses, proposito dubio: *An et quomodo petitis sit annuendum?* die 18. Febr. 1764. prodiit responsum: Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum et pro duobus mensibus tantum, ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis Domini Nostri, Pentecostes, ss. Corporis Christi, per totam octavam ejusdem ac aliis temporibus ab Ordinario benevisis interesse et jugiter servire teneantur. Et reproposita causa sub dubio: *An moderandae sint clausulae appositae in rescripto seu potius augendus sit numerus Capitularium, qui abesse possint in casu etc.?* die 23 Martii 1765. fuit resolutum: Negative ad I. partem, affirmative ad II. pro sex Capitularibus tantum.

Quandoque vero habito respectu ad tenuitatem praebendarum majori indulgentia usa est s. Cong. ut in *Cathacen.**) et in *Castri Maris Servitii chori.***)

Erit EE. PP. decernere:

An et quomodo capitulum cathedralis ecclesiae Ferentinae inservire debeat etiam tempore Adventus et Quadragesimae in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta solitum, attentis circumstantiis in casu concurrentibus.

Die 3. Aug. 1782.

In cathedrali ecclesia N. mos invaluerat inserviendi choro alternis vicibus per hebdomadas etiam tempore Adventus. Administrator apostolicus, qui eam gubernabat ecclesiam, cum sacrae visitationi operam daret, hunc morem deprehendit oppositum statutis synodi dioecesanae: ideoque censuit rem totam s. Congregationi C. exponere a qua responsum accepit: *Necesse est, ut Canonicos invites ad causam deducendam cur non universi juxta ss. canones quotidie choro inserviant et si legitimo titulo polleant, cur ad chorum accedere non soleant iis diebus, qui ex instituto excipiuntur et passim com-*

*) Vd. *p. 1062.*
**) Vd. *p. 1061.*

munes vocitantur. Si quid contra jus deprehenderis et Canonici in ea consuetudine quae invaluit perstare velint, s. Congregatio consulenda est, quae suum judicium interponat.

Hisce mandatis obsecutus illico est Antistes Administrator, sed Canonici respondere distulerunt: hac re cognita s. Congregatio novum dedit mandatum his verbis: *Eidem Episcopo, qui indicat capitulo alium terminum duorum mensium ad justificandam choralis officiaturae methodum alternativam, quo inutiliter elapso transmittat per procuratorem fiscalem documenta ad rem facientia ut s. C. valeat prout de jure providere.*

Post hoc decretum Canonici sua deduxerunt.

Canonici itaque invocabant statuta capitularia ab Episcopo probata die 15. Sept. 1727. in quibus nulla obligatio interessendi choro tempore Adventus reperitur. Imo cum in iis expresse haberetur, chorale servitium praestandum esse *tempore quadragesimae necnon tota octava ss. Corporis Christi* legitime sequi ajebant tempus Adventus exclusum fuisse ex regula: *inclusio unius, exclusio alterius.*

Neque obstare subsumebant dioecesanam synodum, cum idem Episcopus auctor fuisset tum dictae synodi tum statutorum capitularium quae anno decimoseptimo a celebrata synodo ab eodem adprobata fuerunt. Hinc praesumendum esse legitimis de causis synodo dioecesanae fuisse derogatum. Eo vel magis, quod eodem die et anno et ab eodem Episcopo eaedem constitutiones capitulares adprobatae fuerunt pro ecclesia cathedrali C. id temporis unita cathedrali N. de qua agimus.

Invocabant praeterea Canonici etiam *consuetudinem immemorabilem* quam nullus unquam Episcopus in dubium revocaverit nullusque contra illam aliquid duxerit opponendum: neque posse utiliter in contrarium invocari Trid. *c. 12. sess. 24. de ref.* in quo statuitur, non licere Canonicis vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses a propriis ecclesiis quolibet anno abesse, cum s. Congregatio interpres die 21. Februarii 1578 declaraverit: *Fundationum privilegiis quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet non est derogatum a Tridentino.* Hinc mirum non esse inquiebant, in ipsa Urbe praeter Patriarchales ecclesias adesse capitula, in quibus exemptio choralis ultra tres menses permittatur. Et cum de alternativo servitio tempore Adventus ageretur, nonnulla cathedralia capitula nominabant, quae id servarent.

Exhibita insuper tabella choralis servitii contendebant, dies choralis servitii ascendere ad menses decem et dies sexdecim, ita ut neque trium mensium vacatione singulis annis ipsi fruerentur.

E contra Episcopus Administrator sustinebat statutum capitulare adversari tum consuetudini tum dioecesanae synodo tum Concilio Trid. Ostendebat primum ex actis ss. visitationum, cum 1704. sub articulo: *De servitio et disciplina chori* adnotatum fuerit: »Ad chori servitium tenentur tum Dignitates tum Canonici tum capellani non solum numerarii sed etiam supranumerarii per alternas tamen hebdomadas, ita ut quotidie, diebus non festivis, conveniat medietas Canonicorum et capellanorum. Jure tamen alternativae non gaudent toto tempore Adventus et Quadragesimae nec in dominicis et festis diebus de praecepto, in quibus omnes convenire debent.« Iisdem fere verbis in subsequenti visitatione fuit notatum.

At non modo consuetudini sed et synodo dioecesanae capitularia statuta aperte resistere Episcopus adnotabat: in ea siquidem 1710 admissum fuit alternativum chorale servitium, hac tamen adjecta clausula: *Excepto tamen tempore Adventus et Quadragesimae necnon octava Corporis Christi, tunc enim omnes choro addictos volumus.*

Haec praeterea confirmare e Concilio Trid. studuit idem Antistes *cap. 12. sess. 24.* collata cum *cap. 1. sess. 23. de reform.* Neque difficultatem facessere subjungebat adprobationem statutorum capitularium ab Episcopis factam, cum Concilium romanum 1725 de statutis capitularibus adprobandis agens diserte Episcopis praescripserit ne quid contra jus et Concilii Trid. decreta adprobarent.

Perperam autem inquiebat Canonicos ad consuetudinem confugere, cum ea cederet in praejudicium divini cultus nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpens.

Contra tabellam seu elenchum a Canonicis exhibitum adnotabat, eosdem computasse pro uno servitii choralis die singulas supplicationes, singulas vesperas solemnes et unumquodque anniversarium. Concludeba

autem hac supputatione non facta chorale servitium non attingere novem menses.

Haec autem juxta disciplinam S. C. C. sunt adnotata. Concilium Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref.* abrogasse statuta quae longiorem quam tres menses vacationem indulgerent: non defuisse aliquos qui haud sublatam a Concilio fuisse opinarentur immemorabilem consuetudinem ut Canonici amplius quam tres menses vacare possent, et S. C. opinionem hanc reprobasse 1581 his verbis: *S. Congr. censuit non licere praebendatos vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum ecclesiis ultra tres menses abesse.*

Licet autem postmodum declaraverit, consuetudinem inserviendi per hebdomadas non fuisse sublatam a Concilio, illam tamen locum habere posse decrevisse dummodo per novem integros menses Capitulares inservirent, ut in *Cassanen.* mense Junio 1659.*)

Si quando vero ex indulto concessae sint capitulis et collegiatis vacationes per aliquot menses, excepta fuisse tempora Adventus et Quadragesimae, ut in *Terraconen. die 23. Mart. 1765.***)

Interdum ob reddituum tenuitatem caeteraque adjuncta majore indulgentia S. C. se gessisse, ut in *Cathacen. die 25. Novbr. 1698.****)

Item in causa *Castri Maris die 27. Febr. 1734 et 30. Julii 1735.*†)

Denique in *Ferentina die 3. Augusti 1782.*††)

D u b i u m:

An et quomodo servanda sit alternativa servitii choralis tempore Adventus in casu?

S. C. die 12. Sept. 1846 respondere censuit: *Negative et omnes Capitulares teneri ad chori servitium.*

Ex quibus colliges:

I. Trid. Concilium suo decreto non indulsisse indiscriminatim Capitularibus tres menses vacationum sed coerciusse ad tres menses longiores vacationes.

II. Hoc decreto derogasse etiam consuetudinibus immemorabilibus, non autem derogasse privilegiis fundationum.*)

III. Neque derogasse methodo inserviendi choro alternis hebdomadis, si hac methodo servata non amplius quam tribus vacationum mensibus Canonici tandem fruantur.

IV. Vacationum indulto non posse Canonicos uti solemnioribus anni temporibus ne populus in ecclesia praesentia cleri privetur, quo tempore aut laetetur ecclesia aut poenitentiae preces effundat.

V. Quare consuetudinem inductam ut tempore Adventus non omnes Canonici choro deserviant, si ea in judicium deducatur, non facile sustineri.**)

IV. Canonici quot sufficiunt ad servitium chori?

Vd. t. III. p. 504. XIX; *Alternativa concessa* p. 1061.

V. Confabulantium poenae.

Vd. *Distribut. Canonici confess. audient.* decr.: *Placentina.*

Clemens PP. IV. pro Ecclesia Aniciensi.

Omnes tam Canonici quam clerici quicunque praedictae ecclesiae in choro, dum

*) Vd. *p. 1062.*
**) Vd. *p. 1068.*
***) Vd. *p. 1062.*
†) Vd. *p. 1061.*
††) Vd. *p. 1097.*

*) Canonici in sua defensione allegarunt resolutionem quandam S. C. superius adductam hisce verbis: *Fundationum privilegiis quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet non est derogatum a Tridentino.* Hanc resolutionem tamen non rite intellexerunt. Namque privilegia fundationum consistunt in privilegiis quibus fruuntur fundatores, qui in limine*) fundationum possunt adjicere leges quas praediligant et hisce legibus ecclesiastica auctoritas difficillime derogat. Quisnam prohibetur fundare canonicatum cum obligatione accedendi unica vice ad chorum singulis annis?

**) Dixi: *Si ea in judicium deducatur;* namque notum est principium quod romanus Pontifex Innocentius III. in scientia ss. canonum facile princeps tradidit in *cap. Cum jamdudum 18. de praebendis* his verbis: *Multa per patientiam tolerantur, quae si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debent tolerari.*

Hoc principium memoriae mandent illi lectores nostri, si qui sint, qui in legendis causis quas adducimus fortasse agitentur. Non debent enim privati hisce in rebus scrupulis angi: sed ad summum rem deferant ad auctoritatem episcopalem, quae officium habet pro sua prudentia ss. canones exsecutioni demandare: quod si auctoritas silere censeat, ipsi quiescant.

*) Vd. *t. II. p. 353. n. 1.*

divina officia celebrantur, in stando et sedendo honeste se habent, non ridendo, non loquendo, non confabulando sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem et corpus honestum ostendant.

Datum Viterbii IV. Nonas Junii 1265.

(Bull. r. t. IX. p. 76. Ed. Luxbg.)

VI. Consuetudo per tempus gratis chorum frequentandi.

Vd. *Chorus* (*absentia etc.* — celebratio missae, decr.: *Comen* p. 966.; *Alternativa* p. 1061.); t. III. p. 174. n. 9. I.

In quodam oppido N. ecclesia adest, quae e clero sibi adscripto quemvis in chorale servitium recipit et ad perceptionem emolumentorum admittit; ideoque inter ecclesias, quae *receptitiae innumeratae* appellantur, recensetur.

In more nihilosecius ejusdem ecclesiae positum est, ut omnes illi clerici, qui eidem ecclesiae adscripti sunt, vix ac presbyteratum assequuntur per annum a die prima Septembris ad ultimam usque diem mensis Augusti sequentis anni gratis debeant eidem ecclesiae inservire, priusquam ad fructuum perceptionem admittantur.

Antonius, qui eidem clero erat adscriptus, statim ac ad sacrum presbyteratus Ordinem est promotus, a Vicario capitulari postulavit, ut a gratuita servitii choralis praestatione eximeretur, ita ut haberetur tamquam praesens in eo officio gratis obeundo, ipsumque officium per annum duraturum intelligeretur incoeptum non quidem a die prima Septembris, sed a die suae Ordinationis, idest a die prima Aprilis.

Vicarius capitularis inscio praedicto clero benigne excepit preces supplicantis: namque animadvertens non adhuc Antonium complevisse facultatis theologicae curriculum eidemque fuisse a se praestitutum quoddam officium in seminario obeundum, eumdem exemit a servitio ecclesiae receptitiae gratis exhibendo, ita ut tanquam praesens considerandus esset, dummodo tamen non obstaret aliquod speciale statutum auctoritate rite firmatum, quod legibus generalibus derogaret.

Statim ac ejusmodi decretum denunciatum fuit receptitio clero ut exsecutioni demandaretur, hic unanimi suffragio obstitit, suae consuetudini innixus, quae resolutionibus etiam collegialibus anni 1796 firmata fuerat, ac propterea suas rationes Vicario capitulari ea qua par erat observantia pluries exposuit, ut decretum illud vellet revocare. Cum autem incassum res cessisset, suas querelas clerus admovit s. Sedi.

Itaque de more servatis servandis quaestio proposita est sub dubio in calce posito.

Clerus per causidicum suas rationes adducebat, quae ad sequentes reducuntur. Demonstrata in facto vetustae consuetudinis existentia, quae confirmata fuerat etiam collegialibus resolutionibus, defensor observabat, ipsum decretum Vicarii capitularis eo ipso concidere: namque erat alligatum conditioni illi: *dummodo non obstet aliquod speciale statutum auctoritate rite firmatum quod legibus generalibus derogaret.* Hoc enim statutum in praesentia adesse inquiebat, cum legitima consuetudo vim legis habeat.

Neque esse necessarium, subjungebat, proferre statutum auctoritate episcopali firmatum: notum namque est, Capitula leges condere posse absque Episcopo, quae ad peculiaria sua negotia spectent, dummodo generali ecclesiae ordini non officiant, prout docet Glossa in *cap. 2. de verb. signif. in 6° verbo: statutum,* quo legitur: »solet dici, quod Capitulum sine Episcopo statuta facere non potest. . . . Si vero statuant super iis quae non tangunt Episcopum vel statum ecclesiae sed sua singularia negotia, puta quod certis modis quotidianas obventiones distribuant vel quod certo modo ad Capitulum vocentur, puta per talem campanam vel alio modo vel quod certis temporibus etiam non vocati veniant ad Capitulum vel his similia: satis potest dici quod super his tenet ipsius Capituli constitutio sine Episcopo, alias licita et legitima.« Item Lotterius *de re beneficiaria l. 1. quaes. 14. n. 88.*, Barbosa *de Canonicis et Dignit. eccles. cath. et colleg.* aliique.

Atqui in praesentia non deerant resolutiones a clero factae atque exsecutioni jugiter mandatae, quae neque dici potuissent destitutae auctoritate episcopali, cum Episcopi easdem noscentes et numquam reprobantes suo tacito consensu firmassent.

At re considerata juxta leges generales ecclesiasticas neque in Vicarii potestate esse dicebatur cum Antonio dispensare super officio ecclesiae receptitiae gratis praestando. Causae enim dispensationis adductae erant

studiorum prosecutio et officium quoddam in seminario exercendum; atqui neutram causam legitimare Antonii absentiam contendebat defensor, tum quia non in publica universitate studiis operam daret, juxta ea quae tradit Reiffenstuel in *jus can. lib. 3. tit. 4. §. 5.* aliique tum quia ea absentia in privatam Antonii utilitatem dumtaxat verteret, maxime cum ante aetatem a s. Concilio praefinitam Antonius fuisset sacro presbyteratus Ordine initiatus.

His aliisque adductis propositum est resolvendum

D u b i u m:

»An sustineatur decretum Curiae (N.) in casu?«

S. Congregatio Concilii re cognita die 22. Septembris 1866 respondit: *Servandam esse consuetudinem.*

Ex iis colliges:

I. Consuetudinem praeter jus inductam constanterque tamquam legem observatam vim legis scriptae habere.

II. Praesentem consuetudinem fuisse a clero receptitiae ecclesiae observatam tamquam legem ideoque vim legis habuisse.*)

Tricaricen.

Praeter Canonicorum capitulum clerus etiam constat Tricaricensis Cathedralis ex praefixo numero sacerdotum qui participantes vocantur. Inveterata in ea ecclesia viget consuetudo recipiendi sacerdotes in album participantium ea lege, ut primo anno gratis ecclesiae nedum inservire sed missarum quoque ratam ad numerum 70 vel 80 circiter applicare debeant absque stipendio quod cum aliis massae communis emolumentis caeteri participantes lucrantur. Distributiones de cetero choro interessentibus debitas ad instar aliorum percipit noviter receptus, quae tamen ex legato cl. mem. Card. Caraffa pertinent ad omnes clericos in s. ordinibus constitutos, chori servitium praestantes, quaeque ideo canditato jam ante ejus promotionem ad sacerdotium et numerum participantium dabuntur. Quo tempore haec invaluerit consuetudo latet omnino. Caret ecclesia peculiaribus constitutionibus in quibus de ea mentio fieri potuerit et synodalia quoque decreta de gratuito participantium servitio in primo receptionis anno altum servant silentium. Hoc tamen non ignotum quod decessores Episcopi Nicolaus Caraffa et Antonius Zavarroni latis in s. visitatione decretis consuetudinem hujusmodi reprobandam putaverint, licet prohibitione postabita clerus participantium ad veterem moram redierit quin resciri queat ob flaminibus consumptum archivium episcopale utrum aut ipsi aut successores novis decretis sententiam mutarint.

Qui Tricaricensem nunc regit ecclesiam authumans narratam consuetudinem deviam a s. Concilii Trid. censura in *sess. 24. cap. 14. de reformat.* vestrum de ea sub infrascripto dubio requisivit oraculum. Plura tam ipse Episcopus quam capitulum in utramque partem deduxerunt de quibus inferius sermo redibit, quatenus de cetero consuetudinem ipsam reprobandam visum fuerit EE. Patribus, declarandum saltem rogat Episcopus »permitti posse ut fructus ejusdem primi anni ad heredes sacerdotis defuncti qui primo illo anno fructibus caruit pertinere statuatur, cum id sit potius differre quam auferre.*) Hanc declarationem inquit vehementer exopto, cum enim exposita consuetudo praemittendi servitium gratuitum per annum cum dicto onere missarum antequam aliquis ad participationem admittatur sit quasi generalis etiam in aliis ecclesiis receptitiis hujus dioecesis, perturbatio oriri posset, si sacerdotes seniores, qui consuetudini praedictae fuerunt subjecti, viderunt juniores admitti sine tali onere, dilatio vero fructuum post mortem in beneficiati heredem aequalem utilitatem omnibus afferret nec de ea posset aliquis dolere.«

Constitutiones omnes et consuetudines improbavit s. synodus Trid., quarum vi

*) Notum est consuetudinem rationabilem triplicis speciei esse posse juxta triplicem modum quo ad legem existentem referri potest. Alia enim est *secundum jus*, quae scilicet jus interpretatur et firmat sensum ejusdem: alia est *contra jus*, quae juri praeexistenti derogavit; alia demum *praeter jus*, quae scilicet aliquid novi statuit, quod in jure non est praescriptum neque juri adversatur. In praesenti casu res erat de consuetudine praeter jus, et si quae aderant collegiales resolutiones a clero factae, hae non aliud erant nisi expressiones existentis consuetudinis, quae tamquam lex observabatur. Ut autem consuetudo *praeter jus* vera ac juridica sit, nimirum tamquam lex scripta obliget, necesse est ut ea apparcat inducta animo inducendi obligationem seu tamquam lex appareat observata, alioquin resolveretur in aliquem morem coalescentem ex actibus facultativis, qui veram juridicamque consuetudinem non constituunt.

*) Vd. *t. II. p. 557. a; 568. i.*

cautum est in admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum aut praebendarum vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas *certae conditiones seu deductiones ex fructibus,* solutiones, promissiones compensationesve illicitae aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra interponantur, mandavitque porro Episcopis ut quaecumque hujusmodi in usus pios non convertantur utque ingressus hujusmodi qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habent fieri non permittant, tum demum refractarios poenis contra simoniacos editos teneri decrevit cit. *sess. 24. cap. 14. de reform.*« Quamvis literalis haec sanctio videatur et satis nitide comprehendens Tricaricensis ecclesiae consuetudinem de qua quaeritur, inaplicabilem tamen capitulum censet duplici nomine sive quia gratuitum servitium praestandum primo anno per novos participantes nullatenus reale est sed prorsus personale, sive quia consuetudo inducta sit in augumentum divini cultus.

Ad primum quod pertinet quoad servitium personale advertit Capitulares jure proprio lucrari primi anni fructus, non velut redditus sacerdotis qui in participantium numerum cooptatus est, cui proinde non auferuntur sed potius non dantur; personale quoque et non reale arbitratur onus celebrandi missas nulla recepta eleemosina cum emolumenta pro ejus implemento a benefactoribus relicta vi consuetudinis, quae legis vim habet, non acquirat sacerdos nec proinde ei deficiant per diminutionem, sed non per acquisitionem. Maximum autem inter utrumque casum adesse discrimen tenet *Pignatell. consult. can. 30. num. 7. t. 3.* Hunc vero morem ultro libenterque sacerdotes tenere monet, cum quidquid lucri eis primo anno adimitur satis sit compensatum subsequentibus annis in aliorum receptione, qui iisdem oneribus adstringuntur et compensatum quoque sit in casu gravioris infirmitatis. Si enim ex ea inhabiles ad Sacrum faciendum reddantur, capitulum exacto sex mensium spatio missas ad infirmum spectantes celebrandas sibi adsumit eique sine ulla diminutione fructus omnes ex missarum legatis aliisque ecclesiae oneribus obvenientes rependit.

His de causis consuetudinem in augumentum divini cultus invectam capitulum defendit, cum per eam sacerdos accrescat ecclesiae servitio, quod alias magnum pateretur detrimentum, qua spectata circumstantia consuetudines hujusmodi approbandas potius quam reprobandas ait *Fagnan. in cap.:* Dilectus I. num. 9. de *praeben.*, cui adhaeret *Garz. de benef. part. 11. cap. 5. num. 168.* ubi resolutionem s. Congregationis Concilii refert in haec verba: »S. Congregatio censuit consuetudinem ecclesiae Malphiten. auctoritate apostolica Leonis X. confirmatam, ut presbyteri et Canonici ad participationem massae communis ipsius ecclesiae non admittantur, nisi prius 10 annos in acolytatu, subdiaconatu et diaconatu videlicet in quolibet ex dictis ordinibus per triennium et in sacerdotio per annum dictae ecclesiae servierint, sublatam non esse per Concilium *cap. 14. sess. 24. de reform.* et per bullam Pii V. *Durum nimis* *), quia dd. constitutiones loquuntur in dioecesis terminis imo quod dicta consuetudo est rationabilis tendensque ad cultus divini augmentum quodque licita et valida sint statuta quae mandant, quod noviter recepti antequam de massa communi participent per aliquod temporis spatium gratis ecclesiae inservire debeant vel quod fructus primi anni sint heredis Canonici defuncti neque hujusmodi statuta sub conciliari aut Piana censura comprehendantur prae ceteris tradunt *Monacel. form. for. tom. 3. tit. 8. adnot. ad for. 10. num. 13., Barbosa de Canon. cap. 23. num. 7., Gallemart. in declarat. ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. num. 4.* et s. Congreg. in *Andrien. 4. Maji 1696. et 20. Decembris et 8. Augusti 1695.*

Repugnantem hinc non reputant Capitulares invectum morem quoad novos participantes inserviendi primo anno absque stipendio neque illum censura Tridentini aut Piana constitutione fuisse sublatum, his namque sanctionibus prohibentur solutiones et promissiones in actu collationis beneficiorum vel admissiones ad possessionem aliasque in quibus cadere potest suspicio symoniacae labis propter correspectivitatem inter dantem et recipientem**) ut innuit *Pignatell. cit. Consult. 30. t. 3. num. 7. et sequen.*, quale vitium procul esse videtur in promotione sacerdotum ad gradum participantium quippe quia non ex promissione expressa aut tacita primi anni proventus renunciant sed ex con-

*) Vd. *t. II. p. 427.*
**) Vd. *t. II. p. 443. I.*

suetudine inveterata eas amittunt. Forte etiam ex immemorabili observantia quae retenta fuit per Capitulares non obstantibus decretis per Antistites Caraffa et Zavarroni in s. visitatione editis praesumptio privilegii confirmationis apostolicae vel alterius justi tituli in ejus tutelam paucius liceret, *ex cap. Cum olim de consuetud.*, *Piton.* discept. eccles. 17. num. 45. et s. Congreg. in *Veliterna Residentiae et servitii chori 20. Martii 1790.*

Distinctionem contra impugnat Episcopus inter servitium reale et personale, quae consuetudini per Tridentinum reprobatae nil opitulatur. Ceteris enim missis redditibus una celebratio missarum sine stipendio quam ferre debet candidatus per annum juxta ipsum considerari potest *tamquam traditio quaedam brevi manu in beneficium capituli* ejusque pecuniae, quae sacerdoti eleemosynae titulo deberetur. Idem est namque retineri quod alteri debetur atque accipere pecuniam, quae per aliquem traditur: sive ergo haec stipendia participanti deficiant per diminutionem sive per non acquisitionem, unus videtur effectus relatae consuetudinis, ut nempe capitulum lucretur ea missarum stipendia, ad quae recipienda sacerdos ratione celebrationis jus quaesitum habet quaeque nunquam capitulum jure proprio percipere posset, nisi in vim tacitae cujusdam conventionis ex consuetudine proficiscentis. Negat praeterea sacerdotes noviter electos aequo animo consuetudinem ferre, cum sibi imo constare asserat plures aegro animo eam ferre et coacte onus sunere, ut ad participationem admittantur. Compensationem demum negat quae aequa lance moderari nequit pluribus ex causis.

Si quis enim post peractum gratuitum servitium obierit certe portionem non recipit eorum, qui sequentibus annis ad participationem admittuntur, insuper ultimus intra numerum receptus ut hanc obtineat compensationem mortem antea admissorum exspectare tenetur; hinc ad votum captandae mortis porrigitur consuetudo omni jure improbatum, *cap. de testand. de concess. praeben. in 6.* et *Pignatel. cit. consult. 30. num. 2. tom. 3*: quotquot tandem ad canonicatum non praestito gratuito servitio promoventur, si dum fuerint immunes ab hoc onere lucrantur fructus primi anni ad noviter receptos spectantes, quorum nunc in capitulo 5 adesse Canonicos Episcopus ipse testatur, ut aeque compensationis nitidior emergat difficultas, nec interim silentio reticet, quod consuetudo supplendi celebrationem missarum pro sacerdotibus infirmis asseritur sed non probatur a capitulo.

Sermonem inde convertens ad augumentum divini cultus potius veretur ne in perniciem et decrementum cedat consuetudo solumque privatam capituli utilitatem respiciat. Siquidem eo anno quo participantes gratis inserviunt cum non lucrentur distributiones debitas iis qui intersunt processionibus, missis votivis, anniversariis atque associationibus defunctorum, possunt ab hujusmodi ss. functionibus abesse atque ita minuitur numerus laudantium Deum; nec inter impossibilia adnumerari placet casum, quo quis gratuita pertesus missarum celebratione ab iis applicandis pro ecclesiae oneribus se abstineat, unde fraudaretur fundatoris voluntas simulque consuetudo peccandi occasionem foverent. Quibus positis cessare videtur favor divini cultus in cujus gratiam consuetudines hujusmodi quandoque sustinentur juxta *Monet. de distribut. part. 2. quaest. 48. num. 54.*, *Barbosa de Canon. et Dignitat. cap. 15. num. 33.* et *Pignatel. citat. consul. 30. t. 3. num. 1.*; atque consuetudinem in unam capituli utilitatem invectam fuisse concludi possit, tum vero absque symoniae labe nemo in Canonicum reciperetur eo pacto, ut nec de canonicatibus nec de praebendis distinctis neque de communibus proventibus aliquid perciperet, ut in haec verba docent *Fagnan. in cap.: Cum 21. Ferrariensis num. 35. de constit.*, atque haec disciplina sacerdoti aptari potest, qui in participantem recipitur ea lege ne quidquam de ecclesiae fructibus lucretur, cum praesertim distributionum perceptio pro chorali interessentia non jam ab adscensu ad numerum participantium repetenda sit, cum eosdem jampridem obtinueret ex fundatione clar. memor. Card. Caraffa, qui clericis omnibus in Sacris promotis et choro interessentibus hoc lucrum adixit, quod ideo a symoniaca labe non est alienum, perperam trahi praesumitur in augmentum divini cultus.

Exemplum vero ecclesiae Amalphitanae de quo superius habita est mentio consuetudini de qua est quaestio non apprime cohaeret. Personaliter enim inservire in ss. ordinibus inferioribus et per annum in sacerdotio antequam Canonicus admittatur ad participationem massae communis, multum

sane distare videtur ab onere inserviendi gratis in sacerdotio per annum et certum numerum missarum celebrandi sine stipendio antequam ad participationem fructuum quis recipiatur, ad quam retinendam consuetudinem nec certe capitulo opitulari possit immemorabilis ejus observantia post edita quoque contraria decreta Episcoporum Caraffa et Zavarroni. Eam etenim contra s. Concilii Trid. sanctionem in cit. *sess. 24. cap. 14. de reformat.* expresse adversantem »quibuscumque statutis, constitutionibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus etiam apostolica auctoritate confirmatis« potius quam vim legis aut praesumpti privilegii obtinuerit uti abusum et corruptelam respici deceret ut censuit s. Congregatio in *Albanen. 4. Aprilis 1789.*

Si ex his consuetudinem ipsam reprobandam putaverint Emi Patres quaerendum erit, an sit deinceps permittenda ejus tolerantia quam capitulum urget et implorat ne ex novitate ipsa scandalis et perturbationibus detur locus neque praematuro judicio tot decessores Episcopi damnentur, qui eidem consuetudini acquieverunt. Hoc ipsum vehementer exoptat Episcopus motus praecipue pari consuetudine quae in aliis omnibus fere obtinet ecclesiis receptitiis suae dioecesis idque ad praeoccupandas querelas et perturbationes, quas excitare possent sacerdotes seniores qui cum onus illud tulerint aegre ferrent jumores sine eodem onere admitti. Capituli precibus tamen indulgendum proponit hac adjecta declaratione, ut fructus nempe primi anni ad heredes sacerdotis defuncti qui primo anno iisdem caruit pertinere statuatur. Hac inita reformationis via forte exularet avaritiae aut symoniacae labis suspicio, cum reservatum hoc lucrum heredum commodo nil accrescat senioribus participantibus nilque novissime receptis auferat omnibusque parem tribuat utilitatem. Qua in re maxime praestat redire ad Tridentini censuram, qua Episcopis facta potestas ut postquam de controversis constitutionibus aut consuetudinibus diligenter cognoverint illis tantum quas ut laudabiles probaverint exceptis reliquas pravas et scandalosas rejiciant et aboleant, citat. *sess. 24. cap. 14. de reformat.*

Quaeritur ergo:

An et quomodo sit probanda consuetudo vigens in cathedrali ecclesia Tricaricensi admittendi sacerdotes in numerum participantium sub lege praestandi primo anno gratuitum ecclesiae servitium et satisfaciendi missarum oneribus absque ullo stipendio in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 16. Maji et 12. Septbr. 1801.

Continuatio ejusd. causae.

*Votum Secretarii in causa Tricaricen. super consuetudine vigente in cathedrali ecclesia Tricaricensi, in qua adscribuntur sacerdotes in caetum participantium ea conditione ut primo anno gratis chorali servitio et ecclesiae intersint ac satisfaciant missarum oneribus absque stipendio quod cum reliquis distributionibus quotidianis quas primo anno**) *lucraturus esset novus adscriptus dividant inter se ceteri participantes.*

§. I.

Divino illo praecepto quo Christus Dominus Apostolos instituerat: *Gratis accepistis, gratis date* apud *Matth. X.* docta Mater ecclesia semper tradidit, nimis Deo esse injurium divina ministerii dona pecunia possideri, ut Apostolorum Princeps exprobravit simoniacorum Antesignano, *Act. Apostol. VIII.*, et ecclesiasticae disciplinae perniciosum, si opes viam sternerent indignis ad ordines, beneficia ecclesiasticasque dignitates consequendas.**) Quamobrem eo semper intendit nervos ecclesiae disciplinae ut pro temporum conditione hominumque ingeniis simoniacas fraudes ***) exploraret et reprimeret. Etenim priscis ecclesiae saeculis tum cum s. ordinis jus quaerebatur ad proventus ecclesiasticas severiores fuerunt ss. canones in eos, qui in suscipiendis ordinibus simonia notabantur, postquam vero sequiori aevo beneficiorum usuvenerunt tituli, praecipua fuit ss. Pontificum sollicitudo prorsus evellendi quamcumque venalitatis suspicionem ab iis, qui beneficia consequebantur, ut observat *Van. Espen. Jus eccles. tractat. de simonia part. I. cap. I.*

§. II.

Cujus quidem sollicitudinis illustria in corpore juris extant testimonia. Nam *Alexand. III. in canon. 7. Concilii Lateranensis III.*

*) Vd. *p. 174. n. I.*
**) Vd. *t. II. p. 497. III; p. 443: Germaniae.*
***) Vd. *t. II. p. 443.*

1179. celebrati tamquam nimis horribile increpat quod in quibusdam ecclesiis locum habeat venalitas »ita ut pro Episcopis vel pro abbatibus ponendis in Sedem et pro aliis quibuscumque personis ecclesiasticis seu presbyteris introducendis in ecclesiam aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes quod tanto graviora crimina sunt quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur de cetero vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem vel instituendis sacerdotibus aliquid exigatur districtius prohibemus.« Cujus canonis verba transcripta sunt in *cap.: Cum in ecclesia de simonia.* Hinc Innocentius III. expresse jussit Archiepiscopo Cantuariensi, ut penitus abrogaret pravam consuetudinem quae in illa dioecesi irrepserat »per quam pro ecclesiarum investitura Archidiaconi marcham unam argenti, minores vero Decani vaccham albam sibi dari postulant vel certam pecuniae quantitatem,« ut videre est in *cap.: In tantum de simonia. Tandem Gregorius IX.* in *cap.: Jacobus de simonia* asperius appellavit Canonicos Apruntinae dioecesis qui novis electis recusabant proventus praebendasque assignare »quamdam pretendentes consuetudinem quod prandium habere debeant a Canonico recepto de novo.«

§. III.

Sed cum semper ea fuit ut exclamat Concilium Mexicanum anno 1585 *l. 5. tit. 3. de simonia* hominum malitia, ut diversis fallaciis sua simoniaca pacta occultare et palliare procurent, factum est, ut hujusmodi fraudes toties exploratae et repressae per miras artes novos iterum et pariformes induerint aspectus et sub specie modo longaevae consuetudinis modo apostolici indulti vel statuti ecclesiastici semper appararent. Ne quid igitur detrimenti caperet ecclesiastica disciplina vigiles impenderunt curas Patres Concilii Trid. ut has consuetudines eradicarent. Perspectum est omnibus decretum in *cap. 14. sess. 24. de reformat.* in quo norma constituitur ad hujusmodi consuetudines explorandas atque abrogandas. »In pluribus ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis et parochialibus ex earum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligetur ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum aut praebendarum vel partem proventuum seu ad distributiones quoditianas certae conditiones seu deductiones ex fructibus solutiones, promissiones compensationesve illicitae aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra interponantur. Haec cum s. synodus detestetur mandat Episcopis, ut quaecumque hujusmodi in usus pios non convertantur et ingressus eos qui simoniacae labis et sordidae avaritiae suspicionem habent fieri non permittant ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscant et illis tantum quas ut laudabiles probaverint exceptis reliquas ut pravas et scandalosas rejiciant et aboleant.«

§. IV.

Nec satis haec fuere. Cum detorta interpretatione acciperentur ea, quae s. synodus ad pravas consuetudines extirpandas decrevit, nova edita constitutione 1570 quae incipit: *Durum nimis**) SS. Pontifex Pius V. iterum ad literam confirmavit ea, quae Tridentinum sancivit et praeterea revocavit »omnia et singula privilegia, consuetudines et statuta quarumcunque ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum ac majorum ecclesiarum necnon collegiatarum etiam juramento, confirmatione apostolica aut alio quovis praesidio munita ac etiam supra hominum memoriam et longissimo et quantocumque tempore observata sive pro solvendis ecclesiarum vel Praelatorum debitis sive pro supportandis eorum oneribus sive aliis etiam majoribus, maximis et urgentissimis causis concessa, approbata ac etiam multiplicibus vicibus innovata, extensa et moderata, quod vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis, officiis fructus ac etiam quotidianae distributiones ex iis primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri mense episcopali aut etiam capitulari aliove loco integrae vel partim remaneant seu applicentur aut in communes usus cedant seu inter alios Canonicos et personas ecclesiae seu capituli dividantur. Quam constitutionem iterum observari mandavit ss. Pontifex Innocentius XII. in sua Constit. vulgata 1695. quae incipit: *Ecclesiae.*

*) Vd. *t. II. p. 427.*

§. V.

Quae cum prae sua doctrina essent perspecta hodierno Episcopo Tricaricensi probe novit »ex Tridentini et posteriorum constitutionum decretis id enitescere: Episcoporum jam muneris esse adstricti incudi examen ut statuta capitulorum omnia consuetudinesque dioeceseos totius exstirpent funditus quae laudabiles dici non possunt, cum a privatis cupiditatibus non sint prorsus alienae,« ut observat *Tomassin. de vet. nov. eccles. disciplin. de benefic. part. 3. lib. I. cap. 61. num. 15.* Quare cum laudato Episcopo Tricaricensi nimis suspecta esset quaedam consuetudo in sua Cathedrali vigens muneris sui existimavit esse eam ad examen revocare, et prudentiae eam ipsam consuetudinem judicio s. Congregationis permittere, ut ea quatenus laudabilis sarta tecta servetur vel funditus exstirpetur, si prava et detestabilis dignoscatur. De qua interrogati EE. PP. cum inter se non convenissent censuerunt rem accuratiori examini reservare edito rescripto die 11. Julii 1801: »*Proponatur cum voto secretarii.*«

§. VI.

Ut igitur hoc votum meum proficiscatur unde haec omnis controversia, censeo ipsis Episcopi verbis uti ut quae sit consuetudo hujusmodi cognoscatur. »In ecclesia sic Episcopus exponit cathedrali hujus civitatis Tricarici praeter capitulum Canonicorum adest clerus compositus ex praefixo numero participantium. Jam vero in praedicta ecclesia adest consuetudo admittendi sacerdotes ad participationem fructuum ejusdem ecclesiae sub ea conditione, ut sacerdos priusquam participare incipiat per annum inserviat ipsimet eeclesiae gratis et onera missarum ecclesiae ferat ut ceteri participantes: stipendium vero non recipiat, quod sibi deberetur pro hujusmodi missarum celebratione ex eo quia ceteri sacerdotes participantes dividunt inter se proventus ecclesiae, nullam proventuum partem tribuendo in primo illo anno sacerdoti qui noviter fuit aggregatus in participantium numerum. Quod si reprobanda videatur haec consuetudo tum Episcopus exoptat »declarari num consuetudo inserviendi gratis ecclesiae cum onere missarum jam exposito antequam aliquis participare incipiat permitti posset, si fructus ejusdem primi anni ad heredes sacerdotis defuncti qui primo illo anno fructibus caruit pertinere statuatur.

§. VII.

Duplex hinc extollitur quaestionis caput, scilicet tum de indole hujus consuetudinis Tricaricensis de qua dubitatur num simoniae suspecta sit atque idcirco tamquam prava et detestabilis reprobanda videatur, tum de modo quo haec ipsa consuetudo moderari possit ea nimirum adjecta lege, ut id, quod novus adscriptus participans non percipit in primo illo anno, quo gratis ecclesiae inservit, non dividatur inter ceteros participantes sed post ejus obitum ab herede lucretur itaut hujus favore annus gratiae quem vocant possit obtinere.

§. VIII.

Ad primum quod attinet indoles hujus consuetudinis Tricaricensis satis explorata est ex informatione Episcopi. In hac enim tria in facto perpendenda sunt: I., quod in Cathedrali Tricaricensi praefinitus sit numerus sacerdotum participantium, qui statim ac participantes sunt jus sibi quaeruntur ad distributiones quotidianas ex massa quam in hanc causam in commune possident; II., quod novi inter participantes adscripti ideo nil percipiunt ex massa, quia ea conditio ex consuetudine in eorum admissione interponitur ut per annum gratis ecclesiae inserviant et praeterea onera missarum absque stipendio ferre teneantur; III., ut ceteri participantes eam sibi habeant et dividant portionem distributionum quam novus electus esset consequuturus. Quae sane omnia pravam reddunt suspectamque simoniae consuetudinem Tricaricensem sive *litera* consulatur sive *mens decreti conciliaris et constitutionis Pianae.*

§. IX.

Nam si participantes possident massam propriam quae in distributiones quotidianas erogatur jam nulla alia subest ratio cur novi participantes de massa nihil consequantur, nisi ex consuetudine in admissione ad possessionem novi participantis ea illicita interponitur conditio ne recenter electi quidquam per annum recipiant. Manifesta est igitur deductio distributionum quotidianarum quae fit in ingressu. Quare se ipsa prodit suspicio *simoniae et sordidae avaritiae* quae ex *litera* Tridentini inficit hujusmodi consuetudines *easque pravas et detestabiles* reddit.

At ex constitutione Piana apertius est. Nam si isti participantes qui certe sunt in officio ecclesiastico in communes usus et inter se ipsos dividunt distributiones quotidianas quae novo participanti in primo illo anno obvenirent jam hoc ipso consuetudo peccat in Pianam constitutionem, quae eas reprobat consuetudines »per quas vacantibus . . . . portionibus, beneficiis, officiis . . . . fructus ac etiam quotidianae distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno . . . . proventuri . . . . in communes usus cedant seu inter alios Canonicos et personas ecclesiasticas dividantur.«

§. X.

Mens autem *decreti conciliaris* ea fuit ne quidquam in ingressu solveretur ceteris de capitulo aut caeto ecclesiastico cum ex jure *Decretalium* nefas sit quidquam solvi aut percipi »pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem aut presbyteris in ecclesiam introducendis« ut ex *cap.: Cum in ecclesia, cap.: In tantum, cap.: Jacobus de symonia (transcriptis in superiori* §. 2.) Ne igitur sub specie consuetudinis haec fierent hanc normam statuit ut quodcumque solvitur nisi in usus pios convertatur sit semper simoniae et sordidae avaritiae suspectum. Ex mente igitur decreti conciliaris suspecta quoque est consuetudo Tricaricensis, unde distributiones quotidianae quae in primo anno novis electis auferuntur non cedunt in usus pios sed in reliquorum participantium utilitatem, ut apud omnes canonistas compertum est, et praecipue *Monet. de distribut. part. 2. quaest. 18. num. 54., Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 15. num. 23., Garcia de benef. part. 8. cap. 1. num. 83., Tondut. Quaest. et resolut. de re benefic. cap. 47. num. I., Pignatell. Consult. canonic. 158. t. I. et 30. t. 3. num. 1., Piton. discept. ecclesiastic. 57. num. 2., Schmalzgrueber Jus ecclesiastic. part. I. tit. 3. num. 186., Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 11. cap. 6. num. 8.*, ibi: »S. Concilium Trid. hanc curam Episcopis committit ut diligenter cognoscant de hujus generis consuetudinibus ne forte aliqua simoniae aut avaritiae labes in praescribendis exigendisque ejusmodi solutionibus se ingerat. Harum vero legum sanctiones tum locum habent cum hujusmodi solutiones non in ecclesiae utilitatem nec in aliud opus pium erogantur sed in Canonicos dividuntur«; et tenuit *Rota in Hindelsimen. Fructuum canonicalium 19. Januarii 1703.* §: *Verum, coram Kaunitz*, ibi: »Verum decretum Concilii et praedicta constitutio Piana emanavit ad impediendas illas praestationes, quae fieri solebant in admissione et retentione fructuum tendentium in particularem aliorum Canonicorum utilitatem, quae omnia etiam ex antiquiorum Canonicorum ordinatione tamquam redolentia labem simoniacam sunt vetita.«

§. XI.

Hanc porro sententiam sequuta quoque est s. Congregatio in *Segobien. 11. Julii 1590.* et in *Leodien. 11. Octobris 1592.* reprobavit abusum inter Canonicos s. Foliani introductum ex qua novi Canonici 153 florenos cogantur solvere neque fructus ullos ex suis canonicatibus per triennium percipiant, sed inter alios Canonicos dividantur, quod contra ipsius Concilii decreta inductum est et ideo neque praedicta summa florenorum neque fructus canonicatus ipsius oratoris exigi et dividi potuissent. Et in *Trojana 29. Novembris 1659* s. Congregatio censuit consuetudinem introductam vigore asserti privilegii Leonis X. in exclusionem Canonicorum noviter provisorum a perceptione fructuum portionum praebendalium esse illicitam et in casu exposito non esse observandam et in *Tudertina Mediae annatae die 30. Junii 1744.* proposito dubio:

An mediae annatae fructuum ut praetenditur exigi solita a capitulo a noviter provisis debeantur R. P. D. Marellio in casu?

die 8. sequentis Augusti respondit: Negative. Quamquam vero capitulum oneroso permutationis titulo a sacrario ecclesiae cui media annata applicabatur sibi quaesivisset jus exigendi hanc ipsam mediam annatam a novis provisis attamen s. Congregatio cum novisset hanc mediam annatam cedere in utilitatem Canonicorum et dispertire in distributiones quotidianas censuit esse abrogandam hanc consuetudinem. Contra vero eadem s. Congregatio probavit hanc consuetudinem in *Leodien. Fructuum canonicatus 9. Julii 1777* cum ageretur de fructibus deductis a novo proviso, qui tamen fabricae ecclesiae applicabantur.

§. XII.

Satis quidem multa hactenus deducta sunt quare haec consuetudo simoniacae labis

et sordidae avaritiae suspectae tamquam detestabilis abjicienda videatur. Restat nunc ea expendere quae contra deducuntur ut suadeatur Tricaricensis consuetudinis observantia. Haec hujusmodi sunt, quod scilicet nullo juris loco vetitum sit ut novis electis gratuitum imponatur servitium praecipue si ii qui hoc servitium praestant sponte illud suscipiant et inposterum compensationem referant, quod decretum Concilii et constitutio Piana attingat tantum eas consuetudines per quas novo proviso directe imponitur onus aliquid solvendi in admissione vel in ingressu, secus vero eas per quas injungitur electis servitium personale et distributiones jure accrescendi quaeruntur ceteris participantibus secundum opinionem *Pignatelli Consult. 30. num. 4.* Rursus quod ab eodem Concilio excipiuntur consuetudines, quae sunt *laudabiles*, laudabilisque renuncianda sit consuetudo ecclesiae Tricaricensis, quippe quae confert ad incrementum divini cultus, tandem quod ex immemorabili qua nititur consuetudo Tricaricensis abstergatur quaecumque labes quae eam inficere posset. Quae omnia non me deducunt a prolata sententia adversus consuetudinem Tricaricensem cum ea quidem omnia partim a quaestione nostra partim a veritate remota detegantur.

§. XIII.

Non enim in controversia nostra quaerendum est num licet *ex jure* illa consuetudo quae novos electos cogit gratis ecclesiae inservire, sed illud potius statuendum num *ex jure* sit, ut quidquid perciperent illi qui gratis servire tenentur in utilitatem ceterorum possit converti. Id quod cum detestetur a synodo Trid. ut superius probatum est, jam sequitur ut a quaestione nostra remotum sit quod de jure non prohibeatur gratuitum servitium. Non enim consuetudo Tricaricensis inficitur ex quo novi participantes gratis inserviant, sed ex divisione quam inter se ceteri participantes faciunt de distributionibus quae primo illo anno novi participantes non percipiunt. Quod igitur prava non sit aut detestabilis consuetudo ex qua novi electi gratis servire cogantur, ita accipiendum est, ut tum demum consuetudo hujusmodi observetur cum fructus vel distributiones quas novi electi consequerentur in usus pios non in ceterorum utilitatem applicentur. Aliter enim implicaret in terminis ut Concilium et constitutio, quae tam acriter prohibet, quominus in privatam ceterorum utilitatem redundaret id quod non percipit novus electus, e contrario sineret ut si novus electus gratis servire cogatur reliqui possent inter se dividere quidquid novus adscriptus esset consequuturus.

§. XIV.

Quo loci cum plurimae allegari possint s. Congregationis resolutiones opere pretium erit parumper a proposito divertere et eas declarationes ad diversos revocare casus in quibus prodierunt ut omni sublato aequivoco appareat nunquam hunc tantum Ordinem recessisse ab iis quae de jure constituta sunt ad has conditiones improbandas.

Primus casus est quando consuetudo expresse tribuit vel in usus pios vel in utilitatem reliquorum quidquid detrahitur a novo electo. Quam sane consuetudinem probavit s. Congregatio prout novit eam fuisse directam in usus pios secus vero quando in utilitatem Capitularium. In quibus terminis prodierunt resolutiones *Segobien., Leodien., Trojana, Tudertina* allegatae superius in §. 11. et aliae quae allegari possunt in *Poliganen. 1584.*, in *Avenionen. 1586.*, in *Tudertina 19. Febr. 1633.*, in *Burgen. 15. Augusti 1729.*, in *Leodien. Capitulationum 30. Septb. 1730.*

§. XV.

Alter succedit casus, ubi consuetudo cogit novos electos, ut per aliquod tempus gratis inserviant ecclesiae et nihil interim percipiant. De qua consuetudine interrogata s. Congreg. respondit in *Meliten. mensis Martii 1587:* S. Congregatio censuit decretum *sess. 24. cap. 14. de reformat.* et bullam s. Pii V. super eadem re editam non comprehendere consuetudinem ecclesiarum deserviendi per annum vel aliquod tempus et nihil percipiendi interim de massa grossa nisi peracto integro servitio. In qua tamen resolutione nunquam statuitur ut dum novi electi gratis servitium ecclesiae obeunt ceteri de capitulo percipiant de massa grossa id quod novis adscriptis obveniret.

§. XVI.

Tertius sequitur casus vel quando consuetudo dat fructus capitulo donec novus beneficiatus fiat presbyter, quam consuetudinem s. Congregatio in *Asten 6. Maji 1617* decidit: »Valere quia intentio Concilii dicti

cap. 14. fuit ne ratione collationis aliquod perciperetur,« vel quando non admittuntur ad participationem massae nisi prius ecclesiae inservierint et in minoribus et ss. ordinibus ut *Garc. de benef. part. 2. cap. 8. num. 168.* refert hanc consuetudinem probatam fuisse a s. Congregatione in *Amalphitana*. In hisce namque terminis nihil detrahitur novis electis qui nisi sacerdotio initientur aut ecclesiae inserviant in inferioribus ordinibus numquam jus consequuntur ad participationem massae nec titulum aquirunt officii vel beneficii ecclesiastici. Quare hoc cessante titulo in novis adscriptis ceteri jure percipiunt tamquam suas distributiones ex massa nec consuetudo hujusmodi suspecta videri potest cum nihil ratione ingressus aut admissionis ad possessionem novis electis subtrahatur.

§. XVII.

Quartus tandem proponitur casus in *Marsicana mensis Aprilis 1591.* in qua s. Congregatio censuit »consuetudinem Cathedralis secundum quam Canonici in ordine subdiaconatus tertiam, constituti in ordine diaconatus dimidiam et presbyteri integram portionem percipiant validam esse nec sublatam decreto Concilii *cap. 14. sess. 24.* proindeque Episcopus eam si in ecclesia legitime hactenus observata sit etiam inposterum observari curet.« Huic consuetudini affinis est altera vigens in collegiata ecclesia s. Pauli Leodii in cujus capitulo ultra praebendas et massam distributionum quas possidebant vel ex qua participant omnes Canonici constituta praeterea erat quaedam separata et peculiaris massa ex qua participant tantum Canonici *secundae residentiae**) scilicet ii qui a biennio ecclesiae inserviebant penitus exclusis Canonicis *novae residentiae* nimirum qui novi electi per biennium de hac peculiari massae nihil percipiunt. Quam quidem consuetudinem ad examen revocavit s. Congregatio et semel et bis censuit esse improbandam ut videre est ex folio *Leodien. 10. Maji 1777. et 14. Febr. 1718.* Sed maturiori examini subjecta quaestio die 6. Maji 1779. s. Congregatio a priori sententia discessit. Nam cum Canonicis primae residentiae nihil de proprio subtraheretur, Canonici secundae residentiae perciperent ex massa quae praecipua ipsis erat constituta, profecto haec consuetudo sub censura decreti conciliaris et Pianae cadere non poterat.

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

§. XVIII.

Ut igitur eo revertar unde discessi ex iis quae late exposui patet semper a s. Congregatione reprobatas fuisse eas consuetudines per quas aliquid novis electis corraditur, ut non in usus pios, sed in aliorum cedat utilitatem. Quare ex hoc ipso inficiatur oportet consuetudo ecclesiae Tricaricensis quae certe convalescere non potest ex eo quod participantes sponte eam sequantur, cum compensationem consequantur de eo quod primo illo anno cedere cogantur in ceterorum utilitatem. Idcirco enim novi participantes sponte se subjiciunt huic consuetudini ut cessent in primo anno a percipiendis distributionibus quia nisi id faciunt in participantium numerum non adscribuntur. Hinc Episcopus affirmat iniquo animo hanc fere consuetudinem novos participantes. Quid vero in compensationem recipiant profecto non video. Nam distributiones quae percipiunt in primo illo anno non veniunt ex massa participantium neque ex eo quod participantes facti sunt, sed procedunt ex legato clar. mem. Cardinalis Caraffa, qui clericis in Sacris promotis et choro interessentibus hoc lucrum addixit. Si vero quis ex novis participantibus exacto primo anno et praestito servitio gratuito decedat certe compensationem nullam recipit ex portionibus eorum qui sequentibus annis ad participationem admittuntur.

§. XIX.

Prorsus vero *a facto et a jure* abhorret id quod II. loco opponitur scilicet Concilium et Pianam reprobare tantum eas consuetudines, unde onus reale et directum imponatur novis electis aliquid solvendi pro collatione et admissione ad possessionem. Per consuetudinem autem Tricaricensem tantummodo adigi novos participantes ad gratuitum *personale* servitium ita ut ceteri participantes jure antiquioris servitii proprias sibi vindicent eas distributiones quae novis adscriptis potius non dantur quam auferantur. Nam ex facto compertum est coetum participantium in commune cum capitulo possidere massam distributionum. Semel ac igitur quis in hunc coetum cooptatus est jus sibi quaeret ad distributiones ex massa et revera distributiones a die admissionis consequeretur, nisi contraria consuetudo intercederet per quam novi participantes distributionibus privantur. Sequitur jam ergo ut per hanc

consuetudinem saltem indirecte imponatur onus novis electis sive conditio sine qua non possunt obtinere admissionem ad numerum participantium. Falsum itaque in facto est quod tantum ad *personale* servitium adigantur novi participantes. Nam eis onus prorsus *reale* imponitur, tum quia eis auferuntur distributiones quotidianae tum quia coguntur ac ceteri participantes ad celebrationem missarum nullo exacto stipendio quod cum reliquis distributionibus inter se partiuntur caeteri participantes. Nam idem prorsus est retinere quantitatem alteri debitam vel eam ipsam quantitatem ab eodem accipere ex regula tradita ab *Alpiano in leg. 47. ff. de R. J.*

§. XX.

Esto tamen id quod a re ipsa plurimum abest per consuetudinem Tricaricensem novis participantibus onus *personale* non autem *reale* imponi. Attamen nullo juris loco cautum invenio ex hoc observandam esse consuetudinem quae ceteroquin in suspicionem simoniae incidit. Nam Tridentinum et Piana improbant expresse illas consuetudines per quas novis electis auferuntur distributiones quotidianae quae inter reliquos dispertiuntur. Nullum vero discrimen faciunt inter onus *personale et reale.* Nam sive reale sit sive personale sive directum sive indirectum perinde res est ut per consuetudinem novi participantes privantur distributionibus quae non in usus pios cedunt sed in reliquorum participantium utilitatem. Eadem igitur semper suspicio subest *simoniae et sordidae avaritiae* unde consuetudines hujusmodi inficiuntur.

§. XXI.

Nec confert ad propositum opinio Pignatelli quae deducitur contra ea quae hactenus firmata sunt. Nam laudatus doctor *Consult. 30. num. 7.* loquitur: »in casu Canonici superstites sibi appropriant quamdam partem fructuum quam Canonicus defunctus obtinebat simpliciter ex jure accrescendi ratione antianitatis et sic in praemium personalis et longioris servitii praestiti suae ecclesiae. Quae ratio cum non militet in Canonico successore utique ipse praetendere non poterit nisi id quod ejus praedecessor obtinebat ratione canonicatus non autem illud augumentum quod in casu vacationis abdicatur a canonicatu et evanescit ob defectum accidentalis qualitatis et evadit proprium aliorum Canonicorum superexistentium ob acquisitionem illius qualitatis. Et propterea dici non potest quod novi provisi dicantur pati diminutionem fructuum canonicatus sed potius quod illos non acquirant ob dictum defectum causae longioris servitii quae in antecessoribus concurrebat.«

Praeterea num opinio haec sit juri consona. Hoc animadvertere sat erit quod in casu proposito agitur de subtrahendis distributionibus novis participantibus a quibus percipi deberent ratione officii sive beneficii ecclesiastici, cui perpetuo sunt adscriptae Nil porro interest, si hoc fiat vel per jus accrescendi vel per non acquisitionem, cum semper eveniat illa deductio distributionum unde ss. canones derivant suspicionem simoniae et avaritiae, ex qua consuetudines hujusmodi reprobantur ut ipse Pignatellus fateri cogitur *loc. citat.*, ibi: »Unde liquet nos versari extra casum utriusque constitutionis. Nam Canonici antiquiores sibi non appropriant fructus ad canonicatum vel beneficium spectantes et substantialiter et perpetuo adnexae ratione praebendae, id est distributionum quotidianarum, quo casu intrat ratio labis simoniacae considerata per Concilium et Pianam quia talis appropriatio videtur certo modo praemium ob receptionem Canonici dum ab eo aufertur quod proprium est, et sic vere utraque dispositio procedit in illis fructibus canonicatui vel beneficio perpetuo adnexis atque ab eis separatis qui tamen aliquo tempore per alium quam per provisum percipiuntur.«

§. XXII.

Laudabilem tertio loco dicunt hanc consuetudinem Tricaricensem utpote in augumentum divini cultus directam proptereaque immunem a censura Tridentini et Pianae. Utraque enim constitutione expresse a reprobatione excipiuntur illae consuetudines quae laudabiles dignoscuntur. Frequentior autem DD. opinio est ut illae consuetudines tamquam laudabiles sint habendae, ex quibus id quod novus electus non percipit convertatur vel in pauperes sustendandos vel in fabricam ecclesiae et seminarii vel in s. Utensilia ut observat *Octav. Francipan. in director. eccles. disciplin. tit. de benefic. num. 25., Garcia de benefic. part. 8. cap. 5. num. 91., Pax Jordan. t. 2. lib. 10. tit. 11. num. 83., Piton. discept. ecclesiastic. 57. num. 33.* Et

quamquam *Fagnanus in cap. Dilectus I. num. 9. de praebendis* laudabiles esse affirmet illas consuetudines ex quibus sacerdotes accrescunt chorali servitio et a quibus divinus cultus augetur, attamen haec profert in quaestione a nostra prorsus diversa, num scilicet nulla praebenda vacante admitti possit novus Canonicus. In qua quidem quaestione laudatus doctor stat pro affirmativa cum de substantia canonicatus non sit praebenda, cap.: *Cum M. Ferrariensis de constit.* et satis sit spes et exspectatio vacaturae praebendae, cap.: *Dilectus de praebend.* Quare cum haec exspectatio alliciat sacerdotes ad servitium ecclesiae laudabiles sunt consuetudines per quas admittuntur Canonici nulla vacante praebenda nisi tamen ut idem Fagnan. *loc. citat. num. 10.* concludit »receptio in Canonicum fieret ut receptus nec de canonicatu nec de praebendis nec de communibus proventibus quidquam perciperet.«

§. XXIII.

Quae sane non conveniunt consuetudini Tricaricensi. Nam distributiones novi participantis non tribuuntur vel in pauperes vel in fabricam ecclesiae vel in expensas sacrarii sed dividuntur inter ceteros participantes. Subverendum est autem ne ex hac consuetudine cultus divinus et ecclesiae servitium negligatur. Nam novi participantes nulla spe lucri illecti cessant intervenire missis votivis, processionibus, anniversariis. Deterius vero dubitandum est, quin missas revera applicent cum nullum consequantur stipendium et corde concipiant votum captandae mortis ceterorum participantium, ut ipsi possint distributiones consequi quod acriter reprehendunt ss. canones in *cap.: Detestanda de praebend. in 6.* Laudabilis proinde dici non potest consuetudo Tricaricensis ex qua potius negligitur quam augetur divinus cultus qui certe promoveri non debet iis modis per quos vel simoniaca labes vel saltem votum captandae mortis inducitur ut tradunt *Garcia de benefic. part. 20. cap. 1., Gratian. Discept. 692. num. 4., Reginald. in praxi lib. 30. tractat. 3. num. 234., Barbos. de Canon. et Dignitat. cap. 15. num. 28., Pignatell. Consult. 30. num. 1.*, ibi: »Ex hisce consuetudinibus cultus ecclesiae negligitur dum Canonici nulla utilitatis et fructuum spe allecti omittent illius servitium. Immo datur votum captandae mortis in Canonicis recenter provisis qui servientes altari et de illo non viventes seniorum Canonicorum mortem desiderabunt, ut sibi emolumenta necessaria aquirant. Quod jus canonicum detestatur.«

§. XXIV.

Tandem infirmissimum est praesidium longaevae observantiae, qua postremo loco confidit consuetudo ecclesiae Tricaricensis. Quamquam enim longaeva consuetudo non sit vilis auctoritas non tamen est usque eo valitura, ut juri positivo debent praejudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime praescripta, ut declarat ss. Pontifex Greg. IX. in *cap. In tantum II. de symon.*, ecclesiae vero Tricaricensis consuetudo praejudicium generaret juri positivo, s. Concilio Trid. et constitutioni Pianae et Innocentianae, ex quibus consuetudines hujusmodi tamquam detestabiles rejiciuntur. *Rationabilis* vero dici non potest semel ac fovet simoniacas fraudes quae in rebus sacris tamquam adversantes divino praecepto sunt, propterea de jure divino prohibitae ut definitum fuit in *synod. Constantinopolit.* et tradunt *Urbanus II. in can.: Salvator, Alexander II. in can.: Ex multis quaest. 3., Leo IV. in can.: Requisitis quaest. 4., Gregorius Nazianz. seu Tarasiris in cap.: Qui studet. I. quaest. 1.*, quos textus explicat *Sotus* lib. 9. quaest. 4. cap. 2. Tandem legitime non potuit praescribi ea consuetudo, quae potius corruptela dicenda est per quam legem mortis invaluit et tanto graviora producit crimina quanto diutius infelicem animam tenuit oppressam, cap.: *Cum in ecclesia de simon., cap. Cum tanto 11. de consuetudin.*

§. XXV.

Quamquam vero tantum sibi vindicet immemorabilis praecipue si ejus initium inter antiquitatis tenebras delitescit ut juri scripto etiam derogari potis sit, cap.: *Cum venisset de eo qui mittit in possess., cap.: Super eo de cognat. spirit., cap.: Sed haec de testib.*, attamen nil prodest in casu proposito cum neque praescriptionis neque praesumptionis speciem inducere valeat. Non is sum, qui contendere velim consuetudinem Tricaricensem ut et ceteras hujusmodi reprobatam esse de *jure divino*, licet a *jure ecclesiastico* expresse damnetur simoniae vitium in quod incidit Tricaricensis consuetudo. Sit per me licet reprobata tantum de jure ecclesiastico

at non omnia quae juris tantum ecclesiastici sunt praescribi possunt. Si etenim juxta leges civiles sanctae res praescribi non possunt absonum undique est asserere fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus ecclesiae ut optime arguit *Benedict. XIV. in sua ad Episc. Oscensem. Epist. 1746.* Quare dum consuetudines hujusmodi tamquam irrationabiles declarantur a Concilio et praecipue Piana, quae expresse revocat consuetudines supra hominum memoriam et longissimo et quantocumque tempore observatas, jam sequitur ut inanes prorsus sint ad inducendam praescriptionem contra leges ecclesiasticas et ss. canones ut deducitur ex *cap.*: *Cum Venerabiles* et *cap.*: *Cum in tanto de consuetud.* Id quod obtinet non solum quoad immemorabilem ante latam legem introductam sed etiam quoad eam, quae inposterum oriri potest, cap.: *Ad Audientiam 5.*, cap.: *Cum inter* §: *De consuetudin.*

§. XXVI.

Neque ex hac immemorabili saltem deduci potest *praesumptio* cujuscumque tituli et etiam *indulti apostolici*, quae consuetudinem probet et juris dispositionem in particulari casu abroget. Nam ut prosequitur *Benedict. XIV. in citat. epist. ad Episc. Oscensem* §: *Praescriptionis*, ibi: »Haec intelligi possunt de illis privilegiis quae impetrari potuissent a Sede apostolica si quis ea postullasset non vero de illis quae cum postulasset negari consueverunt ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas.« Reque vera si ex Piana ita reprobantur consuetudines omnes hujusmodi, ut nihil prosint licet confirmatione apostolica aut alia quovis praesidio munita, sequitur ut nulla praesumptio indulti apostolici erui possit ab ea consuetudine, quae licet apostolica confirmatione munita nullam vim obtineret prout s. Congregatio in *Trojana 19. Novemb. 1659* quae allegata est in superiori §. 11. illicitam declaravit consuetudinem licet introductam vigore privilegii Leonis X. Eoque magis cessat praesumptio privilegii apostolici, cum ex facto constet quod olim Episcopi Tricaricenses clar. mem. Card. Caraffa et Praesul Antonius Zavarroni datis in s. visitatione decretis hanc consuetudinem prae munere sibi a Tridentino imposito expresse reprobarunt.

§. XXVII.

Quae cum ita sint nil reliquum esse videtur quin consuetudo Tricaricensis tamquam detestabilis sit omnino abjicienda. Superest nunc inquirendum, num saltem ita moderari possit haec consuetudo ut quae distributiones primo anno novis participantibus auferuntur post eorum obitum dentur illorum heredibus. Maxima haec controversia est inter canonistas dum alii negent alii affirment posse id fieri salva dispositione Concilii Trid. sed affirmativa sententia tamquam probatior invaluit teste *Benedict. XIV. de synodo dioeces. lib. 12. c. 7. num. 3.*, ibi: »Haud levis pariter fuit disputatio olim agitata in pluribus tribunalibus an sustinerentur consuetudines quibus cavetur ut fructus primi anni cujuslibet beneficii non illi qui beneficium obtinuit, sed defuncti antecessoris heredibus obveniant. Rotae Auditorium ejusmodi consuetudines primum improbavit sed deinde mutata sententia easdem validas pronunciavit. Haec posterior opinio praevaluit atque ab omnibus fere authoribus recepta et propugnata est. Siquidem praefatae consuetudines non auferunt beneficiario annales sui beneficii redditus, sed hosce eidem reservant post obitum pensitandos, idem quippe beneficium transibit in successorem cum onere tradendi heredibus decessoris redditus primi anni et sic deinceps. Quodcirca nihil in illis est quod simoniam sapiat aut quod adversetur vel decreto Concilii Trid. vel constitutioni Pianae et Innocentianae. In his enim solum damnantur pecuniae errogationes in aliorum Canonicorum commodum, non vero prohibetur dilatio solutionis reddituum primi anni ad tempus mortis beneficiarii.« Hanc quoque sententiam tenuit s. Rota *in dec. 1053. per tot. cor. Seraphin.*, ibi: »Domini censuerunt quantum ad fructus primi anni post obitum beneficiati eos deberi ejusdem heredibus, praesupposita consuetudine, quod beneficiati primo anno non percipiant fructus beneficiorum, sed eorum solutio differatur post eorum obitum. Neque obstat constitutio Pii V. vel Concil. Trid. quia loquuntur de ea consuetudine in qua fructus applicantur mensae capitulari vel episcopali ut in communes usus cedant seu inter Canonicos dividantur, quibus casibus adest praesumptio simoniae, secus vero ubi fructus reservantur heredibus ex causa non solutionis fructuum primi anni quae consuetudo non habet juris resistentiam

sed potius assistentiam cum sit potius dilatio solutionis quam dispositio fructuum ad alium spectantium.« Et s. Congregatio nihil reprehendendum invenit in illa consuetudine per quam heredibus conceduntur fructus primi anni quos beneficiatus consequuturus erat.

§. XXVIII.

Haec tamen ita accipienda sunt ut si inveteraverit consuetudo per quam favore haeredum decessoris beneficiati obtineat *annus gratiae* tum certe haec consuetudo probanda sit. Verum id in re nostra quaeritur, num haec consuetudo denuo introduci valeat. Nam in ecclesia Tricaricensi hactenus non usuvenit hic *annus gratiae*, per quem fructus qui primo anno successori beneficiato obvenirent applicentur heredibus decessoris. Quam quidem quaestionem tacite praetereunt DD. qui has controversias attingunt nec casum in terminis reperire potui a Tribunalibus decisum. Exponam igitur quae mea sententia sit ex iis quae res ipsa suppeditat.

§. XXIX.

Si enim investigare libet originem harum consuetudinum certe non alia esse videtur nisi quod casu aliquo interceptis vel imminutis fructibus mensae capitularis facta est intermissio solutionis fructuum beneficii vel distributionum. Ne igitur beneficiati interea defuncti amitterent id quod eis viventibus obveniebat, introducendus est *annus gratiae* favore haeredum, ut si minus in vita beneficiati fructus lucrare potuerint saltem post illorum obitum haberent heredes unde illorum funus curarent, aes alienum dimitterent. Id quod moribus introductum est postea longa consuetudine confirmatum invaluit. Factum hinc est ut ad trutinam revocatae consuetudines hujusmodi nihil in illis inventum sit, quod simoniam redoleret, avaritiam saperet, venalitatis suspicionem praeseferet. Non enim auferuntur fructus nec ulla deductio fit distributionum quotidianarum in utilitatem ceterorum de capitulo sed earum solutio deficientibus massae proventibus differtur et decessoris heredibus adscribitur et sic deinceps. Quare nec Tridentini nec Pianae censura locum sibi vindicat, cum nihil ratione *ingressus* solvatur ceteris participantibus; id quod vetus et nova ecclesiae disciplina abhorret.

§. XXX.

At de consuetudine introducenda certe quidem aliqua subesse debet causa quamobrem introducatur. Quamquam enim non auferatur sed tantum differatur solutio fructuum attamen, cum de jure sit ut quisquis beneficiatus statim ac beneficiatus factus est titulum sibi aquirat ad fructus consequendos, *cap. 2.: de praeben.*, certe quidem videtur non posse hanc fructuum consequutionem nec etiam differri, nisi idonea causa hanc ipsam dilationem suadeat. In ecclesia autem Tricaricensi nulla invenitur causa cur distributiones post mortem participantis differantur. Nullam enim probatur intervenisse solutionum et fructuum interceptionem aut distributionum intermissionem ut defuncti participantis haeredibus annus gratiae indulgeatur. Immo vero si haec consuetudo usuveniret illud absurdi consequeretur ut seniores participantes, qui jam *de carentia* primi anni compensationem ex posteriorum participantium *carentiis* habuerunt, hoc amplius obtinerent, ut heredibus *annus gratiae* daretur, vel si inposterum tantum concederetur heredibus eligendorum participantium, necesse esset deponere distributiones quotidianas, quae primo anno novo participanti obvenirent, ut eo defuncto consignarentur heredibus. Quod certe nimis absonum esset ut vivens participans distributionibus nulla subeunte causa privaretur ad hoc, ut post ejus obitum heredes illas consequerentur.

§. XXXI.

Ex quibus omnibus concludendum censeo, quod consuetudo Tricaricensis per quam novi participantes nihil ex massa distributionum percipiant in primo anno et praeterea ferre teneantur onera missarum nullo exacto stipendio, quod cum distributionibus inter se dividunt reliqui participantes, haec inquam consuetudo simoniacae labis et sordidae avaritiae suspecta tamquam detestabilis rejicienda sit nec ita moderari possit ut heredibus applicetur quidquid defunctus participans primo anno consequi debebat, cum (quidquid sit de consuetudine jam introducta) nulla certe in casu subsit causa, cur favore haeredum *annus gratiae* denuo introducatur. Atque ita in sensu veritatis sum in voto salvo semper etc.

E. de Gregorio Derreto Secret. s. Congr. Concilii.

Die 12. Septbr. 1801.

Vicentina.

Inter alia quae statutis capituli Vicentinae Cathedralis a SS. Pontifice Paulo III. ex certa scientia die 5. Decemb. 1544. confirmatis praescribuntur haec duo sunt:

I. *Quilibet aggregandus et suscipiendus in numero Canonicorum et Praelatorum ipsius ecclesiae antequam aggregetur aut recipiatur . . . . assignet fructus integros praebendae sibi ex optione aliorum antiquiorum Canonicorum restantis primi anni, quorum una ad ornamentum sacristiae vel altaris ad libitum ipsorum capituli cedat, alia vero medietas Canonicis in ecclesia residentibus unacum ceteris distributionibus quotidianis erogetur, alias talis receptio sit nulla et super his aliqua gratia seu remissio fieri non possit . . . .*

II. *Et quod sic aggregatus et receptus Canonicus deserviat per sex menses sive continuatis sive interpolatis diebus gratis nec possit occasione servitii sex mensium hujusmodi aliquid de distributione (anniversariis vel funeralibus dumtaxat exceptis) petere.*

Ab eo tempore consuetudo hujusmodi in ecclesia Vicentina perpetuo servata est post decretum etiam Concilii Trid. *sess. XXIV. cap. XIV. de reform.* necnon declarationes SS. Pontificum, s. Pii V. incipien. *Durum nimis**) et Innocentii XII. in const. *Ecclesiae catholicae 1795.*, exceptis dumtaxat distributionibus quas privilegiatas nuncupant, quae ex communi desumuntur distributionum massa quaeque novo Canonico pro primo quoque sex mensium servitio tribuuntur.

Huic profecto consuetudini retinendae ipsa diuturnitas temporis favere videtur Capitularibus; neque enim suadere sibi possunt consuetudinem hanc tam diuturno tempore a Canonicis decessoribus observatam, tot sapientum piorumque Episcoporum oculis subjectam rationabili causa caruisse qua tuta conscientia in ejus observantia perduraverint. Quae forsitan causa illa esse potuit quam responsio alia de re habita a s. Congregatione *die 7. Febr. 1643.* significasse videtur; siquidem cum capitulum Vicentinum huic s. Congregationi exposuisset in statutis hujus cathedralis ecclesiae concessum Canonicis ac retentum ab immemorabili fuisse, ut illi qui choro interfuissent 9 menses dumtaxat distributiones totius anni percipere possent, ita tamen ut qui uno etiam die tres menses praetergressus fuisset totius trimestris distributiones amitteret, cumque ea de re efflagitasset utrum a *Trid. synodo cap XII. sess. XXIV. de reformat.* consuetudo hujusmodi sublata et derogatum statutis fuisset a Sede apostolica ex certa scientia confirmatis, s. Congregatio respondit: Statuta per Sedem apostolicam ex certa scientia confirmata revocata non fuisse per decretum *cap. XII. sess. XXIV. Conc. Trid.*, Capitulum conjicere potuit statutum quoad gratuitum etiam sex mensium servitium ex certa scientia confirmatum *cap. XIV.* ejusdem sess. revocatum non fuisse.

Pauco tamen abhinc tempore, cum nonnulli Canonici animadvertissent in bulla s. Pii V. prohiberi Canonicis jam residentibus petere vel exigere in propriam utilitatem aliquid ex proventu sive praebendae sive distributionum, etsi consuetudo haec confirmata fuisset pontificia bulla etiam ex certa scientia itemque comperissent in synodalibus Matthei Priuli 1583. comprobari statuta capitularia confirmata a Paulo III. in praedicto brevi iis exceptis quibus a Trid. synodo et pontificiis constitutionibus derogatum fuisset (quibus verbis visus est Episcopus dubitare aliquam in illis statutis consuetudinem existere a Concilio Trid. vel pontificia aliqua constitutione reprobatam), dubitari coeptum est utrum in praedicta consuetudine tuta conscientia capitulum perseverare possit. Quapropter ut cujusque conscientiae ac reverentiae Concilii Trid. et SS. Pontificum constitutionibus debitae consulatur habito capitulari conventu Canonici s. Ordinem obsequenter adire constituerunt.

Episcopus Vicentius Capituli instantiam sua epistola commendans addit potuisse forsitan tenuitatem praebendarum in causis etiam esse cur capitulum veterem a s. Sede probatum usum retinuit, quo Canonici residentes accidentale augmentum in quotidianis distributionibus acciperent.

His ab Episcopo et capitulo Vicentino relatis nonnulla pro munere addenda existimo ac quatuor potissimum recolenda:

*) Vd. *t. II. p. 427.*

I., quid in jure constitutum sit quoad praestationes quas Canonici solvunt cum primum ad suorum canonicatuum possessionem admittuntur, quidque fuerit in praxi ab H. S. C. sancitum?

II., quaenam in genere sit vis apostolicae confirmationis *ex certa scientia?*

III., estne agendum de efficacia confirmationis apostolicae et consuetudinis in casu?

IV., demum inquirendum an petita condonatio sit tribuenda quo casu consuetudo illa reprobetur.

Ad I. quod attinet Gregorius IX. in *cap. Jacobus de simonia* consuetudinem reprobat in ecclesia Aprutinensi inductam aliquod exiguum licet temporale exigendi, cum quis in Canonicum reciperetur.

Idipsum s. Trid. synodus in *cap. XIV. sess. XXIV. de reform.* constituit, quo jubet ne quis admittatur ad possessionem beneficii aut distributionum cum fructuum erogatione in usus non pios convertenda, poenas innovat ss. canonibus et variis SS. Pontificum constitutionibus contra simoniacos editas, *non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus etiam auctoritate apostolica confirmatis, de quarum subreptione vel obreptione et intentionis defectu Episcopus tamquam apostolicae Sedis Delegatus cognoscere possit.* Quam Tridentini prohibitionem ad consuetudines quoque et statuta apostolica confirmatione et quovis alio praesidio munitas producit s. Pius V. in constit. *Durum nimis* subjicitque interdicto capitula et universitates contrafacientes, idque solum permittit ut fructuum dumtaxat dimidia pars sacristiae vel fabricae tribuatur, aliam vero beneficiati integre percipiant. Innocentius vero XII. in const. *Ecclesiae catholicae* Praedecessorum suorum constitutiones ex certa scientia confirmans poenis ipso facto a transgressoribus incurrendis privationem canonicatuum adjungit. Hisce juribus inhaerens s. Congregatio pluries statuta et consuetudines improbavit etiam immemorabiles juxta quas aliquid persolvitur occasione electionis, collationis vel possessionis canonicatuum et praebendarum quoties cedat in commodum privatorum, secus si erogetur in usus pios, dummodo in hoc casu non excedat fructus ultra semestre, ut videre est in *Pelignanen. 1584.*, *Avenion. 1586.*, *Segobien 11. Julii 1590.*, *Leodien 8. Octobr. 1592.*, *Aquilana 17. April. 1630.*, *Caesaraugustana 19. Novembris 1653.*

Harum resolutionum s. Congregationis meminit *Benedictus XIV. lib. 1. de synodo dioecesan. c. 6. num. 8.*, qui relata prohibitione observat tantummodo tolerari posse ex s. Congregationis sententia consuetudinem, qua novus Canonicus in sui canonicatus ingressu ceteros Canonicos convivio excipiat, dummodo id sponte ab eo fiat et moderatae frugalitatis leges ab eo serventur.

Quod vero ad vim spectat apostolicae confirmationis *ex certa scientia* de quo secundo loco inquirendum, *Bened. XIV. de synod. dioec. l. XIII. c. 5. n. 9. et seqq.* probat Fagnani sententiam qui in lib. II. Decretalium de confirmat. utili vel inutili *cap. Si quis* docet illud statutum confirmatum dici *ex certa scientia* seu in forma specifica ac motu proprio, cui causae cognitio ac diligens examen praemittitur ac deinde nulla adjecta conditione auctoritate apostolica confirmatur. *In forma autem communi* illud cui nullum examen, nullum apostolicae auctoritatis robur absolute adjicitur, sed solum conditionale, videlicet si juste, canonice aut provide facta sint et dummodo ss. canonibus, Trid. Concilii decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur. Quam distinctionem idem Fagnanus observat esse legalem et realem, utpote variis in jure locis expositam ac varios producentem effectus. Et confirmationis quidem ex certa scientia hunc inter alios effectum enumerat glossa in *cap.: Cum accessissent, de constit.* verbo: *confirmatum*, quod videlicet infirma confirmet seu quae jure communi infirma et vetita sunt confirmata ex certa scientia firma et valida fiant. Cujus rei rationem reddit *Suarez in lib. VIII. de legibus 1. 18.* ubi docet privilegium revocatum a jure communi, confirmatum tamen a Principe ex certa scientia, denuo concessum et restitutum censeri, quia praesumitur Princeps non ignorare jus commune. Praeterea Bened. *XIV. loc. cit.* docet statutum confirmatum a Pontifice *ex certa scientia* nulli inferiorum fas esse abrogare, cum naturam induerit legis pontificiae, secus ad statutum confirmatum in forma communi. At potest certe a Concilio oecumenico et a Pontifice Successore derogari. Est enim principium quod conditor legis illam abrogare potest, quod de successore etiam

intelligitur, c.: *Innotuit de electione* et sumitur ex *cap. d. de const. in 6.*

Quae cum ita sint ad praesentem quod attinet casum adnotandum occurrit quod licet statutum ecclesiae Vicentinae qua parte complectitur fructus praebendae et distributionum a novo Canonico in aliorum commodum concedendos ut oppositum juri Decretalium antea sustineretur utpote a Pontifice *ex certa scientia* confirmatum tamen post Concilium Trid. et post constitutiones aliorum Pontificum qui statuta hujusmodi reprobant tametsi apostolica confirmatione alioque praesidio munita suis non consistere viribus videretur. Decernent tamen EE. VV. an contra sentiendum suadeant rationes dubitandi a capitulo praepositae. Ceterum ad consuetudinem quod attinet, Concilium damnat omnem consuetudinem licet immemorabilem eamque Innocentius XII. vocat abusum contra canones et constitutiones apostolicas inductum. Quoad responsionem vero hujus s. C. qua capitulo Vicentino alia de re sciscitanti rescripserit: Statuta per Sedem apostolicam ex certa scientia confirmata non esse revocata per decretum *Conc. Trid. c. XII. sess. XXIV.* duo sunt animadvertenda, I., in actis s. Congregationis diligenter perquisitis autographum hujus rescripti non inveniri; II., dubitandum foret an ex hac responsione consuetudo etiam de qua agitur confirmata extiterit. Etenim observat *Fagnanus loc. cit. n. 24.* confirmationes ex certa scientia emanatas nullo casu per Concilium Trid. videri sublatas praeterquam *in cap. 12. sess. 24.* in quo dumtaxat de iis expressam mentionem habet ubi solum tribuitur Ordinariis tamquam Sedis apostolicae delegatis facultas cognoscendi de earum obreptione, subreptione et intentionis defectu. Hinc licet Concilium Trid. in *cap. 12. sess. 24. de reform. consuetudinem damnet contra Bonifacii VIII.* decretum ab ipsa synodo in usum revocatum quoad distributiones a praesentibus dumtaxat in choro percipiendas, quia tamen nullam mentionem habet de consuetudine vel constitutione apostolica auctoritate ex certa scientia confirmata, s. Congregatio jure respondere potuit: Statutum ecclesiae Vicentinae, qua parte decernit distributiones totius anni lucrari ab iis qui choro novem dumtaxat menses intersunt, confirmatum per Sedem apostolicam ex certa scientia non esse revocatum per decretum *Con. Trid. cap. 12. sess. 24.* At vero haec eadem responsio videtur aptari non posse ipsi statuto quatenus novo Canonico praestationes imponit aliorum favore relinquendas, licet hac etiam in re ex certa scientia per Sedem apostolicam confirmato.

Superest ut de petita a Canonicis Vicentinis condonatione pro illegitimis hujusque perceptionibus, quatenus s. Congregationi negativa responsio placuerit, breviter agam. Qua in re id neminisse sufficiat pro fructuum haud legitime perceptorum condonatione aequissimam causam semper visam fuisse s. Congregationi bonam fidem uti videre est in *Fabrianen. 29. Decb. 1789.* et in *Nullius Guastallae 26. Novemb. 1791.* necnon in *Bononien. Montis Pictatis 23. Junii 1838. ad VIII. dub.* Quae quidem in themate non defuisse procul dubio videtur.

Erit EE. VV. definire

D u b i a:

I. *An et quomodo servanda sit consuetudo tam in assignanda medietate fructuum praebendae primi anni quam in gratuito 6 mensium servitio absque perceptione distributionum quotidianarum favore Canonicorum residentium in casu?*

Et quatenus negative in omnibus,

II. *An annuendum sit precibus quoad sanationem et condonationem nuper indebite hucusque perceptorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative in omnibus.

Ad II.: Affirmative facto verbo cum SSmo.

Die 7. Julii 1860.

Cont. Vicentina.

Vix haec resolutio Canonicis innotuit alia statim dubia in medium prolata fuerunt. Quo enim tempore s. Congregatio praefatam consuetudinem reprobavit aliquorum fructuum a recentioribus Canonicis debitorum dies cesserat et venerat et nonnisi ex casu fortuito contigit ut iidem nondum a Canonicis antiquioribus percepti fuissent. Quapropter antiquiores Canonici autumabant illiusmodi fructus, quorum dies jam cesserat et venerat, inter perceptos adnumerari debere eosque ratione sanationis a s. Sede impertitae adhuc se lucrari non immerito posse. Praeterea animadvertere inceperunt, in memorato brevi Pauli III. potestatem fieri residentibus ut quolibet anno per tres menses abesse possent, quin tamen distributiones amitterent, quae

tamen facultas relate ad recentiores Canonicos devincta adeo erat conditioni semestris praefati gratuiti servitii, ut idem Pontifex subjungeret: non possint gaudere beneficio vacationis trium mensium hujusmodi nisi resederint per 6 menses ut praefertur continuatis sive interpolatis diebus. Hinc concludunt antiquiores Canonici quod sublato onere gratuiti semestralis servitii etiam privilegium vacationis trimestris exulet oportet quippe quod a conditione servitii pendebat.

Contra vero tres nuperrimi Canonici utrique antiquiorum intentioni acriter obsistunt. Negant enim inprimis post s. Congregationis resolutionem et eversam consuetudinem posse ullatenus exigi fructus nondum perceptos, quos imo uti etiam praeteritas sibi debitas distributiones vindicant. Contendunt deinde semet non excidisse a privilegio trimestris vacationis propter abolitum gratuitum servitium. Et diversis iis Canonicorum sententiis res delata fuit ad Antistitem, qui tamen rectius se facturum existimavit novas hujusmodi quaestiones ad H. S. O. deferendo, ut Emi Patres resolutionem diei 7. Julii 1860 declarare dignentur nova dubia sapienti judicio dirimentes.

Rationum momenta et Capitularium diversae praecitatae sententiae Episcopo exhibita et ab ipso Romam transmissa sunt cum literis diei 1. Decemb. 1861.

Nonnulla ex meo munere breviter subnectam. Ac quoad primum controversiae caput id est quoad fructus fortuito a senioribus nondum perceptos animadvertendum videtur illegitimam ideoque removendam declaratam a s. Congregatione fuisse consuetudinem quae hujusmodi super re ante diem 7. Julii 1860 in Vicentina Cathedrali obtinuerat. Quapropter ex juris rigore fructus etiam eo titulo jam percepti condici potuissent tamquam ob injustam causam exacti ex textu expresso in *L. 6. ff. de condict.*, ob turpem vel injustam causam, nisi ex benignitate s. Ordinis a SSmo adprobatio et sanatio et condonatio concessa fuisset. Atqui ratio ob quam s. Congregatio hujusmodi sanationem et condonationem elargiri solet est bona percipientium fides, uti in ipso folio diei 7. Julii 1860 adnotabatur adductis exemplis s. Ordinis in *Fabrianen. 19. Decb. 1789.*, in *Nullius Guastallae 26. Novb. 1791.* et in *Bononien Montis Pietatis 23. Junii 1838. ad VIII. dub.* Absonum ergo a quocumque jure videtur, ut iidem fructus nondum percipi adhuc valeant quasi ejusdem perceptionis causa minime reprobata fuerit vel sin minus in obtenta sanatione et condonatione comprehendantur quasi bona fides percipientium post latam etiam sententiam s. Congregationis perseverare potuisset. Et revera si post litem contestatam quinimo post controversiam motam omnes incipiunt malae fidei possessores esse, *Leg. Sed etsi 25. §. 7. ff. de haered. pet.; Leg. 2. cod. de fruct. et lit. expens.*, multo magis idipsum operabitur in casu litis ipsius definitio et resolutio per H. S. O. jam emissa.

Quae quidem conclusio confirmari videtur ex juris theoria circa bonae fidei possessorem quoad fructuum perceptionem.*) Possessorem enim fructus alienae rei suos facere communiter tradunt ex duplici titulo, scilicet ex bona fide et perceptione. Et bona quidem fides non quaecumque sufficit sed continuata requiritur, quia cum in fructibus acquirendis multae ac distinctae sint acquisitiones, bona fides in singulis et de momento in momentum spectanda est ceu docemur in *Leg. 23. §. 1. L. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. domin., Vinnius. Inst. lib. 2. tit. 1. ad §. 13. n. 5:* Perceptio vero adeo stricte ac materialiter requiritur, ut a solo vel a re frugifera debeant fructus esse separati ut possessori cedere valeant. Nec unquam leges distinguunt an materialis hujusmodi perceptio locum habere nequiverit ob casum fortuitum sed factum unice consideratur. Atqui in themate s. Congregatio eos tantummodo fructus condonavit, qui illuc usque percepti jam fuerant. Sive igitur ex defectu bonae fidei sive ex defectu materialis perceptionis, haud videntur seniores Canonici exigere posse fructus quorum dies jam cesserat et venerat.

Quoad alterum controversiae caput tam super jure vacationum trimestralium quam super alio lucrandi nempe eodem vacationum tempore distributiones disquirendum esse inprimis videtur favore Canonicorum recentiorum an resolutione H. S. O. diei 7. Julii saepe citata remissum universe fuerit servitium continuum per sex menses a novis Canonicis peragendum seu potius ejusdem servitii modus reprobatus quatenus scilicet relativae distributiones ejusdem continui servitii senioribus accrescerent. Porro modus tantummodo reprobatus videtur, quippe unice

*) Vd. *t. II. p. 564. g.*

sanctionibus Tridentinis contrarius: servitium vero per se ipsum non solum nulli legi adversabatur sed admodum commendabile pro certo erat, utpote ad pleniorem Dei cultum conducens. At inspecto apostolico Brevi Pauli III. indultum trimestris vacationis concessum fuisse dicendum foret non ratione modi sed ratione ipsius servitii. Idem enim indultum concessum legitur ceteris omnibus Canonicis qui ceteroquin gratuitum servitium aliorum favore minime praestant. Praelatis et Canonicis ait Pontifex ipsius ecclesiae qui fecerunt residentiam liceat infra annum habere tres menses remissionis, ut suis quandoque possint vacare negotiis.« Qua in conditione et ipsi noviter adlecti elapso primo anno reperiuntur, quin causa gratuiti servitii perduret. Si igitur ex praecitata resolutione s. C. abolitus tantummodo fuit modus servitii, non vero servitium ipsum, statuendum est, recentiores Canonicos adhuc teneri ad semestre servitium ideoque hujus ratione adhuc trimestribus vacationibus perfrui.

Sed posito etiam quod eadem resolutione servitium ipsum continuum remissum fuerit adhuc dubitari posse autumant Canonici recentiores an praefatum privilegium vacationum cum jure percipiendi distributiones sit nihilominus sublatum. Ratio enim ob quam consuetudo relate ad praedictum servitium reprobata fuit reponenda videtur in directa ejusdem oppositione cum apertis Tridentinis sanctionibus, quae tamen oppositio non adeo evidenter forsitan in controverso privilegio apparet. Quinimo Trid. synodo haud adversari a s. Congregatione declaratum fuisset die 7. Febr. 1849, si fides habenda sit Canonicis Vicentinis, (jam enim animadvertebatur in saepe citato folio diei 7. Julii autographum illius rescripti in actis s. C. non inveniri). Nec oggerendum foret quod gratuitum servitium in Brevi Pauli III. exhibeatur veluti trimestrium vacationum causa, qua sublata privilegium corruat; dubitare siquidem adhuc liceret an illiusmodi privilegii unica causa fuerit et finalis seu potius secundaria et occasionalis, cum idem indultum uti jam adnotavimus concessum ex aequo fuerit ceteris omnibus indistincte Canonicis.

Contra vero facere videtur quod distributiones veluti praemium sunt diligentibus beneficiatis debitum atque ex praescripto Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12.* ab iis qui statis horis interfuerint recipi debeant. Hinc contraria quaevis observantia vetita et abusiva retinenda esset. Siquidem in *cap. unic. de cleric. non resid. in 6.* quod s. synodus in usum revocavit non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus sic Bonifacius VIII. disserte jussit: »Consuetudinem quae in quibusdam partibus inolevit, qua Canonici et alii beneficiati seu clerici cathedralium et aliarum collegiatarum ecclesiarum distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur et tantum residentibus tribuuntur), qualitercumque in civitatibus seu aliis locis, in quibus ipsae consistunt ecclesiae, sint praesentes, licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt ac si continuo ipsis ecclesiis in eisdem officiis deservirent, penitus improbantes statuimus ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis beneficiatis et clericis ecclesiarum ipsarum qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta ecclesiae cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem quae contra hujusmodi constitutionem nostram receperit teneatur.«

Sublata itaque quavis constitutione vel consuetudine qua ab absentibus utcumque residentibus distributiones recipi valuissent res etiam in praesenti casu incidere videtur in regulam juris communis, scilicet ut Canonici sive recentes sive seniores trium mensium vacatione utique gaudeant, minime vero ut interim distributiones lucrentur, *Fagnan. in cap. Licet de praeb. n. 93.* Quod adamussim saepius definitum est a s. Congregatione, uti in *Illerden. Absentiae et distribut. 3. Martii 1792.* ad I. dubium, in *Derthonen. Constit. capitul. 12. Sept. 1829.* ad IV. dub. Quaesitum enim cum esset: an Canonici absentes a choro tempore vacationum lucrentur quotidianas distributiones responsum fuit: Negative.

Rogantur Emi Patres sequentia dirimere

D u b i a:

I. *An pars fructuum praebendae primi anni nondum perceptorum senioribus vel recentioribus Canonicis debeatur in casu?*

II. *An et quomodo sublato gratuito servitio sex mensium recentiores Canonici gaudere valeant trimestralibus vacationibus in casu?*

III. *An et quomodo recentioribus Canonicis debeantur distributiones tempore trimestrium vacationum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad I. partem, affirmative ad II.

Ad II: Affirmative prout alii Canonici seniores.

Ad III: Negative in omnibus etiam quoad Canonicos seniores.

Die 8. Aug. 1863.

Cont. Vicentina.

Verum Vicentinus Antistes cui exequendae praefatae resolutiones demandatae fuerant literas die 29. Octobris ad s. C. misit. Cum in statutis ecclesiae cathed. Vicentinae concessum sit Canonicis et ab immemorabili consuetudine servatum, ut residendo novem dumtaxat mensibus lucrentur totius anni distributiones, ita tamen, ut qui uno tantum die ultra trimestre non resideat amittat distributiones totius trimestris, quaeritur an per s. Concilium Trid. *cap. 12. sess. 24. de reform.* sit sublata ista consuetudo et derogatum praedictis statutis a Sede apostolica ex certa scientia confirmatis?

S. Congregatio respondit: Statuta per Sedem apostolicam *ex certa scientia* confirmata non esse revocata per decretum s. Conc. Trid. *cap. 12. sess. 24. de reform.*

Dum in comitiis superioris mensis Augusti haec agebatur controversia, utrique contendentes capitularibus constitutionibus innitebantur, ut oppositas sententias adstruerent. Et antiquiores quidem Canonici autumabant sublatum esse recentioribus jus trimestralium vacationum cum distributionum interim perceptione, eo quod hujusmodi privilegium a constitutionibus apostolica auctoritate confirmatis veluti correspectivum adnexum fuerat cum gratuito sex mensium servitio favore antiquiorum, ceu diserte verba earumdem constitutionum ferre videbantur: »non possint gaudere beneficio vacationis trium mensium hujusmodi, nisi resederint per sex menses, ut praefertur, continuatis sive interpolatis diebus.«

Reprobatis igitur ab H. S. O. constitutionibus in ea parte quae gratuitum sex mensium servitium respiciebat sublataque privilegii causa etiam causatum privilegium relate ad recentiores Canonicos rejectum esse conclamabant. E contra recentiores Canonici negabant adeo necessarium nexum intercedere inter gratuitum sex mensium servitium et trimestres vacationes; cujus rei argumentum ex eo proferebant quod s. C. quae nuper constitutiones quoad gratuitum servitium sustulerat easdem constitutiones plane confirmaverat quoad jus vacationum simulque distributionum jam ab anno 1643. Hujusmodi tamen rescripti autographum non reperiri in actis H. S. O. edicebatur in folio diei 7. Julii 1860. Ideoque ex partium conflictu controversia in II. et III. dubio maxime cohibebatur super constitutionum interpretatione, cujus intuitu generaliorum quorumdam principiorum meminisse sufficere necessario videbatur.

Verum post comitia praeteriti anni immutatus veluti est controversiae status. Judicium namque EE. VV. super II. dubio repellebat necessarium illud nexum inter gratuitum sex mensium servitium et trimestrales annuas vacationes illoque sublato has evidenter confirmabat. Firmatis autem constitutionibus quoad annuas vacationes res eo incidit, ut disquiratur an ex iisdem constitutionibus jus competat Vicentinis Canonicis percipiendi distributiones eodem vacationum tempore. Qua super re peculiaris non deest juris nostri doctrina. Vicentinus insuper Antistes in praeallatis deductionibus haud dubitare sinebat de existentia rescripti ab H. S. O. an. 1643 editi. Quod ceteroquin hodiernam controversiam diremisset. Hinc meum inprimis esse duxi studium operamque eo conferre, ut diligentius autographum resolutionis disquirerem. Mihique perquirenti acta s. C. revera illud occurrit sub die 7. Febr. 1643. in statu et terminis quibus supra ab Episcopo exhibitum prostat. Quapropter hodierna controversia super tertio dubio exhibita alias jam ab H. S. C. dirempta adamussim foret.

Neque hujusmodi resolutio habenda videtur veluti exceptio ac privilegium tunc temporis favore Vicentini capituli concessum. Etenim perpensa praesertim s. C. doctrina illud apparet, ex Tridentina sanctione in genere licere Canonicis quibus longius servitium

indictum non erat abesse tempore vacationum, quin tamen ipsi valeant quotidianas interim percipere distributiones; in specie vero licere abesse trimestri tempore simulque distributiones lucrari iis Canonicis, qui ab antiquis constitutionibus per apostolicam Sedem factis vel confirmatis illiusmodi habent privilegium cui minime derogatum censetur per novam Tridentini disciplinam. Cujus rei perspicuum monumentum est in quadam Bononiensi proposita mense Julio 1586. Quaeritur: an liceat Canonicis abesse per hos tres menses et interim lucrari distributiones quotidianas et quid in illis Canonicis qui haberent constitutiones Sedis apostolicae auctoritate factas aut confirmatas ante Conc. Trid. quae concederent illis vacationem duorum mensium et interim haberentur pro interessentibus et lucrarentur distributiones: an hujusmodi constitutiones censeantur revocatae a Concilio Trid.? Ad I. respondit Congregatio: Abesse licere sed non lucrari distributiones quotidianas. Ad II. Constitutiones a Sede apostolica confirmatas non censeri sublatas.

Lucullentius vero id ipsum confirmatum fuit in alia *Pistorien. mensis Decb. ejusdem anni.* Congregatio Concilii censuit, Concilium Trid. *cap. 12. sess. 24.* non obstare, quominus Canonici juxta indultum Sixti IV. possint gaudere vacationibus permissis et nihilominus percipere distributiones quotidianas, quae assignari debent interessentibus tantum, quia Concilium in hac parte non derogat privilegiis. Additum est: Licet possit Episcopus providere, ne fiat fraus cultui divino ex aliquo abusu.« Hinc Bened. XIV. praeallatis resolutionibus insistens eamdem doctrinam veluti universalem legem tradit in *Inst. eccl. 107. §. 36.* hisce verbis: »Neque omitti debet licere quidem Canonicis vacationis praescriptae tempore chorum dimittere, id tamen solum suffragari, ut fructus praebendarum accipiant, non autem quotidianas distributiones, nisi forte peculiares ipsorum constitutiones a Sede apostolica confirmatae ante Synodum Trid. hoc etiam emolumentum ipsis Canonicis impertiant.«

Post haec autem supervacaneum videtur diutius immorari super altero capite quod ab Episcopo urgetur, quoties constitutiones super controverso jure reprobentur idest, super tenuitate praebendarum, quae efficax fortassis foret causa, qua petitum indultum concederetur, ceu alia innuunt H. S. O. exempla in *Oriolen 6. Dec. 1794.* et in *Pinnen. Vacationum 7. Junii 1856.*

Resolvendum subjiciatur

D u b i u m:

An sit standum vel recedendum a decisis quoad tertium dubium in casu?

S. C. resp.:

Attentis noviter deductis recedendum a decisis.

Die 27. Febr. 1864.

VII. Consuetudo non quotidie chorum frequentandi.

Vd. *Chorus* (obligat. quotid.; alternativa p. 1061.)

Aliphana.

In oppido Pedemontio dioecesis Aliphanae quod numerat animas 2397 inter alias ecclesias praefulget Collegiata ss. Annunciationis Vallatae nuncupata cujus servitio adscripti sunt 6 Canonici usu almutiae violacei coloris decorati, penes quos animarum cura residet pro cujus exercitio eorum bini per turnum quotannis deputantur.

Praetendentibus autem praefatis Canonicis ex asserta consuetudine immemorabili sese nequaquam teneri ad quotidianam divini officii recitationem in choro praeterquam in hebdomada majori et in octava ss. Corporis Christi, in singulis vero diebus festivis necnon in Deiparae Virginis festivitatibus ac quatuor ecclesiae doctoribus missam unam cum vesperis dumtaxat canere consuevisse, ea quippe ratione freti quod in dicta Collegiata nulli sint destinati fructus aut praebendae certae pro officiatura omnesque redditus valde exigui provenientes tantum ex legatis cum onere missarum vel in dies vel perpetuo celebrandarum, quodque difforme non minus quam intolerabile foret pensum diuturnarum precum a tribus tantum persolvi, aliis vero praelibatis duobus Canonicis curae addictis ac aliquo capituli negotiis distento.

Istiusmodi nihilominus praetensione non attenta Episcopus in visitatione peracta 1704 eosdem Canonicos devinxit ad quotidianam officiaturam in choro et ad missae conventualis celebrationem, indulgendo iisdem trimestrem vacationem in singulos annos a dicta recitatione. Quod sane aegreferentes Canonici

recursum habuerunt ad s. Congregationem, unde rescriptum extitit Episcopo pro informatione et voto.

Episcopus itaque qui cuncta haec non inficiatur fundasse asseverat suum decretum in dispositione s. Concilii Trid. *cap. 12. sess. 24.* §: *Praeterea de ref.* et in autoritate *Quarant. in compend. bullar.* verb.: *Horae canonicae in fin.* et in resolutionibus s. Congregationis in *Fundana 15. Oct. 1618.*

Dictamque Collegiatam subnectit tum ratione numeri animarum quibus praeest tum ratione loci in quo est sita esse iuter alias decentiorem, ipsos vero Canonicos annuis perfrui redditibus ducatorum 50 cum onere annuas missas simplices 1043 celebrandi, cantatas vero 49 ac alias missas cantatas cum vesperis numero septem et anniversaria quinque. Nusquam autem comperiisse, an anteacto tempore Canonici horas canonicas recitaverint binis exceptis decretis in visitatione editis, altero 1631 tempore Episcopi Zambeccari quotidianam officiaturam demandante sub poena punctaturae, altero 1696 tempore Episcopi Lazari praescribente servitium chori statutis diebus sub poena suspensionis, quod quidem per aliquot menses festis tantum diebus ab eisdem fuisse persolutum perhibet, quodque demum nil juvet Canonicos consuetudo immemorabilis, ut ex decreto s. Congregationis relata a *Fagnan. in cap. »Cum omnes« de constit. n. 33.*

Successive sub eo supposito, quod Canonici negligerent expeditionem causae, Episcopus processit ad sequestrationem redditumm canonicalium;*) hinc recurrentibus Canonicis ad s. Congregationem sub die 21. Augusti proxime praeteriti prodiit rescriptum: »Proponatur causa in secunda omnino et altera unica firmo remanente sequestro.« Qua tamen re usquemodo protelata tandem hodie instantibus et informantibus Canonicis praedictis nulloque pro Episcopo comparente ponitur EE. VV. discutiendum:

An Canonici ecclesiae ss. Annunciatae Vallatae teneantur ad quotidianam officiaturam in choro in casu?

S. Congregatio die 29. Jan. 1707 distulit propositionem; die vero 12. Febr. respondit: Pro nunc negative.

VIII. Consuetudo non integre et non ab omnibus chorum frequentandi.

Vd. *Chorus* (alternativa p. 1061.)

*) Vd. *p. 1051. n. 7.*

Cingulana.

Collegiata ecclesia s. Exuperantii quae extra moenia civitatis Cinguli sita est *rigidiori aeris inclementiae ex magno ventorum impetu atque imbrium copia* hyberno tempore subjicitur. Praecipue vero praesbyterii situs ex male compacta fornice adeo redditur insalubris, ut inservientium salus periclitetur. Solent autem Canonici tribus qualibet die vicibus juxta stylum cathedralis ecclesiae Cingulanae Collegiatam adire ad divinas Laudes persolvendas, sed qui pluribus incommodis praegravantur supplicem SS. Domino Nostro obtulerunt libellum quo mutata servitii methodo facultatem petierunt sese conformandi patriarchalibus ecclesiis Urbis tam quoad horas quam quoad tempus interessendi choro bis tantum qualibet die mane scilicet ac vespere exceptis tamen festis diebus et peculiaribus ecclesiae solemnitatibus, quibus parati sunt pro majori populi commodo horas et methodum cathedralis ecclesiae Cingulanae adamussim servare. Ac praeterea expostularunt facultatem obeundi s. functiones a die 2. Novb. usque ad sabbathum ante dominicam Palmarum in quadam interiori capella relicto presbyterio, quod tamen adire non recusant praedictis festis et solemnioribus diebus, quibus major est populi frequentia.

Super hisce petitionibus auditus fuit Episcopus, qui haec retulit: »Veritati omnino nituntur quae narrant Canonici ecclesiae s. Exuperantii civitatis Cingulanae circa situm s. illius Aedis et incommoditates, quibus iidem oratores obnoxii sunt, sive illam adeundo sive in amplo presbyterio vastissimi templi Sacris operando. Itaque dignos arbitror quibus utraque gratia concedatur, tum scilicet semel tantum mane ad divinas laudes conveniendi tum etiam ut a Novembri mense usque ad sabbathum Passionis Sacrum pensum exolvant in proxima ecclesiae capella cum exceptione tamen festorum dierum et aliorum quorumdam, quae in ipsis precibus explicantur.«

Ante Concilium Trid. existimarunt doctores repetentes *text. in cap.: Clericos, de cleric. non residen.* aeris intemperiem justam praebere causam non residendi, quamvis *Fagnanus in cap. Licet de praebend. num. 46.* censeat, doctores intelligendos esse de aeris corruptione, quo casu licere asserit etiam renuente Superiore discedere. Verum post Concilium Trid. non videtur amplius

posse Capitulares pro libitu discedere sed tantum ob aeris asperitatem atque inclementiam locum esse dispensationi a residentia, *Fagnan. loc. citato.* Quare petente hac de causa 1580 Capitulo Cathedralis Caurien. exemptionem a residentia SS. Pontifex Canonicis concessit, ut per alium mensem ultra vacationis tempus abesse possent in numero ab Episcopo praefiniendo, ne divinus cultus desereretur.

Hoc autem praemisso censet *Monacell. in form. legal. pract. par. 1. tit. 5. form. 2. num. 33.* horas recitationis divini officii praescribendas esse habito respectu ad locum et ecclesiae commodum. Ait enim: »Nam ob aeris intemperiem tollerari potest, quod matutinum non ab ortu solis ortum incipiat prout pro tollerantia respondit s. Congregatio in *Trojana 14. Febr.* et *4. Novb. 1699.* favore capituli Collegiatae civitatis Foggiae.« Porro Concilium Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* haec statuit: »Caetera quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua hujusmodi, synodus provincialis pro cujusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero Episcopus non minus quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis quae expedire videbuntur poterit providere.«

Quoad tempus recitationis divini officii diversa fuit antiqua ecclesiae disciplina ab ea, quae modo observatur, ut refert sa. mem. *Benedict. XIV. Instit. eccles. 107. num. 20.;* juxta praesentem disciplinam magis commoda praefiniri solet hora, quae ut plurimum prudenti Episcopi arbitrio remittitur, ut in *Interamnen. 23. Febr. 1771.*

Quo vero ad locum recitandi divinum officium sacrasque functiones peragendi refert *Benedictus XIV. citat. instit. 107. num. 19.* s. Carolum Borromaeum decrevisse, »ut matutinum in choro ecclesiae celebretur quovis anni tempore; at si tamen vehementia frigora sint vel aliae justae causae intercedant de licentia Episcopi in sacristia vel honesto alio ecclesiae loco dici possit,« quod etiam probavit s. Congregatio in *Florentina 18. Novb.*

Dijudicandum proinde erit ab EE. VV.:

I. *An sit concedenda facultas Canonicis Collegiatis s. Exuperantii bis tantum qualibet die toto anni tempore in choro conveniendi exceptis tamen diebus festis aliisque ecclesiae solemnitatibus in casu etc.?*

II. *An sit eisdem concedenda etiam facultas celebrandi divina officia in capella s. Mariae Angelorum a die 2. Novembris usque ad sabbathum ante dominicam Palmarum exceptis tamen diebus festis aliisque solemnitatibus in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Arbitrio Episcopi.

Ad II: Arbitrio Episcopi.

Die 15. Febr. et 14. Mart. 1772.

IX. Consuetudo multiplex circa chori servitium.

Sanctum ac salubre Visitationis opus absolvens anno 1868 Episcopus N. nonnulla tum circa divinorum officiorum celebrationem et Sacramenta tum circa animarum curam et ecclesiae cultum spectantia in ipsa cathedrali ecclesia invenit, quae correctione et reformatione digna videbantur. Quamobrem sequentia duxit ferenda decreta:

1° Ut juxta const. *Cum semper**) Bened. XIV. missa conventualis, illa scilicet quae singulis diebus a Canonicis canitur, non obstante quacumque consuetudine, prout habetur in ipsa constitutione, pro benefactoribus in genere quotidie applicetur, declarantes haud muneri suo Canonicum turni aliosque satisfacere per missam alio modo celebratam et benefactoribus applicatam; atque iis tantum diebus, quibus missa pontificalis celebratur, posse, imo, ex decreto s. Rit. Congr., debere per Canonicum turni missam conventualem celebrari privatim et pro iisdem benefactoribus applicari.

2° Ut inposterum juxta caeremoniale Episcoporum et s. Conc. Congregationis decretum in Lunen. Sarzanen. die 18. Decembris 1824., quoties Episcopus pro tempore missam pontificalem celebrabit, canatur Tertia in capella purificationis B. M. V. in qua e cornu epistolae in plano collocabitur sedes pontificalis seu faldistorium pro facienda praeparatione ab Episcopo et sacris induendis paramentis et circumcirca capellam sedilia parabuntur pro Canonicis aliisque de clero.

*) Vd. *t. I. p. 695.*

3º Ut infra mensem nova horaria chori tabella a Canonicis conficiatur a Nobis approbanda, juxta quam officia divina omnino celebrentur, neque unquam liceat absque nostra licentia et (in nostra absentia) Vicarii nostri horas chori immutare.

4º Ut omnino servetur tempus a rubricis statutum pro celebratione missae conventualis, neque unquam liceat, nisi ex gravi causa et raro admodum illam alio tempore celebrare.

5º Ut reliquae missae quibusdam diebus a rubricis praescriptae juxta consuetudinem legantur vel cantentur, statutis tamen ab iisdem rubricis horis; nunquam vero legantur tempore quo horae canonicae recitantur, nisi de privilegio apostolico infra bimestre edoceatur.

6º Ut nulli Canonico liceat choro abesse absque nostra licentia juxta s. Rit. Congreg. decreta tempore Quadragesimae et Adventus et solemnioribus anni festivitatibus, inter quas recensendam declaramus solemnitatem praetiosi sanguinis D. N. I. C.

7º Ut nulli pariter Canonico praeter poenitentiarium liceat tempore, quo in choro divina officia persolventur, confessiones*) audire vel missam celebrare nisi**) ob necessitatem, prout declaravit s. Concil. Congregatio in Lunen. Sarzanen. die 8. Julii 1851., non obstante antiquissima consuetudine quae afferebatur; quae necessitas cum tantum habeatur diebus festis de praecepto et nonnullis aliis, quibus frequens habetur ad ecclesiam populi concursus et nullum Sacrum fit, ideo mandamus, ut illis tantum diebus nulloque alio privatim celebrante, missa a Canonicis tunc celebrari possit et dummodo post celebrationem repetatur chorus; contrafacientes tamquam absentes punctentur.

8º Ut Canonicus punctator constitutiones synodales adamussim servet quoad Canonicos punctandos ac insuper mandamus ut solemnibus processionibus ss. Sacramenti in die corporis Christi ejusque octavae et pretiosi sanguinis D. N. Jesu Christi non interessentes pro unaquaque vice octo punctaturis subjaceant.

9º Ut servetur consuetudo peragendi in sacristia divina officia et missam conventualem aliasque ibidem celebrandi diebus ferialibus tempore hibernali, a die scilicet 25. Novembris usque ad hebdomadam majorem aliisque etiam diebus, impedito ecclesiae choro.

*) Vd. *p. 975. e.*
**) Vd. *p. 965. d.*

10º Ut omnino adsit chori praefectus, unus videlicet qui curam gerat, ut in choro omnia ordinate et debitis temporibus fiant, cujus nutui omnes parere debeant; neque absque ejus licentia ullus discedere possit aut officium vel singulas horas inchoare: declarantes, praefecti officium in nostra absentia juxta synodum dioecesanam fungendum ab eo, qui ex Dignitatibus et Canonicis dignior praesens erit in choro.

11º Ut Canonici quammaxime satagant observare et observari facere, quae in eadem synodo statuta habentur circa silentium, modestiam, reverentiam servandam in sacristia et accessu ac regressu chori; ut insuper adamussim servent omnia in eadem synodo contenta quoad distinctam, devotam et concordem divinarum laudum recitationem vel decantationem, evitantes ea omnia, quae vitari jubentur, atque ea facientes, quae fieri praecipiuntur, ut et Deo sit grata et acceptabilis laus et ad devotionem excitet audientes et sibimetipsis sit salutaris: declarantes praedicta omnia in synodo statuta in suo robore esse et permanere et quatenus opus est innovamus.

12º Ut omni studio servetur silentium a Capitularibus et Cancellario super iis omnibus quae in Capitulo tractantur et resolvuntur; et ne per alios secretum reveletur, mandamus, ut inposterum testes non adhibeantur in publicandis resolutionibus captis, sed tantum juxta morem subscribantur a Capituli Praeside et Cancellario.

13º Ut exhibeantur statuta, et quia antiquissima sunt et fere ignorantur, mandamus ut intra menses tres reformentur ac reformata et a Nobis approbata observentur.

14º Ut absque Capituli licentia ab archivio nulla extrahantur documenta, scripturae et libri*) ac semper adhibeatur cautela ut a recipiente manu et subscriptione sua in libro ad hoc constituto adnotetur documentum seu liber extractus, appositis insuper die extractionis et tempore restitutionis, urgente necessitate permittitur ut Canonicus Massarius libros et scripturas extrahat facta antedicta adnotatione.

15º Ut retineatur liber in quo sub die, qua legata pia ad ipsum Capitulum aut ad alia opera ab ipso administrata pertinentia adimplentur, ab eo ad quem spectat uniuscujusque legati adimplementum adnotetur, ut alter quoque liber retineatur, in quo eodem modo ab iis, quibus onus inest, in fine saltem cujuslibet anni notetur fuisse per ipsos adimpletum onus missarum aliorumque ad quae tenentur ratione beneficii,*) capellaniae vel alterius cujusque tituli.

*) Vd. *t. I. p. 1086.*

16º Ut intra mensem inventaria conficiantur omnium rerum mobilium, quae penes Capitulum inveniuntur, necnon sacrarum reliquiarum, quarum copia Nobis tradetur, ac etiam si possibile est inventarium efformetur omnium scripturarum, librorum aliorumque, quae in archivio reperiuntur, ne ejusdem defectu impune aliquid subtrahatur vel deperdatur.

17º Ut Canonicus sacrista assidue invigilet capellanos curatos, quibus a Capitulo ipso demandata est cura animarum, ut fideliter et diligenter muneri suo satisfaciant, libros parochiales accurate custodiant et acta conscribant ejusque mandatis in omnibus obtemperantes absque ejus venia abesse nequeant, quam tantum justis de causis et sine servitii praejudicio dabit.

18º Ut diebus festis de praecepto aliisque, quibus habetur ad ecclesiam populi concursus, missae ad populi commodum distribuantur; una tantum eodem tempore celebretur ac Canonicus sacrista tabellam conficiat pro iis saltem horis, quibus major adest concursus et plerumque missae deficiunt.

19º Ut cum plurimi invitantur ad cadaverum fidelium associationem, quantum fieri potest, clericis praeferantur sacerdotes ecclesiae cathedralis servitio addicti.

20º Ut SSma Eucharistia in sacello ad id destinato tantum asservetur, numquam vero etiam ad breve tempus in aliis altaribus, majori non excepto; ideoque in hoc tantum consecretur pro facienda post missam processione: ac quoties in aliquo altari occurrit illam exponere, mandamus ut ante expositionem ad illud qua decet reverentia deferatur ac statim post benedictionem ad praedictum sacellum reportetur; ut corporale super altari hujusmodi sacelli plicatum in bursa retineatur explicandum quoties occurret; ut particulae quae consecrantur integrae, recenter confectae et fragmentis expurgatae sint neve ssmae Eucharistiae ex integro renovatio ultra dies duodecim protrahatur.

*) Vd. *p. 405. n. 22.*

21º Ut in sacello, vulgo *sepolcro* nuncupato, tantum calix cum hostia in Parasceve consummanda recondatur, nulla vero pyxis cum particulis consecratis.

22º Ut expositio quadraginta horarum juxta decretum f. r. Francisci Agnini praecessoris nostri fiat ad altare majus ac curetur ut nonnulli continuo ad adorationem habeantur eademque expositione durante nullum officium funebre celebretur.

23º Ut majori sedulitate et quo fieri potest altarium aliorumque, quae ad Capitulum spectant vel ad curatorum vel clericorum curam commissa sunt, munditiei et decori prospiciatur, sacra paramenta aliaque ad missae sacrificium vel ad divinum cultum pertinentia saepe ac frequentius ab iis ad quos spectat recognoscantur et quatenus opus sit reficiantur, renoventur, purgentur, sicut ad ipsius ecclesiae cathedralis decorem et amplitudinem decet.

24º Mandavit ultimo ut claves sanctuarii aliorumque sacristiae locorum, in quibus res pretiosae et cerei reconduntur et quae ad Rmum Capitulum spectant, perpetuo penes Canonicum sacristam sint et esse debeant neque etiam ad breve tempus alii tradantur nisi sit Canonicus.

Hujusmodi decreta Episcopus Capitulo communicabat suspensione plectens illum ex Canonicis, qui quintum decretum observare detrectasset. Verumtamen Canonici ea utpote suorum jurium laesiva recusarunt. Hinc electis duobus, qui Capitulum in scriptis tuerentur, istorum deductiones in comitiis capitularibus diei 4. Novembris 1868 probarunt easque proprio Antistiti obtulerunt.

Episcopus tam sua decreta quam Capituli defensionem ad S. C. C. transmisit expostulans ut *declarare velit, an ipse recedere possit ac debeat ab expositis decretis.* Accepta Episcopi litera decretum de more editum est »*Ponatur in folio*« et deinde certior ipse Episcopus factus est, rem disceptatum iri in plenario s. Congregationis conventu, ideoque tum ipsi tum Capitulo liberum esse si vellent alia jura intra triginta dies exhibere. Episcopus hoc habito decreto suam agendi rationem copiose defendit; Canonici vero sua jura ulterius tueri noluerunt. Imo quinque ex eis jam reprobaverant, quod in defensionem Capituli et contra Episcopi decreta scriptum fuerat a deputatis et probatum a Canonicis in conventu capitulari.

At paullo post omnes Canonici supplicem libellum SSmo Patri porrexerunt postulantes »1° ut ipsi non amplius deinde tenerentur ad celebrandas missas de feria, de vigiliis et quatuor temporibus, firma manente obligatione quotidie celebrandi et applicandi pro benefactoribus in genere missam conventualem cum officio cohaerentem. 2° Ut si quando ex aliqua obligatione aut devotione alicujus christi-fidelis cantari debeat cum praescripta peculiari applicatione missa aliqua solemnis, quae cum officio diei cohaereat, eadem missa, hora a rubrica statuta celebrata, sit satis ad implendam choralem obligationem, firmo tamen Canonico *turni* manente onere applicandi privatim missam pro benefactoribus in genere, ut ex s. Congregationis decreto fieri solet occasione missae pontificalis.«

Hoc altero accepto libello atque voto Episcopi exquisito duplex quaestio proposita est sub dubitandi formulis quae in calce prostant.

Ad primum dubium quod attinet, distinguebant Canonici omnia Episcopi decreta in quadruplicem classem: 1 in ea quae essent opposita privilegiis et rationabilibus Capituli consuetudinibus: 2 in ea quae essent inutilia: 3 in ea quae Capitulum minime attingerent: 4 in ea denique, quae negotia propria unius Capituli respicerent.

Ad primam itaque praecipuamque classem referebant decreta sub numeris 2, 5, 6, 7, 12, 22, de quibus has duas movebant quaestiones: an consuetudines Capituli sint observandae ut rationabiles: an Episcopus sine Capituli consensu possit eas abrogare et Canonicus qui eas non observet perjurii labe se commaculet.

Ad primam quod attinet quaestionem, data consuetudinis definitione ex *can. Consuetudo dist. 1.*, ubi legitur: »*Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex*« inquiebant, consuetudinem, quae juri divino sive naturali sive revelato non adversetur neque scandalum aut occasionem peccandi praebeat, rationabilem esse ideoque induci posse contra legem humanam eandemque posse abrogare si consuetudo sit legitime praescripta per spatium quadraginta annorum juxta ea quae tradunt passim auctores. Atqui ejusmodi esse inquiebant consuetudines quibus Episcopi decreta adversabantur: videlicet consuetudo canendi Tertiam dum Episcopus praeparationem perageret ad Pontificalia obeunda; consuetudo excipiendi sacramentales confessiones fidelium vel celebrandi missam lectam, quo tempore divina officia persolverentur, quin Canonici punctaturis subjacerent; consuetudo demum celebrandi missam de feria vel de vigilia dum in choro recitarentur horae canonicae.

Easdemque consuetudines, quum irrationabiles dici non possent, legitime praescriptas esse Canonici subjungebant quod a sexaginta fere annis, Episcopis videntibus et saltem silentibus, observatae essent. Immo, urgebant, consuetudinem celebrandi missas de vigilia vel feria dum in choro recitarentur horae canonicae inniti indulto a Pio VII. concesso die 9. Decembris 1809, quo Canonici ab earundem missarum cantu fuerant exempti; quod quidem indultum haud utile fuisset, si dictae missae legi debuissent, quo tempore horae canonicae non recitarentur: neminem autem ambigere, rationabiles consuetudines legitime praescriptas vim privilegii habere: easdemque, praesertim ultimam, ex eo rationabiles deprehendi, quod duplici contemporanea actione satisfieri possit duplici praecepto, juxta ea quae tradunt theologi.

Singula propius attingentes Canonici rejiciebant decretum sextum utpote adversum consuetudini juxta quam ipsi praedicationi Verbi Dei operam navantes tempore Quadragesimae et Adventus a residentia quoque possent abesse, solutis tantum punctaturis. Decretum septimum carpebant uti adversum synodi dioecesanae: decretum duodecimum, quod ad Capitulum pertineret admittere vel rejicere testes: decretum vicesimum secundum, quod impeteret orationem quadraginta horarum cum multa populi frequentia peragendam die omnium Sanctorum: quae quidem eo minus irrationabilis consuetudo dici posset, quod in laterali altare Sacramenti expositio fieret.

Ad secundam incidentalem quaestionem quod attinet, inquiebant, Capitulum senatum esse Episoopi,*) qui plura peragere non posset absque Capituli ejusdem consensu, *cap. 5. de his, quae fiunt a Praelatis etc.* ubi Alexander III. rescripsisse legitur: »*Fraternitati tuae mandamus, quatenus in concessionibus et confirmationibus et aliis ecclesiae tuae negotiis fratres tuos requiras et cum eorum*

*) Vd. *p. 416. n. 35.*

consilio vel sanioris partis eadem peragas et pertractes et quae statuenda sunt statuas et errata corrigas et evellenda dissipes et evellas.« Ejusmodi autem consensum requiri in his praesertim quae in detrimentum vergant cathedralis ecclesiae, *cap. 17 de mai. et obed.*, et in iis quae referantur ad celebrationem divinorum officiorum in Cathedrali juxta dispositionem Trid. Conc. *sess. 24. de ref. c. 12.* ubi statutum legitur: »*Caetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua hujusmodi synodus provincialis pro cujusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero Episcopus non minus quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis, quae expedire videbuntur, poterit providere.*« Eundemque consensum requiri in iis, quae concernant *interesse* Capituli, Barbosa *de Canonicis c. 42. num. 14.*, ita ut sine ejusmodi consensu irrita sint decreta.*)

Cum itaque consuetudines de quibus sermo est sint rationabiles et legitime praescriptae, quum Episcopus eas tollere non possit absque consensu Capituli, concludebant, pejerantem eum esse habendum, qui eas consuetudines observare detrectaret. Canonici enim possessionem adipiscentes juramento promittunt privilegia, consuetudines et Capituli jura esse servaturos.

Ad secundam decretorum classem transvolantes veluti inutilia rejiciebant quae habentur sub numeris 1, 3, 4, 8, 9, 10, quod numquam aliter gestum esset ac in illis praescriberetur: nominatim vero adnotabant de primo decreto, quod Canonicus *de turno*, si ex causa alicujus legati vel pro speciali benefactore missa esset canenda, missam pro benefactoribus in genere privatim applicaret: per decretum octavum, Episcopum eas processiones injungentem, quae a Capitulo essent extraneae, nova onera Capitulo injungere.

Post nonnulla alia enunciata circa reliquas decretorum classes concludebant, inflictam suspensionem nihili faciendam esse, tum quia si aliquis Canonicus quintum Episcopi decretum in themate haud servaret nulla se culpa coinquinaret, sine qua censura consistere non posset, tum quia hujusmodi suspensio ab Episcopo in causa propria et lite pendente lata esset.

Haec omnia deducentes Canonici simul professi sunt, se proprium colere Episcopum nec sine animi dolore haec deducere, ut juramento praestito facerent satis.

Episcopus eundem secutus expositionis ordinem pacato animo refellere sategit, quae a Canonicis opposita fuerant. Animadvertit itaque initio, irrationabilem dici quoque consuetudinem quae *reprobata sit a jure canonico:* quod alterum criterium ad dignoscendas irrationabiles consuetudines Canonici omiserant, de quo consuli potest Ferraris *Biblioth. can. v. Consuetudo n. 16.* Consuetudines autem contra rubricas a jure canonico reprobari.

Et reprobatas quoque esse in synodo dioecesana; in ea enim praescribitur: »Pontificale, Missale, Breviarium, Caeremoniale et Rituale auctoritate Clementis VIII. et Pauli V. recognitum mandamus observari sublatis abusibus et incongruis consuetudinibus quae forte temporum incuria in aliqua ecclesia irrepserint.«

Imo Concilium romanum anno 1725 sub Benedicto XIII. celebratum *c. 1. tit. 15.* haec expresse edixisse: »Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia quae in ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (iis exceptis, qui proprio vel rituali vel Missali vel Breviario utuntur a s. Sede probato) contra praescriptum Pontificalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere quavis non obstante interposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine, quum non quod fit sed quod fieri debet sit attendendum.« Item *in c. 4. tit. 2.*

Quoad consuetudinem non canendi Tertiam quando Episcopus Pontificalia peragit eam eliminandam esse tum ex auctoritate Caeremonialis Episcoporum *lib. 2. cap. 8.* tum ex auctoritate S. C. C., quae respondens die 18. Octobris 1824 nonnullis postulatis ab Episcopo id temporis factis rescripsit: *Integrum tibi erit Canonicos cathedralis ecclesiae ad id* (ad canendam Tertiam) *auctoritate tua compellere, quoties Pontificalia a te celebrentur.*

Quod si Rituum Congregatio aliquas identidem toleret aut servet contra Caeremoniale consuetudines, id contingere, quando consuetudines sint rationabiles *cum omnibus*

*) Vd. *p. 769. k.*

suis requisitis rite probatis, et immemorabiles, *ut nihil contra eas auditum umquam vel factum fuerit*, quibus in casibus privilegii naturam inducunt: hoc autem themate haec duo penitus deficere.

Indultum de vigiliarum et feriarum missis non canendis exemisse Canonicos »*a cantu . . . firma obligatione easdem missas lectas celebrandi illisque respective interessendi*« quod extendi non posset ad sensum quem Canonici vellent. Atque de hac re exstare S. R. C. decretum: quum enim propositum esset dubium: »Utrum tolerari possit consuetudo ignoti initii legendi missam conventualem de feria vel vigilia dum in choro dicitur hora Prima, an saltem sine cantu legi possit post Nonam adsistentibus iis, qui ad cleri servitium sunt adscripti? »die 30. Septemb. 1817 responsum prodiit: *Negative et serventur rubricae:* quod decretum Gardellinius sua adnotatione declarat.*)

Quod si duo praecepta simul possint adimpleri, id contingere, quando actiones inter se compatibiles ecclesia non praescripserit diverso tempore peragendas.

Quoad decretum sextum, quo Canonici prohibentur abesse absque Ordinarii venia tempore quadragesimae, adventus ac solemnioribus anni festivitatibus, id esse conforme juri et resolutionibus S. C. C. ceu traditur in erudita *institut. 107. n. 34.* Archiepiscopi Lambertini, postea Benedicti XIV., quodque S. C. C. pluries firmavit nominatim in *Castri Maris Servitii chori* die 30. Julii 1735.**)

De decreto septimo, quo prohibentur Canonici celebrare missam vel audire sacramentales confessiones tempore divini officii, nisi adsit necessitas, notavit Episcopus id quoque juri esse conforme et synodo dioecesanae permittenti, ut duo tantum Canonici missam id temporis celebrare possint cum venia Episcopi si adsit, secus cum venia Praefecti chori. Neque valere contrariam consuetudinem tradere Passerin. *l. 3. de clericis non resid. cap. consuetudo, reg. 10. num. 163.* Item s. Carol. Borromaeum in *4. Concil. prov. Mediol. cap. 13.* neque ab hac norma recessisse S. C. C. ut in *Interamnen.* 23. Februarii 1771.

De decreto decimo secundo non posse conqueri Canonicos, quin contra factum proprium agerent, quum id in s. visitatione potius quaesivissent.

*) Vd. *Mühlbauer, Decreta auth. S R. C. t. II. p. 123*

**) Vd. *p. 1061.*

De decreto vicesimo secundo, inquiebat Episcopus, se in vigorem denuo posuisse quoddam decretum die 24. Januarii 1849 ab Episcopo id temporis latum, quo constitutum fuerat, ut expositio pro oratione 40 horarum absque ulla exceptione fieret in altari majore: et hac de causa eo Episcopo vivente translatam fuisse dictam expositionem in dominicam, quae subsequeretur: se autem decrevisse, ut quo tempore SSmum Sacramentum esset expositum nullum funebre officium celebraretur: id posse decernere ex *cap. 8. sess. 21. de ref. Concil. Trid.* Quidquid autem ex adverso dici eruique vellet ex instructione Clementis XI. pro oratione 40 horarum, eam vires suas haud protendere extra urbem ceu ex decreto S. R. C. in *Patavina* die 12. Julii 1749: »*Praedictam instructionem extra urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit.*« *)

Progressus Episcopus ad alteras objectiones, quod non posset abrogare consuetudines capitulares sine Capituli consensu, animadvertit, in themate non agi de juridicis consuetudinibus, sed de abusibus adversus vigentes leges, qui non sine divini cultus detrimento paullatim irrepsissent.

Quod si Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de refor.* ex adverso allegatum jusserit interim prospicere disciplinae divinorum officiorum duobus Canonicis ad id adhibitis donec in Conciliis provincialibus eadem disciplina non statueretur, hodie illud decretum vix posse invocari, quum disciplina de officiis divinis jam determinata constitutaque sit per dicta concilia, constitutiones pontificias et decreta ss. Congregationum.

Quum itaque de abusibus ageretur, non autem de laudabilibus consuetudinibus, perquam longissime abesse periculum pejerandi si Canonici suas, quas appellant consuetudines, non servarent.

Reliqua praeterea Episcopus pari modo prosequutus est ex adverso objecta, quae, quum minoris sint momenti, omittimus.

Quoad missam conventualem privatim dicendam, quando ejus loco alia canenda et applicanda occurrat, ostendit Episcopus id adversari tum constitutioni Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* tum synodo dioecesanae necnon resolutionibus S. C. C. ut in *Ventimilien.* die 20. Decembris 1851.

*) Vd. *Mühlbauer l. c. t. I p. 715. n. 11.; t. II. p. 20..; p. 186.*

Quoad processiones de quibus loquitur decretum octavum, quo punctaturis subjecti fuere Canonici qui ad processiones ssmi Sanguinis et Corporis Christi non accederent, animadvertit, eas solemnissimas esse et convenire omnem clerum saecularem et regularem: et ideo punctaturam fuisse injunctam sicut in ceteris processionibus (quam prius Episcopus eisdem Canonicis proposuerat quin ipsi opponerent), ut declinarentur scandala per absentiam quorundam Canonicorum.

Post haec et alia minoris momenti, Episcopus adnotavit, jure comminatam esse suspensionem illis Canonicis, qui decretum quintum transgredi attentassent; qua de re Monacelli *in formulario par. 3. tit. 2. form. 7. num. 23.* haec scripsit: »Qui in choro divina officia indevote et inordinate recitant et persolvunt, postquam moniti sint etiam per edictum et non se emendent, sunt absque venia suspendendi a Divinis in totum vel a celebratione missae tantum aut ab ingressu ecclesiae arbitrio Episcopi ut ait Glossa in *Clem. Cupientes verb. Suspensi de poen.*, quia decreto Concilii Lateranensis, quod absolute praecipit, ut studiose et devote celebretur, sancitur: *districte praecipimus in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum studiose celebrent pariter et devote:* et ideo qui nescit sacris parere canonibus nec Sacris administrare non est dignus altaribus, ut inquit d. Gregorius in *c. hac consona 25. q. 1.*: hocque faciendum erit etiam sine processu et ex sola informata conscientia*) juxta modum supra etc.« Itemque s. Carolus Borrom. *l. 2. dec. 4.* Neque ab ea incurrenda excusare interpositum ad s. Sedem recursum vel animadversionem suspicionis judicis: scitum namque esse decreta ab Episcopo tempore s. Visitationis lata non suspensivam,**) sed devolutivam tantum admittere appellationem, Benedict. XIV. Constit. *Ad militantis ecclesiae* ***) §. *21. et 31.* Episcopum praeterea in s. Visitatione ut judicem suspectum rejici non posse declarasse S. C. C. die 5. Aprilis 1612.

Ex his itaque omnibus putabat Episcopus res a se gestas ad tramites juris procedere et nonnisi injuria laesos se Canonicos existimasse.

Ad alterum hujus causae dubium quod spectat, in quo de gratia concedenda agitur quam Canonici aliis precibus postularunt, de exemptione videlicet celebrationis missarum de feria vel de vigiliis necnon de facultate dicendi missam conventualem privatim quibusdam in casibus, adducebant Canonici tamquam causas imminutionem reddituum, qui essent ad medietatem redacti postquam civile Gubernium eorundem bona publico aerario addixisset: numerum Canonicorum ad duodecim redactum, quum prius essent quatuordecim; imo, indultariis non computatis, novem tantum in praesentia esse qui choro inservirent.

Testabantur praeterea, quamquam id non probarent, missas de vigiliis et feriis antiquitus celebratas ab eo Capitulo non fuisse eamque obligationem incepisse anno 1633 ex peculiari Episcopi decreto: immo post illud tempus nec constare, an missae de feria in Quadragesima fuissent celebratae, quum in libris in quibus missae de feriis adnotarentur de hujusmodi nec apex ne vola reperiretur.

Episcopus, precibus Canonicorum non adversatus, adnotabat tamen redditus annuos pro unoquoque Canonico pertingere ad libellas 500: neque sibi videri grave onus legendi missas de feria et vigiliis praeter aliam de festo cantatam quibusdam anni diebus.

In genere recolebatur decretum Honorii III. in *cap. Cum Creatura, de celebrat. miss.* ubi sancitum extat: »*Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum et pro festo vel feria secundum temporum congruentiam missarum solemnia conventualiter celebretis.*« Hunc textum, quem diversimode explanarunt veteres jurisconsulti, interpretatum esse Fagnanum, illum reducentem ad rubricas missalis; Fagnanus in *cap. Cum creatura n. 22. et seq.*

Immo postea Benedictum XIV. in constit. *Cum semper oblatas* haec iterum inculcasse: »*Non modo ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una sed binae atque etiam aliquando tres missae conventuales uno die celebrentur.*«

Haec autem sacrorum Rituum C. decreta tunc limitationem admittere, quando ex lege fundationis constet de qualitate servitii ec-

*) Vd. *t. I. p. 643. n. 59; t. II p. 791. d.*
**) Vd. *t. I. p. 619. b. I.*
***) Vd. *t. I. p. 583.*

clesiae et de missarum numero ceu tradit Monacell. *Form. supplem. ad t. 1. n. 234.*

Neque audiendos videri Canonicos quoad alterum postulatum, ut diebus, quibus vel ex aliquo legato pio vel ex voluntate alicujus specialis benefactoris deberent missam cum cantu applicare, eis liceret hanc eandem missam pro conventuali habere, remissa celebratione et applicatione missae conventualis Canonico *de turno* privatim celebrandae: commemoratis enim pluribus S. C. resolutionibus praescribentibus quotidie esse missam conventualem in choro celebrandam quin excusaret tenuitas reddituum, animadversum est, in themate Canonicos, si onus alterius missae aliquoties haberent,*) habere quoque ejusdem oneris emolumentum.

Nihilominus pro Canonicis adnotatum est constitutionem *Cum semper oblatas* §. *19.* considerare casum tenuitatis reddituum; qui si tales fuerint, ut, subtracta eleemosyna missae conventualis, spernendi essent cum detrimento divini cultus et e converso neque media suppeterent augendi praebendarum redditus juxta dispositionem Trid. Concilii *sess. 24. c. 15.*, reliquum esse ad S. C. C. recursum habere, ut ad festos tantum dies missa conventualis reducatur:**) idque cum praxi S. C. C. cohaerere.

Quum itaque in themate ageretur de Canonicis quorum redditus ad medietatem fere essent redacti, quum accederet conditio praesentis civilis societatis ob quam pretia rerum aucta vehementer sint, aequum videri ut imminuerentur quoque aliqua ratione missarum conventualium onera.

His aliisque deductis proposita sunt resolvenda

D u b i a:

I. An decreta Episcopi in sacra Visitatione lata sustineantur in casu?

II. An et quomodo annuendum sit precibus Canonicorum in casu?

S. Congregatio Concilii die 9. Julii 1870 respondere censuit

Ad I: *Affirmative.*

Ad II: *Negative quoad primum postulatum; affirmative quoad secundum, dummodo haec missa lecta celebretur in Cathedrali, ad decennium facto verbo cum SSmo.*

*) Vd. *p. 415. n. 32.*
**) Vd. *t. I. p. 786. h*; *p. 760. XI.*

Ex quibus inter cetera colliges:

I. Generatim consuetudines, quae rubricarum praescripto adversentur, inter abusus facile recenseri.

II. Quo enim facilius hisce in rebus invalescere possunt contrarii diversique usus contra conformen universalemque disciplinam, eo facilius inter abusus sunt recensendi.*)

III. Eadem fere esse dicenda in iis, quae respiciant leges universales quae chori servitium moderantur obligationesque Canonicorum determinant.

IV. Hinc usus invecti contra universales leges sive residentiae sive praesentiae debitae dum divina persolvuntur officia, si in judicium deducantur, difficile saltem sustinentur.

V. Solius autem Episcopi esse, quin consensus aut consilium Capituli requiratur, abusus prudenter corrigere, qui lapsu temporis invecti fuerint, ut rubricae et ss. canones in observantiam revocentur, additis etiam contra reluctantes canonicis poenis.

VI. Colliges praeterea in potestate Episcopi esse in solemnioribus processionibus cogere omnem clerum ut processioni interveniat.

X. In ecclesia propria.

Aliphana.

(Conc. Tr. C. 3. Sess. 23; C. 12. Sess. 24. de ref.)

Detrectantibus Canonicis ecclesiae cathedralis Aliphanae, quorum pars major domicilium habet in oppido Pedimontis tribus fere milliaribus a d. Cathedrali distanti, debitum chori servitium in eadem Cathedrali persolvere consueti illud adimplere in una ex collegiatis ecclesiis praefati oppidi sub

*) Externus splendor et dignitas sacrorum rituum in latina ecclesia magna ex parte consistit in conformitate observantiae; possent enim facile excogitari ritus, qui videantur etiam meliores nobiliores quam illi in rubricis praescripti: sed sublata conformi observantia, eo ipso tandem cessaret splendor ille externus, qui ex universali conformitate, tamquam ex praecipua causa, derivat. Hinc sanctiones quae uti corruptelas prohibent contrarias consuetudines. Hic tamen generalis rerum conceptus non impedit quominus dari possint contrariae consuetudines rationabiles, sed efficit, ut consuetudines ut rationabiles non sint habendae, nisi habeantur graves causae, quae earundem rationabilitatem ostendant.

die 24. Jan. 1705. instante universitate laica civitatis Alipharum proposita fuerunt haec dubia in s. Congregatione:

I. *An Canonici ecclesiae cathedralis Aliphanae teneantur redire et quotidie officiare in eadem ecclesia cathedrali?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sint cogendi?*

Et s. C. rescripsit

Ad I: *Affirmative et amplius.*

Ad II: Cogendos esse ad formam Concilii et Ordinario injungendum, quatenus de executione s. Congregationem certioret, ut in folio d. die distributo.

Paruerunt Canonici hujusmodi rescripto; atqui experti quotidianum accessum et regressum a civitate Aliphana tam hyberno quam aestivo tempore evadere ipsis valde laboriosum supplicarunt s. C. pro facultate deserviendi per mediariam, sex nempe pro qualibet hebdomada ex duodecim, qui totum capitulum componunt; nihilominus sub die 4. Junii 1707. prodiit rescriptum: *Lectum et amplius.* Placuit tamen EE. VV. sub die 12. Jan. prope defluxi novam audientiam decernere in devolutivo tantum eisdem Canonicis communitis aliis juribus et favorabili informatione Episcopi super difficultate accessus et tenuitate reddituum non exceden. ann. ducata 40 monetae regni pro quolibet, quapropter oratores renovarunt preces pro gratia, quam confidunt hodie ex iisdem juribus in summario dandis reportare a benignitate EE. VV. sub dubio:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis sub die 4. Junii 1707 in casu etc.?

S. C. C. resp.: *In decisis et amplius.*

Die 27. Apr. 1709.

XI. Habitus.

Canonicos caeterosque divinis officiis in choro assistentes decenti habitu, talari necnon superpelliceo ac bireto indutos esse debere et contrarium abusum omnino abrogandum.

S. R. C. die 30. Julii 1689.

XII. Locus.

Vd. *Chorus* (Consuetudo non integre etc. decr.: *Cingulana p. 1132.*; alternativa concessa decr.: *Tusculana* §: *Nihilominus* p. 1081.; p. 1134. n. 9.;)

Barbastren.

Abbas et Monachi monasterii s. Victoriani Nullius seu Barbastren. dioecesis asserunt praedictum monasterium utpote in deserto loco situm exponi noctu praecipue surum maleque viventium invasionibus et propter redditum tenuitatem monachos alibi commorantes rhedis vectos ad horas canonicas inibi celebrandas ferri non sine maximo periculo, noctis praecipue tempore, quo nebulones praedicti et in eos grassari et ecclesiam depraedari possunt; quapropter postulant sibi concedi matutinum ibi sub noctem recitandi facultatem.

S. Congregatio respondit: Extruant oratores sacellum privatum commodum ubi matutinum hora consueta celebrari possit; tempus vero ad id ab ecclesia praescriptum non alteretur.

Die 20. Julii 1593.

XIII. Obligatio.

a) Ampliatio.

Brundusina.

Michael Angelus Incalzi Canonicus nunc et cantor cathedralis ecclesiae Ostunensis necnon Provicarius generalis illius dioecesis exposuit s. Congregationi servitium chori quod a capitulo praefatae Cathedralis praestatur legibus repugnare a Concilio Trid. sancitis idque scandalum populo et dedecus ecclesiae afferre.

Rogavi Archiepiscopum Brundusinum nunc Ostunensis ecclesiae episcopalis Administratorem perpetuum *pro informatione et voto audito capitulo Ostunen., ut referret de ecclesiae constitutionibus et consuetudine quoad praeteritum transmissa particula earumdem constitutionum aliisque documentis ad rem facientibus.* Respondit autem Archiepiscopus se Michaelem Angelum Incalzi ad secundam capituli Ostunensis Dignitatem et Pro-Vicarii generalis munus evexisse eique commisisse s. visitationem illius ecclesiae ut scandala eliminaret et ecclesiasticam disciplinam instauraret; votique compotem se factum dicit, cum Provicarius visitator in capituli comitiis die *15. Augusti 1822.* habitis punctatores, qui omnino deerant, elegerit ipsosque jurisjurandi religione ad officium suum exacte obeundum devinxerit.

Addit quoque Archiepiscopus, Canonicos caeterosque praebendatos massa communi frui, qua tum omnibus oneribus publicis tum distributionibus anniversariorum et solemnitatum tum stipendiis ministrorum plenissime satisfaciunt et quidquid superest inter se dividunt, ita ut unicuique ducata sex vel octo quotannis obveniant. Servitium vero chori commune esse monet tam Dignitatibus, Canonicis et portionariis quam presbyteris, diaconis et subdiaconis non portionariis, qui nil a capitulo accipiunt, sed datur eis optio, quoties vacatio alicujus praebendae contigerit.

Diebus solemnitatum nemo adstringitur chori servitio, eo quod adsint distributiones pro I. vesperis, matutino, laudibus, Prima, Tertia et missa solemni ac poena non intervenientium sit amissio distributionum; horis autem Sextae, Nonae et completorii satisfacit turnus diei. Ad II. vesperas omnes interesse compelluntur punctatura duplici; idemque in missis conventualibus et II. vesperis dominicae servatur.

Fallentia *ordinaria* est dimidii grani pro qualibet hora et *duplex* unius grani fitque hac enormi fallentia ut Capitularis toto anno absens a choro summa ducatorum 4 vel ad summum 5 mulctetur. Eadem vero est fallentiae norma tum pro Dignitatibus, quarum redditus 100 percipiunt, tum pro portionariis, qui 70 vel 80 ducata ab ecclesia habent.

Prosequitur Archiepiscopus capitulum ipsum ignorare titulum et auctoritatem, cujus vigore servitium hujusmodi fuerit invectum. Causa vero potuit esse ingens anteactis temporibus ecclesiasticorum numerus et non magna capacitas chori, qui 60 vel 70 viros continere vix potest. Res ita se habuerunt usque ad 1742., quo Sedem Ostunensem obtinuit Franciscus Antonius Scoppa eaque in ecclesia clericos quamplurimos et presbyteros 150 invenit: his autem sensim deficientibus novit Episcopus ecclesiae servitium in deterius dietim abire. Justas itaque excitavit querelas et hortationibus a promothore fiscali fori ecclesiastici convocari curavit capitulum, ut chori servitium ampliarent quod nisi Canonici ac caeteri Capitulares sponte fecissent, se ad formam ss. canonum et Concilii Trid. ex officio jussurum minatur.

Omnes in voto Archidiaconi fuere et Episcopo probante novus tabellae inscriptus fuit turnus, quo inservientes feria II. et III. erant numero 26, feria IV. et V. 24, feria sexta et sabbatho 26.

Verum defuncto Episcopo Scoppa servitium novissime institutum abjecerunt Capitulares et vetus illi anteposuerunt, quamvis ob imminutum eorum numerum ecclesia summum patiatur detrimentum.

Convocato Ostunensi capitulo die 30. Decb. 1822. varia fuit Capitularium opinio, praevaluit autem sententia, nihil innovandum esse ac deputandos, qui Archiepiscopum perpetuum Administratorem adeuntes providerent, ne servitium novum induceretur, non alia quidem de causa, nisi quia ab instituto majorum recedere nolebant. Canonicus tamen Cataldus Incalzi opportunam censuit servitii statutam ampliationem die 16. Novembris 1773 et fallentiae ordinariae augmentum ad granum unum, duplicis vero ad duo grana, atque hujus servitii adprobationem a s. Congregatione esse implorandam. Verum de hoc nulla unquam ab Ostunensi capitulo fuit oblata petitio.

Exploratum est ex *canon. ult. dist. 92.* eos qui chorali beneficio fruebantur singulis diebus choro interesse ad celebranda divina officia debuisse, attamen uti notat *Garzias de beneficiis part. 3. cap. 311.* oportuit aliquid juxta fragilitatem humanam indulgere ad corporis animique levamen. Plures tamen deinde irrepserunt corruptelae, ad quas eliminandas Tridentini Patres severitati indulgentiam miscentes trium mensium vacationes capitulis indulserunt, generali praebendatis omnibus tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum indicta lege, ut *non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis abesse salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt, sess. 24. cap. 12. de reform.*

Quapropter s. Congregatio deficiente necessaria causa perpetuo reprobavit statuta et consuetudines vacandi a servitio chori ultra tres menses; suisque stare viribus servitii tempus statuerunt, ut videre est in *Cathacen 29. Novb. 1698.**) *in Tusculana Servitii chori 18. Junii 1808.*,**) et in *Salernitana Servitii chori 23. Junii 1821.* Nulliusque momenti habendam imo a Trid. synodo sublatam penitus edixit quamcumque contrariam consuetudinem etiam immemorabilem, ut monet

*) Vd. *p. 1062.*
**) Vd. *p. 1079.*

Fagnan. in cap. Licet de praeben. n. 33. et seq., Bened. XIV. Notific. 107. §. 9. n. 31. in fine, qui refert resolutionem hujus s. Congregationis in *Calaritana 1581.*, cui consonat alia definitio *in Bovinen. Jurium parochialium 17. Junii 1820.*

Favore capituli cum praebendarum tenuitas proponi nequeat, uti ex Archiepiscopi relatione patet, nihil praeter longaevam consuetudinem afferri posse videtur; consuetudo enim, quando centenaria vel immemorabilis est, praesumptionem cujuscumque melioris tituli ac proinde apostolici etiam Beneplaciti secumfert, *L. hoc jure §. Diutius ff. de aqu. quot., Rota in Romana Locationis super devolutione et associatione 15. Martii 1789. coram Emo Cesarei* et s. Congregatio in *Praenestina Reparationis Ecclesiae 6. Maji 1820.* Videant tamen EE. PP., an consuetudo utiliter proferri valeat, postquam 1773. immutatum fuit chori servitium novaque methodus usque ad obitum Episcopi Scoppo fuit servata: quandoquidem unicus etiam actus ad consuetudinem evertendam sufficit. *Rota cor. Ludovis. dec. 162. n. 9. cor. Ealconer. tit. de miscell. dec. 34. n. 16.* et s. Congregatio *in Bovinen. Jurium. parochialium 27. Maji 1821.* Videant quoque, an ad Ostunense capitulum pertineat definitio, quam in longe duriori casu tenuitatis praebendarum et immemorabilis consuetudinis edidit s. Congreg. *in Hieracen. Servitii 13. Martii 1660.* Nam exposuerunt Canonici Cathedralis Hieracensis, *se per Episcopum cogi ad servitium chori juxta formam a s. Conc. Trid. praescriptam, cum tamen ipsi attenta redditnum tenuitate et immemorabili consuetudine soliti sint, mense quolibet in sex partes diviso, alternatim inservire, seu ut vulgo dicitur* per sestaria, *quare petebant praescribi Episcopo, ne quid innovaret:* verum s. Congreg. respondit: *Non esse annuendum.*

Quoad fallentias inquirendum est, an ordinaria in dimidio grano et duplex in unico grano constitui possit; jubente Trid. synodo *sess. 21. cap. 3.* tam in ecclesiis cathedralibus *quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam canonicatuum quam dignitatum, personatuum, portionum et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti:* idque totidem verbis repetit *Moneta de distrib. part. 1. qu. 5. n. 25.* et opportune monet *Bened. XIV. citat. Notific. 107. §. 7. n. 41.* Quin praesidium ab observantia quantumvis immemorabili sperare valeat Ostunense capitulum; eam enim pro distributionibus normam statuit laudata synodus *non obstantibus exemptionibus ac aliis consuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Caeterum irrationabilis dicenda est consuetudo, quae amplam negligendo ecclesiae servitio viam sternit et finem evertit, ob quem distributiones quotidianae fuere constitutae, *cap. 6.* et *cap. ult. de consuet., Azor. part. 1. lib. 5. cap. 17. qu. 5., s. Congr. in Januen. Juris eligendi et adhibendi notarii 31. Julii 1819.* et in *Balneoregien. Visitationis ss. Liminum quoad curam animarum 24. Maji 1821.* Itaque ne consuetudinis quidem nomen meretur sed abusus et corruptela est appellanda; ideoque illam omnino reprobari et abusum eliminari oportet, *glossa in cap. Cum tanto §. Legitima, de consuet., s. Congregatio in citat. Balneoregien. Visitationis etc. 24. Maji 1821.*

Ab EE. VV. dirimenda erunt

D u b i a :

I. *An et quomodo ampliandum sit servitium chori in casu?*

II. *An et in qua summa sint constituendae fallentiae in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad formam decreti Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* et ad mentem.

Ad II: Affirmative, in tertia parte fructuum ad formam decreti Concilii Trid. *sess. 21. cap. 3. de reform.*

Die 29. Maji et 26. Junii 1824.

b) Archipresbyteri.

Vd. *Chorus* (absentia — *causae non excusantes* p. 1037.; Cura animarum p. 981.; p. 366. n. 8.)

Montis Politiani.

1666. quaesivit a s. Congregatione Episcopus ecclesiae Politianae num cathedralis ecclesiae Archipresbyter sine cura animarum cum prima sit capituli dignitas servitio chori teneretur. S. Congregatio die 17. Aprilis ejusdem anni rescripsit: »Archipresbyterum non teneri ad praescriptum Trid. Concilii *sess. 24. cap. 12. de reform.* choro quotidie

intervenire, sed illi ab Episcopo competens servitium ad normam *cap. 3. sess. 22.* esse assignandum. Id Episcopus praestitit, ut patet ex registro literarum s. Congregationis, in quo epistola legitur die 3. Julii ejusdem anni ad Episcopum transmissa, cujus pars hisce est verbis concepta: »Probavit s. Congregatio, quod juxta Amplitudinis tuae decretum idem Archipresbyter inservire debeat omnibus diebus dominicis et per quadragesimam necnon in die Natalis Domini et vigilia praecedente et tribus diebus sequentibus, item in festis Circumcisionis et Epiphaniae, in festo Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, in vigilia et festo Ascensionis Domini, in vigilia et tribus diebus Pentecostes, in vigilia et festo Corporis Christi cum tota octava, in festo inventionis s. Crucis, in festo b. Mariae, idest Conceptione, Purificatione, Assumptione, Visitatione, Annunciatione et Nativitate et decollatione s. Joannis Baptistae, in festis omnium Apostolorum, in festo s. Marci Evangelistae, in festo s. Laurentii mart., in festo s. Martini conf., in festo b. Agnetis Virg., in festo omnium Sanctorum et in die commemorationis omnium defunctorum ac quod de festis dicitur intelligatur cum I. et II. vesperis.«

Eadem epistola factum Episcopi probatur qui tertiam partem fructuum archipresbyteratus punctaturis assignavit. Hanc punctaturarum legem ex quodam libello in cancellaria episcopali reperto per septennium servatam fuisse patet, nempe usque ad annum 1673. Ab hoc autem anno nullum amplius quoad chorale servitium ab Archipresbytero praestitum invenitur monumentum ad annum usque 1753., in quo pius Magnoni Antistes Politianus in actis visitationis asserit, praelaudatum decretum quod suus Antecessor auctorante s. Congregatione ediderat *numquam fuisse exequutioni mandatum.* Quare et suae et Archipresbyterorum consulens conscientiae iterum audita s. Congregatione idem decretum renovavit.

Ab hujusmodi decreto Archipresbyter Julius Contucci ad tribunal apostolici Nuncii appellavit. Dum autem quaestio agebatur utrum admittenda esset appellatio, Archipresbyter supplicem libellum Episcopo porrexit, in quo praecipue exponens bonam fidem, qua adeptus fuerat hanc dignitatem, et dimissionem praebendae theologalis ab ipso antefactam, ut mitiori archipresbyteratus servitio et aetati consuleret et senectuti quietatem inveniret, exemptionem a choro postulavit. Rescripsit Episcopus in calce hujus libelli: *Servari solitum vivente eodem Archipresbytero et eum non molestari salvo jure procedendi in futuris.* Res siluit reliquo tempore, quo rexit Politianam ecclesiam dictus Magnoni siluitque etiam sub altero Episcopo Pio Francesi, cui hodiernus Episcopus immediate successit. Hic vix aliqua hac de re monumenta invenit, statim consulendum censuit s. Congregationis oraculum, a qua tamen cum nullum accepisset responsum ob praeteritam rerum publicarum eversionem, Augustino Petrini, qui archipresbyteratus dignitate fungitur, injunxit ut ab EE. VV. dubii ipsius definitionem exposceret. Quae Archipresbyter deducat ad hanc dubii declarationem, quae contra Episcopus animadvertat, EE. PP. subjiciam.

Multa sane proponit Archipresbyter, ut dignitatem suam immunem reddat a servitio chori atque vobis PP. EE. suadeat *sub I. dubio* recessum a decisis sub die 17. Aprilis 1666. Primum negat ex constitutionibus quae latae erant antequam ecclesia Politiana in Cathedralem erigeretur hoc onus interessendi choro impositum fuisse. Nam *in constit. 16. de offic. Archipresbyt. vel Vic.* ei impositum est onus canendi missas in designatis diebus festis solemnioribus quia in ecclesia tunc collegiata dignior erat. *In constit.* vero 75. Archipresbyter excluditur a percipiendis *distributionibus etiamsi Divinis interesse contigerit.* Ex quibus illud deducitur, quod Archipresbyter non ex constitutionibus, sed ex voluntate choro interveniret et propterea privabatur distributionibus, quibus carere non poterat, si ex imposito munere choro interesse teneretur. Post vero erectam in cathedralem ecclesiam Politianam editae fuerunt *reformationes* constitutionum, quas praestat cognoscere. In *reformat. constitut. 23.* praescribitur: »ut per unam hebdomadam serviant in divinis officiis R. D. Praepositus cum media parte Canonicorum et capellanorum, per alteram R. D. Archidiaconus cum alia parte Canonicorum et capellanorum. . . . Omnes autem simul dignitates et capellani teneantur servire omnibus diebus dominicis et per quadragesimam necnon etc. aliisque designatis diebus.« Ex altera vero *reform. ad constit. 75.* habetur: »Recte constitutum est, ut de distributionibus capituli Archipresbyter non participet quoniam ipsi

certi redditus constituti sunt cum ea conditione, ut iis contentus a distributionibus abstineat.

Ex his *reformationibus* exemptum se esse putat Archipresbyter a servitio chori,

I. quia inter dignitates quibus imponitur servitium chori illa Archipresbyteri designata non est;

II. quia haec Archipresbyteri dignitas ante erectionem ecclesiae in cathedralem huic oneri non subjiciebatur et propterea censendum est novum onus ei non fuisse impositum, nisi hoc expresse cautum fuerit;

III. quia eximi potuit ab hoc onere tum ob curas quasi episcopales quibus Archipresbyter tenebatur tum ob retributionem ob collatos suos redditus in mensam episcopalem tunc primum erectam;

IV. quia *reformationes* quae legem constituunt cum sint ambiguae et abscurae benigniorem requirunt interpretationem juxta regulam de qua *Benedict. XIV. Institut. 13. num. 4.*

Tandem Archipresbyter appellat ad observantiam. Nam ab anno 1561. quo erectus fuit episcopatus ad annum 1641. per 90 annos nullum in actis ss. visitationum vestigium invenitur, ex quo appareat Archipresbyteros obligatos fuisse ad chori servitium. Hoc vero anno 1641. ex actis s. visitationis Episcopi Talenti constat Archipresbyterum a choro fuisse immunem. Id quod confirmatum est ex actis alterius visitationis anni 1659. Episcopi Cervini. Quamquam vero 1666. ex decreto s. Congregationis coactus fuerit Archipresbyter ad servitium chori et punctaturas (quod decretum Archipresbyter Petrini excipit vires reijudicatae acquirere non potuisse, utpote editum inaudito Archipresbytero) attamen si excipiantur septem sequentes anni, ab anno scilicet 1666. ad annum 1673., inobservatum jacuit usque ad annum 1753., quo in actu s. visitationis Episcopus Magnoni illud decretum renovavit. Sed postea ab ipso suspensum fuit. Quare ex tam diuturna negativa observantia quae et ante et post editum decretum s. Congregationis invaluit se exemptum putat Archipresbyter ab onere servitii chori.

Contra haec animadvertendum est, quod in *reformat. ad constit. 75.* repellitur Archipresbyter a participatione distributionum, quia ei certi constituti redditus fuere. Quare si distributiones percipiunt, qui choro intersunt, si Archipresbyter loco distributionum habuit certos redditus, jam ex hoc videtur ad chori servitium teneri. Sed si quid ambigui habent leges et reformationes, jam hoc explicatum fuit et definitum ex decreto s. Congregationis, a quo post absolutam numeris omnibus quaestionem nefas esset recedere *ex text. in Leg. Ingenuum de statu homin.* Contra vero observantiam considerandum occurrit, quod ea, quae praecessit decretum s. Congregationis, inanis est, cum ex ipso decreto interrupta et infirmata sit. Quae vero superaccessit, numquam ad metam centenariae pervenit, ut inducere possit praescriptionem adversus statuta et rem judicatam *ex text. in can. 3. distinct. 8.* ita ut potius abusus quam consuetudo judicanda sit.

Quandoquidem EE. PP. putent in I. dubio persistendum esse in decisis tum in II. dubio quaeritur quod servitii genus imponendum sit. Episcopus ita consulit: »Nunc iterum meum sensum aperio et sapientiae EE. VV. RR. omni qua decet reverentia libentissime submitto. Post decretum s. Congregationis causa utique finita est et aliquod servitium ab Archipresbytero utique praestandum est. Illud tamen ab Episcopo Antonio Cervini praescriptum forsitan nimis grave visum fuit quia fama et forsitan consuetudo erat exemptionis a tota et hac de causa decreto Episcopi defuit ut plurimum obedientia. Ideo Vobis EE. PP. RR. probantibus servitium ego redigerem ad dies dominicos et festivos ut vulgo dicitur *d'intiero precetto*, ad I. vesperas majorum solemnitatum, ad triduum hebdomadae majoris ad processionem Corporis Christi, s. Agnetis et rogationum et sic facilius decreto obedientiam conciliarem.

Tandem in III. dubio Archipresbyter illud etiam ante oculos vestros ponit se dignitatis privilegio non proprio commodo famulari, utpote quod ferialibus persaepe diebus nedum omnibus festivis choro libentissime inserviat. Cum autem octogenaria aetate laboret cumque cathedralis ecclesia in eminentiori loco ac non parum sibi incommodo sit posita, pietatem Vestram orat obtestaturque ut nisi EE. VV. onus aliquod suae dignitati imponere aequum justumque videbitur eum quamdiu vixerit ab obligatione choro inserviendi eximatis attenta ejus senectute ac praestito usque adhuc ab eo laudabili servitio.

Nihil de his Archipresbyteri precibus in sua relatione Episcopus.

Erit EE. PP. dirimere sequentia dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

Et quatenus in decisis,

II. *An et quale servitium chorale sit archipresbyterali*) dignitati imponendum in casu?*

III. *An sit eximendus a praescripto servitio hodiernus Archipresbyter in casu?*

S. C. resp.

Ad I: In decisis ad formam resolutionis s. Congregationis anni 1666.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Negative.

Die 11. Febr. 1818.

Namurcen.

In civitate Namurci post conventionem ab apostolica Sede cum gallica ditione initam sub 1801 ita ordinatae sunt paroeciae, ut in ecclesia s. Lupi constituta fuerit paroecia primaria seu matrix: quae fuit usque ab anno 1750. translata fuerat in ecclesiam cathedralem parochia s. Joannis Evang. Cathedrali restitutum fuit Capitulum Canonicorum cum 8 Canonicis, qui annua quadam pensione ab aerario publico persolvenda loco canonicalis praebendae dotati fuere.

Accidit 1813 ut vacaret paroecia primaria s. Lupi, qua occasione usus Episcopus Namurcensis, ut novo decore augeret suam Cathedralem atque ut omnes controversiarum causas inter parochum primarium et capitulum propulsaret, titulum curae primariae unacum suis juribus et pensione transtulit ad cathedralem ecclesiam, paroeciam autem s. Lupi ad simplicis succursalis conditionem redegit servato cuique ecclesiae veteri territorio.

Idem Episcopus nonum Canonicum in eadem Cathedrali constituit delataque ob sic translatam paroeciam primaria cura tantum habituali capitulo actualem curam simul cum parochiali pensione perpetuo adtributam edixit Canonico Archipresbytero.

Alio decreto interim Episcopus servitium chori et paroeciae moderatus est.

Primus Archipresbyter renunciatus fuit Canonicus Buydens, qui per annos 5 nimirum ad 1819 officia omnia tum canonicalia tum parochialia obivit. At eo anno supplici libello Episcopum adiit petens mutationem eorum. Acriter petitioni obstitere Canonici sed Episcopum preces audivisse Archipresbyteri certum videtur, quamvis non constet quo modo quibusque conditionibus id factum fuerit. Neutra enim pars decretum Episcopi, si quod fuit, protulit. Asserunt dumtaxat Canonicos ne aperuisse quidem epistolam Episcopi, quo nunciabatur ipsis decretum, atque hoc epistolium, ut erat clausum, pluries hinc inde jactitatum tandem ab oculis evanuisse.

Facto tamen Archipresbyter non amplius canonicalia officia functus est quae reliqui Canonici inter se dispertiti sunt. Sic processum est usque ad 1839, quum aetate fracto Archipresbytero in ejus locum suffectus est hodiernus Archipresbyter Canonicus Defresne. Hinc Canonici contendere caeperunt ut et Archipresbyter suis vicibus officia choralia sustineret, veluti caeteri Canonici, hic e contra se immunem esse propugnare. Episcopus hinc inde scripta ad s. Congregationem remisit orans ut EE. VV. dignentur dirimere controversiam, quae ortum habuit ut ipse ait *viginti circiter abhinc annis, quaeque pluries inter illos agitata numquam tamen fuit definita.* Nihil aliud referendum duxit Episcopus.

Archipresbyter haec pro se allegat: Se quidem esse Canonicum tantum quoad *canoniam*)* id est quoad jus spirituale, per quod quis habet stallum in choro, locum et vocem in capitulo ac jus ad praebendam, cum facultate actu percipiendi distributiones, ut explicat *Moneta de opt. Can. cap. 7. quaest. 1. n. 6., Barbos. de Can. et Dig. cap. XII. n. 1.;* at non teneri ad onera canonicalia quia nulla gaudet *praebenda* canonicali, quae proprie sistit in jure percipiendi certos proventus in ecclesia cui praebendatus deservit, *Barbos. loc. cit. num. 2.*

Canoniam quidem habere certum est, cum esset Canonicus praebendatus antequam vocaretur Archipresbyter; postquam ad parochialem curam assumptus est praebendae canonicali utique cessit, sed non canoniae quam imo retinere debuit, ut si quando contigerit a parochiali cura amoveri cano-

*) Vd. *p. 1152. Albanen.*

*) Vd. *p. 47.*

nicalem praebendam reassumere valeret veluti jubet Archiepiscopus in suo decreto 3. Novembris 1813.

Canonicalem vero *praebendam* carere ex eo probat, quod tantum pensionem percipit quam publicus aerarius pro parocho primario solvit. Hanc pensionem non potuisse converti in praebendam canonicalem contendit, tum quia Conc. Trid. *sess. 25. cap. 16. de reform.* vetat ne beneficia curata in simplicia beneficia convertantur, quamvis congrua assignaretur pro Vicario, tum etiam quia ex natura unionis parochialis primariae cum capitulo cathedrali pensio ex juris dispositione in singulos Canonicos dispertienda foret. Nec ex eo quod Episcopus praeceperit ut tota pensio uni Archipresbytero attribueretur inferendum est voluisse praebendam reddere canonicalem et archipresbyteralem sed dicendum potius hoc ideo demandatum ut pensio loco esset *congruae*, quam capitulum subministrare deberet ei qui parochialis unitae actualem curam gereret.

Quodsi Archipresbyter nullam habet praebendam canonicalem, concludendum est nulli muneri canonicali alligatum esse. Siquidem servitium canonicale *facere fructus suos,* quae causa cum in casu cesset, cessare oportet et obligationem.

In hoc sensu intelligenda est (Archipresbyter prosequitur) bulla Benedicti XIV. qua sub §. 17.*) obligat ad missam parochialem curam exercentes. Imo si ex ipsius bullae verbis: *quicumque canonicatus obtinent et missam conventualem suis respective celebrant,* eruere licet a contrario sensu, quosdam esse Canonicos, qui ad missam conventualem non tenentur, inter quos merito recensendus Archipresbyter, qui non incongrue comparandus est illi quem s. Congregatio absolvit in *Brictinorien. 20. Aprilis 1793.* cum possit et ipse dicere *se distinctos habere parochiales redditus nihilque omnino percipere ex canonicalibus praebendis.*

Et quamvis aliquo modo agi potuisset de Canonico Archipresbytero ob onera canonicalia subeunda, exemptio tamen ab Episcopo concessa anno 1819. acriter repugnante capitulo illum omnino liberavit. Etsi enim capitulum epistolam qua decretum illud Episcopi nuntiabatur aperire unquam noluerit, tamen passus est exequutioni committi et Archipresbyterum per 20 annos exemptione frui.

Patientiae capituli imo et implicitae acceptationes non dubia argumenta sunt, per 40 annos pacifice inter Canonicos excepto Archipresbytero onera ac vices suas distributas fuisse; tabellas pro hebdomadario chori designando non jam novem, uti per erat si Archipresbyter comprehenderetur, sed octo tantum foraminibus confectas (atque hoc insuper probat, capitulum exemptionem ab Episcopo concessam non habuisse uti temporaneam et ad vitam Archipresbyteri, sed omnino perpetuam). Praeterea eosdem Canonicos aequievisse cum Episcopus Barett 1833 in capitulo conderet statuta ac facta inquisitione de exemptione Archipresbyteri nihil de illo disposuit. Tandem praesentem Archipresbyterum a Decano in possessionem archipresbyteratus immissum fuisse, quin mentio ulla obligationis pro servitio chori et altaris facta fuerit.

Nec officere possunt vel dispositio episcopalis decreti art. 18. vel literae patentes datae primo Archipresbytero, quibus videbatur voluisse Archipresbyterum obnoxium oneribus canonicalibus: nam vel subsequenti exemptione sublata fuit obligatio vel potius eum obtinent affectum illae dispositiones, quem jure obtinere poterant; cum enim sese referant ad bullam Benedictinam cumque haec bulla ad speciem hanc non pertineat nullum effectum obtinere et ipsas posse existimatur. Hoc ipsum dicendum est de literis patentibus novi Archipresbyteri, praesertim quia Episcopus declaravit literas patentes ad exemplum priorum quidem factas, sed *nihil innovare per illas voluisse.*

Ad tollendam obligationem, si qua unquam fuit, non levis auctoritatis est observantia 20 annorum, quae praescriptionem legitimam induxit. Non enim deest *titulus,* non *bona fides,* uterque ab exemptione Episcopi dimanans: non deest *patientia capituli* per *annos 20* continuata. Praescriptione autem extingui obligationem nemo est, qui dubitare possit.

Tandem si qua stricto jure adesse posset etiamnum obligatio, rei necessitas in casu suadere deberet, ut Archipresbyter immunis et liber ab oneribus canonicalibus haberetur. Nulla enim modo potest eadem persona tum choralibus officiis satisfacere tum curam animarum exercere, quae totum hominem occupat.

*) Vd. *t. I. p. 700.*

Nec sola cura paroeciae illum detinet, sed etiam tamquam parochus primarius caeteris ejus districtus succursalibus praeesse debet, imo et aliis muneribus Episcopum adjuvare, cum synodalis adsessoris partes agat.

Ex adverso capitulum intentionem suam fundat in constitutione Benedicti XIV. Non negant Capitulares imo et ipsi contendunt Canonicum esse Archipresbyterum atque hoc ipso ex bulla Benedictina ad omnia canonicalia onera teneri. Quamvis enim per hypothesim Canonicus esset absque praebenda, ut ipse ait, tamen Benedictinam sanctionem vix effugere posset, veluti in simili facti specie respondit s. Rota, Archipresbyterum, qui in erectione Collegiatae nihil emolumenti quaesierat, tamen teneri ad servitium chorale*) et ad missam conventualem, ut caeteri Canonici, in *Ariminen. 12. Decembris 1794.* et *15. Maj 1795. coram Guardoqui.* Cumque postea ageretur de restitutione ejusdem Collegiatae a Gallis suppressae atque idem Archipresbyter, quod a s. Rota quondam denegatum fuerat, per *dispensationem* obtinere a s. Congregatione niteretur, haec petitionem rejecit in *Ariminen. Servitii chori 18. Augusti 1827.* In causa autem *Brictinorien.* ex adverso allata non ex asserta ratione sed ex aliis potioribus, quae in casu aderant, responsum fuisse Canonici eruere satagunt ex folio 20. Aprilis 1790.

Porro Archipresbyter in casu non tantum canoniam habet sed et praebenda gaudet canonicali.

Praebenda ergo quae ante unionem erat simpliciter parochialis, post tum ex natura unionis accessoriae, siquidem per unionem accessoriam beneficium unitum mutat statum et naturam, ita ut fiat pars alterius cui unitur, imo ipsius praedium,**) *Gonzal. ad reg. 8. cancell gloss. 5., Fagnan. in cap. Dudum de electione, Rota dec. 370. alias 11. de reb. eccles. non alienand. in antiq.* et in *Compostellana Prioratus 17. Martii 1596. cor. Litta, Reiffenstuel. lib. 3. tit. 12. n. 46. et 47.*, ac censetur esse unum dumtaxat beneficium, *Garzias p. 12. cap. 2. num. 14. de benef., Reiff. loc. cit.*, tum ex voluntate Episcopi effecta est praebenda Canonici simul et Archipresbyteri; Archipresbyter enim habet pensionem parochialem in libellis 2063. 49.; habet a Municipio pro pensione domus lib. 300. et jura ut ajunt stolae, quae fere pensionem canonicalem exaequant; unde ex omnibus simul collectis libell. 4000 summam percipit.

Advertendum tamen est EE. PP. Archipresbyterum conqueri quod *jura stolae Canonici plus aequo exagerant; siquidem haec jura non adaequant expensas quas Archipresbyter debet facere ad conducendum domum et erogandas pauperibus eleemosynas*, quibus negare videtur a Communi Namurcensi percipere certam summam pro habitatione.

Quod si vere est Canonicus praebendatus, ad onera canonicalia adstrictus esse debet veluti caeteri Canonici, quae obligatio non tantum a constitutione Benedictina promanat, quam a voluntate Episcopi praecipientis in art. 18. ejus decreti supra relati, quo servitium chori et paroeciae moderatus est. De qua obligatione monitum voluit Archipresbyterum in ejus literis patentibus: *Coeteroquin confidimus, quod munia ad Canonicos spectantia, a quibus ex mente Benedicti XIV. SS. Pontificis te minime exemptum esse declaramus, non sis praetermissurus, nisi in quantum utrumque onus Canonici videlicet et rectoris Archipresbyteri tibi impositum simul obire non valebis.*

Quidquid porro sit de exemptione ab Episcopo concessa Can. Archipresbytero Buydens, certum esse capitulum ait se eam numquam acceptavisse, imo ignorare etiam nunc, quibus conditionibus obstricta obligataque fuerit. Unde conficere seu potius praesumere necesse est, ipsam *temporaneam* ac *praecariam fuisse*, praesertim quia Canonicus Buydens, ut supra relatum est, praecariam exemptionem tantum ab Episcopo imploraverat. Hanc autem exemptionem eo fortius expirasse credendum est, quod deminuti sunt parochiales labores: etenim eo tempore paraecia cathedralis ecclesiae extra muros porrigebatur, modo vero ob erectionem ecclesiae s. Crucis in curam succursalem intra moenia cohibita est.

Hujusmodi temporariae exemptionis non leve argumentum est, Episcopum 1839. quando literas patentes huic hodierno Archipresbytero expedivit eamdem omnino obligationem choro inserviendi ad formam Benedictinae inseruisse, quam 1813. imposuerat Buydens.

Non omittendum tandem, Episcopum forte non habuisse facultatem dispensandi vel

*) Cf. *p. 365. n. 8.*
**) Vd. *t. II. p. 1033. x.*

eximendi Archipresbyterum (saltem perpetuo) ab oneribus canonicalibus vi Benedictinae constitutionis, quae §. 10. in hujusmodi casibus ad s. Congregat. Concilii recursum haberi voluit.

Quoad allegatam praescriptionem negat capitulum, eam potuisse invalere: tum quia *mala fides* inducta videtur ex querela capituli, tum quia subsequens *silentium* Canonicorum non potuit praejudicare capitulo cathedrali, cujus servitium non ab octo personis peragi debet, sed a novem, quot sunt revera Canonici, tum tandem quia obligatio missae conventualis et servitium chorale nulla praescriptione aut consuetudine toili vel minui potest. In hac etenim materia quaelibet praescriptio aut consuetudo tamquam *corruptela* reprobatur a *Benedicto XIV. in Bulla »Cum semper oblatas«* et s. Congr. *in Alexandrina 26. Apr. 1753., Massorum Missae conventualis 17. Martii 1827.*

Incompatibilitatem*) postremo servitii choralis et paroeciae satis aperte excludit ipsa Benedicti XIV. constitutio, dum adamussim loquitur de Canonico, qui curam animarum adnexam habeat ac nihilominus ad officia canonicalia praestanda obligatur. Quod si quando acciderit, Archipresbyterum pastoris munere occupatum non choro interesse indultum est, ut nihilominus distributiones quotidianas lucretur tamquam praesens esset,**) *Barb. de Can. cap. 24. num. 11.*, sed missae conventualis personalem celebrationem nullo modo effugere potest, aliis vero missis quas peculiariter applicare debet per alterius celebrantis substitutionem satisfacturus.***)

EE. VV. erit judicio dirimendum

D u b i u m:

An et quomodo Canonicus Archipresbyter teneatur ad missam conventualem et ad reliquum chori servitium in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus ad formam art. 18. episcopalis decreti an. 1813.

Die 6. Aug. 1842.

c) Beneficiatorum ex fundatione.

Mutinen.

Extat in ecclesia principe Mutinensi simplex ecclesiasticum beneficium 1435. constitutum titulo s. Hieronymi, quo id oneris inferri edixit fundator, quod sacerdos ad dictum beneficium electus et confirmatus teneatur et debeat in perpetuum de die et de nocte in ecclesia majori cum aliis presbyteris et Canonicis interesse horis et divinis ac solemnibus officiis, nisi justo et canonico impedimento fuerit impeditus. Beneficium istud 1822. adeptus est Aloysius Palmerius, qui nulla se adeundi ad chorum lege obstrictum arbitratus eamque idcirco perperam sibi ab episcopali curia obtrudi existimans supplex ad apostolicam Sedem confugit asserensque neminem ex praedecessoribus id oneris tulisse neque in publicis de sibi delata beneficii possessione tabulis illud inter cetera ipsius onera commemoratum fuisse, a quo imo liberum eum prorsus dixerat Archipresbyter beneficii compatronus, veritus tamen, ne ab episcopali curia ad chorale pensum omnino adigatur, postulavit di essere dispensato alla residenza suddetta, e ciò a quiete maggior di sua coscienza, cum praeterea balbutiens ac surdaster sit minusque proinde idoneus ad psallendum atque ad Sacrorum procurationem assiduoque studio ad Mutinenses ephemeridas aliasque commentationes edendas incumbat.

At Episcopus de sententia rogatus testatur, beneficium illud vero residentiae onere gravatum esse idque disserte ex allatis fundationis verbis evinci. Frustra vero Palmerius eo se onere exemptum dicit, eo quod (pergit Episcopus) ejus praedecessores et signanter duo ultimi numquam choro interfuerant, quod ex deficientia regestri residentiae injuria temporum in hac Cathedrali deperditi solummogo arguebat, qua de causa sibi etiam videbatur praedictum onus ex praescriptione ablatum esse. Ceterum opportune animadvertit Episcopus, minus recte Palmerium objicere decessorum exemplum ex allegata regestri residentiae deficientia, quia potius praesumitur beneficiatos adimplevisse quam omisisse illud onus, praescriptionem vero denegat ipse admitti posse circa residentiam, vel maxime quando agatur de illa, quam vocant praecisam, pro cujus fideli observantia nonnullae ab iisdem legibus statuuntur poenae usque ad beneficii privationem.*) Cum enim de choralibus officiis a beneficiario obeundis apertissima extet in fundatione conditio atque lex inde residentiae certo

*) Vd. *p. 234. c.*
**) Vd. *p. 981. f.*
***) Vd. *t. I. p. 1005. XLVIII.*

*) Vd. *t. II. p. 785. VI; p. 785. VII.*

habeatur, *Card. de Luca de benefic. disc. 58. n. 3.*, nulla nec beneficiariorum negligentia neque Antistitum dissimulatio neque ipsamet illorum, quorum intersit, voluntas nec demum vel longissima in contrarium consuetudo ad fundationis praestituta evertenda vim habet, eaque id genus omnia tamquam abusus et corruptelae a Trid. synodo improbantur. Quo fit, ut s. Congregatio quidquid in beneficiorum legatorumque constitutione sancitum est persancte custodiendum atque e quavis contraria desuetudine vindicandum constantissime susceperit, S. C. C. *Nullius s. Aedis 10. Junii 1689., Romana Capellaniae 30. Julii 1768.*

Quod quidem de Palmerii beneficio eo certius asserendum notat Episcopus ex apostolico indulto, quo Joanni Mariae Castelveteri Marchioni Archipresbytero facultas facta fuit 1750. accipiendi beneficium illud, quod ex residentiae lege qua etiam ob archipresbyteratum obstringebatur tenere insimul cum ipso nequibat, adeo ut nulla plane legitima dubitandi causa extet, quin et decessores imposito per illud chorali oneri apprime satisfecerint.

Neque ex eo quod nulla costi di tal obligo dall' istromento d'investitura uti narrat Palmerius ademptum tale onus, si revera testator illud praefiniverat, censeri posset. Explorati enim juris est, beneficiorum vel capellaniarum qualitates neque ab Episcopis posse immutari neque actu alio perverti. Iis enim quae bene constituta sunt, inclamant Tridentini Patres, non esse contrariis ordinationibus detrahendum neque in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione esse derogandum vel qualitatibus, quae ex beneficiorum fundatione requiruntur,*) vel oneribus si quae iisdem essent imposita, *Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de reform., Fagnan. in cap.: Significatum de praebend.* et in *cap. Conquerente. de clericis non resident.* Generatim vero beneficia conferri dicuntur in collationis diplomate cum omnibus honoribus et oneribus, quae quidem generalia verba quaslibet fundationis leges comprehendere palam est.

Hinc Sereniss. Mutinensium Dux et cathedralis ecclesiae Archipresbyter, quorum jus est alterne nominandi beneficiarium, et ordo Canonicorum de choralium officiorum onere absque haesitatione unanimes retulerunt omnesque, inquit Episcopus, in idem judicium conveniunt, beneficiatum praedictum onere residentiae gravari.

De causis vero, quibus orator se a chorali penso eximi efflagitat, addit Episcopus, ipsum parum auribus audire et linguae haesitantia laborare. At licet haec vitia eum impediant, quominus alterna modulatione psalmos aliasque sacrorum precationes concinnat recitetque voce elata, eum tamen scribit posse rite choro interesse ac variis multisque functionibus, quae in Cathedrali celebrantur, inservire sine praejudicio aliarum ejusdem exercitationum, quae modicum tempus tantum requirunt, quod et ceteri, quos pro ipsorum de ea re jure audiendos censuit, speciatim declararunt. Frustra vero ipsum pluries excitavit, ut juratam medici fidem exhiberet circa ejus infirmitates atque impotentiam.

Caeterum si beneficio illi fundator onus adjecit choralis officii, eidem sustinendo redditus pares certo sunt, cum scutata 78 percipiat ac 36 tantum Sacra peragere adigatur.

Haec de Palmerii precibus ex iis, quae allata sunt, monumentis proponenda occurrunt. Censeri residentialem capellaniam, quae adnexum habet servitium chori in Cathedrali vel Collegiata, monet Rigantius ex s. Congregationis ac romanae Rotae auctoritate, *Rigant. ad reg. 1. canc. 1. §. 8. n. 25., Fagnan. in cap. Ut Abbates de aetate et qualit., Rota Valentina 17. Febr. 1696. §. Nec obstat, coram Ulmo*, S. C. C. *Nepesina 16. Nov. 1708.* et *5. Sept. 1710., Pitonius de controv. patron. alleg. 27. n. 5. 15., Fagnan. cap. Cum omnes n. 31. de constitutionibus.* At ex apostolicae Sedis benignitate impertiri aliquando dispensationes hujusmodi ostendit Palmerius, praecipue cum tot annorum experientia constiterit, eam non esse Mutinensis Cathedralis conditionem, ut absque beneficiario Hieronymiano divinarum rerum procurationi debitus cultus ac necessarius splendor deesse censendus sit. Illud praeterea meminit ex Schmalzgrueber monitu, in beneficiis simplicibus consuetudinem liberare ab obligatione residentiae, nisi aliud constet ex mente fundatoris: debet tamen istud fundator disertis verbis exprimere; alias censebitur se conformasse dispositioni juris communis, *Schmalzgrueb. in jus eccl. par. 1. tit. 4. n. 30.* Disertis autem verbis expressum id oneris in beneficii constitutione legi ipse denegat.

*) Vd. *t. II. p. 185. n. 27.*

Dirimenda exhibentur

D u b i a:

I. *An sacerdos Aloysius Palmieri teneatur ad residentiam choralem in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit annuendum petitae dispensationi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Negative in omnibus.

Die 23. Nov. et 14. Dec. 1833.

Ad dub.: An presbyteri participantes in Cathedrali Squillacen. teneantur intervenire choro caeterisque s. functionibus sicut Canonici?

S. C. C. resp.: Servetur Solitum.

Die 24. Sept. 1712.

d) Canonici honorarii estne?

Vd. t. III. p. 463. §: *Recipi; Canonic. honor.* (origo.)

e) Canonici novae erectionis quando est?

Verulana.

Ad dub. 1: An Canonici II., III. et IV.*) erectionis debeant admitti ad participationem omnium emolumentorum et distributionum provenientium ab exercitio curae animarum et a legatis piis tam missarum quam anniversariorum relictorum a testatoribus ante erectionem dictorum novorum Canonicorum seu potius participare debeant de relictis tantum post novas erectiones?

2: An iidem Canonici novi teneantur interesse choro dum adimplentur onera perpetua *spectantia ad antiquos tantum Canonicos?*

3: An iidem Canonici novi participare debeant de legato annuo relicto capitulo ab Olimpia Padovani?

Et quatenus negative,

4: An teneantur interesse celebrationi missae solemnis et aliarum functionum quae ab eadem testatrice demandantur?

*) Vd. *t. III. p. 385. n. 18.*

Definitum fuit

Ad 1: Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.

Ad 2: Affirmative.

Ad 3. et 4: Negative.

Die 20. Jan. 1776.

f) In diebus festis tantum.

Vd. *Chorus* (alternativa etc. p. 1061.; Obligationis reductio concessa); t. I p. 760. XI.

Sutrina.

Canonicis collegiatae ecclesiae s. Mariae in caelum assumptae Terrae Anguillariae Sutrinae dioecesis incumbentibus choro singulis diebus tantum festis de praecepto cum celebratione missae conventualis pro benefactoribus Eminent. D. Cardinalis Pamphilius tamquam visitator apostolicus decrevit in s. visitatione, Canonicos teneri diebus omnibus etiam feriatis choro interesse ad divina officia peragenda necnon etiam missae conventuali pro benefactoribus celebrandae. Ab hoc decreto Canonici recursum habuerunt ad s. Congregationem postulantes declarari ipsos non teneri ad subeunda onera in dicto decreto praescripta sin minus instant pro illorum reductione ad dies festos tantum de praecepto necnon a feria III. majoris hebdomadae usque ad diem Paschatis Resurrectionis.

Sutrinus Antistes de more requisitus instantiae Canonicorum favet suumque votum aperuit his verbis: *Verum cum nulla sit obligatio nec hominis nec juris, cum sermonis progressu sequentia jam adnotata sint videlicet contraria, et siquidem immemorabilis consuetudo interpretativa a Sutrinis Episcopis approbata; redditus Canonicorum sint tenues et incertissimae recollectionis, incommoditates sint plures, assererem posse benigne ab EE. VV. suspendi quotidianam choralem officiaturam.*

Quod autem dicta ecclesia B. M. V. in coelum assumptae collegiata sit, in dubium revocari non potest, quoties illius collegialitas declarata fuit *a Rota coram Crispo decis. 243. num. 1. et seq.* Videtur igitur esse debere Canonicorum onus subeundi tum quotidianum chori servitium tum quotidianam missae conventualis celebrationem cum applicatione pro benefactoribus juxta *encycli-*

*cam san. mem. Benedicti XIV., quae incipit: Cum semper.**)

Verumtamen cum praesenti hypothesi deficiat bulla erectionis ecclesiae in collegialem, deficiat pariter testatorum voluntas gravans Canonicos ad quotidianum chori servitium, et e converso probata consuetudine a Sutrinis Episcopis confirmata interessendi choro diebus tantum festivis de praecepto cum celebratione missae conventualis sustinent Canonici ab hac consuetudine recedi non debere ex firmatis *per Fagnan. in cap.: Cum omnes de constit. num. 31.* §: *Sed postea, Pignatell. Consult. 114. num. 10. tom. 9.* et *consult. 150. num. 84. tom. 16.* et *Card. Petra ad constit. 7. Innocentii IV. sect. 2. num. 28.*, eisque onera non esse imponenda, quae vel in fundatione seu erectione vel ex voluntate hominis imposita fuisse non apparent, *Monacell. in formular. for. eccles. t. 2. formul. 1. tit. 15. sub num. 29.*

Addunt Canonici, quod iidem etiamsi tenerentur ad subeundum quotidianum chori servitium cum missae conventualis celebratione nihilotamen minus attenta praebendarum tenuitate, dum nonnulli ex Canonicis tenuissimos habent redditus et quamvis aliorum Canonicorum redditus pares sint ad subeunda onera praescripta, illi tamen, ut refert Episcopus, incertissimi sunt Canonici sustinent eis esse concedendam gratiam reductionis onerum ad dies tantum festos de praecepto, prout quoad chori servitium decrevit s. Congregatio *in Romana Reductionis Servitii chori et missarum 18. Aprilis 1722.* et quoad reductionem missae conventualis definivit eadem s. Congregatio *in Ariminen. Missae conventualis ad III. dub. 18. Sept. 1751., in Alexandrina Missae conventualis 22. Novb. 1776.; in Placentina Missae conventualis 1. Martii 1777.***)

Petitur itaque:

An et quibus diebus Canonici ecclesiae s. Mariae in coelum assumptae Terrae Anguillariae teneantur choro inservire in casu?

S. C. resp.:

Teneri omnibus diebus.

Die 18. Septbr. et 27. Novbr. 1779.

Contin. Sutrina.

Huic tamen responso non acquiescunt Canonici, quinimo additum etiam voluerunt alterum dubium peculiari quidem discussione dignum attenta tenuitate reddituum praebendarum. Quapropter cum nunc proponatur causa rogamus Eminent. Patres ut ea qua praestant humanitate praedictum folium diei 18. Septembris 1779. repetant, ut ad memoriam revocata hujus causae specie perpensisque juribus rationibusque novis, quae in libello proponuntur, gemina dubia definire possint:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

II. *An et ad quos dies sit locus reductioni servitii chori in casu?*

S. C. resp.:

Reducendum esse servitium chori pro omnibus Canonicis ad recitationem officii tam matutini quam vespertini ad omnes dies festos de praecepto, Adventus et Quadragesimae cum tota octava Paschatis atque etiam ad totas octavas festivitatis SSmi Corporis Christi et festi Assumptionis B. M. V. salvis aliis functionibus juxta elenchum exhibitum.

Die 23. Febr. 1782.

Albanen.

Collegiata Ariciae ecclesia sub invocatione b. M. V. in coelum assumptae sex remotioribus saeculis constabat Canonicis. Altera eorum suppressa praebenda erexit 1575. Cardinalis a Cornea nuncupatus Perusinus Albanensis Episcopus archipresbyteratum cum animarum cura cui secunda deinde addita fuit praebenda. Ii omnes leve admodum praestabant servitium choro vixque diebus festis vespertinas recitabant horas, assertis freti ejusdem Cardinalis constitutionibus anni 1581. At his non obstantibus decrevit 1583. Cardinalis Gesualdus Albanensis pariter Episcopus in visitatione Collegiatae, quod singulis diebus festivis de praecepto recitentur in ecclesia per Archipresbyterum et Canonicos officium divinum et horae canonicae suis debitis horis et temporibus. Rursus 1612. in s. Visitatione mandavit Cardinalis s. Caeciliae, quod Archipresbyter*) diebus solemnioribus officium, missam et vesperas ipse cantet omnino, etiam quod dies illi in alterius hebdomada incidant. Apostolicus deinde visitator Thomatus Bitectensis Episcopus jussit 1661., ut inposterum singulis diebus dominicis et festis de praecepto hora congrua ab ipsis eligenda conveniant in choro ad

*) Vd. *t. I. p. 695.*

**) Vd. *t. I. p. 763.*

*) Vd. *p. 1143. b.*

divinum officium psallendum videlicet matutinum, laudes et successive horas canonicas. Ac postremo, quum nil unquam horum Canonici fecissent, provisionali decreto in visitatione statuit 1664. Cardinalis J. Baptista Pallotta, Archipresbyterum et Canonicos pro nunc convenire in choro ad recitandum horis debitis totum officium divinum in diebus festis tantum primae classis sub poena scutorum sex pro qualibet vice.

Hic ad pontificatum Alexandri VII. erat Collegiatae status. Ruinam tunc minabatur ecclesia. Aliam idcirco SS. ille Pontifex 1667. commodiori in loco elegantiorique forma extruxit, Collegiatam declaravit insignem sexque alios capitulo per duplicem motum proprium addidit Canonicos. Praescripsit

I., ut Canonici missas tam conventuales quam alias in dies celebrent et divina officia persolvant: firmas tamen voluit ordinationes Cardinalium Perusia et Pallotta (praetermissis aliis Cardinalium Gesualdi et s. Caeciliae et visitatoris Thomati, quas hodiernus Eminent. Episcopus censet positas fuisse ab illius temporis Canonicis in abdito, ne onere gravarentur divinum officium recitandi);

II., ubi de altero egit ex novis canonicatibus per Principem Augustinum Chisium ejus nepotem erecto, onus novo Canonico imposuit interveniendi singulis diebus festis de praecepto in ecclesia praedicta diurnis et nocturnis horis divinisque officiis in choro et aliis functionibus ipsius ecclesiae personaliter ad instar aliorum Canonicorum. Et hisce sub legibus capitulum constituit ex Archipresbytero et Canonicis 10 quibus alii ex novissima erectione additi sunt duo.

Persistentibus Canonicis in inveterata negligentia chori novas 1689. constitutiones edidit Cardinalis Flavius Chisius, sed illorum duritie inobservatae perierunt. Malo occurrere censuit 1703. Amerinus Episcopus Crispinus visitator apostolicus per decretum, ut Archipresbyter et Canonici omnes ecclesiae collegiatae a die prima Julii proxime futuri servitium chori incipere et jugiter prosequi et saltem per 9 menses ad formam s. Concilii choro statutis horis intersint recitando horas diurnas pariter et matutinas sub poenis ab eodem s. Concilio praescriptis, etiam privationis canonicatuum. At provocarunt Canonici ad s. Congregationem Visitationis et populus Aricinus Eminentissimi Episcopi testimonio seu potius ii, qui ejus nomine conquesti fuerant, litis sumptus aegre ferentes in causa eis extranea vel nihil vel parum adversati sunt Canonicorum conatibus; rescriptum fuit: Non substineri. Qua de re hortatus eos fuit 1720. in s. visitatione Cardinalis Fabritius Paulutius ad psallendum diebus festis de praecepto, meritum coram hominibus habituros. In irritum tamen omnia cesserunt aliudque hactenus Canonici non praestiterunt servitium chori quam simplicis recitationis vesperarum diebus dominicis et festis de praecepto ac non integri officii solemnioribus I. classis. Zelo nuper conscientiaeque stimulis nonnulli ex ipsis excitati EE. Vestrarum oraculum et providentiam flagitarunt. Expositam historiam Eminent. confirmat Episcopus. Adulterinas dicit constitutiones Cardinalis a Cornea 1581. in quibus Canonici potissime confidunt. Nam inprimis carent subscriptione nec ullam habent confirmationem, nisi quod sunt in libro, sane vetustatem praeseferente, concinnatae. Duo praeterea perpendenda sunt: unum quod in asserta constitutionum data continetur anacronismus. Cardinalis enim a Cornea ab anno 1580. desiit esse Episcopus Albanensis; ei successit eodem anno Cardinalis Jo. Franciscus Gambara, qui usque ad annum 1583. hanc occupavit sedem; alterum: concipi non potest, constitutiones 1581. latas per Capitulares ut hodierni probant Canonici 1578. approbatas.

Atque hinc concludit, quod Collegiatae Canonici haud posse eximi videntur ab integra officii recitatione in choro nedum in festis I. classis ut decrevit Cardinalis Pallotta verum etiam in omnibus diebus festis de praecepto uti Cardinalis Gesualdus 1583. et visitator apostolicus Thomati 1661. constituerant. Quin mos et consuetudo in contrarium afferenda officere debeat quoniam nonnisi obreptionibus et subreptionibus ac perpetua inobedientia decretis Cardinalium Episcoporum et Visitatorum inducta. Id vero non solum aliquo modo consonum erit desuper allatae conciliari providentiae quoad Cathedrales et Collegiatas insignes, quae certe providentia non videtur omnino praetereunda, sed frequenti etiam populo Aricino ac potissimum Canonicorum numero ad tertium decimum nuper aucto.

Si res ex dispositione juris canonici et s. Concilii Trid. decidenda esset, nedum in

festis de praecepto et I. classis sed singulis etiam diebus cogi possent Aricini Canonici ad integrum recitandum divinum officium in choro, quum ex declaratione Alexandri VII. insignis sit eorum Collegiata. Ita ex *Clement. 2. de celebr. miss.* et *s. Conc. Trid. sess. 21. et 22. cap. 3. et sess. 24. cap. 12. de reform.*, et ita ex novissima s. Congregationis resolutione in *Setina Chori et missae conventualis 21. Januarii 1786.*, in qua ad I. dubium: An Canonici et Archipresbyter ecclesiae s. Erasmi in oppido Bassiani teneantur quotidie in choro recitare et missam conventualem pro benefactoribus celebrare? rescripsit: Compellendos esse Archipresbyterum et Canonicos ad servitium chori et applicationem missae conventualis juxta votum Episcopi. Maxime, quia in sufficienti sunt numero ac pingues habent praebendas. Illae enim primae erectionis annuam cum distributionibus attingunt summam scutorum 113. pro qualibet. Altera secundae erectionis seu canonicatus Chisius scuta 80. Aliaeque tertiae erectionis scuta 92.

Ad hanc vero declinandam juris censuram plura Canonici per Eminent. Episcopum exhibent documenta integrisque viribus assertas prae omnibus urgent Cardinalis a Cornea constitutiones anni 1587., primum Alexandri VII. motum proprium, in quo servatae fuerunt cum provisionali decreto Cardinalis Pallotta de recitatione officii in choro diebus festis tantum I. classis: et inveteratam denique observantiam et rem judicatam s. Congregationis visitationis. Quid adversus constitutiones anni 1581., observantiam remque judicatam urgeat, jam Eminent. Patres ex praemissa Eminent. Episcopi informatione habent. Addendum tamen consuetudinem non recitandi singulis diebus integrum officium in Collegiata insigni veluti contrariam dispositioni juris abusum dici posse et corruptelam, *Valent. de ult. volunt. vot. 27. num. 136. part. 2.*

Dubium de quotidiana officii recitatione ingerit primus Alexandri VII. motus proprius ob servata decreta Cardinalium a Cornea et Pallotta, quae illam excludunt. Ea tamen ponderanda ipsius motus proprii verba: Archipresbyter et capitulum praedictum tam conventuales quam alias missas in dies celebrent et divina officia persolvant: num scilicet clausula *in dies*, quae missas conventuales et divina officia comprehendit, quotidianum praeseferat servitium. Alia contra urgent secundi motus poprii verba: singulis diebus festis de praecepto in ecclesia praedicta diurnis et nocturnis horis divinisque officiis in choro et aliis functionibus ipsius ecclesiae personaliter ad instar aliorum Canonicorum ecclesiae hujusmodi assistendo etc. Dum enim SS. Pontifex divini officii onus imposuit Chisiano Canonico de quo loquebatur singulis diebus festis de praecepto ad instar aliorum Canonicorum jam Eminent. Episcopi illatione in aperto est Canonicos omnes festis de praecepto diebus officium divinum recitare debere: quandoquidem si secus esset unicus erectionis Chisiae Canonicus officium in choro recitare debuisset; quod nemo non videt quam foret absurdum.

Deliberare dignentur EE. Vestrae:

An, quomodo et quibus diebus Canonici et Archipresbyter collegiatae ecclesiae Ariciae recitare teneantur divinum officium in choro in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus juxta votum Emi Episcopi.

Die 4. Apr. et 16. Maji 1789.

Gallipollitana.

Cum 1600. Episcopus Vincentius Capece suam Gallipolitanam dioecesim lustraret, magno animi dolore perspexit Canonicos cathedralis ecclesiae summa laborare egestate eademque de causa et chori servitium et missam conventualem impune praetermittere. Ut ex hac igitur qua Canonici premebantur angustia levarentur eorumque officium explere possent, praeter alios nonnullos hinc illinc collectos redditus eisdem donavit quartam partem piscium quam piscatores ob veniam sibi ab Episcopo impertitam diebus festis exercendi piscationem ex vetusta consuetudine mensae episcopali solvere tenebantur.*) En donationis verba: *Idem Dominus Episcopus donavit quartam piscationis piscium spectantem mensae episcopali in diebus festivis dicto capitulo et choro . . . . cum onere celebrandi dietim in choro horas canonicas, obtento tamen assensu apostolico.* Hanc donationem eodem flagitante Episcopo roboravit Paulus V. apostolicis literis diei 27. Apr. 1606. indulsitque Gallipolitano capitulo *quartam partem cujusdam eleemosynae valoris 30 scutorum monetae regni neapolitani per piscatores*

*) Vd. *Festum* (observ. — dispensatio Episcopi.)

illarum partium intuitu licentiae piscandi dominicis et aliis festivis diebus sibi ordinaria auctoritate concessae Episcopis Gallipolitanis pro tempore existentibus dari solitae. Hujus donationis atque apostolici beneplaciti sensum ita interpretati sunt Canonici, ut integram portionem seu quartam piscium partem ad mensam episcopalem olim spectantem postea suam fecerint. Quamobrem Episcopus Filomarini 1714. in acta s. visitationis retulit Episcopum Capece assignasse *Gallipolitano capitulo quartam piscationis piscium quae exigitur a piscatoribus pro piscatione in diebus dominicis et festivis spectantem mensae episcopali . . . . Et quia in dicta assignatione reservata fuit impetratio assensus et beneplaciti apostolici, ideo 1606. obtentus fuit assensus praedictus, ut apparet ex bullis apostolicis expeditis sub plumbo sub die 27. Apr. 1606. et originaliter asservatur in archivio capitulari.* Usus tamen paulatim inolevit, ut Episcopi silentibus Canonicis quartam partem a piscatoribus perciperent solemnioribus illis diebus, quos *sabaoth* appellant.

Novissime autem controversia exarsit eum inter qui Episcopo est a negotiorum gestione et Canonicos, quinam sint dies inter festa sabaoth recensendi. Hinc Canonici hujus s. Ordinis oraculum sibi exquirendum duxerunt. Verum requisito Episcopo, ut referret quid ex consuetudine loci foret intelligendum sub hebraica illa voce *sabaoth* et a Canonicis exhibito eidem Episcopo exemplo literarum apostolicarum Pauli V., in quibus nulla extat dierum *sabaoth* mentio, nova atque acrior exorta est quaestio contenditque Episcopus, ad rationem earumdem literarum litem esse dirimendam ac propterea quadrantem dumtaxat eleemosynae a piscatoribus Episcopo dari solitae ad capitulum spectare. Ait insuper, cogendos Canonicos, ut bullam Pauli V., quae in capitulari grammato phylacio asservatur, in episcopali archivio deponant.

Quocirca Episcopus ita causam suam dicit: »Capitulum postulabat a s. Congregatione, quae proprie forent intelligenda festa *sabaoth* ob contentionem inter capitulum ipsum et oeconomum meae episcopalis mensae ortam circa definitionem hujuscemodi festorum. A capitulo enim dicebantur dies Domini festi praecipui et ita ut excluderet quoque festum ss. Trinitatis, qui certe dies Domini maximus est. Oeconomus vero dies *sabaoth* existimabat dies festos ab ecclesia I. classis nuncupatos. Neminem latere debent divina verba scripturae, quae Domino tribuit nomen *sabaoth*, quod idem valet ac si dicatur Dominus magnus, excelsus et laudabilis super omnia. Dies igitur *sabaoth* sunt dies Domini et certe dies I. classis, in his enim diebus Dominus super omnia celebratur.

Ast nunc quomodocumque dies *sabaoth* intelligantur contentio jam evanuit et amplius locum non habet. Capitulum Gallipolitanum mihi scribendo exhibuit exemplar bullae Pauli V. quinta Calendas Majas 1606; in qua non nominantur dies *sabaoth* et conclusit, ne illos quidem meae mensae deberi. Haec capituli praesumptio quaestionem dirimit circa dies *sabaoth* et non solum mihi non obest, verum plurimum prodest. Nam si in bulla non nominantur dies *sabaoth*, capitulo nil remanet nisi quarta eleemosynae pars juxta bullae ipsius praescriptum.

Nec Episcoporum visitationes, qui me praecesserunt, mihi debent imponere; potest Episcopus vitae suae tempore relinquere quod vult; at voluntas non debet stare pro lege, ita ut successoribus opus sit agere similiter. Nec etiam consuetudo inveterata, a capitulo in medium posita; consuetudines enim legem jubere videntur, ubi aliorum jura non inficiantur. Ad bullam igitur Pauli V. me appello: hanc tantum habeo pro lege et legis locum tenere debet. Ipsa est, quae distinctis et apertis verbis sic jubet: Quartam partem cujusdam eleemosynae valoris 30 scutorum monetae regni Neapolitani. Petitio vero Episcopi Vincentii Capece nullo modo verbis et jussis bullae intelligenda est adversari. Pontificia diplomata ut constat in terminis semper exprimunt postulantium petitiones, et juxta illas gratia conceditur vel negatur a SS. Pontifice. Ergo si bulla ita se exprimit, necesse est concludi, quod verba bullae fuerint perfecte consona petitioni supradicti Episcopi.

Oro itaque ita pergit Episcopus ut pro rei veritate et justitia non solum rejiciatur petitio a capitulo exhibita circa dies *sabaoth*, quia non amplius in causa, sed ut episcopalis mensa in suum plenum reddatur jus, percipiendo scilicet integram piscationis eleemosynam et dando capitulo tantummodo quartam ejusdem eleemosynae partem.«

Ex hac Episcopi informatione fuse habent Emi Patres, quae illius jura spectant ideoque rationum momenta a Canonicis pro-

lata pro meo munere solummodo attingam. Jam vero isti haud Gallipolitano Antistiti denegandam censent integram quartam, siquidem observantiam non respuunt, imo et venerantur et colunt, dummodo pro diebus *sabaoth* ii dumtaxat juxta antiquissimam consuetudinem intelligantur, quibus Pontificalia solemniter ab Episcopo habentur. At minime assentiuntur. Bullam Pauli V. ita esse interpretatione explicandam, ut potius quadrantem quam integram piscium quartam partem innuerit. Eam enim esse contendunt vim ac rationem verborum »quartam partem« cujusdam eleemosynae ac si bulla aperte enunciaret, Episcopum capitulo donasse quartam piscium partem quam titulo eleemosynae mensae episcopali piscatores tradere tenebantur. Et sane nec cogitandum nec animo est praesumendum, Episcopum Capece aliud in s. visitatione Canonicis tribuisse, aliud a Sede apostolica confirmari postulasse, praesertim quia Episcopi liberalitas sin futilis saltem ad constitutum finem assequendum minus apta plane innotesceret, si ad quadrantem eleemosynae mensae episcopali tribui solitae seu ad annua ducata 7 cum dimidio foret cohibenda. Ne igitur sermoni res sed rei sermo subjiciatur ad censuram *cap. 6. et 8.* de V. S., ita Canoniei literas Pauli V. interpretantur, ut integram quartam piscationis partem capitulo donatam significent.

Neminem insuper latet, maximi esse ponderis diuturnam ac perennem observantiam, quae optima est legum et voluntatum interpres eo magis si proxima fuerit constitutioni et ex facto ipsius gravati originem duxerit, *Card. de Luca de jurep. disc. 14. num. 9., Piton. discep. eccl. 85. num. 17.* et *s. Congregatio in Ferentina Residentiae 22. Novb. 1823.* §: *Vetusta.* Atqui hujusmodi consuetudo non solum incepit ad instar concessionis Antistitis Capece, sed ipsis inspectantibus posterioribus Episcopis, uti habetur ex visitatione Filomarini 1714., adolevit et ad haec usque tempora adamussim servata est. Habent igitur Canonici plusquam centenariam legitimeque inductam consuetudinem, qua omnia jura praescribuntur, *Auth. Quas actiones cod. de sacros. eccl., Fagn. in cap. Consuetudines de consuetud. num. 90.* et s. *Congreg. in Perusina Capellaniae 24. Novb. 1827.* §: *Catharinae.*

Tandem quod pertinet ad authographas literas apostolicas Pauli V., multo jure arbitrantur Canonici, se compelli non posse ad illarum traditionem, ut in episcopali archivio*) asserventur. Inprimis enim jam inde ab initio curarunt Canonici, ut ejusmodi literae in capitulari tabulario custodirentur; quod quidem consentaneum est constitutioni Sixti V. diei 29. Apr. 1587., quae incipit *Provida Romani Pontificis*, ac decretis peculiarium synodorum, quas inter Concilium romanum 1725. *tit. 12. cap. 6.* Dein tam Canonici quam Episcopus extrahere nequeunt a capitulari grammatophylacio instrumenta ceterosque libros; imo Episcopus prohibetur ab eodem archivio extrahere vel ipsas scripturas mensae episcopalis, licet cogere queat Canonicos, ut sibi ostendant scripturas illas vel earum exemplar exhibeant, *Pignat. consult. can. 66. num. 1. tom. 1., s. Congreg. in Alatrina Mensae capitularis 28. Apr. 1827.* §: *Addam.*

Proponuntur

D u b i a:

I. *An integra quarta pars piscationis spectet ad capitulum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quinam dicendi sint dies sabaoth in casu?*

III. *An Canonici teneantur tradere autographas literas Pauli V., ut asserventur in archivio episcopali in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative, et dies sabaoth esse intelligendos juxta consuetudinem hucusque servatam.

Ad III: Negative salvo jure Episcopo extrahendi exemplar authenticum.

Die 15. Mart. et 26. Apr. 1828.

*) Vd. *t. I. p. 1086.*

g) In festis suppressis.

Sorana.

Inter multas quae habentur in dioecesi Sorana illustres urbes Arpini civitas adest quae ceteris antiquitate praestat. Soranus Episcopus ut eam civitatem magis condecoret parochialem receptitiam ecclesiam s. Andreae Apostolo sacram ibidem existentem in insignem Collegiatam erigi curavit, quod per

apostolicas literas Romae XIII. Kal. Sept. 1856. datas peractum est. Inter alia quae in pontificiis literis continentur haec leguntur: »Quinque canonicatibus actu in praefata ecclesia existentibus perpetuum in modum suppressis unam in eadem ecclesia dignitatem principalem primiceriatum nuncupandam et apostolicae Sedis dispositioni semper reservatam pro presbytero in s. theologia vel canonico aut utroque jure graduato,*) qui caput et praeses capituli sit primumque locum et in choro et in supplicationibus et in conventibus teneat, auctoritate Nostra etiam perpetuo erigas. Necnon sex canonicatus cum suis praebendis, quorum quatuor primae, reliqui autem duo secundae erectionis**) vocentur, apostolica vel ordinaria auctoritate . . . . conferendos totidem ecclesiasticis idoneis viris qui una cum Primicerio universum conflabunt novae Collegiatae capitulum et apud illam personaliter residere atque integram choralem officiaturam singulis per annum festivis diebus ac in omnibus festivitatibus quas vocant I. classis comprehensis I. vesperis necnon per totam octavam ss. Corporis Christi peragere ac missam conventualem pro benefactoribus in genere ad formam constitutionis rec. mem. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri incip.: *Cum semper oblatas****) applicare alteramque missam pro populi commoditate singulis de praecepto festivis diebus circa meridiem per turnum celebrare sub lege fallentiarum obstringuntur, eadem auctoritate Nostra pariter instituas.«

Exorto hinc nuperrime dubio inter Canonicos, an ipsi ad chorale servitium teneantur etiam omnibus diebus festis quos dimidiatos vel sublatos seu suppressos vocant, Episcopum adivere rogantes, ut suam super hujusmodi quaestione proferre vellet sententiam, qui tamen anceps et ipse preces ad H. S. Ordinem transmisit judicium veritati consonum pro tranquillitate conscientiarum expostulans.

Juverit hic nonnullas festorum reductiones in medium afferre, ex quibus appareat quid ecclesia constanter in iisdem concedendis intenderit. Prostat inprimis generale illud ss. Rituum Congregationis decretum diei 23. Maji 1798., quod quotannis in calendario pro clero romano relatum praecepto quidem audiendi missam in festis suppressis derogat, cum clausula tamen: ut circa functiones ecclesiasticas nihil innovetur. Pontifex ipse Benedictus XIV. non semel rogatus de festorum reductione pro dioecesibus Calaguritana et Niciensi necnon pro aliquibus Siciliae locis dispensationem concedere tantum censuit quoad prohibitionem ab operibus servilibus abstinendi; quumque provincias quasdam regni Poloniae die 1. Sept. 1745. ab utraque obligatione dispensavit expresse addidit: »Non intendimus aliquid innovari tam quoad servitium chori quam quoad celebrationem divinorum officiorum.«*)

Nec aliter idipsum praestitit SS. D. N. Pius IX., quem Deus diu sospitem et incolumem reddat. Quam paucis enim abhinc annis die scilicet 6. Sept. 1853. festorum reductionem Sardiniae regno concessit ajens tamen »hac vero festorum dierum imminutione nihil innovatum volumus ac mandamus circa s. liturgiam in ecclesiis servandam.« Quinimo idem SS. Pontifex epistola encyclica diei 3. Maji 1858. eamdem perpetuo fuisse docet mentem romanorum Pontificum quoad festorum reductionem. Sic enim universos catholicae ecclesiae pastores alloquitur: »Quamvis rom. Pontifices Decessores Nostri enixis sacr. Antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis et gravibus rerum, temporum et locorum rationibus persuasi festos de praecepto dies imminuendos censuerint ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum atque omnia eo prorsus modo peragerentur quo ante peragi solebant.«

Hac igitur inspecta Pontificum agendi ratione colligi facile posse videtur, quod in suppressione festorum aliquid legi derogetur favore christianae plebis, minime vero quoad clericos et ecclesiasticos. In festi siquidem conceptu duo continentur, alterum quoad populum, idest vacatio ab operibus servilibus et diei sanctificatio, alterum vero quoad ecclesiasticos idest cultus ministerium divinaque officia ac praesertim sacrificia certo ritu cer-

*) Vd. *p. 383. n. 16.*
**) Vd. *p. 385. n. 18.*
***) Vd. *t. I. p. 695.*

*) Vd. *Festa* (reductio). *Mühlbauer, Decreta auth. S. R. C. t. III. p. I. pag. 13. n. 1.*

tisque solemnitatibus peragenda. Porro cum ex adductis exemplis indultum tantummodo favore populi concessum constanter appareat, consequi videtur dies suppressos quoad ecclesias proprie et vere festos permansisse. Nil dubii idcirco superesse videtur, quod etiam in casu obligationes Canonicis impositae in Collegiatae erectione dies festos respexerint non quasi suppressos, sed in pristina veluti festivitatis conditione vigentes. Idque praesertim arguendum esset ex diversa ratione, qua in ipsa erectionis bulla festi praescribuntur dies pro chorali officiatura ac pro missa in populi commodum celebranda. Additum enim illud *de praecepto*, quod restrictionem festi praesefert in secundo casu pro missa, ampliorem inducere videretur festi significationem quam in primo pro chorali officiatura. Manere ergo dicendum non immerito foret injunctam Canonicis obligationem officiaturae in festis etiam suppressis, si missae celebratio pro populi commoditate locum habere solummodo debeat in festis de praecepto. *)

Vestrum erit Emi Patres decernere

D u b i u m:

An Canonici collegiatae ecclesiae s. Andreae Arpini teneantur ad choralem officiaturam in festis etiam suppressis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 12. Septb. 1863.

Episcopus N. insignem collegiatam ecclesiam s. Andreae Apostolo dicatam in quadam suae dioecesis civitate erigi curavit. In apostolicis itaque literis anno 1856 expeditis facta est Episcopo facultas insignem collegiatam erigendi. Inter alias autem praescriptas in iisdem literis leges hae habebantur, quae onera Canonicorum respiciebant: »qui (Canonici) integram choralem officiaturam singulis per annum festivis diebus ac in omnibus festivitatibus, quas vocant primae classis, comprehensis primis vesperis, necnon per totam octavam Corporis Christi peragere ac missam conventualem pro benefactoribus in genere ad formam constitutionis fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri incip. *Cum semper oblatas* applicare etc.«

Dubium itaque exortum est inter Canonicos, an ipsi ad chorale servitium tenerentur diebus festis quos dimidiatos vel sublatos aut suppressos vocant. Cum autem Episcopus paulisper anceps in hac re videretur, dubium propositum fuit s. Congregationi Concilii. Ratio porro dubitandi in eo sita erat, quod licet Pius VII. fel. rec. in dierum festorum suppressione noluerit imminuere obligationes, quae in singulas ecclesias incumbunt, attamen, cum erectio hujus insignis Collegiatae posterior ea lege sit, non videbantur verba illa *singulis per annum festivis diebus* comprehendere dies festos suppressos.

Nonnulla *ex officio* adducebantur, quae ostendebant quaenam sit Apostolicae Sedis mens in ejusmodi festorum suppressione. Adnotabatur scilicet ss. Rituum Congregationem die 23. Maji 1798. declarasse, ut circa functiones ecclesiasticas nihil innovaretur in ejusmodi festis suppressis. Benedictus XIV. pluries super hac re rogatus ac nominatim die 1. Septembris 1745 cum provincias quasdam Regni Poloniae super duplici obligatione cum fidelibus dispensavisset expresse addidit: »Non intendimus aliquid innovari tam quoad servitium chori quam quoad celebrationem divinorum officiorum.«

Nec aliter praestitit SSmus D. N. Pius IX., qui die 6. Sept. 1853 festorum reductionem in Sardiniae Regno concedens edixit: »hac vero festorum dierum imminutione nihil innovatum volumus ac mandamus circa sacram liturgiam in ecclesiis servandam.« Quinimo idem Summus Pontifex in celebri Encyclica diei 3. Maji 1858 eamdem perpetuo fuisse docet mentem RR. Pontificum circa dierum festorum reductionem. Sic enim catholicae ecclesiae Pastores alloquitur: »Quamvis romani Pontifices Decessores Nostri enixis sacrorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis et gravibus rerum, temporum et locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur, quo ante peragi solebant.«

Hac igitur inspecta Pontificum agendi ratione colligi posse videbatur, quod suppressione quorumdam festorum ecclesiasticae legi derogatum sit favore dumtaxat christianae plebis. Namque in diei festi conceptu duo continentur, alterum quod populum respicit, idest vacatio ab operibus servilibus et diei sanctificatio: alterum vero quod ad ecclesiasticos pertinet, idest cultus ministerium divinaque officia ac praesertim sacrificia certo ritu certisque solemnitatibus peragenda. Porro cum ex adductis exemplis Indultum tantummodo favore populi concessum constanter appareat, consequi videbatur festos dies, qui suppressi dicuntur, ad ecclesias quod attinet, proprie et vere festos permansisse. Quare concludebatur, in praesenti casu obligationes Canonicis impositas in Collegiatae erectione dies festos suppressos respicere, non tamquam suppressos, sed tamquam in pristina festivitatis conditione vigentes. Hisce aliisque adnotatis proponebatur dirimendum

D u b i u m:

An Canonici Collegiatae ecclesiae s. Andreae teneantur ad choralem officiaturam in festis etiam suppressis in casu?

Sacra Congregatio Concilii die 21. Martii 1863 rescripsit: *Affirmative.*

Ex iis colliges:

I. Indulta favore christianae plebis concessa, quibus dies festi supprimi dicuntur, praeter obligationes quas auferunt abstinendi scilicet ab operibus servilibus vel etiam audiendi Sacrum, nihil aliud operari.

II. Quare in ecclesiastica ratione loquendi dies festi appellantur et sunt atque caetera omnia secumferunt, quae ad cultum divinum et sacra ministeria pertinere dignoscuntur.

*) Vd. *t. I. 908. n. XVII.*

h) Prioris.

In civitate *S.* dioecesis *A* insignis adest Collegiata titulo SSmi Rosarii erecta e parochiali prius ecclesia a s. m. Benedicto XIV. anno 1742, unica constans prioratus dignitate et octo Canonicis *»qui cum Priore praedicto* (sunt verba Bullae fundationis) *capitulum primodictae confraternitatis ecclesiae hujusmodi in saecularem et insignem collegiatam, quae etiam parochialis esse debeat, ecclesiam ut infra erigendae constituant et apud illam personaliter residere ac inibi debitis temporibus horas canonicas diurnas et nocturnas necnon conventualem et majorem aliasque missas caeteraque divina officia cum debita mentis attentione servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare et psallere divinisque officiis tam diurnis quam nocturnis hujusmodi interesse . . . respective debeant et teneantur.«*

Verum a primis secutae erectionis temporibus evenit, ut Prior, quin ulla dignoscatur facti ratio vel origo, nunquam choro per hebdomadas unacum caeteris Canonicis interfuerit, sed solummodo missam conventualem in solemnioribus anni festivitatibus celebraret. Quod cum aegre ferret major Canonicorum pars, ultimae vacationis prioratus tempore ob mortem Aloysii M. die 27. Junii 1861 obventam cogitare incepit de hujusmodi exemptione auferenda; cumque per bullam pontificiam mox suffectus in prioratu fuisset Joseph M. eundem memorati Canonici sciscitati sunt, an vellet juxta primaevam institutionem una cum ipsis choro interesse. Refragante vero huic oneri se submittere novo Priore Capitulum supplex adiit Summum Pontificem exponens: quod actualis Prior, qui nuper suae praebendae possessionem obtinuit, sciens Capitularium esse intentionem ut tolleretur abusus per quem ipsemet Prior choro per hebdomadas non interesset cum ceteris Canonicis, nunc quoniam institutionem accepit magis ad continuandum dispositus videtur quam ad abusum tollendum; qua de re tum Prior tum Capitulares sese in conditione reperiunt ut Summus Pontifex resolvat et mandet an etiam Prior debeat choro interesse per hebdomadas necne.

Sede A. vacante ad Vicarium capitularem preces remissae fuerunt pro informatione et voto et ut audito Priore et Capitulo in scriptis, transmissa particula statutorum capitularium aliisque documentis ad rem facientibus, super bono jure referret. Quapropter Canonici habito capitulari conventu die 20. Februarii currentis anni quinque in eam iverunt sententiam ut Prior una cum ceteris teneretur ad chorale servitium, duo vero adstipulantes Prioris sententiae protestati sunt servandam esse praecedentem consuetudinem. Agnita sed vero per Vicarium capitularem eorumdem actorum nullitate ob Prioris praesentiam in capitulo et suffragiorum publicitatem in praedicta resolutione eaque penitus rejecta calata iterum

fuere comitia die 6. Martii subsequentis, in quibus praecedens sententia ab utraque dissidentium parte propriis argumentis scripto traditis hinc inde propugnata fuit et vicissim confirmata. Quae omnia a Vicario capitulari ad S. C. C. transmissa fuere literis 19. dicti mensis Martii, quin tamen iisdem particula statutorum capitularium adjecta fuerit. Quoad vero suam sententiam Vicarius haec habet: »*Ne videar Vobis aut capitulo studere partibus potius istorum quam illorum contendentium, eo quod jurisperitorum opiniones nobis exhibitae in contraria scinduntur, enodandam quaestionem unacum Canonicis ipsis censeo sapientissimo Vestro inappellabili judicio omnino submittendam.*

His vero non obstantibus praenotandum est, folium repertum fuisse in actis, quo idem Vicarius capitularis audito Advocato curiae illius ecclesiasticae favebat exemptioni Prioris ab hebdomadali servitio chori, concludebatque se retinere nihil esse innovandum et Priorem debere ab onere ejusmodi eximi ut antea.

Innuebatur consonum equidem esse beneficiorum choralium naturae praesentem beneficiatum quotidie divinis officiis operam navare, *cap. ult. dist. dist. 92.* Beneficium enim datur propter officium, *cap. ult. de rescript. num. 6.* Attamen ad extruendam a chorali servitio exemptionem in casu proferebantur in medio consuetudo et centenaria observantia, quae vocata fuit immemorabilis. Relatum enim fuit a tempore perantiquo, cujus memoria non extabat, imo vel ab ipsa Collegiatae erectione numquam consuevisse ut Prior cum ceteris Canonicis choro interesset. Atqui, ut observatum fuit, tantum est robur hujusmodi consuetudinis et centenariae observantiae, ut melioris tituli praesumptionem secumferat. Doctores communiter et S. C. Congregatio in Perusina Capellaniae 15. Sept. 1828 et die 24. Nov. eodem anno. Necnon vim habeat privilegii a Principe concessi, Gonzalez *in regula VIII. Canc. Gloss. 33. num. 4., cui consonat Corradus de Prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 94. et Rota in decis. 12. et decis. 117. num 13. coram Gamberini ceu fuse relatum est in Ferentina Procurationis 25. Februarii 1826 § Nullum, ubi haec leguntur*: »*In Cardinalitiis Congregationibus consuetudo plurimum attendi solet .... ut solitum non alteretur, ceu tradit de Luca de parochis disc. 14. n. 1.*« Imo juxta *Riganti in regula 2. cancel. num. 138. seq.* »licet privilegium apostolicum ambulet »pari passu cum immemorabili, tamen haec »est majoris virtutis et efficaciae, cum illius »ope possit quis allegare meliorem titulum »de mundo.« Neminem vero latet privilegio apostolico, si adfuisset, eximi legitime potuisse Priorem ejusmodi Collegiatae a servitio chorali: *in Nullius Sublacen. 18. Julii 1807.*

Favore consuetudinis ejusmodi observatum fuit praeterea, illam ducere suam originem rationabilem ex quodam forte grati animi sensu erga primum Priorem summopere de Collegiata benemeritum; eamque firmatam fuisse favore successorum patientia Capitularium et tacito consensu auctoritatis ecclesiasticae, quae per centum et amplius annos nil unquam contra decrevit. Maximi ergo facienda foret hujusmodi observantia praesertim cum diuturna et perennis sit, quae proinde solet esse optima legis et voluntatis interpres, eo vel magis si proxima fuerit fundationi, *Piton. de contr. Patr. all. 17. num. 13., Card. de Luca de jurepatr. disc. 60. num. 11.*, illis nempe viventibus qui erectionem Collegiatae postulaverant et ita interpretati sunt onus Prioris, ut hebdomadali servitio ipse non teneretur. Nec ratione hujusmodi observantiam caruisse autumant, etiam ex eo quod majora in dicta Collegiata sint onera prioratus quam aliorum Capitularium. Prior enim solemnioribus omnibus anni festis missam canere et quolibet anno sexdecim numero plures quam ceteri Canonici conventuales missas ipse celebrare tenetur. Missa vero conventualis grave est onus, et praecipua pars divinorum officiorum Canonicis incumbentium, ita ut horas canonicas ad eam ordinari liqueat *ex cap. Cum Creatura de celebr. miss., Gavant. in rubr. miss. tom. 1. t. 7. rubr. 2.* S. Congregatio Conc. in *Mazzarien. 18. Martii 1826. §. Canonicorum.* Ex quo arguebatur chorale onus prioratui impositum respective majus esse chorali servitio, quod Canonicis reliquis incumbit, et compensationem quamdam praeseferre cum ejusdem exemptione ab hebdomadali servitio.

His praejactis nihili faciendas esse, censebatur, querimonias nonnullas quorundam Canonicorum praedecessorum, quibus hodierni Capitulares, qui contrariam partem propugnant, innuere vellent, ut interruptam aliquando fuisse praedictam consuetudinem evincant. Praeterquam quod enim hujusmodi querelae et adversae reclamationes nullimode probentur, certa insuper earumdem testimonia vel documenta afferri debuissent, quod hucusque peractum esse adversarii Canonici non docuerunt. Sed dato etiam quod ipsi aliquando reclamaverint, illud etiam concludenter in hypothesi statuendum foret, legitimo tempore, seu nondum inducta consuetudine, easdem querelas fuisse promotas, ne secus ad infirmandam observantiam omnino despici debeant juxta Engel Coll. Jur. canon. lib. 2. tit. 26. p. 5. num. 34. His ergo non undequaque probatis concludendum esse putabatur vel ab ipso erectionis die exemptionem a chorali servitio per privilegium concessam fuisse Priori Collegiatae vel per legitimam consuetudinem fuisse deinde acquisitam. Per consuetudinem enim, ut habent Doctores, totum id acquiritur quod potest acquiri.

Ex adversa autem aliorum Canonicorum parte animadvertebatur inprimis, eam esse omnium beneficiorum naturam, ut propter ecclesiasticum officium formaliter instituta sint; quod quidem officium in praebendis Cathedralium et Collegiatarum constitutum esse in chorali servitio nemo unquam dubitavit. Hinc post sanctiones juris canonici *in cap. Inter quatuor et cap. ult. de clericis non resident. et Clement. de celebrat. missae* Concilium Trident. in *sess. 24. cap. 12. de refor.* jussit *ut omnes* (Canonici) *divina per se compellantur obire officia . . . atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Quibus canonicis sanctionibus innumerae accedunt sacrae C. Congregationis resolutiones, quas hic referre operae pretium haud esset; praesertim cum Bulla quoque erectionis Collegiatae in themate de quo agitur aperte loquatur statuens et jubens ut Prior unacum ceteris Canonicis ad obeunda munera Collegiatae teneatur. Quapropter ad adstruendam exemptionem ab hujusmodi onere legibus solemniter sancitam et naturae praebendarum inhaerentem legitimum et vigens beneplacitum seu indultum apostolicum requireretur nec sufficeret illud quomodocumque praesumptum. Qua in re quanti facienda sit deficientia indulti apostolici manifestum fit ex una pariter *Ariminen. Servitii chori* 18. Augusti 1826 in ecclesia s. Luciae oppidi Sabiniani a Summo Pontifice Benedicto XIV. eodem anno quo ecclesia SSmi Rosarii in Collegiatam erecta. Cum enim memoratae Collegiatae s. Luciae Sabiniani Archipresbyter consensum erectioni Collegiatae dedisset, assumpturus onus inserviendi choro diebus festis tantum, aegre proinde tulisset graviora sibi onera imposita per apostolicas literas, licet suffultus ab Episcopo ad exemptionem evincendam frustra adlaboravit apud S. C. C. ut petitam exemptionem obtineret.

Nec aliquid ad rem facere videretur contraria observantia; praeter quam quod enim eadem explicitae fundationis legi resisteret, ut patet, et manifeste contra naturalem beneficiati obligationem a ss. canonibus statutam adduceretur, illico tamquam abusus rejicienda fuisset nec tractu temporis convalescere unquam potuisset cum nonnisi per corruptelam disciplinae choralis fuisset inducta. S. Cong. in Perusina 21. Junii 1828. Aliud etiam adjungeretur in casu, testibus scilicet Canonicis, qui praetensae exemptionis refragantur, non defuisse praeterito tempore querelas et reclamationes Capitularium contra eandem observantiam, ex quo fuisse aliquando interruptam retinendum foret; quippe quae etiam ex solo in contrarium rumore funditus everti potuisset, ceu monet Riganti Reg. cancell. reg. 4. p. 6. n. 44. et seqq.

Sed et ulterius urgent Capitulares: quaecumque enim sit indoles adsertae observantiae, dubitari nullatenus posse dicunt, eam directe adversari sanctionibus Tridentinis ideoque necessario incidere sub censura constitutionis s. m. Pii IV.: *In Principis Apostolorum* quae consuetudinem quamcumque Concilio Tridentino contrariam nullam et irritam declaravit. Ea vero Constitutio ceu sapienter monuit Benedictus XIV. Inst. eccl. 60. n. 7. *singula ejusdem Concilii capita simul complectitur et nullius efficit momenti consuetudines quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent.* Quod si ex contextu ejusdem constitutionis ita omnino retinendum de consuetudinibus, quae decreta Tridentini praecessissent, potiori sane ratione idem dicendum foret de iis consuetudinibus, quae contra jam statuta decreta introduci vellent. Ob decretum siquidem irritans in ipsa constitutione Pii IV. contentum infecta illico remanet quaecumque contraria possessio vel observantia, ut propterea consuetudo incipere non potuisset. Card. de Luca de Canonic. et copia disc. 33. num. 3. Adnot. ad Concil. Trid. disc. 1. num. 16. et alibi.

Et haec quae adnotata fuere in genere sunt; in specie autem de chorali officio monet Barbosa de Off. et Potest. Episc. all. 33. num. 131. et 133. pluribus allatis auctoritatibus *Canonici et qui Dignitates obtinent in ecclesiis cathedralibus et collegiatis etiam seclusa consuetudine vel statuto . . . tenentur psallere in choro . . .; omnibus diebus et horis debent Canonici interesse . . . et non possunt juvari aliqua consuetudine, quin teneantur omnibus septem horis inservire.*

Argumento autem ducto a Canonico qui in choro praesens minime psallit ad Canonicum qui, quod majus est, ne praesens quidem choro unquam assistit, ad rem praestat referre textum supra memoratae constitutionis Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* 19. Augusti 1744. num. 24.: »*Equidem scimus in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse ut se munus suum satis implere contendant dum choro praesentes assistant, licet ipsi sibi silentium imponant neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusmodi vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria aut etiam praetensa ecclesiarum privilegia. At cum . . . . receptae in universa ecclesia disciplinae illos adversari dignoscatur, quum insuper opinio illa numquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis innixa perhiberetur . . . nihil jam reliquum esse videtur quominus pauciores universorum legi se accommodent.*«

Cui doctrinae, observabatur, apprime consentaneam esse praxim S. C. C. nemo non videt: ex centenis enim resolutionibus, quae in praesenti materia afferri possent, id constanter eruitur, quod quoties exemptio a chorali servitio sustineretur ab aliquo capitulo vel Canonico in vim peculiaris apostolici Indulti vel ex eo quod imminutis praebendarum redditibus fructus viderentur impares ad onera sustinenda beneficii, tunc S. C. C. ex justissima aequitate ducta eandem exemptionem vel saltem imminutionem in chori servitio approbare consuevit, ut apparet ex jam citata *Nullius seu Sublacen. Visitationis sacrorum Liminum* 18. Julii 1807 *in qua proposito dubio: »an Canonici s. Andreae compelli debeant ad recitandas integras horas canonicas diebus dominicis aliisque festis de praecepto«?* responsum prodiit: »Negative.« Favebat enim Canonicis decretum in actu s. Visitationis ab Emo Canale latum, quod a Summo Pontifice Pio VI. probatum fuerat. Eamdem ex adverso exemptionem constanter respuisse videtur, quoties ex titulo consuetudinis et jugi observantia adstrueretur ceu patet *ex Setina 21. Jan. 1786.* Cum enim Episcopus retulisset consuetudinem, quantum hominum memoria extenditur, fuisse, quod Canonici integrum officium nonnisi in aliquibus anni festivitatibus recitarent et ipse Episcopus arbitraretur ut Canonici adstringerentur ad integrum officium recitandum diebus dominicis et festivis de praecepto ultra consuetos, s. Congregatio respondit, compellendos esse Archipresbyterum et Canonicos ad chori servitium juxta votum Episcopi. Item in Albanen. 4. Aprilis 1789, in qua cum ad declinandam integri servitii choralis legem Canonici inveteratam observantiam adduxissent eorum preces ab Emis Patribus in Congregatione 16. Maji ejusdem anni rejectae penitus fuerunt.

Propositum fuit enodandum

D u b i u m:

An Prior Collegiatae ecclesiae SSmi Rosarii teneatur hebdomadali chori servitio in casu?

S. Congregatio Concilii die 13. Septembris 1862 respondere censuit:

Affirmative et amplius.

Exinde colliges:

I. Nullum Canonicum eximi a servitio chorali, dum ex Tridentino Concilio *sess. 24. cap. 12. de reform.* quivis praebendatus debeat per se et non per alios divinum obire officium, cujus gratia beneficia ecclesiastica instituta fuere.

II. Frustra adlaborare ad evincendam exemptionem ab ejusmodi onere legibus solemniter sancito, qui apostolicum indultum, legitimum et vigens, haud quomodocumque praesumptum, in sui favorem exhibere non possit.

III. Consuetudinem et observantiam in contrarium haud alicui refragari hac in re eo quod potius rejiciendae sint tamquam abusus contra naturalem legalemque beneficiati

obligationem inductus; quique utpote disciplinae choralis corruptela numquam tractu temporis convalescere possit.

IV. Nullius esse roboris observantiam ejusmodi evinci etiam ex eo quod illa adversetur sanctionibus Tridentinis proindeque incidat in censuram Pii IV.: *In Principis Apostolorum* quae juxta *Benedictum XIV. Inst. eccl. 60. n. 7. singula* ejusdem *Concilii capita simul complectitur et nullius efficit momenti consuetudines quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent.*

V. Nostro in themate adversari Prioris consuetudinem abessendi a choro non solum legibus ecclesiae generalibus sed etiam specialibus istius Capituli constitutionibus, quae praeter alia disponunt »*ut Prior et Canonici debeant personaliter residere (apud Collegiatam) ac inibi debitis temporibus horas canonicas diurnas et nocturnas . . . caeteraque divina officia . . . . recitare.*«

i) Quotidiana.

Vd. *Chorus* (absent.): t. I. p. 705: *Arimin.*

Ad dub.: *An Vicarii perpetui eccles. colleg. teneantur assidue inservire choro et ecclesiae seu potius in festis duntaxat et etiam absentibus Canonicis in casu?*

S. C. resp.:

Affirmat. ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Maji 1770.

Clemens PP. IV. pro Ecclesia Aniciensi.

I. De apostolicae plenitudine potestatis statuimus et ordinamus quod quilibet Canonicus Aniciensis ecclesiae et in dignitate seu personatu quolibet constitutus chorum ipsius ecclesiae semel ad minus in die ingredi teneatur et ibidem alicui horae canonicae interesse diei et quod de cetero de illis quatuor solidis Podiensis monetae, qui pro libratione claustri consueverant singulis Canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo; reliqui vero duo solidi ratione illius horae cui interfuerit librentur unicuique. Quodsi non interfuerit, nequaquam percipiat et loco quotidianarum distributionum quae dari solent in horis inposterum habeantur. Hoc autem salvo quod in theologia nunc et inposterum studentibus,*) quantum ad hos duos solidos, nullum praejudicium generetur: quos etiam percipiat qui praesens in civitate Aniciensi aliqua hora diei per absentiam vel per aliam justam causam forsitan impeditus ipsum chorum ingredi non valebit.

*) Vd *p. 1008. n; p. 1027: Dubia; p. 1036. r.*

II. Item, quod quilibet clericus ejusdem ecclesiae semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare et alicui horae canonicae, in qua etiam distributiones infra scriptae non fient, et bis in hebdomada matutinis officiis interesse, alias ipsa die qua defecerit vel proxima qua post defectum hujusmodi clericis primum librabitur superpellicii ipso facto sit libratione privatus. Eo salvo, quod vicariis canonicis pauperibus et clericulis inferius est statutum.

III. Item, quod omnes vicarii et capellani et Canonici pauperes ejusdem ecclesiae singulis horis diurnis intersint, cum ad hoc sint specialiter deputati, praesertim toti missae horae Primae et ipsi Primae horae, Nonae et vesperis et completorio et ter ad minus in hebdomada intersint matutinis. Et si defuerint in una horarum praedictarum, in media libratione superpellicii ipso facto, in duabus vel pluribus tota libratione diei ejusdem vel proximae, in qua post defectum hujusmodi primum librabitur, priventur, nisi infirmitate impediti fuerint vel alia justa causa. Omnes etiam praedicti teneantur ibidem ad residentiam personalem.

IV. Item clericuli omnibus horis intersint et si duabus horis diurnis vel nocturnis defecerint priventur libratione superpellicii ipsa die. Et si succentor negligens fuerit circa correctionem eorum, die illa qua ipsos non correxerit negligentes, claustri libratione puniatur. Et si legitime monitus in negligentia hujusmodi perseveraverit amoveatur ab officio succentoris per capitulum memoratum.

V. Item, quod Canonici pauperes circa officiandam ecclesiam et sepulturam Canonicorum majorum ipsius ecclesiae se habeant ex antiqua observantia sicut debent: si defecerint per se vel per vicarium minime serviendo amittant 12 denarios Viennenses, quos recipiant departiendos eis qui hujusmodi officium pro eis fecerint illa die, nisi justa et necessaria causa extiterint impediti.

VI. Item officiatores quibus officium chori injungitur in principio matutinarum et vesperarum et in principio introitus missae

chorum ipsum teneantur intrare, ita ut illi cui officium committeretur nisi tunc intraverit vel in officio hujusmodi defecerit, si praesens est Canonicus in medio claustri, libratione superpellicii puniatur diei ejusdem vel illius in qua librari contigerit, quae librationes supplenti officium hujusmodi deputentur.

VII. Item, quod in missa majori clerici vel Canonici existentes in choro sedere minime incipiant ante epistolam, nisi ultima ipsius missae oratione expleta.

VIII. Item, quod quilibet sive Canonicus sive clericus vel in dignitate qualibet constitutus bis in septimana ad minus teneatur interesse scilicet matutinis, processioni et missae defunctorum, alias in libratione superpellicii diei sabbati septimanae ejusdem vel sequentis diei, in qua primum librabitur, si forte ipsa die sabbati librari non contigerit, puniatur nisi absentia, infirmitate vel alia justa causa valeat excusari.

Dat. Viterbii IV. Non. Junii 1265.

(Bull. r. t. IX. p. 73. Ed Luxbg.)

Fulden.

Praeter collegiatam ecclesiam s. Blasii civitatis Fuldae duo alia extant in oppidis dioecesis Canonicorum collegia, non eo quidem, quo prius erant splendore insignia, sed propter bellorum calamitates aliaque infortunia bonis maxima ex parte destituta et ministrorum numero aliquantulum imminuta. Una ex his erecta est in ecclesia s. Crucis Hunfeld et componitur ex Praeposito, Decano ac 9 Canonicis, altera in ecclesia ss. J. Baptistae et Caeciliae loci Rarsdorff, in qua ultra Praepositum 6 cum Decano numerantur Canonici. In hisce Collegiatis non idem praestant Capitulares servitium. Siquidem in Collegiata s. Crucis Hunfeld 5 computato Decano inserviunt Canonici. In illa vero ss. J. Baptistae et Caeciliae loci Rarsdorff 4 Canonici residere solent atque isti tum fructus grossos quos vocant corpus praebendae tum etiam alia quaedam emolumenta in praemium residentiae lucrantur. Reliqui vero Canonici cum residentiae lege adstricti non sint fructus grossos tantum percipiunt, qui in unoquoque anno non excedunt summam scutorum 40 monetae romanae. Hujusmodi reddituum partitio inducta fuit ne ecclesiarum servitium negligeretur ita quidem, ut qui onera ferebant majora etiam emolumenta perciperent.

In generali visitatione 1766. Rmus Episcopus adegit Capitulares qui fructus grossos dumtaxat percipiebant ad celebrandas quater in anno missas pro defunctis fundatoribus et benefactoribus; die autem 14. Aprilis elapsi anni decreto mandavit, ut in festis solemnioribus ecclesiis suis praesentes adessent ibique aliquale servitium praestarent. Consuetudo tamen invaluit, ut quando clerici nondum ss. ordinibus initiati praebendas Canonicorum non residentium obtinerent attenta reddituum tenuitate officii divini recitationem praetermitterent. Quare laudatus Episcopus dubium proponit: an ii faciant fructus suos licet sint tenues et hac de re sapientissimum EE. VV. judicium exposcit.

Fatetur ipse, quod consuetudo quae canonicis regulis adversatur nullius debeat esse momenti. Verum inquit: Petrum Collet. in tract. de relig. part. 2. cap. 3. de horis canonicis art. 1. in responsione 2. ad quaest. 3. tueri: In casu tenuis beneficii consulendum esse Episcopum rebusque eidem expositis ejus decisioni parendum aut saltem videndum esse quid ferat locorum consuetudo, cui Praelati non resistant. Huic porro consuetudini obsequendum erit, si totius officii recitationem praecipiat, si secus praesumendum erit generalem officii recitandi legem cum hac restrictione fuisse receptam, nisi beneficia admodum tenuia sint neque haec consuetudo censeri debet aequitati contraria tum quia officium certis diebus recitandum censeri potest servitium exiguis redditibus respondens tum quia beneficiarii illi praeter communem bonorum beneficii curam quae pretio aestimabilis est ordinarie tenentur ad certum numerum missarum, quae praedictae recitationi conjunctae tenues illos redditus satis compensant. Si tamen beneficium adaequet summam ad titulum ecclesiasticum dioecesana lege requisitam, adigendus videtur beneficiarius ad officii magni recitationem, nisi aetas junior officium majus in officium parvum b. M. V. commutari permittat.

Atque hinc arguit Episcopus, quod quamvis *Corpus earum praebendarum* de quibus quaestio est summam ad titulum ecclesiasticum dioecesana lege requisitam, quae ad minimum ad 80 scuta romana annuatim ascendere debet, non adaequet, quod jam ad certum numerum missarum uti et ad novum

onus bis iter faciendi ad ecclesiam obligati sint et quod curam bonorum beneficii eorumque administrationem et conservationem ipsi humeris suis impositum habeant, circumstantias esse, quae juxta Petrum Collet tenues illos redditus quadraginta scutorum satis compensare videantur, tamen dubitari posse existimat an saltem praefati Canonici ad recitationem officii parvi b. M. V. aut de immaculata adstringi possint.

Nulla sane prioribus ecclesiae saeculis clericos inter majores et minores erat distinctio quoad onus recitandi horas canonicas. Cum enim clerici ne minoribus quidem ordinibus initiarentur, quin statim adscriberentur alicui ecclesiae, cui deservirent ejusque stipendiis alerentur, idcirco omnes clerici censebantur quodam modo beneficiati;*) aequum proinde erat ut divinis officiis in ecclesia celebrandis adessent et orando pias fundatorum voluntates adimplerent. *Concil. Cartaginense 4. celebratum 398. can. 49. collectionis Labbaei tom. 2.* praecipit, quod clericus qui absque corpusculi sui inaequalitate vigiliis deesset stipendiis privetur, et *synodus Toletana 1. habita 400. can. 5.* statuit, quod presbyter vel diaconus vel subdiaconus vel quilibet ecclesiae deputatus clericus, si intra civitatem vel in loco quo ecclesia est aut castello aut vico aut villa et ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur, si castigatus veniam ab Episcopo noluerit promereri.

Viguit per plura saecula haec disciplina et tanta erat clericorum diligentia, ut qui ecclesiis justa de causa interesse non possent horas canonicas privatim recitarent, prout testatur *Thomass. de nova et vet. ecclesiae disciplina part. 1. lib. 2. cap. 71. num. 11.* At postquam temporis decursu clerici coeperunt ad ordines promoveri absque eo quod ulli ecclesiae adscriberentur, sensim ab officio ecclesiae sese retraxerunt. Idque desumitur ex *synodo Coloniensi 1280.*, ubi *can. 1.* mandatum fuit, ut nullus clericus horas canonicas et de Domina nostra ulla unquam die distincte et discrete dicere praetermittat, maxime qui est in ss. ordinibus et beneficiis constitutus. Ex quo namque Concilii decreto licet nullus clericus a recitatione horarum canonicarum exemptus renuncietur cum tamen peculiari modo ad illas strictius adigerentur, qui in ss. ordinibus erant constituti vel ecclesiasticum beneficium obtinerent, hinc putant doctores, quod reliqui minores clerici beneficio destituti occasionem nacti fuerint statuendi exemptionem a recitandis horis canonicis.

Et revera quae deinceps celebrata sunt concilia cum de horis canonicis disserunt solos beneficiatos vel in Sacris constitutos ad illas teneri praesumunt. In *concilio Basiliensi sess. 21. can. 5.* habetur: Quoscumque beneficiatos seu in Sacris constitutos cum ad horas canonicas teneantur admonet haec s. Synodus ut sive soli sive associati diurnum nocturnumque officium verbis distinctis pergant; id ipsum confirmatur ex synodis Marciacensi 1526. *cap. 19.* et Burdigalensi 1582. *tit. 3. de ecclesiasticis praestationibus.* Quinimmo concilium Lateranense *V. sess. 9.* celebrata 1514. beneficiatos omnes qui post sex menses ab adepta beneficii possessione canonicas horas non persolverint, perceptos ex beneficio fructus restituere jubet.*)

Indictam a Lateranensi Concilio poenam contra beneficiatos divinum officium recitare praetermittentes s. Pius V. literis apostolicis, quarum initium est: *E proximo d. 20. Septemb. 1571.*,**) nedum confirmavit, verum etiam modum executionis praefinivit. Statuit enim, ut qui uno vel pluribus diebus omnes horas canonicas recitare omitteret fructus beneficii illis diebus respondentes perderet. Qui vero matutinum tantum omitteret, dimidiam fructuum partem. Qui alias omnes horas, aliam dimidiam. Qui autem singulas horas, sextam partem perderet. Praeterea monitos voluit omnes beneficii possessores, quod si primis sex mensibus absque legitimo impedimento officium non recitassent grave peccatum committerent. Quaerunt doctores, an teneatur horas canonicas quotidie recitare, qui tenuis redditus beneficium possideat, *Sotus de just. lib. 10. quaest. 5. art. 3., Tamburin. in 2. lib. decret. cap. 5. §. 1. num. 24.* negativam sententiam tuentur. Alii tamen sustinent aliquando in anno ad recitandas horas canonicas obstrictum esse. Non desunt alii, qui sustinent nullimode teneri, si beneficio aliqua adnexa sint onera, quos inter *Vasquez de benef. cap. 4. §. 1. dub. 4.* Demum *Fagnan. in cap. Conquerente de cleric. non residen. num. 8. et 9.* affirmat, quod beneficii tenuitas non eximit beneficiatum a recita-

*) Vd. *t. II. p. 139. n. 10*

*) Vd. *p. 1051. n. 7.*

**) Vd. *Mühlbauer, Decreta auth. S. R. C. Suppl. t. II. p. 654.*

tione divini officii, quemadmodum non excusatur a residentia ex eo quod redditus beneficii ad propriae vitae sustentationem non sufficiant, cum arctior sit obligatio recitandi officium quam residendi. Hanc sententiam secuta est sac. Cong. in *Cajetana.* Cum enim quidam clericus obtinuerit beneficium simplex de jurepatronatus et post adeptam illius possessionem agnoverit annuos illius redditus ad annua ducata 4 vix pertingere, supplicavit declarari, an ratione tenuitatis redditus teneretur officium divinum recitare? die 6. Aprilis 1647. responsum fuit: Oratorem intitulatum in beneficio teneri officium divinum recitare etsi redditus dicti beneficii sint paucae quantitatis non exceden. scuta 4 annua immo etiamsi nullos percipiat fructus.

Haec in re de qua agitur praenotanda duxi: Ponderandum quanti habenda sit consuetudo, quo Canonici participantes tantum de massa grossa a privata recitatione divini officii exempti fuerint, si in Ordine sacro non essent constituti, Innocentius III. *in cap. Ad nostram 3. de consuetudine* statuit: Quod consuetudo, quae Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.

Definiendum erit:

An Canonici ecclesiarum collegiatarum s. Crucis Hunfeld et ss. Joannis Baptistae et Caeciliae Rasdorff in Minoribus constituti et participantes tantum de massa grossa teneantur officium divinum quotidie recitare in casu?

S. C. resp.: *Affirmative.*

Die 3. Augusti 1782.

k) Reductio.

1) Causae.

Vd. t. III. p. 438: *S. Miniatis; Chorus* (alternativa concessa p. 1061.); t. I. p. 786. h. Vd. *n. 2.*

Reganaten.

Redditуum tenuitas*) una est ex tribus causis propter quas Trid. sanctio limitatur. *Cardinalis Petra ad const. apostolicas in const. 7. Jun. IV. num. 28.*: *In Collegiatis autem non insignibus licet regulariter Canonici pariter teneantur ad assiduum servitium chori tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, nempe si aut ecclesiae sint rurales aut si adsit contraria immemorabilis consuetudo aut demum adeo tenues sint redditus ut Canonici ali non valeant. Quae limitationes sufficiunt si concurrant allternative.* Et praeiverat *Fagnan. in I. lib. decret. cap. Cum omnes de const. n. 31.*, qui refert s. Congregationem censuisse supradictum Trid. decretum *intelligi de omnibus Collegiatis etiam non insignibus nisi tamen istae essent rurales prorsus destinatae aut in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere aut quae adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos non habentes unde vivunt alere non possent; Pignatell. Consult. 114. num. 10. t. 9. et consult. 150. num. 84. t. 10.*

Tantumque redditуum tenuitatem s. C. detulisse addunt, ut in ipsis etiam Cathedralibus a continui servitii lege deflectendum esse censuerit. *In Tinen. 1. Decb. 1633.* respondit: *Episcopum durante tenuitate redditуum posse permittere, ut Canonici praestent servitium ecclesiae non continuum pro suo arbitrio, ita tamen, ut ante declarationem dicti arbitrii prius de illo certioretur. Et in Cathacen. 5. Septembris 1699.**) licet denuo improbata fuerit methodus inserviendi, quam Canonici invexerunt, tamen additum fuit: *Attenta tenuitate redditуum censuit ex gratia indulgendum esse, prout benigne indulsit praefatis Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis missae, matutino et omnibus horis interesse valeant, ita tamen, ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore adventus et quadragesimae ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi ac ss. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui non erunt de servitio, missae et vesperis inservire teneantur.*

In Asculana 28. Jun. 1696. et 15. Jan. 1707. vacationi, qua Canonici ecclesiae cathedralis frui solebant per duos menses, additus fuit tertius ob gravitatem servitii et tenuitatem proventuum, sed ne vacare possent a choro in Adventu et Quadragesima necnon dominicis aliisque festis diebus ac in octavis privilegiatis, provisum fuerat *die 5. Junii 1706.*

Die 8. Julii 1786.

Lucana.

Pluries in s. Congregatione actum est de reducendo chori servitio vel ob aeris inclementiam vel ob praebendarum tenuitatem et Canonicis qui hujusmodi instantias praepo-

*) Vd. *p. 1164*: *Fulden.*

*) Vd. *p 1062.*

suerant indulta fuit vacatio trium mensium; quandoque mandatum extitit, ut inservirent per tertiariam vel per mediariam addita tamen lege, quod omnes Capitulares tempore Adventus et Quadragesimae, diebus dominicis et festis choro interesse tenerentur. Prostant hac de re s. Congregationis resolutiones, quae relatae sunt in causa *Ferentina Servitii chori diei 3. Augusti 1782.**) Aliquando vero s. Congregatio moderationem servitii arbitrio Episcopi absolute reliquit, ut in mox allegato *Tinen. 1. Decb. 1635.*

Die 10. Jan. 1784.

Vigilien.

Vacationum vero periodum ampliandam ac minuendum chori servitium aliquoties s. O. rescripsit, ob rationabilem tamen causam ut in *Tarfen. 13. Nov. 1655*, in *Catacen. Servitii chor. 5. Sept. 1699.***) Quas inter causas praebendarum tenuitas primum sibi vindicare locum visa est in *Arianen. 12. Dec. 1696.*, in *Tranen. 22. Nov. 1738.*,***) quam tamen triginta argenteorum minorem esse praefinivit, quod si eamdem summam vel aequare vel parum excedere redditus dicantur, haud tenues dicendos esse definivit in *Camerinen 18. Septb. 1761.*, in *Taurinen. 10. Jul. 1790.*, in *Messanen. Reduct. 14. Dec. 1822.* §: At videant.

Valetudinem quoque plurimum pariter valuisse ut chori servitium reduceretur aperte constat ex *Pirhing. Jus canon. lib. 3. tit. 4. de cleric. non resident. §. 28., Schmier. lib. 3. tract. I. p. 2. cap. I. n. 307.* et ex s. Congr. in *Scepasien. Servitii chori 30. Jul. 1796.* et in *Cingulana Serv. ch. 29. Mart. 1817.* Nimiam ob aeris rigiditatem ac locorum intemperiem indulta quoque aliquando est servitii chori reductio ad paucos infra annum dies praecipuasque solemnitates, non excepto quadragesimali ac adventus tempore, ut plene in *Tarraconen. 23. Martii 1765.*†) Fere nunquam tamen concessum legitur a choro vacasse Canonicos, cum jubet ecclesia majores fundere preces, ut jejuniorum, Quadragesimae ac tempore Adventus festisque Nativitatis Resurrectionis, Pentecostes aliisque solemnioribus, uti patet in Cathac. 5. Sept. 1699. ad cujus tramites dirempta quoque fuit capituli controversia *Castri Maris 30. Julii 1735.**)

Die 19. Dec. 1835.

Salernitana.

Animadverti potest s. Congregationem procul a necessitate sed justa tantum concurrente causa nimiae tenuitatis praebendarum et distributionum et nimium frigidi ac inimici aeris aliquando etiam concessisse indultum inserviendi alternis vicibus et etiam per tertiarias, ut *in Auximana 12. Julii 1631, in Montis Regalis 28. Novb. 1649., in Farfen. 13. Novb. 1655. et in Tranen. 22. Novb. 1738.* **)

S. Congregatio quando hujusmodi indulta vel alternativae vel tertiariae concedit quoad *modum* apponere solet semper: *cum solitis clausulis*, ut supra in *Alternativa concessa p. 1061.*

Die 23. Junii 1821.

Cingulana.

A capitulo Cathedralis quotidianum servitium praestandum est, ut ad normam *Clementin. 1. de celeb. missar. et Concilii Trid. sess. 21. et 22. cap. 4. et sess. 14. cap. 12. de ref.* definivit s. Congregatio in *Setina Chori et missae convent. 21. Januarii 1786.* Verumtamen coelum nimis frigidum idoneam causam esse quamobrem servitium reducatur ne sine gravi salutis detrimento Canonici illud praestare teneantur, tradunt *Ceccoper. Lucubrat. canon. lib. 2. num. 150.*, *Pirhingh. in Jus can. lib. 3. tit. 4. de cleric. non residen. §. 23.*, *Schmier. Juris canon. lib. 3. tract. 1. par. 2. cap. 3. num. 351.* et s. Congregatio ob aeris intemperiem indulgentiam adhibuit et servitium chori ad mediariam ex *gratia* concessit in *Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1753.* ***)

Die 29. Martii 1817.

2) Concessa.

Vd. t. I. p. 794: *S. Hippolyti*; p. 978. §: *Episcopus*; p. 557.: *Mazarien*; *Chorus* (alternativa p. 1061.; obligatio in diebus festis p. 1151.)

Vercellen.

Ima vallis pestiferique circumstantes lacus infestum reddunt aerem oppidi *di Bi-*

*) Vd. *p. 1107.*
**) Vd. *p. 1062.*
***) Vd. *p. 1063.*
†) Vd. *p. 1108.*

*) Vd. *p 1061.*
**) Vd. *p. 1063.*
***) Vd. *p. 1061.*

andrate. Collegiata ibi est Canonicorum septem, qui missas singulis hebdomadis canunt tres terque divinum recitant officium exceptis mensibus Julii, Augusti et Septembris, in quibus officium diebus tantum agunt festis. Plerique sunt exteri ac salubriori sub coelo nati valdeque idcirco in ea regione afflictantur. EE. igitur Vestris nuper supplicarunt pro dispensatione a choro et residentia tribus illis nocuis mensibus, sub obligatione adimplendi onera reliquo anni tempore. Exposita Emus confirmat Vercellensis Episcopus, neque ad probandam necessitatem opus esse ait jurata phisicorum fide, *cum aliunde plenissime omnibus pateat, acrem illic mensibus praesertim supradictis adeo valetudini esse adversum, ut nonnisi magno cum propriae salutis periculo residere Canonici queant, quod et diuturna experientia satis probatum videtur.* Atque hinc indulgeri posse censet petitioni oratorum, *ea tamen lege ut missae et officia, quae mensibus supplicatis omitterentur, reliquis anni mensibus integre suppleantur ad majorem Dei cultum ejusque ecclesiae decorem et ad hujusmodi munerum adimplementum necnon a capitulo provideatur pro missa diebus festis, cum in Canonicorum absentia non desint vice-parochus, capellanus atque regulares, quorum in eodem oppido adest conventus, qui animarum ibi degentium curae et saluti optime consulant.*

Infelicissima semper fuit oppidi positio eademque incolis mala neque ullo hactenus tempore servitium ecclesiae Canonici intermiserunt. Haud facile ergo immutandum videretur, quod ab ipsa forsan Collegiatae fundatione observatum est. *Trid.* enim *synodus sess. 24. cap. 12. de reform.* concedit Canonicis trium mensium vacationem a residentia, *salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Maxime, quia ecclesiae decorem populique commodum minueret trimestris Canonicorum omnium absentia. Ita profecto vel ipsa *s. Concilii* indulgentia communiter interpretatur, ut non omnes simul Canonici per trimestre absint, ne omni ecclesia servitio destituatur, *Fagnan. in cap. Licet 35. de praeben. n. 54. et seq., Ferrar.* verb.: *Canonicatus art. 5. n. 3., Piasec. in prax. part. 2. cap. 2. n. 2.*

Aliter suadere posset insalubritas aeris, ex qua *mensibus praesertim supradictis nonnisi magno cum propriae salutis periculo residere Canonici queunt.* Inter legitimas enim non residendi causas justa et rationabilis est corporis necessitas, *cap. unic. de cleric. non residen. in sexto; Pirhing. in jus canon. lib. 3. tit. 4. sect. 1. de cleric. non residen. in eccles. §. 22.*, ideoque a choro et residentia excusantur, *qui haec efficere nequeunt sine gravi suae salutis detrimento,* ut inquit *Ceccoper. Lucubr. canon. lib. 2. num. 150. in fin.*, ac potissimum propter aeris intemperiem, *Pirhing. loc. cit. §. 23., Schmier. Jurispr. canon. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 351.*

Haud leve quidem incommodum ferrent incolae, si collegiatae ecclesiae servitium per tres continuos menses intermitteretur. At satis consultum eis foret, si *a capitulo provideatur pro missa diebus festis*, ut Emus monet Episcopus. Praesertim quia vice-parochus, capellanus et regulares, qui in oppido existunt, consulere valent *animarum* ibi degentium curae et saluti. Minueretur etiam tribus illis mensibus ecclesiae decor; sed major in reliquis esset ejus cultus per supplementum missarum et officiorum, quae absentiae tempore omitterentur.

Responderе dignentur Emi Patres:

An et quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Emi Episcopi.

Die 5. et 19. Junii 1790.

Civitatis Castellanae.

Parochialis ecclesiae s. Andreae Apostoli oppidi Vallerani jurepatronatus gaudet Rev. Camera apostolica, quae solvit parocho annua scuta 40 in causam congruae. 1779. ex dotatione fratrum Rossetti et sacerdotis Joannis Laurentii Agostini erecta est in collegiatam isthaec ecclesia et parochus ad primam dignitatem archipresbyteratus erectus est, quin tamen ei aucti essent redditus, licet subjectus fuerit oneribus chori et missarum conventualium 22. Cum presbyter Aloysius Falaschi archipresbyteratum ex praesentatione rev. Camerae apostolicae obtinuisset, compertum habuit, quod vix annua scuta 5 ex distributionibus quotidianis aliisque incertis percipiebat. Ratus hinc impar prorsus esse oneribus emolumentum, alterutrum a s. Congregatione postulavit vel ut ex redditibus capituli ei praebenda augeretur vel ut reductionem servitii chori obtineret.

Super quibus interrogatus Episcopus, ut audito capitulo referret, hic confirmat ea quae Canonicus Falaschi exposuit. Negat vero quod praebenda archipresbyteralis augeri possit ex redditibus massae capitularis nisi reliquae Canonicorum praebendae diminuantur, quae cum tenues sint nullam ferre possunt diminutionem. Censet vero quod attenta tenuitate praebendae archipresbyteralis reducendum sit servitium chori servatis tamen conditionibus quas capitulum proposuit et ipse probat, scilicet *I., ne diebus vacet orator a choro, in quibus tamquam prima dignitas hebdomadarii munus exercere debet et solemniter missam celebrare tenetur*;

II, *pariter quando chorus omnibus communis assignatur;*

III, *in festis in sua hebdomada concurrentibus necnon festis quibuscumque diebus adesse cogatur missis cum cantu celebratis ac vesperis.*

Proposita fuit haec instantia per *summaria precum* in praeterita Congregatione et rescriptum fuit: *Exhibeatur bulla fundationis et Episcopus referat praebendarum redditus comprehensis incertis.* His omnibus facit satis Episcopus in nova *informatione.* Nam transmissa bulla constat quod servitium chori praestatur quotidianum, sed per *mediariam.* Refert vero Episcopus *quod Canonicorum numerus praedictae collegiatae ecclesiae capitulum constituens ad decem adscendit, qui cum duobus dignitatibus nempe Archipresbytero et Praeposito ac quinque beneficiatis numerum in totum 17 conflant. Redditus omnes cuilibet praebendae canonicali adscriptos summam pro unaquaque scutorum 30 annuatim pertingere compertum est. Incerti autem redditus scutorum 5 circiter calculari possunt.*

Cum ante erectionem Collegiatae parochus haberet annua scuta 40 in causam congruae, jam patet, quod pro chori servitio et celebratione missarum conventualium nihil additum sit Archipresbytero praeter distributiones quotidianas et incerta, quae vix attingunt annua scuta 5. Impar itaque videtur emolumentum oneri chori quotidiani, in quibus terminis alias s. Congregatio servitium chori reduxit *in Alexandrina Servitii chori 17. Aprilis 1790., in Placentina Servitii chori 19. Febr. 1791.* Quatenus vero EE. VV. chori servitium reducendum putent, tum sane inquirendum erit, num probandae sint conditiones sub quibus capitulum in hanc reductionem assentitur: scilicet ut Archibresbyter teneatur choro interesse iis diebus, in quibus tamquam hebdomadarius missam canere tenetur, tandem in festis diebus, qui in sua hebdomada occurrunt, pro missis solemnibus et vesperis tantum. Cum leve sit hujusmodi chori servitium satis consultum videtur tum ut orator par emolumento onus habeat tum ut prima dignitas aliquando choro intersit.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit reducendum chori servitium in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi.

Die 28. Julii 1804.

Nullius Sublacen.

Advigilans naviter in gregem sibi concreditum Emus et Rmus D. Cardinalis Galeffi Abbas commendatarius ecclesiae Sublacensis hac in postrema relatione status ipsius ecclesiae postulatum proponit:

In ista Collegiata s. Andreae Sublaci nonnisi dominicis aliisque per annum festis de praecepto diebus missam conventualem pro benefactoribus celebrandam decrevit die 29. Julii 1744. cl. me. Joannes Baptista Card. Spinola vigore facultatum hanc in rem tributarum a s. Congregatione. Verum illud minime ferendum videtur, quod officia divina vel festis diebus adeo detruncentur. Praeposui capitulo, quod iisdem diebus officii divini universi in ecclesia persolvendi onus suscipere ne gravaretur, quippe quod ad ecclesiae et dioecesis decus et ornamentum, Dei Sanctorumque gloriam et spiritualem Canonicorum ipsorum utilitatem concessurum foret. At responsum habui: »Pium VI. felic. rec. noluisse Canonicis imponere onera ulteriora iis, quae jam habent;« cui responso acquiescendum necne sit Sanctitati Tuae adjudicandum relinquo hoc proposito dubio:

Num Canonici s. Andreae ad integras horas divini officii dominicis festisque de praecepto diebus recitandas compelli possint et debeant?

Quae sua sententia esset rogatus Emus Abbas folia remisit, in quibus capitulum sua jura deducit et aperte recusat onus recitandi integrum officium. Ipse vero Emus in sua informatione refellit excusationes, quas capitulum affert et tandem concludit: »Nollem

pro meo arbitratu onus quod detrectant imponere, in Domino autem gaudebo, si hoc vestra EE. PP. autoritate, prout ecclesiae decus et populi aedificatio expostulat, decernatur.« Antequam tamen ea deducam, quae praesentis qnaestionis propria sunt, oportet primum cognoscere quibus initiis et orsu Collegiata s. Andreae oppidi Sublaci conflata sit atque postea in celebritatem venerit.

Quae olim erat nec satis ampla parochialis ecclesia s. Abundii in ampliorem formam reaedificata 1566. et s. Andreae Apostolo nuncupata in Collegiatam erecta fuit eaque sex cum Praeposito Canonicis initio constabat. Massa capitularis cumulata est ex bonis 4 paroeciarum quibus tribuebatur oppidum atque ex bonis a Cardinali Columna et communitate in hanc causam donatis. Canonici fructus massae inter se aequis quotis dividebant et Praepositus duplam quotam percipiebat. Sed 1790 defuncto sacerdote Innocentio Spoletini Praeposito s. m. Pius VI. praeposituram suppressit atque ex duplici portione quam ex massa percipiebat Praepositus duas erexit Dignitates cum annexa cura animarum scilicet archipresbyterum et primicerium, et ab hoc tempore sex Canonici et duo Dignitates ex massa parem quotam percipiunt. Pro praesenti redditnum conditione Canonici hujus massae affirmant singulis redire annua scuta 50, sed ex cammerarii ratiociniis quae ipsi exhibent apparet annua scuta 86 quemque percipere detractis oneribus.

Sequiori tempore ex piorum fidelium largitione alii 8 canonicatus erecti fuere. Hinc primi vocati Canonici di prima erezione seu di massa, posteriores vero Canonici aggiunti*) quibus ex fundatoribus nomen indictum et dispares habent redditus.

Postquam vero s. m. Pius VI. abbatialem ecclesiam reaedificavit ornavitque, Praesul Caroni 1792. bona donavit, ut alii octo II. erectionis appellati canonicatus et 4 mansionariatus erigerentur quorum illis praebenda scutorum 72, his vero scutorum 36 constituta est. Sed quoniam ex reductione quam subiere census communitativi diminutionem bona donata tulerunt ut vix singulis scuta 20 supersint factum est, ut 1801. a SS. Domino Nostro exorarint, ut suspenderetur nominatio eorum, qui essent vacaturi, quoad illi qui erant pleni constitutam praebendam scutorum 72 vel 36 percipere possent. Modo unus vacat per mortem, alter et tertius per renunciationem, ut 5 tantum Canonici ex fundatione Caroni et 4 mansionarii servitium chori praestent.

Nunc igitur capitulum constat ex tribus supra viginti canonicatibus scilicet 8 di massa, 8 aggiunti et 5 II. erectionis sive ex fundatione Caroni cum 4 mansionariis. Omnes aeque chori servitium praestant, sed non integrum officium divinum recitant diebus dominicis aliisque de praecepto. Id saue repugnat encyclicae constitutioni s. m. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*,*) in qua Canonici et capitulum Collegiatae ad diurnum chori servitium proptereaque ad integras horas canonicas persolvendas compelluntur. Hoc tamen onus subire recusant sive quod ex longaeva biscentum 40 annorum observantia ab hoc onere eximuntur sive quod tenues sunt praebendae sive quod aliis functionibus gravantur. Quae ad tria haec demonstranda asserent Canonici quaeque his respondeat Emus Abbas in sua Informatione subjiciam.

Longaevam consuetudinem probat capitulum ex cap. XII. constit. capitularium, quas in actu s. visitationis 1768. tulit cl. me. Cardinalis Canale, cui tum commendata erat abbatia Sublacensis. Ex hoc capite habetur: Praepositus et Canonici juxta inveteratam et laudabilem consuetudinem ultra superius expressa conveniant omnibus diebus sabbathi et vigiliis festorum ad canendum vesperas et dominicis et festis de praecepto ad missam majorem et conventualem applicandam pro benefactoribus et II. vesperas. Tempore vero adventus in sabbathis post vesperas et completorium dicant matutinum cum laudibus dominicae sequentis. Diebus vero dominicis tempore adventus et quadragesimae ante missam majorem seu conventualem dicant Primam, Tertiam, Sextam et Nonam. Et tempore quadragesimae a primo sabbatho usque ad sabbatum majoris hebdomadae inclusive dicant completorium et postea matutinum et laudes sequentis dominicae. In hebdomada majori, feria II. et III. completorium et feria IV., V. et VI. missam majorem et de sero matutinum et laudes et in sabbatho s. missam majorem cum vespere.

*) Vd. *p. 385. n. 18.*

*) Vd. *t. I. p. 695.*

Hoc decretum probavit s. m. Pius VI. ortis quaestionibus super omissione vesperarum in sabbathis quadragesimae die 18. Augusti 1790.

Ex his capitulum legitimam consuetudinem probare studet, unde putat se exemptum ab onere recitandi integras horas canonicas. Neque huic oneri nunc subjiciendum esse contendit. Nam accusat tenuitatem praebendarum quarum pinguiores consistunt in scutis 50 et tenuiores vix scuta 11 aut 13 aut 27 attingunt. Praeterea se obligatos asserunt Canonici ad alias functiones. Nam efferre debent funera, missas solemnes et vesperas canere in remotioribus ecclesiis ruralibus, singulis mensibus in I. die dominica processionem ss. Rosarii facere et in III. dominica processionem ss. Sacramenti, in II. vero et IV. dominica exercitium viae crucis peragere. Addunt tamen multos ex Canonicis impeditos esse ut choro adsint, alios scilicet ratione muneris ut sunt duo parochi cum coadjutore, Canonicos Theologos et Poenitentiarios, alios ratione officii scilicet 3 Canonicos camerarios, alios ratione indulti, quo fruitur unus jubilatus et duo causa studiorum, alios tandem ratione infirmitatis vel extremae senectutis. Ex quibus omnibus concludunt, quod si aliis gravantur functionibus et pauci sint qui servitium praestant novo oneri subjici non debeant, cum impar esset ex praebendis emolumentum.

Emus vero Abbas negat primum tenuitatem praebendarum, cum suspectae sint rationes ab ipsis praebendatis exhibitae. »Esto, ita prosequitur, quod tenues sint cujusque choro inservientis symbolae ac redditus, ast non adeo tenues sunt, ut choralis servitii augumentum ferre non possint. Nam si paucas demas praebendas, ceterae scuta 50 attingunt, aliae longe supersunt.« Quoad vero alias functiones, quibus praeter chorum gravantur Canonici observat idem Emus Abbas: »Quod si aliis functionibus intra et extra collegiale templum operam navant, statutae sunt horae, quae chorale non implicant servitium, quod praestatur et quod praestandum foret statutae sunt partiales distributiones.« At numerum quod attinet eorum, qui servitium chori praestant affirmat Emus Abbas: »Nonnullos ex legitimo indulto exemptos quidem esse. Attamen major pars servitio ecclesiae divinisque officiis interesse tenetur si non singuli singulis diebus, pauci vero rationabiliter erunt eximendi. Caeterum praefatus numerus ad ecclesiastica munia obeunda satis superque est dijudicandus. Inaniter prorsus asseretur indultum s. m. Pii VI. quod nullibi reperiri datum est leviaque admodum sunt excusationis momenta, quae a capitulo producuntur.«

Dubium proponitur:

An Canonici Collegiatae s. Andreae compelli debeant ad recitandas integras horas canonicas diebus dominicis aliisque festis de praecepto in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 18. Julii 1807.

Aretina.

Vincentius Tortelli testamento 1763. legavit scuta bismillia, ut in investimentum ad rationem scut. 5 in singula centum erogata starent pro fundo canonicatus erigendi in Cathedrali Aretina, in qua Canonici servitium quotidianum praestant. Missarum onus 1797. reductum fuit ad annuas missas 104, quae totidem libras monetae florentinae ad minus ut ait Episcopus pro eleemosyna requirunt. Jus porro nominandi ad hunc canonicatum reliquit pro duabus partibus capitulo Cathedralis Aretinae, pro reliqua tertia parte majori natu ex familia Tortelli, quae si deficeret substituit Magistratum.

Modo vacat canonicatus hujusmodi et nemo est sive ex familia Tortelli sive ex aliis passive vocatis sive ex extraneis qui ad illum consequendum optet attenta diminutione reddituum. Nam oeconomus qui nunc praebendam illam administrat testatum facit che le rendite consistenti tutte in frutti di censi, dedratti tutti gl'oblighi, non compreso il servizio del coro, ascendono a scudi cinquantatrè incirca. Quare Archipresbyter Philippus Neri Tortelli qui tamquam major natus ex familia fruitur nunc tertia parte patronatus postulat ut servitium chori reducatur ad dies festos, Quadragesimam et majorem hebdomadam. Episcopus de sua sententia rogatus audito capitulo exposita confirmans respondit: Non adsunt quod sciam qui cogi possint ad augendam beneficii dotem neque expedire judico suspensionem provisionis, attenta necessitate quammaxima Canonicorum inservientium, quibus nunc praesertim indiget ecclesia cathedralis. Cum vero

capitulum jam a die 20. Aprilis proxime elapsi plenis suffragiis decreverit propositionibus meis omnino acquiescere, non abs re mihi videtur EE. VV. precibus ab oratore porrectis annuere et in suo robore relictis caeteris canonicatus oneribus servitium chori quotidianum ad dies festos, adventum insuper et quadragesimam necnon ad hebdomadam, in qua magisterium chori fungi debet, reducere per tempus arbitrio Ordinarii opportune statuendum.

Diminutionem quidem fructus canonicatus tulerunt. Nam ex fundatione dos constituta erat in scutis 2000, quae juxta fundatoris praeceptum investita praesumi debet ad rationem scutorum quinque in singula centum, ita ut darent annua scuta tria supra quinquaginta detractis oneribus ac propterea percipit Canonicus alia scuta 15 et obolos 60 pro stipendio missarum 104 annuarum, quae nunc celebrantur. Quamquam vero diminuti sint fructus canonicatus, attamen non adeo tenue videtur emolumentum scutorum 53 pro quotidiano chori servitio maxime cum Canonicus si per se celebret alia scuta 15 pro eleemosina missarum lucretur et annua scuta 68 in totum percipiat. Nuper s. Congregatio censuit pro servitio chori quotidiano congruum esse emolumentum scutorum 30 ex quibus etiam stipendium missarum erat deducendum in *Civitatis Castellanae**) *Reductionis servitii chori 28. Julii 1804.*, quamquam in hac causae specie ageretur de canonicatibus Collegiatae in parvo oppido.

Verum canonicatus vacat in detrimentum servitii chori, cum Cathedralis Aretina Canonicis indigeat. Nemo enim est qui attenta tenuitate stipendii ad vacantem canonicatum optet. Videant igitur EE. PP. num ex hoc reducendum sit servitium chori, quemadmodum Episcopus censet, ad dies festos, adventum et quadragesimam et hebdomadam in qua Canonicus magisterium chori fungi debet, ad tempus tamen ab Episcopo praefiniendum.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus reductioni serritii chori in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi.

Die 22. Aug. et 12. Septb. 1807.

*) Vd. *p. 1168.*

Civitatis Castellanae.

Praecipium, inter cetera, monumentum pietatis quod in feudo *Vineanelli* reliquit Princeps Franciscus Maria Ruspoli est insignis Collegiata quam erexit 1725., constans ex duabus Dignitatibus, Abbate et Primicerio, 10 Canonicis et 4 beneficiatis qui servitium chori quotidianum praestant et ad patronatum pertinent inclitae gentis Ruspoli. Pro fundo habent loca montium *s. Petri primae erectionis 160 et 93 centesimis* et praeterea ex livellis et pensionibus domorum annua scuta 84. 83., quae nunc tantum capitulo supersunt, cum cessatum sit a solutione fructuum locorum montium. Detractis porro stipendio pro sacrista in scutis annuis sex et organista in scutis 32 ac vectigalibus aliisque oneribus percipiunt singuli annua scuta tria. Quare postulat capitulum reductionem servitii chori ad dies festos tantum de praecepto. Rogatus Episcopus de sua sententia simulque ut audito capitulo proponeret media supplendi capitulum in habito concessu tria proponit scilicet applicationem vel reddituum, quae Hyerosolimitana religio percipit pro tertia parte, fructuum ex pluribus fundis in agro Vineanelli, vel reddituum parvi conventus, quod in eodem oppido pertinet ad PP. Minores conventuales, vel *dativae realis*, quae a communitate rependitur. Cum tamen haec media rite censeat Episcopus plurimis esse obnoxia difficultatibus ac ferme insuperabilibus, hinc proponit *oratorum precibus esse annuendum ad tempus indefinitum quandoquidem ecclesiae cultui et populi commodo parum vel etiam nullum praejudicium infertur.*

Diminutis redditibus si alia non suppetant media s. Congregatio reductionem servitii chori concedere solet ut caeteris omissis *in Bituntina Servitii chori 24. Novb. 1770,**) *in Civitatis Castellanae 10. Dec. 1806.* Haec duo sane in praesenti re concurrere videntur. Nam cessata solutione fructuum locorum montium amisit capitulum praecipuos redditus. Et quamquam sperandum sit futurum, ut saltem duplex quinta pars fructuum locorum montium exigatur, attamen cum pro tribus partibus suspensa sit solutio fructuum locorum montium, eadem ratione pro tribus partibus fructus praebendarum decrevere. Sane reductio servitii chori non auget Capi-

*) Vd. *p. 1067.*

tularium redditus sed habenda est ratio laboris et emolumenti, ut ex aequitate servitium reducatur. Media autem supplendi quae proponit capitulum opportuna non sunt, qua de re si vobis EE. PP. videatur reductionem concedere tum adjiciendae videntur conditiones, quae semper a s. Congregatione praescribi solent ut scilicet: *Capitulares omnes tempore Adventus, Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis, Resurrectionis D. N. J. C. et ss. Corporis Christi et per totam octavam ejusdem ac aliis temporibus Ordinario benevisis interesse teneantur* quemadmodum statutum fuit in *Terraconen. 18. Febr. 1764.**)

Dubium proponitur:

An et quomodo sit concedenda reductio servitii chori in casu?

S. C. resp.:

Affirmative reducto servitio chori ad formam Terraconen. donec augeantur redditus scilicet *reducto servitio chori ad dies festos tantum, ita tamen, ut Capitulares omnes tempore adventus et quadragesimae, omnibus diebus festis ac solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. C., SS. Corp. J. C. ac per octavam ejusdem tenerentur*, quemadmodum fert decretum *in Terraconen. 18. Febr. 1764.*

Die 6. Aug. 1808.

Continuatio.

Renovat nunc preces capitulum et ut per aequivocum narratum est dicit quod servitium chori sit *quotidianum* quando per *mediariam* seu per alternas hebdomadas praestatur. Cum igitur ex concessa reductione tempore Adventus et Quadragesimae et octavae Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. C. cogatur quotidie choro interesse, ad quod ex institutione non teneretur, idcirco supplicat, ut indulta reductio ad integrum servitium in diebus festis a *Prima* usque ad *vesperas* cohibeatur. Rogata est sententia Episcopi, ut referret de qualitate servitii et de redditibus capituli. Ex particula constitutionum a capitulo tansmissa constat, quod servitium praestatur per alternativam. Ex statu vero activo et passivo a capitulo confecto liquet, quod mensa capituli constat praeter LL. Montium 160 et 93 *centesim.*, quorum fructuum nunc cessavit solutio, ex pensionibus domorum in annuis scutis 85, detracto vero ex his stipendio sacristae in scutis 6 et organistae in scutis 32 vix supersunt pro singulis 16 Capitularibus annua scuta *tria*. Episcopus in sua *informatione* exposita a capitulo confirmans *dicit justam et rationabilem esse petitionem dicti capituli ipsique idcirco esse annuendum.*

**) Vd. *p. 1068.*

Tenue quidem est emolumentum scutorum *trium* pro singulis Capitularibus. Et quamquam stipendium organistae reduci posse videatur attamen pusillum augumentum Capitularibus afferret. Videant igitur EE. PP. num reducendum sit servitium ad dies festos tantum a *Prima* usque ad *vesperas*, quemadmodum capitulum postulat. Quoniam vero ignoratur num capitulum in praeteritum obierit servitium ad tramites fundationis, cum ob diminutos redditus non posset ex se abstinere a servitio nisi impetrata reductione idcirco monendos videntur Capitulares, ut quoad praeteritum consulant conscientiae suae.

Dubium proponitur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis juxta modum nempe reducto servitio ab omnibus praestando ad dies festos etiam reductos tantum et hebdomadam majorem donec augeantur fructus et quoad praeteritum consulant conscientiae suae.

Die 17. Decbr. 1808 et 21. Jan. 1809.

Firmana.

Capitulum Collegiatae *Montis Auctonum* in ecclesia divo Petro Apostolo dicata erectum constat duabus Dignitatibus scilicet Archipresbytero et Priore, 6 Canonicis ac 3 mansionariis. Hi omnes distincta praebenda cuilibet addicta fruebantur et insuper erat communis massa distributionum. Servitium chori ab omnibus praestandum erat diebus festis et per alternas hebdomadas diebus ferialibus. Onere gravabantur insimul celebrandi annuatim mille tercentum missas pro bonis olim ad confraternitates spectantibus et eidem capitulo addictis in erectione trium canonicatuum necnon unus Archipresbyter solvere tenebatur stipendium sacristiae et ceream aliaque ad peragendas ss. functiones necessaria praestare.

Res ita se habuit usque dum in praeterita pontificiae ditionis hostili occupatione suppressa est Collegiata. Bona omnia a de-

manio usurpata sunt et constituta est pensio singulis Canonicis scut. 84, beneficiatis scut. 42 et Archipresbytero scut. 32 tantum. Nulla facta est alienatio bonorum quae modo sub publica administratione retinentur. Durante invasionis tempore Canonici licet canonicalibus insigniis spoliati servitium diebus festivis praestare et missas lectas pro conventualibus applicare diebus ferialibus non omiserunt. At vix restituto pontificio regimine integrum chorale servitium ad formam constitutionum iterum obierunt. Neglecta tamen ab iis fuit annualis celebratio missarum 1300, de quibus supra facta est mentio. Interea ob secutas vacationes 3 Canonici instituti fuerunt, quin unquam solutionem pensionis obtinuerint nec choro interesse nec missarum celebrandarum oneri sese obnoxios esse putant.

Supplex capitulum ac singuli praebendati postularunt reductionem servitii choralis et missae conventualis ad dies tantum festivos.

Rogatus de sua sententia Archiepiscopus capituli votis adhaeret confirmans quae superius exposui ac praesertim omissionem celebrationis 1309 missarum in singulos annos a die quo capitulum bonis confraternitatum fuit expoliatum.

Quousque capitulum suis potiebatur bonis quilibet ex Canonicis praeter peculiarem praebendam annua circiter scuta 100 percipiebat ex massa distributionum. Nunc veteres Canonici qui pensione fruuntur scut. 84 minus quidem percipiunt, quam antea ex praebenda et distributionibus. Idem ducto proportionali calculo dicendum est de beneficiatis.

Videndum itaque erit in I. dubio num chori servitium et onus missae conventualis *) sit reducendum. Diminutis sane praebendis s. Congregatio hanc reductionem concessit ut *in Placentina Missae conventualis 30. Julii 1796.* Sed observandum est quod licet Canonici antea perciperent fructus praebendarum et scuta centum distributionum ac modo scuta tantum 84 percipiant, satis tamen emolumenti esse videtur pro chori servitio singulis diebus festis et diebus ferialibus per alternas hebdomadas. S. Congregatio reductionem chori et missae conventualis ad dies festos**) reduxit in casu, quo praebenda tenuis adeo facta esset, ut impar oneribus sufferendis videretur, ut *in Ariminen. 18. Sept. 1751.* et in *Cassanen. Missae conventualis et pro populo 20. Septb. 1794.*

Nec praetereundum, quod in praeterita Congregatione definitum fuit Canonicos qui pensiones exigunt loco bonorum, quae a demanio alienata fuere, teneri ad servitium chori, in *Brictinorien. Collegiatae 12. Julii nuper elapsi ad I. dubium.* Verum enimvero in hac causa Brictinorien. vix ulla aut certe exigua intercedebat differentia inter redditum bonorum et pensionem iis subrogatam. E contra in praesenti causa si fructus praebendarum jungantur distributionibus non leve certe occurrit discrimen.

Quamvis Canonici oratores perceperint singuli pensionem scutorum 84, neglexerunt tamen a die quo demanium bona usurpavit celebrare missas, quae infixae erant fundis sodalitatum et massae capitulari applicatis ea lege, ut a capitulo onera implerentur. Utrum his oneribus satisfacere nunc teneantur statuendum erit in *II. dubio.* Si pensio subrogata est fundis occupatis, inter quos erant illi confraternitatum pro missis obligati, profecto Canonici habent unde missas implere possint, et nisi oneri impar sit emolumentum reductio concedi non potest ut in *Casalen. Reductionis missarum 17. Dec. 1796.* Missae celebrandae quotannis sunt in numero 1300, ad manualem requiruntur annua scuta 195., ita ut facta aequali distributione inter Dignitates et Canonicos unusquisque gravaretur onere 137 missarum quae respondent scutis 20. 55. Tres vero mansionarii 68 missas celebrare tenerentur, quae ad manualem scuta 10 et obolos 20 constituunt.

At iterum redit difficultas quod capitulares minorem summam ex pensione percipiunt quam ex praebendis et distributionibus et diminutus est eorum numerus. Nam noviter provisi cum pensione careant, minime sese oneribus obligatos putant, pro quibus nullum consequuntur emolumentum. Quare cum gravius onus in Capitulares exercentes redundet, si EE. PP. reductionem concedendam censeant, deliberandum erit, num potius onus servitii chori et missae conventualis reducendum sit. Nam bona sodalitatum capitulo applicata nihil commune habent cum servitio chori et ex jure est, ut potius alia onera quam missarum reducantur in *Civitatis Castellanae Reductionis servitii chori 30. Maji 1707.*

*) Vd. *t. I. p. 786.*
**) Vd. *t. I. p. 760.*; *supra p. 1151.*

Proponuntur dubia:

I. *An et quomodo sit locus reductioni servitii chori et missae conventualis in casu?*

II. *An onera missarum infixa bonis sodalitatum capitulo applicatis sint adimplenda seu potius sit concedenda reductio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative donec redditus augeantur ad omnes dies festos reductos, tempore Adventus, Quadragesimae, octavarum privilegiatarum necnon die festo s. Titularis, in quibus omnes choro inservire teneantur.

Ad II: Affirmative pro nunc ad primam partem, negative ad secundam et oratores instent coram Congregatione deputata pro restitutione bonorum de quibus agitur.

Die 9. Aug. et 20. Septb. 1817.

Neapolitana.

Abbas et collegium hebdomadariorum parochialis ecclesiae s. Mariae Majoris Neapolis 1599. auctorante SS. Pontifice Sixto V. clericis minoribus regularibus ecclesiam atque aedes adnexas cesserunt, ut novi eorum regularis ordinis institutum, familiam ac domum ibidem fundarent. In cessionis vero tabulis cautum fuit, ut hebdomadariorum collegio servaretur earumdem aedium proprietas atque etiam jus parochum ex ipsis hebdomadariis eligendi eumque Emo Archiepiscopo praesentandi: item ut omnia missarum onera et anniversaria collegio imminentia ipsumque chori servitium, quo Capitulares singulis diebus ad missam et vesperas persolvendas, diebus autem festis ad matutinum canendum obstringebantur, ab ipsis regularibus inposterum implerentur. Deinceps memorati collegii beneficia tam ab Ordinario quam ab apostolica Sede uti simplicia et sine ullo onere habita et collata sunt.

Verum patres Minoritae 1823. proprio lubitu ecclesiam domumque deseruerunt; Abbas igitur et hebdomadarii ad quos pleno jure rediit ecclesia, minime vero aedes in religiosam domum versae, rati omnia revixisse onera a s. Congregatione fabricae s. Petri missarum reductionem impetrarunt votique compotes facti sunt injuncto onere unicam singulis diebus celebrandi missam. Nunc reductionem servitii chori ad I. et II. dumtaxat vesperas ac solemnem missam in festo Assumptionis B. M. V. ab hoc s. Ordine postulant.

Si beneficiorum redditus oneribus non respondeant vel sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant illos augere oportet vel onera imminuere, *Trid. synod. sess. 24. cap. 15. de reform.*, *s. Congreg. in Melevitana 12. Martii 1796.* §: *Certum* et *Nullius s. Martini Suspensionis nominationis et reductionis onerum 27. Julii 1822.* §: *Jam vero*, idque tum praecipue sibi vindicat locum cum post beneficiorum erectionem fructus valde decreverint sine ulla possessorum culpa, *s. Congr. in Bononien. Missae conventualis 18. Martii 1797.* et in *Nullius s. Martini 8. Augusti 1801.*

In praesenti autem casu proventus imminutos esse procul possessorum culpa exploratum est, ideoque hebdomadarii, qui servitium chorale post ecclesiae aediumque cessionem numquam pertulerunt, petita reductione digni videntur, eo magis, quod etiam patres Minoritae uti testatur Emus Archiepiscopus hujusmodi choralis servitii reductione fruebantur.

Animadvertendum vero s. Congregationem ad cultum divinum promovendum et fidelium excitandam devotionem sollicitam semper se praebuisse ut in choro hymnis et canticis nomen Dei celebraretur ac propterea ob reddituum tenuitatem aliquando reductionem denegavit, *in Terracinen. et Setina Servitii chori 23. Novb. 1782.* et in *Melevitana Missae convent. 24. Julii 1824.* Praeterea fructus, quos lucrantur oratores, pro ratione ferendorum onerum non videntur adeo tenues, ut illorum reductio sit impertienda. Haec porro s. Congregatio tenues censuit praebendas, quae scut. 30 non excederent, ut *in Veliterna 12. Martii 1722.* et in *Camerinen. Missae conventualis 14. Decb. 1793.* §: *Notandum*, verum de praebendis agebatur, quae possessores ad integrum chorale servitium devinciebant, servitium vero ab hebdomadariis praestandum ad missam et vesperas singulis diebus et ad matutinum diebus dumtaxat festis cohibetur.

Attamen si EE. VV. reductionem indulgendam esse censuerint videant, an servitium chorale ad I. et II. vesperas tantum et solemnem missam in festo Assumptionis B. M. V. coerceri debeat, prout in supplici libello oratores postulant, seu potius ea adjicienda sit conditio, ut Capitulares choro intersint tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus

festis et in octavis, quas vocant privilegiatas, quemadmodum pluries jussit s. Congregatio ac praesertim in *Bituntina*) Servitii chori 24. Nov. 1770.* et in *Civitatis Castellanae**) 6. Augusti 1808.*

Proponitur dubium:

An et quomodo sit concedenda reductio servitii chori in casu?

S. C. resp.:

Dilata et exhibeatur indultum cum precibus porrectis pro reductione legati et decreto executoriali Emi Archiepiscopi.

Die 18. Mart. et 22. Apr. 1826.

Continuatio.

Emorum Patrum mandatis obsequentes Abbas et hebdomadarii s. M. V. authographum indultum exhibuerunt cum precibus s. Congregationi fabricae s. Petri porrectis. In his autem oratores, postquam rerum gestarum narrarunt seriem, quam EE. VV. haurient ex folio in prima hujus causae propositione exarato, petierunt, ut cuilibet ex hebdomadariorum collegio singulis mensibus injungeretur duarum missarum adimplementum. Petitioni consonum die 8. Maji 1823. missarum et anniversariorum accessit reductionis rescriptum, quo SSmus *remisit preces arbitrio et prudentiae Emi Archiepiscopi sive ejus Vicarii generalis cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut congruam infrascriptorum onerum reductionem ad tempus sibi benevisum concedere possit et valeat.*

Denuo proponitur

D u b i u m:

An et quomodo sit concedenda reductio servitii chori in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad omnes dies festos de praecepto ritus duplicis tam I. quam II. classis necnon ad officia tenebrarum, commemorationis omnium fidelium defunctorum et missa solemnis quotannis celebretur in anniversario Philippi Pontano.

Die 22. Junii 1822.

Continuatio.

Huic rescripto haud quieverunt hebdomadarii iterumque petierunt, ut servitium chorale ad I. et II. vesperas missamque solemnem in festo Assumptionis B. M. V. cohiberetur.

Oratorum votis annuendum esse censet Emus Archiepiscopus statuta punctatura *di un ducato di regno per ognuno di detti tre servizi da dividersi inter praesentes.* Plura enim hebdomadarii proferunt rationum momenta, quae exoratam reductionem suadeant impertiendam. Inprimis oratores praebendas nacti sunt tamquam beneficia simplicia nulloque chorali servitio praeterquam in die Assumptionis B. M. V., obstricta. Dein »il servizio del coro subdit Emus Archiepiscopus prima della cessione ai padri Minoriti era poggiato sull'affitto delle case adjacenti alla chiesa, che non più esistono, perchè di esse sese ne formò il monastero.« Cumque hebdomadarii in possessionem non fuerint restituti nec sperandum fore restituros, haud aequitati consonum videtur, ut ipsi, quibus commoda fuerunt subtracta, onera illis annexa nunc perferre compellantur, *R. 55 j. in 6. ibique Reiffenst. num. 16.*

Nec ulla haberi potest ratio fructuum quos ipsi lucrantur quia ob vilescens frumenti praetium superiori anno cujusque hebdomadarii portio vix attigit ducata 19.

Videant itaque EE. VV., utrum amplior concedenda sit reductio, praesertim quia nonnulli hebdomadarii senio sunt confecti, alii infirmitate detinentur, ceteri vero qui monasteriorum aut piarum sodalitatum confessarii munere funguntur se coram Emo Archiepiscopo paratos exhibuerunt ad beneficium dimittendum, nisi petitam consequantur reductionem servitii chori, quod illis impedimento esset, quominus aliunde ad vitae tuitionem necessaria possent sibi comparare.

Attamen annuus redditus ducatorum circiter 30, quem inpraesens lucrantur hebdomadarii, non videtur adeo tenuis, ut ex instituto s. Congregationis amplior reductio sit concedenda. Quin aliter suadere valeant, quod monent oratores, nimirum plerosque redditus ex haereditate Pontano originem ducere; cum enim hujusmodi fructus haud ipsi perciperent, nisi beneficio annexa seu servitium chori pro ratione proventuum subire teuentur, nam beneficium datur propter officium, *Concil. Trid. sess. 21. cap. 13. de refor., Fagnan. in cap. Licet de praeb. num. 24.*

Proponitur dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis, nimirum ad illos dies festos ritus duplicis I. et II. classis tantum qui sint de praecepto praeter officia tenebrarum, commemorationis fidelium omnium defunctorum et anniversarium Pontano.

Die 21. Julii et 18. Aug. 1827.

Tergestina et Justinopolitana.

Nuper ex parte Episcopi Tergestini ac Justinopolitani supplex SS. Dom. Nostro obtatus fuit libellus, quo ille exponit ac petit ut sequitur: Fel. mem. Leo PP. XII. P. M. literis de die 30. Junii 1828. apostolica auctoritate sancivit, ut conservata Sede episcopali Justinopolitana ac eadem ecclesia ut Concathedralis cum Tergestina juncta Antistes dehinc Tergestinus-Justinopolitanus denominandus curet peculiaria a singulis Canonicorum collegiis ordinari statuta, quibus ex ss. canonum et synodalium dispositionum praescripto salubriter de recto divini cultus servitio ac de propriis muneribus rite obeundis cautum sit.

Hoc mandatum a me exequendum esse cognovi, postquam a Vestra Beatitudine, quamvis indignus, regimini unitarum dioecesium Tergestinae et Justinopolitanae praefectus comperi capitulo praedictarum ecclesiarum scriptis statutis omnino carere et tantum ex consuetudine ac vocali traditione officia sua peragere, multas vero ecclesiasticas functiones ac capitularia munera penitus in oblivionem ivisse. Ordinavi praeterea ut tum capitulum cathedrale Tergestinum tum Concathedrale Justinopolitanum propria statuta conficiat omnesque et singulas officii sui partes distincte exponat et quascumque variationes ac deviationes ab antiqua Capitularium regula vel ope validae dispensationis comprobet vel successivam indulgentiam invocet. Ab utroque capitulo mihi exhibita fuerunt nova statuta et quod attinet Canonicos ecclesiae Concathedralis Justinopolitanae illorum promptum obsequium et ferventem zelum in reparando divino cultu ac in propriis capitularibus officiis ad normam ss. canonum et synodalium dispositionum reducendis omni laude extollam necesse est, ita ut sperare mihi liceat, novas ejusdem capituli constitutiones brevi ita compositum iri, ut a me juxta praelaudatam bullam sanciri ac probari queant, quarum authentica exempla dehinc ad apostolicam Sedem transmittentur. Attamen praevia desideratur benigna declaratio Beatitudinis Vestrae, num scilicet capitulum concathedrale Justinopolitanum, quod juxta verba supra laudatae bullae in obitu Antistitis Vicarium capitularem sibi eligere non potest, ad electionem tamen Vicarii capitularis ecclesiae cathedralis qui regimen teneat etiam Concathedralis votis suis concurrere valeat necne?

Capitulum cathedrale Tergestinum vero statuta mihi proposuit quibus tam exigua officia Canonicorum adnotantur, ut magis sacerdotibus quiescentibus quam presbyteris dignitate distinctis ac talibus, qui reliquo clero verbo et opere praelucere debent, conveniant, nimirum Canonici Tergestini, qui paucis exceptis levibus tantum et raris quibusdum occupationibus otium interrumpunt neque curae animarum se dedicant, nisi lue grassante et urgente necessitate eorum, qui nec senio nec morbo laborant, opera requiratur, dispensatos se autumant a recitatione matutini cum laudibus in choro, ita ut hoc officium per totum anni tempus privatim tantum persolvant. Item vesperas cum completorio solis diebus dominicis et festivis ac quibusdam vigiliis ante festa majora in choro recitare teneantur; proinde solas horas diurnas, Primam, Tertiam, Sextam et Nonam publice in ecclesia cathedrali quotidie se recitare spondeant atque ad corroborandam hanc consuetudinem rescriptum Episcopi Sigismundi de die 26. Octobris 1792., quod in copia adnectitur, exhibuerunt. Ego quidem lubenter concedo accessum ad ecclesiam cathedralem Tergesti in colle sitam, hieme quandoque ob tempestatis rigorem aut ob ventorum vim ac aestate quibusdam diebus ob nimios calores non esse commodum, non tamen impervium, si rarissimum casum excipias, quo viae hujus urbis nive cooperiantur et gelu rigeant.

Simul vero observo eamdem viam ad Cathedralem tum ab ipsis Canonicis tum ab aliis civibus propter amoenitatem deambulationis praediligi, imo eamdem ecclesiam esse quoque parochialem, ad quam proinde accedere Canonici eo minus fastidire deberent,

*) Vd. *p. 1067.*
**) Vd. *p. 1170.*

quod fideles ad parochiales functiones ibi concurrere non graventur. Ex praemissis considerationibus dispensationem a binis visitationibus ejusdem ecclesiae in die saltem pro aliquo anni tempore rationabilem quidem existimo; ast cum ipsi Canonici sese obligatos cognoscant semel in die ad recitandas horas diurnas illuc accedere, rationem non invenio cur in choro congregati huic recitationi horarum diurnarum praemittere recusent officium matutinum cum laudibus? Cum porro singulis sabbatis fideles triplici signo campanarum ex antiqua consuetudine ad vesperas invitentur, nullus tamen Canonicorum ad peragendum hoc officium in choro comparere consueverit, ego infrascriptus Episcopus nunc postquam clericos dioecesanos qui ultimo theologiae cursui operam navant ex seminario centrali Goritiensi in proprium institutum theologicum Tergestum transferendi facultatem obtinueram eosdem clericos singulis sabbatis non solum ad recitandum officium in vesperis cum completorio sed etiam ad matutinum sequentis diei praeoccupandum ad ecclesiam cathedralem mitto, imo ego ipse nisi gravi impedimento detineor intervenire soleo. Verum Canonici hujus ecclesiae exceptis duobus recentissime juxta meam propositionem eidem collegio adscriptis nec hoc exemplo tracti ad officium in choro peragendum adduci possunt, imo diebus dominicis et festivis in quibus tantum ad preces vespertinas comparere suum esse ducunt, post dictas vesperas cum completorio statim omnes Canonici, quamvis in nullo alio vel ecclesiae vel curae animarum officio eorum praesentia requiratur exceptis dumtaxat duobus praelaudatis a choro discedunt et Episcopum solum cum clericis cum scandalo pro fideli populo in ecclesia relinquunt, cum dehinc instructio ex catechismo romano ad adultos ac postea benedictio cum ss. Sacramento locum habeat, quam functionem unus tantum ex Vicariis choralibus curatis adsistentibus sibi clericis peragere solet. Si igitur talibus in circumstantiis necessitatem nostris tristissimis temporibus quam maxime urgentem perpendam, ut scilicet fidelis populus proprio sacerdotum exemplo ad cultum divinum invitetur ac eorum moribus ad pietatem et religionis fervorem excitetur, neglectum divini officii in praedictis Canonicis amplius tolerari posse conscientiae meae repugnat. Quapropter statuendum esse censerem, ut Canonici ecclesiae cathedralis Tergestinae singulis diebus mane ante recitationem horarum persolvant in choro officium matutinum cum laudibus ac privatae recitationi tantum relinquantur vesperae cum completorio omnibus diebus ferialibus, non tamen in sabbatis et in vigiliis ante festa majora nec in diebus dominicis et festivis, ut ita dispensatio quoad unicam visitationem ecclesiae cathedralis in memoratis diebus ferialibus tantum juxta praesentem consuetudinem vigeat; tum tamen certis anni temporibus viam nimis arduam quae ducit ad Cathedralem qua sufficientem causam dispensationis a choro praecipue pro iis Canonicis consideraturus sim, qui ob provectam aetatem aut corporis infirmitatem illuc accedere sine gravi incommodo non valeant.

Aliud argumentum, quod Beatitudini Vestrae ad tranquillandam conscientiam exponere teneor, ad celebrationem missae convent. pro benefactoribus in genere applicandae refertur; hoc enim Sacrum vi rescripti s. Congregationis de die 19. Apr. 1777. quod in copia allegatur ab Episcopo Franc. Philippo ad solos dies dominicos et festa de praecepto necnon ad Titularem s. Justi M. reductum fuit. Ast redditus, propter quorum tenuitatem tunc reductio praemissa facta fuerat, posterius aucti fuerunt, ita ut nunc quilibet Canonicus simplex, praeter indemnitatem habitationis, annuos florenos 1000, duo Dignitarii inferiores fl. 1200 et primus Dignitarius fl. 1500 percipiant.

Augmentum reddituum pristinae dotationis capituli ex fundo religionis i. e. ex proventibus suppressorum conventuum aliarumque fundationum tempore Imp. Joseph II. publico aerario adjudicatis profluit: praedictus fundus religionis vero multis missarum obligationibus gravatus est, quapropter parochi aliique curati, qui ex eodem subsidium aliquod propter deficientem dotem beneficiariam percipiunt, annuatim 30 missas in ratione 100 fl. ex ipso fundo perceptorum cum applicatione pro benefactoribus persolvere tenentur. Quaestio igitur oritur, num etiam Canonici ecclesiae cathedralis qui ex eodem fundo dotationis augmentum percipiunt aequa ratione missas persolvere teneantur, quum hucusque ab hoc onere immunes habiti sint? Fateri debeo ingentem esse numerum piarum fundationum quae praedicto fundo religionis ex primaria institutione inhaerent et quamvis quilibet parochus et curatus praedictas annuas

missas 30 in ratione fl. 100 quos ex eodem fundo percipit gratis applicet, multa tamen missae sacrificia impersoluta remanere. Dum vero onus parochi, qui exempli gratia 300 fl. annuos ex fundo religionis percipit, 90 missas pro fundatoribus et insuper singulis diebus dominicis et festivis missam pro populo applicare ac proinde annuatim 160 missae sacrificia circiter gratis peragere tenetur, nimis grave recognosco, gravius adhuc foret onus Canonicorum, si pro perceptione 700 fl. circiter ex fundo religionis annuatim ad 210 missas gratis peragendas obligarentur. Nihil aliud mihi superest, quam ad indulgentiam Vestrae Beatitudinis recurrere ideoque de apostolicae potestatis plenitudine humillime gratiam peto, ut pro praeterito universum clerum hujus dioeceseos misericorditer absolvere dignetur super omissione missarum fundo religionis inhaerentium; quoad futurum vero benignissime concedere dignetur, ut missae ex antiquis fundationibus oriundae ac nunc cum fundo religionis hujus dioecesis inextricabiliter confusae ad annua 10 sacrificia in ratione perceptionis 100 fl. tum pro parochis aliisque curatis reducantur tum eidem oneri Canonici ecclesiae cathedralis subjiciantur.

Memorare tandem debeo praepositionem capituli Cathedralis Tergestini, quam his terminis statutis suis inseri cupit: »Singulorum Canonicorum erit horas canonicas in choro rite persolvere: caeterum qui vel omnino abfuerit vel tardius accesserit, nulli Canonicorum sed soli conscientiae suae rationem reddet, salva tamen Ordinarii jurisdictione.« Tali regula praescripto ordini in persolvendo cultu divino minime cautum foret ac vanis et futilibus excusationibus certe amplissima via sterneretur.

Quum itaque ss. canonibus jam provisum sit, ut Episcopi ex fructibus et proventibus quibuscumque tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint, Conc. Trid. *sess. 22. de refor. cap. 3.*, ego quidem aliquam partem reddituum hujus capituli pro distributionibus inter praesentes determinari necessarium reputo; ast auctoritate speciali ad tuendum tali ratione ordinem in peragendis officiis ecclesiasticis eo magis indigeo, quod usus distributionum in nostris partibus diu jam aboleverit ac hujus laudabilissimae consuetudinis introductio multis certe contradictionibus exponeretur, nisi apostolicae Sedis verbum Episcopum haec molientem confirmet.

Sanctissimus perhumaniter excipiens hujusmodi libellum a Nuntio etiam Viennensi admodum suis literis commendatum dignatus est per secretariam negotiis extraordinariis ecclesiasticis praepositam S. H. O. ablegare ut amplissimi PP. ea qua eminent juris peritia quaestionum capita quae dubia in calce relata complectuntur definiant.

Quaeritur itaque in I. dubio utrum capitulum Concathedralis Justinopolitanae concurrere votis suis valeat ad electionem Vicarii capitularis cum capitulo cathedralis*) Tergestinae. Monendum, idipsum quaeri a capitulo Makarskensis ecclesiae unitae eadem Pont. Leonis bulla ecclesiae Spalatensi cujus tamen capitulum petitioni refragatur ex rationibus videndis in coaevo restrictu quod sequenti numero damus. Praestat quocirca hic loci recolere quid Pontifex suis literis disposuerit: »Quando sedes vacabunt Vicarius capitularis ecclesiarum quibus aliae Concathedrales sunt unitae regimen tenebit etiam Concathedralis, cujus proinde capitulum non poterit Vicarium capitularem sibi eligere.« Porro dum per isthaec verba ademptum apparet jus capitulo Concathedralis Justinopolitanae sibi Vicarium eligendi, non aeque tamen evinci ex iis posset prohibitum fuisse eidem capitulo quominus suis votis concurrat ad electionem. Cum autem agatur de dispositione juris communis correctoria quia ex *cap. 16. sess. 24. Conc. Trid.* jus est cuique capitulo officialem seu Vicarium infra octiduum a viduata episcopali Sede deputandi idque etiam in casu, quo dioeceses inter se sint aeque principaliter unitae**) ceu uno ore testantur *Ventrigl. prax. eccles. t. 2. de capit. sed. vac. annot. 16.* §. *2. n. 17.*, *Quaranta bullar. eod. tit. n. 9.* §: *Refertur.* ac generatim servatum in praxi refertur a *Marchetti prax. Vic. capitular. par. 1. tit. 1. n. 76.*, quia per hujusmodi unionem unum quodque capitulum suum statum antiquum assumit in obitu Episcopi, *Card. de Luca in annot. ad Conc. Trid. disc. 31. n. 41.* et *discur. 26. de Canon et Dignit.*, argui posset praefatam dispositionem coarctandam esse ad unum casum ibidem expressum nimirum ad prohibitionem eligendi sibi Vicarium capi-

*) Vd. *p. 357, 405.*
**) Vd. *t. 11. p. 1033. x.*

tularem, non autem ademptam facultatem concurrendi ad electionem. Dubitari at non injuria posset, num eo ipso quo Canonicis Concathedralis Justinopolitanae sublata fuit facultas Vicarium sibi eligendi desierit etiam habilitas in electione suffragii ferendi cum consectarium esset originarii juris eligendi. Hac in hypothesi difficultas insidet in eo quod sepositа consuetudine legitime praescripta vel privilegio nemo ad electionem Vicarii capitularis jus arrogare sibi valet qui ad capitulum proprie non pertineat, quia generatim loquendo jura pertinentia ad aliquod collegium, universitatem vel capitulum nequeunt expleri a non existente de gremio ejusdem universitatis, collegii vel capituli. *Abbas in cap. Scriptum. n. 150., Lavor. variar. lucubrat. t. 1. tit. 4. cap. 17. n. 43. et seqq., Barbosa de Canon. et Dign. cap. 39. n. 14., Gratian. Discept. forens. 482. in fin., Rota decis. 275. n. 5. et seqq. cor. Duran.* Hinc ad rem observat *Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 15. n. 16.* quod etsi de consensu majoris partis Capitularium admitti possint extranei ad Capitulum causa consilii attamen regula limitatur quando agitur de tribuenda iisdem extraneis voce in capitulo*) quia tunc requiritur omnium consensus et minus tantum dissensus impedit exercitium, ea nimirum ratione, quia interesse potest cujuslibet ne extranei admittantur, quum per talem admissionem uniuscujusque potestas minuatur.

Hinc in specie electionis Vicarii capitularis neque beneficiati neque mansionarii**) vel alio quocumque nomine nuncupati etsi ejusdem Cathedralis servitio addicti quia tamen de capituli gremio non sunt nec Capitularium appellatione comprehenduntur, *gloss. in cap. penult.* verb.: *Assisios. de cler. non resid.*, ideo jure eligendi haud pollent; eoque autem minus si agatur de beneficiatis vel Canonicis alterius ecclesiae ceu reapse utrumque casum hoc in sensu diremit s. C. in *Recanaten. Vicar. capit. 4. Junii 1701.* Et merito quidem quia Concilium id juris capitulo tantum tribuit. At capitulum ita a solis Canonicis de gremio constituitur ut ipsis dumtaxat jus suffragandi in actibus capitularibus vel aliis capitulo reservatis competat, *text. in cap. Novit. de iis quae fiunt a Praelatis.* Nemo autem assereret ecclesiae Justinopolitanae Canonicos tamquam de gremio capituli Tergestini considerandos esse quippe illi morale corpus ab altero omnino sejunctum ac distinctum ita constituunt ut nulla jurium participatio nullaque privilegiorum communio intercedere utrumque valeat.

Unum proinde superest remedium capitulo Justinopolitano, ut nimirum, quatenus Pontificis sanctione ademptum ipsi jus etiam ad electionem concurrendi censeatur, ex gratia per derogationem bullae jus ipsum restituatur. Porro quae hac super re habet Nuntius apostolicus urgere possent quam maxime ut petitioni sit indulgendum. Insuetum profecto haud est ut suadente utilitate Sedes apostolica per novas ordinationes constitutionibus antea latis vel omnino vel ex parte deroget, *Barbosa de off. et pot. Ep. part. 2. alleg. 33. n. 25. et 26., Rota in annot. ad dec. 90. n. 186. par. 9. recent.*

In jure recolendum venit, majorem eligentium numerum haud a ss. canonibus in electionibus reprobari, quinimmo commendari; tunc enim electio maturior et prudentior accidet, ut in *cap. Obeuntibus dist. 63. et cap. Prudentiam de off. de leg.*, ibi: »Cum sicut canones attestantur integrum sit judicium quod plurimorum sententiis confirmatur.« At quia teste *Card. de Luca annot. ad Concil. Trid. loc. cit. n. 43.* super exercitio juris eligendi inconvenientia quandoque cadere solent idcirco cessante consuetudine cui regulariter hisce in casibus deferendum est expedit ut provisiones per s. Congr. pro peculiaribus casus circumstantiis edantur. Erit proinde definiendum quomodo capitulum Justinopolitanum admitti debeat ad electionem, utrum videlicet per se vel per suos legatos suffragium emittere valeat, utrum insuper Capitulares ipsi Justinopolitani quemadmodum eligere ita pariter eligi possint ad munus Vicarii: sique aliud praecavendum supersit consulet sapientia EE. PP. ut quodvis simultatum ac turbarum periculum partiumque studia in electionum casibus haud infrequentia arceantur.

Respicit alterum dubium chori servitium. Certum est, si dispositioni juris canonici et Conc. Trid. attendatur, quod Canonici singulis diebus ad integram divini officii recitationem in choro tenentur, ex *Clement. de celebr. missar.* et *Conc. Trid. sess. 21. et 22. cap. 3. et sess. 24. cap. 12. de ref.* et innumeris s. O. resolutionibus, quas inter consulenda *Setina 21. Jan. 1786. ad I. dub.*,

*) Vd. *p. 423. e; 431. f.*
**) Vd. *p. 450. b.*

maxime vero si agatur de ecclesiis cathedralibus, minime obstante contraria consuetudine quam Concilium ipsum abusum ac corruptelam aqpellat. Nihilominus aeque receptum est ut gravibus urgentibus causis aliquantisper juris rigor temperetur et Capitulares subleventur onere officiaturae eam reducendo vel ad alternas hebdomadas vel ad dies festos vel ad nonnullas tantum divini officii partes.

Legitimae autem causae quibus hujusmodi reductiones indulgentur insident plerumque vel in praebendarum tenuitate vel in maxima ad ecclesiam accedendi difficultate ob loci asperitatem ac distantiam vel nimiam aeris inclementiam vel etiam in exiguo choralium numero, de quo plura s. O. testantur resolutionum exempla. Ex rescripto anni 1792. apparet Episcopum Sigismundi motum hujusmodi causis fuisse ad reductionem choralis pensi decernendam. Verum dubitari posset utrum inconsulta s. Sede in Episcopi facultate esset conciliarem legem relaxare. Quidquid autem sit de viribus ejusmodi rescripti pensandum cum hodierno Episcopo superest utrum immunitatis modo in rerum circumstantiis liceat nihilominus capitulo eo indulto frui vel potius expediat rem moderari juxta rationabile Episcopi votum, quo profecto aptius congruentiusque consultum foret majori ecclesiae cultui, eodemque tempore Capitulares aequo donarentur levamine. Profecto quidquid sit de regionis more aliisque rerum adjunctis post augmentum praebendarum per applicationem bonorum a gubernio capitulo factam gravissimam rationem tenuitatis praebendarum evanuisse facile quisque sibi suadebit cum Episcopo.

Quod ad celebrationem ac applicationem missae conventualis attinet de quo agitur in III. dubio animadvertendum est hujusmodi obligationem antiquam admodum et bene multis confirmatam canonibus in qualibet ecclesia vel cathedrali vel collegiata esse quotidie explendam, ut prae caeteris constat ex *cap. Cum creatura de celebrat. missae.* Ea enim tanquam officii divini pars semper habita est, *can. De his, dist. 12. gloss. in Clement. 1. de celebr. missar.* Imo missa conventualis est primo intenta et horae canonicae tamquam dispositiones ad eam ordinantur juxta late deducta per *Quartum ad rubr. missal. part. 1. tit. 3. sect. 1.* omniaque veluti resumpsit Bened. XIV. in notissima encyclica *Cum semper oblatas.**) Ea enim non solum obligationis originem gravitatemque recensuit, non solum eum nova veluti auctoritate confirmavit sed etiam difficultatibus quae hac in re enasci possent luculenter occurrit. Inter haec meminit praebendarum tenuitatis: quo in casu remedia proponit a *Concilio Trid. sess. 24. cap. 15. de refor.* constituta. Quodsi neque ea praesto esse possent, s. Congregationem adeundam esse monet, quae expensa paupertate reductionem ad dies tantum festos indulgere haud raro dedignatur.**) Hinc regulam adamussim aptatam videmus capitulo Tergestino quum sub die 30. Apr. 1777. reductionem missae conventualis ad dies festos indulsit eademmet S. C. Ast quoniam indultum illud suas vires obtinere dictum fuit, quousque supradicta redditуum tenuitas duraverit ceu legitur in eodem rescripto videant EE. PP. utrum post obventum capitularium redditуum augmentum gratia ejusmodi in suo adhuc perstet robore; concessio enim quae ob certam causam facta fuit corruit concessionis causa cessante. Quo sane obtinente principio perpendendum potius esset utrum post enunciatum augmentum redditуum valuerint Capitulares tuto bonave fide prosequi in missae conventualis applicatione ad tramites dictae reductionis vel potius consulendum expediat eorum conscientiae per absolutionem quoad praeteritas omissiones.

Animadversione etiam dignum videtur id de quo in IV. dubio quaeritur nimirum de omissione continuo patrata satisfactionis onerum missarum, quae bonis capitulo cessis ex antiquis institutionibus inhaerent.

Profecto si dubitandum non est rem transire cum suo onere nulla excusatio legitima subsistere videtur ob quam capituli tamdiu licuerit debitis suffragiis fundatorum animas fraudare. Nihilominus res ad id adducta discrimen videtur ut praeteritis ingentibus omissionibus nonnisi per absolutionem ac condonationem occurri posse censeat vel ipse Episcopus. Jam vero legitimis concurrentibus causis s. Congregatio supplendo ex thesauro ecclesiae ac congrua imposita poenitentia super omissis oneribus absolutionem impertiri assolet.

Num eadem indulgentia digni habeantur

*) Vd. *t. I. p. 695.*
**) Vd. *t. I. p. 760. XI.*

Canonici Tergestini judicabunt EE. PP. Quoad futurum autem perpendendum erit utrum probanda sit reductio ac partitio onerum missarum, quam proponit idem Episcopus. Licet enim habita ratione ad annuos redditus cuique ex Capitularibus ac parochis assignatos videri possit nimis tenuis unicuique decem missarum numerus imponendus attamen considerandum venit eosdem redditus tenuibus Canonicorum praebendis adjectos fuisse pro chorali servitio aptius diligentiusque explendo, ita ut onus missarum quod antea adjectis bonis inhaerebat quodammodo commutatum remanserit in aeque pium ac laudabile opus divinarum laudum ac precum in choro persolvendarum. Nec novum est, ut ad augendas tenues choralium praebendas reducantur missarum onera uti factum est in *Veronen. Unionis* et *reductionis missar. die 20. Martii 1846. ad I. dub.* Quoad postremum dubium adnotandum nil in jure notius quam quod praebendati ut fructus beneficii faciant suos integrum chorale pensum ferre tenentur. Hinc nemo non videt quam absonum a jure sit id quod Canonici statuere cupiunt per articulum in facto relatum et quam merito Episcopus innitatur Trid. sanctioni quae est *sess. 22. cap. 3. de ref.*

Nec hujusmodi conciliarem sanctionem praepedire potest contraria consuetudo: nam adamussim ea lata fuit a Trid. Patribus ac Episcopi amplissimis delegati apostolici facultatibus praediti fuere ut quotidianae distributiones constituerentur illius in Cathedralibus vel Collegiatis ubi contrarius jam irrepserat abusus. Sic in fine praedicti capitis: »In iis tantum ecclesiis constituta intelligantur in quibus nulla est consuetudo vel statutum, ut dictae Dignitates non servientes aliquid amittant, quod tertiam partem dictorum fructuum et proventuum ascendat non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus et etiam juramento et quavis auctoritate firmatis.« Frustra itaque quaerere videtur Episcopus quae in sua jam habet potestate et injuria prorsus capitulum detrectaret ordinationi parere, cui ex jure obnoxium esse haud ipsi ignorare licet.

Hisce praemissis enodanda veniunt

Dubia:

I. *An et quomodo capitulum Concathedralis Justinopolitanae admittendum sit ad electionem Vicarii capitularis cum capitulo Cathedralis Tergestinae in casu?*

II. *An et quomodo officii choralis partem teneatur capitulum Tergestinum quotidie persolvere, ita ut et quomodo sit consulendum SSmo in casu?*

III. *An sit adhuc servanda reductio missae conventualis ad tramites rescripti s. C. dici 30. Aprilis 1777. seu potius consulendum sit SSmo super praeteritis omissionibus in casu?*

IV. *An et quomodo sit consulendum SSmo super absolutione necnon reductione ac partitione onerum missarum bonis adjectis inhaerentium ab Episcopo proposita in casu?*

V. *An et quomodo teneatur Episcopus partem reddituum capitularium Cathedralis Tergestinae assignare pro distributionibus quotidianis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative et teneri capitulum ad integram officiaturam: attentis vero peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro facultate impartienda Episcopo dispensandi quoad horarium ad quinquennium.

Ad III: Negative ad I. partem, affirmative ad II., celebrata unica missa cum cantu integro adstante capitulo.

Ad IV: Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi.

Ad V: Affirmative et Episcopus procedat ad formam s. Conc. Trid. *sess. 22. cap. 3. de reform.*

Die 23. Novb. 1850.

Episcopus dioecesis N. extra Italiam relationem status suae dioecesis fecerat s. Sedi juxta const. Sixti V. quae incipit: *Romanus Pontifex* diei 20. Decembr. 1585. Ex ea relatione innotuit, capitulum Cathedralis non rite satisfacere officiis choralibus. Hujus rei rationem quaesivit s. Congregatio Concilii.

Facta a Canonicis expositione et recepta Episcopi relatione constitit post multas vicissitudines anno 1693 iterum conflatum fuisse capitulum, coadunatis quibusdam beneficiis simplicibus, impletis a Canonicis officiis quae cum illis beneficiis cohaerebant: Episcopum, qui capitulum erexit, praescripsisse obligationem persolvendi integrum divinum officium: nihilo tamen secius paullatim in eo capitulo usum quemdam inductum esse cantandi diebus festis de praecepto Tertiam, vesperas et completorium; matutinum vero in vigiliis Paschatis et Nativitatis necnon in coena Domini, Parasceve et sabbato sancto, in reliquis diebus recitandi vel cantandi, si pars junior cleri adsit, Primam, Tertiam, vesperas et completorium: in vigiliis omnium defunctorum cantandi matutinum, omissa Prima et Tertia, quae etiam omittebantur, quando ex lege fundationum matutinum defunctorum erat persolvendum.

Hic autem usus pluribus de causis pedetentim inductus fuit, videlicet ob parvum Canonicorum numerum, qui etiam aliis dioecesis muneribus fungi deberent: ob quasdam Episcoporum concessiones; ob carentiam dotis pro constituendis chori vicariis seu beneficiariis. Quas ob rationes Episcopus ipse deprecabatur s. Sedem, ut ratam ejusmodi consuetudinem habere dignaretur.

Quoad missam conventualem nullum aderat vestigium a primaeva capituli erectione, quod judicaret eam praescriptam esse et fuisse celebratam, quamvis usus vigeret missam post chorum cantandi, quin tamen ea pro benefactoribus applicaretur: variis autem de causis idem Episcopus deprecabatur, ut haec consuetudo servaretur.

Tenues autem erant redditus quos Canonici percipiebant.

Itaque s. Congregationi proposita fuerunt die 23. Januarii 1864 quatuor quae sequuntur dubia:

I. »An Canonici cathedralis ecclesiae *(N.)* teneantur quotidie integras horas canonicas in choro persolvere missamque conventualem pro benefactoribus applicare in casu?«

Et quatenus affirmative,

II. »An consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus et condonatione fructuum male perceptorum in casu?«

III. »An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione servitii choralis favore eorumdem Canonicorum in casu?«

IV. »An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione missae conventualis in casu?«

Quibus rescriptum fuit:

Ad I. *Affirmative in omnibus.*

Ad II. *Affirmative in omnibus, celebrata unica missa cum cantu, integro adstante capitulo.*

Ad III. *Affirmative ad horas minores, exceptis diebus festis solemnioribus et quatuor postremis hebdomadae majoris, ad decennium.*

Ad IV. *Affirmative ad dies festos tantum de praecepto, ad decennium.*

Quas quidem resolutiones SSmus D. N. adprobavit.

Ejusmodi resolutiones transmissae fuerunt ad Vicarium capitularem, vacante interea sede episcopali, ut executioni mandarentur. Convocato a Vicario capitulo Canonici statuerunt normam juxta resolutionem ad III. et IV. quam sequi deinceps deberent, quae quidem norma est tenoris qui sequitur:

1. *Omnibus diebus ferialibus per hebdomadam Capitulares recitabunt in choro quatuor horas minores, idest Primam, Tertiam, Sextam et Nonam immediate ante missam cantatam, quae juxta morem hujus ecclesiae singulis diebus per hebdomadam pro devotione populi a sacerdote quodam juniore celebrari solet.*

2. *Diebus dominicis et festis de praecepto, quae in foro observantur, cantabunt in choro solam Tertiam immediate ante Sacrum solemne et nihil aliud ante meridiem; deinde post meridiem similiter hora consueta cantabunt in choro vesperas et completorium.* *)

3. *Festa solemniora haec tria declarantur:* Festum Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes.

4. *Ea autem exceptio festorum solemniorum ita observatur, ut non integrum officium in choro cantetur vel recitetur sed Nocturni quidem et Tertia, Vesperae item et completorium; Laudes vero (praeterquam in festo Pentecostes), item Prima, Sexta, Nona in choro non recitentur sed privatim tantum.*

Quoad resolutionem ad IV. dubium hanc normam statuerunt:

*) Ratio hujus dispositionis a Canonicis adducta est: »quia ecclesia cathedralis simul est parochialis, ideoque post Sacrum solemne, quod celebratur hora nona antemeridiana, ob continuas functiones sacras, quibus frequens populus fidelis adstare solet, usque ad horam undecimam, et quod excedit tempus vacans, non repetitur. Accedit, quod populus hic ab antiquo tempore assuetus est post meridiem Vesperis in choro cantatis dominicis et festis diebus interesse pro sua devotione, quam piam populi consuetudinem turbare ac destruere non videbatur consultum.«

1. *Dies festi de praecepto intelliguntur sensu stricto, exclusis nempe diebus Dominicis et exclusis festis abrogatis, quae in foro non celebrantur.*

2. *In hisce diebus festis de praecepto Canonici per turnum cantant Sacrum solemne hora nona et applicant pro benefactoribus ecclesiae cathedralis; in Sacro solemni reliqui Canonici intersunt pro more. Iisdem porro diebus missa parochi, qui et ipse est Canonicus ecclesiae cathedralis, pro populo applicatur mane hora septima, qua frequens populus ex more hujus civitatis, post primam concionem habitam hora sexta cum dimidio, sacro missae sacrificio adstare solet.*

3. *In festis autem Episcopi, quae assignantur in Caeremoniali Episcoporum, quoniam Episcopus applicat pro populo et Sacrum solemne hora nona cantat, Canonicus ille, qui est simul parochus, liberum se putans ab onere applicandi pro populo, mane hora septima post primam concionem applicat pro benefactoribus ad modum missae conventualis, quin Canonici in choro eidem missae adsint.*

Hanc Canonicorum deliberationem ratam habuit Vicarius capitularis salvo jure Episcopi sede plena aliter disponentis.

Novus Episcopus dein constitutus, aequa lance omnibus consideratis, maluit totum negotium iterum s. Congregationi subjicere. Quamvis enim rectam in omnibus non fuisse videret interpretationem a capitulo factam, tamen, expositis difficultatibus eas resolutiones undequaque executioni mandandi, modum quemdam alium s. Congregationi proposuit, ut scilicet diebus festis de praecepto communibus et dominicis usus capituli retineretur et approbaretur, recitata tamen Prima ac Tertia: ut ad tres dies festos solemniores adjungeretur solemne festum Corporis Dominici, ut in quatuor hisce solemnioribus festis capitulum recitaret matutinum cum laudibus, Primam et Tertiam, item vesperas et completorium, facta quoad reliquas minores horas Ordinario facultate dispensandi ab eadem recitatione in choro, si absque gravi difficultate eaedem in choro recitari non possint etc.

Quoad missam conventualem monebat, Canonicos obligatione teneri aliarum missarum, quae ex parte capituli persolvi deberent pro benefactoribus praebendarum singularium, et speciatim officii defunctorum cum missa cantata de requiem singulis mensibus pro quodam praecipuo benefactore: item pro singulis Episcopis benefactoribus, ita ut sibi videretur ex quadam aequitate posse sufficere missae conventualis celebratio illis diebus festis de praecepto, quibus nunc capitulum eam celebrabat.

Nonnulla *ex officio* observabantur circa interpretationem resolutionum a Canonicis datam; quamvis enim diebus festis difficultates adessent (quae consistebant in perturbatione ordinis sacrarum functionum quae celebrari in ecclesia cathedrali solebant cum frequentia populi) recitandi omnes minores horas, ejusmodi difficultates causam quidem suppeditare potiusse petendi novam indulgentiam a s. Sede, non autem proprio marte eas relinquendi.

Circa dies festos solemniores observabatur, in decreto Clementis X. die 15. Decembris an. 1703 edito sequentia inveniri: nempe in oratoriis privatis non licere celebrare diebus *Paschatis, Pentecostes, Nativitatis C. D. aliisque festis solemnioribus:* praeterea in epistola transmissa a Praefecto s. Congregationis Rituum die 6. Septembris 1781 ad Episcopum Vasionen., qua declarabatur mens s. Congregationis ejusdem circa quamdam resolutionem, haec referri: »Decernimus et declaramus juxta dispositionem caeremonialis quatuor a ministris assumenda esse pluvialia *in festis solemnioribus*, scilicet *Natalis D. N. I. Christi et Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, in festo Corporis Christi, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum, s. Titularis ecclesiae et Patroni civitatis et ecclesiae dedicationis.* Quare non recte dies festos solemniores cohibuisse Canonicos ad tres dictas solemnitates; et contra resolutionem S. C. pariter esse partialem recitationem his diebus divini choralis officii.

Quoad celebrationem missae conventualis s. Congregationem eam ex indulgentia cohibuisse *ad dies festos tantum de praecepto*, neminem autem ignorare sub diebus festis de praecepto venire etiam dies dominicos.

Circa parochi officium applicandi missam pro populo observabatur, nullum reperiri parochum ab hujusmodi obligatione exoneratum, quod Episcopus sive in solemnibus diebus sive in aliis missam pro grege sibi commisso celebret: quod si ita statuendum esset, cum Episcopus non applicet exclusive

pro paroecia cathedralis ecclesiae, sed pro tota dioecesi, omnes dioecesis parochos exoneratos fore dicendos; quod est absonum.

Commemorabatur denique regula statuta a Benedicto XIV. in celebri Const. *Cum semper oblatas**), quando parochus, qui sit Canonicus, diebus festis teneatur canere ex turno missam conventualem; quo casu alium subrogari debere ad applicandam missam pro populo.

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

D u b i a:

I. An sit standum in decisis seu potius consulendum sit SSmo pro ampliori reductione servitii choralis in casu?

II. An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus in servitio chorali et condonatione fructuum male perceptorum in casu?

III. An et quomodo consulendum sit SSmo favore Canonici parochi super omissionibus missae pro populo in casu?

S. Congregatio die 24. Augusti 1867 respondere censuit

Ad I: *In decisis juxta modum: nempe juxta votum Episcopi quoad horas canonicas, non vero quoad numerum festorum solemniorum: et ad mentem: mens est ut Episcopus moneat Canonicos, inter festa solemniora venire festa recensita in suprarelata epistola Emi Card. Praefecti s. Congregationis ss. Rituum diei 6. Septembris 1781 ad Episcopum Vasionen., proinde singulis his diebus modum choralis officiaturae ab eodem Episcopo propositum servandum esse: praeterea nec dubitari quidem posse inter dies festos adnumerari potissimum Dominicos.*

Ad II: *Affirmative, celebrata unica missa cum cantu, integro adstante capitulo et injuncta cuilibet Capitulari celebratione unius missae lectae intra mensem pro benefactoribus.*

Ad III: *Affirmative celebratis missis decem pro populo infra duos menses et Episcopus moneat parochum, cum teneri per se ad applicationem missae pro populo his etiam diebus in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in Cathedrali, per alium vero his festis in quibus uti Canonicus canere et applicare debet missam conventualem pro benefactoribus.*

*) Vd. *t. I. p. 695.*

Ex quibus colliges:

I. Capitula cathedralia, quae fuerint erecta ex cumulatione beneficiorum simplicium, imposita Canonicis obligatione implendi officia cum iisdem beneficiis connexa, teneri etiam generatim ad persolvenda caetera choralia munera, quae juxta communem ecclesiae disciplinam persolvi debent.

II. In immutatione enim status beneficiorum simplicium in praebendas seu mensam capitularem, quamvis officia illis ex fundatione adnexa impleantur, succedunt tamen alia officia, quae sunt propria novi status, ad quem constituendum beneficia illa disponuntur.

III. Ejusmodi tamen choralia munera, urgentibus rationabilibus causis, per apostolicam auctoritatem, quae sola jus commune moderatur, juxta rerum adjuncta cohiberi.

IV. Colliges insuper, quaenam solemnitates intelligi soleant per verba: *dies festi solemniores.*

V. Neque parochum excusari a celebranda applicandaque missa pro populo, quod Episcopus eam celebret in paroeciali ecclesia et pro populo sibi commissa applicet.*)

3) Non concessa.

Vd. *Chorus* (alternativa non concessa p. 1105.)

Bononien.

Diu neglectam beneficii erectionem a Bartholomaeo et Andrea Mangioli de Barbatiis demandatam expleverunt 1581 Canonicus Ugo aliique Fratres de Barbatiis illorum successores in collegiata ecclesia s. Petronii cum onere quotidiani Sacri ad altare s. Michaelis et servitii chori. Potestatem capitulo dederunt multandi reddituum parte beneficiatum, si in alterutro deficeret, eamque tradendi alteri sacerdoti, qui omissionem suppleret. Juspatronatus descendentibus reservarunt. Non multo post sive rectorum incuria sive falsa opinione, a tenuitate reddituum orta, utrumque onus negligi coepit. Alii quidem putabant, se ad aliud non teneri quam ad missam singulis diebus festis celebrandum et semel praeterea in qualibet hebdomada; alii autem nullam esse obligationem inserviendi choro ob reddituum tenuitatem, ut hisce verbis refert Emus Archiepiscopus.

*) Vd. *t. I. p. 920. n XVIII. XIX.*

Ab anno 1690 imponi ea onera consueverunt in literis institutionis. Hodiernus beneficii possessor Petrus Cossini illorum postulat reductionem, choralis praesertim servitii, pro quo detracta eleemosyna diurni Sacri in scutis 42 aliisque subductis oneribus vix supersunt scuta 20.

Petitioni favet Emus Archiepiscopus et in ea est sententia, ut firma manente obligatione celebrandi quotidie missam ad altare s. Michaelis orator ab onere quotidie choro inserviendi liberetur, sed debeat horis canonicis interesse eidemque choro inservire singulis diebus festis ac etiam in hebdomada majori et iis adesse processionibus, quibus accedit capitulum, firma quoque manente eidem capitulo potestate, si orator monitus semel aut iterum negligenter se gerat in dictis muneribus adimplendis alium subrogandi sacerdotem cum congrua reddituum beneficii assignatione, prout in ejus fundatione statutum fuit. Patroni etiam assentiuntur.

Ex amplitudine civitatis Bononiae, in qua erectum est beneficium, impar fortasse videbitur emolumentum scutorum 20 diurno servitio chori et idcirco aequa reductio ab Emo Archiepiscopo proposita. Saepe enim ob tenuitatem reddituum hujusmodi servitium reduxit s. Congregatio ut in *Romana Reductionis servitii chori et missarum relata die 28. Martii* et die 18. Aprilis 1722. et in *Vigilien. Decanatus 23. Julii 1729.*

Advertendum est beneficiatos omnes qui ab anno 1690 Cossino praecesserunt diurni servitii onus pro eodem emolumento adimplevisse idemque Cossinum ipsum fecisse, dum sciens prudens beneficium cum eo onere accepit, libentique animo ante implorata reductionem choro inserviit. Immerito ergo respuere videtur quod ejus semel decessoribus sibique placuit, *cap.: Quod semel 22. de reg. jur. in sexto.* Maxime, quia ex eodem beneficio habet unde vivat. Nedum enim emolumentum habet scutorum 20 pro servitio chori sed certam insuper in scutis 42 quotidiani Sacri eleemosynam.

Quaeritur:

An et quomodo sit locus reductioni oneris chori in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 16. Junii 1787.

Aesina.

Laicalem capellaniam sub titulo s. Mariae ad Nives instituit 1674 Flaminius Leoni sen. in parochiali ecclesia s. Leonardi oppidi Massatii cum annuo onere missarum septem et choralis servitii cum reliquis ecclesiae capellanis per alternam hebdomadam assignavitque in ejus fundum octavam partem praedii ad pontem *della pietra* castri s. Pauli reservato sibi suisque jure etiam redimendi semper et quandocumque pretio scutorum 200. Hoc utens jure aliud 1740 tradidit praedium valoris scutorum 233. 33. $^1/_2$ Flaminio Leoni jun. illudque post erectionem ecclesiae in Collegiatam possidet modo Canonicus Aldebrandus Leoni de genere patronorum. Qui ab initio fuerunt capellani vel Canonici et Canonicus ipse Aldebrandus utrumque beneficii onus ad nostram adimpleverunt aetatem. Prae tenui tandem redditu scutorum 8 vel 9, quae ex originario percipi possent capitali scutorum 200, quot solvere tenerentur fundatoris haeredes in casu iteratae redemptionis praedii, EE. Vestris supplicavit Canonicus pro reductione choralis servitii ad dies festos. Resistit capitulum; sed praefixo ei termino ad deducendum jura sua in s. Congregatione, quaedam in capitularibus notavit comitiis remque Vestrae relinquit deliberationi.

Quatuor fuerunt contradicendi rationes:

I, quod unus ex tribus Canonicis qui in hebdomada oratoris intersunt choro proximus est jubilationi atque venire posset, ut altero ex reliquis infirmo divinum omitti deberet officium;

II, quod auctus est beneficio temporis valor et redditus canonicalis praedii Leoni;

III, quod in Maceratensi et quod respectu ad Collegiatam s. Leonardi allegari nequeat exemplum Canonici Micciarelli, cujus favore reductae potius fuerunt hebdomadales missae. Haec autem omnia ita in sua informatione Aesinus diluit Vicarius capitularis:

Quoad primum objectum de praetensa in officiatura chori illud nequit in facto subsistere. Canonici enim choro inservientes sunt numero duodecim, non comprehensis binis mansionariis. In alterna itaque hebdomada non tres sed sex sunt Canonici choro interessentes fitque casu, non destinatione, ut aliquando sint numero pauciores.

Nec pariter secundum objectum super beneficii introitibus in facto substitit. Revera enim ex lege fundationis apertissime constat, beneficii fundum ac dolem in scutis 200 tantummodo consistere. Quae namque terrena eidem beneficio modo reperiuntur adsignata, ad libitum familiae Leoni beneficii patronae sunt quandocumque pro eadem summa redimibilia.

Quae in tertio objecto subsequuntur, gratis asseruntur a capitulo. Quaeque idem capitulum conglomerat de altero Canonico Micciarelli, factis pariter minime respondent. Illud siquidem certum est, Canonicum Micciarelli ex indulgentia s. Congregationis ob tenues sui beneficii (quamvis majoris beneficii Leoni) redditus modo obstrictum choro non esse nisi diebus festis

Par utique non videtur tenuis redditus scutorum octo; ac justa idcirco censeri posset reductionis causa secundum *Fagnan. in cap. Cum omnes de constit. num. 31., Garz. de benefic. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 197., Petr. ad constit. 7. Eugen. IV. sect. 2. num. 28. tom. 3.* Potissimum quia de genere est orator patronorum eique praesumpta favet fundatoris voluntas, *Piton. de controv. patron. allegat. 6. sub num. 27.* Nullum praeterea per reductionem choralis ejus servitii vel leve inferretur praejudicium ecclesiae, quae sufficientem habet aliorum Canonicorum numerum. Eademque demum ipsi concederetur gratia, quam testimonio Vicarii capitularis cum majori redditu obtinuit Canonicus Micciarelli.

Nullibi contra praeterquam ex relatione Vicarii constat secundum traditum fuisse praedium cum reservatione juris redimendi nec quanti sint illius redditus. Fortasse enim, juxta assertionem capituli, utrique pares sunt oneri. Centenaria accedit observantia ac ipsius oratoris factum, qui canonicatum cum praesenti accepit redditu diuque ejus onera adimplevit. In his sane terminis denegata fuit choralis servitii reductio *in Bononien. Reductionis Servitii chori 16. Junii 1787.* *)

Deliberandum igitur:

An et quomodo sit locus reductioni choralis servitii in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 27. Aug. 1791.

*) Vd. *p. 1185.*

Vercellen.

Parochialem ecclesiam b. Mariae V. oppidi Messerani Vercellen. dioecesis san. mem. Pius IV. 1561 in Collegiatam erexit et in ea praeposituram primam Dignitatem instituit unacum 6 canonicatibus, duobus rectoribus et binis ecclesiasticis beneficiis *sacristiae* nuncupatis. In praeposituram dotem assignavit omnia parochialia bona, in dotem vero aliorum beneficiorum perpetuam imposuit pensionem sc. 180 super prioratus fructibus ita partiendam, ut ex ea quilibet Canonicus 25, singuli sacristae 6 et singuli rectores praefati 5 scuta anno quolibet perciperent cum onere, quod tenerentur *in dicta collegiata ecclesia continuam perpetuamque residentiam facere ibique horas canonicas et alia divina officia celebrando et cantando laudabiliter in Divinis deservire ac Lunae et Jovis diebus cujuslibet hebdomadae super Joannis Philippi defuncti sepultura officium mortuorum pro ejus aliorumque fidelium defunctorum animarum salute celebrare debeant.*

Neglecta postmodum celebratione et applicatione missae conventualis *san. mem. Clemens XIII.* mense Januarii anni elapsi ad preces capituli annuit pro absolutione quoad praeteritum mandato s. Congregationi reductionis arbitrio. Nunc itaque capitulum reductionem petit dictae missae conventualis ad solos dies dominicos et festos de praecepto, *) simulque exemptionem a quotidiano ecclesiae servitio.

Ad I. inquit singulorum redditus vix ad annua scuta 41 ascendere et haec aliis obnoxia oneribus visitationis Episcoporum, stipendii clericorum et litium pro juribus ecclesiae tuendis agendarum. Teneri vero ter quotidie choro interesse, singulis diebus missam canere ac diebus Lunae et Jovis officium defunctorum pro fundatore canere et recitare. Justam ideo urgere causam ut attenta reddituum tenuitate et assiduo ac gravi ecclesiae servitio onus missae conventualis ad solos dies festos reducatur.

Hinc ad II. concludit ob tantam reddituum inopiam imparium ad decentem Capitularium sustentationem reducendum etiam esse onus quotidiani servitii ad solos dies festos et dominicos, ne plus aequo Capitulares gravati existant et ne ecclesiae inservientibus congruum desit stipendium.

*) Vd. *t. I. p. 760. XI.*

Vicarius capitularis confirmat exposita onera ac reddituum tenuitatem precesque judicio EE. VV. submittit.

Saepius s. Congregatio declaravit Canonicos cathedralium et collegiatarum ecclesiarum teneri ad applicandum quotidie pro benefactoribus in genere missam conventualem non obstante quacumque contraria consuetudine quamvis immemorabili ut in *Squillacen. 17. Martii 1714.*, in *Camerinen. 9. Junii 1714.*, in *Ferrarien. 18. Martii 1719.*, in *Comen. 11. Maji 1729.* Idemque edixit san. mem. *Benedictus XIV.* in sua celebri constitutione incipien.: *Quum semper 19. Augusti 1741.**)

Ad occurrendum tamen ecclesiarum paupertati et inopiae idem Benedictus XIV. in citata constitutione §. 19. varias rationes ostendit.

Hinc saepius s. Congregatio urgente gravi reddituum tenuitate reductionem missae conventualis ad solos dies festos de praecepto et dominicos concessit ut in *Narnien. 11. Junii 1712., in Veliterna 14. Martii 1722. ad III. dubium.*

Quod vero spectat ad servitium chori Trid. synodus generalem legem edixit *obtinentibus in ecclesiis cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt, sess. 24. cap. 12. de reform.* Item in literis apostolicis erectionis expresse statutum fuit, quod Capitulares tenerentur *continuam perpetuamque residentiam facere ibique horas canonicas et alia divina officia celebrando et cantando laudabiliter in Divinis deservire ac Lunae et Jovis diebus cujuslibet hebdomadae super Joannis Philippi defuncti sepultura officium mortuorum pro ejus aliorumque fidelium defunctorum animarum salute celebrare debeant.*

At vero s. Congregatio ex undique urgentibus causis nempe ex tenuitate praebendarum et distributionum, nimio aeris rigore et intemperie, plenissimo Canonicorum numero, gravi plurium aetate et mala valetudine, necessitate scilicet suadente et cogente servitium per tertiarias vel ut alternis choro adessent admisit, ut in *Cathacen. Servitii chori 5. Sept. 1699,**) *in Tranen. 22. Nov. 1738:***) imo aliquando reductionem servitii arbitrio Episcopi commisit ut in *Vigilien. Decanatus 23. Julii 1729.*

Tota itaque inspectio ex reddituum quantitate pendet, an ii nimirum ita sint imminuti ut vel aequitas suadeat oneris missae conventualis reductionem vel necessitas cogat, ut servitium chori sit aliqualiter minuendum. In bulla erectionis in dotem praepositurae assignata fuerunt omnia parochialia bona, in dotem vero Canonicorum, rectorum et beneficiorum imposita fuit perpetua pensio annuorum scutorum 180 super fructibus prioratus s. Petri expressa lege, quod *ex ea quilibet Canonicus 25, singuli sacristae 6 et singuli rectores 5 scuta anno quolibet perciperent.*

Verum pensio haec adhuc integra est nullumque subiit decrementum, quinimo augmentum habuit ex aucto scutorum aureorum intrinseco valore, *Rigant. ad regul. cancellar. 25. num. 9.* Inverosimile insuper est per integra duo saecula a die erectionis Collegiatae jam decursa nihil ex pia fidelium largitione ecclesiae et capitulo accessisse, de quo augumento nulla nec in precibus nec in relatione Vicarii capitularis mentio habetur.

Ponderandum hinc an de tali constet inopia, ut reductioni missae conventualis et servitii chori locus esse debeat, itemque an saltem eadem quantitate pensionis integra et illaesa manente nullaque nova urgente ac impellente causa reducendum sit quotidianum onus in literis erectionis praescriptum.

Perpendendum demum an alicui reductioni missae conventualis locus esse debeat ob expressam erectionis legem, quae ita se habet: *Ac Lunae et Jovis diebus cujuslibet hebdomadae super Joannis Philippi defuncti sepultura officium mortuorum pro ejus aliorumque fidelium defunctorum animarum salute celebrare debeant.*

Emi PP. dignentur respondere:

I. *An et quomodo sit locus reductioni oneris missae conventualis in casu?*

II. *An et quomodo sit locus reductioni oneris quotidiani servitii chori in casu?*

*) Vd. *t. I. p. 695.*

*) Vd. *p. 1062.*
**) Vd. *p. 1063.*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Negative.

Die 28. Julii et 18. Aug. 1770.

Civitatis Castellanae.

Pio veluti foedere facto praesbiter Laurentius Agostini et parochus Joannes Baptista Rossetti hujusque frater Petrus curarunt ut in patrio oppido Vallerani in Collegiatam erigeretur parochialis ecclesia s. Andreae Apostoli quae olim impendio R. Camerae apostolicae reaedificata ad ejus patronatum pertinet. In hanc enim causam patres Rossetti donarunt bona, unde redibant annua scuta 118. et oboli 60; praesbiter vero Agostini aeque donavit fundos, qui dabant annuos fructus scutorum 171., bona vero donata constabant ex fundis rusticis castaneis consitis, ex vineis, censibus atque domunculis. Collegiata vero componenda erat ex duabus Dignitatibus, 10 Canonicis et 4 beneficiatis. Dignitates scilicet archipraesbiteratus et praepositurae utraque cum annexa cura animarum instituendae erant ex gemino beneficio curato in eadem parochiali ecclesia jamdiu constituto, quod suos distinctos fundos habebat. Canonicatus vero erigi debebant 5 cum duobus beneficiatis ex fundatione Rossetti, alii quinque ex uno beneficiato ex fundatione Agostini ac tandem quartus beneficiatus ex uno simplici beneficio in altera parochiali s. Victoris fundato, quod a Floriani fundatore nomen et dotem acceperat atque in novam collegiatam ecclesiam transferendum erat. Ita vero bonorum donatorum fructus inter novos Canonicos erant dispertiendi, ut quod sospites essent donantes qui sibi usumfructum reservaverant in singulos Canonicos scuta 10, in singulos vero beneficiatos scuta 5 dividerentur; defunctis vero donantibus scuta 25 Canonicus quilibet, scuta 15 unusquisque beneficiatus perciperet.

Onera vero canonicatibus et beneficiatis ex fundatione imposita haec sunt, scilicet ut quoad donantes viverent singuli Canonici et beneficiati obirent chorale servitium diebus festis, tempore vero adventus et quadragesimae alternatim atque interesse deberent parochialibus functionibus et adesse festis B. M. V. dolorosae, s. Antonii et s. Barbarae, quae celebrantur in capella fratrum Rossetti et praesbiteri Agostini: ut defunctis donantibus servitium praestarent per alternas hebdomadas indicta absentibus mulcta punctaturarum, quae in expeusas sacrarii essent erogandae: ut Canonici et beneficiati ex fundatione Rossetti quotannis missas 204 celebrarent, ita ut singuli ex hac fundatione Agostini quisque Canonicus missas 27 et beneficiatus missas 18 celebrare tenerentur: ut beneficiato primo Rossetti scuta tria praeter congruam praescriptam suppeditarentur, quo singula feria quinta preces Virgini dolorosae recitaret: ut duo Canonici sacramentales confessiones exciperent iisque singulis daretur stipendium annuum scutorum 5: ut scuta 15 anno quolibet erogarentur in eleemosinam pauperum qua gravabantur fratres Rossetti ex legato Cajetani Ciccolini. Haec sunt onera quae injuncta fuere capitulo in instrumento donationis stipulatae die 20. Maji atque in declarationibus factis sequentibus diebus 18. Junii et 1. Augusti 1799. Quae omnia probavit s. m. Pius VI. in literis apostolicis, in quibus Collegiatam secundum donantium vota erexit.

Defuncto vero parocho Joanne Bapt. Rossetti qui primus fuit Collegiatae Archipraesbiter Petrus ejus Frater et sacerdos Joannes Laurentius Agostini insimul die 15. Junii 1790 scripserunt testamentum, quo nuncuparunt haeredem capitulum, scilicet 10 Canonicos et tres beneficiatos ex utraque fundatione Rossetti et Agostini, quibus alia onera imposuerunt scilicet quintum erigendum erat beneficium ex legato pio missarum Xaverii Rossetti et praeter fructus legati ex massa communi huic novo beneficiato danda erant annua scuta sex: singulis vero Canonicis ex utraque fundatione augenda erat praebenda ad scuta 30: missae jam in donatione relictae augendae erant, ita ut pro rata a singulis Canonicis et beneficiatis celebraretur gemina missa quotidiana ac propterea Canonici ex fundatione Rossetti singuli praeter ea in donatione praescripta alia Sacra 27 quotannis celebrarent, beneficiati vero singuli parimodo alia Sacra 13. Canonici porro ex fundatione Agostini alias missas 13. Ad augendum bibliothecam a fundatoribus Rossetti donatam annui oboli 50 erant impendendi: sumptibus capituli comparanda erat cera pro servitio chori et capellae ac pro octava fidelium defunctorum et septemdialibus celebrandis ante festum Virginis dolorosae et in die Purificationis et oleum pro manutentione lampadis in sacello funda-

torum: sacrario pro supellectilibus annis singulis rependenda erant scuta sex, Archipraesbitero pariter scuta sex, Praeposito et beneficiato Floriani eleemosina pro missis conventualibus erat solvenda. Hisce impletis oneribus quidquid supererat quotannis deponendum erat donec conficeretur summa scutor. 200 eroganda in manutentionem aedium semperque subroganda, si ab impensis hujus manutentionis minueretur. Confecto deposito dispertiendum erat annuum residuum inter Canonicos et tres beneficiatos, ita ut isti dimidio minus quam illi perciperent.

1798 defunctis omnibus fundatoribus capitulum in possessionem venit omnium bonorum tum quae donatione tum quae testamento quaesiverat. Cum redditus sive in castaneis et musto sive in pensionibus domuncularum et fructibus censuum consistant et pretia rerum diminuta sint et aegre alii fructus exigantur, censuit reductionem postulare. Ne vero in caduci poenam incideret, quam in codicillis Petrus Rossetti inflixerat, veniam a SSmo postulavit ut non obstante hac caducitate posset reductionem onerum postulare rescriptumque exoravit die 2. Febr. 1806. SSmus benigne remisit preces ad s. Congregationem Concilii cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis quibuscumque in contrarium non obstantibus. Oblatis hinc precibus s. Congregationi postulavit reductionem tum servitii chori tum missarum. Rogata est sententia Episcopi audito capitulo et exequutoribus testamentariis et transmisso statu activo et passivo. Folia remisit Episcopus in quibus vicissim a capitulo et ab exequutoribus testamentariis pro et contra reductionem multa deducuntur inferius recensenda.

Ex statu vero *activo* constat ab anno 1798 quo capitulum in possessionem ivit omnium bonorum ad proxime praeteritum annum 1806 percepisse ex bonis scuta 6593. 86. quae si dispertiantur in singulos novem annos darent pro unoquoque sc. 732. 65. Verum observandum est, quod praeteritis hisce novem annis pretia rerum varias tulerunt vices, proptereaque annuus introitus ab anno 1798 ad 1802 pretio rerum ingravescente semper accrevit eoque vilescente postea diminutus est, idque evenit ob varium discrimen numorum. Quare ex calculo horum novem annorum certa norma haberi non potest, ut constet quantos redditus capitulum singulis annis percipere possit. Status vero *passivus* in hoc novennio superatus est ab activo in scutis 92. 26. In hoc vero statu passivo recensentur expensae *ordinariae et extraordinariae*. Ordinariae nempe pro congrua Capitularium aliisque annualibus oneribus a fundatoribus relictis et pro aliis necessariis expensis aeditui et camerarii necnon pro vectigalibus attingunt annua scuta 526. 35, et spatio 9 annorum calculantur ad scuta 4737. 15. Extraordinariae vero expensae factae fuerunt sive pro solvendis legatis unicae praestationis sive pro diminutione pecuniae et in hisce novem annis attingunt summam scutorum 1948. 97. et pro futuro tempore haberi non debent in calculo ad diminuendum statum activum. Constat tamen quod capitulum non adhuc potuit conficere depositum scutorum 200 in testamento imperatum. Episcopus porro se abstinet a ferenda sententia. Sed quatenus concederetur ab EE. VV. reductio sive in perpetuum juxta capituli vota sive ad tempus decennale ut prudenter in fine praefati exequutoris testamentarii folio insinuatur utroque in casu in 5 octavis Pentecostes nimirum, ss. Corporis Christi, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. et Commemorationis omnium defunctorum prout etiam in Adventu, Quadragesima et dominicis aliisque festis etiam de praecepto recenter sublato, et si demum placuerit quatuor temporibus aestatis et autumni diebus non tam chori servitium quam assueta pariter sacrificia firma relinquenda esse censerem.

Postulat capitulum reductionem onerum, quia par non habeat emolumentum. Nam quisque Canonicus percipit annua scuta 30 et celebrare debet missas sive conventuales sive ex legato quae ad numerum 88 quotannis pertingunt. Calculata eleemosina harum missarum ad obolos 15 requiritur annua summa scutorum 13. 20. quae minuunt praebendam ad annua scuta 16. 80. Haec vero tenuis videtur pro servitio chori alternativo, quod licet circumscribatur ad menses sex intra annum attamen vix scuta duo et oboli 80 pro singulo servitii mense perciperent. Beneficiati vero missas 65 celebrare tenentur pro quibus requiritur eleemosina obolorum 9. 78. proptereaque congrua scutor. 15 minuitur ad scuta 5. 22., ut nec scutum unum in singulos servitii menses percipiant. Quo fit ut cum modo unus vacet beneficiatus nemo sit licet pluries accersiti fuerint concurrentes qui illud beneficium optet.

Verumtamen exequutor testamentarius obstat ne reductio concedatur tum quia capitulum haec onera acceptavit tum quia redditus augeri possunt. Nam praeteritis annis capitulum habuit multas extraordinarias expensas et damnum tulit in diminutione numorum ad summam scutorum 1948. 97. Quibus remotis in futurum et praecipue cum depositum scutorum 200 absolverit majores percipiet redditus liberos et ab oneribus immunes et congruas augere poterit. Sed capitulum respondit, quod ubi oneribus par non sit emolumentum, nil ei acceptatio noceat ne reductionem consequi possit ut statuit s. Congregatio in *Romana Reductionis 6. Maji 1777*. Praeterea contendit, quod licet augeri ex una parte possint redditus tamen tenuissimum erit augumentum et ex altera parte nunc ita diminutum sit pretium Castanearum et Musti ita difficilis evasit exigentia pensionum et fructuum census ut ne vix quidem praebendam scutorum 30 Canonici, 15 beneficiati exigere possint ut ex testimonio camerarii probare contendunt.

Quatenus EE. VV. reductionem concedendam censeant jam statuendum erit, quae onera reducenda sint. Haec onera sive ex donatione sive ex testamento derivantur singula superius descripsi. Sane ex iis quae in donatione imposita sunt praecipuum videtur onus servitii chori cum fundatores Collegiatam instituere curarunt. Potius itaque alia onera quam servitii chori reducenda videntur ex traditis a s. Congregatione in *Romana Reductionis 17. Augusti 1802*. In testamento vero praecipuum onus missarum videtur. Nam testatores non auxerunt servitium chori sed nova onera missarum auxerunt ac propterea augumentum congruae datum videtur in correspectivitatem onerum adjunctorum.

Sin vero EE. PP. reductioni refragantur tum videant num saltem suspensio concedenda sit ad aliquod tempus, ut interea exploratum fiat num redditus augeri possint et oneribus emolumentum respondeat. Sive autem reductionem sive suspensionem concedant EE. VV. sive utramque reprobent, ut lites praecidantur, declarandum videtur, quod Capitulum in caducitatem*) non incidit, si reductionem postulavit. Nam veniam primum impetravit a SSmo et Petrus Rossetti post factam donationem non poterat eis hanc legem imponere.

*) Vd. *p. 6.*

Dubium proponitur:

An et quae onera sint reducenda seu potius et ad quod tempus sit locus suspensioni in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus remissa quatenus opus sit caducitate.

Die 30. Maji et 27. Junii 1807.

Romana.

Bonaventura Verotti insignis Basilicae s. Mariae in Cosmedin Urbis Canonicus supremis signatis tabulis haeredem instituit praefatam ecclesiam et capitulum, adjecta tamen lege, ut post nonnulla soluta legata ex fructibus suae haereditatis quatuor in memorata Basilica erigerentur amovibiles capellaniae*) sacerdotibus conferendae.

Dum pii viri voluntas executioni fuit demandata capellanorum congruae in aliquot canonibus, censibus ac domo fuerunt constitutae. Servitium autem praestandum statutum est alternis hebdomadis tum pro horis canonicis tum pro missa conventuali: singulis vero festis diebus alternative adstare tenentur nedum matutino et laudibus sed etiam vesperis et completorio, solemnioribus vero festis necnon feria IV. cinerum, qualibet feria VI. Martii et II. III. ac IV. majoris hebdomadae tum matutinae tum vespertinae integrae officiaturae omnes adesse debent.

Anno 1727. datis literis die 12. Febr. s. m. Benedictus XIII. capellanias amovibiles perpetuas reddidit capellanisque beneficiatorum nomen donavit servata in reliquis pii fundatoris voluntate.

Praeter 4 haec beneficia Franciscus Manganoni ejusdem Basilicae Canonicus 1781. aliam erexit beneficialem praebendam eodem modo et forma et cum eodem onere choralis servitii, quo tenebantur beneficiati Verotti. Onus imposuit beneficiato pro tempore missarum 25. Ex statu activo et passivo patet redditus hujus beneficii assurgere ad annua scutata 63 et obolos 8 supra 40.

*) Vd. *p. 534. n. 3; 669. n. 2.*

Cum vero 1784. diminuti fuissent reddi-tus beneficiatorum Verotti ita ut salva pro unoquoque non remaneret congrua scutato-rum 50, ex apostolico indulto suspensa fuit collatio unius ex beneficialibus praebendis ac praeterea a s. Cong. Visitationis 40 mis-sarum onus a quolibet ex beneficiatis im-plendum ad 10 reductum fuit atque ita uni-cuique ipsorum iterum assignata fuerunt scutata annua 50 comprehensis duobus scu-tatis distributionum.

Interea volventibus annis conductores do-mus debitas non solverunt pensiones, unde factum est, ut dum beneficiati creditores evaserunt in summa scut. 539 contra inqui-linos e contra aere alieno gravati sint in summa scut. 450 erga praesertim censuarios ejusdem domus, qui eam judicialiter impe-tebant. Ex supremi Principis indulgentia 1807. datus est judex privativus, qui credi-torum remoraretur instantias et debitores ad solutionem cogeret, inita est ipsius do-mus venditio, non tamen felici exitu; iterum recuperata ac demum elapso anno 1818. ad triennium locata favore Vincentii Mansi, qui annua scut. 120 beneficiatis rependit ac praeterea canones et census hucusque inso-lutos spopondit persolvere. Sunt tamen alia debita a beneficiatis contracta ob malam fidem emptoris domus, quorum onus in se non suscepit Vincentius Mansi, nimirum sc. 566 debitorum ipsismet beneficiatis, ob non receptas annuas congruas sc. 52 capitulo ejusdem Basilicae, ob non solutum canonem et scut. 63 circiter negotiorum gestori.

Rebus ita se habentibus tres moderni beneficiati Verotti postularunt a SSmo cho-ralis servitii reductionem. Horum preces Eminentissimo Titulari remisi et ex docu-mentis ac informatione hucusque narrata de-sumpsi. Quin etiam juncto cum iis foedere alter beneficiatus Manganoni pariter choralis servitii reductionem exoravit vel ad unam hebdomadam singulis mensibus exclusis die-bus festis vel ad alternativum servitium die-bus tantum festis a duobus beneficiatis prae-standum. E statu activo et passivo constat, beneficiorum Verotti redditus inpraesentia-rum comprehensa domus locatione annua-tim esse scut. 211. 30., onera vero compre-hensa congrua beneficiatorum ascendere ad annua scutata 192 et obul. 31 unde super-sunt annuatim scut. 19 et ob. 17 cum di-midio, quibus dumtaxat post multum tem-poris dimitti poterunt debita a Vincentio Mansi non suscepta praesertim scut. 566 quorum ipsi beneficiati sunt creditores.

Haud fugit EE. PP. reductionem servitii choralis secumferre cultus divini detrimentum quo in casu non solet concedi. Difficilius autem conceditur, si non constet de diminu-tione reddituum, post acceptas praebendas, ut passim declaravit s. Congregatio.

Hinc beneficiati non ex justitia sed sal-tem ex aequitate gratiam expostulant. Licet enim redditus nunc percipiant summa scut. 48, et si adjungantur distributiones in scu-tatis 50, circiter, attamen oculis EE. PP. subjiciunt redditus potius diminutionem quam incrementum pati posse, cum praesertim ex ea domo retrahantur, quae inpraesentiarum quidem non exigui redditus est ob utiles locationes, at facillime evenire poterit ceu pluries contigit ut vel conductorum mala fide vel etiam populi et alienigenarum di-minutione minorem redditum secumferat. At-que his de causis, non ex mala beneficiato-rum administratione factum est, ut nil per-ceperint plurimis annis de redditibus suis beneficii, ita ut creditores evaserint in sum-ma scut. 566 quae nonnisi post longum tempus ex residuali summa scut. 19 conse-qui poterunt, dummodo domus locari possit sine ulla praesentis mercedis imminutione; cumque oratores non potuerint »*sese alere* (verba sunt Emi Titularis) *coacti sunt aliis ecclesiasticis operibus operam dare, prout nunc etiam satagunt* ob exiguitatem reddituum ... *quod in causa est ut petant levamen in ser-vitio chorali ut supra expressum ad alimo-niam quaerendum, dum caeteroquin chori ser-vitium a Canonicis qui sunt numero 10 et ab ipsis capellanis numero 4 alteroque ex be-neficiatis fieri potest . . . Si causa inspici-atur necessitatis operam navandi aliis eccle-siasticis operibus prae tenuitate reddituum ac praeterita illorum deficientia videtur servitium chorale unius hebdomadae ut petitur aditum ipsis non sufficienter aperire, ut aliunde vic-tum quaerant sed imo potius ex choralis ser-vitii reductione ad dies tantum festos emer-gere posse eorum levamen, in quibus si al-ternativa servatur duorum ex beneficiatis possunt ipsi aliunde tum laboribus victum quaerere tum commutatione personalis assi-stentiae Dei servitium diligenter praestare.*

Vestrae EE. PP. erit justitiae et aequitatis declarare utrum sit tum beneficiatis Verotti

cum beneficiato Manganoni quaevis deneganda vel indulgenda reductio et sic nedum eorum inopiae subsidium afferre sed etiam cons-cientiae ipsorum tranquillitati consulere cum modo, ne ecclesiarum officia, quibus inser-viunt, amittant, potius chorale servitium de-serant et punctaturis subjici malint. Vestrum praeterea erit judicare utrum pari indulgen-tia donandi sint tum beneficiati Verotti tum beneficiatus Manganoni quem licet uberiori-bus redditibus dotatum attamen choro in-servire voluit fundator eodem modo et forma quo illi inserviunt, necnon quamdiu perdurare debeat ista reductio, quatenus hanc senten-tiam EE. VV. amplectantur.

Dubia proponuntur:

I. *An et quomodo sit concedenda reductio choralis servitii tribus beneficiatis Verotti in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda reductio choralis servitii beneficiato Manganoni in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Negative.

Die 20. Jan. et 17. Febr. 1821.

Salernitana.

In civitate cui nomen *Evoli* Salernitanae archidioeceseos 1531. s. m. Clemens VII. parochialem ecclesiam s. Mariae Pietatis in Collegiatam erexit, cujus capitulum ex 12 Canonicis ac 2 dignitatibus Primicerio et Cantore constitutum fuit, assignata singulis Canonicis congrua scutatorum 57 et Primi-cerio autem duplicata, Cantori demum in annuis scutis 60. Omnibus in erectione in-junctum est onus: *Missas et alia divina of-ficia in dies celebrandi.*

1728 octo mansionarii adjecti fuerunt ab Archiepiscopo Paulo Villana Perlas.

Varias haec Collegiata passa est vicissi-tudines. 1654 exonerata fuit cura animarum salvis tamen juribus et praeeminentiis. Bi-ennio post 1656 integrum fere suae dotis fundum amisit ob tunc crassantem pestilen-tialem morbum, qui nihilominus tractu temporis ad priorem fere quantitatem fuit restitutus bonis a capitulo acquisitis, sed gravatis plu-ribus missarum oneribus, quarum reductio a Sede apostolica concessa fuit 1752., dum-modo conventualis missa quae antea liberae applicationis erat pro benefactoribus in ge-nere celebraretur.

Quotidiani choralis servitii, quod huc-usque a singulis Capitularibus praestitum fuit, petierunt modo Dignitates et Canonici a SS. Pontifice reductionem pro se tantum exclusis mansionariis ad alternas hebdomadas ob tenuitatem reddituum ac praecipue ob aeris gravitatem atque insalubritatem.

Archiepiscopus Salernitanus qui fuit de sua sententia rogatus factorum rem confirmat.

Ex can. ult. dist. 92. ii, qui chorali be-neficio fruebantur, singulis diebus divina of-ficia celebrare debebant. Verum uti notat *Garzias de benef. part. 3. cap. 2. num. 311.* nimis dura videbatur totius anni residentia oportebatque maxime juxta fragilitatem hu-manam aliquid indulgere ad corporis animi-que recreationem. Quia tamen hac de causa plures corruptelae invaserant, s. Trid. synodus ad doctrinam ss. canonum constabiliendam et corruptelas exterminandas miscens severi-tati indulgentiam trium mensium vacationes in capitulis toleravit, longiores proscripsit ac generalem legem edixit praebendatis om-nibus sive Cathedralium sive Collegiatarum: »*Non liceat vigore cujuslibet statuti aut con-suetudinis ultra tres menses ab iisdem eccle-siis abesse salvis nihilominus earum ecclesia-rum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt*«; *sess. 24. cap. 12. de ref.*

Ad tramites hujus decreti s. Congregatio deficiente necessaria causa semper reprobavit statuta vel consuetudines vacandi a servitio chori ultra tres menses firmasque retinuit eas, quae longius servitii tempus statuebant, ut in *Leyrien. 1616, in Catacen. 29. April. 1698.**)

Sequitur inde, ut ex juris rigore non sit concedendum indultum inserviendi per alter-nativam capitulo oratori, cum deficiat neces-saria causa.

His accedit dubium esse ex litera funda-tionis, an quotidie vel aliquibus tantum die-bus Canonicis injunctum fuerit chorale ser-vitium. Quamquam etsi concederetur non fuisse in fundatione praescriptum quotidia-num servitium, nihilominus obstaret contra-ria consuetudo, quae non minorem vim ha-bet in hoc casu, quam statutum juxta *Gar-ziam loc. cit. num. 110.* qui refert sequen-tem s. Congregationis declarationem: *Licet per statutum ecclesiae concedatur Canonicis per tres menses abesse, si illud per consuetudinem*

*) Vd. *p. 1062.*

non fuit observatum, attendenda est magis consuetudo contraria quam statutum.

Verum favore capituli animadverti potest, s. Congregationem procul a necessitate sed justa tantum concurrente causa nimiae tenuitatis praebendarum et distributionum et nimium frigidi ac inimici aeris aliquando etiam concessisse indultum inserviendi alternis vicibus et etiam per tertiarias *ut in Auximana 12. Julii 1631., in Montis Regalis 28. Novembris 1649.* et *in Tranen 28. Nov. 1738.**) Porro qui sit Capitularium numerus in praesenti casu, quae redditum praebendarum quantitas ex facti specie habent EE. PP. De aeris intemperie minime dubitandum videtur. Quamvis enim medicorum fides juramento careat de ea tamen testatur Archiepiscopus.

Quatenus EE. PP. in eam sententiam descendant, ut ipsis concedendum videatur alternativi servitii indultum, ad modum spectabit definire conditiones hujus alternativae et quando omnes communiter servire teneantur.

EE. PP. sapientiae erit animadvertere utrum hae conditiones probandae sint, in quibus nulla de servitio ab omnibus communiter praestando tempore adventus fit mentio et in quibus Canonici adiguntur aliquibus diebus exceptis ad servitium matutinum dumtaxat communiter praestandum, non item ad vespertinum. Porro s. Congregatio quando hujusmodi indulta vel alternativae vel tertiariae concedit quoad *modum* apponere solet semper *cum solitis clausulis.*

De mansionariis sermo est in II. dubio, an scilicet et ipsi sint eodem indulto donandi. Addunt tale onus inesse mansionariis ex bulla erectionis ac ipsi quoque indulto donentur, per paucos tantum quotidianae psalmodiae interesse.

Econtrario dici potest, haec ipsa rationum momenta, quae mansionariis obstant, obesse etiam Canonicis si forsan bulla erectionis excipiatur licet contra Canonicos urgeat consuetudo quotidiani servitii, quae ejusdem roboris est, ac statutum, ex dictis in primo dubio. Deinde ratio deducta ex juventute mansionariorum tanti non esse videtur, ut eos ab eodem indulto excludere valeat ac perpetuam contra eos legem efformare. Si enim inpraesentiarum juvenes sunt, ex casu est; inposterum etiam ipsi senectute laborabunt. Tandem acris gravitas et intemperies iisdem incommodis subjicit mansionarios aeque ac Canonicos. Videant etiam utrum media aliqua iniri possit via, ut scilicet duo ex ipsis per turnum qualibet hebdomada abesse possint et reliqui sex choro intersint: et hoc pacto moderaretur in hac tantum parte eorum indultum, quod in reliquis idem esset ac illud Canonicorum.

Dignentur EE. Patres dirimere dubia:

I. *An et quomodo Dignitatibus et Canonicis ecclesiae collegiatae civitatis Evoli sit concedendum indultum inserviendi choro alternis hebdomadis in casu?*

II. *An et quomodo idem indultum alternativae servitii hebdomadalis sit concedendum mansionariis ejusdem Collegiatae in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Negative in omnibus.

Die 23. Junii et 21. Julii 1821.

Januen.

Ex Bandinelli Saulli munificentia ac pietate, quem auctorem habet Paulinus Saulius Marchio, abbatialis ecclesia honori Virginis in coelum assumptae sanctorumque Fabiani et Sebastiani ad Clivum Jani, quem et Carianum dicunt, genue extructa ditataque fuit; amplissimo pro familia patronatus jure constituto. Aucta ipsa collegio Canonicorum paroecialibus etiam juribus instructa deinceps fuit, quae cum collegio ipso adtributa fuerint, bini Canonici rei sacrae ibidem procurandae ex praestituta norma praeficiuntur: »Decem porro et septem erant olim praebendae, ima quidem scutorum circiter 300 pro Abbate, quibus adjungebantur totidem dictorum vulgo Regalo; 12 pro Canonicis scutorum circiter 170 comprehensis distributionibus et 4 pro mansionariis qui alio nomine beneficia servitoria appellabantur scutorum circiter 100 comprehensis distributionibus. Huic beneficiatorum numero 7 addebantur sacerdotes pro quotidiano servitio chori, quorum nonnulli etiam ad missae applicationem tenebantur et eodem fere redditu fruebantur, quo mansionarii. Modo vero temporum fortuna praebendae redactae sunt ad quinarium numerum pro Canonicis earumque redditus vix ascendit ad scut. circiter 120 comprehensis distributionibus et quaternarium pro mansionariis, quarum redditus

*) Vd. *p. 1063.*

scutorum circiter 90 est comprehensis contributionibus et quotidianae missae applicatione. Huic numero addenda pensio unius capellani choro addicti par praebendae unius mansionarii . . . Qualitas veri servitii choralis quod aliquibus abhinc annis in usu est complectitur tum omnium horarum canonicarum recitationem in choro tum assistentiam quotidianae missae conventuali, quae pro benefactoribus continuo applicatur. Hanc autem divini officii recitandi per integrum in choro obligationem Eminent. Cardinalis Spina olim Archiepiscopus Genuensis remisit ita flagitante et annuente patrono, ut ad solas matutinas horas missamque conventualem Canonici tenerentur sicque a vespertini chori interventu diebus tamen festis exceptis plane dispensati essent. Modo vero nullum extat hujusmodi concessionis atque rationis qua facta fuerit seu decreti Emi Card. Spina supra laudati documentum; in praesto vero sunt plurimi Canonici, qui ejus testimonium praebeant quique et illud constanter affirmant, solum parvum Canonicorum numerum nonnullorumque eorum impotentiam in causa ejusmodi concessionis fuisse. Sacra ibidem iis legibus procurata sunt ad annum usque 1816, quo ex Pii VII. Pontificis auctoritate 5 Canonici honorarii cooptati in eum ordinem fuerunt, qui locum veterum Canonicorum tenerent: quo factum est, ut Canonici convenire iterum vespertinis horis ad psallendum sponte decreverint, quod accurate adhuc peractum est, si certos quosdam dies excipias quibus vel a choralibus muneribus cessari consuevit vel duci supplicationes aut alia haberi sacra officia aut tempestates adversas ingruere contingat.

Rem pro episcopali sollicitudine animadverterunt postremi Genuatium Archiepiscopi ac de hoc usu identidem perscrutati sunt, uti et de altera consuetudine, quam ferunt a paroeciae constitutione invaluisse.

Testatur Archiepiscopus vera haec esse; redditum autem massae sacrarii adit ipse de qua s. Congregatio postulat edoceri penes patronum universa administratio est; ad ecclesiae vere distantiam viarumque periculum quod spectat, sat exigua quidem illa esset ecclesiam inter ac domum a Canonicis inhabitam, aeris tamen intemperiis, maxime vero ventorum vi supra quam dici possit subjectam. Nullum item de enunciato Benedicti XIV. rescripto prae manibus documentum extat, ejus tamen constans traditio apud Canonicos viget.

Ast omittendum non est, postulatae per adjunctas preces concessioni patronum obsistere ejusque sententiam esse, non ejus esse conditionis capitulum, qua nequeat persequi in pleno chori servitio; quibus reponunt Canonici, ea recensentes quae descripta jam sunt. Concludit vero: »Eadem ferme capituli esse adjuncta, quae extabant, quo tempore a vespertini chori interventu antea memorata dispensatio concessa est ideoque usquedum actualia adjuncta perduraverint, dispensationem petitam s. Congregationem facere posse, quod absque ullo populi scandalo fieri certe posset. Constat sane, quae pro temporum varietate sit in re, de qua agitur, sacrarum legum disciplina. Ex benignitate attamen ecclesiae praecipua nunc pro publicis divinis officiis persolvendis horarum distributio inter matutinas ac vespertinas decreta est. Quare id etiam contendere, ut vespertini conventus ad psallendum vel omittantur omnino vel ipso mane habeantur, absonum nimis est ab ecclesiae institutis. S. C. C. *Sarnen. 30. Martii 1833.* Cum vero 1816 Canonici volentes lubentesque pro pietatis studio iterum vespertinas horas celebrandas susceperint, turpe esset, displicere, quod semel placuit, cum praesertim quod placuit a jure non sit improbatum, scienter insuper et non ex errore probabili seu ex probabili ignoratia placuerit, verbis praeterea et factis manifestatum fuerit, ac demum alterius intersit, ut quod placitum fuit observetur, quae quatuor conditiones eae sunt, quarum aliqua si deficiat, tunc solum id quod semel placuit displicere potest et aliquando etiam debet, *Foebus de reg. jur. can. art. 21. n. 4.*, eaeque mirifice in themate convenisse inspiciuntur. Agitur quippe de placito ad sanctioris disciplinae rationem probato; res apprime deliberantibus innotuerat, qui onus probe noverant, quod pro arbitratu sibi imponebant: actu praeterea publico et urbe universa inspectante et plaudente confecta res est. Constat autem, justum patronorum dissensum plurimi semper factum fuisse a s. Ordine, cumque ex Archiepiscopi testimonio Canonici annua circiter scutata 110 et mansionarii 90 percipiant, eorundem votis ea etiam s. Congregationis regula obstare videtur, quae, etsi tradat ex redditum tenuitate inminui posse choralia munera, S. C. C. *Romana*

18. April. 1822. et in *Civitatis Castellanae 6. Aug. 1808*, eas tamen edixit tali esse exiguitate praebendas, quae demptis oneribus vix scutata 40 vel saltem 30 non pertingant, S. C. C. *Massanen. 14. Dec. 1822* §: *At* et *Mazzarien. 20. Nov. 1824* §. *Profecto.*

Ceterum postulationem suam contuentur Canonici ex Emi Spinae Cardinalis Archiepiscopi concessione, qui probe edoctus de collegii statu ac de praeexiguo Canonicorum numero ex quo Sacrorum cultum dilabi ut plurimum conspicitur itinerisque difficillimi discrimina refugiens illos vespertinis officiis exemerat: quae quidem causae Archiepiscopo teste nedum non cessarunt sed et perstant assidue. Ast personarum paucietatem et potissimum valetudinis perniciem quam plurimi faciendam esse ut etiam chori servitium imminuatur juri consonum est, *Schmier. Jus can. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 1. num. 351*, S. C. C. in *Cingulana 29. Martii 1827* §: *In* et *Alatrina 3. Dec. 1831* §: *Ea.*

Hisce praescriptionibus insistens s. Congregatio eas ob causas chorale pensum non ad medietatem dumtaxat imminui sed et integre in aliqua anni parte identidem omittendum permisit, S. C. C. *Castri Maris 30. Julii 1735*,*) *Grossetana 18. Martii 1820 et 20. Martii 1830.* Non quidem a choro integre per diem cessare sed quod ipsi privilegium a Cardinali Spina tulerant ac deinceps sequi omiserunt adhibere iterum vellent quod certe, nisi voluntate sua deseruissent, tenerent adhuc, quin ulla in ipsos excitari posset de ea re controversia.

Verum haud est silentio praetereundum, aliquando iis ipsis locorum, itinerum, temporum ac personarum adjunctis expensis datum fuisse licet perraro, ut vesperae cum completorio ipso mane recitentur ne iterum a meridie adigantur Canonici in discrimina gravi cum incommodo se dedere ut ad psallendum in ecclesiam conveniant. Id quidem a Benedicto XIV. pro Anconitanae ecclesiae Canonicis decretum fuit, ne iterato singulis diebus aedem illam principem in summo monte positam adire iidem peregre compellerentur, *Syn. Ancon. Card. Bufolini lib. 1. tit. 2. et in app. part. 2. num. 7.* §. *28.*

Tanta certe canonicalium praebendarum tenuitas non est, ut quod multos egentiores curiones persancte praestant jure id a Garinianensi capitulo praetermitti adprobandum sit.

Quod si placuerit Eminent. Patribus petitam ab oratoribus facultatem denegare animadvertent profecto, ex constanti de Benedicti Pontificis rescripto traditione atque ex diuturno tot annorum usu legitimam rationem portendi, ut praeterito tempore bonam eorundem fidem agnoscant dignosque eos denuncient, quibus apostolica benignitate pro tempore praeterito ruccuratur.

Dirimenda proponuntur dubia:

I. *An et quomodo concedenda sit dispensatio super vespertini chori servitio Canonicis ecclesiae collegiatae s. Mariae in Carignano in casu?*

II. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione quoad praeteritum super omissum chorale servitium?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative in omnibus.

Ad II.: Affirmative in omnibus.

Die 19. Apr. 1834.

Lycien.

Capitulum ecclesiae cathedralis Lycien. olim 30 Canonicis, 3 Dignitatibus comprehensis, Archidiacono scilicet, Cantore ac Thesaurario et 55 participantibus presbyteris de massa nuncupatis constabat; nunc autem ob praeteritorum temporum calamitates a 19 Canonicis et 46 presbyteris constituitur. Chorale servitium in duas ut ajunt hebdomadas dispertitur, alternis nempe vicibus dimidia Capitularium pars quotidie quindecim dierum spatio matutinum cum laudibus de mane necnon horas diurnas et missam conventualem, vespere vero reliquas divini officii partes canit; alia dimidia a chori servitio quiescit. In Adventu, Quadragesima et per octavam ss. Corporis Christi missae conventuali vesperisque necnon diebus festis etiam completorio omnes Capitulares interesse debent atque in diebus solemnioribus et quando Episcopus adest matutino quoque et laudibus assistunt. In Quadragesima annuisque vigiliis occurrente festo alicujus Sancti praeter ejus missam alia ferialis cum cantu celebratur: 90 vero missas de requiem quae illic officiaturae vocantur pro benefactoribus canere capitulum tenetur. Denique in aliquibus solemnitatibus cantata missa itemque

*) Vd. *p. 1061.*

vesperis alia missa aliaeque ejusdem Sancti vesperae canuntur.

Annui redditus capituli a praebendis distinguuntur, quas admodum tenues Canonici tantum obtinent et ob quas ipsi quotidie per turnum onus canendi missam sustinent. Ex fundis rusticis et urbanis, ex fructibus censuum et ex annuis praestationibus capitulum percipit annua ducata 5054 et grana 68, ex quibus demenda sunt ducata 1196. 88. ob tributa nunc Principi solvenda; item ducata 760 in reparationes domorum, culturam praediorum, stipendium inservientium, manutentionem et sumptus ecclesiae eroganda; denique ducata 1647. 60 pro eleemosyna missarum 7338, supputatis pro qualibet missa granis 20, ideoque remanent tantummodo ducata 1660. 20. aequaliter inter Canonicos et presbyteros de massa distributionum nomine dividenda, quorum quisque annua ducata 1953 percipit.

Dignitates igitur, Canonici aliique Capitulares cathedralis ecclesiae Lyciensis s. Congregationi exposuere ex fructibus praebendarum et distributionibus quotidianis nunc ob tributa et graviores sumptus valde imminutis necessaria ad vitam ipsis amplius non suppetere, eorum vero patriam, Regularium institutis viduatam, sacerdotibus carere, qui populo, monialibus, hospitiis puellarum et sodalitiis spiritualia praebeant subsidia neque Capitulares huic occurrere posse incommodo ob chorale servitium praestandum.

Itaque petierunt

I, ut Capitulares alterius hebdomadae non teneantur choro interesse dum altera 15 dierum servitium praestat, exceptis tantum solemnioribus festivitatibus et diebus in quibus Episcopus interesse consuevit;

II, ut missae mortuariae cum cantu ad duas quolibet mense reducantur;

III, ut in vigiliis et Quadragesima unica missa officio conveniens cum cantu celebretur;

IV, denique ut usus abrogetur missas ac vesperas solemnes quibusdam in festivitatibus repetendi.

Episcopus semel ac iterum requisitus ea quae hactenus retulit confirmavit et ita suam pandidit sententiam: »Autumo nil praejudicii cultui ecclesiae inferri, si Adventu et Quadragesima diebus festis exceptis tantummodo illa pars capituli quam tunc choro inservire contingat missae vesperisque intersit; si in Quadragesima et vigiliis demptis iis quatuor temporum una tantummodo missa et ea quae officio conveniat celebretur: si officiaturae sic dictae ad binas in mense reducantur et ab illa Capituli parte absolvantur quae hebdomadae servit. Quid autem de festivitatibus nuncupatis et quae decem circiter sunt s. Congregatio decernere velit me idem quoque putasse existimetur.«

Quamvis Concilium Trid, dum Canonicis ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum indulsit ut possent per tres menses ab eisdem ecclesiis abesse, jusserit servari earum ecclesiarum consuetudines, quae longius servitii tempus requirunt, attamen s. Congregatio chori servitium ad tertiarias aut ad alternas inserviendi vices non raro vel ob redditum imminutionem ac distributionum tenuitatem vel ob aliam legitimam causam reduxit, ut in *Bituntina Servitii chori 15. Sept. 1770*,*) et in *Firmana Servitii chori et reductionis missarum 9. Augusti 1817.***)

Praebendarum redditus qui in Lyciensium Canonicorum tantum utilitatem cedunt tenues esse testatur Episcopus.

Praedia vero, ex quorum fructibus distributiones quotidianae singulis Capitularibus aequaliter tribuuntur, nunquam antea tot tamque gravibus tributis suberant, quibus fit, ut annua ducata 1196. 88. sint ex redditibus demenda. Praecipuam vero causam petendi reductionem choralis servitii explicat transmissa ab Episcopo capitularis resolutio.

Concedenda igitur videtur reductio servitii choralis non modo uti aequitati nixa sed uti ad animarum salutem necessaria; reque vera Canonicis insignis Collegiatae s. Joannis B. oppidi Canthiani, ut diebus festis ob aliorum sacerdotum defectum Sacrum facerent in ruralibus ecclesiis s. Congregatio indulsit, ut matutino, laudibus et Primae interesse non tenerentur, in *Eugubina Servitii chori 13. Junii 1795 ad II.* dub. Eoque facilius, quia chori servitium non patitur detrimentum: quaelibet enim hebdomada a quadraginta duobus Capitularibus componi debet juxta primaevam capituli institutionem, qui numerus sufficere videtur, ne caeteris exemptio denegetur, quam secus denegandam

*) Vd. *p. 1067.*
**) Vd. *p. 1173.*

respondit s. Congr. in *Cingulana Servitii chori 29. Martii 1817 ad II. dub.**)

Petitioni tamen Capitularinm obstare videtur non facile concedendam esse reductionem servitii choralis, cum divina psalmodia Dei cultnm augeat, pietatem foveat et in proximnm charitatem ceu late perpendit s. Congreg. in *Ostunen. Commutationis voluntatis 20. Novbr. 1824* §: *Necessitas.* Accedit animadversio, Capitulares ecclesiae Lycien. olim ad 85 ascendisse, quorum 30 canonicali honore fnlgebant, nunc autem vix 65 numerari, ex quibus 19 tantum Canonici, adeo ut singulis hebdomadis novem tantum Canonici inserviant, inter qnos si vel infirmi vel jubilati adsint perpauci choro interesse potuerunt. Denique redditunm tenuitas ea non esse videtur, quae indulgendam servitii choralis reductionem suadeat. Redditus enim, qnotidianis distributionibus praestandis assignati, non inter 85 sed inter 65 Capitulares tantum nunc sunt dividendi, qnorum singulis ducata 25 et ultra obveniunt. Si missarum eleemosynae addantur, quoad Canonicos vero praebendarum quoque fructus adjiciantur, compertnm erit singulos presbyteros de massa plusquam ducata 30, Canonicos vero longe ampliorem summam quotannis consequi. Pluries autem statnit s. Congr. tennes nou esse dicendos Capitularium redditns, si romana scuta 30 vel excedant vel etiam aequent, ut *in Ariminen. 18. Sept. 1751.*, in *Taurinen. 10. Junii 1790.*

Plnrimum quidem interest, ut sacerdotes non desint, qui possint servire chorali servitio. Cnm tamen inter presbyteros alii sint aliis aptiores ad haec praestanda cum monasteriis, conservatoriis, sodalitiis, carceribus non quilibet sed certi presbyteri designari soleant, qui spiritualia subsidia per plures menses ant annos praebeant, non inde inferri poterit, favore omnium Capitularium reducendum esse chori servitium, ex quo minneretur divinus cultus, cui festis praesertim diebus Capitulares in propria ecclesia incumbere tenentur. Facile siquidem omnia componi possent, si designatis tantnm ad indicata munera Capitularibus exemptio pro diebus et horis tribneretur, nti alias animadvertit s. Congr. praesertim in *Eugubina Servitii chori 13. Junii 1795.*

Caeternm si pro reductione servitii choralis respondendum EE. PP. censnerint, perpendendum erit an exaudiendi sint Capitulares Lycienses, dum unicam in Quadragesima et vigiliis occurrente alicujus Sancti festo missam cani vellent. Obstant enim notissimae leges s. liturgiae, quae missam et de Sancto occnrrente et de feria canendam praecipiunt, ut in *rub. missalis tit. de feria et vigilia* §. *1. et 2.*, et monet s. Congregatio in *Comen. Celebrationis missarum 28. Sept. 1771* §: *Accedunt;* easqne rubricas exacte servari praecepit s. m. Benedictus XIV. in constitutione *Cum semper oblatas* §. *20.**) Constans autem est s. Congregationis praxis in hujusmodi reductionibus concedendis jubendi ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibns diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. C., Pentecostes et ss. Corporis Christi et per octavas privilegiatas ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter inservire teneantur. Atque ab hac praxi tunc solummodo deflexit, quando chori servitium redncendum non esset quotidianum et nimis tenues forent redditus; tunc enim ad dies festos tantum et ad majorem hebdomadam idem servitinm reduxit, ut in *Civitatis Castellanae Reductionis 21. Januarii 1809* et *in citat. Mazzarien. 1814* §: *Constans.*

Duas missas solemnes eodem die de eadem festivitate in eadem ecclesia cantari generatim vetuit s. Rituum Congr. in *Asten. 3. Augusti* et in *Mediolanen. 5. Augusti 1652*;**) at si ex pii fundatoris voluntate solemnes missae geminari debeant, dummodo missa pro fundatione post Primam et missa conventnalis post Tertiam canatur, id fieri permisit in *Gadicen. 26. Augusti 1752 ad III. dub.* Sane praediorum et frugiferorum capitum redditus ex quibus implenda in themate sunt legata plurimum esse imminutas dnbitari non sinit Episcopi relatio: ex qua etiam colligitur id culpae administratorum non esse tribuendum. Igitnr deneganda non videtur reductio tum quoad officiatnras tum quoad festivitates quam concedendam esse monent *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 6. n. 13. et 18.*, *Bened. XIV. de synodo dioeces. cap. ult. lib. 13. n. 30. et 32.*, et constanter indnlgere consuevit s. Congregatio, si bonorum fructus absqne possessorum et administratorum culpa decreverint, ut in *Regien. 5. Augusti 1819* et in *Florentina*

*) Vd. *p. 1167.*

*) Vd. *t. I. p. 700.*

**) Vd. *Mühlbauer, decr. auth. S. R. C. t. II. p. 138. b.*

Reductionis onerum 2. Augusti 1823; et missas cum cantu reducendas esse quum redditus fundorum pro dote assignatorum non fuerint oneri ferendo pares respondit in *Romana 3. Februarii 1725. apud Benedictum XIV. de synodo dioeces. lib. 13. cap. ult. n. 35.*, in *Camerinen. Missae conventualis 13. Dec. 1793.*

Videant EE. PP. an satis sit ut loco canendi una seconda messa ... un' altra volta gli stessi vesperi, tres missae lectae celebrentur, ut superextantes redditus in augumentum quotidianarum distributionum cedant, an potius tot missae sint canendae quot redditus, idemque de vesperis sit statuendum. Defunctorum enim pia voluntas meliori quo fieri potest modo est executioni committenda ne ipsorum animae iis quae in vita dilexerunt suffragiis fraudentur. Hinc s. Congr. quae in certum opus ex morientium dispositione destinata sunt facile in aliud convertere non solet, uti respondit in *Nullius s. Benigni 16. Junii 1792.*

EE. VV. dirimere dignentur

D u b i a:

I. *An et quomodo servitium chori sit reducendum in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An, quibus et quomodo exemptio a chorali servitio sit concedenda in casu?*

III. *An et quomodo officiaturae sint reducendae in casu?*

IV. *An in vigiliis et Quadragesima unica tantum missa cum cantu sit celebranda in casu?*

V. *An in aliquibus festivitatibus post missam vesperasque solemnes eadem missa eademque vesperae sint repetendae in casu?*

Et quatenus negative,

VI. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative in casu necessitatis, ad quem effectum supplicent particulariter.

Ad III: Affirmative ad binas quolibet mense juxta votum Episcopi.

Ad IV: Negative.

Ad V: Negative et juxta votnm Episcopi.

Ad VI: Affirmative uti ad tertium et quintum.

Die 25. Febr. et 18. Mart. 1826.

Firmana.

Jam inde ab anno 1795 in oppido s. Petri Angelorum dioecesis Firmanae a s. m. Pio VI. die 2. Junii erectum fuit apostolicis literis Canonicorum collegium ea imposita obligatione ut novam sibi ecclesiam adstruerent factaque ad id facultate tot fundos alienandi quot summam aequarent scut. 6000 vel respondens debitum contrahendi dimittendum ex redditibus capitularibus post expletum templi aedificium.

Ipsius ecclesiae dum penderet aedificatio excepta prima capituli Dignitate, cui in praecitata bulla scutata 200 praeter duplicem distributionum suo tempore percipiendarum quotam, quatuorque curatis Canonicis, quibus scutata 40 in singulos annos assignata fuere, cuilibet ex ceteris Canonicis scutata 25 determinata sunt: eoque tempore perdurante diebus tantum solemnioribus chorale servitium ab omnibus cumulative Canonicis erat peragendum: profecto vero fabricae novae ecclesiae erigendae hujusmodi opere, omnibus de praecepto ejusdem ecclesiae respective diebus necnon Adventus et Quadragesimae tempore ipsi novae ecclesiae deservire pariter tenebantur, tunc vero et adaugeri distributiones debuissent et praeterea scutata 200 assignari favore sacristiae. Demum dimisso debito pro nova fabrica contrahendo quotidianum chori servitium pro medietate capituli seu alias arbitrio Ordinarii expleri debuisset.

Ad tramites literarum apostolicarum contractum est a capitulo nomen scut. 6000 manusque illico admota ecclesiae aedificandae ac tandem expleta est 1835. Quo facto s. Congregationi supplices adstiterunt Capitulares, ut chorale omnium festorum de praecepto dierum praeter solemniores in primo obligationis gradu expressos necnon adventus et quadragesimae temporis servitium, quod illis ex peracta novae ecclesiae aedificatione accrescebat, suspenderetur adhuc ad quinquennium ea de causa, ut nova ecclesia suppellectilibus convenienter provideretur relaxata per ipsos distributionum perceptione, quae illis post completam fabricam ratione majoris servitii debeatur. Quibus s. Congregatio benigne respondit: *Pro gratia pro-*

rogationis indulti reductionis choralis servitii arbitrio Emi Archiepiscopi ad quinquennium incipiendo a mense Januarii 1835 cum obligatione erogandi singulis annis in ss. suppellectiles quotam distributionum oratoribus assignatam, docto etc.

Hujusmodi indulto currente ipsimet Capitulares s. Episcoporum et Regularium Congregationem adierunt exponentes impossibilem sibi omnino futuram nominum extinctionem, quae contraxerant ad ecclesiae fabricam perficiendam, habita ratione bonorum jacturae, quam praeteritis rerum publicarum eversionibus passi fuerant; ob quam nunquam conditio extitura erat, ex cujus implemento quotidianum chori servitium pendebat. Expostularunt proinde trium capellaniarum suspensionem ad annos 60, ipsarum proventus ad patrandam omnium debitorum extinctionem applicando, ea sibi assumpta obligatione peragendi juxta bullae praescriptionem post lapsum 60 annorum quotidianum chori servitium. Benigne preces s. Congregatio suscepit votorumque compotes Capitulares dimisit rescripto diei 14. Aprilis 1835.

Quum porro s. Ordinis indultum quoad chori servitium expirare deberet ad finem anni 1840 hinc eodem adventante termino novas porrexerunt preces praedicti Canonici, quibus exponunt inprimis ex decennali statu capitularis gestionis universum annuum redditum assurgere ad scutatos nummos 1052, 54, onera vero ad scut. 949 adeo ut reliqua summa in distributiones convertenda ad formam apostolicae concessionis vix augeat cujusque Canonici praebendas scut. 8. 42. 8, deinde vero SS. Principis clementiam efflagitant.

Emi Archiepiscopi relatio ad rem quod attinet habet quae sequuntur. Narrat primo patronorum potiorem partem oratorum precibus adversari ac metropolitanum capitulum dumtaxat annuere ut ad decennium expetita reductio concedatur: quibus objectis perterritos oratores vota sua ad decennium saltem coarctasse: interim vero Metropolitae jussibus obsequentes jam ab initio labentis anni chorale servitium singulis diebus festis, Adventus et Quadragesimae praestitisse. Admonet praeterea eosdem oratores haud erogasse redditus universos post 1835 perceptos in sacrarum supellectilium, prout s. Ordinis rescripto tenebantur, comparationem sed scutata 160 impendisse pro tuenda causa coram r. fabrica s. Petri quam cum ejusdem commissario Joanne Sabioni habuerunt, et a qua victores discesserunt, compensatis expensis: nonnihil etiam convertisse in usum fabricae. Denique animi sui sensum ita significat: Mihi videtur quod si aliqua habenda ratio sit dissentientium patronorum locus fieri nequeat gratiae quam postulant Canonici ac neque ad id tempus neque ad omnes illos dies extendi, prout ipsi oblatas preces resolutione haud ita pridem facta constituerunt. Quare definiant EE. VV. quid in hujusmodi casu magis pro sua sapientia noverint expedire.

Servitium chori diligenter praestitum per tot annos cum tenui praebenda scut. 25 cui aliquid minuit etiam onus missarum 5 singulis Canonicis adjectum, ac ad 10 mox officiatura adaucta attollendum, tenuitas distributionum, quae modo accrescerent quaeque majori adveniente casu etiam omnino deficere possent: nulla fere utilitas, quae assertur futura populo in oppido capitum circiter 2400 ex divini officii celebratione per Adventum et Quadragesimam, econtra vero facilior frequentiorque adsistentia, quam oppidanis per id temporis ad Sacramenta saepius accedentibus praeberi possit a Canonicis a choralibus officiis magis expeditis in ecclesia, cui animarum cura etiam incumbit, beneficia in ecclesiam ultro a Canonicis collata et cum aere proprio, distributionibus nempe per quinquennium dimissis sacras supellectiles compararunt, et cum scutata 20 ex communi massa 4 Canonicis actuali cura gravatis desuper tribuerunt uti alacriores spirituali incolarum utilitati studerent, haec omnia momenta sunt et fulcra quibus innisi oratores propitium sibi a SS. Principe responsum blandiuntur.

Contra vero quum deceat maxime nec gravis esse possit hominibus in tenui oppido aliis non distentis muneribus, ut tempore praesertim, quo praecipua religionis misteria recoluntur, divinas in choro laudes persolvant, obstant precibus vehementer patroni ipsius ecclesiae collegiatae. Animadvertunt praeterea petitam exemptionem oppidanis haud assidere quod vel ex eo eruitur, quia 4 sodalitates patronae quas inter magna oppidi pars continetur adversum omnino dederint oratoribus suffragium: adduntque Canonicos conqueri non posse hodie de redditu tenuitate, siquidem noscere debuerint quando

canonicatus nanciscebantur possessionem quid exinde referrent et quibus tenerentur oneribus.

Profecto certum est Canonicum quemlibet veluti contrahere cum sua ecclesia quum accepto habet praebendam ac perinde non posse ex causis ante contractum jam existentibus ab assumptis obligationibus resilere adeoque nec a servitio assumpto ob jam extantem reddituum tenuitatem, ut ait *Fagnan.* ad *cap.: Ex parte de constitut.* Nihilominus novum non est ut etiam post acceptum onus illud aliquando Canonicis ex aequitate reducatur, quum decet semper emolumentum oneribus respondere: atque adest inter innumera exemplum nuperrimum in causa *Aliphana et Cerretana Reduct. servitii chori* de qua in superioribus comitiis; ubi etiam adnotatur quaenam tenues ad hunc effectum praebendae ex s. Ordinis disciplina censeantur. Illud singulare in casu est, quod servitii exemptio poscitur pro quadragesima et adventu, quos dies s. Ordo etiam in amplissimis reductionibus excipere consuevit. Quare videat EE. VV. sapientia quid decernendum in themate sit ac insuper an digni sint Canonici oratores, quibus condonentur redditus in causam protuendam aliosque usus citra s. Congregationis mentem erogati et dirimat

D u b i a:

I. *An et quomodo annuendum sit precibus oratorum quoad reductionem servitii choralis in casu?*

II. *An et quomodo consulendum SSmo pro condonatione fructuum citra s. Congregationis rescriptum erogatorum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus.

Ad II: Affirmative in omnibus.

Die 18. Septb. et 20. Novb. 1841.

Verulana.

Catharina Pellegrini de terra Montis s. Joannis dioecesis Verulanae defuncto ejus viro, patre et filio Rooho ex integro suo patrimonio fundavit ac dotavit canonicatum in insigni Collegiata s. Mariae Vallis praefati loci relicto jurepatronatus activo et passivo Eleutherio Pellegrini ejusque descendentibus ac haeredibus in infinitum per instrumentum donationis inter vivos. Inter bona donata existebant tres census totalis valoris scut. 220, qui omnino deperierunt vivente ipsa Catharina, utpote qui fuerunt extincti per chartas, vulgo appellatas *Cedole*; alii 4 census exigui cum moneta creati subierunt ipsa fundatrice pariter inter vivos degente reductionem tam in sorte quam in annuis fructibus; alius demum census scut. 28 etiam deperiit quia ruit domus super qua fuerat impositus.

Integra dos dictae praebendae canonicalis est hodie scut. 787. 46, annuus autem redditus liber non detracta eleemosyna manuali missarum 22 ad rationem obolorum 10 pro qualibet missa est scutorum circiter 21. 69. 2. Adest quoque domus ruralis valoris scutorum 225, sed cum nequeat locari est caput infructuosum, immo ipsi praebendae onerosum propter manutentionem: loco distributionum quotidianarum servantur fallentiae seu punctaturae, quae vel nullum vel exiguum hodie addunt redditum, quia Capitulares choro intersunt et ecclesiae fideliter inserviunt.

Porro canonicatum hujusmodi hodie possidet sacerdos Eugenius Pellegrini quod ipsi competit ex jurepatronatus activo et passivo in vim primaevae institutionis factae a Catharina Pellegrini. Onera ipsius sunt psallendi et canendi in choro singulis diebus dominicis aliisque festis praeter functiones capituli extraordinarias, quotidie vero tempore Quadragesimae, Adventus ac infra octavam ss. Corporis Domini, item applicandi missam tam in singulis diebus festis I. classis et in die Nativitatis Domini Nostri J. C., etiam II. et III. missam, quam in tribus anniversariis mortis fundatricis, viri et filii, in totum missae sunt duae supra 20. Itaque cum annuus redditus liber consistat ut supra dictum est in scut. 21. 69. 2 et servitium chori per totum annum reducatur eleemosyna manuali scutorum 2 et obolorum 20 pro 22 duabus annuis missis ut supra applicandis, Eugenius Pellegrini habet pro qualibet die servitii chori emolumentum obolorum 13 circiter. Ejusmodi emolumentum cum nimis exiguum existimet ipse, adstat supplex EE. VV. pro reductione.

Episcopi votum nec favet nec plane adversatur oratori. Ita enim ille in sua relatione se expedit: »Emolumentum canonicatus est quidem perexiguum, praesertim si considerentur impensae pro vestibus choralibus et propterea ex una parte sentio oratorem

ejusque successores mereri aliquam servitii reductionem sed ejusmodi reductioni ex alia parte videtur obstare ipsius fundatricis mens. Ipsa enim propriis oculis vidit deperiisse fuisseque reducta nonnulla censuum capitalia et nihilosecius noluit petere et impetrare praefatam reductionem quam plane erat obtentura; scioque hac gratia non petita obiit die 28. Aprilis 1803. Quae cum ita sint, dignemini Emi ac Rmi Patres super oratoris precibus quidquid in Domino magis expedire Vobis videbitur decernere.« At refragatur omnino capitularis resolutio ex rationibus inferius referendis.

Haud novum nec a s. Ordinis disciplina alienum esse perpendit Pellegrinius, ut chorale servitium intuitu tenuitatis praebendae redigatur, quando scilicet ad scuta saltem 30 vel 40 earum redditus non evehitur, ita s. Cong. in *Fanen. 22. Nov. 1738.* Siquidem deceat Canonicos iis praeditos esse fructibus qui *substinendo decenti eorum gradui pro loci et personaram qualitate sufficiant, Conc. Trid. sess. 24. cap. 15.* Et profecto in ipsa Collegiata s. Mariae de Valle Canonici I.*) erectionis attenta examussim reddituum diminutione exoneratos fuisse enarrat a s. m. Pio VII. ab obligatione quotidianae praesentiae ac chorale servitium reductum extitisse ad tempora Adventus et Quadragesimae, ad octavam ss. Corporis Christi et ad omnes dies festos per annum occurrentes. In themate vero accedit sanguinis vinculum quo cum fundatrice orator conjungitur ejusque familiae gravis paupertas, quae sane adjuncta prae oculis habere solet s. Congregatio in onerum reductione largienda, ceu in *Spoletana Reduct. missar. 22. April. 1826, in Bononien. Commut. Volunt. 17. Septemb. 1791.*, idque praesertim ex praesumpta fundatricis voluntate, quae si vivens datas in fundatione leges non reformavit in casu, non ideo sequitur continuo eas ratas habuisse, sed praesumi non incongrue potest faeminam juris ignaram a nemine cujus interesset hac re excitatam neglexisse id quod favore suorum, quos jurepatronatus honestaverat, revera desiderasset.

Ast capitulum praeter ea quae innuit Episcopus de praesumpta perperam benigna fundatricis intentione subjicit canonicatum Pellegrini in primaevo erectionis actu fuisse a capitulo accepto habitum sub expressa absolutaque conditione, ut obstringeretur Canonicus pro tempore nominandus ad praestandam choralem praesentiam in omnibus festis, in Adventu, Quadragesima et octava ss. Corporis Domini. In vim hujus pactionis jus quaesiisse sibi contendit integrum chorale servitium quod injunctum est exigendi adeoque petitam reductionem non posse absque jurium suorum laesione impertiri.

Quum porro capitulum quotidiano servitio obstrictum fuerit non a fundatorum placito sed auctoritate apostolica aequum fuisse urget si Pontifex justis et rationabilibus accedentibus causis pro illius reductione rescripserit. At in casu obfirmata obstaret fundatricis voluntas quae ex enucleatis per Episcopum satis elucet. Nihilominus et aliquid levaminis ex indulta capitulo choralis servitii diminutione prosequitur et ipsum Canonicum Pellegrini assecutum fuisse; nam ille adigebatur antea ad celebrandas missas conventuales in sua hebdomada, etiam extra praedicta tempora, cum nempe capitulo onus esset officiaturae quotidianae, hoc autem per indultum s. m. Pii VII. sublato hebdomadalis missae conventualis obligatione solutus extitit.

Quibus addi posset tempora Adventus, Quadragesimae ac octavae ss. Corporis Christi in petita reductione contenta ex iis esse, quae in hujusmodi indultorum concessionibus s. Congregationis praxis excipere suevit habita nempe ratione majoris congruentiae ut iis temporibus Dei domus diligenti servitio non destituatur. EE. VV. definient

D u b i u m:

An et quomodo concedenda sit choralis servitii reductio in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 17. Sept. et 3. Decb. 1842.

XIV. Onus personale est.

Vd. p. 379. c; p. 520. XXIV; infra n. XVI.

Spoletana.

Quum decrevissent Trid. Patres in *sess. 24. cap. 12. de reform.*, ut omnes Divina per se et non per substitutos compellantur obire officia, hinc ea recepta olim fuit canonistarum opinio, ne scilicet alterum in chorale servitium substituere liceret, peculiari

*) Vd. *p. 385 n. 18.*

non obstante statuto aut immemorabili etiam consuetudine, *Vannespenius in dissert. de Canonicis par. 3. tit. 6. §. 5.* et *Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. §. 11.* Haec tamen disciplina severior videbatur quam humanae fragilitatis ferret ratio proindeque Capitularibus a s. Congregatione dari coepit venia sese invicem substituendi his tamen praescriptis conditionibus:

I, ne substitutus ipse ad chorum venire debeat illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur;

II, ne id frequenter contingat:

III, ut subrogentur Canonici solum vel mansionarii praesentes in civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur;

IV, ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant nisi Canonici vel mansionarii, non autem ipsorum coadjutores, qui nec reipsa Canonici neque mansionarii nuncupari possunt, ut his verbis refert *Benedictus XIV. institut. eccles. 107. §. 3. sub num. 17.* Quoties ergo non subrogetur coadjutor aut alter qui eadem die chorali munere fungi debeat, absenti etiam a civitate vel suburbiis perpermissa videri posset substitutio.

Die 28. Febr. 1795.

XV. Regimen penes capitulum est.

Pisana.

Potestatem pro chori regimine condendi leges independenter etiam ab Episcopo nonnisi capitulo inesse comprobatur ex *s. Rota in dec. 606. num 1. part. 4. recent.* Necnon ad capitulum spectare chori moderari disciplinam, quod vel maxime ex eo argumentatur quod s. Congregatio 1839. et 1844. definierit: Jus eligendi atque officiales chori et altari inservientes instituendi exclusive capitulo inesse.

Die 10. Sept. 1853.

XVI. Substitutio.

Vd. *Substitutus; Coadjutor; Chorus* (obligat.); p. 520. XXIV; *Canonicus jubilatus; Jubilatio*; supra n. XIV.

XVII. Vacatio a choro.

Vd. *Feriae; Vacatio.*

Cistercienses.

1) Belgii et Galliae.

Vd. *Trappenses Galliae, Belgii.*

2) Transgressus in aliam religionem.

Vd. *Regularis* (transitus.)

Monachi Congregationis B. M. Tuliensis s. Bernardi Cisterciensis Ord. ad aliam religionem transeuntes ad eandem nequaquam sine Sedis apost. licentia recipiantur. *Constit. Clem. VIII.* die 17. Mart. 1604 in Bull. r. t. III. p. 174. Ed. Luxbg.

Citatio.

1) Ante privationem beneficii facienda.

Vd. t. II. p. 790. b.

2) Ab ea incipit Judicium.

A citatione dumtaxat suum sumit exordium judicii contestatio, *Rot. recent. part. 17. dec. 161.*

Citatio est actionum instituendarum principium seu in jus vocatio.

(Acta s. Sedis.)

Civis.

1) Beneficium quando ei conferendum?

Vd. t. II. p. 401. m.

2) Quis est?

Vd. *Ibidem*; *Mühlbauer, decr. auth. S. R. C. suppl. t. II. p. 417. n. 11.*, ubi agitur de quaestione, quis sit *Romanus* et quis *incola Urbis.*

Fanen.

Civium nomine son solum veniunt, qui in ipsa civitate nati sunt sed etiam qui in ejusdem continentibus ac suburbiis, inquit *Terentius in leg. 147. de verb. signif.*: »Qui in continentibus Urbis nati sunt Romae nati intelliguntur«; et *Ulpianus in leg. 30. municip.*: »Qui ex vico ortus est eam patriam intelligitur habere, cui reipub. vicus ille respondet,« ibique gloss.: »Natus in terra Butrii dicitur civis hujus terrae, cum villa Butrii sub hac civitate sit. Qui ex vico, ut Virgilius, Mantuani, licet ex vico ejus, scilicet Plectolae, fuerit ortus.«

Civilitas autem acquiritur vel natura hoc est origine vel domicilio vel demum privilegio, *L. 7. cod. de incolis.* Inepta tamen est ad civilitatem acquirendam accidentalis origo vel simplex habitatio ratione officiorum et negotiorum etsi longissima.

Die 20. Apr. 1771.

Romana.

Certum in jure est ad civilitatem aquirendam non sat esse quamcumque materialem habitationem etiam decennalem, vicinalem et trigenariam nisi conjuncta sit cum animo ibi perpetuo habitandi, *Rota in Pampilonen Admissionis 14. Januarii 1751* §. *7 coram Canilliac.* et in *Brixien. Canonicatus 11. Maji 1753* §. *12. coram Matthejo.* Semel autem aquisito in aliquo loco domicilio *) non aliter idem amittitur nisi clare aperteque constet illud derelictum fuisse novumque alio in loco aquisitum, *leg. Non utique, leg. Domicilium ad municip.* et *Rota in Romana Matrimonii 2. Dec. 1720* §. *Nam, coram Gamaches.* Nihil tamen repugnat quominus in diversis locis ac civitatibus quis domicilium aquirat ac eodem tempore retineat, *Rot. dec. 431. num. 6. part. 18. rec.*

Die 14. Mart. 1772.

*) Vd. *Domicilium.*

S. Clara.

1) De Clausura et sororibus servientibus ord. s. Clarae.

Vd. Constitut: *Cum universae, Bened. PP. XII. de ref. Ord. ff. Min. s. Franc. de Assisio* de die 28. Novb. 1336 in bullar. rom. t. IV. p. 413. Edit. Aug. Taur. 1859.

2) Regulae a s. Francisco s. Clarae traditae.

Vd. *Ordo s. Francisci.* — Vd. *Literas apostolicas Innocentii PP. IV. ad s. Claram Abbatissam aliasque sorores monasterii s. Damiani Assisinatis* directas incip.: *Solet annuere* diei 9. August. 1253. in bull. rom. t. III. p. 571. Edit. Aug. Taurin.

De Institutione secundae regulae ordinis sororum s. Clarae nuncupatarum seu mitigatione primae regulae a b. Francisco pro ejusmodi sororibus traditae.

Vd. Literas apost. Urbani PP. IV. incip.: *Beata Clara* diei 18. Octob. 1264 in eodem bullario t. III p. 709.

De declaratione et mitigatione regulae sororum sive monialium s. Clarae et earum suppositione ordini fratrum Minorum s. Francisci de observantia.

Vd. Constit. Eugenii PP. IV. incip.: *Ordinis tui* diei 5. Febr. 1447 in eodem bullar. t. V. p. 90.

De declaratione quorumdam dubiorum super I. et II. regula sororum seu monialium s. Clarae et licentia duplici officio celebrandi festa b. Agnetis et 11000 virginum.

Vd. Bullam *Leonis Papae X.* incip.: *Cum sicut* diei 29. Maji 1515 in bullar. rom. t. V. p. 628.

Claudus.

Vd. *Irregularit. ex defectu corporis*; *Mühlbauer,* decreta auth. ss. R. C. t II. p. 88. n. 18. a.

Claustrum.

Vd. *Regul.* (extra Claust. etc.); *Janitor monasterii; Monasterium; Clausura.*

De Egressu propter adeptum beneficium saeculare.

Vd. t. II. p. 885. e.

Clausura.

1) Ambitus.

Vd. *Clausura monachor.* (ingressus vetit., *bullam Clementis XIV.)*

Praefinitio clausurae hortis adnexis monasterio a s. Petro nuncupato ordinis Cassinensis in civitate Perusiae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Praeterea sacris familiis quicumque Dei spiritu aguntur suoque muneri qua decet sedulitate satisfaciunt, ii quidem, quum sciant majori securitate ac libertate vacare animos rebus divinis, si a periculoso segregentur consortio nihilque oculis ipsis occurrat, quod sit illicitis cupiditatibus irritamento, diligenter curant, ut religiosi viri suae vigilantiae crediti ab iis revocentur periculis eaque securitate ac libertate potiantur.

§. 2. E quorum praesidum laude dignorum numero dilectus filius Vincentius Binius Abbas Perusini monasterii a s. Petro nomen habentis, quodque a monachis incolitur ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis nuncupatae, supplici nuper libello Nos adiit exposuitque Perusino illi monasterio adjacere quin aliquid intercedat hortum geminum undique muris septum, quorum alter januam etiam exteriorem habet, in rariores quasdam opportunitates recludi solitam; utrumque autem hactenus haud legibus fuisse obnoxium, quae plurimae latae sunt de religiosis claustris sive religiosa ut vocant clausura. Quum autem in eo monasterio, praeter provectos aetate monachos, alatur in ecclesiae spem lecta juventus, tum quae vitae sanctioris a domino Benedicto monstratae tirocinium ponit tum quae, perfecto tirocinio votisque nuncupatis, in studia literarum incumbit, enimvero inhonestum ac periculi plerum videtur hortos illos loca nimirum proxima monasterio nec a juvenum illorum domicilio disterminata intercursu viae aut aedis ullius sequiori secui posse patere. Demissis ergo precibus Abbas petiit ea ut viridaria pontificiis claustri legibus decretisque ss. conciliorum Nostra auctoritate subdantur.

§. 3. Nos vero in omnis religiosi coetus commoda ac spirituale bonum intenti, sed eorum praecipue qui in Cassinensi congregatione a domino Benedicto constitutis utuntur, quae Nobis honorificentissimum ducimus aliquando esse professos, ideoque dilectum filium Vincentium Perusini monasterii Abbatem necnon alios quibus hae favebunt literae peculiari beneficentia prosequi volentes, hortos seu viridaria de quibus habita est mentio singulis universisque roman. Pontificum Praedecessorum Nostrorum conciliorumque sanctionibus, quae de religiosorum virorum claustris sunt, subesse praecipimus, praesertim vero concilii Trid. decretis ac literis apostolicis obsignatis annulo piscatoris datisque die 3. Jan. 1742 *) a fel. rec. Benedicto XIV.

*) Vd. *Clausura monialium* (ingressus famular.)

Praedecessore itidem Nostro. Quas quidem sive conciliorum sive rom. Pontificum constitutiones atque decreta Nostrae confirmationis accessione munimus ac tamquam hic insertas et de verbo ad verbum expressas haberi mandamus ratasque habemus et instauramus hujus rei causa poenas omnes propositas et constitutas adversus cujuscumque aetatis ac conditionis mulieres quae in religiosorum virorum claustra pedem intulerint et aeque adversus cujuscumque sexus mortales, a quibus sive ope sive comitatu sive assensu hujusmodi facinus adjuvetur. Insuper mandamus ut qui eos hortos circumsepiunt muri, si altitudine palmorum 12 depressiores sunt, ad eam altitudinem attollantur saltem palmosque non ad vulgarem exigi modum volumus, sed ad eum qui ab architectis usu recipitur. Praeterea, si aliquis in eos hortos quid juris habet sique itineris, actus, viae, haustus aquae vel alia quacumque servitute inserviunt alicui, hujuscemodi servitutes extingui praecipimus, gratuita scilicet, si obtineri poterit, remissione vel illarum pretio quibus debeatur soluto. Januam vero, quae in altero hortorum extrinsecus patet, illico obstrui jubemus aut, si necessario sit usus, ejus claves apud monasterii Abbatem vel Priorem manere, qui fida illas custodia tueatur. Denique vetamus et interdicimus, ne jam subjectos claustri legibus et religiosi recessus ambitu comprehensos hortos ejusmodi liceat alicui nisi forte vel ad breve tempus locare neve ita locati horti a legibus claustri soluti esse habeantur.

§. 4. Haec mandamus ac constituimus non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum et aliis, quae in memoratis literis datis diei 3. Jan. 1742 idem Praedecessor Noster non obstare decrevit, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 29. Aprilis 1823.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 605. Ed. Romae.)

Ferentina.

Peramplum in civitate Ferentini Patres conventuales possident coenobium adnexasque officinas et atria cum rusticis aedibus quae muris undique septisque monasterii clauduntur. Singulas hujus conventus partes delineatas exhibet mappa topographica quam generalis procurator ordinis exhibuit quamque praesenti folio addendam censui, ut facilius Rmi Patres de proposita quaestione decernant. Siquidem intra septa praesertim locus quidam existit culturae ineptus quem vocant hortum frigidum, ubi nulla unquam clausurae lex indicta fuit et idcirco tam viris quam foeminis patuit hactenus promiscuus accessus. Exterior horti frigidi janua signata litera A., proximam habens a dextris turrim campanariam, a sinistris portam civitatis dictam Porterulam ad introducenda animalia, onera, proventus aliaque similia, in commodum memorati conventus inservit. Intra ipsius cavedii ambitum duo sunt inurbana receptacula, quorum primum B. famulo conventus dormitorium praebet, alterum C. complectitur stabulum, foenile, gallinarium, ligna et alia hujus generis. E prospectu ipsius aedificii sese offert atrium D., quod hinc inde binas habet adnexas cellas frumentarias E. quodque in extremitate F. ducat ad alterum cavedium G., a quo clausura conventus incipit, cum ab eo detur aditus ad cellam olearium H. et per ostium I. ad conventum K., ubi habitant Religiosi et ceterae sunt officinae.

Dubitare hinc cepit Ferentinus Antistes in pastorali visitatione 1789. et in novissima 1792. num hortus frigidus subjiciendus esset clausurae ideoque statum describens suae dioecesis Vestrum hac de re postulavit oraculum. Ablegato autem ad folium examine atque affirmativam ipse defendens sententiam ita rescripsit:

»Ex facto hactenus exposito consequi mihi videtur, praedictum horti frigidi locum comprehendi intra septa monasterii; clausurae nomine communiter intelligatur totum illud spatium quod intra septa monasterii seu conventus continetur, ut habent plura s. Congregationis Episcoporum decreta relata a *Ferraris in bibliotheca* verb.: *Conventus, artic. 3. num. 9.*, de qua re saepius sed frustra amice monui ejusdem conventus Religiosos.« Aliter vero sentit procurator generalis his innixus rationibus: Locus inquit quem hortum frigidum vocant non est cubiculis et officinis conventus ita unitus, ut hujus pars dici possit sitque clausurae subjectus. Neque officit, quod muris undique et septis monasterii claudatur controversus locus. Nam si valeret haec ratio, nullum esset atrium et

cavaedium, immo pars nulla in monasteriis atque conventibus, quae non subderetur clausurae. Quandoquidem portiones illae omnes quae a clausurae lege exemptae sunt passim ubique a muris seu septis monasteriorum circumambiantur. Quare scrupulus invasit Ferentinum Antistitem qui ibi clausuram suspicari cepit; ubi nec ipse per 40 circiter sui episcopatus retroactus annos nec ullus unquam Praedecessorum suorum neque Superiorum mei Ordinis quisquam clausuram esse aut esse debere suspicatus est.

Ut omnis procul esset occasio violandi votum castitatis inducta fuit clausura in Regularium monasteriis, quae eo praesertim respicit ne ibi mulieres recipiantur, *cap. Placuit 8., cap. Juxta 11., cap. Monachi 33. caus. 16. quaest. 1.* et *cap. Pervenit. 20. caus. 18. quaest. 2.* Saluberrima tamen haec sanctio privilegiorum pretextu cludi ceperat temporibus s. Pii V., qui proinde ad tollendos irreptos abusus constitutione, quae incipit: *Regularium Personarum*,*) mulieribus cujuscumque gradus omnia revocavit privilegia aut licentias ingrediendi monasteria ac domos Regularium, lata contra ipsos poena privationis officii et suspensionis ipso facto, contra mulieres vero excommunicationis SS. Pontifici reservatae. Has autem poenas alia constitutione *Decet romanum Pontificem***) ad casum extendit quo absque ullo etiam privilegiorum praetextu in Regularium coenobiis foeminae reciperentur atque instauravit Gregorius XIII. per constitutionem *Ubi Gratiae*, qua eadem lata est excommunicationis sententia sive contra Religiosos admittentes sive contra mulieres quocumque titulo ingredientes ipsorum coenobia.

Cum vero et canones et constitutiones apostolicae de monasteriis ac domibus tantum Regularium mentionem fecerint hinc mota est quaestio an mulieres admitti liceret intra domos rusticas Regularium vel eorum hortos a monasteriis disjunctos, quo recreationis gratia Religiosi interdum sese conferunt; atque in re odiosa ne fieret extensio affirmativam defendit *Pellizar. de Regular. t. 1. tract. 5. cap. 6. sect. 2. n. 33.* et *Lezana cod. tract. t. I. cap. 10. pag. 67. num. 11.* et *tom. 2.* verb.: *Clausura sub num. 3.* Qua quidem praemissa opinione jure hactenus Religiosis placuisse videtur ut hortus frigidus a clausura foret immunis. Praedictus enim locus nedum non adhaeret monasterii aedificio K., ut unum quasi cum eo corpus constituat, sed immo a coenobio procul dividitur per duo interposita cavedia seu atria G. D. et separatam denique januam habet A. itaut hortum illum petentibus necessarius non sit transitus per monasterium aut interiores officinas vel cavedium G., quod clausurae subjicitur.

Rationibus hujusmodi immemorabilis accedit observantia, quum referat procurator generalis, quod nec hodiernus Episcopus per 40 circiter sui episcopatus retroactos annos nec ullus unquam Praedecessorum suorum neque superiorum mei ordinis quisquam etc. (in horto frigido) clausuram esse aut esse debere suspicatus est; siquidem de clausura quaeritur quae a jure tantum ecclesiastico procedit,*) *cap.*: *Periculoso de statu Regular. in 6., Pellizar. de Regular. tom. 1. tract. 5. cap. 6. sect. 1. num. 5.* et *Wiestner in instit. can. lib. 5. tit. 31. n. 70.*, quaeque idcirco rationabili et contraria consuetudine praescribi potest ut firmant *Wiestner loco citat.* et *Reiffenstuel in lib. 3. decret. tit. 35. num. 66*, de clausura inquam cujus limites statuere aut moderari praecepta in coenobiis Regularium ad Praelatos seu ordinis superiores pertinet juxta *Suarez. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 7. num. 2. tom. 4.*, *Thesaur. de poenis part. 2.* verb.: *Clausura cap. 1.* et *Lauren. for. benef. tom. 3. tit. 34. quaest. 913.*, proindeque longaeva consuetudo quam constans excipit superiorum acquiescentia talem sibi vim nancisci potuit, ut propitium Patribus quaestionis exitum expromittat. Etenim damnanda non est consuetudo vi cujus in pluribus monasteriis praecepta clausura non observatur ut his verbis disserit *Wiestner loco citat.*

Verum opinio canonistarum, qui hortos aut domos rusticas a clausurae lege exemptas statuerunt, ita intelligenda est ut procedat in locis extra septa monasterii existentibus atque in hoc sensu Pellizarius et Lezana superius citati canonicam dispositionem limitarunt. De locis enim quae septis aut monasterii parietibus cinguntur nemo dubitat quin clausurae subjiciantur. Literalis in id est *textus in cap. Exiit, qui seminat*, *de*

*) Vd. *p. 913.**
**) Vd. *Loco cit.*

*) Vd. *p. 912.* §: *Quaeritur utrum sub etc.*

verbor. signif. et communis doctorum opinio inter quos praesentem casum egisse videntur *Lezana de regular. tom. 2.* verb.: *Clausura pag. 116. num. 3.*, ibi: »Terminus vero hujus clausurae Religiosorum comprehendit totum circuitum monasterii includendo etiam in illo hortum, nemus et alia loca illi adnexa, quae muris monasterii seu septis cinguntur«; *Sanchez lib. 6. moral. cap. 17. num. 24.*, *Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 35. num. 27.*, ibi: »Infertur, non tantum ipsum monasterium ejusque officinas et habitacula interiora sed etiam hortos monasterio contiguos, inter praefatos muros seu septa existentes, quo distractionis gratia se Regulares conferunt, et quidquid intra eadem septa existit sub clausura comprehendi«; quibus plaudit *Leuren. for. eccles. lib. 3. sub quaest. 912.* et *Matthaeus offic. cur. eccles. cap. 11. num. 20.*, ubi decisum fuisse refert a s. Congregatione die 16. Octobris 1578: Hortos vel silvas muratas aut fovea circumdatas comprehendi sub clausura.

Si vero clauditur hortus frigidus muris septisque monasterii, si ad illum aditum habent Religiosi per interiorem conventus januam I. et atria G. D., prout saecularibus ab eodem horto ad claustrum dari potest accessus, si denique hac praesertim de causa inducta est clausura ne Religiosis detur occasio conversandi cum faeminis quam in horto frigido a clausura exempto facile haberent, non incongruum videtur consilium Episcopi protrahendi scilicet clausuram ad hortum illum quem de cetero sub clausura comprehendit juris dispositio. Ubicunque enim quaelibet esse possit occasio scandali Ordinariis locorum in monasteriis etiam exemptis auctoritate delegata incumbit clausuram inducere vel inductam restaurare, *Piasecc. in prax. Episcoporum part. 1.* verb.: *Monialis quaest. 4.*, *Barbosa de potest. Episcopi allegat. 102. num. 7. et 8.* et *Leuren. for. benef. tom. 3. tit. 34. quaest. 913.*, neglecto Superiorum regularium dissensu quibus non licet clausuram jam a jure infixam pro libitu aliter statuere aut decernere quod locus aliquis v. g. hortus intra septa conventus existens non sit de clausura, ut totidem verbis disserit *Reiffenstuel. in lib. 3. decret. tit. 35. num. 27.* Quam sane vigilantiam adhibere tenentur Episcopi contraria qualibet non obstante consuetudine sive ex s. Concilii Trid. monitis in *sess. 25. cap. 5. de regular.*, ut advertit *Reiffenstuel. loco citat. num. 66. in fin.*, sive ex litera recentioris constitutionis: *Regularis Disciplinae*,*) qua san. mem. *Benedictus XIV.* veteres instaurando constitutiones *sub* §. *7.* clausula sublata et decreto irritanti consuetudines omnes sustulit permittentes foeminis ingressum intra septa monasterii. Reque vera in Urbanien. clausurae de atrio coenobii patrum conventualium agebatur, ubi 4 erant januae, prima scilicet in via publica, altera ducens ad ecclesiam, tertia ad caemeterium et quarta ad conventum; atque ab hac tantum janua ex immemorabili consuetudine incipere solebat clausura neque feminae idcirco ab atrio excludebantur. Quaesitum autem fuit:

An atrium de quo agitur sit extra clausuram conventus s. Francisci civitatis Urbaniae ita ut servanda sit praetensa consuetudo immemorabilis super illius libertate in casu?

Et s. Congregatio die 18. Aprilis 1750 rescripsit:

Negative et amplius.

Deliberare dignentur EE. VV.:

An hortus frigidus comprehendatur sub clausura seu potius servanda sit consuetudo super illius libertate in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad I. partem, negative ad II.

Die 15. Mart. et 5. Apr. 1794.

Nomine clausurae conventuum in quam est foeminis interdictus ingressus intelligitur totum illud spatium quod intra septa monasterii seu conventus continetur, id est clausura, cellae, officinae, coenaculum seu refectorium, dormitorium, infirmaria, coquina et hujusmodi. *Est communis.*

Viridaria seu horti et prata cum conventu et claustra conjuncta veniunt nomine clausurae ita ut mulieres ipsa ingredientes excommunicationem incurrant: s. Congreg. Episcop. et Reg. in una *Dominic. 24. April. 1582*, *in Laudensi 13. Septembris 1583* et in *Arben. 3. Junii 1608.*

Secus vero si ipsa viridaria et prata sint a clausura separata clavi et muro convenienti.

S. Congregatio sacristiam ad quam non patet aditus nisi per januam quae sit in claustro comprehendit sub clausura, secus vero si habet ingressum a tota ecclesia, quia

*) Vd. *Clausura Monach.* (ingressus vetitus).

sic censetur pars ecclesiae et ejusdem et non conventus officina; *Donatus t. 1. tract. 4. quaest. 12. part. 2.*; *Bonacina t. 1. de clausura qu. 5. punct. 1. sub n. 1.*

Si vero ad sacristiam duplici porta una in claustro et alia in ecclesia existente pateat aditus, contineri sub clausura docuerunt Bonacina et Ameno post Sorbo ponderantes s. Pium V. et Gregorium XIII. duas constitutiones edidisse ad consulendum religiosorum quieti ipsosque liberandos ab innumeris molestiis et periculis ex mulierum frequentatione et conversatione oriri solitis; quae omnia cum aeque faciliter oriri possint per mulierum ingressum in sacristiam cui patet aditus ab ecclesia et a claustro videntur per eumdem finem ab ea prorsus arcendae. Et hujus mentis videtur fuisse s. Congreg. Episcop. et Reg., ibi: »Sacristia comprehenditur sub clausura« die 28. Aprilis 1605 et Barbosa supra Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 5. num. 115.*, ibi: »Sacristia choro contigua alicujus monasterii religiosorum est sub clausura comprehensa;« s. Congregatio Episcop. et Reg. in *Sulmonen. 10. Augusti 1615.* Sed praxis fere ubique videtur in contrarium. Mulieres, quae vadunt in prima claustra ad hauriendam aquam, modo conventus habeat alia claustra invia mulieribus, non incidunt in excommunicationem; s. Congr. Episcop. et Regul. in una *Venetiarum 16. Maji 1582*, in *una Assisiensi 17. Sept. 1583.* teste *Nicol. in floscul.* verb.: *Claustrum n. 13.*

2) Episcopalis.

Vd. p. 912. §: *Quaeritur utrum sub etc.*; *Clausura monial.* (inductionis causae.)

3) Juris ecclesiastici.

Vd. p. 912. §: *Quaeritur utrum sub etc.*; *Clausura monial.* (inductionis causae)

Ferentina.

Clausura a jure tantum ecclesiastico procedit, *cap. Periculoso de statu Regular. in 6.*, *Pellizar. de Regular. t. 1. tract. 5. cap. 6. sect. 1. num. 5.* et *Wiestner in institut. can. lib. 5. tit. 31. n. 70.*, quaeque idcirco rationabili et contraria consuetudine praescribi potest, ut firmant *Wiestner loco citat.* et *Reiffenstuel in lib. 3. decret. tit. 35. n. 66.*

Die 15. Mart. 1794.

4) Monachorum.

a) Egrediendi licentia et causae.

Vd. *Regulares*; *Ordinatio regularis laici in beneficium*; p. 912. VI; p. 913. VII; *Clausura monial.* (egressus causae).

Benedictus PP. XII.

Declaratio capitulorum de statu Monachorum Nigrorum.

Illud, quod continetur in capitulo posito sub rubrica *de licentiis eundi extra monasteria* vel alia loca, in versiculo qui incipit: *Si quis vero monachus contrarium fecerit*, intelligi volumus cum monachus de monasterio et loco conventuali a superiore suo non petita licentia nec obtenta exire praesumpserit vel cum obtenta dicta licentia exiverit et cessante impedimento legitimo in praefixo sibi termino non duxerit redeundum.

Die 5. Decbr. 1340.

(Bull. r. t. IV. p. 466. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Benedictus PP. XII.

Constitut. totius Ord. Canon. regul. Ord. s. Augustini.

Abbates necnon praepositi, priores caeterique administratores et professores alii religionis ejusdem extra loca sua proficiscentes associati incedant prout ipsorum congruit honestati et ubi Canonicorum numerus sufficiens fuerit et ad hoc etiam suppetent facultates, Abbates et alii praelati saltem religionis suae duos socios secum ducant.

Ut in religione praedicta vitetur dissolutio et obedientia teneatur districtius inhibemus, ne quivis Canonicus dictae religionis de ecclesia, monasterio vel loco suo conventuali exeat nisi primitus obtenta licentia ab illo, qui eam valeat impartire, quavis consuetudine contraria non obstante, quodque causam sui exitus veraciter et absque fictione exponat ei a quo erit licentia obtinenda. Qui vero hujusmodi licentiam concesserit Canonicis claustralibus nullam administrationem vel beneficium obtinentibus, terminum redeundi quanto convenientius poterit breviorem assignet. Sane administratoribus et beneficiatis qui habent residere in claustro possit dari licentia sine praefixione termini, si hoc concedenti visum fuerit expedire. Si quis autem exiverit extra ecclesiam, monasterium seu locum alium conventualem sine

licentia vel in termino assignato justa causa cessante non redierit, poena quae in tali casu per statuta vel consuetudines ejusdem ecclesiae vel monasterii seu alterius loci infligenda fuerit infligatur eidem. Et si super hoc statutum vel consuetudo aliqua non existit, poena, quae sequitur, infligatur, videlicet quod ille qui infra novem dies post exitum seu terminum praedictos redierit ultimus stet in choro et secunda, quarta et sexta feriis ejusdem septimanae in pane et aqua jejunet. Illis vero, qui infra hujusmodi novem dies non redierint, poena quae sequitur imponatur videlicet quod a porta regulari, parlatorio seu alio loco decenti per claustrum cum magistro novitiorum vel alio ad hoc deputato ad capitulum veniant, camisiam, femoralia et caligas tantum habentes, superpelliceum in brachiis ac ferulam seu virgam in manibus suis ferentes, cum quibus in dicto capitulo venia prius recepta et recognita culpa sua coram omnibus verberentur et nihilominus alia poenitentia sive poena pro qualitate demeriti imponatur eisdem secundum arbitrium imponentis. Quod si sine scandalo hujusmodi poena imponi non posset, in poenam aliam secundum sui praelati arbitrium de proborum et seniorum conventus consilio commutetur, quam in dicti conventus praesentia facere teneantur, proviso attentius, quod mensuram peccati correctionis inflictio non excedat. Simili quoque vel alia condigna poena puniantur Canonici in prioratibus seu administrationibus aliis externis assignati, qui sine licentia priorum seu administratorum eorumdem de ipsis prioratibus seu administrationibus recedentes fuerint evagati vel in termino non redierint assignato. Si autem de dictis prioratibus seu administrationibus ad claustrum seu praelatum suum a suis prioribus seu administratoribus licentia non petita vel petita et non obtenta veniunt, eidem praelato seu superiori suo causam sui adventus statim exponant, qui praelatus seu superior an causa hujusmodi rationabilis et vera fuerit arbitretur et si causam minus rationabilem seu falsam esse repererit vel si hujusmodi venientes nullam causam ei exposuerint aut licentiam non petierint, per praelatum aut superiorem prout eis visum fuerit expediens puniantur. Nullus quoque Canonicus pernoctaturus extra ecclesiam, monasterium vel alium locum suum abire sine breviario permittatur, in quo pensum servitutis suae dicendo horas canonicas possit solvere Creatori.

Die 15. Maji 1339.

(Ibid. p. 445. 448.)

Benedictus PP. XII.

Ordinationes Monachorum Nigrorum Ord. s. Benedicti.

Statuimus insuper et etiam ordinamus quod nullus monachus ordinis seu religionis ejusdem de ecclesia, coenobio seu alio loco conventuali exire praesumat nisi petita et obtenta licentia primitus ab ejus superiore qui eam valeat indulgere, quavis consuetudine contraria non obstante. Ipseque causam exitus vel itineris omni fictione cessante superiori exponat dictusque superior licentiam hujusmodi nisi ex causa rationabili non concedat. Et eis quibus illam concesserit certum ad redeundum terminum praefigat ut convenienter poterit breviorem ipsosque salubriter exhortetur a quibus extra monasterium habeant abstinere. Si quis vero monachus contrarium fecerit, teneatur satisfactionem illam vel poenam subire, cui sine licentia de monasteriis suis seu locis exeuntes conservantur seu debent subjici in ordine seu religione praefatis. Ad ecclesias etiam vel monasteria seu loca hujusmodi redeuntes ad communionem aliorum monachorum seu fratrum donec satisfactionem hujusmodi fecerint nullatenus admittantur, quae subjicitur esse talis: videlicet, quod a porta regulari, parlatorio seu alio loco consueto per claustrum cum magistro novitiorum vel alio ad hoc deputato ad capitulum veniat in flaminea vel nudus secundum quarumdam ecclesiarum, monasteriorum et locorum religiosorum morem, femoralia et caligas sine pedalibus tantum habens, cucullam seu scapulare vel floccum in brachiis ac ferulam in manibus suis ferens. Cum quibus ibi prius venia recepta et sua recognita culpa coram omnibus publice verberetur. Demum vero per Abbatem vel alium praelatum principalem si sit ibi aut priorem vel alium post Abbatem seu per principalem praelatum hujusmodi poenitentia seu poena levis aut gravis culpae sibi pro qualitate demeriti imponatur, secundum morem cujuslibet ecclesiae, monasterii seu loci laudabiliter observatum, proviso attentius quod modum peccati modus correctionis nequaquam excedat. Poena quoque simili puniantur monachi in prioratibus seu administrationibus aliis exterioribus deputati, qui de illis redierint ad ecclesias vel monasteria seu loca conventualia praedicta, sine vocatione Antistitis, Abbatis vel alterius praelati seu sine licentia ejusdem a priore vel administratore alio loci, in quo ut praefertur fuerint deputati, per patentes literas eisdem dandas, justam causam licentiae hujusmodi continentes. Nullusque monachus pernoctaturus extra ecclesiam, monasterium vel alium locum suum permittatur abire sine cuculla regulari clausa necnon breviario, in quo servitutis suae pensum possit exsolvere Creatori.

Die 20. Junii 1336.

(Bull. r t. IV. p. 379. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Gosberto Priori Caturcensi.

Vitae canonicae ordinem quem professi estis praesentis privilegii auctoritate firmamus et ne cui post professionem exhibitam sine prioris seu congregationis licentia de claustro discedere liceat interdicimus.

Die 23. Aug. 1095.

(Bull. r. t. II. p. 160. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexd. PP. III. Jacobo Abbati Monast. s. Mariae Morimundi juxta Ticinum.

Prohibemus, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem aliqua levitate sine prioris vel Abbatis licentia fas sit de claustro discedere; discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

Die 28. Julii 1171.

(Bull. r. t. II. p. 753.)

Alexd. PP. III. Odoni Magistro religiosae Militae Templi.

Ideoque fratres vestros semel devotos atque in sacro collegio vestro receptos, post factam in vestra Militia professionem et habitum vestrae religionis assumptum, revertendi ad saeculum nullam habere praecipimus facultatem nec alicui eorum fas sit post factam professionem semel assumptam crucem dominicam et habitum vestrae religionis abjicere vel ad alium locum seu etiam monasterium majoris sive minoris religionis obtentu invitis sive inconsultis fratribus aut eo qui magister extiterit liceat transmigrare nullique ecclesiasticae saecularive personae ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat.

Anno 1181. (Bull. r. t. II. p. 831.)

Pii PP. IV. Approbatio regulae ffr. M. Conv. Ord. s. Francisci.

Nulli licet exire claustra ejus loci, ubi de familia degit, absque licentia sui guardiani qui causam cognoscat et comitem illi pro suo arbitrio eligat: habeatur tamen ratio virorum insignium et graduatorum. Neque aliquis discedat ex custodia sine custodis licentia ut constitutiones generales et Benedictus XII. praecipiunt; de provincia vero nonnisi de magistri provincialis licentia sive ejus commissarii in scriptis obtenta neque causa accedendi ad superiorem praelatum. Qui contrafecerit, ultra poenam a synodo Trid. statutam, etiam in ordine poena carceris per mensem et unius publicae disciplinae opprobrio mulctetur, atque secundum Alexandrinas constitutiones ad conventum, custodiam sive provinciam suam confusibiliter remittatur. Servetur omnino decretum earumdem constitutionum, quod ita dicit: Inhibetur insuper ministris, juxta generalia statuta, ut nulli licentiam ad romanam curiam tribuant, etiam causa devotionis, accedendi (ne detur occasio vagandi), nisi in capitulo, de consensu definitorum et nisi fuerit vir probus et moribus gravis vel urgeat magna necessitas provinciae, conventus vel monasterii; et si fieri potest, nullus Romam accedere permittatur, nisi cui fuerit a generali ministro concessa licentia specialis. Hactenus decretum. Si quis vero minister hujusmodi licentiam aliter quam supra dictum est dederit, officio suo privetur; si autem quis sine licentia Romam iverit, eum revertentem, etiamsi literas commendatitias habeat, provincialis in carcerem tradat et disciplinatum a sua custodia proscribat.

Die 17. Sept. 1565.

(Bull. r. t. VII. p. 403. Ed. Aug. Taur. 1862.)

Ex constitut. Ord. ffr. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.

Pius PP. VI.

Quid sit clausura, quibusque de causis ab illa egredi permittatur.

1. Regularis clausura de qua hic agere molimur non illa censenda in cellis perse-

verantia quam in II. capite observandam proposuimus. Illa etenim intra cellularum clauditur angustias, haec amplior intra septa continetur monasterii.

2. Hanc non adeo rigorosam arbitramur, ut ab illa egredi religiosis nostris nunquam permittatur; a regula enim edocemur plures justas posse occasiones evenire, id ipsum postulantes: sed ne hasce humana fragilitas plus nimio praetendat ac saepe saepius supergrediatur

3. Statuimus ut religiosi nostri una omnes e conventu ad sepeliendos mortuos cujuscumque conditionis sint, saeculares aut alterius ordinis regulares, nullatenus exeant ad responsoria recitanda vel canenda vel ut exequiis adsistant, nisi pro Rege, Regina caeteraque prole regia, pro Cardinalibus, Nuntio apostolico, Episcopo dioecesano necnon pro Proregibus. Si autem eveniat occasio totius aut majoris partis communitatis egressum necessario postulans tempusque non suppetat definitorium consulendi, prior annuentibus consiliariis id permittere poterit dummodo apto tempore rationem de hoc definitorio reddat.

4. Similiter ad nullam quantumvis generalem et solemnem processionem ex privilegio SS. Domini Clementis VIII. et Pauli V.*) exire debent. Excipimus tamen processiones pro publica causa instituendas, pro regis, reginae caeterumque regalium personarum salute vel quibus rex ipse adesse jusserit. Nullum hinc praejudicium patientur privilegia super hoc a Nobis concessa.

5. Excipimus etiam processiones quae in conventibus aliquibus ubi tertius ordo est institutus aut est confraternitas b. Mariae V. de monte Carmelo fieri solent per vias oppidi aut civitatis videlicet processio pro solemni commemoratione ejusdem b. Virginis et processio triumphi D. Nostri Jesu Christi in dominica Palmarum vel alia die prope ipsam dominicam. Caeterae autem quae his constitutionibus praescriptae inveniuntur intra ecclesias nostras aut claustra vel ad summum consuetudine aut necessitate id poscente ad atrium usque ecclesiae prodibunt. Quae omnia observari praecipimus sub poena suspensionis ab officio per duos menses infligenda praelatis, qui contrarium aut fecerint aut permiserint.

6. Praecipimus etiam, ut nemo nostrorum religiosorum cujuscumque conditionis sit domo exire audeat, ut nuptiis nuptialibusve conviviis, comoediis aliisque id generis spectaculis adsistat. Et si quis religiosae modestiae oblitus immemorque decoris in hoc deliquerit certissime gravi poena mulctabitur et insuper per duos menses officio privabitur, si superior; si subditus, voce et loco per idem tempus.

7. Cum justa occasione vel quando sibi necessarium videbitur poterunt e regulari clausura egredi, nulla petita venia, prior generalis et definitores in tota congregatione, visitator a generali vel definitorio designatus in conventibus sui juris et Prior in suo conventu. Hos tamen hortamur, ut in hoc subditis exemplum praebeant, solitudinem quantum fieri possit sancte custodientes.

8. Poterunt etiam de prioris localis facultate in urbem prodire ut suum munus exerceant examinatores synodales, sanctae inquisitionis consultores, concionatores, nostrarum monialium confessores vel etiam qui de prioris generalis facultate monialium alterius ordinis confessiones exceperint, necnon ut aegrotantibus in ultimo agone adsistant ac infirmorum vel carceribus detentorum confessiones audiant uti in I. capite statuimus; ac demum, ut intersint vesperis et missis Patriarcharum aliorum ordinum atque publicis literarum actibus in universitatibus, academiis ac regularium conventibus.

9. Eundem egressum permittimus pro celebrandis festivitatibus in nostrarum monialium conventibus videlicet ss. Corporis Christi ejusque laudis perennis, b. Mariae V. de Monte Carmelo, s. Theresiae ejusque cordis transverberationis, s. Joseph protectoris nostri ac ejus patrocinii et s. patris nostri Joannis a Cruce sanctique conventus Titularis. Idem fiat pro benedictione candelarum, cinerum et palmarum, in triduo majoris hebdomadae ac pro sacri velaminis solemnitate et denique aliis quibuscumque de prioris generalis facultate celebrandis.

Non liceat autem priori quidpiam stipendii a monialibus exigere pro hujusmodi religiosorum adsistentia nisi et ipsae pro ejusdem celebritatis expensis aliquid legatum vel datum a benefactore accepissent.

*) Vd. *Clausura monial.* (Ingressus mulieribus vetitus.)

10. Nec etiam liceat priori ad praefatas functiones plures religiosos mittere, quam pulpiti et altaris ministeriis opus fuerit: neque alii adsistere possint, et si egrediendi facultatem alias obtinuerint, nec etiam alterius conventus, si in urbe sit, conventuales nisi nuper relata munia obire debeant. Excipimus tamen praelatos, superiores, priorem localem cui monialium cura demandata est et duos confessarios si ad confessiones audiendas sint necessarii.

11. Si quae exequiae ibidem celebrentur, si quae funera ad hujusmodi monialium efferantur conventus, illos adire praefatos fratres prior minime detrectet attento tamen defunctorum gradu; religiosorum praefiniatur numerus duodecim non major, eleemosynamque a monialibus recipiet proportionatam illi, quam ipsae acceperint.

12. Praeterea de prioris facultate poterunt in civitatem aut oppidum ubi situs est conventus exire procurator domus vel ejus loco alius ita tamen, quod unus non exeat, dum alter extra monasterium existit, Procurator etiam monialium aut ejus vices gerens, sed bis tantum in hebdomada. Item unus cum socio ad pendendam cerae eleemosynam tempore quadragesimae, et tandem qui ad transmarinos conventus sunt profecturi, at per quindecim tantum dies et per totidem postquam reduces e navi prosiluerint.

13. Priore in oppidum egresso qui ejus loco praestet exire nequeat nec aliis ut exeant veniam praebere nisi procuratori, praedicatori et confessario si ad munus suum exercendum urgeat praeter assignatos nec alium in civitatem mittere nec etiam religiosorum aliquem choro deputatum ad eleemosynam ordinariam ostiatim mendicandam, nisi ad hoc gravis urgeat necessitas. Hanc constitutionem ad laicos non extendimus, qui prioris arbitrio egredi poterunt quin facultatem egrediendi aliis ante permissam impediant.

14. Excipimus etiam regiae curiae et Portugallensis urbis conventus in quibus ob nimiam hospitum frequentiam ac perurgentium negotiorum multitudinem alium praeter dictos poterit Prior foras mittere, quoties sibi necessarium videbitur. Si autem temporis tractu et hujusmodi conventus aliive quicumque hujus congregationis commode regi nequeant quin superiorum localium facultates in hac parte amplientur, generalis definitorii erit id permittere, quibusdam tantum in casibus et ad determinatum numerum redactis.

15. Extra loca ubi conventus est quandoque exire poterunt religiosi nostri, quocirca declaramus:

Nos minime velle definitorii generalis jurisdictionem circumscribere dummodo hujusmodi facultates absolutas non concedat sed pro qualibet vice terminatas; neque permittat religiosum aliquem extra ordinis conventus aut hospitia degere nisi in casu urgentissimae necessitatis ab apostolica Sede approbatae juxta praescriptum Urbani VIII.

16. Si quis autem Episcopus ex ordine electus religiosum aliquem sibi socium postulaverit a definitorio concedi permittimus et quo visum fuerit tempore Episcopi imperio subjiciet. Praeter hunc casum nullus superior nec etiam generale definitorium poterit monasterium aliquod aut religiosum quemvis nisi apostata fuerit aliorum praelatorum aut exterorum quorumcumque jurisdictioni subjicere nec privilegiis ullis a nobis concessis renuntiare; quod si secus fecerint, dehinc irritum et inane declaramus ipsumque praelatum vel praelatos et quoscumque alios similibus operam dantes poenae suspensionis ab officio per sex menses obnoxios esse volumus insuperque privationis vocis et loci per idem tempus. Poterit etiam definitorium, si necessitas aut prudens ratio expostulaverit, facultatem impertiri, ut religiosi aliqui in Africam, Brasiliam et Asiam pergant ad Jesu Christi fidem paganis sive infidelibus praedicandam.

17. Declaramus:

Priorem generalem cuilibet religioso progrediendi veniam etiam sine socio concedere posse intra regnum quocumque velit, extra regnum vero ad centum tantum leucarum distantiam, salva tamen constitutione formam praescribente invisentibus patriam.

18. Similem facultatem superioribus localibus permittimus quippe sibi subditis veniam praebere poterunt, ut intra duodecim leucarum spatium unacum socio iter agant vel ad alium conventum vel ad locum extra illum, quoties opus fuerit ad illa negotia his constitutionibus alias non vetita. Poterit etiam intra eandem distantiam sine socio mittere procuratores et praedicatores, quoties eorum muneri fuerit necessarium.

19. Declaramus ultimo nullum religiosum ad romanam urbem accedere posse sine protectoris ordinis aut definitorii generalis facultate juxta decretum Clementis PP. VIII. et sub poenis in eodem decreto inflictis.

Quomodo a clausura egredi permittatur.

1. Non aliter nisi bini Apostolorum more religiosi nostri cujuscumque conditionis sint laicis exceptis exire poterunt in locum, ubi fuerit ordinis conventus: ideoque unicuique a priore designetur socius non petentis voluntate sed arbitrio suo quem non recipere in culpa erit. Extra conventum ille praesideat, qui intra illum antiquitatis loco praecellit, nisi justa de causa praelatus juniorem praeficiat; nulloque titulo poterunt, donec redeant, alter ab altero separari sub gravis culpae poena. Excipimus tamen casum ad nobilem quo quis se conferat aliquem, ut cum illo secreto loquatur; tunc enim socius extra conclave remanebit donec vocetur; nunquam tamen audiendi aviditatem praeseferet. Si autem cum nobili matrona id contingat, proportione habita, id ipsum servabitur quod statuimus *cap. 1. n. 6.*

2. Omnes fratres sive conventuales sive hospites antequam e domo prodeant benedictionem genibus flexis a superiore petent et postea coram SS. Sacramento breviter orent ut eorum exitum et introitum custodiat, quod et praestabunt cum redierint orationem benedictioni anteponendo. Qui priorem generalem comitaverit, benedictionem a praelato locali accipere non tenebitur, sed illi ante vel saltem post egressum idipsum patefacere.

3. Priores hospites, licet egrediendi facultatem non tamen benedictionem a priore locali recipiant, tenentur tamen inclinato capite eidem reverentiam praestare. In conventu, ubi fuerit prior generalis nec localis prior nec alius quantumvis superior, e domo prodibit, quin flexis genibus ab illo cum socio benedictionem accipiat.

4. Omnes iter agentes si sint viribus potentes pedestes eant, si non, iis ad vecturam utantur animalibus idoneis, quae eorum indigentiae religiosaeque paupertati ac humilitati sint consentanea. Teneantur etiam eadem quae prodeuntibus in urbem praescripta sint observare. Praeterea testimoniales literas secum deferent, ex quibus non arithmeticis notis, sed verbis non compendario expressis innotescat, e quo conventu egrediuntur, cujus praelati venia, quo die, mense et anno ad quem locum tendant, quodque temporis spatium morae permissum. Statim ac ad quodlibet ordinis monasterium hospitiumve accesserint, hujusmodi testimoniales literas, etiam non petitas, praesidenti conspiciendas offerant; quod si omittant, praesidens haud negliget eas exquirere et examinare.

5. Sancimus etiam, ut iter agentes si in aliquo ordinis conventu hospitio fuerint excepti ultra triduum ibidem non immorentur sine expressa competentis superioris facultate, si autem justa aliqua causa contrarium poposcerit, prior aut praesidens ejusdem conventus in supradictis testimonialibus literis dies et causas morae adnotabunt. Contrafacientes per quot dies licentiam excesserint per tot dimidiato tempore in cella maneant e qua non prodibunt nisi ut Sacrum faciant et communitatis actibus excepta recreatione adsistant.

6. Hac eadem poena per dies decem punientur itinerantes, qui sine expressa superioris facultate in urbe aut loco ubi est ordinis conventus aut hospitium ingressi fuerint domum cujuscumque saecularis. Si vero in eadem domo pernoctaverint poena carceris per dies quindecim pro qualibet vice puniantur.

7. Si quis fratrum extra conventum non ita se gesserit ac religiosum decet, statim quod id sciverit propioris conventus praesul ad suum vocabit conventum praefatum religiosum et pro qualitate culpae poenam infliget ac si proprius illius subditus esset.

Die 17. Mart. 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 7. Ed. Romae.)

Ad dub.: I. An Abbatibus liceat absque particulari licentia Episcopi in scriptis concedere licentias ingrediendi clausuram monasteriorum cuivis personae etiam necessario admittendae?

II. An Abbates inconsulto Episcopo possint concedere licentias tam saecularibus quam regularibus ipsis benevisis etiamsi sint propriae congregationis accedendi locutoria monialium monasteriorum?

Et quatenus affirmative,

III. In quibus tantum casibus concedere possint dictas licentias?

IV. An Episcopus valeat supradictas licentias in casu transgressionis vel abusus revocare et transgressores quoscumque coercere et quibus poenis in casu?

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative.

Ad III: Provisum in praecedenti.

Ad IV: Affirmative juxta constitutiones Gregorii XV. et Alexandri VII.*) et amplius in omnibus.

Die 16. Mart. 1743.

b) Egressus Novitiorum.

Vd. *Novitii* (egressus etc.)

c) Excommunicatio in violantes.

Vd. p. 913. VII.

d) Ingressus licitus.

Vd. *Clausura Monach.* (Ingress. vetit., constit. Bened. XIV. §: 8.**) diei 3. Jan. 1742.); *Janitor monasterii.*

Indultum ut mulieres claustrum conventus Barchinonensis fratrum ordinis s. Francisci de observantia ingredi possint.

Venerabili fratri Episcopo Barchinonensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provinciae Catalaniae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum necnon minister et discretus III. ordinis hujusmodi istius civitatis Barchinonensis, quod ab immemorabili in more positum erat, ut dum magno christifidelium concursu in ecclesia ac conventu Barchinonensi fratrum ordinis praedicti ab iisdem fratribus et ab utriusque sexus christifidelibus dicti tertii ordinis devotum viae crucis exercitium***) perageretur non solum viri sed etiam mulieres sejunctim tamen ab hominibus ac binae ad infimum ejusdem conventus claustrum devote ac pie procederent et quamvis emanata anno 1742 a fel. rec. Benedicto PP. XIV. Praedecessore Nostro constitutione, quae incipit *Regularis disciplinae**) ab ea statim consuetudine recessum fuerit, paulo post tamen ex apostolico ut creditur indulto eadem consuetudo revocata fuit usquedum 1791, quod in tabulario nullum de indulto hujusmodi apostolico extabat documentum, a tunc exercente Episcopo Barchinonensi pium exercitium hujusmodi interdictum fuit Cum autem sicut eadem expositio subjungebat infimum claustrum praedictum ad hunc unum usum destinatum sit, ut christifidelium cadavera tumulentur atque ad ejusdem conventus ornatum nullumque ex more hujusmodi incommodum in eamdem clausuram redundetur, Nobis propterea memorati exponentes supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus ut veris existentibus narratis et quatenus inposterum in infimo claustro hujusmodi nulla fiet innovatio, quae rerum statum immutet, consuetudinem praedictam, ut nempe mulieres in statis jam ac ab usu praescriptis diebus tantum ad claustrum praedictum pie ac devote exercitium praedictum comitando procedere possint, pro tuo arbitrio ac prudentia ac cum iis conditionibus quae ad scandala antevertenda utiles arbitraberis, auctoritate Nostra apostolica permittas.

§. 3. Non obstantibus memorata Benedictina constitutione etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Junii 1797.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 99. Ed. Romae.)

e) Ingressus vetitus Mulieribus.

Decretum, ne foemina ingrediatur coenobium s. Martini Turonensis nisi orationis causa.

Leo PP. XII.

Glorioso principi Francorum filio nostro Hugoni videlicet Abbati b. Martini et perpetuis successoribus in perpetuum.

Conditor universitatis atque dispositor Christus Dominus per ss. suae incarnationis

*) Vd. *Clausura Monial.* (Ingressus superior. regular.)

**) Vd. *p. 1222.*

***) Vd. *p. 913.* §: *Significantes.*

*) Vd *Clausura monach.* (ingressus vetitus p. 1220.)

19. Declaramus ultimo nullum religiosum ad romanam urbem accedere posse sine protectoris ordinis aut definitorii generalis facultate juxta decretum Clementis PP. VIII. et sub poenis in eodem decreto inflictis.

Quomodo a clausura egredi permittatur.

1. Non aliter nisi bini Apostolorum more religiosi nostri cujuscumque conditionis sint laicis exceptis exire poterunt in locum, ubi fuerit ordinis conventus: ideoque unicuique a priore designetur socius non petentis voluntate sed arbitrio suo quem non recipere in culpa erit. Extra conventum ille praesideat, qui intra illum antiquitatis loco praecellit, nisi justa de causa praelatus juniorem praeficiat; nulloque titulo poterunt, donec redeant, alter ab altero separari sub gravis culpae poena. Excipimus tamen casum ad nobilem quo quis se conferat aliquem, ut cum illo secreto loquatur; tunc enim socius extra conclave remanebit donec vocetur; nunquam tamen audiendi aviditatem praeseferet. Si autem cum nobili matrona id contingat, proportione habita, id ipsum servabitur quod statuimus *cap. 1. n. 6.*

2. Omnes fratres sive conventuales sive hospites antequam e domo prodeant benedictionem genibus flexis a superiore petent et postea coram SS. Sacramento breviter orent ut eorum exitum et introitum custodiat, quod et praestabunt cum redierint orationem benedictioni anteponendo. Qui priorem generalem comitaverit, benedictionem a praelato locali accipere non tenebitur, sed illi ante vel saltem post egressum idipsum patefacere.

3. Priores hospites, licet egrediendi facultatem non tamen benedictionem a priore locali recipiant, tenentur tamen inclinato capite eidem reverentiam praestare. In conventu, ubi fuerit prior generalis nec localis prior nec alius quantumvis superior, e domo prodibit, quin flexis genibus ab illo cum socio benedictionem accipiat.

4. Omnes iter agentes si sint viribus potentes pedestes eant, si non, iis ad vecturam utantur animalibus idoneis, quae eorum indigentiae religiosaeque paupertati ac humilitati sint consentanea. Teneantur etiam eadem quae prodeuntibus in urbem praescripta sint observare. Praeterea testimoniales literas secum deferent, ex quibus non arithmeticis notis, sed verbis non compendario expressis innotescat, e quo conventu egrediuntur, cujus praelati venia, quo die, mense et anno ad quem locum tendant, quodque temporis spatium morae permissum. Statim ac ad quodlibet ordinis monasterium hospitiumve accesserint, hujusmodi testimoniales literas, etiam non petitas, praesidenti conspiciendas offerant; quod si omittant, praesidens haud negliget eas exquirere et examinare.

5. Sancimus etiam, ut iter agentes si in aliquo ordinis conventu hospitio fuerint excepti ultra triduum ibidem non immorentur sine expressa competentis superioris facultate, si autem justa aliqua causa contrarium poposcerit, prior aut praesidens ejusdem conventus in supradictis testimonialibus literis dies et causas morae adnotabunt. Contrafacientes per quot dies licentiam excesserint per tot dimidiato tempore in cella maneant e qua non prodibunt nisi ut Sacrum faciant et communitatis actibus excepta recreatione adsistant.

6. Hac eadem poena per dies decem punientur itinerantes, qui sine expressa superioris facultate in urbe aut loco ubi est ordinis conventus aut hospitium ingressi fuerint domum cujuscumque saecularis. Si vero in eadem domo pernoctaverint poena carceris per dies quindecim pro qualibet vice punientur.

7. Si quis fratrum extra conventum non ita se gesserit ac religiosum decet, statim quod id sciverit propioris conventus praesul ad suum vocabit conventum praefatum religiosum et pro qualitate culpae poenam infliget ac si proprius illius subditus esset.

Die 17. Mart. 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 7. Ed. Romae.)

Ad dub.: I. An Abbatibus liceat absque particulari licentia Episcopi in scriptis concedere licentias ingrediendi clausuram monasteriorum cuivis personae etiam necessario admittendae?

II. An Abbates inconsulto Episcopo possint concedere licentias tam saecularibus quam regularibus ipsis benevisis etiamsi sint propriae congregationis accedendi locutoria monialium monasteriorum?

Et quatenus affirmative,

III. In quibus tantum casibus concedere possint dictas licentias?

IV. An Episcopus valeat supradictas licentias in casu transgressionis vel abusus revocare et transgressores quoscumque coercere et quibus poenis in casu?

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative.

Ad III: Provisum in praecedenti.

Ad IV: Affirmative juxta constitutiones Gregorii XV. et Alexandri VII.*) et amplius in omnibus.

Die 16. Mart. 1743.

b) Egressus Novitiorum.

Vd. *Novitii* (egressus etc.)

c) Excommunicatio in violantes.

Vd. p. 913. VII.

d) Ingressus licitus.

Vd. *Clausura Monach.* (Ingress. vetit., constit. Bened. XIV. §: 8.**) diei 3. Jan. 1742.); *Janitor monasterii.*

Indultum ut mulieres claustrum conventus Barchinonensis fratrum ordinis s. Francisci de observantia ingredi possint.

Venerabili fratri Episcopo Barchinonensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provinciae Catalaniae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum necnon minister et discretus III. ordinis hujusmodi istius civitatis Barchinonensis, quod ab immemorabili in more positum erat, ut dum magno christifidelium concursu in ecclesia ac conventu Barchinonensi fratrum ordinis praedicti ab iisdem fratribus et ab utriusque sexus christifidelibus dicti tertii ordinis devotum viae crucis exercitium***) perageretur non solum viri sed etiam mulieres sejunctim tamen ab hominibus ac binae ad infimum ejusdem conventus claustrum devote ac pie procederent et quamvis emanata anno 1742 a fel. rec. Benedicto PP. XIV. Praedecessore Nostro constitutione, quae incipit *Regularis disciplinae**) ab ea statim consuetudine recessum fuerit, paulo post tamen ex apostolico ut creditur indulto eadem consuetudo revocata fuit usquedum 1791, quod in tabulario nullum de indulto hujusmodi apostolico extabat documentum, a tunc exercente Episcopo Barchinonensi pium exercitium hujusmodi interdictum fuit Cum autem sicut eadem expositio subjungebat infimum claustrum praedictum ad hunc unum usum destinatum sit, ut christifidelium cadavera tumulentur atque ad ejusdem conventus ornatum nullumque ex more hujusmodi incommodum in eamdem clausuram redundetur, Nobis propterea memorati exponentes supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus ut veris existentibus narratis et quatenus inposterum in infimo claustro hujusmodi nulla fiet innovatio, quae rerum statum immutet, consuetudinem praedictam, ut nempe mulieres in statis jam ac ab usu praescriptis diebus tantum ad claustrum praedictum pie ac devote exercitium praedictum comitando procedere possint, pro tuo arbitrio ac prudentia ac cum iis conditionibus quae ad scandala antevertenda utiles arbitraberis, auctoritate Nostra apostolica permittas.

§. 3. Non obstantibus memorata Benedictina constitutione etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Junii 1797.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 99. Ed. Romae.)

e) Ingressus vetitus Mulieribus.

Decretum, ne foemina ingrediatur coenobium s. Martini Turonensis nisi orationis causa.

Leo PP. XII.

Glorioso principi Francorum filio nostro Hugoni videlicet Abbati b. Martini et perpetuis successoribus in perpetuum.

Conditor universitatis atque dispositor Christus Dominus per ss. suae incarnationis

*) Vd. *Clausura Monial.* (Ingressus superior. regular.)

**) Vd. *p. 1222.*

***) Vd. *p. 913. §: Significantes.*

*) Vd *Clausura monach.* (ingressus vetitus p. 1220.)

mysterium universalem ecclesiam sibi copulare dignatus est; diversos vero Sanctos in eadem ecclesia quasi diversa in uno corpore membra disposuit et unumquemque prout interno ejus consilio placuit in ipsius ecclesiae corpore cujus ipse caput fieri dignatus est mirabiliter ordinavit. Quosdam excellentius decorans, ut sicut membra in corpore quaedam honestiora sunt et suis officiis apta ita et in ecclesia vel excellentior vel inferior quisque vices suas ipso auctore disponente convenienter expleat, ut scilicet juxta Apostolum stella differat a stella in claritate. At vero inter eos, quos divina dispensatio sublimius evexit, praedictus b. Martinus Turonicae sedis Archiepiscopus non mediocriter effulget, cujus videlicet gloriam universalis christianitas attestatur, quae illum divino instinctu quodam speciali affectu communiter amat, ita ut nusquam alio post sanctorum Apostolorum limina de tam longinquis ac diversis nationibus confluant oratores, sicut faciunt ad ipsius venerabile sepulchrum. Nam et ipse sacer locus, ubi quiescit in magna reverentia, specialiter ab antiquis diebus non solum apud vulgares sed et apud excellentissimos reges ac principes fuit, sicut nonnulli vestrum videndo sciunt. Ut enim audivimus nulli unquam foeminae intra ambitum monasterii etiam sub tempore paganorum permittebatur accessus: cum vero necesse fuit, ut propter illorum incursionem in civitate murus collocaretur, plangebant sui cultores, qui non valebant eum sic in tanta reverentia ut olim venerari, nec mulierum prohibere concursum: ob quod etiam juxta ejus basilicam fundari murum studuistis, ut ita vel ab incendio defendi vel in pristina honestate constet ipse locus haberi. Sed res in contrarium versa est, quia per occasionem castelli mulieribus et impudens et libera conversatio est; hoc nil aliud facit, nisi sola negligentia et tepor servitorum ejus. Siquidem veniet et dies judicii et unusquisque in suo ordine insurget et manifestum erit, per quos religio est erecta vel per quos neglecta. Dolendum nobis est tempora jam periculosa venisse et sic apparet caritatem apud multos refrixisse, iniquitatem vero nimium superabundasse. Verum quia s. ecclesia b. Petro Apostolorum principi specialiter commissa est, ut quisque nostrum prout Deo largiente potuerit ejusdem ecclesiae quousque indiget utilitatem per aliquam auctoritatem sustentet et idcirco videtur Nobis, ut vestram negligentiam, quae est erga cultum illius loci sanctissimi, per nostrum interdictum commoneamus.

Itaque inprimis obsecramus in Domino, ut tu Abbas excellentissimus Hugo et ipsius coenobii praepositi curam summopere adhibeatis, quatenus per totum veteris muri ambitum usque ad viam, quae juxta latus basilicae aquilonare vergit, nulla, postquam hanc epistolam videritis, foemina licentiam habeat commorandi sed nec intrandi quidem nisi solius causa orationis. Si quis vero de ministris hoc apostolicum interdictum neglexerit aut aliqua foemina intrare praesumpserit, tamdiu excommunicatus sit, quousque a promissa emendatione absolvi mereatur. Sin autem quis per audaciam et contemptionem ad hoc transgrediendum pertinax extiterit, illum prorsus vel illam excommunicamus. Observantibus haec gratia et pax Christi per suos Apostolos et b. Martini preces multiplicetur. Scriptum per manum Theodori notarii et scrinarii s. romanae ecclesiae in mense Januario et interdictione XI. Ludovico Francorum regen. Script. mense Januario 938.

(Bull. r. t. I. p. 388. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Honorius PP. III. Abbati Cassinensi.

Claustralibus absque manifesta et necessaria causa exeundi a claustro licentia nullatenus tribuatur, cum periculosum sit talibus saecularium caetibus admisceri nec sub consanguinitatis praetextu infra monasterii ambitum colloquium habere cum mulieribus juniores monachi permittantur, nisi praesentibus ad minus duobus monachis senibus et honestis.

Die 4. Apr. 1219.

(Bull. r. t. III. p. 358. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Innocentius PP. II. Bertro Abbati ss. Salvatoris ad flumen, quod Fulda dicitur.

Interdicimus, ne foemina illuc (monasterium) ingredi praesumat.

Die 5. Junii 1133.

(Bull. r. t. II. p. 383. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Bened. PP. XII. de ref. Monach. nigrorum s. Benedicti.

Statuimus et ordinamus, quod Antistites, Abbates, priores ac caeteri administratores in ecclesiis vel monasteriis seu aliis locis ejusdem ordinis vel religionis hujusmodi aut infra septa ecclesiarum, monasteriorum et locorum eorumdem vel in domibus in quibus monachi habitant, mulieres tenere etiam si matres vel sorores fuerint non praesumant. Antistites vero, Abbates, priores ac caeteri superiores religionis ejusdem non habentes qui contra fecerint a collatione beneficiorum sint per tres menses eo ipso suspensi, quibus durantibus ad priorem vel alium majorem post Antistitem seu Abbatem cum consensu capituli seu conventus vel majoris et sanioris*) partis ejusdem beneficiorum ipsorum sit collatio devoluta. Alii vero priores et administratores, quicumque fuerint, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinuerint, sint suspensi; quibus durantibus Antistes, Abbas vel alius praelatus, immediatus eorum superior ponat in eisdem beneficiis alios monachos administratores providos et discretos ac fructus ex his dictis sex mensibus obvenientes qui supererunt debitis consuetis oneribus supputatis convertantur in utilitatem ecclesiae, monasterii seu loci immediati superioris delinquentium praedictorum. Et nihilominus dicti Abbates et priores et alii non habentes superiores per praesidentes seu visitatores, caeteri vero per suos superiores, prout culpae aut delinquentium qualitas exegerit, alias puniantur.

Die 20. Junii 1336.

(Ibid. t. IV. p. 375.)

Benedictus PP. XII.

Declaratio capitulorum super statu Monachorum Nigrorum.

Quod in capitulo posito sub rubrica: *Ne mulieres habitent in locis monachorum*, prohibetur expresse ne Antistites, Abbates, priores et caeteri administratores in ecclesiis, monasteriis seu locis aliis ordinis et religionis ejusdem aut infra septa ipsorum mulieres tenere praesumant, declaramus de illis domibus, locis et septis religionis ejusdem debere intelligi, in quibus debent monachi residere.

Die 5. Decbr. 1340.

(Ibid. p. 466.)

*) Vd. *t. I. p. 104. k.*

Eugenius PP. IV. ad Congregat. s. Justinae de Observ. Monach. Ord. s. Benedicti.

Plane, ut hujusmodi congregationis monachi in vitae honestate et odore bonae famae apud Deum et homines conversentur et quia ibi cautius est agendum, ubi majus imminet periculum animarum, eadem auctoritate statuimus, quod nulli hominum liceat quascumque mulieres laicas seu religiosas, cujuscumque aetatis, status, gradus, auctoritatis vel conditionis existant, quavis occasione ducere sive ipsis mulieribus ingredi seu commorari infra septa monasteriorum praefatae congregationis; quod si aliter scienter attentatum fuerit, tam ipsae mulieres quam earum ductores, sed et ipsi receptatores, si voluntarie hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua dictae congregationis personae absolvi possint per praesidentem et visitatores congregationis hujusmodi.

Die 30. Junii 1436.

(Bull. r. t. V. p. 23. Ed. Aug. Taur. 1860.)

Gregorius PP. XIII. in constitut. ad Ord. Cisterc. Monachorum s. Benedicti.

Mulieribus omnibus cujuscumque qualitatis, dignitatis et aetatis ingressus claustri et aliorum locorum regularium, etiam aedium partis quae ab Abbatibus, commendatariis, prioribus aliisve ministris etiam divisim possidentur, sit penitus interdictus; et si secus factum erit, tam ingredientes quam recipientes excommunicationis sententiam incurrant; carcer quoque ad correctionem monachorum ubi non est constituatur.

Die 12. Junii 1574.

(Bull. r. t. VIII. p. 78. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Quod mulieres etiam praetextu cujusvis privilegii, facultatis aut licentiae ingredi non possint exceptis casibus hic expressis monasteria et claustra cujuscumque ordinis regularis.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regularium*) personarum quae relicto saeculo Dei se obsequio dedicarunt pro commisso Nobis officio quieti consulere cu-

*) Vd. *p. 913.*

pientes ad ea removenda, quae religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, ut nulla re quae eas a divino cultu avocet praepeditae secundum ordinum suorum regularia instituta et decretum Trid. Concilii tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

§. 1. Quia igitur et Carthusiensium ordinis et aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet sicut accepimus perturbari, propterea quod mulieres, modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum contra ipsorum instituta praetextu confessionalium aut aliarum literarum apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, praepositis, prioribus et aliis praesidentibus aliquando recusantibus et remittentibus non sine magna eorum molestia nec sine gravi aliquorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur,

§. 2. Huic rei providere volentes motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ac domos Carthusiensium et aliorum quorumcumque regularium ordinum etiam Mendicantium mulieribus, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et quacumque dignitate ac praeeminentia praeditis etiam comitissis, marchionissis, ducissis, sub quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, ab apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, haberi volumus pro expressis tenore praesentium revocamus et cassas, irritas et inanes esse decernimus.

§. 3. Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates et licentias praetendentibus sub excommunicationis latae sententiae poena, postquam harum literarum notitiam habuerint, a qua non possint nisi a Nobis aut romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, praeterquam in mortis articulo, ne dictas domos et monasteria ingredi audeant.

§. 4. Ipsis vero monasteriorum et conventuum Abbatibus, praepositis, prioribus et aliis praesidentibus quocumque nomine vocentur et eorum monachis, Canonicis et fratribus sive Mendicantibus sive non Mendicantibus sub privationis officiorum quae in praesentia obtinent et inhabilitatis inposterum ad illa et alia omnia et suspensionis a Divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis poenis, ne eas introducere admittereve praesumant.

§. 5. Non obstantibus.

Datum Romae apud s. Petrum die 24. Octob. 1566.

Sequitur declaratio constitutionis.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet*) romanum Pontificem certissimum mentis suae interpretem, si quando quippiam dubietatis in literis ab eo emanatis occurrit, suae declarationis oraculo quamprimum explanare.

§. 1. Cum alias a Nobis emanaverint quaedam literae in simili forma brevis sub die 24. Octob. 1566., in quibus mulieribus quibuscumque monasteriorum regularium ingressus cum derogatoriis, clausulis et irritantibus decretis prohibetur et alias prout in illis plenius continetur,

§. 2. Nos intuitu et in favorem congregationis Montis Virginis aliquas dubitationes, quae circa dictarum literarum et mentis nostrae intelligentiam oriri possent, elucidare et submovere volentes supplicationibus dictae congregationis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati apostolica auctoritate tenore praesentium dicimus et declaramus fuisse et esse mentem et intentionem nostram quod dictae literae non solum comprehenderent et comprehendant mulieres habere praetendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes et quascumque mulieres alias tam in genere quam in specie.

§. 3. Significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc et praedictas nostras literas non intellexerimus nec intelligimus quod mulieribus praecluderetur vel praecludatur aditus ad monasteria et loca regularia dictae congregationis ac eorum claustra, quando in eis missae et alia divina officia celebrantur ac dum processiones fiunt et quando christifidelium cadavera ibi sepe-

*) Vd. *p 913.*

liuntur ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem ut ad illa loca dictae congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis personis accedere libere et licite possint et valeant.

§. 4. Et similiter quod quando divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum congregationis hujusmodi proponitur vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint et egredi per portam ecclesiae, perpetuo concedimus ut dictae mulieres, unacum aliis saecularibus personis, possint ingredi et egredi per portam claustri monasteriorum et locorum regularium congregationis hujusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur e monasterio; sicque volumus pariter et indulgemus.

§. 5. Decernentes etc.

§. 6. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 16. Julii 1570.

(Bull. r. t. VII. p. 487. Ed. Aug. Taur.)

Revocatio licentiarum et indultorum quibuscumque mulieribus concessorum ingrediendi monasteria cujuscumque ordinis regularium prohibitioque utendi ejusmodi licentiis pro casibus necessariis concedendis, praeterquam ipsis necessitatibus urgentibus, et declaratio quod praelati monialium in casibus necessariis et paucis comitati religiosis ingredi possint.

Gregorius PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ubi gratiae et indulta ab hac Sede concessa successu temporibus incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri praesidentis consilio submoveri.

§. 1. Proinde sanctimonialium quieti et tranquillitati consulere ac omnia quae illas a spiritualium rerum cogitatione et exercitio avocant impedimenta tollere periculaque et scandala ab eis removere cupientes auctoritate praesentium revocamus et abolemus omnes et quascumque licentias ac facultates ingrediendi monasteria, domus et loca monialium ac etiam virorum quorumvis ordinum, quibusvis etiam comitissis, marchionissis, ducissis*) et aliis cujuscumque status et conditionis mulieribus ac etiam omnes et quascumque licentias ingrediendi monasteria, domos et loca ipsarum sanctimonialium quibuscumque viris etiam ejusdem status et dignitatis tam a Praedecessoribus nostris quam etiam a Nobis et Sedis apostolicae Legatis aut aliis ex quibusvis sub quibuscumque tenoribus et etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatorum restitutoriis aliisque efficacioribus clausulis irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum aliorumve principum contemplationem vel supplicationem concessas, confirmatas et etiam iteratis vicibus renovatas cassamusque et annullamus literas desuper confectas et processus habitos per easdem.

§. 2. Inhibentes eisdem qui illas obtinuerunt sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, super qua a nemine nisi a romano Pontifice praeterquam in mortis articulo absolutionis beneficium possit impetrari, ne, ipsarum licentiarum praetextu, monasteria hujusmodi quovis modo ingredi audeant.

§. 3. Abbatissis vero necnon Abbatibus, conventibus ac aliis monasteriorum utriusque sexus superioribus et personis quocumque nomine vocentur districte praecipimus sub eadem excommunicationis poena necnon privationis dignitatum, beneficiorum et officiorum suorum ac inhabilitatis ad illa et alia inposterum obtinenda, ne in monasteria, domos et loca sua quemquam praetextu hujusmodi licentiarum et facultatum ingredi faciant vel permittant.

§. 4. Quin etiam sub eisdem poenis ipso facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus et quibuscumque personis ecclesiasticis et saecularibus ac etiam ordinum quorumcumque etiam mendicantium regularibus, ne praetextu licentiarum ab Episcopis vel superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilii Trid. tribuitur, ne monasteria ipsa monialium pro libito sed necessitatibus urgentibus dumtaxat praesumant intrare.

§. 5. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum.

Die 13. Junii 1575.

*) Vd. *p 913.* §: *Huic rei*

Sequitur declaratio dictae constitutionis quoad Praelatos monialium.

Gregorius PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dubiis quae emergunt declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum, deinde in constitutione fel. rec. Pii Papae V. Praedecessoris nostri Nonis Julii atque item nostra Idibus Junii editis fuit provisum ne cui inposterum nisi in casibus necessariis septa monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia a nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quae alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suae voluntatis hujusmodi septa ingredi vel potius servare debeant ipsi quoque regulam a Concilio praescriptam.

§. 1. Nos omnem haesitationis materiam tollere et viam scandalis praecidere ac monialium quieti consulere volentes harum tenore auctoritate apostolica declaramus praelatos omnes tam saeculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis et a paucis iisque senioribus ac religiosis comitati. Quocirca universos et singulos episcopali seu majori ac etiam cardinalatus dignitate praeditos necnon quorumvis ordinum Abates, priores, ministros et alios quoscumque superiores regulares harum serie monemus ut facultate hujusmodi, qui eam habent, praeterquam in casibus ut praefertur necessariis neutiquam utantur.

§. 2. Quodsi contrafecerint eadem auctoritate apostolica statuimus atque decernimus qui pontificalis dignitatis fuerint eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu ecclesiae interdictos, pro secunda a munere pontificali et a Divinis suspensos ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares vero omni officio ac ministerio privatos excommunicationi similiter subjacere.

§. 3. Non obstantibus.

Datum Romae apud s. Petrum die 23. Decembris 1581.

(Bull. r. t. VIII. p. 113 et 115. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Clausura monasteriorum quorumcumque virorum regularium asseritur sublata quibuslibet dispensandi facultate.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regularis disciplinae observantiam ante etiam quam et generalium ac particularium alicujus nationis aut provinciae conciliorum decretis confirmaretur et romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum legibus sanctionibusque praescriberetur quoad vetitum mulieribus quibuscumque etiam consanguineis intra quorumcumque religiosorum virorum clausuram ingressum tam integerrime custoditam fuisse constat, ut nedum foeminis quibuscumque sed masculis quoque, non tam ad monasteriorum claustra seu septa, quam ad ipsa eorumdem monasteriorum oratoria et ecclesias nullus patuerit aditus et accessus; quinimmo sub gravissimis poenis fuerit interdictus, ne scilicet ut inquit s. Gregorius PP. I. Praedecessor noster in servorum Dei secessibns occasio praebeatur popularibus conventibus et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

§. 1. Hujusmodi autem regularis disciplinae observantia etsi pro temporum varietate ac necessitate tot tantasque subiit vices, ut iidem Praedecessores nostri aditum et accessum ad publicas monasteriorum ecclesias dumtaxat sive masculis sive foeminis ss. missae Sacrificium audiendi, praedicationibus verbi Dei interessendi et ss. Eucharistiam sumendi ac peccata sua confitendi causa, sine tamen parochorum praejudicio, interdum concesserint, vicissim tamen ipsi Praedecessores nostri tam ante Concilii Trid. decreta quam post eorumdem decretorum promulgationem denuntiationemque providis saluberrimisque legibus, sub poena etiam excommunicationis latae sententiae, foeminis quibuscumque aditum ingressumque hujusmodi intra monasteriorum clausuram interdixerunt.

Quoniam autem sicut dolentes accepimus alii quidem apostolicas leges ac praecepta hujusmodi vel ausu temerario parvipendentes vel ad eorum arbitrium interpretantes foeminis quibuscumque aditum ingressumque tam manifeste ac tanta solemnitate vetitum

permittunt, alii vero privilegia, indulta, praerogativas, facultates, licentias et alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive a jure sive ab homine factas et impertitas seu facta et impertita ac quorumcumque munerum, dignitatum ac praeeminentiarum ratione debitas seu debita arrogantes, praetendentes obtendentesque, foeminas quaslibet intra monasteriorum claustra, septa, coenacula, cubicula aliasque officinas aut admitti ac recipi sinunt mandantque aut una secum ducant, alii denique sub pietatis ac religionis praetextu, cum supplicationes sive cum ss. Sacramento sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque reliquiis, statuis et imaginibus, per claustra, septa et alia monasteriorum loca de more ut asserunt habentur, sine ullo prorsus discrimine masculis et foeminas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi et comitari licitum quinimo ut indulgentias lucrari valeant necessarium esse obtendunt,

§. 3. Hinc est, quod Nos qui dum in minoribus essemus quamplurimos hujusmodi abusus compertos habebamus in hac sublimi s. apostolatus specula constituti non tam assiduis nonnullorum aliarum ecclesiarum Antistitum documentis quam justis etiam superiorum aliorumque virorum ex religiosis ordinibus Dei honorem et instituti sui disciplinam zelantium expostulationibus de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus *auctoritate apostolica tenore praesentium primum quidem omnes et singulas constitutiones sanctionesque a romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris tam ante quam post Concilii Trid. decreta super clausura monasteriorum quorumvumque religiosorum virorum editas renovamus et confirmamus necnon inposterum ab omnibus et singulis ad quos spectat et in futurum spectabit sub iisdem poenis in constitutionibus sanctionibusque eorumdem Praedecessorum nostrorum romanorum Pontificum et decretis ejusdem Concilii Trid. contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus atque mandamus.*

§. 4. Deinde motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine earumdem praesentium tenore *omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia ac jurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sive singulis sive eorumdem Cardinalium congregationibus, etiam de latere Legatis, sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad carissimos in Christo filios nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum vel electum, Reges et Reginas illustres aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit, sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum Antistites, tamen tanquam apostolicae s. Sedis Legati de latere alias nuncupati et habiti sunt et fortasse habentur aut haberi et esse praetendunt et inposterum habendi sunt sive ordinarii sive extraordinarii nostri et ejusdem apostolicae Sedis ubicumque etiam ad ipsos Imperatorem et Reges ac summas potestates Nuntii sive Internuntii resident, ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris quacumque de causa, occasione, titulo, colore et praetextu, per quascumque apostolicas sive in simili forma brevis sive sub plumbo expeditas literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita sive factas, datas, concessas et impertitas super hujusmodi accessu et ingressu revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus necnon a datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata et irrita ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus et declaramus.*

§. 5. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus et declaramus, quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem ipso facto absque ulla alia declaratione poenas et ecclesiasticas censuras, a quibus praeterquam a Nobis et pro tempore existente romano Pontifice nisi in mortis articulo absolvi possit, incurrere et incursum esse licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi ac poenas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut

praemittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

§. 7. Non obstantibus etc.

§. 8. *Caeterum per praesentes non intendimus derogatum esse iis concessionibus, quae ad favorem quarumcumque nobilium foeminarum ex eo, quod sive earumdem majores ac pro tempore existentes de familia fuerint et habeantur fundatores vel insignes benefactores illius monasterii* *) intra cujus claustra vel septa foeminas etiam de familia ingredi vel concessum vel cautum esse sibi voluerunt et de concessione hujusmodi confirmationem ab apostolica Sede obtinuerunt, sive foeminae hujusmodi sint consanguineae et affines eorum, qui sunt domini in temporalibus locorum, in quibus monasteria sita reperiuntur, et quacumque legitima tituli vel consuetudinis causa et occasione ingressu hujusmodi de praesenti gaudent, factae et impertitae fuerunt; dummodo concessiones hujusmodi per apostolicas in simili forma brevis vel sub plumbo desuper expeditas literas dumtaxat et non aliter omnino factas et impertitas fuisse prius Ordinariis locorum Antistitibus vel praesulibus per legitima et authentica documenta constare fecerint, et *dummodo nec vagandi nec otiandi nec comedendi coenandique nec per ambulacra, cubicula, coenacula aliaque loca et officinas discurrendi causa, sed ad ecclesias accedendi, sacrosanctum missae sacrificium audiendi aliaque erga Deum pietatis officia et opera exercendi studio ingrediantur et dummodo de earum adventu et ingressu interdiu et opportune faciendo Superiores pro tempore existentes prius certiores fiant ad hoc ut absque fratrum incommodo et offensione recto tramite ad ecclesiam pergatur et alia de jure servanda serventur.*

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 3. Januarii 1742.

D. Cardinalis Passioneus.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 103. Ed. Romana.)

*) Vd. *p. 913. VII.*

Declaratio super regulari clausura pro modernis Abbatibus et monachis ss. Trinitatis Cavensis ordinis s. Benedicti nullius dioecesis provinciae Capuanae.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Cajetanus Battilo modernus Abbas et monachi monasterii ss. Trinitatis Cavensis ordinis s. Benedicti nullius dioecesis provinciae Capuanae, quod ad monasterium praedictum ejusque separatum territorium pertinet unum hospitium cum sua ecclesia sub invocatione b. Mariae V. de Obedientia nuncupatae situm in pertinentiis oppidi seu loci de Vietri Cavensis dioecesis atque proximum civitati Salernitanae: in hoc itaque hospitio tam pro tempore existens cellerarius ejusdem monasterii quam duo laici seu commissi continuo commorantur ac propterea Abbates et monachi dicti monasterii ad idem hospitium tamquam ad locum salubrioris coeli in dies se conferunt vel propter passas infirmitates aut etiam pro pertractandis negotiis ipsius monasterii et ut omnia quae ad ejus usum necessaria sunt illi valeant ibi comparare. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat aliquo abhinc tempore abusus irrepserit admittendi in memoratum hospitium nobiles mulieres eisque visum est habitationem plurium etiam dierum spatio suppeditandi, ita quidem ut plurimum evenire soleat quod earum habitationis causa tam Abbas quam monachi praedicti ab hospitio hujusmodi exire et illius commodo uti minime possint nec qualitati loci conveniens videatur, quod praedictae mulieres ab aliis etiam associatae ibidem reperiantur ac vivant, dicti exponentes, quo ejusmodi abusus deinceps tollatur et monachorum quieti consultum sit opportune in praemissis a Nobis ut infra indulgeri plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicare fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et hujusmodi supplicationibus inclinati praefatum hospitium regularem clausuram auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium declaramus atque mulieribus ingressum in eo sub poenis contra violantes clausuram per ss. canones et constitutiones apostolicas

impositis auctoritate et tenore praedictis interdicimus et prohibemus.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 28. Julii 1772.

(Bull. r. Contin. t. IV. p. 470. Ed. Romae.)

Ex constit. Ord. ffr. B. M. V. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.

Pius PP. VI.

De injusta clausurae violatione.

1. Quicumque fratrum absque legitima praelati venia a monasterio discesserit et extra illud evagatus fuerit, ut clausurae violator habendus est: ideo omnibus et singulis congregationis nostrae religiosis cujuscumque status aut conditionis sint facultatem concedimus, ut si quos invenerint hujus generis nequam viros in professione fratres eos apprehendere viciniorique Praesuli custodiendos tradere curent.

2. Deinde Praelatos omnes serio monemus et stricte ipsis praecipimus sub poena suspensionis ab officio, ut quoquo modo fieri poterit caute tamen et secreto ne scandalum oriatur et diffametur religio judicis etiam ecclesiastici et saecularis implorato auxilio si opus fuerit has sibi commendatas oves, gravissimo salutis aeternae periculo errantes, in proprium tutumque ovile reducere diligentissime curent. Eisdem Praelatis facultatem impertimur, ut statim ac in carcerem aut cellam ad id designatam religiosos fugitivos induxerint ab omni censura etiam priori generali reservata eos absolvere possint.

3. Ut autem occasio hujusmodi nefas perpetrandi omnino auferatur, curent maxime priores vel qui eorum vices gerunt per se vel per subpriorem clausuram singulis noctibus perlustrare ac omnes obstruere fores, per quas ad publicam viam aut ad domestica monasterii septa prodire quis possit clavesque tuto aliquo cellae suae adservare loco.

4. Demum ne aliquod praetermittamus medium ad apostasiam vitandam idoneum et pro comperto habeamus, nonnullos religiosos ideo execrandum hoc crimen patrare non erubescere, quia excutere volunt religionis jugum, quod sine amore, delectu et verae vocationis spiritu amplexi sunt, ac maximo cum taedio ac displicentia sustinent, omnibus et singulis, qui in hoc infelici versantur statu, denuntiamus, congregationem nostram minime eorum votis obstituram, si id conentur, ut a s. Sede apostolica veniam obtineant transeundi ad aliam religionem vel statum saecularem. Idcirco priori generali praecipimus, ut benigne eorum postulatus admittat, probationes et causas expendat et tandem definitorii generalis consensu ipsis permittat, quidquid a jure eisdem conceditur.

5. Ultimo invigilandum superest, ut regularis clausura non violetur per earum personarum ingressum, quibus semper inaccessa esse debet. Quare conventuum janitoribus valde commendamus eorum conscientias onerantes, ut maximam curam adhibeant, ne eorum negligentia foeminae cuicumque occasionem praebeant clausuram ingrediendi.

Nunquam ideirco a janua recedant, dum eadem patet aut claves minus tuto sunt loco sub poenis pro culpae modo infligendis.

6. Praeterea nunquam sinant mulieres ad ostium monasterii plus temporis immorari quam opus sit ut quid velint significent. Si vero aliqua foemina religiosum vocari petierit, ut cum illo sermonem habeat, illico superiorem certiorem faciant, ut quod aequum fuerit ipse decernat. Sed pro culparum expiandarum ratione vel similium ad ecclesiam attinentium, dum ipsius ostium patet illuc mittendae sunt et quid velint sacristae exponant; hicque, si opus fuerit, superiorem conscium reddat.

7. Sacristae pariter injungimus, ut dum ecclesiae ostium patet clathra vel repagula in medio ipsius sita clausa retineat nec aperiri sinat nisi quando vitari nequeat. Severe etenim punietur sacrista vel minister quivis si negligentia ejus mulier regularem clausuram intraverit.

8. In materia autem adeo gravi ut omnis qui irrepere potest tollatur abusus praecipimus in virtute Spiritus s., sanctae obedientiae ac sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis majoris latae sententiae omnibus et singulis ordinis nostri religiosis tam praelatis quam subditis cujuscumque conditionis sint, ut nullatenus per se vel per alium data opera, consilio aut consensu mulierem intromittant in clausuram aut intromittere sinant neque si ingressa fuerit se illi socios adjungant. Qui secus fecerit, ultra praedictam censuram poenasque addictas praeceptorum formalium trans-

gressoribus eas etiam luent, quae in pontificiis constitutionibus praescribuntur.

Die 17. Mart. 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 10. Ed. Romae.)

5) Monialium.

a) Absolutio a Violatione clausurae.

Vd. *Clausura Monial.* (Observ.; egressus etc.; violatio) *Poenitentiaria apost.* (Facult. etc. Constit. Bened. XIV.: *Pastor bonus etc.* §. 31—38); p. 912. VI.

b) Clavis Clausurae.

Vd. *infra: Clausura monial.* (scholas etc.); *p. 1223. n. 3. 5.*

Ex Constit. Monial. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Hispan.

Pius PP. VI.

De clausura et colloquiis habendis cum monialibus.

I. Servent nostrae moniales perpetuam clausuram juxta ss. canonum dispositionem: poterunt autem de licentia patris nostri generalis et definitorum aliisque de jure servatis egredi ad fundanda nova monasteria et de hujusmodi licentia poterunt deinde ad prima sua monasteria redire.

II. Cum nequeant moniales juxta sanctiones Concilii Trid. motusque proprios summorum Pontificum praesertim fel. rec. Pii PP. V. e clausura egredi stricte prohibemus sub poenis et censuris in supradictis decretis et constitutionibus apostolicis contentis et expressis, ne ulla monialis egredi possit e clausura ob quamcumque causam, etiamsi agatur de ingressu ad ecclesiam pro illius altaribus exornandis*) et de exitu ad vestibulum pro claudenda illius janua: ideoque habeant sacristam, qui earum mereatur fiduciam, necnon mandatariam famulam virtute et honestate praeditam et uterque moretur extra vestibulum et atrium monasterii claudatque ejus et ecclesiae januas competentibus munitas seris.

III. Claves januarum monasterii et cratium seu cancellorum chori et loquutorii uti etiam clavicula loci sacrae synaxi administrandae designati sint semper penes matrem priorissam. Cumque ingredi debebunt clausuram confessarius, medicus aut chirurgus vel aliae personae, quae in casibus necessitatis et inevitabilibus ingredi possunt, juxta hasce constitutiones, hos semper comitentur duae moniales tamquam auscultatrices constitutae nec ab illis recedant usquedum egrediantur. Cumque aliquis monasterium ingredietur tintinabulo signum detur ad hoc, ut moniales intelligant adesse intus in monasterio aliquam extraneam personam et se in cellulas restituant. Duae erunt claves claustri januae, totidem serae diversimode elaboratae, quarum una a matre priorissa et altera ab ostiaria custodiatur et quoties contigerit aperiri, duae moniales aperiant, unaquaeque cum sua clavi et simili modo claudant, quin una clavem alteri tradat: et illa, quae secum trahet clavem matris priorissae (si in aliquo casu eam tradiderit) propria manu hujusmodi clavem priorissae continuo reddat. Omnes vero claves clausurae singulis noctibus ad matrem priorissam afferantur praeterquam una ex duabus clavibus portae monasterii, quam retinere debet penes se rotae assidens ministra, et auscultatrices remanentibus extraneis in monasterio nullimode recedere ab illis poterunt itaut possint invicem intueri, sub poena privationis vel per mensem et privationis ab officio, quoad praelatam etiam per mensem, dummodo pater provincialis non judicet adaugendam vel diminuendam poenam esse pro culpa. Si vero ut hoc perfectius observetur necesse esset, unam vel duas alias auscultatrices a matre priorissa designari ad hujusmodi accessionem omnino deveniat.

Die 12. Maji 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 608. Ed. Romae.)

Ex Audientia SSmi 28. Septembris 1804.

Sanctitas Sua attenta relatione Archiepiscopi Viterbien. ex speciali gratia benigne annuit et propterea eidem committi mandavit, ut veris existentibus narratis et accedente consensu monialium monasteriorum ss. Simonis et Judae et s. Rosae per secreta suffragia praestando petitam facultatem concedat aperiendi ostium sufficiens in opportuno loco muri divisorii monasterii s. Catharinae et alterius ss. Simonis et Judae tribus clavibus diversis obserandum, quarum una ex parte monasterii s. Catharinae statuatur et apud hujus Abbatissam caute et diligenter asservetur. Ex duabus autem ex alia parte

*) Vd *p. 1228. III.*

statuendis una apud Abbatissam monasterii ss. Simonis et Judae pariter custodiatur, alia vero semper remaneat apud eumdem Archiepiscopum qui duobus per singulos annos diebus ab ipso de consensu superiorissarum monasteriorum s. Rosae, ss. Simonis et Judae et s. Catharinae praefiniendis vel per seipsum vel per suum Vicarium generalem seu alium gravem virum ecclesiasticum tam ingressui quam egressui monialium aliarumque in monasterio conviventium assistere debeat; sed nec illis monialibus quae remanebunt colloquium ullum sit cum extraneis et claves omnes quae ad clausurae custodiam pertinent penes apud ejusdem monasterii Abbatissam remaneant. Ingredientes monasterium s. Rosae nullius generis munera ne quidem esculenta aut poculenta in illud afferant neque a degentibus in monasterio s. Rosae quidquam hujusmodi accipiant, ac dum in eo versantur nihil omnino edere aut bibere valeant. Atque ita perpetuo mandavi servari. Pro accessu monialium s. Rosae ac ss. Simonis et Judae ad monasterium s. Catharinae Sanctitas Sua rejecit instantiam.

Romae etc.

c) Egressus causae.

Vd. *Clausura Monachor. a* p. 1209; *Clausura monial.* (Ingressus Episcopi §: *F. Felicianus.*)

I. Aeris insalubritas et recreatio.

Pius PP. VI.

Licentia monialibus monasterii s. Simeonis della Martorana nuncupati civitatis Panormitanae egrediendi quatuor vicibus singulis annis e clausura dicti monasterii.

Venerabili fratri

Archiepiscopo Panormitano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa seu priorissa et moniales monasterii s. Simeonis nuncupati della Martorana ordinis s. Benedicti civitatis Panormitanae quod cum ipsius civitatis aer gravis per se ipsum sit et humanis corporibus insalubris, praesertim quibus non est liberum motu et ambulatione sese exercere, dictum vero monasterium in ea civitatis parte situm sit, quod prae reliquis est magis sanitati noxium, unde ipsae exponentes adversa identidem utuntur valetudine; ipsae ad avertenda hujusmodi incommoda ac ut benevalentes divinis obsequiis impensius vacare possint, aliquoties infra annum ab ipsius monasterii clausura egredi posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes speciali gratia et favore prosequi volentes et supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus dicti monasterii monialibus pro gratia nempe quatuor vicibus singulis annis tempore veris pro duabus diebus et aliis duabus tempore autumni praevia tamen tua singulis vicibus licentia auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia indulgeas, ita tamen, ut accessu et recessu in curru incedant siue comitatu quam personarum quotidiano servitio monasterii addictarum et Vicarii in spiritualibus generalis vel alterius probi et prudentis sacerdotis a te destinandi et praeter ecclesiarum visitationem et moram in allocutoriis aliorum monasteriorum non divertant nec accedant ad alias particulares domos etiam nobilium ipsarum monialium consanguineorum, a virorum frequentia se abstineant, publicis spectaculis non intersint, sed etiam servent modestiam, quae Deo sacratas virgines decet, et cum aliis cauthelis per te juxta opportunitatem praescribendis et ante solis occasum ad proprium monasterium revertantur sub poenis contra violantes clausuram impositis in casu contraventionis omnino incurrendis.

Die 26. Sept. 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 223. Ed. Romae.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Cephaludensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa et moniales istius monasterii s. Catharinae ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis Praedecessorem Nostrum fel. rec. Pium VI. ad evertendos morbos, quibus ob loci angustias aeremque crassum et concretum quem ducunt vexarentur, sibi per literas apostolicas in forma Brevis die 4. Augusti 1797 permisisse, ut quater anno e suis septis sui relaxandi causa

egrederentur: quod cum salutare sibi admodum senserint medicique affirment, praestare omnino, ut crebrius ejusmodi solatio et remedio se recreent ac substentent ad Nostram idcirco benignitatem et clementiam confugere.

Nos igitur ipsas specialioribus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut sub iisdem plane legibus, conditionibus et cautelis in commemoratis Decessoris Nostri literis*) commendatis et praeceptis licentiam ubi vera quidem narrata compereris iisdem Abbatissae et monialibus modernis ac pro tempore existentibus, tum novitiis, educandis puellis et ceteris, quae in ipso monasterio degant, inde exeundi ad quatuor alios anni dies, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, proferas.

Datum Romae die 15. Julii 1800.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 32.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Panormitano.

Nuper exponi Nobis fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa et moniales monasterii dicti de Gratia ordinis s. Francisci civitatis Panormitanae quod ipsae ob rationes et causas jam alias Sedi huic apostolicae expositas bis ab eadem favorabile impetrarent indultum cujus vigore ad quinquennium possent quater in anno e sui monasterii claustris egredi et aliquo aeris ac levaminis beneficio frui. Quoniam vero causae et rationes, quarum intuitu praedictum indultum fuit ipsis concessum, adhuc vigent ac permanent ideo indultum hujusmodi per Nos sibi ampliari atque perpetuari summopere cupiunt eo vel magis, quod istic non desunt moniales aliorum monasteriorum, quae simili gaudent indulto perpetuo. Hinc Nobis humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et constito tibi de narratis monialibus monasterii praedicti nunc et pro tempore existentibus memoratum indultum egrediendi quatuor tantum vicibus in quolibet anno ac firmis semper manentibus clausulis et conditionibus omnibus in primo indulto injunctis atque expressis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis in perpetuum amplies atque extendas.

Datum Romae die 15. Nov. 1805.

(Bull. r. Continuat. t. XII. p. 391.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Ep. Cephaludensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa seu priorissa ac moniales istius monasterii s. Catharinae ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis, quod cum monasterium praedictum valde angustum atque altis aedificiis circum clausum sit, ipsae pluribus morbis afficiuntur ac praesertim illarum plurimae lenta tabe perimuntur, quod cum physici aëris crassi et gravis quo illae utuntur vitio vertant, adeo ut adhuc in vivis agente Praedecessore tuo semel ac iterum ab eo emigraverint, ut hinc aliquod remedium ejusmodi incommodo adhibeatur, e monasterio praedicto pluries in anno egredi posse per Nos sibi concedi summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus ut quatenus vera sint narrata ipsis modernis et pro tempore existentibus Abbatissae seu priorissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in ejusmodi monasterio degentibus, ut quater in anno in die ab Abbatissa seu priorissa ejusdem monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designando, ab ortu usque ad occasum solis a dicto monasterio egredi et aliquas ecclesias extra istam civitatem Cephaludensem erectas adire ac visitare possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Verum, ut haec omnia rite et ordine et juxta cor Nostrum fiant, eidem fraternitati tuae districte mandamus, ut facultatem et licentiam praedictam non aliter exercere sinas quam ut infra praescribimus, nempe ut die per Abbatissam seu priorissam praedictam,

*) *Sunt item p. 1226.*

ut praefertur, designanda et a te prius approbanda, nonnisi post ortum solis a dicto monasterio ab ordinario confessario et a duobus illius deputatis quatenus illi existant associatae egredientur et recto tramite ad constitutas ecclesias extra civitatem, nisi aliquod monasterium clausurae ejusdem civitatis obtenta prius a te licentia ad praemissum effectum minime deneganda ingrediantur, modeste ac velum etiam ante faciem dimissum deferentes petant, refectionem vero corporalem in aliquo commodiori loco vel extra vel intra portas dictae civitatis sumere possint, ita tamen ut curata per ministros dicti monasterii aut alios quoscumque refectione seu prandio hujusmodi statim hi e loco assignato exeant et clausis januis villae seu domus in quo ipsae moniales aliaeque personae praedictae fuerint et clavi per confessarium caute servanda in villa seu domo praedicta, nullus omnino masculus neque ipse confessarius aut deputati minusque agricolae aut domus vel villae custos neque foeminae quaecunque etiam servitio dicti monasterii adscriptae illique inservientes cujusvis status, gradus, conditionis ac dignitatis necnon monialium et educandarum ac conversarum consanguineae existentes, sub excommunicationis latae sententiae ipso facto etiam per Abbatissam seu priorissam ac moniales et alias praedictas, si ad id aliquo modo et pacto consenserint, incurrenda ac privationis praesentis gratiae remaneant, in eadem villa aut domo, sic ut praefertur clausa, commorari, comedere aliaque religiosae relaxationis agere possint, dummodo hora competenti et ante occasum solis intra dicti monasterii clausuram reperiantur. Postquam autem omnia ut praefertur praescripta et ordinata ac alia pro arbitrio et prudentia tua praescribenda et ordinanda probaveris pro prima vice rite, pie ac sine religiosae regularis disciplinae detrimento et sine populi offensione processisse, ita inposterum servanda cures atque praecipias.

Datum Romae die 4. Aug. 1797.

(Bull. r. Continuatio t. X. p. 113.)

II. Ecclesiae externae visitatio.

Vd. p. 1239. n. 2.

Pius PP. VI.

V. Fr. Ep. Reatino.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa ac moniales monasterii s. Luciae ordinis s. Francisci istius civitatis Nostrae Reatinae, quod alias ac novissime per organum Congregationis VV. Fr. N. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcop. et Reg. praepositorum a Nobis obtinuerunt ad triennium, ut pro spirituali illarum consolatione e monasterio praefato ad visitanda quaedam sanctuaria extra moenia ejusdem civitatis sita bis in anno egredi possent. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat indultum praedictum ad triennium ut praefertur prorogari obtinuerint atque ex indulto hujusmodi nullum unquam incommodum ac scandalum exortum sit, ut illud perpetuis futuris temporibus confirmari, immo ut si ex aliqua intercedente causa uti minime velint, ut pro sanctuariis praedictis ad aliquas ecclesias intra moenia ejusdem civitatis sitas visitandas pariter bis in anno egredi possint, per Nos eis concedi summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus ut quatenus vera sint narrata ipsis modernis et pro tempore existentibus Abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in dicto monasterio degentibus, ut bis in anno in diebus ab Abbatissa dicti monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designandis ab ortu usque ad occasum solis e dicto monasterio egredi atque ad sanctuaria praedicta extra moenia istius civitatis Nostrae Reatinae adire ac visitare possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas, quod si interdum aliquas ecclesias intra moenia dictae civitatis sitas et a te pro tuo arbitrio et prudentia eligendas pro sanctuariis praedictis visitare maluerint, id pariter Abbatissae ac monialibus caeterisque personis praedictis auctoritate Nostra apostolica indulgendi, dummodo tamen bis tantum in singulos annos hoc indulto utantur, plenam et amplam facultatem tribuimus et impertimur.

Reliqua ut in supra scripto decreto.

Datum Romae die 3. Oct. 1797.

(Bull. r. Cont. t. X. p. 120.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa et moniales Conceptionis b. Mariae V. immaculatae in Campo Martio de Urbe ordinis s. Benedicti, quod, cum alias in ecclesia dicti monasterii sacrum ut pie creditur corpus s. Gregorii Episcopi Nazianzeni per plura saecula asservatum ab omnibus utriusque sexus christifidelibus veneraretur ac postmodum de hujus s. Sedis licentia ad basilicam Principis Apostorum de eadem Urbe translatum inibi custodiretur, fel. rec. Benedictus PP. XIV. Praedecessor Noster precibus earumdem Abbatissae et monialium humiliter sibi porrectis intentus, ut religioni non solum qua erga easdem sacras exuvias tenebantur facerent satis verum etiam ut 7 praescriptas dictae Urbis ecclesias visitare possent, tunc suo ac pro tempore existenti in alma Urbe Vicario in spiritualibus generali commisit, ut sub certa tunc expressa forma et modo pro tempore existentibus Abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in eodem monasterio degentibus, ut a I. vesperis unius diei infra octo dies post festum ejusdem s. Episcopi sive alterius diei pro opportunitate ab Abbatissa pro tempore existenti designanda e suo monasterio egredi et ad dictam basilicam ire ac subinde die immediate sequenti ab ortu usque ad occasum solis diei hujusmodi reliquas dictae Urbis ecclesias pro visitatione septem ecclesiarum praescriptas adire et visitare possent, auctoritate apostolica indulgeret, prout in ejusdem Benedicti Praedecessoris hisce desuper die 30. Augusti 1756 expeditis literis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictae exponentes licentiam egrediendi bis in anno e dicto monasterio ut praefertur a memorato Benedicto Praedecessore concessam per Nos ampliari summopere desiderent Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et supplicationibus inclinati circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ipsis modernis et pro tempore existentibus Abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in ejusmodi monasterio degentibus licentiam bis in anno egrediendi e dicto monasterio ut praefertur a memorato Benedicto Praedecessore concessam ad aliam vicem pariter in anno in die mensis Octobris pro opportunitate ab eadem Abbatissa designanda servata tamen in reliquis earumdem Benedicti Praedecessoris literarum forma et dispositione auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Datum Romae die 2. Oct. 1795.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 575.)

III. Ecclesiae externae decoratio.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa et moniales monasterii ordinis Cisterciensis de Arouca nuncupati istius Portugallensis dioecesis, quod ipsae exteriorem suam ecclesiam in aliquos anni dies ad ornandum altare ubi exuviae s. Maphaldae suae fundatricis et reformatricis illudque visitandum necnon eamdem ecclesiam perpoliendam occasione festivitatis s. Bernardi fundatoris ac in duos dies feriam quintam majoris hebdomadae praecedentes ad paranda ea quae pro sacra illius diei functione sunt necessaria ingredi posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem modernis et pro tempore existentibus monialibus aliisque puellis in eodem monasterio degentibus in dies primae et secundae Maji, 19. mensis Augusti ac in duos dies praecedentes feriam quintam majoris hebdomadae pro adornando instruendoque sepulchro Domini Nostri Jesu Christi ecclesiam praefatam *omnibus viris ac mulieribus exclusis* claustrique exterioribus januis et iis tantum ministris ad praemissorum effectum dumtaxat necessariis remanentibus ingredi et egredi possint, pro tuo arbitrio ac conscientia auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Datum Romae die 6. Maji 1794.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 365.)

IV. Propter directorium super aliud monasterium.

Vd. p. 1235. VIII.

Religioni et reipublicae maxime interest juventutem praesertim muliebrem moralibus civilibusque disciplinis juxta earumdem exigentiam erudire. Quod in pontificia sua ditione SSmus in Christo Pater Pius VII. per constitutas singulis etiam exiguis in oppidis pias puellarum domus est assequutus, id commune esse toto orbi studium summopere exoptat. Petitio ergo D. V. qua moniali Walburgae Tischer detur potestas ex monasterio s. Ursulae Herbipoli ad munus officiumque superiorissae sive directricis in pia domo quam audiunt virginum angelicarum Aschaffenburgi deputari benigne a Sanctitate Sua fuit excepta in audientia diei currentis Julii, qui commisit s. Congregationi EE. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcop. et Reg. praepositae, ut id cum debitis cautelis perficeretur. Cautum semper et in usu fuit s. Congregationi hujusmodi in concessionibus, ut monialis ultro libenterque suae electioni assentiatur eique praeservetur libera facultas ad suum monasterium redeundi postquam suo muneri functa fuerit, cum potestate suam moram prorogandi etiam naturali ejus vita durante quod ante transitum consensus monialium illius monasterii a quo egreditur intercedat et quod monialis discedens a suo monasterio comitata saltem ab honesta matrona et recta via monasterium vel piam domum petat ad quam fuit deputata. Haec omnia consequi prudenti D. V. arbitrio remittitur, qui perpensis loci ac temporis circumstantiis quid in Domino magis expedire conveniat judicabit et interim omnia fausta a Deo adprecamur.

Romae die 7. Septembris 1822.

V. Inquies capitis.

In monasterio s. Andreae Cracoviae monialium ordinis s. Francisci conventualium binas adesse sorores professas nomine Rottmann natura turbulentissimas nunciatum est S. C. negotiis et consultationibus Episcop. et Reg. praepositae easque utpote malis moribus imbutas pacem monasterii deturbare, quin vel monitis vel poenis potuerint hactenus ad meliorem frugem revocari. Quaesitum est an eaedem sorores de Rothmann debeant e monasterio expelli ne sint aliis offendiculo et earum exemplo reliquae moniales a religiosa ordinis observantia revocentur. Cum talis ejectio utpote nova ansam monialibus inquietis et vitam claustralem aversantibus praebere possit sicque ex delicto commodum reportarent cumque praxis hucusque non recepit monialem expelli, tamquam incorrigibilem*) et aliunde juxta plures declarationes et decreta s. C. reprobetur et prohibeatur, idcirco eadem s. C. committit Dominationi Vestrae, ut juris ordine servato adhibitisque opportunis juris et facti remediis prius mandet, nomine ejusdem S. C. acriter moneri praefatas moniales ut resipiscant et religiose vivant. Quod si huic non paruerint monitioni et adeo graves sint excessus, ut nequeant sine magno monialium offendiculo et perturbatione contineri, condito prius contra dictas moniales judiciali vel etiam extrajudiciali processu suam Dominatio Vestra proferat sententiam, qua mandet in geminis cellulis inter se (plus quam fieri poterit) separatis et in remotiori monasterii parte positis recludi ac in eis cum modico sed tamen sufficienti victu retineri loco carceris, facta tamen eisdem appellandi potestate in devolutivo**) tantum juxta constitutionem Urbani VIII. *Cum alias* 27. Aprilis 1643.

Romae 6. Junii 1815.

Perlectis in s. Congregatione literis Amplitudinis Tuae datis 7. Aprilis proximi quibus Emos Patres consulebat utrum contra Augustinam Zlepic monialem professam in isto visitationis B. V. monasterio sub instituto Salesiano militante continua sui inquieti capitis duritie, irreligiosis moribus ac frequentibus scandalis totam communitatem perturbante juxta suas ordinarias facultates ad normam dicti instituti debeat ad illius et aliarum imposterum monialium dum occasio evenerit judicialem a monasterio dimissionem procedere, iidem Emi Patres Amplitudinis Tuae postulato respondentes censuerunt eamdem debere potius moniales refractarias intra claustra juris remediis ad religiose vivendum coercere quam foras ejicere ne ubi talis dimissio in ista dioecesi nondum fuerit practicata nunc pro prima vice introducatur. Talis est ipsius s. Congregationis sensus, quem Amplitudini Tuae patefacimus eique divinorum charismatum incrementa precamur.

Romae Junii 1726.

*) Vd. *p. 928. V.*

**) Vd. *t. I. p. 619. I.*

Perillustris ac Rme Domine uti frater.

Relatis SS. Dno ab infrascripto Prosecretario S. C. EE. et RR. Amplitudinis Tuae literis sub datam diei 26. Feb. 1815 quibus significasti sororem Benturam Gironella monialem in monasterio s. Hieronymi istius civitatis non vi et minis parentum ut ipsa in adnexo supplici libello exposuit sed libera voluntate professionem emisisse et post nonnullos professionis annos adeo a regulari instituto defecisse ut cum homine quodam statui et nativitati suae valde dispari suspectam contraxisse familiaritatem quin pro hujusmodi excessu ullam poenam subierit.

Exposuisti propterea, quod assumptus ad regimen ecclesiae Barchinonensis tamquam bonus pastor exhortationibus, suasionibus et minis etiam errantem ovem ad aeternae salutis viam reducere conasti et licet praefata monialis delicta sua detexerit et emendationem promiserit, promissis tamen non stetit et tamquam canis ad vomitum ad immoderatam ut erat assueta cum saecularibus consuetudinem rediit. Hinc ad pacem et tranquillitatem caeteris monialibus reddendam proposuisti quod religiosae Benturae saecularizationis indulto donare sed Amplitudini Tuae scribendum ut ejus resipiscentiam et reditum ad bonam frugem procurare valeas adhibitis poenis a ss. canonibus contra inobedientes ecclesiae legibus statutis.

Qua de re voluit, quod assignato eidem moniali per Amplitudinem Tuam speciali directore doctrina, probitate et experientia referto cogat ipsam sub istius directoris regimine ad peragenda exercitia spiritualia saltem per 20 dies; singulis feriis sextis exercitiorum tempore occurrentibus facias illam in pane et aqua jejunare et accessum ad locutorium prohibeas, quae poena non loquendi cum saecularibus utriusque sexus ad tempus tibi benevisum protrahas.

Si post haec nulla resipiscentiae signa dederit aut simulata emendatione ad pristinos excessus redierit tunc usum velaminis sacrae professionis inhibeas et ad officia et classem monialium conversarum reducas.

Verum si dicta monialis, quod Deus avertat, in sua insordescentia perseveret, mandat Sanctitas Sua quod illam in carcere recludas et de antiquis et novis patratis excessibus ac de mediis adhibitis pro ipsius curanda resipiscentia s. Congregationem instructam reddas, ut juxta canonicas sanctiones tamquam incorrigibilis ad aliquam correctionis domum transferri possit. Dum haec de mandato SSmi Amplitudini Tuae significo, fausta omnia ex corde a Deo deprecor.

Romae 29. Julii 1815.

Datis literis sub die 13. Aprilis 1821 ad Episcopum praedecessorem, qui ut claustrali tranquillitate ac observantia consuleret monasterii nuncupat. de Conceptione Victoria istius civitatis instabat pro facultate indulgendi moniali Theresiae Clua solemnis professionis oblitae moram in saeculo quoad vixisset, s. Congregatio edidit decretum ad triennium tantum nonnullis adjectis salutaribus cautelis ad excitandam monialis ipsius resipiscentiam et una simul quid gerendum praescripsit, nisi ad bonam frugem rediisset. Novissime Emi Patres cum acceperint ab Amplitudine Tua religiosam minime sollicitam reddendi Altissimo vota sua non fuisse ad proprium officium reversam, sed, quod magis dolendum est, in deteriora prolapsam, decretum confirmarunt supradicti anni et rescripserunt: *serventur ordines dati*, in quibus et insordescentiam in mala voluntate comprehenderunt. Quae cum ita sint, habet quid operentur Amplitudo Tua. In religiosam animadvertet nec cunctabit per curiam episcopalem acta instrui juridica forma juxta canonicas sanctiones et procedet etiam ad ipsius reclusionem in domo correctionis servatis singulis prout sanctimonialem decet servandis. Haec perficere curabit. Et omnia fausta ex corde precamur etc.

Romae 5. Julii 1825.

VI. Propter juramentum ab Abbatissa Domino saeculari praestandum.

Abbatissa propter juramentum fidelitatis praestandum Domino saeculari causa feudi sui monasterii potest licite exire, si tale juramentum per procuratorem praestare nequeat et tunc potest secum ducere honestam societatem dummodo accedat licentia Superioris et statim praestito juramento revertatur ut colligitur *ex c. 1. §. Verum, de stat. Reg. in 6.* et tenet *Tambur. de jure Abbatiss. disp. 20. q. 2. n. 5., Sanchez* et multi *cum Barbosa de jur. ecclesiast. l. 1. c. 44. n. 79.* Secus tamen post bullam s. Pii V. incipien.: *Decori.* *)

*) Vd. *Clausura monial.* (egressus poenae p. 1234.)

VII. Morbus.

Vd. p. 1225. I; p. 1238. X.

Bme Pater.

Theresia N. religiosa professa coenobii societatis b. Mariae seu puellarum educationis civitatis et dioecesis Illerden in Cataloniae principatu ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provoluta exponit quod quadraginta abhinc annis solemnem emisit professionem in praefato monasterio *de la Eusenanza* impulsa magis particularium familiae circumstantia quam vera perfectaque vocatione. Hinc dum in praedicto conventu vixit potius spiritus anxietatem et conscientiae angorem experta est quam animi quietem et tranquillitatem: ideoque et sibi gravis et sororibus molesta perseveravit usque demum vi civilium legum a monasterio egressa animae suae tranquillitatem est consecuta. Igitur infrascripta monialis saluti animae et corporis exoptans consulere evadendo infirmitates, quibus in monasterio perpessa est, unacum rixis aliisque calamitatibus, quae ex vita communi solet exoriri ubi vera fraternitas deest, a Beatitudine Vestra humiliter expostulat perpetuae saecularizationis indultum, quo sibi indulgeatur, ut dum vixerit possit licite in saeculo permanere dispensatis votis in quantum cum vita saeculari conformia non sint. Interim Bme Pater pro gratia et pro felici ecclesiae statu D. O. M. humiliter deprecatur.

Die 1. Aprilis 1841.

Ex audientia diei 2. Aprilis 1841 habita a subsecretario SSmus annuit arbitrio legitimi Ordinarii praevia etiam per subdelegandum quatenus opus sit absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis ob egressum e claustro pro petita facultate manendi in saeculo in habitu decenti, durantibus legitimis causis, super quarum existentia Ordinarii conscientia onerata remaneat, firmo voto castitatis et servatis etc.

Ex adnexis precibus percipiet Amplitudo Tua quid pro parte monialis sororis Ceciliae Brun expositum fuit SSmo D. Nostro Papae Pio VI. Cum autem Sanctitas Sua has preces ad s. Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam remiserit, Emi Patres apprime scientes apostolicum zelum quo Sanctitas Sua tenax ecclesiasticae disciplinae abhorret a permittendis egressibus monialium sine gravissima et urgenti causa, ne leges violentur clausurae rigidissime a sacris canonibus praescriptae et praesertim a s. Concilio Trid. *sess. 25. cap. 5. de regul. et monial.* et a constitutione *Decori et honestati* s. Pii V.*) aliisque pontificiis constitutionibus: has literas ad Amplitudinem Tuam mitti mandarunt, ut postquam audierit moniales istius monasterii s. Joseph s. Congregationem super expositis distincte reddat instructam, signanter an oratrix iis laboret moribus a quibus nullo pacto convalescere possit in clausura et probabilis adsit spes recuperandae valetudinis extra claustrum quod nedum testimonio medicorum sed aliis etiam indubiis probationibus certum esse debuerit Amplitudini Tuae, cujus de hac re conscientia oneratur; sic igitur exequi curabit Amplitudo Tua animi sui sententiam simul aperiendo eique omnia fausta ex corde precamur a Domino.

Romae 28. Novembris 1777.

Ex audientia SSmi die 7. Januarii 1778.

Sanctitas Sua attenta relatione Episcopi Caballicen. benigne annuit et propterea mandavit committi eidem Episcopo ut veris existentibus narratis et constito sibi de assertis oratricis infirmitatibus, quibus intra claustra consuli nequeat et accedente consensu monialium capitulariter et per secreta suffragia praestando petitam facultatem se transferendi apud avunculum matris suae fratrem in civitate Parisiensi ad annum tantum, ad quem effectum ipse Episcopus se intelligat cum Archiepiscopo Parisien., pro suo arbitrio et conscientia impertiatur, ita tamen ut cum associatione et assistentia suorum consanguineorum vel affinium aut alicujus honestae matronae aliisque debitis cum cauthelis semper incedat, in domo et alibi vitam religiosam et a virorum frequentia remotam ducat, prout Deo sacratas virgines decet servatis in reliquis omnibus praescriptis per ss. canones, s. Concilium Trid. et apostolicas constitutiones circa hujusmodi sanctimonialium egressus sub poenis etc. Interim vero idem Episcopus provideat decenti praedictae oratricis custodiae durante ejus mora extra claustra, onerata illius conscientia pro revocatione oratricis ad clausuram quatenus eam abuti cognoverit praesenti indulto vel non servare omnes illius conditiones.

Romae etc.

*) Vd. *p. 1234.*

Soror Angelica Casimira a corona Jesu religiosa professa in monasterio s. Annae e villa de Vianna archiepiscopatus Brachanen. humiliter exponit S. V. se variis esse affectam valetudinis incommodis quibus intra clausuram absque melioramento plura adhibita sunt remedia, ideoque medicorum consilio opus est, e clausura egrediatur, ut alia sibi praesto sint remedia, quae in eadem clausura fieri nequeunt, sicuti ex adjunctis documentis ostenditur. Oratrix aetatem habet annorum 60, officium Abbatissae in eodem monasterio sustinuit exemplarique vita et moribus commendatur, ut patet ex adnexa fide. Postulat igitur S. V. facultatem exeundi e monasterio et extra illud manendi quousque suae valetudinis incommoda perduraverint.

De clausura et numero monialium cujuscumque ordinis et poenis earumdem absque licentia superiorum (ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae vel epidemiae tantummodo eis concedenda) e monasteriis egredientium concomitantiumque et receptantium ac superiorum aliter eis licentiam concedentium necnon de eleemosynis pro ipsarum monialium subventione colligendis. *)

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circa pastoralis officii Nobis meritis licet imparibus desuper commissi curam quantum Nobis ex alto permittitur invigilantes assidue ad ea, per quae singulis erroribus et excessibus obviatur ac personis quibuslibet praesertim foeminei sexus virginitatem suam Altissimo voventibus sub religionis jugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita justitiae et honestatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam et divinam merito possint offendere majestatem, opportune succurritur, libenter intendimus ac in his nostrae vigilantiae partes propensius impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus.

§. 1. Hac igitur perpetuo valitura constitutione inhaerentes etiam constitutioni fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Praedecessoris nostri quae incipit: *Periculoso* et decretis Concilii Trid. super clausura monialium editis auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus atque perpetuo decernimus universas et singulas moniales, praesentes atque futuras, cujuscumque religionis, ordinis vel militiarum etiam Hierosolymitani sint quae vel jam receptae sint vel inposterum in quibusvis monasteriis sive domibus recipientur et tacite vel expresse religionem professae, etiamsi conversae aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis vel fundationibus earum regulae ad clausuram non teneantur nec unquam in earum monasteriis seu domibus, etiam ab immemorabili tempore, ea servata non fuerit, sub perpetua in suis monasteriis seu domibus debere de cetero permanere clausura, juxta formam dictae constitutionis fel. rec. Bonifacii PP. VIII. a s. Concilio Trid. approbatam et innovamus in omnibus et per omnia ac illam districte observari mandamus.

§. 2. Quodsi aliquae moniales forsan reperiantur, quae consuetudine etiam immemorabili aut instituto vel fundatione regulae suae fretae animo obstinato huic clausurae resistant aut quoquomodo reluctentur, Ordinarii, unacum superioribus earum, omnibus juris et facti remediis compellant easdem tamquam rebelles et incorrigibiles ad praecise subeundam dictam clausuram perpetuo observandam.

§. 3. Mulieres quoque quae tertiariae seu de poenitentia dicuntur cujuscumque fuerint ordinis in congregatione viventes si et ipsae professae, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram praecise ut praemittitur et ipsae teneantur; quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii, unacum superioribus earum, hortentur et persuadere studeant ut illud emittant et profiteantur ac post emissionem et professionem eidem clausurae se subjiciant, quodsi recusaverint et aliquae ex eis inventae fuerint scandalose vivere severissime puniantur.

§. 4. Ceteris autem omnibus sic absque emissione professionis et clausura vivere omnino volentibus interdicimus et perpetuo prohibemus ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem congregationemque recipiant. Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus ac illarum

*) Vd. *Clausura monial.* (egressus causae — *quaestuatio* p. 1235.)

quaslibet professiones et receptiones irritas facimus et annullamus.

§. 5. Porro ne moniales vel tertiariae praedictae propter hanc clausuram detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur sed ut eis opportune consulatur auctoritate apostolica praefata statuimus atque mandamus Ordinariis et superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemosynas per conversas quae non sint professae, vel si professae fuerint sint tamen aetatis annorum quadraginta et in domibus contiguis, extra tamen monasterium degant et non ingrediantur clausuram aliarum monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis et de earum domibus exire non possint pro hujusmodi eleemosynis colligendis nisi de licentia Ordinarii vel earum superiorum.

§. 6. Et decreto nullae aliae conversae professae recipi amplius etiam de consensu suorum superiorum vel praelatorum possint; quodsi adversus hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita et inanis sit prout ex nunc nullam et irritam facimus et annullamus.

§. 7. Quodsi praedicto modo necessitatibus monialium et mulierum tertiariarum praedictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis et superioribus earum ut ipsi provideant de aliis personis piis et Deo devotis quae fidelium eleemosynas colligant vel alias eo meliori et commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium et mulierum praedictarum, arbitrio Ordinariorum et superiorum earumdem et prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur et succurratur. Et ne propter monialium numerum excessivum clausurae observatio violetur, inhaerentes etiam similiter dispositioni dictae constitutionis Bonifacii et Concilii Trid. decreto monialibus praedictis et illarum superioribus et Ordinariis districte inhibendo praecipimus et mandamus ne plures in earum monasteriis recipiant et admittant sive recipi et admitti permittant quam ex propriis redditibus ipsorum monasteriorum vel consuetis eleemosynis commode substentari possint.

§. 8. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, sub obstentatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae universis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari faciant ac in monasteriis monialium sibi ordinario jure subjectis; in iis vero quae ad romanam mediate vel immediate spectant ecclesiam Sedis apostolicae auctoritate, unacum superioribus eorumdem monasteriorum, clausuram ut praemittitur quamprimum poterint servari procurent contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii *) saecularis. Ac ut hoc tam salutare decretum facilius observetur omnes principes saeculares et alios dominos et magistratus temporales rogamus, reqnirimus et obsecramus per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi eisdem in remissionem peccatorum injungentes quod in praemissis omnibus eisdem Patriarchis etc. et aliis monialium superioribus assistant ac suum favorem et auxilium praestent ac impedientes poenis etiam temporalibus afficiant.

§. 9. Praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam in fundatione et institutione eisdem monasteriis vel domibus et monialibus, sub quibuscumque verborum formis et clausulis irritantibus et aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes quoad effectum validitatis nostrae constitutionis tantum, derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici aut suspendi non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

*) Vd. *p. 923* *.

§. 10. Per hoc autem in monasteriis exemptis Ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant jurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

§. 11. Volumus autem quod praesentes literae ad valvas basilicae beati Petri Apostolorum principis et in Cancellaria nostra ac acie Campi Florae publicentur et inter constitutiones Extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

Datum Romae apud s. Petrum die 29. Maji 1566.

Sequitur declaratio dictae Bullae.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decori*) et honestati omnium monialium quarum Jesus Christus Dominus noster sponsus et ut in puritate et castitate super aedificantes in ipso feliciter inhabitare valeant, consulantes, ea quae illarum existimationi detrahere possent decet Nos consulto submovere.

§. 1. Sane periculo et scandalo plena res est ac regulari observantiae vehementer adversatur moniales aliquando parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos necnon monasteria et alias filiationes nuncupata etiam eis subjecta visitandi aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire et per saecularium personarum domos discurrere et vagari quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

§. 2. Unde Nos malo huic pro nostro pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto s. Concilii Trid. de clausura monialium disponentis ac aliis nostris literis super hujusmodi clausura editis adjiciendis volumus, sancimus et ordinamus nulli Abbatissarum, priorissarum aliarumve monialium etiam Carthusiensium, Cisterciensium, s. Benedicti et Mendicantium et quorumcumque aliorum ordinum etiam militiarum ac statuum, graduum et conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum etiam eis subjectorum aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum aliave occasione et praetextu (nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis praeter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata), a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem quam ut praefertur egredientes seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes necnon comitantes ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis majoris latae sententiae*) vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subjacere, a quo praeterquam a romano Pontifice nisi in mortis articulo absolvi nequeant, et insuper tam egressas quam praesidentes et alios superiores praedictos eis licentiam hujusmodi concedentes dignitatibus, officiis et administrationibus, per eas et eos tunc obtentis, privamus et illas et illos ad obtenta et alia inposterum obtinenda inhabiles declaramus.

§. 3. Necnon licentias et facultates seu indulta et privilegia exeundi a monasteriis et extra illa standi a Nobis seu alio romano Pontifice Praedecessore nostro ac Sedis apostolicae Nuntiis et Legatis etiam de latere, a majore poenitentiario aut ordinum praedictorum superioribus aliisque personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam et datam concernentibus aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum necnon sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium intuitu et contemplatione ac instantia vel alias quomodolibet concessa (quae prorsus abolemus) ac literas desuper confectas et inposterum concedendas et conficiendas nullas et invalidas nulliusque roboris ac momenti fore nec illas habentibus et habituris suffragari posse.

§. 6. Non obstantibus etc.

*) Vd. *p. 912. VI.*

*) Vd. *p. 912. VI., 913. VII.*

Datum Romae apud s. Petrum die 1. Februarii 1570.

(Bull. r. t. VII. p. 447. Ed. Aug. Taur.)

SS. Dnus Noster justis et rationabilibus causis sibi notis ac animum suum moventibus facultatem a s. Congregatione negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita alias et sub die 8. mensis Junii tributam Episcopo Constantien. permittendi sorori Mariae Annae de Hobringh Abbatissae monasterii Vallis s. Crucis ordinis Cisterciensis accessum ad vicinas thermas seu balnea aquae calidae naturalis pro medendis ejus assertis infirmitatibus revocavit et revocat necnon mandavit et mandat omnibus ad quos spectat ne vigore cujusvis licentiae in vim supradictae facultatis fortasse ab eodem D. Episcopo expeditae seu expediendae permittat eidem Abbatissae egressus e clausura sui monasterii ad effectum se transferendi ad enunciatas thermas seu balnea.

Romae 5. Julii 1714.

VIII. Propter observantiam stabiliendam.

Vd. p. 1229. IV.

Cum s. Congregationi Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praepositae nomine regii consiliarii supplicatum fuerit, ut facultatem Amplitudini Tuae impertiri dignaretur concedendi duabus carmelitis discalceatis isthic existentibus transitum ad novum monasterium virginum discalceatarum istius civitatis sub titulo de Mercede seu de Misericordia redemptionis Captivorum iidem Emi Patres de solita eorum benignitate precibus annuentes committunt praesentium virtute literarum Amplitudini Tuae quatenus de consensu utriusque monasterii ipsummet transitum ad sexennium si tamdiu pro introducenda et stabilienda regulari observantia necessarium reputabitur pro suo arbitrio et conscientia dummodo aliae duae moniales ejusdem ordinis et instituti debitis diligentiis adhibitis non reperiantur concedat. Ita tamen ut enunciatus transitus recta via et sine ulla ad extraneum locum diversione, comitantibus honestis matronis ac si commode fieri possit proximioribus consanguineis ipsarum monialium transferendarum fiat servatis in reliquis omnibus conditionibus quae in similibus sanctimonialium translationibus a s. Concilio Trid. ac constitutionibus apostolicis et ordinationibus praescribuntur. Haec itaque singillatim Amplitudo Tua executioni demandare non omittet plurimamque salutem a Domino precamur etc.

Romae die 7. Februarii 1719.

IX. Quaestuatio.

Vd. p. 1233. §. 5.

Gregorius PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Deo sacris virginibus quae contemptis illecebris saeculi divinis se obsequiis manciparunt aequissimum est praecipua quadam a Nobis ac singulari sollicitudine providere tum ut ab eis omnia, quae sanctum ipsarum propositum impedire possent, removeantur tum etiam ut eis in cultu Dei caste ac religiose permanentibus quae ad victum necessaria sunt subministrentur.

§. 1. Et quidem post s. Concilii Trid. decretum, quo constitutio fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Praedecessoris nostri, quae incipit *Periculoso*, renovatur, prohibens ne aut ipsis monialibus ex monasteriis suis egredi aut ulli cujuscumque sexus aut ordinis personae ad eas ingredi liceat et praeterea universis Episcopis praecipitur ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis apost. auctoritate, clausuram monialium ubi violata diligenter restitui, ubi vero inviolata conservari maxime procurent, piae memoriae Pius PP. V. Praedecessor noster victui quoque et necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset atque innovasset eademque omnia etiam in monialibus quarumcumque militiarum etiam Hierosolymitanae omnibusque aliis tacite vel expresse religionem professis quocumque nomine censerentur locum habere decrevisset, ne illae quicquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam praecepit locorum Ordinariis et superioribus earum, ut fidelium eleemosynas per conversas non professas vel professas quidem sed aetatis saltem 40 annorum et jampridem conversas quae in domibus contiguis extra tamen monasterium degerent colligendas curarent, ita tamen ut praedictae conversae neque clausuram aliarum monialium, nisi in casibus permissis, ingrederentur nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas sine permissu Ordinariorum aut superiorum suorum exire possent. Quodsi ne hoc quidem sufficere videretur idem Pius Praedecessor mandavit ipsis Ordinariis et

superioribus ut negotium darent aliquibus personis piis tales eleemosynas colligendi aliasque arbitratu suo prospicerent, quae ad sublevandam monialium inopiam expedire judicarent.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, multae moniales etiam quae tertiariae vocantur sub solemni religionis voto perpetuaque clausura degentes aliaeque talibus literis comprehensae et in ipsa clausura permanentes multis praeterea ad se sustendandas necessariis egeant neque usque ad hoc tempus ullo sufficienti remedio earum necessitatibus subventum sit, quin etiam aliae tertiariae citra ullum solemne hucusque votum vivant, quae ad suas suorumve domos neutiquam redituraе essent sed sub solemni religionis voto et clausura praedictis permanerent, si earum congruae sustentationi provideretur: Nos qui illas necessariis rebus destitui nolumus certioresque facti sumus in multis civitatibus, oppidis, villis aut aliis locis tam in ecclesiis et monasteriis quam hospitalibus, collegiis, confraternitatibus et aliis locis piis etiamque a privatis hominibus tum ecclesiasticis tum laicis multas ac diversas eleemosynas Christi pauperibus erogari; considerantes in ejusmodi personas vel inprimis exercendam esse charitatem, quae voluntaria paupertate suscepta ab omni hominum commercio segregatae Deo serviunt et assiduis precibus iram Ipsius ob peccata conceptam a christiano populo deprecantur, illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca praedicta conferre se liceret, vix fore ut praedicta monasteria, ecclesiae, loca ac personae eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eodem concurrentibus solent, universo illi Deo devotarum mulierum generi de opportunae ac sufficientis subventionis auxilio providere cupientes,

§. 3. De Nobis attributae potestatis plenitudine statuimus et ordinamus ut omnes et quicumque Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et alii ecclesiarum praelati necnon Abbates, priores, praepositi et alii ecclesias patriarchales, primatiales, metropolitanas, cathedrales et alias ecclesias necnon monasteria, prioratus, praeposituras, canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia*) ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, secularia et s. Benedicti, s. Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, Cartusiensis, Camaldulensis, s. Basilii, Cassinensis, alias s. Justinae, Montis Oliveti, ss. Salvatoris ac Lateranensis et Cruciferorum seu fratrum s. Hieronymi necnon Praedicatorum, Minorum, Minimorum et Carmelitarum, Eremitarum ejusdem s. Augustini, Servorum b. Mariae, s. Clarae et quorumcumque aliorum tam virorum quam mulierum etiam Mendicantium ordinum et congregationum et militiarum, regularia, etiam de jurepatronatus laicorum etiam nobilium, ducum, regum et aliorum principum existentia in titulum, commendam, administrationem et alias quomodocumque obtinentes necnon rectores, gubernatores, confratres, administratores ceterique omnes, qui, ratione illorum necnon capitulorum, conventuum, mensarum, hospitalium etiam laicorum et per laicos administrari solitorum christifidelium confraternitatum, scholarum, collegiorum ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum et in quibusvis mundi partibus consistentium, quae singulis annis, mensibus, hebdomadis vel diebus ex ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, officiorum, dignitatum et beneficiorum ac congregationum, hospitalium, confraternitatum, scholarum, collegiorum, piorum et aliorum locorum praedictorum fructibus, redditibus et proventibus pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia seu aliis ad victum vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem et preces et per cedulas et bolettina aut alias distribuere et elargiri ab immemorabili tempore consueverunt aut alio quocumque jure tenentur, ex dictis fructibus, redditibus et proventibus et quoad hospitalia praedicta ex iis quae, servata in illis actuali hospitalitate, supersunt seu supererint, necnon quaecumque personae particulares, etiam laicae vel universitates etiam laicorum, quae testamento, ultima voluntate vel alia dispositione etiam inter vivos aliquales tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium et quarumcumque eleemosynarum et largitionum hujusmodi, quocumque tempore et modo distribui solitarum, etiamsi speciali nota dignae, et secundum pias defunctorum aut aliorum voluntates, sub certa forma ab eis in testamento vel alia quacumque dispositione, distribuendae sint (dummodo non in certos usus pios alios quam victus ac alimenta pauperum distribuantur) quibuslibet praedictarum

*) Vd. *t. II. p. 522. III.*

monialium etiam tertiariarum sub solemni religionis voto et perpetua clausura de cetero viventibus et in terris et locis, quorum pauperibus hujusmodi eleemosynae distribuuntur, consistentibus vere, realiter et cum effectu et absque ulla eleemosynarum et largitionum hujusmodi petitione, exactione et conquisitione aut alia desuper a Nobis exspectata jussione aut mentis nostrae declaratione ac quibusvis mora, supterfugio ac exceptione cessantibus et ejectis dare atque distribuere omnino teneantur, et quam dimidiam partem non illis applicamus.

§. 4. Ut autem praemissa omnia cum caritate et pietate procedant et efficaciter suum effectum sortiantur universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis per apostolica scripta mandamus ut quisque per se vel alium seu alios ad praesentium executionem in suis civitatibus et dioecesibus procedens ab ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, confraternitatibus, scholis, collegiis, locis et ecclesiasticis ac laicis personis praedictis etiam quomodolibet exemptis dimidium eleemosynarum hujusmodi exigant ac pro portione, ut Ordinariis ipsis locorum aequum esse videbitur, singulis pauperum monialium etiam tertiariarum monasteriis hujusmodi suarum civitatum et dioecesum, etiam si aliis superioribus subjectae sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinariis etiam tamquam apostolicae Sedis delegatis ac cuilibet illorum tam per se quam alium vel alios praemissa faciendi ac etiam contradictores quoslibet et rebelles per poenas pecuniarias, eorumdem Ordinariorum et cujuslibet illorum arbitrio infligendas et applicandas, ac in subsidium sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, respective compescendi auxiliumque brachii saecularis invocandi aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi, gerendi, mandandi et exequendi plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

§. 5. Insuper, quia valde rationi consonum est ut etiam ii, qui ipsis monialibus etiam tertiariis indigentibus praefatis consanguinitate aliqua sunt conjuncti, aliquod in praemissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis et debitum caritatis et honestatis id postulet, singulis locorum Ordinariis committimus ut omni eos officio et diligentia monere eisque persuadere studeant, parentes vero et fratres ac alios ad quos illas, si in saeculo permansissent, dotare pertinebat vel ad quos bona et successiones devenerunt, et qui, si eas nuptui tradidissent, multo amplius quam ingredientibus monasterium dedissent, vel qui, si eas nunc domi retinerent vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque viis ipsis benevisis inducant ut monialibus etiam tertiariis praedictis juxta eorum facultates caritative subveniant, sciturі id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum.

§. 6. Ceterum, quod attinet ad conversas professas, quas Pius Praedecessor per praedictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis injungimus ut, quibus monasteriis praedictarum monialium, quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione, de sufficienti subventione et sustentatione provisum esse cognoverint, easdem conversas sub eadem clausura cum aliis monialibus reducant neque a suis monasteriis amplius exire permittant. Conversas vero non professas et profiteri nollentes dimisso habitu domum remittant neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras atque sub perpetua clausura mansuras, in monasteria hujusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius Praedecessor statuit de cetero nullas alias conversas professas recipi amplius, etiam de consensu suorum superiorum, posse, ita esse intelligendum declaramus praeter illas conversas, quae extra monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero praedictarum contributionem et applicationem durare et valere decernimus ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus monialium etiam tertiariarum hujusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios, etiam in monasteriis ab eorum cura et regimine quomodocumque exemptis, cum illarum superiorum interventu, stabiliri et ordinari neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu superiorum suorum, volumus et mandamus) ita imminutus fuerit, ut reliquae moniales et tertiariae ex propriis redditibus monasteriorum ipsorum vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant, super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen ut, decedentibus

singulis et tribus earumdem monialium partibus, tertiae quoque earumdem eleemosynarum partis distributio et sic successive in totum extinguatur atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus revertantur et remaneant. Declaramus praeterea nullis monialibus etiam tertiariis licere habere ostium per quod ex monasterio introiri possit in ipsarum monialium ecclesiam exteriorem in quam saecularibus ad missas et divina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum, neque itidem licere monialibus, etiam Tertiariis, egredi a janua monasterii, quae est pro clausura ipsius monasterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus saecularibus venientibus vel ad rotam vel ad crates seu loca coloquiis destinata quae vulgo parlatoria vocantur vel ad pulsandum ipsam januam clausurae; quae loca, cum saltem pro causis praedictis patere soleant saecularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt.

§. 7. Insuper quoscumque dominos et magistratus temporales in Domino hortamur, monemus et requirimus ut ad omnem ipsorum petitionem vel simplicem requisitionem illis in praemissis assistentes omnem opportunum favorem et auxilium praestent et exhibeant.

§. 8. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis praecipimus et mandamus ut has praesentes nostras literas (quarum transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eamdem ubique fidem, in judicio et extra, adhiberi debere volumus, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae) singuli in sua civitate et dioecesi publicent ac publicari easque juxta earum continentiam et tenorem unacum praedictis ac aliis praedicti Pii V. et aliorum Praedecessorum nostrorum literis et constitutionibus et jussionibus pro integra clausurae instauratione, custodia et firmitate editis inviolabiliter observent et observari faciant.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 30. Decembris 1572.

(Bull. r. t. VIII. p. 28. Ed. Aug. Taur.)

X. Usus balnei.

Vd. supra: *morbus* p. 1231; p. 1235. §: *SS. Dnus.*

S. C. etc. vigore facultatum a SS. Dno Nostro Papa Pio VI. specialiter concessarum commisit Amplitudini Tuae ut sorori Mariae Perpetuae Clarae moniali in monasterio s. ordinis s. Francisci istius civitatis licentiam concedere exeundi ad balnea pro tempore balneorum currentis anni tantum pro recuperanda valetudine, cum clausulis tamen et conditionibus expressis in decreto ad partes expedito, quod exhibendum erit pro executione. Verum quia oratrix consuetas istius curiae testimoniales non exhibuit voluit s. Congregatio his literis Amplitudinem Tuam certiorem reddi ideo concessam fuisse gratiam sine consuetis testimonialibus, ne oratricis infirmitates graviores fierent longiori mora. Ceterum prudentiae et discretioni Amplitudinis Tuae plurimum confidit, quod minime ad executionem indulti procedit nisi prius plene cognoverit veras esse oratricis infirmitates et adeo graves ut intra claustra consuli nequeant et medicorum judicio usu balneorum omnino indigeat. Non omittet insuper Amplitudo Tua oratricem et alias moniales monere, ne pro similibus gratiis obtinendis preces mittant sine consuetis testimonialibus. Atque interea Amplitudini Tuae omnia fausta ex corde precamur a Domino etc.

(Anal. I. P. III. Ser. p. 483. Romae 1858.)

d) Egressus poenae.

Vd. *Clausura* (violatio); p. 912. VI; *Clausura Monach. a.* p. 1209; infra lit. *e;* p. 913. VII.

Moniales non exeant clausura sub poena excommunicationis et privationis quae etiam extenditur ad dantes licentiam, comitantes et receptantes.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decori et honestati etc. *Sequ. vd. p. 1234.*

e) Episcopi facultas circa clausuram.

Vd. supra decr.: *Ferentina* §: *Si vero p. 1208; Clausura monial.* (ingressus Superior., *constitut: Felici;* inductionis causae p. 1239.)

Innocentius XIII. ad Episcopos Hispaniae.

Episcopi in omnibus mulierum monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero exemptis

auctoritate Sedis Apostolicae inconcusse observari curent, quae circa monialium clausuram vetitumque in dicta monasteria ingressum tam in decretis Trid. synodi quam in constitutione similis memoriae Gregorii PP. XIII. Praedecessoris nostri edita 13. Junii 1575*) provide ordinata sunt.

Datum Romae 23. Maji 1723.

(Bull. r. t. XIII. p. 63. Ed. Luxbg.)

Supplicationibus Amplitudinis Tuae benigne inhaerentes Emi PP. hujus s. Congregationis EE. et RR. post eis factam relationem ab Emo Carrafa Ponente decreverunt: Ad s. Sedem apostolicam spectare facultatem concedendi monialibus transeundi et transferendi easdem ab uno ad aliud monasterium et in peragenda translatione servandas esse leges et conditiones in apostolico indulto appositas. Quodsi secus factum fuerit, tam superior qui licentiam concessit quam monialis egressa, personae quae illam comitatae fuerint et quae receperunt aliaeque nominatae in constitutione s. Pii V. quae incipit: *Decori et honestati***) subjacent poenis statutis in dicta constitutione §. 2. In casibus vero urgentis necessitatis in dicto §. 2. enunciatae constitutionis expressis spectare ad Ordinarium etiam quoad monasteria regularibus subjecta potestatem faciendi monialibus egredi ex eorum monasteriis. *Caeterum constitutionum apostolicarum de clausura monialium etiam exemptarum custodem et vindicem esse Ordinarium ipsum indubitatum est.* Id notum facimus Amplitudini Tuae eique interea omnia fausta ex corde precamur a Domino.

Romae 31. Julii 1789.

In causa etc. vertente inter Episcopum Receneten. ejusque promotorem fiscalem ex una et oblatas seu moniales conservatorii seu monasterii B. M. V. in coelum assumptae ejusdem civitatis ex altera partibus proposita fuerunt infrascripta dubia:

1. An Episcopus vigore arbitrii competentis juxta regulas conservatorii et resolutionem s. Congregationis editam die 18. Junii 1728 possit sine justa causa oblatis tam in particulari quam in generali denegare licentiam exeundi quoties opus fuerit requisitus in casu etc.*?*

2. An octo diebus in singulos annos in quibus a s. Cong. determinatum fuit oblatas egredi e conservatorio pro visitandis ecclesiis jam assignatis servari debent assertum solitum easdem visitando bis in die seu potius liceat Episcopo restringere tam egressum quam visitationem ecclesiarum ad mane tantummodo in casu etc.? *(Vd. p. 1227. II.)*

3. An sit locus determinationi aliorum quatuor dierum arbitrio s. Congregationis praeter octo praedictos ad eumdem effectum in casu etc.?

4. An debeat Episcopus permittere oblatis visitare propinquos in I., II. et aliis proximioribus gradibus morbo laborantibus in casu etc.?

S Congregatio etc. referente Emo Cavalchini Praefecto ac Ponente respondit

Ad 1: *Negative.*

Ad 2: *Affirmative ad I. partem, negative ad II.*

Ad 3: *Gaudeant impetratis.*

Ad 4: *Arbitrio Episcopi cui scribatur: juxta mentem.*

Romae 23. Septb. 1757.

Proposita vero iterum eadem causa sub dubio:

An et in quibus sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.?

S. C. censuit rescribendum: *In decisis*, et amplius causam hujusmodi non proponi mandavit.

Die 10. Martii 1758.

f) Quoad erectionem monasterii monialium.

Vd. *Clausura monial.* (inductionis causae).

g) Excommunicatio violantium.

Vd p. 912 VI; 913. VII; lit. *h.*

h) Inductionis causae et facultas.

Vd. *Clausura* (ambitus, decr.: *Ferentina* §: *Ut omnis p. 1207.)*

Anno 1800 antequam ad archiepiscopatum Baltimorensem Illmus et Revmus Leonardus Neale in foederatis Americae septemtrionalis provinciis eligeretur congregaverat

*) Vd. *p. 1219.*
**) Vd. *p. 1234.*

Georgiopoli quasdam pias mulieres sub regula s. Francisci Salesii ad finem educandi catholicas puellas, quas etiam ad convictum recipiebant. Ob utilitatem autem, quam piae istae mulieres religioni afferebant, easdem laudatus vir direxit tamquam veras religiosas, ita ut inter eas eligeretur praeposita, haberetur novitiatus, emitterentur tria vota, quae ab initio obligarent per spatium unius anni et deinceps singulis annis renovarentur cum venia Archiepiscopi Baltimorensis.

Ad archiepiscopatum Baltimorensem promotus Praesul laudatus, aucto numero piarum mulierum, anno 1816 Apostolicae Sedi hisce verbis supplicavit: »ut Sanctitas Sua velit gratiose mihi conferre potestatem admittendi eas ad vota solemnia religionis et efficiendi dictam communitatem vere religiosam, stricte subditam omnibus regulis praescriptis ab Instituto Ordinis Visitationis B. M. V. et gaudentem omnibus privilegiis concessis eidem Ordini.« Pius VII. fe. rec. in audientia diei 14. Julii 1816 supplicationi annuit *»eidem facultatem benigne concedendo admittendi, servatis servandis, ad solemnem votorum professionem in ejus dioecesi nonnullas virgines, quae sub Instituto s. Francisci Salesii se sponte etc. . . . congregarunt illisque singulas indulgentias et privilegia, quibus gaudent Moniales Visitationis B. M. V., benigne extendit.«*

Anno 1823 Archiepiscopus Baltimorensis Apostolicae Sedi exposuit: Georgiopolis puellas catholicas cogi adire Protestantes mulieres, ut artem legendi et scribendi addiscant, ideoque summo in discrimine versari suam fidem amittendi; ac animadvertebat, quod si monialibus Visitationis ejusdem civitatis potestas fieret duas ex sororibus conversis, vulgo *Sœurs-fourieres* nuncupatis, destinandi educationi pauperum puellarum extra septa monasterii quemadmodum in Polonia olim factum fuerat, (quae tamen caeteras omnes regulas de paupertate, modestia et pietate ipsis praescriptas aut ab earum Superioribus praescribendas observare tenerentur) dicto incommodo opportune consuleretur. Hisce precibus perpensis SSmus indulsit ut quatenus in Domino expedire judicaverit pro suo arbitrio et prudentia Archiepiscopus petitam facultatem dictis monialibus concedere possit. Nova deinde petitione idem Archiepiscopus postulavit, ut non tantum duas praedictas conversas sed *tot ex illis, quot ad effectum opus esse in Domino judicaverit, occupare valeret;* quibus precibus rescripto 1. Februarii 1824 SSmus pariter annuit.

Nonnullis aliis Indultis apostolicis petitis et obtentis ratione circumstantiarum locorum et civilium legum denique anno 1840 Archiepiscopus Baltimorensis Gregorio XVI. fe. rec. exposuit: Moniales praedictas alia monasteria erexisse; ac petiit, ut omnia et singula privilegia, jura et indulgentiae, quas summi Pontifices hucusque Monialibus Visitationis Georgiopolitanis concesserunt, benigna etiam concessione respective extendantur ad omnia et singula monasteria, quae a praefatis monialibus Visitationis jam erecta fuerunt et inposterum sunt erigenda. Quoniam vero plures piae foeminae tria nuper fundata monasteria, nempe Mobilense, Kaskakiense et Baltimorense, jam ingressae sunt, in iisque ad professionem admissae fuerunt et solemnia vota emiserunt, quia concessiones pontificiae supramemoratae ad solum Georgiopolitanum Monasterium pertinere videntur: ideo dubitari potest, an validae sint professiones in hisce tribus Monasteriis factae. Quapropter orator postulabat, ut summus Pontifex pro suprema potestate sua, quatenus vota nulla essent, revalidaret et confirmaret, dummodo illae consensum renovarent et professionem suam votis saltem privatim iterum emissis ratam haberent. Die 22. Novem. 1840 rescriptum prodiit: *SSmus referente Secretario mature perpensis expositis benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita.*

His non obstantibus apostolicis rescriptis anno 1843 mota fuerunt quaedam dubia et difficultates adversus votorum solemnitatem, quae Moniales praedictae emiserunt, maxime ex eo, quod monasteria sine Apostolica auctoritate erecta fuerint et quod ratione locorum et civilium legum papalis clausura neque servaretur neque servari posset. Verum gravior evasit quaestio anno 1857 ex facto *unius* ex Monialibus, quae matrimonium cum viro acatholico contrahere cupiebat: necnon ob Monasteria aliarum diversi nominis Monialium professionem emittentium in Americanis regionibus, sine clausura et sine apostolica auctoritate erecta.

Itaque s. Congregatio de Propaganda Fide, rei gravitate perspecta, ad Archiepiscopos et Episcopos earum regionum rescripsit, ut suas opiniones manifestarent circa exortas quaestiones. In duplici provinciali Synodo Episcopi

in examen rem revocarunt, scilicet in synodo Baltimorensi et Cincinnatensi. Ad vota Monialium Visitationis quod attinet, licet solemnia esse plerique judicarent, attamen in reliquis in diversas abierunt sententias et a SSmo instructiones postularunt. Expedit referre venerandam epistolam, quam Patres synodi Baltimorensis die 9. Maji 1858 ad romanum Pontificem miserunt, scilicet: »Necessarium duximus a Sanctitate Tua petere, ut in re quadam gravioris momenti, quae quaestiones et dubia apud nos suscitavit, consilio et auctoritate Tua nobis opitulari dignetur. Habemus in pluribus hujus provinciae dioecesibus moniales quasdam de quarum votis saepe dubitatur, sintne simplicia an solemnia. Aliquae communitates videntur facultatem solemnia vota emittendi, a sancta Sede concessam, certo possidere. De aliis non ita clare constat. Nonnulla sunt quae pro certo habent sua vota esse solemnia; jure tamen timeri potest ne fallantur, cum conditiones omnes ad hoc requisitas non adimpleverint. Nata hinc sunt plurima dubia, quae non solum difficillimis quaestionibus ansam dederunt, sed et conscientias ipsarum monialium eorumque, quorum spirituali curae concreditae sunt, saepe turbarunt. Nos igitur pro Dei et ecclesiae honore bonoque animarum nobis commissarum sollicite rem hanc in praesenti Concilio Baltimorensi sedulo, quantum licuit, ad examen revocavimus, quaerentes quanam potissimum ratione hisce dubiis occurri et conscientiarum tranquillitati consuli posset. Eodem tempore aliam quoque quaestionem a priori inter disputandum enatam, scilicet: utrum et quatenus expediat vota solemnia a religiosis mulieribus in hac provincia inposterum emitti diu multumque perpendimus. Quid speciatim hac de re Patres censuerint, ex actis Concilii Sanctitas Tua perspectum habebit. Nos hic breviter et summatim quid nobis visum fuerit indicamus.

Primo loco lectis et perpensis literis et rescriptis aliisque documentis, quae summi Pontifices Pius VII. sa. me. ejusque successores ad Baltimorensem Archiepiscopum in causa monialium Visitationis sive ad ipsas moniales conscripserunt ... omnes uno consensu judicavimus vota a monialibus Visitationis in hac provincia emissa esse procul dubio vota solemnia.

Nihil obstare arbitramur monasteriis in hac regione erigendis, in quibus vota solemnia emitti possint, modo conditiones omnes, quas Concilium Tridentinum et romanarum Congregationum praxis requirere solet, quoad substantiam adimpletae fuerint.

Verum quidem est vota solemnia non rata haberi nec agnosci quidem a legibus civilibus hujus regionis: sed in hoc nullam causam videmus, quare vota hujusmodi emittenda non sint.

Denique, Bme Pater, enixe petimus a Sanctitate Tua, ut instructionem quamdam parandam et nobis transmittendam curet, in qua clare et plene exponantur conditiones omnes, quas pro hac regione necessarias sancta Sedes judicat, ut monasteria, in quibus vota sint solemnia, constitui possint, et alia si quae sunt circa hanc materiam, quae Sanctitas Tua ob specialem nostrae regionis conditionem opportuna crediderit etc.

Archiepiscopus Cincinnatensis die 26. Decembris 1857 inter alia ad Emum Praefectum S. C. de Propaganda Fide haec scripsit: »Si ad solemnitatem votorum tria requiruntur, videlicet permissio summi Pontificis, sufficiens dotatio ut religiosae vivere possint sine labore manuum vel capitum et clausura pontificia, censendum est in nullo eorum cujuscumque Ordinis haec tria, praesertim vero secundum, inveniantur.

Exoptant multi ecclesiastici multaeque moniales ut vota sororum Visitationis, sanctae Ursulae, boni Pastoris et sanctae Theresiae sive Carmelitae declarentur et habeantur solemnia.

Immutationes et perturbationes politicae non magis hic timendae sunt, quam in Europa. Et si fiant, sperandum est statum religiosum non ideo impossibilem evasurum.

Archiepiscopus Baltimorensis die 4. Octobris 1858 inter alia ad eumdem Emum Praefectum scripsit: »Praejudicia contra monasteria adeo vigent apud acatholicos, ut saepius propositum sit legem ferre, qua pateat accessus, ut examen instituatur, ne aliqua *(monialis)* invita detineatur, et si contigerit rumorem percrebescere aliquam *(monialem)* detineri, ruunt cives incendium minitantes, nisi in libertatem restituatur. Hae gravissimae rationes obstant ne clausura exactior habeatur: quapropter haerent plures Praesules sacerdotesque, utrum expediat vota solemnia inposterum emittere, *quae*

*tamen moniales ipsae plurimi faciunt utpote decus et praesidium suum.« *)*

*) Praetereundum non est, in variis documentis quae prae oculis habemus in quibus variae Praesulum opiniones referuntur, nunquam dici expedire, ut vota solemnia non emittantur, quia ex defectu clausurae Virgines Deo sacrae facile transeant ad saeculum fidem Deo datam violantes. Quinimo Moniales ipsae quaestiones hasce agitatas male ferentes tanta firmitate sua vota defendunt, qua firmitate carnales homines ea quae sunt Spiritus Dei non percipientes suam licentiam, quam libertatem vocant, sibi vindicare conantur.

Explicent acatholici ejusmodi facta vel exempla nobis exhibeant e suis Sectis deprompta, quae similitudinem saltem aliquam habeant cum hujusmodi factis, quae apud catholicos semper et ubique terrarum tanquam consueti fructus verae fidei, quae per charitatem operatur, sine ulla admiratione progignuntur. Audiatur praeclara epistola ex anglico idiomate in latinum versa, quam Moniales decem monasteriorum Visitationis hisce subortis quaestionibus ad romanum Pontificem miserunt die 13. Junii 1857: »Bme Pater. Moniales Visitationis B. M. V. nunc degentes in decem Monasteriis, quae hucusque in foederatis Americae septentrionalis Statibus fundata sunt, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutae pro sequenti gratia suppliciter orant. *Mentionem deinde faciunt de Rescriptis apostolicis et deinde prosequuntur*:

Quapropter Moniales Visitationis, nunc in his Provinciis existentes, persuasum semper habuerant, se virtute apostolicarum concessionum ad Religionem proprie dictam pertinere proindeque quando professionem emittunt tum imprimis hac mente et firma voluntate sunt, ut sese ad Dei servitium tribus solemnibus votis perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis adstringant. Licet enim fieri non possint dominii incapaces vi civilium legum in hac regione vigentium, revera tamen sic votum paupertatis edunt, ut velint se prorsus dominio rerum suarum abdicare nec ullam utendi, fruendi aut disponendi intentionem retineant, nisi pro Superiorum arbitratu et voluntate.

Leges quidem civiles hic non paterentur, ut ulla ex Monialibus in Monasterio invita detineretur; minime tamen obstant quominus Moniales debitam clausuram et ea omnia servent, quae ad observantiae regularis disciplinam spectant: salvis tamen illis immutationibus quas, ut supra dictum est, necesse fuit inducere propter puellarum instructionem, cui Moniales Visitationis sedulo incumbunt.

Quo firmius igitur elucidentur et submoveantur dubitationes omnes quae circa rem tanti momenti oriri possent, Oratrices, cum nihil antiquius habeant, quam ut Deo perfecte in statu religioso serviant isque sit earum omnium animus, in sancto proposito constanter permanere ac ea omnia ad mortem usque Deo bene juvante observare, quae solemnem professionem comitantur, Sanctitati Vestrae humillime et enixe supplicant, ut Apostolica sua auctoritate, non obstante legum civilium in istis Provinciis dispositione, quoad religiosam paupertatem, benigne dignetur earum omnium professionem religiosam ratificare ac confirmare et solemnia declarare vota perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis, quae hactenus emissa fuerunt et deinceps emittentur in omnibus et singulis Monasteriis Monialium Visitationis B. M. V. sub instituto s. Francisci Salesii tam nunc existentibus quam inposterum erigendis in foederatis Septemtrionalis Americae Provinciis.

Vehementer etiam optant ut Sanctitas Vestra statuat ac declaret facultatem praefatas Moniales super votis post professionem emissam dispensandi vel ab eisdem votis adimplendis relaxandi nemini alii praeter quam romano Pontifici competere proindeque Sedi Apostolicae reservatam esse.

Superiorissae omnium Monasteriorum nunc in istis Provinciis existentium agnoscunt et testantur res ita prorsus esse, uti in hac petitione enarrantur, omnesque et singulas ejusdem Instituti Moniales hac mente professas fuisse, ut vota solemnia edant. In quorum fidem Superiorissa ipsa et altera ex Monialibus uniuscujuscumque Monasterii, ceterarum nomine agentes, huic petitioni subscripserunt.«

Primi consultoris votum.

An monialium monasteria fundata in foederatis Americae septemtrionalis statibus absque beneplacito et confessione apostoliae Sedis gaudeant votis solemnibus?

Animadvertebat initio consultor adesse auctores, qui in hac re tres docent diversas sententias, doctrinae oppositas quam docuit Benedictus XIV. in aureo opere *de Synodo dioecesana lib. IX. c. 1. n. 9.* Harum sententiarum prima ea est, quae docet post Tridentinum Concilium apostolicum beneplacitum necessarium amplius non esse et sufficere Episcopi veniam. Schmier *jurispr. can. l. 3. trac. 1. par. 2. c. 2. sect. 1. §. 3.*, Wiestner *instit. can. l. 5. tit. 31.*; Laurenius *Forum eccles. l. 3. tit. 48. c. 1. quaes. 997. n. 2.*

Altera opinio ea est, quae docet legem apostolici beneplaciti obligare tantum mendicantium ordines, non vero caeteros Ordines non mendicantium, qui extra Italiam degunt.

Tertia opinio ea est quae docet, moniales posse monasteria erigere sola Episcoporum licentia sive in Italia sive extra Italiam. Hisce enunciatis auctorum opinionibus consultor ostendere contendebat, ecclesiae praxi inspecta, longe ante epocham Bonifacii VIII. usque ad Tridentinum Concilium necessarium existimatum fuisse apostolicum beneplacitum pro canonica erectione monasteriorum omnium regularium sive virorum sive mulierum. Et a primis ecclesiae saeculis incipiens, adnotabat, concessa fuisse monasticis institutis plura privilegia a romanis Pontificibus ad

quos confugiebant monachi, sive pro erectione monasteriorum sive pro electione canonica Abbatum sive pro bonorum possessione sive pro receptione monachorum etc. Ad haec autem ostendenda innumera prorsus adducebat documenta, deprompta praesertim ex annalibus monachorum. Ordinibus autem mendicantium deinde institutis RR. Pontifices facultatem iisdem indulserunt, monasteria erigendi; ejusmodi autem facultatem indultam non fuisse Consultor affirmabat monialibus et plurima indicabat pontificia documenta, quibus monialium fundationes approbatae fuerunt, tum in Italia tum extra Italiam, ante epocham Bonifacii VIII. Hinc mirum esse non debere Consultor ajebat si in constitutione Bonifacii VIII. *Cum ex eo, De excess. Praelat. in 6.*, qua revocata sunt dicta privilegia regularium, mentio non fiat de monialibus; maxime cum lege clausurae a Bonifacio VIII. statuta in const. *Periculoso* moniales cogebantur a romano Pontifice beneplacitum apostolicum exquirere.

Adducebat deinde consultor Bonifacii VIII. Constitutionem citatam *Cum ex eo*, cujus sequens est tenor: »Cum ex eo, quod Praedicatores, Minores et Religiosi alii Mendicantes in civitatibus, castris, villis aut aliis locis ad habitandum domos vel loca de novo suscipiunt seu olim suscepta dimittunt, se ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque proveniant et frequentes clamores ad Sedem apostolicam perferantur; Nos super hoc providere volentes hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis vel aliqui de praedictis quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, (quae ipsis contra tenorem constitutionis praesentis nullatenus volumus suffragari) in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocumque ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere seu hactenus recepta mutare . . . absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem: si secus ederint irritum decernentes . . .« Quae constitutio confirmata fuit in Clementina *Cupientes*, poenis etiam adjectis.

Hinc adducebat Consultor innumeras posteriores concessiones a R. Pontifice factas erigendi Conventus in variis Orbis partibus tum Ordini s. Dominici tum Ordini fratrum minorum necnon Ordini Carmelitico.

Ad moniales autem ordinum mendicantium quod attinet, quae ex vetusto more ante Bonifacii constitutionem apostolicam veniam implorare solebant, item affirmabat consultor, pro eadem venia post dictam constitutionem ad s. Sedem moniales ipsas confugere debuisse. Hoc autem ostendere studuit eadem ratione, indicans plures apostolicas bullas concessas pro fundatione monasteriorum monialium in variis orbis partibus tum dominicani tum franciscalis Ordinis. Et in huhujusmodi concessionum Bullis identidem inserebantur clausulae: *Bonifaciana et quacumque constitutione contraria non obstante*: — *Constitutionibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus*: — *Non obstantibus constitutionibus contrariis.*

Haec quidem ad saeculum usque XIV. Eadem ratione prosequebatur consultor ostendere sine numero propemodum esse Bullas pro fundatione conventuum ordinum mendicantium concessas saeculo XV. et sequenti, ut videre est in Bullario Ordinis s. Dominici *tom. 2, 3, 4,* et Wadding. a *tom. 9. usque ad 15. inclusive*, necnon in Bullario Carmelitico a *pagina 155. ad pag. 404.* Idem etiam evenit de fundatione monasteriorum monialium Ordinum mendicantium; atque in erectionis Bullis derogatio fiebat sive in genere *Apostolicis Constitutionibus* sive in specie *Bonifacii VIII. Constitutioni.*

Saeculo vero XVI. ante Tridentinum Concilium, Consultor animadvertebat, RR. Pontifices facultatem fecisse clericis regularibus Theatinis, Barnabitis, Societati Jesu aliisque erigendi domos religiosas absque apostolicae Sedis auctoritate

Ex addutis hactenus documentis colligi posse Consultor censebat id quod scripsit Benedictus XIV. in opere *de Synod. dioeces. l. 9. c. 1. n. 9* videlicet, quod »jampridem ante Tridentinum Concilium Regularibus interdicta fuerit novorum monasteriorum acquisitio sine expressa licentia Sedis Apostolicae.«

Post Concilium Tridentinum Ordines monasticos non desiisse ajebat apostolicam petere facultatem pro monasteriis erigendis. Atque ad id ostendendum prae caeteris adducebat Breve Urbani VIII. diei 19. Aprilis, quod Muttarellius in suo opere inseruit, quo Brevi summus Pontifex ad instantiam Ludovici Francorum Regis XIII. erectiones Congregationis Camaldulensium in regno Fran-

ciae factas eorumdemque professiones absque Sedis Apostolicae emissas auctoritate confirmavit.

Adducto autem Concilii Tridentini decreto *sess. 25. de regul. c. 3.* in quo statuitur: »*Nec de caetero similia loca* (monasteria virorum et mulierum) *erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta:* observabat Consultor, ejusmodi decretum expresse non revocare Constitutionem Bonifacii VIII. nec derogare praeexistenti disciplinae. Quod ut ostenderet multa adducebat documenta deprompta e Bullario Ordinis Praedicatorum, quibus RR. Pontifices post Tridentinum Concilium facultatem concedentes erigendi virorum monasteria derogarunt, ut antea, Constitutioni Bonifacii VIII., item ex annalibus Wadding et e Bullario Capucinorum similia documenta indicabat Ordinem s. Francisci respicientia. Item e Bullario Carmelitico inter alias concessas licentias *tom. 2. pag. 257.* legitur, Sistum V. facultatem concessisse Conventum erigendi hac clausula: »*non obstantibus quibusvis prohibitionibus Ordinibus mendicantibus factis de non recipiendis novis locis ad inhabitandum.*«

His vero animadversis circa virorum monasteria adjungebat Consultor plura exempla respicientia monialium monasteria Ordinis s. Francisci erecta Brevibus Apostolicis.

Huic vero disciplinae non modo Consultor ajebat RR. Pontifices subsequenti tempore non derogasse sed imo eamdem disciplinam confirmasse, quod ostendere curabat allata Constitutione Clementis VIII. *Quoniam ad institutam,* anno 1603 edita, cujus Constitutionis scopum eum esse censebat, ut Ordinarii licentiam dare non possent erigendi novos Conventus »*nisi* (sunt verba Constitutionis) *vocatis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium Conventuum Prioribus seu Procuratoribus et aliis interesse habentibus et causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos hujusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse.*« Ejusmodi Constitutio extensa fuit ad omnes Ordines vel Instituta mendicantium et non mendicantium decreto *Cum alias* s. Congregationis Epis. et Reg. die 17. Augusti 1622 ex mandato Gregorii XV. emisso.

Ejusmodi autem Constitutiones non tantum in Italia sed etiam extra Italiam vim suam exerere declaravit s. Congregatio Concilii, prout refert Tamburinius *de jure Abbatum tom. 3. dub. 5. q. 1. n. 13.* Cum vero in dictis Constitutionibus non fiat mentio de Constitutione Bonifacii VIII. eidem non fuisse derogatum, sed aliquid insuper additum, Consultor opinabatur. Quod ut magis magisque firmaret, plura adducebat posteriora exempla concessi beneplaciti apostolici pro monasteriis erigendis Ordinum mendicantium facta interim derogatione Constitutioni Bonifacii VIII. vel etiam Clementis VIII. Ex exemplis adductis referimus rescriptum s. Congregationis de Propaganda Fide anno 1636 emissum, quo declaratum fuit: »Domunculas, quas Capucini in Hibernia accipiunt, ut melius vacare possint conversioni haereticorum ibi degentium, non comprehendi in Constitutione SSmi D. N. de novis monasteriis vel conventibus non construendis sine religiosorum numero, quia missionum stationes non sunt conventus aut monasteria.«

Post alia innumera hujus generis documenta necnon post adductas RR. Pontificum constitutiones, de quibus infra sermo redibit, plura adducebat consultor decreta et resolutiones ex regestis s. Congregationis Episcop. et Regul. desumpta, quae recentiorem praxim Apostolicae Sedis in hisce negotiis gerendis ostendunt. Sic in *Rhegien.* domus monialium a s. Francisco Salesio anno 1839 a s. Congregatione petiit canonicam erectionem: Sacra autem Congregatio cum reperiisset earum dotem insufficientem esse die 12. Februarii rescripsit: *firma remanente professione votorum simplicium annuendum esse pro gratia impositionis clausurae papalis.* Anno 1843 iterum moniales supplicarunt et die 13. Januarii propositis dubiis:

I. An et quomodo expediat domum monialium a s. Francisco Salesio erigere in monasterium cum professione Votorum solemnium?

Et quatenus *affirmative,*

II. An praescribenda sit clausura papalis cum restrictionibus statutis in constitutionibus et decretis pontificiis?

S. Congregatio respondit

Ad I: *Affirmative, statuta dote ducatorum septingentorum, persolvenda in numerata pecunia et cauto de utili investimento.*

Ad II: *Affirmative.*

In *Ferrarien.* anno 1844 concessa fuit facultas erigendi monasterium pro monialibus Carmelitis excalceatis et quamvis monasterii fundator optaret in eo exerceri a monialibus perpetuam adorationem SSmi Cordis exiit tamen rescriptum quo concessa est facultas erigendi monasterium sub regula *dumtaxat s. Theresiae, postquam a benefactore in forma juris valida facta fuerit pro dote donatio scut. 14000 et aedes monasterii recte constitutae fuerint. In reliquis non expedire.*

Quaedam communitas monialium s. Clarae erecta anno 1650 cum votis simplicibus decreto S. C. anno 1847 admittitur ad profitenda vota solemnia. Item decreto diei 31. Januarii 1854 Episcopo N. committitur erectio monasterii pro monialibus Carmelitis excalceatis, quae interim emittere non possint nisi vota simplicia et dilatum est judicium quoad professionem votorum solemnium.

In *Caenomanen* ex audientia SSmi die 31. Julii 1818 Episcopo committitur, *ut monasterium perpetuo cum inviolabili clausura erigat et easdem moniales ad receptionem habitus religiosi admittat et professionem regulae s. Benedicti congregationis Cisterciensis strictioris observantiae etc.* Item ex audientia SSmi in *Gandevanen.* sorores Charitatis Jesu et Mariae implorarunt facultatem emittendi vota solemnia, quibus tamen die 24. Septembris 1816 inter alia rescriptum fuit: *neque enim s. Sedes a tempore praesertim Concilii Triden. permittit aut indulget, quod in Societatibus seu Communitatibus mulierum solemnia vota emittantur, nisi eae sub inviolabili clausura degant vivantque perpetuo etc.*

Decreto 13. Februarii 1832 legitur: *S. C. visis precibus Episcopi Vicensis eidem commisit, ut formalem erectionem praefati monasterii instituti Beatissimae Virginis, jam a s. Sede approbati, cum legitima clausura executioni demandet ... ibique nonnullas introducat et suo tempore ad professionem et respective ad habitum admittat etc.*

In *Aesina Votorum* diei 16. Decembris 1803 agebatur de communitate tertii Ordinis s. Dominici multis abhinc annis constituta et moniales in persuasione erant se emittere vota solemnia. Exortis deinde dubiis super solemnitate votorum s. Congregatio judicavit *esse vota simplicia et pro nunc non expedire ut solemnia emittantur.* Item in *Spoletana Votorum* 16. Martii 1838. In quibus casibus opinabatur consultor simplicia judicata fuisse vota ob defectum canonicae erectionis et clausurae papalis.*)

*) Expedit heic breviter utriusque causae *Aesinae* et *Spoletanae* facti speciem exponere, ut judicium accurate ferri possit. In *Aesina* agebatur de Monasterio Monialium Purificationis tertii Ordinis s. Dominici, quod antiquitus non aliud erat, quam parvum Conservatorium piarum virginum, in quo sub voluntaria Clausura vota simplicia nuncupabant. Recentiori tempore Episcopus N. voluit ut piae istae virgines habitum religiosum induerent et apposita formula coram ipso Episcopo vota solemnia emitterent. In professionis formula inter alia haec habentur: *Promitto . . . me servaturam Regulas statutas in hoc Monasterio, approbatas et declaratas ab Episcopis praedecessoribus.* Post ordinum suppressionem in pristinum ab Ordinario redactae fuerunt, renovata etiam professione, et Moniales in ea erant persuasione, scilicet sua vota solemnia esse. Exortum deinde est dubium ex eo quod Episcopus, qui hanc immutationem induxit, nullam obtinuerat a s. Sede licentiam convertendi Conservatorium votorum simplicium in verum Monasterium. Quare causa in s. Congregatione Ep. et Reg. discussa sub dubiis: I. an vota, quae emittuntur a Religiosis tertii Ordinis s. Dominici in Monasterio Purificationis in Aesina civitate, haberi debeant ut solemnia? et quatenus *negative*: II. an supplicandum sit SSmo pro Apostolica approbatione ejusdem Monasterii sub Regula tertii Ordinis s. Dominici et pro innovatione votorum emissorum a Religiosis viventibus, ut solemnia evadant? S. C. censuit ad I. respondere: *Esse vota simplicia:* et ad II: *Pro nunc non expedire: et ad mentem*

In citata *Spoletana* agebatur de Monasterio Monialium Ordinis s. Benedicti, quod auctoritate Apostolica fuit suppressum eique subrogatum Conservatorium pro virginibus periclitantibus, in eo tamen manentibus nonnullis Monialibus s. Benedicti. Conservatorium itaque eidem Monasterio subrogatum ex aliqua parte retinuit Regulam s. Benedicti veluti quamdam vitae normam et habitum Conversarum dicti Ordinis; nunquam autem habuit Superiorissam canonice electam neque horas canonicas recitavit neque Clausuram habuit: attamen professionem Virgines emittebant coram Episcopo et quidem ea formula, quae in usu erat in Monasteriis votorum solemnium. Ejusmodi autem professae in persuasione erant, votum tantum castitatis solemne esse. Animadvertens vero Episcopus ex enarratis, dictum Conservatorium considerari non posse ut partem religiosae familiae Ordinis s. Benedicti et e contra cum *solemnitas voti sola Ecclesiae institutione est inventa,* ut ait Bonifacius VIII, vota quae emittuntur in Religione aliqua, quae approbata non sit ad haec solemnia vota nuncupanda, non posse naturam excedere votorum simplicium; ea vota dicti Conservatorii non posse haberi ut solemnia opinabatur. Quare proposita fuerunt s. Congregationi dubia: I. »An vota quae emittuntur a Virginibus Conservatori s. Joannis Spoleti sint solemnia? et quatenus vota sint *simplicia:* II. an expediat ut deinceps profiteantur juxta professionis formam hactenus adhibitam? S Congregatio respondit: *Non constare de solemnitate votorum et Archiepiscopus novam professionis formam praescribat, quae Oblatis conveniat.*

Praeterea caeteris omissis eruditus consultor plura adducebat petita ac obtenta rescripta s. Sedis pro erigendis monialium monasteriis votorum solemnium, nedum extra Italiam sed etiam extra Europam et nominatim in Americae regionibus, in quibus rescriptis s. Sedes inter alias leges clausuram papalem et reliqua cum eadem clausura connexa enucleate constanter inculcat ac omnino observanda praescribit. Adducta autem auctoritate Solarzani *de jure Indiarum l. 3. c. 23. n. 18. et sqq.* ad suam sententiam confirmandam proposito sibi dubio respondendum esse *negative* opinabatur; atque ita viam sibi consultor aperuerat ad alia resolvenda dubia, quae cum potius in facto quam in jure consistant brevitatis causa omittere cogimur atque gradum facimus ad referendum synoptice secundi consultoris votum.

Votum secundi consultoris.

In tres partes dividens sui voti materiam alter consultor sibi proponebat ad normam canonici juris disquirere tria dubia analoga illis a primo consultore propositis. Primum autem dubium sequentibus verbis afferebat:

An sit conditio essentialis solemnitati votorum monialium pertinentium ad instituta cum votis solemnibus jam approbata, ut monasterium auctoritate apostolica erigatur ac in ea observetur rigorose papalis clausura?

Proposito autem hoc dubio sic consultor disputabat: inspecto antiquo communi jure pro erectione novorum monasteriorum regularium sufficiens reputabatur Episcopi dioecesani permissio, ut ex variis ss. canonibus apparet.

Sic in *can. de monachis caus. 18. quaest. 2.* legitur: »*Monasterium novum (nisi Episcopo aut permittente aut probante) nullus incipere aut fundare praesumat.*« Item in *can. Cellulas caus. 18. q. 2.* legitur: »*Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui.*« In Concilio oecumenico Chalcedonensi *actione sexta* haec statuta sunt: »*Qui vere et sincere singularem sectantur vitam, competenter honorentur; quoniam vero quidam utentes habitu monachi ecclesiastica negotia civiliaque conturbant circumeuntes indifferenter urbes necnon et monasteria sibi instituere tentantes, placuit nullum quidem usquam aedificare aut construere monasterium vel oratorium domum praeter conscientiam civitatis Episcopi.*«

Primam autem legem quae potestatem hanc circumscripsit consultor inquiebat fuisse decretalem Bonifacii VIII. emissam anno 1298, quaeque refertur in *tit. de excess. Prael. c. un. in 6.**)

In hac decretali adnotabat consultor cum Fagnano in *cap. Non amplius de Inst. n. 61.* facultatem Episcopis ademptam fuisse dumtaxat quoad Ordines mendicantes illisque praeservatam tamen esse facultatem quoad loca eremitica et Ordines non mendicantes.

Gregorius X. in Concilio oecumenico Lugdunensi *cap. unic. de relig. dom. in 6°.* religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, vetavit. Ac circa Ordines mendicantes confirmatos per Sedem Apostolicam, post idem tamen Concilium institutos, quibus per quaestum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, inter alia praescripsit professoribus eorumdem Ordinum: *nec de novo domum vel aliquem locum acquirant nec domos seu loca, quae habent, alienare valeant sine Sedis ejusdem licentia speciali.*

Clemens V. in *Clem. unic. de poenis* ad refraenandos mendicantes transgressores constitutionis Bonifacii VIII. poenas adjecit.

A Clemente V. usque ad Concilium Tridentinum nulla alia intervenit constitutio circa monasteriorum erectionem. Sacrum au-

*) Expedit heic ejusmodi Decretalem integre referre: »Cum ex eo quod Praedicatores, Minores et Religiosi alii mendicantes in civitatibus, castris, villis aut aliis locis ad habitandum domos vel loca de novo suscipiunt seu olim suscepta dimittunt, se ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque proveniant et frequentes clamores ad Sedem Apostolicam perferantur: nos super hoc providere volentes perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis vel aliqui de praedictis quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, (quae ipsis contra tenorem Constitutionis praesentis nullatenus volumus suffragari) in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocumque ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere seu hactenus recepta mutare vel ea venditionis aut cujusvis alienationis titulo quocumque in alios transferre praesumant absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem: si secus egerint, irritum decernentes. Per hoc tamen eis qui vitam duxerint eremiticam seu solitariam eligendam de Majorum suorum licentia (quia cellas, mansiones seu habitacula in eremo sive locis ubi non sit hominum habitatio de propinquo possint acquirere ac mutare), non intelligimus interdictum.«

tem Concilium *sess. 25. cap. 3. de regul.* praescribens ut in omnibus monasteriis tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur ac inposterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari subjungit: *nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.*

Clemens VIII. in const. *Quoniam ad institutam* 23. Julii 1603 etiam modum praescripsit quo licentiam a Tridentino praescriptam Episcopi dare deberent: *Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos conventus cujuscumque mendicantium Ordinis in civitatibus et locis eorum . . . ordinariae jurisdictioni subjectis erigendos impertiri nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium Conventuum Prioribus seu Procuratoribus et aliis interesse habentibus et causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos hujusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse.*

Gregorius XV. in decreto *Cum alias* 17. Augusti 1622 declaravit non esse concedendam a locorum Ordinariis dictam licentiam cuilibet Ordini nisi obtentus fuerit consensus Superiorum aliorum conventuum vel monasteriorum existentium intra spatium quatuor passuum millium et nisi prius probetur ex redditibus aut eleemosynis posse saltem duodecim religiosos sustentari.

Urbanus VIII. in constit. *Romanus Pontifex* diei 28. Augusti 1624 ad removendos abusus et lites, quae ob privilegia quibusdam Ordinibus vel Institutis concessa non observandi praescriptas formas obveniebant, revocavit ejusmodi privilegia vel concessiones ac edixit: *Praeterea Ordinum etiam mendicantium, Congregationum, Societatum et aliorum Institutorum regularium Superioribus . . . interdicimus et prohibemus ne licentiarum seu facultatum per Nos ut praefertur revocatarum et annullatarum, sive alio quovis praetextu vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova monasteria, collegia, domos, conventus et alia loca regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia ac servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini necnon constit. fel. rec. Clementis VIII., quae incipit:* Quoniam ad Institutam, *ac decretorum de mandato ejusdem Clementis necnon sanct. mem. Gregorii XV. rom. Pont. Praedec. desuper editorum forma recipere, erigere, fundare seu alias quomodolibet instituere seu incoepta finire et absolvere audeant et praesumant.*«

Denique Innocentius X. in constitutione *Instaurandae,**) postquam suppresserit in tota Italia et insulis adjacentibus conventus cujusque Ordinis, in quibus ob deficientem religiosorum numerum regularis disciplina custodiri non poterat, sic prosequitur: §. 5: *Verum quia parum est mala praecidere, nisi etiam malorum causa et radix evellatur, constitutiones fel. rec. Clementis VIII., quae incipit:* Quoniam ad institutam, *aliorumque romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum super erectione novorum conventuum editas earumque tenores innovantes illisque addentes hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularis Ordinum Mendicantium vel non Mendicantium, Congregationum, Societatum et cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis Jesu, in aliqua civitate, Castro, Villa seu loco ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere seu Monasteria, Conventus vel Collegia incipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis et gratis concedenda, praevia examinatione Congregationis negotiis Episcoporum et Regularium praepositae; si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis inhabilitatis etc. Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et Insulas adjacentes prout expedire viderimus providere.*«

Hisce expositis documentis exponebat Consultor varias Theologorum et Canonistarum sententias ac eas in tres ordines dividebat. Prima eorum est qui docent, sufficientem fuisse post Tridentinum Concilium Episcopi licentiam: ita sensit Navarr., Bordon., Passersin., Fagnan., Reiffenst. aliique ab hoc citati. Ratio praecipua quam adducunt est, quod Concilium in *cit. capit. 3.*, cum prohibuerit ne novi erigerentur Conventus sine Episcopi licentia, implicite derogavit decretali Bonifacii VIII. Quam rationem sic illustrat subsequentibus adductis constitutionibus Fagnanus in *cit. c. Non amplius de Instit. n. 66:* »Quam constitutionem *(Cle-*

*) Vd. *Monasterium.*

mentis VIII.) postea innovavit Urbanus VIII. praevia revocatione facultatum Regularibus concessarum erigendi conventus ubique locorum de sola Ordinarii licentia, ut in ejus Constit. *Romanus Pontifex.* Ergo a contrario sensu, servata forma in Const. Clementis praescripta, Conventus Mendicantium erigi poterunt de licentia Ordinarii nec opus erit licentia Sedis Apostolicae et hunc intellectum jampridem probavit sacra Congregatio Concilii, dum censuit pro erectione monasterii nedum requiri licentiam Ordinarii, sed servandum esse decretum Clementis VIII., nisi erigatur de licentia Sedis Apostolicae, quia tunc erigi potest sine Ordinarii licentia. Patet igitur non esse admittendum intellectum eorum, qui dixerunt Concilium in *dicto cap. 3.* in *fin.* non sustulisse Constitutionem Bonifacii VIII., sed praeter licentiam Sedis Apostolicae voluisse, ut adhiberetur etiam licentia Ordinarii: imo enim ex sententia sacrae Congregationis, ubi erectio fit de licentia Papae, Ordinarii licentia non est necessaria; et ubi fit de licentia Ordinarii, non est necessaria licentia Papae sed tantummodo servari debet solemnitas constitutionis Clementis, et ita multoties vidi observatum:*) nam eadem s. Congregatio, tam me Secretario quam anteactis temporibus, multas monasteriorum erectiones probavit ab Ordinariis factas absque licentia Sedis Apostolicae . . . Et alias censuit Episcopum non prohiberi de capituli et quorum interest consensu et absque Rectoris praejudicio ecclesiam saecularem ordinaria auctoritate in monasterium erigere.«

Altera sententia est eorum qui distinguentes Ordines mendicantes a non mendicantibus docent Concilium non abrogavisse constitutionem *Cum ex eo* Bonifacii VIII. sed eidem adjecisse novam formam, ita ut pro erectione monasteriorum mendicantium, post Concilium, necessaria sit Apostolicae Sedis et Episcopi licentia. Hoc autem confirmant constitutione Urbani VIII. *Romanus Pontifex.*, in qua prohibetur monasteriorum erectio sine expressa Episcopi licentia et sine observantia *formae a ss. canonibus praescriptae.* Sacri autem canones exigunt pro mendicantibus dumtaxat licentiam Apostolicam. Ad Ordines autem non mendicantes quod attinet, iidem Auctores ostendunt, hos Ordines extra Italiam posse sola Episcopi licentia erigere monasteria: sacri enim canones seu *cap. Cum ex eo, cap. un. de religiosis dom. in 6, Clement. Cupientes de poenis,* supra allegati expresse loquuntur de Ordinibus mendicantibus; proindeque sub hac lege non comprehenduntur Ordines non mendicantes, quibus solummodo ex constit. Innocentii X. interdicitur sine licentia Apostolicae Sedis erectio monasteriorum in Italia. Ad hujusmodi sententiam confirmandam allegatur s. Rotae *decisio 745. par. 2. recent.*

Ad removendam autem difficultatem quae peti potest ex opere Benedicti XIV. *de synod. dioeces. lib. 9. cap. 1. n. 9.* adducto textu*) observabatur, Benedictum XIV. non *ex professo* sed obiter et perfunctorie de hac quaestione loqutum fuisse: consideratis autem rationibus, quas adducit, quae respiciunt tantum Ordines mendicantes, Benedictus XIV. dicendus est ejusmodi dumtaxat Ordines prae oculis habuisse cum affirmavit, non licere extra Italiam regularibus nova erigere monasteria sola Episcopi localis auctoritate; et in decisionibus s. Rotae quas

*) Auctoritas Prosperi Fagnani dum loquitur in praxi ss. Congregationum pluris facienda est, qui de hac re erat maxime versatus. Etenim Paulus V. loco celebris Joannis Francisci Fagnani ejus Patrui illum sacrae Tridentini Concilii Congregationi a Secretis anno aetatis suae secundo supra vigesimum suffecit; a subsequentibus insuper summis Pontificibus sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium suffectus est, deinde Apostolicae visitationis alteriusque super statu et reformatione Regularium, Indulgentiarum etc. Demandata quoque illi fuit explicandorum Canonum in summo s. Poenitentiariae Tribunali provincia; postea vero ejusdem Tribunalis sigillo eidem collato, pluribus sacris consessibus, quamvis caecitatis infortunio affectus, eodem tempore inservivit ac decessit anno aetatis suae nonagesimo primo.

*) Loco citato sic legitur: »Cum jampridem ante Tridentinum Concilium Regularibus interdicta fuerit novorum monasteriorum acquisitio sine expressa licentia Apostolicae Sedis, ut videre est in *cap. Religionum* §. *Confirmatos de relig. domibus in 6.* et in *cap. Cum ex eo* de excess. *Prael. in 6*, satis patet, nihil a Tridentina synodo detractum fuisse ejusdem Apostolicae Sedis auctoritati praecedenter stabilitae sed illud dumtaxat statutum fuisse, ut, praeter eam, episcopalis quoque auctoritas et licentia in iisdem erectionibus interveniret. Quare communis hodie et in Tribunalibus recepta est opinio, non licere Regularibus tam intra quam extra Italiam nova Monasteria aut Conventus sive Collegia fundare sola Episcopi localis auctoritate, sed Apostolicae Sedis licentiam praeterea necessariam esse . . . Quae omnia mature discussa et definita fuerunt occasione ejusdem causae *Eystetten. Fundationis Hospitii*, in qua tres decisiones Auditorii Rotae emanarunt, una die 10. Maji 1726, altera die 28. Aprilis 1727 coram Gamachaeo ac tertia demum coram Ratto.«

adducit, agebatur de quodam mendicantium conventu.

Tertia demum sententia, quae communior esse videtur, sustinet, omnes regulares cujuslibet Ordinis etiam extra Italiam non posse erigere monasteria, nisi apostolica et episcopali licentia. Rationes autem praecipuae quae adducuntur sunt ejusmodi: Primo Concilium Tridentinum non derogavit ss. canonibus seu constitutionibus antecedentibus, quae praescribunt licentiam apostolicam: namque cohaerere bene possunt simul Episcopi et s. Sedis licentia; una enim alteram non excludit. Secundo Urbanus VIII. in const. *Romanus Pontifex* supra adducta verbis: *etiam mendicantium* comprehendit quoque non mendicantes: particula enim *etiam* est ampliativa; quod confirmatur verbis immediate sequentibus: *Congregationum, Societatum et aliorum institutorum regularium.* Porro his omnibus prohibet ne monasteria et conventus erigant nisi *de expressa Ordinariorum licentia ac servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum . . . forma.* Verum ss. canones exigunt apostolicam licentiam; ergo etc. Tertio Innocentius X. in const. *Instaurandae* omnibus regularibus prohibet conventuum erectionem sine praevia s. Sedis licentia. Neque dicas ejusmodi constitutionem respicere Italiam dumtaxat et insulas adjacentes. Haec enim limitatio locum habet tantum in prima constitutionis parte, qua supprimuntur in his locis conventus, non autem in parte altera, in qua prohibetur erectio novorum conventuum.

His tribus sententiis breviter expositis consultor animadvertebat, consideratis rationibus utrinque adductis, sibi videri secundam sententiam graviori fundamento inniti. Namque Urbanus VIII. in const. *Romanus Pontifex*, praescribens observantiam formae ss. canonum et Tridentini Concilii, satis declaravit, Concilium illis non derogasse: sacri autem canones de quibus est sermo respiciunt Ordines dumtaxat mendicantes: ergo etc. Declarabat autem consultor quinam regulares comprehendi debeant sub nomine mendicantium: atque cum Sanchez *de praeceptis l. 6. c. 7. n. 115.* ajebat: »Comprehendentur mendicantium nomine ii, quibus ex regula vel constitutionibus a Sede apostolica approbatis interdictum est redditus et possessiones in communi habere, quamvis illicite contra prohibitionem illa habeant vel licite ex Pontificis dispensatione, sicut hodie in *Trident. sess. 26. de regul. cap. 3.* dispensatur cum omnibus mendicantibus praeter minores de observantia et Capucinos. Quare ad Ordines mendicantium pertinent quatuor antiquiores Ordines s. Dominici, minorum, Eremitarum s. Augustini et carmelitarum, de quibus fit mentio in *cap. unic.* §. *sane de relig. domibus in 6.*, ac praeterea Ordines servorum Mariae, minimorum s. Francisci a Paola, s. Hieronymi, ut declaravit s. Pius V. in const. 35. *Romanus Pontifex* et *48. Apostolicae Sedis*, societas Jesu, ex bulla *Dum indefessae.*

Ad caeteros autem Ordines non mendicantes quod spectat, consultor testabatur non haberi legem clare expressam, quae extra Italiam obligationem de qua agimus imponat. Cum autem agatur de forma observanda ad validitatem actus, necessaria est lex certa et clara; secus etiam in dubio standum esset pro validitate actus. Rejiciebat vero rationes tertiae sententiae. Namque in adductis constitutionibus vel praescribitur modus, quo Episcopi dare licentiam debent, vel privilegia revocantur et ad antiquam formam concessae facultates reducuntur: nova autem lex non est in hac re statuta. Circa constitutionem autem Innocentii X. inter alia consultor adnotabat, Fagnanum *loc. cit. n. 71.* testari dictam constitutionem se secretario compilatam fuisse in s. Congregatione super statu regularium. Quare prae caeteris ejusdem sensum noscere potuisse. Porro Fagnanus adducta constitutione ait, eamdem *egressam nondum esse Italiae fines et insulas adjacentes.* Et reapse ultima verba illius constitutionis: *Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et insulas adjacentes prout expedire viderimus providere*, sese referunt ad futuram faciendam dispositionem.

Inspecta autem praxi supremorum Tribunalium, observabat consultor, ejusmodi Tribunalia non semper videri sequuta fuisse in causis judicandis eamdem sententiam; ex quo arguebat legem claram non adfuisse quae omnibus regularibus extra Italiam obligationem de qua loquimur imponat. Quodsi regulares omnes soleant ejusmodi licentiam petere ab apostolica Sede, id necessitatem licentiae non ostendit. Optime tamen se gerunt regulares sic agentes, in quaestione praesertim admodum implexa, ut monasteri-

rum erectiones inconcussam firmitatem obtineant.

His omnibus praemissis gradum sibi fecit doctus consultor ad ea pertractanda, quae propius quaestionem nostram attingunt. Hinc secum ipse quaerebat: an in monialium monasteriis erigendis necessaria sit s. Sedis licentia praeter licentiam Episcopi; ac initio observabat duas esse etiam in hac re auctorum sententias. Alii enim cum Gavanto *manual. verb. monialium monasteria*, Tamburino *de jure Abbatissarum*, Barbosa *de Potestate Episcopi* contendunt necessariam esse s. Sedis licentiam pro erigendis monialium monasteriis, quia moniales comprehendi ipsi sustinent sub iisdem dispositionibus canonicis hactenus pro regularibus adductis. Argumentum praecipuum hujus sententiae petitur ex duplici declaratione ss. Congr., altera quae a Lezana citatur diei 12. Aprilis 1615 et a Gavanto refertur *loc. cit.* in qua dicitur erigi non debere monialium monasteria absque speciali s. Sedis licentia, altera S. C. C. in *Ulixbonen.* 17. Julii ejusdem anni quae a Barbosa allegatur: *Apost. decis. collect. 62. n. 3.*, ibi: »moniales transferri non possunt in monasteria noviter erecta, nisi eadem monasteria auctoritate apostolica extructa fuisse prius constiterit, ipsaque praevia visitatione earumdem monialium capacia eisque accommodata atque ita absoluta reperta fuerint, ut caementariis aliisque fabris nulla aedificationis causa in ipsa ingrediendi necessitas relinquatur.«

Altera sententia, quam docent Rebuff. *in praxi tit. de erect. in colleg. n. 1.*, Fusch. *de visit. l. 7. c. 1. n. 6.*, Gambar. *de offic. de potest. legat. de later. l. 5. c. 3. n. 3.*, Garzia *de benef. p. 12. c. 5. n. 4*, Pignatel. *t. 1. consul. 179. in fine*, innititur *can. Quidam* et *can. Qui religiosis foeminis, et seq. 18. q. 2.*, quibus non derogarunt neque Tridentinum neque pontificiae constitutiones. Moniales enim sub nomine mendicantium non veniunt, Sanchez *de praeceptis decal. l. 6. c. 7. n. 116.*, quia *ut bene ajunt Angel. et Sylvester moniales non habent ex privilegio, sed ex sua regula, posse habere redditus in communi.* Neque moniales veniunt *in odiosis* sub nomine regularium. Hinc Concilium Trid. et constitutiones pontificiae cum sub dispositionibus moniales comprehendere voluerunt id expresse declararunt, sic ex. gr. Concil. Trid. *sess. 25. de regul. c. 1.*, *Regulares, tam viri quam mulieres*, cap. 2: *regularium tam virorum quam mulierum*, cap. 5: *omnibus monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum*; item cap. 11. et 15; sic pariter Clemens VIII. in const. *De largitione munerum*, aliique. Rationes insuper reddit Pignatell. *loc. cit.* cur moniales non comprehendantur sub dispositione constitutionum, quas supra adduximus, scilicet tum quia dispositio, quae versatur circa aliquam materiam qualificatam, non habet locum, nisi inveniat in materia qualitatem expressam a disponente, tum quia intentio non fertur extra eos, pro quibus intenditur finis; et in casu, cum finis fundationum monasteriorum sit succurrere necessitatibus regularium, non fertur intentio extra eos, qui non subjiciuntur ejusmodi necessitatibus, quales sunt moniales, quae habent suas dotes etc. Quam sententiam probavisse dicitur s. Congregatio Concilii; Fagnanus *loc. cit. n. 69.* Hac autem posita diversitate sententiarum inter auctores tanti nominis consultor inferebat legem saltem certam non haberi, quae exigat pro jam approbatis a s. Sede monialium institutis apostolicum beneplacitum in novorum monasteriorum erectione.

Hinc respondebat consultor difficultati desumptae ex s. Sedis praxi, qua nova monasteria monialium non eriguntur sine apostolica licentia. Adnotabat enim consultor ob alias rationes, quam ex directa lege, ejusmodi praxis inducta est, prout declarat Fagnanus in *cap. Grave de officio Ordinarii n. 53.*: »Consuevit quandoque dubitari, an Episcopis liceat ordinaria auctoritate monasterium monialium erigere in vim dicti *cap. 3. sess. 25. de reg.* Practica est, ut erectiones fiant a Sede apostolica tum *propter gratias, indulgentias, privilegia et exemptiones* quae ab illa *impetrantur tum propter facultatem educendi Abbatissam ex aliis monasteriis pro novi monasterii institutione.* Cum enim haec facultas fuerit Episcopis adempta per constitutionem Pii V. super clausura monialium, ut idemmet Pius V. declaravit, illa non consuevit concedi nisi pro monasteriis erigendis auctoritate apostolica. Supplicationes autem remittuntur a SSmo ad Congreg. Ep. et Reg. in qua examinantur conditiones et qualitates ad id requisitae, nempe ut erectio non fiat pro pauciori numero quam duodecim monialium choristarum: ut dos constituatur non in censibus, sed in bonis stabilibus frugiferis ac liberis

ab omni onere et fidei-commisso purificato aut purificando; et non minores redditus pro dicto numero duodecim quam 300 Ducat. aureor. et majoris pro locorum qualitate, ultra dotes ordinarias a puellis deferendas: ut monasterium erigatur intra moenia in loco salubri ac libero a prospectu: ut fabrica, clausura, ecclesia interiori et exteriori, loco pro Novitiis distincto atque omnibus officinis sit sufficienter instructum et alia id genus.« Quare obligatio obtinendi s. Sedis veniam pro monasteriorum monialium erectione derivat non quidem ex directa lege, quae hanc licentiam praescribat, sed *indirecte* ex lege clausurae aliisque connexis. Ex qua animadversione concludebat consultor, si ex aliqua circumstantia monasterium monialium alicujus Ordinis jam a s. Sede approbati erectum fuerit sola Episcopi licentia juxta Tridentinum Concilium, non inde sequi, monialium professiones esse nullas: *Multa enim fieri prohibentur, quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.* Maxime cum agatur de actu solemnissimo, ex quo graves effectus derivant: inter quos ille recensetur, quo nullum deinde redditur matrimonium. Quare ut hujusmodi solemnis professionis actus irritus dicatur lex omnino clara et certa haberi debet, sicut reapse in similibus habetur cum agitur de aetate profitendi etc.

Adducebat autem consultor ad rem documentum a Pignatell. relatum *tom. IV. consul. 74. n. 5.*, quod omni exceptione majus esse videtur. Hoc enim documento ostenditur s. Sedem valida retinuisse solemnia monialium vota, emissa in instituto jam a s. Sede approbato, licet monasteria quaedam sola Episcopi auctoritate fuissent erecta*) et clausuram servarent tantum quoad egressum non vero quoad ingressum propter quartum hospitalitatis votum. Eas enim moniales s. Sedes declaravit *esse vere religiosas;* quemadmodum e contrario s. Sedes respondet non *esse vere religiosas* moniales votorum tantum simplicium.

Post haec consultor disquisitionem instituebat super altera dubii parte, an clausurae papalis defectus in aliquo monasterio irritas reddat religiosas professiones; ac statim adnotabat religiosam clausuram duplici parte constare: alia enim est *observatio claustri non egrediendo extra illud: alia est ejusdem claustri observatio non admittendo personas extraneas saeculares vel laicas intra illud.* Observabat autem essentialem non esse *natura sua* clausurae legem religiosae professioni; ea enim oritur vel *ex voto* aliis adjecto, juxta formulam ab Urbano IV. approbatam, quam refert Tamburinus *de jure Abbatissarum disp. 18. q. 7.*, vel ex ecclesiastico praecepto. Bonifacius VIII. universali constitutione primus clausurae legem edixit, *cap. Periculoso de statu regularium in 6.*: »Praesenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus, universas et singulas moniales praesentes atque futuras, cujuscumque religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de caetero permanere clausura ita quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae sit vel esse valeat, quacumque ratione vel causa (nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas . . .« Haec autem constitutio innovata fuit in Conc. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 5.*, quod universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et in-

*) Hujus tenoris est documentum prout a Pignatellio refertur: »Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam etc. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Moniales reformatae Monasterii seu Hospitii Dei, nuncupatae Misericordiae Jesu, Ordinis s. Augustini, Oppidi nuncupati Eieppe, Rothomagensis dioecesis, quod ipsae etc. ac tria Religionis vota solemnia, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae necnon hospitalitatis erga pauperes infirmas exercendae, quartum votum emittere solitae fuerunt etc., clausuram servarunt, Superiorissam ad triennium etc., alia loca et domos regulares sub eisdem Regula et Instituto *de licentia Ordinarii* fundarunt etc. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, his non obstantibus, nonnullae Religiosae dictarum exponentium quieti earumque progressui et incremento forsan invidentes asserant easdem exponentes non esse veras Professas et Regulares, unde earum status convelli multaeque perturbationes et inconvenientia exoriri possent, nobis propterea eaedem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de opportunae declarationis gratia in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis etc. hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, attentis narratis, Moniales in praefato Monasterio juxta ipsius Regulam et vota professionem emittentes *esse vere Religiosas auctoritate Apostolica* tenore praesentium *declaramus ac decernimus etc.* Die 19. Julii 1664. Pontificatus nostri anno nono.«

terminatione maledictionis aeternae praecepit *ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui et ubi inviolata est conservari maxime procurent.*« Post hujusmodi gravia verba ipsum Concilium satis declarat in quo ejusmodi clausura sita sit: »*Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio etiam per breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus.*«

Haec duo decreta in examen revocans consultor inter caetera animadvertebat in eo convenire, ut clausurae legem imponant monialibus *professis*, quemadmodum s. Congregatio Concilii declaravit circa moniales Tertiarias sive de poenitentia, quae si professae sint ab Episcopis debent ad clausuram cogi; si vero professae non sint, observanda est constitutio s. Pii V. *Circa pastoralis officii.* Quare tantum moniales professae his duobus decretis lege clausurae obstringuntur, non caeterae quae tria substantialia vota non emittunt. Discrepant insuper duo dicta decreta maxime in eo, quod Tridentinum *privilegiis quibuscumque* derogavit ac insuper facultatem fecit Episcopis ex legitima causa concedendi sanctimonialibus exeundi licentiam.

S. Pius V. in constit. *Circa Pastoralis* renovans utrumque decretum statuit.*) Praeterea idem Pontifex alia constitutione *Decori***) quodammodo coarctans facultatem a Tridentino Episcopis concessam praescripsit: »De caetero enim infirmitatis seu aliorum monasteriorum occasione et praetextu, nisi ex causa magni incendii aut infirmitatis leprae aut epidemiae a monasteriis praefatis exire, sed neque in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licebit.« Quae constitutiones confirmatae subinde fuerunt a Gregorio XIII. in constit. *Deo sacris* ***) et a Benedicto XIV. const. *Salutare*†) et in altera *Regularis disciplinae.*††)

His expositis, quae ad legem clausurae spectant, sibi quaerebat consultor, an ejusmodi clausura, quae papalis dici solet, sit conditio essentialis solemnitati votorum, ita ut ubi talis clausura non vigeat eo ipso sanctimonialium vota dicenda sint simplicia. Et ante omnia investigabat, quodnam reale discrimen intercedat inter illam vocum distinctionem vulgari usu invectam, qua alia dicitur clausura papalis, alia clausura episcopalis; ac animadvertebat in jure ejusmodi distinctionem non haberi. Ex jure enim moniales ad clausuram tenentur et Ordinarii vigilare debent super hujusmodi clausurae observantia. Inspecta autem hac loquendi ratione nomine clausurae papalis ea intelligitur, super qua Episcopi dispensare non possunt nisi in casibus in pontificiis constitutionibus contemplatis vel iisdem similibus juxta probabiliorem theologorum sententiam. Clausura autem episcopalis ea dicitur, super qua Episcopus libere dispensat.

Animadvertebat insuper consuetudinem rationabilem et legitime introductam, juxta communem sententiam, posse legum rigorem clausuram imponentium moderari, ceu inter alios docet Reiffenstuel *l. 3. tit. 35. §. 2. n. 66;* quod etiam facto in quibusdam monasteriis contigisse comperimus.

His animadversis sic ad rem nostram ratiocinabatur consultor. Absque dubio ecclesia tanquam essentialem conditionem statuere potest, ut in actu professionis intentio saltem implicita a vovente habeatur, ut sese obliget ad clausuram observandam. Etenim professione religiosa constituitur monialis in publico solemni ecclesiae statu et speciali ratione persona evadit ecclesiastici status, cujus institutio et regimen eis subjicitur, quos Deus posuit ad ecclesiam gubernandam. Quae dici non possunt de iis qui vota simplicia emittunt, quae in privata actione consistunt inter Deum et voventem, independenter ab ecclesiae acceptatione, quamvis et ejusmodi simplicia vota, ut convenienter observentur, si publice emissa fuerint, ad ecclesiae Praesules curare pertineat. Ecclesia itaque conditionem praedictam adjicere potest, ut monialis vovens in tali ecclesiae statu collocetur. Videndum itaque superest an ecclesia id fecerit. In citata constitutione s. Pii V. haec clausula adjicitur: *Caeteris autem omnibus sic absque emissione professionis et clausura omnino vivere volentibus interdicimus etc.* Interdicit itaque s. Pontifex ac irritas praeterea declarat admissiones et professiones a

*) Quae statuit vd. *Clausura monial.* (egrediendi causae — *morbus* §. 2—4· p. 1232.)
**) Vd. *Ibidem* p. 1234.
***) Vd. *Ibidem.* (IX. *Quaestuatio* p. 1235.)
†) *Clausura monial.* (ingressus mulierib. vetitus.)
††) Vd. *p. 1220.*

monialibus emittendas, quae sub clausurae lege vivere absolute recusant. Hinc theologi docent irritas esse professiones monialium sub conditione emissas sese ad clausuram non obligandi. Miranda *de sacris monialib. q. I. art. 4*, Lezzana, *t. 1. summae c. 25. n. 17.*, Emmanuel Rodriguez *t. 1. quaes. regul. q. 4. art. 1.* aliique.

Cum autem clausurae essentia in eo sita sit ut moniales exire e monasterio non possint sine legitima dispensatione neque extraneos in monasterio admittere sine licentia legitima, exinde opinabatur consultor posse concludi sub hac s. Pii V. poena non comprehendi moniales illas, quae in monasteriis vivunt clausurae legi subjectis, quamvis clausura papalis rigorose in iisdem non observetur, dummodo moniales paratae sint ad eam rigorose observandam. Quocumque enim nomine clausura appelletur sive dicatur papalis sive episcopalis, seu ea clausura sit, cujus rigor per praescriptam consuetudinem quadamtenus temperatus fuerit vel etiam per abusum, dummodo moniales dispositae sint sese subjicere s. Sedi vel Episcopo clausuram in pristinum rigorem revocaturo, si id opportunum judicetur; cum ejusmodi moniales illae non sint, quae *absque clausura omnino vivere volunt*, sub praedicta poena, quae a s. Pio V. comminata est, non comprehenduntur.

Post haec consultor difficultates sequentes sibi resolvendas proponebat: s. Sedes in concedenda licentia erigendi sanctimonialium monasteria votorum solemnium obligationem imponit statuendi papalem clausuram: quare non observata hac rescripti clausula monasterii erectio illegitima erit; hinc irritae professiones. Etenim quando concessio fit sub aliqua forma, irritus est actus, si ea negligatur. *Cap. Cum dilecta de rescrip. et cap. Venerabilis, de offic. deleg.* Insuper ex constanti s. Congregationis Epis. et Reg. praxi, qua non conceditur monasteriorum erectio, quin in eo constituatur clausura papalis, videtur posse concludi s. Sedem non recognoscere solemnia vota quando emittantur in monasteriis, in quibus constituta et observata non sit papalis clausura.

Primae difficultati respondebat consultor, s. Sedem constanter quidem in ejusmodi licentiis concedendis institisse pro exacta observantia hujus sanctae legis tam utilis et necessariae ad implementum votorum solemnium et consecutionem religiosae perfectionis; verum ex dicta clausula in rescriptis apposita consultori inferri non posse videbatur, quod si Episcopus ex legitimis causis, habita ratione loci, in monasterii erectione statuat quidem clausurae legem, sibi facultatem tamen reservans concedendi aliquas dispensationes, quas opportunas prudenter existimaverit, dici idcirco debeat illegitima monasterii fundatio irritaeque professiones emissae. Namque ut haec affirmari tuto possent, ostendere necesse esset, ejusmodi clausula praescribi substantialem formam ad validitatem actus: ut puta si in rescripto adjiceretur clausula: *sic nec alio modo: si secus fiat irritum sit et inane* vel alia sive *explicite* sive *implicite* huic aequivalens. Quod si in rescripto lex adjiciatur quae jam a communi jure praescribitur, non tamen sit validitati actus substantialis, hac clausula non nova inducitur substantialis forma, sed ad instar instructionis ea apponitur; namque *expressio conditionis, quae de jure inest, nihil operatur, Argum. Legis 3. ff. de Legatis 1.* Quare Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 33.* inter alia scribit: »quoties exprimitur in commissione forma juris communis eo modo quo jure inest non est intentio committentis inducere novam formam et conditionem, sed est admonitio quaedam ut servetur forma juris communis: quare ea praetermissa non irritatur actus, qui alias validus esset, nisi in commissione ea forma exprimeretur, ut optime docent Glossa *Clement. 1. de officio delegati.* Quinimo idem auctor adjungit *loc. cit. n. 6.*, quodsi forma adjiciatur, quae non sit juris communis, non reputanda est essentialis validitati actus, *nisi ex aliis conjecturis clare deprehendatur oppositum.*

Porro in re nostra jure communi inspecto cum clausura non sit conditio actui substantialis, excepto casu constitutionis s. Pii V. de monialibus *absque clausura omnino vivere volentibus*, prima proposita difficultas evanescere videbatur.

Alteri vero difficultati consultor respondebat, affirmari non posse s. Sedem non habere ut solemnia ea vota, quae emittuntur in monasteriis, i· quibus dumtaxat episcopalis clausura servatur. Quinimo ex facto contrarium constare ajebat. In facto enim constat, quod in casibus, in quibus relaxata nimis est ac fere obliterata clausurae lex, sancta Sedes non ideo declaravit irritas so-

lemnes professiones, sed opportunis remediis ad clausurae observantiam moniales professas coegit; exemplo sit constitutio Benedicti XIV. *Cum sacrarum.**) In facto pariter compertum esse inquiebat, adesse monasteria votorum solemnium cum clausura dumtaxat episcopali: et ad instar exempli consultor adducebat quatuor monasteria, quae extant in Aesina civitate, quorum duo sunt s. Clarae, tertium Carmelitarum et quartum s. Benedicti, in quibus moniales solemnia vota nuncupant: ejusmodi quatuor monasteria usque ad finem elapsi saeculi subjecta erant legi clausurae papalis; post Gallicam invasionem sub Pio VII. in pristinum redacta clausuram ab eo tempore episcopalem servant. Quamvis autem Episcopi subsequentes de hac re certiorem fecerint s. Sedem, nihilominus cum s. Sedes intelligeret ea monasteria hac clausura bene procedere nullam innovationem faciendam esse existimavit. Ex quibus omnibus consultor concludebat defectum clausurae papalis posse quidem causam exhibere qua s. Sedes declaret inposterum vota emittenda esse debere simplicia, hujusmodi tamen defectum per se professiones solemnes irritas non reddere, excepto casu constitutionis s. Pii V.

Post haec gradiebatur consultor ad secundum sibi propositum expendendum dubium:

An vota monialium visitationis B. M. V. s. Ursulae, s. Theresiae, s. Benedicti et aliarum monialium in statibus foederatis sint solemnia?

Cum juridica quaestio ample jam disceptata sit, dumtaxat indicabimus quid in hac re opinaretur consultor. Attentis s. Sedis rescriptis adductis absque dubio vota monialium visitationis renuncianda esse solemnia existimabat: quoad caeteras vero moniales distinguebat monasteria alicujus Ordinis vel instituti cum votis solemnibus a s. Sede approbati a caeteris quae approbata non sint cum votis solemnibus. Si de his secundis agatur, certum esse inquiebat eorum vota esse simplicia; si vero de prioribus institutis agatur, solemnia esse opinabatur, non obstantibus locorum circumstantiis; verum super hoc judicio supersedendum esse sentiebat, cum notitiae et opportuna documenta ad recte judicandum consultori deficerent. Hinc tertium sibi proponebat quaesitum quomodo providendum sit.

Consideratis loci adjunctis, considerata recentiori s. Sedis praxi in hujusmodi circumstantiis opinio a consultore expressa non multum discrepabat a sequenti providendi ratione, quam tum s. Congregatio tum Sanctissimus oraculo vocis pronunciavit.

Re mature discussa in particulari Congregatione a SSmo super hac quaestione judicanda specialiter constituta die 1. Septembris 1864 responsum fuit: *Ad mentem: mens est:*

I. *Vota, quae emittuntur a monialibus visitationis in enunciatis monasteriis, attentis rescriptis a s. Sede impetratis, esse solemnia.*

II. *Ad clausuram quod attinet, praedictae moniales facultatibus jam eisdem concessis in variis s. Sedis rescriptis utantur.*

III. *Cum elementa necessaria non habeantur ut ferri judicium possit super votorum natura, quae caeterae moniales emittunt in monasteriis jam erectis, opportunum judicatur pro nunc interloquendum super iisdem non esse.*

IV. *Quod attinet ad monasteria de novo erigenda cum votis solemnibus recurrant ad s. Sedem pro approbatione, dummodo adimpleri possint, saltem quoad substantiam, conditiones praescriptae a Concilio Tridentino, a constitutionibus Apostolicis et a decretis ss. Congregationum.*

V. *Attentis locorum et temporum circumstantiis inposterum in omnibus statibus foederatis in monasteriis religiosarum pertinentium ad instituta votorum solemnium, comprehensis quoque monialibus visitationis, post novitiatum vota simplicia emittantur et elapsis quinque annis a professione votorum simplicium admitti possint ad nuncupanda vota solemnia, praeviis per spatium decem dierum spiritualibus exercitiis et professae votorum simplicium gaudeant omnibus gratiis et favoribus spiritualibus, quemadmodum professae votorum solemnium.*

Et facta de praemissis relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. IX. in audientia habita a R. P. D. Pro-Secretario die 2. Septembris 1864 Sanctitas Sua mentem s. Congregationis moderandam esse existimavit, ut sequitur:

I. *Vota quae emittuntur a monialibus visitationis in enunciatis monasteriis attentis rescriptis a s. Sede impetratis sunt solemnia.*

II. *Ad clausuram quod attinet, praedictae moniales facultatibus jam eisdem concessis in variis s. Sedis rescriptis utantur.*

III. *Attentis locorum et temporum circumstantiis inposterum ab iisdem monialibus visitationis post novitiatum vota simplicia emittantur et elapsis quinque annis a professione votorum simplicium admitti possint ad nuncupanda vota solemnia, praeviis per spatium decem dierum spiritualibus exercitiis et professae votorum simplicium gaudeant gratiis et favoribus spiritualibus quemadmodum professae votorum solemnium.*

IV. *Vota quae emittuntur ab aliis monialibus in monasteriis jam erectis simplicia sint, excepto casu, quo obtinuerint a s. Sede rescriptum ad emittenda vota solemnia.*

V. *In aliis monasteriis, quae inposterum erigentur in omnibus statibus foederatis, vota religiosarum nuncupanda sint simplicia.*

Ex hac speciali provisione pro statibus Americae foedere junctis inter alia colliges: Eam esse Apostolicae Sedis mentem, qua expedire non existimat ut vota solemnia moniales emittant in iis regionibus, in quibus ratione circumstantiarum et civilium legum praesertim clausurae lex tantopere a ss. canonibus inculcata tantisque poenis sancita vel servari non possit vel facile possit violari, quamvis moniales ad eos Ordines pertineant, qui a s. Sede approbati sint ad vota solemnia Deo nuncupanda.

*) Vd. *Clausura monial.* (regressus.)

i) Ingrediendi licentiam quis concedat?

Vd. *Claus. Monial.* (ingress vetit., Constit. Bened. XIV.: *Salutare;* ingressus Episcopi §: *F. Felicianus* p. 1260; ingressus superior. saecular., *decr. 26. Febr. 1707.);* p. 912. VI; 913. VII.

Ad dub. I: An Superiori seu commissario monasterii sine censurarum incursu licitum sit etiam cum justa et legitima causa clausuram ingredi absque licentia Episcopi vel ejus delegati?

II: An licentiae concessae pro medicis*) et aliis qui ex necessitate in clausuram ingrediantur privative dari debeant a commissario monasterii sive cumulative etiam ab Episcopo?

III: An hujusmodi licentiae pro medicorum aliorumque ingressu absolute vel ad limitatum tempus sint concedendae?

IV: An ad alloquendum cum monialibus concessio licentiae saecularibus ac aliis quibuscumque privative quoad Episcopum pertineat ad Superiorem monasterii sive potius cumulative ad dictum Superiorem et Episcopum vel ejus delegatum?

V: An Episcopus sub censurarum poena prohibere possit tam Priori conventus Carmelitarum existen. in terra Putignani quam aliis quibuscumque religiosis ejusdem ordinis, ne sine ejus vel Vicarii licentia in scriptis cum monialibus alloquantur?

VI: An Episcopus prohibere valeat dictis Superiori et religiosis conventus, ne sine ejus licentia missam in ecclesia monialium celebrent et in casu contraventionis procedere possit contra ipsos ad aliquam poenam?

VII: An ad crates ecclesiae seu collocutorii aut alibi liceat commissario monasterii sermonem aut conciones habere ad moniales sine Episcopi licentia?

VIII: An ordines prohibentes accessum ad collocutoria et crates monialium a solo Episcopo indici et publicari debeant?

IX: An sub censuris per Episcopum prohiberi valeat, ne portam clausurae Priorissa aperiat tam in accessu consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu ad alloquendum cum monialibus, quam ubi et quando res in monasterium per rotam introduci possunt?

S. C. resp.

Ad I: Negative excepto casu visitationis faciendae semel in anno.

Ad II: Negative ad I. partem, affirmative ad II.

Ad III: Concedendas esse ad tempus limitatum.

Ad IV: Negative ad I. partem, affirmative ad II.

Ad V: Affirmative.

Ad VI: Negative.

Ad VII: Affirmative pro solis Monialibus et clausis januis.

Ad VIII: Affirmative quoad Ordines publicandos per edictum.

Ad IX: Negative.

Die 31. Mart. et 8. Maji 1751.

*) Vd. infra: *Clausura monial. (Ingressus medici.)*

Ad dub.: An Delegatus a Superiore monasterii possit absque licentia accedere ad monasterium et an aliis licentiam concedere possit solus vel unitim cum Episcopo?

S. C. resp.: Affirmative quoad Delegatum et quoad alios unitim cum Episcopo.

Anno 1692.

Hyeracen. Visitationis.

Intra dioecesim in oppido Castri veteris adest monasterium monialium b. M. V. Vallis viridis subjectum jurisdictioni Priorissae Messauensis et pro tali a s. Congregatione reputatum 1597. In contradictorio judicio inter Priorissam et tunc temporis Episcopum Hyeracensem ad visitationem hujus monasterii curavit accedere 1690. modernus Episcopus, qua quoad clausuram acta volens eam perficere quoad singulas moniales fuit impeditus, qua re praesupposita ac informante supra infrascriptis dubiis concordatis dignentur EE. VV. respondere:

An medici aliique ministri necessarii ingredi possint cum sola licentia et approbatione delegati absque licentia vel consensu Episcopi?

Die 26. Januarii 1692 s. Congregat. censuit: Danda esse decreta in hac ipsa Hyeracen. a s. Congregatione Concilii edita 1681. ad III. dubium tenoris sequentis:

Tertio item se sotto nome d'infermità, Tantesche ordinarie, Garzoni, quali hanno da portare grano, farina legna, acqua, ed altre cose necessarie, Sartori, Muratori, Falegnani, e Procuratori possano o non possano entrare in detto monastero?

S. Congregatio respondit: Licentiam ingrediendi monasteria spectare ad Superiorem regularem *ex cap. 5. sess. 25. de Regular.*

Ita reperitur in regesto autographo ejusdem s. Congregat. Concil. *lib. decretorum 42. fol. 45.*

In quorum fidem etc. hac die 27. Junii 1708.

V. Petra Secretarius.

Quod decretum cum ut vides sit editum a s. Conc. Congregatione juribus ab utraque parte deductis mature perpensis et authentice habeatur subscriptum et suo sigillo munitum a S. R. E. Eminent. Principe Cardinali Petra non est parvi faciendum.

Attamen s. Congregatio Conc. pluries contrarium statuit et signanter in decreto Papa approbante emanato *13. Novb. 1610.* et iterum renovato 1630. in *Bellunen.* ubi dicitur: »Lecto in s. Cong. decreto circa ingredientes septa monasteriorum omnes censuerunt illud esse edendum et est tenoris sequentis: Tametsi alias s. Congr. Concil. declaraverit licentiam ingrediendi septa monasteriorum monialium exemptarum et regularibus subjectarum ex vera tantum necessitate quae moniales respiciat conceden. seu acceden. ad loquendum cum monialibus pertinere ad ipsos tantum Superiores regulares nihilominus sub die 13. Novb. 1610. quo magis clausurae observationi consuleretur facultate sibi a SS. D. N. tributa statuit et decrevit, ut deinceps intra hujusmodi septa ingredi nemini liceat nisi licentiae in casibus necessariis conceden. nedum a Superioribus regularibus monasteriorum sed etiam a locorum Ordinariis obtentae fuerint, non obstan. quibuscumque legibus, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Postremo autem ad removendam omnem dubietatem, quae ex hujusmodi decreto forsan oriri potest, negotio iterum in s. Cong. proposito atque SS. D. N. relato die 24. Maji 1630. Sanctitas Sua declaravit hujusmodi licentias a Superioribus regularibus non esse petendas in illis locis, in quibus adest consuetudo ut istae ab Episcopo tantum concedantur; hoc enim casu statuit et decrevit talem consuetudinem esse servandam et ipsorum Episcoporum tantummodo licentias sufficere, etiam privative quoad ipsos Regulares, *lib. 4. decr. pag. 30.* Sic refert *Monacell. part. 2. tit. 15. formul. 15. n. 3.*

Et concordant alia decreta s. Congregat. Episcop. et Reg. relata ab eodem *Monacell. part. 1. tit. XI. formular. 19. num. 7. et 8,* ibi: S. Congr. in generali decreto per viam legis emanato 24. Augusti 1594 sic statuit: »Essendo le persone secolari più conosciute dai loro Prelati ordinari, che da' religiosi di qualsivoglia ordine, per abbondare in cautela questi miei Signori qui della Congregazione hanno risoluto, che per l'avvenire non si abbia d'ammettere persona alcuna a parlare alle monache, tampoco dentro la clausura d'essi monasteri soggetti a Regolari,

senza licenza espressa in scritto degli Ordinari de'luoghi, oltre a quella si dovrà per ciò ottenere dalli Superiori regolari, non ostante qualunque legge, statuto o consuetudine di tempo immemorabile in contrario con ordine, che io debba avvertire la P. V. acciò lo significhi al P. Generale ed a tutti li Provinciali, perchè facciano osservare in ogni luogo conforme alla suddetta risoluzione senza eccezione alcuna, onde non manchi d'eseguire con ogni sollecitudine, ed il Signore la preservi.«

Roma 24. Agosto 1594.

Et alio edito decreto *in Camerinen. 7. Martii 1617.* sic extenso: »S. Cong. ut controversiis quae inter Episcopum Camerin. et Superiores regulares exortae sunt finis imponatur censuit facultatem concedendi personis saecularibus licentiam alloquendi moniales eisdem regularibus subjectas in civitate quidem Camerinen. ad Episcopum sive ejus Vicarium generalem ac Superiorem regularem, cui moniales ipsae subjectae sunt, conjunctim, ita ut idem Episcopus seu ejus Vicarius primo loco subscribat, per dioecesim vero non ad Vicarium foraneum, sed ab eodem Episcopo ad id deputandum necnon ad Superiorem regularem, qui priori loco subscribat, conjunctim pariter spectare, idemque quoad licentiam eorum, quibus ordinarie septa monasteriorum earumdem monialium ingredi necesse est, servandum esse, repentinis tamen casibus extremae necessitatis exceptis, in quibus licentia unius eorum subscriptione roborata sufficiat. Edicta vere quibus personis saecularibus ad eadem monasteria monialium accessus prohibetur ab Episcopo dumtaxat subscribenda et publicanda esse decrevit.«

k) Ingressus.

I. Capellani.

Vd. t. I. p. 203. k; supra p. 729. e.

II. Clericorum.

Eugenius PP. IV. ad Clerum Urbis.

Nullus clericus sine praefati domini Vicarii pro tempore existentis aut ejus officialium licentia cujuscumque conditionis aut status existat praesumat accedere ad quodcumque monasterium monialium exceptis qui senio sunt confecti et quibus nulla possit etiam sinistra suspicio esse, utpote in 80. eorum aetatis anno existentes, sub poena inferenda.

Die 23. Febr. 1432.

(Bull. r. t. V. p. 8. Ed. Aug. Taur. 1860.)

III. Confessarii.

Vd. *Clausura monial.* (ingressus Episcopi, p. 1260, Superiorum). *Confessarius monial.*

Supplicante Abbatissa Clarissarum nationis anglicanae monasterii civitatis Ariae Andomaren. dioecesis pro indulto pro confessario vel ejus legitimo coadjutori ut itidem monasterium ingredi et recte ad infirmariam proficisci ibique pro monialibus aegrotis missam celebrare et SS. Eucharistiae sacramentum ministrare valeat,

S. C. etc. audito P. Ministro generali ordinis Minorum observantiae s. Francisci ac attentis narratis quoad petitam facultatem celebrandi missam in antedicta infirmaria instantiam rejecit. Quo vero ad administrationem SS. Sacramenti indultum solummodo concessit pro arbitrio et conscientia Ordinarii Andomarensis in solemnioribus anni festivitatibus, pro illis tantum infirmis monialibus, quae vere et cum effectu cum aliis in loco solito ad praemissum effectum convenire non valebunt. Ita tamen ut ab administro et Abbatissa ac monialibus comittetur, recto tramite ad infirmas se conferat et quam citius se expediat ac illico eisdem abbatissa et monialibus associantibus e monasterio egrediatur.

Romae 4. Augusti 1725.

His juvat addere novissimas resolutiones *s. Congregationis Concilii in Bononien. Indultorum 17. Maji 1704.* propositis sequentibus dubiis:

I: An liceat confessario signare licentias ingressus in monasterium privative et independenter ab Archiepiscopo?

Et quatenus negative,

II: an et quomodo confessarius possit signare dictas licentias et in quibus casibus et pro quibus personis?

III: An licentiae solius Archiepiscopi possint impediri ex dissensu confessarii?

IV: An Archiepiscopus possit prohibere confessario, ne signet aut concedat licentias pro allocutione tam cum monialibus quam cum educandis ad crates?

V: An idem confessarius possit celebrare Sacrum in capella infirmariae monast.?

Et quatenus affirmative,

VI: An iis casibus in quibus potest celebrare in dicta capella valeat uti in ministrum qualibet persona saeculari sibi benevisa seu potius teneatur adhibere clericum approbatum cum licentia Archiepiscopi?

S. Cong. respondit

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative pro personis approbatis ab Archiepiscopo.

Ad III: Negative.

Ad IV. et V: Affirmative.

Ad VI: Negative quoad I. partem et affirmative quoad II.

Confessarii monialium non possunt ingredi clausuram ad *sepeliendas* moniales vel pro celebrandis exequiis.*) Sic expresse decrevit s. Congr. Episcop. et Reg. *in Reatina 10. Martii 1577, in una Dominicanorum 30. Jan. 1582, in Ulyssiponen. 11. Aug. 1620.* Alias omnes culpabiles incurrunt excommunicationem violatae clausurae, s. Congr. Episcop. in *Bononien. 20. Augusti 1596.* apud *Nicol. in Floscul.* verb.: *Sepultura n. 6.* Et de facto Alexander VII. constitut. incip. *Felici,* **) §. *9.* specificans actus ad licitum ingressum ad peragendum officium funeris sed solum ad peragenda alia officia et ministeria, ibi: »Ad haec confessor monialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii nisi ad Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus vel aliis personis infirmis ibi degentibus necnon ad commendandam animam agonizantium.« Ubi ut vides Pontifex utitur dictione *nisi*, quae est exclusiva aliorum caeterorum per *Sperell. decis. 66. n. 32.* Neque consuetudo excusat a censura inflicta adversus violatores clausurae nec ab ea, quae infligitur ab Alexandro VII. *in dict. constitut.* incip. *Felici*, quia Pontifex omnibus et singulis etiam consuetudinibus quoad ea, quae statutis in dict. constitutione adversantur, expresse et specialiter derogat, sublata cuilibet facultate et auctoritate aliter judicandi et interpretandi ac adjecta clausula decreti irritantis ut patet in fine ejusdem constitutionis. Unde sequitur, quod Episcopi aliique Superiores in hoc casu jam declarato per s. Congreg. et SS. Pontificem non necessario non valeant licentiam concedere nec permittere et tolerare, quod praetextu consuetudinis (quae potius corruptela est) confessarii ingrediantur clausuram ad officium funeris peragendum. Hinc confessarii caute legant auctores contrarium scribentes et reflexe advertant quod si pro tali officio clausuram ingrediantur excommunicationem *) incurrunt juxta supra laudata decreta, ut recte affirmant *Pax Jordan. t. 2. lib. 7. tit. 12. num. 88.* vers.: *Item neque praetextu* et *n. 173., Nicolius in flosculis* verb.: *Sepultura num. 6.*, ubi citata decreta affert, *Monacell. part. 1. tit. 9. formul. 3. n. 8. et 9., Natthaeucci Official. curiae cap. 13. num. 79.* et alii. Videantur etiam *Pignatell. t. 6. consult. 85. n. 234; Gavant. in Manual. Episcop.* verb.: *Monialium clausuram n. 40, Barbosa lib. 1. Jur. eccles. univers. cap. 44. n. 133.*

Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam confessionem illius infirmae, quae potest accedere ad sedem confessionalem, s. Congreg. 13. Sept. 1583. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram praetextu comitandi operarios, medicos, chirurgos vel alios, *s. Congregat. Episcop. 13. Sept. 1583.* Confessarii non possunt ingredi clausuram ad conspergendum cellas monialium aut alia loca aqua benedicta in die sabbati s. aut quolibet alio tempore, *s. Congregatio Episcop. 4. Sept. 1596.* Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam monialem energumenam, *s. Cong. Episcop. et Reg. 1. Julii 1606.*

Confessarius non potest ingredi clausuram monialium ad inibi missam celebrandam, ut pluries declaravit s. Congreg. Episcopor. et signanter *in Lancianensi* et in *Pistoriensi 16. Julii 1685*, in *Mantuana 13. Junii*, in *Bononien. 2. Januar. 1601.*

Papien.

Ad dub. I.: A quo vel quibus personis associatus esse debeat confessarius monialium in casibus administrandi Sacramenta monialibus infirmis et commendandi animas?

II: An exceptis casibus administrationis Sacramentorum et commendationis animarum possit dictus ingredi intra septa monasteriorum in casu?

S. C. resp. ad I. et II.: Servandam esse omnino in omnibus constitutionem Alexandri VII. incipien.: *Felici.**)

Die 16. Mart. 1743.

S. Congregatio audita relatione Vicarii generalis Pictaviensis censuit committendum, prout praesentis decreti tenore benigne committit Ordinario ejusdem civitatis, ut veris existentibus narratis et quatenus in Domino expedire censuerit ac ipse religiosus ab eodem Ordinario ad audiendas hujusmodi confessiones approbatus existat, petitam facultatem in casu infirmitatis tantum pro suo arbitrio et conscientia impertiatur. Ita tamen ut idem confessarius a gravioribus monialibus associatus clausuram ingrediatur ac recto tramite ad oratricis cellulam pergat, per monasterium non vaget ibique nullam sumat refectionem. Non obstantibus quibuscumque.

Romae 4. Augusti 1706.

Ex constit. Monial. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Hispan.

Pius PP. VI.

Quoties aliqua monialis infirma sacramentaliter confiteri debebit, altera ex auscultatricibus prope illam consistat, quin audiat quidquid in confessione dicitur, intueri tamen possit confitentem et confessarium, cum quo solo nulla ex monialibus, infirmis exceptis, alloqui poterit nec etiam cum ejus socio et conscientias earum oneramus, ut recte eum ducant et nullimode cum ipso permaneant.

Confessarii nunquam monasteria ingrediantur nisi ad excipiendas sacramentales confessiones monialium male se habentium, quando de medici consilio constiterit necessitas, et ad administranda eisdem sacramenta Eucharistiae tum extremae unctionis tempore opportuno. Et si infirma post sacramentorum susceptionem aliqua perplexitate agitatur confessarius poterit ea adire reconciliandam et eidem in extremis laboranti adesse; si vero aliqua infirma longo tempore decumberet et nullimode ad locum pro confessionibus excipiendis designatum se conferre possit tunc confessarius poterit confitendam adire licet periculum mortis eidem non immineat.

Si quae ex monialibus longa infirmitate laboraret ob quam ad loquutorium vel ad locum pro confessionibus designatum se nequeat conferre poterit confessarius quatenus id exigat infirmitas aliquoties ingredi ad illius confessionem excipiendam eique Eucharistiae sacramentum ministrandum, quamvis infirma in mortis periculo constituta minime reperiatur dummodo hoc non fiat plusquam semel singulis quindecim diebus. Quod si 8 vel 10 elapsis diebus postquam delatum est infirmae Sanctissimum occurrat solemnitas ss. Corporis Christi, primi tres dies Nativitatis Dominicae, Paschatis Resurrectionis et Pentecostes necnon festum nostrae ss. matris de Monte Carmelo, patris nostri s. Joseph infirma vel infirmae hisce diebus rursus eucharistico Sacramento refici poterunt. Et in hoc et in quocumque alio casu et in quo ipse monasterium ingrediatur semper eum comitentur ambae moniales auscultatrices ut jam dictum est et peragat ad cellam infirmae et ab ea recedat recte idque praefata servet et servare faciat perdiligenter sub poena suspensionis ab officio quoties secus se gesserit.

Die 12. Maji 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p 608. 614. Ed. Romae.)

IV. Consensus Monialium.

Declaratio quod consensus monialium sine quo mulieres saeculares licentiis monasteria ingrediendi uti non possunt expresse, capitulariter et per secreta suffragia de caetero haberi debeat ut illis valeant uti.

Urbanus PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctum Apostolatus ministerium quod ineffabilis divinae sapientiae providentia humilitati nostrae nullo licet meritorum suffragio credidit jugiter postulat ut inter multiplices pastoralis officii curas illam sedulo amplectamur, qua sanctimonialium quieti opportune consulitur.

§. 1. Cum itaque plures licentiae monasteria monialium ingrediendi diversis mulieribus saecularibus sub certis modo et forma tunc expressis a Nobis et romanis Pontifi-

*) Vd. *p. 729. e.*
**) Vd. *Clausura monial.* (ingressus superiorum p. 1272.)

*) Cf. *p. 912. VI.*

*) Vd. *p. 1272.*

cibus Praedecessoribus nostris concessae fuerint eaedemque mulieres in vim licentiarum praedictarum monasteria hujusmodi nonnisi de expresso earumdem monialium et illorum Superiorum consensu ingredi possint seu debeant,

§. 2. Nos omnem dubitandi materiam quae super modo consensum hujusmodi praestandi forsan oriri posset e medio tollere volentes motu proprio et ex certa scientia nostra harum serie decernimus atque declaramus, consensum dictarum monialium de caetero per easdem moniales capitulariter et per secreta suffragia praestandum esse et praestari debere, alias licentiae hujusmodi mulieribus quibus concessae fuerunt nullatenus suffragentur.

§. 3. Et quae monialium monasteria vigore licentiarum praedictarum absque consensu capitulariter ut praefertur praestito ingredi praesumpserint sententias, censuras et poenas contra monasteriorum monialium violantes inflictas se noverint incursuras.

§. 4. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos etc.

§. 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis etc.

Datum Tusculi die 25. Octobris 1624.

(Bull. r. t. V. p. 76. Ed. Luxbg.)

V. Episcopi.

Vd. *t. II. p. 129. n. 3.*; supra p. 1255. i.; t. I. p. 97: *Tiburtina*; *Clausura monial.* (ingress. Superior. p. 1272; visitatio ab Episcopo etc.)

Ariminen.

Ad dub. 1: An Episcopus Ariminens. visitaturus clausuram monialium monasterii s. Sebastiani civitatis Arimini Canonicis regul. subjecti possit ipsas cogere ad subeundum onus visitationis personalis ad crates collocutorii circa ea, quae pertinent ad clausuram?

2: An Episcopus in concernentibus clausurae custodiam possit visitare nedum crates et moenia exteriora monasterii monialium sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas omnes inferiores et superiores aliaque loca?

3: An et quando puniendae sunt moniales vel alii resistentes visitationi aut eam impedientes?

4: An Episcopus ejusdem monasterii clausuram visitaturus possit ingredi stola indutus?

5: An teneantur Episcopo ut supra visitanti stratum cum pulvinari parare in ecclesia interiori et exteriori?

6: An et a quibus Episcopo accedenti pro eadem visitatione debeantur in ingressu et egressu ab ecclesia honorificentiae et praeeminentiae actus reverentiales et associatio?

7: An possit Episcopus solus cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram monialium absque interventu P. Abbatis et confessarii sive aliorum Regularium ejusdem ordinis?

8: An idem Episcopus possit exigere rationem administrationis bonorum monialium ad formam bullae s. m. Gregorii XV. incip.; *Inscrutabili*)* non obstante praetenso ejus non usu et an pro hujusmodi effectu debeant asportari libri Administrationis aliaeque scripturae pro rationum revisione necessariae ad ejus palatium vel potius camputa revideri debeant ad crates monasterii?

Et quatenus affirmative,

9: An in eadem redditione rationis intervenire debeant Abbas monasterii aliique Regulares ejusdem Ordinis?

S. C. resp.

Ad 1 et 2: Affirmative, et amplius.

Ad 3: Affirmative.

Ad 4: Affirmative congruis juris remediis.

Ad 5 et 6: Affirmative.

Ad 7: Affirmative quoad Confessarium, Officiales aliosque ministros Monasterii.

Ad 8: Affirmative.

Ad 9: Affirmative et quatenus Abbas opportune monitus non comparuerit sive per se sive per alium regularem revisionem fieri posse a solo Episcopo.

Die 27. Jan. 1748.

F. Felicianus Dei et apostolicae Sedis gratia Episcopus Scalensis ad Bavariae et alias partes Germaniae superioris SSmi Dni Nostri Gregorii PP. XIII. dictaeque Sedis Nuncius cum potestate Legati de latere et visitator omnium et singulorum cujuscumque ordinis et sexus monasteriorum etiam SSmo D. Nostro et Sedi apostolicae praedictis im-

*) Vd. *t. I. p. 208.*

mediate subjectorum etc. Cum autem haec ipsa impedimenta et obstacula diutius perdurent, quam nos arbitrabamur, interimque ad nostras aures pervenerit, in nonnullis virorum et mulierum monasteriis dictae Bavaricae ditionis praesertim ubi nondum fuimus non obstante quod hujusmodi institutum et opus ex aliorum relatu et communi sermone ac fama jam satis perspectum habuerint, non solum viros et mulieres saeculares intra clausurae septa introire atque intus convivari, sed moniales etiam extra clausuram egredi et quo libuerit ad aliquot etiam dietas evagari, non sine gravi multorum offensione et publico scandalo praeterquam quod etiam res ipsa plena periculi est ac regulari observantiae vehementer adversatur et regulares personae honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt: Nos huic malo pro nostro officii debito salubriter et in tempore occurrere volentes, ne ex longiori mora quicquam in eis oriatur incongruum quod in regularis ponat honestatis gloria maculam et divinam merito possit offendere majestatem, s. Concilium Trid. *sess. 25. cap. 5. de reg. et mon.* et constit. fel. rec. Pii PP. V. die 24. Octobris 1566*) atque item praefati SSmi Dni Nostri PP. Gregorii XIII. 1572 die 30. Decb.**) et 13. Junii 1575***) et 1581 die 23. Decb.†) super hujusmodi clausura regularium tam virorum quam mulierum editas vobis omnibus et singulis supradictis quorumcumque ordinum etiam mendicantium Abbatibus, praepositis, prioribus et quardianis, Abbatissis, priorissis, matribus et aliis praesidentibus quocumque nomine vocatis necnon monachis, Canonicis et fratribus, monialibus et sororibus, etiam conversis ac tertiariis monasteriorum, domuum ac locorum in temporali serenissimi Bavariae Ducis praedicti jurisdictione quomodocumque existentium, etiam Sedi apostolicae immediate subjectorum, per praesentes auctoritate Nobis commissa et qua fungimur hac in parte insinuamus, intimamus, publicamus, notificamus et ad vestram et aliorum omnium quorum interest vel interesse potest, quam melius possumus ac debemus, notitiam deducimus et ab omnibus suscipi observarique decernimus et mandamus sub poenis in decreto Tridentino et constitutionibus apostolicis praedictis expresse contentis, quas ne quisquam excusatione ignorationis uti possit huic nostro mandato inserimus, ut sequitur: Nemo cujuscumque status, generis, sexus, aetatis, ordinis, conditionis vel praeeminentiae fuerit monasteria, domos et loca quorumvis ordinum monialium etiam illarum quae tertiariae dicuntur sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, super qua a nemine nisi a romano Pontifice praeterquam in mortis articulo absolutionis beneficium possit impartiri, quovis modo ingredi audeat, nisi ab eo tempore, quo praedictae constitutiones ac bullae apostolicae emanarunt, novam eamque expressam et sufficientem a s. Sede apostolica licentiam habeat, qua etiam ultra concessum modum non utatur. Abbatissis vero, priorissis, matribus, conventibus ac aliis monasteriorum superioribus et personis, quocumque nomine vocatis, districte praecipitur sub eadem excommunicationis poena necnon privationis dignitatum, beneficiorum et officiorum suorum ac inhabilitatis ad illa et alia inposterum obtinenda, ne in monasteria, domos et loca sua quemquam quovis praetextu ingredi faciant vel permittant. Quin etiam sub eisdem poenis ipso facto incurrendis prohibetur atque interdicitur omnibus et quibuscumque ecclesiasticis personis et saecularibus ac etiam ordinum quorumcumque etiam mendicantium regularibus, ne praetextu licentiarum ab Episcopis vel superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilio Trid. tribuitur, monasteria ipsa monialium pro libito sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi neve moniales sub eisdem poenis illos aliter admittere praesumant. Praelati vero omnes tam saeculares etiam episcopali dignitate praediti quam regulares quorumvis ordinum Abbates, praepositi, priores, ministri et alii quicumque superiores quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovismodo incumbit, qui alterius ad id licentia non indigent sed sui auctoritate officii nituntur, non pro libito suae voluntatis hujusmodi monialium septa ingredi, sed potius servare debent ipsi quoque regulam a Concilio praescriptam ita ut facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta ita demum uti possint, si id faciant, in casibus necessariis et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati. Qui facultate hujusmodi praeterquam in ca-

*) Vd. *supra p. 1217.*
**) Vd. *p. 1235.*
***) Vd. *supra p. 1219.*
†) Vd. *p. 1220.*

sibus uti praefertur necessariis utentur si pontificalis dignitatis fuerint ii pro prima vice qua contrafecerint ab ingressu ecclesiae interdicti, pro secunda a munere pontificali et a Divinis suspensi ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicati existant: regulares vero omni officio ac ministerio privati excommunicationi similiter subjaceant. Casus autem necessarii sunt ut Episcopi ingrediantur, in exemptis ad inspiciendam dumtaxat clausuram et in sibi subjectis etiam ad visitanda non modo clausuram, verum etiam monialium cellas et alia loca ac res monasterii: confessarius ad exhibenda monialibus infirmitate constitutis ac decumbentibus s. ecclesiae Sacramenta: medici, artifices et alii operarii hujusmodi ab Episcopo vel superiore in scriptis approbati tantum necessitatis tempore. Nulli etiam Abbatissarum, priorissarum aliarumve monialium quorumcumque ordinum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existant, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis lepore aut epidemiae quae tamen infirmitas praeter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumbit, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, vel etiam tempore belli aut obsidionis, ubi aliquod unde periculum vitae aut castitatis imminet, praesertim in monasteriis extra urbes positis, usque ad aliam, quoad hoc, SSmi Dni Nostri dispositionem, a monasteriis praefatis exire sed nec in praedictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare liceat. Aliter autem quam ut praefertur egredientes seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes necnon comittantes ac illarum receptatrices personae, sive laicae aut saeculares vel ecclesiasticae, consanguineae vel non, excommunicationis majoris latae sententiae vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjaceant, a quo praeterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper tam egressae quam praesidentes et alii superiores praedicti eis licentiam hujusmodi concedentes dignitatibus, officiis et administrationibus per eas et eos tunc obtentis privantur et illi et illae ad obtenta et alia inposterum obtinenda inhabiles decernuntur. Praeterea nullis monialibus etiam tertiariis liceat habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit in ipsarum monialium ecclesiam exteriorem, in quam saecularibus ad missas et divina officia patere solet accessus et omnino muro obstruatur; neque itidem liceat monialibus etiam tertiariis egredi a janua monasterii, quae est pro clausura ipsius monasterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus saecularibus venientibus vel ad rotam vel ad crates seu loca colloquiis destinata, quae vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam januam clausurae, quae loca cum saltem pro causis praedictis patere soleant saecularibus extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. A praedictis tamen constitutionibus et censuris eximimus tertiarias s. Francisci duarum domuum Ridlerianae ac Pitrichianae in civitate ducali Monacensi existentium quas pro nunc ad nostras ordinationes peculiari scripto illis traditas tantum obligamus, quousque illis de propriis templis, qualia clausa habere solent et debent, aliisque rebus ad constituendam clausuram necessariis recte prospectum sit, cum in praesenti aedificiorum statu nulla sis illis commoditas clausurae debitae servandae. Mulieribus vero cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et quacumque dignitate ac praeeminentia praeditis districte prohibetur sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non possint, nisi a romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi praeterquam in mortis articulo, ne domos et monasteria regularium virorum quorumcumque ordinum etiam mendicantium ingredi audeant, nisi quae postquam supradictae bullae et constitutiones apostolicae editae sunt a Sede apostolica novam ingrediendi facultatem et licentiam sufficientem et expressam obtinuerint, qua etiam moderate necnisi juxta concessionis modum utantur. Ipsis vero monaster. et convent. abbatibus, praepositis, prioribus, guardianis et aliis praesidentibus, quocumque nomine vocatis, et eorum monachis, canonicis et fratribus sive mendicantibus, sub privationis officiorum quae in praesenti obtinent et inhabilitatis inposterum ad illa et alia omnia et suspensionis a Divinis ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere ad-

mittereque praesumant. Volumus etiam ac decernimus idque sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda omnibus Abbatibus, praepositis, prioribus, guardianis, Abbatissis, priorissis, matribus et aliis praedictorum monasteriorum praesidentibus quocumque nomine vocatis injungimus ut praesentes literae nostrae infra triduum a receptione publicentur et inter constitutiones perpetuo valituras describantur. In quorum omnium et singulorum fidem, robur ac testimonium praemissorum has patentes literas confici et imprimi ac sigilli nostri ordinarii impressione munitas distribui et ad supradicta monasteria Bavarica deferri fecimus et mandavimus.

Datum Monachii 1582 die 13. Maji. Fr. Felicianus Ep. Scalensis N. A.

Joannes Fenzonus secret.

Lycien.

In civitate Lyciensi tum alia tum duo speciatim extant monialium coenobia sub auspiciis alterum visitationis alterum nativitatis Deiparae V. quorum spiritualem curam geruut fratres ordinis Praedicatorum ibidem in conventu s. Joannis de Aymo degentes. Quum autem occasione hujus regiminis inter istos ac Provincialem ejusdem ordinis una ex parte et curiam episcopalem ex altera multae obortae sint controversiae plura oportuit ad illas dirimendas subscribere dubia, quae summam quaestionum inter collitigantes excitatarum satis aperte exhibent.

Horum itaque examen rogantur Eminent. PP. operoso labore aggredi ac ex juribus utrinque circumferendis sapienti, quo solent, oraculo pronunciare:

I. An Episcopus visitans clausuram monialium Regularibus subjectarnm ingredi possit cum pluviali et stola?

II. An Episcopo visitare volenti clausuram monasteriorum moniales teneantur erigere in ecclesia exteriori vel interiori sedem cum baldachino vel solummodo sufficiat illi stratum praeparare in utraque ecclesia?

III. An Episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitare volentem teneantur moniales omnes excipere processionaliter cum cruce et cantico: *Benedictus?*

IV. An Prior provincialis possit ad formam constitutionis Alexandri VII. clausuram interiorem visitare, septa monasteriorum monialium suae curae subjectarum ingrediendo absque ulla licentia Episcopi?

Et quatenus affirmative,

V. An Episcopus saltem debeat certiorari de die et hora talis visitationis et a quo?

VI. An Prior provincialis pro visitatione clausurae interioris possit in convisitatorem assumere patrem Vicarium earumdem monialium vel quemlibet alium fratrem sui ordinis maturae aetatis absque licentia Episcopi vel ejus certioratione?

VII. An idem Prior provincialis visitationem personalem monialium monasteriorum exemptorum sui ordinis valeat facere ad crates tantum?

VIII. An idem Prior provincialis ab Episcopo impeditus ne talem visitationem ad crates faciat eamdem facere possit ad confessionale vel ad fenestellam ss. communionis?

IX. An eandem visitationem alibi faciens veluti ad confessionale vel ad fenestellam ss. communionis incidat in poenas constit. Alexandri VII.? *)

X. An Episcopus directe vel indirecte impediens talem visitationem incidat in poenas constitutionis Clementinae *de stat. Monachor.?*

XI. An Prior conventus s. Joannis de Aymo ordinis Praedicatorum civitatis Lycien. et Vicarius ordinarius dictorum monasteriorum absque licentia Episcopi loquutorium ingredi possit ibique cum suis monialibus alloqui, an vero solummodo quando sic exigat exacta administratio sui officii?

XII. An idem P. Vicarius absque licentia Episcopi loquutorium ingredi possit ad visitandas crates, ne moniales absque debita licentia claudestine saeculares et regulares alloquantur?

XIII. An Prior provincialis vel ejus P. Vicarius dictorum monasteriorum aut alius quicumque religiosus absque licentia Episcopi possit in confessionario extraordinario sedere ibique monialium confessiones excipere?

XIV. An in confessionario ordinario vel extraordinario possit easdem moniales exhortari et audire?

*) Vd. *Clausura monialium* (ingressus superior. p. 1272.)

XV. An Superior regularis vestibus sacris indutus associando puellam habitu ordinis initiandam absque licentia Episcopi possit in atrio clausurae quod omnibus patet ingredi ibique puellae benedictionem dare, an vero sistere debeat in via publica ante januam clausurae exterioris?

Et quatenus affirmative ad I. partem,

XVI. An hoc idem in habitu ordinis agere possit in ingressu puellae tam educandae quam ancillae?

XVII. An salvo jure Episcopi una simul cum Superiore regulari revidendi computa dictorum monasteriorum possit Superior regularis absque licentia Episcopi loquutorio interesse tempore, quo a factore qui procurator nuncupatur coram monialibus deputatis mensatim recitantur computa in libro malori reportanda?

XVIII. An in quibuscumque contractibus tam activis quam passivis per notarium in loquutorio rogandis salvo jure Episcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorumdem possit Superior regularis interesse eisdem contractibus absque licentia Episcopi?

XIX. An in absentia Superioris regularis confessarius remaneat Vicarius dictorum monasteriorum?

S. C. resp.

Ad I: Negative quoad pluviale et affirmative quoad stolam.

Ad II: Sufficere praeparationem strati.

Ad III: Teneri moniales excipere Episcopum sine processione, cruce et cantu.

Ad IV: Affirmative semel tantum in anno ad formam ejusdem constitutionis.

Ad V: Episcopum certiorandum esse per custodem clausurae.

Ad VI: Affirmative servata forma praedictae constitutionis.

Ad VII: Affirmative et ab Episcopo non esse impediendum.

Ad VIII: Provisum in VII.

Ad IX: Affirmative.

Ad X: Recurrant in casibus peculiaribus.

Ad XI: Affirmative in casu tantum, quo ita postulet exacta administratio officii.

Ad XII: Affirmative.

Ad XIII et XIV: Negative.

Ad XV: Affirmative ad I. partem et negative ad II.

Ad XVI: Ut ad XV.

Ad XVII, XVIII et XIX: Affirmative et amplius in omnibus.

Die 22. Sept. 1742.

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

Gravissimo animi moerore affecti sumus, dum a certis viribus annunciatum Nobis est, aliquos esse Praesules, *qui regimen civitatum Ditionis Nostrae obtinentes* nec habita imo nec petita quidem ab Episcopis locorumque Ordinariis facultate ad monialium monasteria se conferunt et libere cum iis colloquuntur, synodorum decreta et Episcoporum constitutiones omnino infringentes, in quibus hujusmodi licentia poenis prohibetur, sed non solum in iis civitatibus, in quibus sunt cum imperio, verum in caeteris quoque sese acceptos esse contendant.

Praeteritis temporibus ss. Congregationes annuentibus ss. Pontificibus opportune statuerunt, quae sibi necessaria visa sunt, quoad Regulares, qui suis fulti legibus sive immunitatibus putabant injussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta monialium claustra, ut videre licet in tract. nostro de *syn. dioec. l. 7. c. 41. n. 7.*, providentes etiam non tam Gubernatoribus quam Episcopis, qui aut in civitates aut oppida alterius Episcopi juri subjecta veniunt aut innibi commorentur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario monasteria adiret aut moniales alloqueretur; cujusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud *Bellizarium de Monial. cap. 5. sect. 5. num. 210.*, apud *Gratianum discept. 392. num. 1.*, apud *Tamburrinum de jure Abbatissarum disp. 25. quaest. 2.* et apud *Ferrar. in sua biblioth.* in verbo: *Moniales art. 4. num. 33.* Canonicis sanctionibus monialium custodia juri ordinario Episcopi, si monasteria ejus potestati subjecta fuerint, delegato, si exempta, committitur, quemadmodum statutum fuit a Pontifice Bonifacio VIII. in cap. *Periculoso, de statu Monach. in 6to.* atque a s. Trid. Concilio renovatum in *cap. 5. sess. 25. de Regul. et Monial.* Hinc porro omnino sequitur, monasteria adire monialesque invisere sine custodis jussu licere nemini ac propterea debere omnes hujusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores et argui facile potest ex praeteritis Congregationum decretis.

Quae quidem confirmata omnino volumus ac si opus sit quod non putamus nova lege sancimus imperamusque, ne Episcopi alienae dioecesis in monasteria conveniant atque cum monialibus colloquantur inscio Ordinario loci eademque omnia firma rataque esse jubemus, etiam quoad Vicelegatos et Gubernatores licet Praesules, quibus ad monasteria accessum sine debita venia in iis quoque civitatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdicimus.

Jam dictum est hosce omnes directivae Episcoporum auctoritati eorumque constitutionibus subjacere, quae omnino accessum vetant ad monialium claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideo sunt immunes a vi coactiva id est a poenis contra transgressores statutis, uti ex responso patet *Clementis III.* in *cap. A Nobis 21. de sententia excommunicationis.* Ne vero ab hujusmodi immunitate aliquid mali exoriatur, volumus et mandamus, ut si aliquando contigerit quod futurum non credimus ut eorum aliqui quos supra memoravimus ad monasteria monialium se conferant et cum iis Episcopi injussu agant, infringentes synodorum sanctiones atque Episcoporum edicta, volumus et imperamus, ut Episcopi Nos aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem faciant, ut aliqua ratione contempta episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius hujusmodi consilium amplectimur, quod idem a Praedecessoribus nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes et Sedi apostolicae immediate subjectas procedendum sit; Joannes XXII. *in cap. Cum Matthaeus de haereticis, in Extravagant. com.*, *Eugenius IV. in cap. Divina, de privileg. in Extravag. com.*

Datum Romae die 31. Oct. 1749.

(Bull. r. t. XVIII. p. 54. Ed. Luxbg.)

VI. Famularum et famulorum.

Vd. *Moniales* (sorores); *Clausura Monial.* (ingressus vetit. decr. Innocent. IV.); p. 1267. VIII.

Bened. PP. XIV.

V. Fr. Jos. Mar. Ep. Portugalliensi.

Per binas alias nostras in simili forma brevis literas quarum unae quidem datae fuerunt die 1. Junii 1741. incip.: *Cum Sacrarum virginum,*)* alterae vero die 3. Januarii 1742. incip.: *Salutare,**)* ea opportuna adhibere curavimus apostolicae providentiae supremaeque auctoritatis nostrae remedia quae ad instaurandam regularem quoad clausuram monialium observantiam, a primaeva disciplina per praedecessores nostros romanos Pontifices et ss. canones confirmata sensim dilabentem, satis esse in Domino duximus. Quoniam autem non sine gravissimo animi nostri angore accepimus novas artes ac nova inventa etsi antiqua sint ac toties proscripta sub variis exquisitisque causis et rationibus in dies excogitari, quae non solum per praescriptas leges prohibentur, sed quam plurimis etiam inordinationibus et offendiculis aditum patefaciunt ac primum quidem eo pervenit famularum ad monialium ministerium in monasteria admittendarum abusus, ut indultum, quod ab apostolica Sede sub tot salutaribus conditionibus concedi solet, etsi pro prima vice servatis iisdem conditionibus executioni demandetur, deinceps tamen quoties admissam famulam aut e monasterio egredi aut vitam universae carnis ingredi contingat, toties nulla indulti hujusmodi habita ratione, ad libitum monialium, sine alia Ordinariorum locorum ad quos spectat scientia et licentia, sed de superiorum regularium eorumdem monasteriorum dumtaxat aliquando consensu, aliae atque aliae in monasterium inducantur famulae, de quarum moribus, fama, vitiis ac virtutibus nulla praecesserit legitima cognitio, unde fit, ut sub famularum nomine ac praetextu foeminae quaecumque in clausuras, non sine clausurae violatione, admittantur: illud praeterea in more positum esse dolentes audivimus ostia***) nimirum monasteriorum, quae semper clausa esse necnisi ad necessaria eorundem monasteriorum commoda recludi debent, ita assidue patefieri, ut moniales et quaecumquae aliae in monasteriis degentes virgines in propatulo sedentes sive stantes cum quibusvis utriusque sexus hominibus illuc accedentibus indiscriminatim colloqui et jocari etiam non erubescant, ut saepe quamlibet foeminam in quacumque aetate constitutam sive consanguineam sive affinem sive tanquam famulam cujuslibet earumdem monialium in ipsam clausuram

*) Vd. *Clausura monial.* (regressus p. 1276.)
**) Vd. *infra p. 1271.*
***) Vd. *Ostium; p. 1205. n. 1.*

accersant, et quamvis ipsae moniales impellant, sponte tamen ingressam deinde asserant, ne religioni ducant censuras ac poenas canonicas, quibus eapropter obnoxiae fiunt: Nos sane, qui pro imposita Nobis divinitus suprema apostolicae servitutis procuratione saluberrime occurrere debemus hisce abusibus et inordinationibus, etsi abusus et inordinationes hujusmodi in ista fraternitatis tuae dioecesi neque unquam irrepsisse neque unquam irrepturos esse in Domino confidimus, fraternitati tamen tuae notum esse volumus, quod Nos non solum omnes et singulas constitutiones tam ab iisdem Praedecessoribus nostris quam a Nobis ipsis super clausura monialium editas, verum etiam omnia et singula decreta tam a Concilio Trid. quam a Congregationibus venerab. fratrum nost. s. romanae ecclesiae Cardinalium super eadem clausura et admissione et receptione educandarum puellarum et famularum sive quarumque foeminarum promulgata, quatenus opus sit, tenore praesentium auctoritate apostolica confirmamus et sub poenis etiam per easdem constitutiones et decreta contra inobedientes inflictis servari mandamus ac praecipimus. Insuper tenore et auctoritate paribus statuimus ac declaramus, admissionem receptionemque quarumcumque foeminarum sive puellarum educandarum sive famularum in monasteria, quacumque ex causa, sine legitima authenticaque ejusdem apostolicae Sedis licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda et praevio examine super moribus, fama, habilitate et necessitate ipsarum educandarum puellarum vel famularum per Antistites locorum Ordinarios tantummodo et non alios quoscumque superiores toties itidem, quoties necessitas postulaverit, habendo, non obstante quacunque consuetudine etiam longi temporis, fieri debere. Quod si secus factum ac fieri inposterum contingat, statuimus pariter ac declaramus tam moniales et quascunque in monasteriis degentes, quae foeminas quascunque in eadem monasteria quomodocunque admiserint receperintque, quam ipsas foeminas admissas et receptas canonicis censuris et poenis obstrictas esse ac fore, a quibus easdem moniales et foeminas hujusmodi ejusdem tuae dioecesis, si fortasse hac in parte deliquisse contigerit, de praeterito tantum absolvendi facultatem fraternitati tuae cum facultate etiam alios subdelegandi, tribuimus et impertimur. Caeterum fraternitati tuae injungimus ac praecipimus ut omnium et singularum ordinationum per laudatum concilium Trid. et apostolicas constitutiones et dictarum Congregationum decreta super clausura monialium et delegata locorum Ordinariis visitatione tam interna quam externa praescriptarum memor easdem ordinationes sub poenis desuper inflictis debitae executioni mandare satagas et studeas necnon mandari facias, cures et adnitaris. Interim, ad prosperi successus auspicium, tibi, venerabilis frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 24. Jan. 1747.

(Bull. Bened. XIV. t. II. p. 177. Ed. Romae 1749.)

Ex constit. Monial. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Hispan.

Pius PP. VI.

Animadvertant serio praelati vetitum esse ex decreto concilii Trid. et constitutionibus fel. mem. Gregorii PP. XIII.*) sub poena excommunicationis majoris latae sententiae ne aliqua persona cujuscumque status, aetatis et qualitatis etiamsi praelatus et superior monasteria monialium ingrediatur, nisi intercedente necessaria et urgenti causa ac de licentia praelati in scriptis**) tradenda monasteria intrat, et curent, ut hujusmodi decreta et constitutiones apostolicae omnino observentur nec decernant aliam esse causam necessariam et urgentem praeter eam in qua moniales per se non possent operam suam impendere, nisi adjumento extraneorum ob aliquam ineluctabilem necessitatem vel ob aliquod periculum quod immineat vel in introductione aliquarum rerum ad monasterii usum et servitium, quae sint adeo magni ponderis, ut moniales non obstante alterno et mutuo subsidio sibi praestito eas nequeant asportare, sicut etiam ubi agatur de aedificiis vel reparationibus monasterii, tunc enim ingredi poterunt caementarii et operarii ac ministri ad aedificandum necessarii: et idem servari debet quoad medicum, chirurgum aliosque hujus generis. Nulli autem personae utriusque sexus cujuscumque conditionis ac aetatis permittatur, quod sub praetextu seu colore introducendi aliquid scilicet ligna vel aliud (licet aliquis famulus

*) Vd. *p. 1235.*
**) Vd. *p. 912. VI.*

necessario ingredi deberet ad rem hujusmodi asportandam) clausuram ingrediatur, sub poena quoad priorissam, quae id permitteret, suspensionis ab officio per sex menses, si vero contigeret, quod aliqua persona ingrederetur absque necessitate vel ex necessitate palliata, ut supra, illico et immediate superiorissa et ostiaria eam ejiciant neque ipsi permittant ingredi interiorem monasterii partem. Nulli pariter personae licet qualificatae et obsequio dignae permittatur colloquia habere, etiamsi per modicum tempus fuerit, in claustri janua sub poena suspensionis ab officio per mensem quoad priorissam, quae partem in hoc habuerit, et privationis vel etiam per mensem quoad moniales rotae assidentes, quo vero ad illam quae loqueretur vel delinqueret sub poena privationis per duos menses. In aperienda claustri janua omnis possibilis cauthela adhibeatur et nunquam aperiatur pro rebus quae ingredi vel egredi possunt per rotam, cumque vero introducendis rebus praecise et indispensabiliter necessariis sit aperienda accedant diligenter auscultatrices, hisque simul adstantibus et non aliter ostia aperiantur: ultra vero dictam claustri januam nec pro hortalitio nec ad alium finem; denique nec pueri cujuscumque aetatis vel sexus in monialium clausuram introducantur.

Die 12. Maji 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 608. Ed Romae.)

VII. Medici.

Pii IV. Aprob. regulae ffr. M. Conv. Ord. s. Francisci.

Vd. p. 1255. II, III; 1266. §: *Animadvertant.* Vd. *Medicus.*

Unicus sit et communis monialium medicus provectae aetatis, ab universitate monialium eligendus et per generalem seu provincialem approbandus, qui cum in claustra monasterii ingressus fuerit comitatus a duabus monialibus ex antiquioribus si Abbatissa adesse non poterit semper incedat quousque claustra exiverit.

Dat. Romae die 17. Septbr. 1565.

(Bull. r. t. VII. p. 415. Ed. Aug. Taur.)

Medici et chirurgi ordinarii debent habere licentiam generalem ingrediendi clausuram etiam de nocte in casibus urgentis necessitatis, in aliis non ordinariis requiritur specialis. *S. Congr. Episc. et Reg. in Ferrarien. 2. Julii 1599. et 13. Julii 1605.* Debent tamen associari eisque assisti cum infirma tractantibus, *S. Cong. Epis. etc. in Parm. 26. Mart. 1601.*

Medicus extraordinarius permitti non debet monialibus nisi in gravi infirmitate, *s. Congr. Episc. in Bonon. 8. Julii 1588., in Ferrarien. 6. Aug. 1601., in Januensi 14. Decb. 1605.* et in *Mediolan. 25. Maji 1621.* Et quando ordinarius non invenit remedium, *s. Congr. Episcop. in Januen. 13. Mart. 1721,* vel est impeditus, *s. Congr. Episcop. in Portugall. 15. Martii 1646.*

In casu quo Episcopus ex aliqua rationabili et honesta causa extraordinarium concederet, medicamenta necessaria ab eodem ordinata solvenda erunt a Monasterio, non autem a monialibus, quae opera medici extraordinarii usae fuerunt, ut respondit *s. Congreg. Episc. in Comen.* pro monasterio *s. Margaritae Terrae Lucani 11. Decb. 1699. proponente Eminent. Colloredo,* in qua a nonnullis monialibus praetendebatur, quod medicamenta praescripta a medico extraordinario deberent solvi sumptibus monialium, quae utebantur illius opera.

VIII. Mulieribus licitus.*)

Vd. p. 1265. VI.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister *provinciae Catalauniae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia* nuncupatorum necnon Minister et Discretus tertii ordinis hujusmodi istius civitatis *Barchinonensis,* quod ab immemorabili in more positum erat, et dum magno christifidelium concursu in ecclesia ac conventu Barchinonensi fratrum ordinis praedicti ab iisdem fratribus et ab utriusque sexus christifidelibus dicti tertii ordinis devotum viae crucis exercitium perageretur, non solum viri sed etiam mulieres sejunctim tamen ab hominibus ac binae ad infimum ejusdem conventus claustrum devote ac pie procederent, et quamvis emanata 1742. a fel. rec. Benedicto PP. XIV. Praedecessore Nostro constitutione quae incipit *Regularis disciplinae***) ab ea statim consuetudine recessum fuerit, paulo post tamen ex apostolico indulto eadem consuetudo revocata fuit, usque dum 1741, quod in tabulario nullum de indulto hujusmodi apostolico extabat documentum, a tunc exer-

*) Vd. *p. 913. VII.*
**) Vd. *p. 1220.*

cente Episcopo Barchinonensi pium exercitium hujusmodi interdictum fuit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, infimum claustrum praedictum ad hunc unum usum destinatum sit, ut christifidelium cadavera tumulentur atque ad ejusdem conventus ornatum nullumque ex more hujusmodi incommodum in eandem clausuram redundetur, Nobis propterea memorati exponentes supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut veris existentibus narratis et quatenus inposterum in infimo claustro hujusmodi nulla fiet innovatio, quae rerum statum immutet, consuetudinem praedictam, ut nempe mulieres in statis jam ac ab usu praescriptis diebus tantum ad claustrum praedictum pie ac devote exercitium praedictum comitando procedere possint, pro tuo arbitrio ac prudentia ac cum iis conditionibus, quae ad scandala antevertenda arbitraberis, auctoritate Nostra apostolica permittas.

Datum Romae die 25. Jun. 1797.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 99.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Almeriensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa seu priorissa monasterii monialium ordinis s. Clarae istius Almeriensis civitatis, quod ipsae ut asserunt regulari habitu utuntur albo qui ex crebrioribus lotionibus nisi hae diligenter fiant statim conteritur ideoque ad corrigendam externarum purgatricum oscitantiam atque impensas pro habituum hujusmodi suorum renovatione imminuendas per duas probas mulieres saeculares intra ipsius monasterii claustra id operis perfici dictosque habitus ibidem, aliquibus ex ipsis monialibus inspicientibus, lavari posse plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus atque mandamus, quatenus constito tibi de narratis eisdem Abbatissae et monialibus ut ipsae duas honestas mulieres saeculares tantum per ejusdem monasterii superiorissam pro tempore et in perpetuum existentem prius adprobandas una vel (si necessitas id postulaverit) duabus etiam vicibus pro quolibet mense ad praemissorum effectum dumtaxat intra monasterium admittere ac mulieribus hujusmodi, ut ipsius monasterii clausuram ingredi ibique etiam per diem integrum, quando necesse fuerit, degere victumque (non tamen cum monialibus) sumere ac dummodo earumdem monialium cellas ac alia monasterii loca praeter ea, quae opus fuerit, non visitent neque ibi pernoctent sub poena excommunicationis latae sententiae eo ipso absque alia declaratione incurrenda libere ac licite possint et valeant licentiam auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia concedas et indulgeas.

Datum Romae die 2. Aug. 1803.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 46.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Episcopo Malacitano.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Abbatissa seu priorissa Margarita Romeo et moniales monasterii ss. Conceptionis istius Malacitanae civitatis, quod ex veteri consuetudine nonnullae mulieres saeculares tam earum communitati quam privatim singulis monialibus praedictis intra monasterii claustra inservientes ibi retineri solent, quas mulieres semel admissas nunquam eas ex monasterio dimittere aut mutare consueverunt. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat incertum adhuc sit, an haec consuetudo admittendi et retinendi saeculares puellas inservientes alicui indulto apostolico innitatur, cumque etiam justis de causis interdum opporteat aliquam inservientium hujusmodi e monasterio dimittere earumque numerum pro variis monasterii et monialium necessitatibus imminuere vel augere, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis eisdem exponentibus ac pro tempore et in perpetuum existentibus monialibus dicti monasterii tot ancillas saeculares in monasterium hujusmodi introducendi, quot pro ipsius monasterii et monialium particularium servitiis dumtaxat fuerint necessariae, auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo facultatem concedas

his tamen legibus

I, ut superiorissa et moniales ejusdem monasterii pro singularum ancillarum hujusmodi admissione suffragium suum secretum capitulariter congregatae ferant:

II, ut ancillae assumendae sunt virgines honestaeque conditionis et famae:

III, ut ancillae hujusmodi habitu cultuque utantur modesto absque jocalibus, auro sive serico, locutorii et clausurae leges observent ac famulatum respective debitum praestent:

IV, ut si semel aliqua ex dictis ancillis e monasterio egrediatur aut dimittatur ex admissa tamen culpa in illud amplius sine s. Sedis licentia redire nequeat; praeterea ipsis Abbatissae et monialibus ancillas hujusmodi gravi tamen accedenti causa dimittendi et mutandi aliasque novas modo supra expresso admittendi earumque numerum pro diversis monasterii et monialium particularium necessitatibus imminuendi vel augendi facultatem auctoritate et arbitrio praedictis concedas et indulgeas.

Datum Romae die 11. Aug. 1803.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 48.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Valentino.

Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius Antonius Martinez Custos conventus s. Francisci Muri veteris olim Sagunti Nos ejus, ut asserit, antecessori, dum custodis munere fungeretur, indulsisse ad triennium, ut omnes utriusque sexus christifideles, qui metu solis nimium in conventus platea Augusti mense aestuantis a Portiunculae indulgentia lucranda non parum avertebantur, ingredi egredique possent in festo s. Mariae Angelorum ecclesiam ejusdem conventus per januam, quae ad inferiora claustra ducit, tum etiam ut ne causa imbrium qui frequentes ibi esse solent quaedam processiones eam per plateam fieri consuetae impedirentur, peragi illae valerent per eadem claustra, si tempore processionum imbres de coelo ruere contigisset. Quum autem compertum experientia sit, devotionem pietatemque fidelium non mediocre ex hujusmodi indulto Nostro incrementum accepisse, ideo quo latiores in ea Domini vinea agat radices summopere cupit exponens idem indultum priusquam triennii tempus expiret non modo per Nos confirmari sed etiam perpetuum reddi perpetuoque pariter ampliari ad alias tres processiones, quae incedentibus una clero, communitatibus et populo oppidi ibidem fiunt diebus 30. Julii, 10. Augusti et feria 6. majoris hebdomadae singulis annis, nimirum, ut ad aestivas molestias hybernasque inclementias penitus evitandas, quum caloris, pluviarum ventorumque vis ingruit, liceat tunc his in processionibus aliisque superius recensitis coenobii claustrum permeare mulieribus processionem sequentibus ne cum periculo valetudinis in platea se sistere ibique processionis reditum debeant exspectare, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et supplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae uti ordinis generali ministro per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis ac proviso per datam tibi a Deo sapientiam, ne ulla unquam eventura sint scandala, super quo etiam custodum pro tempore conscientiam onerabis, exponentis precibus pro tui conscientia et arbitrio indulgeas juxta petita; Nos enim tibi omnes, quae tibi ad id opus sunt, facultates auctoritate apostolica tribuimus ac impertimus.

Datum Romae die 17. Mart. 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 141.)

IX. Mulieribus vetitus.

Paulus PP. V.

Ad futuram rei memoriam.

Facultatum plura Monasteria Monialium ingrediendi abusus tollere volentes.

§. 1. Tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod nulla persona cujuscumque

gradus, status et conditionis ac praeeminentiae existat etiam ducali,*) marchionali aut alia dignitate praefulgeat vigore licentiarum plura monasteria, domos et loca monialium pluribus vicibus ingrediendi etiam absque clausula (in totum seu in universa, non autem in eorum aliqua vel singula) a Nobis vel Praedecessoribus Nostris romanis Pontificibus sub quovis tenore vel forma etiam motu proprio concessarum et expeditarum aut inposterum forsan concedendarum et expediendarum, aliqua vel singula monasteria pluribus vicibus ingredi possit, sed licentiae hujusmodi respectu universorum, non autem aliquorum vel singulorum monasteriorum suffragentur, etiamsi praedicta monasteria in diversis civitatibus, terris, dioecesibus et locis existant.

§. 2. Iisdemque mulieribus aliter quam ut praefertur easdem licentias interpretari vel illis uti sub censuris et poenis a Concilio Trid. et apostolicis constitutionibus intra septa monasteriorum monialium absque licentia ingredientibus inflictis ipso facto incurrendis eadem auctoritate prohibemus.

§. 3. Praemissis et aliis quomodolibet in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud s. Marcum die 1. Sept. 1608.

(Bull. r. t. III. p. 273. Ed. Luxbg.)

Paulus PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Monialium statui quae saecularia desideria abnegantes Dei obsequio sese addixerunt pastorali solicitudine consulere cupientes ad ea removenda quae religiosam earum quietem et regularem observantiam perturbare dignoscuntur curam nostram libenter intendimus prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Quoniam itaque sicut accepimus experientia compertum est non levia incommoda licentias ingrediendi monasteria monialium mulieribus saecularibus concessas dictis monialibus inferre: Nos malis hujusmodi opportuno remedio providere volentes Motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine omnes et singulas licentias ingrediendi monasteria monialium ubique locorum existentium ac cum monialibus conversandi et refectionem sumendi corporalem mulieribus cujuscumque status, gradus et conditionis existentibus etiam marchionali et ducali dignitate fulgentibus sub quibuscumque verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque sartioribus et efficacioribus ac insolitis clausulis necnon irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum a Praedecessoribus Nostris romanis Pontificibus et etiam a Nobis concessas, quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus haberi volumus pro expressis, apostolica auctoritate tenore praesentium revocamus, cassamus et irritamus ac revocatas, cassas et irritas esse decernimus.

§. 2. Inhibentes mulieribus praedictis licentias hujusmodi habentibus sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nonnisi a Nobis seu romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo absolvi possint, ne monasteria praedicta praetextu licentiarum hujusmodi ingredi audeant seu praesumant

§. 3. Ipsorum vero monasteriorum Abbatissis seu Priorissis ac Superioribus sub eadem ac privationis suorum officiorum quae obtinent et inhabilitatis ad illa inposterum obtinenda ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere seu admittere vel admissas quoquo modo retinere audeant seu praesumant.

§. 4. Quocirca dilectis filiis Nostris et apostolicae Sedis pro tempore existentibus Nunciis ac locorum Ordinariis necnon dictorum monasteriorum Praelatis et Superioribus praecipimus et mandamus, quatenus praesentes literas publicari et praemissa omnia observari faciant, contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per praedictas et alias licentias, censuras et poenas aliaque juris et facti remedia opportuna appellatione postposita compescendo invocato etiam si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

§. 5. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die 10. Julii 1612.

(Ibid. p. 345.)

*) Vd. *p. 913. VII.*

Confirmantur sanctiones ecclesiasticae antea editae. Revocantur facultates extraordinariae permittendi ingressum et egressum e monasteriis.

Benedictus PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Salutare in catholica ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custoditum, ut flos ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sacrae virgines, quarum quo sublimior gloria est major et cura est, intra monasteriorum septa et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante quam post Trid. synodi decreta romani Pontifices Praedecessores nostri tot ss. legibus et initis apostolicae providentiae caritatisque consiliis communire et confirmare studuerunt, ut quae se Christo dicaverint et a carnali concupiscentia recedentes tam carne quam mente se Deo voverint consumment opus suum magno praemio destinatum.

§. 1. Quoniam autem, etsi providas hujusmodi sanctiones constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinae observantia custodirentur, satis esse scimus, ut virgines ea, quae coelestis earumdem sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes sint sanctae et corpore et spiritu, longa tamen experientia edocti et assiduis venerabilium fratrum aliarum ecclesiarum Antistitum querelis admoniti supremas apostolicae auctoritatis providentiaeque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut praetendentium aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet sive a jure sive ab homine concessam vel demandatorum munerum ratione debitam ut sive ipsi sive alii ingredi clausuram monialium aut ipsae moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi et extra clausuram hujusmodi commorari possint, licentiam concedendi indulgentia sensim invectis opportune occurratur.

§. 2. Hinc est, quod Nos opportunum hujusmodi abusibus remedium quantum cum Domino possumus adhibere satagentes auctoritate apostolica *tenore praesentium omnes et singulas constitutiones a romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris tam ante quam post Concilii Trid. decreta super clausura monialium editas renovamus et confirmamus* necnon imposterum ab omnibus et singulis ad quos spectat et in futurum spectabit sub iisdem poenis in constitutionibus eorumdem Praedecessorum nostrorum roman. Pontificum et decretis Concilii Trid. praefati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus atque mandamus.

§. 3. Praeterea motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine earumdem praesentium tenore *omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones* omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia ac jurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris s. romanae ecclesiae Cardinalibus, sive singulis sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de latere legatis sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore praesunt sive quos ad carissimos in Christo filios nostros Romanorum regem in Imperatorem pro tempore eligendum vel electum, Reges et Reginas illustres aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit, sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum Antistites, tamen tamquam apostolicae s. Sedis Legati de latere alias nuncupati et habiti sunt et fortasse habentur aut haberi et esse praetendunt et imposterum habendi sunt, sive ordinarii sive extraordinarii nostri et ejusdem apostolicae Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem et reges ac summas potestates nuntii sive Internuntii resident, exceptis dumtaxat locorum Ordinariis iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis et ordinaria jurisdictione utentibus monialium monasteria subjecta et addita sunt, in casibus tamen necessariis et servatis aliis de jure servandis et non aliter omnino, ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis etiam ab ipsis romanis Pontificibus quacumque de causa, occasione, titulo, colore et praetextu, per quascumque apostolicas sive in simili forma brevis sive sub plumbo expeditas literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita sive factas, datas, concessas et im

pertitas, super hujusmodi ingressu *revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus necnon a datarum carumdem praesentium die revocata, abolita, annullata et irrita ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore neminique cuilibet quocumque tempore suffragari.*

§. 4. Ac quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum quacumque facultate hujusmodi sive pro se sive pro aliis temere uti audentem ipso facto absque ulla alia declaratione poenas et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus praeterquam a Nobis et pro tempore existente romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari atque nullius momente; perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi ac poenas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto ut praemittitur per contrafacientem incurri et incursas esse, statuimus decernimus ac declaramus.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque etc.

§. 6. Non obstantibus etc.

Die 3. Jan. 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 106. Ed. Rom.)

Clemens PP. XIV.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moniales ord. b. V. M. de Monte Carmelo excalceatae nuncupatae civitatis s. Fidei de Bogota in Indiis occidentalibus, quod regularis eorum vivendi ratio in eo potissimum versetur, ut a mundanis rebus alienae in silentio vitam solitarie ipsae ducant neque puellae educationis causa illarum monasterium ingrediantur, hinc alias 1719 fel rec. Clemens PP. XI. per suas expeditas literas ad preces tunc existentium monialium dicti monasterii sub certis tunc expressis poenis prohibuit, ne quaecunque persona monasterium hujusmodi ingredi valeret. Cum autem praedictarum literarum dispositio in desuetudinem abiisse nunc dignoscatur, ipsae vero exponentes, ut clausura et monasterii disciplina rigorose observetur et earum quieti consultum sit omnisque distractionis praecidatur occasio, opportune a Nobis provideri et indulgeri summopere desiderant.

§ 2. Nos piis exponentium votis annuere volentes memoratas Clementis literas prohibitionem hujusmodi continentes tenore praesentium confirmamus illisque apost. firmitatis vim et efficaciam adjungimus ac literas praedictas et in eis contenta quaecunque adversus quemcunque non usum seu desuetudinem et inobservantiam necnon quemvis abusum et contrarium usum contrariamque observantiam etiam forsan publicam ac quantolibet tempore tolleratam in integrum et pristinum statum restituimus illasque perpetuo inviolabiliter observari praecipimus et quatenus opus sit ne de caetero absque speciali Sedis apost. facultate ulla persona cujusvis status, gradus, aetatis et conditionis monasterium praedictum sub quovis praetextu et causa etiam educationis et expectandi tempus suscipiendi habitum regul., neque quisquam quavis superioritate, officio aut dignitate fungens ullam personam etiam ex nobili sanguine procreatam sive conjugatam sive innuptam in monasterium hujusmodi introducere seu ut introducatur permittere audeat sub excommun. latae sententiae ipso facto absque alia declaratione incurrendae poena, a quo Nemo absolutionis beneficium nisi a Nobis seu romano Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus obtinere queat, tenore praesentium prohibemus et interdicimus. Romae 28. Apr. 1773.

(Bull. r. Cont. t. IV. p. 564. Ed. Romae 1841.)

X. Superiorum et fratrum regularium.

Vd. *Clausura Monial.* (Ingress. Episcopi, p. 1260; Visitatio.)

Ad dub.: An Superior regularis monasterii monialium s. Clarae Civitatis Graecii ingredi possit clausuram dicti monasterii post electionem Abbatissae ad peragendam exhortationem et publicandam dictae Abbatissae electionem monialibus?

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 29. Novbr. 1710 et 10. Jan. 1711.

Martinus PP. V.

Regulae ffr. Min. Conv. s. Francisci.

Statuimus et ordinamus illud esse servandum quod praefatus Nicolaus III. decrevit in eadem sua Decretali *Exiit, qui seminat*, prohibitum esse fratribus ne ingrediantur monasteria monacharum quarumcumque,

intelligens nomine monasterii claustrum, domus et officinas interiores,*) pro eo quod ad alia loca ubi homines saeculares conveniunt possunt fratres ipsi causa praedicationis vel eleemosynae petendae accedere, quibus id a superioribus suis pro sua maturitate vel idoneitate fuerit concessum, exceptis semper praedictarum monasteriis inclusarum, ad quae nulli datur accedendi facultas sine Sedis ejusdem licentia speciali. Quod etiam Gregorius IX. determinavit.

Addentes nihilominus quod, si quis sine ministrorum licentia aliquod monasterium intrare praesumpserit, ipso facto carceri mancipetur. Et diligenter attendant ministri, quod moniales sibi commissae debitam clausuram servent tam fratrum quam saecularium accessus ad se compescendo, sub interminatione maledictionis aeternae.

Item statuimus et ordinamus quod nullus frater de caetero praesumat fieri compater virorum vel mulierum et qui jam compaternitatem contraxerint, quantum in eis est, hoc nomine se a nemine nominari permittant nec ipsi alios nominent. Et qui contrafecerit carceri mancipetur.

Die 21. Junii 1430.

(Bull. r. t. IV. p. 742. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Papien.

Ad dub. I: Quot et quas personas Abbates secum assumere debeant occasione eorum ingressus intra septa monasteriorum pro explenda locali visitatione?

II: An Abbates extra causam dictae localis visitationis possint ingredi septa monasteriorum?

Et quatenus affirmative,

III: Quot et quas personas assumere teneantur in socios?

S. C. resp.:

Servandum esse omnino in omnibus constitutionem Alexandri VII. incipien.: *Felici.***)

Die 16. Martii 1743.

Ad dub. 1: An ad Episcopum spectet cura clausurae monasteriorum monialium regularibus et praesertim Cisterciensibus et Benedictinis subjectarum eamdem clausuram demandare servandam ad praescriptum s. Concilii Trid.?

Et quatenus affirmative,

2: An competat Episcopo Praelatis regularibus praesertim Cisterciensibus et Benedictinis prohibere, ne pluries in anno occasione visitationis ingrediantur septa monasterii monialium sibi subjecti sine praesentia ejusdem Episcopi sive alterius personae ab eo deputandae?

S. C. resp. ad 1 et 2: Affirmative.

Die 7. Junii et 2. Aug. 1755.

Approbatio regulae ffr. M. Conv. Ord. s. Francisci.

Pius PP. IV.

De monialibus mandatur omnibus et singulis fratribus nostris ne accedant ad monasteria monialium nisi pro Divinis agendis et ex jussu superiorum qui aetatem et probitatem mittendorum considerent, sub poena per triennium secundum constitutiones capituli generalis Mediolanensis proximi. Et qui mittentur, a monialium alloqnutione abstineant, sub poena exilii per annum.

Circa vero ingressum monasteriorum servetur cap. V. reformationis Regularium Trid. synodi, ubi dicitur: Ingredi autem infra septa monasterii nemini liceat cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis*) obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Quapropter mandamus Abbatissis omnibus monasteriorum nostrorum sub poena eadem et sub poena privationis officii, ne admittant inter claustra monasteriorum aliquem absque expressa licentia in scriptis suorum superiorum, quicumque is sit et cujuscumque conditionis. Licentia autem in casibus tantum necessariis detur, veluti pro confessore, medico aut aliis ministris, exigente necessitate.

Dat. Romae die 17. Septbr. 1565.

(Bull. r. t. VII. p. 414. Ed. Aug. Taur.)

Constitutio determinans quomodo et quando liceat Superioribus Regularibus monialium earumque confessoribus ingredi septa monasterii et prope illud commorari.

Alexander PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Felici sacrarum Virginum statui quae contemptis illecebris saeculi divinis se obsequiis

*) Vd. *p. 1205. n. 1.*
**) Vd. *in hac pagina.*

*) Vd. *p. 912. VII.*

manciparunt quantum Nobis ex alto conceditur consulere volentes Motu Nostro proprio, non ad alicujus instantiam, sed ex Nostra mera deliberatione ac de apostolicae potestatis plenitudine de voto tamen nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum s. romanae ecclesiae Cardinalium ac dilectorum filiorum romanae Curiae Praelatorum quibus negotium sedulo ac mature examinandum commisimus.

§. 1. Praesentibus perpetuo valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiae et Insularum adjacentium generalibus, provincialibus, Abbatibus et quibuscumque aliis Superioribus regularibus, quibus alioqui cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem monasteriorum nullatenus ingredi liceat nisi ex causa visitationis localis et hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit alius Superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat.

§. 2. Quod si ob clausuram, quae a s. Trid. synodo etiam in monasteriis exemptis curae et vigilantiae Episcopi inprimis committitur, aut ob aliam urgentem ac necessariam causam oportuerit Superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii tunc non aliter ingrediatur quam cum praesentia Episcopi dioecesani vel alterius personae ecclesiasticae saecularis boni exempli ac maturae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae.

§. 3. Visitet autem Superior regularis interiorem clausuram per se ipsum non autem per alium etiam si fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus quo cessaverit impedimentum et visitationem celeriter et unica die debita tamen cum diligentia absolvat nec ante ortum solis eam incipiat nec post occasum protrahat neque ipse visitator neque ejus socii ullam sumant in monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos socios sui ordinis; si alius a Generali, unum tantum exclusis omnibus aliis etiam ratione officii; qui quidem socii assumantur exemplares et maturae aetatis et in actu visitationis a visitatore nunquam separentur, sed ut eum aspicere et ab ipso aspici semper possint.

§. 4. Ac praeterea visitatori assistant 4 moniales ex senioribus monasterii quae similiter visitatione durante nunquam separentur a visitatore et sociis. Reliquae vero moniales et puellae saeculares in monasterio degentes nisi legitimo detineantur impedimento conveniant omnes in choro antequam visitator ingrediatur interiorem clausuram et in eo permaneant durante visitatione et quousque idem visitator cum sociis e monasterio exierit. Ideoque curet visitator, ut tempestive admoneatur Abbatissa seu monasterii Praefecta de praestituta die et hora visitationis. Visitatio vero personalis fiat ad crates et omnino extra clausuram monasterii et per ipsummet Superiorem dumtaxat ut supra dictum est de visitatione interioris clausurae.

§. 5. Ad haec confessor*) monialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii nisi ad Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus vel aliis personis infirmis ibi degentibus necnon ad commendandam animam agonizantium nec unquam ingrediatur nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso videri semper possit.

§. 6. Insuper districte praecipimus memoratis Superioribus regularibus, ut infra terminum 2 mensium a publicatione praesentis constitutionis computandorum revocent ad claustra confessores eorumque socios, concionatores et alios quoscumque Regulares apud monasteria monialium vel assidue vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos. Neve permittant eosdem seu alios Regulares intra seu prope septa monasteriorum hujusmodi habitare vel commorari, quin etiam infra eumdem terminum quascumque cellas, mansiones seu cubicula prope monasteria praedicta ad usum memoratorum Regularium existentes, si clausurae monasteriorum earumdem monialium contigua sint, eidem clausurae includi vel dirui omnino faciant: si vero sint extra septa, vendi pretiumque in monasterii utilitatem converti; nec inposterum alia similia aptari, aedificari aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum Superiores regulares praemissa cum effectu non adimpleverint teneatur Ordinarius loci tamquam Sedis apostolicae Delegatus illa adimplere et omnino exequi etiam invocato si opus fuerit brachii saecularis auxilio.

§. 7. Verumtamen si monasterium monialium sit extra moenia urbis vel oppidi et monasterium regularium virorum, quibus moniales sunt subjectae, sit intra dicta moenia,

*) Vd. *p. 1257. III.*

vel e converso habeantur vel conducantur, si commode fieri possit, mansiones ad usum confessoris quae non sint conjunctae seu contiguae ipsi monasterio monialium sed ab eo penitus disjunctae non solum per parietes sed etiam per tecta: sin autem utrumque monasterium sit intra moenia et unum ab altero Episcopi judicio multum distans, tunc habeantur vel conducantur hujusmodi mansiones ut supra distinctae et separatae a monasterio monialium distantia ab ipso Episcopo recognoscenda et approbanda ita tamen ut in mansionibus confessoris sive intra sive extra moenia constitutis excepto ipso confessore cum suo socio alii Regulares etiamsi Superiores sint minime pernoctent.

§. 8. Si quis vero praedictorum Regularium aliquid contra praesentium tenorem facere vel moliri praesumpserit aut adimplere neglexerit ipso facto poenam excommunicationis et privationis omnium officiorum quae obtinet ac perpetuae habilitatis ad illa vel alia inposterum obtinenda vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci tanquam ad hoc Sedis apostolicae Delegato toties et quando opus fuerit corrigi et puniri valeat.

Datum in Arce Gandulphi die 20. Nov. 1664.

(Bull. r. t. VI. p. 208. Ed. Luxbg.)

Ex constit. Monial. B. M. V. de monte Carmelo excalc. Hispaniae.

Pius PP. VI.

Injungimus praelatis, (salvo tamen jure, quod ex dispositione concilii Trid. et constitutionum apostolicarum super clausura competit Ordinariis quod rite servare debemus) ne monialium monasteria ingrediantur nisi omnimoda necessitate, pro rebus scilicet iis, quae in loquutorio vel loco pro confessionibus excipiendis peragi vel tractari nequeunt. Et insuper declaramus, pro ingredienda clausura haud justam praebere causam exhortationes vel spiritualia colloquia, quae aeque ac capitulum culparum visitationis habebuntur in loquutorio vel ad cratem chori: si vero Praelatus praeciperet aliquam disciplinam, commendabit praelatae, quod intus eam applicet; intercedente autem aliqua justa causa ex illis ab hisce constitutionibus permissis, si oporteret ipsum ingredi clausuram vel dum in fine visitationis ingreditur ad visitandum et recognoscendum monasterium secum semper ducat socium profectae aetatis et probatae vitae, qui ab eo toto tempore suae inibi permanentiae non recedat; electiones autem ab ipso fiant in loquutorio vel ad cratem chori, quin hac de causa clausuram ingrediatur, prout s. Trid. synodus praecipit et superius est dispositum. Nullus religiosus, praelatus vel subditus comedere poterit in monasteriis nostrarum monialium nec intra illa scilicet in ecclesia, sacrario, monasterii vestibulo seu janua, loquutorio vel in quacunque alia ejusdem monasterii parte. Et hoc etiam omnibus a religione extraneis vetitum volumus, quibus nequeant moniales cibos praebere in aliqua ex dictis partibus. In hospitiis autem quae habent moniales nostrae nequeant inibi ullum a religione extraneum nec virum nec mulierem accipere nec illis cibum ministrare; liceat nihilominus eisdem per unum diem vel per biduum mittere cibum pro genitoribus vel parentibus alicujus monialis vel pro aliquo magno benefactore ad diversorium, in quo degunt. Id autem quoad religiosos praecipimus sub poena suspensionis ab officio per mensem si praelatus, subditis vero sub poena gravis culpae per duos dies et quoad moniales injungimus scilicet praelatae sub eadem poena suspensionis ab officio per mensem et rotae praesidi sub poena privationis veli per idem tempus.

Die 12. Maji 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 609. Ed. Romae.)

XI. Superiorum Praelatorum saecularium.

Praelati omnes saeculares episcopali ac etiam Cardinalatus dignitate praediti nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum nisi in casibus necessariis et comitati a paucis iisque senioribus ac religiosis personis. Sic expresse statuit Gregorius XIII. constit. incip. *Dubiis.**) Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiae pro prima vice, pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere et a Divinis, pro tertia autem vice ac deinceps excommunicatione majori ipso facto afficiuntur; sic expresse Gregorius XIII. in d. constitut. incip. *Dubiis.* Unde non possunt Episcopi secum ducere in clausuram

*) Vd. *p. 1220; p. 1279. V.*

ullos laicos tamquam comites et socios. Propter necessitatem tamen et ad promovendam utilitatem monasterii possunt Episcopi secum ducere aliquos peritos Laicos. Non possunt tamen Episcopi secum ducere in clausuram plusquam octo personas, alias incurrunt praedictas censuras. *)

Ad dub. I: An commissarii Nuntiaturae apud Helvetios accedere possint ad monasteria monialium easque alloqui etiam citra necessitatem officii absque licentia Ordinarii?

II: An iidem commissarii concedere possint aliis ad eos recurrentibus licentiam alloquendi moniales sine licentia Ordinarii? **)

S. C. resp.:

Negative.

Die 26. Febr. 1707.

I) Regressus.

Gerunden.

(Conc. Tr. C. 5. Sess. 25. De Regul.)

In postrema obsidione civitatis Gerundae cum fere omnia deficerent ad vitae sustentationem tam moniales Cistercienses sub jurisdictione Abbatis Cisterciensis quam moniales ordinis Minorum s. Francisci ipsius ordinis Superioribus regularibus subjectae licentiam ab Episçopo obtinuerunt excedendi a monasteriis ad formam bullae s. Pii V.,***) quaè vel in patriis laribus vel in aliis commodioribus coenobiis sese receperunt. At obsidione absoluta urbeque victualium copia instructa moniales ipsae paucis exceptis ad propria monasteria redire renuunt causam praetexentes devastationis eorundem bonorum, aëris intemperiei et difficilis accessus ad civitatem ac ulterius aegreferunt cogi ab Episcopo ad clausuram, eo sub obtentu, quod ab ejus jurisdictione habeantur exemptae. Quoniam vero hujusmodi causae nimis ut perhibetur videntur futiles, cum monialibus nihil ad vitae saltem sustentationem in monasteriis deficiat facilisque sit accessus ad civitatem, in qua nullae grassantur infirmitates epidemicae, hinc Episcopus, priusquam ad censurarum fulminationem et respective declarationem contra ipsas moniales procedat, supplex declarari expetit sequentia dubia. Relatis hisce precibus in Congregatione diei 9. Sept. ultimo effluxi rescriptum prodiit, quod causa describeretur in folio. *Dignabuntur itaque EE. PP. decernere:*

I. *An moniales praedictae in praesenti remanentes extra propria monasteria inciderint in excommunicationem latam in bulla s. Pii V., saltem postquam extrajudicialiter ab Ordinario fuerint monitae in casu etc.?*

II. *An incurrerint excommunicationem moniales, etiamsi maneant in aliis monasteriis ejusdem vel alterius ordinis in casu etc.?*

III. *An moniales Regularibus subjectae possint egredi in casibus permissis extra monasteria absque licentia Ordinarii, etiamsi ipsam habuerint a Superioribus Regularibus in casu etc.?*

IV. *An praedictis monialibus suffragetur observantia contra bullam s. Pii V. et s. Concilium Trid., quoad clausurae legem, in casu etc.?*

S. C. C. resp.

Ad 1: Episcopus cogat juris remediis ad redeundum.

Ad 2: Ut ad I.

Ad 3: Negative.

Ad 4: Negative.

Die 18. Novb. 1713.

Monialibus in Portugalliae et Algarbiorum monasteriis rigorosam clausuram professis et extra illa degentibus injungitur reditus ad claustra et egressus inposterum prohibetur.

Venerabilibus fratribus Antistitibus regnorum Portugalliae et Algarbiorum.

Benedictus PP. XIV.

Venerabiles fratres.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ss. virginum, quae se Christo intra claustra dicaverunt et tam carne quam mente se Deo voverunt, ut consument opus suum magno praemio destinatum, quo sublimior gloria est eo major et cura esse debeat, inter praecipuas apostolicae nostrae sollicitudinis partes illam non ultimam reputamus, ut caeteris inter apostolicam hanc s. Sedem et Portugalliae Algarbiorumque regna jamdiu exortis dissidiis compositis salutarem quoque nostram ad majorem monialium in iisdem regnis degentium progressum in via

*) Vd. *p. 912. VI.*
**) Vd. *p. 1255. i.*
***) Vd. *p. 1232. 1234.*

mandatorum Dei et vocationis suae semita faciendum operam conferamus.

§. 1. Quoniam autem sicut accepimus quamplurimae moniales variarum dioecesum regnorum hujusmodi, quae regularem in monasteriis quorumcumque ordinum rigorosae et perfectae clausurae emiserunt professionem, variis et in speciem quaesitis coloribus et simulationibus ac praesertim praetensis curandarum infirmitatum*) causis non solum e monasteriis exeunt nec ad breve tempus nec ad civitates et oppida ubi cujuslibet monialis monasterium reperitur divertunt, verum etiam per integrum unius ac plurium annorum spatium et in locis a proprio uniuscujusque monasterio longissime dissitis moram ducunt, eapropter fit, ut quamplurima inde scandala et abusus incredibiles ac regularis perfectionis detrimenta, non sine gravi bonorum hominum offensione, oriantur: conspiciuntur enim nonnullae earumdem monialium per plateam incedere, ad publica spectacula et theatra, comoedias, tragoedias et dramata audiendi spectandique causa convolare et ad alia loca nullo pacto religiosis virginibus convenientia pergere; his accedit, quod non religiosae consuetudinis sed licentiosae vitae exemplo iis, quibuscum in eorumdem domibus commorantur, sint offensioni et scandalo,

§. 2. Hinc est, quod Nos, non quod humilitatis nostrae admodum conscii aliquid ad censuram licentiae vindicemus, sed quod, ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus, opportunum hisce malis remedium afferre et quantum cum Domino possumus debitae earumdem sacrarum virginum custodiae, decori atque honestati providere cupientes motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine vobis omnibus et singulis venerabiles fratres injungimus et mandamus, ut statim ac ad fraternitates vestras praesentes nostrae in forma brevis literae aut earumdem transumpta sive exempla etiam typis impressa et manu alicujus publici notarii subscripta et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munita pervenerint, illico notum faciatis et nuntietis omnibus et singulis monialibus monasteriorum sive vestrarum respective sive aliarum dioecesum in uniuscujusque vestrum dioecesi quacumque auctoritate, facultate, licentia, indultis ac privilegiis, sive per hanc s. Sedem sive per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum s. romanae ecclesiae Cardinalium negotiis Episcoporum et regularium propositam sive per vos ipsos aut Praedecessores vestros Antistites sive per ordinarios nostros et ejusdem s. Sedis pro tempore Nuntios quomodolibet concessis extra claustra suorum monasteriorum quacumque etiam infirmitatis causa commorantibus in virtute sanctae obedientiae praecipiatis, ut intra 15 aut 20 dies et non amplius ab earumdem praesentium nostrarum literarum publicatione et affixione ad proprium monasterium in quo regularem professionem emiserunt redeant ibique permaneant, aliter ipso facto poenas a ss. canonibus contra violantes clausuram monialium inflictas praeter alias vestro arbitrio irrogandas incurrere et incurrisse sciant, quibus sane poenis aliisque vestro etiam arbitrio imponendis obnoxios et ipso facto subjectos esse decernimus et declaramus omnes et singulos consilium, auxilium, commodum aliaque hujusmodi dantes aut praestantes, ne eaedem praesentes suum sortiantur effectum.

§. 3. Caeterum venerabiles fratres rogamus vos et in Domino hortamur, ut pro eximia pietate vestra, religionis zelo, ecclesiasticae disciplinae amore et aeterna sacrarum virginum salute fraternitatibus vestris potissimum credita statim hisce nostris acceptis omnia et singula in ipsis contenta debitae executioni mandanda curetis, super quibus vestras conscientias oneramus ac significamus districtam supremo divino judici Jesu Christo coelesti sacrarum virginum sponso reddendam esse rationem. Contendite igitur omni ope, consilio, prudentia et auctoritate vestra sacerdotale ministerium vestrum cumulate explere; Nos enim omnes opportunas et necessarias ad ejusmodi effectum facultates etiam auxilium brachii saecularis, quatenus opus fuerit, invocandi apostolica auctoritate earumdem praesentium tenore impertimur.

§. 5. Verum ne imposterum indulta exeundi e monasteriis et extra claustra permanendi ob quamcumque causam tanta facilitate monialibus in iisdem Portugalliae Algarbiorumque regnis concedantur, tum fraternitatibus vestris vestrisque successoribus tum ordinariis ejusdem apostolicae Sedis pro tempore isthic Nuntiis tum denique ipsi Congregationi Cardinalium Episcoporum et

*) Vd. *p. 1231. VII.*

regularium quamcumque facultatem tribuendi expediendique indulta hujusmodi, quacumque auctoritate, potestate, privilegiis, indultis, quibus omnibus quoad hanc partem earumdem praesentium tenore derogamus, attributam omnino inhibemus et inhibitam esse volumus et declaramus. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 1. Junii 1741.

D. Cardinalis Passioneus.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 54.)

Moniales ex licentia s. Congregationis egressae tenentur sub mortali statim expleta causa egressus se ad monasterium recipere, *ex cap. Periculoso, unic. de statu Regular. in 6.* §: *Verum* et ex constit. Gregorii XIII. incip.: *Deo sacris.**) Hoc tamen intelligendum est moraliter et non metaphisice, adeo ut si per breve spatium v. g. unius vel alterius diei ingressum suum in monasterium differrent, non peccarent mortaliter, *Tamburin. de Jure Abbatiss. disput. 20. quaest. 7. n. 2.* cum *Sanchez, Victorell.* et aliis ibi citatis, *Barbosa de offic. et potest. Episcop. allegat. 102. n. 58.* et alii.

m) Scholas dirigentium monialium.

Vd. p. 1239. h.

Ex Audientia SSmi sub die 22. Januarii 1847.

Sanctitas Sua benigne annuit et propterea mandavit committi Episcopo oratori ut attentis expositis pro suo etc. indulgeat enunciatis monialibus, ut scholas puellarum externarum habere et retinere licite ac libere valeant, ita tamen ut scholae constituantur in parte aedium monasterii ab alia separata ad quam per externam januam puellae ingredi possint facta potestate monialibus magistris in scholas sese conferendi per interiorem januam ad earum officium exercendum. Ceterum hujusmodi porta tam externa quam interna caute custodiatur et praesertim janua interna duabus clavibus clausa sit, quarum una servetur penes superiorissam, altera penes monialem ab Episcopo designandam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus etc.

In Congregatione generali die 2. Aprilis 1841 in palatio apostolico Vaticano referente Emo Polidori Emi Patres rescripserunt: Affirmative juxta modum, scilicet cubiculis monasterio adnexis sed separatis a clausura scholae erigantur pro puellarum instructione atque educatione et ideo una vel altera ex monialibus a Superiorissa designandis e clausura egredi atque diebus et horis assignatis in scholis versari possint iterum deinceps in clausuram reversurae atque officium magistrarum sub immediata obedientia ab Ordinario et dependentia a superiorissa exercere possint. Provideat vero Ordinarius ut janua ex qua aditus ad scholas patet caute custodiatur.

*) Vd. *p. 1235.*

n) Visitatio.

Vd. *Claus. Monial.* (ingress. Episcopi p. 1260; ingress. Superior. regul. p. 1272.)

a) Ab Episcopo facienda.

Aquilana.

(Conc. Tr. c. 5. s. 25. de regul. et monial.)

Dubia ad calcem hujus restrictus reserenda respiciunt visitationem ab Episcopo Aquilano faciendam in monasteriis monialium ordinis Coelestinorum et quae sunt subjecta superioribus ejusdem ordinis. Cumque jura partium hinc inde circumferantur, mei muneris esse censeo innuere tantum decreta, quae in regestis hujus s. Congregationis invenire potui quaeque conducere possunt ad dictorum dubiorum resolutionem.

S. Concilium *sess. 25. de regul. cap. 5.* in monasteriis monialium etiam exemptis et quae regularibus subjecta sunt commisit Episcopis tanquam Sedis apostolicae Delegatis, ut procurarent clausuram monialium ubi violata fuisset diligenter restitui et ubi inviolata est conservari et Gregorius PP. XV. in sua constit. *Inscrutabili**) addidit, ut Episcopi adversus inobedientes et contradictores procederent per censuras ecclesiasticas et alias poenas, et quod regulares delinquentes circa clausuram monialium licet sibi subjectarum puniri possent et corrigi ab Episcopis tanquam Sedis apostolicae Delegatis et Alexander VII. in sua constitutione *Felici***) Superioribus regularibus quibus incumbit cura et regimen monasteriorum monialium prohibuit ingressum in ea nisi ex causa visitationis localis et hoc semel in anno et casu, quo necessitas urgeat pluries eodem anno ingrediendi, statuit, quod non ingrederentur nisi cum praesentia Episcopi dioe-

*) Vd. *t. I. p. 208.*
**) Vd. *p. 1273.*

cesani vel alterius personae ecclesiasticae ab eodem deputatae.

Acquisito per Episcopos jure delegato visitandi quoad clausuram monasteria monialium regularibus subjectarum exorta est controversia: *an liceret Episcopis visitare altaria quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit aut ss. Sacramentum seu tabernaculum in quo idem conservatur et loca, in quibus excipiuntur confessiones personarum saecularium?*

Et responsum fuit: *Negative*, uti habetur ex resolutione s. Congregat. ad calcem constitutionis Gregorianae in responsione ad I. dubium.

Actum subinde fuit de modo et occasione explendi dictam visitationem et interroganti de praedictis Episcopo Conimbriensi s. Congregatio die 26. Maji 1640 sic respondit: »*S. etc. censuit Episcopum Conimbriensem uti Sedis apostolicae Delegatum potuisse quoad clausuram monasterium monialium conventus de Cellas ordinis Cisterciensis regularibus ejusdem ordinis subjectum visitare, etiam assumpto secum Vicario generali et confessario ejusdem monialium, monialesque ipsas in iis, quae ad eandem clausuram pertinent, examini subjicere remotis etiam suspicione violatae clausurae ac quacunque superiorum regularium negligentia ipsisque inconsultis et irrequisitis.*«

1684 die 29. Febr. Episcopus Aquilanus monito procuratore generali Congregationis Coelestinorum supplicavit declarari: *an Episcopus in visitatione monasteriorum monialium subditarum Abbati Collis Madii Congregationis Coelestinorum teneatur vocare Abbatem?* Sed cum instantia propter angustiam temporis non fuerit in dicta Congregatione proposita, non invenio in regestis, quod inposterum de ea unquam actum sit.

Die 29. Julii 1684 instante Archiepiscopo Florentino fuerunt in s. Congregatione proposita et resoluta dubia, quae sequuntur:

I: *An Archiepiscopus seu de ejus mandato Vicarius generalis possit visitare SS. Sacramentum, olea sacra, confessaria et sepulturas in ecclesiis monialium regularibus subjectarum?*

II: *An valeat easdem moniales communicare?*

III: *An possit ingredi earundem monialium clausuram cum pluviali et stola?*

IV: *An omnes moniales praefatae teneantur processionaliter cum cruce et cum canticu* Benedictus Dominus *obviam ire Vicario ingredienti et visitare volenti clausuram?*

V: *An in visitatione et ingressu clausurae teneantur Vicarii generales secum ducere priorem et confessarium dictarum monialium?*

S. C. respondit

Ad I: Negative, nisi in his, quae concernunt observantiam clausurae et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium.

Ad II: Affirmative, dummodo moniales velint.

Ad III. IV. V: Negative.

Anno 1686 die 19. Jan. instante procuratore generali ordinis Minorum de observantia fuerunt disputata dubia:

I: *An Episcopus visitaturus clausuram monasteriorum monialium regularibus subjectarum teneatur ante accessum eisdem monialibus praefinire diem et horam visitationis?*

Et responsum fuit: *Negative.*

II: *An in ecclesiis monialium non curatis visitare possit ss. Eucharistiae Sacramentum, oleum infirmorum, confessionalia, sepulturas et reliquias inibi existentes?*

Responsum fuit: Quod daretur supra insertum decretum in causa Florentina.

III: *An in casu resistentiae monialium possit fores ecclesiae frangere, tabernaculum violenter aperire, ecclesiam interdicere et ss. Eucharistiae Sacramentum ad aliam ecclesiam transferre?*

Responsum fuit: *Negative*, nisi in casibus spectantibus ad clausuram.

IV: *An Episcopo monasteriorum clausuram visitare volenti dictae moniales teneantur erigere in ecclesia exteriori vel interiori sedem cum baldachino vel solummodo sufficiat stratum praeparare in utraque ecclesia?*

Responsum fuit: Sufficere praeparationem strati.

V: *An Episcopus dictam clausuram visitaturus praeter convisitatores possit pro suo libito secum ducere intus monasterium alias personas sive ecclesiasticas sive saeculares indeterminate vel in certo et praefixo numero?*

Responsum fuit: Servandas esse constitutiones apostolicas. *(Vd. p. 1275. XI.)*

VI: *An Episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitaturum teneantur monia-*

les omnes excipere processionaliter cum cruce et canticu Benedictus?

Responsum fuit: Negative.

VII: *An dictae moniales teneantur in ipso clausurae ingressu adornare stratum ibique genuflectenti Episcopo monialis aliqua porrigere debeat crucem deosculandam?*

Responsum fuit: Negative.

VIII: *An Episcopus clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dictas moniales omnes in choro interiori aut in alio loco et ad eas sermonem habere?*

Responsum fuit: Posse.

IX: *An absolute et indifferenter visitare possit cellas dictarum monialium etiam quoad non pertinentia ad clausuram?*

Responsum fuit: Negative.

Haec sunt praecipua quae in regestis ad materiam facientia potui invenire iisdemque praesuppositis onus erit in praesenti EE. VV. decernere:

I. An Episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Coelestinis subjectarum debeantur in ingressu ecclesiae solitae honorificentiae et praeeminentiae omnesque actus reverentiales ac associari tam in ingressu quam in egressu ecclesiae a praedictis PP. Coelestinis?

II. An moniales teneantur tradere Episcopo visitanti librum regularum et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An Episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram praedictarum monialium absque interventu P. abbatis Coelestinorum?

IV. An Episcopus possit visitare nedum crates et moenia exteriora praedictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?

V. An possit Episcopus occasione visitationis habere sermonem spiritualem praedictis monialibus tam intra quam extra septa monasterii?

VI. An possit Episcopus nedum visitare altaria et capellas ecclesiarum praedictorum monasteriorum, in quibus beneficia aliaque onera missarum insunt, verum etiam et tabernaculum cum altari majori?

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative quoad ministros et officiales monasterii et quoad confessarium ejusdem tantum.

Ad II: Negative quoad I. partem, affirmative quoad II.

Ad III., IV. et V: Affirmative.

Ad VI: Negative.

Die 31. Julii 1723.

Ad dub.: An Episcopus Hieracensis*) visitare possit monasterium S. M. di Valverde in concernentibus clausuram?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Anno 1692.

Ad dub. 1: An Episcopo licitum sit in visitanda clausura stolam deferre eique moniales teneantur stratum parare omnesque in ingressu obviam ire?

2: An Episcopus toties quoties expedire putaverit posse etiam inconsultis Superioribus regularibus tam clausuram quam cellas monialium in concernentibus eamdem clausuram visitare adhuc praecisive tam a suspicione, quod illa violata fuerit, quam a quacumque Superiorum regularium negligentia?

3: An dies et hora explendae visitationis praefatae clausurae ab Episcopo monialibus ante accessum et dici et notificari debeat?

4: An ejusdem clausurae visitatio ab Episcopo sine Superiorum regularium seu alicujus religiosi interventu fieri valeat?

5: An ultra visitationem localem licitum sit Episcopo visitationem personalem cujusvis monialis explere atque illam interrogare in attinentibus ad clausuram tam materialem quam formalem?

6: An revisio computorum administrationis dicti monasterii facienda sit ab Episcopo una cum Superiore regulari, dum bona et redditus per religiosum Carmelitam administrantur?

7: An acta necessaria pro receptione puellarum tum pro educatione quam pro eorum ingressu et professione facienda sint in cancellaria Episcopi, a quo danda sit licentia pro earum ingressu et professionis emissione et ad quem spectet exploratio voluntatis earumdem puellarum?

*) Vd. *p. 1256.*

8: An Pater commissarius velum dare possit monialibus professis, adhuc si 25. annum non expleverint?

9: An et a quo sit praestandus assensus alienationi bonorum monasterii, quae fit vigore *can.: Terrulas* in casu?*)

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Affirmative onerata conscientia Episcopi.

Ad 3: Negative.

Ad 4—6: Affirmative.

Ad 7: Omnia spectare ad Episcopum.

Ad 8: Negative.

Ad 9: Spectare ad Episcopum.

Die 13. Mart. et 8. Maji 1751.

Episcopus potest visitare monasteria monialium Regularibus subjectarum in iis, quae pertinent ad clausuram etiam inconsultis et irrequisitis earum Superioribus regularibus.

Quoad talem autem visitationem debet Episcopus observare decreta s. Congregationis Concilii hac de re edita prout referuntur ab Eminentis. *Petra t. 5. comment. ad constit. Callisti III. sect. 2. n. 143.* vers.: *Resolutio*, ibi: »Resolutio itidem novissima Congregationis Episcop. et Reg. fuit in Nucerina Paganorum inter Episcopum et moniales ordinis Praedicatorum monasterii exempti in dicta civitate existentis et proposita fuerunt infrascripta dubia:

I. An Episcopus in concernentibus observantiam clausurae toties, quoties expedire judicaverit, possit visitare monasterium monialium s. Annae subjectarum PP. ordinis Praedicatorum?

II. An possit visitare earum ecclesiam, communicatorium et crates confessarii quoad concernentia clausuram?

III. An possit visitare crates et moenia exteriora monasterii sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?

IV. An possit indutus stola supra rocchetum et mozzetam solum cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram monialium absque interventu Prioris et alterius cujusvis religiosi?

V. An Episcopus volens possit in actu visitationis habere sermonem spiritualem monialibus tam intra quam extra septa monasterii?

VI. An Episcopo sit per Priorissam tradenda notula nominum monialium, educandarum et ancillarum tempore visitationis?

VII. An possit Episcopus occasione visitationis singulas moniales et unamquamque separatim interrogare et examinare circa observantiam clausurae?

VIII. An tam Regulares quibus subjectae sunt moniales quam etiam saeculares teneantur ab Episcopo obtinere licentiam alloquendi moniales?

IX. An possit Episcopus insimul cum Superiore regulari revidere computa atque recognoscere statum oeconomicum monasterii?

X: An censurae sustineantur in casu etc.?

XI. An constet de attentatis et quomodo sint purganda?

XII. An et quomodo sit providendum quoad ingressum conversarum in locum ultimo loco defunctarum in casu etc.?

Die 17. Julii 1724 s. Congr. Episcop. et Regul. respondit

Ad I. usque ad X. inclusive: Affirmative.

Ad XI: Negative.

Ad XII: Providebitur post revisionem status oeconomici.«

b) A P. Provinciale facienda.

Vd. *Clausura Monial.* (ingress. Superior. regul. p. 1272.)

Ad dub.: An Provincialis Carmelitarum clausuram visitans ad tramites Alexandrinae constitutionis*) teneatur praeventive Episcopum certiorem reddere de die et hora explendae visitationis et quomodo hujusmodi certioratio fieri debeat?

S. C. resp.: Affirmative juxta decretum in *Licien.***)

Die 13. Mart. et 8. Maji 1751.

c) A Vicario generali.

Vd. lit. *a* p. 1278.

6) Papalis.

Vd. p. 1209. n. 3; p. 1245*.; 1246. §: *An sit. Clausura monial.* (inductionis causae p. 1239. h.); p. 1252. §: *His expositis.*

*) Vd. *t. I. p. 479. n. 3; t. II. p. 1122. n. 6.*

*) Vd. *p. 1273.*

**) Vd. *p. 1273.*

7) Quae est?

Vd. t. III. p. 912. VI.

8) Sequela est voti solemnis.

Vd. *Clausura monial.* (inductionis causae p. 1239 h.)

Castellanae.

Solemnium votorum sequela est perpetua clausura juxta *cap. Periculoso de stat. Regular. in sext.*, Trid. synod. *sess. 25. cap. 5. de Regular. et Monial.*, constit.: *Circa Pastoralis officii**) s. Pii V., constit.: *Deo sacris***) Gregorii XIII., neque verae censentur professae quae eam non servant, *Mirand. de s. Monial. quaest. 1. art. 4., Lezan. t. 1. summae cap. 26. num. 17., Tamburrin. de jur. Abbatiss. disput. 18. quaest. 5. num. 6., Pellizar. de Monial. cap. 18. num. 54.*

*) Vd. *p. 1232.*
**) Vd. *p. 1235.*

Die 3. Mart. 1792.

9) Tertiariarum.

Vd. supra bullam Pii V.: *Circa pastoralis p. 1232.*; bullam Gregorii XIII.: Deo sacris etc. §. 2. p. 1236.)

10) Ad votum solemne emittendum in quantum requiritur?

Vd. *Clausura Monial.* (inductionis causae p. 1239 h.)

Clavis.

1) Capellae.

(Cui competit?)

Alatrina.

Extat in collegiata ecclesia s. Mariae Majoris Alatrinae civitatis capella cujus patronatus jus ad nobilem familiam Conti olim pertinebat. Antiquioris vero extructionis erat capella ista ac proinde novum ecclesiae aedificium eidem adhaesit, cujus aditus ab externo proximo patebat vestibulo; sed alterum cum ecclesia aedificaretur aditum priore relicto aperiendum patroni duxerunt in pariete inter utrumque aedificium posito ut fidelibus ex ecclesia pateret etiam adspectus in sacellum familiae cui ferreum cancellum appositum fuit.

At vero cum aedicula paullatim fatiscens ruinam minitaretur Episcopus in s. visitatione 1603. mandavit illam per patronos refici; et Eleuteria de Comitibus cum restaurationem diu neglexisset 1634. haeredibus testamento praecepit quod praedicti ejus heredes constituant et aedificent unam capellaniam quae erit et esse debeat de jurepatronatus de comitibus in ecclesia s. Mariae aedificandam in loco eligendo per supradictos DD. heredes et capellaniae reliquit scuta 100; quam capellam teneantur construi facere intra 10 annos: itaque per Eleuteriae heredes factum est. Tandem per testamentum Innocentiae Conti capellae dominium et juspatronatus ad veu. collegium scholarum piarum Aletrii uti Innocentiae heredem pervenit et collegio custodia quoque supellectilium ad capellam pertinentium a Testatrice commissa fuit. Constat igitur capellam munitam perpetuo fuisse ferreo cancello cura patrum ejusdem collegii qui illius clavis retinendae privativum jus capitulo s. Mariae Majoris subinde perperam reluctante sibi vindicarunt.

De hujusmodi porro jure privativo fit quaestio in hodiernis comitiis cum tam PP. collegii quam Capitulum rei definitionem s. Ordini Vestro ad quaelibet compescenda dissidia quibus agendi ratio capituli causam nuper dedit libenter detulerint.

Auditi fuere Episcopus et procurator generalis congregationis scholarum piarum. Ille sententiam capituli quod cumulativum jus retinendi clavem sibi asserit requisivit et a promendo suo voto abstinet. Hic ad ea se refert quae constitutus procurator in distribuenda allegatione edisserit. E parte etiam capituli deputatus fuit procurator a quo tamen licet monito nihil hactenus deductum est.

Triplici fundamento jus collegii scholarum piarum adserit illius orator, nempe dominio sacelli, jurepatronatus ac testatricis voluntate. Dominium ex facto probat aedificationis sacelli a familia Conti in loco qui ejus proprius erat peractae et ex hujusce dominii perpetua ac publica possessione; cujus quidem argumentum est stemma familiae in sacelli fronte extans cui postea alterum adjectum

est regularium clericorum signum nempe Deiparae Virginis monogramma diademate redimitum juxta ea quae ad dominii probationem edocent *Coepolla de servit. part. 2. cap. 21. n. 9., Andreol. controv. 381. n. 12.* et *s. Rota in Romana Funeris super reservatis 26. Jan. 1746. §. 3. coram Penalta.* Aedificationem denique et loci dominium favore familiae Conti proindeque ejus heredum patrum scholarum piarum confirmat orator ex actis visitationum aliisque monumentis ac praesertim ex Innocentiae testamento. Atqui praecipuus dominii effectus est clavium custodia ceu testatur *Ursaya in disc. can. t. 1. pag. 2, disc. 12. n. 31.*, adde *Posth. de manut. obs. 21. num. 8., Mascard. concl. 1184. n. 4., Gratian. disc. for. cap. 681. n. 5.*

Rem secundo conficit ex jurepatronatus quod evincitur nedum ex fundationis actu per capellani nominationem et ex continua patrum possessione, qui uti heredes familiae rectorem beneficii in capella erecti semper nominarunt, verum etiam ex patula adversariorum confessione. Jam vero patronus habet jus retinendi claves ecclesiae et capellae de suo jurepatronatus, teste *Pitonio de contr. patr. alleg. 54. n. 48.* quippe retentio clavium enumeratur inter jurapatronatus ceu in *Mantissa ad Card. de Luca t. 3. lib. 13. dec. 4. n. 3.* nec secus in *decis. 1311. n. 3. et seq. coram Emerix.* Qua quidem in re perpendit orator, quod si quando hoc jus inter patronos et alios communicari contingat haec possessionis divisio tunc solum obtinet, cum non de peculiari aliquo sacello sed de tota ecclesia res sit. Ac merito, quia privatorum jus super ecclesia non eo usque protendi debet ut animarum curae et Sacrorum ministerio impedimentum paret; secus autem se res habet in privato sacello ceu per se patet.

Demum jus idem vindicet ex perspicua testatricis voluntate, quippe quae custodiam ss. supellectilium in ipsomet sacello collegii rectori concredidit; proindeque demandata custodia ejusdem custodiae pignus seu instrumentum secumfert, prout in simili casu de clavium pertinentia decrevit *s. Rota in dec. 4. num. 12. ex Mantissa* ad ornatum *Card. de Luca de jurepatr.* Quin privativa custodia desiisse censenda sit corrumpta supellectile a capellaniae fundatrice legata; constat enim ex testibus supellectilem a collegii patribus uti sacelli dominis et capellaniae patronis perpetuo renovatam et ad hunc usque diem custoditam eodem in loco fuisse.

Quae cum ita se habeant nullum plane jus suffragari capitulo contendit super cumulativa clavium custodia. Cum enim in sacello nihil aliud absolvi soleat quam ss. Missae Sacrificium a capellaniae rectore vel ab aliquo ex collegii patribus ratio non est, cur Canonici sacelli clavem detinere debeant. Perperam vero objici indecorum esse quod sacerdotes in aedicula celebrantes ibidem sacris indui vestibus soleant coram populo. Nam nec id afficeret jus privativum de quo agitur nec praeterea in dedecus verti debet, quod perpetua consuetudine invectum et constabilitum est. Nec officere pariter animadversionem quod capellanus Sacra celebraturus expectare debeat quousque clavis a proximo collegio perveniat. Huic enim si quod est incommodo occurri facile poterit si patres collegii capellano pro tempore clavem precario permitterent; quae res uti privativum jus collegii non laederet ita nec aliquod jus capitulo adstrueret.

Denique ad possessionem gradum faciens observat, quaerendum in hoc petitorio judicio non esse de actuali momentanea capituli possessione quae clam adulterina clavi confecta usurpata fuit sed de possessione diuturna legitimisque conditionibus praedita, quae in praescriptionem traducitur ac titulum suppeditare potis est. Sed hanc non capitulo sed patribus favere probat orator nedum ex plurium testium depositione sed ab antiquissimis monumentis ac praecipue ex actis visitationum. Expendit etiam nonnullos allatos ex adverso testes quos contradictionis redarguit quosque ideo nullo in pretio habendos concludit.

Proponitur

Dubium:

An constet de jure ven. collegii scholarum piarum retinendi privative claves capellae seu potius cumulative ad capitulum in casu?

S. C. resp.:

Dilata ad primam post agnos.

Die 26. Jan. 1861.

Continuatio.

Procurator capituli ecclesiae s. Mariae Majoris Alatrinae civitatis desideratas in priori causae propositione allegationes adduxit quae in brevem redactae summam sunt hujusmodi.

Nonnulla primum in facto observat scilicet admittit Eleutheriam uxorem Sixti de Comitibus de Alatrio capellaniam erigendam in ecclesia s. Mariae testamento 1634 commisisse idque revera haeredes praestitisse die 31. Octobris 1655. Admittit etiam ex testamento Innocentiae de Comitibus die 1. Nov. 1721. patres scholarum piarum Aletrii haeredes renuntiatos inter alia haereditatis bona praedictam capellaniam fuisse consequutos. Denegat tamen patrum in capella dominium. Haec enim perinde ac reliquae illius ecclesiae capellae libero capituli usui patebant ipso fatente F. Jacobo a Texta Clara qui primum die 27. Novb. 1723. eam ferreis cancellis circumdedit, clavem retinuit capitulo licet invito ac reluctante. Verum in clavis possessionem capitulum postea devenit, in eaque pacifice permansit ad diem usque 4. Decb. 1858 qua perturbatum fuit a F. Angelo Tedeschini collegii scholarum piarum Vicemoderatore, qui nemine audito imo ceu asserit simulatione adhibita novam seram crati ferreae apposuit ne Canonici antiqua clavi uterentur. Cum vero ipso pluries perperam rogato Canonici capellam vi aperuissent ac Vicarius generalis decretum edidisset ne lite pendente aliquid innovaretur, Tedeschinius posthabito Vicarii interdicto novam seram iterum violenter apposuit.

Quibus in facto animadversis idem capituli procurator de usurpatione et spolio queritur. Nullo namque privativo jure collegium scholarum piarum claves capellae de qua agitur retinere contendit. Non primum jure dominii. Constat enim ex 79. regula juris quod non potest plus juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur. Atqui Innocentia de Comitibus cujus haeredes PP. scholarum piarum extiterunt dominii jus in sacello non habuit. Enimvero ad hoc dominium adserendum non afferuntur ab adversariis quae afferri deberent luculentissimae probationes cujusmodi sunt bona fides, continuatio possessionis vel non vitiosa, *Mascard. cons. 539. §. 2.* Sed sola possessio quae ad dominium demonstrandum non satis reputatur, *Rota Viterbien. coram Celestini 9. Maji 1831.*, et existentia stemmatis gentis de Comitibus sacello adpositi quod pariter ex sese non sufficit ceu constat ex s. Congregatione in *Forolivien. 28. Julii 1787.*

E contra dominium sacelli ad Capitulum pertinere illud evincit quod sacellum aedificatum sit super cubiculum subterraneum dubio procul ad capitulum spectans ita ut accessorium principale sequi debeat; quod insuper familia Conti sepulturam non intra controversam capellam sed exterius condiderit; quod 1655. haeredes Eleutheriae nonnisi simplex beneficium ss. Sacramenti instituerint, quod denique capitulum per 8 saecula scilicet a saeculo IX. quo ecclesia extructa est in pacifica et plenaria sacelli possessione permanserit ad 1723. quo primum perturbari cepit a E. Jacobo a Tetta Clara, qui tamen fassus est praedictam capellam ab immemorabili apertam extitisse. Nullo itaque dominii jure ven. collegium scholarum piarum potitur in sacello.

Verum nec ullo juspatronatus prout secundo loco ostendit orator. Exploratum quippe est juspatronatus non acquiri nisi praefinitis in jure causis, scilicet fundatione, constructione, dotatione, quarum nulla familiae Conti suffragatur, cum ecclesia s. Mariae extructa fuerit saeculo IX., familia autem Conti nonnisi saeculo XIII. nempe 1274 Aletrii domicilium constituerit ut proinde dici nequeat novum ecclesiae aedificium aediculae hujus familiae accessisse. Neque etiam ostenditur privilegio eamdem familiam juspatronatus acquisivisse vel beneplacitum apostolicum obtinuisse, quod ad juspatronatus acquirendum requiritur, cum sit quaedam in ecclesiam servitus et speciem alienationis exhibeat.

Frustra autem objicitur haeredes Eleutheriae hujus mandatis obsequentes capellani domum aedificasse. Praeterquam quod enim verba Eleutheriae ambigua sunt, sunt mere enunciativa ideoque probare nequeunt juspatronatus ex fundatione, prout in *Forolivien. 28. Iulii 1787.* s. Congregatio definivit. Id vero praedicta verba enunciant, reparationem aliquam ab haeredibus esse faciendam in loco eligendo in ecclesia s. Mariae seu in aliquo sacello ex quinque jam aetate fatiscentibus. Quae quidem reparatio revera a familia Conti et novissime a PP. scholarum piarum peracta est quae tamen juspatronatus non tribuit, *Piton. disc. 22. n. 7.*, *Barat. decis. 931. num. 6.*

Infelici itidem exitu pergit orator confugiunt adversarii ad centenariam praescriptionem. Ex dictis enim liquido patet bonam fidem et justum titulum ad praescribendum deesse agendique rationem adversariorum manifestam usurpationem jurium ecclesiae s. Mariae praeseferre. Quodsi tempus ad praescribendum utile haberetur, adhuc tamen in subjecta materia praescriptio deficeret, siquidem juspatronatus est servitus, servitus contra ecclesiam praescribi non potest et generatim omnia quae ecclesiis quomodolibet praejudicialia sunt utut observatione longissima irrita ab Urbano VIII. in sua pervagata constitutione ipso jure declarantur.

At si praescriptio non favet adversariis, plurimum favet capitulo observantia seu clavis retentio prout III. loco procurator affirmat. Quod quidem praemissa in simili specie responsione s. Congregationis in causa *Forolivien. 28. Junii 1787.* probandum assumit primo ex juris praesumptione. Cum enim Episcopus in actu visitationis die 23. Sept. 1745. mandaverit Capitularibus ut clavem capellae sibi providerent, reservato sibi jure etiam pro poena spirituali infligenda, cumque in sequentibus visitationibus capellam de necessariis instructam invenerit jure praesumitur Capitulares mandato Episcopi paruisse et clavem sibi comparasse. Quod secundo ex facto confirmatur. Testes enim aetate graves deponunt clavem capellae semper penes Canonicos mansisse qui capella uti consueverant ad custodiendas sepulcri tabulas: itemque deponunt PP. scholarum piarum clavem precario a Canonicis obtinuisse, cum sua clave deperdita nova illique simili indigerent. Alii quoque testes clavem a capitulo perpetuo possessam describunt et juramento recognoscunt. Quinimo ex facto et confessione ipsius Tedeschini plenissime constat, qui non modo inconsulto Canonico aedituo novam seram affixit, ne Canonici antiqua clavi utentes ad altare capellae accederent, sed majori sacristae eam ob rem novam clavem expostulanti denunciavit priorem in sacristia hactenus fuisse asservatam licet id ex concessione repeteret postremi capellani, qui casu a collegio acceperat. Quod tamen simpliciter asseruit, sed minime probavit nec probare poterat cum interrogati haeredes hujus capellani reposuerint defunctum nunquam clavem possedisse sed clave capituli usum fuisse.

Quae vero contra hanc observantiam subdit orator documenta afferuntur vel ostendunt unam ex repagulorum clavibus a collegii rectore detineri quod Canonici minime denegant vel testimonia sunt extrajudicialia ab hominibus pauperrimis capitulo infensis et Patribus plus nimio addictis conquisita, pluribus nimirum subjecta exceptionibus ut iis fides adstruenda non sit.

Quae cum ita sint concludit orator nonnisi aemulationis studio jus privativum retinendi claves Patres vindicare praesumunt ideoque sunt judicio repellendi prout declaravit *Rota in Centumcellarum Praelationis 17. Martii 1852. coram Emin. Marini.* Imo ad reficiendas expensas, sin minus ratione damnorum sunt adigendi utpote temere litigantes ac de spolio convicti.

Ex parte PP. scholarum piarum nihil novi deductum est.

Iterum proponitur

D u b i u m:

An constet de jure ven. collegii scholarum piarum retinendi privative claves capellae seu potius cumulative ad capitulum in casu?

S. C. resp.:

Negative ad I. partem, affirmative ad II., firmo remanente patronatu favore collegii scholarum piarum et ad mentem: mens est ut silentium imponatur judicio criminali.

Die 27. Apr. 1861.

2) Pro clausura.

Vd. *Clausura monial.* (clavis p. 1224. b.)

Clavus Crucis Christi.

Vd.: *Mühlbauer, Decreta auth. S. R. C. Suppl.* t. I. p. 991: *Corona ferrea.*

Reverende Domine.

Priusquam Eminent. Patres ss. R. Congregationi praepositi quidquam decernant super annexo supplici libello ex parte capituli et Canonicorum ecclesiae collegiatae s. Joannis B. nomine etiam communitatis oppidi Modoetiae istius dioecesis SS. Domino Nostro humillime porrecto et a Sanctitate

Sua ad eamdem s. Congregationem remisso censuerunt te audiendum esse tibique pro plena informatione scribendum injungendo insuper ut soluta competenti mercede copiam authenticam processus prout asseritur in ista curia constructi super cultu immemorabili Coronae ferreae praestito, in qua praetenditur asservari unum ex clavis D. N. Jesu Christi, ut melius in adjunctis precibus perspicies. Quidquid igitur significandum habebis juxta Eminent. Patrum sensum eamdem s. Congregationem quamprimum instructam reddere ne desinas diuque incolumis vivas.

Romae 1. Julii 1713.

Tui stodiosus G. Cardinalis *Carpineus.*

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus
S. R. C. Prosecretarius.

Ego Joannes Franciscus Gabbiatus Modoetiensis publicus imperialis et apostolicus notarius Mediolanensis, aetatis annorum 98, virtute praesentis etc. amplam atque certam fidem facio, etiam meo juramento roboratam etc. ad petitionem admodum Illustriss. et Reverend. Domini D. Francisci Bernardini Velae Dei gratia Archipresbyteri insignis ac collegiatae ecclesiae s. Joannis Baptistae oppidi Modoetiae recordari 1578 quod fel. mem. s. Carolus Borromaeus Archiepiscopus Mediolan. dum erat in actu visitationis dicti oppidi Modoetiae eodem anno 1578. fame volabat visitandi, videndi atque recognoscendi thesauri et colendi s. reliquiam s. Clavi unius Crucifixionis Domini N. J. Ch., cujus visitationis dictus s. Carolus percupidus erat magnaque pietate ac sanctitate accedens et associatus a fel. recor. Ill. et Rev. Famagosto Episcopo civitatis Bergomi, ambo venerunt ad dictam insignem et collegiatam ecclesiam s. Joannis B. et peracta debita visitatione pervenerunt ad locum contiguum sacristiae dictae ecclesiae, ubi perpetuo thesaurus servatur et statim aperto tabulario dictus s. Carolus cupidus et pius ut supra manibus propriis accepit crumenam, ubi recondita erat dicta s. Reliquia dicti s. Clavi intortitiisque accensis, ab eodem s. Carolo petitis, statim cum dicto Reverend. Episcopo Bergomi genibus flexis adoraverunt ac dictam s. reliquiam magna tamen humilitate ac reverentia pietateque deosculaverunt et sibi vicissim in capita imposuerunt et dictus s. Carolus ore ejus proprio dixit, quod clavus erat verus ac certus unus, quo crucifixus fuit Dominus N. J. Ch. et hoc ob multas revelationes et miracula sequuta et ob declarationem veritatis dicti s. Clavi se explicavit et dixit haec eadem verba: quod propter magna bella praeterita annis antiquis elapsis thesaurus et dicta s. reliquia simul humi magno tempore abscondita fuit et nunquam dictum s. Clavum ferrugo decoloravit, imo semper lucidus permansit. Visis postea reliquiis dicti thesauri magna omnium satisfactione ego supradictus Gabbiatus semper praesens has omnes ceremonias secutas ut supra meis propriis oculis vidi, dictus Illustriss. Episcopus valde gavisus fuit de tot reliquiis, quae in dicta ecclesia servantur et coram omnibus adstantibus dixit, quomodo tot reliquiae ad dictam insignem collegiatam pervenerint; respondit dictus s. Carolus felicem ac sa. me. Gregorium Magnum Pontificem donasse dictum diadema s. Clavi in eadem forma ut de praesenti est et multas alias s. reliquias Reginae Theodolindae consanguineae ejus quae fundavit et extruxit dictam insignem collegiatam ecclesiam s. Joannis B. cujus religione multum praedita erat. Postea vidi dictum s. Carolum simul cum dicto Reverend. Episcopo deambulare per dictam insignem ecclesiam dexteram cedendo dicto reverend. Episcopo et perambulando per dictam insignem ecclesiam aliquantulum se sustinuerunt aspicientes et per ordinem eam cogitantes et praecipue pinaculum cogitando dictus s. Carolus pietatis causa quam erga dictum s. Clavum tendebat collocandi eum in loco decenti in dicta insigni collegiata, ut continue adoraretur, sicut de s. Clavo, qui servatur in Metropolitana Mediolani, agitur, sed de hoc per mortem divi Caroli nihil actum est.

(Anal. I. P. I. Serie 1855. p. 333.)

Clericus.

1) Advocatus.

Vd. t. I. p. 273. n. 4; p. 1137: *Stabien.*

Ordinarie talis facultas et licentia solet clericis concedi a propriis Episcopis, ut constat ex formula quam dat *Monacell. t. 1. tit. 6. formul. 4.* ut sequitur:

N. Episcopus N.

Dilecto etc.

Cum tu N. et N. pupillorum uti proximior tutor legitimus et a jure datus existas, ut tutelam et curam eorumdem usquedum ad legitimam aetatem pervenerint suscipere et gerere atque omnia et singula, quae ad tutores et curatores de jure, usu et consuetudine pertinent facere et exercere possis, licentiam et facultatem concedimus, dummodo tamen negotiis personis ecclesiasticis a jure interdictis nullatenus te immisceas sed omnino abstineas. In quorum etc.

Datum etc.

N. Episcopus N.

Loco † Sigilli.

N. Cancellarius episcopalis.

2) Agros colere potest.

Vd. *Clericus* (negotiator, decr.: *Tricaricen.)*

Ripana.

Interdum est laicum ministerium sacerdoti permissum tum a jure canonico in *cap.: Sacerdotibus, ne cleric. vel monac. secular. negoc. se immisc.*, tum ex const. Bened. XIV.: *Apostolicae servitutis* 25. Feb. 1741.*) et altera Clementis XIII.: *Cum primum*, 17. Sept. 1759.*) Regula tamen haec limitatur in clericis *cultoribus suorum agrorum* seu conductoribus multoque magis administratoribus agrorum ecclesiasticorum, ut inquit *Panimoll. decis. 71. n. 27.*, et ex constit. Clementis VIII.: *Inter multiplices*, 4. Decb. 1600. probant *Redoan. de spol. eccles. quaest. 2. n. 14. et 42., Lopez ad Diaz. In pract. crim. canon. in addit*: verb.: *Negotiatores* lit. A.

Die 29. Aug. 1789.

*) Vd. *Clericus* (negotiator.)

3) Amovibilitas clericorum in certis ecclesiis constitutorum.

Vd. *t. II. p. 133. n. 4.; Capellania amovib.* t. III. p. 534. n. 3.; *Capellanus amovib.* t. III. p. 669. n. 2.

4) Arma deferens.

Vd. *Arma; Clericus* (honestas etc.)

5) Aromatariam exercens.

Vd. *Aromataria* (Regul. et monial. non possunt etc.)

6) Beneficiatus olim nominabatur.

Vd. *Beneficiat.* (Decr.: *Nullius Lepriniani §: Deinde* t. II. p. 319.): t. II. p. 139. n. 10.

Fulden.

Nulla sane prioribus ecclesiae saeculis clericos inter majores et minores erat distinctio quoad onus recitandi horas canonicas. Cum enim clerici ne minoribus quidem ordinibus initiarentur, quin statim adscriberentur alicui ecclesiae cui deservirent ejusque stipendiis alerentur, idcirco omnes clerici censebantur quodammodo beneficiati.

Die 3. Aug. 1782.

7) Beneficium adipisci potestne, qui habitum clericalem dimisit?

Vd. t. II. p. 392. e; 362. b.

8) Caecus.

(Ordinari possitne?)

Vd. *Ordinatio; Irregularitas ex defectu corporis.*

Pampilonen.

(Conc. Tr. c. 4. s. 23. de ref.)

Franciscus de Mencos y Ayanz claris ortus parentibus in civitate Tafalla cum adolescens literarum studiis se tradidisset, ex eorum fortasse intemperantia caecitatem fere penitus contraxit integris tamen manentibus oculis. Sed non ideo studia intermisit et aliena usus opera hausit per aures quae haurire non potuit per oculos. Itaque non mediocres fecit progressus tum in sacra tum in profana historia. Catecheticam quoque doctrinam et mysticarum rerum cognitionem est assecutus, denique concinne cymbalissare didicit. Nunc eo clericali militiae adscribi

cupiente Episcopus indolem hominis caeteraque virtutum ornamenta commendans ipsum putat dispensatione dignum, ut prima tonsura initiari possit et ad ecclesiastica beneficia assequenda habilis reddi; affirmat quippe eum officium b. Mariae V. et officium defunctorum recitare memoriter posse.

Hac itaque de re est nunc deliberandum. Certum sane est hominem tali corporis vitio laborantem esse irregularem, nec solum impediri, quominus promoveatur ad Ordines, sed etiam quin prima tonsura initiari possit et clericus fieri, ut docent *Praeposit.* in *cap. fin. 55. dist.* vers.: *Oppono quod imo; Geminian. et Turrecrem.* ibidem; *Fagnan. in cap. Cum contingat num. 116. de aetat. et qualit.; Pignatell. consult. 146. n. 7. t. 8.; Fermosin. loco cit. n. 36., Bellet. disquisit. cleric. part. 1. §. 7. n. 21. et seq., Barbosa de Episcop. part. 2. allegat. 12. n. 27. et 29., Rot. decis. 625. coram Seraphin.* Sed perpendi oportet: an dispensatio qua indiget orator concedenda sit, cum agatur de promovendo quem nulla necessitatis vel utilitatis ratio postulari videtur cooptari inter clericos.

In antiquo volumine decretorum s. Congregationis quod extabat in bibliotheca Cardinalis Panciatichi olim hujus s. Congregationis Praefecti reperitur illud, quod infra exscribetur:

»Cum quidam caecus musicae artis peritissimus vellet permutare beneficia simplicia cum canonicatu Cathedralis Legionen. instante etiam Episcopo et capitulo et res Sanctissimo delata esset ad s. Congregationem Concilii s. C. eam rejecit. Congregatio autem censuit admittendam esse permutationem; etsi enim Cardinalis s. Xisti dixerit se vidisse denegari beneficia etiam simplicia in ecclesiis collegiatis hominibus caecis per signaturam Sanctissimi, unde tanto magis erat denegandum in Cathedralibus et in canonicatu, qui requirit servitium quotidianum et praesertim post Concilium, cum non possit ad ss. Ordines promoveri nec musicam esse sufficientem causam dispensationis, cum Canonici non inserviant pro musicis. Tamen caeteri omnes dixerunt caecum obtinentem cum dispensatione simplicia beneficia posse ea permutare cum canonicatu Legionen. ad supplicationem capituli absque eo tamen quod caecus fieret subdiaconus, attento quod praefatus caecus musicam et liberalem artem callet et in pulsandis organis est valde peritus et totum psalterium memoria tenet.« Praeterea in hac s. Congregatione fuit die 10. Maji 1732. inter summaria supplicum libellorum propositus casus de clerico Faventino luminibus capto qui fuerit praesentatus ad beneficium jurispatronatus suae familiae censuitque s. Congregatio gratiam ei concedendam, ut beneficium illud posset obtinere commutato onere recitandi officium divinum in alias pias preces arbitrio Episcopi. Sed ibi agebatur de ascripto ecclesiasticae militiae antequam luminum expers factus fuerit et dispensationem suadebat aequitas, ne beneficium a majoribus suis fundatum obveniret extraneo.

Caeterum ne omittantur alia quae hodiernae petitioni favere possent animadvertendum occurrit, Franciscum non omnino inutilem ecclesiae futurum; poterit enim fidei elementa pueris tradere, poterit etiam organa tractare in divinis officiis, poterit denique per integritatem morum piasque exercitationes aliis prodesse exemplo, quod esse veluti perpetuum quoddam praedicandi genus inquit s. Concil. Trid. *cap. 1. sess. 25. de ref.*

De Roberto Scoto ad sacerdotium et episcopatum evecto quamvis caeco haec habet *Surius in historia sui temporis ad annum 1551.*: »Hoc anno obiit Robertus Mautop Scotus Lutetiae Parisiorum. Is a puero caecus usque eo Parisiis in literis processit, ut theologiae doctor creatus sit. Inde Romae fit sacerdos ac paulo post Archiepiscopus Armachanus in Hibernia et postea sub Julio III. Legatus a latere. Interfuit quoque Synodo Trid.« *Et ex Surio idem refert Majol. de irregularit. lib. 1. cap. 20. n. 2. his verbis:* »Omnibus memorabilior fuit Joannes Palestinus caecus, qui omnem s. scripturam tenaciter memoriae ita servabat, ut publicis conventibus in ecclesiis ita referret omnia quasi ex libro ipso. Propterea quisquis caecus sit, si praedicationis causa velit promoveri, poterit Papa dispensare, ut et sacerdos et Episcopus fiat: nam etsi sacerdotium in Sacramentis et sacrificiis exercere non valeat oculorum defectu, confessiones tamen et praedicationem exercebit et jurisdictionalia: quod contigit Roberto Scoto caeco a puerili aetate, qui Parisiis theologiam perdidicit adeo insigniter, ut Romae creatus sacerdos et archiepiscopatu Armachano in Hybernia et Legatione pro Julio III. fuerit perfunctus.« Hoc

ipsum quoque memorat *Barbos. de Offic. Episcop. d. part. 2. allegat. 42. n. 28.* ubi praeterea habetur, Belgam quemdam a teneris annis oculorum sensu destitutum nihilominus in Parisiensi Academia floruisse et monachum ordinis s. Benedicti atque etiam diaconum fuisse.

Sed errasse Surium, qui caecum dixit fuisse Robertum Scotum, cum solum angusta ille fuerit et suppressa oculorum vi, notat *Spondan. ad annum 1546. n. 3.* Idemque confirmat *Card. Pallavicin. in histor. Conc. Trid. lib. 6. cap. 5. circa fin.* multoque etiam certius evincunt legationes quas ille a Paulo III. et Julio III. ad Caesarem et ad Galliae Regem accepit, antequam Trid. Synodo interfuerit. At vero is cui hebes vel obtusa sit oculorum acies non est irregularis, ut advertunt *Fermosin. in cap. 2. quaest. 1. n. 34. de corp. vitiat., Ugolin. de irregularit. cap. 7. n. 5.*

Dignentur itaque Eminentiae Vestrae deliberare:

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione oratoris ad suscipiendam primam tonsuram?*

II. *An etiam sit habilitandus ad beneficia simplicia cum commutatione divini officii in officium b. Mariae V.?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 28. Martii 1733.

9) Choreae, ludi.

Vd. t. III. p. 953: *Choreae.*

10) Clericus factus vi per parentes illata.

Vd. t. II. p. 100. §. 3. etc.; *Ordinatio; Restitutio in integrum.*

11) Cohabitans cum muliere.

Vd. t. II. p. 784. V; p. 787. VIII; infra n. 12; p. 144. n. 16; *Parochus* (remotio, suspensio); *Clericus* (Vita communis n. XXIX etc.)

Spoletana.

Nonnulla ego subjiciam, quae hac de sacerdotum ac nominatim parochorum cohabitatione cum mulieribus argumentum respiciunt. Rem hanc fuse docteque suo more tractat *Benedictus XIV. Inst. eccl. 82. Ait igitur n. 2.: Parochis*, quando si consanguineas non habent neque famulum possint adsciscere, minime vetitum esse ex praesenti ecclesiae consuetudine ac disciplina unam vel duas ancillas in suum famulatum conducere. Attamen quasdam adjicit conditiones hoc in casu servandas,

I. nempe quod revera constet parochum opera alicujus ancillae necessario indigere; opus est etiam ut parochus virtutis fama ac praesertim honestatis erga famulas opinione palam commendetur:

II. neque facile illi permittendum est ut novam ancillam conducat nisi cautiones aliquae ad tuendam parochi existimationem adhibeantur. Honestae simul esse debent mulieres ad servitium accitae, adeoque testimonio Vicarii aut alterius superioris praeditae. S. canones famulae aetatem minime praefiniunt sed communiter synodorum sanctiones ad 40 annos coercent, ut reapse sancitum esse in Spoletana dioecesi refert Archiepiscopus. Adnotandum est, quod ea quae sapientissimus *Lambertinus in Inst. eccl. 82.* pro dioecesi Bononiensi decernebat prout hactenus expositum est juri canonico perbelle congruere omnibus in rebus, prout articulatim demonstrat sequenti *Inst. eccl. 83.*, adeoque sequitur eadem ubique locorum vim habere debere.

Quae vero poena sequatur violatoris hujusmodi disciplinae, non loquitur laudatus Pontifex neque vulgo doctores; cum tamen nulla lex absque sanctione valeat consistere reliquum est, ut eadem prudenti Episcopi arbitrio sit relicta.

Die 7. Julii 1860.

Faventina.

De vita et honestate clericorum.

Cohabitationem et conversationem quamcumque mulierum vitent omnes et praecipue suspectarum.

Otiantes in plateis et porticis etc. ne morentur, nimia laicorum familiaritate non utantur, et si quando cum eis versari contigerit prudentes sint et modesti.

Noctu domo non egrediantur necessitate non urgente, *cap. 2. parte 3. de officio parochi.* Propterea cum non solum malum cavere, verum etiam omnem mali suspicionem ipsos fugere oporteat, in aedibus ad paro-

chorum usum et domicilium aedificatis foeminas quascumque habitare prohibemus juxta nostrum decretum in calce synodi legendum.

Decretum in visitatione datum sub die I. Sept. 1693 et pluries confirmatum.

De cohabitatione mulierum in domibus parochorum.

Qui ad parochiales ecclesias assumuntur a Deo vocantur in partem Sanctorum, ut paternam domum et populum suum obliti se totos ecclesiae et curae animarum devoveant. Sciant propterea parochi et curati gratissimos se Deo et Episcopo suo futuros, si mulierum familiaritatem et habitationem praesertim in propria ecclesiae domo fugiant eaque observent, quae in hoc decreto eos praecipimus custodire.

Mulieres quocumque consanguinitatis aut affinitatis vinculo conjunctas in domibus parochialibus imposterum inhabitare prohibemus absque expressa Episcopi licentia concedenda tamen postulante necessitate tum etiam aliis justis de causis.

Regulariter mulieres pro famulatu in domo parochiali non habeant locum nisi ex nova expressa permissione Episcopi ad praescriptum S. Trid. Concilii infra 12 dies, alias etc.

Praedictae mulieres famulatui ut praefertur destinatae nulla ratione alias foeminas in domum parochialem introducant sub poena privationis famulatus et aliis arbitrio nostro piis locis applicandis.

Deinde eisdem mulieribus parocho famulantibus ingressus in ecclesiam non pateat per privatam januam qua utitur curatus cum suo clerico ecclesiam e proprio cubiculo ingrediens neque permittantur mulieres se ingerere in functionibus ipsius ecclesiae ad quas viri solum admitti debent.

Uno verbo domus ecclesiae ipsique ecclesiae annexa sit solum imposterum curati habitatio et non saecularium qui ad commercia et fortasse illicita admitti possunt nisi aliter conc ssum fuerit ac provisum per Episcopum, qui diuturnis et quotidianis documentis euoctus mulierum et saecularium commercia animarum detrimenta parere ad haec stabilienda compulsus fuit.

J. F. Cardinalis Nigronus Episcopus.

(Anal. I. P. 1865. p. 1891.)

S. Congregatio deputata.

Faventina. Synodi. Pro R. DD. parochis Faventinis.

Memoriale pro Congregatione die veneris 31. Decb. 1694.

In dioecesana synodo nuper celebrata ab Emo Episcopo Faventiae et completa die 2. Septb. 1694. promulgata fuerunt plurima decreta valde praejudicialia dominis parochis eorumque officio quamobrem recursum habuerunt ad SSmum et ex ejusdem commissione ad s. Congregationem particularem deputatam quoad gravamina praejudicium inferentia et praecipue decretum prohibens inhabitare in domibus parochialibus mulieres quocumque consanguinitatis aut affinitatis vinculo conjunctas absque Episcopi licentia.

Pro parochis facit Concilium Trid. *sess. 24. de reform. cap. 14.* ita statuens: Prohibet s. Synodus quibuscumque clericis ne concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio in domo vel extra domum retinere aut cum illis non sit suspicio criminis. *Abbas cap. 1. de cohabit.*

Et iidem parochi asserunt non adversari s. Trid. synodum sed potius favere quoad retinendas consanguineas non suspectas in terminis permissionis et restrictionis nostrarum constitutionum synodalium fel. mem. Emi Card. Rossetti *pag. 22. n. 11.* et *pag. 612. n. 23.* et in his terminis loquuntur canones, *cap.: Si quis, cap.: A nobis inhibendum.*

Ex quibus habetur regula generalis, quod nullam foeminam potest clericus tenere in domo sua ex qua possit oriri suspicio incontinentiae. Non obstante tamen hac regula possunt clerici et parochi cohabitare cum sororibus et consanguineis secundum quod permittitur extensio, cum naturale foedus excludat suspicionem delicti. *Butr. in cap.: A nobis; cap.: Cum juventute, de praesumpt.*

Regulariter autem non sunt suspectae mater, soror, amita et fratris uxor, s. Congreg. 6. Jan. 1601, in his enim naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari.

Et licet contrarium expresse videatur dispositum in concilio Moguntino *cap.: De cohabit. cleric. et mulier.*, id tamen intelligi debet cum grano salis scilicet si cum consanguineis retineantur ancillae vel pedissequae. Sic enim cum de pedissequa dubitari possit neque cum praefatis consanguineis

clericus cohabitare debet occasione illarum, *Cesar. de Panim. t. 7. decis. 38. n. 21.*, licet supponatur tamquam certum clericum bonae famae posse retinere consanguineas juvenes non suspectas, quod etiam procedere dicendum est de parochis ob identitatem rationis.

Imo Episcopus potest habere matrem, sororem vel aliquam foeminam non suspectam in domo, *Gregor. Vener. Exam. Episcop. lib. 5. cap. 11. de cohabit. cleric. et mulier. n. 9.*

Et quoad cohabitationem sacerdotum cum consanguineis proximis non est dubitandum cum hae sint exceptae a Concilio Niceno I. *cap. 5,* Concilium Toletanum I. *cap. 6,* Toletanum II. *cap. 3,* Toletanum IV. *cap. 22,* Toletanum VIII. *cap. 4.* ut tradit Emus *Laurea in epist. can.* verbo: *Mulieres* et advertit *Squilant. Oblig. cleric. p. 2. q. 14.*

Idem expresse permittit Innocentius III. in *cap. A nobis* antiquioribus inhaerens canonibus; unde generaliter clericos consulere maluit ut cum iis habitare possint in quibus natura quodammodo necessaria libidinum contumelias turpitudinesque repressit, id est cum matribus et consanguineis, *Gran. lib. 3. decret. tit. 2. de cohabit.*

Neque Concilium Trid. aliquid immutat ex jure veteri et statutis ecclesiae, *Paneg. de cohabit. cleric. et mulierum,* nec inducit novum praeceptum quoad parochos, sed indistincte in supra citato capite sancitum est respectu mulierum quarum possit habere suspicio, ne in domo retineantur, non vero respectu aliarum videlicet matris, sororis, amittae, neptis etc. uti potest extendi permissio ex canone ibi citato.

Quam extensionem faciunt constitutiones synodales in pag. citat.; non liceat clericis cujuscumque conditionis et dignitatis sint cohabitare cum mulieribus ullis cujusvis generis, sub poenis a Tridentino et a ss. canonibus constitutis, exceptis matre, sorore, amitta, avia, matertera, nepte et fratris uxore.

Constitutiones autem istae cum exceptione eadem pluries repetitae concordant cum limitatione communi doctorum ad legem *cap.: Inhiben.* quando mulier cum qua clericus cohabitat est mater vel soror vel consanguinea ascendens vel descendens ad 4. gradum inclusive vel in linea transversali usque ad II. gradum etiam inclusive, *s. Antoninus Summa 2. part. tit. 13., Carolus de Grassis de effectibus clericatus, effectus 26.*

Neque obstant exempla quae offert *Barbosa de officio et potestate parochi p. 1. cap. 6. n. 98.*, quia haec intelligi debent in casu quo timeri potest scandalum vel gravis suspicio incontinentiae et in his terminis intelligenda est s. Congregatio relata ab eodem Barbosa; in quo casu parochus senex non potest cohabitare etiam cum vetula, si esset rumor de incontinentia parochi vel mulieris.

Concludendum igitur est exemplum Concilii Trid. (quod de morum reformatione in clericis tantum habuit curam nec tamen supradictam cohabitationem vetavit) apertissime nobis favere et ss. canonibus prohiberi tantum consortia mulierum reddentia vitam clericorum suspectam, et haec est illa abominatio quam debent Episcopi ablegare ab aedibus parochialibus.

Votum Cardinalis Casanate.

Congregatio particularis.

Faventina. Decreti synodalis.

Rescribendum Emo Episcopo: Ad mentem. Mens secreto exponenda: Ut pro sua prudentia ubi non deprehenditur scandalum dissimulet decretum synodale sub §: *Mulieres quaecumque*, contra quod decretum parochi Faventini acerrime apud SSmum conquesti sunt.

Constat enim de jure canonico permissum praesertim ex Nicaena synodo clericos cohabitare cum mulieribus consanguineis de I. gradu ac etiam cum aliis non suspectis, ut legitur in *can. Interdixit 17. dist. 32.* vers.: »Nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam aut etiam eas idoneas personas, quae fugiunt suspiciones.« Idipsum ex aliis ss. canonibus permissum notat *Belletus Disquisitiones clericales p. 1. de disciplina cleric. §. 25. n. 16. p. 124.*

Nec adversantur textus relati ab eodem *Belleto sub n. 15. pag. 125.* praesertim in *can. 1. dist. 34.*, quia hic canon loquitur de immoderata familiaritate, ibi: »Relatum est apostolatui nostro quod cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem et ob id mala fama ei orta sit etc.« Alii quoque canones id ipsum continent pro cautela, ut loquitur in *can. Sed si forte* ac in *can. Legitur dist. 81.*

Textus etiam in *c. 1. de cohabitatione clericorum* ex Concilio Moguntino aut Nanneten. prohibet clericorum cohabitationem cum mulieribus suspectis de incontinentia, etiamsi fuerint consanguineae, prout ejusdem textus commentarium tradit doctissimus *Gonzalez ad n. 8.* his verbis: Clerici non debent secum in domo retinere mulierem suspectam de incontinentia, etiamsi mater sit vel soror. Atque iisdem terminis loquuntur omnes textus et auctores relati a *Gonzalez per tot. n. 7. cum seq.*

Pariter s. Concilium Trid. specificat mulieres de incontinentia suspectas, ut legitur in *cap. 14. sess. 25. de reform.*, ibi: »Prohibet s. synodus quibuscumque clericis ne concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio in domo vel extra detinere aut cum eis ullam consuetudinem habere audeant. Immo patet s. Concilium Trid. mitigasse antiquum rigorem nec in materia concubinatus quid innovasse, ut decretum refert *Fagnan. in c. Quaesitum de cohabit. clericorum.* Patet igitur non sustineri decretum synodale contra jus canonicum seu juris canonici explicitam permissionem ut ex *c. Cum inferior 16. de majoritate* dixit *Rota coram Coccino dec. 1619., dec. 1651.* censuitque s. Congregatio Concilii die 28. Jan. 1690 respondendo ad 3. quaesitum in dubio constitutionis synodalis.

Additur necessitas vitandae infamiae ubi nullum est indicium de incontinentia et solitum fuit clericos cohabitare cum mulieribus consanguineis, adeo ut ne summum jus summa sit injuria etiam extra terminos a jure permissos deberet Episcopus dissimulare.

Propterea cum certum sit ad beneficia curata non aspirare nisi clericos pauperes ob continuam servitutem diurnam et nocturnam quam parochi assumunt et adimplere coguntur, utique ob paupertatem inest necessitas tenendi unicam domum et praecipue parochialem quam parochus cogitur inhabitare dimissa domo paterna, nec redditus parochiales tanti esse solent, quanti necessarii sunt parocho ad domum divisam a consanguineis de I. gradu.

Caeterum ubi vigent vehementia indicia incontinentiae, potest ac debet Episcopus rigorem adhibere contra scandalosum tantum.

Die 31. Decb. 1694. Congregatio particularis S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate et Marescotti specialiter a SSmo D. N. deputata ad suprascripta capita synodi nuper ab Emo D. Card. Nigrono Episcopo Faventino celebratae et ad nonnullorum parochorum collegii s. Stephani instantiam examinata respondit ut infra videlicet:

Ad cap. 1. tertiae partis: De vita et honestate clericorum §: *Cohabitationem:* Esse observandum deleto: *et praecipue.*

§: *Otiantes:* Esse observandum.

§: *Noctu:* Ut ad proximum.

Ad cap. 2. tertiae partis de officio parochorum

§: *Propterea:* Esse observandum et Emus Episcopus singulari sua prudentia utatur in casibus particularibus.

Ad cap. ultim. de cohabit. mulier. in domibus parochorum §: *Qui ad parochiales:* Esse observandum juxta §: Propterea de officio parochorum.

§: *Mulieres:* ut ad proximum et ad mentem; mens est, quod Emin. Episcopus dignetur praecipere suis officialibus, ut licentias concedant gratis.

§: *Regulariter*, §: *Deinde*, §: *Uno verbo:* Esse observandum ut ad proximum.

§: *Poenas:* Esse delendum cum jam provisum in antecedentibus.

Facta relatione per secretarium SSmo die prima ac eadem repetita die 2. Jan. 1695 Sanctitas Sua sententiam Congregationis approbavit, supradicta omnia exequi mandavit et jussit secretario ut coram tam agente Cardinalis Episcopi quam parochis omnia praedicta SSmo de verbo ad verbum exposita legantur, observanda intimentur et statim parochi ad suum ovile revertantur, necnon eidem secretario: *Ad mentem*; quae fuit alloqui Cardinalem Episcopum qui pro sua charitate benigniter tractet et recurrentes omnes paterno amore prosequatur.

Dicta die post praudium executum fuit decretum SSmi per me secretarium, et lectum advocato Ursaya agenti Emi Cardinalis Episcopi, Francisco Maria Honorato procuratore parochorum, praesente, audiente ac intelligente Dominico Balanti uno ex duobus parochis, altero absente ex asserta causa infirmitatis.

Die 2. Jan. 1695.

Rayuntius Pallavicinus Secret.

(Ibid. p. 1862.)

12) Concubinarius.

Vd. n. 11. p. 1289; *Parochus* (remotio, suspensio); *Clericus* (honestas etc.; habitus-delatio.)

Declaratio decretorum edit. in Concilio rom. I. sub Alexd. II. contra Simoniacos habito.

Alexd. PP. II. omnibus Episcopis.

Praecipiendo mandamus, ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere vel subintroductam mulierem. Unde s. synodus haec a capite: *Sub excommunicatione* statuit dicens: Quicumque sacerdos vel diaconus post constitutum b. mem. Praedecessoris nostri ss. Papae Leonis aut Nicolai *de castitate clericorum* concubinam duxerit palam vel ductam non reliquerit ex parte omnipotentis Dei et auctoritate Apostolorum Petri et Pauli praecipimus et omnino interdicimus, ut non cantet missam neque evangelium neque epistolam ad missam legat neque in presbyterio ad divina officia cum his qui praefatae constitutioni obedientes fuerint maneat neque partem ab ecclesia suscipiat.

Et praecipientes statuimus, ut hi praedictorum ordinum, qui iisdem Praedecessoribus nostris obedientes castitatem servaverint, juxta ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant et quidquid eis ab ecclesia competit communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apostolicam communem vitam*) summopere pervenire studeant, quatenus perfectionem consecuti cum his qui centesimo fructu ditantur in coelesti patria mereantur adscribi.

Ex Conc. rom. I. sub Alexandro PP. II. anno 1063.

(Bull. r. t. II. p. 24. Ed. Aug. Taur. 1859.)

S. Gregorius PP. VII. Sichardo Ep. Aquilejensi.

Fraternitatis tuae prudentiam latere non debet neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet, quae statuta quaeque decreta in peracto concilio praeteritae quadragesimae consilio confratrum nostrorum ac totius conventus assensu sequentes sanctorum patrum auctoritatem statuimus. Decrevimus enim, quodsi quis eorum ordinum, qui ss. altaribus administrant, presbyter scilicet, diaconus et subdiaconus, uxorem vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis dignam poenitentiam agant, ss. altaribus penitus administrare desistant nec aliquo ecclesiae beneficio ulterius potiantur sive potitis fruantur.*)

Die 23. Martii 1075.

(Bull. r. t. II. p. 69. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Burgi S. Domini.

(Conc. Tr. c. 6. s. 21; c. 14. s. 25. de ref.)

Pluribus acceptis querelis de inhonesta et scandalosa consuetudine, quam Bartholomaeus N. rector parochialis ecclesiae s. Petri in loco nuncupato Ragazzuola erectae cum Maria uxore Hieronymi Garbi sub memorata paroecia degente assidue habere dicebatur, Episcopus non semel eumdem rectorem paterne monuit, ut ab ea vivendi ratione se abstineret; at cum pastoralibus hisce monitionibus non obsecundaret, tandem in carceres conjectus est subindeque idem Episcopus die 11. Maji 1735 hoc edidit decretum: »Attentis narratis, solutis prius per oratorem scutis aureis 30 necnon mercede processus et custodiae, de reliquo gratiam facimus ac ipsum e carceribus relaxari mandamus peractis tamen priusquám orator ab hac civitate discedat per eumdem in coenobio admodum RR. PP. Cappuccinorum civitatis praedictae spiritualibus exercitiis per spatium dierum 10, quibus expletis et exhibito penes acta curiae nostrae solutionis praedictae in manibus depositarii mulctarum ejusdem curiae ac implementi hujusmodi testimonio amplius dicta causa oratorem non molestari mandamus; volumus tamen, quod antequam orator idem ut supra relaxetur ipsi renovetur praeceptum de non alloquendo dictam Mariam Garbi sub poenis alias in eodem praecepto contentis.«

Post decretum hujusmodi praeclaudatus parochus Parmam ubi dicta mulier moram trahebat se contulit atque in domo ejusdem mulieris nocturno tempore deprehensus Parmensis curiae carceribus fuit mancipatus indeque ad illos episcopalis curiae Burgi s. Domini transmissus est. Hujus itaque civitatis Episcopus curavit primum ut saepedicta mulier Placentiam traduceretur et in monasterio mulierum collocaretur deindeque die 28. Sept. 1736 procedens contra saepedictum parochum ita pronunciavit: »Nos visis etc. definitive

*) Vd. *Clericus saecularis* (vitam communem etc.

*) Vd. *t. II. p. 437. VI. IX.*

sententiamus dictum rectorem Bartholomaeum N. perpetuo suspendendum fore et esse prout definitiva hac sententia nostra ipsum rectorem ab administratione ecclesiae parochialis praedictae tam in spiritualibus quam in temporalibus perpetuo suspendimus eumque suspensum declaramus cum exilio ab hac nostra dioecesi per decennium duraturo reservatis rectori eidem alimentis ad ejus vitae sustentationem necessariis ex parochialis ejusdem redditibus retrahendis, quorum taxationem nobis aut cui de jure reservamus necnon deputandi eidem ecclesiae in spiritualibus et temporalibus unum vel plures perpetuo vel ad tempus oeconomum seu oeconomos cum mercede per nos item arbitratu nostro decernenda.«

Adversus sententiam hanc interjecit parochus ad s. Sedem appellationem, quam modo prosequens coram s. hoc Consessu authumat sententiam praedictam multiplici nomine irritam injustamque esse et praesertim veluti absque trina monitione*) prolatam contra formam a s. Trid. synodo *sess. 25. cap. 14. de ref.* hisce verbis indictam: »Quam turpe ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione summoque clericalis militiae dedecore testatur. Ut igitur ad eam quam decet continentiam ac vitae integritatem ministri ecclesiae revocentur populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit, prohibet s. synodus quibuscunque clericis ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin poenis a s. canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur, quod si a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia foemina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quo-

*) Vd. *t. II. p. 790 b.*

ad Ordinarius etiam uti Sedis apostolicae delegatus arbitrabitur, suspendantur, et si ita suspensi nihilominus eas non expellant aut cum iis etiam versentur tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo priventur atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis imposterum reddantur donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint intermissum consortium repetere aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur.«

Ponderatis itaque facti circumstantiis, juribus nomine saepedicti parochi circumferendis necnon iis quae tam circa praeinsertam s. Conc. Trid. sanctionem *cap. 14. sess. 25. de ref.* quam circa alteram contra similes parochos editam *sess. 21. cap. 6. de ref.* late tradunt *Barbos. ad idem concil. locis mox cit. cap. 14. sess. 25. de ref. n. 7. et seqq., Garzia de benef. part. 11. cap. 10. n. 186, Antonell. de regim. eccles. lib. 6. cap. 29. n. 3. et seqq.* et alii adducti per *Fargna de jurepatr. part. 2. can. 21. cas. 9*, ubi refert resolutionem s. Congregationis in *Novarien. Permutationis parochiae* 6. Oct. 1703, dignabuntur EE. VV. pronunciare:

An et quomodo sustineatur sententia Ordinarii in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative in omnibus et amplius.

Die 4. Maji 1737.

Piget praesentem causam referre; sed ea aliquod exemplum exhibet, quo ad normam ss. canonum contra miserrimos Beneficiarios turpiter et scandalose viventes procedi possit.

Titius anno 1863 Archipresbyteratum, adnexam habentem animarum curam, obtinuit in quadam ecclesia rurali s. Mariae in in itala dioecesi N.

Possessione capta domi suscepit, uti famulam, suspectam mulierem Hac deinde nuptui tradita aliam juvenem mulierem famulae officio accepit, quae paucis post mensibus ventrem tulit. Hinc jampridem orta suspicio in Titium adeo crevit, ut bonam amiserit famam. Hic tam ab amicis quam ab Ordinario admonitus, ut eam illico dimitteret, post non breve tempus dimisit.

Nihilominus tertiam mulierem famulam accepit triginta annos natam, cujus vir detinebatur triremibus crimine furti damnatus. Omnium fere oculi in hanc conversi erant quae uti meretrix habebatur. At cum tractu temporis eo pervenerit feminae inhonestae, ut ea in parochi famulatu tolerari haud posset, nonnulli paroeciani ad Vicarium capitularem rem retulerunt, ut tanto malo occurreret, parochum adigens ad ejusmodi mulierem expellendam, quin tamen aliquid contra ejusdem parochi mores dixerint.

Hisce habitis Vicarius capitularis eum semel atque iterum admonuit, ut ejusmodi feminam dimitteret; eidem autem haud obtemperanti sed tergiversanti die 19. Junii, 2. Septembris 1868 et 15. Februarii 1869 monitoria rite data sunt ea de causa, ut a famulatu eam mulierem dimitteret et a domo paroeciali arceret intra dies quindecim »a praesenti intimatione computandos sub poena suspensionis ab officio paroeciali si huic praecepto, quod adstantibus testimoniis tibi intimatur, non pareas.«

Hisce datis monitionibus nulla obedientiae indicia dedit parochus. Quare Vicarius capitularis die 23. Februarii 1869 mandavit, ut Cancellarius conficeret processum seu accersiret tres testes patresfamilias ejus paroeciae necnon alios, quos iidem testes indicarent.

Cancellarius haec exsecutioni mandavit atque ex testibus examinatis atque juratis satis constitit, turpe commercium Titii cum dictis famulabus. Quare rebus perpensis die 11. Maji 1869 Vicarius capitularis haec decrevit: »Suspendimus per annos quinque a notitia praesentis Decreti Archipresbyterum Titium ab officio parochi s. Mariae, eum privantes a praesenti die omni spirituali jurisdictione in populum ejus paroeciae necnon omni jure ad percipiendum redditus paroeciales sive certi sive incerti fuerint atque usu domus paroecialis, a qua illico et immediate migrare debebit, sic etiam a quavis domo intra regionem ejusdem paroeciae. Praeterea dicimus et decernimus ejusmodi suspensionem et privationem duraturam esse dictum quinque annorum tempus, nobis seu Ordinario pro tempore reservantes potestatem eas protrahendi ad omnem ejus vitam, si idem Titius ad bonam frugem rectamque rationem vivendi non redeat. Eundem denique suspendimus a missae celebratione usque dum nobis non ostenderit a domo paroeciali discessisse et a toto paroeciali territorio atque a muliere N. se separasse, ita ut cum eadem omnem interceperit relationem, atque per decem dies spiritualibus exercitiis vacasse.«

Edito atque indicto hujusmodi decreto parochus illico die 25. Maji protestatus est »contra irregulare et injustum decretum editum a Vicario capitulari die 11. Maji in ejus damnum ob calumnias a nonnullis malevolis accusatoribus.« Declaravit tamen in eodem actu, »se ex solo venerationis et obsequii sensu erga ecclesiae auctoritatem dimissurum esse a famulatu dictam mulierem adjecta promissione eam jugiter evitandi seque obsecuturum decreto vacandi decem dies spiritualibus exercitiis eo loco et tempore quae Vicarius capitularis esset indicaturus.«

Hac facta protestatione ad metropolitanam curiam se convertit, ut decretum revocaret aut saltem reformaret. Atque plurium paroecianorum testimonia sibi utilia protulit: quibus addidit quae a duobus civilibus syndicis necnon a parochis vicinioribus aliisque data fuerunt testimonia de ejus laudabili vitae ratione deque bonis moribus. Sed tamen hisce opposita sunt per curiam Vicarii capitularis nonnulla contraria testimonia laicorum, presbyterorum et parochorum, quibus Titii honestas in discrimen adducebatur.

Vicarius generalis curiae metropolitanae, consideratis omnibus actis curiae episcopalis, audito eodem Titio ejusque defensione, sententiam dixit suis omnibus stipatam motivis, quae sic concludebatur: »Archipresbyterum Titium male appellasse a decreto diei 11. Maji a Vicario capitulari N. lato eumdemque Vicarium capitularem juste declarasse criminis culpam; neque in danda poena excessisse, ideoque, rejecta appellationis instantia, confirmamus dictum decretum diei 11. Maji jubentes, facta intimatione hujus sententiae, idem decretum exsecutioni mandari pleno suo tenore et forma, condemnantes etiam Archipresbyterum Titium ad impensas praesentis judicii.«

Post ejusmodi sententiam illico ad s. Sedem appellavit Titius atque appellatione delata ad S. C. C. rescriptum de more est *Vicario capitulari pro informatione, audito in scriptis promotore fiscali, transmisso processu aliisque documentis ad rem facientibus.* Habito processu et voto promotoris fiscalis

qui adhaesit sententiae Vicarii capitularis die 27. Novembris decretum in secretaria S. C. C. prodiit per consueta verba: *ponatur in folio*, quibus significatur causae restrictum esse scribendum ut causa dirimenda proponatur in plena Congregatione. Parochus autem causidicum in sui defensionem Romae constituit.

Orator prolixe contendit irritum declarari debere latum decretum; contendebat enim ad validitatem ejusdem decreti requiri 1° ut nomina et dicta accusantium vel testium parocho, reo inquisito, publicata fuissent: 2° ut ostenderetur praecessisse publicam malam famam: 3° ut concessa esset defensio parcoho accusato.

Ad haec demonstranda allegabat cap. *Qualiter 24. de accusationibus* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in quo de processu solemni instituendo, praesertim contra ecclesiae Praelatos, Pontifex statuens inter cetera haec voluit observanda: Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut jam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum et puniéndum ejus excessus, non ex odii fomite, sed charitatis procedatur affectu; quatenus si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen moveatur omnino: quod est secundum sententiam evangelicam a villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. *Debet igitur esse praesens is contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit, et exponenda sunt ei illa capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid et a quo sit dictum appareat) publicanda, necnon exceptiones et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur. Ad corrigendos itaque subditorum mores tanto diligentius debet Praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas descreret incorrectas. Contra quos ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denunciationem et inquisitionem ipsorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ni forte per leve compendium, ad grave dispendium veniatur: sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denunciationem charitativa monitio et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire: illo semper adhibito moderamine ut juxta formam judicii sententiae quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quae (cum causa requirit) facilius et liberius a suis possint administrationibus amoveri.*«

Porro orator contendit, in tota actorum serie, quam Vicarius capitularis s. Congregationi Concilii exhibuit, nullum esse vestigium de hujusmodi nominum dictorumque testium seu accusatorum publicatione vel defensione parocho concessa.

Cum autem in processu qui instituitur per inquisitionem debeat praecedere publica diffamatio juxta ea allegati capitis verba: *debet . . . inquisitionem clamosa insinuatio praevenire* asseruit orator, diffamationem haud praecessisse inquisitionem, quandoquidem ipsimet denunciatores in suis querelis scripserant: »se tamen longe esse a parocho insimulando pravorum morum, qui parochus sub quovis alio respectu summa commendatione esset dignus, se queri tantum de ejus pertinacia in tenenda domi famula N.«

Quod si iidem denunciatores, vocati uti testes, aliter deposuerint in judicio, respuendos esse inquiebat, cum sibi contradicerent; eo magis quod omnium paroecianorum opinione ipsi essent detractores, mendaces, irreligiosi, criminosi. Praeterea eorum testimonia everti tum ex amplissimo testimonio quatuor parochorum circumstantium, quo honestas bonique Archipresbyteri mores commendabantur, tum ex testimonio plurimorum paroecianorum, aliquorum et syndicorum qui ejus honestati uno veluti ore plauserunt.

Hinc declarandam esse decreti nullitatem locumque esse reintegrationi ad paroeciam, restitutioni fructuum et refectioni expensarum et damnorum ut in quadam *Januen. Absolutionis* die 10. Junii 1848 coram S. C. C. agitata.

Animadversum est, rationem procedendi in ejusmodi judiciis contra clericos concubinarios gradus admittere juxta praescriptionem Tridentini Concilii *cap. 14. sess. 25. de refor.**) nominatim autem contra parochos

*) Sancta Tridentina Synodus sic constituit in *cap. 14. sess. 24. de reform*: »Quam turpe ac clericorum nomini, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione summoque clericalis militiae dedecore testatur. Ut igitur ad eam quam decet continentiam ac vitae integritatem ministri ecclesiae revocentur populusque hinc eo magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet sancta synodus quibuscumque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur. Quodsi a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius etiam uti Sedis Apostolicae delegatus arbitrabitur, suspendantur, et si ita suspensi nihilominus eam non expellant aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis inposterum redduntur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint intermissum consortium repetere aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quaevis appellatio aut exemptio praedictam executionem impediat aut suspendat supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos nec decanos aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura judicii et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes juxta delicta et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab Ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda aliisque modis juxta ss. canones puniantur . . .«

in *cap. 6. sess. 21. de reform.* praescriptum esse: »*Eos vero, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant ac castigent, et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.*«

In themate autem praemissas fuisse trinas monitiones, quibus cum archipresbyter non paruerit, ad poenas temporaneas Vicarius capitularis devenerat. Quare extrinseca ratione procedendi considerata validum dicendum esse decretum. Non enim ad paroeciae privationem Vicarium devenisse.

Quinimmo si juxta allegatum decretalium textum in cap. *Qualiter de Accusationibus* res judicanda foret, non illico dici posset decretum irritum, quia, etsi servata adamussim ea forma non sit, aequivalenter tamen, ut in judicio summario contingit, videretur servata. Praecesserat enim, testibus fatentibus, publica diffamatio, immo et denunciatio, qua posita judex ex se inquirere debet: dicta accusatorum eidem denunciata fuerant, cum Archipresbyter nosceret retentionem suspectarum mulierum in famulatu esse causam judicii; neque defuit offensionis locus per longum quod intercessit inter monitiones spatium. Quae quidem omnia multo plenius fuerunt servata a curia archiepiscopali, antequam sententiam emitteret decretum confirmantem.

Post haec, ad meritum causae intrinsecum quod spectat, tum ex gravibus indiciis et praesumptionibus tum ex explicitis testimoniis ostensum est, archipresbyterum turpiter et scandalose, praesertim cum tertia famula, quae meretrix erat, vixisse.

Hisce aliisque pluribus expositis propositum est resolvendum

D u b i u m:

An sententia curiae metropolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. Congregatio Concilii die 11. Maji 1872 respondere censuit: *Sententiam esse confirmandam, reservatis tamen alimentis a die remotionis.*

Ex quibus colliges:

I. In causis criminalibus contra clericos concubinarios procedendum esse secundum dispositiones Tridentini Concilii et eos sacros canones, qui, per eas dispositiones, derogationem non subiverint.

II. Contra parochos turpiter et scandalose viventes peculiariter Tridentinum disposuisse in *cap. 6. sess. 21. de reform.*

III. Ejusmodi dispositiones Tridentinas in eo convenire, ut privari tum debeant sive clerici beneficiarii sive parochi a suis beneficiis, quando, aliis juris remediis seu poenis inutiliter expertis, incorrigibiles evaserint.

IV. Quare si probaretur in judicio sive solemni sive summario aliquod ex his criminibus atque inde beneficiarius suo bene-

ficio seu paroecia per sententiam privaretur, nulla esset privatio, cum per hoc beneficiarius non ostenderetur incorrigibilis.

V. E converso, si praemissis monitionibus aliisque juris remediis beneficiarius suspectam mulierem non deseruerit seu pravos mores non mutaverit, judicium ad privationem beneficii institutum, difficile impugnari utiliter posset quod solemnitates extrinsecae non sint servatae, cum ad hoc satis sit judicium summarium, idest procedendi modus sine strepitu et figura judicii, servato tantum justitiae jure quod dictat ipsa rerum natura.

VI. Colliges praeterea, quando agitur de causis criminalibus, juxta veteres canones triplici modo potuisse ecclesiasticum judicem moveri ad instituendum processum 1° per accusationem: 2° per denunciationem: 3° per inquisitionem.

VII. In desuetudinem abeunte modo aperiendi processum per accusationem superfuisse denunciationem et inquisitionem: qui duo procedendi modi in praxi saepe confunduntur et in unum recidunt seu in inquisitionem.*)

VIII. Non debere judicem judicare et causam quodammodo praevenire ex clamore delicti aut ex denunciationibus, sed tum clamorem tum denunciationes haberi debere tamquam justa motiva ad processum aperiendum ut ex processu deinde judicium feratur.**)

IX. In themate Vicarium capitularem haec omnia satis servasse, ita ut ex mala parochi fama ob suspectas mulieres et ex denuntiationibus parochum prius rite admonuerit, quo obsistente, summario processu constituto, temporaneas poenas inflixerit tamquam primum gradum ut parochus efficaciter corrigeretur.

Clericorum concubinariorum poenae sunt:

I, quod ab ipsis nullus missam audire aut Sacramenta recipere debeat excepto baptismo, poenitentia et s. Viatico, *cap. Nullus, cap. Praeter dist. 32;*

II, quod si moniti non resipiscant sint ab officio et beneficio suspensi, *cap.: Sicut 4. de cohabitat. clericor. et mulier., cap.: Quaesitum, cap.: Vestra tit. eod., cap.: A multis 9. de aetat. et qualit. praeficiend., cap.: Decernimus, cap.: De his, c.: Presbyter distinct. 28., cap: Erubescant, distinct. 32.* cum similibus, Conc. Trid. *sess. 25. cap. 14. de reformat.;*

III, quod clerici concubinarii notorie et publici tales sint ipso jure suspensi ab officio et beneficio, ita quod si celebrent incurrant irregularitatem, decisum referunt *Belletus disquis. cleric. part. 2. tit. de disciplin. Cleric. §. 5. n. 45., Nicol. Garcias de benefic. p. 7. cap. 14. n. 11 et 15., Barbosa in Conc. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 14. n. 17.* et alii, *arg. cap. Is, cui 20. de sent. Excomm. in 6.*

IV. Si adhuc contumaciter in concubinatu persistant sint excommunicandi*), *cap. Si quispiam 2., cap. Clericos 3. de cohabit. clericor. et mulier.*, Concil. Trid. *sess. 25. de reform. cap. 14.* vers.: *Sed si postquam.*

V. Et si adhuc non se corrigant perpetuo deponantur, textu expresso in *c. Sicut 4.* et *cap. Si autem 6. de cohabit. clericor. et mulier.*

VI. Item efficiuntur infames**) et inhabiles ad beneficia et dignitates obtinendas, *c. Infames 6. q. 1.*, Concil. Lateranense *V. sess. 9.* Bulla de reform. Curiae cap. 3., Leo X. constit. incip.: *Supernae.*

VII. Clerici concubinarii non habentes beneficia debent ab Episcopo puniri poena carceris, suspensione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia aliisque modis juxta ss. canones. Sic expresse Conc. Trid. *cit. cap. 14.* vers.: *Clerici vero.*

VIII. Et tandem omnes clerici concubinarii si moriantur in concubinatu sine signo poenitentiae carere debent sepultura ecclesiastica et si sine poenitentiae signo in loco sacro fuerint sepulti debent exhumari et in loco profano sepeliri; *cap.: Sacris 12. de sepultur. Clementin. 1. de sepultur.*

13) Curator.

Vd. p. 1286. n. 1.

14) Deputatus communitatis.

Vd. t. III. p. 1033: *Gallien.*

15) Dioecesi divisa quos Episcopus novus potest revocare?

Vd. *Dioecesanus* (revocatio.)

EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI

PARTICULARITER A SSMO D. N. DEPUTATA.

SSmus D. N. anno 1867 dioecesim Archiepiscopi N. in America in duas dioeceses ob ejus nimiam amplitudinem divisit. Archidioecesis retinuit suum primaevum titulum N.; altera autem appellata est dioecesis G.

In bulla dismembrationis dictum non est explicite, uti assolet, de presbyteris, qui novi Episcopi jurisdictioni subjacerent. Quare quaestio quae sequitur exorta est.

Alexius jampridem presbyter archidioecesis N. ac professor in seminario ejusdem archidioecesis natus fuerat in ea territorii parte, quae per divisionem evasit dioecesis G. Novus Episcopus G., carentia presbyterorum pressus, exoptabat sibi vindicare Alexium tamquam presbyterum proprium, quum et in nova erecta dioecesi natus esset nec in alia obtineret perpetuum aliquod ecclesiasticum ministerium seu beneficium. Archiepiscopus N. non obstabat votis Episcopi G.; immo pluries Alexium hortatus est, ut Episcopo G. morem gereret.

Verum Alexius id non esse in jure novi Episcopi contendit, propterea quod ipse eo animo ss. ordinibus esset initiatus, ut Archiepiscopo N. subditus maneret; atque ibi domicilium elegerat et acquisiverat ubi inpraesentia professoris munere fungebatur. Adjungebat tamen se in vota Episcopi G. concessurum, si declaratio alicujus romanae Congregationis supervenisset.

Novus Episcopus G. considerans officium Alexii ecclesiae suae maxime profuturum atque alios indigenas clericos in seminariis Archidioecesis N. studiorum causa interea degentes suam jurisdictionem pari modo fortasse esse postea evasuros, haec quae sequuntur dubia dirimenda proposuit:

1°. In quas personas jurisdictio Episcopi novae dioecesis, divisionis tempore, porrigatur?

2°. An Episcopus novae dioecesis jus habeat ad eam revocandi illos omnes ecclesiasticos, qui intra ejusdem fines nati tempore divisionis exercebant quidem aliquod officium in ea parte quae veteri dioecesi attributa est, nullo tamen ibidem beneficio vel ministerio in cura animarum potiebantur?

Ejusmodi causa s. Congregationi Concilii judicanda remissa est.

VOTUM CANONISTAE.

Antequam causa disceptanda s. Congregationi proponeretur quaesitum est canonistae votum, quod breviter sic complectar.

Formula, qua s. Congregatio consistorialis uti solet, quando agitur de dioecesibus dividendis, plerumque est hujusmodi: »Constituatur et adjudicetur eidem novo episcopatui N. universum territorium, quo nunc constat praesignatus districtus N.; proindeque praelaudata civitas N. caeteraeque cunctae vel civitates vel oppida vel paroeciae, quae intra territoriales ejusdem districtus N. terminos nunc comperiuntur, insimulque omnes eis in locis extantes ecclesiae sive parochiales succursales sive simplices, oratoria, coenobia, monasteria, pia instituta et tam saecularia quam regularia, quae extant, beneficia, itemque utriusque sexus personae sive saeculares sive regulares (non tamen exempti), tam clerici quam presbyteri, omnes demum incolae cujuscumque status, gradus et conditionis simili modo subjiciantur ordinariae jurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati Episcopi N. pro tempore existentis eique respective pro civitate, dioecesi, clero et populo assignentur atque adtribuantur.«

Ex quibus verbis apparet novi Episcopi jurisdictionem extendi 1° super universum

*) Processus criminalis antiquitus duplex erat, alius ordinarius per viam accusationis, in quo legitimus accusator, lite contestata, probationes producebat, quique in ipso accusatorio libello inscribebat se in crimen seu in poenam talionis si in probando alterius crimine defecisset. Haec tamen inscriptio deinde sublata est, ne metu poenae talionis deterrerentur homines a deferendis criminosis, eique successit satisdatio seu cautio idonea per fidejussores vel pignora quibus accusator cavebat de querela usque ad finem judicii prosequenda, de solvendis expensis et reparandis damnis, et obligatus erat probare delictum ad formam juris. Ejusmodi procedendi modus, qui antiquitus erat ordinarius, tum in jure civili tum canonico in desuetudinem abiit. Alter modus procedendi erat extraordinarius seu *inquisitorius*, in quo ipse judex sine praevia accusatione inquirit in delicta et delinquentes sive id faciat ex mero suo officio, praeeunte tantum mala fama, quod appellatur etiam *nobile officium judicis*, sive ad alicujus denunciationem. Hodiernis moribus ejusmodi procedendi modus inquisitorius qui erat extraordinarius transivit in ordinarium: instituitur autem vel *plenarie* servato ad unguem ordine juris vel *summarie* sola rei veritate inspecta absque figura et strepitu judiciali.

**) Haec adnotavi, quia non semel ex actis hujus generis animadverti, aliquas ecclesiasticas curias judicare ex rumore et denunciationibus, nullo constituto processu. Qui modus procedendi non est conformis ss. canonibus, qui aperte praescribunt (ut in allegato *cap. Qualiter de Accusationibus)* ejusmodi rumores vel denunciationes esse justa motiva instituendi processum, idest vocandi audiendique testes, citandi reum inquisitum ut audiatur et defendatur, ut inde judex ecclesiasticus juxta ea quae ex processu et defensione resultent juste judicare possit.

*) Vd. *t. III. p. 918. I.*

**) Vd. *t. II. p. 437. VI.*

districtum seu territorium, quo nova dioecesis finita est: 2° super omnes personas ejusdem territorii incolas; ac proinde dici potest, personas in totum novo Episcopo subjici, in quantum territorium incolunt: »jurisdictio enim inest toti territorio, sicut nebula in tota palude« ceu ait Barbosa in cap. *Cum olim 19. de censibus ver.*: *In tua sunt.*

Verum quando dicimus, omnes territorii incolas novo Episcopo subjici, intelligi volumus eos, non qui *materialiter*, sed qui *juridice* territorium incolunt. Ii vero locum aliquem *juridice* incolere dicuntur, qui ibi domicilium fixerint; qui enim aut negotii aut officii causa in aliquo loco reperiuntur, ii juridice non incolae, sed peregrini et advenae nuncupantur. *Non enim ambigitur* (ita in l. 7. c. de incolis) *singulos habere domicilium ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari videtur: quod si rediit peregrinari jam destitit.*

Ex his itaque concludere in genere possumus, eos omnes, qui territorium novae dioecesis divisionis et erectionis tempore ita incolebant, ut in eo domicilium juxta juris requisita contraxerint, novi Episcopi jurisdictioni obnoxios esse. Haec quidem ad primam genericam quaestionem scripsit canonista.

Quoad alteram quaestionem, idest, quinam ecclesiastici viri in specie novae dioecesis jurisdictioni subjacerent, idem canonista statuebat tamquam principium: quibus quisque titulis obnoxius Episcopo fit ratione s. ordinationis, iisdem obnoxius fit ratione jurisdictionis.

Hodie autem, subjungebat, quatuor esse s. ordinationis titulos, idest, originem, domicilium, beneficium et triennalem familiaritatem; Innocentius XII.: *Speculatores*,*) die 4. Novembris 1694. Jurisdictionem autem semel acquisitam perpetuo perdurare nisi supervenerit factum aliquod juridicum, quod personam ecclesiasticam ab hac jurisdictione solverit; quod factum esse solet beneficii vel domicilii acquisitio in aliena dioecesi de consensu proprii Episcopi facta.

Quare in genere canonista opinabatur responderi posse ad secundam propositam quaestionem: eos omnes ecclesiasticos viros divisionis tempore novae dioecesi subjectos esse, qui vel originem ex ea ducerent vel beneficio in ea potirentur vel domicilium in ea jure contraxissent: eos autem, qui ex illa oriundi quidem essent, sed alibi de licentia Episcopi domicilium fixissent vel beneficium *residentiale* adepti fuissent, non subjici jurisdictioni novi episcopatus. Dixit autem *residentiale*, quia beneficium simplex, licet possit esse titulus, quo aliquis alicui Episcopo obnoxius fiat ratione s. ordinationis, attamen post ordinationem et post acquisitam jurisdictionem non eximit clericum a subjectione proprii Episcopi originis. Omittebat praeterea titulum familiaritatis qui locum habere non poterat in themate.

Sed, quum soleat esse praxis ss. Congregationum respondendi non per generalia principia, sed tantum applicandi generalia principia ad facta seu casus particulares, totam quaestionem canonista coercebat ad casum presbyteri Alexii, videlicet, an Alexius in adjunctis in quibus reperiebatur teneretur parere Episcopo G. eum revocanti in novam dioecesim.

Existimabat autem non posse Alexium declinare jussum novi Episcopi.

Id ostendebat ex modo expositis principiis: idest Alexium ss. ordinibus ideo fuisse ab Archiepiscopo N. initiatum, quia ad eam partem archidioeceseos pertinebat, quae per divisionem avulsa est: novo autem superveniente Episcopo in eam partem sic divulsam omnia ei subjecta esse eodem jure quo antea Archiepiscopo N. subjiciebantur: ideoque et Alexium, si factum aliquod juridicum non obstaret, subjectum manere novo Episcopo.

Videndum ideoque supererat, an aliquod juridicum factum a territorio novae dioecesis Alexium exemerit. Hoc juridicum factum esse posse, prosequebatur canonista, acquisitionem beneficii residentialis vel domicilii: sed neutrum in facto existere. Et ad domicilium excludendum inquiebat, domicilium in aliquo loco ubi aliquis degat ratione alicujus officii non acquiri etiamsi pluribus annis officium illud ibidem exerceatur: quod est principium universim admissum et passim indicatur in foliis s. Congregationis, ut in *Fanen.* 20. Aprilis 1771. §. *Civitas;* in *Terracinen. Privernen. et Albanen.**) *Ordinationis 26. Januarii 1833.* §. *Non ea.* Officium enim quod ad nutum conferentis est amovibile non importat animum perpetuo in aliquo loco commorandi.

*) Vd. *Ordinatio subditor. aliorum.*

*) Vd. *Ordinatio ex titulo domicilii etc.*

Quum itaque ita res se haberent priusquam nova dioecesis erigeretur, erecta nova dioecesi novoque Episcopo constituto, illico, ipso jure, in hujus potestatem transiisse Alexium: nec deinde integrum Alexio fuisse in dioecesim, in qua degebat, lares transferre aut beneficium acquirere sine venia novi Episcopi, argumento ex *cap. 16. Concilii Trid. sess. 23. de ref.*

Post haec respondebat canonista ad ea quae objecerat Alexius, quod scilicet ipse in seminario Archidioecesis N. esset educatus et ab Archiepiscopo N. ad ss. ordines assumptus et ea mente, ut eidem Archiepiscopo perpetuo subjaceret, cui obedientiam promiserat.

Et ad primum respondit, moram in seminario nihil proficere ad domicilium acquirendum; atque ita, ut qui in alieno seminario degant studiorum causa non possint sine literis dimissoriis proprii Episcopi originis seu domicilii ordinari, ut judicatum est in *Spoletana et Reatina Ordinationis* 11. Junii 1840, quod consonat cum citata constitutione *Speculatores*. Per hujusmodi ergo moram in alieno seminario, etiamsi gratuitum locum obtineant, alumnos non evadere subditos alieni Episcopi, in cujus seminario educentur.

Ad secundum respondit, Alexium per s. ordinationem fuisse quidem devinctum non personae sed Archiepiscopo et Archiepiscopo quidem quatenus jurisdictionem exercebat in ea territorii parte ex qua Alexius erat oriundus et non ex alio titulo quam originis et domicilii: ob quem titulum nunc eum subesse debere Episcopo G.

Ad tertium respondit, non sufficere mentem ad contrahendum aliquo in loco domicilium atque ad subditum alicujus evadendum. Si mente enim tantum haec consequi possemus, nemo cuiquam domino, qui optimus non esset, subditum se esse vellet.

Ad quartum respondit, obedientiam promissam Archiepiscopo in actu s. ordinationis erga eos omnes Antistites protendi, quibus legitimo jure parere ubilibet debeat sacerdos: quod et notatum fuit in quodam folio causae *Reatinae Residentiae* 26. Januarii 1833, §. *Quod vero*, his verbis: »Quod vero Britius non Reatino Episcopo, sed Emo Card. Urbis Vicario dumtaxat obedientiam se spopondisse animadvertit, notat Episcopus (Reatinus), *promissionem illam erga eos omnes Antistites protendi, quibus legitimo jure parere ubilibet is debeat sacerdos:* neque pro nuda inanique formula habendam esse monet Benedictus XIV. solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis juxta vetustissimum ecclesiae morem (Catalanus ad Pont. Rom. t. 1). Quinimo addit, presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alios adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi; Haller *de Sacris elect. et ord. p. 1.* §. *14.*«

Quum itaque obedientia promissa Archiepiscopo N. ejusque successoribus ad eos omnes Antistites se porrigat, quibus Ordinatus legitimo titulo est subjectus, Alexium obedientiam hodie debere Episcopo G. cui et ratione originis subest, quique Episcopus G. successit in jus, quod antea Archiepiscopus N. obtinebat.

Sed quamvis Alexius per dioecesis divisionem non amplius haberet Archiepiscopum N. tamquam Ordinarium proprium et e converso subesset Episcopo N. ut proprio Ordinario, inquirendum supererat, utrum Alexius in adjunctis in quibus versabatur absolute obedire teneretur Episcopo G. eum revocanti in novam dioecesim, sub nulla conditione.

Hanc quaestionem secundariam ita pertractabat canonista, cujus verba refero et sunt quae sequuntur:

Quamvis nonnulli auctores asserant, clericos qui non habent beneficium in titulum, praecisam et personalem residentiam requirens, discedere posse et ire quo velint, neque ab Episcopis dimissorias eisdem posse denegari, atque in hanc sententiam nonnullas veteres S. C. C. resolutiones afferant, Fagnanus tamen *cavendum* monet *ab id genus collectoribus* ipsorumque sententiam citato Conc. Trid. decreto prorsus adversari affirmat in *cap. Admonet num. 15. de Renunciat.*, Antonellus *de jure et oneribus cleric. lib. 2. part. 6. cap. 8.* et in folio causae *Reatinae Residentiae 26. Januarii 1833.* §. *Imo.*

Antiquiores porro hujus s. Congregationis resolutiones, quibus edicitur *clericum qui certo loco non est adscriptus ab Episcopo suo invitum non posse retineri, ne a*

sua dioecesi recedat et alibi parochialem accipiat, ut in Ariminen. 5. Decembris 1574., eo sensu videntur accipiendae, quod Episcopus non possit clericos invitos retinere sine justa causa et nisi eisdem de congrua sustentatione provideat. Nicol. *Lucubrat. can. lib. 1. art. 22. n. 3.*, Card. de Luca *disc. 2. Adnot. ad Conc. Trid. num. 4.* et in folio causae in *Nucerina Residen. et suspens. 5.* Septembris 1818, §. *Ulterius*, quae conditio in posterioribus resolutionibus semper invenitur apposita, ut videre est in *Amerina* 8. Maji 1756., *in cit. Nucerina*, *in Reatina* 26. Januarii 1833 et alibi.

Omne igitur Alexio effugium praeclusum videtur ut se ab jurisdictione Episcopi G. eximat ejusque, ad propriam dioecesim illum revocantis, jussa declinet. Hic tamen pro coronide duas addam facti species apud s. Congregationem disputatas, quae nonnihil lucis praesenti controversiae dirimendae affundere possunt.

Prima sit causa *Reatina Residentiae*, quae die 26. Januarii 1833 dirempta fuit. Agebatur in ea de Gaspare Britio, e dioecesi Reatina oriundo, ab ejus Episcopo ad primam tonsuram initiato, tum inter alumnos s. Vincentii a Paulo Romae cooptato atque ab Eminentissimo Urbis Vicario ad minores et sacros Ordines promoto, adsignato eidem a parente patrimonio in agro Reatino. Post aliquot annos sacram illam familiam deseruit et in patriam reversus munus docendi pueros suscepit. Quinto post anno ad parochiale beneficium archipresbyteratus in oppido Montis boni Sabinensis dioecesis, facto feliciter periculo, ab Eminentissimo Sabinensi Episcopo assumptus est atque in possessionem, expeditis Apostolicis literis, immissus et Vicarii etiam foranei munere deinde cumulatus. Verum renuente Episcopo Reatino facultatem discedendi eidem concedere, immo eumdem revocante, sacra Congregatio eum, ut rediret, cogi posse respondit, *dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideretur*, idque quamvis allegaret, se fuisse ab Eminentissimo Urbis Vicario ad sacros Ordines promotum et per literas Apostolicas paroeciae possessionem nactum nulloque in dioecesi Reatina beneficio auctum nec ulli ecclesiae adscriptum, obedientiam vero a se Eminentissimo Urbis Vicario promissam. Eminentissimi enim patres qualitatem originis in Britio considerantes, qua subditus efficiebatur Episcopo Reatino, hujus autem jurisdictionem per ingressum Britii in religionem suspensam quidem, sed eo regrediente reviviscentem, eumdem Britium redire ad dioecesim Reatinam coegerunt.

Altera habetur in *Nucerina Residentiae et Suspensionis* 29. Septembris 1818. In ea agebatur de Gervasio Aleandri oriundo e dioecesi Nucerina, qui in dioecesim Tudertinam sese contulerat ibique Rhetoris et Rectoris munere in seminario fungebatur. Hic contendebat se non potuisse a proprio Episcopo in dioecesi retineri, eo quod nulli ecclesiae in ordinatione esset adscriptus. Nihilominus S. C. definivit sustineri suspensionem in eum latam ab Episcopo Nucerino et praeceptum quo illum ad suam dioecesim revocabat, *dummodo Episcopus provideat Aleandrum congrua pro dioecesi sustentatione.*

Quae cum ita sint, ad dubium: an sacerdos Alexius N. teneatur parere Episcopo G. eum ad propriam dioecesim revocanti? respondendum censerem: Affirmative, dummodo eidem ab Episcopo de congrua sustentatione provideatur.

Sed praeter canonistae votum nonnullae aliae animadversiones ex officio sunt adjectae. Repetito videlicet generali principio, Episcopum novae dioecesis supra omnes christifideles tam presbyteros quam clericos jurisdictionem habere tempore erectionis novae dioecesis, qui vel ratione *originis* vel ratione *domicilii* inibi sunt, animadversum est in themate non posse ab hac jurisdictione sese eximere clericos illos, qui in seminariis Archiepiscopi N. studiorum causa degant.

Explorati enim juris esse unica studiorum causa domicilium ibi acquirere haud posse, *l. 2. c. de incolis*, in qua hoc jus sic declaratur: »*Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium habere creduntur, nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint secundum epistolam divi Hadriani.*

Neque ratione collationis ss. Ordinum sese posse eximere ab eadem jurisdictione: etsi enim antiquitus id juris obtinuit, ut clericus Episcopo a quo ordinibus esset initiatus per omnia subesset, Thomassin. *de vet. et nov. discipl. eccl. p. 2. l. 1. n. 3. et 4.*, lapsu tamen temporis ejusmodi disciplinam declinasse, arg. *ex cap. 1, 2, 3 de tempor. ordin. in 6°*.

Haec quoad clericos novae dioecesis G., qui degebant in seminariis Archiepiscopi N.

EA QUAE SUNT ANIMADVERSA FAVORE ALEXII.

Ad convalidanda vero jura Alexii est praeterea animadversum, nemini esse interdictum ubi velit domicilium eligere, *l. 31. ff. ad Municipal.* ibi enim legitur: »*Nihil est impedimento quominus quis ubi velit habeat domicilium quod ei interdictum non sit.*« Idque ne filiis quidem familias esse interdictum ex *l. placet 3. et l. 4. ff. ad Municip.*: »*Placet*, inquit Ulpianus, *etiam filiosfamilias domicilium habere posse non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicumque ipsi domicilium constituerint*« idest, ut explicat ibidem Glossa: *non* tantum *ubi pater habet, sed ubicumque filius constituit sibi domicilium.* Quod et probasse videtur s. Congregatio in *Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis* die 14. Novembris 1733.

Hujus causae haec erat facti species. Franciscus anno 1702 natus est in oppido *Cento* dioecesis Bononiensis, ubi pater domicilium habebat. Anno 1703 pater inde discessit cum familia et domestica suppellectili seque contulit Ferrariam ob hereditatem sibi delatam ibique existentem.

Franciscus Ferrariae penes patrem educatus literarum studio operam dedit, doctoris gradum aliaque officia publica tamquam civis Ferrariensis a magistratu obtinuit. Sed, quum postea Francisco obvenisset alia hereditas, rediit in oppidum *Cento* animo (ut jurejurando contestari paratus erat) perpetuo ibidem vivendi seorsum a patre, qui Ferrariae perstitit.

Cupiente tribus post annis Francisco ecclesiasticae militiae nomen dare, dubium ortum est, utrum ad Archiepiscopum Bononiensem, an vero ad Episcopum Ferrariensem spectaret clericali tonsura eum initiare.

Causa delata ad s. Congregationem Concilii propositaque dubitandi formula: »An ad Emum Archiepiscopum Bononiae vel potius ad Emum Episcopum Ferrariae spectet ordinatio Francisci in casu? S. Congregatio respondit: *spectare ad Emum Archiepiscopum Bononiae cum literis testimonialibus Emi Episcopi Ferrariae.**)

*) In folio causae, s. Congregationi proposito, haec fuerant adnotata: »Satis quidem constat Franciscum inspecta origine subditum esse Archiepiscopo Bononiae, in cujus dioecesi ortum habuit. Sed tamen aeque certum est domicilium deinde fuisse translatum ad civitatem Ferrariensem et hac ratione eum evasisse subjectum Episcopo. Cum autem subjectio ab origine profecta non cesset per subjectionem ex domicilio comparatam, juxta *Text. in l. Cum te, et in l. Si quis Cod. de municip. et orig. lib. 10. et in l. Privilegio Cod. de Incol. eodem lib. 10.*, sequeretur Franciscum geminam habere subjectionem idoneam ad rite suscipiendos Ordines ab alterutro, quem maluerit, Ordinario, ut ex *cap. Cum nullus de temp. Ord. in 6.* notat *Fagnan. in cap. Significavit. num. 12. de paroch.*

Ad hunc enim casum non pertinet sanctio Bullae Innocentianae, quae incipit *Speculatores in §. At si Pater.* Ibi enim statuit Pontifex tunc habendam esse rationem domicilii potius quam originis, ubi filius natus fuerit in eo loco, in quo Pater fortuito et ex accidenti moram trahebat. Id quod secus est in casu, de quo agitur, nam vere patrium solum erat oppidum dioecesis Bononiensis, in quo ortus est Franciscus.

Sed peculiari consideratione digna est circumstantia illa, quod filius jam ad locum originis rediit ibique instructis aedibus consedit, bona haereditatis sibi delatae possidens. Videndum quippe est, an praesens domicilium cum prisca origine conjunctum praeferri debeat domicilio antea quidem contracto Ferrariae, sed quod filius jam dereliquit et abdicasse videtur; adeoque perpendendum, utrum Franciscus hodie retineat subjectionem, quam pristinum domicilium ei tribuerat erga Episcopum Ferrariae, an vero ea sublata per domicilii mutationem nunc ille soli Archiepiscopo Bononiae subditus sit et ab eo solum promoveri ad Ordines legitime valeat. Qua tamen in re animadverti opportet, quid habeat momenti, Franciscum filiumfamilias esse patriaque potestate illigatum, ac praeterea usumfructum haereditatis, quam in oppido *Cento* ipse Franciscus est assecutus, ad Patrem Ferrariae commorantem ex juris civilis praescripto pertinere.

Caeterum posse filiumfamilias post pubertatem domicilium sibi constituere et domicilii jura nancisci ubicumque voluerit, etiam seorsum a patre, aperte habetur in *L. Placeat et l. Non utique ff. ad municipal.* Potest quis tamen plura habere domicilia juxta *Text. in leg. Ejus qui §. 1. et in l. Labeo ff. ad municip.*, ideoque possent fortasse in Francisco duo considerari domicilia, aliud scilicet proprium, paternum alterum, quippe quod filio communicatur per Patrem, ad *text. in l. Assumptio §. Si filius ff. ad municipal. l. filios cod. de municip. lib. 10.* Habenti autem duo domicilia licet Ordines ab utriusque loci Episcopo suscipere, quemadmodum et obtinenti duo beneficia in diversis dioecesibus, ut probat Antonell. *de regimin. eccles. lib. 2. cap. 1. et 14. et de loc. leg. lib. 1. cap. 4. num. 30*, Pax Jordan. *lucubr. lib. 3. tit. 6. num. 65*, *Ricc. in prax. eccles. par. 1. resol. 275.*, *Passerin., in cap. cum nullus de temp. Ord. in 6. qu. 1. art. 2. n. 35. cum duob. seq.*, Barbos. *de Episc. par. 2. alleg. 4. num. 37. et seqq.* Id quod tamen intelligitur, si par et aequa sit conditio utriusque domi-

Porro si cuique licet figere domicilium ubi velit, videri Alexium domicilium contra-

xisse in loco ubi munere professoris fungeretur longe a suis, dioecesi adhuc post divisionem subjecta Archiepiscopo N. Ex diutina enim habitatione factum et animum ibi domicilium constituendi habuisse affirmari posse, quod satis est ad contrahendum domicilium ex *l. 20. ff. ad municipal.* ibi: »*Domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione.*« Eo magis, quod Alexius, ipso fatente, »ordinatus fuerat ea intentione, ut maneret subjectus Archiepiscopo et tempore erectionis dioecesis professor erat, quod semper fuit et etiam nunc est sub potestate praedicti Archiepiscopi.« Quare et factum et animum contrahendi ibidem domicilium non defuisse.

Denique facta etiam hypothesi Alexium non contraxisse domicilium in loco ubi hactenus degit, animadversum est integrum sibi esse ibidem manere neque cogi posse a novo Episcopo G., ut ab eo loco recedat: ratio quae adducebatur haec est: quod clerici, qui nulli certo loco sunt adscripti vel nullo beneficio ecclesiastico donati, possint e dioecesi discedere, Episcopo quoque invito, juxta resolutionem s. Congregationis Concilii in *Ariminen.* die 5. Decembris 1574, qua edictum fuit: »*Clericum, qui certo loco non est adscriptus, ab Episcopo suo invitum non posse retineri, ne a sua dioecesi recedat et alibi parochialem accipiat.*«

Quod quidem majori ratione locum habere in themate, in quo agitur de dioecesi in duas partes nunc divisa, in qua divisione unicuique liberum esse debere eo loci permanere, ubi tempore divisionis degat, prout contingere solet in regimine politico, cum aliqua regio ab unius ad alterius Principis jurisdictionem transit.

EA QUAE CONTRA ALEXIUM SUNT ADNOTATA.

Sed iterum adversus haec, quae Alexio suffragabantur, est in contrarium animadversum: Licet vera sint quae de domicilio superius sunt adnotata, verum tamen quoque esse, neminem posse voluntate sua ab origine propria eximi, juxta *l. 4. C. de munic. et orig.* ubi singillatim legitur: »*Origine propria neminem posse voluntate sua eximi, manifestum est.*« S. Tribunal romanae Rotae huic juris principio inhaerens firmiter tenuisse originis domicilium non amitti ex habitatione in alio loco, praesertim si in loco originis et domum et bona quis retineat, *Recent. decis. 364. n. 7. par. 13. et decis. 364. n. 5. par. 6. t. 1:* immo edixisse quoque, nunquam praesumi renunciatum originis domicilium nisi per expressam declarationem momento migrationis factam, aut per longi temporis cursum, qui debeat excedere decem annos, *Recent. decis. 589. n. 19. par. 5. t. 2.*, Fagnanus in cap. *Significavit, de parochiis n. 9. 10, 11*, distinguens domicilium mansionis a domicilio originis haec ad rem tradit: »Nota ex hac decretali duos praecipuos effectus translationis domicilii. Primus est, quia per hujusmodi translationem quis subtrahitur jurisdictioni prioris Episcopi, *cap. Proposuisti* . . . atque ita jurisdictio, quam quis habet in incolas et advenas ratione domicilii, expirat eo ipso quod incola inde discedat, adeo ut in talem recedentem non possit postea jurisdictionem exercere.

Secundus effectus est, quia jurisdictio episcopalis transfunditur in Episcopum loci, ubi constitutum est domicilium, ita ut sicut dominus temporalis acquirit jurisdictionem in incolam . . . ita et dominus spiritualis . . .

Adverte tamen, quia primus effectus abdicationis jurisdictionis a primo Episcopo vindicat sibi locum, *si is, qui domicilium transulit, non erat ibi alias oriundus*, ut in casu hujus decretalis. Nam isti non erant oriundi e regno Hierosolymitano, sed elegerant ibi mansionem. Unde cum non essent subjecti illis Praelatis nisi ratione

cilii, veluti si quis duobus in locis habitet pari anni parte; nam alioquin, si unum domicilium sit praestantius et praecipuum, hoc debet attendi, ut explicant ipsi doctores mox citati. Sic pariter ubi quis in una dioecesi habeat beneficium simplex et in altera beneficium residentiae legem imponens, praeferendus est in Ordinatione Episcopus hujus loci, quia ad rationem beneficii accedit ratio domicilii, ut censet Antonell. *de regim. eccl. d. lib. 2. cap 1. n 22.* (Vd. *t. II. p. 970. II. etc.; 999. XVII.)*

Verum in peculiari hac hypothesi difficultatem facit, quod si Franciscus discessisset Ferraria animo illuc revertendi, tunc sane dici posset illum retinuisse paternum domicilium, quamvis per aliquot annos inde abfuerit, ac per consequens eum posse ad Ordines promoveri ad Ordinario ejusdem paterni domicilii, ut in his terminis loquitur Navarr. *conf. 3. de tempore Ordin. lib. 1.* At contra valde urget, quod Franciscus ea mente se contulit ad oppidum *Centum*, ut ibi deinceps vitam traducat perpetuoque consideat. Itaque omnino dimisisse videtur paternum domicilium sibique novum alibi constituisse. Filium vero non ab Episcopo paterni domicilii, sed ab Episcopo domicilii proprii esse Ordinibus initiandum probat Pignatell. *consul. 180. n. 64. tom. 9.*«

domicilii, ipso translato in nihilo remanserunt subjecti, cum prorsus cessaverit causa subjectionis . . . *At secus est in subjecto ratione originis, quia etsi alio domicilium transferat, non tamen propterea eximitur a jurisdictione naturalis domini, nec quoad spiritualia nec quoad temporalia.* De spiritualibus est textus in cap. *Cum nullus, de temp. ordin.*, ubi patet, Episcopum posse Ordines conferre oriundo ex sua dioecesi, licet alibi domicilium habeat. Quod si ordinare potest, ergo et judicare, cap. *Nullus*, et ibi Glossa *fin. supra eodem.* Similiter hic poterit conveniri in loco originis . . . Nam civilitatem ratione originis non potest quis sola voluntate a se abdicare, cum naturalia sint immutabilia . . . *Itidem remanet hic subjectus quoad onera personalia. Ideoque si extrahatur ad aliquod munus in loco originis, tenebitur illud subire, licet habeat alibi domicilium, quoniam incola est adstrictus muneribus et oneribus tum loci tum domicilii tum loci originis* ut in dicta *l. incola etc.*«

Si itaque domicilium originis nunquam amittatur quoad nonnulla spiritualia, inter quae subjectio quoad potestatem ordinandi, et neque renunciatum ejusmodi domicilium quoad cetera omnia praesumatur, nisi aperte constet, Alexium subjectum adhuc plene manere dicendum esse Episcopo G. suae originis, quum nullimode constaret, originis domicilio renunciasse. Immo contrarium constare dicebatur, quum deesset diutina commoratio cum laribus rerum ac fortunarum suarum summa; quandoquidem et domum et bona in loco suae originis possideret ubi ejus parentes degebant.

Post haec nullius momenti esse dicebantur, quae ab Alexio de sua intentione deque optione in divisione dioecesis facienda asserta sunt: simplices enim erant assertiones, quarum prima etsi vera destituebatur facto realis domicilii; quarum altera in clerico, auctoritati ecclesiasticae legitimo titulo colligato, erronea erat. Non enim quae jure civili in bonum communis ordinis permittuntur repeti possunt de ecclesiarum ministris, qui multo strictioribus vinculis suis ecclesiis seu dioecesibus colligantur.

Ad ea vero, quae ex adverso sunt adnotata de clerico nulli ecclesiae dioecesanae seu pio loco adscripto, qui invito etiam Episcopo proprio parochiam extra dioecesim recipere potest, non erat necessaria in themate responsio. Namque in praesentia agitur de subjectionis fundamento, quod, ut ita dicam, est radix jurisdictionis in certos clericos certosque fideles. Non enim ad primariam sed ad secundariam quaestionem pertinet inquisitio, an Episcopus cogere possit clericum proprium ad manendum in dioecesi vel, si extra dioecesim degat, an cogere eundem possit ad redeundum, si alicui dioecesanae ecclesiae ex qua saltem alimenta recipiat non sit adscriptus, quum nemo suis stipendiis militare cogi possit.

Ad rei tamen declarationem est animadversum, Concilium Tridentinum *sess. 23. de ref. c. 16.* vestigiis inhaerens Concilii Chalcedonensis statuisse: »*Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta synodus vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo statuit, ut nullus inposterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit ei Sacrorum exercitium interdicatur.*«

Eandem Constitutionem Tridentinam fuisse confirmatam et uberius declaratam pro Hispaniarum reguis ab Innocentio XIII. const. *Apostolici ministerii* die 13. Maji 1773 atque iterum a Benedicto XIII. Const. *In Supremo* die 23. Septembris 1724. *) atque

*) Benedictus XIII. in citata Constitutione ex integro refert et confirmat Constitutionem Innocentii, in qua haec inter cetera pro Hispaniis declarata sunt: Volumus ut pro tutiori ipsius conciliaris sanctionis executione ab omnibus regnorum Hispaniarum hujusmodi Archiepiscopis et Episcopis non alii ad primam Tonsuram inposterum admittantur, quam quibus ecclesiasticum aliquod beneficium statim conferendum sit aut quos constiterit literarum studio operam sic dare, ut quasi in via ad Ordines tum minores tum etiam deinde majores suscipiendos versari videantur, vel demum quos viderint expedire alicujus ecclesiae servitio vel ministerio deputari.

Et etiam in his, qui ad primam tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita nimirum, ut nullus ordinetur qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis quique illi ecclesiae aut pio loco pro cujus utilitate aut necessitate assumitur non adscribatur, ubi reipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. *Quod si modo reperiantur vel clericali tonsura jam initiati vel ad Ordines sive minores sive majores jam promoti, qui nulli certae ecclesiae vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem hujusmodi vel a seipsis vel a Praede-*

repetitam in Concilio romano sub Benedicto XIII. *tit. 6. cap. 2.* his verbis: »Clericali insuper tonsura nullus initietur, nisi eodem tempore ecclesiae illi adscribatur, pro cujus servitio debet ordinari. Si qui vero sint, etiam minoribus aut sacris Ordinibus insigniti, qui nulli certae ecclesiae fuerint adscripti, Episcopi adscriptionem hujusmodi, etiam a suis praedecessoribus omissam, suppleant et pro arbitrio servitium toties quoties opus fuerit praestandum designent: quam adscriptionem quoad eos, qui jam promoti extra dioecesim vel studiorum causa vel alia ab Episcopis probata commorantur, ad tempus ipsismet Episcopis benevisum differri posse indulgemus. Ita autem adscripti etsi clerici sint, etiam conjugati aut beneficia vel officia ecclesiastica non obtineant, ab ecclesiae servitio cui fuerint deputati festis diebus singulis, praesertim solemnioribus, ne absint, propria ibi munia obituri; alias ad altiores gradus promovendi non promoveantur et jam promoti Episcoporum arbitrio pro inobedientiae gravitate multentur. Crescente vero contumacia Episcopi ultra poenas a Tridentino Concilio indictas, post trinam canonicam monitionem*) contra inobedientes et contumaces procedant ad omnium usque privilegiorum clericalium privationem: servata in reliquis nupera super hoc constitutione nostra.

Indicabantur praeterea nonnullae veteres ss. Congregationum resolutiones a Pignatelli citatae de iis, qui alicui ecclesiae essent adscripti, qui juxta Tridentinam dispositionem sine expressa Episcopi venia discedere non possunt et si locum inconsulto Episcopo deseruerint Sacrorum exercitio possunt interdici. De hac re sic scripsit Pignatelli varias resolutiones ac opiniones referens *tom. 3. consul. 56. num. 2. 3. et 4*: »Si clericus ratione beneficii simplicis non potest cogi ad residendum propter generalem totius orbis consuetudinem, de qua Glossa *(citat auctorum catervam)* aliique communiter ex Garzia *p. 3. c. 2. n. 4. et seqq.* ubi ait sic fuisse decisum a s. Congregatione . . ergo multo minus quando non obtinent beneficium. Item quia in ecclesiis non curatis clerici non possunt prohiberi ne quo velint pergant.

Atque ita censuit s. Congregatio Concilii die 21. Januarii 1574 ad *sess. 6. c. 8. de ref.* cum hac tamen limitatione, nisi talis clericus sit adscriptus alicui ecclesiae, in qua se exerceat vel habeat beneficium requirens personale servitium, ex *sess. 13. c. 6.*, aut aliter statuto loci ab immemorabili tempore prohibeatur. Idem censuit s. Congregatio Episcoporum in *Senogallien.* 13. Augusti 1579 in *Civitate ducali* 6. Septembris 1593; in *Ostun.* 20. Januarii 1616 et eadem s. Congregatio Concilii in *Terracinen.* 19. Februarii 1628 et in *Ariminen.* cujus verba sunt ista: *Clericus, qui certo loco non est adscriptus ab Episcopo suo invitus retineri non potest ne a sua dioecesi recedat et alibi parochialem accipiat; adscriptus vero retineri potest invitus*, die 5. Decembris 1574. Itaque si sint adscripti servitio alicujus ecclesiae non poterunt discedere absque licentia sui Episcopi juxta Concilium Trid. dicta *sess. 23. c. 16.*. ubi decernitur, quod tales non debent locum deserere, inconsulto Episcopo, idest sine consensu Episcopi, prout haec verba exponuntur in cap. *Admonet, de Renunc.* et in cap. *Cum et plantare* §. *in ecclesiis, de privileg.* Quod si deseruerint, Sacrorum exercitium est eis interdicendum ad praescriptum sexti canonis Concilii Chalcedonensis, qui refertur in can. *Neminem* 70. et a Trid. synodo innovatur in dicto cap. 16. Unde admonet Fagnanus in dicto capite *Admonet, de renunc. n. 15: — cavendum esse a modernis collectoribus* (de Barbosa intelligit), *dum aliis relatis dixerunt, presbyteris et clericis non habentibus beneficium in titulum personalem residentiam requirens licitum esse ire quo velint et Ordinarium teneri eis literas commendatitias concedere. Quod est contra praecitatum Concilii decretum.* — Si autem nulli ecclesiae inserviant, poterunt ad libitum absque alia licentia discedere, cum sint sui juris nec alicujus servitio obligati sint, cum nullum obtineant beneficium, quod aliquo egeat servitio. Et in hanc sententiam olim propendisse s. Congregationem Concilii testatur idem Fagnanus.« *)

cessoribus suis omissam statim suppleant, non minus quoad omnes in majoribus Ordinibus, etiam presbyteratus, constitutos, quam quoad eos, qui sola prima tonsura vel minoribus Ordinibus initiati beneficium tamen ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut praefertur, vel sola prima tonsura insignitis vel in minoribus ordinibus constitutis, sed beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos ecclesiis suis utiles vel necessarios esse judicaverint « Vd. t. 11. p. 139. n. 10.

*) Vd. *t. II. p. 790. b.*

*) Barbosa *de offic. et potest. Episcopi alleg. 21.* agens de literis commendatitiis, quas clericus peregrinus exhibere debet, ut admittatur ad missam celebrandam in dioecesibus per quas peregrinatur,

Hisce itaque ad eruditionem potius quam ad necessitatem adductis proposita sunt resolvenda

D u b i a:

I. An et ad quas personas Episcopi jurisdictio porrigatur in casu?

II. An Episcopus jus habeat revocandi ad suam dioecesim Sacerdotem *(Alexium)* in casu?

S. Congregatio die 12. Augusti 1871 respondere censuit

Ad I: *Providebitur in casibus particularibus.*

Ad II: *Affirmative, dummodo Episcopus eidem provideat de congruo officio et beneficio.*

haec inter cetera scripsit *n. 4*: »Hae commendatitiae literae sunt obtinendae ab eo qui petentis clerici Ordinarius fuerit . . . Nec sunt denegandae ab Episcopo Sacerdotibus et clericis, qui non habent beneficia in titulum residentiam requirentia, prout etiam decisum refert Armendar . .; et iterum in s. Congregatione Cardinalium negotiis Episcop. et regul. praeposita decretum fuit, illos non posse revocare subditos ecclesiasticos alibi degentes nec eos cogere, sed teneri literas eis dare extra volentibus morari, si ratione beneficii non adstringerentur in sua dioecesi residere; dicit ita in causa propria obtinuisse Campanil. *in divers. juris canon. rubr. 9. c. 6. n. 4.* Sic etiam in facti contingentia respondisse asserit Aloisius Ricci *in praxi fori ecclesiastici decis. 598. in 1. edit. et resol. 524.*, ubi ampliat ad clericum obtinentem simplex beneficium, qui etiam non poterit cogi residere in dioecesi, ubi illud habet, sed poterit ire quo velit; et ita dicit in Rota decisum in *una nullius beneficii* 28. Maji 1604 coram Ludovisio nunc S. D. N. Gregorio XV. inter ejus impressas decis. 175.«

Haec refert Barbosa, neque video in quo sit reprehendendus: quae enim hic collegit conformia sunt cum iis quae superius ex Pignatellio exscripsi: et ipse Fagnanus, qui loc. cit. ad Barbosam allusionem faciens dixit, cavendum esse a modernis collectoribus etc., in fine ejusdem capitis *n. 37.* confirmat satis superque quae Barbosa scripsit: ibi enim Fagnanus excipit eos, qui in sua ordinatione permiserunt se adscribi et mancipari servitio alicujus ecclesiae pro cujus utilitate sint ordinati, atque his verbis prosequitur: »Unde non mirum si eo casu locum deserere non potest inconsulto Episcopo secundum canonem sextum Concilii Chalcedonensis ibi innovatum. Nos autem agimus de illis beneficiis, quae nullo egent servitio. Unde nulla subest ratio, cur provisi in eis inviti detineantur. Et in hanc sententiam olim propendit s. Congregatio Concilii, quamvis dixerit, hujus dubitationis solutionem proprie ad se non pertinere, sed petendam esse a jure communi.« Mihi videtur Fagnanus melius non posse confirmare, quae scripserat Barbosa, qui de iis adamussim scripsisse videtur, qui de beneficio non residentiali provisi, nulla ratio subest cur inviti detineantur.

Ex quibus colliges:

I. Fundamentum legitimi exercitii episcopalis auctoritatis in certum populum certumque clerum esse ipsum territorium dioecesanum, cui Episcopus canonice praesideat.

II. Quare omnes, qui cum territorio sint aliqua stabili ratione colligati, sive ratione originis et domicilii sive ratione tantum domicilii, obnoxios regulariter esse eidem episcopali auctoritati.

III. Accedente sacra Ordinatione aliud vinculum cum episcopali auctoritate obstringi, ita ut non solum ratione territorii sint clerici eidem subjecti, sed etiam ratione s. Ordinationis, qua membra evadunt dioecesanae hierarchiae.

IV. Fortius ejusmodi secundum vinculum esse, si clericus cum peculiari ecclesiastico officio seu beneficio, in bonum dioecesis erecto, colligetur.

V. Quare, ut clerici a vinculo auctoritatis episcopalis dioecesanae plene solvantur, necessarium esse, ut ostendant, se et a vinculo territorii solutos et a vinculo hierarchiae dioecesanae per sacram Ordinationem inducto.

VI. Primum vinculum solvi per aliud domicilium in aliena dioecesi constitutum, primo relicto; alterum vero solvi per Ordinarii licentiam dereliquendi dioecesim, sive ea sit expressa sive saltem tacita seu praesumpta. *)

VII. Ejusmodi licentiam, quae est quaedam excardinationis species, non posse ab Ordinario negari, quando clericus non sit alicui ecclesiae adscriptus juxta Tridentinam dispositionem,**) vel non sit aliquo beneficio donatus in bonum dioecesis constituto cujusmodi ea beneficia solent esse quae residentiam exigunt.

VIII. Manente uno alterove vinculo clericum posse a proprio Episcopo revocari in suae dioecesis servitium, ita tamen, aequitate canonica suadente, ut Episcopus clerico congrue prospiciat.

*) Quando nulla ratio subest, cur clerici inviti detineantur, haec licentia facile praesumitur, quum denegari ab Ordinario non possit si petatur: sic ex. gr. si clericus alio se transferat et domicilium in aliena dioecesi figat, Ordinario non reclamante haec licentia praesumitur concessa.

**) Haec Tridentina dispositio, desumpta ex veteri jure, non videtur fixisse radices et temporis lapsu evasit, in pluribus saltem locis, observatu fere impossibilis.

IX. Haec omnia regulariter valere etiam in dioeceseos divisione; novus enim Episcopus, in parte territorii eidem adsignata in ea omnia jura subintrat, quibus antea totius territorii Episcopus pollebat.

X. In themate Alexium neque solutum fuisse ab originis loco, quum saltem non constaret de translato domicilio, neque solutum fuisse per licentiam novi Episcopi (qui per divisionem proprius ejus Episcopus evasit) quum novus Episcopus expresse Alexium sibi vindicaret.

XI. Manente itaque utroque vinculo cogi posse, ut in eam partem territorii Alexius rediret ex qua originem sumpserat, ita tamen, ut per congruum officium et beneficium ei consuleretur.

16) Educatio.

Vd. *Clericus saecularis* (vitam communem etc. §: *Constitutiones juventutis etc.*); *Seminarium.*

17) Excommunicatio matrimonium contrahentis.

Vd. t. III. p. 918. I; supra 1289.

18) Excommunicatio clericum ad tribunal laicale trahentium.

Vd. t. III. p. 898. VII.

19) Excommunicatio clericum percutientium.

Vd. t. III. p. 910. II; *Clericus* (percussio).

20) Fructus et subsidia percipiendi facultas apostolica a gubernio laicali bona ecclesiast. arripiente.

LITTERAE APOSTOLICAE AD EPISCOPUM LICIENSEM.

PIUS PP. IX.

Venerabilis Frater.

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Qui jam ab ineunte Martio anni 1874 injustitiam reprobavimus editae postea mense Majo legis ausumque taxavimus laicae potestatis in ecclesiastica bona, deplorare nunc cogimur, praeter cetera detrimenta, quae jam tunc secutura praediximus, injuriam per illius legis exequutionem illatam Clericis ecclesiastico proventu gaudentibus et objectam inde difficultatem inopibus, quibus per eorundem proventuum resectionem consuli vellet. Equidem *Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere;* et aequissimum est omnino, ut *qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edant, et qui altari deserviunt, cum altari participient.* Id tamen ut rite perficiatur, opus est ecclesiastica auctoritate et in casu, de quo agitur, Romani Pontificis, qui non solum beneficia conferre, sed etiam, uti generalis sacrorum bonorum administrator,*) beneficiis iisdem et religiosis domibus onera imponere potest in pauperioris Cleri sustentationem. At ubi a laica potestate omni jure destituta legitimi ecclesiasticorum proventuum possessores immanibus gravantur tributis, si lex praeterea e reddituum reliquiis subsidia decernat in pauperes eroganda Clericos, cum aliena ecclesiastica bona sic pro lubitu transferantur in alios, patet, hujusmodi suppeditationes percipere non licere. Verum cum angustiae cleri ad inopiam redacti sit omnino prospiciendum et res, quatenus *extrinseco* laborat illegitimae potestatis vitio, licita fieri possit Auctoritate Nostra, merito sane, Venerabilis Frater, negocium istud ad hanc Apostolicam Sedem detulisti, ejus imploraturus opem: quod sane et a Coepiscopis tuis, qui in eodem casu versentur, factum iri non ambigimus. Itaque, consideratis adjunctis rerum et temporum, *potestatem tibi facimus indulgendi Clericis, quibus subsidia decernentur, veniam ea percipiendi libere et licite.* Ne tamen quis arbitretur illa sibi obvenire e saeculari auctoritate neve, quod ad tempus conceditur, in consuetudinem transire valeat et quamdam veluti praescriptionem inducere: tuum erit clericis ita adjutis praecipere, ut quotannis vel quolibet biennio eamdem a te veniam postulent ac praeterea iisdem atque etiam Gubernio significare, prudentiore qua censebis ratione, haec admitti subsidia non ex lege sed ex auctoritatis ecclesiasticae benigna concessione. Id vero fieri ad graviora tantum mala vitanda atque ut eorum conscientiae consulatur, qui jam subsidia isthaec a Gubernio indicta percipiunt. Cum autem prudenter animadverteris, fieri posse, ut qui jam ingentibus gravantur tributis, non modo fructuosorum bonorum nomine, sed etiam carentium plane fenore, imo et sumptu indigentium, opprimantur praeter ea irrogatione subsidii: poteris certe a Clericis, quibus illa aliquanto largius decernentur,

*) Vd. *t. II. p. 1095. XV.*

partem aliquam acceptae pecuniae repetere apud te deponendam. ut, ratione habita illati singulis detrimenti valeat a te, juxta aequitatis leges, contribuentibus reddi. Ceterum, cum in invalescente quotidie rerum difficultate copiosiore semper egeamus divino lumine supernaque virtute haec tibi affatim adprecamur caelestisque favoris auspicem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, universaeque Dioecesi tuae praecipuae Nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29. Maji 1876 Pontificatus nostri anno XXX.

PIUS PP. IX.

21) Habitus clericalis.

a) Delationis obligatio.

Vd.: *Sacerdos* (qualitas); *Clericus* (negotiator, usurarius; cohabitans p. 1289); *Perrucca*; *Beneficium* (decr.: *Ratisbonen* (t. II. p. 784. V.); *Bacchanalia*; *Coelibatus. Parochus* (correctio); *Choreae* t. III. p. 953; t. I. p. 1132. n. 1.: *Interamnen;* t. II. p. 144. n. 16; t. II. p. 181. n. 26. *Constit. Clement. XI.* dd. 7. Decb. 1706 (bullar. rom. t. VIII. p. 252. Ed. Luxenbg.)

Episcopus contra clericos non deferentes habitum postquam ter monuit potest illos privilegiis clericalibus privare, s. Congr. Immunit. in *Aquilana 5. Martii 1641*, in qua sic respondit Episcopo: »quod Clericis delinquentibus non incedentibus in habitu et tonsura non inservientibus Ecclesiis fiat praeceptum cum termino competenti sub poena privationis privilegiorum clericalium, quod si non paruerint poterit procedere ad illorum privationem serv. serv., qua sequuta gaudere non poterunt«, *lib. III. Decretal. Paul. fol. 139.* Et similiter decrevit in *Castrens. die 21. Martii 1645. lib. 3. decret. Paul. fol. 246.* et in *Anglonen. 15. Julii 1654.* Episcopus potest punire clericum delinquentem et requisita Concilii non habentem et tamquam laicum se habentem, etiamsi judex laicus praevenerit, a quo repetere possit, dummodo ille per declarationem a jure vel ab homine servatis servandis factam non fuerit privilegiis clericalibus denudatus. S. Congregat. Concil. 12. Nov. 1630. quam refert *Sperell. dec. 17. nr. 33. in fine*, ubi testatur, hanc resolutionem fuisse a Sanctissimo D. N. Urbano VIII. canonizatam et approbatam. Et hoc facit casus sequens:

Clericus primae tonsurae a die quo fuit ordinatus per 7 annos continuos non incessit in habitu et tonsura; immo inter dictum tempus exercuit officium judicis. Fuit a judice laico inquisitus, citatus et domi sistere jussus; sed arrepta fuga reassumptoque habitu coepit ecclesiae inservire.

Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari:

I. An iste clericus gaudeat privilegio fori?

II. An Episcopus possit judici laico fundanti super notarietate a reassumptione habitus in fraudem inhibere, ne procedat nec quoad personam nec quoad bona donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?

III. An saltem id possit visis literis primae tonsurae?

IV. An contra judicem laicum nihilominus non desistemtem possit procedere ad censuras?

V. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?

VI. An debeat?

Die 30. Maji 1676. s. Congreg. Concil. respondit ad omnia: Affirmative.

Habitum et tonsuram deferre tenentur clerici beneficiati non solum in sacris constituti sed etiam in minoribus et clericali tonsura insigniti sub poena privationis ipso facto ipsoque jure beneficiorum et pensionum absque ulla monitione ac judicis decreto, sed beneficia ipsa libere aliis conferri possunt et pensiones cassatae, extinctae dicuntur; Sixtus V. constit. 92. incip.: *Cum Sacrosanctum**). Habitum decentem atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus vel pensiones ex beneficiis ecclesiasticis excedentes valorem 60 ducatorum auri de camera. Idem Sixt. V. in dicta constit.: *Cum Sacrosanctum.* Habitum dimittens clericalem potest illum reassumere**) non obstante irregularitate superveniente et Ordinarii prohibitione. S. Cong. Concil. in *Mazarien. 27. Julii 1630.* et in *Regien. 29. Novbr. 1693.* apud *Monacell. supplement. ad t. 2. n. 199.* Clericalis vestis laicis curialibus permittitur praeter collare, quod sit a collari clericorum diversum, Bened. XIII. in Concilio romano *tit. 16. cap. 4.*, ibi: »Laicis vero curialibus cum

*) Vd. *t. II. p. 147.*
**) Vd. *t. II. p. 393 IV.*

saepe sit eis in palatio nostro apostolico versandum saepissime etiam cum Cardinalibus et praelatis agendum togam clericalem nigram communem facimus et collaria clericorum propria sive rotunda sint formae sive quadratae penitus prohibemus eisdem et prohibita jam sibi esse sciant tenore servato nostri edicti die 22. Januarii 1725. expediti«.

Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassumptionem habitus clericalis et Episcopus procedat prout de jure. S. Cong. Immun. in una *Civitatis Ducalis 10. Martii 1699.* Clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio quoad personam tantum. Cong. Immun. in *Gravinen 1. Julii 1699.*

Item Clericus, qui post renunciationem clericatus inquisitus a curia laica denuo reasumpsit habitum gaudet privilegio quoad personam tantum, s. Cong. Immun. in *Spoletana 20. Nov. 1696.*

Similiter clericus, qui per duas vices renunciavit privilegio clericali et ista renunciatio acceptata fuit ab Ordinario potest denuo reassumere habitum, s. Cong. Immun. in *Marsicen. 22. Apr. 1692.*

Inquisitus de pluribus delictis et obligatus ad ratiocinia ob officium Syndici communitatis de consensu Episcopi reassumens habitum clericalem licet habeat uxorem et filios gaudet quoad personam, non quoad bona, s. Cong. Immun. in *Sorana 2. Junii 1693.*

Item gaudet privilegio fori clericus reassumens habitum postquam exercuit officium Notarii, administravit publicum archivium ac alia officia laicalia, s. Cong. Immun. in *Narnien. 30. Sept. 1698.*

Clericus conjugatus soluto matrimonio rite potuit reassumere habitum cum decreto Episcopi; s. Congr. Immun. in *Anglonen. 19. Aug. 1698.*

Archiepiscopo injungitur, ut adducat rationes cur denegat reassumptionem habitus clericalis, s. Cong. Immun. in *Tranen. 2. Dec. 1692.*

Quidam Episcopus denegans seu impediens reassumptionem habitus adduxit sequentes causas:

I. Quod toto tempore habiti matrimonii cum Virgine et unica non incesserit in habitu.

II. Quod non posset promoveri ad superiores ordines ob imperitiam et podagrae morbum.

III. Quod non reddiderit rationes administrationum locorum piorum juxta ordines Episcopi.

IV. Quod exercuerit macellum et laridariam.

V. Quod esset usurarius.

At cum primae tres causae militent in promovendis, non in promotis. duae autem ultimae non justificentur, s. Cong. pronunciat.: *Orator utatur jure suo quoad reassumptionem habitus.* Sac. Cong. Immun. in una *Civitatis Ducalis 13. Jan. 1699.*

Clemens PP. IV. pro ecclesia Aniciensi.

Omnes tam Canonici quam clerici quicumque praedictae ecclesiae in choro cum divina officia celebrabuntur in stando et sedendo honeste se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo gestum congruum, faciem et corpus honestum ostendant.

Extra chorum infra ipsam ecclesiam nullus clamare, rixari seu inverecunde ad invicem vel cum mulieribus seu aliis inhonestis personis confabulari audeat nec per viam currere seu currendo transire.

Stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil amodo percipiant in his quae altaribus ecclesiae offerunt peregrini nec ad ipsa altaria eos ducant nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando maxime inducant seu attrahant ad ipsius ecclesiae altaria vel capellas.

Nec Canonici nec clerici quilibet cum habitu ecclesiae claustri limites transgredi praesumant nec per claustrum seu villam sine cappa vel mantello extra hospitium incedant nec publice per villam Canonicus sine clerico vel alia honesta persona nec clericus sine socio nec ibi in carreria seu platea publica sine competenti habitu stare seu sedere praesumat.

Nullus Canonicus vel clericus quilibet sine cappa vel mantello, argando seu tabardo per civitatem Aniciensem audeat equitare nec manticam seu torseriam post se deferre.

Portantes de novo amodo superpellicium in ipsa ecclesia habeant raubam novam ad minus scilicet superpellicium et cappam ecclesiae si ibidem voluerint residere.

Ipsi clerici vel Canonici cum habitu ecclesiae palam non deferant chirothecas nec caligis albis utantur nec supertunicalia scissa seu partita a latere deferant nec cappas quarum capucia alterius coloris existat nec cum capellis seu coffiis lineis apparentibus incedant ibidem.

Canonici vel clericus aliquis ipsius ecclesiae Aniciensis tabernas non intret nec domos eis contiguas causa in eis potandi seu comedendi et maxime mense Augusti juxta abusum antiquum.

Caligis rubeis maxime tempore paschali pannis de serico transgulatis seu reatis amodo non utantur nec annulos publice deferant nec choreas*) cum laicis aut mulieribus intrare praesumant.

Ille qui institutus est ad pulsandas campanas campanilis majoris ecclesiae memoratae novas etiam teneatur pulsare campanas horis debitis et diebus juxta ipsius ecclesiae observantiam et arbitrium duorum honestorum virorum quos ad hoc dictum capitulum duxerit deputandos, ipsorum nihilominus arbitrio, si circa hoc negligens aut rebellis extiterit, puniendus.

Librationes superpellicei ipsius ecclesiae quas amittent Canonici vel clerici quilibet ejusdem vel alii in dignitatibus constituti incidentes in poenam juxta ordinationem praemissam, chori servitio deputentur, recipiendae per illos quibus cura recipiendi denarios dictis deputatis distributionibus committetur. Librationes vero claustri quas amittent Canonici vel in personatibus constituti ipsorum specialibus distributionibus applicentur.

Quicumque sive Canonicus sive clericus vel in dignitate seu personatu**) quolibet constitutus in poenam amissionis librationis claustri vel superpellicei in toto vel in parte incidens juxta ordinationem praesentem, eam ex certa scientia receperit seu recipi fecerit vel recepto pro ipso ab alio libratoribus non restituerit quam primum, habebit certificatus super hoc facultatem, ex tunc per mensem ab ingressu ecclesiae et perceptione librationis superpellicei, sit ipso facto suspensus nisi legitime monitus restituerit et omni beneficio ipsius ecclesiae spolietur.

Dat. Viterbii IV. Nonas. Junii 1267.

(Bull. r. t. IX. p. 76. Ed. Luxbg.)

*) Vd. *p. 953.*
**) Vd. *t. II. p. 522 notam.*

Literae PP. Pauli IV. et Pii IV. per quas statuitur clericos principatus Cataloniae et comitatus Rosilionis in habitu et tonsura incedere debere, alias privilegio clericali non gaudeant, valent et intelligi debent juxta terminos capit. VI. sess. XXIII. Concilii Trid.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exposito alias fel. rec. Paulo PP. IV. Praedecessori nostro pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici, quod, licet juxta canonicas sanctiones clerici habitum et tonsuram clericales honeste deferre, alias privilegio clericali minime gaudere deberent, verum in principatu Cataloniae et Rosilionis et Ceritaniae comitatibus eidem Philippo regi subjectis dictorum clericorum sine habitu et tonsura hujusmodi incedentium tanta inoleverat delinquendi licentia seu potius insolentia, ut nulla fere in principatu et comitatibus praedictis homicidia, rapinae, asassinia et alia atrocia crimina committebantur, quorum aliquis clericus auctor vel particeps non existeret; idque ex eo provenire credebatur, quia dicti clerici, cum per curiam saecularem coerceri et a judicibus ecclesiasticis poena sanquinis affici non possent, juxta exigentiam delictorum non puniebantur et propter eorum impunitatem crescebat in eis peccandi libido et facilitas veniae innocentibus delinquendi occasionem praebebat et alii impunitatis hujusmodi exemplo ad similia faciuora perpetranda invitabantur.

§. 2. Dictus Praedecessor ipsius Philippi Regis supplicationibus in ea parte inclinatus venerabili fratri Salvatori Episcopo Clusinensi et suo apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum tunc Nuncio per suas in forma brevis literas commisit et mandavit quatenus *omnes et singulos tam conjugatos quam alios simpliciter tonsuratos et minorum ordinum clericos non conjugatos nullum beneficium ecclesiasticum obtinentes in principatu et comitatibus praedictis pro tempore existentes per edictum publicum in cathedralibus et metropolitanis ecclesiis* principatus et comitatuum hujusmodi, dum inibi populi multitudo ad divina audienda conveniret, alta voce denunciandum et in valvis dictarum ecclesiarum affigendum moneret et requireret ac moneri et requiri faceret ut infra terminum duorum mensium quos eis peremptorio termino et trina monitione canonica assignaret *de caetero vestem prolicam et birretum rotundum ac coronam*

more illarum partium presbyterorum saecularium honeste deferrent et sine armis offensivis incederent et si dicto termino elapso non deferrent et sic ut praefertur non incederent eos dem foro saeculari subjectos fore et tamquam laicos per curiam saecularem etiam usque ad vindictam sanguinis ultimique supplici poena puniri posse; et quod elapso anno ab edicto hujusmodi vestem et birretum ac coronam hujusmodi ad minus per sex menses ante perpetratum delictum detulissent probandi onus eis incumberet in dictis requisitione et monitione, eadem auctoritate decerneret.

§. 3. Fel. rec. Pius PP. IV. vero ad ipsius Philippi Regis supplicationem mandatum ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis literas praedictas per suas in forma brevis literas approbavit et innovavit illasque perpetuae firmitatis robur obtinere ac perpetuo inviolabiliter observari debere et quatenus literae dicti Pauli Praedecessoris tunc publicatae et executioni demandatae non essent per dictum Salvatorem Episcopum aut alium pro tempore existentem partibus illis suum et dictae Sedis Nuncium, illarum forma servata, juxta illarum tenorem et formam publicari et executioni demandari potuisse et debuisse decrevit, concessit et mandavit.

§. 4. Et quia ab oeconomico Concilio Trid. *sess. XXIII. cap. VI.* statutum et ordinatum existit quod nullus primae tonsurae initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus fori privilegio non gaudeat nisi beneficium ecclesiasticum habeat aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat vel in seminario clericorum aut aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur, in clericis vero conjugatis servetur constitutio Bonifacii VIII.: *Qui cum unici*, modo ii clerici alicujus ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati etiam ecclesiae serviant vel ministrent et clericali habitu et tonsura utantur, nemini quoad hoc privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante,

§. 5. Praefatusque Pius Praedecessor per alias suas sub plumbo literas quod omnes gratiae et concessiones in omnibus et singulis quibus illae statutis et decretis dicti concilii contrariantur ipso jure revocatae, cassatae et annullatae ac ad concilii hujusmodi terminos atque limites redactae essent et esse censerentur et secundum decreta dicti concilii tantum observarentur nec aliquid adversus dicta decreta et statuta apud aliquos permitterent nec in aliquo suffragari possent, sed ea perinde haberi et reputari debere ac si numquam emanassent, declaravit, statuit et ordinavit prout in singulis Praedecessorum literis et capituli concilii hujusmodi, quorum omnium tenores ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur pro expressis habemus, plenius continetur.

§. 6. Cum autem nuper praefatus Philippus Rex nobis exponi fecerit quod a nonnullis dictas priores literas Pauli et Pii Praedecessorum per concilium et posteriores literas dicti Pii Praedecessoris hujusmodi revocatas aut saltem moderatas et ad decretum concilii praedicti reductas fuisse haesitetur ad tollendam hujusmodi dubitationem nobis humiliter supplicari fecit quatenus dubitationem et haesitationem hujusmodi de benignitate apostolica tollere dignaremur.

§. 7. Nos igitur considerantes priores literas dictorum Praedecessorum, ut in eis contenta, statuta et ordinata justa, honesta et rationabilia esse, cum clerici ab illicitis et inhonestis se abstinere debeant ipsique clerici, qui clericali charactere illiusque privilegiis et immunitatibus uti, frui et gaudere desiderant, habitum et tonsuram clericorum prout presbyteri principatus et comitatuum hujusmodi deferre debeant, ipsius Philippi Regis asserentis in principatu et comitatibus hujusmodi presbyteros modo praedicto incedere consuevisse supplicationibus hac parte inclinati dictas priores literas, quarum veriores tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus haberi volumus pro expressis, a statutis et ordinatis in concilio hujusmodi neque per posteriores literas dicti Pii Praedecessoris revocatas esse sed tantum ad terminos et dispositionem dicti capituli VI. sess. XXIII. reductas esse et censeri debere in omnibus et per omnia, per praesentes auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine declaramus.

§. 8. Et ut priores literae Praedecessorum hujusmodi majorem firmitatem et robur obtineant, illas confirmamus et approbamus et inviolabiliter observari debere juxta terminos dumtaxat dicti capituli VI. mandamus et

si praefati clerici primae tonsurae non conjugati, beneficia ecclesiastica non obtinentes et conjugati, contenta in dictis prioribus literis ipsorum Praedecessorum, juxta ordinata et statuta in dicto VI. capitulo Concilii hujusmodi non observabunt et habitum et tonsuram prout clerici principatus et comitatuum hujusmodi deferre consueverunt et deferunt ut praefertur non detulerint, foro et immunitate clericorum gaudere et frui non possint, sed ut mere laici habeantur et reputentur et ut tales laici per judices saeculares prout in dictis prioribus literis continetur capi, carcerari, puniri et castigari possint et valeant.

§. 9. Et nihilominus venerabili fratri Archiepiscopo Rossanensi apud praefatum Philippum Regem nostro et Sedis apostolicae Nuncio mandamus quatenus priores literas Praedecessorum hujusmodi, illarum forma servata et juxta illarum tenorem et formam et juxta terminos dumtaxat dicti capitis sexti, ac etiam praesentes in ecclesiis praedictis publicare et executioni demandare faciat.

§. 10. Necnon venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis dicti principatus et comitatuum easdem praesentes et contenta in dictis prioribus ipsorum Praedecessorum literis ac capitulo et praesentibus observare illisque obedire et contra illas venire et reclamare non posse.

Clericis quoque tam regularibus quam saecularibus beneficia ecclesiastica obtinentibus vel in ss. ordinibus constitutis sub excommunicationis poena ne eisdem spectaculis intersint similiter prohibemus.

Datum Romae die 13. Octb. 1567.

(Bull. r. t. VII. p. 619. Ed. Aug. Taur.)

Gregorius PP. XIII.

Nos ipsius Philippi Regis Nobis in hac parte humiliter porrectis supplicationibus inclinati excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum in ipsius Pii Praedecessoris constitutione contentas poenas in eisdem Hispaniarum regnis quoad laicos ac fratres milites tantum quarumcumque militiarum etiam praeceptorias et beneficium ipsarum militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti fratres milites ss. ordinibus initiati non fuerint et agitationes taurorum festis diebus non fiant auctoritate apostolica tenore praesentium tollimus et amovemus.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Augusti 1575.

(Bull. r. t. VIII. p. 129. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Innocentius XIII. ad Episcopos Hispaniae.

Ad sartam tectamque servandam ecclesiasticam disciplinam non minus momenti habet, quod clericali militiae nomen dare non permittatur iis, qui haud satis idonei sint, quam quod eidem militiae jam adscripti laudabilem vivendi rationem sectentur eamque morum exhibeant innocentiam, quae sanctitati susceptii instituti respondeat multoque magis, quod abstineant ab iis quae a ss. canonibus jure meritoque vetita sunt, uti prorsus indigna hominibus tabernaculum Domini inhabitantibus et venerando Altaris ministerio dedicatis statuimus propterea atque decernimus, quod si qui sunt clerici aut prima tonsura aut ordinibus minoribus initiati nullumque ecclesiasticum beneficium possidentes, qui neglectis concilii Trid. decretis habitum clericalem ac tonsuram non deferant vel si etiam deferant non tamen certae ecclesiae aut loco pio cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint inserviant, sive in seminario ecclesiastico vel in aliqua schola aut universitate de licentia sui Ordinarii non versentur, Episcopi, nulla etiam praemissa monitione eos privilegio fori privatos declarent eorumque adscriptionem servitio certae ecclesiae antea factam deleri jubeant. Sique ii meliorem vitae rationem non inierint aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad ss. ordines sperari nequeat iidem, Episcopi servata forma a ss. canonibus tradita ad privationem aliorum clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur clerici capellanias vel beneficia cujuscumque etiam redditus obtinentes, quorum improba vita aliis offensionem praebens destruat potius quam aedificet vel concubinarii aut foeneratores vel ebrietati, ludisae alearum dediti vel satores rixarum vel negotiatores vel arma gestantes vel incertis sedibus vagantes vel clericalem habitum tonsuramque non deferentes vel ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum et vectigalium a laicis exemptis solvendorum temere abutentes vel qui demum similia aut majora crimina patrantes numero magis quam merito ad ecclesiam pertinere

visi fuerint, Episcopi praemissis tamen necessariis monitionibus servatisque aliis de jure servandis contra ipsos ad poenas a romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris et a ss. Conciliis impositas et etiam ad privationem beneficiorum, capellaniarum et ecclesiasticorum officiorum in omnibus illis casibus in quibus praedicta privatio a ss. canonibus imposita est humanis quibuscumque rationibus postpositis procedant, memores se ipsos neglectae subditorum emendationis condignas Deo vindice poenas persoluturos.

Dat. Romae die 23. Maji 1723.

(Bull. r. t. XII. p. 61. Ed. Luxbg.)

b) Delatio necessaria ad „privilegium fori" lucrandum.

Vd. *Clericus* (habitus — reassumptio — decr. diei 26. Apr. et 22. Aug. 1843); p. 1310. §: *Irregularitas* etc.

c) Depositio ab Ordinario decreta sed ab apostolica Sede non confirmata.

Tranen.

Cum per obitum clerici Vincentii Codignac beneficium die 18. Sept. 1852 vacasset tres de testatoris descendentia jus vocationis sibi ad invicem judicialiter contenderunt, nempe Dominicus Codignac, Felix Patroni de Griffi et Alphonsus Codignac, qui postremus nominationem a legitimis patronis retulisse fertur. Acta itaque lite coram civili Tranensi tribunali die 6. Apr. 1853 sententia prodiit, in qua Tribunal favore Felicis Patroni judicium tulit.

Huic acquievit Dominicus Codignac, a quo vero laesum se existimans alter competitor Alphonsus Codignac ad magnam quam vocant justitiae curiam provocavit. Interea vero temporis die 18. Jun. 1858 cum Felix Patroni penes episcopalem curiam se sistens postulasset facultatem sibi fieri clericalia munera in aliqua Tranensi ecclesia obeundi, nedum voti compos factus non est sed inimicum die 14. Julii tulit decretum hisce conceptum verbis: »Visa declaratione Felicis Patroni Griffi qua se jactat clericum hujus archidioecesis et literis Archiepiscopi Cosenza olim Administratoris hujus archidioecesis datis 5. Febr. 1847. Neapolim migrasse ad triennium, nunc vero se Trani velle consistere et alicui ecclesiae adscribi, visis actis nostrae curiae ex quibus constat praefatum durante studiorum triennio non exhibuisse attestationes super habitu et tonsura et servitio ecclesiae; elapso vero triennio a mense Februarii 1850 extra dioecesim sine licentia commorasse habitu clericali deposito, saecularibus vestibus indutum vitam prorsus saecularem duxisse usque ad initium curentis anni 1853. et demum tunc temporis sine licentia alternis vicibus arbitrio suo tum clericali tum saeculari habito indutum incedere, ad tramites constit. Sisti V. necnon concordati inter Bened. XIV. et Regem utriusque Siciliae declaramus praefatum D. Felicem Patroni Griffi ab anno 1850 clericalia privilegia amisisse ac propterea mandamus, ut habitum clericalem deponat sub poenis arbitrio nostro infligendis.«

Contra hujusmodi decretum continuo protestatus est Patronius illud nullitatis insimulans sub praetextu quod datum fuisset trina monitione*) posthabita, quam ss. canones requirunt; ast perperam; paucis enim post diebus die 26. ejusdem mensis alterum prioris confirmatorium prodiit decretum, in quo edicebatur »nullum adfuisse locum monitioni; nam non agebatur de clerico clericalibus privilegiis gaudente et poenam amissionis multando, sed vere de laico qui vita laicali vivens privato arbitrio suo temere clericalem habitum assumere ausus fuerat,« ac proinde statuebatur »remedium nullitatis non esse attendendum et decretum die 14. labentis Julii omni meliori modo pro rato et firmo habendum esse.«

Quapropter nil reliqui sibi esse duxit Patronius quam appellatione ab utroque decreto interposita ad s. Congregationem suas deferre querelas. Hinc magna Justitiae curia penes quam in gradu appellationis agebatur causa super beneficii pertinentia, interlocutorio edito decreto die 24. Augusti ejusdem anni, judicium differendum edixit post exitum appellationis ad s. Congregationem.

Remissae sunt preces ad Archiepiscopum Tranensem pro informatione et voto.

Cum de concordatione dubii actum esset non convenerunt partes. Proposito enim et a me subscripto dubio non acquiescens curiae seu Codignac procurator institit, ut in eo includeretur particula »Quomodo« ut resolutionis latitudo Emis Judicibus praeservaretur. In partium contradictione instantiam pro dubii reformatione s. Ordinis judicio subjiciendam censui.

*) Vd. *t. II. p. 790. b.*

Ad principem vero quod attinet controversiam qui Patronii partes tuetur evincere satagit decreta curiae Tranensis tum extrinsece tum intrinsece spectata nulla ac injusta esse renuncianda. Ac primo extrinsece, quia non servata juris canonici forma lata fuerunt. Statuit enim in jure clericis sive in majoribus sive in minoribus ordinibus constitutis nullam irrogari posse poenam, triplici personali ac distincta monitione canonica non praemissa, *arg. text. in cap. Reprehensibilis 26. de appell.* et *in cap. Statutum 13. eod. tit. in 6.* Quam quidem generalem juris dispositionem locum etiam sibi vindicare in clerico, qui nisi prius publice ac distincte ab Episcopo monitus fuerit non potest sui ordinis privilegiis orbari ac ad habitus dimissionem cogi, ex Conc. Trid. *sess. 14. cap. 6. de reform.* ac docent *Ferraris bibl. univ.* verbo: *Episcopus n. 73. ac sequ.* pluribus ibi cit. autoribus, *s. Alphonsus de Ligorio theol. moral. lib. 6. n. 827.* Ac in duriori casu statuit Benedictus XIII. in constitutione quae incipit: *In supremo militantis* diei 1. Octobris 1724. Quamobrem cum decreta de quibus agitur nulla praeeunte monitione atque ideo contra canonicas leges ac solitum judiciorum ordinem prolata fuerint haud suis consistere viribus, juxta censuram text. in *cap. 6. de reg. in jur. in 6.* et *in cap. 1. de sent. et rejud.*

Quin ad monitionis necessitatem excludendam opponi utiliter possit sive constitutio Sixti V. quae incipit *Cum sacrosanctum**) 9. Januarii 1589. sive concordatum inter Benedictum XIV. et Carolum III. utriusque Siciliae regem initum. Constitutio enim Sixtina loquitur tantum de clericis qui dignitate aliqua vel canonicatu, beneficio aut etiam pensione ecclesiastica fruuntur et habitum et tonsuram non deferunt, de quibus etiam verba facit altera Benedicti XIII. constitutio incipiens *Catholicae Ecclesiae.***) In themate autem de simplici agitur clerico qui sola donatus est tonsura ac nullo ecclesiastico beneficio adhuc fruitur, cui ideo aptari non possunt quae in praefatis constitutionibus statuta sunt. Accedit constitutionem Sixtinam nec ubique receptam teste *Reiff. Jus canon. univ. lib. 7. decretal. tit. 1. §. 3. n. 64.*, imo abrogatam fuisse a posteriori constitutione Benedicti XIII.: *In supremo militantis* 1. Octobris 1724 nec per eam clericos sui ordinis privilegiis privari aut habitum deponere cogi sed beneficia tantum aut pensiones ipsis auferri.

Concordatum autem cum *cap. 4. art. 8.* per verba futuri temporis clericalium privilegiorum amissionem clericis qui requisita in ea praescripta non adimplent minitetur, exinde arguit, poenam hanc non esse latae sed ferendae sententiae juxta ea quae de poenis per verba futuri temporis comminatis docet *s. Alphonsus de Ligorio theol. moral. lib. 7. n. 8. de censuris.*

Ad rem autem allegat auctorem operis cui titulus »Note sopra il trattato di accommodamento fra la s. Sede e la Real Corte di Napoli«, qui in *cap. 4.* quod respicit »i requisiti degli Ordinandi« art. VIII. conventionis illustrans sub n. 12. ac praesertim 35. hanc eandem agit quaestionem ac admonitionis necessitatem propugnat, tum quia per verba futuri temporis poena indicitur tum quia de omnium privilegiorum amissione (quae sane poena gravissima est) agitur.

Perperam autem ac contradictorie prorsus in secundo decreto edicebatur, opus non esse monitionibus, quia non agebatur de clerico clericalibus privilegiis gaudente ac poena amissionis multando sed vere de laico qui vita laicali vivens vestes clericales arbitrio suo assumere ausus fuerat. Id enim nedum veritati factorum repugnans deprehendit, cum constet, Patronium clericali tonsura usque ab anno 1844. donatum fuisse ac primo regio Neapoli, deinde Tranensi clero adscriptum, sed et cum priori decreto contradictorium, in quo in Patronium tanquam in clericum animadvertitur nimirum leges aptantur ecclesiasticae ac declaratur, eum privilegia clericalia amisisse.

Sed non solum ob canonicae formae defectum, sed etiam ob intrinsecam nullitatem infirmanda esse hujusmodi decreta secundo loco contendit. Tres enim amissionis privilegiorum causae afferuntur:

1. attestationes quotannis non fuisse exhibitas a Patronio super delatione habitus et tonsurae, super frequentia Sacramentorum et servitii ecclesiae.

2. Commoratum eum fuisse extra dioecesim elapso studiorum triennio absque Ordinarii licentia.

*) Vd. *t. II. p. 147.*
**) Vd. *t. II. p. 149.*

3. Arbitrarie vestes clericales eum reassumpsisse. Atqui amissionis privilegiorum poenam non incurri a clerico nisi gravissimi alicujus criminis, quod jure civili morte naturali plectendum esset, reus ordine judiciali servato probetur, arguit ex *Clementina V. in cap. dioecesanis 1. de vita et honest. cleric.*

Nihil autem ad rem facere vel Sixtinam constitutionem vel concordatum inter Benedictum XIV. et Carolum III. Quamvis enim Sixtina constitutio ad omnes indiscriminatim clericos extendi vellet, nihilominus haud amplius de tempore lati decreti attingere poterat Patronium, qui jam vestes clericales iterum assumpserat ac munera clericalia Neapoli obibat. Ex praescripto autem conventionis denegari quidem debebat Patronio Ordinarii declaratoria, nunquam vero laicus declarari poterat et ad habitum deponendum compelli. Ceteros demum casus, sive mansionis extra dioecesim absque Ordinarii venia sive arbitrariae delationis vestium clericalium, a Sixtina constitutione ac conventione omnino extraneos esse ac ideo sub earum censura non cadere in propatulo est.

Ed ad vestium reassumptionem potissimum quod attinet cautum in jure esse et communi opinione receptum, ut nimirum clericus habitum clericalem dimittens possit illum reassumere *), non obstante irregularitate superveniente et Ordinarii prohibitione immo etsi privilegiis suis valedixerit et renunciatio accepto habita fuerit ab Ordinario, uti inter ceteros diserte docent *Ferraris Bibl. univ. verbo: Habitus n. 53. et sequ. Reiff. lib. 3. decretal. tit. 1. § 3. n. 72, De Marinis Resolut. juris lib. 1. cap. 49. n. 1,* necnon Card. *de Luca in adnot. ad s. Conc. Trid. disc. 24. n. 36*, ibi: »Quamvis ubi de expressa dimissione clericatus agitur soleant Episcopi adjicere decretum ut habitus clericalis reassumptio nonnisi de ejus licentia fieri valeat attamen si de facto quis reassumat habitum et tonsuram ac inserviat in Divinis eo modo quo locorum consuetudo exigit, adeo ut impleri dicatur praedictus effectus vel finis a Concilio desideratus, adhuc reputandus erit clericus, cum non possit Episcopus vel alter Praelatus hanc facultatem tollere.«

In eandem porro sententiam concedit *Benedictus XIV. de synodo dioec. lib. 5. cap. 12.* ubi de monitionum necessitate verba fecit ac non obstante quacumque Ordinarii comminatione circa privilegiorum amissionem in clericos contumaces necessarium judicat, ut in singularibus casibus conficiatur judicialis processus super transgressione et contumacia ejus qui episcopali decreto non obtemperavit. Hinc monitionibus posthabitis vel judiciali ordine neglecto quempiam privari non posse monet jure resumendi habitum quo ceteroquin potiretur, unam hanc limitationem faciens »modo id non fiat in fraudem.« In fraudem autem fieri tunc praesumendum docet *Lib. 12. cap. 3. n. 1. et 2.* cum clericus habitum induit postquam a potestate saeculari comprehensus atque in carcerem conjectus ex eo se per fugam subtraxit, et praesertim vero si contra clericum agatur tantum civiliter seu ad solam poenam pecuniariam. Quibus positis sub n. 3. concludit, quod »cum clericus in minoribus constitutus possit pro lubitu ad statum ecclesiasticum reverti, reversus autem statim ac habitum clericalem quem abjecerat denuo induit, a jure communi ad omnia restituatur clericalia privilegia quae antea amiserat, ejusmodi constitutiones contrarium decernentes omni carere robore et efficacia et quod magis est praefatas constitutiones synodales semper irritas pronunciavit s. Congregatio Concilii.«

Ex quibus arguit orator factum dimissionis habitus haud privilegiorum privationem secumferre aut impedimento esse quominus clericus qui eos dimisit iterum induere valeat, sed id tantum exinde consequi, ut interea temporis quo laicali more incedit clericalibus privilegiis non fruatur. Nullo demum pacto ea obstare quae in Patronium objiciuntur, sive nimirum quod Congregationi clericorum alienarum dioeceseon Neapoli adscriptus non fuerit sive quod propositum militiae nomen dandi panderit sive quod inter socios academiae di musica e ballo fuerit cooptatus. Quae quidem non tanti facienda sunt, ut perpetua privilegiorum clericalium amissio exinde sequetur. Immo nec ipsum militiae exercitium prohibet, quominus clericus qui ei nomen dederat iterum vestes induat clericales ac privilegia clericalia recuperet, uti ad rem monet *Carena Resol. pract. 11. n. 16.* ac docet etiam *Benedictus XIV. de synodo dioec. lib. 12. cap. 2. n. 1.*

Contra haec faciunt quae Curiae defensor

*) Vd. *t. II. p. 393. IV;* supra *p. 1310.*

edisserit. Praemittit enim in facto Ordinarii relatione ac plurium testium depositione innixus, Felicem Patroni ab anno 1847 quo Neapolim studiorum causa migravit ac praecise ab anno 1850. usque ad annum 1853. publice ut laicum incessisse nec ullius ecclesiae servitio fuisse addictum, imo laicalem prorsus duxisse vitam ac militiae inhiasse; ex quibus nedum tacitam, sed expressam clericali statui renunciationem sive statum perfecte laicalem quinquennio durante satis comprobari contendit. Quibus praejactis probandum sibi assumit in jure, Felicem Patroni in vim concordati in regno Neapolitano vigentis ab anno 1850. amisisse privilegia clericalia et vestes clericales deponere debere sub poenis a ss. canonibus potestati Ordinariorum relictis, quod adamussim in curiae decretis statutum est. Cum enim in *cap. 4. art. 8.* concordati praecipiatur, quemlibet clericum documenta exhibere quolibet anno debere super adimplemento requisitorum quae concordatum praescribit, ut clericalibus privilegiis frui valeat in hanc profecto legis incidisse censuram infert Patronium, qui hujusmodi praescripta quinquennii spatio non adimplevit.

Quin officiat juris communis dispositio, qua statuitur, clericum non incedentem in habitu et tonsura amittere tantum privilegia sub dispositione juris communis; nam vires nullas habet jus commune, cui per specialem ac posteriorem legem, praesertim quae clausula derogatoria et irritanti munita est, derogatur, ad monitum *Fagnani in cap.: si quis de foro comp. n. 62.* Nec utilius oggeri ad spoliandum clericatu et privilegiis opus fuisse trina monitione et decreto. Spoliatus enim dici nequit, qui habitum voluntarie abjecit ac diuturno tempore laicali more incessit. Extante autem speciali lege, quae privationem adnexam facto imponat ac onus facti in clericos rejicit, non in Antistites, quos a solemnitatibus absolvit, dies interpellat pro homine ac ipso facto privatio juris incurritur juxta ea quae docet s. Congregatio *in Leodien Beneficii 1. Febr. 1766.* In quo sensu autumat defensor fuisse auctorem adnotationum ad concordatum, qui in *cap. 4. art. 8. n. 39. et seqq.* tenet declaratoriam absque ulla monitione ab Ordinariis denegari posse, quia scilicet, »non sono tenuti ad offrirla, e non esibendosi i requisiti, niuno ha diritto di domandarla.« Juri deinde accedere consuetudinem in Neapolitano regno, de qua testantur *Gagliardi de benef. eccles. cap. 22. § 13.* ac *Salzano Lezione del diritto canonico lib. 3. sez. 7. n. 140.* ac Collectio operis »Polizia delle leggi ecclesiastiche per Vito Giberti« Napoli 1845. t. 1. pag. 204. Atqui aequipolentia in themate haberi pro trina admonitione et decreto privationis in appositione tabellae quae quolibet anno subscribi ab Ordinario et evulgari publice debet in sacrario Cathedralis; quae quidem solemnitates monitionum loco sunt pro clericis quos legis onus ignorare non praesumitur.

Ex eadem porro legis dispositione arguit praeterea, vetitum esse regressum ad clericalem statum absque Ordinarii venia. Nam quia lex exigit pro fruitione privilegiorum, ut quis in suo munere perseveret, in album recipiatur et declaratorias obtineat, haec requisita non erunt in potestate ejus qui ab albo recessit, declaratoriis caret atque ideo privilegia amisit, sed opus est nova hominis dispositione seu ordinario decreto, quod in clericum iterum laicum virum recipiat. Urget praeterea. jure quoque universali inspecto Patronium omnia amisisse clericalia privilegia durante tempore laicalis incessus. Ac primo amissionem privilegiorum fori et canonis probat ex *cap. 1. de Apostatis*, juxta ea quae ad hoc caput edisserit *Gonzalez.* Quoad privilegia ac jura cessionis ad beneficia rem conficit auctoritate *S. Rotae decis. 353. n. 3. part. 15. et decis. 304. n. 9. part. 17. rec.*, s. Congregationis in *Eugubina Canonicatus 2. Junii 1770* §. *Immerito;* in quibus statuitur qualitatem clericalem non habitu sed actu requiri sive vocationis sive praesentationis sive institutionis tempore, nimirum juxta variam temporum distinctionem ad quae verba in fundatione adhibita referuntur. Quoad cetera demum privilegia perspicua sunt quae tradit *Fagnanus in cap. Odoardus de solutionibus n. 24.* quod scilicet clericus qui abjecto clericali habitu gerit se publice pro laico »in omnibus reputatur ut laicus et omni privilegio clericali nudatus remanet«. Quod quidem eo vel magis obtinere in themate ob expressum a Patronio propositum militiae assequendae, unde statum clericalem pro derelicto habuisse censendus est: propositum enim hujusmodi satis esse ad clericalia privilegia amittenda, quamvis effectus sequutus non fuerit, evincit ex his quae ad rem edisserit *s. Rota in Perusina Pensionis cor. Herrera apud Fargna part. 2. can. 27. cap. 2. n. 17,* quia nempe »Vis non stat in actu exercito, qui mere accidentaliter se habet, sed

in actu primo, hoc est in dimissione status clericalis pro assumptione cinguli, per quem actum quis potentialiter propositum et animum inducit saeva exercendi quando casus evenerit«. Eademque tradit *Fagnan. cap. Contingit de sentent. excomm. n. 16.*

Manifesta eapropter injustitia laborare civilis Tranensis tribunalis sententiam, quae beneficium Patronio adjudicavit. Nam cum ex lege fundationis*) status clericalis de tempore vacationis requiratur, in quo, vacatione beneficii obveniente, actu non versabatur Patronius, praesertim vero, quia ex lege concordati regressus non a die reassumptionis habitus sed a die praesentationis in curia considerari debebat, hinc praelatio danda erat Alphonso Codignac qui prior sequuta vacatione ad statum clericalem pervenit, aetate praestat Patronio et Patronorum nominationes obtinuit, juxta ea quae ad rem tradit *Piton. disc. eccl. 13. n. 39.* et passim *Rota* uti in *Volaterrana Beneficii cor. Crispo n. 22. et seqq.*

Ad alteram deinde quaestionis partem digrediens probandum assumit per arbitrariam vestium clericalium reassumptionem non dari Patronio regressum retroactivum pro recuperatione privilegiorum clericalium in annis laice transactis, neque iisdem post vestium reassumptionem frui nec tandem obsistente justis de causis Archiepiscopo eidem fas esse vestes clericales retinere adeo ut cogendus sit eas deponere sub poenis canonicis. Ac primo ex reassumptione habitus effectum retroactivum non dari, praesertim quoad successionem ac vocationem ad beneficia, manifesto inferri ex iis quae superius disputata sunt; quandoquidem necesse omnino est, ut tempore successionis in nominatione directa ex fundatione quis clericus sit actu, alias collatio et possessio nulla erit, uti in terminis firmat *Garcias de benefic. part. 7. cap. 1. n. 18.* Atqui nec amissa privilegia recuperari, si clericus tacite vel expresse privilegiis renunciaverit ac vestes clericales iterum induat invito et contradicente Ordinario. Hinc ad trutinam revocatis auctoribus, qui contrariam sententiam tueri videntur, animadvertit, eorum opinionem haud causam amplecti, quo rationabiliter reassumptioni status obest Ordinarius vel clericus renunciaverit tacite vel expresse statui clericali uti in themate. Quo quidem in sensu intelligendum putat Benedictum XIV. ceterosque auctores qui ex adverso afferuntur; ac praeterea rationes eos habere tantum ad fori privilegium, in favorem personae, quibus clericus renunciare potest uti patet ex *Sperelio decis. 26. n. 8. et 19.* Demum falsa eos niti ratione cum potestatem reassumptionis tribuunt characteri seu ordini: nam etiam bigamus characterem in animo servat, quin tamen habeat, stante impedimento, regressum ad statum clericalem propria auctoritate.

*) Vd. t. *II. p. 185. n. 27.*

Hanc eandem quaestionem expendens *Card. de Luca in supplemento ad disc. 33. de jurisd.* haud sibi probandam censet relatam doctorum opinionem ob indelebilem characterem in anima impressum: »Quoniam quidquid sit inquit de puncto an sola tonsura quae non est ordo sed solum introductio ad ordines inducat istam characteris impressionem, ubi etiam admittenda sit opinio affirmativa, videtur hoc intelligendum, ut fieri id debeat servatis servandis, cum consensu scilicet seu licentia superioris«. Exemplum afferens militiae terrestris: »Quia clericatus dicitur militia coelestis, quod militi dimisso vel discedenti a militia non licet absque consensu ducis pro libito ad illam redire«. Atque alteram addit correlativorum rationem inter subditum et superiorem: »quia Episcopus non potest eum cogere ad reassumendum habitum et statum clericalem et Episcopus cogeretur ad illum in clerum recipiendum.«

Ultimo loco universa haec quae hucusque disseruit in unum colligens atque perstringens firmat defensor ex doctrina ejusdem Card. de Luca in voto quod requisitus ab hac s. Congregatione scripsit ac retulit in *supplem. t. 16. de jurisd. disc. 112.* in quo autor de articulo generali privilegiorum ex jure edisserens probat primo ex *cap. Ad audientiam de sent. excomm.* et ex *cap. unic. de vita et honest. cleric. in 6.* clericum non incedentem in habitu clericali omni clericali privilegio destitui. Deinde distinguens clericos in sacris ab illis in minoribus docet s. Sedem ad Principum saecularium petitiones, de quibus plura affert exempla, relaxasse et dispensasse quoad secundos requisitum trinae monitionis »praesertim vero« inquit »ad petitionem Regis catholici pro Neapolitano regno Clemens VII. 1524. distinguendo clericos in minoribus ab illis in sacris quoad primam speciem, neglecto dicto requisito trinae monitionis, mandavit per edictum generale non incedentes inposterum declarari omnibus privilegiis privatos . . .; idemque postmodum concessum a Paulo III. in regno.« Post haec pluribus recensitis casibus, ut clarius explicet quando et quae privilegia allegari possint, distinctione adhibita in conclusione declarat, quaenam sit dispositio juris, sub qua cetera privilegia nimirum praeter illud fori, quod clericus non incedens amittit ex decreto Conc. Trid. *sess. 13. cap. 6. de reform.*, remanere dicuntur, ibi: »Concludamus itaque pro meo judicio praesupposito quod non delatio habitus et tonsurae non sit accidentalis seu ordinaria et continua, quodque agatur de clericis in minoribus, in omnibus iis quae citra commodum privatum mali clerici concernunt utilitatem superioris et favorem Episcopi vel ordinis ecclesiastici firma remanere privilegia. In iis vero quae concernunt commodum et interesse privatum ipsius clerici allegantis in sui favorem illum statum clericalem, quem ita sprevit atque factis non habere professus est, et tunc secus, ut quemadmodum non gaudent majori et potiori privilegio fori, ita neque gaudere minoribus, quod reciso capite languescant omnia membra.«

Quamobrem rite sapienterque concludit defensor in curiae decretis declaratum est Patronium ab anno 1850. clericalia privilegia amisisse et ideo habitum deponere debere sub poenis arbitrio Ordinariorum permissis a jure. Praesertim vero, quia non sine consilio ac ratione sed justissimis de causis ad clericalem statum regressus eidem interdictus est, quas quidem causas in sua relatione Antistes recenset atque enucleat. Quibus hinc inde perpensis rogantur EE. PP. respondere ad

D u b i u m:

An decreta curiae archiepiscopalis Tranensis dierum 14. et 26. Julii sint confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.:

Negative ad I. partem, affirmative ad II.

Die 29. Apr. 1854.

Continuatio.

Contra hanc resolutionem iterum audiri postulavit obtinuitque curiae defensor simulque institit, ut in nova propositione alterum adderetur disputandum dubium hisce exceptum verbis:

An privilegia clericalia Felicis Patroni Griffi toto tempore laicalis incessus praesertim ab anno 1850. ad mensem Junii 1853. remanserint suspensa in casu etc.?

Quam quidem petitionem utpote praxi et disciplinae S. H. Ordinis contrariam cujus in more positum est, ut causae in statu et terminis in revisione proponantur, admitti haud posse censui ac eam sapientissimo EE. VV. judicio subjiciens suetum edidi rescriptum: »Habebitur ratio in die propositionis causae.«

In curiae summario praeter novam facti ac juris allegationem de qua heic rationem habebo acta exhibentur processus super moribus Patroni Griffi exarati, ex quo mala ejus vitae ratio, praesertim ob turpem cum muliere quadam consuetudinem duobus abhinc annis habitam, nonnullorum testium fide probatur. Additur etiam edictum Archiepiscopi 1849. latum, in quo moniti sunt clerici omnes sub poena caducitatis, ut se praesentarent in seminario, cui non paruit Patronius, ac tabella affixa in sacrario 1859. in qua expunctum apparet nomen ejusdem Patroni. Momentum autem defensionis curiae Tranensis totum est in *cap. 4. art. 8.* conventionis initae inter s. m. Benedictum XIV. ac utriusque Siciliae Regem ex quo arguitur, clericos in Neapolitana ditione haud clericalibus privilegiis potiri, nisi quolibet anno requisitas exhibeant attestationes ac exhibitionis declaratoriam ab Ordinario obtineant: tum in Episcopi facultate esse ob non exhibitas testimoniales clericorum nomina ab albo expungere absque ulla praevia monitione eosque a privilegiis clericalibus caducatos declarare. Jam vero cum inter clericalia privilegia recenseatur, juxta ea quae tradit *Devoti constit. canon. lib. 1. tit. 1. §. 6.*, capacitas obtinendi ecclesiastica beneficia infertur Felicem Patroni Griffi tum ab isto tum a caeteris omnibus excidisse privilegiis, ab anno saltem 1750, a quo anno scilicet praedictas non exhibuit attestationes, declaratoriam non obtinuit nec in albo clericorum recensitus fuit.

Perperam autem ex adverso objici vel quod nullius habenda sit roboris hujusmodi Conventio veluti quae juri communi adversetur vel quod poena amissionis privilegiorum in conventione comminata non sit latae sed ferendae sententiae. Primum enim corruere ex notissimo principio, quod nimirum in vim conventionum quae summi Pontificis auctoritate initae fuerint derogari possit

dispositioni juris communis. Ac merito quidem ex lege praefatae conventionis hac in parte jure communi derogatum fuisse, ut sarta tectaque ecclesiastica disciplina maneret, a qua tantopere, corruptis moribus, clerici utriusque Siciliae desciverant.

Quamobrem firmam immotamque in Neapolitano regno manere oportere legem, ut clerici qui praefatae conventionis praescripto non obtemperaverint clericalibus privilegiis non fruantur nec ad ea restitui debeant, nisi ab Ordinario in album descripti denuo fuerint ac ejusdem auctoritate alicujus ecclesiae mancipati servitio, juxta praxim in singulis regni dioecesibus ac praesertim in archidioecesi Neapolitana vigentem.

Sed et alteram concidere exceptionem. Quamvis enim idem ferendum esset judicium tum quoad poenam inhabilitatis tum quoad censuras (in quibus ob earum gravitatem major verborum proprietas adhibenda est), attamen non solum ex verbis futuri temporis sed ex aliis etiam adjunctis ac ex toto verborum contextu aestimari debet an poena sit latae vel ferendae sententiae, ceu docent *s. Alphonsus de Ligorio in sua theol. morali lib. 7. cap. 1. dub. II. n. 8.* ac Praesul Romano in *nota appositu ad theol. moral. Fulci tit. de cens. cap. 1. Edit. Neapol. 1842.*

Addit in hac absurda hypothesi etiam pro amissione privilegii fori necessarias fore admonitiones, cum de omnibus privilegiis per verba futuri temporis conventio loquatur. Verum cautum in jure est, ob desertionem habitus ac tonsurae absque ulla monitione fori privilegium amitti. Quamobrem putandum est, verba futuri temporis non ad poenam ferendae sententiae significandam fuisse adhibita, sed quia id necessitas exigebat sermonis qui ad ea quae futura sunt refertur.

Contra quae nullius momenti facienda quae tradit auctor operis »Note sopra il trattato di accomodamento fra la s. Sede e la real Corte di Napoli, tum quia auctoris opinio falso nititur fundamento futuri temporis, tum quia agit auctor de clerico qui literas testimoniales dumtaxat non exhibuerit, in casu autem de clerico res est, qui nec habitum nec tonsuram detulit ac malam egit vitam, cui ideo impossibile erat requisitas testimoniales proferre. Majori autem in pretio habendam auctoritatem operis »Note al concordato stabilito tra Benedetto XIV. e Carlo III.« quod P. Tria tribuitur magni nominis viro, cujus opinio pro monitionum exclusione in prima allegatione relata est.

Maximum demum huic accedere sententiaé pondus ex auctoritate *Gagliardi in tractatu de benefic. ubi cap. 22. §. 13.* quaestionem hanc agens post relatas juris communis sanctiones concludit: »Cum vero lex nostra concordatorum edixerit eos quorum nomina e publica tabella clericorum deleantur continuo amittere privilegia clericalia nimirum canonis, fori et immunitatum nullasque praevias ea in re monitiones imperaverit, videtur sub vocabulo *privilegii* noluisse beneficia complecti nec beneficiatos clericos e tabella deletos beneficiis etiam nulla praemissa monitione spoliare, sed privationem beneficiorum adhuc reliquisse decernendam in judicio auditis partibus et servatis judiciorum ritibus.«

Ex quibus patet auctoris sententia, nimirum clericos qui in albo clericorum adscripti non fuerint continuo amittere privilegia clericalia.

Nec difficultatem facessere quod, juxta eundem auctorem, sub nomine privilegiorum non veniant beneficia. In praesenti enim casu idem manere jus, sive capacitas assequendi beneficia a capacitate ea retinendi discriminari sive una eademque res haberi velit. In primo enim casu, cum capacitas assequendi beneficia privilegiis clericalibus accenseatur, congruit theorica quae cetera privilegia moderatur et regit, in altero autem statuunt ss. canones, juxta *Salzanum* in opere *Lezioni di diritto canonico lib. 3. ser. 5. n. 10.*, amitti ipso facto beneficia ideoque capacitatem ea retinendi ob notoriam habitus dimissionem, quo in casu una praecedere debet sententia declaratoria; idem ergo quoad capacitatem ea assequendi dicendum: contradictorium enim foret ob notoriam habitus dimissionem amitti beneficia ac eodem tempore integrum et actu exercibile jus ea assequendi manere.

Ex quibus infertur in Episcopi fuisse facultate, Patronium ex albo clericorum expungere, ubi primum ipsi constitit Patronium eundem habitum clericalem dimisisse quamvis in sacrario clericorum album affixum non fuisset 1750. Infertur etiam Episcopi dumtaxat auctoritate Patronium ad privilegia clericalia restitui posse et in albo clericorum iterum inscribi; qua inscriptione omnino opus est, ut clerici in Neapolitano regno ordinis ecclesiastici privilegiis fruantur.

Verum quamvis daretur integrum esse clericis absque Episcopi venia habitum jam dimissum proprio lubitu resumere, attamen a nemine in dubium revocari posse, quin durante tempore laicalis incessus suspensa remaneant privilegia clericalia, uti ceteris missis arguitur ex doctrina *Benedicti XIV. de synodo dioeces. lib. 12. n. 1.* Ex quo constituitur, Felicem Patroni usque ad mensem Junii sin minus usque ad mensem Aprilis 1853 quo primum habitum resumpsit praedictis privilegiis caruisse, quod declarari postulat Episcopus.

Post haec contrariae defensionis fallaciis disjectis plura in conclusione mala recenset quae pertimescenda forent ex admissione Patroni in clericorum album, quin ulla hic poenitentiae signa adhuc praebuerit. Quae singula in ipsa allegatione fuse exposita recolere grave non sit EE. PP.

Defensor Patronii in nova sua allegatione distribuenda, iis occurrens quae contrarius orator ex auctoritate *Card. de Luca in disc. 112. de jurisdictione* opponebat, inter cetera animadvertit, edictum Clementis VII. 1524. alterumque quod latum supponit auctor a Paulo III. pro Neapolitano regno, monitiones ante privationem praemittendas diserte praecipere ceu integrum textum Cardinalis de Luca legenti patet. Addit curiam Tranensem quae lege conventionis praecipue nititur haud probasse nomen Patronii unquam in tabella fuisse relatum attestationes ab eo fuisse requisitas et ob earum deficientiam ab albo clericorum deletum. Infert non potuisse Curiam Patronium arguere quoad attestationum deficientiam, cum nunquam ipsa praestiterit quae erant ex parte sua peragenda.

Verum et adversarios ipsos decretorum injustitiam vel tacitos fassos fuisse, cum novam et a prima penitus diversam quaestionem instituere conati sint in hac secunda propositione ad Curiae errorem si fieri posset corrigendum. Atqui praeterquam quod quaestio »an privilegia clericalia durante tempore laicalis incessus suspensa remanserint necne« a praesenti judicio omnino extranea est in quo unice quaeretur »utrum Felix Patroni privilegia amiserit ab anno 1850. et habitum deponere debeat«, accedit, eam prorsus ociosam esse, cum ex plurium nobilissimorum virorum testimonio constet, Felicem Patroni »fin dall' anno 1850. ha vestito, e veste incessantemente l'abito talare . . . . . ha mantenuto sempre un' onesta e lodevole condotta degna del suo stato clericale ec.«

Ultimo loco ne ullus supersit dubitandi locus quoad injustitiam decretorum curiae Tranensis ea per extensum refert quae ad rem edisserit *Giraldus in expositione jur. pontif. sect. 93. pag. 939.* edit. roman. 1830, ubi plura s. Congregationis cumulantur decreta, quae expositam doctrinam undequaque confirmant.

Sit itaque

D u b i u m:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.

In decisis, et amplius, salvo tamen jure Archiepiscopi agendi contra clericum Felicem Griffi Patroni ad formam ss. canonum prout et quatenus de jure.

Die 26. Aug. 1854.

F. V. in s. subdiaconatus ordine titulo paupertatis religiosae constitutus nullaque ecclesiastica vel laicali provisione donatus, cum nequeat ad sacerdotium promoveri neque ullo fortasse sustentationis titulo provideri, gravi paupertate pressus ut sibi ac pauperibus parentibus senio confectis prospicere possit, saecularibus negotiis vacando clericalem habitum cum laicalibus vestibus decentibus tamen commutare postulavit.

Ex Episcopi informantis verbis praestat colligere, quae illius promotionem ad subdiaconatum, conversionem ad statum saecularem, vitam moresque respiciunt necnon paupertatem et causas modumque concessionis attingunt. F. V. hujusce civitatis ab adolescentia in ordine N. S. per solemnia vota adscriptus et s. subdiaconatus ordine constitutus religiosum institutum post paucos annos reliquit ex apostolico indulto et ad suos reversus est administrante hanc ecclesiam Rev. Episcopo Francisco. Cum autem oratoris mores non essent satis laudabiles praefatus Episcopus existimavit illum ad diaconatum et sacerdotium non esse promovendum. Anno 1845 quo haec dioecesis meae concredita est sollicitudini, F. V. adhuc subdiaconus in hac civitate degebat et processu temporis

cum nec studiis ecclesiasticis vacaret nec vitam dnceret ecclesiastico viro prorsus dignam ad reliqnos majores ordines non est promotus. Consilium itaque iuiit petendi Urbem et revera illuc se contnlit ibiqne mansit per duos ferme annos: postea vero patriam petiit clericalibus vestibus jam dimissis nec usqne modo assumptis ob paupertatem. Nunc autem Urbem denuo petere sibi proponit et laicalibus uti vestibus postulat ad hoc ut victum sibi et parentibus comparare qneat negotiis saecularibus operam dando.

Orator aetatis annos 42 enumerat et vitam degit laicali more et habitu; satis morigeratum ab aliquot mensibns se praebet; ast in eo signa vocationis ecclesiasticae desiderantur; qua de causa pntarem ipsi indulgendnm ut modesto quidem sed laicali habitu incedere valeat, ne ipsi ecclesiasticas vestes dehonorare imposterum contingat vel pravis moribns vel negotiis saecularibus vacando. Nullum autem in populo scandalnm exinde oriturum puto si orator extra patriam moretur; concivibns tamen admirationi hac de causa futurum. Causa autem concessionis gratiae haec videtur esse, qnod F. V. cum ex una parte miserabilis sit cogitur victum sibi comparare dando operam laicalibns operibus, ex altera vero, cum non expediat ipsum ad sacerdotium promoveri ob anteactam vitam et ob defectum studiorum et pietatis ecclesiasticos proventus vix sibi promittere valet, quibus vitam substentet. Parochns oratoris qnoad praesentem ejus vivendi methodnm more laicali qnerelas non habnisse testatus est, sed in ipso non agnoscit virtutes ecclesiastico viro dignas. Demum ipse in ea snm sententia ut qnocumque loco minorem sit praebiturus admirationem populo in habitn laicali quam in ecclesiastico.

Obligatio incedendi in habitu et vestibus clericalibns ultra rationem praecepti a conciliis generalibus et particularibus proficiscentis ac praesertim ab oecumenica Trid. Synodo *sess. 14. cap. 6.* et *sess. 22. cap. 1. de reform.* induit etiam rationem congruentiae, nnde fit nt clericus ab actibus et transactionibus qnibusdam minus honestis tum suae destinationis natura tum communi hominnm aestimatione facilius abstineat, atqne ita dignitas clericalis honoretur et vitae servetur integritas. Quod si omnibus convenias clericalem statum profitentibus, magis magisque exigi videtur in eo, qui ss. ordinibus insignitur, cum gravioribus ex voti solemnitate devinciatur obligationibus. Froenum autem hujusmodi salutare admodum relaxatur, si clericus dimissis vestibus coetus peculiaribus cum communi laicorum permixtus nullo amplius exteriori signo secernatur. Unde facilius ipsi clerico delinqnendi periculum ceterisque major ordinis dignitatem inhonorandi praebetur occasio. Ex qnibus facile quisque videt quam prudens fuerit Conciliorum et summorum Pontificum severitas in poenis statuendis contra eos qui clericali habitu dimisso laicalibus vestibus nterentur et quam caute sit procedendum, ubi de relaxatione ab hujusmodi lege pertractetur, praesertim cum haud leve subesse possit admirationis scandalique periculum.

At vero ubi justa aliqna intercedat causa non videtur omnino deneganda dispensatio. Ab ea enim obligatione excusari possunt clerici ob paupertatem, ex impotentia nimirum decentes sibi vestes proprio ordini congruentes comparandi, cen tradunt unanimiter auctores et praesertim *Schmalzgrueber lib. 3. decret. part. 1. tit. 1. num. 36*, *Reifenstuel. eod. tit. num. 113.* et *Quaranta in Summa Bullar. V.: habitus clericalis in addit. §. 2.* Praeterea cum clericis saecularia interdicantur negotia, horum tractatio si ex necessitate sit exercenda minorem profecto pariet admirationem, si qualitas clericalis, veste mutata, celetur.

Jam vero ea oratorem paupertate laborare affirmat Episcopus, qna vestes proprio congruentes ordini jam dimissas hactenus repetere neqnivit; eademque de causa necessitas exurgit victum sibi suisque parentibus comparandi saecularibus negotiis vacando, quae clericis quoqne in hac necessitate constitntis permitti communiter docent *Reiffenstuel loc. cit. n. 127*, *Barbosa loc. cit. n. 97. 119. et seqq.* et *Zerola in prax. Episcop. p. 1.* V.: *Clericus q. 16.*

Quatenus vero Emi Patres, inspecta misera oratoris conditione gravibusque ejusdem angustiis, quibus constringitur vinculo indissolubili, ad altiora ob ineptitudinem ascendere prohibetur nulloque sustentationis ecclesiastico titulo providetur nec spes eidem affulget inposterum assequendi, ceu narrat Episcopus, cum eo dispensare censuerint ab incedendi obligatione in habitu clericali, haud abs re fortasse videretur eidem injnngere ut

procul a patria sua et ab illis locis, in quibus nota est ejusdem conditio, et moram trahat et saecularibus vacet negotiis dummodo tamen et honesta sint negotia quae pertractet, non autem vitia vel sordida et infamia, et decenti licet laicali utatur habitu ac omnibus ceteroquin obligationibus tum ordini adnexis tum ex voto solemni resultantibus fideliter adimpleat. Quare etc.

(Corresp. de Rome 24. Apr. 1851. n. 62. p. 247.)

d) Dimissio.

Vd. *t II. 362. n. 7. b*; infra lit. *f.*

e) Qualis.

Vd. lit. *a* p. 1309; 1310. §: *Omnes.*

Cremonen.

Cum Illmus et Rmus D. Cardinalis s. Caeciliae Episcopus Cremonen. decreverit ac per edictum publicum ordinaverit, ut omnes parochi ac vicarii et alii ad curam animarum deputati in civitate Cremonen. et in aliis terris et locis insignibus ejusdem dioecesis debeant mantellum latum cum manicis et caputium deferre prout ordinatur in concilio provinciali Mediolanen. IV. et dioecesano facto sub bo. me. R. P. D. Spatiano ejusdem civitatis Cremonen. Episcopo proxime defuncto et dicti parochi et curati sentientes se a dicto decreto gravatos recursum habuerint ad SSmum D. N. petentes non astringi ad ferendum novum habitum, cum ipsi semper in civitate Cremonen. habitum romanum et prout in romana curia presbyteri et clerici seculares utuntur uti et deferre consueverint et idem SSmus D. N. negotium hoc ad ss. Rituum Congregationem remiserit, eadem ss. Rituum Congregatio semel atque iterum discusso et examinato hujusmodi negotio et visis et auditis quae pro parte dictorum parochorum et curatorum tam in scriptis quam in voce allegata fuerunt censuit debere omnino dictos parochos, curatos, vicarios et reliquos animarum curam habentes parere decreto supradicto ab Illmo et Rmo D. Cardinali s. Caeciliae eorum Ordinario facto quibuscunque ex adverso allegatis non obstantibus.

Die 26. Junii 1610.

Colonien.

S. Rituum Congregatio censuit et decrevit Canonicorum ejusdem Cathedralis capituli habitum uniformem, nullo personarum habito discrimine, eumdem decentem et clericis convenientem esse debere absque ullo colore luxus et splendore, juxta praescriptum ss. canonum.

Die 13. Martii 1627.

Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, variatis etc. vel ab ordine alienis. *Concil. Nicaen. II. cap. 16*, *cap. Omnis jactantia 1. caus. 21. q. 1.* cum similibus.

Sacerdotes extra domum non debent comparere sine veste sacerdotali, *cap. Sine ornatu 4. caus. 21. qu. 4.* cum similibus.

f) Reassumptio.

Vd. supra lit. *a* p. 1309; p. 1310. §: *Irregularitas;* lit. *b* p. 1314; t. II. p. 392. c; *Clericus* (privileg. clerical.)

Licet clerico reassumere habitum absque alia licentia Episcopi, s. Cong. Immunit. *in Oritana 18. Augusti 1654.**) Si tamen clericus voluntarie et expresse deponendo habitum ipsum renunciet in actis curiae episcopalis cum approbatione et acceptatione Episcopi et cum declaratione, quod absque illius licentia habitum non reassumet, non potest propria auctoritate ipsum reassumere, s. Congreg. Immun. *in Mazzarien. 16. Dezb. 1642.* At vero si clericus in carceribus detentus aut in alio loco quem tenet loco carceris renunciet privilegiis clericalibus aut beneficiis, poterit habitum reassumere clericalem sine licentia Episcopi et jura ad beneficium renunciatum non obstante decreto acceptationis, quia hujusmodi renunciatio tamquam metu carceris facta pro nulla habetur; *l. Qui in carcerem, ff. quod met. caus.* et bis declaravit s. Congr. Episcopor. nempe *in Aquipendii 18. April. 1692.* referente Card. Merlino et *in Aversana 13. Junii 1692* referente Emin. de Abdua. Quod est verum, etiamsi carceratio esset justa, ut observat *Antonell. de locis legal. lib. 3. cap. 36. n. g.*, *Monacell. t. 1. tit. 5. formul. 9. n. 35.*

*) Firmatur a Benedicto XIV. *de synodo dioec. cit. lib. 7. cap. 67. § 3.* Ad hoc autem ut evitentur ea in re dissentiones inter utramque potestatem ecclesiasticam et laicam suadendum est, ut Episcopus per edictum generale mandet clericis, ut incedant in habitu vel tonsura ac deserviant alicui ecclesiae per certum tempus, quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant; contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a juribus clericalibus neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiae vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. Ita *de synodo dioeces. lib. 7. cap. 67. § 4.*

Titius clericus jam ab anno 1800 habitum clericalem dimiserat, uxorem duxerat et viduus postea manens pharmacopolae artem exercebat. Contigit ut duobus simul aegrotis ad diversas sejunctasque familias pertinentibus pharmacum quod petebant miserit, quod veneno commixtum repertum fuit. Namque aegroti pharmacum deglutientes acribus doloribus correpti brevi decesserunt. Notitia rei evulgata Fiscus illius loci pro officii munere inquisitionem instituens veneni qualitatem detegit, quo aegroti mortui sunt. Cum autem horum mors publice adscriberetur dolo aut culpae pharmacopolae, Titius profugus latuit. Interim non desistebat Fiscus ab actis colligendis ad rem opportunis pro institutione processus.

Jamvero Titius in eo latitationis statu libellum supplicem curiae episcopali admovit, postulans ut causa avocaretur a laico tribunali et in ecclesiastica curia dijudicaretur, monens se habitum clericalem reassumpsisse et utpote clericum privilegio fori gaudere debere.

Curia episcopalis perpendens, heic agi de morte illata ex causa veneficii, agi de clerico, qui ante ejusmodi factum non incedebat habitu et tonsura ex praescripto constitutionis Benedicti XIV.*) quae incipit: *Alias*, preces supplicantis rejecit.

At non siluit Titius, qui S. C. Immunitatis supplicavit, ut processus conficeretur et causa dijudicaretur in ecclesiastico foro quasdam rationes interserens. S. C. ut moris est audita relatione Episcopi, consideratis rationibus, quibus Titius sibi competere fori privilegium contendebat, causa discussa dubium in calce positum diremit.

Titius initio conquerebatur de ratione agendi curiae episcopalis, quae sine ulla cognitione factorum preces oratoris rejecerat. Quoniam autem curia episcopalis ad rejiciendas preces innitebatur facto dimissionis habitus clericalis, Titius animadvertebat, praesentem quaestionem versari super habitus clericalis reassumptione, quam sufficientem esse contendebat ad recuperandum fori privilegium. Ut hoc ostenderet resolutiones adducebat, quas refert Ferraris *Biblioth. can. verbo:* Clericus *numer. 31, 32.* quo in loco sequentia leguntur:

»Clericus qui ante carcerationem reassumpserat habitum fori privilegio gaudet, s. Congregat. Immunitatis *in Rossanen.* 18. Martii 1631. Clericus reassumens habitum post praetensum delictum a se commissum gaudere debet privilegio fori ecclesiastici tam quoad personam quam quoad bona, etiam ex constitutionibus regni, sacra Congreg. Immunit. *in Marsicana* 11. Dec. 1616. Et licet clerico reassumere habitum absque alia licentia Episcopi, s. Congreg. *in Oritana* 18. Aug. 1654.«

Neque posse affirmari Titius subjungebat ejusmodi resolutiones revocatas esse per constitutionem: *Alias* Benedicti XIV. Namque in ea constitutione s. Pontifex praescripsit, ut clericus homicida habitu clericali non incedens privilegio fori non gaudeat, »*minusque habitum clericalem resumere possit post totaliter expiatam admissi delicti poenam.*«

Quare non interdixit reassumptionem habitus priusquam clericus super reitate judicetur. Consentit Giraldi *de poenis pag. 308 primae editionis* ubi scripsit: Si clericus in omnibus dimittat habitum et ad statum laicalem revertatur et in statu delictum committat, etiamsi homicidium voluntarium simplex sit, poterit denuo habitum resumere et sic frui privilegiis ecclesiasticis.

Neque valeret exceptio, Titius prosequebatur, qua in fraudem facta reassumptio habitus renunciaretur: nam quoad ejusmodi exceptionem cum aliis auctoribus haec scripsit Benedictus XIV. in *opere de synodo dioeces. l. 12. c. 2:* »Tunc praesumitur clericus habitum quem deposuerat in fraudem resumere, cum illum induit postquam a potestate saeculari comprehensus atque in carcerem conjectus, ex eo se per fugam subtraxit aut postquam a carceribus, praestita cautione, dimissus fuit.« Haec enim in praesenti casu locum non habuerant.

Denique ajebat idem orator, quod in dicta constitutione Benedictus XIV. privilegium fori illi ademit, qui homicida est, illi scilicet qui vere est homicidii reus et homicidii voluntarii porro neque curia quae preces suas rejecerat processum vidit neque Fiscus aliquid pronunciavit: unde concludebat, cum de patrato delicto non constaret, non posse privilegium declarari ademtum.

Observabatur *ex officio*, clericum, qui ad normam Tridentini Concilii requisita *cumulative* non observaverit, ipso facto amittere privilegium fori, ita ut sui favore ipsum invocare non possit, ut declaratum est in quadam causa *Leodien.* approbata ab Urbano VIII., *Giraldi exposit. juris pontif. part. 1.*

*) Vd. *t. II p. 150*

ex lib. 5. decret. pag. 770. et part. 2. sect. 93. pag. 959. Non enim ejusmodi privilegii amissio reputanda est poena, quemadmodum auctores ponderant; Laurenius *de Foro compet. p. 173. n. 7.* ait: »deficiente habitu et tonsura *(idem est de caeteris a concilio requisitis)* deficere privilegium fori, non per modum privationis, seu quod ideo privetur quis dicto privilegio, sed per modum deficientis formae, quia constitutio illa Tridentini non est lex poenalis, sed constitutiva formae requisitae ad hoc privilegium, ut Suarez. *lib. 4. defens. fidei c. 27. n. 13* et cum eo Piringhius *hoc tit. n. 9*: vel per modum deficientis conditionis a concilio ad dictum effectum obtinendum requisitae.«

Porro quamvis Titius habitum clericalem reassumpsit, non videbatur isthaec reassumptio eidem posse suffragari. Agebatur enim de casu qui judicandus erat ad normam constitutionis: *Alias.* Benedicti XIV. et Clementis XII. quae incipit: *In supremo justitiae solio.* Jamvero Benedictina Constitutio hac clausula est communita § 2: »*quocumque diversa ac etiam contraria juris canonici et Apostolicarum Constitutionum dispositione seu interpretatione necnon consuetudine haud refragante.*« Quare consequens esse videbatur, adductas ex adverso resolutiones *in Rossanen.* 18. Martii 1631 et *in Marsicana* 11. Decemb. 1646 invocari in praesentia non posse; minusque ad rem pertinere investigationem, an sine fraude Titius habitum reassumpserit. In citata enim Benedictina tria statuta sunt observanda *in causis homicidii:**) 1. quod clericus minorista, qui conciliaria requisita non servaverit, *privilegio fori non gaudeat eoque privatus remaneat*, sublata etiam Episcopo facultate avocandi a laico tribunali causam: 2. interdicitur habitus reassumptio etiam post expiatam poenam, *minusque habitum... reassumere possit post totaliter expiatam admissi delicti poenam:* 3 determinatur Episcopi officium, quod est dumtaxat declarandi, *an reus ante patratum homicidium requisita a Concilio Tridentino servaverit.*

Conjiciebatur autem ex quibusdam minime spernendis, venenum propinatum non fuisse ex mero casu, qui saltem culpae adscribi Titio non deberet.

His aliisque perpensis propositum est resolvendum

*) Vd. *Homicidium; Irregularitas ex homicidio.*

D u b i u m:

An in casu et causis expositis (Titius) gaudeat privilegio fori?

Sacra Congregatio immunitati controversiisque jurisdictionalibus praeposita die 26. Aprilis 1843 respondere censuit: *negative.*

At animo non dejectus Titius novam audientiam imploravit ac obtinuit, contendens inter caetera Constitutionem Benedictinam non loqui de homicidiis, quae casu fiunt, sed de morte illata deliberata voluntate, cujusmodi non esse contendebat mortem obvenientem duobus aegrotis. Acta itaque processus, qui ordiri coeperat, porrecta sunt coram s. C. et proposito dubio: »an sit standum vel recedendum a decisis die 26. Aprilis?« S. Congregatio causa denuo discussa die 22. Augusti 1843 respondit: *dilata, et ad mentem: mens est quod remisso processu cum restrictu tribunali conservatoriali injungatur Gubernatori N. ut nomine ecclesiae, legitime expleto processu usque ad sententiam exclusive, inde processus transmittatur ad s. Congregationem pro definitione quaestionis jurisdictionalis.* Haec tamen quaestio non amplius rediit.

Ex iis colliges:

I. Quamvis secundum commune jus clericus minorista, qui habitum clericalem dimiserit, jus non habeat invocandi fori privilegium: tamen habitus reassumptione, quae in fraudem facta non ostendatur, privilegio fori iterum eum gaudere*).

*) Dixi secundum commune jus, quod, si nihil grave obstaret, vigere oporteret ad normam scilicet ss. Canonum, praesertim Tridentini Concilii et interpretationum SS. Congregationum. Quare heic sermo non est de peculiaribus legibus, quae pro diversitate Regnorum vigent, vel de peculiaribus instructionibus, quae ad Ordinarios a s. Sede mittuntur pro locorum et personarum adjunctis.

Privilegium fori, quod ss. Canones tribuunt Clerico s. tonsura vel etiam minoribus ordinibus insignito, post Tridentinum Concilium non difficile amittitur. Adhaerere enim videtur (loquimur semper de Clericis qui non sunt in sacris) potius clericalibus vestibus, si ita loqui fas est, externaeque observantiae quam personae. Sacrae enim Congregationes, quae authentice jus ecclesiae interpretantur, constanter declararunt, simul omnes esse observandas conditiones a Tridentino impositas, ita ut, una conditioni substantiali neglecta, Clericus minorista vel tonsuratus jus non habeat invocandi fori privilegium. Quaenam autem sint ejusdem conditiones cumulative servandae et reliqua, quae ad ejusmodi materiam spectant, amplissime tradunt veteres auctores, prae-

II. Quin imo, non servatis cumulative conditionibus conciliaribus, quamvis ejusmodi clericus jus non habeat invocandi fori privilegium, non tamen cessat Episcopi jus animadvertendi in ejusmodi clericum delinquentem si clericus permaneat.*)

sertim qui floruerunt saeculo XVI. et XVII. Inter recentiores vero qui pinguiores spicas, ut ita dicam, ex ampla messe collegerunt certe recensentur Lucius Ferraris *in biblioth. canon.* verbo: *clericus*, Giraldi *in exposit. juris Pontif. p. I. ex V. lib. decret. pag. 770. et p. II. sect. 93. pag. 939.*

Abs re non erit in eo quod spectat ad conditiones servandas sub oculis ponere declarationem, quam dedit s. C. Concilii die 11. Julii 1595 pro recta intelligentia capitis 6. sess. 23. Tridentinae synodi. Declaratio ita se habet: »S. C. C. censuit ut clericus fori privilegio gaudeat, requiri et sufficere ea quae in aliquo ex infrascriptis capitibus singillatim sunt adnotata: quod obtineat beneficium ecclesiasticum: quod clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae de mandato Episcopi inserviat: quod clericalem habitum et tonsuram deferens in aliquo seminario de licentia Episcopi degat: quod in habitu et tonsura incedens in aliqua schola de licentia Episcopi versetur: quod habitum et tonsuram gestans in aliqua universitate de licentia Episcopi versetur. Si vero quae in aliquo ex capitibus comprehensa sunt in clerico concurrant, sed aliqua occasione habitum a se gestari solitum ad breve tempus deposuerit, non ideo fori privilegium amittere. An vero habitus sit clericalis ad judicis ecclesiastici cognitionem pertinere. Quibus autem casibus clericus ex decreto Concilii fori privilegio non gaudet, nullam requiri monitionem.« (Vd. *p. 1311.)*

Advertendum tamen est ceu perpendit Fagnanus in *cap. Si quis. de foro comp. n. 22. et seqq.* verba Concilii *de mandato Episcopi et de licentia Episcopi* ex s. Congregationis sententia non esse substantialia, quod opportunis declarationibus demonstrat, rationem addens: »nimirum quia qualitas mandati vel licentiae est levis satisque est concurrere quae potiora sunt, nempe tonsuram, delationem ipsius cum habitu clericali, servitium ecclesiae vel commorationem in schola aliqua. Ita enim etiam cessante Episcopi mandato satisfit menti Concilii.« Mens autem Concilii in exigenda licentia eo tendit, ut clericus, qui quasi in via ad majores ordines suscipiendos versatur, causam non arripiat huc illuc discurrendi, habitum deferens et tonsuram, ut se juvare possit fori privilegio, quin servitio ecclesiae insistat, ceu ibidem Fagnanus explicat *num. 23.*

*) S. Congr. Concilii die 21. Januarii 1594 declaravit: »Licet clerici in minoribus constituti, nisi beneficium ecclesiasticum habeant aut clericalem habitum et tonsuram deferentes alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inserviant vel in seminario aut aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi versentur, forum judicis laici declinare non possint, non tamen propterea Congregatio Concilii censuit obstare Episcopo, quominus jure suo in hujusmodi Clericos delinquentes, si adhuc Clerici permanent, possit animadvertere.

Quid autem intelligatur sub verbis-*si adhuc clerici permanent*-ita explicatum fuit in causa *Leodien.* die 18. Novembris 1630 cujus resolutio confirmata fuit ab Urbano VIII.: »Sanctitas Sua adprobavit declarationem factam, ut clerici etiam non habentes requisita *c. 6. sess. 23. de reform.*, licet ipsi tamquam contravenientes ordinationi s. Concilii non possint per se ipsos allegare privilegium fori, nihilominus subsint jurisdictioni Episcoporum et Ordinariorum cognitioni nedum in causis, in quibus iidem Episcopi praevenerunt, sed etiam in quibus non praevenerunt, et illos e manibus judicis laici repetant, *quando iidem clerici adhuc clerici permanent, videlicet si a jure vel ab homine per declarationem servatis servandis factam privilegiis clericalibus denudati seu privati non sint.*« Quae declaratio iterum confirmata fuit die 1. Augusti 1634: »Facta denuo relatione SSmo D. N. Sanctitas Sua ad removendam omnem difficultatem denuo jussit omnino observari supradictam declarationem ut supra firmatam in dicta causa Leodiensi.«

III. In causis homicidii clerico minoristae *imputandi*, qui requisita Concilii non servavit, nullimode privilegium fori post Benedictinam Constitutionem suffragari posse.

IV. In praesenti causa quaestionem ad terminos videri reductam an mors ex propinato veneno obveniens esset Titio imputabilis.

22) Haereticus.

Vd. *Apostasia; Abjuratio;* t. II. p. 365. n. 8.

(Reversio ad fidem cathol.)

Quod omnis cujuslibet ordinis clericus qui catholicam deserens haereticae se communioni miscuerit si ad ecclesiam reversus fuerit in eo gradu, in quo erat, sine promotione remaneat.

Leo PP. I. Episcopus Urbis Romae Januario Episcopo Aquilejensi.

Lectis fraternitatis tuae literis vigorem fidei tuae quem olim noveramus agnovimus: congratulantes tibi, quod ad custodiam gregium Christi pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali saevitia simplices quosque dilacerent, et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea quae sunt sana corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animae periculum pertinere, si quisquam de his, qui a Nobis in haereticorum atque schismaticorum sectam delapsis et se utcumque haereticae communionis contagione macularit, resipiscens in communione catholica sine professione legitimae satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim et spiritualis medicinae utilitate plenissimum est, ut sive presbyteri sive diaconi aut cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt atque ad catholicam fidem, quam jampridem amiserant, rursum reverti ambiunt, prius errores suos et ipsos auctores erroris damnare se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis etiam peremptis nulla sperandi supersit occasio, ne ullum membrum talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria coeperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem praecipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant: si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud Deum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros promovendos ordines judicavit. Quod si cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris et det operam, ut circumspecte atque velociter impleantur, quae ad totius ecclesiae incolumitatem et laudabiliter digesta sunt et salubriter ordinata. Non autem dubitet dilectio tua, Nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quae pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos, quia inferiorum ordinum culpae ad nullos magis referendae sunt quam ad desides negligentesque rectores qui multam saepe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.

Dat. III. Cal. Januarii Alypio et Ardabure VV. CC. coss.

Dat. die 30. Decb. 447. pontif. Leonis anno VIII.

(Bull. r. t. I. p. 66. Ed. Aug. Taur. 1857.)

23) Homicida.

Vd. p. 1324. §: *Titius; Irregularitas ex homicidio.*

24) Honestas et Modestia in publico.

Vd. *Clericus* (habitus delatio p. 1309.); p. 1289. n. 11; 1293. n. 12.

Eugenius IV. ad Clerum Urbis.

Clericorum mores in melius reformentur et clerici ipsi continenter et caste vivant, nulli et maxime ecclesiastica beneficia obtinentes in sua domo vel alibi retineant concubinas aut mulieres de fornicatione suspectas, de quibus aliqua sinistra suspicio valeat exoriri sub simili et juris communis poenis.

Nullus ludere praesumat ad arandum sive ad taxillos aut ad aleas nec forte digitos ludere non audeant sive cartas aut aliquem ludum in taberna aut loco publico sive privato, in quo ludat pecunias aut vinum aut prandium sive coenam sive minimum quod comestibile sub poena inferenda.

Nullus clericus beneficiatus cujuscumque conditionis, praeeminentiae aut status existat *praesumat manicas ad saccam aut largas more hominum saecularium suo vestimento portare*, quae manicae palmo cum dimidio latiores non sint sub poena inferenda.

Nullus caligas divisatas seu solatas aut caputium quod ultra unam cannam panni contineat seu arma offensiva vel defensiva*) portare praesumat sub poena inferenda.

Nullus clericus beneficiatus cujuscumque status sive conditionis existat de caetero portet *comam patentibus auribus, quae tangat aures; coronam vero rotunditatis unius magnae hostiae quilibet honeste ferat:* nemo propterea attonsus incedat sed in coma ut superius dictum est ut clericus non laicus cognoscatur reformetur: contrarium facientes nullo gaudeant privilegio clericali sed ut laici puniantur et reputentur et alias arbitrio dicti domini vicarii castigentur.

Nullus clericus aut Canonicus cujuscumque status, gradus et conditionis existat qui in Urbe beneficium aut beneficia habet, debeat *tenere vel regere seu habere aliquod officium seculare in Urbe aut extra Urbem clericis interdictum:* qui vero contrarium fecerit ipso facto sententiam excommunicationis incurrat et beneficia ipsius libere et licite impetrari ut supra possint: pronunciantes ex tunc eos ipsos facto omni beneficio ecclesiastico privatos ac omni clericali privilegio denudatos.

Nullus clericus exerceat artem aliquam clericis interdictam**); si quis autem contrarium fecerit poenam arbitrio nostro et successoris nostri imponendam incurrat: nec sit opus in casu praedicto ipsum clericum moneri cum jura disponant, quod quilibet clericus appareat in totum clericus clericalia exercens et non semiclerus et semilaicus.

Die 23. Febr. 1432.

(Bull. r. t. V. p. 7. etc. Ed. Aug. Taur. 1860.)

*) Vd. *p. 1101.*
**) Vd. *supra n. 5. p. 1287. Sacerdos* (medicus)

25) Negotiator.

Vd. *Clericus* (Usurarius; Habitus delatio p. 1309.; depositio p. 1314.; agros colere etc. p. 1287.; *Medicamenta, Aromatica;* t. II. p. 144. n. 16; supra p. 1327.)

Tudertina.

Antistes Tudertinus inhaerens Praedecessorum vestigiis die 2. Maji 1806. edictum publicavit, in quo plures abusus quoad vitam et honestatem clericorum coercere sategit. Inter cetera prohibuit *ne aliquis inposterum in Sacris constitutus audeat sub quovis pretextu ad publicas nundinas mercatusque succedere . . . sub poenis inpraesens aureorum tantummodo decem, quorum dimidia pars delatori (haud per nos detegendo), reliqua vero vel piis locis vel pauperum usibus erogabitur, ad quas poenas procedetur etiam per simplicem inquisitionem, facti veritate comperta. Quodsi contumacia creverit ad alias severiores poenas procedetur et censuras.* Reclamarunt nonnulli parochi et ecclesiastici civitatis et comitatus Tudertini et postularunt edicti hujusmodi moderationem, ut saltem eis liceret nundinis interesse et praestare »*una semplice assistenza, una sorveglianza a tutto cio; che più riguardare li propri bisogni, e la necessaria coltivazione delle loro terr.* Rogatus Episcopus de sua sententia multa deducit, ut edictum a se latum defendat in sua informatione quam integram EE. VV. subjicio.

Ut vix inquit Tudertinas suscepi spirituales regendas habenas, literae mihi datae sunt Emin. secretarii status per hunc Illmum et pervigilem Gubernatorem (quarum copia in authentica forma remitto), ut quo magis fieri poterat morum civium depravationi occurrerem et obsisterem. Et sane tot erant abusus et corruptelae civitatem hanc et dioecesim inundantes, ut vix exprimi et credi possit. At quod magis meum augebat animum erat, lapides sanctuarii sacerdotes videlicet continuo dispersos esse in plateis oppidi et in publicis nundinis, in mercatibus, in foris boariis, saecularium propemodum apparatu, bonorum omnium scandalo mercaturam facere. Malo huic ut par erat congrua remedia praebere excogitans eo vel magis, quod Dei honorem zelantes ad me formales habuissent recursus. Prima vice ut videre est in copia edicti in omni patientia tales sacerdotes sum deprecatus, ut a similibus abstinerent. Cum vero has preces ii flocci facerent, ad formale praeceptum oretenus unicuique ex contumacibus datum deveni. Ast cum nil adhuc inspicerem resipiscentiae, emanationem edicti poenis propositis aegro licet animo coactus sum palam facere. Emi Patres, eo devenerat istorum audacia, ut unum ex ecclesiasticis minime puduerit hac in verba prorumpere: plus lucri majoremque utilitatem se percipere ex nundinis et mercatibus quam ex ecclesiae redditibus et praebendis. Pluries in hebdomada (cum nundinae frequentes sint in hac civitate et dioecesi) ad eas pergebant occreati pallio mercatorio circumamicti et quandoque absque ecclesiastica ad collum vitta, adeo ut num vel ex seculari coetu vel ecclesiastico forent minime dignoscerentur, quemadmodum accidit in quodam presbytero, qui ad me recursum habuit, instans pro satisfactione contra nonnullos, qui eum lanionis titulo publici condecorarunt. Tota die inter contractus constituebant proelia, saepe inhonesta verba et perjuria emovebant, saepe manibus animalium ora, dentes et caetera membra contrectabant, quo eorum constructionem, valetudinem et annos experirentur agnoscerentque et postea recto tramite plurimorum admiratione ad aram illico celebraturi accedebant, sicuti evenisse relatum est mihi ab Equite loci hujus omni exceptione majori, testificante se sacerdotem vidisse, qui post jurgia, inhonesta verba et res praedictas illico ad templum s. Hostiam oblaturus accessit et animi sui horrore ipsius sacerdotis missae Sacrificio astitisse.

Minime me latet merces suas vendere et ad propriam emere utilitatem ecclesiasticis haud interdici, dummodo vero res intra debitae moderationis limites contineatur. Interim tamen ego coactus sum sacerdotes a nundinarum et mercatuum accessibus prohibere non alia de causa nisi ut intollerabilis abusus et enormia scandala tollerentur e medio. Et revera, si tantummodo illicitam negotiationem facere prohibuissem et non accessum ad nundinas quoque vetassem, nihil obtinuissem oleumque et operam perdidissem. Malui quocirca omnem scandali removere occasionem abusumque radicitus extirpare. Teste alloquor experientia. Post publicationem edicti venit ad me quidam parochus, qui dux et caput est recurrentium veniam petens pergendi ad nundinas, ut res venditaret solemni promissione emissa manendi in loco remotiori et tantummodo praesidendi colonis. Libenti animo ejusdem petitioni indulsi. Verum promissis haud stetit, fregit datam fidem quemadmodum probavit eventus. Tota die nundinas cursitavit et lapis offensionis et petra scandali effectus debitae meae postea redargutionis verba haud valuit effugere.

Sciant insuper, Emi Patres, me prohibendo accessum ad nundinas nil aliud egisse nisi praedecessorum meorum leges conditas in vim revocare. Episcopus enim Formaliari in edicto 1740. legem emisit de non accedendo personaliter ad nundinas sicuti intueri poterunt ex particula in authentica forma. Hoc idem egerunt immediati quatuor mei praedecessores et praecipue Episcopi Lotrecchi et Cioja, ut videre est ex particulis a me remissis; quae quidem res me magis magisque in sententia firmat, multis abhinc annis magna quae vidi evelli poterant. Et sane apud plurimos hoc currit effatum: praesbiterum Tudertinum et Mercatorem verba esse sinonima idemque sonare.

Si oratores qui octo vel decem sunt et ii ferme omnes aliis criminibus irretiti ut constat ex processibus hujus neae episcopalis cancellariae voti compotes fient, si edicti assequentur moderationem et veniam accedendi ad nundinas et sub quesito colore res suas vendendi, eadem absurda, eadem animi mei moerore eventura scandala pro certo tenendum est et dubio procul ii gloriabuntur in impietate sua. Quot marigeri sacerdotes, quot aedificantes religiosi ac moniales non accedunt ad nundinas nec publica dant populo scandala et tamen per saeculares, conjunctos, colonos, ministros res suas venduut emuntque et omne id comparant quod iis opus est? Binas hucusque rexi episcopales ecclesias nec unquam talia sancivi, cum abusum hic vigentem non alibi inspexerim. Eminentiae Vestrae optime norunt leges quandoque plus minusve rigidas esse juxta temporum, locorum et hominum circumstantias, sicuti liquido eruitur ex praescripto conciliorum et ex canonicarum Apostolorumque legum constitutionibus.

Encyclica Clem. XIII. *) mandat Episcopis, ut severioribus edictis propositis eorum ecclesiasticorum audaciam coerceant, qui titulo res suas vendendi mercaturae operam navare solent, et ait plura licita esse quoad substantiam minime vero quoad modum. Licuisset equidem pergere quandoque ad nundinas ad proprium usum, secluso omni scandalo, sed haud licet bis vel ter in hebdomada a parochiali residentia abscedere, saecularibus esse offendicula et ad nundinas pergere sola lucri gratia, quemadmodum oratores agebant. Unus ex istis decies emit equum vendiditque ut tantummodo lucrifaceret una ipsa die.

Ab omni prorsus veritate distat, quod iidem oratores in supplici folio exararunt de executione in contumaces vel reali vel personali. Res ita se habet: Post publicationem edicti fuere nonnulli qui latam legem parvipendentes uti antea mercatus adibant ad nundinas. Facti veritate comperta minime commiuatas poenas executioni mandavi, sed ut mitiori ratione procederem, hanc regulam tenendam esse sum opinatus. Praesident continuo nundinis et mercatibus, ut omnia recto ordine dirigantur, dux et copia militum urbanorum. Hunc ego exoravi ducem, ut quoties aliquem sacerdotem in mercatibus et forris boariis vidisset, ipsum omni prudentia et absque strepitu his verbis moneret ut inde discederet et perhumaniter diceret, eum sibi locum non esse. Quod ubi actum est cum duobus aut tribus, nemo alias sacerdos animi mei consolatione et bonorum civium aedificatione usque modo accessit ad nundinas. Haud me praeterit hanc meam prudentialem agendi regulam oratorum animos exacerbasse et hac de causa pro edicti moderatione ad Vestrum augustum tribunal accessisse atque appellasse. Nullam mihi credant Emtiae Vestrae Rmae intentatam contumaces reliquere viam, qua ad eorum vota perducerent caeteros morigeros sacerdotes; ast hucusque res iis male cessit et fraudati sunt a desiderio suo. Falso igitur testificati sunt curiam devenisse ad poenarum executionem.

A veritate pariter alienum est et gratis asseritur quod inquiunt me haud dilucidasse articulum de non accedendo ad nundinas. Nam non verbis, sed facto declaravi, mihi tantummodo abusum et absurda quemadmodum praedecessoribus meis a medio tollere et eradicare in animo esse. Venit parochus petens a me veniam pergendi ad nundinas urgente necessitate ut ajebat et ego ipsius votis aquievi; quanquam postea, ut supra indigitavi, concessa venia abusus sit promissisque non steterit. Perrexerat ad mercatum alius sacerdos, ut foericulam venditaret, qua

*) Vd. *infra p. 1346.*

vendita illico postea recessit et hac super re ego tamquam mutus os meum non aperui. Aliorum vidi neminem, qui veniam a me peterent accedendi ad nundinas, merces suas causa vendendi. Si petiissent, certe dedissem, hac tamen sub conditione, de non turpiter negotiando, alias eis minitatus fuissem suspensionem a Divinis ipso facto incurrendam.

Reclamantes ecclesiastici in scriptis jura sua deduxerunt. Hoc primum statuunt in jure, quod *in cap. 1. Ne cleric. vel monach. saecular. negot. se immisceant* prohibitum sit clericis *negotium injustum exercere, nec tamen justum negocium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus s. Apostolos negotiatos fuisse.* Hinc canonistae distinguunt inter *personalem et realem* negociationem. Illa, quae fit ut ajunt citra respectum praediorum et in commercio posita est, tamquam clericis illicita reprobatur, haec vero sive realis cohaeret praediis et clericis permissa est. Hinc licet clericis proprios fundos colere,*) fructus vendere, animalia quae illos pascant emere et postea saginta vendere ceu tradit *Fagnan. in citat. cap. Ne cleric. aut monach. n. 34. n. 19. t. 2.* et statuit s. Congregatio *in Squillacen. 13. Novembris 1620.* Quod si haec eis liceant, maxime cum habeant fundos infructuosos, in quibus necesse est pecus immittere pastum, ut uberiores fundos reddant, ut ex testibus probant, aeque oportet ut eis liceat nundinis non indecore versari vel habitu vel verbis vel factis, id quod omnino negat Episcopus in superius exposita informatione.

Deliberandum itaque erit:

An edictum diei 2. Maji 1806. quoad interventum ad nundinas sit exequendum seu potius et quomodo moderandum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad I. partem, negative ad II., nisi de licentia Episcopi gratis et singulis semestribus danda ejus arbitrio et conscientia.

Die 12. Septb. 1807.

Urbanus PP. VIII.

Ex debito etc. . . . »Quia a sacris canonibus, conciliorum decretis ac apostolicis constitutionibus omnibus religiosis ac etiam aliis ecclesiasticis, praesertim in sacris ordinibus constitutis, mercatura et negotiationes saeculares districte prohibentur ac valde damnosum, indecorum et indecens existit hujusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas, quae ad praedicandum sacrosanctum Christi domini evangelium destinatae sunt, praefatis mercaturis et negotiationibus se immiscere aut operam dare, praedictorum sacrorum canonum ac decretorum constitionumque apostolicarum dispositioni inhaerentes, auctoritate apostolica, earumdem tenore praesentium religiosis cujuscumque Ordinis *) et instituti tam non mendicantium quam mendicantium, etiam Societatis Jesu, eorumque singulis, tam in praedictis locis nunc existentibus quam in futurum ad illa mittendis, omnem et quamcumque mercaturam seu negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, sive per se sive per alios, sive proprio sive communitatis nomine, directe sive indirecte aut quovis alio praetextu, causa aut colore interdicimus et prohibemus sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda ac privationis vocis activae et passivae, officiorum ac graduum et dignitatum quorumcumque, etiam inhabilitatis ad ea et insuper amissionis mercium et lucrorum ex eis; quae omnia a Superioribus missionum, ex quibus delinquentes existent, reservanda erunt ad usum missionum, quas eaedem religiones habent et habiturae sunt in futurum in praedictis Indiis, et non in alios usus; eisdem Superioribus districte praecipientes sub eisdem poenis, ut in hoc invigilent et contra delinquentes ad praedictas poenas procedant, sublata eisdem facultate hujusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus et lucris quantumvis minimum remittendi aut condonandi.

Quod si forte aliquae controversiae inter religiosos dictarum religionum, quod Deus avertat, oriantur, Episcopi locorum praedictorum pro tempore existentes, tamquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidant et terminent. Si vero graviora quaedam negotia occurrerint, ea ad Nos et romanos Pontifices et successores nostros quantocitius ab eisdem Episcopis referantur, ut quod in illis statui ac decerni debeat matura consultatione adhibita provideri possit; sicque volumus et ordinamus.«

Sequuntur amplissimae clausulae confirmatoriae et derogatoriae atque in §. 12 haec quoque jubentur: »Mandantes propterea universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac ceteris ecclesiarum et locorum etiam regularium Praelatis per universum orbem constitutis, ut praesentes literas in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus, capitulis et jurisdictionibus ab omnibus inviolabiliter observari et quoties ab Ordinum praedictorum religiosis requisiti fuerint solemniter publicari curent et faciant.«

Die 22. Febr. 1633.

Decretum s. Congregationis Visitationis apostolicae SSmi D. Nostri Urbani P. VIII. constitutae contra religiosos et ecclesiasticos quoscumque quaestuosas artes) exercentes pro saecularibus.*

Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt in saecularibus negotiis nimium esse implicatos quaestuosas artes exercendo s. Congregatio apostolica Visitationis ad tollendos varios abusus, qui in diversis Urbis ejusque districtus monasteriis irrepserunt, dum iidem religiosi per se vel a communitatibus aut aliis saecularibus requisiti diversas mechanicas seu venales artes exercere student, quod omnino ab ecclesiastica disciplina alienum esse debet, cum praesertim in grave hoc artium et pauperum artificum eorumque familiarum in Urbe ejusque districtu existentium praejudicium cedat, statuit, decrevit atque inhibendo mandavit omnibus tam superioribus quorumcumque ordinum vel congregationum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum ac locorum regularium in Urbe ejusque districtu existentium quam particularibus religiosis et ecclesiasticis quibuscumque ne imposterum sive religionis nomine sive particulari audeant, praesumant per se vel per alios exercere in suis conventibus aut alibi in quocumque loco ullam venalem artem sive Aromatariam, pistoriam, lanificium textrinum aut aliam quamlibet praeterquam pro suis religiosorum aut alumnorum usibus nec ullo modo saecularibus aut aliis religiosis et ecclesiasticis, pharmaca, panem, carnes aut alia quaelibet opificia quomodocumque elaborata et ornata vendere etiam praetextu amicitiae et familiaritatis absque speciali licentia in scriptis obtinenda etiam ab iis religiosis, quibus ex particulari suae religionis instituto id alias liceret.

Si quis vero ipsorum aliquid contra hoc decretum quoquomodo facere vel moliri praesumpserit ipso facto poenam suspensionis a Divinis, privationis omnium officiorum quae tunc obtinebit ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrat.

Et nihilominus contra eos generalis Thesaurarius procedat tamquam contra illicitos negotiatores, confiscando omnia lucra et capitale ad dictas artes et opificia spectantia.

Non obstantibus quoad supradicta omnia et singula in praesenti decreto contenta constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque ordinum sive congregationis Casinensis, fratrum Praedicatorum, societatis Jesu, Minimorum aut aliorum quorumcumque tam mendicantium, quam non mendicantium, congregationum, societatum ac cujuslibet alterius instituti etiam necessario ac individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum et aliorum quorumcumque regularium locorum necnon illorum etam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis quibus quoad ea quae praesentibus adversantur illis alias in suo robore permansuris s. Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter et expresse derogat caeterisque contrariis quibuscumque.

Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit voluit eadem s. Congregatio, ut praesentes ordinationes in valvis Basilicarum s. Joannis Lateranensis etc. Utque earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis etc.

Datum Romae die 29. Augusti 1737. J. B. Episcopus Cam. Vicesg. et Secret. — *Odoardus Tibaldescus ejusdem Visitationis apostolicae Notarius.*

Quod Religiosi cujuscumque Ordinis et ubicumque sint nullo sub praetextu audeant mercaturam exercere.

Clemens Papa IX.

Ad futuram rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii, quo ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam praesidemus, Nos stimulat, ut ea quae christianae religionis catholicaeque fidei propagationi remoram vel

*) Vd. *supra p. 1287. n. 2.*

*) Vd. *t. I. p. 1102*: *Aromataria.*

*) Vd. *Aromataria. Medicamenta.*

impedimentum injicere ac in virorum in sortem Domini vocatorum et praesertim religiosorum, qui semetipsos abnegarunt et mundana omnia contempserunt, ut Christum lucrifacerent ejusque obsequiis mundo corde et mente tranquilla unice intenderent, honestatis gloriae maculam ponere possent, salubri sanctione e medio tollere atque radicitus evellere studeamus.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus PP. VIII.*) Praedecessor noster considerans per ss. canones, conciliorum decreta et constitutiones apostolicas omnibus religiosis ac etiam aliis ecclesiasticis praesertim in ss. ordinibus constitutis mercaturam et negotiationes saeculares districte prohiberi ac valde damnosum, indecorum et indecens existere hujusmodi personas divino cultui mancipatas ac praecipue illas, quae ad praedicandum ss. Christi Domini evangelium destinatae sunt, mercaturae et negotiationibus hujusmodi se immiscere aut operam dare, per quandam suam in simili forma Brevis die 22. Febr. 1633. emanatam constitutionem inter alia Religiosis omnibus cujuscumque ordinis et instituti tam non mendicantium quam mendicantium etiam societatis Jesu eorumque singulis tam tunc in insulis, provinciis, regionibus et regnis Indiae orientalis ac Chinae et Japonum existentibus quam in futurum ad illa mittendis, omnem et quamcumque mercaturam seu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingeret sive per se sive per alios sive proprio sive communitatis nomine directe sive indirecte aut quovis alio praetextu, causa vel colore interdixit et prohibuit sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda ac privationis vocis activae et passivae, officiorum ac graduum et dignitatum quarumcumque et inhabilitatis ad ea ac insuper amissionis mercium et lucrorum ex eis factorum, quae omnia a Superioribus religionum, ex quibus delinquentes existerent, reservanda essent ad usum missionum, quas eaedem religiones habebant et in futurum habiturae erant, in Indiis praedictis, et non in alios usus: ac eisdem Superioribus districte praecepit sub eisdem poenis, ut in hoc invigilarent et contra delinquentes ad praedictas poenas procederent sublata eisdem facultate hujusmodi delinquentibrs aliquid ex dictis mercibus et lucris quantumvis minimum remittendi aut condonandi, et alias prout in dicta Urbani Praedecessoris constitutione, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresse ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

§ 2. Cum autem multi ex iisdem religiosis et personis ecclesiasticis propriae professionis injunctique sibi gravissimi ministerii immemores ab ejusmodi mercatura et negotiationibus saecularibus non abstineant, sed sese a debita praedictae constitutionis Urbani Praedecessoris observatione sub variis praetextibus, coloribus et supterfugiis eximere conati fuerint et satagant de praesenti, in deplorandam animarum suarum perditionem, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum: Nos salutaribus doctoris gentium praeceptis edocti, quod nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ut ei placeat, cui se probavit, tam grande tamque exitiosum ab ecclesia Dei malum apostolici zeli vigore propellere scandalorumque inde nascentium occasiones recidere ac saluti animarum et christianae religionis catholicaeque fidei propagationi quantum Nobis ex alto conceditur salubriter consulere omnemque lucrorum mundanorum spem personis coelesti militiae adscriptis praesertim ad infidelium conversionem et evangelii praedicationem destinatis et in futurum destinandis, quas sicut bonos Christi milites laborare et ministerium suum honorificare oportet, ut eo studiosius ac impensius adspirante superni favoris auxilio horrea Domini novis semper frugibus locupletare satagant, omnio adimere decrevimus.

§ 3. Itaque ss. canonibus ac decretis et constitutionibus praedictis inhaerentes illaque et praesertim memoratam Urbani Praedecessoris constitutionem in iis quae praesentibus literis non adversantur approbantes et innovantes et circa praemissa de novo disponentes et statuentes Motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus cujuscumque status, gradus, conditionis et qualitatis ac cujusvis ordinis, congregationis et instituti tam mendicantium quam non mendicantium etiam societatis Jesu et earum cuilibet, quae ad insulas, provincias et regna Indiarum orientalium et praesertim in provinciam societatis Jesu de Japone nuncupatam ac in partes Americae tam australes quam septemtrionales a Sede apostolica vel congregatione Venera-

*) Vd. *p. 1330.*

bilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum aut ab earum Superioribus sub nomine missionariorum aut quovis alio titulo pro tempore missae fuerint aut in illis partibus quomodolibet morabuntur sub excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae et officiorum, dignitatum et graduum quorumcumque per eos obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque inposterum obtinenda necnon amissionis mercium et lucrorum omnium ipso facto incurrendis ac aliis Nostro et romani Pontificis pro tempore existentis vel praedictae Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis poenis tenore praesentium districte prohibemus pariter et interdicimus, ne mercaturis et negotiationibus saecularibus hujusmodi quovis praetextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione et forma etiam semel per se aut mediantibus ministris seu aliis personis subsidariis directe vel indirecte tam nomine proprio quam suarum respective religionum seu congregationum aut societatum etiam Jesu vel aliorum quorumlibet et alias quovis modo et qualitercumque se ingerant vel immisceant. Ac ex nunc prout ex tunc et e contra postquam casus evenerit, merces et lucra quaecumque, quae ex hujusmodi mercaturis et negotiationibus provenerint, in usus et commodum pauperum, hospitalium, seminariorum ecclesiasticorum ac operariorum, non tamen religionum, congregationum et societatum etiam Jesu seu instituti eorum, qui in praemissis vel circa ea deliquerint, sed aliorum non delinqentium harum serie applicamus, qui teneantur consignare merces et lucra hujusmodi locorum Ordinariis seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus aut officialibus vel apostolicis Vicariis seu provicariis, si vero tamquam dictae Sedis Delegati illa ut praefertur et non in alios usus distribuere et erogare debeant, super quibus eorum conscientiam districte oneramus. Et quia in praemissis et circa ea delinquentes, ut plurimum, praetextu necessitatis, pro eorum missionibus se excusare praesumunt, excusationes hujusmodi eis eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse vel debere decernimus et declaramus.

§ 4. Insuper eisdemmet censuris et poenis innodamus et innodatos fore declaramus Superiores immediatos ac provinciales et generales praedictorum ordinum, congregationum et societatum etiam Jesu, qui eorum respective subditos in praemissis vel circa ea etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti non puniverint; a sententia vero excommunicationis hujusmodi per Superiores vel alium seu alios quoscumque etiam quavis facultate suffultos nemo ex praedictis delinqentibus absolvi possit praeterquam in mortis articulo constitutus nisi lucris hujusmodi prius restitutis.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque etc. Ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 17. Junii 1669.

(Bull. r. t. VI. p. 280. Ed. Luxbg. 1742.)

Dubia negociationis. S. Congregatio de Propaganda Fide ab Episcopo Eliopolitano consulta super dubiis infrascriptis s. hujus Congregationis decreta expedit. Proinde proponuntur ut jacent.

Dubia circa constitutionem Clementis PP. IX. in qua prohibetur negotiatio ecclesiasticis et religiosis.

Quaeritur:

1. Ante constitutionis publicationem seu ante habitam ullam de ea notitiam merces aliquas ad conventus utilitatem collectas apud se tenebat. An eas in civitate cariori pretio vendere possit?

2. An liceat religioso res aliquas emere ex insulis Philippinis in Hispaniam novam mittendas, ut ex earum pretio cacaum aliave id genus ad se reportentur?

3. In dictis insulis religioso cuidam superest aliqua orisae quantitas ex stipendio aut eleemosyna collecta; hujus orisae Indi non parum indigent sed cum pecuniam non habent unde pretium solvant illud in aliis generibus solvunt. Quaeritur: an dicto religioso genera illa cariori pretio vendere liceat et si inde ditior factus fuerit iis a quibus provenerint genera illa lucrum restituere teneatur?

4. An dictam constitutionem infringat religiosus qui centum nummorum eleemosynam quam sibi a praelato concessum est ut indigenti matri largiatur in mercibus occupat, quas ad novam Hispaniam mittit, major ut inde matri oriatur utilitas?

S. Congregatio rescripsit

Ad I: Si collectio fuit facta ad lucrum captandum posse vendere sed lucrum applicandum esse juxta constitutionem Urbani VIII.; *) si vero collectio fuit facta ad solam sustentationem monasterii non esse veram negociationem prohibitam.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative, dummodo non adsit fraus.

Ad IV: Affirmative scilicet infringere.

Die 11. Martii 1679.

INDIARUM.

*Resolutionis Dubiorum super motu proprio Clementis IX.***)

Clemens IX. inhaerendo dispositioni ss. canonum necnon constitutionum apostolicarum signanter fel. record. Urbani VIII. in quibus indistincte omnibus personis ecclesiasticis prohibentur mercaturae et negociationes saeculares motu proprio et ex certa scientia mediante speciali constitutione prohibuit et interdixit praefatis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus mendicantibus et non mendicantibus etiam societatis Jesu in regnis Indiarum degentibus sub certis poenis in ea expressis mercaturas et negociationes saeculares tam per se quam etiam per interpositas personas directe vel indirecte seu alias quovis modo, decernens insuper, quod quoties casus evenerit merces et lucra quaecumque ex hujusmodi mercaturis et negociationibus provenientia in usus et commodum pauperum hospitalium aliorumque piorum locorum erogentur etc. prout latius in dicta constitutione continetur.

Post illius publicationem in regnis Indiarum mediante regia cedula est latum decretum super illius observantia per Archiepiscopum de las Charcas. Ab humanis decessit Don Franciscus Sambram Bastan. Canonicus cathedralis ecclesiae s. Fidei. Et quia in ejus haereditate fuerunt reperta inter alias scripturas tria publica instrumenta ad sui favorem celebrata nonnullas pecuniarum summas continentia, in quibus obligati promittebant infra annum a die stipulationis dictorum instrumentorum restituere d. D. Francisco Sambran Bastan summas in eis contentas. Fuit desuper dubitatum: an dictus defunctus negociationem exercuerit, ita ut sub poenis in dicta constitutione Clementina comminatis comprehensus dicatur. Unde attenta gravitate materiae praefatus Archiepiscopus proposuit infrascripta dubia videlicet:

1. An constitutio Clementina locum habeat etiam post obitum delinquentium, etiam si cum defuncto judicium coeptum non fuerit vel aliqua lis contestata?

2. An exactio 5 vel 6 pro centenario ultra sortem ex mutuo vel similibus contractibus sit de negociationibus illicitis et prohibitis in dicta constitutione?

3. Denique, quatenus praefatus Canonicus defunctus esset sub dicta constitutione comprehensus eo quod reliquit sua bona pauperibus et locis piis, adimpleverit disposita in dicta constitutione, quod scilicet omnia lucra ex mercaturis et negociationibus provenientia piis operibus distribuantur?

Super dictis tribus dubiis praefatus Archiepiscopus exquisivit vota et suffragia virorum insignium illarum partium; qui cum non fuerint concordes ut infra demonstrabitur decrevit suspensionem processus hujus causae illamque ad romanam curiam remisit et nuper obtinuit a SSmo remissionem dictae causae ad hanc s. Congregationem pro declaratione dictorum trium dubiorum.

Votum.

Itaque resolutio I. dubii: An scilicet procedi possit contra defunctum non obstante quod dum vixit nullum contra eum fuerit motum judicium nec contestata lis, praecipue fundatur in eo, quod constitutio Clementina nullam imponit poenam corporalem contra delinquentem sed tantum poenam ipso facto et ipso jure amissionis bonorum provenientium ex mercaturis et illicitis negociationibus.

Primo casu mortuo delinquente prorsus remanet cum delicto extincta etiam et poena. *L. Defunct. ss. de public. judic.*, ibi: »defuncto eo qui reus fuit criminis est poena extincta.« Et notant ibi gloss., Barth. Alberic., Angel. et communiter DD., Bald. *in Leg. unica c. ex delictis defunctorum col. 2. n. 2* ubi quod poena corporalis imponi nequit defuncto nec contra eum procedi.

Secundo vero casu poena amissionis bonorum est imposita a constitutione ipso facto et ipso jure: »Et ex nunc prout ex tunc etc.

*) Vd. *p. 1330.*
**) Vd. *p. 1331.*

tenore praesentium applicamus mercaturas et quaecumque lucra etc.« Et tunc durat delictum quoad poenam amissionis bonorum etiam post mortem delinquentis, etiamsi in vita nullum fuerit contra eum motum judicium ut probant *text. in leg. Cajus ff. ad Sillonian. 1. Ex judiciorum de accusation., Anton. Gomez var. resolut. t. 3. de delict. n. 80. et 81, Solorzan in sua Politica Indiarum lib. 5. cap. 11. per tot., Covarr. lib. 3. var. resolut. cap. 3. n. 7*, ubi, quod contra haeredes usurarii defuncti agi ac procedi potest ad restitutionem usurarum pro delicto defuncti actione rei persecutoriae, quamvis ad haeredes ex eo crimine nihil devenerit nec lis cum defuncto fuerit contestata. Confirmatur haec sententia ex traditis *per Bonacinum t. 2. de contract. disp. 3. pr. 8. punct. ultim.*, ubi quaerit:

Utrum bona defuncti delinquentis quae ipso facto fuerint addicta fisco possint publicari et capi a fisco?

Resp: Affirmative ea ratione, quia fiscus post mortem criminosi non amisit jus, et affert differentiam inter poenam ipso jure latam et poenam ferendam seu comminatoriam.

Quoad II. dubium:

An exactio 5 vel 6 pro centenario ultra sortem ex mutuo et similibus contractibus sit de negociationibus illicitis et prohibitis in dicta constitutione, quoties quis tradit pecuniam ad lucrum sive sit ecclesiasticus sive saecularis sive regularis, juxta doctrinam *Molin. de Just. et jur. cap. 25. dub. 2., Castropal. eod. tract. dub. 8. punct. 2., Bonacin. dub. 3. q. 6. punc. I., Tamburin. de Contract. lib. 9. tract. 8. cap. 2. per tot.* Quod autem negociatio sit prohibita clericis probatur ex *text. in cap. Quod vero 14. q. 4.* et *cap. seq.*, ibi: »Clerici ab indignis quaestibus noverint abstinendum vel ab omni cujuslibet negociationis ingenio vel cupiditate cessandum.« Et in *cap.*: *Thorum, de verb. significatione:*

»Negotiatio in commerciis dicitur ubi aliquid datur, ut majora lucretur etc.« Cumque constitutio claris et expressis verbis loquatur de mercaturis et negociationibus quovis praetextu, titulo vel colore vel ingenio tam per se quam per alios directe vel indirecte utique Pontifex omnem negociationem voluit ecclesiasticis prohibere, eo quod negociatio ut ait divus *Thomas 2. 2. quaest. 77. art. 4.* continet in se speciem mali; et s. Hieronymus ait: »Negotiatorem clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quamdam pestem fuge.«

Ad III. dubium: quatenus Canonicus defunctus esset sub constitutione comprehensus eo quod reliquit sua bona pauperibus et locis piis adimpleverit disposita in dicta constitutione, quod scilicet omnia lucra ex mercaturis et negociationibus provenientia piis operibus distribuantur?

respondetur in dictis votis: Defunctum relinquendo omnia sua bona pauperibus non satisfecisse dictae constitutioni, quia eo ipso quod commisit delictum illico fuerunt applicata bona pauperibus hospitalibus aliisque piis locis, ut clare desumitur ex verbis ejusdem constitutionis: »Et ex nunc prout ex tunc et e contra post successum casum tenore praesentium applicamus mercaturas et quoscumque fructus etc. pro usu et commodo pauperum hospitalium etc. et non aliis usibus:« Et sic non poterat defunctus extra usus destinatos in dicta constitutione bona applicare attento quod a die commissi delicti hospitalibus ac aliis piis operibus jam fuerat in bonis ex illicita negociatione defuncto obventis jus quaesitum, ita ut applicatio postea facta ab ipso defuncto extra usus destinatos nulla sit et invalida tamquam de bonis dictorum hospitalium et piorum locorum, non de propriis.

Contrariam sententiam quoad omnia subscripta tria dubia tenuerunt alii.

Respectu enim I. dubii:

An constitutio locum habeat etiam post obitum delinquentis quamvis judicium contra eum in vita institutum non fuerit, absolute firmantes, non posse hoc casu contra bona defuncti procedi.

Et pro clariori et faciliori resolutione suprascripti dubii adducunt distinctionem inter delicta publica, ex quibus principaliter laeditur utilitas publica, pax et tranquillitas reipublicae, et delicta privata, ex quibus principaliter laeditur privata persona, licet in consequentiam resultet damnum publicae utilitatis. Quando enim agitur de delictis privatis ad hoc ut actiones poenales amissionis bonorum mortuo delinquente transeant ad illius haeredes, opus erit, ut defunctus in vita fuerit accusatus et cum eo fuerit

contestata lis sive accusatio. Haec tamen requisita necessaria non sunt in delictis publicis, ut bene suprascriptam distinctionem comprobat *text. in leg. judiciorum, 20. ff. de accusat.* Cujus verba haec sunt: »Ex judiciorum publicorum effectibus non alias transeunt adversus haeredes poenae bonorum ademptionis, quam si lis contestata et condemnatio fuerit sequuta excepto repetendarum et majestatis judicio, quae etiam mortuis reis cum quibus nil actum est adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur, adeo ut divus Severus et Antoninus rescripserunt ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nil ex bonis suis alienare aut manumittere eum posse. Ex caeteris vero delictis poena incipere ab haerede ita demum potest, si vivo reo accusatio mota est licet non fuerit condemnatio sequuta etc.

Et secundum suprascriptam distinctionem inter delicta publica et privata bene applicari valet generalis regula quod poenae corporales et pecuniariae morte delinquentis extinguuntur; quod procedit tam de jure civili, ut in *L. defuncto de public. judic. l. 1. de privat. delict. 1. prima et 2., C. si reus vel accusator mortuus fuerit,* quam etiam de jure canonico, ut in *cap. quorumdam 26. distinct.*: »Sed quia jam ille examini divino relictus humano judicio accusari non potest etc.,« cum primarius finis puniendi delinquentem in eo consistat, ut ille corrigatur et emendetur in futurum, ut qui stultus fuit in culpa, sapiens sit in poena etc., *cap.: Qui ea, 39. distinct.* Inde sequitur quod mortuo delinquente cesset finis correctionis et emendationis et poena ad haeredem non transit. *L.: Si poena ff. de poena:* »Si poena alicui irrogatur receptum est commentitio jure id est antiquo jure, ne ad haeredes transeat etc.« Et hanc rationem sequuntur *Donell. in L. Unica n. 10. c. Ut ex delict. defunct., Franzis. Amaya in L. Eorum c. de jur. fisc., Comez. Var. resol. lib. 5. cap. 1. n. 76.*

Et quamvis poena a lege imposita amissionis bonorum ipso facto et ipso jure post commissum delictum exequi possit mortuo reo contra ejus bona ut notant *Tiraquell. in leg. Si unquam c. de revocandis donat. n. 296., Jul. Clar. in praxi lib. 59. 4. n. 14., Gomez lib. 3. var. cap. 1. n. 80.* vers.: *sextus casus, Guazzin. de confiscat. conclus. 15. Fragos. de repub. christiana p. 1. t. 4. disp. 11.*, attamen opinio contraria videtur verior et magis rationabilis; nam poena amissionis bonorum ipso facto et ipso jure nullatenus exequi potest contra haeredes delinquentis, quoties eo vivente, non praecessit sententia declaratoria talis delicti, ut firmant *Smaya in L. Eorum 10. c. de jur. fisc., Noguerol. alleg. 12. n. 157., Scacc. de jud. lib. 2. cap. 9. n. 243., Curt. sen. cons. 59., Menoch. de arbitr. cas. 240. n. 6., Peregrin. de jur. fisc. lib. 4. tit. 5. n. 8.*

Nec refert, si dicatur quod quando poena comminatur a lege ipso facto et ipso jure statim post commissum delictum fiscus in bonis delinquentis acquirit jus in re et delinquens amittit dominium bonorum, quia haec conclusio non videtur tuta; nam delinquens non obstante poena amissionis bonorum ipso facto et ipso jure nec etiam in conscientia obligatur ad restitutionem bonorum ante sententiam declaratoriam judicis, *d. Thomas in 2. 2. quaest. 62. art. 3., Bonacin. de Leg. disp. prima praest., prima p. 7. §. 2. n. 8., Sanchez. ad praecepta decalog. lib. 2. cap. 22. n. 7.* ubi refert plures concordantes et firmat nimis durum videri reum ante judicis sententiam esse exequutorem propriae poenae. Hinc patet verba constitutionis Clementis contra tales delinquentes:

»Qui delinquentes teneantur tradere similes mercaturas et utilitates Ordinariis locorum vel eorum Vicariis etc.« intelligenda esse ut procedi possit contra bona delinquentis post sequutam sententiam declaratoriam judicis, non autem ante.

Ex quibus dicendum videtur, non posse hoc casu contra Canonicum defunctum esto quod deliquerit procedi ad poenas contentas in dicta constitutione mediante exequutione in propriis bonis, dum in ejus vita non fuit contra eum prolata sententia declaratoria talis delicti vel saltem quod fuerit in vita uti negociator publice diffamatus, ut probat *text. in cap. Cum oporteat de accus.*: »Mandamus, quod nisi super praesentes famam illius laesam esse noveritis ad inquisitionem non procedatis etc.« Et ad propositum hujus materiae notat d. *Thomas in 2. 2. quaes. 70. art. 1.* quod judex procedens contra delinquentem occultum et non diffimatum ob defectum partis laesae peccat contra justitiam. Ex quibus convincitur, quod judicium super crimine quando non est publicum et notorium tunc illius cognitio pertinet ad solum

Deum ut habetur in *cap.: Erubescant, 32. distinct.*, ibi. »Occulta peccata Dei judicio reservantur; de manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus et judex est etc.«; *Navarr. in rubric. de judic. n. 92, D. Anton. 3. parte tit. 9. cap. 7.* Et statutum permittens ut procedi possit contra non diffamatum est ipso jure nullum, Clementina prima *de offic. ordin. L. milites c. de quaest.*

Circa II. dubium:

An exactio 5 vel 6 pro centenario ultra sortem ex mutuo et similibus contractibus sit de negociationibus illicitis et comprehensis in constitutione?

Pariter quoad hoc II. dubium vota contraria firmant talem exactionem non esse comprehensam sub dicta constitutione et moventur ex eo, nam negociatio vere et stricte sumpta est species mercaturae et verificatus solum quando quis rem aliquam emit animo ut integram et immutatam vendendo lucretur. Ita colligitur ex *cap.: Ejiciens 88. distinct., Rebell. de just. et jur. p. 2. 9. ultima* dicit, quod negociatio prohibita usurpatur pro eo quod est lucri causa mercaturam exercere.

Zevall. in suo *specul. comm. opin. quaest. 810 n. 16.* ait, quod ut clericus puniri possit tamquam negociator concurrere debet, quod rem quam emit revendat in eadem specie et forma nihil addendo vel mutando nec ponendo industriam et proprium laborem, *Barbos. de potest. Episcop. p. 2. alleg. 13. n. 11. in fin.*

Dum ergo constitutio solum prohibet mercaturas et negociationes saeculares sub hac dispositione non est comprehensus tractus usurarius mutui; idque comprobatur ex eo, quod recipere supra sortem non est tractus nec contractus mercaturae et constitutio cum sit poenalis non est extensibilis ad omnia genera delictorum sed tantum ad expressa nec valet argumentum de uno ad aliud. Nam excommunicatio lata contra furantem non extenditur etiam ex identitate rationis ad homicidam licet homicidium sit majus peccatum furto et regulariter odia sunt restringenda, non amplianda, vulgata juris regula in *cap. Poenae de poenit. distinct. 1.* Ex quibus dicendum venit pro resolutione suprascripti II. dubii constitutionem tamquam odiosam et poenalem non comprehendere lucrum 5 vel 6 pro centenario, quia tale lucrum non est mercatura nec stricta negociatio, de quibus tantum constitutio loquitur, non de aliis, et sic non est extensibilis ad tale lucrum, patet ex *cap. 2. Ne clerici vel monachi*, ubi dicitur: »Prohibemus ne monachi vel clerici causa lucri negocientur etc.«

Quod autem constitutio hoc casu locum non habeat patet ex eo, quod esto quod Canonicus defunctus exegerit 5 vel 6 pro centenario certum est, quod tenebatur restituere dicta lucra ei, a quo fuerunt soluta, non poterant proinde talia lucra per dictam constitutionem applicari hospitalibus, seminariis aliisque piis operibus.

Denique quoad dubium: an defunctus quatenus sit comprehensus sub dicta constitutione sufficienter satis fecisse dicitur, dum omnia sua bona reliquit pauperibus ac piis locis?

Respondetur in dictis votis dictum Canonicum relinquendo omnia sua bona pauperibus ac piis locis sufficienter adimplevisse contenta et disposita in edicta constitutione quae solum applicat hospitalibus et seminariis lucra provenientia ex mercaturis et negociationibus non autem alia bona delinquentis aliunde acquisita per consequens dum in ejus testamento non solum dd. lucra sed reliqua ejus bona pauperibus distribuit, abunde satis fecisse dicitur suprascriptae constitutioni.

In hac discrepantia suprascriptorum votorum non valens D. Archiep. aliquid deliberare causam ad romanam curiam remisit ad effectum ut a s. Congregatione, cui a Papa resolutio dictorum trium dubiorum nuper demandata fuit, dicta dubia resolvantur et declarentur ad hoc ut in illis partibus a romana curia remotissimis valeat dictus Archiepiscopus non solum in praesenti causa sed etiam inposterum deliberare, quid in similibus casibus statuere debeat, prout instantissime petit declarationem dictorum dubiorum.

Quare etc.

Thomas Grillus.

S. Congregatio respondit ad tria dubia (p. 1338): Ex deductis non constare de negociatione illicita, proinde non egere dubia responsione, et ad mentem. Mens est, quod dentur dubia in genere.

Die 30. Martii 1680.

(Ibid. p. 1443.)

Continuatio.

Cum de hujusmodi materia actum fuisset 30. Martii 1680 visum est Emis Patribus

praescindendo a casu tunc proposito mandare disputari dubia in abstracto. Repetendum itaque est qualiter Urbanus VIII. 1633 *) per literas in forma brevis prohibuit religiosis omnibus in Indiis degentibus omnem et quamcumque mercaturam seu negociationem quocumque modo ab eis fieri contingeret sive per se sive per alios.

Et Clemens IX. 1669 confirmans et amplians praefatas literas ita disposuit: Motu proprio etc. *vd. supra p. 1331.*

His positis dubitari contingit:

1. An exactio 5 vel 6 pro centenario ultra sortem ex contractu mutui et similibus sit de negociationibus illicitis et prohibitis in dicta constitutione?

2. An si quis incidens in dicta constitutione bona relinquat pauperibus et locis piis sibi benevisis satisfactum sit dictae constitutioni?

3. An dictus Motus proprius locum habeat etiam post obitum delinquentium etiamsi cum defuncto nec judicium coeptum nec lis contestata fuerit?

S. Congregatio resp.

Ad 1: Non esse exactionem fructuum ex mutuo comprehensam in bulla Clementis IX. sed satis prohibitum in jure. Quo vero ad II. partem dubii *similibus etc.* exprimantur casus particulares.

Ad 2: Negative et servandam formam constitutionis Clementis praedicti.

Ad 3: Dilata.

Die 10. Maji 1681.

Tricaricen. Negociationis.

Pro Rmo D. Episcopo Tricaricen

Cum Rmus Episcopus Tricaricen. humillimus. EE. VV. orator partim ad evitandam infructuositatem terrarum mensae partim etiam ad augendum annuum fructum expenderit de proprio plura scutorum millia et sic aliquas ex eisdem terris incultas propriis sumptibus reduxerit ad culturam, pro reliquis vero terris ad pascua tantum aptis animalia de propriis partim emerit et partim emere intendat, ut majorem fructum ex eisdem terris mensae percipiat habendo fructus de animalibus propriis, qui etiam erunt mediati fructus terrarum valdeque pinguiores, quam si terrae ad pascua locarentur.

*) Vd. *p. 1330.*

Supplex igitur petit Episcopus a s. Congregatione responderi:

An hae industriae sint illicitae negociationes?

Votum.

Et pro negativo responso supplicamus considerari, quod illicita clericorum negotiatio consistit tantum in emptionibus et venditionibus per modum apothecae videlicet in eo, quod minori pretio eadem res emitur, ut cariori vendatur. In hac autem industria non committitur emptio rei ut eadem carius venundetur sed tantum fit cultura terrarum; omnino licita est emptio gregis animalium, ut corporis fructiferi, nempe vacarum, ovium et similium quas emere ac emptas in terris ad ecclesiam pertinentibus vel aliis quibuscumque ubi Episcopus jura pascui habet pascere mediantibus ministris ruralibus, nulla lege vel ratione illicitum est. Quinimmo in illis partibus haec faciunt PP. societatis Jesu vigetque regula generalis licere clericis saecularibus emptiones ac venditiones, in quibus non committitur apothecaria industria, ut notat *Passerin. de stat. homin. t. 2. 9. 187 sub act. 2.* verbo: *negotiatio a n. 146. per tres seqq.;* specialiter etiam habemus decisionem hujus s. Cong. apud *Barbosam juris ecclesiastici lib. 1. cap. 40. n. 127.*, rursus apud *Passerin. alleg. art. 2. n. 153. ac 155. in responsione ad 2. quaesitum:* »Posse clericos pro cultura et usu boves aliaque animalia emere illorumque foetus justo pretio vendere.« Ubi advertendum ex I. quaesito s. Congregationem loqui de terris patrimonialibus ac beneficialibus clericorum. Nec ullo modo interdictum est clericis pro majori lucro quamcumque industriam adhibere dummodo non sit apothecaria, ut generaliter notat *Barbosa ibidem n. 124.* et *Passerinus eodem art. 2. sub n. 158. circa finem* a vers.: *Et addit.*

J. Vincentius Russophilus.

D u b i u m:

An hujusmodi industriae sint negotiationes illicitae?

S. Congregatio respondit: Negative.

Die 13. Maji 1679.

Angren. Negotiationis.

Presbyter beneficiatus in insula s. Georgii percipiens ex propriis vineis quantitatem vini difficillime potest vendere. Proinde ne illud depereat supplicat declarari:

An possit cum aliis rebus vendibilioribus permutare easque deinde per se vel administratores suos honesto pretio vendere absque illicitae negociationis reatu?

S. Congregatio respondit: Affirmative seclusa fraude.

Die 10. Junii 1679.

Melphien. Negotiationis.

Cum Joseph Donadies de Attella Melphien. dioecesis ordinatus fuerit ad titulum patrimonii et in ejus computum habuerit 30 boves aratorios, quorum fructus magis sunt industriales quam naturales, timeatque sub praetextu illicitae negotiationis vexari supplicat propterea per s. Congregationem decerni:

I. An conductio terrarum ecclesiae ad culturam pro certa portione dominicali ut mediante opera colonorum ipse presbyter adhibendo suos boves aratorios percipiat partem portionis colonicae atque hoc modo fructus ex bobus obtineat illicita sit negotiatio?

II. An dare boves aratorios ad societatem pro certa portione colonica loco pensionis debitae pro servitio a bobus praestando in cultura terrarum illicita sit negociatio?

Votum.

Et pro negativo responso ad utrumque supplicamus adverti regulam traditam a *Passerino de stat. hom. q. 187. n. 146. ad 152. pag. 327. t. 2.*, nempe nunquam committi negociationem illicitam nisi per emptionem ad effectum vendendi rem emptam in eodem statu absque mutatione, alias vero nisi hae conditiones cumulativae uniantur semper negotia clericis saecularibus sunt licita, ut plenissime probat Passerinus ibidem.

In casu autem praesenti nulla committitur emptio ad effectum vendendi et carius vendendi rem emptam in eodem statu absque mutatione, ut per inspectionem quaesitorum super facto proposito satis patet.

Specialius pro negativo responso ad I. quaesitum stant decreta s. Congregationis apud *Passerinum, ibidem sub n. 153.* vers.: *Ad quintum pag. 328.* et *sub n. 155.* vers.: *Sed postea;* insuper aliud decretum s. Congregationis Episcoporum, *ibidem sub n. 167. pag. 333.*, ac tenent auctores ab ipso Passerino allegati sub eodem *n. 167. in fine.*

Pariter specialius pro negativo responso ad II. quaesitum stant decreta s. Congregationis apud *Passerinum ibidem n. 153.* vers.: *Ad sextum* et *n. 154.* vers.: *Ad septimum*, ubi explicite definitur casus concessionis bovum ad societatem pro certa tritici aliorumque segetum seu frugum quantitate loco pensionis, cum revera hujusmodi concessio non aliud in substantia sit nisi locatio ad fructum. Ulterius extat decretum penes eumdem auctorem ibi sub *n. 155.* vers.: *Item censuit*, pluribusque allegatis firmat ipse *Passerinus sub n. 164. pag. 332* cum seq.

Nec Donadies emit boves animo locandi, quod ad coercendam avaritiae libertatem vel e Divinis diversionem s. Congregatio reprobavit iisdem decretis hic allegatis, et novissime apud *Passerinum ibidem infra n. 189. pag. 340.* Hypothesis enim quaesitorum est quod boves orator habuerit in constitutione patrimonii pro ordinatione in Sacris.

Neque contemnenda sunt quae accurate disserit idem Passerinus contra rigorem decretorum *sub n. 187.* vers: *Sed in contrarium pag. 339.*

Joannes Vincentius Russophilus.

S. Congregatio respondit: Negative in casibus de quibus agitur, et Episcopus cogat ad reducendum patrimonium ad formam Concilii.

Die 16. Martii 1680.

Tusculana. Negociationis.

R. Angelus de Maximis archipresbyter Montis Portii Tusculanae dioecesis equas numero 40 circiter ab haereditate matris quaesita et successive ad numerum conservandum etiam per aliarum loco deficientium emptionem renovatas pluribus abhinc annis dare consuevit ad societatem quinquennalem quae contrahitur inter socium majorem et minorem, non tamen ad caput salvum, ut hac mediante societate fructus tum naturales nempe pullos seu foetus earumdem equarum annuatim pro medietate tum industriales nempe frumenti portiones debitas pro tritura, quae post messem fit per ipsas equas, pariter annuatim, a socio minore perciperet ad sui suaeque familiae ac etiam hospitum sustentationem; si quid vero ex his fructibus superfuit, honesta ratione venditum fuit.

Itidem boves aratorios numero triginta circiter olim natos ex propriis vaccis et successive ad numerum conservandum etiam per

aliorum loco deficientium emptionem renovatos dare consuevit ad societatem quinquennalem alicui colono, socio minori pro novalibus conficiendis, ut annuatim vel tot frumenti quantitates vel pretia eorumdem novalium pro portionibus socio majori debitis perciperet pariter ad sui suaeque familiae ac etiam hospitum sustentationem: si quid vero ex eisdem frumenti quantitatibus annuatim superfuit, honesta ratione venditum fuit.

Nunquam tamen in hujusmodi operibus personaliter se ingessit sed omnia per socios minores laicos peracta expletaque fuere.

Ne autem calumniis aliisque molestiis vexetur idem Angelus supplex petit a s. Congregatione decerni:

1. An contractus societatis quinquennalis quoad equas ut supra exponitur illicitae fuerint negociationes?

2. An contractus societatis quoad boves ut praefertur initi fuerint illicitae negociationes?

Votum.

Et pro negativo responso ad utrumque supplicamus ad regulam traditam a *Passerino de stat. hom. t. 3. g. 187. n. 146 ad 152.* videlicet solam esse negociationem clericis illicitam ubi sit emptio ad eamdem rem carius vendendam quae species negociationis in societatibus supra enarratis commissa non fuit sed potius datio ad fructum similis locationi.

Et licet s. Congregatio ad cohibendam avaritiae libertatem vel clericorum immersiones in saeculares curas animalia coemi eo animo ut continuate in affictum dentur reprobaverit decretis relatis per *Passerin. ibidem n. 154.* vers.: *Ad secundum* et infra *n. 189*, attamen societates quae hic proponuntur non continent originarias emptiones animalium eo amino factas, ut continuate in affictum darentur sed vel animalia originarie quaesita ex haereditate matris vel nata ex aliis propriis animalibus atque ita in his terminis vigent specialia decreta de non illicitis negociationibus penes *Passerinum ibidem n. 153.* vers.: *Ad 6.* et *n. 154.* vers.: *Ad 7.*, rursus *n. 155.* vers.: *Item censuit* pluribusque allegatis firmat ipse *Passerinus sub n. 164.* Nec contemnenda sunt quae accuratius disserit sub *n. 187.* vers.: *Sed in contrarium pag. 339.*

Quin immo nec avaritiae studium intercedere potuit super 40 equabus et bobus nec immersio in saeculares curas sed tantum honesta industria ex modico peculio ad domesticam sustentationem incessantiumque hospitum etiam nobilium ac romanae curiae praelatorum commodam exceptionem. Neque frequens fuit animi applicatio ad hujusmodi contractus sed tantum semel singulis quinquenniis, quae nullo modo potuit animum avertere a servitio ecclesiae vel animarum cura. Et aptissime ad hos terminos ex eisdem rationibus hic deductis nuper s. Congregatio me informante in causa *Tricaricen.*) Negociationis* 13. Maji 1679, rursus in causa *Melphien.**) 16. Martii 1680.* decrevit tales industrias non esse illicitas negociationes. S. Congr. resp.: Negative ad utrumque.

Die 28. Sept. 1680.

Joannes Vincentius Russophilus.

Barochinonen.

Extensionis decreti.

Cum ad reducendum regulares ad veram regulam et disciplinam ecclesiasticam illosque a negotiis saecularibus deviandum et ad pauperes artifices eorumque familias sublevandum s. Congregatio Visitationis apostolicae pro Urbe Romae ejusque districtu contra eosdem regulares sub die 29. Aug. 1637 sanciverit prout in decreto cujus copia datur eodem morbo nunc grassante in civitate Barochinonen. illius universitas et pauperes artifices pro ejusdem decreti ad civitatem praedictam extensione et inviolabili observatione ad SSmum Dominum Nostrum supplicem porrexerunt libellum, et cum eidem placuerit illum ad s. Congregationem remittere supplicantur Emi PP. pro resolutione favorabili annuendo extensioni praedictae et quatenus opus sit illius novae concessioni, prout justitia assistente obtineri speratur.

Votum.

Satis vulgare est juris axioma, quod ubi viget eadem ratio ibi eadem dispositio vigere debet. Eamdemque rationem vigere ad favorem oratorum non est ambigendum, cum hoc facere satis adstricti sint ad tollenda scandala et damna evitanda quae in diem insufferenter super exercitio eorum artium a religiosis

*) Vd. *p. 1338.*
**) Vd. *p. 1339.*

recipiunt, qui loco ecclesiae Dei inserviendi ac Christum eique animas lucrifaciendi, in mundanis negotiis se immiscendo mechanicasque et quaestuosas artes exercendo non sine maxima oratorum jactura pecunias lucrari student et valde laborant, quae fuit ratio unde dicta apostolicae visitationis Congregatio ad dictum decretum devenit. Ideo cum eodem gravamine oratores sint oppressi, eodem sublevamine demereri non debent, quia et ipsi sunt filii et pater omnes filios aequaliter tractare debet; et multo magis, magis indigentibus et propter magnam itineris longitudinem qualibet die et a quolibet particulari gravamine ad SSmum recurrere non valentibus; quo casu ut populi sublevati remaneant leges praeventivae fieri debent.

Multoque fortius quia justa petenti non videtur denegandus assensus, concurrente maxime pertinacia regularium qui, licet hodie, ne a cultu divino et piis operibus, quibus destinati sunt, distrahantur, eis de congrua substentatione provisi reperiuntur, quod secus erat tempore antiquo, multoque Sanctorum, qui propriis manibus victum quaerere coacti erant, ultra quod omni tempore coelesti militiae adscripti et cultui divino destinati ab hujusmodi quaestimoniis fuerunt alieni, tamen non desinunt frequenter occasiones praebere quod ultra ss. canones summi Pontifices sacraeque Emmorum P. P. Congregationes super hac materia et decreta et constitutiones apostolicas quotidie renovare defatigentur.

Et ideo etc.

S. Congregatio resp.: Extensionem petitam denegandam. Sed danda decreta s. Congregationis in hac materia.

Die 12. Aug. 1679.

(Ibid. *p. 1451.*)

Pennen.

Baro Romualdus Herlich confisus de prudentia et fide sacerdotis Antonii Romanelli elegit eum in tutorem et curatorem suorum filiorum quoad bona Burgensatica dumtaxat relicta in reliquis cura et administratione bonorum feudalium baroni Justino Valignano et quia pro habilitando praefato Romanello ad dictum munus opus erat impetrare desuper opportunam licentiam voluit eam impetrari debere sumptibus haereditatis sub ea lege quod ubi obtineri non posset D. Marchio Silvestri avus maternus pupillorum alium illius loco in dicta tutela et cura praeficere teneretur.

Obtinuit Romanellus praefatam licentiam seu habilitationem a Nuncio apostolico Neapolis cum solitis clausulis, dummodo indecora statui ecclesiastico non exerceret sed ne unquam de illius viribus dubitari contingeret supplicavit nuper SSmo D. N. pro concessione seu confirmatione praefati indulti; cumque e converso pro parte Marchionis Silvestri praetendatur illud esse denegandum praesertim cum in haereditate adsint diversae negociationes et mercaturae, quarum administratio clericis est a jure interdicta, hinc post remissas preces ad hanc s. Congregationem pro voto et post auditas desuper relationes Ordinarii Pennen. et Metropolitani Theatini per manus EE. VV. circumferen. proponitur modo infrascriptum dubium:

An petitum indultum sit concedendum in casu etc.?

S. etc. resp.: Dilata.

Die 7. Junii 1698.

Miden. Decretorum synodalium.

Transmissis ab Episcopo Midensi ad Urbem decretis in dioecesana synodo editis in eum finem ut a s. Congregatione propagandae Fidei approbarentur insurrexit P. Portel nomine regularium illius provinciae praetendens eorum plura corrigenda et revocanda esse et signanter illa in quibus dicitur: »12: Cum negociatio clericis sit prohibita et a numerosis saecularium conventibus et congressibus convenit ut abstineant si ex officio adesse non debeant, nullus sacerdos ad nundinas se conferat sub poena suspensionis Ordinario reservatae.«

Cum autem s. Congregatio praefata decretorum hujusmodi revisionem ad hanc s. Congregationem rejecerit Emi P. P. pro eorum summa prudentia respondere dignabuntur:

An et quae ex dictis decretis sint approbanda aut reprobanda vel reformanda et quomodo?

S. Congregatio censuit ad 12: Excepto casu illicitae negociationis esse revocandum.

Die 24. Aug. 1686.

Florentina. Negociationis. Pro N. sacerdote et N. ejus Fratre.

Reliquit campsor tribus filiis suis haereditatem consistentem in pluribus *cambiis* quae a natu majore clerico olim et postea sacerdote nomine proprio et procuratorio fratrum per administrationem exercita fuerunt ac partim extincta et partim renovata.

Quoniam haec exigenda et forsan renovanda supersunt praedictus sacerdos et alter ex fratribus ad statum clericalem anhaelans pro quiete eorum conscientiae obtinuerunt proponi in s. Congregatione:

1. *An dictus sacerdos illicitam negociationem exercuerit?*

Et quatenus affirmative,

2. *An sit absolvendus ab illicita fructuum perceptione et a censuris et poenis in quas hac de causa inciderit?*

3. *An sit indulgenda continuatio dictorum cambiorum per quinquennium proximum seu aliud tempus benevisum?*

4. *An eadem continuatio indulgenda sit fratri natu minori ita ut ei non obstet quominus ad ss. etiam ordines promoveri valeat?*

Votum.

Pro parte itaque dictorum fratrum supplicatur humiliter responderi negative ad I. ex quo alia dependent.

Quidquid enim sit de quaestione an clericus in majoribus possit cambia activa contrahere post bullam b. Pii V. quae illa reduxit ad justitiam eisque dedit certam formam, ita ut hodie habeantur ad instar aliorum contractuum veluti census et similium in quibus nulla penitus considerari potest discrepantia seu alias illicita negociatio prout articulo discusso sensit *Turrius de cambiis dis. 1. q. 14. cum seqq.*, *Emus de Luca de cambiis disc. 18. n. 8. per tot.*

In casu de quo agitur cessat difficultas eo quia quae exercita sunt actualiter exercentur per interpositam personam, per quam semoto scandalo prohibitum non est clericis eorum pecunias dare ad honestum lucrum quia ecclesiasticae prohibitiones loquuntur in personam clerici et tamquam poenales et exhorbitantes non debent extendi, quando per alium haec agere sine scandalo clerici intendunt, *Layman. lib. 3. tract. 4. c. 17. n. 42.* §: *Praeterea*, *Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 7. c. 12. ad finem vers. 2.: Quaeritur*, *Aragon. 2. 2. q. 77. art. 4.*, *Bonac. de contract. disp. 2. q. 1. puncto 1. n. 15. vers. 3.: Sententia*, *Sopr. ad Filiuccium tract. 83. c. 8. q. 8. n. 5.*, *Salas de empt. dub. 2. n. 8.*, *Balonius de just. et jure c. 17. n. 4. contr. 4. n. 6.*, *Fagund. de contract. lib. 5. c. 11. n. 5. et c. 12. n. 1.*, *Diana*, *Resolut. moral. t. 1. tract. 8. re reprop. 60. et 72.* vers.: *Et mihi.* In coord. *resp. 180. et 18. t. 6. tract. 6.*, *Barbosa de jure eccles. lib. 1. cap. 39. §. 1. n. 67. et 65.* et *c. 40. n. 21.*, *Bellet. disp. cleric. p. 1. §. 21. n. 17.*, *Caball. ad cons. statut. Marchiae lib. 5. cap. 10.* verbo: *Mercatores*, *Nicol. in flosc.* verbo: *Clericus n. 9.*

Et in terminis cambii per interpositam personam exercendam *Scaccia de cambiis §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 11. n. 6.*, *Rota in recen. decis. 209. n. 29. p. 15.*, *Emus de Luca de disc. 18. n. 8.*

Eoque magis, quia haec cambia non fuerunt voluntaria vel lucri cupiditate seu avaritia a sacerdote ab initio creata sed continuata tantum ex quadam necessitate haereditatem paternam in hujusmodi consistentem manutenendi in qua etiam laici habent partem et ex ea se et familias alendi et substentandi cum suis filiis, cum campsor nil aliud praeter hujusmodi cambia reliquerit. Unde duo resultant:

Alterum quod clerico in sacris licitum est ad sui et suorum debitam sustentationem dare ad honestum lucrum pecunias per alium negociandas, *Abbas in cap. 1. n. 8.* et *cap. 8. n. 2.*, ibique *Hostien. n. 1.*, *Barbosa in cap. 6.*, ibique *Brich. de cleric. vel monachis*, *Card. de Lugo disp. 26. n. 37.*, *Castropalaus tract. 16. disp. 4. p. 12. n. 7.*, *Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 16. n. 26.*, *Barbosa de jure eccles. cap. 39. §. 5. n. 18. c. 40. n. 119.*, *Grassus eff. 6. n. 24.*, *Bellet. citat. §. 21. c. 25.*, *Ciarlin. controv. 55. n. 27.*, *Farinac. in fragm. criminali* verbo: *Clericus n. 169.*, *Pignatell. consult. canon. 34. n. 6. lib. 2.*, *Antonell. de regimine ecclesiae lib. 6. c. 7. n. 7.*, *Vulpius in praxi cap. 33. n. 6.*, qui referunt decreta s. Congregationis.

Et in terminis cambii exerciti per interpositam personam ad sui et suorum sustentationem, *Genuen. de cambiis* in *principio n. 45. et 46. inter tract. mag. t. 6. fol. 415.* ubi quod est opus valde laudabile et commendabile, *Scaccia de cambiis §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 11. n. 6.*, *Rota decis. 209. n. 21. p. 15.* et *Emus de Luca citat. disc. 18. n. 8.* vers.: *Unde propterea, de cambiis.*

Alterum quod est mera continuatio negocii paterni seu successio, quae quantumvis involvat mercaturam et negociationem non impedit quin clericus possit continuare praesertim dum habet fratres laicos forsan continuationem placitantes, maxime dum non per seipsum sed per interpositam personam omnia peraguntur, *Glos. in cap. 1.* verb.: *Conductae* et ibi *Abbas n. 8.*, *Bunius n. 4.*, *Hostien. n. 6.*, *Joannes Andreas n. 3.*, *Barbosa n. 5.*, *Fagnan. n. 8.* ibique *Gonzalez. cap. Ne clerici vel monachi*, *Vermig. cons. 450. n. 3.* ubi de continuatione societatis et mercaturae paternae, *Sylvester* verbo: *Clericus 3. p. 11.*, *Azor. d. p. 2. lib. 7. c. 15.* vers.: *Habet ex patrimonio*, ubi de negotiatione et paterna mercatura., *Lessius de Just. et jure lib. 2. cap. 21. n. 6.*, *Bonacina de censuris in bulla coenae*, *q. 19. punct. 3. §. 3. n. 5.* vers.: *Secus*, *Redoanus in pract. q. 2. n. 12.*, *Bellet. disquis. clericor. tit. de disciplina cleric. 11. §. 21. n. 35.*, *Antonell. de regim. ecclesiae lib. 6. c. 7. n. 5.*, *Lezzanus* in verbo: *Negocio n. 8.* et adsunt decreta s. Congregationis in *Caputaquen. ad 6.* de qua *Barbosa de jure eccl. lib. 1. c. 40. n. 127.*

Quinimo habemus nuperrime casum decisum in *Tusculana*)* *Negociationis* die 28. Sept. 1680, in qua a s. Congregatione determinatum fuit: Licere sacerdoti continuare gregem equarum sibi a matre relictarum, eas conservando et renovando.

Multa enim non potest agere uti laici successor praesertim in communione cum consuccessoribus laicis et per interpositam personam ut notat *Felinus in capit. Quia*, vers.: *Quia ipse, de judiciis*, *Barbatus cons. 1. n. 59. lib. 3.*, *Lopez. in L. 45.* verbo: *Arrendatores til. 6. p. 1.*

Et in quacumque rigorosiori opinione ad reddenda licita praedicta cambia per interpositam personam exercita sufficit quaelibet circumstantia illa excusans., *Vermigl. citat. con. 450. n. 3. et 4*, ubi quod ex circumstantia dicitur negociatio per accidens, *Molina de just. et jure disp. 347. n. 10.* vers.: *Ego quamvis*, *Grassus de effect. cleric. §. 4 n. 25*, *Lessius de just. et jure lib. 2. cap. 21. dub. 1. n. 6.*, *Squillant. de obligat. cleric. p. 2. n. 43.*, *Diana d. resolut. 72.* vers.: *Sed tota*, *Barbos. de jure eccles. c. 40. n. 121.*

Hinc non esset opus ad alias descendere. Caeterum breviter ad secundum in casu isto absolutio denegari non potest, quia vel nulla adest illicita negociatio vel certe in ea excusandus est presbyter, dum omnia peregit per interpositam personam, quo casu practicari solet absolutio ad cautelam ad tradita per DD. in *cap. Ven. 7. §. Sane* et *in cap. Praesentatio* et *cap. finali de sententia excommunicationis in 6.*, *Sayr. de censuris lib. 2. c. 17.*, *Nicol. instit. canon. lib. 6. tit. 38. de absol. n. 47.* vers: *Notand.*, *Pignatell. consult. canon. 59. n. 50.* ubi refert multa decreta s. Congregationis.

Quae tamen absolutio a censuris necessaria non videtur, quia licet clerico negociatori sit imposita poena anathematis ut in *cap. 6. Ne cler. vel monachi*, tamen excommunicatio non est latae sententiae sed ferendae, ut inquit *Barbosa in cap.: Cum esset n. 9. de testam.* et tradit *Molin. disp. 432. n. 2.*, *Gibal. de clerico negociat. c. 3. art. 2. n. 4*, *Diana resol. 72.*

Ad 3. et 4. pariter affirmative, quia ut supra dictum est quaelibet circumstantia excusat, quando clericus non per se sed per extraneam et interpositam personam exercet juxta notata per *Vermigl. d. cons. 450. n. 4.*, *Molin. cit. consult. 437. n. 10.* vers.: *Ego quamvis*, *Grassus de eff. 6. n. 22.*, *Barbosa de jure ecclesiastico p. 40. n. 121.* et antea *cap. 39. §. 5. n. 67.*, *Reginald. in praxi fori poenitent. lib. 25. cap. 21. n. 325.* vers: *Quinta.*

Quare etc. Octavius de Jandis Advoc.

S. Congregatio respondit: Dilata.

Die 19. Novb. 1681.

Reproposita causa rescriptum fuit: Ad mentem et mens est, ut orator explicet casum praecise cum suis circumstantiis.

Die 21. Febr. 1682.

Civitatis Castelli.

Super dubio: an liceat clericis acquirere actiones societatis vulgo dictae »di accomandita.«

Episcopus civitatis Castelli s. Congrega-

*) Vd. *p. 1339.*

tioni Episcop. et Reg. exposuit instituendam esse ea in civitate societatem argentariorum vulgo dictam Banca e Società di Accommandita. Cum porro institutores ad fiduciam nomenque eidem societati conciliandum cupiant etiam ecclesiasticos viros eidem societati cooptare eos nempe invitando ad acquirendas actiones idcirco idem Episcopus animadvertens quod ss. canones prohibeant clericos in ss. ordinibus constitutos vel beneficia ecclesiastica retinentes quamlibet exerxere negotiationem, s. Congregationi dubium proposuit: an liceat dictis clericis hujusmodi societatis actiones acquirere.

Votum.

Hujus s. Congregationis consultor de sua sententia rogatus definitione divisioneque istius societatis praemissa concludit eamdem nil aliud esse quam veram negotiationem ideoque relate ad clericos subjici censuris omnibus a ss. canonibus et a ss. Pontificibus comminatis praesertim Benedicto XIV. in bulla *Apostolicae servitutis* contra clericos etiam per interpositam personam illicitam nogociationem exercentes.

Idem consultor concludit clericis in ss. ordinibus constitutis vel beneficia ecclesiastica obtinentibus illicitum esse hujus societatis actiones acquirere.

In Congregatione itaque generali sequentia dubia fuerunt proposita:

1. Se sia permesso ai chierici promossi agli ordini magiori o possessori di benefici di acquisitare le azioni della banca accomandataria di citta di Castello nel caso?

Et quatenus negative,

2. Se si abbia a supplicare Sua Santita per un benigno indulto nel caso?

Emi Patres referente Emo Crioli rescripserunt

Ad 1: Non licere.

Ad 2: Provisum in primo.

Die 30. Jan. 1846.

Clericis interdicitur quaelibet negociatio etiam sub alieno laici nomine exceptis casibus et circumstantiis in constitutione expressis sub poenis alias contra clericos negociatores emanatis: et extenditur poena spolii ad eos etiam, qui ab illo exempti sunt per indulta personalia aut generalia, ad effectum testandi vel transmittendi.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae servitutis commissum Nobis divinitus officium assidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala quantum in Nobis est provida sollicitudine coercentes dominici ovilis gregem superna opitulante gratia ad aeternam patriam dirigemus. Sed praecipua cura constringit de eis qui ecclesiastico ordini adscripti et ad sanctioris vitae genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate praelucere debent. Vehementer enim timidi ac solliciti sumus, ne caeteros christifideles quos pro gradus sui sanctitate verbis et exemplo aedificare debent morum suorum pravitate a coelestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

§. 1. Cum itaque, ut non sine gravi animi nostri moerore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum clericorum invaserit animos, ut illicitam ecclesiasticis negociationem, ad evitandas poenas adversus illam exercentes a ss. canonibus et apostolicis romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum constitutionibus sancitas sub alieni nominis velamine, Dei timore, ecclesiasticis nominis decore et aeterno suarum animarum periculo posthabitis, temere nulliterque exercere non dubitent, et quod palam temporalium poenarum metu aggredi non audent, quaesitis deinde coloribus et vanis inanium rationum praetextibus clam efficere non timeant, quasi vel Dei oculos, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, latere vel supremi judicis qui non fallitur examen effugere possint: Nos attendentes, quod clericus qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat coelestia despicere et pro nihilo putare convincitur et quod clericus negociator ex inope dives et ex ignobili gloriosus tamquam pestis ut b. Hieronymus docet fugiendus est, ad exitiosam hujusmodi labem ab ecclesiastico coetu eliminandam et ut sancto ecclesiae Dei famulatui addicti ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes studeant bene agere et divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum, omnes et singulas romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum praedictorum constitutiones illarumque quamlibet contra quoscumque clericos illicitos negociatores desuper quomodolibet respective, cum omnibus et singulis poenis, contra eosdem clericos illicite negotiantes editas, quas constitutiones hujusmodi ac earum quamlibet praesentibus de verbo ad verbum nihilo penitus omisso pro insertis haberi volumus, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris innovamus, confirmamus et approbamus eisque et earum cuilibet novum apostolicae firmitatis et inviolabilis observantiae robur adjicimus illasque sic innovatas, confirmatas et approbatas cum omnibus et singulis poenis in eis et earum qualibet adversus clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent omnesque et singulae constitutiones earumque quaelibet adversus eos desuper editae fuissent et in eis et earum qualibet expressi et denominati reperirentur, motu proprio et potestatis plenitudine praefatis perpetuo extendimus et ampliamus illorumque omnia et singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita sub inevitabili spolii poena ad formam constitutionis fel. rec. Pii PP. IV. similiter Praedecessoris nostri, quae incipit: »*Decens est*«, subjicimus et subjecta esse volumus et declaramus.

§. 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocumque mundanarum curarum onere et humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum qui propter nos egenus factus est cum esset dives ut illius inopia nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius et expeditius sequantur, memores salutaris illius b. Apostoli moniti, qui clamat et dicit: »Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit«, per easdem nostras praesentes perpetuo valituras motu et potestatis plenitudine praefatis decernimus ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium ecclesiasticis illicitum personis licet ab eis minime institutum sed a laica persona inchoatum et ad eosdem clericos sive haereditario jure aut quocumque alio titulo sive singulariter sive communiter sive separatim sive conjunctim cum aliis bonis et aliis cohaeredibus vel sociis laicis existentibus delatum fuerit vel per se ipsos eorumque nomine proprio vel per alios aut alieno nomine etiam per suos cohaeredes aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium hujusmodi sine ipsius clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc si intra Italiam insulasque adjacentes existat clericus, a venerabilium fratrum nostrorum s. rom. ecclesiae Cardinalium decretorum Concilii Trid. interpretum Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi proviso interim, quod negotium hujusmodi a laico administretur, impetrare teneatur, dictaque Congregatio aut Ordinarius loci perpensis singulorum casuum circumstantiis licentiam impertiatur tempusque in eo ad idem negotium dimittendum praescribat et si clericus negotium praefatum licet a laico ut praefertur institutum absque licentia hujusmodi gratis semper sibi impertienda aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit vel etiam intra tempus praedictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi illumque omnibus et singulis etiam spolii poenis praefatis subjectum esse motu et potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus et definimus.

§. 3. Ac demum eo quod fel. rec. Praedecessor noster Pius PP. IV. per suas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*, declaravit praefata constitutione super spoliis*) clericorum ob illicitam negotiationem a se edita, praelatos, officiales ac alios saeculares et cujusvis ordinis regulares clericos aliosque cujusquam status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae in Urbe et curia ejusque districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi et alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi vel ad ipsorum proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali Sedis apostolicae indulto vel suorum officiorum privilegio vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendi, et quod Paulus PP. V. pariter Praedecessor noster per suas literas, quae incipiunt: »*In eminentia*«, clericos cives et curiales sive incolas hujus nostrae almae Urbis tunc suae exemit a spolio, quoad bona in eadem urbe ejusque districtu intra decem milliaria consistentia, etiam ex redditibus ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari contigit, an suf-

*) Vd. *Spolia.*

fragetur quoque ad evitandum spolium camerae nostrae apostolicae competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus, Nos constitutiones Pii et Pauli Praedecessorum Nostrorum praefatas quoad bona ex illicita negotiatione hujusmodi a civibus et curialibus sive incolis clericis cujuscumque ordinis ac dignitatis quibuscumque indultis ac privilegiis munitis comparata et in urbe ejusque districtu praefatis et ubicumque existentia minime ad praemissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia camerae nostrae apostolicae vero jure spolii deberi, *perinde ac si constitutiones Pii et Pauli Praedecessorum hujusmodi ad praemissorum omnium et singulorum effectum impediendum minime emanatae fuissent, motu simili pariter declaramus et statuimus dictasque Pii et Pauli Praedecessorum constitutiones, quoad praemissorum effectum sortiendum, plenarie abrogamus et abolemus.*

§. 4. Decernentes etc. Quocirca venerabili fratri Nostro Annibali S. R. E. Cardinali Episcopo Sabinen. Albani nuncupato camerario Nostro et ejus in cameriariatus officio successoribus per apostolica scripta mandamus, quatenus spolia ipsa ex bonis ex illicita negotiatione provenientia, uti vere spolia, prout alia ipsius camerae jura, exigi et recuperari ac praesentes nostras literas inviolabiliter observari faciat nec permittat, cameram ipsam vel pro ea agentes desuper modo aliquo molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas et appellatione postposita compescendo necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praedicti Pii et Pauli Praedecessorum aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac quibusvis facultatibus testandi aliisque privilegiis, indultis etc.

Etiam si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem.

Die 25. Febr. 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 32.)

Clemens PP. XIII.

§. 1. Cum primum inconprehensibili Pastoris aeterni judicio in b. Petri Cathedra constituti Dominici gregis curam suscepimus, complures audivimus ecclesiastico zelo ferventes viros, praesertim animarum pastores et verbi Dei praecones qui civitates atque provincias peragrant poenitentiam populis et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus et corruptelas quas pro ministerii sui officio notarunt pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorundam ecclesiasticorum avaritiam habendique cupiditatem. Quae quoniam malorum omnium radix a Spiritu s. appellatur, nil mirum, si eos omnes quorum semel animos imbuit utut in atrociora crimina non abripiat, talem in Dei cultu propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat et ad saecularia desideria conversos mundanis addicat curis et occupationibus quibus abrenunciare se publice adixerunt quum inter sacrae initiationis mysteria solum Deum haereditatis suae partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt atque omnia miscere parati ne vile aliquod lucrum sive speratum sive jam partum amittant. Hinc se ad abjecta quaelibet officia et ministeria, in gradus et ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut laicorum plerique non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt, sed saepe etiam universum ecclesiasticorum coetum contemnant; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt vel a quibus praerepta sibi viderunt honesta media per quae suae suorumque sustentationi consulere potuissent.

§. 2. Horum relationibus quas satis superque veritate innixas existimamus quibusque nonnullos etiam designari censemus regulares viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus communitatum suarum emolumentis ultra ecclesiasticae moderationis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut apostolica qua immerentes fungimur auctoritate hujusmodi corruptelam unde fidelis populi scandalum aliisque noxii consequuntur effectus de medio tollere satageremus.

§. 3. Verum quum ab ipsis ecclesiae incunabulis usque ad haec nostra tempora,

nihil apertius, nihil districtius aut Conciliorum decretis aut Praedecessorum Nostrorum romanorum Pontificum constitutionibus statutum legatur, nihil a ss. Patribus ecclesiarumque pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat quam ut ecclesiae ministri cum clerici tum monachi a temporalium lucrorum cupiditate abstinere et a saecularium negociorum sollicitudinibus arcere se debeant: cumque non solum spirituales censurae sed etiam gravissimae temporales poenae in eos decretae fuerint, qui canonicas regulas hac in re infringere aut violare praesumserint, omnibus mature perpensis nihil Nobis reliquum esse judicavimus, nisi ut Vos, Venerabiles Fratres, de constanti enixaque voluntate Nostra, Praedecessorum Nostrorum menti ecclesiaeque spiritui per omnia inhaerentes, commonefactos paternis fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam ss. legum observationem ab omnibus ecclesiasticis tam ordinariae Vestrae quam delegatae Vobis jurisdictioni subjectis ad formam ss. canonum et decretorum apostolicae Sedis ac respective synodalium uniuscujusque dioecesis statutorum exigere studeatis ac reipsa obtinere curetis.

§. 4. Ut igitur clarius innotescat perpetuum Nostrum et apostolicae Sedis studium pro religiosa praedictarum legum custodia simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo aut consuetudini (quae corruptelae potius et abusus servata legitima vocabulorum proprietate appellari debent), quibus ecclesiastici quicumque criminosam suam in negociis curisque saecularibus immixtionem obtegere aut excusare contenderent, Nos omnes et singulas canonicas leges et romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum constitutiones adversus clericos negociatores et saecularibus negociis sese immiscentes praesertim a Pio IV., Urbano VIII. et Clemente IX.*) latas atque editas, usque ad novissimam quam s. m. Decessor Noster Benedictus XIV. sub die 25. Febr. 1741.**) evulgavit, cum omnibus item et singulis poenis atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si decreta omnia in praemissis contenta eorumque poenales sanctiones praesentibus Nostris literis de verbo ad verbum inserta forent, per easdem praesentes approbamus, confirmamus et innovamus, decernentes ac declarantes, praedictis omnibus legibus ac poenis subjici ac subjectas censeri debere omnes et singulas personas ecclesiasticas, non solum e saeculari clero sed etiam e regulari cujuscumque sint ordinis, congregationis, societatis et instituti amplissimis licet et singularibus indultis, privilegiis et exemptionibus muniti et cujus etiam expressam et individuam mentionem fieri oporteret, ita ut quicumque adversus hujusmodi leges deliquerint statutas in ipsis poenas incurrant ac respective ab iis ad quos pertinet juxta casuum distinctionem et procedendi methodum alias a Trid. Synodo seu ab apostolica Sede praescriptam cum effectu mulctari et puniri debeant non obstante contrario quolibet usu, stilo aut consuetudine etiam immemorabili quae aliquo in loco, dioecesi aut regione inolevisse dici posset, quam quidem Nos veluti damnabilem abusum et imperscriptibilem corruptelam earumdem praesentium tenore damnamus, proscribimus et viribus omnibus vacuamus.

§. 5. Deinde Vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur et in Domino obsecramus, ut pro ecclesiasticae disciplinae integritate et animarum salute advigilantes in clericorum omnium Vobis tam ordinario quam delegato jure subjectorum agendi rationem sedulo inquiratis, ac si quos forte hujusmodi avaritiae labe infectos adversus canones et apostolicas constitutiones pecasse comperietis, in eos ad formam eorumdem canonum et constitutionum cum omni severitate etiam ex officio procedere non omittatis.

§. 6. In quo sane duo Vobis magnopere cavenda erunt:

1. videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant res suas ita fraudulenter componant, ut quatenus eorum crimen in judicium adducatur tueri possint se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim interposita alterius sibi suaeque cupiditati inservientis persona aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto negotiationem aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendent: modo scientes intra quos fines districtior legum censura coërceatur ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quaestibus a Superiore arguantur defendere possint, non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, in-

*) Vd. *p. 1330 et 1331.*
**) Vd. *p. 1344.*

speratum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua sed suorum aut sanguinis aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum bona, negociationibus implicita, ad eorum sustentationem ex charitatis officio et directionis titulo procurare se praedicabunt.

§. 7. Quamvis autem propria etiam experientia in episcopalis officii muneribus obeundis satis edocti simus quam difficile sit judicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur, non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi ecclesiasticae disciplinae capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram ecclesiaeque mentem ab oscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis iisdemque oblata opportunitate graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes et corda scrutatur, nihilque apud supremum illius tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc ecclesiae Praesulem decipere indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere occultumque crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt rerumque et casuum adjuncta, quae allatas excusationes probabilius admittendas rejiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternitatum Vestrarum sapientia et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

§. 8. II: Quod aeque cavere debetis, illud est, ne pravas canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem et spiritum ecclesiae, ex privatis opinionibus adventas et sine legitimi superioris assensu ad proprii cujusque casus opportunitatem accommodatas, apud Vos ullo modo valere sinatis, ubi clericorum saecularium aut regularium negotiationem vobis judicibus ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in dioecesi ab ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro judicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum de quarum natura quaeritur vel ipsam contrahentium opinionem, sed ad tollenda dubia reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc apostolicam Sedem, quae sicuti alias complures hujus generis quaestiones per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum definivit, ita etiam inposterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet idoneis editis responsis ex quibus agendi judicandique regula desumi valeat.

§. 9 Quo in genere, quum acceperimus, perspicuam nostram et apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo: *an clericis liceat cambium activum contrahere*, quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus, nihilominus ad omnem causandi occasionem amputandam praesentium literarum tenore declaramus ac definimus, cambium activum natura sua esse actum verae et propriae negociationis ideoque ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere tam proprio nomine quam per interpositam personam illud contrahere; quicumque vero e saeculari vel regulari clero cambium activum contraxerit omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris quae in clericos negotiatores constitutae noscuntur.

§. 10. Si autem ecclesiasticorum quispiam ad se excusandum, quod saecularibus negociis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique clerico canonicus ordinationis titulus vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, iisque forsan deficientibus debet ipse honestioribus artibus suaeque professioni conformibus propriis necessitatibus consulere) sed aut parentum aut sororum aliarumque personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur, primum volumus atque decernimus hujusmodi excusationem a Superiore ecclesiastico nequaquam admitti, eidem clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates apostolicae Sedi, si intra Italiam et insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem praedictas personas industria sua juvandi vel ab

eadem apostolica Sede vel respective ab Ordinario impetrasse.

§. 11. Deinde pro eo quod pertinet ad hujus curiae nostrae officia notum facimus Nostram mentem et voluntatem esse ut hujusmodi dispensationes et facultates nunquam concedantur nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse. Eoque etiam casu nunquam ecclesiasticis permittatur ejusmodi negociationis genus assumere, cujus administratio clericalem statum et characterem dedeceat; quinimmo in ipsis indultorum rescriptis et literis indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus clericus justa moderatione servata et intra veram indigentiae mensuram pauperibus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ornarii ad quos pertinet in hujusmodi dispensationibus et facultatibus concedendis observare debebunt. Hoc insuper advertentes, ne ea quae vel ab ipsis vel ab apostolica Sede peculiaribus quibusdam clericis hoc in genere aliquando permissa et justis concurrentibus causis frequentius forsan indulta dignoscuntur, (exempli gratia ut ecclesiarum fundos certa annua pensione conventa colendos exercendosque conducerent), eadem a reliquis ecclesiasticis tamquam generaliter omnibus concessa absque justa causa et sine speciali indulto usurpentur.

§. 12. Caeterum facultates ipsas etiam ut supradictum est obtentas semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatae conjunctorum indigentiae cessaverint vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione tum observantia Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus et re ipsa oneratam fore denunciamus.

§. 13. Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est quae nunc temporis cernitur ecclesiasticae dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus ecclesiastici viri proprium decorem totiusque coetus et ordinis existimationem eo frequentius atque securius objicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari literae ss. canonum et constitutionum ab ap. Sede editarum, proindeque se censuris et poenis ibidem statutis nequaquam subjiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium et ceterorum, quae in propriis ecclesiaeve fundis enascuntur seu aluntur, necnon in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis et sollicitudinibus hujus saeculi deditos ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem evecti, merito reputantur infra ipsos abjectissimi status homines sese demittant et qui filii lucis esse et apparere deberent saeculi filios terrenae aviditatis anxietate superare videantur. Hos ajebant omnibus nundinis atque mercatibus laicali propemodum apparatu ac specie se sistere nec quidquam minus quam clericalis moderationis atque modestiae vel eccl. decoris et gravitatis specimen praeferre.

§. 14. Quibus nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta et provida ecclesiastici patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam permissum dignoscitur, vel etiam a ss. Patribus et eccles. legum conditoribus eorum deligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae clericis quoad rei substantiam non prohibentur et tamen eorum usus sub certis dumtaxat modo et forma iis permittitur, iis autem, qui praescriptum modum excesserint statutamque ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae tum etiam spirituales censurae a ss. canonibus infliguntur; cujus rei innumera extant exempla in gener. canonici juris legibus ac etiam in peculiaribus dioecesum statutis, quae plura de vita et honestate, de habitu et tonsura clericorum sive observanda sive vitanda praescribunt: ita Vos, VV. FFr., oportet, ecclesiasticorum omnium, qui in dioecesibus vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspectantes, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod clericalem statum dedeceat, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes non sibi licere putent indecoris actibus eam deturbare debitamque eccles. ordini existimationem et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse

non tam quae sua sunt quam quae Jesu Christi quaerant et curent: sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis decretis conditis ac severioribus edictis propositis ejusmodi clericorum trupitudini et cupiditati obviam ire ac delinquentium culpas, habita minoris majorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentiis emendare, nunc demum districto poenarum ac etiam censurarum gladio ad caeterorum exemplum coercere et punire.

§. 15. Et parem quidem vel etiam majorem pastoralis zeli Vestri sollicitudinem atque constantiam requirit aliud corruptelae genus, quod plures ecclesiasticos viros inficere et ab ecclesiae servitiis obductas ad saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam operamque suam, quam totam divino cultui et proximorum utilitatibus ex charitatis lege impendere deberent, laicorum obsequiis objectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negociis administrandis curandisque, pro temporali eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis deflenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius repraehendenda sit laicorum praesumptio, qui sanctuarii ministros, a quibus christianae vitae documenta aeternaeque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eis in domesticis officiis sibi dicto audientes servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

§. 16. Verum quod altius animum Nostrum sollicitat illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat, quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere confictoque sibi patrimonio, cujus fructus aut nulli sint aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines absque redditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus promoveri. Quare ne quis Vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta Vos omnes et singulos enixe hortamur atque monemus, ut cautiores hac in re oculatioresque Vos praebeatis, ne cui subditorum Vestrorum detur ad s. ordinationem obrepere, qui ex beneficio ecclesiastico vel ecclesiastica pensione aut ex patrimonio sibi constituto, in casibus a jure permissis, omni submota collusione ac fraude, eam reipsa non percipiat annui redditus summam, quae synodalibus cujusque dioecesis statutis aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

§. 17. Clericos autem et sacerdotes in laicorum domibus ejusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum et professionem dedeceant quaeque eos a divinis obsequiis et propriae perfectionis cultura ad illiberalium occupationum et saecularium negociorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere aut forte obfirmatos de sua ab ecclesiae castris defectione impune gloriari sed omni pastoralis sollicitudinis studio et quatenus opus sit tota ordinariae ac delegatae jurisdictionis auctoritate servatis servandis eosdem ad ecclesiasticae vitae instituta et ad clericalis militiae munera revocare curetis.

§. 18. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae pro apostolici ministerii Nostri officio ad ecclesiastici ordinis honestatem dignitatemque tuendam et vindicandam sollicitudini Vestrae suggerenda enixeque commendanda judicavimus. Hac enim in re, quae ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, Vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui subditorum Vestrorum facta eorumque adjuncta, regionum necessitates et personarum mores, quidque apud prudentes et probos viros honesti aut indecori speciem habeat, in singulis locis praesentes constitui et melius agnoscere et securius aestimare potestis. Ut autem liberum Vobis sit in hoc rerum genere inordinata quaeque corrigere et reformare quodamque dispensationis aut facultatis indultum circa praemissa a quolibet Romanae Curiae Officio hactenus concessum, prudenti arbitrio Vestro moderandum permittimus, nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus et votis adjectisque eidem indulto ejusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius exequutione et effectu ita cognoscendi, ut nemini ecclesiasticorum liceat, illius praetextu negocium ullum aut ministerium minus honestum contra interdictum Vestrum assumere aut susceptum retinere et protrahere.

Romae apud s. Mariam Majorem die 17. Sept. 1759.

(Bull. r. Continuatio t. I. p. 227. Ed. Rom. 1835.)

26) Parochianus est ecclesiae, cui deservit.

Vd. *Clericus* (dioecesi etc. p. 1299. n. 15). *Dioecesanus* (revocatio.)

Januen.

Clerici perpetuo alicujus ecclesiae servitio addicti ac titulum beneficii residentialis in ea habentes censentur filii et parochiani illius ecclesiae, in qua jugiter spirituali pabulo reficiuntur et Divina audiunt aut peragunt non autem paraeciae, ubi retinent lares; arctius siquidem ecclesiae, ubi sacramenta percipiunt et Divina audiunt, quam paroeciae, in qua domicilium constituerunt, conjunguntur, *Amostaz. de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 10., Franc. de eccl. cathed. cap. 17. n. 14., s. Congreg. in Andrien. 20. Decb. 1766.* §. *Eveniente.*

Canonici sive intra limites paroeciae cui fuerunt adscripti sive in aliena parochia domum habeant, ibi domicilium ratione beneficii cum residentia contrahunt, ubi residere tenentur, *Bursat. consil. 226. n. 18., Reiffenst. Jus canon. lib. 3. tit. 28. n. 15.* Hinc s. Congregatio *in Dertonen. 3. Decb. 1718.* proposito dub. XV.:

An Canonicus ecclesiae collegiatae habitans in domo sita intra fines alterius parochiae ex quo dicta ecclesia caret aedibus canonicalibus teneatur in ultima infirmitate recipere Sacramenta ab ecclesia collegiata vel potius a parocho domicilii?

responsum dedit: *Affirmative ad I. partem, negative ad II.*

Die 16. Junii 1827.

27) Patrinus in baptismo.

Vd. *t. II. p. 115.*

28) Pecunias investiendi facultas.

Vd. t. II. p. 1089. XI; *Clericus* (negotiator.)

Circa facultatem clericorum aut piorum locorum proprias pecunias investiendi per contractum, qui creditum fructiferum appellatur. *)

Dubitatum est, an liceret viris ecclesiasticis suas pecunias aliis dare contractu inito qui creditum frugiferum appellatur. Pariter dubitatum identidem est, an pecuniae propriae locorum piorum investiri possint in frugifero credito.

Ratio autem dubitandi triplex esse potest, 1. an hujusmodi contractus ex sese sit licitus: 2. an licitus sit clericis locisque piis, quae a quaestuosis negociationibus abstinere debent: 3. an creditum fructiferum tamquam canonicum investimentum considerari possit; quae tertia dubitandi ratio refertur dumtaxat ad loca pia.

Ad primam autem dubitandi rationem quod attinet, creditum fructiferum cum requisitis Castrensibus constitutum licitum ex sese esse in dubium revocari non potest. Requisita enim Castrentia, quae a Paulo de Castro nomen accipiunt, non sunt aliud nisi tituli extrinseci lucri cessantis et damni emergentis quae obveniunt subventori seu creditori qui suam pecuniam alteri confert. Qui enim dat pecuniam mutuam, jus sibi reservare potest exigendi damnorum redintegrationem, quae occasione hujus mutui contractus sibi obveniant. Qui enim ex. gr. suam pecuniam in capsa publica tuto posset deponere vel in schedis debiti publici eam impendere est paratus, ut legitimam moderatamque deinde usuram percipiat, eo ipso hoc lucrum amitteret ac damnum subiret, si alteri pecuniam mutuo traderet, nulla percepta usura, quae lucro cessanti seu damno respondeat. Ejusmodi autem usuras quae non ex vi contractus mutui derivant, sed ex extrinsecis titulis, licite percipi posse communis est doctrina. Quae quidem confirmari etiam posset ex civilibus codicibus RR. Pontificum nempe ex motu-proprio Pii VII. fel. rec. edito die 22. Novembris 1817 art. 1742; item ex motu-proprio Leonis XII. die 5. Octobris 1824 art. 1061; et ex motu-proprio Gregorii XVI. die 10. Novembris 1834 §. 1619 in quo nominatim statutum est: »requisita castrensia (verba latine reddita recitamus) invocari poterunt, 1. ut frugiferum evadat debitum certum et liquidum cujus solutionis dies cesserit; 2. ut augeantur usurae; 3. ut resarcitur damnum emergens ex debitoris mora.« Si enim invocari potest lucrum cessans et damnum emergens adversus debitorem qui certam pecuniam solvere creditori moratur, idem affirmari potest de eo qui alteri pecuniam mutuo tradat, adjecta

*) De ejusmodi quaestiuncula agit cl. Adv. Alexander Raphael Farricelli in suo opusculo cui titulus: *Raccolta di opuscoli di giurisprudenza canonica civile. Roma typographia Salviucci 1867.*

conditione non amittendi honestum lucrum, quod alias facillime et statim perciperet.

Sed liceitate contractus crediti fructiferi ex requisitis Castrensibus in tuto posita videndum est, an iniri licite possit ejusmodi contractus a viris ecclesiasticis quibus interdictae sunt quaestuosae negociationes. Ad solutionem hujus quaestionis satis ést affere doctrinam s. Rotae in *Ravennaten. Pecuniaria* diei 17. Februarii 1851 §. 9, coram Bonini, quam doctrinam refert etiam laudatus Alexander Farricelli: ibi autem legitur: »Et levior erat objectio quam rei conventi ad evitandam fructuum solutionem desumere voluissent ex qualitate creditoris, cui tamquam ecclesiastica dignitate praedito canonicarum legum sanctione vetitum fuisse contendebant frugiferum nomen inire. Sane praeter quam quod canonici juris censura ab illicitis negociorum quaestibus clericos arcens haud praesidium debitoribus praebeat, ut a debitis usuris absolvantur, sed jus dumtaxat ecclesiasticae tribuat auctoritati in clericos negociatores animadvertendi, ceu colligere est ex verbis s. m. Benedicti XIV. *de syn. dioeces. lib. 10. c. 6 n. 3*, peremptorium illud occurrebat non de activo cambio rem in themate fuisse, a cujus stipulatione ob quandam negociationis speciem intercedentem sacri canones ecclesiasticas arcent personas, verum de licito atque honesto contractu in quo, citra ullam negociandi rationem atque obligationem, creditor ratione tantum amissi lucri et damni sibi illati, de quibus legitimae suberant probationes, moderatam juxta temporis et loci consuetudinem fructuum praestationem stipulatus sibi fuit: quod ecclesiasticis personis non impermissum docent prae caeteris Leotardus *de usuris* etc.

Et iterum idem docetur in ejus confirmatoria decisione coram eodem Bonini die 4. Junii 1855 §. 5, ubi legitur: »Parisque levitatis erat objectio altera in eo posita, quod creditori Lucconio tanquam ecclesiastico non licuisset frugiferum creditum inire ejusque usuras sibi stipulari. Redibat primo, nonnisi inaniter a reis conventis invocari canonici juris censuram ab usurariis contractibus clericos arcentem, cujus non est scopus debitoribus opitulandi, eosque a debita usurarum solutione eximendi, sed clericos dumtaxat illicitae negociationi operam dantes condignis poenis subjiciendi, ceu docent s. m. Benedictus XIV. *de synod. dioec. l. 10. c. 6 n. 3*, Card. de Luca etc. Sed rem denuo perimebat, quod objecta canonica sanctio activa dumtaxat cambia respiciat eaque tantum clericis prohibeat veluti quamdam praeseferentia negociationis speciem, a qua se abstinere illos decet. Quare aliena prorsus haec sacrorum canonum disciplina comperiebatur a themate, in quo res erat non de cambio activo, sed de fructibus ex legitima Castrensium requisitorum interpositione conventis, a quorum stipulatione ecclesiasticas personas non prohiberi docent prae caeteris Leotardus et Card. de Luca etc.«

Itaque secundum s. Rotae doctrinam prohibitum clericis non est eum contractum inire qui creditum frugiferum dicitur cum conditionibus Castrensibus, neque proinde proinde prohibitus dici idem contractus potest lociis piis: non enim redolet quaestuosam negociationem.

Ad tertiam dubitandi rationem, quae loca pia dumtaxat respicit, dicendum est, creditum fructiferum regulariter haberi non posse tamquam canonicum investimentum pecuniarum quae, canonica lege urgente, necessario sunt investiendae, puta pretium redactum ex aliquo vendito fundo ad locum pium pertinente vel aliquod relictum legatum pro onerum praescriptorum satisfactione etc. Ejusmodi enim pecuniae, quae ad substantiam ecclesiastici patrimonii pertinent in fundis stabilibus tutis et frugiferis sunt investiendae, qui si non facile reperiantur, in subsidium admittitur investimentum in censu. Haec eruuntur ex praxi s. Congregationis Epis. et Reg., quam ostendit cl. adv. Aloisius Trombetta in opusculo alias laudato, cui titulus: *Praxeos regulae circa contractus etc. cap. 7.* ubi tradit investimentum proprie dictum primario fieri debere in bonis stabilibus tutis ac fructiferis, secundario vero et in subsidium fieri posse in censu.

Verum non raro hodiernis diebus contingit, ut illi, qui investire teneantur aliquam summam, cupiant creditum fructiferum constituere: neque sine ratione; nam ex multiplici causa utilius existimatur ejusmodi investimentum quam illud quod in censu consistit; cum autem hoc juxta exposita canonicum non sit, ad s. Congregationem Epis. et Reg. preces admoventur, ut facultates ad ejusmodi investimentum faciendum obtineantur.

Praxis autem est, ut s. C. facultatem tribuens id directe non approbet: rescribere enim solet pro facultate collocandi pretium in *tuto, honesto et licito investimento.*

29) Percussio et vis illatio.

a) Excommunicatio adest.

Vd. t. III. p. 910. II.

Mediolanen.

(Conc. Tr. c. 3. s. 25. de ref.)

In oppido Clivatis Mediolanensis dioecesis coenobium extat monachorum montis Oliveti, cujus abbatia commendata est Emmin. Cardinali Odescalco Archiepiscopo. Penes Abbatem commendatarium stare dicitur cura habitualis; ecclesia etenim coenobii est parochialis et cura actualis exercetur a perpetuo Vicario. Inter monachos et Vicarium jurgia et contentiones saepius exortae sunt. Cum autem die 26. Januarii 1718 Livius Bazzana Vicarii munere fungens percussus fuerit a duobus monachis ab Antonio videlicet Petragrossa sacerdote et ab Alexandro Jumagallo Laico converso nonnulla acta in curia archiepiscopali gesta fuerunt, de quorum validitate in praesenti est disputandum, uti desumitur ex I. dubio mox referendo et ex caeteris inter partes concordatis; cumque hinc inde scripturae distribuantur, dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An acta hactenus facta per curiam archiepiscopalem Mediolanen. contra Rev. Patrem Antonium Petragrossa et Fr. Alexandrum monachos sustineantur in casu?

II. An liceat eidem curiae archiepiscopali declarare vel saltem denunciare excommunicatos in vim canon.: *Si quis suadente* dictos monachos, in casu?

Et quatenus negative,

III. An constet de sufficienti punitione facta per dictum Abbatem regularem, in casu?

Et quatenus negative,

IV. An, quo modo et quibus poenis sit procedendum contra dictos monachos?

V. An licuerit eidem Abbati regulari absolvere praedictos monachos a censuris, si quas incurrerint in vim dicti canon.: *Suadente etc.* in casu?

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative excepto monitorio expedito die 14. Febr. 1718 necnon excepta citatione expedita die 2. Junii ejusdem anni;

Ad II: Licere renovota tantum citatione juxta instructionem;

Ad III: Negative;

Ad IV: Esse detrudendos nomine S. C. in carcere monasterii et R. Abbatem certioret Emus Archiepiscopus de poena delinquentibus imposita;

Ad V: Negative.

Die 2. Decb. 1719.

Callien.

(Conc. Tr. c. 3. s. 14. de ref.)

Episcopus per suas literas significavit factum quod in sua dioecesi accidit et cujus circumstantiae ut accuratius perpendi possint, verba ipsa epistolae hic exscribentur: »Parochus pro ejus ecclesiae servitio quemdam clericum minorem Joseph Malet Hispanum secum detinens manu eumdem clericum in capite semel atque iterum percussit necnon pluribus contumeliosis verbis magnam denotantibus iracundiam affecit, eo quia iste morem eidem gerere in quodam domestico famulatu recusavit, simulque ob talem saevitiam illi amplius inservire nolle necnon ab illius domo quamprimum velle discedere aliis domesticis affirmavit. Sequenti vero die idem parochus quaedam in ecclesia disponere quae ad missae celebrationem erant necessaria dicto clerico injunxit, qui respondit, quod se ab illius servitio dimissum reputabat illique amplius obtemperare nolebat ob illatas sibi offensiones. Qua de re ira succensus parochus multis improperiis et verbis valde injuriosis maximam animi commotionem denotantibus in dictum clericum prolatis primum pugno deinde baculo eum verberavit, qui statim e parochiali domo aufugit necnon parochi servitium reliquit, quamvis postea ex cujusdam opera et interpositione discedendi animum dimiserit et nunc etiam in dicto servitio persistat. At quia clericus ut supra percussus in suo examine deposuit se fuisse verberatum a dicto parocho tanquam ejus patre et magistro asserendo non absque magna subornationis suspicione ac vehementi fumo et quia parochus idem ad correctionem illum percussisse jactat, in quo tamen modum excessisse vide-

tur, ideo nunc dubium animum meum pulsat, an in praesenti casu locum habere debeant censurae *can.* »*Si quis suadente*« praesertim quia dictus parochus magna indignatione etiam ante percussionis actum contra dictum clericum captus erat, prout idemmet parochus ipsis testibus examinatis asseruit, et quia factum notorium jam evasit non absque aliquo scandalo in populo; et tamen parochus ipse, etiam a me quamvis monitus, neque ad cautelam a Divinis voluit se abstinere.« Itaque declarari a s. Congregatione Episcopus postulat, an parochus in excommunicationem inciderit?

Magistrum sive alium superiorem qui disciplinae vel correctionis causa adolescentem clericum percutiat non effici obnoxium anathemati inflicto in *can.* »Si quis suadente« *17. quaest. 4.* plura declarant pontificia rescripta, quae habentur in cap. *Super eo 1. cap. Ex tenore 10.* et *cap. Cum voluntate 54* et *cap. Universitatis 24. de sent. excom.*

Id tamen exigit conditionem, ut castigatio sit moderata et ecclesiasticae disciplinae modum non excedens sed et causae et personae proportionata, ita quidem, ut ad violentam manuum injectionem vel ad vindictam ex concepta ira intentatam referri nequeat, quemadmodum explicant canonici juris interpretes ac praesertim *Abbas in cap. Super eo sub n. 1. et 4., Joan. Andr. in cap. Ex tenore sub n. 2., Ancaran. ibid. n. 2., Gonzal. in dict. cap. Super eo n. 4.* et in *cap. Cum voluntate sub n. 1., Fagnan. ibid. n. 29 et seq., Reiffenstuel in jus canonic. lib. 5. tit. 39. §. 2. n. 121., Pirhing. lib. 5. decretal. dict. tit. 39. sect. 3. §. 3. n. 72., Schmalzgrub. lib. 5. decretal. tit. 39. n. 235., Suarez de Censur. disp. 22. sect. 1. n. 41., Barbos. de jur. eccles. lib. 1. cap. 39. §. 1. n. 75., Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 9. n. 226. et seq.*

Hoc ipsum quoque tradunt doctores de verberante clericum suo addictum servitio, ut videre est apud *Abb. in dicto cap. Ex tenore n. 4., Joan. Andr. in eod. cap. sub n. 2., Aut. de Butr. in cap. Super eo n. 7., Boioch. ibid. n. 11. et seq., Ancharan. in dict. cap. Ex tenore n. 2., Carol. de Grass. loc. cit. n. 225.*

Affinem quoque casum tractat *Pignatell. Consult. 107. t. 1.* his verbis: »*Canonicus clericum quemdam in minoribus manuali mercede sacristiae servientem in officiis inferioribus ut verrendi, campanas pulsandi, Canonicis inserviendi etc. minus prompte sibi obtemperantem manu leviter percussit cum aliqua indignatione et increpatione. Quaeritur: An in aliquam excommunicationem incurrerit vel saltem mortaliter peccaverit?* Respondet vero: *Negative.*

Perpensis igitur circumstantiis expositis in epistola Episcopi placeat Eminentiis VV. declarare:

An parochus in casu de quo agitur in excommunicationem inciderit?

S. C. C. resp. *Affirmative.*

Die 16. Maji 1733.

Absolutio.

Vd. p. 1358. c.

Facta potestate a SSmo Dno. Nostro Leone PP. XII. s. Congregatio Immunitatis ecclesiasticae et controversiis jurisdictionalibus praeposita Amplitudini Tuae tribuit facultatem plenarie absolvendi juxta praescriptum Ritualis romani sacerdotem Joseph Zamicemowski ab excommunicatione majori summo Pontifici reservata*) in quam incidit ob violentam alterius sacerdotis percussionem, illumque ab irregularitate dispensandi.

Absolutioni praemittendae sunt conditiones in hujusmodi casibus servari solitae, nempe jurata in scriptis obligatio in episcopali concellaria servanda de se abstinendo imposterum a similibus, partis offensae ob illatam injuriam satisfactio, gravis demum et tanto excessui respondens admonitio: inde salutaris poenitentia imponenda.

Ad aliorum exemplum et scandali reparationem absolutioni adsint omnino plures clerici ab Amplitudine Tua seligendi; adstent etiam nonnulli viri graves laici, nisi aliter Amplitudo Tua censuerit, quod tamen s. Congregatio arbitrio et prudentiae Tuae relinquit.

Romae die 11. Nov. 1828.

Dubium super Oblatis.

Ex decreto alias per s. Congregationem ut supponitur edito (non tamen a me reperto) in *Nicoteren* 10. Aprilis 1628 resolutum esse dicitur, Oblatos in aliqua religione in qua perpetuo sese et bona sua cum effectu obtulerunt gaudere privilegio fori et esse exemptos a vectigalibus. Hinc Episcopus Anglonen. in cujus dioecesi saepe contingit

*) Vd. *t. III. p. 910. II.*

quod hujusmodi Oblati a laicis aliisque personis percutiantur etiamsi pro ecclesiasticis reputentur, ex decreto et juribus per manus circumferendis supplicat declarari:

An percutientes, vulnerantes vel occidentes eosdem Oblatos incurrant in excommunicationem contentam in canone: *Si quis suadente* vel in bulla Coena Domini et contra eos per censuras procedi possit?

Sacra etc. resp.: Affirmative dummodo ultra alia requisita habitum gesserunt ac in conventu et sub obedientia vivant.

Die 8. Julii 1690.

b) Excommunicatio non adest.

Leodien.

(Conc. Tr. c. 6. s. 23. de ref.)

Franciscus Conradus Bomezshome Canonicus collegiatae ecclesiae Aquensis querelam exposuit coram Rev. Nuntio Coloniae, quod die 17. Nov. 1725. dum ipse post vesperas in capellam destinatam ad effectum se exuendi vestibus clericalibus ingrederetur, Quillelmus Moers senior Canonicus ejusdem ecclesiae adhuc indutus eisdem vestibus choralibus violentas manus in eum injecerit; hinc instetit, quod iste declaretur incursus in poenas praescriptas in canone: *Si quis suadente diabolo 17. quaest. 4.* et ad probandum hanc violentam manus injectionem exhibuit extrajudicialem depositionem duorum testium nempe alterius Canonici Francisci Delegrange et Claudii Franzisci de Verneville deponentium se vidisse, quod Canonicus Moers dicto die quaerelantem aggressus fuerit manibusque in pectus percusserit et nisi ipse Canonicus Delegrange se interposuisset adhuc baculo manibus elevato eundem percussisset.

Lacessito itaque Canonico Moers ad comparendum et dicendum causam quare etc. iste allegavit prius pendentiam litis coram capitulo Aquensi, ubi ipse in querela praevenerat, sed postea consentiens in Tribunal Nuntiaturae factum ita evenisse respondit, nempe quod requisitus amicabiliter ab ipso Canonico Moers praefatus Canonicus Romerzhome, ut solveret debitum ejus sorori, quae penes capitulum insteterat pro appositione sequestri super fructibus praebendae, admonitionem istam aegreferens dictus Canonicus Romerzhome turbato animo et injuriosis verbis se approximavit exponenti, qui nesciens qualis esset ejus animus sinistram manum in pectus injecit pro eo repellendo, sed Canonicus Romerzhome aggrediens ipsum Canonicum Moers eumque pugnis in facie et capite percutiens in terram projecit; hic vero e terra surgens baculo quem ob senectutem deferre consueverat in altum ducto illum comminatus est; hic se interponente supradicto Canonico Delagrange ad ulteriores actus non fuit processum et ad hoc probandum duos alios testes produxit.

Examinatis subinde testibus in vim decreti Nuntiaturae primus testis Canonicus Delagrange productus a Romerzhome ad 18 et sequentia interrogatoria respondit, vidisse Canonicum Romerzhome nimia cum festinatione prope Canonicum Moers accessisse et quod iste accedentem manu a se retraxerit et postea in terram ceciderit et subinde baculum elevaverit, sed haud percusserit Canonicum Romerzhome.

Secundus testis Claudius Franziscus Verneville pariter productus a Romerzhome, deposuit vidisse illos inter se disputantes ac sese invicem accedentes et Moers leviter manu retinuisse Canonicum Romerzhome ac utrumque sine coma fictitia: audivisse etiam injuriosa verba proferentes; et quod viderit Canonicum Moers habentem baculum elevatum in manibus, nunquam vero percussiones.

Tertius testis Joseph de Reux exhibitus a Canonico Moers asseruit se vidisse Canonicum Moers in terram prolapsum sed causam nescire: necnon ambo se invicem in fervore constitutos defendentes et Moers ad quandam arcam vestiariam retrocessise et quod iste elevatum baculum in manibus haberet. Quartus tandem testis Dominicus Hoffmann ab eodem Moers productus deposuit se tantum vidisse utrumque collitigantem sine comis fictitiis in teram jacentibus, ut latius ex eorum depositionibus, quae dantur in summario Canonici Moers.

In tribunali Nunciaturae prodiit sententia absolutoria Canonici Moers ab instita actione una cum condemnatione Canonici Romerzhome Actoris ad omnes expensas isto etiam monito, ut consuleret conscientiae suae super incursu in censuras et injuncto capitulo, ut pro dictis scandalis ad debitam correctionem procederet.

Ab hac sententia recursum habuit Canonicus Rometzhome ad s. Congregationem auditoque desuper Rev. Nuntio qui se remittit ad processum transmissum proponuntur duo sequentia dubia Canonico Romerzhome sua jura non adhuc deducente:

1. An Canonicus Moers incurrerit in poenas canonicas: »Si quis suadente diabolo« etc.?

Et quatenus negative,

2. An sit locus executioni sententiae R. P. D. Nuntii Coloniae in casu?

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative.

Ad 2: Affirmative.

Die 9. Sept. et 16. Decb. 1730.

Paderborn.

Vicarius generalis Paderbornen. per libellum SSmo remissum hanc facti seriem proponit: Titius religiosus ordinis non exempti sacerdos cum Sempronio etiam sacerdote prius clara die verbis collidit, dein Titius vespere Sempronium in tenebris expectat, eum invadit et impactis iteratis sat vehementibus alapis in faciem taliter caedit, ut copiosissimus sanguis ex naribus effluëret et vestigium ac notam aliquot diebus a toto conventu visam retineret, idque duobus sacerdotibus praesentibus et ulteriorem violentiam cohibentibus. Aberat casu monasterii Abbas in longinqua profectus et aderat alterius monasterii Abbas prioris quidem ordinarius visitator sed pro illa vice tamen ut hospes, qui altero mane in secreto Titium praesentibus duobus aliis qui actui interfuerant absolvit. Unde quaeritur:

1. An Titius sit habendus pro notorio percussore clerici?

2. An talis percussio sit levis, an censenda gravis et enormis?

3. An ab illa Abbas sine speciali privilegio absolvere possit vel sit casus Sedi apostolicae reservatus?

4. An alterius monasterii Abbas sine praescitu et consensu proprii Abbatis suorum monachorum ordinarii talem percussorem absolvere potuerit?

5. An per datam absolutionem fuerit Titius in foro fori ab excommunicatione absolutus?

6. An non prius debuerit et debeat adhuc praestare juramentum standi praeceptis ecclesiae et absolvi secundum ss. canones et formam in Pontificali romano praescriptam?

7. An religiosorum non exemptorum Praelati possint in capitulo annuali condere aliquod statutum ss. canonibus contrarium, ut v. g. religiosus notorius clerici percussor possit absolvi absque praestito a ss. canonibus juramento et non observata forma ab ecclesia praescripta, idque sine consensu Sedis apostolicae?

Sacra etc. resp.

Ad 1: Negative.

Ad 2: Esse levem.

Ad 3: Affirmative.

Ad 4: In casu de quo agitur affirmative.

Ad 5: Affirmative.

Ad 6 et 7: Negative.

Die 8. Augusti 1682.

Votum Cardinalis Casanate.

Ad 1: Negative. Quia percussio commissa fuit coram duobus religiosis et in hac materia occultum est quod notorium non est neque divulgatum, etsi aliquot testibus probabile, ut consentiunt omnes doctores relati per *Barbosam in Collectan. ad Concil. sess. 24. de reform. cap. 6. n. 26.*; specialiter de percussionibus notat *Diana in coordinat. t. 5. tract. 2. resolut. 58 et 74.*

Ad 2: Esse mediocrem, non gravem, quia non facta fuit ulla mutilatio seu deformitas sed tantum causata effusio sanguinis e naribus cum contusione, ut distinguit *Bonacina oper. mor. t. 3. disp. 2. qu. 3. punct. 6. sect. 5., Bordon. oper. moral. t. 2. resol. 28. n. 48., Diana t. 5. tract. 5. resol. 4. §. 1.*

Ad 3: Affirmative quoad Abbatem in casu proposito et eum non esse casum reservatum, quia cum sit occultus et ad forum contentiosum non deductus; viget textus s. Concilii Trid. *sess. de reform. cap. 6.* ut notat *Bonacina ibidem infra n. 9.* vers.: *Idem dicendum, Bardon. eadem resolut. 28. n. 46., Diana ibidem resolut. 77. per totam.*

Ad 4: Negative per ea, quae subdunt iidem auctores attento defectu jurisdictionis.

Ad 5: Affirmative donec delictum deducatur ad forum contentiosum, quia tunc judicialiter procedendum est.

Ad 6: Affirmative, quia nullum est dubium quin serventur ss. canones et Pontificale romanum.

Ad 7: Negative, quia nullum est dubium quin teneantur inferiores servare ss. canones nihilque illis contrarium statuere ut in titulo decretal. *de majoritate.*

Dubia Percussionis Clerici.

Quaerit Vicarius generalis Paderbornen. per supplicem libellum a SSmo D. N. remissum:

1. An duobus regularibus sacerdotibus in praesentia plurimorum testium inter se acriter contendentibus, quorum tandem unus habens baculum prae manibus illud elevat volens caput alteri collidere, prout collisisset nisi per adstantes impeditus fuisset, iste inciderit in poenam canonis: *Si quis suadente* cum affectus intentatae percussionis non sit secutus?

2. An duobus sacerdotibus verbis inter pocula et in praesentia testium contendentibus quorum unus poculum cerevisiae effundit in caput alterius ejusque vestimenta dilacerat, ille inciderit in poenas canonis praefati?

Et quatenus affirmative,

3. An propter effusionem cerevisiae an vero propter vestium lacerationem?

S. Congregatio Conc. respondit

Ad 1: Negative.

Ad 2. et 3: Negative quoad incursum in c.: *Si quis suadente.*

Die 9. Sept. 1683.

Albintimilien.

Suspectum famosi cujusdam carminis autorem Horatius Rostagnius habens sacerdotem Petrum Mariam secundum Sinesium eum per universum Mentoni oppidum iratus quaerebat eo ut creditur mentis proposito injuriam illatam ulciscendi, et cum sacerdotem invenisset die 25. Novb. 1744. minis verbisque asperrimis injectaque manu in pectus fuste sacerdos percussus fuisset nisi qui praesentes erant iratum hominem detinuissent. Cum ad hoc facinus populi pars maxima convenisset re ad promotorem fiscalem delata censuit hic postulandum esse in tribunali Episcopi, ut Rostagnius excommunicatus declararetur; Episcopus rei hujus cognitionem dedit Vicario foraneo ejusdem oppidi, qui praevio judiciali processu et auditis testibus sententiam tulit, qua declaravit Rostagnium incidisse in excommunicationem indictam in can.: *Si quis suadente 17. quaest. 4.* Ideoque relaxandos esse cedulones, qui juxta morem ad valvas ecclesiae parochialis affixi fuerunt. Appellavit Rostagnius ab hac sententia ad hoc s. tribunal et pluries ut fieri solet absolutus fuit cum reincidentia et transmisso jam ab Episcopo processu judiciali de viribus censurarum coram amplissimis Patribus instituitur nunc disputatio.

Haec summa est libelli quem dedit Rostagnius: Nullitatis vitio invectam esse sententiam, I. defectu jurisdictionis qua caret Vicarius foraneus, cui gravium causarum cognitio mandari nequit, ut habet *Card. de Luca de Jurisdict. disc. 23. n. 2.* Et ideo cum causa isthaec gravissima esset cognosci ab eo non potuisse: II. defectu citationis*) quae necessaria est, ut reus jura deducere possit etiam in hoc judicio in quo si omittatur nullitas sententiae consequitur ut late disserit *Monacell. Formul. legal. t. 3. tit. 1. n. 4.* Injustam quoque sententiam esse cum non concurrant injectio manus, animus injuriam inferendi et violentia, quae simul requiri, ut in censuram can.: *Si quis suadente* reus incidat tradunt *Grass. de Effect. cleric. effec. 9. n. 311., Monacell. dicta form. 1. n. 2.* atque alii; verbis igitur et conviciis tantum egisse quae ex animo irato veniebant et ob id in gravem hanc excommunicationem incidisse non recte a Vicario foraneo pronunciatum.

Contra promotor fiscalis monstrat judicii ordinem tuto sperni potuisse a Vicario foraneo, qui non ex querela sacerdotis, sed ex delatione fisci extrajudicialiter processisse videtur; nec mutare quod processus factus fuerit et testes auditi; factum enim censetur ut veritas rei gestae apertius pateat utque animus judicis certior fiat. Eoque amplius, quod facinus illud publicum fuit; Rostagnium quippe oculis vultuque furentem populus respiciebat et occurrente Sinesio, qui cum amicis erat, statim ut evenire solet factus est plurium concursus et conventus hominum, qui Rostagnium iratum et in eum maledicta fundentem viderunt audiveruntque; hoc igitur casu nulla praevia citatione publicari posse excommunicationem monent *Fagnan. in cap.: Non potest n. 13. et seq. de sentent. et re jud., Belled. disquisit. clerical. par. 1. de favor. cleric. canon. §. 4. n. 26.; Monacell. formul. legal. annot. ad form. 2. n. 6. t. 3.* Justitiam denique sententiae apertam esse, eo siquidem animi proposito ecclesiasticum virum offendendi vel si in ipsa templi ara eum invenisset properabat Rostagnius, qui non maledicta tantum et convicia fudit, sed violentas in eum manus injecit elevato fuste quo sacerdotem percuteret,

*) Vd. *t. II. p. 790. b.*

ut plures testes testificationem faciunt ideoque manus injectione, animo injuriam inferendi et violentia concurrentibus justam esse sententiam, quae declarat Rostagnium in censuras incidisse.

Sunt et alia quae promotor fiscalis congregat, ut gravitatem facinoris augeat, quorum praecipua sunt: Sinesium a secretis esse Episcopi, cui ob id injuriam illatam esse, absolutionem cum reincidentia Rostagnium obtinuisse ab hoc s. Tribunali directam Episcopo Niciensi, in cujus dioecesi falso asseruit morari, cedulones etiam proscidisse, demum eos qui secum versari atque alloqui renuebant risu excepisse et ob id postulat, ut acta ad tribunal s. Inquisitionis remittantur, in quo discuti possit, quid Rostagnius sentiat de ecclesiae potestate. Omnibus igitur quae hinc atque inde proponuntur perspectis videant Emin. Patres:

An censurae substineantur in casu?

S. C. resp.:

Negative et Episcopus procedat ex integro.

Die 18. Junii 1746.

c) Excommunicat. et Irregularitas.

(Dispensatur.)

Vd. lit. *a.* p. 1353; lit. *b.* p. 1355.

Castellana.

(Conc. Tr. c. 6. s. 23. de ref.)

Sacerdos Rosinus percussionibus provocatus a Joseph Sancio clerico conjugato suo nepote eum in platea loci Julianelli apprehensum capillis humi stravit et pugnis affecit. Secuta postmodum reconciliatione sacerdos spatio 10 dierum abstinuit a missae celebratione, quam tamen deinde reassumpsit sub obtentu, quod Joseph Sancius non incederet in habitu et tonsura et quod a duobus theologis societatis Jesu audivit, quod percutiens clericum conjugatum non incedentem in habitu et tonsura non incurrit excommunicationem. Quia vero post nonnullas missas celebratas dubitari intellexit an ex recensita percussione censuram incurrisset, denuo abstinuit a celebrando, uti non solum desumitur ex ejus supplici libello sed etiam ex informatione Vicarii capitularis. In hoc rerum statu sacerdos Rosinus exorat pro declaratione: an incurrerit necne irregularitatem et quatenus affirmative supplices exhibet preces pro dispensatione.

Clericus caelebs non incedens in habitu et tonsura et non servans requisita Concilii Trid. *sess. 23. cap. 6. de reform.* amittit ipso jure privilegium *fori*)* sed non privilegium *canonis*, uti fuit resolutum a s. Congregatione die 16. Oct. 1582. et late prosequitur *Fagnan. in capite: Si quis n. 72. et seqq. de foro competenti.* Secus autem videtur quod se habeat res loquendo de clerico *conjugato*, hic quippe si non deferat habitum et tonsuram excluditur a canonis privilegio, juxta *textum in cap.: Unico de cler. conjug. in 6.* et distinguendo firmat *Diana Oper. moral. t. 5. in edit. coord. tract. 2. resolut. 43. n. 1. 2.*

Adeoque potior difficultas in facto consistit an scilicet Joseph Sancius incederet absque habitu et tonsura; incedebat enim uti habetur in supplici libello colla veste negra, con crovatta, e non col collarino et vestes clericales in casu et ad effectum, de quo agitur, illae sunt, quae cum eis incedentem prima facie indigitant, esse clericum et non laicum, juxta late deducta *per Passer. in cit. capit. unico. n. 26. de cler. conjug. in 6.*

Onus erit EE. VV. decernere:

I. *An sacerdos J. B. Rosinus irregularitatem incurrerit in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An eidem sit indulgenda dispensatio?*

S. C. resp.: Esse concedendam dispensationem ad cautelam.

Die 3. Decb. 1718.

(Conc. Tr. c. 3. s. 25. de ref.)

Postulante clerico Jo. Joseph Faraglia penes curiam episcopalem sacerdotem Jo. Jacobum Germanum, quod ab eo per manuum injectionem fuisset impulsionibus et pugno in faciem affectus quodque neglecto incursu censurarum idem Germanus in sequenti die missam celebrarit, Vicarius generalis, instante etiam promotore fiscali, examinavit tres testes qui rixae interfuerunt, jurati referentes publicam manuum injectionem ab eodem sacerdote Germano factam in praefatum clericum Faragliam. Exindeque idem Vicarius sub die 30. Decb. 1706. citationem expediri jussit adversus Germanum ad dicendam causam quare non deberet declarari excommunicatus et irregularis ob supradictam

*) Vd. *supra p. 1314. b; 1360. n. 30.*

manuum injectionem ac respective ob missae celebrationem cum termino peremptorio dierum sex per aequales dilationes distributo, alias videndum ad aliam diem sequentem declarari et cedulonos relaxari et affigi, executam personaliter sub eadem die 30. Decb. Atque non camparente Germano idemmet Vicarius sub die 11. Januarii 1707 declaravit eum excommunicatum ac cedulonos relaxari et affigi mandavit qui fuerunt affixi in locis consuetis sub die 10. Febr. tum sequentis. Propterea sacerdos Germanus recursum habuit ad hanc s. C. et abnegando factum recensitum exposuit, in memorata rixa nunquam manibus pertigisse clericum Faragliam, sed minas tantum in eum intendisse ac ideo Sacrum aliquoties peregisse, nihilominus rogavit quatenus opus esset ad cautelam absolvi et dispensari. At Episcopus informare requisitus insistendo in veritate facti declarando tamen percussionem non fuisse gravem existimavit oratorem exemplari poenitentia dignum. Unde sub die 26. Febr. 1707. rejectae fuerunt oratoris preces. Qui proinde novas preces reiteravit condolens de gravamine accepto a curia episcopali ac ideo injunctum fuit Episcopo civitatis ducalis transmissionem processus ac pariter requisita informatio Episcopi Sulmonen. vicinioris referentis sese auditis extrajudicialibus quinque testibus qui fuerunt praesentes altercationibus inter oratorem et clericum Faragliam reperisse eundem oratorem nullo modo violentas manus injecisse in supradictum clericum, sed tantum inter ipsos alternas injurias intercessisse, et ita informans credit rem se habere attenta notorietate facti, quidquid aliter in processu constet, ex testibus et cancellario episcopali suspectis. Tandem transmissa copia authentica antedicti processus et saepius impartita absolutione oratori cum reincidentia rescriptum fuit usque sub die 24. Sept. 1707, ut causa proponatur citato agente Episcopi in curia. Quo quidem citato una cum clerico Faraglia degente in curia concordata sunt infrascripta dubia:

I. *An censurae sustineantur?*

Et quatenus affirmative,

II. *An constet de irregularitate?*

Et quatenus affirmative,

III. *An sit locus absolutioni et dispensationi?*

S. C. C. resp. ad omnia tria dubia:

Esse locum absolutioni et dispensationi ad cautelam.

Die 17. Decb. 1711.

Tudertina.

(Conc. Tr. c. 12. s. 25. de Regul.)

Tactum se reputans sacerdos Franciscus Bernardini verbis quibusdam, quae Joseph Narduccius Prior parochialis ecclesiae Castri s. Restitutae protulerat in ecclesia, dum fidei rudimenta docebat, agressus est eum querelis domi parochi Castri Melazzole, in quam die 8. Novb. 1751. non ipsi tantum, sed alii etiam sacerdotes et parochi vicinorum locorum officii ejusdem causa convenerant.

Excitatus Narduccius irreverentia sacerdotis Berrnardini querela pari retulit, conviciis respondit et ira aestuans eumdem sacerdotem manibus sive tetigit sive percussit aut in pulsu aut in brachio, non enim testes conveniunt, an eum tetigerit an percusserit et an in pulsu an in brachio, incertum tamen, an animo offendendi, an naturali manuum motu, quas habet in gesticulando argutas. Tacent namque id testes et qui unus hac de re verba facit, Egidius Marini parochus dicti Castri Melazzole dubietatem retulit, qui tamen ibi aderant facile pronunciarunt Priorem Narduccium incursum fuisse in censuram can.: *Si quis suadente 17. quaest. 4.* Abreptus igitur fuit et monitus de incursu, sed ille risit judicum illorum sententiam; pax inde inter eos reddita fuit sed iterum jurgarunt. Rem detulit sacerdos Bernardini ad Episcopum Tudertinum et instante promotore fiscali instructus fuit processus, additis, qui tum praesentes fuerant, testibus. Monitus fuit Narduccius a Vicario generali nomine Episcopi de se abstinendo ab officio parochi et Sacri celebratione, saltem donec et quousque ex depositionibus testium constiterit an sit incursus in censuras, sed Narduccius consultis theologis Tuderto discessit, parochiam suam repetiit, Sacra aliaque ad officium parochi spectantia egit.

His ab Episcopo auditis examinatorum synodalium sententias audire voluit, qui coram Episcopo censuerunt Priorem Narduccium incurrisse in excommunicationem canonis et subinde in irregularitatem attenta violatione censurarum et spretu praecepti oretenus eidem facti a Superiore. Post haec Vicarius generalis citationem ad dicendum causam quare contra eumdem Priorem expediri et

exequi mandavit, eoque revocato in civitatem Tuderti praecepit, ne ab ea discederet. Prior autem petiit sibi assignari congruum terminum ad effectum praevia expositione omnium gestorum, consulendi s. Congregationem Concilii et quatenus opus judicetur parendi mandatis ecclesiae. Inde Romam venit et mutato consilio appellavit ad tribunal A. C. Causa tamen decreto Emin. Signaturae Praefecti ad hoc s. Tribunal delata fuit et disputat nunc promotor fiscalis curiae episcopalis incidisse Priorem Narduccium in censuram canonis illius, licet percussio levis fuerit, nulla inter levem et gravem percussionem differentia, quam quod haec absolutione tantum ss. Pontificis tolli possit, illa absolutione Episcopi; neque excusari Narduccium subito irae motu, solus enim jocus a censura ex percussione liberat. His consequens esse, ut inciderit in irregularitatem, cum spreta episcopali monitione Sacra egerit et officium parochi ministraverit idque etiamsi dubitare potuerit de justitia episcopalis judicii. Haec Promotor. A Narduccio nihil habuimus. Duo causae dubia sunt:

I. *An constet de asserto incursu in censuras canonicas: Si quis suadente, in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An constet de incursu in assertam irregularitatem in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Negative et ad mentem.

Die 19. Aug. 1752.

d) Quae est juxta sensum decretorum.

Vd. supra *a* p. 1353; *b* p. 1355; *c* p. 1358.

30) Privilegia clericalia.

(Habitus clericalis delatio est necessaria ad ea acquirenda.)

Vd. *Clericus* (habitus, delatio etc. t. III. p. 1309. a.); p. 1314. b.

EX S. CONGREGATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

EPISTOLA DECLARATORIA CIRCA PRIVILEGIA CLERICORUM.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. declaravit, clericum in *sacris ordinibus non constitutum*, sive caelibem sive matrimonio junctum, cum, quod ea quae sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 6. de reformatione* disposuit, diligenter non observaverit, privilegium *fori* amittit, habendum esse destitutum atque *ipso jure* et *ipso facto* destitui omnibus clericorum privilegiis, ita ut haberi tractarique debeat tanquam persona mere laica, etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales quin jam nunc ac deinceps triplex admonitio sive peculialis declaratio ipsum in hanc poenam incidisse opus sit.«

Die 20. Septb. 1860.

N o t a.

Opportunum heic est judicare causas, quae illi pontificiae declarationi straverunt veluti viam.

Anno 1840 in quodam oppido intra pontificiam Ditionem homicidium proditorium barbara quadam ratione patratum fuit: perquisitione facta a tribunali criminali illius provinciae cui oppidum suberat repertus fuit reus Titius conjugatus artem lanionis exercens, confecto rite processu, Titius invocavit fori privilegium utpote qui in sua adolescentia sacra tonsura et minoribus ordinibus fuisset initiatus. Tribunal itaque interpellavit Episcopum illius dioecesis, qui processum petiit: eo vero perlecto causam remisit ad laicum criminale Tribunal; namque cognovit Episcopus, Titium amisisse jus invocandi fori privilegium neque expedire existimavit ut ea causa in Tribunali ecclesiastico ventilaretur. Damnatus autem fuit Titius poena capitis: sed in causae revisione penes supremum Tribunal ejus orator invocavit privilegium canonis, cujus gratia, juxta vigentem criminalem codicem ad normam ss. canonum, minorem poenam, non vero maximam, Titio utpote privilegio canonis non destituto infligendam esse contendebat.

Delata quaestione definienda coram s. Congregat. Immunitatis contentiose admodum fuit disputatum, an amisso fori privilegio ob conditiones a Trid. Concilio praescriptas minimeque servatas Clericus conjugatus amittat simul privilegium canonis; huic quaestioni altera ex mandato s. m. Gregorii XVI. fuit adjecta et s. Congregationi proposita, an scilicet expediret, ut aliqua decretalis ederetur ad ejusmodi controversias deinceps praecidendas.

S. Congregatio in praesenti casu Titium non gaudere respondit privilegio canonis ad commutationem poenae: ad alterum vero

dubium s. Congregatio expedire opinata est, ut constitutio ederetur, qua scilicet decerneretur, clericos minores seu conjugatos seu caelibes, amisso ad formam juris canonici privilegio fori, eo ipso amittere privilegium canonis, absque ulla praevia monitione sive declaratione.

Re ad Gregorium XVI. delata censuit differendam ejusmodi constitutionem et mandavit *supersederi*.

Sed non multo post alterum factum contigit in eadem provincia simile priori; differebat tamen in eo, quod superius indicatum facinus patratum fuerat a viro *conjugato*, barbara ratione, hoc vero a *caelibe*, qui in sua adolescentia s. tonsura fuerat initiatus. Sed expedit integram causam per summa capita enarrare, quae in hac privilegiorum clericalium materia lucem affundit ex accurato Jurisconsulti voto.

Anno 1842 in Verulana dioecesi Livius homicidium patravit: hic a tribunali criminali illius provinciae comprehensus invocavit privilegium fori, cum in sua adolescentia s. tonsura esset initiatus quamvis postea omne consilium dimiserit permanendi in ecclesiastica militia et amissa tonsura et habitu ecclesiastico tamquam laicus vixerit: interpellatus hac de re Episcopus a Tribunali ille declaravit Livium amisisse jus invocandi fori privilegium ob neglectas conditiones conciliares nec expedire judicavit causam sibi avocare.

Processu autem confecto in tribunali criminali constitit praeter homicidium aliud crimen paullo ante Livium commisisse, idest alium vulnerasse virum, qui eo vulnere impeditus mansit; quinimo (hoc tamen non constabat) manu armata colluctatus fuisse cum proprio genitore dicebatur.

Damnatus itaque fuit Livius ultimo supplicio ob duo superiora crimina; sed ad supremum tribunal appellavit, in quo ejus Defensor invocavit privilegium canonis, quo privilegio si Livius frueretur mitius cum eo erat agendum poenamque minorem ultimo supplicio erat subiturus: quare delata hac quaestione coram S. C. Immunitatis tres propositae fuerunt dubitandi formulae:

I. An clericus minorista caelebs non servans requisita conciliaria amittat cum privilegio fori reliqua omnia privilegia clericalia?

II. An clericus minorista caelebs, qui dimisso habitu clericali immisceat se enormitatibus amittat sine praeviis monitionibus privilegium canonis et sub quibus conditionibus?

III. An hae conditiones concurrant in casu *(Livii)*, ita ut deciderit ab omni privilegio clericali et nequeat frui beneficio gradus minorationis poenae?

Expendebat initio Jurisconsultus hanc propositionem: scilicet, an clericus minorista caelebs, qui non observat conditiones a Tridentino praescriptas, amittat cum privilegio fori reliqua omnia privilegia clericalia.

Super hac propositione sic ille disserebat: quamvis juxta vetus commune jus clericus minorista caelebs, qui habitum dimitteret, neque privilegium fori amittere posset sine trina admonitione, ut eruitur ex cap. *Contigit* et *In audientia. de senten. excom.*, attamen juxta Trid. Concilium, quod irrepentes abusus hac in re submovere intendit, privilegium fori ipso jure amittit. Sic enim in *sess. 23. c. 6. de ref.* statuitur: »*Is etiam* (Tonsuratus nempe vel Minorista) *fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur.*« Quare clericus, qui has non adimpleat conditiones ipso facto fori privilegium amittit, Fagnanus in cap. *Si quis, de for. comp.*

Non defuerunt auctores qui opinati sint, clericum tonsuratum aut Minoristam, dimissione insignium clericalium, amittere cum privilegio fori etiam caetera privilegia clericalia; in quam sententiam adducunt Card. de Luca in *adnot. ad Concil. Trid. disc. 24. et disc. 61. de servitutibus*; decisiones s. Rotae 290. et 304. *coram Priolo*; Suarez *de censuris disp. 22. sect. 1.*; Coninch. *de censuris disp. 14. dub. 15. n. 183* aliique necnon Thesaurus *de poenis p. 92. v. clericus*, in quo scripsit: »Clericus in minoribus existens dimittendo habitum clericalem animo omnino deserendi statum illum amittit omne privilegium canonis secundum probabiliorem.«

Praecipua autem ratio, quam nonnulli exhibent hujus sententiae, ea est, quod ubi

plus negatur supponi debet negatum fuisse etiam minus: cum autem praecipuum ac veluti insitum clericali dignitati sit privilegium fori, hoc negato privilegio caetera minora et veluti adventitia etiam denegata intelligenda sunt.

At vero Benedictus XIV. in opere *de syn. dioec. lib. 12. c. 2.* ostendit, ejusmodi opinionem in praxi non sustineri et adversari resolutionibus S. C. Concilii: quas quidem resolutiones refert etiam Fagnanus in cap. *Si quis, de for. comp.*, Card. Petra *t. 2. in comm. ad const. I. Honorii III. sect. 1. §. 44.* et *t. 4. in comm. ad const. X. Mart. V. §. 31. 37*, Pignatell. *t. 4. consult. 2.*, Giraldi *expos. jur. pontif. p. 2. in c. 6. sess. 23. de reform.*

Et s. Congregatio Concilii non solum ejusmodi clericos non declaravit privatos privilegio canonis, ut in *Aquen.* anni 1589. in qua edixit: *non intelligi privatos privilegio canonis*, sed etiam minoribus privilegiis cujusmodi est illud ex *cap. Odoardus:* sic enim declaravit in quadam causa *Nullius* anno 1595: *gaudere privilegio, cap. Odoardus.* Et anno 1622 item declaravit: *Decretum Concilii non ademisse clericis non habentibus qualitates, quae exprimuntur in cap. 6. sess. 23. nisi privilegium fori et caetera firma remanere sub dispositione juris.* Quibus resolutionibus consonat maximus auctorum numerus.

Ratio autem, quam tradit Benedictus XIV. *loc. cit.* haec est: Siquidem cum versemur in materia poenali, odiosa et restrictiva juris communis, Tridentini verba non sunt extendenda ultra privilegium fori quod exprimunt. Item Card. Petra in *cit. comm. ad const. X. Martini V. n. 27.*

Sed insuper non est praetereundum, eos graves Theologos, qui pro contraria sententia allegari solent, considerasse casum, quo aliquis violentas manus in eum clericum injecisset, qui voluntarie omni clericali insigni se expoliaverit, cum animo non amplius insignia reassumendi: et nimis durum eisdem Theologis visum esse judicare, tales percussores in gravissimam incurrere censuram canonis *Si quis suadente, caus. 17. q. 4.*, quam inflixit Innocentius II.

Expendebat praeterea dictus Jurisconsultus alteram propositionem in secunda dubitandi formula expressam.

De qua sic ille disserebat: firmo manente principio clericos caelibes de quibus loquimur per amissionem privilegii fori eo ipso non amittere caetera privilegia clericalia, cum haec remaneant sub dispositione juris communis, in hoc quaeri debet, quandonam haec alia privilegia clericus amittat.

Varia autem fuit hac in re pro temporum diversitate disciplina: remotiori aetate ipsa voluntaria habitus clericalis dimissio considerata per se fuit tamquam gravis culpa eaque puniebatur excommunicationis comminatione: *Conc. Chalcedonense can. 7.*, item in nonnullis particularibus conciliis, ut in Andegavensi et Turonensi, apud Thomassini *de vet. et nov. disc. par. 2. l. 1. c. 11.* Ejusmodi namque erat conceptus firmitatis quam secumferre deberet oblatio illa sui ipsius, quam quisque Domino facit in Sanctuarii ingressu, necnon perpetuae dependentiae a proprio Episcopo, ut fuerit reputata veluti Apostasia etiam disertio facta ab infimo ecclesiasticae militiae gradu; de qua re legi potest quid suo tempore scripserit s. Ambrosius in *epis. 17.*, s. Hieronymus ad Nepotianum. Etiam in imperialibus legibus hujus rigoris vestigia deprehenduntur adversus clericos desertores; *Novel. Justinian. 6. 7. col. 223. c. 15. leg. 15. de Episc. et cler.* Poterant quidem clerici minores uxorem ducere, sed derelinquere clericalem statum non poterant; *Conc. Triburiense in cap. 3. de vit. et honest. cleric.* Novell. *Leonis Philosophi.*

Hujus severae disciplinae vestigia etiam saeculo XI. habentur in concilio Romano sub Nicolao et in concilio Rothomagensi habito anno 1072. Ejusmodi rigor deinde post hanc epocham in desuetudinem abiit, fortasse quia expediebat ut clerici conjugati imminuerentur, quibus pedetentim privilegia aliis clericis communia sublata sunt: eodem tempore toleratum fuit ut illi, qui se viribus praeditos ad altiores suscipiendos ordines non sentirent, statum clericalem derelinquerent: hujus invalescentis in ecclesia consuetudinis testis est s. Raymundus de Pennafort in sua *summa 1. p. 50. 51.*

At vero, si ecclesia libertatem fecit clericis minoribus rediendi ad saecularia vota, tamen recognovit characterem vel saltem qualitatem contractam per primam clericalem tonsuram, ne autem honor eorumdem dignitati debitus per privilegiorum abusum

statim concideret neque idem honor ad abusum fovendum inserviret, statuit, ut post trinas admonitiones eos clericos qui habitum clericalem deponentes arma militaria assumerent canonis privilegium amitterent quoad eos qui violentas manus in hos clericos imponerent; cap. *In audientia de sentent. excom.* ubi legitur: *hujusmodi clerici si a Praelatis suis tertio commoniti militaria noluerint arma deponere de privilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent.* Ita Clemens III.

Quodsi, relicto habitu clericali, crimina patrarent, videbantur decidere clericali privilegio juxta cap. *Praeterea de apostatis*, in quo Alexander III. declaravit: *Qui relicto ordine clericali et habitu suo in apostasia tamquam laici conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, censuram ecclesiasticam non praecipimus liberari.* Sed cum nonnulli interpretes hunc textum explicent, quasi vero de solo privilegio fori esset intelligendus, Glossa *in d. cap.*, hinc duae posteriores dispositiones considerari possunt, quae latae sunt a Clemente III., nempe cap. *Cum non ab homine*, et cap. *Perpendimus de sententia excom.* In utroque capite immunes declarantur a censuris ecclesiasticis percussores eorum clericorum qui habitu clericali dimisso enormitatibus et delictis se immisceant: unde opinio obtinuit inter canonistas, clericum qui dejecto habitu clericali enormitatibus se tradat amittere privilegium canonis absque ulla praevia admonitione: easdem fere dispositiones legimus in cap. *Ex parte de privil.* quod est Honorii III.

Duae tamen sunt quaestiones pertractandae ut horum capitum dispositio rite applicetur, quarum prima est, quid veniat sub verbis *delictum enorme?* altera est an sufficiat *unum delictum enorme* ut clericus privatus existat privilegio canonis.

Farinacius in *quaest. 8. de inquis. et quaest. 23. de delictis et poenis* de hac re agens varios delictorum gradus distinguit et inter caetera docet: »Licet de jure civili enormia delicta dicantur ea, quae cum dolo in magnum damnum et injuriam alterius perpetrantur, *(l. ea ff. de reg. jur. l. auxilium ff. de minor.)* praesertim ubi imponitur poena sanguinis *(l. in lege ff. ad leg. Cornel. de Sicariis)*, de jure tamen canonico dicuntur enormia illa, in quibus post peractam poenitentiam non consueverit dispensari. *C. At si clerici extr. de jud.*«

Caput *cum illorum de sententia excom.* inter delicta enormia recenset membri alicujus amputationem vel etiam vulnus cum magna sanguinis effusione, ut ait ibi Glossa.

Delictum enormissimum intelligitur de illis delictis ob quae ecclesia, quin praemittat formas statutas in cap. *Cum non ab homine de judiciis*, statim tradit clericum delinquentem brachio saeculari; Farinac. *loc. cit.*, Fermosinus in cap. *Cum non ab homine de judiciis.*

Sed in re de qua agimus satisne erit unum delictum enorme? Major pars interpretum in cap. *Perpendimus* et cap. *Cum non ab homine de sententia excom.* unum non sufficere docet. »Unum delictum enorme non sufficit, sed plura requiruntur; quin etiam requiritur, quod sit inveteratus et perseveret«, ita Jo. Andreas, Antonius de But. necnon Abbas in cap. *Perpendimus.* Etiam auctores recentiores ejusmodi perseverantiam exigunt: modo ita sit his sceleribus deditus, ut inveteratus dici possit scelerum minister. Ita Covarruvias *pract. cap. 32. n. 2. et 3.* Item Sperelli *tom. 2. decis. 132.* qui insuper observat: »ab hac opinione non recedendum.«

Sed insuper quaerendum, quandonam in praxi aliquis dici possit perseverans in delictis enormibus? Cui interrogationi auctores inter quos Farinacius *loc. cit.*, Castellan. *consil. 5.* respondent: »Ad inducendam hujusmodi perseverantiam saltem requiri duo *seu potius tria delicta enormia.*« Haec regula conformior est communi regulae, qua ad constituendum habitum seu frequentiam actorum requiritur triplex repetitio.

Hisce positis cum in hac causarum genere sequi tenemur tutiorem sententiam, quae magis suffragetur privilegio canonis quod constitutum est in decus totius ordinis clericalis, tria necessaria sunt delicta quae secundum jus canonicum dicantur enormia.

Sed in praesenti casu agebatur de homicidio quod est delictum enormius quam vulnera et mutilationes, quod subest speciali constitutioni Clementis XII. *In supremo justitiae solio*, edita anno 1734 pro clericis pontificiae ditionis. Quare Jurisconsultus in examen revocans eam constitutionem opinatus est eam non privare privilegio canonis clericum qui unum homicidium commiserit: quamvis hac in re dubius valde haeserit.

Gradum faciens Jurisconsultus ad tertiam dubitandi formulam ea quae hactenus disputaverat ad praesentem casum applicavit, concludens cum de duobus enormibus delictis tantum constaret Livium, licet privilegium fori amiserit, non videri amisisse privilegium canonis. Sacra autem Congregatio, causa discussa, ad tria superiora dubia die 16. Novembris 1843 respondere censuit: Livium *gaudere privilegio canonis.*

31) Qualitates.

Vd. *Episcopus* (Qualitas); *Sacerdos* (Qualit.); *Beneficiatus* (Habitus; Qualitas) *Ordinandi*; *Clericus* (habitus etc.); *Seminarium.*

Clemens XII. ad Episcopos Aragoniae.

Operariorum admissioni Christi Domini sectando exemplum fervidae sunt orationes praemittendae. Itaque eorum qui permanenter in Seminariis vivere quaerent vocationis, virtutum, scientiae, talenti, indolis, zeli salutis animarum, solicite fiet indagatio. Ut autem hae qualitates in admittendis necessariae melius cognoscantur valde conveniens erit, ut eorum electio si fieri potest sit ex his qui vel in seminario sint educati aut in missionibus cum operariis versati fuerint. Praefatis ergo praediti qualitatibus et ordine s. initiati seu ad eum proxime dispositi ad unius anni probationem at si in seminario vel operariorum comitatu non se exercuerint duorum annorum cum majori parte sacerdotum suffragantium et Episcopi approbatione admittendi sunt. Quo tempore respective finito calculis albis et nigris ad electionem vel reprobationem devenietur, isque in seminarium censebitur admissus, cui calculorum alborum major numerus suffragabitur et D. Episcopi approbatio; quod si tot albi quot nigri reperiantur admissio usque ad majorem probationem differatur. Qui autem in aliquo seminario non perseveraverit in nullum aliud admittatur, nisi hoc fiat de communi utriusque seminarii, a quo et ad quod, consensu, quando ob aliquam rationabilem causam convenire existimetur: consulto tamen et approbante D. Episcopo. Admissio autem eorum sacerdotum seu ecclesiasticorum qui pro sui ipsorum instructione in seminario degere ad tempus desiderant vel in domibus suis viventes in ministeriis instituti operarios adjuvare et in iis sese exercere velint eodem modo per majorem partem sacerdotum suffragantium fieri debeat, quando prudenti judicio attentis eorum qualitatibus scientia et moribus profuturi existimentur.

Dat. Romae die 6. Novbr. 1731.

(Bull. r. t. XIV. p. 166. Ed. Luxbg.)

32) Regularis.

Vd. *Monachi; Regulares; Novitii.*

33) Saecularis.

a) Ingressus in Ordinem regul.

Benedictus PP. XIV.

Dilecto filio Angelo Mariae Tit. s. Praxedis S. R. E. Cardin. Presbyt. Quirino.

Ex quo dilectus filius Leander Chizzola archidiaconus ecclesiae tuae cathedralis Brixiensis ex *improviso* isthinc digressus Bononiam se contulit ibique habitum suscepit clerici regularis societatis Jesu statim a te, dilecte fili noster, datae fuerunt ad nos literae, quibus quaerebaris, eum tanti momenti consilium te inconsulto cepisse teque penitus inscio ad exitum deduxisse, non sine magno detrimento pauperum istius civitatis atque dioecesis, quibus largiter subvenire multorumque piorum operum, quibus se jugiter exercere consueverat, suorum quoque nepotum in minori aetate constitutorum, quorum curae atque educationi praeesse debebat, ac sine spe quidquam utiliter peragendi in ipsa societate Jesu, cui jam prope septuagenarius nomen dederat. Haec eadem, quum ipse proximo autumno in Urbem advenisses, Nobis coram inculcare non omisisti deque iisdem nuper in epistola Nobis directa ac typis vulgata iterum expostulasti, petens praeterea Nosque excitans, ut auctoritatis nostrae ope certaque lege proposita hujusmodi licentiam reprimamus, qua saeculares clerici atque presbyteri ad regularium claustra quum libet se conferentes a regularibus Superioribus illico recipiuntur, *quod sane non aliter fieri debere autumas quam communicatis consiliis cum Episcopis ipsorum clericorum et presbyterorum Ordinariis*, siquidem ipsi Episcopi nunquam regularibus viris ordines conferunt sine praelatorum regularium consensu in eorum literis dimissorialibus declarato.

Duae sunt res in hoc universo negotio expendendae, peculiare scilicet factum Leandri archidiaconi et generale constitutum, quod a Nobis fieri et publicari velles. Ad primam quod attinet, aptiorem querelis tuis responsionem comparare non possumus quam si eadem ipsa tibi rescribamus, quae olim s.

Gregorius magnus Praedecessor noster Desiderio Episcopo Viennensi in Gallia in simili prorsus casu rescripsit. Quum enim Pancratius quidam ecclesiae Viennensis diaconus monasticam vitam amplexus esset et in eodem diaconi gradu in monasterio degeret, Episcopus autem Pancratium diligens magnique faciens ipsum e monasterio abducere et ad ecclesiae servitia retrahere vellet, s. Gregorius cujus opem Pancratius imploraverat scripsit ad Desiderium, ut ipsum potius hortaretur, ne a monasterio discederet neve se iterum saeculi procellis committeret. Habes Gregorii epistolam *t. II. ipsius operum anno 1605. a monachis s. Mauri accurate editorum, epistola 35. lib. 12. indict. 5.* ubi ita scribit: »*Hortamur igitur, ut tam promptae devotioni ejus, quam in sancto studet habere proposito, minime vestra sit impedimento fraternitas; magis autem, quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, ut fervor hujus Desiderii in eo non tepescat, ut qui a turbulento curarum saecularium tumultu se regregans quietis desiderio portum monasterii appetiit rursum in ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, sed in Dei laudibus permittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere.*«

Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit, quamvis Pancratius in clericatus officio ecclesiae Viennensi ut ipse ait mancipatus existeret, ipsius nempe servitiis reipsa addictus, quamvis etiam eo tempore hujusmodi disciplina vigeret de qua late Thomassinus agit *de beneficiis par. II. lib. 1. cap. 3. et 4.*, ut clericus Episcopo ordinanti per omnia subesset ejusque ecclesiae ministerio, cui in ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo jure devinctus haberetur, quamvis denique idem s. Gregorius optime nosset, nemini licere ab hujusmodi ministerio ecclesiae, cui semel addictus fuisset, discedere sine permissu Episcopi, a quo quis ordinatus ejusque ecclesiae servitiis in ordinatione fuerat adscriptus: unde in alia epistola *quae est XVII. lib. V. induct. XIII.*, quum ageret de electione Joannis archidiaconi Catanensis ad episcopalem Cathedram Syracusanam, inter alia requirebat, ut Leonis Episcopi Catanensis consensus accederet: »*Quod si factum fuerit, etiam frater et Coëpiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri;*« ad quae verba editores ita observant in notis: »*Tam erant clerici suae ecclesiae addicti, ut ne eos quidem in Episcopos alterius ecclesiae fas esset eligere nisi missione obtenta sive ut vocant cessione.*«

Non itaque dubitamus, quin tu cum archidiacono tuo eadem plane ratione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum diacono suo Pancratio agere s. Gregorius optavit, tum quia animi tui perspecta magnitudo hoc Nobis suadet tum quia in ea epistola quam publici juris fecisti postquam praedicti archidiaconi in saecularis presbyteri statu eximiam operam disertissime ut soles omnia demonstrasti circa finem deinde addis: »*Te habere causas, cur ultro sinas eundem in castris, ad quae discessit, militare.*

Unum tamen, quod tibi praesenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus, non scilicet debitae erga te observantiae defectui tribuendum esse, quod praedictus archidiaconus tuus, ante discessum, opportunam abs te veniam minime requisierit, sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui reipsa exequendi justoque timori, ne forte ab ejus implemento revocaretur. Qua ratione bo. mem. Ardicinus Cardinalis de Porta in quadam epistola ad Praedecessorem nostrum Innocentium PP. VIII. conscripta suum factum excusat, quod scilicet ad eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens cardinalatus habitum exutus clanculo ex Urbe se subduxerit. Quum enim Pontificis venia opportune obtenta*) minime necessarium sibi putaret assensum collegii S. R. E. Cardinalium, consilium vero suum ne interverti posset necessario occultandum esse cognovisset, delato deinde ad ipsum murmure eorum, qui ipsius factum reprehendebant, ita scripsit ad Pontificem in praecitata epistola: »*Quod autem dimisso cardinalatus habitu dissimulata veste me itineri commiserim, non opinor propterea me notam ullam apud graves et prudentes viros contrahere potuisse. Nam cum vellem quod hactenus feceram secretissimum esse idque fratri mihi fidissimo occultassem, existimavi satius etiam in dissimulato habitu inter ignotos, quam cum vero habitu incedere et propterea a poena et a culpa et ab omni alia nota me immunem esse existimo.*« Haec epistola refertur in ejus vita edita ab *Attichy in libro* cui titu-

*) Vd. *t. III. p. 817. n. 2.*

lus: *Flores historiae sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.*

Atque haec de I. quaestionis parte. *Quod vero ad alteram attinet ad generalem scilicet legem quam pro similibus casibus a Nobis constitui postulas: hoc tibi respondere posse arbitramur satis huic rei in ecclesiasticis canonibus provisum esse. In Concilio Toletano IV. 632.* sub s. Isidoro celebrato canone 50. ita legitur: »*Clerici qui monachorum propositum appetunt quia meliorem vitam sequi cupiunt liberos eis ab Episcopo in monasteriis largiri opportet ingressus nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.*« Textus habetur in collectione Conciliorum Hispaniae *Cardinalis de Aguirre t. II. pag. 477.* et refertur etiam in decreto Gratiani can.: *Clerici 19. quaest. 1.* Quinimo in eadem *causa 19. quaest. II. canon.: Alienum*, postquam regula posita est quod clericus absque permissu Episcopi ab ecclesia sua discedere et alterius servitio se adjungere nequit, hujusmodi exceptio subnectitur: *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitae transire voluerit, tunc enim liberum est illi etiam Episcopo contradicente monasterium ingredi.* Concordat canon sequenti loco relatus, qui incipit: *Duae sunt*, in quo distinctio fit inter legem publicam et privatam; et posito, quod publica quidem lex vetat clericum ab una ad aliam ecclesiam transire sine assensu proprii Episcopi, privata vero lex quae instinctu s. Spiritus in corde scribitur et dignior est lege publica nequaquam id prohibet; ex hujusmodi principio arguitur, licere clerico beneficiato, etiam contradicente Episcopo, beneficium relinquere et in monasterium sese recipere: *Si quis horum in ecclesia sua sub Episcopo populum retinet et saeculariter vivit, si, afflatus spiritu s. in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut lege publica obstringatur; dignior est enim lex privata quam publica etc. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur etiam Episcopo suo contradicente eat liber nostra auctoritate.*

S. Thomas 2. 2. quaest. 189. art. 7. quaestionem proponit: utrum presbyteri curati possint licite religionem ingredi? eamque *affirmative* resolvit ea ratione ductus quod nulla lege obligantur toto vitae tempore curam animarum sustinere. Articulum vero ita concludit, facta de archidiaconis expressa mentione: *Unde manifestum est, quod archidiaconis et presbyteris curatis licet ad religionem transire*, et paulo infra: *Dicendum quod presbyteri curati et archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam subditorum, quamdiu retinent archidiaconatum vel parochiam, non autem obligaverant sed ad hoc, quod perpetuo archidiaconatum vel parochiam retineant.* Haec s. Thomae sententia confirmatur a *s. Antonino in sua summa par. 3. tit. 16. cap. 2. §. 2. in edit. Veronensi pag. 881.*, ubi praeterea addit, Episcopi dissensum minime obstare: *Archidiaconis, presbyteris curatis licet ad religionem transire, etiam Episcopo contradicente.* Quae verba similiter leguntur apud *Sylvium 2. 2. quaest. 189. art. 7.* in postrema ejus edit. Antverpiae facta *t. III. pag. 954.*

Et quoniam alicui in mentem venire poterat, hujusmodi libertatem transeundi ad claustra quae saecularibus presbyteris a canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro claustris monachorum, de quibus ipsi canones expresse loquuntur, idem Sylvius loco citato affirmat eam facultatem aeque competere sive de instituto agatur contemplativae vitae unice dedito sive de eo, in quo vitae activae opera exerceantur. *Possunt religionem etiam illam ingredi quae in vita mere contemplativa aut potissimum in corporalibus vitae activae officiis sit occupata quoniam plus excedit status religionis cujuscumque statum seu potius officium archidiaconi vel plebani, quam status altissimae religionis statum cujuscunque infimae*, propter solemnia nimirum vota castitatis, paupertatis et obedientiae, quae in unaquaque religione emittuntur.

At incidunt saepe tempora, quibus opportunum non est clericum saecularem suum locum deserere et in religiosis claustris se abdere: qua de re nisi *consultatio* intercedat inter Episcopum et superiorem regularem impossibile erit quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est virum ecclesiasticum, qui in suscipiendo presbyterii ordine conceptis verbis Episcopo suo reverentiam et obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit Episcopo inconsulto atque inscio ad regularia claustra discedere ac regularis instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omnibus inter se junctis certam aliquam regulam tradi et generalem legem a Nobis promulgari opus esse contendit.

Equidem fatemur non omni tempore omnibus opportunum esse regularem vitam amplecti. Meminimus epistolae s. Augustini ad Bonifacium comitem quae in editione monachorum s. Mauri impressa est *n. 220. t. II. pag. 212.* et cujus etiam pars refertur in can.: *Novimus 17. quaest. 2.* ubi nimirum Doctor testatur se unacum Alypio ipsum Bonifacium a monasticae vitae proposito dissuasisse ob praeclaram quam in saeculo manens ecclesiae et reipublicae navabat operam, dum Africam a barbarorum incursionibus tuebatur: *Ut autem non faceres quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi ecclesiis, quod agebas, si ea sola intentione ageres ut defensae ab infestationibus barbarorum quictam et tranquillam vitam agerent?* Vidimus etiam apud *s. Thomam 2. 2. quaest. 101. art. 4.* et *quaest. 189. art. 6.* quaestionem hanc solitis rationibus examinari:

Utrum posset filius religionem ingredi et parentes in saeculo relinquere, si ab ipso deserti inopia sint laboraturi?

Ulterius inquirunt moralistae an idem dicendum sit de avo et an id, quod de ascendentibus statuitur, locum habeat etiam quoad filios, fratres et nepotes et quatenus illius ope, qui religionem vult ingredi, praedicti omnes indigere debeant.

De reverentia quoque et obedientia quam non modo sacerdos sed quilibet etiam clericus proprio Episcopo praestare debet justam profecto opinionem fovemus. De hujusmodi obedientia agitur in *cap. Cum Clerici, de verb. signific.*, ubi Innocentius PP. III. exponens formam juramenti, quod a clericis ecclesiae Placentinae praestabatur, in haec verba conceptum: *Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero et obediens Placentinae ecclesiae et domino meo Episcopo Placentino* docet per ecclesiae Placentinae vocabulum intelligi capitulum ecclesiae Cathedralis; eum vero, qui praestat hujusmodi juramentum, Episcopo tanquam capiti principaliter obligari. Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, juxta vetustissimum ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum, ut ex antiquis ritualibus colligitur, quae expendit *Catalanus ad Pontificale rom. t. I. pag. 149. in notis ad §. 29.* Quinimo libenter agnoscimus, presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat *Hallier de Sacr. elect. et Ordin. par. I. sect. 6. §. 12.* edit. romanae, ubi docte graviterque refellit auctorem cujusdam libelli gallico sermone editi, qui hujusmodi obedientiam et reverentiam Episcopo in ordinatione promissam augustis nimium limitibus coërcere tentaverat.

Verumtamen his omnibus non obstantibus iterum dicimus, novam generalem legem hac de re minime necessariam Nobis videri vel quia in ecclesiasticis sanctionibus quodcunque necessarium est satis constitutum habemus vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis constitutionis subjecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quae in hujusmodi casibus considerari possunt videlicet:

I: *an presbyter ab ecclesiae servitio ad regularia claustra transiturus permissionem ab Episcopo petere debeat?*

II: *quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat?*

III: *quid statuendum sit de parochia seu canonicatu aut archidiaconatu, quem presbyter obtinebat?*

Verum haec omnia jam ss. canones considerarunt atque opportunas pro singulis capitibus regulas praescripserunt.

Quod enim pertinet ad Episcopi permissum, nemo dubitat, quin presbyter ecclesiae regimen aut ministerium dimissurus ante omnia debeat Episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet. Quum enim presbyteri in animarum cura aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus Episcopi ministri sint ita cum eo se gerere debent, ut animarum, quas ipsi regebant, et negociorum, quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. De quo recte loquitur *Passerinus*, licet ordinis regularis scriptor »De statibus hominis *t. III. quaest. 189. art. 7. n. 8.: Minister, qui habet custodiam rerum et bonorum domini sui quae absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officii sui tenetur bona sibi commissa domino reddere et illum monere ut de alio custode provideat et si hoc non facita*

puniri potest. Cum ergo parochus sit Episcopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas inconsulto Episcopo non minus peccat, quam si minister pastoris ovium domino ac pastore non admonito gregem errantem sine custode dimitteret; cum his, quae sequuntur.

Haec autem permissio vel ab Episcopo conceditur vel negatur. Si concedatur, jam controversiae locus non erit. *Sin vero denegetur, hujusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, presbyterum non adstringet,* quominus religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet. Si enim presbyter Episcopo reverentiam et obedientiam in sua ordinatione promisit, multo solemnius regulares eam promiserunt proprio superiori in religiosa votorum professione. Et tamen quoties regularis in ordine laxiori professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a superiore laxioris licentiam petere, verum tamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expresse statuitur in *cap. Licet de regularibus*, ubi sic legitur: *Talis ergo, postquam a praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quae publicae legi praejudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contractione praelati, quia privilegium meretur admittere, qui concessa abutitur potestate.*

*Denique de beneficiorum vacatione in jure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in religionem sed per professionem regularem dumtaxat**), quemadmodum videri est in *cap. Beneficium de regular. in 6.* Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in ordinem regularem et professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad beneficia curata**), id ipsum agere, quod alias praestare consuevit, quum parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; *quoad beneficia vero choralia* relictis tyroni religioso qui choro interesse nequit ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura praescribunt, juxta opinionem in praxi receptam, de qua agit *Suarez de religione t. III. lib. 5. cap. 16. n. 12.* Quinimmo si quis forte religionem ingressurus beneficium suum dimitteret, quo casu potest Episcopus per constitutionem 58. s. Pii V.*) hujusmodi renunciationem admittere vel etiam si tempore novitiatus hujusmodi dimissionem expleret servatis omnibus, quae ex praescripto s. Trid. Concilii *cap. 16. sess. 25. de regularibus* tam in bonorum temporalium quam beneficiorum ecclesiasticorum renunciationibus servari debent, nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi ad collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem, uti late ostendit doctus et in hoc toto rerum genere expertissimus scriptor b. mem. J. B. *Riganti Commentar. ad regulas cancell. t. III. regul. 46. a. n. II. ad finem.* Qua in re olim dubitatum est: *an vota simplicia quae a clericis regularibus societatis Jesu***) *post biennium probationis emittuntur hujusmodi beneficiorum vacationem inducerent?* sed *negativa sententia communiter recepta fuit*, ut observat laudatus *Riganti loco cit. n. 30. et sequ.* et monet *Pitonius discept. 126. n. 11. et sequ.* Quamvis in Congregatione V. generali ipsius societatis canone 19. statutum fuerit, ut qui societati nomen dederit expleto biennio antequam vota simplicia emittat ecclesiastica beneficia dimittere debeat, quo casu hujusmodi beneficia, *si minus propter professionem at propter renunciationem,* vacare intelliguntur, ut notant *Sanchez ad praecepta Decalogi lib. VII. cap. 4. n. 7, Pellizzarius in manuali t. I. tract. 3. cap. 4. n. 52.*, cum aliis, quos citant praefati *Rigant. loco cit. n. 32.* et *Piton. n. 12.*

At enim dices praemissa omnia recte procedere, verum per ea non tolli propositam difficultatem de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit presbytero saeculari ad regularem vitam transire, et quidem necessarium esse, earum cognitionem et examen institui; id quod obtineri nequit, nisi lata constitutione praescribatur aliqua consultationis species inter Episcopum et superiorem regularem, ut unicuique sua ratio constet ipseque superior regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate illius, qui religioni nomen suum offert, ne forte eidem inutilis inveniatur, qualem profecto ob ingravescentem illius aetatem repertum iri suspicaris archidiaconum Chizzola, qui inter clericos societatis Jesu te inconsulto admissus fuit.

*) Vd. *t. II. p. 1043. n. 2.*
**) Vd. *t. II. p. 521. c.*

*) Vd. *t. II. p. 840. n. 93. a.*
**) Vd. *t. II. p. 1044. notam* *).

Porro nec interdicta fuit unquam hujusmodi consultatio inter Episcopum et superiorem regularem neque Nos eam vetare intendimus, quin potius illius utilitatem atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis legis mandato tanquam necessaria praecipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in jure cautum reperitur, ut duorum ordinum laxioris atque strictioris superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus ad hunc transire velit, sed solum, ubi inter praefatos superiores oriatur controversia: an hujusmodi transitus ex laudabili causa vel potius ex animi levitate et inconstantia suscipiatur, ecclesiasticae leges superioris majoris judicium requiri voluerunt: *Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire, superioris est judicium requirendum.* Ita legitur in cit. *cap. Licet, de Regularibus.* Quodsi hujusmodi controversia pendente religiosus in altero illo ordine recipiatur atque etiam in eo professionem emittat, tunc ex ipsius controversiae exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in posteriori remanere debeat, ut recte monet *Abbas Panormitanus in cit. cap.: Licet n. 15. de Regular. Hodierna vero praxis est, per quam omnes hujus generis controversiae et morarum prolixitates devitantur, ut religiosis viris qui a laxiori ad strictiorem ordinem transire cupiunt postquam voluntatis suae causas coram competentibus apostolicae Sedis tribunalibus exposuerint atque probaverint haud aegre a romano Pontifice indulgeantur opportunae facultates, in quibus derogatio super consensu superioris ordinis laxioris includitur.*

Quod vero jus certis in casibus certisque de causis competit Superiori ordinis laxioris, ut suum subditum regularem ad strictiorem ordinem digressum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat, idem similiter certis in casibus justisque exigentibus causis Episcopo competit, ut suum clericum saecularem ordini regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus canonum doctor *Innocentius IV.* ad saepe citatum *cap.: Licet de Regularibus*, cujus haec sunt verba, ibi n. 3: *Clericus potest transire ad religionem non petita licentia etiamsi contradicatur; credere-mus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret jacturam.* Concordat *Abbas in idem cap. 14.*, ubi sic ait: »*Ulterius quaeritur: Quid in saeculari clerico? Numquid potest intrare in religionem, non petita licentia ab Episcopo? Innocentius tenet quod sic: Sed si ecclesia graviter laederetur esset revocandus.* Satis itaque provisum est etiam Episcopo, qui factum clerici sui ad regularia claustra se invito digressi impugnari velit. Unde nec ulla nova constitutione opus est, ut episcopalia jura hac in parte asserantur neque porro ut peculiares indicentur casus, quibus hujusmodi juris exercitio locus esse possit, quum satis sit regulam generalem tradidisse, quam judex sequatur quamque ad peculiares causas pro sua prudentia justoque arbitrio valeat applicare.

Hujus tamen juris quo Episcopus clericum saecularem sibi subjectum, qui regulari instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere et ad ecclesiae servitium revocare potest, hujus, inquam, juris persecutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse cum clerico beneficiato, cum Canonico, cum archidiacono; vel (quoniam de simplici beneficiato aut Canonico minus fortasse laborabit) de archidiacono videamus: Hujus dignitatis sive officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo ordinationes generales celebranti, quum ipsi commodum fuerit, assistat promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus. Si vero agatur de parochis aliisve animarum curam gerentibus nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat, *praelationis munus seu statum* ut inquit *Suarez de religione t. III. lib. I. cap. 21.*, ubi de animarum cura loquitur, *minus securum esse, religionis vero esse statum majoris securitatis in ordine ad spiritualem salutem*, unusquisque parochus, religiosae vitae cupidus hac una exceptione in judicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad curam animarum revocare contendat. S. Gregorius magnus, quum olim scriberet adversus legem ab imperatore Mauritio editam qua interdictum erat militibus monasticam vitam amplecti, hanc inter alias rationem afferebat: *Multi sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum seculari habitu ducere et plerique sunt qui nisi omnia reliquerint salvari apud Deum nullatenus possunt*, ut videre est in ipsius *epistola 65. lib. 3.*

indict. IV. t. 2. praefatae edit. Parisinae. Nunc ergo quilibet beneficiatus, Canonicus, Archidiaconus, parochus qui officium aut ministerium suum cum religiosa vita commutaverit se non inter *multos*, sed inter *plerosque* a s. Gregorio indicatos connumerandum esse affirmabit.

Si autem ipsi objiciatur, quod in saeculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit se non minus ex ipsis religiosis claustris, si bonorum suorum possessionem ad religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus pauperum indigentiis subventurum. Sane quum in praefata lege Mauritius imperator inhiberet, ne debitores publici aerarii in monasteriis reciperentur, s. Gregorius eam partem legis impugnans (de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati editores in notis litera *d*) ita scribebat in citata epistola: *Quod vero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterium converti non liceat omnino miratus sum, dum et rationes ejus possunt per monasterium fieri et agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, ejus quoque debita suscipiantur.*

Quod si objiciatur gravis aetas presbyteri ad religionem transeuntis, facilis et obvia erit responsio, quod multi sunt in regularium familiis religiosi viri in senili aetate constituti, qui pro modo virium suarum laudabilem operam religioni praestant, quorum numero ipsum, de quo est quaestio, adjungi nil vetat. Ita pariter s. Gregorius contra propugnatores supradictae legis, qui dicebant milites ad monasteria convolantes bonos monachos non evadere, affirmabat: *Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in monasterio milites conversi miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt.*

Denique, huic epistolae jam nimis prolixae finem facturi, unum adhuc addimus: ex centum nimirum archidiaconis non facile duos inventum iri, qui archidiaconatum dimittere et religionem ingredi velint. Contra vero in pari regularium numero multos sane inveniri posse, qui regularem vitam pro archidiaconatu adipiscendo relinquerent, Quare quum leges versari opporteat circa ea, quae frequenter accidunt, profecto non tam nova lege opus erit ad retinendos clericos et presbyteros saeculares, ne religiones ingrediantur, quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra religiosa claustra continerentur ii, qui regularem vitam amplexi et professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a regularibus ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur, sed si omnes, qui nullitatem professionis suae judicio experiri aggrediuntur, illam apud judices probarent, si omnes, qui dignitates extra religionem ambiunt, voti compotes fierent, si demum facilem apud Nos auditum invenirent eorum instantiae, qui e claustris exire et in habitu presbyteri saecularis, sub obedientia Episcoporum et cum obligatione servandi vota religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu clerici saecularis, in saeculo manere vellent, longe utique minor eorum foret numerus, qui religionem professi ad mortem usque in illa perseverarent.

Dum itaque dilecte fili noster consiliis tuis quae tum privatis literis tum etiam typis impressis non minus docte quam eloquenter proposuisti obsecundandum Nobis esse non arbitramur, in eo tamen singularem existimationem, quam de te merito fovemus, agnosces, quod tibi causas atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his literis nostris, quibus etiam tibi novum benevolentiae nostrae pignus apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 14. Jan. 1747.

(Bull. Bened. XIV. t. II. p. 169. Ed. Rom. 1749.)

b) Vitam communem cum aliis degens.

Innocentius PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Creditae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut salubria Christi fidelium in sortem Domini vocatorum instituta ex quibus uberes in ecclesia Dei bonorum operum fructus assidue provenire noscuntur ac constitutiones pro felici prosperoque illorum regimine et progressu pie prudenterque factas apostolici muniminis praesidio roboremus piaque illorum studia favoribus et gratiis decoremus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii clerici saeculares in commune viventes, quod 1640 opera tunc in humanis agentis Bartholomaei Holzhauser*) Vicarii tunc existentis Episcopi Chiemensis in Bavaria ac ad s. Joannem in Leoggenthal Decani inchoatum fuit eorum institutum, quod Deo opitulante in aliis dioecesibus et provinciis in dies usque in praesens adeo excrevit, ut non tantum a b. mem. Joanne Philippo dum vixit Archiepiscopo Moguntino s. romani imperii Principe electore sed etiam ab aliis pluribus Archiepiscopis et Episcopis fuerit in eorum dioeceses receptum et expresse approbatum ac ab iisdem propriis literis, prout etiam a charissimo in Christo Filio Nostro Leopoldo Romanorum Rege in Imperatorem electo et a bonae pariter memoriae Maximiliano I. et Ferdinando Maria dum vixerunt utriusque Bavariae Ducibus, ejusdem s. romani imperii Principibus electoribus, huic s. Sedi apostolicae instantissime commendatum extiterit.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat institutum praedictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum ac directione unius supremi praesidis prout modo dicti exponentes eisdem subsunt omni prorsus exemptione seclusa salubriter ordinatum ac pro felici ipsorum exponentium et instituti hujusmodi directione rectaque juventutis institutione nonnullae constitutiones factae fuerint, per congregationem nonnullorum ex venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus super hoc negotio a Nobis specialiter deputatam revisae et in nonnullis correctae fuerunt ac in unum volumen redactae tenoris qui sequitur videlicet:

Constitutiones Clericorum secularium in commune viventium.

Prooemium.

Finis hujus vitae clericalis non est novum institutum aut religionem introducere, sed ipsummet statum clericalem et ecclesiasticum a Christo fundatum et ab Apostolis observatum sub immediata RR. Ordinariorum potestate omni prorsus exemptione seclusa pure amplecti. Ut vero primaeva ac gemina praedicti status honestas tutius et sanctius conservetur, sacerdotes hujus vitae juxta antiquos ecclesiae canones secluso foeminarum consortio bini, terni vel etiam plures simul sub privata et oeconomica quadam unius superioris directione ac inspectione vivent et bona sua ecclesiastica in communes pios usus conferent: atque sic et privatam suam et animarum sibi commissarum aeternam salutem graviter promovere studebunt prout sequentes constitutiones in certa capita digestae uberius explicant.

Illud porro sibi persuadent se jurisdictioni Ordinariorum in quorum dioecesibus pro tempore beneficia vel domicilia obtinuerint seclusa omni exemptione semper manere subjectos: quorum proinde uti et praecipue ipsius s. romanae catholicae ecclesiae matris nostrae dogmata, jura, decreta et consuetudines pro viribus observabunt atque defendent quemadmodum a clericis ea observari et defendi par est.

Caeterum constitutiones hujus vitae clericalis in sex partes praecipue dividuntur: I. est de cura propriae salutis et profectus in spiritu; II. de communitate bonorum; III. de fraterna cohabitatione; IV. de separatione mulierum; V. de obedientia; VI. de cura animarum.

De cura propriae salutis et profectus in spiritu.

I.

Cum fides sit fundamentum et initium salutis aeternae sublato omni proprio judicio, captivantes intellectum suum in obsequium fidei Jesu Christi teneant promptam ac paratam voluntatem omnibus iis fidem ac obedientiam praestandi quae vera Christi sponsa ac s. mater nostra romana orthodoxa, catholica ecclesia credenda aut facienda declaravit vel inposterum declarabit.

II.

Per rectam intentionem in omnibus suis actionibus sincere gloriam Creatoris sui spectent curentque, quantum in se erit non solum se ipsos verum etiam omnes alios ad serviendum divinae Majestati excitare propter ipsammet et propter nimiam charitatem, qua prior dilexit nos, neque in ulla re se ipsos quaerant, sed in omnibus creaturis, quemadmodum et in semetipso Creatorem suum et omnes in illo diligant.

III.

Unusquisque perspectas habeat animi sui propensiones et antevertere noverit tentationes, opponendo ipsis remedia, quae quivis sibi cum divina gratia comparare et in promptu

*) Vd. *Holzhauser; Vita communis.*

habere laborabit, inflectendo se ad ea quae sunt contraria peccatis et profectum spiritus conducunt, ut si quis animadvertit, se ad superbiam aut iram aliamve passionem esse propensum, is exerceat se in rebus abjectioribus et quaerat ea quibus patientiam exercere aut alii vitiosae propensioni resistere possit.

IV.

Ad virtutes solidas hominis sui interioris pro viribus enitantur; praecipue vero studeant in sui ipsius cognitione veraque abnegatione et christiana simplicitate, in humilitate, patientia et charitate, timore Dei, cum prudentia et discretione plurimum excellere.

V.

Propter amorem Christi Salvatoris sui libenter debent ferre injurias, persecutiones, contumelias et quaevis opprobria imo ex animo gaudere, si odio habuerit eos mundus et contempserit: quae omnia eo ardentius complectentur, quod sciant, iisdem insignibus Dominum et Magistrum suum fuisse spectabilem.

VI.

Cum ex sola voluntatis affectione quantumvis etiam spirituali vel subita boni verive apprehensione ad agendum vel omittendum praecipitanter et qua data porta ruere maxime semper sit periculosum, ideo affectus suos etiam spirituales ita refrenent, ut neque in agendo neque in loquendo sint inconsiderati aut praecipites, sed re prius in oculis Dei discussa pensent quae honestas, utilitas, necessitas et veritas rebus agendis vel omittendis subsit quaeve commoda aut incommoda ex iis sint nascitura.

VII.

Temperantiam in cibo et potu ad majus Dei obsequium et perfectiorem carnis subjugationem unice cordi habeant et sancte semper conentur observare. Hinc convivia, quantum fieri potest, domi forisque evitent: si vero humanitas vel christiana charitas subinde aliud prudenter suaserit, ex Superioris arbitrio stabit, quid hac in re cum aedificatione permittendum sit; nemo proinde hisce citra jussionem se ingerat aut proprio motu ad aliquod convivium accedere praesumat.

VIII.

Quando itinerantur, apud hujus vitae Sacerdotes divertant, quod si in eorum defectu diversorium aliud eos capere necesse fuerit, memores sobrietatis et frugalitatis diligenter caveant ne cibi et potus abusu animae puritati et proximorum aedificationi aliquid officiant.

IX.

Quia otium pulvinar diaboli et vitiorum carnis aliorumque plurimorum malorum mater esse noscitur, omni modo sibi prospiciant ut semper etiam extra statutas exercitationes ordinarias honesta aliqua actione sint occupati quam singuli pro capacitate sui ingenii et Superiorum directione suscipiant.

X.

Statutis exercitiis diligenter suum tempus tribuant, uniformitatem omnes servent et semetipsos utiliter de die in diem in sincerum servitium divinae Majestatis impendant; hinc quantumvis aridi sint et desolati, fortiter nihilominus iisdem insistant, scientes etiam absque stipendio coelestium consolationum voluntati divinae obsequium rationabile praestare ejusque providentiae et nutui, perfecta quadam voluntatis suae cum divina conformatione, in omnibus sese subjicere, quare constanter pergant et ad devotionem in quibusvis difficultatibus se jugiter excitent.

XI.

In suis spiritualibus exercitationibus viae ordinariae secundum communes prudentiae et discretionis regulas insistant omnes et ut se contra daemonis illusiones tueantur, Superiorum et confessariorum ductum sequantur norintque modos tentationis et insidias maligni spiritus vitandi et superandi.

XII.

Ad majorem in spiritu profectum aut saltem ad necessariam illius conservationem omnes quotidie in meditationem secundum exercitium trium animae potentiarum vel asceticam lectionem ad minimum per mediam horam post matutinas preces incumbant, ad quam se pridie vesperi per horae quadrantem praeparaverint, eam potissimum ex vita Christi et Sanctorum materiam religentes, quam sibi singuli magis profuturam existimabunt.

XIII.

Voveant omnes quotidie celebrare et ita vivere ut digne celebrare possint, idcirco summo studio conentur conscientiam suam ab omni etiam minima labecula mundam servare, mortalem culpam plus quam faciem colubri formidantes. In hunc finem ad minimum semel in septimana sua peccata integre confitebuntur, idque alias toties facient, quoties necesse fuerit et quotidiana tantorum mysteriorum tractatio requisiverit.

XIV.

Ubi non est chorus, breviarium romanum aliasque preces consuetas unacum conscientiae examinibus semel eodem loco et tempore cum debita attentione et devotione in Creatoris sui laudem persolvere allaborent.

XV.

Lectioni, studio ac meditationi s. scripturarum ea sedulitate ac frequentia invigilabunt, ut huic tam sancto exercitio ultra tempus matutinae meditationis vel lectionis supra nominatum saltem unam adhuc horam quotidie impendant et ad majorem fructum inde percipiendum s. Patrum probatorumque interpretum explanationem desuper adhibeant.

XVI.

Praeter statuta exercitia quotidiana omnes et singuli cujuscunque districtus sacerdotes in loco a superioribus assignando quotannis recollectioni spiritus sui per certos dies vacabunt ad quam etiam extra hoc praescriptum parati esse debent, quando eam superiores illis aut utilem aut necessariam esse judicaverint.

XVII.

Non solum aequo animo accipiant si ad majorem in virtutibus progressum proprii defectus ipsis a Superioribus fuerint intimati verum etiam ad aliorum correctionem viam sternant: quare si quis grave delictum aut tentationem vel ejus periculum in altero notaverit, de hoc Superiorem vel fideliter moneat vel saltem desuper interrogatus veritatem aperiat, ut ipse pro paterna in suos cura periclitantibus convenienti remedio possit succurrere.

XVIII.

Caveant sacerdotes sese negotiis*) saecularibus aliisque rebus ad se non pertinentibus immiscere et si quam causam civilem habuerint sublimioris status sui intuitu in judicio personaliter non compareant, sed utantur procuratore, quod si vero urgente necessitate causam *) viduarum, pupillorum aliarumque miserabilium personarum suscipere charitas suaserit, non faciant id absque licentia superiorum, in iis autem suo dumtaxat consilio adjuvandis memores sint modestiae et erga partes litigantes reconciliandae charitatis.

*) Vd. *Clericus* (negotiator *p. 1328.)*

De Communitate bonorum.

XIX.

Communitas bonorum hujus vitae clericos et sacerdotes obligat, ut redditus suos ecclesiasticos quocunque titulo obvenientes quorum tamen libera dispositio de jure ad ipsos pertinet in communes pios usus conferant collatione stabiliter in vita et post mortem durativa (salvis juribus s. Sedis apostolicae et RR. DD. Ordinariorum) quam eo ipso facere censentur, dum vitae huic communi se aggregant. Hanc porro communitatem bonorum eo ardentius coli decet, quod Christus Dominus cum Apostolis suis eam tenuerit, in ecclesia Dei diu viguerit et ss. canones tam sancte ad eam hortentur. Igitur in autorem vitae Jesum Christum jugiter respiciant et memores se ad vindicandam veram libertatem filiorum Dei et adipiscendas divitias gratiae ejus totum thesaurum suum in Cruce Domini suspendisse laborent omnem affectum et inordinatam animi sollicitudinem erga res temporales sic extirpare, ut solus Christus velut summum bonum uniuscujusque praecordia abundanter impleat.

XX.

Quapropter ut in majore pace domestica et quiete animi Deo, sibi et proximo vacare et vivere possint, ubi plures simul habitant, unus eligatur, qui beneficiorum et functionum ecclesiasticarum redditus e manibus sacerdotum sibi cohabitantium recipiat et singulorum necessitatibus ex aequo prospiciat atque de receptis et expensis suo tempore superiori ordinatam rationem reddat.

XXI.

Habitatio, victus, vestitus, lecti pro diversitate locorum uniformiter sic accommodentur quemadmodum servos et ministros Dei et

*) Vd. *Clericus* (advocatus *p. 1287. n. 1.)*

ecclesiae decet: infirmorum tamen semper habita ratione sine expresso consensu superioris nihil de uno in aliud domicilium transferatur. Hinc caveant hospites itinerantes aut qui alio comigrant, ne quid sive ex bibliotheca libros sive ex domo alias quascunque res, clanculum et pro libitu suo secum accipiant ob confusiones et incommoda quae ex opposito consequuntur.

XXII.

Qui parentes, fratres et sorores in necessitate constitutos habent, oeconomiam suam ita instituant et vivant, ut eos charitative juvare possint; ubi vero beneficiorum tenuitas id non patitur, ex dispositione superioris defectus aliunde supplebitur. Illi autem, qui ab ejusmodi onere juvandorum parentum, fratrum, sororum liberi sunt, ne arbitrentur rapinam id, quod ad obsequium pietatis et necessitatis in suorum confratrum parentes, fratres et sorores, ab eodem superiore commendatos expenditur, verum sibi persuadent (cum charitati fraternae omnia sint communia) in suos impendi: unde qui non habent parentes, fratres vel sorores in necessitate constitutos sint tanquam habentes gratiasque Deo agant quod hac libertate eos donarit.

XXIII.

Caeterum communitas bonorum hujus vitae clericalis prout supra insinuatum procedit solummodo de bonis intuitu omnium functionum ac reddituum ecclesiasticorum quomodolibet quaesitis: bona autem patrimonialia sub libera cujusque dispositione relinquuntur cum hoc tamen moderamine, ut in iis dispensandis prima ac potissima pauperum consanguineorum ratio habeatur: bono nihilominus communitatis nostrae clericalis non praeterito. Ad evitandam vero omnem in hac disciplina clericali et pace domestica confusionem et alia incommoda hujusmodi dispositiones patrimonialium diligenter consignentur et superiori quoties ipsi videbitur desuper ratio reddatur, lites vero si quae desuper dictis bonis patrimonialibus movebuntur non a sacerdotibus in persona multo minus nomine communitatis sed per procuratores coram tribunalibus agitentur.

De fraterna cohabitatione.

XXIV.

Duo, tres, etiam plures clerici pro locorum qualitate (conformiter antiquis ecclesiae canonibus) eadem in domo*) ac mensa pie, sobrie, caste et fraterne cohabitent nec facile aliquis solus exponatur nisi locorum distantia postulet eaque sit parochialium proventuum tenuitas, ut duo cohabitare non possint: tales vero soli exponantur, qui eam vitae morumque constantiam probarunt, ut solitudo nihil periculi secum trahere merito credatur.

XXV.

Ut autem hujus vitae socialis disciplina vitato otio sanctius continuetur et simul major proximo utilitas accrescat teneros adolescentes in bonis moribus et literis eo usque informabunt, prout singulorum capacitas opportunitasque locorum permiserit.

XXVI.

Ne tamen ipsi clerici notitiam studiorum theologicorum et controversisticorum in scholis acquisitam deperdant sese etiam postquam ad animarum curam aliasque functiones clericales applicati fuerint in praedictorum studiorum exercitio diligenter occupabunt et subinde in loco ad hoc deputando per repetitiones et conferentias**) desuper instituendas aliquam suae industriae ac profectus speciem exhibebunt.

XXVII.

Fraternam charitatem et unionem sedulo observare nitantur supportantes se mutuo in charitativa patientia et infirmitatis propriae recordatione, quemadmodum nos et totum mundum in peccatis innumeris divina bonitas benignissime sustinet.

XXVIII.

Quilibet sacerdotum quavis hebdomada pro romano Pontifice et occurrentibus s. ecclesiae necessitatibus necnon pro incremento hujus vitae clericalis et singularibus ejus benefactoribus unam missam faciat: menstrua vero Sacra duo (unum quovis in loco pro ejusdem Ordinario, alterum pro defunctis confratribus et benefactoribus) a singulis celebrentur. Quotiescunque etiam continget aliquem ex dictis confratribus e vita decedere praeter consuetas exequias quae in sepulturae loco peragentur quivis sacerdos hujus vitae pro salute animae ejusdem tria

*) Vd. *t. III. p. 385. n. 17.*
**) Vd. *Conferentia.*

Sacra legat, preces et alia pietatis opera uniuscujusque libertati relinquuntur.

De Separatione Mulierum.

XXIX.

Cum sacerdotes quotidianum Christi Domini receptaculum sint arctissimam castitatis custodiam omnes habeant enitendo angelicam puritatem imitari ad quam obtinendam portas sensuum occludere omnesque occasiones et privata cum mulieribus commercia diligentissime fugere studeant.

XXX.

Quare nullae mulieres*) cum hisce sacerdotibus in eadem domo habitent sed quantum fieri potest in administratione domus et culinae opera virorum utantur: si tamen familiae rusticae vel alia inevitabilis necessitas mulierum famulitium requirat, matres vel sorores si haberi possint vel saltem tales suscipiantur, quas vitae morumque honestas commendat ea nihilominus separatione facta, quae superioribus videbitur fore sufficiens et necessaria.

De Obedientia.

XXXI.

Viam regiam sanctae illius obedientiae omnes teneant quam locorum Ordinariis exhibere clerici saeculares communiter tenentur: quemadmodum haec vita clericalis ab origine sui, sine exemptione, illorum jurisdictioni se subjiciens sancte servavit et servare deinceps perpetuo debebit. Praeterea omnibus et singulis dictae vitae constitutionibus ac omnibus illis, quae eorum superiores rationabiliter in Domino mandaverint circa actiones et functiones suas privatas et oeconomicas perfectam quandam obedientiam non solum opere, verum etiam voluntate et intellectu praestare pro viribus enitantur salva tamen semper in omnibus Ordinariorum auctoritate et jurisdictione.

XXXII.

In obtinendis vel retinendis beneficiis non proprium suum arbitrium vel commodum spectantes promptum semper et paratum animum habeant vel manendi vel alio eundi sic tamen ut in acceptatione ac dimissione seu renunciatione ejusmodi beneficiorum ordo debitus et uniuscujusque dioecesis consuetudo semper observetur.

XXXIII.

Secundum subordinationem superioritatis et inferioritatis unusquisque in conversatione sua vel officio ab alio se dirigi patiatur: si quis tamen forte irrationabili et indiscreto imperio gravetur ad superiorem recurrat qui pro sua discretione in Domino remedium afferet.

XXXIV.

Superioribus suas necessitates candide aperiant et amotis suspicionibus eorum dicta et facta ita accipiant ut semper in meliorem partem interpretentur etsi propriae voluntati et judicio contraria esse videantur, maxime vero caveant murmura et factiones contra superiorum dispositiones excitare; haec enim mutuam charitatem scindunt, bonum regimen disturbant et instar pestis corpus viresque communitatis inficiunt ac divino Spiritui adversantur.

De Cura animarum.

XXXV.

Cum pro nostrae vocationis scopo habeamus juxta normam ss. canonum (quoad ejus fieri poterit) et vitae ecclesiasticae honestatem puritatemque vivere et simul per functiones parochiales Dei honorem et salutem animarum sincere atque vigilanter cum propriae perfectionis studio per Dei gratiam promovere, idcirco sacerdotes hujus vitae singulari industria dictam animarum curam exercebunt et quidem ea ferventi charitate ac sollicitudine ut neque in verbo neque in opere aut exemplo bono aliquid desideretur, quod ad oviculas sibi concreditas etiam cum extremo vitae periculo rite pascendas conducere possit.

XXXVI.

Sacramentorum itaque administrationem sacrarumque caeremoniarum functiones cum decenti gravitate et veneratione peragant. Ritus etiam ubique illos observent quos romana ecclesia et locorum Ordinarii praescripserint.

XXXVII.

Ad frequentem usum sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae populum fervide

*) Vd. *Clericus* (cohabitans *p. 1289).*

adhortentur, necessitatem, vim et effectus eorum explicando, maxime vero invigilent ut aegroti sacro Viatico et extrema unctione mature provisi ex hac vita decedant.

XXXVIII.

In praedicando evangelio Christi solius Dei gloriam et animarum salutem spectantes ab omni invectivarum genere et acrimonia verborum in particulares personas abstineant neque hominibus sed Deo placere studeant, unde et ostentationem et auditorum captui minus accommodatos conceptus fugiant, ea semper in medium proferentes, quae pro diversitate auditorii sui populum in veritate christiana erudire aut in moribus corrigere vel in charitate aliarumque virtutum studio magis accendere apta sint de quibus plura infra.

XXXIX.

In sensu simplicitatis et veritatis christianae abundantes ecclesiae traditiones et ss. Patrum doctrinas, praecipue vero s. scripturae libros summe aestiment, venerentur et sibi familiares reddant; quos non ex propria sapientia interpretando ad subtiles conceptus trahere sed simpliciter ita proponere studeant prout est utile ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum et ad erudiendum in justitia et prout s. ecclesia, ss. Patres et theologorum orthodoxorum consensus sancte hactenus intellexit et etiamnum intelligit.

XL.

Doctrina cathechetica ad rudiores et parvulos in articulis fidei orthodoxae et moribus christiano homine dignis rite instruendos singulis dominicis in ecclesiis parochialibus uniformiter ex praescripto instituatur, ut sic ex naturalibus ignorantiae tenebris ad lumen veritatis fidei et in viam sanctam conversationis traducantur.

XLI.

Ad hoc plurimum juvabit si scholas vernaculas (quae magnum, praeter alia commoda non pauca, doctrinae cathecheticae cum fructu prosequendae praesidium conferunt) ruri non minus quam in civitatibus omni studio et sollicitudine instituendas curent, frequentius visitent et ea quae in catechesi dicta vel dicenda sunt ludimagistrum parvulos suos docere jubeant.

XLII.

Ex vernaculis hisce scholis aliqui bonae indolis parvuli ad aedes parochiales assumantur, qui sacerdotibus ad altare inserviant, mensae ministrent, ad eamque scripturam s. legant, canere et latine loqui paulatim addiscant; in mysteriis quoque christianae fidei timore Domini ingenuis moribus, bonis litteris et aliis hujus vitae clericalis principiis instruantur sicque ad omnem pietatem et morum honestatem ineunte aetate sollicite educentur.

XLIII.

Animarum fructum plurimum promoveri sciant si parochiani sincera charitate foveantur: hinc aegrotos frequentius invisant eisque cum opus erit ad ultimam luctam ex debito salutaribus monitis assistant, viduarum aliarumque miserabilium et afflictarum personarum singularem quandam curam habeant earumdem necessitates et miserias quantum fieri poterit consilio, opera, solatio sublevando.

XLIV.

In parochiis suis nihil novi incipiant, nihil mutent, verum consuetudinibus laudabiliter hactenus observatis insistant, maxime vero caveant ne in ullam controversiam praesertim cum magistratibus se intromittant, nisi requisito prius superiorum consilio et impetrato consensu.

XLV.

Hanc clericorum saecularium vitam diligant, defendant, propagent et in vacatione sua tanquam generosi milites in statione quibuscumque adversis non obstantibus constanter perseverent ac pro firmiore harum constitutionum observatione et custodia quandoque colloquia instituant, in quibus efficiant, ne res suae sive spirituales sive temporales aliquid capiant detrimenti, et casu quo disciplinam dissolvi vel oeconomiam periclitari deprehenderint provido maturoque consilio occurrant, quod ipsum assequentur facilius, si quivis in examine privato juxta statum et conditionem suam super his constitutionibus cum proposito emendationis diligenter se examinaverit.

XLVI.

Denique hae constitutiones psub eccato per se loquendo non obligant, etsi quis ad hanc vitam clericalem servandam per juramentum se adstringat. Solus autem ille

perjurus censebitur, qui proprio motu se ab hujus clericalis vitae et disciplinae statu separaverit.

Constitutiones Juventutis ad vitam sacerdotalem clericorum saecularium in commune viventium educandae.

Prooemium.

Finis hujus vitae clericalis est et clericos saeculares in commune viventes in honestate et disciplina clericali conservare et ingenuos adolescentes ad eandem educare: unde qui hic aluntur formiter sibi proponere debent, quod sacerdotes facti sub disciplina hujus vitae ad incrementum ecclesiae catholicae militare et juxta propriam etiam aliorum salutem ex professo procurare velint. Quare qui ad hujus disciplinae institutionem accedunt sibi persuadeant, se vere in filios et in membra hujus corporis suscipi: igitur seposito erga domum paternam et consanguineos ordinato affectu eo magis Deum Creatorem suum et spirituales suos parentes diligere debent, quo majora beneficia et pretiosiorem vitam omnino gratis ab ipsis accipiunt. Proinde hanc clericorum saecularium vitam ut veram et carissimam matrem habeant, illius disciplinae ex animo se submittant tradendo personas suas instituendas et erudiendas secundum voluntatem suorum Superiorum, maxime vero ad perfectionem debitam et gradum quendam excellentem communitatis bonorum, dilectionis fraternae, castitatis et obedientiae ab adolescentia conentur, quibus, veluti columnis, tota fructura hujus vitae clericalis subsistit. Porro constitutiones hujus juventutis ad vitam clericorum saecularium rite educandae in tria potissimum puncta dividere visum est. Primum erit de pietate christiana, alterum de morum honestate, tertium de studiis literarum.

De Pietate christiana.

I.

Articulos fidei catholicae eorumque fundamenta animis suis firmiter imprimere, item tam Sacramentorum virtutes quam etiam significationes ss. caeremoniarum earumque congruitates probe addiscere studeant, ex quorum deinde scientia intelligant solam ecclesiam catholicam coelestis sapientiae et divinae veritatis insuper et morum laudatissimorum in terris magistram existere extra quam salvari impossibile est.

II.

Nosse praeterea debent mundum, carnem et diabolum esse tres animae nostrae capitales hostes, qui viam ad coelum tanquam latrunculi obsidentes suis hostilitatibus efficiunt, ut tota vita hominis sit militia super terram ad quam viriliter opportet accingi. In hunc finem sibi omnis generis practica principia ac media faciliora ex lectione et meditatione sacra comparabunt, quibus concupiscentiae motus aliaeque tentationes eludi et muscarum instar possint ac debeant repelli; huic maximopere deservient libri piorum autorum, quos pater spiritualis singulorum captui atque profectui idoneos judicaverit.

III.

Frequenter sibimetipsis inculcent humani generis vilitatem, vanitatem, fragilitatem ut nihilum, ut ex hujuscemodi cognitione et quotidiana experientia agnitionem sui ipsius paulatim consequantur. Item tam beneficia creationis, redemptionis et sanctificationis quam poenas eorum qui iisdem abutuntur sicut et quatuor hominis novissima perpetuo ob oculos ponant, ut sic vel ad amorem Dei gratique animi affectum vel ad justum timorem Domini serio impellantur, super quae tanquam firma christianae vitae fundamenta omnium solidarum virtutum aedificium extruere oportet.

IV.

Virtutum theologicarum fidei, spei, charitatis et cardinalium prudentiae, temperantiae, fortitudinis et justitiae geminam naturam practice addiscant. Ad haec in vera humilitate, patientia, abnegatione sui ipsius jugiter se exerceant omnesque suas actiones in vera discretione instituere serio conentur; maxime vero quodnam in quavis virtute medium et quaenam vitiosa extrema sint sedulo indagent: alias enim juvenilis impetus ob suam immoderatam vehementiam experientia teste facile et plerumque ad extrema deflectit. Hic multum proderit si quilibet aliquid temporis certo cuidam vitio vel particulari defectui extirpando et virtuti oppositae exercendae, juxta majorem suam indigentiam et utilitatem de consilio patris spiritualis vel quoties sibi alias visum fuerit impendat.

V.

Veram indifferentiam erga omnes res hujus mundi habeant solum illud optimum existimantes, quod a Dei et superiorum voluntate demanat; proinde promptam obediendi voluntatem quae omnibus hanc vitam sectantibus maxime necessaria est a juventute sibi comparabunt.

VI.

Tam primam innocentiam quam castitatem mentis et corporis ut pupillam oculi illibatam conservare satagant; proinde principiis obstent et omnes malas suggestiones sine cunctatione ex animo ejiciant.

VII.

Ad sensuum suorum tam internorum quam externorum custodiam pro viribus attendant: maxime vero ab auditione rerum turpium tanquam a facie colubri fugiant et si fugere non possint reprehendant vel saltem serio apud se detestentur.

VIII.

Oculos suos ab omni curioso sexus foeminei aliarumque vanitatum aspectu quae hominem fascinando inquinare vel distrahere solent sollicite avertant. Hinc frenum timoris Domini sibi injicientes foris et in templo oculos ab omni inordinata evagatione pro viribus cohibere nitantur; quod facilius consequentur, si praesentiam Dei et futurorum bonorum stabilitatem respectu quorum haec caduca vilescunt animo jugiter revolvant.

IX.

Turpiloquia sicut et blasphemiae procul arceantur et si quis in his deprehensus tertiaque vice correptus emendationem effective non demonstraverit tanquam pestis e consortio innocentium ejiciatur.

X.

Ne rerum singularium usu ad avaritiae sordes inclinentur nemini liceat pecunias proprias aut res alias clandestine possidere et si quis a parentibus, consanguineis, tutoribus aut quibuscunque aliis simile quid acceperit non sibi seorsim reservet sed in communi custodia superiori asservandum tradet. Hinc etsi plutei ad asservationem quarundam recularum studiosae juventuti necessariam singulis permittantur, Superior tamen ad eos clavem magistram habebit.

XI.

Singulis diebus statim post preces matutinas mediam horam lectioni spirituali vel meditationi eorum quae notatu digna deprehenderint impendant, cum brevi reflexione quam primo memoriae bene mandent tum etiam in libro suo spirituali ad hoc deputato clare et breviter notent ne thesauro spiritualis scientiae defraudentur.

XII.

Quotidie tempore et loco sibi assignato tremendo Missae Sacrificio devote intersint et sub eodem non solum corpus et animam verum etiam omnes cogitationes, verba et opera sua Patri coelesti per Jesum Christum in servitium offerant: et qui officium parvum B. V. Mariae orant etiam officium immaculatae conceptionis a s. Sede apostolica approbatum, unacum hymno s. Casimiri pariter approbato vel approbando, praecipue pro conservanda castitate persolvant; cum vero celebrans ad communionem pervenerit suam quoque spiritualem communionem instituant.

XIII.

Qui vero in majoribus classibus existunt officium parvum B. Mariae V. pro incremento gratiae vocationis clericalis singulis diebus recitent, si quidem, ut Primam, Tertiam, Sextam et Nonam sub Missae Sacrificio, vesperas vero et completorium cum matutino et laudibus pro die sequenti, tempore pomeridiano paulo ante coenam in honorem genitricis Dei, Reginae et Patronae singularis hujus vitae clericalis pro temporum diversitate alternis vicibus recitando persolvant.

XIV.

In templo sub Missae Sacrificio aut vesperis vere pietate et modestia praelucentes ab omni garrulitate et strepitu, oculorum curiositate et inordinata mentis omniumque aliarum facultatum effusione se custodiant. Sub auditione verbi Dei januam alienis cogitationibus praecludendo intellectum, memoriam et voluntatem ad percipiendum debitum fructum concionatoris sermoni ex animo accommodant.

XV.

Philosophiae et theologiae studiosi singulis septimanis et majorum totius anni festivitatum diebus conscientiam suam sacramentali confessione expiare et ad s. communionem accedere assuescant; qui vero in humanioribus scholis existunt saltem singulis 14 diebus id observabunt. Confessariis autem confiteantur omnes quos superiores vel ex hujus vitae clericalis sacerdotibus vel aliunde determinaverint.

XVI.

Post communionem aliquantum temporis in gratiarum actionem pro tanto beneficio aliquam effectuosam orationem vel ore vel mente recitando impendant; in qua omnia viscera sua cum omnium necessitatum suarum tam privatarum quam publicarum ecclesiae explicatione coram oculis divinae Majestatis effundent et in vulnera Christi hospitis amabilissimi ascendendo commendabunt.

XVII.

Ut ab occultis satanae et naturae vitiatae insidiis facilius praeserventur ab adolescentia assuescant, non raro cum superioribus, patre spirituali et confessario super statu hominis sui interioris conferre et iisdem graviores praesertim extraordinarios animi sui motus et impulsus candide aperire, id quod ad cognitionem et discretionem spirituum an ex Deo sint necne plurimum prodesse dignoscitur.

XVIII.

Singulis annis recollectioni spirituali qui ejusdem capaces sunt aliquot dies vacabunt. Idem observetur in eorumdem susceptione ad hanc vitam antequam juramentum praestent, adjungant etiam confessionem generalem totius vitae nisi ante eam fecerint.

XIX.

Majores junioribus in observatione constitutionum tanquam speculum vitae integritatis pro viribus praeluceant et cogitent se a pueritiae indulgentia ablactatos jam ad veras et solidas virtutes evocari, proinde spirituali fulgore studiosis nempe virtutum et exercitiorum hactenus praescriptorum actibus in vera discretione ubique praelucere conentur.

De Morum honestate.

XX.

Ad eam integritatem morum omnes et singuli pro viribus attendant, ut castigationibus non indigeant; et si deliquerint cito contriti et humiliati fateantur suam culpam atque cum proposito seriae emendationis se Superioris arbitrio submittant sustinentes libenter poenitentias quae pro qualitate delicti fuerint injunctae; idque sine resistentia aut murmuratione vel frivola excusatione.

XXI.

Senectutem venerentur et tam domi superiores quam foris sacerdotes ac personas ecclesiasticas quascunque, maxime vero praeceptores suos et omnes homines secundum cujusque status dignitatem ex animo venerentur ac debitum honoris titulum impendant.

XXII.

In externis caeremoniis quae in modo dictae reverentiae signum solent adhiberi hypocriticam pseudopoliticorum simulationem ut pestem fugiant, e contra cum debita gravitate, modestia et decore ut recta prudensque dictabit ratio venerationem pacis ostendant.

XXIII.

Quoties domi vel foris sibi invicem obviabunt semper ii qui sunt in inferiori classe adolescentes altiorum classium, omnes vero et singuli suos superiores aliosque sacerdotes honore debito praeveniant, majores quidem detecto capite, superiores vero et sacerdotes etiam cum inclinatione corporis salutantes.

XXIV.

Coram superioribus ac majoribus se ultro non facile ad loquendum ingerant, ad interrogata vero paucis modeste et graviter respondeant. Cum aequalibus ea agere et loqui expedit, quae vel honestas vel utilitas vel necessitas commendat.

XXV.

Quando advertent ex domesticis aliquem deliquisse aut ad delictum periculose inclinari vel si aliud quodcunque scandalum patiantur ad superiorem debita cum modestia, loco et tempore congruo fraternae correctionis causa deferre teneantur ut mature malo occurri possit.

XVI.

Contra correctionem superiorum non murmurent et si quid injuste sibi pati videantur patienti taciturnitate prudenter sufferant et in meliorem partem accipiendo cogitent, se de praesenti non intelligere correctionis mensuram. Inprimis autem caveant, ne de suis superioribus male loquantur vel illos judicent, irrideant aut illorum dicta, facta, correptiones, dispositiones sinistre interpretentur; multo minus talia suis sociis aut quod pejus foret extraneis evulgent.

XVII.

Contra dispensationem necessariorum nullas factiones et murmura excitent, sed si quem defectum horum quomodolibet in veritate notaverint competenti superiori seorsim indicabunt, ut suo tempore et modo sciat remedium adhibere.

XVIII.

Ab omni specie mendacii abstinere, veritatem vero quae inter praecipua bene moratae juventutis ornamenta merito numeratur tanquam pupillam oculi in omnibus verbis et actionibus suis custodire studeant.

XIX.

Non adulentur, non pietatem fingant, neminem decipiendo verbis circumveniant et in narratione rerum auditarum ab omni falsa amplificatione abstineant ut sicut os loquitur ita in veritate sentiat cor.

XX.

Nemo alterum mendacii inciviliter arguat nec in passione irae erga se invicem effervescant aut vindictam sumere quocunque modo attentent: ad competentem vero superiorem si rei gravitas postulaverit rationabiliter et sine cupiditate vindictae deferre nemo prohibetur, qui noverit optime in Domino providere.

XXI.

Sermone utantur modesto, non sapientiae sublimitatem affectent, non falsae humilitatis objectionem, sed in omnibus curent simplicitatem sinceritatemque christianam servare, quibus aedificetur proximus, non offendatur.

XXII.

In iis quae narrant ambages et superfluos verborum ambitus sicut et circumstantias ad rem non pertinentes et abscindant et modo recto ac plano ad scopum sui discursus festinent, aliis etiam discurrendi locum cessuri.

XXIII.

Seipsos prae aliis non extollant neque interius suis rebus sibi vane complaceant; multo minus seipsos aut sua laudare et jactantiam magni facere praesumant: cogitare enim debent omne bonum esse desuper a Patre luminum.

XXIV.

Non sint morosi, erga omnes autem affabiles mane et vesperi salutem invicem impertiantur: minores in alloquio a majoribus et superioribus affatum expectent: quod debitae submissionis et verecundiae signum fuerit.

XXV.

Tam vultus tristitiam et oculorum austeritatem quam levitatem in seipsis omnes sic corrigant, ut suavitas cum gravitate, modestia vero cum magnanimitate in cujusvis vultu certare videantur; in hoc ipso tamen omnem simultationem et hypocrisin excludentes.

XXVI.

Exclusa omni levitate in incessu gravitatem cum modestia conjungant semper, incedendo non currant, in vestibus munditiem ament, sordes oderint et in omnibus verbis actionibusque suis gestus membrorum ac totius corporis compositionem talem exhibeant, quae omnem hominem aedificare possit ac debeat.

XXVII.

Erga cibos in mensa appositos ipsius appetitus sensualitatem sibi praedominari sic non sinant, ut gula rectae rationis usum praeveniat, quantum autem ad moderatam corporis refectionem necessarium fuerit comedant, in singulorum ciborum contrectatione debitam modestiam ac decorem in aliorum aedificationem observent: silentium quoque in triclinio sancte servetur, extra mensam porro ordinarie sive domi sive foris abstineant neque sine licentia superiorum.

XXVIII.

Post mensam aliquantum temporis honestae recreationi indulgebunt, sic tamen ut ab indecora corporis agitatione abstineant et cum ea circumspectione ac modestia laetitiam attemperent, ut nemo prudens offendi queat.

XXIX.

Nemo autem sive domi sive foris recreationi se subducere vel ad alia loca, occasiones aut consortia declinare vel eo tempore praepostero ordine literis operam dare vel in loco solitario se tristitiae aut melancholiae dedere permittatur: est enim tempus studendi et tempus ridendi; omnia tempus habent.

XL.

Quamvis humanum sit, intra limites virtutis eutrapeliae jocari et jocos aut sales ab aliis accipere ac tolerare posse, nihilominus tamen stultiloquia, scurrilitates et alia quae honestatis terminos mediumque discretionis excedunt in nulla occasione tolerentur. Cum vero ex humana imperfectione tam domi quam foris contra dictas eutrapeliae et discretionis leges non raro peccari soleat, a teneris assuescant, ne ita delicati efficiantur, ut nihil pati velint aut possint existimantes omnia sibi ex voto accidere debere.

XLI.

Cum valde indecens sit, proprium sermonem suis interpolare cachinnis, ideo in narrandis vel audiendis leporibus ac facetiis nolint aliis in ridendo palmam praecipere, sed appetitum suum inhibentes cum moderata suavitate oris sua loquantur vel alios auscultent: aliis in risum solutis et ipsi subsideant; prout virtus eutrapeliae suaserit, vitando duo extrema, nimiam quidem austeritatem ex una, nimiam vero levitatem ex altera parte.

XLII.

In recreationibus invicem verbis vel actionibus irritare aut insulsorum morum ineptiis molesti esse nolint, quibus alii ad tristitiam, nauseam, iracundiam vel antipathiam provocentur.

XLIII.

In auscultando alterius discursu secluso omni contemptu sagaciter observent, quid is pulchrum, quid indecens effundat, indeque sibi documenta tacite efforment, quomodo se in simili occasione gerere velint, quae cavere, quae observare: Loquentem autem proximum importune ne interrumpant sed patienter audiant; indecens enim est audiri velle, audire vero nonnisi impatienter.

XLIV.

Nemini detrahant, aliorum dicta et facta in melius interpretentur. Sinistre vero alios judicare et amaris verbis perstringere oderint, cane pejus et angue.

XLV.

Ubi duo, tres vel plures fuerint simul caveant, ne defectus tertii (quisquis ille fuerit, domesticus vel extraneus, superior vel aequalis) imprudenti ore suggillent, quod enim sibi quis fieri non vult, aequum est, ne faciat alteri.

XLVI.

Alterius dicta vel facta seu graviora seu leviora videantur tertio non revelent sed ad superiorem, si correctione indiguerint, cum debita modestia et commiserationis affectu deferant.

XLVII.

Ab aliis audita in se sinant emori, quae cum debita utilitate, necessitate aut honestate non propalari possunt: quod fiet, si superiores abolendae garrulitati, adolescentes vero servando silentio dederint operam.

XLVIII.

Si quis proximum vel fratrem suum de tertio male loqui audierit, hoc tertio non manifestabit: multo minus, quae tertius ille de eodem proximo dixerit, velut susurro, effutiet: haec enim quia discordiam seminant etiam in rebus levibus adolescentes odio capitali prosequi meminerint.

XLIX.

Unus alterum vexando, irritando vel defectus exproprando ad iram non provocet; multo minus discordiam inter fratres seminare aut cum altero verbis pugnisque contendere attentet; quae omnia sicut e diametro bonis moribus repugnant ita in domo juventutis nequaquam tolerabuntur.

L.

Quodsi unus alterum laeserit cito in gratiam redeant et qui illatae injuriae reus fuerit injuncta poenitentia laesae parti humiliter deprecando satisfaciat.

LI.

Injurias tamen ab aliis sibi illatas nullo modo vindicare velint scientes in patientia

possidere animas suas, maxime si tantum in propriam personam sine alio nocumento redundare videantur.

LII.

Si quando proximus flagranti passione effervescit, qui sibi praesentes sunt cedant illius irae dando locum ne similiter accendantur. Hinc neque corripiant quemquam in fervore animi constitutum sed tempus congruum expectent, donec ardor sedetur et sedata passione correctionis sit capax.

LIII.

Nemo alteri quicquam furetur aut ex petulantia abscondat: proinde serio sit omnibus interdictum aliorum musea pervagari aut pluteos lustrare.

LIV.

Omnium rerum munditiem diligentes non tantum in museo libros, chartas aliaque studiosis necessaria post singulos usus in ordinem componant, verum etiam in cubiculo vestimenta quaecunque inter sordes perire et aliis nauseam creare non sinant.

LV.

Longiores crines aut comam non nutriant, sed proscripta indecora capillorum longitudine, modestam mediocritatem ex praescripto uniformiter omnes servent, ut caput honeste tegatur, non obruatur.

LVI.

Seorsim dormiant omnes, totum corpus cum omnibus membris ad debitam honestatem componere sicque compositum in obsequio servare assuescant.

De Studiis literarum.

LVII.

Gratiae Dei et naturae talentis viriliter cooperentur virtutumque studio illum scientiarum profectum conjungant qui virtutibus adminiculetur.

LVIII.

Tam in scholis quam domi eliminata omni petulantia explicationibus sedula attentione aures praebeant.

LIX.

Tempore studiorum nemo strepitum aut pulveres excitet, multo minus extra proprium museum in domo vagetur aut quocunque modo alios inquietare et a studiis impedire ausit.

LX.

Concertationes scholasticae absque clamore nimio, qui veritatem dubii solummodo confundit, sic instituantur, ut argumentans tarde et ordinate sua proponat; defendens vero patienter argumentum audiens ad formam respondeat. In se invicem non invehantur neque fervore nimio vel ira excandescant, multo minus unus alterum confundere sed rei propositae veritatem eruere conentur et ubi illius evidentia vel probabilitas constiterit non violenter argumentum ex stimulo superbiae intellectualis torquere praesumant sed veritati vel probabilitati prudenter acquiescant.

LXI.

A prandio ante initium studiorum mediam saltem horam cantui chorali addiscendo impendent omnes, a quo nemo eximi poterit. Hunc semel edocti vel ad cantus figuralis vel musicae instrumentalis varia exercitia pro cujusque capacitate applicabuntur.

LXII.

In quibus quilibet privatim deliquit etiam privatim castigetur, publica vero delicta publica poenitentia intra domesticos parietes mulctentur, ut sic scandalum tollatur et alii a similibus absterreantur.

§. 3. Nobis propterea praefati exponentes ac etiam dilectus filius Abbas Pompejus de Scarlattis dilecti filii nobilis Juvenis Maximiliani Emanuelis utriusque Bavariae Ducis, s. romani imperii Principis Electoris, in romana curia administer, tam ipsius Principis Electoris quam dilecti quoque filii nobilis viri Ducis Maximiliani Philippi ejus patrui et electoratus administrationis nomine humiliter supplicari fecerunt, ut institutum et constitutiones hujusmodi pro majori religionis catholicae bono ipsiusque instituti decore et augmento apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communire et alias opportune in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis eorundem Maximiliani Emanuelis et Maximiliani Philippi Ducum votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere dictosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes et hujusmodi supplicationibus inclinati de memoratorum Cardinalium consilio institutum praedictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum et directione unius generalis Praesidis necnon constitutiones praeinsertas cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos juris et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 4. Praeterea eisdem exponentibus alias constitutiones praeinsertis non contrarias pro spirituali temporalique dicti instituti directione ab hac s. Sede postmodum approbandas condendi facultatem impertimur. Ac ad tollendam omnem ambiguitatem, cum dicti exponentes sint clerici mere seculares omnibusque secularis cleri oneribus obnoxii, eosdem exponentes quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum saecularium capaces esse ac proinde canonicatus et praebendas, personatus,*) dignitates, etiam post pontificalem majores in cathedralibus, etiam Metropolitanis, et principales in collegiatis ecclesiis necnon parochiales ecclesias earumque perpetuas Vicarias et alia quaecunque cum cura et sine cura beneficia ecclesiastica saecularia quomodolibet qualificata, quae per clericos saeculares obtineri consueverunt possidere ac consequi et obtinere posse auctoritate et tenore praefatis declaramus.

Datum Romae apud s. Petrum die 7. Junii 1680.

(Bull. r. t. VII. p. 31. Ed. Luxbg.)

Clericis saecularibus in commune viventibus confirmatur capacitas ad obtinenda et retinenda beneficia ecclesiastica.

Innocentius PP. XI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Prospero felicique instituti dilectorum filiorum clericorum saecularium in communi viventium statui et progressu quantum Nobis ex alto conceditur providere eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de congregationis nonnullorum ex venerabilibus Fratribus Nostris s. romanae ecclesiae Cardinalibus et aliquorum ex dilectis filiis romanae curiae Praelatis a Nobis specialiter deputatae consilio auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus eosdem clericos saeculares in communi viventes, quorum institutum et constitutiones nuper approbavimus, ex assumptione status et vitae communis juxta institutum et constitutiones hujusmodi, nullo modo reddi incapaces beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura animarum et alias cujuscunque qualitatis, conditionis vel naturae existentium, quae per clericos saeculares in titulum, commendam vel administrationes aut alias quovis modo obtineri consueverunt: ac proinde ipsos clericos saeculares in communi viventes tam praesentes quam futuros quaecunque beneficia ecclesiastica hujusmodi quae de praesenti canonice obtinent retinere et alia quaelibet servatis de jure servandis consequi et obtinere posse, et quatenus ad illa caeteroqui canonice praesententur vel eligantur aut alias quovis modo assumantur in illis institui electionesque de eorum personis factas confirmari posse et debere in omnibus et per omnia, perinde ac si institutum praedictum minime assumpsissent nec in illo viverent, ita tamen ut ipsi omnibus et singulis eorundem beneficiorum obligationibus satisfaciant oneraque illis incumbentia supportent.

§. 2. Praeterea eosdem clericos in communi viventes cum saeculares sint omnibus et singulis clericorum saecularium juribus, praerogativis, praeeminentiis, immunitatibus, facultatibus et privilegiis uti, frui, potiri et gaudere posse et debere.

§. 3. Ac demum eisdem clericis saecularibus in communi viventibus ut licet sufficientem beneficii vel patrimonii titulum ad ss. ordines de jure requisitum non obtineant nihilominus de superioris generalis dicti instituti pro tempore existentis licentia ad titulum communitatis sive instituti praedicti pro arbitrio et conscientia Ordinariorum locorum ad ss. ordines hujusmodi servatis alias servandis promoveri valeant auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus ea tamen lege, ut si eos subinde dimitti contingat idem institutum eis omnia ad congruam eorum sustentationem necessaria subministrare teneatur; idque donec et quousque eis aliunde sufficienter fuerit provisum; ad id autem praefatus superior generalis bona dicti instituti in forma juris valida obligare et hypothecare debeat in manibus

*) Vd. *t. II. p. 522.*

eorundem Ordinariorum, quibus curae erit sedulo inspicere, an eidem instituto sufficientes suppetant facultates, ex quibus necessaria sicut praemittitur clericis praedictis valeant supportatis caeteris ipsius instituti oneribus subministrari.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 9. Febr. 1685.

(Ibid. p. 59.)

Dilecto filio Canonico P. Gaduel *Vicario generali Aurelianensi.*

Pius PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Gratulamur tibi, dilecte Fili, quod semen a te jactum per commentarium *) de vita et gestis venerabilis Bartholomaei Holtzhauser in bonam terram inciderit multosque jam videas clericos saeculares, juxta illius institutum, in communem coivisse vitae societatem. Utilitas certe illa, quae saeculo XVII. inde obvenit clero, praesertim germanico, non minores aetati nostrae spondere videtur fructus: siquidem consociatio animorum fota per communem vitam alit charitatem simulque Dei favorem conciliat, qui se futurum promisit in medio eorum qui in nomine ipsius congregati fuerint et loquuturum ad cor in solitudine. Bonum propterea ac jucundum dixit regius Psaltes habitare fratres in unum reique suavitatem et efficaciam comparavit unguento in capite Aaron, quod descendit in barbam ejus et in oram vestimenti ac rori, quo perfunduntur montes Hermon et Sion. Clerici enim a societate saeculari negociisque semoti et in unitate fidei ac spiritus conjuncti inunguntur spirituali gratia, quae intellectum veluti caput irrigat omnemque vitae rationem componens et ad sedulam ciens creditorum munerum functionem descendit per evangelicum ministerium ad fideles eorumque corda veluti ros matutinum foecundat. Qua de re non probatum dumtaxat sed et praeceptum conspicimus ab antiquis ecclesiae legibus, ut presbyteri, diaconi, subdiaconi *simul manducent et dormiant et quidquid eis ab ecclesiis competit communiter habeant*; ac suasum *ut ad apostolicam, communem scilicet vitam, summopere pervenire studeant.* Factum idcirco est, ut cum primum servus Dei a decessore nostro sa. me. Innocentio X. instituti sui approbationem poposcit, Nostra Congregatio Episcoporum et regularium negociis praeposita, cui res commissa fuerat, responderit: *Rem instituti hujus piam et sanctam ac juxta antiquos ecclesiae canones esse, quae confirmatione non indigeat, cum profiteatur hoc ipsum, quod primae christianitatis Clerus fecit. Eant igitur in pace et cum omni benedictione deducant in praxim.* Novum tamen decus tam utili veteris disciplinae instaurationi additurus sa. me. Innocentius XI., defuncto jam Bartholomaeo, institutum Apostolica auctoritate confirmavit anno 1680 et ea de re scribens ad Leopoldum I. Imperatorem qui id fieri postulaverat dixit: Clericorum institutum in societate viventium, quod Nobis a Majestate Vestra aliquot abhinc annis commendatum fuit, modo a Nobis est auctoritate apostolica confirmatum: quod quidem tam uberes Nobis in vineae Domini cultura fructus spondet, ut dignum illud censeamus, quod omnes plurimi faciant foveantque. Et paulo post in alia epistola: Nos vero tanti illud facimus, ut copiosum inde ecclesiae Dei proventum, Nobis autem uberem jugitur duraturae laetitiae segetem procul dubio speremus. Spem hanc et Nos fovemus, si eodem Bartholomaei spiritu novae istae clericorum in commune viventium societates informentur. Quamobrem et eos commendamus, qui in hujusmodi vitae institutum jam coierunt; et nova semper atque ampla ominamur laetis istis exordiis incrementa. Tibi vero, qui per librum tuum tam bene meruisti de clero, et iis omnibus qui praestantioris boni desiderio ducti nomen suum dederunt ac daturi sunt piis hisce societatibus, caelestium gratiarum auspicem et praecipuae benevolentiae nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 17. Martii 1866. Pontificatus Nostri anno XX.

PIUS PP. IX.

*) Ejusmodi commentarium a laudato Vicario generali gallico idiomate conscriptum praesefert sapientem epistolam praeclarissimi Antistitis Antonii Dupanloup Episcopi Aurelianensis, qui summopere commendat vitam saecularium clericorum in communi viventium ad normam institutionis Servi Dei Holtzhauser atque fructus uberrimos inde obventuros ostendit.

Ejusmodi vitae commentarium versum statim fuit, et quidem optima versione, in italicum idioma ab Illmo et Rmo Canonico Carolo Candiani, qui insuper eidem commentario praemisit eruditam praefationem, qua ostendit quantum a ss. Patribus fuerit commendata vita saecularium clericorum in communi societate viventium, adjectis etiam pro opportunitate utilibus adnotationibus. Item versum est in germanicum idioma.

Scimus pariter versum jam esse vel verti in linguam Angelicanam, Hispanam et Polonam. Et quod magis est jam pluribus in dioecesibus ejusmodi communem clericorum vitam secundum ideam Servi Dei institutam fuisse atque florere.

Tum vitae commentarium tum alterum volumen quod continet *opuscula ecclesiastica* Servi Dei emitur Parisiis apud *Ch. Douniol*, bibliopolam *rue Tournon 29.* Italica autem versio prostat in Italia *Monza, tipografia dell' Istituto dei Paolini, piazza di s. Agata N. 480.*

34) Ad tribunalia laicalia reccurrens.

Vd. t. III. p. 896. VI.; 901. VIII.; *Excommunicat.* (appellantium etc. *ad laicam potestat.)*

35) Ante tribunalia laicalia attractus.

Vd. t. III. p. 898. VII.

36) Usurarius.

Vd. *Clericus* (Negotiator p. 1328.); p. 1351. n. 28.

Leo I. Episcop. universis Episcopis per Campaniam etc. et per Italiae universas provincias constitutis.

Hoc quoque non praetereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam et foenore velle ditescere, quod non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti sed in laicos cadere, qui christianos se dici cupiunt, condolemus, quod vindicari acrius in eos, qui fuerint confutati, decernimus: ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Illud etiam duximus praemonendum, ut sicut non suo ita non alieno nomine aliquis clericorum exercere foenus attentet; indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Foenus autem hoc solum aspicere et exercere debemus: ut quod hic misericorditer tribuimus ab eo Domino, qui multipliciter et in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

Die 10. Oct. 443.

(Bull. r. t. I. p. 47. n. 3 et 4. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Gelasius I. dil. fr. Episcopis per Lucaniam, Brutias et Siciliam constitutis.

Consequens fuit, ut illa quoque quae de Piceni partibus nuper ad Nos missa relatio nunciavit non praetereunda putaremus, idest plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, qua ipse Dominus negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: »Nemo militans Deo implicat se negociis saecularibus,« Psalmistam quoque David, surda dissimulantes aure, cantantem: »Quoniam non cognovi negociationes, introibo in potentias Domini.« Proinde hujusmodi aut ab indignis posthac quaestibus noverint abstinendum et ab omni cujuslibet negociationis ingenio vel cupiditate cessandum aut in quocunque gradu sint positi mox a clericalibus officiis abstinere cogantur, quoniam domus Dei domus orationis et esse debet et dici nec officina negotiationis et spelunca potius latronum.

Die 11. Mart. 494.

(Ibid. p. 104. n. 17.)

Clerus Cathedralis.

(Qui eum constituunt.)

Vd. t. III. p. 368. §: *E contra;* 367. §: *Ex his.*

Coactio causativa.

(Removet ab actu spontaneitatem.)

Vd. *Vis, Metus.*

Neapolitana.

Causativa coactio quamquam non impediat, quominus ordo caracterem*) imprimat, attamen cum removeat ab actu *spontaneitatem*, efficit, ne quis obstringatur voto ordini adnexo, quod spontaneum sit oportet, *cap. 1. de regular. in 6.*, et statuit *Rota coram Cesare de Grassis de his, quae vi metuque fiunt* relata *in part. 1. divers. decis. 2. a n. 1. ad 8.*

Quatenus juxta mitiorem doctorum opinionem *causativa* coactio potens esset ad irritandum votum, semper tamen procedere deberet ex metu cadente in constantem virum, ut tenent *Fagnan. in cap. Majores de baptismo lib. 3. decret. num. 103.*, *Pignatell. consult. 77. t. 7. n. 8. et sequen.* Ad evincendum porro metum hujusmodi duo conjunctim probanda sunt: et malum quod timetur esse per se grave non ex vana opinione metuentis: et quod certitudine saltem morali hoc grave malum immineat. Altera ex hisce conditionibus deficiente corruit probatio illius metus, qui valeat votum irritare, *Barbosa vot. 77. n. 47.*, *Reiffenstuel. lib. 1. decret. tit. 40. n. 19.*, *Schmalzgrueber lib. 1. decret. tit. 40. §. 1. n. 3.*, s. Congregatio Concilii *in Gratianopolitana Restitutionis* *) *in integrum 24. Nov. 1770.*

Die 21. Septbr. 1816.

*) Vd. *t. III. p. 952.*

*) Vd. *Restitutio in integrum.*

Coadjutor.

1) Canonici.

a) Aetas.

Vd. t. I. p. 312. n. 6.

b) Canonicus vere non est.

Vd. *Coadjutor Canon.* (professio fidei.) t. III. p. 357. n. 5.

Asten.

Coadjutor durante vita coadjuti fictus est, non verus Canonicus; *Pignatell. t. 4. consult. 185. n. 7.*

Die 26. Aug. 1780.

Casalen.

Propositis iis quae in praeinserto memoriali continentur in s. R. Congregatione eadem s. R. C. respondit non esse recedendum a decretis alias in simili casu factis praecipue in una Coimbricen. die 16. Sept. 1606., in qua declaratur coadjutores non esse vere Canonicos nec pro talibus habendos esse viventibus coadjutis sed tantum post obitum coadjuti et ideo viventibus coadjutis semper in ultimo loco sedere debent post omnes veros Canonicos, quod etiam in ecclesia Casalen. servandum esse censuit et declaravit non obstante allegato statuto ecclesiae quod non potest habere locum in coadjutoribus sed in veris Canonicis tantum juxta consuetudinem allegatam et in eadem ecclesia Casalen. servatam, a qua cum sis conformis juri communi et decretis praedictis non esse recedendum respondit.

Die 15. Julii 1617.

Vicentina.

Coadjutores viventibus coadjutis non esse veros Canonicos ac propterea praecedentiam competere veris Canonicis quamvis posterius provisis super ipsos coadjutores prout alias pluries ita nunc in casu proposito censuit ss. R. Congregatio.

Die 18. Aug. 1618.

Elnen.

Coadjutores viventibus coadjutis non esse veros Canonicos nec pro talibus habendos ac propterea praecedentiam competere veris Canonicis quamvis posterius provisis supra ipsos coadjutores (nisi aliud ex forma coadjutoriae vel statuto seu consuetudine ecclesiae legitime praescripta statuatur) censuit ss. R. Congregatio.

Die 20. Apr. 1619.

Forolivien.

Cum coadjutor nec titulum nec jus habeat in beneficio sed coadjuti personam repraesentet ita ut omnes possessori actus nomine illius patrati censeantur, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 25. n. 30.*, *Rot. in Firmana Praecedentiae 20. Januarii 1826. §: Quin, cor. R. P. D. Marco*, non vere sed ficte tantummodo Canonicus appellatur ac propterea minor est dignitate veris Canonicis, quamvis in minoribus ordinibus constitutis, *Barbosa de Canon. cap. 29. n. 26.*

Die 16. Sept. 1826.

c) Celebrans.

Vd. t. III. p. 363. n. 7.; *Canonicus* (celebrans t. III. p. 365. n. 8.) *Applicatio missae conv.* (obligat. non est Canonici jubilati t. I. p. 716. VII.)

Coadjutor tenetur celebrare missas, quas vigore testamenti et institutionis capellaniae ipse coadjutus celebrare tenetur, quando coadjutus est legitime impeditus, s. Congr. C. *in Patavina 3. Decb. 1616.*

d) Differentia inter Coadj. Canonici et Dignitatis.

Vd. *Coadjutor Canonici* (celebrans); *Coadjutor Dignitat.* (differentia etc.)

e) Distributiones.

Vd. *Distribut. Coadjut. Canon.*; *Coadjutor Canon.* (Emolumenta etc.; fructus p. 1392.; excommunic. Canonici p. 1391.)

f) Domicilium.

Vd. *Coadjutoria* (titulus etc.)

g) Emolumenta reficere tenetur Coadjuto.

Vd. *Coadjut. Canonici* (fructus p. 1392.; excomm. Canonici p. 1391.)

Romana.

Aloysius Pila Praesul Urbanus coadjutoris munere R. P. D. Ambrosii Campodonico in patriarchali Basilica Liberiana fungens exponit: Coadjutum a se suum aliquot emolumenta repetere quae se absente amissa seu non lucrifacta conqueritur. Indebitam vero horum sibi videri emolumentorum refectionem, sed rem sine judicii strepitu agere sibique cavere prout juris cupiens supplex ab H. S. O. declarationem postulat.

Capitulum Liberianum auditum ab Emo Archipresbytero ad quem pro informatione et voto preces ablegatae fuerunt censet: Coadjutorem coadjuto absente interesse etiam anniversariis, processionibus et capitulis, quia ad id ex apostolicis coadjutoriae literis obligatur.

Emus Archipresbyter haec habet: »Animadvertam 1: Coadjutores teneri absente coadjuto interesse etiam anniversariis, capitulis et supplicationibus; 2: Vigere in Liberiana Basilica consuetudinem (quae quantum sit laudabilis nescio) vi cujus stato anni tempore inter omnes Canonicos summa ex punctaturis proveniens viritim dividitur.

Hisce praehabitis puto eundem teneri rependere coadjuto emolumenta quae hic amisit ex eo quod orator ipse anniversariis, capitulis et supplicationibus non interfuerit, et ex summa quam coadjutus repetit ab oratore detrahendam esse eam partem suarum punctaturarum quam in praefata divisione recuperavit. Coadjutus enim eam tantum summam repetendi jus habet quam ex ejus negligentia reapse amisit.

Operae pretium praeprimis est particulam literarum coadjutoriae quae ad praesentem refertur quaestionem exscribere: Te eidem Magistro Ambrosio in coadjutorem perpetuum etc. ita quod officio coadjutoris hujusmodi durante dictoque Magistro Ambrosio a praefata Basilica absente seu apud illam residere nolente aut non valente tu vice et loco dicti Magistri Ambrosii uti verus praefatae Basilicae Canonicus coadjutor nuncupatus eidem Basilicae in Divinis ac alias inservire et apud illam personaliter residere ac omnes et singulas obligationes praefato Magistro Ambrosio ratione canonicatus et praebendae praefatorum incumbentes pro eodem Magistro Ambrosio adimplere et supportare stallumque in choro cum habitu ac vocem et votum in capitulo dictae Basilicae necnon locum in processionibus aliisque functionibus et actis capitularibus habere divinisque

officiis in eadem Basilica celebrari solitis interesse . . . ac singulos omnes fructus et distributiones quotidianas aliaque emolumenta certa et incerta quocumque nomine nuncupata ac undecumque et quomodocumque provenientia . . . quae dictus Ambrosius ratione canonicatus et praebendae percipere et lucrari possit, si divinis officiis interesset, integraliter et absque ulla quantumvis minima diminutione pro Ambrosio lucrari possis et tenearis. Et si tui culpa vel negligentia (justo tamen et legitimo cessante impedimento) aut ob non praestitum per te debitum coadjutoris servitium Ambrosius aliquid ex fructibus, distributionibus et emolumentis lucratus non fuerit tu eidem de proprio reficere et solvere debeas et tenearis.«

Haec vero in utramque partem edissere fas est. Coadjutorem ab emolumentis de quibus agitur coadjuto reficiendis vacuum ac solutum videri: I. ex fine ac ratione ipsa coadjutoriae, quae nempe permittitur dumtaxat pro servitio et necessitate ecclesiae, ne propter coadjuti impedimentum divinus cultus detrimentum patiatur ceu ex s. Concilio Trid. *sess. 25. cap. 7. de reform.* monet *Pignatell. consult. canon. 158. n. 5. t. 4.* et habetur in *Asten. Jubilationis 26. Aug. 1780.* §: *Prae oculis*, proindeque non ad alia praeter ordinarium chori servitium obeunda munia sese obligare coadjutor praesumitur praesertim vero quae voluntaria potius quam obligatoria censentur. Porro anniversaria sive fixa sive adventitia quae a fundatione praebendae extranea sunt necnon capitula et processiones ad choralis officiaturae partem proprie referri non videntur, ita ut absentibus non poenam seu punctaturas uti pro aliis functionibus choralibus constitutas sed praemium et lucrum interessentibus propositum habeant. Iniquum hinc videri ut coadjutor ad ea emolumenta coadjuto rependenda damnetur quae absque culpae vel negligentiae nota integrum ei sit pro eo lucrari vel non; II. ex obligatione qua coadjutor erga coadjutum tenetur quae videtur esse tantummodo de damno vitando non de lucro captando. Atqui quum emolumenta quae pro praedictis functionibus exsolvuntur non ex communi massa capitulari sed ex peculiari ac distincto sacrarii fundo derivent patet integros nihilominus canonicalis praebendae redditus coadjuto manere quamvis ex coadjutoris absentia hujusmodi emolumenta amiserit. Durum porro nimis coadjutori accideret, si, quum integros praebendae fructus et distributiones labore suo lucratus coadjuto fuerit, cetera omnia emolumenta eventualia et a praebenda ipsa prorsus discreta quaeque universa diligentissimo cuique consequi vix datum est eidem aere proprio reficere ex intego teneretur; III., demum idipsum argui posset ex indole horum emolumentorum quae inter praesentes tantum dividi solent. Cum enim emolumenta hujusmodi non lucrentur absentes etiam ex justa causa et ex apostolico indulto ceu docent *Scarfant. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 10. n. 1., Piton. discept. 1. per tot., Fagnan. in cap.: Licet de praebend. n. 20., Benedictus XIV. Instit. 107. n. 58.*, s. Congregatio: *Dubia indultorum 6. Maji 1820.* §: *Indulta*,*) adeoque vere et non per juris fictionem praesentibus debeantur, consequi inde videretur nullum inesse coadjutis absentibus jus ut illa a coadjutoribus repetant, quin potius coadjutores lucrari suaque facere, quippe qui ultra ordinariam interessentiam ad quam tantummodo pro coadjutis obstricti videntur majus hisce quoque functionibus interessendo praestant servitium majoremque subeunt laborem, ceu in casu non absimili disserebatur in folio s. Congregationis *Romana Distributionum 3. Decb. 1729.* §: *Quo vero.*

In cujus quidem rei confirmationem affertur rotalis decisio in *Romana Coadjutoriae 14. Maji 1696. coram Muto*, impress. post *Card. de Luca decis. 25. lib. 12. de benef. t. 2.*, qua constitutum fuit, emolumenta incerta quae consistunt praecipue in communibus et exequiis quae ex voluntate testatorum praestantur actu interessentibus exclusis absentibus quamvis ex legitima causa impeditis deberi coadjutori, non vero coadjuto et declaratum ibidem n. 10. fuit hujusmodi emolumenta minime comprehendi sub illa quantumvis ampla conceptione verborum, quibus in coadjutoriae literis reservantur coadjuto omnes et singuli canonicatus fructus, jura, obventiones et emolumenta tam certa quam incerta et hanc exclusionem ab hujusmodi obtinere emolumentis quamvis Papa mandaverit, ut si coadjutus ob non praestitum diligens a coadjutore servitium aliquid amitteret possit habere regressum contra ipsum. Profertur etiam praxis quae vigens asseritur in Basilica Lateranensi, ut

*) Vd. *t. III. p. 1028.*

aestivi servitii tempore distributiones non percipiant coadjuti nisi per se divinis intersint officiis secus coadjutores eas sibi lucrentur. Additur etiam aliarum ecclesiarum consuetudo qua receptum edicitur, ut emolumenta quae a servitio altaris proveniunt dum hoc coadjutores praestant ab iisdem percipiantur et non debeantur coadjutis.

Neque praxis hujusmodi a communi jure aliena censenda est, quum explorata res sit, coadjutores incapaces omnino non esse participandi de fructibus et redditibus beneficiorum quae ad suos coadjutos pertinent, ita ut nisi aliter in literis coadjutoriae cautum foret teneretur coadjutus necessarias coadjutori suo suppeditare expensas unde ali queat, ad text. in *cap. de rectoribus; cap.: Tua nos de cleric. aegrot.* et in *cap. unic. eod. tit. in 6., Tondut. quaest. benef. part. 2. cap. 1. §. 13. n. 24.* Hinc olim in coadjutoriae literis consuetum erat, si quando coadjutor non haberet aliunde ex quo vivere decenter posset eidem centum ducata aut plus minusve reservari, teste *Gonzalez. ad regul. mens. gloss. 5.* §: *n. 93.* Quamvis vero inpraesens juxta partium conventiones emolumenta omnino coadjuto reservari soleant attamen sub hisce emolumentis illa haud comprehendi quae non quidem ex titulo canonicatus et fundatione praebendae sed ex peculiari fundo solvuntur (quod praesertim de anniversariis comprobatur), firmatum est ex Rota in cit. decis. cor. Muto. Porro »disparitas in eo est, quod percipere anniversaria et mortuaria beneficii . . . sicut de perceptione distributionum . . . atque adeo potius ratione personae ipsius beneficiati vel ordinis clericalis quam ex beneficio ipso provenire aut pendere dici possunt«. Ita *Moneta de distrib. quotid. part. 2. quaest. 14. n. 22.* Quod quidem themati adamussim convenire videtur, quia in coadjutoriae literis non alia emolumenta pro coadjuto lucrari praeceptum est coadjutori quam quae coadjutus ipse ratione canonicatus et praebendae perciperet si divinis officiis interesset, quae inter ex dictis non recensantur emolumenta saltem anniversariorum quaeque idcirco nisi coadjutori adjudicanda videantur nec ab ipso quum lucratus non fuerit reficienda coadjuto erunt.

Aliter tamen pro coadjuto disserendum. Olim quidem quaestio inter doctores erat, an coadjutor cui potestas tantummodo data et non obligatio imposita in coadjutoriae literis fuerat cuncta loco et vice coadjuti gerendi teneretur coadjuto volente pro eo inservire, secus ad damnum et interesse ei subsecutum; et licet nonnulli censerent non teneri attamen magis recepta contraria erat opinio scilicet quod teneretur teste *Garzia de benef. part. 4. cap. 5. n. 56.* ex ea potissimum ratione, quod etsi deserviendi praeceptum in literis impositum non sit nihilominus id omnino natura ipsa assumpti secumfert officii ut obligationi hujusmodi subdatur coadjutor, quamvis nihil ei pro servitio retribuatur ratione coadjutoriae; sibi enim imputet qui ita illam accepto habuit et assumpsit, scienti autem et consentienti nulla fit injuria ceu fert regula juris, maxime quia compensatur cum spe futurae successionis. Sed vero nullam superesse inpraesens dubitandi rationem adnotat cit. auctor cum *Gonzalez. ad regul. mens. cit. gloss. 5.* §. *9. n. 122.*, ex quo in literis quae modo pro coadjutoriis expediuntur non solum opponatur verbum *possit*, sed addatur etiam verbum *teneatur inservire et lucrari pro coadjuto.*

Quo posito, quum omnis obligationis ratio qua coadjutor obstringitur tam late pateat quam coadjutoriae literae jubent, plane literarum ipsarum tenorem praeprimis inspiciendum in hujusmodi quaestionibus, ut rite absolvantur, monent *Gonzalez. loc. cit. n. 35.* Jam vero disertissima sunt verba quibus omnibus interessenti pro coadjuto divinis officiis, capitulis, processionibus est impositum omnia pro eodem emolumenta lucrandi certa et incerta quocumque nomine nuncupata ac undecumque provenientia, secus vero ad reficiendum coadjuto teneatur, si quid ob sui culpam et negligentiam ex praedictis emolumentis lucratus ille non fuerit. Ab hac eapropter universali conceptione verborum nihil exceptum nihilque exclusum videretur ceu ad rem probat *Clericatus de benef. discord. 91.* attentis praesertim illis quoad emolumenta verbis »quocumque nomine nuncupata«, quae operantur etiam ultra expressa, *Clement. 1.* et ibi *glossa de rejud.*, et comprehendunt emolumenta omnia de quibus sufficit quod fuerit cogitatum ceu inquit *s. Rota cor. Seraphin. decis. 350. n. 1.*

Quae cum ita sint haud difficultatem facessere videtur quod emolumenta haec pro functionibus constituta fuerint quae ordinarium chori servitium excedunt vel quod lu-

crum ultra praebendae redditus secumferant vel quod demum actu tantum praesentibus debeantur. Recurrit enim nullam fieri in literis distinctionem functionum, quibus coadjutor interesse teneatur vel non, nec emolumentorum quae in sua positum sit libera voluntate et arbitrio pro coadjuto lucrari vel sine dispendio et onere refectionis amittere. Quum immo et de omnibus generatim functionibus a coadjutore obeundis sermo occurrat et nominatim de processionibus ac capitulis etiam, quam ob rem vocis et voti ferendi facultas in iisdem capitulis ei concessa est, qua ceteroquin coadjutores carerent nisi expresse in literis apostolicis data sit ceu docent *Pignatell. consult. can. t. 4. cit. consult. 185. n. 1.*, *Rota post eumd. in Salamantina Coadjutoriae 1. Julii 1594. coram Penna*, *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 29. n. 2.*, quumque praeterea obligatio eidem imponatur lucrandi pro coadjuto emolumenta etiam incerta quocumque nomine nuncupata ac undecumque et quomodocumque provenientia quaeque coadjutus si per se interesset lucraretur, hinc emolumenta quoque pro interessentia capitulis, processionibus et anniversariis dari solita comprehendi necesse est, quae ideo lucrantur Canonici quia tales sunt, adeoque reapse ratione canonicatus et praebendae debentur.

Ceterum quamvis coadjutor principaliter pro necessitate et servitio ecclesiae constituatur, tamen nemo ignorat coadjutoriam ipsam continere gratiam, in adjutorium coadjuti, ut hic omnia emolumenta lucretur ope coadjutoris, juxta ea quae habent *Lotter. lib. 2. quaest. 25. n. 29.*, *Fagnan. in cap.: Nulla n. 62. de concess. praeb. t. 4.*, ita ut ad unum ordinarium chori servitium cohibita coadjutoris obligatio nullo pacto censeri queat, vel ad damnum coadjuto dumtaxat vitandum et non etiam ad lucrum eidem captandum. Minime praeterea obstante emolumentorum indole quae inter praesentes nuncupantur vereque ideo praesentibus debentur. Nam quum coadjutor loco ac vice inserviat coadjuti cujus ipse repraesentat personam nihil causae est cur coadjuto eidem hujusmodi denegentur emolumenta quae ut ipse lucraretur si per se interesset, ita ex literarum concessione ope coadjutoris lucrari integra poterit, ne minima quidem illorum portione eidem coadjutori reservata juxta praecedentem inter utrumque factam conventionem quam explicita literarum earumdem dispositio confirmarit. Ad hujus porro doctrinae tramites resolutum extat a s. Congregatione, lucra quoque ex aliorum fallentiis provenientia quae ceteroquin actu tantum praesentibus accrescere debent non quidem coadjutoribus sed coadjutis deberi, in cit. *Romana Distributionum 3. Decb. 1729.*, quae unica tantum causa in thesauro resolutionum propius ad rem faciens inventa est. Nam iterum die 19. Aug. proposito dubio:

An lucra provenientia ex punctaturis et absentiis Canonicorum quae praesentibus accrescunt debeantur Canonicis coadjutoribus sive potius coadjutis in casu?

S. Congregatio respondit: Deberi Canonicis coadjutis. Quinimmo *Clericatus loc. supracit.* rem longius proferens pluribus innixus rationum momentis sustinet omnia et quaecumque emolumenta quae ratione servitii coadjutor acquirit coadjuto acquiri etiamsi de illis obventionibus ageretur quae alias excepto titulo criminoso coadjutus perciperet si actu inserviret, ut si nempe aliquae distributiones ex ecclesiae statuto deberentur Canonicis tantum presbyteris et coadjutus non esset sacerdos, sed talis esset coadjutor.

Objectae autem rotali decisioni responsio prostat in ead. causa *Romana Distributionum* §: *Attamen*, quod nimirum, »decisio ista non videtur applicabilis praesenti casui quia ibi datus fuit coadjutor Canonico in insaniam prolapso et in literis coadjutoriae post mox dictam generalem reservationem fructuum et distributionum favore coadjuti ea postea fuit hoc modo modificata et restricta, ut scilicet coadjuto reservatae censerentur distributiones quotidianae quae tunc per ipsum ratione non sanae mentis percipi solebant. Unde merito Rota resolvit non deberi coadjuto praedicta emolumenta communium et exequiarum, cum de iis nec etiam prius participaret ante sibi datum coadjutorem, dum ex causa suae insaniae choro interesse non poterat, ne alias melioris conditionis fuisset post obtentam gratiam coadjutoriae quam antea erat. Praesens vero controversia examinatur cum supposito reservationis generalis omnium et quorumcumque fructuum et emolumentorum favore coadjuti.« Quod ultimo loco de aliarum ecclesiarum praxi objicitur nec praesenti casui convenire videtur etsi consisteret. Nam peculiaria cujusque ecclesiae statuta et consuetudines legem pro aliis ecclesiis ubi simile

statum vel consuetudo non viget constituere nequeunt ceu in specie sibi proposita perpendit *Clericatus loc. cit. circa finem.*

Ut demumcumque super hujusmodi quaestione judicandum censuerint EE. VV. nihilominus tunc procul dubio ab emolumentis hisce coadjuto rependendis excusatus coadjutor reputandus erit quum illa ex legitima causa absens amiserit. Agitur enim de emolumentis quae nonnisi vere praesentibus debentur ut superius adnotatum est ideoque licet jure cautum sit, ut coadjutor infirmus vel alio justo impedimento detentus praesens reputari debeat, ut lucretur distributiones quotidianas, non secus ac in eo casu lucraretur principalis, *Garzias loc. cit.*, *Lauren. For. benef. part. 9. tract. 2. cap. 6. quaest. 388.*, id tamen protrahi nequit ad perceptionem distributionum inter praesentes quas coadjutus ipse ex causa etiam legitima absens non lucrifaceret. Atqui eo tantum in casu ad amissa reficienda coadjuto lucra tenetur ex literis apostolicis coadjutor, quo ex sui culpa vel negligentia illa amiserit, facta ceteroquin legitimi impedimenti exceptione.

Quoad II. dubium: Quum explorati juris sit coadjutum ex jure accrescendi vel non decrescendi lucra percipere, quae ex ceterorum fallentiis Canonicorum obveniunt ceu formiter discusso articulo resolvit s. Congregatio in *cit. Romana Distributionum* dispiciendum superest utrum stante consuetudine lucra fallentiarum inter Canonicos viritim dividendi ex summa quam coadjutor pro incursis fallentiis coadjuto solvere debet tantumdem detrahendum sit quantum in generali fallentiarum divisione coadjutus recuperavit super fallentiis coadjutoris ejusdem. Id quod omnino statuendum videtur, ne secus contingat ex una eademque causa coadjutorem bis solvere, coadjutum autem bis ab eo lucrari quod non fereudum. Nec jure conqueri videtur coadjutus, eo enim coadjutoriae concessio quoad coadjutum spectat ut ipse emolumenta omnia quae si coadjutore careret consequi potuisset interessendo Divinis, eadem per illum percipere valeat, *Schmalzgrueb. Jus can. t. III. part. 1. tit. 6. n. 8.* Sed omnino praeter hujusmodi finem esse videtur, quod constituto coadjutore eoque praesertim non interveniente plus lucri caperet quam per seipsum choro assidue inserviens unquam fuisset adeptus. Immo eo magis hoc in casu lucraretur, quo magis coadjutor muneri suo servitioque chorali deesset, quum pars tunc major earumdem sibi accresceret fallentiarum quas nihilominus integras a coadjutore, bis idem recipiens, deinde repetere posset.

Origo autem propositae quaestionis ut monui ex consuetudine repetenda quae in Basilica Liberiana viget ut summa ex fallentiis proveniens inter omnes Canonicos viritim dividatur. Merito quidem hujusmodi consuetudinem minus laudabilem in suis literis censet Emus Archipresbyter utpote quae adversatur dispositioni Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* et constanti s. hujus Ordinis disciplinae qui perpetuo eliminandam omnino jussit hujusmodi abusionem potius quam consuetudiuem ceu monetur in causa *Asculana et Cerinolien. Distributionum 6. Martii 1847.* §: *Hisce.* Extat ad rem resolutio in *Asculana 5. Junii 1706.* in qua ad V. dubium hisce conceptum verbis:

An distributiones non intervenientium possint exponi in massa communi et dividi aequaliter seu potius ad ratam servitii in casu?

S. Congregatio respondit: Negative quoad I. partem, affirmative quoad II. Extat pariter decretum in *Carpinctoraten. 2. Junii 1731.* ubi exponebat Episcopus »quod licet absentes diligenter punctentur fallentiae nihilominus quae ex praescripto s. Concilii Trid. inservientibus accrescere debent deponuntur, ut in fine anni fiat aequalis divisio inter Canonicos sicque indiscriminatim participiant qui absentes et qui fuerunt praesentes« quaerebatque:

An praxis dividendi aequaliter fallentias in fine anni sit toleranda?

prodiit autem responsum: Negative. Nec secus decrevit nuperrime s. Congregatio in *Aesina Fallentiarum* proposita per summaria *Precum die 22. Decb. 1860.*, mandans servari hac in re canonicas sanctiones. Erit itaque EE. VV. videre, quid consilii pro Basilica Liberiana capiendum putaverit.

Mei muneris est resolvenda proponere

D u b i a:

I. *An coadjutor teneatur reficere coadjuto emolumenta provenientia ex anniversariis, processionibus et capitulis quae ob suam absentiam amisit in casu?*

II. *An ex fallentiis a coadjutore coadjuto compensandis detractio facienda sit ad ratio-*

nem quotae lucri quam super fallentiis coadjutoris idem coadjutus recipit in generali divisione fallentiarum capitularium in casu?

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Affirmative et amplius et ad mentem: Mens est quod scribatur Emo Archipresbytero ut divisio fallentiarum inposterum fiat ad tramites juris et resolutionum s. Congregationis.

Die 22. Febr. 1862.

g) Excommunicati Canonici.

Coadjutor potest inservire et residere in ecclesia excommunicato existente coadjuto, quia non inservit nec agit nomine excommunicati sed nomine proprio aut nomine ecclesiae. *Garcias de benefic. part. 2. c. 5. a n. 83.*, *Barbosa Juris eccles. univers. lib. 3. c. 10. n. 87.* et in *Trid. C. sess. 25. de ref. cap. 7. n. 37. de Canonicis cap. 29. n. 40.* Immo si forte coadjutori aliquid de fructibus seu distributionibus assignatum sit pro congrua seu servitio ut aliquando fit, id sibi poterit lucrari non obstante excommunicatione coadjuti, quae sibi, non alteri debet nocere et per hoc tunc coadjutor non potest lucrari pro coadjuto excommunicato et ad ejus commodum et utilitatem; *cap. Pastoralis 13. de appellat. §. Verum; Barbosa loc. cit.* et *Garcias loc. cit. n. 85. et 86.* Rota apud *Marchesan. de commission. part. 1. pag. 467.* Nec officit, quod in literis Apostolicis coadjutoriae dicatur, quod coadjutor inservire debeat pro coadjuto et pro ipso coadjuto lucrari. Quia ut recte advertit citata Rota *Jure insequitur, ut hoc privilegium intelligatur competere coadjuto, dummodo sit habilis et capax. Excommunicatum autem non lucrari fructus et emolumenta beneficiorum clari juris est; cap.: Pastoralis §. Verum de appellat., Rota decis. 8. n. 10. de sentent. excommunic. in antiq., Put. decis. 280. n. 1. Et qui non potest propter excommunicationem per se aliquid agere nec poterit per alium ad suam utilitatem,* ut notant omnes in *cap. fin. Ubi; Imol. n. 19. de procur.*

h) Fructus quos percipit?

Vd. t. III. p. 209. VII.; *Coadjutor Canonici* (emolumenta etc. p. 1387.; excommunicati etc. p. 1392.)

i) Honores et Privilegia.

Vd. *Coadjut. Can.* (praeced.; jus.)

Spoletana.

Coadjutor omnibus gaudet praerogativis, praeeminentiis, honoribus et privilegiis coadjuti juxta *Conzalez. ad regul. Cancell. 8. gloss. 5. §. 9. n. 99.;* atque inservit ecclesiae absque praebenda: aequum propterea videtur, ut hoc substituendi commodo fruatur, *Ursaya in discept. eccles. 17. n. 3. t. 6. part. 2.* Per hanc enim substitutionem nil decrescit divino cultui sed potius augetur, *Ursaya loco citat. n. 8.* et *Pignatell. consult. 130. n. 71.* et *seq. n. 1.*

Die 28. Febr. 1795.

Coadjutores ex forma coadjutoriae extra suam ecclesiam et sine capitulo nullam habent praerogativam ac si non essent coadjutores; unde in concursu cum aliis sacerdotibus non praecedunt nisi ratione antiquitatis in ordine, ut sunt declarationes s. Congregat. Rit. in *Anconitana 18. Martii 1623.* tenoris sequentis: *Sacra etc. censuit, coadjutores Dignitatum extra ecclesiam nullum habere privilegium sed praecedentium inter eos servandam esse ac si non essent coadjutores.* Et in *Laudensi 7. Maji 1638.* tenoris sequentis: *Sacra etc.: Ad instantiam Dignitatum et Canonicorum ecclesiae cathedralis Laudensis respondit coadjutori Dignitatis extra ecclesiam et actus capitulares nullam deberi praeeminentiam seu praerogativam supra antiquiores in ordine sacerdotali.* Ex quibus ut dicit *Pignat. t. 4. consult. 185. n. 12.* apparet s. Congregationem recessisse ab antiqua sententia, quod coadjutores extra ecclesiam habeant praerogativam ut veri Canonici, ut *in Casalensi 1608.* et *Pistoriensi 25. Martii 1608.* relata a Barbosa *in Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 7. n. 40.* et *Apostol. decis.* verb.: *Coadjutor n. 2.* et de *Canonicis cap. 20. n. 50.*

Coadjutor vivente Coadjuto stante divisione canonicatuum in ecclesia cathedrali in ordines subdiaconales, diaconales et presbyterales et stante quod coadjutor Canonici presbyter est installandus est ultimo loco in ordine presbyterali, s. Cong. Rit. *in Monopolitana Primicerii 17. Julii 1732.*, in *Aesina 4. Mart. 1644.*, in *Januensi Stalli 14. Aug. 1665.*

k) Institutio.

I. Causae.

Vd. *Coadjut. Can.* (jus succedendi p. 1394).

Asten.

Prae oculis habendum est coadjutoriam dari dumtaxat pro servitio et necessitate ecclesiae, ne propter impedimentum coadjuti divinus Cultus detrimentum patiatur, ex Concilio Trid. *sess. 25. cap. 7. de reform., Pignatell. t. 4. consult. 185. n. 3. in fin.* Dum autem coadjutus ecclesiae inservit et choro interest cessare videtur causa, cur etiam coadjutor eidem interesse debeat. Non enim prohibetur coadjutus coadjutoria non obstante per se ipsum choro et ecclesiae inservire, ut declaravit s. Congregatio in *Florentina Praeeminentiarum 9. Apr. 1718. ad I. dub.* Nec tenetur coadjutor servitium praestare nec peragere functiones de hebdomada ac de turno ad coadjutum pertinentes, nisi in casu, quo coadjutus nolit vel non possit ecclesiae et choro interesse sicuti definivit eadem s. Congreg. *in d. Florentina Praeeminentiarum ad II. dub.*

Die 26. Aug. 1780.

Coadjutores permittuntur tantum ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis ecclesiae. *Rota part. 1. dec. 276. n. 1. par. 6. dec. 20. n. 7. et 11. p. 16. dec. 112. n. 7. 25. et 28.* Ita ut Papa concedendo coadjutoriam censeatur principaliter motus propter dictam necessitatem et utilitatem ecclesiae, Rota *par. 7. dec. 313. n. 20. et 24. et decis. 255. n. 10. cum sequent.* Licet secundario videatur voluisse coadjutori providere de beneficio praeveniendo tempus vacationis, quae per obitum coadjuti est successura, *Rota part. 7. dec. 255. n. 19. cum sequent. et dec. 313. n. 21.* Dicta autem causa debet a Sanctissimo diligenter cognosci, *Rota p. 16. dec. 112. n. 5.* Unde quamvis Concilium Trid. *sess. 25. de reform. cap. 7. vers. In coadjutoriis* statuerit, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permitterentur perpetuae et irrevocabiles coadjutoriae cum futura successione cum praecisis his verbis: *In coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur,* tamen exinde propter supradictam causam multae fuerunt a ss. Pontificibus concessae et adhuc in dies conceduntur coadjutoriae cum futura successione in dignitatibus, canonicatibus et portionibus Cathedralium et Collegiatarum a solo scilicet Papa et non ab alio, quamvis sit Legatus seu Nuncius, ut per *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. n. 91.*, *Nicol. Garc. de benef. par. 4. cap. 5. n. 19.*, *Monet. de distributionibus quotidianis par. 2. quaest. 1. n. 33.*, *Paris. de Resignat. lib. 6. quaest. 5. n. 15. et lib. 7. quaest. 20. n. 14.*

II. Consensus Capituli.

Pro ipsa coadjutoria obtinenda requiritur etiam consensus capituli*) qui sufficit, quod datus sit a majori parte capituli. *Rota par. 6. dec. 20. n. 9.*

Consensus capituli exquiri solet a ss. Pontifice in gratia coadjutoriae cum futura successione, non ex aliqua necessitate sed ex superabundanti, ut certior fiat de idoneitate coadjutoris, *Cardinal. de Luca ad Concil. Trid. disc. 45. n. 10.*, *Piton. discept. eccl. 89. n. 10.*, *Carol. Anton. de Luco ad Ventrigl. in prax. for. ecclesiastic. t. 2. adnot. 13. §. Unic. n. 9.*, *Matth. de caus. Consistor. sect. 22. n. 98.*, *Ansald. in II. additione ad dec. 20. n. 24.*

Quinimmo necessarius neque est consensus capituli tametsi jus eligendi et quidem in omnibus mensibus spectet ad ipsum capitulum. Atque hinc de subreptione gratiae coadjutoriae cum futura successione redargui ex eo nequit, quod expressum non sit jus eligendi in omnibus mensibus spectans ad capitulum, *Matth. de caus. Consist. sect. 22. n. 99. et duob. sequent.* ubi hanc reddit rationem: *Capitulis nullum competit jus eligendi episcopali seu abbatiali sede plena sed tale jus solum oritur vacante sede ac proinde dici non potest, quod per dationem hujusmodi coadjutoris et futuri successoris Papa tollat jus quod non est sed potius quod Papa impediat, ne oriatur jus eligendi adveniente vacatione, quod non est quid considerabile, Rota inter impress. post Remocamp. de coadjutor. dec. 22. n. 1.*

III. Consensus Episcopi.

Ad obtinendam coadjutoriam exquiruntur literae commendatitiae Episcopi vel capituli super qualitatibus coadjutoris et indigentiae ecclesiae licet plerumque hujusmodi literae emendicatis favoribus extorqueantur, *Rota par. 16. dec. 112. n. 17.*

*) Vd. *t. III. p. 742. e; 463. c; 520. n. 6.*

Nec literae commendatitiae Episcopi sunt de forma coadjutoriae cum futura successione nisi doceatur, Papam fuisse deceptum circa necessitatem et utilitatem ecclesiae, Rota *in Cracovien. Coadjutoriae 14. Junii 1743. coram R. P. Canilliac.*

l) Jubilatio *) non conceditur.

Vd. *Coadjutor Canon.* (jus succedendi).

Capitulum non potest ob senectutem vel aliam causam coadjutores Canonicorum eximere et jubilare.

Die 15. Apr. 1606.

m) Jus quod acquirit?

Vd. *Coadjutor Canonici* (possessio, honores etc. p. 1392.; emolumenta etc. p. 1387).

Romana.

In canonicatu ut ait *Lott. de re benef. lib. 2. quaest. 25. n. 39.* aliud est beneficium aliud est officium. Per coadjutoriam acquirit quidem coadjutor jus quod ei amplius auferri non potest ad praebendam sive ut canonistae loquuntur jus ad rem nec nova proinde indiget collatione quae facta fuit a Pontifice, cum coadjutorem illum constituit, s. Rota in *Tirasonen. Coadjutoriae 8. Novb. 1599. cor. Penia* et *Fagnanus cap. Ex parte n. 16. de cler. aegrot.*, sed jus percipiendi praebendae fructus sive jus in re suspenditur adhuc usque ad obitum coadjuti qui dum vivit illud sibi retinet ideoque ad coadjutotorem statim non transit. Officium vero Canonici statim per coadjutoriam coadjutor ipse sibi acquirit et omnibus proinde gaudet canonicatus praerogativis, *Garzias de benef. eccl. tract. de coadj. cap. 5. n. 128.*

Die 9. Febr. 1822.

n) Jus succedendi.

Vd. *Coadjutor Canon.* (possessio); *Coadjutoria* (titulus etc.) Vd. lit. *m.*

Romana.

Quoniam Dominus ac Redemptor Noster rejecta haereditariae successionis forma levitici sacerdotii elegit quos ipse voluit ut secum essent, idcirco ss. canones et Patrum decreta vetarunt coadjutorias cum futura successione, quaehae reditariae successionis**) in ecclesiasticis beneficiis imaginem praeseferunt. Quod si quando (verba sunt Trid. *sess. 25. cap. 7. de ref.* ubi antiqui canones confirmantur) ecclesiae cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas removet odium expectativae futurae successionis a qua, cum mortis captandae voto praebeat aditum, summopere abhorret ecclesia, *cap. Dilectus* et *cap. Detestanda de concess. praeben. in 6.* et *Trid. Concilium in cap. 19. sess. 24. de ref.*

Quamvis vero ex verbis Trid. Concilii colligi videatur coadjutorias cum futura successione assignandas esse dumtaxat in episcopalibus ecclesiis et abbatiis in quibus facile contingere potest, ut gravissimum immineat periculum, si ecclesia vel suo orbata sit pastore vel ab eo regatur, qui muneris sui partes implere nequeat, non vero in minoribus beneficiis, in quibus tum necessitas tum utilitas ecclesiae difficilius id postularet, quemadmodum animadvertunt *Fagnanus in lib. decret. part. 2.* et *Thomass. de veter. et nov. disc. part. 2. lib. 2. cap. 59. n. 10. et 11.*, attamen ss. Pontifices pro ea qua pollent suprema in universam ecclesiam auctoritate etiam Canonicis aliisque minoribus beneficiis paulo post absolutam Trid. Synodum sedente Sixto V. coadjutores dederunt ne ecclesiae ob impedimentum coadjuti suo fraudarentur servitio.

Sequitur inde hujusmodi coadjutorias a s. Sede non dari nisi ob necessitatem et utilitatem ecclesiae, utque principaliter illius servitio provideatur. Hoc posito sequi videtur coadjutorem etiam expleto laudabili quadragenario servitio non posse indulto vacationis donari. Tunc enim cessante ecclesiae servitio cessaret principalis causa, ob quam Pontifex ss. canonum et Conciliorum decretis derogavit et gratia coadjutoriae cum futura successione in eum casum incideret, a quo incipere non poterat, nimirum in meram expectativae gratiam, de qua ita statutum est in *Concil. Trid. sess. 24. cap. 19. de ref.* Decrevit s. Synodus mandata de providendo et gratias quae expectativae dicuntur nemini amplius concedi.

Semper in quaestionibus hac de re excitatis prae oculis habitum est finem ac mentem ss. Pontificis in concedendo coadjutore eam fuisse ut suppleretur ecclesiae servitium, quod coadjutus praestare ei amplius non poterat. Hinc quamvis amplissimis clausulis coadjutori concedatur ut sui coadjuti personam repraesentet iisdemque fruatur juribus et privilegiis, haec ita tamen semper intelligenda sunt dummodo ecclesia suo servitio non fraudetur. Ita si detur coadjutor Canonico vel beneficiato, qui quovis ministerio sint occupati, ex quo numquam praesentes haberentur in choro, non idcirco liberaretur coadjutor a praestando servitio, ss. R. Congr. in *Elboren. 15. Apr. 1606. ad II. dub.*, ita pariter si detur illi, qui ob quadragenarium servitium jam a chorali vinculo fuit dispensatus, non ideo sequitur, ut hujusmodi indulto juvetur coadjutor. Hic enim non obstante exemptione coadjuti vel ob ministerium vel ob jubilationem inservire tenetur quia in hoc servitio ecclesiae praestando natura et legitimus coadjutoriae titulus consistit, *Rota in Tirasonen. Coadjut. 8. Novb. 1599. cor. Penia* relat. post *Garz. de benef. par. 4. cap. 5. n. 128.* Si igitur vivente coadjuto posset coadjutor assequi jubilationem per quam cessaret titulus coadjutoriae sequeretur, ut mortuo postea coadjuto cessaret etiam jus succedendi in beneficio quod coadjutoriae titulo est alligatum.

Die 9. Febr. 1822.

o) Ordinari potestne aliquis in titulum coadjutoriae canonicatus?

Vd. *Coadjutoria* (titulus ad ordinationem.)

p) Possessio capienda post mortem coadjuti.

Vd. *Coadjutor Can.* (Jus etc. p. 1394.; in praebendam etc. p. 1395.; vox in capitulo §: *Praeterea.*)

Coadjutor debet habere locum captae possessionis post mortem coadjuti et non locum possessionis captae vivente coadjuto, s. Congr. Rit. *in Trullen. 21. Martii 1709.*, cum possessio numeranda sit ab obitu coadjuti, quamvis prior possessio accederet ad annos 20, s. Cong. Rit. *in Bergomensi 8. Augusti 1627.* Nec enim vere capit possessionem nisi post cessationem coadjutoriae, *Rota p. 1. recent. decis. 476. n. 5.* Unde non sufficit prima capta possessio vivente coadjuto, ut declaravit s. Rit. Cong. *in Conimbrien. 16. Sept. 1606. in respons. ad I. dub.* et in *Patavina 30. Januar. 1616.* sed debet capi nova possessio post mortem coadjuti, ead. s. Cong. *in Patavina 30. Julii 1616, Rota p. 1. recent. dec. 456. n. 6. et dec. 637. n. 4. p. 3. dec. 648. n. 2. p. 4. t. 1. dec. 410. n. 5. part. 16. dec. 112. n. 3.* At vero si suscepit possessionem canonicatus vivente coadjuto ex tunc pro tempore, quando venerit casus cessationis coadjutoriae non indiget nova possessione post obitum coadjuti, s. Rit. Cong. *in Vercellensi 12. Maji 1612.* Verum dicta possessio requiritur, quod sit capitulariter capta ut possessio canonicatus vel beneficii acquiratur, *Rota p. 10. recent. decis. 132. n. 2. et 5.* Coadjutor gaudet regula de annuali et triennali possessione *) etiamsi non sit ei data nova possessio post obitum coadjuti, si per annum, triennium vel decennium continuaverit in possessione post obitum coadjuti, s. R. Cong. *in Conimbriensi 16. Sept. 1606. in respons. ad dub. III.*

Caesenaten.

Canonicus coadjutor post mortem coadjuti novam eamque capitulariter capere debet possessionem canonicatus, *Rot. part. 10. recent. decis. 122. n. 5., Ferrar. bibliot.* verb.: *Canonicatus art. 10. n. 28.*

Die 17. Junii 1827.

q) In quam praebendam coadjuti, in dimissam vel optatam sequitur?

Vd. *Coadj. Canon.* (possessio p. 1395).

Melevitana.

In cathedrali Melevitana ecclesia quinque extant Dignitates ac 10 Canonici distinctis praebendis aucti atque ad eas optandi jure donati a s. mem. Urbano VIII. dummodo tamen melioramenta egerint in praebenda quam dimissuri sunt. Porro Canonicus Wenceslaus de Bono possessor praebendae a s. Blasio nuncupatae cum ss. Principi exposuisset, quod in sexagenario primo suae aetatis anno constitutus ob ingravescentem aetatem hujusmodi ac varias sui corporis infirmitates eidem majori ecclesiae ratione illius canonicatus servire non valeret, ex his aliisque causis animum suum moventibus efflagitavit ut sacerdos Calcedonius Falson ex sorore nepos sibi in coadjutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione canonicatus et praebendae cum futura in illis successione deputaretur. Precibus annuit Pontifex ac favore ejusdem sacerdotis Falson apostolicae literae sub die 20. Junii 1840. expeditae fuerunt. Earum verba, quae ad praesentem pertinent quaestionem, praestat exscribere:

---

*) Vd. *Jubilatio.*
**) Vd. *t. II. p. 437. XII.*

*) Vd. *t. II. p. 830.*

Te Wenceslao quoad vixerit ac canonicatum et praebendam obtinuerit in coadjutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione dictorum canonicatus et praebendae illorumque rerum, bonorum et jurium quorumcumque in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda facultate, potestate et auctoritate faciendi, dicendi, exercendi et procurandi omnia et singula quae ad hujusmodi coadjutoris officium de jure, usu, stylo, consuetudine et privilegio aut alias quomodolibet spectant et pertinent . . . expresso dicti Wenceslai ad hoc accedente consensu apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus et deputamus. Et nihilominus canonicatum et praebendam quarum et illis annexorum fructus, redditus et proventus 50, computatis vero distributionibus quotidianis aliisque incertis 155 duc. ann. de cam. sec. com. est. val. an. ut etc. asseris non excedunt super quibus binae pensiones annuae antiquae insimul summam 26 duc. aur. de cam. et jul. 5 monetae romanae cum dimidio alterius julii similis certis personis ecclesiasticis illas annuatim percipientibus apostolica auctoritate reservatae seu in eos canonice translatae reperiuntur et ab hodie ex nunc prout ex tunc et e contra postquam ad tui favorem successioni praedictae locus factus fuerit aliam 11 duc. aur. de cam. et jul. 7 cum dimidio alterius julii similis summam 50 scutorum monetae Meliten. constituentium dilecto filio Felici Germanino presbytero Meliten. dioec. per eum quoad vixerit percipiendam per alias nostras literas apostolicas reservavimus, constituimus et assignavimus prout in Nostris inde confectis literis plenius continetur. Necnon reliquas pensiones annuas liberas, immunes et exemptas aliorum 20 duc. pro persona seu personis per Nos seu romanum Pontificem pro tempore existentem quandocumque nominanda seu nominandis reservari concepimus prout in supplicatione desuper manu Nostra signata plenius continetur. Cum primum illos per cessum vel decessum seu privationem aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem seu religionis ingressum et professionis in ea emissionem dilecti Wenceslai aut alio quovis modo etiam apud Sedem apostolicam . . . vacare contigerit . . . apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium conferimus et de illis etc. providemus ac canonicatum et praebendam Tibi collatos et de illis tibi provisum esse et fore ac ex nunc plenum jus tibi in illis vel ad illos vere et non ficte acquisitum existere deque beneficii regularum Nostrarum et cancellariae de non tollendo jure*) quaesito ac de annali et triennali possessoribus gaudere ac canonicatum et praebendam alia etc. ex persona dilecti Wenceslai ad hoc ut de illis altero quam tibi provideri possit minime vacare posse ac ex nunc omnes et singulas collationes, provisiones et quascumque alias dispositiones ex canonicatu et praebenda quovis modo vacaturis in alterius quam Tui favorem etc. per Nos et Sedem apostolicam etc. cum quibusvis clausulis et decretis faciendas tamquam praeter et contra mentem et intentionem Nostram factas nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore et esse . . . decernimus.

Ex Canonici Bezzina obitu cum mense Martio superioris anni canonicalis praebenda nuncupata vacaverit praefatus Canonicus de Bono hanc optare velle Capitularibus significavit; cumque comprobatum fuerit ipsum praebendam quam obtinebat meliorem reddidisse ad optionem exercendam admissus fuit ideoque vacantis praebendae nactus possessionem universo suffragante capitulo**) emissa tamen a Canonico thesaurario protestatione eum in finem ut sibi optandi facultatem reservaret, quatenus vel ipse Canonicus de Bono ad dimissam praebendam reversus fuisset vel coadjutor sequeretur coadjutum in optatam praebendam. Hinc factum est ut sacerdos Falson apud Melitensem Vicarium insteterit, ut vi literarum apostolicarum suae coadjutoriae in dimissae a Canonico de Bono praebendae possessionem immitteretur. At Vicarius animadvertens plures quoad sequutam optionem quaestiones excitari posse, antequam in sacerdotis Falson vota concederet, maluit hujus s. Ordinis oraculum exquirere exhibens 4 dubia ad calcem exscribenda.

Ut moris est Vicarii preces Antistiti remissae fuerunt, ut s. Congregationem instructam redderet de iis quae ad quaestiones definiendas conducere posset ac animi sui sententiam panderet. Jussa faciens ille postquam hucusque exposita confirmaverit ac retulerit, Capitulares omnes a se auditos declarasse optionem Canonici de Bono ratam atque validam habendam esse ita prosequitur:

*) Vd. *t. II. p. 822.*
**) Vd. *supra p. 1393. II.*

»Vocatus promotor fiscalis ad tuenda jura episcopalia inprimis objecit nulliter optasse Canonicum de Bono, cum per postulatum et obtentum a s. Sede ob ingravescentem aetatem et malam sui valetudinem coadjutorem perpetuum cum futura successione in dictis canonicatu et praebenda optandi facultatem renunciaverit; siquidem in concedendo Pontifex coadjutoriam perpetuam insimul concessit coadjutori jus succedendi in designatis canonicatu et praebenda et hanc Pontificis dispositionem futurae successionis in iisdem canonicatu et praebenda in literis apostolicis coadjutoriae expressis acceptando Canonicus de Bono implicite se obligavit ad servandum suo coadjutori eumdem canonicatum et praebendam usque dum ipse de Bono desierit esse Canonicus, alioquin coadjutor Falson vivente adhuc atque in statu canonicali manente coadjuto de Bono anticiparet suam successionem in canonicatu et praebenda sibi a s. Sede concessis intuitu perpetui oneris coadjutoriae. Insuper objecit quod quatenus praemissis non obstantibus substineretur optio Canonici de Bono coadjutor Falson illum sequi deberet et numquam immitti in canonicatum et praebendam dimissam. Quilibet enim coadjutor qui ex necessitate et permanente causa prout in casu petente ipso Canonico datur adeo inhaeret personae coadjuti, ut illum deserere nequeat, alioquin coadjutus qui Canonicus esse non desierit licet priorem praebendam dimiserit remaneret destitutus coadjutore contra intentionem Pontificis, qui concessit coadjutoriam ex necessitate et permanente causa in dies crescente, in literis expressis prout in casu nempe ingravescentis aetatis et malae valetudinis Canonici de Bono, quae revera nedum adhuc durat, sed magis atque magis in dies augetur, subjungens etiam idem promotor fiscalis, quod vacatio per optionem tamquam modus extraordinarius non comprehendatur in generali clausula *quocumque modo vacaverit*, siquidem ob praemissa hoc quamdam involveret contradictionem quae nunquam praesumitur.

Examinatis inde quoad consuetudinem attinet scripturis quas ad rem inveni in archivio capitulari et in actis hujus meae curiae, unum tantum casum contigisse cognovi 1750. cujus meminerunt praedicti Canonici deputati, et ad ejus majorem claritatem praemittendum est, quod possidente Canonico Joanne Andrea Marsilia praebendam s. Jacobi primo erectam in praebendam poenitentiariam, et haec cum esset tenuis recursum habuisset Poenitentiarius Marsilia ad istam s. Congregationem, ut non obstante quod ob qualitatem officii Poenitentiarii optare nequibat frui potuisset indulto a s. m. Urbano VIII. capitulo ut supra concesso et per bina rescripta praelaudatae s. Congregationis 23. Febr. 1726 et 11. Jan. 1727 propositum dubium:

An Canonicus Poenitentiarius sua praebenda libere dimissa aliam optare possit, quae affecta officio poenitentiarii perpetuo remaneat?

resolutum fuit: Pro gratia favore oratoris Marsilia, rejecto tamen eo ab optione intempestive uti ante obtentam gratiam, per eum facta ejusdem praebendae *ta Ghar barca* de qua nunc etiam diversa tamen ratione controvertitur; ac ideo res in spem remansit alterius futurae vacationis praebendae pinguioris, quod non evenit nisi post mortem Poenitentiarii Marsilia. Praemittendum pariter est quod possidente alteram praebendam *ta Diar Spara* nuncupatam Canonico Ruggiero Gimbert coadjutoriam perpetuam in vim literarum apostolicarum 1725. expeditarum obtinuisset in personam presbyteri Petri Platamone. Quibusque peractis contigit quod 1750. vacata dicta praebenda *ta Ghar barca* per obitum Canonici Petri Pauli Greoh in congregatione capitulari habita die 13. Sept. 1750. praefatus Canonicus Ruggier Gimbert eam optavit dimissa altera *ta Diar Spara* qua optione a capitulo admissa in eadem capitulari congregatione ac statim et illico Canonicus Poenitentiarius Joseph Ginesius Aquilina, qui successor erat praefati poenitentiarii Marsiglia in praedicta praebenda s. Jacobi, utendo nedum Brevi Urbani VIII. verum etiam citatis rescriptis istius s. Congregationis dd. 23. Febr. 1726. et 11. Jan. 1727. non obstante coadjutoria Petri Platamone optavit praebendam *ta Diar Spara* a dicto Canonico Ruggiero Gimbert Paulo ante dimissam et capitulum huic etiam optioni Poenitentiarii Aquilina libenter adhaesit. Hinc sequutis optionibus praedictis Canonicus coadjutor Petrus Platamone sequutus est suum principalem Canonicum Ruggierium in optatis canonicatu et praebenda *ta Ghar barca*, canonicatus vero et praebenda s. Jacobi a Poenitentiario Aquilina dimissi per praefatam optionem fuerunt ab

Episcopo Alpheran Praedecessore meo die 3. Decb. 1750. auctoritate ordinaria et tamquam de libero collati sacerdoti Antonio Grech. Nonnullis exinde transactis mensibus vita functo Canonico Ruggierio possessionem adeptus est coadjutor Platamone enunciati canonicatus et praebendae *ta Gharbarca* per obitum coadjuti Ruggier vacatorum ut constat ex publico instrumento dictae adeptae possessionis in actis Notarii Thomae Nella diei 24. Aug. 1751., in quo nulla videtur facta mentio aliarum literarum apostolicarum, nisi illarum 1725 superius enunciatae coadjutoriae favore dicti Platamone, et revera aliae literae apostolicae non inveniuntur neque in archivio capitulari neque in actis hujus meae curiae et ex tenore dicti instrumenti hoc videtur processisse in vim dictarum praecedentium literarum apostolicarum coadjutoriae.

In hac vero juris quaestione meum non est ferre sententiam, hoc enim ad sublimius istius s. Congregationis judicium pertinet. Adimplendo tamen mei officii partes non praetermitto Emarum Vrarum animadversioni submittere quammaximum praejudicium quod mihi ac successoribus meis obveniret ex admissione juris optandi coadjuti de Bono et magis si definitum fuerit canonicatum et praebendam per hujusmodi optionem vel vacare favore coadjutoris vel subjici optioni alterius Canonici ac successive de uno in alterum in respectivis praebendis usque ad ultimum optantem, ut coadjutor consequatur vel canonicatum et praebendam, qui per optionem coadjuti vacarent, vel illos qui ab ultimo optante fuerint dimissi; in utroque enim casu adimeretur facultas Episcopi Ordinarii collatoris, ut liberi ei non remanerent canonicatus et praebenda alteri sacerdoti benemerenti ab ipso conferendi; immo quum crescentibus prout in casu pro ratione aetatis causis habendi Canonico coadjuto coadjutorem alterum, magis urgente necessitate impetraret coadjutorem cum futura successione in nova optata praebenda, et quum admisso in coadjuto jure optandi in praesenti casu optio ab ipso iterari possit non obstante secundo coadjutore in casu obtinendo, et sic quoties coadjuto optandi daretur occasio duo et forsitan plures canonicatus et praebendae ex una persona reservatae forent, perpetuato quodam modo praejudicio Episcopi et hoc contra mentem Pontificis indultum optionis concedentis, qui tantum praejudicium inferre censetur Episcopo in auferendo jure conferendi pinguiorem praebendam, *Rota Melevitana Optionis coram Merlino 5. Martii 1640.*, qua postquam diu disceptatum fuerat super executione ejusdem Brevis Urbani VIII. optionem concedentis opponente Episcopo decisum fuit pro sui executione. In casu itaque contrarii eventus etiam in praemissis praesentis controversiae partibus praejudicium Episcopi praeter intentionem Pontificis ad praebendas etiam tenues extenderetur. Hisce omnibus bene perpensis non dubito, quin Eminentiae Vestrae tam in praesenti quam in similibus vacationibus mea meorumque successorum episcopalia jura tueri dignentur prout Eminentias Vestras humiliter imploro.«

Quaeritur in I. dubio: *an Canonicus de Bono vacantem praebendam optare potuisset.* Ut jus suum ipse vindicet defensore assumpto allegationem distribuit. Cum in comperto sit eum in praebenda quam possidebat meliorationes egisse, nil dubii ait illius adsertor quin ad pinguiorem praebendam ascendere jus fuerit ob optionis privilegium Melitensibus Capitularibus a s. mem. Urbano VIII. impertitum. Tota igitur quaestio in eo est, utrum idipsum licuisset ex quo coadjutor eidem deputatus est. Ast Canonicum coadjutum uti titularem jure pinguiorem praebendam optandi pollere perinde ac reliquos Canonicos nisi contraria adsit peculiaris consuetudo, probat memoratus adsertor auctoritate fretus *Tondut. quaest. benef. cap. 110. n. 29., Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 25. n. 17. seq. n. 59. in fin., Garz. de benef. p. 4. cap. 5. n. 120.* et *Monetae de optione cap. 4. quaest. 8. n. 158., Rota dec. 672. n. 8. et seq. cor. Bichio,* alioquin coadjutoriae gratia quae in coadjuti favorem conceditur in ejus dispendium retorqueretur contra sanctionem *cap. 61. de reg. juris in 6.*, ceu expendunt citati auctores et *Rota dec. 140. n. 19. et seq. par. 2. t. 4 rec.*

Praeterquam instat peculiaria quoque in themate adjuncta Canonico de Bono optandi facultatem vindicant. Est enim imprimis optionis indultum oneroso meliorationum titulo Capitularibus concessum; hinc quominus eo utatur Canonicus de Bono, qui satis conditioni fecit, injuste prohiberetur; nemo enim dixerit, eum qui oneroso titulo ea implevit, quae ad jus aliquod acquirendum praescribuntur, a juris ipsius assequutione, justitia ac

aequitate incolumi repelli posse, *Rota dec. 583. n. 28. cor. Caprara.* Insuper ex apposita meliorationum conditione et aliud consequitur quod optionis privilegium in maximam cedit ecclesiae utilitatem ceu de hoc ipsomet privilegio Melevitanis Canonicis tributo dixit *Rota in dec. 830. n. 2. cor. Merlino:* ac proinde haud coangustari debet, sed ampliori interpretatione extendi ad eos etiam Canonicos qui coadjutore donati sunt. Praeterea observantia quoque praesto est quae luculenter eruitur ex iis, quae de Canonico Ruggiero Gimbert testatur Antistes. Asserit quoque memoratus adsertor ex actibus capitularium resolutionum patere, capitulum 1726. ob impletam meliorationum conditionem jus optandi competere judicasse Canonico Azzopardi licet coadjutore uteretur; quod si ipse ad praebendam, quae primum vacavit, non ascendit, id contigisse ait, non quod arbitratum subinde fuerit, eum uti coadjutum optandi facultate destitui sed ex eo uno quod sua interesse non censuit vacantem obtinere praebendam. Tandem vel ex ipsis apostolicis literis quibus coadjutoria impertita fuit erui posse contendit integram esse clienti suo optandi facultatem; siquidem coadjutori Pontifex futuram tribuit successionem in praebenda non solum si ex cessu vel decessu sed etiam si permutatione vel alio quovis modo ea vacua facta fuerit.

Caeterum concludit cum Canonicus de Bono ipso assentiente capitulo vacantem praebendam optaverit ejusque nactus sit possessionem*) ab hac eum turbandum profecto non esse, nisi eam vitiosam esse vel jus alienum pessumdatum luculentissime comprobatum fuerit. Vicarium autem qui ejusdem Canonici optandi facultatem in discrimen adducit illegitimum dicit contradictorem, quippe exequutori literarum apostolicarum circa coadjutoriam de iis quae coadjutorem non quae coadjutum respiciunt erat inquirendum. Porro apertum cuique est audiri non posse quae aliena jura audet in judicio proponere ac sufficere reo convento per non jus actoris vincere, *Rota in nuper. dec. 96. n. 8. t. 4.* Ex his quae in sua relatione Antistes expendit habent EE. VV. quae ex adverso opponi possent; cum tamen in hujusmodi definienda quaestione in diversam sententiam abeant DD., nonnulla ulterius perpendenda occurrunt.

*) Vd. *t. II. p. 755. n. 77.*

Duo in hac materia potissimi casus considerari queunt:

Alter est, quando agitur de optanda aliqua praebenda separabiliter annexa canonicatui et tunc communis opinio est per coadjutum hujusmodi praebendam optari posse ea ratione, quod nullum gignitur coadjutori praejudicium, dum praebenda optata non inducens mutationem novi tituli spiritualis sed consistens in mera temporalitate annexa juri canonicali subrogatur in locum dimissae et transit in coadjutorem, non secus ac ipse canonicatus, *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 25. n. 41. et 59., Monet. de option. cap. 4. quaest. 8. n. 159., Barbos. de Can. cap. 29. n. 39., Garz. de benef. par. 4. cap. 5. n. 120.*

Alter casus est, quando res est de optanda praebenda inseparabili nexu canonicatui addicta, si videlicet ita perpetuo adhaeret, ut unum sine altero obtineri nequeat proindeque optans praebendam assequatur etiam novum canonicatum; quod genus praebendae optatur interveniente auctoritate superioris qui jus habet instituendi, dum fit mutatio tituli canonicalis, quod propria auctoritate fieri nequit, ut notat *Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 13. n. 22., Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 34. n. 62.* In hoc casu haec adhibetur distinctio: aut futura successio in gratia coadjutoriae concessa est etiam quoad praebendam optandam sen coadjutori impertitum, ut ipse succedat etiam in optione praebendae et tunc coadjuto optione frui licitum esse consentiunt DD., aut tributa fuit quoad canonicatum dumtaxat et praebendam ordinariam illi inseparabiliter annexam et tunc juxta sententiam *Garziae de benef. par. 4. cap. 5. n. 120.;* si adsit consuetudo, quod Canonicus non habens beneficium liberum optare nequeat, coadjutor ab optione exercenda prohibetur; si autem ea consuetudo non extet, coadjutus potest optandi facultate uti ea ratione, quia etiamsi mutetur titulus nullum patitur detrimentum coadjutor sed potius commodum consequitur, dum succedit in primo canonicatu et praebenda dimissa per coadjutum tamquam vacante per optionem secundi.

Verumtamen huic Garciae sententiae contradicit *Pitonius in discept. eccles. 10.*, in qua fuse hujusmodi quaestionem expendit contendens coadjutum praepediri, quominus optet sive adsit consuetudo quod habens beneficium non liberum optare nequeat sire ea

deficiat: hac nempe ratione, quia ad essentiam optionis (sunt illius verba) requiritur ordo distributivus., quod Canonicus antiquior optet novam praebendam et sequens in gradu optet ab illo dimissam . . . impracticabilis autem, immo impossibilis redditur hujusmodi ordo, si admittamus coadjutum posse optare novam praebendam et titulum dimissum a coadjuto tamquam adjudicatum coadjutori in gratia coadjutoriae et consequenter ad imparia judicaretur cum antiquiore, qui solus haberet utilitatem optandi et non caeteri sequentes in gradu contra aequitatem et naturam optionis requirentis justitiam distributivam et utilitatem omnium Canonicorum gradatim non autem unius dumtaxat.

Insuper etiam ex parte ipsius coadjutoris optionis exercitium impediri, prosequitur idem auctor, ob praejudicium nempe quod ipsi obveniret. Siquidem in hujusmodi optione, in qua mutatur titulus canonicalis, coadjutor succedere nequit in praebenda optata, dum titulus canonicalis ei inseparabiliter annexus non fuit adjudicatus in gratia coadjutoriae nec remanet subrogatus in loco alterius dimissi, dum ista subrogatio de jure fieri nequit, nisi quoad praebendas separabiliter annexas, non autem quoad conjunctas inseparabiliter, in quarum optione contingit mutatio tituli canonicalis. Neque pariter succedere coadjutor potest in praebenda dimissa, quia ex jam dictis optionis ordo perverteretur ac jus Canonici sequentis in gradu laederetur. Atque ex his falsam arguit rationem, quam pro sua sententia firmanda Garcia adducit, quamque illud quoque absurdum secumferre animadvertit, quod hoc modo coadjutor qui per obitum coadjuti debet succedere in canonicatu et praebenda ipso vivente anticiparet successionem et quod amplius coadjutus vivens remaneret destitutus coadjutore contra intentionem Papae concedentis.

Tandem ex ipso praejudicio, quod ob praeclusam optionem sequentes Canonici paterentur, alia duo derivat idem auctor: alterum nempe, quod etsi futura successio impertita sit coadjutori, cum primum per cessum vel decessum vel per aliam dimissionem beneficium vacaverit, haud tamen in casu optionis dimissi beneficii possessionem ille apprehendere posset, quippe de hoc expressa Pontificis voluntas requiritur, nec in dubio praesumitur, eum optandi consuetudini praejudicium intulisse praecipue quando sequeretur maxima inaequalitas inter Canonicos, dum coadjutus dumtaxat optaret caeteris ab hoc jure exclusis. Alterum vero, quod coadjuto suffragari nequeat illa ratio, quod scilicet optione denegata coadjutoriae gratia in ejus odium retorqueretur, quia hujusmodi ratio non potest habere locum in praejudicium tertii et satis ab initio consultum est coadjuto, qui potest in literis opponi facere clausulam praeservativam juris optandi, cujus vigore potest optare etiam hujusmodi praebendas nempe eas quae canonicatui inseparabiliter annexae sunt.

Praetereundum tamen non est, quod idem auctor sub *n. 19. cit. discept.* dum statuit hujusmodi conclusionem, non posse coadjutum praebendas inseparabiliter annexas optare, hanc subdit limitationem: »nisi concurrat consuetudo interpretativa in contrarium quae potest esse decennalis, immo etiam sine decennio ad eam constituendam sufficeret, fuisse ita servatum aliquando per aliquot actus.« Nec pariter praetereundum, quod s. hic Ordo in causa *Maceraten. Optionis 22. Decb. 1832. III. dubio:* An coadjutus habens coadjutorem cum futura successione jus habeat optandi? responsum tulit: *Affirmative.* Verumtamen cum dubium quod I. loco subjiciebatur ita conceptum fuerit: An optioni sit obnoxia praebenda tantummodo, an praebenda simul et canonicatus in casu? ac responsum: *Affirmative* ad I. partem, negative ad II., resolutio III. dubii non indefinite accipienda esse videtur, sed juxta sensum alterius I. dubii taxative ad casum, in quo praebenda tantum non autem praebenda simul et canonicatus optatur.

Quod si EE. VV. definierint Canonico de Bono optare licuisse, tunc in secundo dubio decernendum est an coadjutor eum sequi debeat in praebenda optata seu potius ei dimissae praebendae possessio danda sit. Ex dictis patet, hujusmodi quaestionem tum solum haberi posse, cum res sit de optione vi cujus coadjutus ad praebendam quae sit canonicatui inseparabiliter annexa ascendit ac titulum canonicalem immutat. Hoc in casu si coadjutoriae finis attendatur scilicet in coadjuti subsidium eam concedi necnon in ecclesiae utilitatem, ut nempe hujus servitio consulatur quod propter morbum seu ingravescentem aetatem coadjutus praestare nequit, inferendum esset, coadjutorem in optata

praebenda coadjutum sequi debere, alioquin si eum derelinqueret coadjutor subsidio et ecclesia debito servitio defrauderetur; atque insuper alia orirentur incommoda quae in suis literis adnotat Antistes. Verumtamen cum ex superius relata Garziae sententia qua ipse statuit, nullum ex coadjuti optione inferri coadjutori praejudicium ex eo quod ei dimissae praebendae possessionem acquirendi jus est cumque Pitonius ipse ideo coadjuto optandi facultatem deneget, quod coadjutor cum aliorum Canonicorum damno dimissam consequeretur praebendam, contrarium tenendum esse videretur idque eo vel magis in themate, quod ex literarum apostolicarum dispositione apparet sacerdoti Falson a Pontifice taxative ad praebendam quam Canonicus de Bono obtinebat futuram successionem impertitam fuisse, quoties ea etiam ex causa permutationis vel alio quovis modo vacua facta fuerit.

Tertio in loco inquirendum est num sacerdos Falson novis indigeat apostolicis literis pro assequenda successione ad praebendam a coadjuto optatam, si hunc sequi debeat. Ex doctrina Pitonii superius adnotatum est quod in optione praebendarum quae mutationem tituli secumfert intercedere debeat auctoritas superioris, qui jus habet instituendi: quapropter sicuti ad novam jure optionis acquirendam praebendam superioris auctoritas requiritur, ita etiam pro obtinenda ad eamdem futura successione necessaria videtur: ac multo magis in casu nova Pontificis concessione sacerdos Falson egeret, quod, ut jam dictum est, eidem tributa futura successio expresse respicit praebendam quam coadjutus possidebat. Ast ex methodo quam Melevitanum capitulum in optionibus observat nulla quoad constat intercedit Superioris auctoritas, sed eae accedente tantum capituli consensu explentur; quod legitimum forsan reputari potest, ex quo a pontificio indulto optandi facultatem Capitulares illi mutuantur. Quemadmodum igitur in themate haud necessarium est, ut Canonici optantis ad aliam praebendam transitus a superiori auctoritate approbetur, ita haud immerito inferri posse videtur, coadjutorem, qui coadjuti personae adhaerere debet, nova concessione non indigere, ut futuram acquirat successionem ad alteram praebendam per coadjutum optatam.

Quarto demum in dubio pro futuris temporibus regula expetitur, quaeritur scilicet: an in hypothesi, qua Canonicus coadjutus optare possit nec Canonicus coadjutor eum sequi teneatur, ad coadjutorem spectet praebenda a coadjutore dimissa vel potius ea praebenda, quam expleto turno postremus Canonicus optans vacuam reliquit. Ad hujus quaestionis solutionem conducere possunt, quae habet *Passerinus in lib. 1. in cap.: Cum in tua de consuetud. quaest. un. art. 2. n. 105.*

Secundus casus est, si coadjutus optando mutet titulum beneficii et dimisso quem habet alium titulum optet. In hoc vero casu beneficium optatum non subrogatur in locum dimissi nec coadjutori competit succedere in beneficio et praebenda optata sed in minori, quae post optionem remanet. Gratia enim coadjutoriae se habet sicut gratia expectativa, quae juxta hanc decretalem non derogat consuetudini optandi, si adsit, sed expectans in vacantia obtinet illud beneficium, quod post optionem remanet vacans: unde illud beneficium censetur de proximo vacare, non quod fuit beneficiati in proximo defuncti, sed quod vacat praemissa optione si alii beneficiati optare velint. Contra hanc doctrinam opponi potest, quod in casu obitus coadjuti docet *Garzias part. 4. cap. 5. n. 122.* post *Rotam in Capuana Optionis 23. Mart. 1709. coram Lancellotti*, scilicet sequentes Canonicos optare non posse praebendam quae per coadjuti mortem vacat, cum jus optandi per coadjutoriam sublatum censeatur. Caeterum hujusce quaestionis definitio multum quoque pendere posset ex diverso modo, quo coadjutoria et futura successio conceditur et ex diversis clausulis, quae in apostolicis literis insertae forent ac proinde videant EE. VV., num expediat generali resolutione eam definire.

Haec sunt quae proponuntur cribranda

D u b i a:

I. *An Canonicus de Bono optare potuisset in casu?*

Ft quatenus affirmative,

II. *An coadjutor Canonicus Falson eum sequi debeat in praebenda optata vel potius immitti in possessionem praebendae dimissae in casu?*

Et quatenus affirmative ad I. partem, negative ad II.,

III. *An idem Canonicus Falson indigeat*

novis apostolicis literis pro futura successione in praebenda a coadjuto optata in casu?

IV. *An et quae praebenda spectet ad coadjutorem si aliis evenientibus casibus coadjutus optet nec eum sequi coadjutor debeat in casu?*

S. C. resp.:

Non proposita cum sequentibus.

Die 4. Apr. 1846.

r) Praecedentia post Canon. honor. vel supranumerarios.

Vd. t. III. p. 465. §: *Aetate* etc.; *Coadjut. Canon.* (honores etc. p. 1392.; Canon. verus non est p. 1386.)

s) Professio fidei.

Coadjutor non tenetur ad fidei professionem nisi cum fuerit successioni locus, *Garcias de benefic. part. 4. c. 3. n. 16.*, *Squillant. de privilegiis clericor. c. 4. n. 79.*, *Ludovic. a Saravia tract. de jurisd. adjunctorum**) *q. 29. n. 37*, *Barbosa de offic. et potest. Episcop. p. 5. allegat. 61. n. 13.* et *de Canon. loco cit. n. 14.* et in *Trident. loco cit. n. 13.* et *Juris eccles. univers. n. 16.*

Coadjutores Canonicorum seu dignitatum Cathedralium de rigore juris communis seu Concilii Trid. non tenentur emittere professionem fidei, quia coadjutor durante coadjutoria nondum est verus Canonicus, cum nondum sit in possessione canonicatus sed solum coadjutoriae, et solum post mortem coadjuti sit verus canonicus, adeo ut solum tunc sit ei assignanda sedes ultima inter omnes, taliter quod eum praecedant Canonici ingressi etiam durante coadjutoria et post ejus receptionem, *Garcias de benefic. part. 4. cap. 5. n. 74. et 76.*, *Gonzalez ad regul. 8. cancel. glos. 5 § 9. n. 110.*, *Trullench. in exposit. decalogi lib. 1 c. 1. dub. 8. n. 1.*, *Barbosa allegat. 61. n. 12. et 14.* et *de Canon. cap. 17. n. 12.*

Fuit dictum, supradictos omnes non teneri ad fidei professionem de rigore juris communis seu Conc. Trid. et constitutionis Pii IV.**) quia licet supradicti et caeteri alii beneficiati non teneantur ad emittendam fidei professionem vigore Concilii Trid. et constitutionis Pii IV., cum ibi sit sermo solum de obtinentibus dignitates et canonicatus in ecclesiis cathedralibus et de habentibus beneficia curata, tenentur tamen ipsam emittere vigore legum dioecesanarum in quibus fere omnibus reperitur statutum, ut omnes beneficiati etiam in Collegiatis et quicumque etiam beneficia simplicia uticumque obtinentes teneantur intra duos menses fidei professionem facere coram Episcopo vel ejus generali Vicario, ut expresse sancitum fuit in *Synodo Alexandrina 1752. tit. 1. de fidei professione* post *Antuerpiensem de anno 1609. tit. 1. can. 14.* et *Mechliniensem de eodem anno 1609. tit. 1. can. 40.* et alias passim.

*) Vd. *t. I. p. 181.*
**) Vd. *t. II. p. 180. n. 25.*

t) Quae lucratur Coadjuto?

Vd *Coadjut. Canon.* (emolumenta etc. p. 1387., excommunicati Canon. p. 1392.)

u) Qualitas requisita.

Vd. *Coadjutor Canon.* (aetas t. I. p. 312. n. 6.)

Coadjutor non tenetur tempore concessionis coadjutoriae habere ordinem presbyteralem, ubi statuto ecclesiae cautum fuerit, quod Canonicus actu sit sacerdos tempore promotionis, sed sufficit habere clericatum*), et legitimam aetatem ad ordinem requisitam, *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 5. § 9. Garcias in d. addit. sub dub. 24*, *Caputaquen. decis. 127. n. 1. et 2.*, *Barbosa Juris eccl. univers. lib. 3. cap. 10. n. 78* et *de Canon. c. 29. n. 36.*

v) Substitutus ejus.

Dubitatum est in s. C. an et quomodo Canonicus coadjutor alium substituere possit in chorale servitium ecclesiae Collegiatae divi Petri juxta capituli veterem consuetudinem? S. C. respondit: Negative.

Die 28. Febr. 1795.

w) Vox in capitulo.

Vd. t. III. p. 416 n. 43; 449 n. 8; p. 420 §: *Nullius*; *Coadjutor Canon.* (emolumenta etc. p. 1387.)

S. Severini.

Canonico Dominico Mazza in cathedrali ecclesia s. Severini Poenitentiario coadjutor datus sacerdos Vincentius Passalacqua per quinquennium comitiis capitularibus absente coadjuto interfuit ac jure ferendi suffragii est usus. Obstare deinde coeperunt Canonici negantes coadjutorem suffragii interponendi

*) Vd. *t. III. p. 410. b. notam* **.

consortem esse posse: quamobrem hanc Congregationem adiit coadjutor Passalacqua et in quasipossessione memorati juris sese manuteneri flagitavit.

Rogavi Episcopum, ut *audito capitulo et transmissa copia literarum apostolicarum coadjutoriae et particulis constitutionum capitularium ad rem facien. referret de consuetudine quoad praeteritum.* Retulit Episcopus nullas adesse capitulares constitutiones, transmisit apostolicas literas coadjutoriae simulque exemplum resolutionis qua Canonici statuerunt concedendam non esse Canonico *Passalacqua vocem in capitulo quia coadjutor vivente coadjuto non est verus Canonicus* sed fictus.

Episcopus coadjutori apprime favet ac ita sensum animi sui pandit: primo quidem dicam quod etsi Canonicus coadjutor non sit verus Canonicus quod non est in questione jure repraesentativo tamen sui Canonici coadjuti ei competunt exercitia omnium jurium Canonico suo principali competentium et praecipue quidem si in literis apostolicis id concessum fuerit et leges constitutionales vel stabiles consuetudines minime adversentur. Itaque cum orator in suis literis apostolicis habilitationem et facultates receperit sub illis verbis: *interesse valeas omnibus actibus capitularibus*, nec leges constitutionales nec consuetudines adsint in contrarium disponentes, nihil propterea obstant quae a Canonicis opponuntur.

Exempla vero aliorum coadjutorum quibus consuetudinem evincere nituntur Canonici ad rem haud esse subjungit Episcopus quoniam si illi jure suo uti voluerunt nihil obest iis qui jura sua defendere et sustinere praetendunt. Obstaret utique si nulla contraria exempla afferant ipsimet Capitulares . . . ., contra ipsos valent allata exempla. Obstaret etiam contra coadjutorem Passalacqua, si aliqui ex aliis coadjutoribus facta instantia capitulo de interveniendo in capitulis semper oppositionem recepissent atque semper a comitiis exclusi fuissent. Sed totum in oppositum comprobatur. Imo adducta exempla de Canonicis Corradi et Caccialupi coadjutoribus . . . ut in comitiis admitterentur et qui postea a capitulo realiter admissi fuerunt monstrant quod usque ab illis temporibus rationem nullam Canonici habuerunt praesumptae exclusionis sustinendae unde usque ab illo tempore omnis consuetudo remota videtur si quae prius forsan adfuisset.

Quoad generaliter verba literarum apostolicarum pergit Episcopus ex quibus verbis deducunt Canonici nescio vero qua ratione quod coadjutoribus nullum jus competere possit interveniendi in comitiis capitularibus nam ut ipsi ajunt generales expressiones nullum jus dare ad particularia privilegia. Sed Canonicis non est privilegium particulare interveniendi in capitulis sed est jus universale proprium omnibus commune in commutationibus capitularibus interessendi in capitulis, ut sua vota et suffragia exhibeant, quoties opus fuerit; unde coadjutor qui exercere debet omnia et singula jura sui coadjuti a comitiis minime excludi poterit, nam quando in literis dicitur *omnibus et singulis actibus* est idem quod dicere: omnibus et singulis juribus et privilegiis coadjutor succedat coadjuto.

Si vero in posteriori articulo literarum apostolicarum adest expressio, *quod officio coadjutoris cessante iterum Passalaqua in corporalem possessionem se immittere faciat*, nihil officit, quin antequam hanc novam possessionem adipiscatur in capitulis admittatur: nam prima possessio quae a coadjutoribus sumitur licet non sit vere in beneficio sed ad beneficium, repraesentative tamen suorum principalium ad jura exercenda ipsis principalibus competentia semper valet. Et sicut per primam possessionem stallum habent coadjutores in choro, locum in processionibus etc. ita aequaliter locum in capitulo, alias inutilis foret illa prima possessio si nullum jus daret coadjutoribus. Secunda vero possessio valet non solum ad exercenda onera beneficio annexa jure proprio sed dat etiam jus in beneficio et ad percipienda emolumenta canonicalia. Si ergo coadjutores per possessionem perceptam acquirunt jus de stallo in choro cum caeteris Canonicis, acquirunt etiam jus ad caetera onera beneficii . . . . In literis apostolicis dicitur ut adesse possit *omnibus actibus capitularibus;* cur autem excipiendus sit actus interveniendi in comitiis capitularibus minime intelligitur.

Quod interventus in capitulis Canonico Passalacqua concessus fuerit virtute mandati praestiti a Canonico Mazza coadjuto vana ratio videtur. Nam aut consuetudo aderat de non recipiendis Canonicis coadjutoribus in capitulis aut minime aderat. Si aderat quando capitulo porrectum fuit mandatum

procurae coadjuti, ut Canonicus Passalaqua reciperetur, at in contrarium egerunt illum intimando et recipiendo: aut vero haec praetensa consuetudo non aderat et tunc mandatum Canonici Mazza supervacaneum erat pro coadjutore Passalacqua; nam coadjutor non recipit auctoritatem a coadjuto exercendi ejus jura canonicalia sed ab literis apostolicis . . . . Sic usum vidi in capitulo patriarchali ecclesiae s. Mariae Majoris de Urbe et in ecclesia cathedrali Eugubina ubi per multos annos binas coadjutorias exercui et sic scio in omnibus capitulis Urbis Romae usum esse.«

Profecto Canonicus coadjutor omnibus privilegiis et praerogativis coadjuti perfrui debere videtur juxta *Gonzalez ad reg. cancell. 8. gloss. 5. §. 9. n. 99.* et fictus Canonicus dici posse quoad praebendam, non quoad officium, quod reapse exercet: aequum est enim, ut qui cum aliis commune servitium praestat, communibus gaudeat privilegiis. Praerogativas omnes insuper, facultates, praeeminentias, honores canonicales, queis et jus suffragationis accensetur, ab apostolicis recepit literis coadjutor Passalacqua, quae verba tamquam universalia nullam praeeminentiam facultatemque nullam excludunt, *argum. leg. Julianus* et *Leg. Testamento ff. de leg. 3., Roland. cons. 87. n. 8. vol. 2. Roman. cons. 44. n. 5. ad dictionem eo modo.*

Verum coadjutores Canonicos etiam absentibus coadjutis non posse capitulis interesse nec in ipsis suffragium ferre, nisi in literis apostolicis jura haec expresse iisdem concedantur, definivit, s Congregatio in *Narnien. 20. Martii 1649. relat. in Sabinen.**) *31. Maji 1783. §: Quod attinet.* Idque luculenter docet *Pignatell. t. 4. cons. 185. n. 1.* qui ita respondisse narrat romanam Rotam *in Salamantina Coadjutoriae 1. Julii 1794. coram Penna*, idemque tradunt *Garzias de benefic. parte 4. cap. 5. n. 87., Barbos de Can. et Dignit. cap. 29. n. 2.*

Nullibi autem in literis apostolicis coadjutori Passalacqua jus vocis in capitulo expresse concessum legitur ac licet omnes et singulae praerogativae, praeeminentiae et honores coadjuti ei tribuantur, haec tamen omnia ad servitium ecclesiae referenda esse ex tenore ipsius coadjutoriae asserit *cit. Garz. ibid. n. 96.*

*) Vd. *t. III. p. 431.*

Praeterea coadjutor perfectum jus in beneficio non habet sed tantum in spe et ad rem, adeo ut jus habere incipiat solummodo post obitum coadjuti, quo tempore adipiscitur beneficii possessionem, uti post alios monet *Rigant. ad regul. cancell. 3. n. 13.* et *Rota in Olmucen. Canonicatus 24. Martii 1694. §: In proposito, cor. Muto.* Neque enim antea veram beneficii possessionem acquirit coadjutor, cum ea penes coadjutum resideat, *Garz. de beneficiis part. 4. cap. 5. n. 90., Rigant. ad regul. 36. cancell. n. 112.*, atque inde fit, ut coadjutori non suffragetur possessio coadjutoriae vivente coadjuto obtentae sed nova post ejusdem coadjuti obitum possessio requiratur, *Barbosa de jur. eccles. lib. 3. cap. 10. n. 44. et seq., de Canon. cap. 29. n. 6., Rigant. ad reg. 24. cancell. §. 3. n. 116., Ventrigl. in prax. part. 2. adnot. 13. §: Unic. n. 36.* Quum vero generaliter praeeminentiae omnes coadjutoribus in literis apostolicis conceduntur, adjici solent clausulae: *Cessante officio coadjutoris* et: *Ex nunc prout ex tunc*, quae utpote appositae in dispositione conditionali nempe sub conditione vacationis canonicatus per cessum vel decessum Canonici coadjuti non operantur nisi post purificatam conditionem veluti perpendit *Rota cor. Merlino decis. 147. n. 1. et 2.*

Coadjutores tamen aliquando jure suffragii ferendi pollent ut ex allatis ab Episcopo exemplis constat; verum id obtinet si capitularibus constitutionibus ita fuerit sancitum vel si literis apostolicis coadjutoriae fuerint eo jure donati. Caeterum ipsemet coadjutor Passalacqua fateri visus est hujusmodi facultatem jure sibi non competere, quandoquidem ut procurator sui coadjuti in comitiis capitularibus per quinquennium et ultra suffragium tulit, quam sine procuratoris personam haud gessisset, si proprio jure id praestare se posse censuisset.

Itaque proponitur

D u b i u m:

An coadjutori Passalacqua competat jus suffragii ferendi in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 4. Aug. et 18. Septb. 1824.

2) D i g n i t a t u m.

a) Celebrans.

Vd. *Canon. Cathed.* t. III. p. 363. n. 7.; *Coadjut. Can* (celebr.) *Applicat. missae conv.; Dignitas.*

b) Differentia inter Coadjutorem Canonici et Dignitatis.

Vd. *Canon. Cathedr* (celebrandi ordo — t. III. p. 363. n. 7: *Aesina.*)

In hoc est differentia inter coadjutores Dignitatum et coadjutores Canonicorum, quia illi sicuti sedent in stallo Dignitatis ita debent facere functiones spectantes ad Dignitatem coadjutam; coadjutores vero Canonicorum sicuti sedent post omnes Canonicos ita non admittuntur ad honorarias functiones si adsint alii Canonici qui suppleant juxta dispositionem Caeremonialis *lib. 1. cap. 26. de supplend. vicib.*, s. Rit. Congr. *in Ferrarien. 2. Junii 1640.* apud *Pignatell. 3. consult. 185. n. 3.* ubi addit, quod ob hanc regulam coadjutores numquam faciunt assistentiam Episcopo, si adsint veri Canonici ex eadem Congr. *in una Civitatis Castelli 24. Maji.*

c) Domicilium.

Vd. *Coadjutoria* (titulus etc.)

d) Ordinari potestne aliquis in titulum coadjutoriae dignitatis?

Vd. *Coadjutoria* (titulus.)

3) E p i s c o p i.

(Causa et Persona instituendi.)

Vd. *Residentia Episcopi* (Const. Bened XIV. ad Ep. Hiberniae § 8); *Coadjutor* (institutionis causae p. 1393.; jus succedendi p. 1394.)

S. Gregorius PP. VII. Sanctio Hispaniarum Regi.

Noverit dilectio tua Nos ita consuluisse et praecepisse Episcopo ut ipse quantum possit episcopali officio in spiritualibus insistens et auxilia comprovincialium Episcoporum petens ad peragendas exteriores et inferiores curas talem clericum in ecclesia constituat qui ad tantam procurationem providus et si res postulaverit ad percipiendam episcopalis officii dignitatem et ordinem sit idoneus. Quo per annum unum aut amplius in ecclesia consistente si divina clementia interim Episcopo vires corporis et sanitatem reddiderit sicut justum est ipse in loco suo super dominicum gregem vigilans consistat; si vero infirmitas et debilitas corporis sui adaucta fuerit et administrationem commissae sibi curae nequaquam exequi poterit tunc demum si illius vita, mores et disciplina probabilis fuerit apostolicae sedi tuis et Episcopi literis necnon sub testimonio cleri ejusdem ecclesiae deliberato consilio certa vobis et salubris annuente Deo responsio dabitur. Verum haec nequaquam tam absolute dixissemus nisi quod Episcopo se excusanti et impedimentum suae infirmitatis proponenti fraternae compassionis auditum denegare non potuimus.

Die 25. Jan. 1075.

(Bull. r. t. II. p. 66. Ed. Aug. Taur. 1859.)

B o n i f a c i u s PP. VIII.

Pastoralis officii debitum exequentes declaramus atque statuimus coadjutorum Episcoporum et superiorum praelatorum dationem intelligendam esse de causis majoribus et referendam ad Sedem apostolicam ac ab ea consuetudine non obstante contraria tantummodo postulandam.

Verum ne hoc praetextu ecclesiae existentes praecipue in remotis dispendia patiantur Nos earum in hac parte indemnitatibus praecavere volentes hac generali constitutione sancimus, ut Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut officium suum nequeat exercere, possit *de sui consilio et assensu capituli vel majoris partis ipsius* unum vel duos auctoritate apostolica coadjutores assumere ad dictum officium exequendum.

Si vero Episcopus demens fuerit et quid velit aut nolit exprimere nesciat necnon possit, tunc ejus capitulum vel duae ipsius partes eadem auctoritate unum aut duos coadjutores assumant idoneos, qui ejus officium exequantur. Si autem Episcopus senio aut incurrabili morbo gravatus vel perpetuo impedimento detentus ad sui executionem officii reddatur inutilis et coadjutorem assumere vel habere noluerit licet a capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo, tunc nil per capitulum innovetur sed hoc casu et etiam proximo idem capitulum Episcopi et ecclesiae suae conditionem et statum ac facti circumstantias universas quam cito poterit fideliter et explicite referat ad notitiam dictae Sedis, recepturi humiliter et efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari. Praesenti quoque adjicimus sanctioni

ut coadjutores hujusmodi de proventibus praelatorum in quorum assumantur auxilium sumptus recipiant moderatos, ab alienatione qualibet de bonis ecclesiasticis praelatorum ipsorum vel ecclesiarum suarum quomodolibet facienda penitus abstinentes, rationem non solum in districto examine, sed et praelatis eisdem, si sanae mentis extiterint, ac capitulis eorumdem seu etiam ipsum successoribus si hoc ante non fecerint plenariam reddituri. Ceterum quod de Episcopis praemittitur ad superiores etiam praelatos esse volumus et intelligimus referendum.

Anno 1302.

4) Parochi.

a) Amovibilitas.

Vd. *Capellanus Monial.* (amovib. t. III. p. 729. c.); *Capellan.* (remotio t. III. p. 735; amovibilis t. III. p. 669.); t. II. p. 133. n 4; *Capellanus parochi* (t. III. p. 732. n. 22.); *Capellania* (curata etc)

b) Emolumenta.

Mantuana.

Vd. supra p. 1387. g.; infra lit. *d.*

Paroecia sub titulo s. Erasmi E. et M. in loco di Gastelgoffredo constituta 3600 hominibus constat quorum maxima pars vitam milliarios lapides dispersa degit. Inde fit ut praeposito parocho difficile ac pene impossibile sit suorum parochianorum necessitatibus occurrere nisi coadjutores sibi adjungat qui in parochiali obeundo munere suppetias ei ferant. Porro nonnulli quidem in paroecia commorantur sacerdotes qui simplicibus beneficiis ecclesiasticis fruuntur, residentiae tamen onere minime obstricti sunt. Praeter hosce alii duo tantum adsunt sacerdotes eo loci residentes cum titulo capellanorum curatorum, qui opem praeposito praebent in cura animarum quia late paroecia patet. At cum nullo hi peculiari stipendio potiantur exceptis incertis stolae ut vocant emolumentis hinc ut propriae sustentationi consulant diebus praesertim festis ad Sacrum in oratoriis ruralibus celebrandum se conferre solent ac praeter assistentiam infirmis et cadaverum associationem a quolibet alio onere se vacuos ac solutos reputant. Exinde contingit ut nedum ferialibus sed nec festivis dieeorum opera uti praepositus valeat tum in excipiendis confessionibus tum in praedicatione divini verbi ac in cathechismi instructione tum demum in celebratione missarum illis horis quae populi commoditati opportunae magis et accommodatae viderentur. Ex pluribus enim beneficiis quibus paroecia ditatur nullum extat in quo missarum ferialibus diebus celebratio ad horam certam ac determinatam constituta sit.

Itaque sacerdos Barosi hujus paroeciae praepositus hodiernus ut gregis sibi commissi utilitati consulat hanc proponit rationem quam ab EE. VV. approbari supplex expostulat

Juxta schemata quae parochus exhibuit colligitur emolumenta incerta quae inter capellanos curatos non aequis tamen partibus sed pro muneribus quae sustinent dividuntur conficere annuatim summam circiter libell. 425. Quoad legata quae praebendae paroeciali inhaerent onera annua sunt missae 458,, officia 44., redditus libellae 649. 74. Legatum vero Zaltieri onus secumfert missarum 552 et redditus habet libell. 651. 38.

Praepositi precibus adstipulatur undique Episcopus pro quibus suas addit commendationes. Exploratum in jure est parocho qui per se universae procurandae paroeciae impar sit tot adjungi debere coadjutores quot ad id sufficere videantur. Siquidem per Concil. Trid. *sess. 21. cap. 4. de reform.* Episcopi tamquam apostolicae Sedis delegati debent adigere parochum ut suis expensis coadjutorem adciscat, *si populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere.* Consonant jura collecta per *Fagnan. in cap.: Audientiae n. 24. de eccles. aedif., Pignat. t. 4. consult. 230. n. 13.* et *s. Rota cor. Dimozett. jun. decis. 572. n. 1.* In themate autem nedum ob ingentem capitum numerum verum etiam ob locorum distantiam patet unum parochum omnibus populi suis curis concrediti necessitatibus praesto esse non posse.

Nec satis huic rei consultum videtur ex deputatione duorum capellanorum qui inpraesens in auxilium curae adhibentur nisi congruum ac certum iisdem constituatur stipendium ut suo muneri pro viribus satisfacere queant nec alio vagari cogantur propriae sustentationi providendi causa.

In quam quidem sententiam ubi concedant EE. PP. plane non illegitima videretur piorum legatorum applicatio ac adeo inhaerentium onerum reductio pro tuenda eorumdem alimonia. Namque Trid. Synodus *sess. 24. cap. 13.* ad augendas tenues paroeciarum congruas beneficiorum unionem et applicationem permittit. Et s. haec Congregatio ad conciliaris decreti tramites pluries in capellani curati exhibitionem unionem beneficiorum indulsit ceu *in Florentina Unionis et reductionis 25. Aug. 1820.* et in *Reatina Unionis 4. Junii 1842.* vel pro applicatione rescripsit ceu *in Forosempronien. Appl. 9. Sept. 1797.* necnon etiam Sacrorum reductionem largita est veluti *in cit. Florentina.**)

Non praetereundum sane ad haec extraordinaria remedia non antea deveniendum esse quam ordinaria quae jure constituta sunt deficiant quaeque eadem Trid. synodus cit. *sess. 21. cap. 4.* indigitat per ea verba: *Illis autem sacerdotibus qui erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodolibet pertinentibus et si necesse fuerit compellere possit populum ea subministrare quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam.* Quamobrem consulendum capellanorum stipendio primum sumptibus ipsius parochi salva eidem congrua parochiali ac ex fructibus quibuscumque ad ecclesiam paroecialem pertinentibus ac demum ex populi contributione ceu tradunt doctores. Sed vero testatur Episcopus alia non suppetere media ut congruum capellanis stipendium assignetur unde necessitas oritur propositae applicationis ac reductionis legatorum. Nec opportunum videtur paroecianos ad contributionem vocare qui pauperes ut plurimum sunt. Ceterum dimidia pars reddituum qui capellanis tribuerentur a legatis proveniunt quae ad praebendam paroecialem pertinent. Denique hac ratione dum utilitati paroeciae consulitur piorum fundatorum animae non omnino suffragiis privantur pro quibus integra manet Sacrorum applicatio diebus festivis. Quod uti probandum sit videndum an etiam in reliquis excipienda sit oratoris petitio ac praesertim in eo quod pertinet ad applicationem residuarum libellarum pro stipendio sacerdotis qui missam ferialibus diebus hora populo magis commoda et oppotuna celebret. Ob causam enim publicae utilitatis saepe s. Congregatio hujusmodi petitiones benigne excipiendas censuit. Utrum indulgentia haec adhibenda sit in themate erit EE. VV. decernere. Interim proponitur

*) Vd. *t. II. p. 965. I.*; *p. 985. VIII.*; *p. 370. a.*

Dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus oratoris in casu?

S. C. resp.

Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Die 19. Decb. 1857.

c) Instituendus estne sumptibus parochi?

Vd. *Coadjutor parochi* (emolumenta p. 1406); t. III. p. 732 b.

Ripana.

Non ambigitur esse parocho dandos coadjutores in ministrandis Sacramentis vel esse cogendum parochum, ut sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungat quot sufficiant ad exhibenda Sacramenta divinumque cultum celebrandum, ut satis aperte colligitur ex Concil. Trid. *sess. 21. cap. 4 de reform.*

Die 17. Junii 1795.

d) Jurisdictio et fructus.

Vd. *Capellanus curatus* (jurisd.); pag. 1406. b.

Coadjutores ordinaria carent jurisdictione ipsisque ideirco facultates ad Sacramenta administranda peculiares tribuendas esse tradit *Monacellus form. leg. tit. 10. form. 15.*

Die 19. Apr. 1834.

Ad ea quae referuntur t. III. p. 691; c. sequuntur:

JURIUM PAROCHIALIUM.

Sub die 24. Julii 1875 quaestio haec proponebatur sub dubitandi formula: »*An et quomodo sententia curiae Mediolanensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?* Cui dubio S. C. Concilii respondere censuit: »*Sententias primi et secundi gradus esse reformandas. Capellanis jus esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso juxta ordinationem ab Episcopo proponendam et ad s. Congregationem transmittendam.*

Antistes ut s. Congregationis voto morem gereret viros in jure canonico peritos deputavit qui accitis interesse habentibus eorumque additis atque perpensis rationibus et argumentis normam et finem hujus dependentiae indicarent. Quae normae sic sese habent.

1. »Cum Rmus Rector Praepositus caput sit suae ecclesiae, primus ei debetur locus

in qualibet sacra functione. Coadjutores capellani ipsi assident juxta antiquitatem institutionis.

2. Quia vero etiam coadjutoribus jus est seu de jure facultas exercendi curam animarum in paroecia, una idest communiter cum praeposito, suae et ipsis integrae maneant ex officio connaturales attributiones, quas praepositus perturbare aut imminuere nequeat.

3. Sacrae functiones in paroecia consuetae tam diebus festis vel dominicis quam profestis peragantur a praeposito et coadjutoribus juxta vicem hucusque reteutam. Praepositus, cui functiones liturgicas de more a coadjutoribus exercendas semper liberum sit legitima suadente causa exercere per se, quando jure suo erit usurus, coadjutorem praemoneat, cui aliter ritus sacer esset obeundus.

4. Sed praeter functiones, quas consuescit obire, praeposito reservatae habeantur caeterae solemnes, idest cum pluviali, clero et organo, quae per annum occurrant sive ex consuetudine ecclesiae sive ex voto publico sive fuerint rogatu fidelium celebrandae, coadjutoribus servatis functionibus ordinariis, quas de stola dicimus, puta baptismata, funera, delatio SSmi ad infirmos.

5. Bini saltem ex coadjutoribus praeposito solemniter celebranti adstent ministerio, libero manente tertio ex eis propter quascumque, quae occurrant, fidelium spirituales necessitates. Praeposito non peragente per se functionem, quae fuerit sibi quomodocumque reservata, vices ejus obeat coadjutor, qui hebdomadarium agit, dimidiatis inter eos emolumentis, si quae a fidelibus offerantur.

6. Praedicationis onus ita commune sit praeposito et coadjutoribus, ut isti homiliam habeant per vicem et nonnisi a praeposito praemoniti: iidemque eum adjuvent in catechesibus.

Applicatio autem Sacri pro populo praeposito incumbat diebus ab ecclesia praescriptis.

7. Functiones porro minus solemnes vel de stola a coadjutoribus exercendae ita dividantur inter eos, ut quisque illas peragat per hebdomadam in orbem. Hebdomadario autem impedito subeat qui hebdomada sequenti futurus erit munere hebdomadarii.

8. Quamvis in partem sollicitudinis pastoralis praepositi assumpti sint coadjutores, ut totius paroeciae saluti studeant una cum praeposito, tamen ut melius fidelium utilitati provideatur mos retinendus salubriter inolitus ut paroecia dividatur in tres regiones tribus coadjutoribus singillatim distribuendas: quisque autem ex ipsis in regione sibi assignata specialem infirmorum curam agat pauperibusque in ea degentibus eleemosynas distribuat necnon incolarum saluti propensiori cura invigilet. Item matrimoniis quae ratione solemnitatis non pertineant ad praepositum assistat quisque ex coadjutoribus, de cujus regione fuerit sponsa: eo impedito suppleat qui erit de hebdomada. Causa intercedente delegandi, ne ad id muneris delegetur extraneus inscio praeposito. Insuper semper liberum sit praeposito assistere personaliter matrimoniis etiam minus solemnibus, illatis tamen in capsam coadjutorum oblationibus inde perceptis.

9. Obventiones cujuscumque generis hebdomadario a fidelibus oblatae ratione alicujus spiritualis functionis, sive per orbem suum eam exerceat sive vicem agendo praepositi, salva in hoc casu praeposito sua medietate, in capsam inferantur ut inter coadjutores singulis trimestribus dividantur, eleemosyna Missae excepta, quae in rem celebrantis cedat.

10. Discessurus e paroecia sive praepositus sive aliquis ex coadjutoribus meminerit quae tam salubriter sive a Tridentino sive a Nostris constitutionibus sancita sunt tam quoad tempus absentiae beneficiatorum cum cura animarum a propria sede quam etiam quoad servitium ecclesiae providendum absentiae tempore; et ideo sive praepositus coadjutores sive coadjutores praepositum vel collegas admoneat de suo discessu atque secum invicem ita conveniant ut interim aliqui ex ipsis praesto sint fidelibus in opera spirituali.«

Interpretatio tamen hujus rescripti occasionem dedit capellanis et praeposito, ut etiam propria tuerentur jura, quae laedi timebant a novis propositis normis. Ideo noviter asserunt capellani suum parochiale jus recognitum fuisse ceu in praeposito, *una cum praeposito*; propriamque dependentiam haud totaliter et stricto sensu intelligendam esse sed quoad nonnullos actus urbanitatis gratia erga praepositum, qui illis aequalis est in jure habitualis curae, et ad maximum habetur *primus inter aequales in jure*.

Interpretatio hujusmodi haud praeposito arrisit et continuo S. C. Congregationem exoravit ut probe rem perpenderet, ne rectoris jus laederetur, sed dependentia coadjutorum, sapienter admissa, conservaretur.

Vehementer petiit iste ab Emis Cardinalibus ut sedulam navarent operam ad hoc ne modula normarum, quam Ordinarius praesentavit, aliquam secumferret coadjutoribus concessionem in damnum juris parochialis. Ex laudata enim declaratione sapienter sancitum fuit quod capellani curam exerceant dependenter ab eodem praeposito. Ad quam adstruendam interpretationem praeprimis presto est, ait ille, Bulla Alexandri Papae VI. pro erectione trium capellaniarum: ex qua bulla capellani ipsi tenentur interesse una cum praeposito horis canonicis in ipsa ecclesia et *tenentur* exercere curam animarum parochianorum et per seipsos, non autem per substitutos deservire. Animadvertit insuper capellanos ipsos constanter in actis curiae episcopalis et in ipsa visitatione apostolica anno 1581 nuncupatos fuisse capellanos coadjutores rectoris praepositi. His adjici debet quod cum capellaniae aliquando collatae fuerint a summis Pontificibus, in bullis collationalibus onus capellanorum semper designatum fuit verbis: »Quam capellaniam pro tempore obtinenti rectorem dictae ecclesiae (praepositurae) pro tempore existentem praepositum nuncupatum in exercitio curae animarum dilectorum filiorum illius parochianorum coadjuvandi onus incumbit.«

Ex quibus arguit praepositus quod S. C. C. adjudicaverit capellanis curam actualem seu jus tantum exercendi curam animarum, non vero curam habitualem paroeciae, ita ut nullus extraneus impedire eosdem posset ab exercitio ejusmodi; quod jus non haberent invito praeposito cujus sunt coadjutores in iis quae ad curam spectant animarum, Ferrar. *V.: Coadjutor n. 28, 29.*

Quisquis bullam Alexandri VI. perlegat facile percipiet quod verba *tenentur unacum praeposito* omnia respiciunt officia quae animarum curam tangunt. Taliter judicium protulit s. Carolus apostolicus visitator his verbis: Capellani tres coadjutores, qui unacum praeposito tum ad personalem residentiam et ad horas canonicas collegiatim recitandas tum ad animarum curationem ex fundatione teneri comperti sunt.«

Aliud prostat argumentum capellanorum favore ex verbis bullae fundationis: »*per seipsos non autem per substitutos deservire, legitimo cessante impedimento.*« Ex quibus ergo colligitur quod si impedimentum adesset etiam per alios substitutos deservire possent. Ex actis curiae autem haud colligitur quod constanter ut asserit praepositus »*nuncupati fuere capellani coadjutores rectoris praepositi*« sed major bullarum collationum pars repetit verba brevis fundationis horum beneficiorum: »*pro tribus perpetuis capellanis, qui una cum praeposito horis canonicis interesse, personaliter residere ac curam animarum parochianorum exercere teneantur.*« Innuit praepositus quod varii summi Pontifices cum beneficia haec conferrent saepe modificaverint collationis formulas. Verum id nullum habere valorem ajunt capellani tum quia praepositi haud praebuerunt exactam officiorum notitiam romanis Pontificibus aliquod ex his beneficiis collaturis tum quia in successivis collationibus rediit formula ex brevi fundationis deprompta. Ast si romani Pontifices derogare auctoritative voluissent fundationis brevi ad suetum non rediissent formularium.

Neque officit capellanis quod in resolutione S. C. C. dicatur ipsos exercere debere curam dependenter a praeposito; adjicitur enim *juxta ordinationem*, quia methodus et dependentiae limites proponi ab Episcopo et approbari a S. C. C. debent.

Adjiciendum est quod S. C. C. confirmaverit sententiam primi et secundi gradus easdem solum reformans quoad superiorem, qui normas constituere debet quibus moderaretur juris exercitium et dependentia ad quaestiones vitandas. Caeterum bulla Alexandrina probe interpretata innuit curam animarum *una cum* praeposito reciproce et aequaliter ad curatos pertinere. Hinc plenae parochialitatis jus quo canonice quis adsistit matrimoniis ex vi fundationis aeque ad praepositum et ad coadjutores titulares pertinet. *)

*) Haud raro evenit quod per antiquas institutiones cura animarum penes plures reperiatur, praecipue in Canonicorum capitulis. Attamen S. C. Concilii legi Tridentinae inhaerendo data occasione praetulit esse apud unum tantum quoties fundationis peculiaris leges aperte non renuant. Et praxis hujusmodi aptius ecclesiae institutioni respondet. Legimus enim *in cap. sicut 21 quaest. 2.* »*sicut in unaquaque ecclesia unus presbyter esse debet ita ipsa quae sponsa vel uxor ejus dicitur non potest dividi in plures presbyteros sed unum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam caste et sincere regat.*« Neque obliviscendum quod ista ratione praecaveri possunt quaestiones quamplures quoad matrimoniorum validitatem. Vd. *Cura animarum.*

Quibus praenotatis propositum fuit enodandum

Dubium:

An et quomodo propositae ab Episcopo ordinationes probandae sint in casu?

S. C. Congr. sub die 22. Septembris 1877 respondit: *Affirmative in omnibus.* *)

5) Parochi Canonici.

(Insignia, jura, praecedentia.)

Vd. t. III. p. 672. n. 7.

Novarien.

Restaurandae ecclesiasticae disciplinae incumbens sedulus Emus Novariae dioecesis Episcopus vacata in cathedrali ecclesia una ex Vicariis curatis quibus cumulative paraecia illa gubernabatur totus in eo fuit, ut cathedrali capitulo suaderet implementum statutorum synodalium, quae vetant ne duo simul aequales sint parochi in eadem paraecia **); hinc ut rem facilius componeret nonnullas exhibuit propositiones quibus et animarum curae et legum synodalium executioni consulebatur. Res ad H. S. O. 1826 fuit delata ac approbationem obtinuit die 27. Januarii 1827 ex audientia SSmi.

Jam vero ab aetate vetusta et ex constitutionibus synodalibus illud obtinet Novariae ut parochi dioecesani extra urbem forenses appellati insignia vulgo mozzetta deferant omnium distincta et ornatiora ac coadjutores forenses; et sic pariter distinctis potiantur insignibus urbani et suburbani parochi ac coadjutores ita dicti titulares in ipsa civitate; illi enim palliolum seu mosestiam induunt violaceam ejusque orae undique praetexta visitur rubea fascia quae late patet etiam ante pectus eumdemque colorem exhibent fibulae quibus nectitur. Isti vero violacea quidem et ipsi mosetta potiuntur; at nonnisi limbus rubei coloris apparet; eaque vestis communis est etiam parochis extra civitatem in dioecesi degentibus. Porro quum in legitimam coeant congregationem parochi totius civitatis pro insignium varietate praecedentiam metiuntur.

Rebus ita se habentibus factum est ut ex quo s. Ordinis scriptum supradictos approbans articulos decreto episcopali munitum sub Junio 1827 executioni committeretur bini coadjutores Archipresbytero dati insignia induerint Vicariis perpetuis seu parochis urbanis concessa ac inde utpote cathedrali ecclesiae addicti praecedentiam supra caeteros parochos facto assecuti fuerint. Ast id patienter tulisse exponit hodie parochorum caetus, quod praefatos coadjutores arbitratus fuerit esse adhuc vere et proprie capituli Vicarios; quum vero ab exemplari rescripti s. Ordinis ex episcopali curia obtento cognoverit nuper eos nonnisi meros putosque Archipresbyteri coadjutores extare eos injuria parochorum insignia assumpsisse clamat ac praecedentiam sibi perperam vindicasse quam nec jure nec peculiari aliquo privilegio in praedicto rescripto concessum fuisse inficiatur.

Emus Episcopus quin animi sui sensum aperte manifestet haec recolenda proponit: Juverit de hac re repetitas quas isti s. Congregationi literis meis informationes praebui percurrere quum responderem EE. VV. literis 1826., si vobis placeat easdem consulere, ex quibus forsan majus affulgebit lumen ad cognoscendum quid in operosa involutaque hac controversia decernere expediat. Itemque alia in epistola diei 28. Julii 1826 iterum dicebam. Quod spectat ad artic. 7. non aliud insigne coadjutoribus est adsignandum quam illud quod caeteri urbis Novariae coadjutores gerunt ne via querelis ac controversiis aperiatur. Attamen absque ulla exceptione prodiit die 24. Januarii 1827 in fine articulorum conventionis a capitulo conditae seu inductionis novi parochialitatis systhematis in Cathedrali apostolicum decretum approbationis; indeque patuit aditus, ut praevideram, ad quaestionem quam contra coadjutores movit congregatio parochorum Novariae quamque officium nunciavit EE. VV. potestatis exscindere.

Contendit parochorum coetus nec jure nec privilegio aliquo insignia et praecedentiam de qua queritur convenire posse ecclesiae cathedralis coadjutoribus: non jure quidem: etenim e contra synodali lege sua parochis quibuscumque et sua inferioris notae insignia juraque coadjutoribus assignantur; nec privilegio: etenim nihil in s. Ordinis rescripto si penitius expendatur reperit coetus parochorum, quod privilegium hujusmodi coadjutoribus impertiatur: articulum enim VII. supra descriptum cui coadjutores innituntur unice omissionem particulae *Non* certe Amanuensis incuria factam continere propugnat, adeo ut loco *non solo godranno etc.* legendum sit *non solo non godranno*, id enim si negetur, apertam admittendam esse contradictionem ac posthabendam omnino esse syntaxim arbitratur.

Enimvero sine contradictione intelligi nequit, quod, dum universa propositio a s. ordine approbata tota erat ut veteres portiones vicarias reduceret ad simplices coadjutorias parochiales atque ad id maxime contenderet praefatus VII. articulus, addi in eo mox voluerit clausula quae universum negotii finem destrueret ac coadjutores omnino servaret in qualitate et juribus parochorum. Dum ergo eorum conditio minui ac ad eam coadjutorum redigi voluisset servati fuissent ii ut vere vicarii curati cum omnibus juribus quibus antea fruebantur. Nec pariter sano modo explicabitur, ut dum animarum curae gubernium immutari adlaborabatur ut synodalibus legibus satisfieret eodem tempore synodales leges coadjutorum conditionem parochis omnino subjectam jubentes pessumdarentur.

Ad syntaxin quod attinet ea certe orationis cujusque regula est, ut adverbium *non solo* exigat in altero *Ma* quod priori respondet: concessionem praerogativae majoris; contra si verba articuli VII. prout jacent legenda essent, in II. periodi parte praerogativa valde minor ea, quae in priori continetur, concederetur, imo talis, quae primitus tributas praerogativas omnino destrueret. Jam vero rescripta ita interpretanda esse, ut non sequantur repugnantia, canon est tutissimus, de quo *Rota recent. decis. 963. part. 2. n. 1.* Quare contradictione remota verbum illud *Non* addendum esse proclamat congregatio praefata: sic enim Eminent. Episcopi voto pluries s. Ordini manifestato quod recolendum erat locutio illa plenissime responderet.

Praeterea quisquis demum sit sensus verborum de quibus agitur ea certe protrahi numquam posse pergit parochorum congregatio ad jura et privilegia laesiva jurium tertii, quaeque Pontifex concedens numquam nec subordaverat. Profecto inde inferri necesse est vel obreptum subreptumque fuisse hujusmodi privilegium, si his verbis comprehenditur, adeoque rebus hodie rite cognitis evanescere vel potius in concedentis animo numquam resedisse illius concessionem; siquidem nedum exploratum est Pontificem numquam praesumi quod juri tertii derogare voluerit juxta regulam 18. cancellariae de jure quaesito non tollendo; *) quinimo *praevaluit opinio* ait Rigant. ad dictam reg. n. 25. *quod requiratur derogatio specifica et individua ipsi regulae et nulla alia possit constare de mente Papae nisi faciat ipse expresse de regula mentionem et eidem nominatim deroget.* Fagnan. etc.

Quod si a prima die executi rescripti per plures annos contigit, ut coadjutores ecclesiae cathedralis insignia et praecedentiam in parochialibus comitiis retulerint, id non ex parochorum acquiescentia evenisse pugnat eorum coetus; adeoque pacificam haud confici exinde observantiam, sed ex errore, quo ipsi tenebantur vi jactantiae coadjutorum qui singulari privilegio auctos fuisse praedicabant. Sane ex quo s. Ordinis authenticum exemplar legere datum est, ne comitiis quidem amplius parochi contradictores interfuerunt ne sua jura laedi permitterent.

Contra vero cathedralis ecclesiae coadjutores eam summatim fuisse mentem s. Ordinis firmant in praefata propositione 1827. probanda, ut ratio parochiae cathedralis moderandae immutaretur quidem in eo, quod loco duorum Vicariorum unus esset vere parochus vicarius, qui actualiter gereret curam animarum residentem habitualiter penes capitulum Archypresbyter nempe qui eam subinde exerceret per binos suos coadjutores, in reliquis nihil omnino de veteri systemate innovaretur atque adeo iisdem praerogativis et insignibus frui deberent coadjutores, quibus antea Vicarii fruebantur.

Hoc posito, apparentem contradictionem, quae inter priorem et alteram partem articuli septimi adesse videtur, sponte sua evanescere arbitrantur. Immo et facile explicari posse urgent piaculum contra syntaxin proclamatum, quandoquidem revera in secundo periodi membro aliquid amplius innuitur,

*) Aliquis forsan dubitare poterit quod S. C. Concilii istas probando ordinationes quae modum vivendi determinant jus praepositi aliquantulum laeserit. Ita ut hoc in casu haud plene praxim de unitate inducenda in cura animarum sequuta fuerit. Lectores adprecamur ut memoria repetant leges civiles quibus causa pia divexatur; praecipue quoad paroecias; et suasum habebunt juris rigorem aliquando prudentiae regulis cedere debere, ut ecclesiae bona quantum fieri potest ab unguibus *fisci* removeantur.

**) Vd. *t. I. p. 948. XXVI.*; *p. 953. XXVII.*; *p. 958. XXVIII.*

*) Vd. *t. II. p. 822.*

quam quod in priori expressum fuerat. Quod patebit facile, si distinguatur inter jura honoris et jurisdictionis, illa enim integre servata sunt coadjutoribus, haec immutari necessario debuerant immutato exercitio parochiali. Hinc quum sub articulo II. propositionis cura animarum commissa fuerit uni Vicario Archipresbytero *col sussidio di due coadjutori* dubitari forte potuisset an hi ad nutum parochorum essent amovibiles, ab eoque omnimodo quoad jurisdictionem dependerent. Quod dubium ut adverteretur post reservata iis honoris insignia additum est *ma saranno uguagliati ai coadjutori di tuta la diocesi.* Sane ratio ipsa dictat quamlibet verosimilem adhibendam fore interpretationem priusquam verbum ex arbitrio insarciatur in tenore rescripti editi negocio mature discusso et postquam multa emendata fuerint in propositis articulis, audito pluries ac diligenter Emo Episcopo.

Ceterum privilegia quaecumque declarari et interpretari ab eorum observantia, ab eaque rite demonstrari quid veniat in concessione, non ambigui juris est, *Rota decis. 249. n. 16. par. 5. t. 1.* et *decis. 266. n. 1. et 2. par. 15. recen.* Atqui ab anno 1827 ad nupera usque tempora ita sese gessit parochorum coetus, ut in omnibus comitiis vel ss. supplicationibus coadjutores de quibus agitur insignibus indui libenter siverit, quibus Vicarii curati primitus utebantur eisque digniorem locum tribuerit: idque factum esse animadvertunt coadjutores sub oculis ipsius Emin. Antistitis, qui negocium hoc universum pertractaverit.

Quin ita aliquod parochorum jus pessumdatum dici queat. Jam enim praecedebantur ipsi a Vicariis curatis; atque adeo praecedentia ista reservata iis qui Vicariis curatis suffecti fuerant nihil remittebatur ab eis de priori conditione aut in deteriorem minime abiisse censendi sunt, arg. ex *Rota decis. 400. n. 41. et seq. part. 9. t. 1. recent.* Investigare autem causas cur s. Sedes hac methodo procedi jusserit non est coadjutorum neque lex aliqua mandat, ut hac super re audiri necessario debuerint. Etiam ipsos S. R. E. Cardinales instant coadjutores nonnullis gaudere praerogativis Episcopis jure tributis, quamvis charactere careant episcopali et tamen nemo unus asseret nunquam laesa inde fuisse episcopalia jura aut conqueri posse Antistites quod ipsis insciis nec desuper auditis privilegium hujuscemodi aliis imperditum fuerit.

Rogantur PP. EE. ut dirimant

D u b i u m:

An et quae insignia et gradus competant coadjutoribus ecclesiae cathedralis in casu?

S. C. resp.:

Dilata, nihil interim innovato quoad praesentes coadjutores juxta decretum diei 24. Jan. 1827 s. mem. Leonis XII.

Die 26. Junii 1841.

6) Vicarius,
(Amovibilis.)

Vd. *Coadjutoria* (erectio coadj. vicariae etc. p. 1421.)

Coadjutoria.

Vd. *Capellania.*

1) Cum canonicatu non conjungenda fundatione vel collatione silente.

Nullius seu Sublacen.

Ut animarum curae in oppido Trebarum cui uti par est exercendae unus illius Collegiatae Archipresbyter non sufficeret apta stabilique ratione provideretur actualis Emus Abbas commendatarius et Ordinarius Sublacensis vigilantissimus occasionem nactus vacationis per obitum Philippi Salvatori alterius ex canonicatibus de massa nuncupatis ejusdem Collegiatae SS. D. N. preces obtulit ut facultatem dignaretur eidem impertiri non modo vacanti huic canonicatui verum etiam et alteri de praedicta massa excepta theologali et poenitentiarii praebenda proxime vacatura adnectandi in perpetuum onus

coadjuvandi in cura animarum Archipresbyterum et parochum pro tempore dictae collegiatae et parochialis ecclesiae necnon eosdem canonicatus cum dicto onere adnexo per concursum inposterum conferendi.

Precibus SSmus annuit et ope hujus s. Congregationis rescripti die 17. Julii 1854. eidem Emo Abbati facultates necessarias et opportunas benigne impertitus est, ut juxta petita gerat, statuat atque decernat quidquid pro suo arbitrio et prudentia magis in Domino expedire judicaverit. Rescripto autem s. Congregationis executoriale decretum accessit die 24. Aug. 1854, quo Emus Abbas in perpetuum non modo dicto canonicatui ad praesens vacanti sed et canonicatui proxime vacaturo onus coadjuvandi juxta normam ab eodem praescribendam in cura animarum Archipresbyterum et parochum pro tempore praedictae terrae Trebarum adnectit etc.

Itaque possessionem tunc vacantis canonicatus ope concursus obtinuit sacerdos Amatus Amati eique in collationis literis dum onus coadjutoriae parochialis impositum fuit additum etiam onus idem non modo dicto canonicatui ad praesens vacanti verum etiam et alteri de praedicta massa excepta theologali et poenitentiarii praebenda proxime vacatura esse adnexum.

Quinque circiter post annos quam Canonicus Amatus Amati canonicatum adeptus fuerat et impositum munus obiverat alter ex Canonicis Joannes Vincentius Amati aetate gravis et mala valetudine affectus SSmo supplicavit ut coadjutor sibi in canonicatu constitueretur suus ex germano fratre nepos Leopoldus Amati votique compos factus est. Literis enim sub plumbo datis die 12. Febr. 1859. Leopoldus idem coadjutor cum futura successione patruo Joanni Vincentio renunciatus fuit ea lege ut sicuti omnibus juribus Canonici ecclesiae collegiatae Trebarum uti ita divinis officiis, actis capitularibus ceterisque functionibus intervenire aliaque omnia et singula onera canonicatui et praebendae incumbentia subire ac adimplere debeat ac teneatur. Interim cum paucos post menses ab indulta coadjutoria ex hac vita migraverit Canonicus coadjutus Joannes Vincentius ab Emo Abbate literae datae sunt die 19. Febr. 1860 coadjutori quibus ipse in veram ac realem possessionem vacantis canonicatus cum omnibus ei adnexis juribus et pertinentiis immittebatur. Quoniam vero nec in literis apostolicis coadjutoriae neque in aliis ab emo Abbate ejusdem favore expeditis de munere coadjuvandi parochum explicate mentio facta fuerit hinc novus provisus ab hujusmodi obligatione vacuum ac solutum se reputans illud sibi assumere constanter detrectavit.

Aegre quidem id tulit alter Canonicus in parochi coadjutorem adscitus Amatus Amati, qui proinde suas ad s. Congregationem querelas detulit precesque exhibuit ut Canonicus Leopoldus Amati ejusdem oneris una cum ipso perferendi particeps declararetur.

Emus Abbas audito capitulo quod a sua edenda sententia abstinuit exposita confirmat. Hinc factum est inquit ut ego usus facultate per s. istam Congregationem concessa dum praebendam canonicalem tunc vacantem contuli presbytero Amato Amati onus praedictum imposui in ea sententia confirmatus ut alteri praebendae primo vacaturae praefatum onus similiter imponerem ad tramites obtentae facultatis.

Cum autem prosequitur sacerdos alter Leopoldus Amati coadjutoriae gratiam petiisset et assecutus esset a Principe sacratissimo per Datariam apostolicam cum futura successione super canonicali praebenda ab ejus patruo Vincentio Amati rite possessa quin onus coadjuvandi parochum in literis apostolicis fuisset injunctum hinc evenit ut mortuo coadjuto libere et absque vinculo praebendae canonicalis hujusmodi nactus fuerit possessionem.

Pluries exinde voce et scriptis est coram me conquestus Amatus Amati de injungendo prout affirmat onere. Ast ego illi suadere curavi ut quiesceret objecto argumento quod vinculum et conditio oneris imponendi canonicatui proxime post alterum ab eo obtentum vacaturo ne tamquam ordinarium posset aut deberet afficere, minime vero supremum ecclesiae moderatorem, qui poterat equidem ejusmodi onus adjicere sed non fecit. Ideoque jus absque onere plenum Leopoldo quaesitum fuit et in controversiam adduci non posse videtur quidquid Amatus obmurmuret.

Nihil aliud igitur superest mea quidem sententia quam ut Amatus acquiescat donec nova sequatur alius praebendae vacatio liberae collationis, quo casu Canonico eligendo par ac Amato onus imponam. Notandum

est interim praeter conquerentem in cura animarum alium etiam presbyterum adesse Archipresbytero parocho ita ut Amatus onus habeat nunc etiam cum altero divisum et commune.

Iisdem ferme argumentis in Emi Abbatis relatione recensitis utitur etiam Canonicus Leopoldus Amati. Observat enim neque in literis Pontificis pro coadjutoria expeditis neque in successivis literis collationis ab Emo Abbate datis ullam excidisse mentionem de onere coadjuvandi parochum, quod quidem cum de novo imponendo onere ageretur explicite fieri debuisset. Re enim vera cum ss. Pontifex coadjutoriam cum futura successione nullo peculiari adjecto onere libere ei contulerit profecto jus praevenit Eminent. Abbatis, quem vinculum et conditio hujusce oneris imponendi afficere dumtaxat poterat, quique proinde per collationem vacantis praebendae exercuit actum omnino necessarium nec potuit novi aliquid addere, quin praeventionem pontificiam laederet.

Praeter haec sustinet legem coadjutoriae parochialis imponendae canonicatui primo vacaturo haud afficere posse canonicatum a se adeptum per coadjutoriam; hoc enim in casu canonicatus vacatio per juris fictionem non inducitur, ut adeo dispositio quae de beneficio vacanti fertur protrahi non posse videatur ad beneficium coadjutoriae jure possessum. Egregie *de Nigris de vacat. benefic. lib. 1. c. 46. n. 28.*, ibi: »Et quamvis beneficium videatur vacare morte coadjuti cum coadjutor non sit Canonicus nec praebendatus, imo tenetur exequi gratiam post mortem coadjuti et capere possessionem beneficii, nihilominus coadjutoria admissa cum futura successione nunc pro tunc vacationem impedit.«

Per hanc enim clausulam, ut observat *Rigantius Comment. ad reg. XIV. cancell. §. 1. n. 22.*, ibi: »Papa tempus futurum ita retrotrahit ad praeteritum, ut in eodem temporis instanti quo vacat beneficium per obitum coadjuti illa vacatio dicatur consumpta favore coadjutoris ex praeventione ipsius Papae, ita ut nulla detur beneficii vacatio.« Ita etiam *Piton. discept. eccles. 129. n. 3.* necnon s. Congr. *in Ferentina Resignationis 2. Aug. 1845. §: Consonat.*

Ex alia parte qui Amatum Amati defendit haec habet in sua allegatione: Praemissio, quod beneficiatus ad universa perferenda onera teneatur quae suo beneficio sive ex jure ss. canonum sive ex fundatione sive ex consuetudine sive demum ex mandato legitimae auctoritatis inhaerent, quamvis in literis collationis specialis de hisce mentio non occurrat, probat in facto exploratam rem esse canonicatui Leopoldo Amati collato onus coadjuvandi parochum tum indultae coadjutoriae tum vacationis per obitum coadjuti tempore infixum inhaesisse, cum ante id temporis et s. Congregationis rescriptum et executoriale curiae decretum prodierint, quibus praebendae primo vacaturae hujusmodi onus jam ex tunc impositum decernebatur.

Cum igitur non de novo imponendo onere sed de jam imposito ageretur, quando coadjutoriae gratia facta est et Coadjutus deinde possessionem vacantis canonicatus cepit consequitur exinde una cum munere coadjutoris collatum Leopoldo fuisse etiam munus coadjuvandi parochum exercendum vero ad tempus quo per mortem coadjuti purificata fuisset conditio vacationis. Gratiam enim largiebatur Pontifex Leopoldo coadjutoriam cum futura successione concedens nec praesumendum aliam voluisse superaddere gratiam eundem ab onere coadjuvandi parochum eximendo, quae quidem exemptio in alterius coadjutoris damnum reverteretur. Longe at vero abesse, quod ss. Princeps hujusmodi exemptionem concesserit, quippe in bullis coadjutoriae cautum legitur, ut Leopoldus »omnia et singula onera canonicatus et praebendae incumbentia subire et adimplere deberet et teneretur«; inter quae profecto recensendum onus coadjuvandi parochum statim ac ejusdem canonicatus vacatio contigisset.

Perperam vero objici ex adverso contendit orator canonicatum per coadjutoriam obtentum numquam vacare neque per obitum coadjuti. Pluribus enim relatis auctoritatibus id adscisse inficiatur probans beneficium revera per cessum vel decessum coadjuti vacare ita ut coadjutor tunc censeatur veluti nova persona ac novus Canonicus, qui nullimode continuat jus coadjuti sed de novo acquirit seu in terminis *Barbosa de Canon. et Dignitat. c. 29. 27., Gonzalez in regul. 8. cancell. glossa 5. art. 9. n. 64., Fagnan. in cap. 5. lib. 3. decretal. tit. 6. de cleric. aegrot. n. 9., s. Rota decis. 410. p. 4. t. 1. n. 10. recent.*, in *Mindonien. Coadjutoriae 25. Febr. 1733. cor. Aldrovando* post *Gonzalez. ad reg. cancell. n. progress. 145. §. 8.* et in *decis. 116. n. 5. coram Cavalerio.*

Non inficiatur sane penes doctores haberi quod in beneficio per coadjutoriam obtento vacatio non inducatur. Id autem ita intelligendum subdit non ut vacatio realis per obitum coadjuti excludatur, bene vero ut sarta tectaque maneat ss. Pontificis auctoritas in collatione beneficiorum, ne scilicet ullus inferior collator manus audeat apponere in beneficio, cui per literas apostolicas datus sit coadjutor, ceu explicant Riganti et Pitonius locis ex adverso citatis; ac eleganter tradit *s. Rota in Calaguritana Canonicatus 18. Junii 1728. coram Corio* relata post *Gonzalez in reg. 8. cancell. n. 74. §. 4.* et in *Confirmatoria 4. April. 1729. coram Calcagnino n. 6.*, ibi: »Placuit DD. objectum ea distinctione submovere, aliam esse vacationem respectu coadjutoris aliamque profecto respectu inferioris collatoris. Propter coadjuti obitum tam de jure quam de facto vacavit canonicatus, ut coadjutor tamquam novus titularis in vacantis beneficii possessionem ingrederetur. Ceterum respectu collatoris inferioris nunquam vacare existimatur, quia coadjutor ex praeventiva gratia s. Sedis apostolicae statim vacantem assequitur canonicatum et in ipso consumpta jam remansit secuta illa vacatio etc.«

Post haec superest dirimendum

D u b i u m:

An onus coadjuvandi parochum Trebarum in cura animarum incumbat Canonico Leopoldo Amati in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 31. Aug. 1861.

2) Curata incompatibilis cum canonicatu alterius ecclesiae.

Vd. t. II. p. 590. n. 56; *Cura animar.* (exercenda a Cathedral.)

Lucana.

Cathedralis Lucanae ecclesiae animarum cura a vetustis usque temporibus exercetur a Vicario curato, cui in frequenti paroecia suppetias ferre solent duo Presbyteri qui coadjutores curati nuncupantur. Ille non minus quam isti ad nutum capituli cui habitualis imminet cura olim pendebant: sed apostolicis literis 1822 factum est ut Vicarius curatus inposterum perpetuus et inamovibilis jugiter evaderet ac duo presbyteri, qui coadjutoris munere tunc fungebantur a capitulo amoveri non possent. Ex his alter erat sacerdos Julianus Ridolfi qui jam unde ab anno 1806 coadjutoris partes explere coepit et nunc etiam explet tametsi inter Canonicos collegiatae ecclesiae s. Michaelis 1829 fuerit cooptatus. Aegre admodum id ferunt cathedralis ecclesiae Canonici ac rati coadjutoriam curatam omnino vacasse ob pacificam canonicatus possessionem, hunc s. adierunt Ordinem, ut qui in themate sit sentiendum plane decernat.

Archiepiscopus de more rogatus retulit sacerdotem Ridolfi qui ex capitularibus Collegiatae constitutionibus 15 dies quolibet mense choro adstare cogitur scutata 80 ex canonicali praebenda et scutata 105 centum ex bonis coadjutoriae subductis oneribus quotannis colligere. Dein votum suum eidem sacerdoti propitium aperiens inquit: »Nihil detrimenti animarum cura ex duplici Rudolfi munere patitur, nam ipse domum habitationis prope ecclesiam metropolitanam in medio paroeciae habitans ibique die noctuque commorans assidue una cum alio coadjutore animarum curae pervigilat demptis horis, quibus choro quod domo sua non longe distat divinis officiis interest ac tunc quoque alium sacerdotem loco positum inopinatis casibus paratum designat. Et revera si paraeciae metropolitanae servitium ob expositi duplicis muneris incompatibilitatem aliquid damni passum fuisset meum erat cui oves commissae sunt quammaxime providere. Itaque attenta Ridolfi in gerenda hujusmodi Metropolitanae cura practica scientia ac parochianorum a quibus praediligitur ex longo ac semper laudabili exercitio cognitione optarem ut ipse praefatam curam etiam electo parocho capituli Vicario ipsum parochum coadjuvando unacum illo regeret et gubernaret«.

Canonicus Ridolfi haud se quidem latere affirmat singula tantum beneficia singulis personis esse conferenda, cum s. Gregorius *can. 1. dist. 89.* sanciverit *singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus*, imo fatetur *ex Trid. syn. sess. 24. cap. 17. de ref.* nemini fas esse alterum *) assequi beneficium, nisi primum ad vitam ejus honeste sustentandam haud sufficere ac utrumque personalem residentiam non requiri pateat. Illud nihil-

*) Vd. *t. II. p. 731. n. 76.*

est interim praeter conquerentem in cura animarum alium etiam presbyterum adesse Archipresbytero parocho ita ut Amatus onus habeat nunc etiam cum altero divisum et commune.

Iisdem ferme argumentis in Emi Abbatis relatione recensitis utitur etiam Canonicus Leopoldus Amati. Observat enim neque in literis Pontificis pro coadjutoria expeditis neque in successivis literis collationis ab Emo Abbate datis ullam excidisse mentionem de onere coadjuvandi parochum, quod quidem cum de novo imponendo onere ageretur explicite fieri debuisset. Re enim vera cum ss. Pontifex coadjutoriam cum futura successione nullo peculiari adjecto onere libere ei contulerit profecto jus praevenit Eminent. Abbatis, quem vinculum et conditio hujusce oneris imponendi afficere dumtaxat poterat, quique proinde per collationem vacantis praebendae exercuit actum omnino necessarium nec potuit novi aliquid addere, quin praeventionem pontificiam laederet.

Praeter haec sustinet legem coadjutoriae parochialis imponendae canonicatui primo vacaturo haud afficere posse canonicatum a se adeptum per coadjutoriam; hoc enim in casu canonicatus vacatio per juris fictionem non inducitur, ut adeo dispositio quae de beneficio vacanti fertur protrahi non posse videatur ad beneficium coadjutoriae jure possessum. Egregie *de Nigris de vacat. benefic. lib. 1. c. 46. n. 28.*, ibi: »Et quamvis beneficium videatur vacare morte coadjuti cum coadjutor non sit Canonicus nec praebendatus, imo tenetur exequi gratiam post mortem coadjuti et capere possessionem beneficii, nihilominus coadjutoria admissa cum futura successione nunc pro tunc vacationem impedit.«

Per hanc enim clausulam, ut observat *Rigantius Comment. ad reg. XIV. cancell. §. 1. n. 22.*, ibi: »Papa tempus futurum ita retrotrahit ad praeteritum, ut in eodem temporis instanti quo vacat beneficium per obitum coadjuti illa vacatio dicatur consumpta favore coadjutoris ex praeventione ipsius Papae, ita ut nulla detur beneficii vacatio.« Ita etiam *Piton. discept. eccles. 129. n. 3.* necnon s. Congr. *in Ferentina Resignationis 2. Aug. 1845. §: Consonat.*

Ex alia parte qui Amatum Amati defendit haec habet in sua allegatione: Praemissio, quod beneficiatus ad universa perferenda onera teneatur quae suo beneficio sive ex jure ss. canonum sive ex fundatione sive ex consuetudine sive demum ex mandato legitimae auctoritatis inhaerent, quamvis in literis collationis specialis de hisce mentio non occurrat, probat in facto exploratam rem esse canonicatui Leopoldo Amati collato onus coadjuvandi parochum tum indultae coadjutoriae tum vacationis per obitum coadjuti tempore infixum inhaesisse, cum ante id temporis et s. Congregationis rescriptum et executoriale curiae decretum prodierint, quibus praebendae primo vacaturae hujusmodi onus jam ex tunc impositum decernebatur.

Cum igitur non de novo imponendo onere sed de jam imposito ageretur, quando coadjutoriae gratia facta est et Coadjutus deinde possessionem vacantis canonicatus cepit consequitur exinde una cum munere coadjutoris collatum Leopoldo fuisse etiam munus coadjuvandi parochum exercendum vero ad tempus quo per mortem coadjuti purificata fuisset conditio vacationis. Gratiam enim largiebatur Pontifex Leopoldo coadjutoriam cum futura successione concedens nec praesumendum aliam voluisse superaddere gratiam eundem ab onere coadjuvandi parochum eximendo, quae quidem exemptio in alterius coadjutoris damnum reverteretur. Longe at vero abesse, quod ss. Princeps hujusmodi exemptionem concesserit, quippe in bullis coadjutoriae cautum legitur, ut Leopoldus »omnia et singula onera canonicatus et praebendae incumbentia subire et adimplere deberet et teneretur«; inter quae profecto recensendum onus coadjuvandi parochum statim ac ejusdem canonicatus vacatio contigisset.

Perperam vero objici ex adverso contendit orator canonicatum per coadjutoriam obtentum numquam vacare neque per obitum coadjuti. Pluribus enim relatis auctoritatibus id adscisse inficiatur probans beneficium revera per cessum vel decessum coadjuti vacare ita ut coadjutor tunc censeatur veluti nova persona ac novus Canonicus, qui nullimode continuat jus coadjuti sed de novo acquirit seu in terminis *Barbosa de Canon. et Dignitat. c. 29. 27., Gonzalez in regul. 8. cancell. glossa 5. art. 9. n. 64., Fagnan. in cap. 5. lib. 3. decretal. tit. 6. de cleric. aegrot. n. 9., s. Rota decis. 410. p. 4. t. 1. n. 10. recent.*, in *Mindonien. Coadjutoriae 25. Febr. 1733. cor. Aldrovando* post *Gonzalez. ad reg. cancell. n. progress. 145. §. 8.* et in *decis. 116. n. 5. coram Cavalerio.*

Non inficiatur sane penes doctores haberi quod in beneficio per coadjutoriam obtento vacatio non inducatur. Id autem ita intelligendum subdit non ut vacatio realis per obitum coadjuti excludatur, bene vero ut sarta tectaque maneat ss. Pontificis auctoritas in collatione beneficiorum, ne scilicet ullus inferior collator manus audeat apponere in beneficio, cui per literas apostolicas datus sit coadjutor, ceu explicant Riganti et Pitonius locis ex adverso citatis; ac eleganter tradit *s. Rota in Calaguritana Canonicatus 18. Junii 1728. coram Corio* relata post *Gonzalez in reg. 8. cancell. n. 74. §. 4.* et in *Confirmatoria 4. April. 1729. coram Calcagnino n. 6.*, ibi: »Placuit DD. objectum ea distinctione submovere, aliam esse vacationem respectu coadjutoris aliamque profecto respectu inferioris collatoris. Propter coadjuti obitum tam de jure quam de facto vacavit canonicatus, ut coadjutor tamquam novus titularis in vacantis beneficii possessionem ingrederetur. Ceterum respectu collatoris inferioris nunquam vacare existimatur, quia coadjutor ex praeventiva gratia s. Sedis apostolicae statim vacantem assequitur canonicatum et in ipso consumpta jam remansit secuta illa vacatio etc.«

Post haec superest dirimendum

D u b i u m:

An onus coadjuvandi parochum Trebarum in cura animarum incumbat Canonico Leopoldo Amati in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 31. Aug. 1861.

2) Curata incompatibilis cum canonicatu alterius ecclesiae.

Vd. t. II. p. 590. n. 56; *Cura animar.* (exercenda a Cathedral.)

Lucana.

Cathedralis Lucanae ecclesiae animarum cura a vetustis usque temporibus exercetur a Vicario curato, cui in frequenti paroecia suppetias ferre solent duo Presbyteri qui coadjutores curati nuncupantur. Ille non minus quam isti ad nutum capituli cui habitualis imminet cura olim pendebant: sed apostolicis literis 1822 factum est ut Vicarius curatus inposterum perpetuus et inamovibilis jugiter evaderet ac duo presbyteri, qui coadjutoris munere tunc fungebantur a capitulo amoveri non possent. Ex his alter erat sacerdos Julianus Ridolfi qui jam unde ab anno 1806 coadjutoris partes explere coepit et nunc etiam explet tametsi inter Canonicos collegiatae ecclesiae s. Michaelis 1829 fuerit cooptatus. Aegre admodum id ferunt cathedralis ecclesiae Canonici ac rati coadjutoriam curatam omnino vacasse ob pacificam canonicatus possessionem, hunc s. adierunt Ordinem, ut qui in themate sit sentiendum plane decernat.

Archiepiscopus de more rogatus retulit sacerdotem Ridolfi qui ex capitularibus Collegiatae constitutionibus 15 dies quolibet mense choro adstare cogitur scutata 80 ex canonicali praebenda et scutata 105 centum ex bonis coadjutoriae subductis oneribus quotannis colligere. Dein votum suum eidem sacerdoti propitium aperiens inquit: »Nihil detrimenti animarum cura ex duplici Rudolfi munere patitur, nam ipse domum habitationis prope ecclesiam metropolitanam in medio paroeciae habitans ibique die noctuque commorans assidue una cum alio coadjutore animarum curae pervigilat demptis horis, quibus choro quod domo sua non longe distat divinis officiis interest ac tunc quoque alium sacerdotem loco positum inopinatis casibus paratum designat. Et revera si paraeciae metropolitanae servitium ob expositi duplicis muneris incompatibilitatem aliquid damni passum fuisset meum erat cui oves commissae sunt quammaxime providere. Itaque attenta Ridolfi in gerenda hujusmodi Metropolitanae cura practica scientia ac parochianorum a quibus praediligitur ex longo ac semper laudabili exercitio cognitione optarem ut ipse praefatam curam etiam electo parocho capituli Vicario ipsum parochum coadjuvando unacum illo regeret et gubernaret«.

Canonicus Ridolfi haud se quidem latere affirmat singula tantum beneficia singulis personis esse conferenda, cum s. Gregorius *can. 1. dist. 89.* sanciverit *singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus*, imo fatetur *ex Trid. syn. sess. 24. cap. 17. de ref.* nemini fas esse alterum *) assequi beneficium, nisi primum ad vitam ejus honeste sustentandam haud sufficere ac utrumque personalem residentiam non requiri pateat. Illud nihil-

*) Vd. *t. II. p. 731. n. 76.*

ominus sedulo perpendendum putat hujuscemodi juris censuram vim suam exerere, ubi res est de duobus ecclesiasticis beneficiis titulum collativum habentibus aut residentiam exposcentibus, ut innuunt illa Trid. Concilii verba *sess. 7. cap. 4. de ref.: Quicumque de cetero plura curata vel alias incompatibilia beneficia ecclesiastica . . . . retinere praesumpserit, beneficiis ipsis . . . privatus existat,* secus autem quando agitur de officiis tantum ecclesiasticis aut de simplici ac temporaria capellania nullum canonicum titulum praeseferente, *Rigant. ad reg. 1. cancel. §. 7. n. 84. et §. 8., Leuren. For. benef. par. 3. sect. 1. cap. 2. quaest. 106., s. Congr. in Bitecten. 6. Decb. 1721. ad III. dub.*, in *Firmana Capellaniae 15. Sept. 1770. §: Verum.* Porro in themate sermo est de retinenda coadjutoria, simplici nimirum ac temporaria capellania curata, quae nullam secumferre videtur incompatibilitatem cum possessione canonicatus; praefata enim capellania in titulum non confertur neque ecclesiasticum beneficium vocari potest sed potius officium juvandi parochum in obeunda animarum cura; et licet sacerdos Ridolfi ex apostolicis literis 1822 a coadjutoria amoveri nequeat eadem tamen ex sua institutione temporaria est et ad nutum capituli amovibilis. Quocirca se a possessione coadjutoriae minime excidisse, imo eam quoad vixerit cum canonicatu retinere posse autumat Ridolfius.

Aliter nihilominus judicandum arbitrantur Canonici. Quamquam enim veram incompatibilitatem in ecclesiasticis tantum beneficiis locum sibi vindicare noscant, attamen vim ac rationem legis pluralitatem beneficiorum prohibentis ad beneficia quoque impropria seu ad simplices capellanias quae oneribus cum canonicatu incompatibilibus gravantur contendunt esse protrahendam, *Garz. de benef. part. 11. cap. 5. n. 280., Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 12. n. 3. et seqq., Rot. cor. Ealconer. de benef. decis. 1. n. 11.* Quapropter *Barbos. in Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. de ref. n. 45.* docet *capellaniam *), quae habet onus celebrandi missae et coadjuvandi in cura animarum ecclesiae plebanatus esse beneficium incompatibile cum alio beneficio curato vel alias personalem residentiam requirente.*

Nec aliter censuit s. Congregatio; siquidem *in Neapolitana Capellaniarum 14. Apr. 1725.* rogata *an capellani,* qui tenebantur personaliter residere et singuli eorum per se ipsos in altari privilegiato s. Joannis B. quotidie celebrare ita tamen ut si aliquo die cujusvis hebdomadae legitime impediti fuissent facultatem haberent suum munus explendi per alios sacerdotes *possent obtinere beneficia curata vel oeconomias ecclesiarum parochialium aut incumbentias excipiendi confessiones monialium vel alia onera cum celebratione missarum incompatibilia acceptare satisfaciendo per substitutos oneri praedictarum missarum?*

responsum dedit: *Negative hoc est quod incompatibilia cum celebratione missarum per se ipsos.*

Et nuperrime *in una Maceraten. 29. Januarii 1825* cum duo Canonici ecclesiae collegiatae Montis Milonis parochorum vices gererent in ecclesiis ruralibus prope oppidum sitis eamque ob causam suas ad hunc s. Ordinem nonnulli ex collegis detulissent querelas proposito *dub. V*:

An constet de incompatibilitate beneficiorum in casu etc.?

Rescriptum prodiit: *Affirmative.*

Jam vero onera coadjutoriae adeo incompatibilia sunt cum canonicatu quem Ridolfius nuper obtinuit ut si unius beneficii ipse praesto sit obeundo muneri alteri omnino deficiat oportet.

Quum itaque Canonici ex his exploratum arbitrentur coadjutoriam curatam esse cum canonicatu incompatibilem certum quoque compertumque censent Ridolfium ob pacificam canonicalis praebendae possessionem a coadjutoria plane jam decidisse *ad text. in cap. De multa de praeben., Concil. Trid. sess. 7. cap. 3. et sess. 24. cap. 17. de ref.*

Si Emi Patres judicium pro incompatibilitate beneficiorum ferendum duxerint illud quaeso perpendere dignentur utrum Ridolfio sit impertienda dispensatio, ut coadjutoriam cum canonicatu retinere valeat. Justis quidem ac rationabilibus accedentibus causis nimirum ecclesiae utilitate aut meritorum praerogativa solet aliquando apostolica sedes dispensationem *) concedere, ut qui canonicali fruitur praebenda paroeciam vel aliud residentiale beneficium nanciscatur. *S. Pius V.*

*) Vd. *t. III. p. 538.* n. 5. et lit. *a*; *p. 569. a.*

*) Vd. *t. II. p. 737. b*; *p. 748. III.*

in constit: Cupientes, s. Congr. in Auximana 3. Novb. 1749 et in *Papien. 19. Febr. 1791.* Porro Ridolfius diuturnum ecclesiae parochiali praestitit servitium, officium juvandi parochum et onus chorale ita conciliat ut plane utrique satisfaciat muneri: eam in gerenda fidelium cura callet peritiam, ut Archiepiscopus exclamare non dubitet: *utinam pro salute spiritualique animarum bono ipse Ridolfi officium coadjutoris quod nunc tanto celo ac vigilantia exercet ad longum tempus retinere vellet.* Tandem redditus utriusque beneficii vix ejus ponderis esse videntur, ut necessariam rectori suppeditent vitae alimoniam.

Emorum Patrum erit definire:

I. *An constet de incompatibilitate coadjutoriae curatae cum canonicatu in casu?*

Et quatenus affirmative

II. *An sit supplicandum SSmo pro dispensatione in casu?*

S. C. resp. ad I. et II.: Affirmative.

Die 23. Apr. et 14. Maji 1831.

3) Erectio.

Vd. *Capellania* (erectio t. III. p. 581—587).

a) Erectio ex suppressa parochia non concessa.

Cariaten.

Optabat jamdudum Cariatensis Antistes ecclesiasticum cultum adaugere duobus in oppidis suae dioecesis quorum primum audit Melissa, alterum Gruculi; idque assequi mente volutabat si dismembratis redditibus duarum paroeciarum Melissae existentium ac alterius quae in oppido Cruculi reperitur ecclesiae in duas receptitias erigerentur. Quominus ad id statim deveniretur impedimento erat lis oborta circa prioris paroeciae redditus necnon dissensus parochi qui tunc temporis alteram regebat ecclesiam.

Volvente anno 1846 lite composita ac e vivis erepto parocho ecclesiae Cruculensis Episcopus preces statim porrexit ad s. Congregationem.

Ut precibus EEmi Patres annuerent exposuit in supplici libello laudatus Antistes duas paroecias Melissae existentes jamdiu suis rectoribus vacare, asseruit earumdem annuos redditus insimul collectos stolae incertis comprehensis ad ducata 940 omnibus solutis oneribus pertingere adeo ut in ea sit sententia, ut possint ibidem constitui duo parochi seu dignitates qui curam gerant animarum ac praeterea duo participantes majores, qui parochis immediatum in cura animarum auxilium praebeant, necnon sex alii minores participantes qui necessitate eveniente et ipsi praesto sint ad parochos opitulandos. Quoad ecclesiam autem loci Cruculi patefecit quod licet jam fuerit per concursum collata sacerdoti Brunoni Foscano hic tamen antequam ad concursum accederet adpromisit jurisjurandi religione interposita administrationem dimissurum reservatis sibi praeter stolae utriusque jura ducatis centum quoties facultas fieret receptitiam erigendi. Asseruit pariter fructus illius ecclesiae quotanis efformare summam omni onere depuratam ducatorum 500, quibus comprehenduntur subministrationes quotannes ecclesiae paroeciali collatae a communitate illius oppidi et ab administratoribus cappellae ss. Sacramenti in eadem ecclesia erectae. Praefatis autem redditibus praeter Archipresbyterum curatum et alterum qui titulo participantis majoris Archipresbytero opem immediate ferat in curae animarum exercitio ali possunt etiam sex minores participantes quibus pariter onus incumbat adveniente necessitate Archipresbyterum coadjuvandi. Postremo animadvertit, quod adsignata congrua ac proportionali reddituum quota parochis omnibusque participantibus ut supra enumeratis necessaria adhuc media supersint quibus expensae substineantur ad divinum cultum confovendum necnon stipendia ecclesiarum officialibus solvenda. Haec quum primum perlegi remittendas preces eidem Episcopo censui, ab eo petens ut referret de annuo redditu et oneribus utriusque paroeciae comprehensis incertis stolae et cur non magis expediat dismembratio reddituum a beneficiis pro erectione canonica ecclesiasticarum capellaniarum cum onere coadjuvandi parochos. Responsum dedit Antistes quo in paroeciali Melissae ecclesia minores participantes ad numerum octo usque adaugendos proposuit ac ea omnia confirmavit quae in supplici libello quoad paroeciarum redditus pandiderat. Quoad stolae utriusque emolumenta ea praefiniebat in ducatis 20 pro unoquoque parocho loci Cruculi. Quoad ecclesiasticas capellanias vero animadvertebat utiliorem cultui divino ac paroecianorum spirituali subsidio fore receptitiarum erectionem nonnullas afferens rationes, quas nunc referre

supervacaneum esset, uti patebit ex inferius dicendis.

Vix Cruculorum hodierno Archipresbytero sui Antistitis mens innotuit, quamcitius ad receptitiae erectionem deveniendi per redditum suae paroeciae dismembrationem restitit ille pro viribus et multas in medium detulit difficultates quibus contendit haud eam fore adprobandam praesertim oggerens periculum inesse ne imposterum amittatur illa paroecialium reddituum obventio, quae quotannis confertur tum ab administratoribus capellae ss. Sacramenti tum a communitate attento eorum dissensu pro receptitiae erectione. Hucusque relata breviori calamo pandita jam fuerant in Congregatione diei 29. Jan. 1848. quum eadem causa proposita per summaria precum fuit. Sed PP. EE. sapienti quo praestant judicio illam maturiori dignam examine existimantes rescribendum censuerunt: *Dilata.* Et iterum audito Episcopo: »Juxta mentem ponatur in folio. Mens est, ut Episcopus audita praesertim communitate oppidi Cruculi et administratoribus capellae ss. Sacramenti in ejusdem oppidi paroeciali ecclesia erectae referat quantum tum communitas tum praefati administratores sive paroeciae sive parocho quotannis contribuant et ipsorum consensum exquirat in scriptis quoad petitam reddituum paroecialium dismembrationem, sin minus referat de causis recusationis.«

Haud mora s. Congregationis jussa faciens Episcopo Cariatensi captam deliberationem adaperui. Literis quas hic in responsum detulit adjecit consensum in scriptis circa receptitiae erectionem emissum a sex sacerdotibus Cruculi commorantibus penes quos reperiri administrationem capellae ss. Sacramenti affirmabat etsi ab uno tantum exerceatur, necnon actum decurionatus illius oppidi, quo receptitiae erectioni similiter accedebat dummodo portionariis sufficientes redditus adsignarentur. Deinde quoad contributiones quae ab administratoribus praedictae capellae et a communitate parocho vel paroeciae quotannis fiunt haec animadvertebat Antistes: »Sciant PP. EE. antequam quidquam decernant de ante dicta optata receptitia quod neque communitas neque administratores jam expositi quidquam conferunt ad congruam illius ecclesiae paroecialis rectori debitam peculiaribus copiosis redditibus beneficii solummodo provenientem.

Proventus vero sicuti collationes aliquae ab ipsa communitate quotannis solvendae nonnullis specialibus officiis ad s. cultum servandum inserviunt«.

Hujusmodi autem proventuum summam adsignabat in ducatis 128. Tandem ut ostenderet ecclesiae archipresbyteralis Cruculorum redditus quos singillatim enumerabat inter archipresbyterum curatum et omnes participantes distributos sufficere pro cujuslibet substentatione, illos ad ducata 514. 13. ascendere demonstrabat omnibus solutis oneribus. Ex quibus si 100 ducata pro congrua parocho darentur, alia 60 majori participanti et 50 unicuique ex sex minoribus participantibus, superessent ducata 54. 13., quae impendi possent in reparationibus pro fabrica ecclesiae obvenientibus. Everso rerum publicarum ordine ac ss. Pontifice Cajetae moram ducente institit apud eum Antistes ut controversiae finem imponeret ac receptitiarum erectionem de plenitudine Suae potestatis decerneret. Ast novum hoc retulit rescriptum: *Scribatur eidem Episcopo, ut auditis in scriptis publicis repraesentantibus et parocho Cruculensi referat an consensus super reddituum dismembratione a communitate Cruculensi praestitus fuerit juridice et cum consuetis solemnitatibus juxta leges regni et libere absque ulla reservatione juris nominandi ad erigendas sive capellanias ecclesiasticas perpetuas cum onere choralis officiaturae et coadjuvandi parochum sive participationes, necnon quomodo cura animarum Melissae rite exerceri possit a duobus parochis seu dignitatibus aeque principalibus, quin ex promiscuo curae exercitio ea oriantur incommoda quae avertere studuit Tridentinum.*

Hujusmodi mandatis satisfecit Antistes tum quum catholicarum nationum armis factiosorum hominum agmine fugato SS. Pontifex ad hanc jam Sedem inenarrabili bonorum gaudio reversus est. Ac praeprimis notandum est, Cariatensem Episcopum in hac postrema responsione nuncium receptitiarum erectioni mittere paratumque exhibere animum acquiescendi erectioni perpetuarum capellaniarum ecclesiasticarum quae iisdem subjaceant conditionibus quae in receptitiarum erectione apponi solent quasque perlegent EE. PP. in allegatione ab Episcopi patrocinatore distribuenda, in qua pariter refertur juridica decurionatus Cruculensis et Melissensis resolutio nuperrime emissa

qua redditum dismembrationi ambo assensum praebent ad hoc ut capellaniarum ecclesiasticarum erectioni locus fiat, quin in praefata resolutione ulla de jurispatronatus reservatione mentio fiat.

Nunquam at vero parochus Cruculensis Episcopi petitioni quoad suae parociae redditum dismembrationem acquievit iterumque s. C. animi sui dissensum adaperuit. De hoc ratio habenda, dum inquiritur sub dubii formula in calce exscribenda utrum sit annuendum expeditae dismembrationi reddituum paroecialium Cruculi et Melissae ad hoc ut capellaniae perpetuae ecclesiasticae erigantur uti postremo loco Episcopus Cariatensis postulavit.

Divisio*) parochialis beneficii et bonorum dismembratio jure haud permittitur nisi concurrat evidens, praecisa et absoluta necessitas ita ut dismembratio et divisio fiat ex eo quod aliter ecclesiae necessitati occurri non possit ut tradunt *Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 28. n. 31, Reclus. de re paroch. part. 1. tit. 12. n. 65.* et s. Congregatio passim definivit uti in *Anconitana Dismembrationis et reintegrat. 12. Febr. 1803*, Trid. vero *sess. 21. cap. 5. de refor.* praescribitur quidem ut beneficia supprimantur, unde novae paraeciae constitui**) possint, nunquam vero, ut paroeciae dismembrentur ad constituenda nova beneficia. Quod si in *cap. 4. sess. 21.* parochialium dismembratio probatur, id ea sola ratione permittitur si agatur de novis paroeciis constituendis ob difficultatem itineris et ad evitanda parochianorum incommoda parociam adeundi.

Praeterea ut dismembrentur bona beneficiorum praesertim parochialium requiritur rectoris consensus***) uti docet *Garzias de benef. part. 12. cap. 2. n. 3. et seqq.* et *Nicol. Lucubrat. canon. lib. 3. cap. 48. de eccles. aedific.*, si vero agatur de beneficio vacante seu viduata ecclesia exquirendus consensus defensoris†) ab Episcopo constituendi ad cujus officium pertinet disquirere de legitimitate et veritate causae necessariae, *Leuren. for. benef. par. 3. sect. 2. cap. 2. quaest. 954. n. 4, Conrad. Prax. benef. lib. 3. cap. 2. n. 2.* Ast in themate utrumque desideratur; si quidem defensor neutiquam fuit constitutus ideoque audiri non potuit: deest insuper consensus parochi Cruculensis qui imo totis viribus se dismembrationi opponit.

Verumtamen Episcopi patronus confidit, petitionem suam admittendam esse. Siquidem parochialium beneficiorum dismembratio*) conceditur a ss. canonibus si concurrat justa causa ex text. in *cap. 1. de reb. eccles. non alienandis., Clement. 1. eod. tit.* Justa autem causa quam ipse affert est divini cultus augmentum, qui cum respiciat necessitatem et utilitatem ecclesiae idoneam praebet causam cur divisio beneficii concedatur ad text. in *cap. Exposuisti de praebendis, Piton. Discept. ecclesiast. 151. n. 3, Rota cor. Peutinger decis. 86. n. 46.* et in *Leodien. Benefic. 20. Jan. 1717. §: Nullitas, cor. Crispo.*

Addit et illud Antistes Cariatensis quod paraeciae dismembrandae sunt divites redditibus ita, ut capellaniis ecclesiasticis perpetuis erectis et ita alimonia praestita aliis ecclesiasticis personis, quae divinum cultum curent, quae parocho in necessitatibus adjumento sint, hinc congrua adhuc portio remaneat.

Quare cum ita non fiat bonorum parochialium alienatio per dismembrationem sed potius commutatio**) de uno in alium usum pium, potior omnino esse debet causa divini cultus quam rectoris dissensus et superfluus ejus favore bonorum cumulus ad divisionem bonorum beneficii praescribendam, ut arguit *Card. de Luca de parochiis discurs. 36. n. 14.*

Postquam vero Episcopipatr ocinator utilitatem ecclesiae Cruculensi et Melissensi obventuram per dismembrationem de qua agitur ostendit per ea quae Episcopus ipse ad s. Congregationem detulit totus in eo est ut rationum momenta quae ad suum substinendum dissensum parochus Cruculensis Bruno Toscana exposuit evertat.

Inaniter primum objici a parocho contendit animarum curam in oppido Cruculi ac consequenter laboris in earum curae exercitio augmentum reddituumque paroecialium exiguitatem; nam in animabus curandis adjumentum ei praestabunt futuri capellani et paroecialium reddituum asserta paupertas haud fidem meretur postquam Episcopus in propatulo posuit annuam redditus summam

*) Vd. *t. II. p. 518. n. 40.; p. 1085 VII.*
**) Vd. *Parochia* (erectio, dismembrat.); *t. II. p. 888. n. 102*
***) Vd. *t. II. p. 1024. l.*
†) Vd. *t. II. p. 1078. c.*

*) Vd. *t. II. p. 517. n. 38.*
**) Vd. *t. II. p. 370. a.*

conflari a ducatis 271. Quoad alterum parochi objectum, quod videlicet procuratore omnium bonorum constituto qui redditus colligat eosque parocho et capellanis distribuat petere ipse adigatur ac exspectare solutionem pro una vice in anno faciendam eorum bonorum quorum libera administratio ex mente piorum fundatorum ad ipsum spectat et ex quibus solummodo alimonia repetit, reponit quod hujusmodi incommoda haud eventura erunt quia cleri seu capellanorum procurator ab ipso clero seu capellanis erit eligendus adeoque in ejus electione probitatem, fidem, idoneitatem prae oculis habebunt.

Neque pertimescendum cum eodem parocho periculum ne bona omnia in cumulum congesta laicalia aliquando putentur quia communitas Cruculensis summam quamdam quotannis representat nunc pro parochis, post dismembrationem vero pro capellanorum substentatione. Etenim non sponte praefatam summam communitas rependit sed ex concordato inter s. Sedem ac utriusque Siciliae Regem, vi cujus quaelibet regni communitas particulares redditibus pro Viceparochi et divini cultus manutentione adsignare tenetur adeoque et ipsi tamquam ecclesiastici proventus ad ecclesiam videlicet spectantes considerari debent. Facta insuper mentione de summa a communitate singulis annis sub allato titulo praestanda ac de caeteris bonis ex primaeva fundatione ad ecclesiam pertinentibus in actu quo capellaniarum canonica erectio fiet nullimode imposterum evenire poterit ut bona ecclesiastica laicalia quandoque evadant.

Quod ultimo loco opponebat parochus videlicet neminem ex ecclesiasticis viris in oppido Cruculi degentibus idoneum esse ad auxilium ei ferendum in cura animarum omnino a veritate abesse subsumit praedictus patrocinator referens Episcopi verba deprompta ex animadversionibus penes acta s. Congregationis extantibus quibus refellere jam studuit parochi difficultates et quoad hanc reposuit duos ex ecclesiasticis viris Cruculi commorantibus idoneos ad curam animarum alias judicatos fuisse ab ipsomet parocho, tum quum in sua absentia eos vice sua fungi posse Antistiti significavit.

Tandem contra omnia rationum momenta a parocho allata observat eadem jam ipsi perspecta fuisse antequam juramenti religione se obstringeret adeoque perperam nunc se opponere reddituum paroecialium dismembrationi ac capellaniarum ecclesiasticarum erectioni.

Circa ecclesiarum paroecialium Melissae dismembrationem nemo est qui se opponat eo quia ambae paroeciae suo carent rectore.

Non est abs re hic referre quod quum petitio Episcopi Cariatensis a ss. Pontifice demandata fuerit Emin. Cardinali Simonetti qui inter amplissimos S. H. O. Patres locum merito tenet ut votum suum circa eam adaperiret, hic pro sua qua vulget juris peritia non dubitavit assentiri paroecialis ecclesiae Cruculensis reddituum dismembrationi.

Laudatus vero Emin. Cardinalis nullam habuit rationem de dismembratione reddituum ecclesiarum Melissae quia nondum advenerat Episcopi responsum supra relatum circa quaesitum, quia nimirum ratione fieri posset, ut duo parochi seu dignitates aeque principales curam animarum Melissae exercerent.

Hisce praejactis dirimant EE. VV.

D u b i u m:

An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi Cariatensis in casu?

S. C. resp.:

Negative, salvo jure Episcopo in vacationibus injungendi parochis onus manutenendi si opus fuerit unum vel alterum coadjutorem.

Die 27. Julii 1850.

Continuatio.

Novam redeundi veniam absque mora petiit Episcopi patrocinator, a quo tamen nil novi habuimus licet indicta eidem fuerit hodierna repropositionis dies. Quare quum causae definitionem urgeat qui pro Archipresbytero Cruculensi causam agit repetita lectione folii primae propositionis dignabuntur EE. VV. dirimere

D u b i u m:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis.

Die 14. Decb. 1850.

b) Erectio coadjutoriae vicariae amovibilis suppressis parochiis concessa.

Vd. *Capellania amovib.* t. III. p. 534. n. 3.; *Capellanus amovib.* t. III. p. 669. n. 2.

Patavina.

Ea post hominum memoriam animarum regendarum ratio Patavii vigebat initio hujus saeculi ut in 30 paroecias divisa civitate 28 parochi titulares adessent, quorum duo binis paroeciis moderandis praefecti essent. At quae institutio tamdiu steterat, in omnium rerum et jurium perturbatione salva non mansit. Italicum enim regimen quod post Venetam rempublicam in ea regione rerum potiebatur, etiam quae bene constituta fuerant renovans, 1804 imperiali decreto ad 12 tantum parochiarum numerum cohibuit ceteris suppressis*) et cum superextantibus 12 unitis. Omnibus tamen parochis etiam iis sine ulla jurisdictione quoad vixerunt pristina parochiali praebenda frui datum est: iisdem vero in dies abeuntibus ne gravissimum damnum fidelibus ex defectu operariorum in vinea Domini obveniret vel ipsa necessitas coegit, ut in cura animarum nonnulli coadjutores Vicarii parochis adjungerentur eligendi quidem ab Ordinario, proponendi tamen (ita res ecclesiasticae tractabantur!) dal Prefetto all' approvazione de Ministero, prout statuebatur decreto 13. Jan. 1808, quod quibusdam aliis subsecutum est, quibus antiquae domus parochiales nonnullis Vicariis coadjutoribus habitandae permittebantur et 500 iisdem annuae libellae addicebantur sopportabili, ut in alio decreto 1. Sept. 1809, sulla congrua del Beneficio. Ex ecclesiis tandem parochialibus quae in suppressionem inciderunt 10 fundidus eversae fuere.

Quoniam vero non paroeciae tantum suppressae sunt sed et clericatus nonnulli ac mansionariae quarum praebendae demanio adjudicatae partim divenditae fuerunt partim fato superstites reperiebantur ex harum bonis 23 Vicarii coadjutores constituti sunt, quorum nonnullis pristina parochialis praebenda, domus atque etiam ecclesia assignata fuit, nonnullis sola praebenda, aliis pars praebendae, addito subsidio ex imperiali aerario, aliis hoc tantum subsidium, aliis denique vel antiqua mansionaria vel clericatus vel horum bona simul juncta pro congrua officii retributione addicta fuerunt.

Post tantam ecclesiasticorum bonorum ac jurium perturbationem et commixtionem primus hanc quam nunc habent formam hujusmodi coadjutoriis affinxit Episcopus de Dondis ab horologio qui 1809 et 1810 quatuor ex his coadjutoribus Vicariis literas collationis et institutionis in praebendam seu beneficium dedit nullo amovibilitatis vel inamovibilitatis verbo usus licet eosdem appellaverit Vicarios substitutos sine titulo cum onere exercendi curam animarum sub dependentia et subjectione cujuslibet respective parochi. Contra vero subsequentes Episcopi Farina et Manfredini in hujusmodi collationis literis amovibilitatis verbum introduxerunt, quod aegro ferentes animo hodierni Vicarii coadjutores ss. Patri supplicem libellum 1859 subjecerunt, quo innixi rationibus quarum summam oculis EE. VV. postmodum subjiciam postularunt ut in proprio munere atque praebenda inamovibiles declararentur.

Cum exhibitas preces Sanctitas Sua ad H. s. Congregationem ablegasset rogavi Episcopum Patavinum pro informatione et voto atque ut auditis interesse habentibus referret super indole beneficiorum, sin minus edoceret an expediret, ut eadem beneficia*) inamovibilia declararentur. Quibus mandatis laudatus Praesul satis se fecisse arbitratus est, parochorum titularium votum quo coadjutorum preces acriter oppugnantur ad H. s. C. transmittendo ac declarando se illi voto omnino adhaerere. Ait enim: Cum ab ipsis parochis interesse habentibus satis amplam et eruditam acceperim notitiam omnium adjunctorum quae ad rem faciunt hanc cum precibus ad Emtias VV. remitto, quidquid in ea expositum fuit approbans et veritati consentaneum esse declarans ita ut supremam etiam parochorum conclusionem videlicet: »minime expedire ut beneficia supradictorum sacerdotum inamovibilia declarentur« omnino admittendam esse reputem his praesertim temporibus quibus etiam in clerum quamdam subjectionis intolerantiam irrepsisse dolendum est.

Haec ad plenam controversiae notitiam cum minime sufficere viderentur rogatus a me insuper idem Episcopus est ut nonnulla alia ad rem facientia exhibere dignaretur,

*) Vd. *t. II. p. 888.*

*) Vd. *t. II. p. 133 n. 4; p. 367, n. 14.*

quod illico praestitit transmissis documentis et epistola diei 22. Julii. Quaesitus vero an laicalis potestatis acta quibus tot paroeciae suppressae sunt per ecclesiasticam auctoritatem unquam sanata fuerint id non constare respondet.

His quae factum respiciunt absolutis antequam ad quaestionem super inamovibilitate a coadjutoribus Vicariis propositam deveniam nonnulla consulto arbitror perpendenda relate ad veteres paroecias, ne quasi silentio praeterire hic videar quid canonicae leges statuant et mandent, ut jura ecclesiarum sarta tectaque serventur. Et quoniam res est de paroeciis a laica potestate suppressis recolendum occurrit quod Innocentius III. in *cap. Ecclesia s. Mariae 10. de constit.* decernit: »Nos attendentes ibi quod laicis etiam religiosis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit nisi ab ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis praediis rusticis vel urbanis, ministeriis et ornamentis ecclesiarum illa reprobatum fuit potissima ratione, quod auctoritate non fuit romani Pontificis roboratum.« Ex qua decretali praescriptione manifeste liquet in themate de quo agimus nullius fuisse roboris parochiarum Patavinarum suppressionem ab auctoritate laica peractam ac propterea jure inspecto hodie etiam easdem paroecias veluti minime suppressas fore retinendas. Cui sane regulae inhaerens s. Congregatio non semel postquam res restitutae fuere subsistentiam beneficiorum declaravit, quae per gallicas leges suppressa fuerunt, ut videre est in una *Fossanen Capellaniae 18. Decb. 1847.*, in aliis quamplurimis et in recentissima *Casertana Reintegrationis dici 8. praeter. mensis Augusti.*

Quae lex si firma manet quoad ecclesiastica beneficia in genere majorem vim etiam habere dicenda est quoties res sit de parochialibus circa quarum extinctionem rigidissimo jure canonum utimur et nihil magis receptum est ex hujus s. O. disciplina et praxi quam ut paroeciarum reductioni et extinctioni difficillime annuatur etiamsi per ecclesiasticam auctoritatem eadem peragenda sit. Qua propter diligentissime notantur casus in quibus paroeciarum suppressio suaderi videatur vel evidenti ecclesiae utilitate vel luculentissima necessitate ceu videre est in una *Tiburtina Reductionis et unionis paroeciae 1832.* §: *Porro.* Conc. enim Trid. *sess. 25. cap. 16. de ref.* aperte statuit ut ecclesiastica beneficia saecularia quocumque nomine appellentur quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodocumque retinent illa deinceps in simplex beneficium etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione non convertantur.

Quare cum iisdem Gallis in Aemilia imperantibus ex 10 paroeciis quibus Foroliviensis civitas constabat 3 apostolicis munitus facultatibus suppressisset Episcopus Prati urgentibus iis ipsis qui tum reipublicae habenas moderabantur sodalitium ss. Sacramenti anno 1817 institit penes s. Congregationem ut una ex iis paroecia nempe s. Mariae Schiavonia reintegraretur quia suppressio facta asserebatur, ne ii irritarentur qui majora in ecclesiam mala minitabantur. Verum cum obstaret jus novis parochis quaesitum super novis limitibus quibus paroeciae circumscriptae fuerunt s. Congregatio non rejecit quidem preces sodalitii ut ostenderet quantopere ipsi invisa sit parochiarum suppressio sed hoc vincit temperamentum ut responderet: *Nihil pro nunc innovetur.*

Adeo enim odiosa in jure est parochiarum suppressio, ut ipsis etiam Episcopis facultate ordinaria ad eam devenire nefas sit, ut ex cit. *sess. 25. cap. 16. de ref.* arguunt *Barbos. Alleg. 68. n. 9, Leuren. sect. 2. de alterat. et suppress. benef. quaest. 964. n. 6, Ricc. in Praxi rer. quotid. for. eccles. part. 4. resol. 533, Lotter. de re benef. lib. 1. cap. 28. n. 78. seqq., Turricell. de union. cap. 7. n. 6. seq., Rota in Cracovien. Canonicatus 15. Jan. 1825. cor. Calcagnino.* Quod si ad eamdem devenire velint utentes facultatibus extraordinariis tamquam Sedis apostolicae delegatis sibi concessis a Conc. Trid. in *sess. 24. c. 13. de ref.* nonnisi adhibitis solemnitatibus a jure requisitis peragere id valent. Jure enim proprio et nativo solummodo romano Pontifici eadem facultas inest, quod etsi cuilibet compertissimum opportunissime ad casum de quo agitur comprobari licet ex eo quod cum extremo superiori saeculo ecclesia Galliarum infandam illam cladem perpessa esset qua veteres illius dioeceses extinctae fuere, in nova illarum circumscriptione peragenda ss. Pontifex facultatem tribuerit Episcopis per literas apostolicas incipientes *Christi Domini* ad veteres paroecias sive supprimendas sive arctioribus limitibus circumscribendas sive latioribus ampliandas et ad novas novis finibus erigendas ut legere est in una *Nicien. Juris nominandi 23. Jan. 1847.* §: *Sed ad rem.*

Quod itaque gubernium italicum usurpato Pontificis jure circa Patavinas paroecias peregit invalide prorsus factum est. Quare pristina parochiarum forma, numerus, jura, privilegia veluti quodam postliminii jure reviviscere deberent, quoties saltem Sedi apostolicae id sanare non placeat quod tam praeposteie actum est.

Sed quoniam res eo devenere ut pristina parochiarum forma restitui fortasse nequeat Eminentiis Vestris judicandum relinquitur utrum si non sanandum quod contra jus fasque peractum est expectandum sin minus videatur, ut remotis obstaculis absque difficultate id obtineri tandem valeat quod jura reclamant. Atque hic in themate recolenda sunt praesertim post lapsum annorum fere 60 a passa suppressione ea quae superius diximus de 10 parochialibus ecclesiis a fundamentis destructis, de bonis ecclesiarum per demanium deglutitis, de commixtione eorum quae superfuerunt, de mansionariis et clericatibus cum parochialibus coagmentatis, de subsidiis ab aerario imperiali coadjutoribus praestitis.

Quod si ob hujusmodi difficultates arduum nunc esset veteres paroecias in pristinum statum restituere superest tamen ut EE. VV. decernant utrum Vicarii coadjutores pristinis parochis suffecti in ea etiam amovibilitatis conditione servandi sint quam tantopere defendunt parochi titulares.

Hi ad sententiam suam roborandam recurrunt ad decreta italici regiminis atque ea ita interpretantur, ut appareat ipsum voluisse, ut laudati coadjutores sine titulo atque omnino amovibiles instituerentur. Verum quanti haec facienda sint ea quae diximus satis superque demonstrant. Meliori itaque consilio ad Episcoporum auctoritatem confugientes ajunt, hos laicae potestatis decretis sese accommodasse et facto suo eadem quodammodo comprobasse. De ultimis Episcopis Farina et Manfredini nulla exurgit dubitatio cum ipsi in literis patentalibus Vicariis coadjutoribus datis expressam fecerint amovibilitatis mentionem. Sed neque Episcopum de Dondis ab horologio qui primus decreta italica executioni mandavit aliter sensisse sustinet quia in literis patentalibus primo Vicario ab eo datis legitur: »Tibi assignamus praebendam seu beneficium«, dum e contra in bullis parochorum his verbis utitur: »Tibi ecclesiam conferimus et assignamus et de ea investimus«, quae verba jurisdictionis collationem sapiunt ad differentiam praecedentium quae tantum officium et retributionem indicare contendunt. Quam amovibilitatis notam hujusmodi praebendis adeo religiose imposterum servatam dicunt ut quamvis temporum necessitas postulare videretur, ut eaedem praebendae in ordinationis titulum conferrentur, nunquam tamen Patavini Autistites ad id induci potuerint.

Ex quibus deducunt Patavinos Episcopos ad hanc agendi rationem adactos fuisse non tam ex vi laicalium dispositionum quam ex utilitate quae in ecclesiam parochiasque ex hac amovibilium coadjutorum forma redundare videbatur. Eamdem siquidem amovibilitatem neque Vicariis neque eorum praebendis unquam nocumento fuisse defendunt: non Vicariis quippe qui vel ad paroecias regendas promoti exinde sunt vel ad meliores vicariatus adlecti vel in proprio vicariatu ut plurimum conservati: non praebendis seu quia de facto constat has bene conservari a suis rectoribus licet amovibilibus seu quia cum ipsi Vicarii in possessionem illarum civiliter immittantur civilis haec immissio per se valet ut indemnes praebendae serventur: ecclesiastica vero administratio quae illas unicuique Vicario possidendas tradit aut ab ipsis aut ab ipsorum haeredibus rationem exigit si quid detrimenti easdem perpessas fuisse aliquando suspicetur.

Hanc praeterea coadjutorum amovibilitatem quam temporum necessitas induxit et Ordinariorum sapientia servavit non modo nullum incommodum parere sed magnae etiam paroeciis ipsis esse utilitati tuentur. Inde enim fit ut cum ad parochiale munus obeundum ut plurimum eligantur qui Vicariorum munere laudabiliter perfuncti fuerint paroeciae ipsae optimis pastoribus donentur qui animarum regendarum scientiam jam callent. Posita vero inamovibilitate ne ipsae quidem paroeciae admodum utili ac diligenti coadjutorum opera uti possent. Nam cum propter sacerdotum penuriam pleru mque in Patavina civitate neopresbyteri in coad-

jutores eligantur, si isti inamovibilem praebendam nanciscerentur, in eadem inertes torpescerent studiis valedicentes ac propria munera oscitanter obeuntes prout quotidiana experientia docet hoc in iis locis evenire ubi recens ordinati presbyteri ad parochiale munus exercendum illico admissi, non per vicariae administrationis gradum ad parochias ascendunt.

Verum his rationum momentis sua argumenta per proprium defensorem opponunt hodierni Vicarii coadjutores, quibus inamovibilitatem propriae praebendae vindicare connituntur. Ac principio quidem id ex ipso italici gubernii decreto 1804 edito evincere student.

Quod decretum licet nullius sit roboris utpote ab illegitima auctoritate proficiscens tamen ex eo deduci arguit coadjutorum orator ipsam laicam potestatem probe intellexisse satius esse, ut hujusmodi coadjutores vere in titulum et canonice instituerentur non autem amovibiliter et mercenario modo.

Hoc autem ipse Episcopus de Dondis qui suppressionis tempore ecclesiam Patavinam regebat quique melius quam ceteri subsequentes Episcopi ecclesiae ipsius necessitates agnovisse dicendus est quippe qui effectus deplorandos inductae immutationis propriis oculis spectare coactus in 4 patentalibus literis coadjutoribus datis nullam amovibilitatis mentionem facit: imo in literis quibus 1816 austriacum gubernium docuit modum quo cura animarum Patavii regebatur pro Vicariorum hujusmodi inamovibilitate votum emisit.

Licet vero ex documentis ad s. C. transmissis non appareat quid consilii post hanc consultationem ceperit austriacum regimen tamen ex hoc Episcopi de Dondis voto patet Vicarios coadjutores etsi ab initio in titulum instituti non fuerint ea nihilominus ratione praebendas suas fuisse assequutos ut removeri sine canonicis legitimisque rationibus non possent. Ex quo factum fuisse ait coadjutorum defensor ut hujusmodi coadjutoriae talem monstrosam indolem induerint, ut dum ex una parte tamquam amovibiles ad nutum sustineri volunt ex altera pluribus inamovibilitatis characteribus appareant insignitae. Et sane Vicarii supradicti ante approbationem Ordianrii examini subjiciuntur, fidei professio ante possessionem ab ipsis exigitur quod profecto Trid. *sess. 24. c. 12. de ref.* a parochis praestandum praescribit non ab iis qui ad aliquod mercenarium officium assumuntur, in actu insuper immissionis in possessionem altare deosculari, in confessionali cathedra considere et his similia peragere coguntur quae propria sunt eorum qui verum beneficium adipiscuntur: ac denique si necessitas postulet ut curia ad eorum remotionem devenire debeat sub censurarum interminatione actum renuntiationis ab eis requiritur. Quae omnia concludit quoniam cum actuali amovibilitate et mercenario coadjutorum officio componi nequeunt ne tam contradictoria et absurda in ecclesiastica disciplina et praesertim in cura animarum exercenda introducantur aut per corruptelam et abusum introducta approbentur petit ut hujusmodi irregularitatibus sublatis inamovibiles sin minus Patavini coadjutores ab H. S. O. renuntientur

Atque hic referens formulas quibus in literis collationis usus fuit Episcopus ab horologio has verum perpetuumque beneficium indicare contendit. Allata siquidem formularum exempla praeseferunt praebendam seu beneficium: »*de praedicto beneficio et investimus*«, »*praesentes nostras collationis et institutionis literas etc.*« Quae verba cum veri beneficii collationem designent ferendum non esse ait ut contra naturam beneficii ecclesiastici*) quod perpetuum esse debet non in se tantum sed et in rectoribus, uti docet *Reiffenst. in decret. lib. 3. tit. 4. l. 1. n. 6., Barbos. lib. 3. Jur. eccles. cap. 5. n. 8., Vallensis eod. tit. §: t. n. 3, Engel ibi n. 2, Layman Theolog. moral. tract. 2. cap. 1. n. 1.*, hujusmodi coadjutores amovibiles sustineantur.

Ad rationes convenientiae deinde descendens coadjutorum inamovibilitatem majori tum populo tum praebendae utilitati esse statuit: populo quidem quia qui scit se a proprio titulo exturbari non posse sese habet veluti pastorem qui oves curet uti suas dum e contrario qui ab alieno pendet nutu uti mercenarium sese existimat et fideles reputat tamquam oves alienas easque mactat et perdit: praebendis vero quia diligentiorem semper et accuratiorem operam iis conservandis et meliorandis navat qui scit se eas perpetuo possessurum.

In mentem deinde revocat quod ab H. S. C. resolutum est circa mansionarios ec-

*) Vd. *t. II. p. 524. n. 43.*

clesiae cathedralis Patavinae in audientia diei 31. Maji 1858. Cum enim 6 mansionarii in eadem Cathedrali Archipresbytero in cura animarum tanquam coadjutores addicti essent Episcopus Farina idem ille qui tantopere sollicitus fuit de introducendo amovibilitatis vocabulo in patentalibus literis Vicariis coadjutoribus datis hoc idem vocabulum in concedendis institutionis bullis mansionariis adhibuit, cum antea inamovibiles semper habiti fuissent. Re tamen ad H. S. C. relata rescriptum fuit: »Pro inamovibilitate mansionariorum servata tamen eorumdem dependentia ab Archipresbytero.« Et quamvis pro mansionariis coadjutoribus perpetua observantia militaret, quod de Vicariis coadjutoribus non verificatur, tamen cum perpetuitas tituli inde proficiscatur, quod adjutricem operam parochis titularibus in cura gerenda praestant, hinc petit ut ubi eadem est ratio eadem debeat esse juris dispositio.

Provocat denique ad art. 27. ultimi concordati quod s. Sedem inter et austriacam Majestatem initum est quo haec statuuntur: »Cum jus ad bona ecclesiae ex canonica institutione derivet omnes qui ad beneficia quaecumque vel majora vel minora*) nominati seu praesentati fuerint bonorum temporalium eidem adnexorum administrationem nonnisi virtute canonicae institutionis assumere potuerunt.« Ac proinde vi hujus articuli Vicarios coadjutores quibus civilis immissio ita appellatur in possessionem praebendae conceditur canonicam institutionem verumque titulum illi respondentem consequi debere concludit.

His rationum momentis si adjicere placeat EE. VV. quae adduci communiter solent ad curatores animarum perpetuos constituendos iis in ecclesiis ubi animarum cura amovibiliter exercetur clarius fortasse patebit quantopere conveniat, ut supradicti Vicarii inamovibiles declarentur. Et revera juri magis consonum videtur ut animarum regimen per rectores perpetuos potius quam per amovibiles exerceatur ut post *cap. Unic. de capell. Monach.* et *can.: Sanctorum dist. 70.* et cap.: *Cum ignores 15. de praebend., cap. Extirpandae 30. eod. tit. 8: Qui vero* et *can. 1. quaest. 1. caus. 13.* desiderare videtur Conc. Trid. *sess. 7. c. 7.* et *sess. 24. c. 13. de ref.*, cui consonat doctorum sententia quos inter *Fagnan. in cap. Ex part. n. 9. et seq. de offic. Vicar., Monacell. Form. eccles. part. 4. in supplem. n. 172., Card. de Luca in Conc. Trid. disc. 9. n. 1. et 2., Corrad. prax. benef. lib. 3. n. 6., Ferraris* v.: *Parochia n. 14.* et s. Congregatio in *Narnien Curae animarum 9. Sept. 1848.* §: *Ex utrinque*, in *Ravennaten Paroeciarum 12. Decb. 1829.*, in *Atrien Curae animarum 22. Febr. 1862. ad I. dub.* et in *Verulana Dismembrationis et erectionis paroeciarum 10. Maji 1862.* §: *Generaliora.* Longe enim melius curae animarum consulitur per vicarios perpetuos*) quam per amovibiles ut liquet ex cit. *Narnien., 9. Sept. 1848.* et celebratissimis in ea adductis exemplis; et ecclesia quam maxime abhorret a considerandis suis administris praesertim in cura animarum tamquam mercenariis, qui operas suas locent pro mercede diurna.

His tamen non obstantibus cum ipsa Trid. synodus non prorsus excludat cit. *sess. 7. c. 7. de ref.* ut per amovibiles curatores animarum regimen teneatur silentio praetereundum nullatenus est in eo convenire canonistas, ut quoties agitur de inamovibilitate in cura animarum inducenda quaestiones hujusmodi ut plurimum juxta circumstantiarum Adjuncta et ecclesiae utilitatem dirimantur adque eo vel magis quando agatur non de iis qui principaliter curam gerant sed de iis qui coadjutorum munere fungantur. In praesenti vero specie illud singulare reperitur quod si EE. VV. inamovibilitatem coadjutorum decernere placeret illud saltem obtineretur ut in memoratis coadjutoriis aliqua vel levis veterum paroeciarum imago relinqueretur postquam nativa earumdem species ex illata vi obliterata remansit.

Dignentur Emtiae Vestrae dirimere

D u b i u m:

An et quomodo amovibiles vel inamovibiles renunciandi sint Vicarii coadjutores in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus ad I. partem juxta votum Episcopi, negative ad II.

Die 26. Septb. 1863.

*) Vd. *t. II. p. 523.*

*) Vd. *Vicarius perpetuus.*

4) Titulus ad ordinationem quando est?

Vd. t. III. p. 665. n. 28.

Coadjutor non potest ordinari ad titulum coadjutoriae, *Gonzal. de gloss. 5. §. 9. n. 8.*, *Moneta de opt. Can. cap. 5. qu. 8. n. 169.*, *Garzias de benefic. part. 2. cap. 5. n. 132.*, ubi subdit posse quem ordinari ad titulum coadjutoriae, si forte ratione illius haberet congruam non tamquam ad titulum pensionis.

Elboren.

(Conc. Tr. c. 2. s. 21. de ref.)

Proprius Episcopus ad effectum ordinationis est ille de cujus dioecesi est is qui ad ordines*) promoveri desiderat oriundus seu in cujus dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum vel habet licet alibi natus fuerit domicilium in eadem uti habetur *in cap. Cum nullus de temporibus ordinat. in 6.*

Ad tramites hujus textus juxta receptiorem doctorum opinionem satis erat quodcumque beneficium licet tenue et tenuissimum cum et hoc veniat appellatione beneficii uti post *Navarrum*, *Azorium*, *Carziam* et alios firmat Passerin. in *cit. cap*: *Cum nullus quaest. 1. art. 3. n. 55 et 56. de tempor. ordinat. in 6.*

At s. mem. Innocentius XII. in sua celebri constit. quae incipit: *Speculatores**) statuit quod ad effectum subjectionis pro ordinibus recipiendis beneficium ejus debeat esse redditus ut ad congruam vitae substentationem juxta taxam synodalem sive ea deficiente juxta morem regionis pro promovendis ad ss. ordines detractis oneribus per se sufficiat sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret ad fructus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret.

Haec plana sunt et inconcussa. Id autem quod excitavit difficultatem Episcopo Patarensi Suffraganeo seu Auxiliatori episcopatus Elborensis cujusque resolutio a s. exquiritur Congregatione est: *An satisfactum dici possit bullae* Speculatores *quae in terminis ordinationis uti dictum est exposcit beneficium talis redditus ut ad congruam sufficiat substentationem satis sit quod aliquis habeat coadjutoriam canonicatus cum futura successione et cum assignatione congruae cujus ope ali possit usquequo per obitum coadjuti canonicatum ejusque redditus acquirat.*

Pro parte affirmativa facit quod licet quis non possit ad s. Ordinem promoveri ad titulum coadjutoriae etiam cum futura successione id tamen fallit quando hoc interim coadjuto fuit assignata congrua portio, in hoc enim rerum statu ille qui hic ordinatur dicitur ordinari ad titulum pensionis, ut in puncto firmant *Garzias de benef. t. 1. parte 2. cap. 5. n. 132.*, *Pirhing. ad lib. 1. decretalium tit. 11. de tempore ordinat. sect. 1 § 4 n. 69.*, *Castropal. Oper. moral. t. 4. et 5. tract. 27. disput. unica puncto 10. n. 5.*, *Barbosa Juris eccles. univ. lib. 3. cap. 10. n. 80.*, *Ventrigl. in praxi rerum eccles. parte 2. annot. 13. § Unico n. 37.*

Titulus pensionis ecclesiasticae est titulus sufficiens, ut quis possit ss. ordines recipere uti habetur *sess. 21. de reform. cap. 2.*

Additur quod idem Concilium Trid. *sess. 23. cap. 9.* statuit quod Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit nisi per triennium secum fuerit commoratus et beneficium statim reipsa illi conferat; cum disputato in s. Congregatione articulo:

An pro ordinatione familiaris sufficeret si Episcopus illi non beneficium sed pensionem conferret?

Affirmative est responsum uti habetur apud *Fagnan. in cap. Ad Audientiam n. 137. de rescriptis.*

Hinc infertur quod sicuti in ordinatione familiaris in qua Concilium exposcit beneficium pensio est titulus pro ordinatione sufficiens hoc ipsum dicendum sit in terminis bullae *Speculatores* quae licet ad effectum subjectionis velit quod clericus habeat beneficium cum qualitatibus supra recensitis pensionem tamen non respuat, qualis a doctoribus supra citatis dicitur illa quae sub nomine congruae portionis assignatur coadjutori cum futura successione usquequo canonicatum obtineat.

Pro parte vero negativa facit quod in terminis juris communis juxta quod uti supra dictum est proprius Episcopus ad effectum ordinationis ille est in cujus dioecesi ordinandus obtinet beneficium; proprius Episcopus ad eumdem effectum non dicitur ille in cujus dioecesi ordinandus habet pensionem cum

*) Vd. *Ordinatio.*

pensio sive detur in stipendium sive detur in titulum nunquam veniat appellatione beneficii*) uti probat *textus in cap. quamvis de praebendis in 6.* et confirmat *textus in cap. Ad audientiam de rescriptis* et in terminis de quibus agitur late probat *Riccius in Praxi rerum eccles. part. 1. de Sacramento ordinis resolut. 273.*

Adeoque si quis non efficitur subditus ratione pensionis in terminis juris communis multo minus subditus pro ordinatione effici poterit in terminis bullae *Speculatores* quae ex supradictis est restrictiva juris communis.

Item juxta bullam *Speculatores* non potest Episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad minores aut ss. ordines promovere nisi ultra triennale servitium eidem conferat beneficium sufficiens pro vitae substentatione. Disputato autem in s. Congregatione articulo die 27. Julii 1697 in quadam *Tricaricen. Ordinationis:*

An stante novissima constitutione Speculatores *posset Episcopus familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere ad ss. ordines ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae* nullo collato ecclesiastico *beneficio?*

s. Congregatio *negative* respondit; et id quod in casu patrimonii fuit ibi resolutum a s. Congregatione extenditur etiam ad titulum pensionis, ita ut post bullam *Speculatores* antiquae resolutiones nullum amplius sibi vindicent locum, teste *Monacell. in formul. parte 1. tit. 3. formula 17. n. 1. et 2.*

Quocirca, si pro ordinatione familiaris respuitur pensio post bullam *Speculatores* et beneficium est necessarium non absimile ferendum erit judicium in terminis ejus qui subditus evadit ratione beneficii, cum in utraque parte bulla *Speculatores* mentionem faciat beneficii pro congrua substentatione sufficientis.

Ultra dubium de quo usque adhuc habitus est sermo succedit alterius dubii discussio:

An in hypothesi in qua ad tramites bullae Speculatores subditus non efficiatur ille, qui habet coadjutoriam cum futura successione et congruae assignatione subditus tamen evadat ratione domicilii quasi quod habita possessione coadjutoriae perpetuae animum demonstraverit perpetuo inhabitandi?

Porro affirmativa responsio suadetur, ex quo bulla *Speculatores* ad rem de qua agitur acquisitionis domicilii exposcit animum patefactum perpetuo habitandi. *Negativa* autem sententia comprobatur quia distincti sunt tituli subjectionis, originis videlicet, beneficii et domicilii titulusque coadjutoriae referendus videtur non ad domicilium sed ad beneficium.

*) Vd. *t. II. p. 730. n. 72.*

Ultimum superest dubium discussioni propositum ab eodem Episcopo Patarensi Suffraganeo sive Auxiliatore episcopatus Elborensis, et est:

An ipse teneatur inquirere circa illos, qui sibi ab Ordinario seu a capitulo dimittuntur ordinandi an habeant requisita bullae Speculatores?

Sede enim vacante capitulum intra annum a die vacationis concedit dimissorias Arctatis uti habetur *sess. 7. cap. 8. de ref.*

Juxta idem *Concilium sess. 23. cap. 3. de ref.* Episcopi qui subditos suos dimittunt ordinandos ad alium Episcopum debent eos dimittere probatos et examinatos et cohaerenter ad haec invaluit opinio quod Episcopus cui facta est commissio non tenetur inquirere an dimissi sint idonei et an habeant sufficientem titulum pro ordinatione, uti habetur apud *Fagnan. in cap. Cum secundum n. 52. de praebendis et dignit.*, licet inquirere possit, si velit, juxta resolutionem hujus s. Congregationis in *una Nullius 16. Januarii 1595.* ubi proposito dubio:

An Episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse et idoneos repertos teneatur hujusmodi attestationi deferre vel etiam possit eosdem ordinandos examinare?

Responsum fuit: *Posse Episcopum ordinantem si voluerit attestationi proprii Episcopi deferre sed non teneri;* et concordat alia resolutio super dubio Ordinationis edita die 17. Januarii 1693.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An coadjutor cujusdam canonicatus cum futura successione et assignata congrua. alias exterus, eo ipso dici possit subjectus capitulo Elboren. ad effectum suscipiendi ordines absque alia dimissoria Episcopi suae originis?

II. An supradicta coadjutoria sufficiat saltem ut talis coadjutor dicatur habere domicilium requisitum a constitutione s. mem. Innocentii XII. incipien.: *Speculatores*, ad effectum suscipiendi ordines, ex eo quod ex

possessione talis coadjutoriae perpetuae videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi?

III. An idem Episcopus auxiliaris teneatur inquirere utrum circa illos qui sibi ab Ordinario seu capitulo proponuntur seu dimittuntur ordinandi satisfactum sit supradictae constitutioni *Speculatores* non obstante quod ipsi non competat habilitare et expedire ordinandos sed provisori capituli, a quo non in genere, sed expressae personae habiles et expeditae proponuntur?

S. C. C. resp.

Ad 1: Affirmative;

Ad 2: Satis provisum in primo;

Ad 3: Non teneri inquirere sed posse et debere inventa subsistente causa se abstinere ab Ordinatione.

Die 2. et 23. Aug. 1721.

Tarraconen.

(Conc. Tr. c. 8. s. 23. de ref.)

In relatione status ecclesiae quam Archiepiscopus Tarraconensis ad praescriptum constitutionis s. m. Sixti V. s. Congregationi obtulit inter cetera, quibus exactissimam sedulae pastoralis suae villicationis rationem reddit, haec habet:

Cum frequenter a Sua Sanctitate coadjutoriae canonicatum vel dignitatum cum futura successione fiant cum congrua ab ipso coadjuto futuro coadjutori adsignata et pluries etiam in patrimonialibus ipsorum coadjutorum vel parentum suorum congruae supplemento talibus coadjutoribus fulcitis evenit, ut pro ordinibus suscipiendis ii, qui nec originis neque ratione domicilii subjiciuntur, Ordinarium in cujus ecclesia sunt dicti canonicatus sive dignitatis erectae praebendae pro suscipiendis ordinibus adeunt et ab eis ad ss. Ordines evehuntur illa procul dubio bona fide inducti, subjectionis seu competentis jurisdictionis sibi creditae ex coadjutoris officio in suis ecclesiis obtento, tanquam titulo congrui beneficii, id eis licere inadvertenter existimantes. Sic per aliquos ex praedecessoribus meis in casibus praedictatum fuisse ex eorumdem collatorum ordinum registris intellexi et ab aliis Ordinariis moderne fuisse simili motivo inductis observatum pariter deprehendi.

Occurrente mihi simili recursu pro suscipiendis ordinibus cum praefato coadjutoris titulo cujusdam dignitatis cathedralis meae ecclesiae cum patrimonii congrua a propriis parentibus coadjutori assignata, cum talis nec originis neque domicilii ratione jurisdictioni meae subesset, illum ad suum certum originis Ordinarium remisi, pro certo reputans subditum meum quoad ordines suscipiendos non esse, cum coadjutoria non sit proprie beneficium ad hoc ut ex s. C. Tridentini bullarumque: *Speculatores* ac: *Apostolici Ministerii**) dispositionibus ad desideratam ordinationem admittere valerem.

Quapropter in re adeo gravi securius ac superius judicium EE. VV. humiliter obsecro:

An cum similibus coadjutoriis in utroque casu assignatae congruae per principalem coadjutum ex fructibus seu redditibus praebendae vel alias ex propriis coadjutoris vel alterius patrimonialibus bonis, cum talis coadjutor aliunde ratione originis vel domicilii subditus non sit, ab Ordinario in cujus ecclesia titulus praebendae coadjutoriae existit possit ad quoslibet ordines sive minores sive majores promoveri?

Et quatenus pro negativa censuerint EE. VV., congruum foret, ut EE. VV. pro suo zelo quo pollent super praemisso, quod sibi opportunius videretur, providere dignarentur.

Ad hanc itaque solliciti Praesulis postulationem quum s. Congregationis nomine rescribi oporteat, ut consultissimum de more tanti Senatus prodeat responsum, videtur potissime dispiciendum, an obtinens coadjutoriam canonicatus vel dignitatis cum futura successione in aliena dioecesi Episcopo istius dioecesibus subditus ad effectum ordinationis censeri debeat sive titulo ejusdem coadjutoriae sive ratione congruae portionis aut pensionis sibi ex redditibus ejusdem beneficii a coadjuto assignatae sive demum jure domicilii, quod ex assecutione perpetuae coadjutoriae fixum atque perpetuum dicendus sit coadjutor statim in ea dioecesi contraxisse.

Sane quod attinet ad effectum quem solus coadjutoriae titulus queat producere, duo occurrunt adnotanda:

alterum, quod ratione solius beneficii ecclesiastici nemo hodie sit Episcopi subditus ut ab eo possit ordines suscipere, nisi ejus-

*) Vd. *Ordinatio.*

dem beneficii redditus ad congruam ejus sustentationem sufficiant et beneficium ipsum ab Ordinando pacifice possideatur, ut restringendo in hac parte dispositionem juris communis in cap.: *Cum nullus de temporibus ordinat. in 6.* statuit famigerata constitutio s. m. Innocentii XII. incipien.: *Speculatores* §: *Licet vero Clericus;* alterum est, quod coadjutoria etiam cum futura successione nullum coadjutori jus super ipso beneficio sed jus dumtaxat quod vocant ad rem tribuit, *Hostien. in cap.: De rectoribus* verb.: *Animarum de cleric. aegrot.*, ibique *Joann. Andr.* verb.: *Curam habent*, *Card. n. 1., Anan. n. 2., Ancharan. n. 3., Panormit. n. ult.* et aliis adductis *Barbos. de Canonic. cap. 29. n. 3. pag. 177.*, adeo ut coadjutoria haudquaquam possit nuncupari ecclesiasticum beneficium, *Abbas in cit. cap. de rectoribus, Azor. Instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 2. quaest. 4., Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloss.* 5. §. *9. n. 40. et 64., Barbos. ad concil. cap. 8. sess. 25. n. 7. et seqq.* atque inde sequatur, ut possessio coadjutoriae vivente coadjuto capta veluti vero beneficii titulo destituta minime suffragetur coadjutori post obitum coadjuti sed novam ille debeat beneficii possessionem obtinere, *Barbos. de Canonic. et Dignit. cap. 29. n. 18.* et cum aliis *Lotter. de re benef. lib. 2. q. 25. n. 32.*, et fictus Canonicus seu beneficiarius in jure nuncupetur, *Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloss. 5. n. 170., Monet. de opt. can. quaest. 8. n. 143., Saravia de jurisdict. Adjunct.**) *q. 29. n. 33.*

Et quamvis coadjutor ex concessione coadjutoriae cum futura successione spem certam et fundatam habeat succedendi in beneficium haec tamen spes nullum tribuit titulum quo coadjutor dici possit Episcopo subditus ad propositum ordinationis effectum quum ex laudata constitutione: *Speculatores* satis hunc in finem non sit spes certa et jus ad beneficium sed requiratur actualis illius assecutio et pacifica possessio uti ad rem ratiocinatur *Morenus in commentar. ad cit. bullam* Speculatores *de tit. benef. quaest. 1. dub. 10. n. 77. et segq.*, ubi sic habet: »Sed quidquid sit de probabilitate horum auctorum respectu proprii Episcopi tanquam certum dicendum, quod Episcopus alienus titulo sufficientiae alienum subditum promovere minime potest: ea enim sufficientia qualiscumque sit ac quantumcunque obtentionem beneficii in ea dioecesi certissime fundet, ipsa tamen beneficium non est sed ad summum in spe, at solo beneficio in re obtento pacificeque possesso subjicitur quis alieno Episcopo ad effectum ordinum, ut constat ex praesenti constitutione, ergo cum dicta sufficientia beneficium non sit, titulum, ut quis ab alieno Episcopo promoveri possit, fundare majorem certitudinem ad obtinendum beneficium, quam fundaret, qui ea expresse lege vocatus est ad beneficium, ut immediate, postquam initiatus fuerit, beneficium statim conferatur: at non obstante hac certitudine ac praecisitudine nequit Episcopus alienum subditum initiare, ut constat ex verbis praesentis constitutionis supra *n. 1.* relatis; ergo nec poterit titulo sufficientiae quae minorem certitudinem fundat ad ordines promovere.

Confirmatur exemplo dispensationis: ut enim docent communiter DD. non licet contra legem agere spe dispensationis certissimae obtinendae, ideoque nemini licere Lacticinia edere spe quod statim bullam obtinebit sed necessarium esse, quod antecedenter bullam obtineat et acceptet: similiter ergo in nostro casu dicendum, quod ut quis ad ordines promoveatur non sufficit spes beneficii quantumcumque certissima, praesens enim constitutio beneficium obtentum pacificeque possessum exoptat, quodque praedicta sufficientia non habet locum, quia licet beneficium tanquam in flore promittat ipsa tamen beneficium non est.«

Succedit jam vero altera inspectio, num scilicet coadjutor si non ex vi solius coadjutoriae ratione saltem pensionis aut congruae portionis quae ipsi a coadjuto assignetur ex ejusdem beneficii redditibus efficiatur subditus Episcopo, in cujus dioecesi coadjutoriam obtinet. Porro si annua tantum pensio vel congrua assignatorum reddituum portio spectatur cum ista beneficium ecclesiasticum non sit neque beneficii ecclesiastici apellatione comprehendatur ad tradita per *Ricc. in prax. rer. eccl. part. 1. de sacram. Ord. resolut. 273.* et *Monacell. in Formular. for. eccl. part. 1. tit. 3. formul. 17. n. 1. et 2*, nullum de jure communi multoque minus ex allegata constitutione *Speculatores* sufficientem praeberet titulum quo quis posset ordines ab Episcopo in cujus dioecesi pensio seu portio ista sibi fuerit assignata recipere, uti per text. in *cap.: Quamvis il primo de praeben. in 6.* et

*) Vd. *Adjunctus.*

in *cap.*: *Ad audientiam de praescript.* late tradit *Ricc. in prax. rer. eccl. par. 1. de Sacram. Ord. cit. resolut. 73.*

At dum agitur de pensione assignata ex redditibus ipsius beneficii ad quod coadjutor radicatum jus habet in successione sibi certo obventura post obitum coadjuti, simultaneus iste concursus duplicis tituli, certae nimirum spei succedendi ad beneficium et praesentis perceptionis alicujus ratae fructuum ejusdem beneficii casum ut dici solet ita mixtum constituit, ut merito disputetur an regulae hactenus expensae illum comprehendant, quum neque juri communi neque praescriptis a Tridentino neque demum dispositis in bulla *Speculatores* videatur adversari, quod id genus coadjutores ad effectum ordinationis subditi reputentur Episcopo, in cujus dioecesi situm est beneficium.

Verumtamen quia Archiepiscopus in sua mox exposita relatione quaestionem proponit non tantum de coadjutore congruam recipiente portionem ex redditibus beneficii, ad quod futurae successionis ipse jus habeat, verum etiam de illo, cui congrua praedicta sive ex propriis ejusdem coadjutoris sive ex alterius patrimonialibus bonis assignetur, idcirco non concurrente in isto posteriori casu duplici illo titulo certae nimirum spei obtinendi praebendam beneficii cui inservit et praesentis participationis fructuum ejusdem praebendae, discutiendum superest, num saltem coadjutor in propositum finem suscipiendi ordines subditus evadat Episcopo, in cujus dioecesi coadjutoriam obtinuit *jure domicilii*, quod ibidem ex ipsa coadjutoriae assecutione ac possessione statim contraxerit.

Sane domicilium constitui ex habitatione in aliquo loco et ex animo ibi perpetuo commorandi expresse decernitur *in l. assumptio ff. ad municip.* et *in C. Filios cod. de municip. lib. 10.*, adeoque receptum communiter est apud canonistas, quod is qui beneficium residentiale aut coadjutoriam super eo in aliena dioecesi assequitur ibi domicilium acquirat statim ac incipit residere, ita quidem ut de jure communi is Episcopo dictae dioecesis subditus efficiatur etiam ratione domicilii quemadmodum cum aliis notat *Antonell. de regim. eccl. lib. 2. cap. 1. n. 22.*

At in finem recipiendi ordines cum qualiscumque subjecto non sufficiat et ea ratio quae promanat ex domicilio quibus debeat fulciri circumstantiis declaretur in saepedicta bulla *Speculatores* hisce verbis: »Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur qui, licet alibi loco ut vel per decennium saltem in eo habitando vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmaverit,« hinc ponderare oportet, num ad tramites hujus constitutionis ex sola assecutione coadjutoriae beneficii residentialis quis alias exterus ita dicatur statim ratione domicilii effectus subditus Episcopo, in cujus dioecesi situm est beneficium, ut ab eo veluti a proprio Episcopo possit ad ordines promoveri.

De quaestione huic plurimum affini actum jampridem fuit in sausa *Elboren.*, quam vd. p. *1426.*

Quoniam vero ex hujusmodi resolutione non plene fit satis dubitationi Archiepiscopi Tarraconensis efflagitantis uti jam superius adnotatum est sibi responderi, num ejusmodi coadjutores tam in casu, quo congrua sibi per coadjutum ex fructibus seu redditibus praebendae assignetur, quam in altero, quo iidem coadjutores congruam sufficientem sive ex propriis sive ex alterius patrimonialibus bonis sibi assignatam percipiant, absque literis dimissorialibus Episcopi suae originis vel domicilii ab Episcopo, in cujus dioecesi situm est beneficium istud residentiale, licite promoveri possint, idcirco rogantur Eminen. PP. pronunciare:

An coadjutores alicujus dignitatis vel canonicatus cum futura successione tam in casu quo ipsis congrua portio aut pensio per coadjutum assignetur ex fructibus praebendae ejusdem dignitatis vel canonicatus quam in casu, quo congruam portionem sibi assignatum habeant ex propriis vel alterius patrimonialibus bonis donec per obitum coadjuti fiat locus eorum successioni ad dictam dignitatem, licite possint ab Episcopo intcujus dioecesi sunt tituli ejusmodi beneficiorum residentialium sine literis dimissorialibus Episcopi suae originis vel praecedentis domicilii ad ordines promoveri?

S. C. resp.:

Coadjutoriam canonicatus vel dignitatis

sufficere ut coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in constitutione Innocentii XII. incipien.: *Speculatores.*

Die 1. Julii 1741.

Continuatio ejusd. causae.

Verum, quum in unam eamdemque sententiam haud convenerint omnia Eminent. Patrum vota atque de re satis gravi et exemplari agatur, de interpretatione videlicet laudatae bullae Innocentianae ad publicum ecclesiae bonum rectamque ecclesiastici ordinis institutionem editae visum propterea fuit operae pretium esse si quaestio ista novo accuratissimo examini subjiceretur.

Quum itaque ad trutinam modo sit revocanda superius recitata responsio juxta quam censendum esset, imposterum ex sola assecutione coadjutoriae canonicatus vel dignitatis quemcumque licet origine exterum posse ab Episcopo, in cujus dioecesi canonicatus ille sive dignitas reperiatur, veluti proprium subditum ordinari et quidem non alia ratione quam domicilii per ipsum coadjutorem acquisiti praeter ea, quae in folio tunc distributo jam adnotata sunt quaeque rogantur Eminen. PP. animo repetere, juvat iterum verba Innocentianae constitutionis ob oculos ponere ea praesertim in parte, qua domicilium quid et quale esse debeat ad hunc suscipiendi ordines finem statuitur:

»Subditus autem, inquit ss. Pontifex, ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur qui licet alibi natus illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco ut vel per decennium saltem in eo habitando vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum ejusmodi transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.« Haec igitur verba, quae explicite vim domicilii in finem suscipiendi ordines soli coadjutoriae non tribuunt, perpendere oportet num saltem ex tacita ac verosimili ss. Pontificis mente apta sint illam complecti.

Scilicet verisimilitudo sive praesumptio quae coadjutoriae suffragetur ex eo potissimum videtur elici posse, quod minoris efficaciae aestimandum non sit domicilium assecutioni coadjutoriae consectaneum, quam quod duobus illis modis in laudata constitutione recensitis probetur comparatum. Quum enim nihil aliud ea lege videatur intendisse ss. Pontifex, nisi ut verum habeat domicilium et una simul animum illud perpetuo retinendi, quisquis hac una ratione vult se subditum Episcopo sistere, profecto in coadjutore canonicatus vel dignitatis cui annexum est onus residentiae neutrum deficere censendum est. Si enim communi jure inspecto quilibet beneficiarius cui residendi onus incumbit verum dicitur domicilium nancisci eo in loco quo possidet beneficium ut cum aliis notat *Antonell. de regim. eccl. lib. 2. cap. 1. n. 22.* multo aequius idipsum sentire oportet de coadjutore qui ad assequendum coadjutoriae munus quum graviores ut plurimum subire cogatur expensas eo firmiorem animum ex hoc ipso ostendit futurae suae perseverantiae in domicilio eam ob causam quaesito.

At contra ponderandum occurrit ss. Pontificem laudatae bullae *Speculatores* conditorem non qualecumque domicilium sufficiens edixisse, ut quispiam ejus ratione subditus alieno Episcopo in finem suscipiendi ordines efficeretur sed illud tantum voluisse spectari, quod jam stabiliter sive ex decennali habitatione sive translatione majoris bonorum suorum partis cum aedibus instructis ac una simul cum mora per aliquod considerabile tempus ibidem protracta fuisset constitutum, adeo ut satis perspicuum reddatur, quod domicilium alia quavis ratione contractum nequeat juxta hanc apostolicam legem ad obtinendum finem, de quo disceptatur, sufficiens reputari ac idoneum. Constans quippe in jure est haud eamdem habitationem, quae sufficit ad efficiendum subditum quoad reliqua Sacramenta satis esse ad Sacramentum ordinis juxta ea quae late disserit *Sanchez. de matrim. lib. 3. disp. 23.*, *Tournely in tract. de dispensat. in specie par. 1. cap. 13. de impedim. clandestin. pag. Mihi 204.* §: *Et si quis* et colligunt communiter DD. ex cap.: *Cum nullus de temporibus.*

Accedit praeterea illud etiam ab enunciata constitutione demandari ut neque sola domicilii acquisitio sive per decennalem habitationem sive per translationem majoris bonorum partis cum instructis aedibus suf-

ficiens reputetur, sed insuper utroque casu exigi debeat juramentum super animo deliberato ibidem perpetuo permanendi, quam proinde formam cum secum non ferat simplex assecutio coadjutoriae alicujus dignitatis vel canonicatus, dispiciendum propterea manet num eodem posthabito juramento possit exterus quisquam ratione solius coadjutoriae quam obtinuerit reputari subditus Episcopo illius dioecesis titulo domicilii, cum de caetero licentia recipiendae ordinationis a pluribus Episcopis idcirco tum a Trid. Synodo tum eo magis ab hac Innocentii XII. constitutione videatur esse restricta, quia ut inquit *Hallier de ss. Ordinat. par. 2. sect. 5. cap. §. 3. n. 10.* non potest non esse nociva cum ea accidat, ut ab uno Episcopo rejectus ab alio probetur in quo necessarium est ut vel unius severitas vel alterius negligentia incusetur, quod utrumque episcopalem dignitatem in contemptum adducit, cum ordinarie loquendo Episcopus iste eligatur, sub quo solutior disciplina fuerit, cujus segnior in examinando cura, in inquirendo minus sollicita perspicaxque profidentia futura speretur, ex quo certa ecclesiasticae disciplinae jactura infertur.

Rogantur EE. PP. deliberare:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

Iterum proponatur.

Die 16. Decb. 1741.

Coelibatus.

Vd. *Matrimon. Clericor.; Ordinat. ad Subdiaconum.*

S. Gregorius PP. VII. Anconi Coloniensi Archiepiscopo.

Carissime frater, de obedientia tua securior fiducialius adhortor et moneo atque communis domini beati Petri auctoritate praecipio, ut ad castitatem clericorum praedicandam atque inculcandam juxta patrum decreta et auctoritatem canonum cum Suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris, ut sponsae Christi quae maculam nescit aut rugam candidatae et immaculatae familiae gratiosum exhibeatur officium. Novit enim fraternitas tua, quia praecepta haec non de nostro sensu exculpimus sed antiquorum patrum sanctiones spiritu s. praedicante prolatas officii nostri necessitate in medium propalamus, ne pigri servi subeamus periculum, si dominicam pecuniam, quae cum foenore reposcitur, sub silentio abscondamus. Quamquam huic s. romanae ecclesiae semper licuit semperque licebit, contra noviter increscentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare, quae rationis et auctoritatis edita judicio nulli hominum sit fas ut irrita refutare. Urget Nos etiam timor illius maledicti, quod per Salomonem depromitur: »maledictus homo, qui abscondit frumenta in populo«. Et quod item per prophetam dicitur: »maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine«, idest verbum praedicationis ab increpatione carnalium. Sicut enim Nos ad loquendum superiora exempla impellunt, ita et vos quae de obedientia passim scripta leguntur adhortantur, quae dicimus, fraterna charitate suscipere. Nam legitur apud Samuelem: »melior est obedientia quam victimae«: quasi enim scelus idololatriae est non ascultare, quasi peccatum ariolandi est non acquiescere. Quod b. Gregorius in moralibus exponens dicit: obedientia ergo est sine qua licet fidelis quisque videatur infidelis esse convincitur. Sed ut ea, quae dilectioni tuae injungimus, compendiosius efficaciusque prosequaris, cum fratribus et Coepiscopis tuis concilium te cogere suademus, in quo quam maximo poteris clericorum coetu congregato leges canonicas et Sedis apostolicae auctoritatem, tuam quam et confratrum omnium patenter promulgatis, quanta castitatis sit virtus, quamque ecclesiasticis gradibus necessaria, seu quam sponsi virginis et virginis sponsae cubiculariis sit competens (ut Deo donante nosti) latius exponens. Subinde firmiter pronunciabis non ulterius sibi licere, quod in perniciem sui hactenus usurparunt, cum tolerabilius omnino sit cessare ab officio, quam incestam vel etiam molestam suo salvatori ingerere servitutem; et inde ibi iram coacervare atque

supplicium, unde praemium debuit emereri. Quod si te fideliter haec et firmiter exequentem tribulatio ac persecutio invenerit respice ad eum, qui dixit: »confidite, ego vici mundum.« Nos quoque clypeo b. Petri munitos indubitanter noveris seu ad repellendos hostes si possumus seu ad protegendum te omni hora paratissimos inveniri.

Die 29. Mart. 1075.

(Bull. r. t. II. 69. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Coemeterium.

Vd. *Sepultura; Funus.*

1) An defuncti ex vetere in nov. Coem. transferrendi sint?

Ad dub.: An ossa defunctorum sint transferenda ab antiquo ad novum coemeterium construendum juxta novam eccles. paroch. exstructam?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 31. Mart. 1708.

2) Pollutio.

Polluta Ecclesia polluitur etiam coemeterium ei contiguum, secus si remotum fuerit ab eadem, cap.: *Si ecclesiam unic. de consecrat. eccles. in 6.*, ibi: »Si ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius coemeterium si contiguum sit eidem censetur esse pollutum; unde antequam re conciliatum fuerit non debet in eo aliquis sepeliri, secus si remotum fuerit ab eadem.« Polluto autem coemeterio quamvis ecclesiae contiguo non polluitur ecclesia, cit. *cap.*: *Si ecclesiam*, ibi: »Non sic quoque in casu converso sentimus ut videlicet polluto coemeterio quamvis ecclesiae contiguo debeat ecclesia reputari polluta, ne minus dignum majus aut accessorium principale ad se trahere videatur.« Quando sunt plura coemeteria aliud illi contiguum non polluitur licet per portam de uno in aliud detur ingressus: citat. *cap.: Si ecclesia*, ibi: »Non unum sed plura coemeteria esse noscuntur quae quamvis sibi cohaerentia pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.«

3) Publicum.

a) Jus sepeliendi non alteratur quod sepultura fit in coemet. publico.

Vd. infra lit. *b*; *Sepultura* (jus parochi).

In oppido N. in Italia quoddam regularium coenobium extat quod in universali regularium suppressione incolume mansit. Traditur, oppidanos illos, quum a suo paroeciali templo multum distarent, sepultos fuisse ab immemorabili tempore in eorundem regularium ecclesia.

At vero sequiore tempore, erecta paroeciali ecclesia in eodem oppido N., quaestiones exortae sunt inter parochum et regulares circa jus sepeliendi et funerandi, ad quas extinguendas anno 1744 pacta quaedam inter eos inita sunt atque firmata: in ejusmodi transactione conventum inter eos est, funera et tumulationem eorum, qui destituti essent gentilitio sepulcro aut mortui essent sine sepulcri electione alternis vicibus uno mense ad ecclesiam regularium, altero vero ad ecclesiam paroecialem peragi debere. Ejusmodi pacta confirmata fuerunt a s. C. Epis. et Reg. die 21. Maji 1745 eademque ex consensu partium ampliata anno 1765 et firmata ab eadem s. C. Controversiae non omnino siluerunt, attamen eadem pacta servata sunt usque ad annum 1861, quo tempore ab usurpatore Gubernio, regularibus suppressis atque erectione coemeteriorum publicorum indicta, parochus existimare visus est, se a dictis pactis esse solutum.

Novis itaque controversiis exortis Episcopus decrevit, ut firma manerent regularium jura tum vi communis juris tum specialis in transactione constituti.

At vero quum funera celebrare pergeret parochus in sua ecclesia, nulla habita ratione mensium, regulares preces porrexerunt s. Congregationi exponentes, se damnum ex hac parochi ratione agendi subiise libell. 1400 illudque sibi esse gravissimum, propterea quod vivere non possent ex tenuibus pensionibus quas, subtractis bonis, gubernium rependeret.

Rogatus de more Episcopus inter cetera retulit, petitionem regularium s. Congregationi exhibitam reduci videri ad damnum quod subierint ob neglecta pacta; nihilominus totam juris quaestionem esse dirimendam; quod si quaestio, violatis sacris canonibus, moveretur apud civilia tribunalia, inita et confirmata regularium pacta a gubernio forte non admitterentur ob legem suppressionis; suamque esse sententiam, ut omissa quaestione de damno quod difficile esset aestimare ob contradictionem partium inposterum leges ecclesiasticae, nominatim vero praescriptiones synodales servarentur; maxime autem id quod respiceret probibitionem ne augerentur taxae ratione funeris in ecclesia regularium peragendi: rogavit etiam, ut tolleretur usus, qui invaluerat, determinandi occasione baptismatis ecclesiam funerum, si puer moreretur: concludebat autem servanda esse pacta anni 1744.

Servatis de more servandis causa proposita est coram s. C. sub dubitandi formulis quas infra ponimus.

Inquiebat parochus testatores, parentes et heredes defuncti jus facultatemque habere determinandi ecclesiam funerum; eandemque liberam fidelium facultatem limitari non posse per dicta pacta seu transactionem initam inter partes: transactionem enim respexisse jura ecclesiarum, non autem potuisse ligare voluntatem paroecianorum, qui partem haud habuerunt ad actum illum firmandum.

Hoc posito se neque coegisse neque allexisse paroecianos, ut suam potius quam alteram ecclesiam eligerent ad peragenda funera; immo eisdem commemorasse transactionem inter duas ecclesias initas: nihilominus eos voluisse in ecclesia paroeciali funera, quia, ratione publici coemeterii, defuncti in ecclesia regularium sepeliri non possent atque causa cessaverit cur in hac ecclesia funera peragi deberent. Se autem passive quidem se habere; non tamen a peragendis funeribus eximere se posse, quin in poenas a civili auctoritate sancitas incideret.

Ejus jura corroborata quoque sunt animadversionibus ex officio factis. Consideratum siquidem est, generale esse principium tnmulationem defunctorum inter parochialia officia recenseri; immo antiquis temporibus exclusive ad paroeciales ecclesias jus tumulandi pertinuisse.

Inter jura quoque parochi contineri jus emolumenta funebria percipiendi, quod oritur tum ex jure tumulandi tum ex paroeciali ministerio in paroecianos praestito, quum viverent, ceu passim tradunt auctores

Porro animadversum est, ecclesiam regularium de qua agimus numquam videri paroecialem fuisse neque eosdem regulares aliquo tempore paroecialia officia obiise: distantiam ecclesiae paroecialis ab oppido unicam videri causam, cur oppidani illi antiquitus tumularentur omnes in dicta regularium ecclesia: quare jus emolumenta funebria percipiendi derivatum videri tamquam accessorium ex tumulandi jure. Atqui constitutis publicis coemeteriis jus tumulandi in eadem ecclesia eo ipso cessasse; ideoque et jus peragendi funera et percipiendi emolumenta funebria cessare opportere.

Sed facta etiam hypothesi manere adhuc ecclesiae regularium jus funera peragendi, limitandum tamen videri ad eum solum casum, quo a testatore vel ejus haeredibus electa alia ecclesia non fuerit ad funerandum. Qua de re adducebatur resolutio in causa *Volaterrana* diei 16. Martii 1727 apud s. C. C. agitata ad dubium II. hisce verbis conceptum: »An cadavera defunctorum in ecclesia PP. minorum conventualium sepelienda antequam ad eorum ecclesiam deferantur debeant prius asportari ad parochialem seu potius recto tramite deferri ad ecclesiam patrum?« quod fuit sequenti responso solutam: *negative, nisi defunctus vel heres aliter ordinaverint.*

Item in *Ariminen. Funerum* 16. Junii 1827 proposito his verbis dubio IV.:

»An liceat testatoribus vel heredibus designare ecclesiam pro funere explendo antequam cadavera ad ecclesiam tumulantem vel ad coemeterium deferantur in casu?«

Responsum est: *Affirmative ad formam synodi.*

Ideoque in praesenti themate, si defuncti vel heredes designaverint ecclesiam paroecialem ad funerandum, perperam queri regulares de damno et laesione jurium.

Quod si tamen contra parochum judicaretur, aequum non videri cogere eundem parochum ad emolumenta percepta restituenda; propterea quod non dolo sed firmissima juris opinione ea perceperit bonaque fide forte consumpserit: neque proinde locum obtinere juris sanctionem *cap. 1. de sepult in 6.*, in quo de his agitur, qui extorserint promissionem eligendi sepulturam in ecclesiis non debitis, de quibus sancitum extat: »*Si vero iidem religiosi vel clerici praedictos in suis ecclesiis vel coemeteriis praesumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quam etiam omnium quae occasione sepulturae illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem . . . integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus.*«

E converso regulares affirmabant. parochum contra transactionem studuisse paroecianos inducere ad funerandum in paroeciali ecclesia, rationibus insinuatis tum ex publico coemeterio tum ex suppressione regularium; immo transactionem violasse propterea quod contradixerit regularibus eorum quoque funera, qui sepulcrum gentilitium haberent in dicta regularium ecclesia, vel ibique sepulturam elegerint sive cum defuncti parentibus agendo pro funeris exsecutione in paroeciali ecclesia sive callide ingerendo eisdem opinionem majorum expensarum, quas subire deberent in ecclesia regularium.

Negabant praeterea regulares, parentibus vel haeredibus facultatem esse eligendi defunctis suis sepulturam seu ecclesiam funerum; propterea quod, si defuncti sepulturam sibi non elegerint, praesumi legitime debeat eos sepeliri voluisse in ecclesia, quae sive ex communi sive ex speciali jure sibi conveniat. Quare si secus fieret eorundem voluntas, jure praesumpta, violata dicenda esset.

Neque paroecianos in transactione ineunda intervenire debuisse, quum jus non haberent ad contradicendum. Neque eosdem posse declinare ecclesiam regularium ratione majoris taxae (quam ideo majorem regulares dicebant, ob jura associationis quae parochus praetenderet), quum tribuere non posset titulum parentibus vel defuncti haeredibus pro arbitrio ecclesiam funerum eligendi. Neque timendas esse civiles leges, in quarum sanctionem tum quidem parochus incideret, si abstineret a funeribus peragendis illis mensibus, qui sibi pertinerent.

Haec regularium jura confirmata sunt aliis animadversionibus ex officio factis. Animadversum ergo est, verum quidem esse universim jura tumulandi et funerandi esse propria parochorum; ita tamen, ut ex variis titulis ad alios quoque pertinere possint; praesertim vero ex consuetudine, de qua re passim auctores et tribunalia.

In praesenti themate vigere vetustissimam consuetudinem pro regularibus, quae, quum esset immemorabilis, praesumptionem induceret tituli quocumque alio melioris: quae quidem consuetudo ex capite quoque transactionis diuturne servatae et auctoritate apostolica sancitae firmissima esset.

Porro exploratum esse principium constitutionem publici coemeterii jura ecclesiarum haud pervertere, ut legitur in expositione causae *Ariminen. Juris tumulandi* apud s. Cong. Concilii diei 14. Maji 1824. §. *Animadvertendum*, his verbis: »Coemeteria causa publicae valetudinis subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae jus habebat tumulandi in propriis sepulcris, nunc jus istud exercet in publico coemeterio; ideoque non sublatum jus sepeliendi fuit, sed variatus locus; quod profecto non impedit emolumentorum perceptionem et jus peragendi exsequias.« Similia repeti in causa *Derthonen. Spolii* 24. Martii 1821. et in *Ariminen. Funerum* 16. Junii 1827. Atque in dicta *Derthonen.* quum proponeretur dubium: »An capitulo Collegiatae Levi *(cui jus pertinebat funera celebrandi vi transactionis)* sit concedenda manutentio in possessione juris peragendi exsequias in propria ecclesia et percipiendi emolumenta juxta solitum, non obstante constructione publici coemeterii in casu?« responsum prodiit: *Affirmative in omnibus.*

Ex jure tumulandi duo consequi videri in praesenti themate favore regularium, quorum primum, cadavera defunctorum qui mensibus regularium moriantur, recto tramite transferri debere ad eorundem ecclesiam (nisi forte haeredes voluerint ut in alia ecclesia prius exponerentur), ibique exsequias et funebria officia celebranda, ut S. C. respondit in *Lucana Funerum* die 14. Martii 1722 ad dubia: »I. An cadavera defunctorum sepelienda in ecclesia patrum minorum observantiae terrae Petrae sanctae, antequam ad eorum ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem et eorum ibi debeat

fieri expositio usque ad horam sepulturae? et quatenus negative: II. An parochus teneatur restituere ceram et alia emolumenta percepta occasione associationis et expositionis in sua ecclesia cadaverum Angelae et Annae in casu?« quae responso soluta sunt: ad I. *Negative:* ad II. *Affirmative.*

Alterum consequi, omnia funerum emolumenta, quarta parte excepta favore parochi, ad ecclesiam tumulantem pertinere, ut S. C. C. respondit in *Asculana Jurium* die 29. Augusti 1733 ad dubium: »An rectori *(publici oratorii jure sepeliendi praediti)* competat seu debeatur ulla portio tam cerae quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum dictae paroeciae *(intra cujus limites oratorium reperiebatur)*, quos tumulari contingat in dicto oratorio, quacumque consuetudine non obstante?« quod solutum est responso: *quartam funeralem dumtaxat competere parocho; reliqua vero emolumenta funeris spectare ad ecclesiam SSmae Annuntiatae tumulantem quoad eos defunctos qui vel ibi elegerint sepulturam vel ibi sint tumulandi in sepulcro majorum.* Item in *Viterbien.* diei 26. Augusti 1826 et alibi. Neque inde videri tribui posse haeredibus facultatem ecclesiam funerum variandi: ex jure enim soli patri permitti sepulturam eligere filio impuberi atque ita, ut electio sepulturae fiat filio vivente non autem post mortem ejus, Sperelli *decis. 89. n. 5.*, Ferraris *biblioth. can. verb.: sepultura n. 104.* Neque obstare resolutionem S. C. C. in *Ariminen.* 16. Junii 1827 ad IV. dubium: nam de eo casu ibi actum videri, quo in dioecesana synodo disponeretur, haeredes ex Episcopi et parochi venia potuisse, antequam cadaver ecclesiae tumulanti traderetur, peragere justa funebria in alia ecclesia sine detrimento ecclesiae tumulantis.

Si itaque neque constitutio publici coemeterii neque haeredum arbitrium potuerint jura ecclesiae regularium laedere, eo ipso consequi, parochum de quo agimus indebite funera celebrasse, quae ad regulares pertinuissent; indebiteque percepisse emolumenta ita ut ad integram restitutionem teneretur juxta textum superius allegatum in *cap. 1. de sepult. in 6.* Ejusmodi enim capitis sanctionem his in adjunctis fuisse constanter applicatam ceu in *Spoletana Funerum* diei 19. Junii 1710 apud S. C. SS. RR. et in *Alsina Juris sepeliendi* 15. Decembris 1703 apud S. C. C.

Neque videri suffragari parocho bonam fidem et necessitatem obsecundandi votis voluntatique haeredum, quum metus ex sanctione civili ortus validum fundamentum non haberet neque omiserit parochus studiose agere, ut haeredes induceret ad eligendam potius paroecialem quam regularium ecclesiam.

De abusu autem inducendi parentes, ut actu baptismatis eligerent infanti ecclesiam funerum si moreretur, adnotatum est, districte esse prohibitum a ss. canonibus clericis sive saecularibus sive regularibus, *ne aliquos ad vovendum, jurandum vel fide interposita seu alias promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant; cap. 1. de sepult. in 6.* Et iisdem in *Clement. 3. de poenis* excommunicationem ipso facto incurrendam fuisse inflictam; quamquam auctores postea disputaverint, an haec sanctio parochum quoque comprehenderet, ut videre est apud Bonacinam *tom. 3. de excomm. in part. extra bullam coenae disp. 2. qu. 5. punc. 4. n. 5.* et Monacell. *t. 4. suppl. ad test. tom. n. 60.* aliique. His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

D u b i a:

I. An, constituto publico coemeterio, ad regulares (N.) pertineat jus celebrandi funera et percipiendi emolumenta mensibus designatis in transactione anni 1744 in casu?

II. An constet de jure parentum vel haeredum eligendi pro lubitu ecclesiam funerum eorum defunctis in casu?

III. An et ad quae emolumenta teneatur parochus restituere regularibus (N.) in casu?

S. Congregatio Episc. et Reg. die 6. Maji 1870 respondere censuit

Ad I: *Affirmative.*

Ad II: *Negative et ad mentem: mens est, ut, salvo jure patris eligendi sepulturam filio impuberi ante illius mortem, non liceat id peragere in actu baptismatis vel in actu proximo.*

Ad III: *Affirmative et ad mentem: mens est, ut Ordinarius procedat de bono et aequo ad liquidationem, onerata etiam conscientia parochi; vetito quolibet recursu ad judices laicos: qui Ordinarius ad formam synodi provideat moderationi taxae jurium parochialium pro defunctis funerandis in ecclesia* (regularium N.).

Ex quibus colliges:

I. Per constitutionem publici coemeterii mutari dumtaxat materialem dormitionis locum; non autem mutari ecclesiarum jura.

II. Per illegitimam regularium suppressionem non posse supprimi ecclesiastica eorundem jura neque eadem jura cessare si familiae regulares aliquo modo persistant et convivant, quamquam coram civili lege tamquam ecclesiastica instituta non agnoscantur.

III. Quare hisce manentibus sarta tectaque manere jura funerum, quae ad regulares legitime in suis ecclesiis pertineant.

IV. In libertate fidelium esse sibi eligere funerum ecclesiam, ut ante liberum erat sepulturae ecclesiam sibi eligere, quarta funerum parocho repensa.

V. Ejusmodi libertatem subesse tamen debere legitimis locorum consuetudinibus vel conventionibus ecclesiastica auctoritate firmatis pro jurium moderamine.

VI. Vetitum esse ecclesiasticis omnibus studio inducere fideles, ut unam potius quam alteram ecclesiam eligant pro sepultura vel funeribus.

VII. Neque posse regulariter parentes vel haeredes eligere ecclesiam funerum defunctis.

VIII. Permitti tamen consuetudinem, ut pater filio impuberi ecclesiam funerum eligat, dummodo id fiat ante impuberis filii mortem.*)

IX. Non autem licere patri ejusmodi facultate uti occasione regenerationis et supernaturalis vitae Sacramenti: id enim a ratione sacrorum rituum absonum videtur et fraudibus facile obnoxium.

X. Qui exposita violaverint jura ad restitutionem teneri eorum, quae forte perceperint emolumenta.

Pater P. e Minorum Reformatorum familia Guardianus et custos coenobii s. Bernardini in civitate N. principi sacratissimo exposuerunt, anno 1858 extructum fuisse a municipio, jussu tamen civilis Gubernii, coemeterium publicum in area annexa et pertinenti ad religiosam familiam Minorum reformatorum civitatis ejusdem. Ordinarium vero benedixisse illud et edidisse appositam literam circularem die 6. Januarii 1869, qua ejus exercitium moderaretur, nonnullas superaddens dispositiones typis exaratas ad majorem rei claritatem.

His duobus actis *paroeciale* declaratum fuisse coemeterium ita ut cunctae aliae ecclesiae facultate funerandi privarentur, si proprio sepulcro aut coemeterio carerent in communi coemeterio. Id obesse juribus ecclesiarum suarum quoad proprias sepulturas Superiores regulares conspicientes apud Ordinarium reclamaverunt. Qui respondit suam haud esse intentionem ut jus ejusmodi tolleretur, verum ut illius tantum suspenderetur exercitium donec sive singulariter sive in unum collecti acquisivissent privatum coemeterium in coemeterio publico pro suis aut pro illis quibus inposterum placeret inibi tumulari.

Proindeque quum nullam in praefato publico coemeterio Patres acquisierint partem pro ecclesia s. Bernardini, eis impedita fuere trium defunctorum funera, quamvis in ecclesia praedicta officia divina quotidie persolverent Guardianus et custos cum duobus aliis sacerdotibus. Defunctorum nomina sunt 1. Teresia quae propria electione coram duobus testibus patefacta ad dictam transferri cupiebat ecclesiam quo jam sepultus jacebat ejus consors. 2. Lucia S. quae pariter coram testibus voluntatem elicuit transferri ad ecclesiam s. Bernardini funeris gratia. 3. Tandem Antonia P. cujus vir ibi sepultus erat ex propria electione.

Ejusmodi quaestionem resolvi debere statutum fuit inter partes absque litis strepitu; sed quum tempus decurreret et nil ageretur res apud S. C. Concilii delata fuit. Acceptis

*) Quantum disputaverint auctores super hujusmodi privilegio Patris eligendi sepulturam filio impuberi si haec vigeat consuetudo videri potest apud Sperelli *decis. supra citat.* In praesenti causa S. C. non videtur resolvisse, utrum in oppido de quo agimus vi consuetudinis posset Pater filio impuberi eligere sepulturam seu ecclesiam funerum: sacra enim Congregatio respondit tantum ad quaestionem juris, non autem facti (quod in disputationem non venit) per ea verba *salvo jure etc.* Quare si in eo oppido consuetudo legitime praescripta non obtineat nec pater posset filio impuberi eligere sepulturam, juxta textum in *cap. 4. de sepult. in 6.* in quo statuitur: »*Licet pater minores filios qui nequeant, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terrae id habeat), quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali ecclesia tumulandi.*«

hinc inde deductionibus in pleno Eminentissimorum consensu ut quaestio ejusmodi proponeretur statutum fuit.

Circa primum dubium per religiosorum patronum observatum fuit, quamvis jus funerandi a jure sepeliendi dependeat unum tamen ab altero valde differre *Rota decis. 76. §. 6. coram Decursiis.* Quapropter ablato per publica erecta coemeteria jure tumulandi autumavit superesse jus funerandi et emolumenta percipiendi. Quinimo stricte loquendo neque jus sepulturae ablatum fuisse subdit, sed tantum mutatum locum materialiter et physice. S. C. Congr. in *Ariminen. Juris tumulandi et funeris die 14. Maji 1825* ibi: *Animadvertendum vero est coemeteria publicae valetudinis causa subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae jus habebat tumulandi in propris sepulcris, nunc jus istud exercet in publico coemeterio ideoque non sublatum jus sepeliendi fuit, sed variatus locus. In Aesina Juris funerandi et restitutionis emolumentorum die 26. Novembris 1864. §. lata vero lege*, ibi: *Sacra Congregatio erectione coemeteriorum locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum retinuit, non vero sepeliendi jus, quod imo integrum mansisse censuit.* In Forolivien. 26. Januarii 1833 et aliis quamplurimis. Et in Forolivien. *Juris funerandi 16. Septembris 1871 §. neque*, ibi: ecclesiae quae jure sepeliendi pollebant, nunc jus istud exercent in publico coemeterio, quod sane non impedit, quominus funerum emolumenta non percipiant et officium funebre super cadaveribus explere valeant, ceu pluries statuit H. S. O. Nec secus in *Syracusana Funerum 24. Febr. 1872. §. Quibus*, ibi: Quibus omnibus si addatur centies ab H. S. O. definitum esse erectione coemeteriorum locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum esse, non vero jus sepeliendi, quod ideo integrum mansisse censuit, rem ad evidentiae apicem pervenisse in propatulo est. Jamvero hujusmodi articulum saepius declaratum fuisse patet. In Derthonen. 24. Maji 1821, in qua proposito dubio IV.: An capitulo Collegiatae Novi sit concedenda manutentio in possessione juris peragendi exequias in propria ecclesia et percipiendi emolumenta juxta solitum, non obstante constructione publici coemeterii in casu? EE. PP. sapientissime rescripserunt: Affirmative in omnibus.

Cum ex dictis erui posset per coemeteria publica ablatum fuisse tantum sepeliendi jus seu melius locum sepulturae materiale et physicum tantum mutatum, patere, ait, itaque sarta tectaque fuisse servata jura tum sepeliendi tum funerandi. Quo posito sponte veluti sua fluere regulares posse uti jure funerandi propriis ecclesiis, quin opus sit, ut proprium distinctumque habeant sepulcrum in communi coemeterio. Idque eo vel fortius, quia hoc jus funerandi ex parte regularium, cum a jure communi derivet sive a privilegio apostolico, manifestum erumpere subdit ab Episcopis auferri non posse, notum cum sit solum Papam juri communi derogare valere, atque instar sacrilegii esse beneficium debere a principe concessum. Quin aliquid juvare possit exemplum a statuto cleri romani desumptum; illud enim *Sanctissimi D. N. Pii Papae IX. auctoritati subjectum fuit ac Sanctitas Sua die 25. Octobris 1862 vivae vocis oraculo benigne adprobavit, confirmavit et quibuscumque in contrarium facientibus minime obstantibus in vulgus edi servarique mandavit.*

Pariter inutili studio hic opponeretur regularibus in jure prohibitum esse extra conventuum septa crucem attollere, stolam ferre processionesque ordinare: quod eveniret si regulares officium funebre super cadaveribus explere possent, cum a propriis ecclesiis usque ad sepulturam cadaver comitari ad funebre officium referatur. Haec enim objectio esset telum imbelle sine ictu, quia obstat decisio ordinis Praedicatorum anno 1846 edita in qua hujusmodi difficultati obviam itum fuit.

Ait insuper idem regularium patronus secundi dubii solutionem a primo dubio pendere. Etenim si decidere placuerit erectis coemeteriis intactum manere regularibus jus funerandi in propriis ecclesiis, quamvis peculiare sepulcrum in communi coemeterio non habeant, consequi in tribus casibus supra enumeratis jus exequias peragendi ad eos pertinere, quin opponi possit hujusmodi electionem legitime haud fuisse probatam, cum testes omni exceptione majores id confirmaverint, ceu ex actis luculentissime eruitur. Sin vero secus resolutum fuerit, tunc exequias ad eos minime spectare posse. Ad finem transvolans sustinuit quod admisso jure funerandi nullimode dubitari possit quin regulares jus habeant percipiendi emolumenta, siquidem id saepissime resolutum fuisse ait

a S. C. C. ceu videre est in *Aesina Juris funerandi et restitutionis emolumentorum 26. Novembris 1864. § Lata* et alibi. Ideoque suae defensioni terminum imposuit verbis Devoti de notissimis in jure legibus pag. 117. ibi: Vos ipsos appello, Patres sapientissimi, quorum sunt judicia verissima, fallique nesciae sententiae, nonne semper idem statuistis, cum ad amplissimum ordinatissimumque locum delatae sunt causae vestraeque sapientiae singulari commissae? Quod si leges nostrae, si viri doctissimi, si denique vos ipsi id semper statuistis, non licebit profecto ab iis abhorrere sententiis, consensu omnium judicioque semper vestro confirmatis.«

Ea quae favore Ordinarii et parochi s. Donati prostant.

Ordinarii patronus praemisit sepeliendi jus curae animarum inhaerere ideoque nonnisi ad parochiales ecclesias hodie pertinere ceu antiquitus ad Episcopos et cathedrales ecclesias pertinebat. *Glos. in Clement. dudum, verbo: sepulturam, de sepulturis, Abbas et Fagnanus in cap. Fraternitatem de sepult. et DD. passim can. 16. caus. 13.* Regularibus autem expresse denegatum olim fuisse hujusmodi jus tumulandi, eo quod ipsis territorium deerat et populus ut hujusmodi actum jurisdictionalem exercere valerent. *Canon. Placuit 1. causa 16. quaest. 1.*, Card. de Luca *de regular. disc. 1. num. 49.* Verumtamen medio tempore id eis indultum fuisse in vim simplicis privilegii, *argum. cap. 9. et 10. de sepult. Clem. Dudum eod., Gonzalez in cap. Fraternitatem n. 7. et cap. Super num. 11. de sepulturis.*

Quamvis ejusmodi privilegium sub vocabulo legis comprehendatur, adeo tamen a lege communi abhorrere ait, ut odiositatem secumferens strictam recipiat interpretationem. Hinc sicut cessante ratione et fine legis cessat lex ipsa, ita cessante ratione et fine privilegii ipsum privilegium oportere ut cesset. Hoc praemisso addit rationem dicti privilegii et ipsius terminos vetare hodie regularibus quominus et funerent et sepeliant. Sane privilegii rationem in eo constitisse dicit, quod fideles pie crederent defunctorum animas nedum vivorum suffragio juvari, sed etiam intercessione illorum, qui in Christo et pro Christo supremum obiverant diem. Ex quo disseminatum fuisse generale fidelium desiderium, ut defunctorum cadavera jacerent ad sacras Sanctorum reliquias et ubi communium precum frequentior esset usus. *Ubi orationes atque missarum solemnia tam pro vivis quam pro defunctis celebrantur. Cap. 3. de sepulturis.*

Itaque cum erectis publicis coemeteriis hujusmodi privilegii ratio cessaverit sponte veluti sua fluere ipsum privilegium cessasse. Cessato sed vero privilegio sepeliendi et funerandi jus cessasse videtur; quandoquidem jus funerandi accessorium sit juri sepeliendi. Igitur ruente principali ruit et accessorium. Jus autem funerandi esse accessorium juri sepeliendi docere Zallinger *Instit. juris eccles. de sepulturis §. 358.*, Berard. *in jus eccles. univers. de potestate paroch. ratione funer.* Patere ergo regulares nec sepeliendi neque funerandi jure potiri. Verum nedum ratio privilegii sed et termini ipsius privilegii impediunt quominus hodie post erectionem coemeterii regulares jure funerandi gaudeant. Sane *Clemen. Dudum* ad ecclesias et loca propria regularium illud privilegium restrinxit. Jussit enim: »Hujusmodi quoque statuto et ordinationibus nostris adjicimus ut fratres dictorum ordinum in ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis liberam ut sequitur habeant sepulturam videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis et ecclesiis memoratis.« Quapropter cum apud regulares amplius non sit proprietas loci vel ecclesiae, in qua fideles recipiantur, qui ibi sepulturam eligant, patere ait eos jure sepeliendi ac funerandi gaudere non posse.

Nec resolutiones S. C. C. et praecipue *Ariminen. Juris tumulandi 14. Maji 1824.* ipsi nocere subdit 1.: quia legibus et non exemplis judicandum est. 2. Quia si lex Piana per coemeteriorum erectionem haud privare voluit ecclesias omnibus illis juribus, quae a generali disciplina aut a specialibus consuetudinibus derivabant, haud tamen voluit ut erectis coemeteriis regularium ecclesiae jure peragendi exequias potirentur, cum coemeteriorum introductio eas jure sepeliendi spoliaverit. Sane jus funerandi et emolumenta percipiendi ipsis obvenisse in vim juris sepeliendi per privilegium eis concessi, cum vero coemeterii introductio tumulationem ad jus commune reportaverit, patet jus etiam funerandi et emolumenta percipiendi secumtulisse.

Multoque minus subsumi posse autumavit,

Archiepiscopo jus non fuisse coemeterium parochiale declarare. Quominus enim id perageret, nulla lex ei impedimento erat: scitum cum sit Episcopo inesse condendi eas leges, quae bonum suae dioecesis respiciant. Quod confirmari edixit exemplo Emi Urbis vicarii, qui condens statutum Cleri romani eadem praescripsit ac Ordinarius U. Praestat aliqua excerpere ex allegatis pro parocho s. Donati extra muros. Inter alia animadversum fuit *litteram circularem* Ordinarii U. circa funera in iis partibus, quae respiciunt sepulcri electivi abolitionem et coemeterii paroecialitatem, quas PP. RR. uti illegitimas et arbitrarias habent, nil aliud esse quam textualem copiam statuti cleri romani ab Emo Card. Vicario exarati necnon vivae vocis oraculo approbati a SSmo D. N. Pio Papa IX. Statutum clerici romani eodem facti adjuncto comitatur ac illud quod causam dedit *litterae circulari* dioecesis U. et quod nil aliud est quam introductio publici coemeterii in campo Verano extructi dependenter a duabus Pii VII. ordinationibus et aperti anno 1836 dum Gregorius XVI. regnaret. Romae sicuti in civitate U. habebantur regulares qui eadem possidebunt privilegia ac Patres RR. nunc reclamant observantiam: quae privilegia Romae potius servanda forent ubi omnes familiae religiosae conveniunt, quam in civitate U., ubi paucae habentur familiae regularium. Res judicio quorumdam in jure canonico apprime peritorum delata fuit, ex quo tamen judicio parochiale declaratum fuit coemeterium et abolitum sepulcrum electivum. Quae abolitio sicuti logica consequentia descendit ex eo quod publicum coemeterium introductum fuerit et ab obligatione generali inibi omnia tumulandi cadavera, sublato cunctis ecclesiis ejusmodi jure. *Hinc generalis eligendae sibi sepulturae perempta facultas est.*

Ex hoc momento regulares loco proprio in quo tumulationem facere possent privati omne jus funeris amittunt.

Summus Pontifex approbavit et regularium superiores siluerunt. Easdem perfecisse dispositiones, in adjunctorum paritate, Ordinarium U. pro sua dioecesi et P. Guardianum reformatorum ad arbitrium et abusum clamavisse. Insuper si cleri romani statutum suam trahit efficaciam ab auctoritate summi Pontificis quatenus Romae Episcopi, tunc adjunctorum paritas exurgit neque fas est abusum arbitriumque appellare in civitate U., quod justitia et jus Romae dictum fuit. Quod si ab approbatione apostolica suam efficaciam ducit, tunc ejusmodi approbatio fit robur omnium de quibus loquuti sumus circa Ordinarii auctoritatem.

Quoad secundum dubium animadversum est in specie regularibus haud competere jus funerandi et emolumenta percipiendi eo quod electio sepulturae legitime non fuerit probata. Quod fieri debuerat tribus in casibus quoniam *ex facto oritur jus* proindeque haud disceptari posse de jure si pro certo non habeatur factum in quo jus fundatur. Sepulcri electionem haud praesumi posse sed omnino probari debere iis mediis, quae lex praescribit. Ast regulares non probavisse certum est; ideoque factum electionis sepulcri juridice non existit.

Quibus ex utraque parte praenotatis sequentia proposita fuere dirimenda

D u b i a :

I. *An regulares proprium ac distinctum sepulcrum habere debeant in communi coemeterio, ut funerandi jure gaudeant?*

II. *An et cui competat jus funerandi et emolumenta percipiendi in casu?*

Sacra C. Concilii die 14. Augusti 1875 causa cognita respondere censuit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Emolumenta funerum Theresiae et Luciae spectare ad fratres minores reformatos dempta quarta pro parocho.*

Ex quibus colliges:

I. Per publica coemeteria noviter extructa haud sublatum fuisse jus sepeliendi, sed tantum materialiter seu physice mutatum fuisse sepulturae locum.

II. Ecclesias quibus inerat sepeliendi jus nunc, erectis coemeteriis, frui jure tali, sepeliendo in publicis coemeteriis cadavera quae antea tumulare poterant in propriis sepulturis.

III. Coemeteria enim publica subrogata fuisse singulis ecclesiarum sepulturis valetudinis causa; ideoque ecclesiae quae jure sepeliendi potiuntur etiam funerandi facultate pollere videntur.

IV. Proindeque haud opus esse locum privatum et distinctum in publico coemeterio

possidere ut quis dicatur jure funerandi gaudere, si jam in propria ecclesia sepeliendi jus possideat.

V. Jus tamen sepeliendi et funerandi haud praesumi posse sed omnino probari debere probatione juridica idest per illa media quae lex praescribit.

VI. Si pariter agatur de electione sepulturae, quae alicui ecclesiae jus funerandi conferat, ejusmodi electionis factum esse juridice evincendum eo quod dum ex *facto jus oritur* apertum certumque apparere debet factum illud.

VII. In themate defuisse videtur probationem juridicam ad evincendam sepulturae electionem pro tertio casu.

A e s i n a.

1850 Emus Corsi tunc temporis Episcopus Aesinus ad praecavendas multiplices lites in sepulturis fidelium oriri solitas edictalem legem promulgavit qua ad ss. canonum tramites et ad aliquas nostrorum temporum haud improbatas exigentias multa sapienter ac salutariter praescripsit. Statuit imprimis ut omnes utriusque sexus fideles civitatis in publico coemeterio tumularentur et electionem sepulturae quoad tumulationem tanquam irritam rejiciens eam solummodo quoad funeralium celebrationem effectum suum sortiri declaravit. Parentibus pro filiis tantum decennio minoribus praedictam electionem faciendam permisit. Prudentissime tamen voluit hujusmodi funerum lege nihil innovatum esse quoad jura personarum a publico coemeterio exemptarum et earum praesertim quae gentilitio sepulcro gauderent. Denique clerum monuit ut ab omni dissensione quae cum admiratione populi et amaritudine familiae defuncti semper conjuncta esse solet pro viribus abstineret et si qua super applicatione praefati edicti quaestio forte oriretur partes privatim rationes suas coram curia exponere et dispositioni provisoriae omnino stare jussit salva cuique facultate jura sua in formali judicio experiendi.

Praefata lex a successore in episcopatu Eminen. Morichini in synodo dioecesana 1857 habita confirmata est attamen quum hisce ultimis temporibus gubernium Pedemontanum armata vi regiones illas invasisset extraordinarius laicae potestatis commissarius Anconae degens omnes quoscumque exceptis tantum Episcopis tam clericos quam laicos quamvis proprium in ecclesiis sepulcrum haberent in publico coemeterio humandos edixit. Inde inter patres reformatos s. Francisci et nonnullos parochos civitatis Aesii complures quaestiones enatae sunt e quibus praesens de qua agimus ad H. S. O. delata est.

Die 1. Decb. 1861 Franciscus Petrini e paroecia s. Joannis B. qui in ecclesia praedictorum patrum sepulcrum Majorum habebat mortem sibi propriis manibus intulit. Etsi in detestationem tanti flagitii ss. canones suicidas sepultura ecclesiastica excludant scitum est qua sub praesumptione, quibus facti adjunctis et argumentis horum amentium filiorum pia mater ecclesia sepulturam in loco sacro permittat. Consanguinei defuncti hominis adolescentem quendam qui in negotiis ipsius operam navabat ad parochum s. J. B. Capomagi miserunt isque adolescens ad horam decimam diei tertiae Decb. funus ordinavit. Tunc custos conventus PP. reformatorum et voce et scriptis dicto parocho renunciavit religiosae familiae deberi emolumenta funeraria praeter quartam quae ad parochum spectaret. Parochus tamen funus peregit respondens emolumenta funeris minime patribus competere, consulturum se fore subjunxit H. S. Congr. appositum ad rem dubium proponendo consensu partium efformandum. Hujusmodi vero propositum consulendi hunc s. ordinem mutata deinde sententia retractans quaecumque emolumenta iisdem patribus denegavit. Tunc coenobii custos episcopalem curiam adiit quumque Emus Episcopus per aliquot notae prudentiae viros frustra tentasset parochum adducere ut expedita emolumenta tribueret die 30. Jan. 1862 mandavit eadem servanda esse loco depositi apud ipsum parochum usque ad exitum controversiae.

Post haec laudatus custos ut ecclesiae suae jura defenderet H. S. Ordini supplicem libellum obtulit petiitque ut parochus ad restitutionem emolumentorum adigeretur. Quare die 18. Martii 1862 Emo Episcopo scribendum duxi eidem commendans ut audito parocho in scriptis transmissisque documentis ad rem facientibus super bono jure referret votumque suum panderet. Initio responsionis suae Emus Episcopus tres alias hujus generis quaestiones inter custodem praedictum et capitulum necnon inter capitulum aliumque parochum exarsisse et partim adhuc indecisas

pendere renunciavit, parochum vero Capomagi licet saepius monitum ut in scriptis jura sua deduceret nihil respondisse retulit sub praetextu quod supplicem custodis coenobii libellum mendaciis refertum reperiisset. Episcopus tamen preces s. Ordini exhibitas et juri conformes esse et benigne a S. H. Congregatione excipiendas censuit transmisitque exemplar cujusdam voti quo ex autoritate doctorum et adductis ad rem nonnullis s. Congregationis resolutionibus cathedrale capitulum in simili casu ad restitutionem emolumentorum adegerat. Hic tamen praenotandum occurrit capitulum in obsequium Episcopi curiae mandatis satisfecisse et praesentis controversiae resolutionem expectare ad certam sibi regulam constituendam.

Monitis partibus de decreto inscriptionis causae in folio parochus Capomagi qui antea respondere recusaverat deductiones suas cum duobus testimoniis exhibuit; custos autem P. P. reformatorum nonnulla rationum momenta quae religiosae favent familiae in compendium redacta breviter exposuit. Quare meum est tum ex hujusmodi allegationibus tum ex prolatis auctoritatibus ea colligere quae ad exortae controversiae diremptionem maxime conducere videntur.

Falsum itaque contineri in precibus P. P. ref. parochus contendit et reclamasse quidem admittit custodem conventus contra funus a parocho peragendum sed hora inopportuna id fecisse monet quando nempe omnia ad exequias in ecclesia parochiali perficiendas parata erant. Nec curiam restitutionem emolumentorum intimasse sed initio inclinationem quandam ostendisse favore custodis et suasiones tantum adhibuisse ad restitutionem commendandam ex quo factum est quod ipse eidem curiae contrarias alias rationes exposuerit. Falso etiam allegari similes casus in quibus capitulum emolumenta restituerit. Allato enim Canonici Camerarii testimonio demonstrare studet capitulum emolumenta reddidisse non ex jure ab eodem recognito sed spontaneo potius in Emum Episcopum obsequio. Nullo autem modo se jura dictorum fratrum laesisse aut laedere velle protestatur sed revocata questione ad antiquam rerum conditionem libenter se permissurum ait ut obveniente aliqua in ecclesia fratrum tumulatione ii etiam omnibus emolumentis gaudeant.

Praeterea in literis ad Emum Episcopum Aesinum transmissis sua jura tueri conatus est.

Opportuno propterea testimonio firmat se nullo modo familiam Petrini induxisse ut in parochiali ecclesia funera exequenda mandaret. Testantur enim duo illius familiae mandatarii se exequias in parochiali ecclesia fieri jussisse.

Jus funerandi sublato licet jure tumulandi per edictum Emi de Cursiis et ex praxi civitatis Aesinae ecclesiis non parochialibus assertum et adjudicatum fuisse nec quidquam mutatum esse aut mutari potuisse subjungit decreto regii commissarii cum decretum illud tumulationem tantum non celebrationem funeralium respexerit; imo si quid de ipsis funeribus statuere praesumpsisset nullatenus hac super materia esset attendendum.

Frustra tandem objiceretur conventualis ecclesiae jus voluntate consanguineorum fuisse in casu infirmatum cum solis parentibus pro filiis decennio minoribus electio sepultura libera per episcopales leges permanserit. Debuisse igitur parochum voluntati familiae morem haud genere aut si id ad evitandum scandalum fieri non potuisset ecclesiae conventuali jura sua et debita emolumenta restituere.

Hisce partium deductiones concluduntur; queis tamen nonnulla pro opportunitate subnectam. Comperti juris est unumquemque in loco quem sibi elegerit vel in sepulcro majorum esse sepeliendum qui vero nec sepulcrum elegerit nec proprium sive gentilitium sive haereditarium habeat in ecclesia parochiali humandum esse. In utroque autem casu parocho a quo sacramenta coelestia percipere defunctus consuevit deberi partem quamdam emolumentorum funeralium quam singulorum locorum statuta ac consuetudines modo dimidiam modo tertiam modo quartam esse constituunt.

Antiquis temporibus ss. canones vetuerunt ne defuncti in ecclesiis humarentur, *can. Praecip. 15. caus. 13. qu. 2.*, nisi forte id exequi contingeret in atrio vel in porticu aut in exedris ecclesiae. Posterius mos invaluit omnes sive laicos sive clericos in ecclesiis tumulandi, *cap.: Ex parte, cap.: Cum liberum 6. de sepult.* Tandem hodiernis temporibus ad publicae sanitati prospiciendum ubique fere tum civili tum ecclesiastica auctoritate constitutum est ut omnino prohibitis humationibus in ecclesiis publica coemeteria erigerentur.

Lata vero lege ne quis intra ecclesiarum septa sepeliretur nonnulli parochi arbitrati sunt omnia sibi suisque ecclesiis funerum jura obvenire prae aliis ecclesiis in quibus sepulcra majorum adessent. Cessante siquidem fine principali funerum favore ecclesiarum scilicet ut corpus in sepulcro majorum requiesceret cessare etiam videbatur accessorium seu jus funerandi et idcirco jus nativum parochorum reviviscere contra ecclesias non amplius tumulantes. Attamen s. Congregatio erectione coemeteriorum locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum retinuit non vero sepeliendi jus quod imo integrum mansisse censuit in *Derthonen 24. Maji 1821* et in Portuen ac *Centumcellarum 28. Martii 1835* et in *Forolivien Funerum 26. Jan. 1833.* Si enim ut in harum postremo animadvertebatur providentissime prospectum est ne quid parochis de pristinis ipsorum juribus deperiret non propterea nova iisdem collata sunt cum restitutis coemeteriis placuit saluti potius populorum quam incremento parochialium reddituum consulere quin detrimenti quidquam caperent ecclesiae quae legitimo tumulandi jure praeditae erant . . .

»Quare cum in *Camerinen. Funeris diei 24. Nov. 1821* parochus s. Martini qui ad propriam parochialem ecclesiam cadaver Veronicae Massi deferri ibique funus peragi curaverat antequam in publico coemeterio conderetur omnia sibi deberi funeris emolumenta propter edictalem legem 1817 contenderet s. Congr. ad ecclesiam ss. Gregorii et Valentini in qua gentilitium aderat defunctae sepulcrum spectare decrevit expositionem cadaveris et funus eidemque restitui mandavit funeris emolumenta a parocho percepta dempta quarta etc. Et in citat. *Derthonen.* formiter proposito dubio: An capitulo Collegiatae Novi sit concedenda manutentio in possessione juris peragendi exequias in propria ecclesia et percipiendi emolumenta juxta solitum non obstante constructione publici coemeterii in casu? s. Congregatio respondit: *Affirmative in omnibus.*

Quid vero consanguinei vel haeredes circa defuncti funera possint praesertim si agatur de ordinatione funeris in alia prorsus ecclesia quam in ea in qua sepulcrum Majorum adest facile deduci posse videtur ex una *Civitatis Castellanae Funerum 28. Jan. 1762.* Peracto funere cujusdam Silviae Paglia in cathedrali ecclesia etsi in ecclesia s. Francisci sepulcrum familiae adesset et exorta hinc lite super emolumentorum pertinentia capitulum minime quidem in genere denegabat quod non electa sepultura a defuncta funus peragendum esset in ea ecclesia ubi familiae sepulcrum extabat, at in specie tueri se posse arbitrabatur ex consensu superstitis viri qui etiam consentientibus filiis et heredibus funus capitulo ordinaverat. Ex officio animadvertebatur unicam dubitationem ex eo deducendam quod voluntas heredis pro voluntate defuncti habenda foret; attamen hujusmodi arbitrium heredem fortasse non sequi praesumebatur morientem se accommodasse ad juris ordinationem et de jure esse ut qui aliter non constituerint sepeliantur in ecclesiis parochiae vel in majorum sepulcris; exequias vero ad ritum sepeliendi pertinere ipsumque actum tumulationis comitari et a sepultura non dividi. His ergo perpensis propositoque dubio: An cadaver . . . potuerit adsportari ad ecclesiam cathedralem Civitatis Castellanae ad effectum peragendi funus? rescriptum prodiit: Negative et amplius.

Contrarium sane non raro obtinere potest sive ex speciali lege sive ex locorum consuetudine legitime praescripta sive ex aliis circumstantiis ex quibus praesumi valeat eam fuisse defunctorum voluntatem ut sui heredes hac super re arbitrium habeant. At in casu si de speciali lege vel consuetudine agatur nil vel ab Emo Episcopo vel etiam a parocho relatum est, ex quo argui liceat alterutram in Aesina civitate parochis favere. Utrum vero circumstantiae superius allatae ad funus parocho demandandum tanti aestimari debeant ut valeant a restitutione emolumentorum eumdem eximere vestrum erit Emi Patres decernere.

His animadversis super controversia exorta inter praefati coenobii custodem et parochum Capomagi cum Emus Praesul nonnullos alios casus ejusdem generis et circumstantiarum in suis literis referat in quibus eadem quaestio exorta est et a s. Ordine expostulet ut statuere pro sua sapientia dignetur utrum resolutio quam Emitiae Vestrae ad praesentem casum ferent aliis etiam aptari valeat exscribam heic eam literarum partem in qua Episcopus de hujusmodi casibus agit:

»Et primum (ita in his literis) die 20. Jan. 1862 mortuo Domino Francisco Guglielmi hujus civitatis absque sepulturae electi-

one ejus uxor ac filius statuerunt transferendum ejus cadaver pro funere tantum in hanc ecclesiam cathedralem ejus paroeciam, omissa illa regularium ordinis s. Francisci reformatorum in qua familia Guglielmi sepulcrum habet gentilitium. Incassum verbo et scripto meam impendi operam ut capitulum cathedrale funerum emolumenta traderet conventui eorundem s. Francisci reformatorum. Tandem nonnullis juris et facti rationibus per me in unum collectis ad instar voti . . . ac primae capituli Cathedralis Dignitati missis die 27. Febr. 1861 eadem prima Dignitas mihi nuntiavit paratum esse capitulum ad tribuenda funerum emolumenta regularibus quod deinde reapse factum fuit ut constat ex literis ejusdem custodis religiosae familiae mihi datis sub die 7. Martii 1861.

Alterum quaestionis caput proditum est mox morte Felicis Frontini orti in terra s. Mariae Novae loci hujus dioecesis utentis jure civitatis Aesii ut caeteri ejusdem familiae. Hic juvenis annorum circiter 20 facultatibus philosophicis vacans in hoc seminarii collegio tamquam alumnus ut suae valetudini consuleret domum Aloisiae Frontini suae amitae accessit in paroecia s. Petri Apostoli hujus civitatis. Sed infirmitate aucta in testamento quod die 25. Aug. 1861 in eadem amitae domo condidit declaravit se ortum quidem s. Mariae Novae sed domicilium habere in Jesu. Iisdem tabulis testamentariis jussit ejus corpus esse transferendum pro exsolvendo funere in ecclesiam cathedralem et constituit legatum unius missae quoditianae. Expletis exequiis in dicta ecclesia parochus s. Petri a capitulo cathedrali quartam funerariam postulavit cui capitulum se nescire respondit, cuinam ea esset tribuenda, utrum nempe parocho originis s. Mariae Novae vel ipsi postulanti. Idem s. Mariae Novae parochus certior factus de testamento defuncti petitioni quartae funerariae nuncium dedit. Quae renunciatio cum innotuit capitulo dissentionem ut aequum erat non diremit. Capitulum enim non parocho s. Petri sed sibi contendit deberi funerum emolumenta. Haec quaestio inter capitulum et parochum s. Petri adhuc fervet nec spes affulget conciliationis.

Tertia quae est exorta quaestio existit inter idem capitulum et custodem conventus fratrum ref. ob decessum Aspasiae Leopardi Tosi paroeciae hujus ecclesiae cathedralis quae cum mortua fuerit absque sepulturae electione ejus funera creduntur exsolvenda esse in ecclesia eorumdem PP. ref. ob jus, quod praesumitur haberi ad sepulchrum gentilitium adversante hujus cathedralis ecclesiae capitulo quod negat in familia Leopardi existentiam juris ad praedictum sepulchrum gentilitium.«

Cum quilibet casus peculiaria quaedam adjuncta ut plurimum exhibere soleat quae singillatim et inter partes discutienda sunt ita prudentissime penes hunc s. Ordinem praxis obtinet ut nonnisi in peculiaribus casibus rite propositis et discussis provideatur. Edito tamen rescripto ad dubium praesentis quaestionis vestrum erit Emi Patres decernere quid respondendum sit Emo Episcopo super aliis casibus ab ipso propositis. Ego interim vobis dirimendum subjiciam

D u b i u m:

I. *An et quae emolumenta funeris parochus Capomagi resituere teneatur patribus s. Francisci in casu?*

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus dempta quarta, et amplius.

Die 26. Novb. 1863.

b) Jura et leges ecclesiast. de eo.

Post devastationem ecclesiarum civiliumque Guberniorum, quae pereunte saeculo decimooctavo contigit, in nova rerum ordinatione juxta invalescentes progressus socialis ideas fuit quoque consultum hominibus humandis, interdicto videlicet ecclesiis jure fideles sepeliendi impeditaque facultate fidelibus eligendi sibi sepulturam omnes ferme defuncti ex civilibus dispositionibus in communia coemeteria extra urbes constituta sepeliri coacti sunt.

A simili lege nec pontificium Gubernium fuit immune: namque ope Consilii, quod a consultatione nomen habet, quodque publicae sanitati in pontificia ditione praesidet, quaedam emanarunt edicta anno 1817 ad constituenda publica coemeteria; attamen horum edictorum exsecutio multas reperit difficultates. Quod semper contingit, quando inveteratis atque rationabilibus consuetudinibus lex quaevis adversetur. Fortius enim mores populorum regi solent longaevis consuetudinibus, quas mores iidem constituunt,

quam lege scripta nisi multa vigilantia auctoritatis vel vis accedat. Unde in pluribus dioecesibus pontificiae Ditionis horum coemeteriorum erectio locum habere non potuit atque in ipsa Urbe nonnisi multos post annos publicum coeptum est.

Paucis abhinc annis Episcopus suffraganeus urbis N., auditis parochis necnon ejusdem urbis municipio, decreta coemeterii publici erectione, regulas ad jura funerum moderanda constituit. In ejusmodi regulis articulus primus decernebat: »omnes accolas urbis N. et pagorum adjacentium tumulandos esse in publico coemeterio . . .« »Articulus secundus: »exemptos esse ab hac lege Vicarium Episcopi generalem et delegatum pontificium pro negotiis provinciae praeter majoris dignitatis personas in statuto romano privilegiatas et possessores omnium sepulcrorum suae gentis vel familiae; cum limitatione tamen, ut dictae sepulturae non possint concedi, acquiri, donari, legari, alienari quovis modo vel transire ex una in alteram familiam, ex una in alteram personam sine expressa venia Emi Episcopi.«

Articulus quartus decernebat: »Ad compensandas paroeciales ecclesias ob amissionem emolumentorum, prohibitas esse exequias praesente cadavere in aliis ecclesiis; atque omnia prima funera in ecclesia paroeciali peragi debere quamquam defunctus sepulcrum gentilitium vel familiare habeat, in quo heredes eum tumulari velint, et quamquam ipse defunctus addictus fuerit capitulis vel ecclesiis collegiatis; atque ita, ut post celebrationem funerum in ecclesia paroeciali et non antea possit defunctus transferri in ecclesiam gentilitii sepulcri ut ibi sepeliatur propriae familiae impensis; neque eadem ecclesia tumulans ullum jus habeat ad emolumenta funebria neque ad peractum funus; sed solum ad taxam sepulturae, ad formam synodi dioecesanae ab heredibus solvendam. Quod si peragi exsequiae velint, cadavere exposito in ecclesia tumulante, id peragi debere sine ullo praejudicio ecclesiae parochialis, cui ideoque debeatur cera omnis et omnia et singula emolumenta, excepta sepulturae taxa ut supra.«

Cathedrale capitulum, quum ejusmodi regulas cognovisset, in comitiis capitularibus habitis die 20. Augusti 1867 animadversiones suas patefecit affirmans: »ejusmodi dispositiones indigere moderamine ob inconvenientia quae inde derivarent.« Nominatim vero conquestum est de articulo primo et secundo, ex eo praesertim, quod capitulum ipsum curam habitualem in Cathedrali haberet in qua et propriam sepulturam: neque consentanea esset canonicis dispositionibus hujusmodi juris privatio, quidquid sit de statuto romanae ecclesiae, in quo tamen ipsi regulares a lege publici coemeterii immunes essent.

Praeterea, dicere pergebat capitulum, si in articulo secundo excipiuntur possessores gentilitii sepulcri, excipi debent ex eadem causa Capitulares, qui propria gaudent sepultura; et sicut in eodem articulo eximuntur a publici coemeterii lege majores dignitates, ita quoque excipiendum capitulum quod est Episcopi senatus atque ideo coetus prae ceteris dignior in universa dioecesi. Scopus praeterea publici coemeterii in publica sanitate collocatur: sed haec publica sanitas nihil patitur si concedatur Canonicis propria sepultura, quemadmodum nihil pati Romae existimatur ex privilegio concesso Emis Cardinalibns, Archiepiscopis et Episcopis; nec reputatur aliquid pati in ipsa urbe N. ob usum sépulcrorum familiarium. Et ob ejusmodi titulos et rationes si tumulandi sint Canonici in cathedrali ecclesia, in ea quoque funera peragi debent ad tramites communis juris.

Animadvertit insuper, in eadem Cathedrali quandam existere capellam, in qua. ob imaginem Virginis Deiparae magna fidelium devotione cultam, iidem fideles feruntur ad eligendam sepulturam in eadem capella, emolumento dato sacristiae quod constitueret ejus redditus praecipuos, qui, ex synodo dioecesana, impendendi essent in manutentionem et ecclesiae decorem, cui et ipsi Canonici sua emolumenta cederent. Suppressa igitur ejusmodi sepultura majores sacristiae redditus absque ulla compensatione cessare etc.

Hodiernus Episcopus suffraganeus easdem regulas ad suum Emum Episcopum remittens in ea opinione erat, ut eaedem regulae subjicerentur s. Sedi pro adprobatione, quum quaedam continerent adversantia communi juri: atque animadversiones suas patefecit, quod, quum universalis repugnantia existeret adversus publicum coemeterium, si dictae regulae amplius relaxarentur, novae aliorum plurium querimoniae futurae essent et lex in irritum facile cessura.

Emus ejus dioecesis Episcopus dictas regulas s. Congregationi proposuit ut eas adprobaret cum illis modis quos facere s. Congregatio reputaret.

Auditis iis, quorum id interesse posset, rectores ecclesiarum in quibus gentilitia sepulcra existunt, petierunt ut, jure sepeliendi incolumi manente, sarta tectaque servarentur jura funerum. Parochi autem facile sinebant, ut ejusmodi articulus reduceretur ad formam communis juris quamquam ille prouti jaceret imitaretur statutum romanae ecclesiae.

His praehabitis regulae fuerunt propositae s. Congregationi.

Qui consultationes ex officio scribit, ante omnia breviter recoluit historiam de re funerea. Animadvertit scilicet, juxta leges duodecim tabularum praescriptum fuisse: *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito:* ejusmodi dispositionem, Ulpiano teste, ab Imperatoribus protensam fuisse ad omnes romani Imperii urbes: primis ecclesiae saeculis hanc legem sequntam esse ecclesiam, prouti vulgaria monumenta testantur, cujusmodi sunt catacumbae et cryptae quae Romae conspiciuntur, quaeque, ob fidem in resurrectionem, coemeteria vel dormitoria fuerunt appellata. Persecutionibus cessantibus coemeteria adhuc mansisse a templis separata, sed passim templis appropinquasse, Tomassini *vet. et nov. eccles. disc. de benef. p. 3. l. 1. c. 66. n. 10:* idque evenisse ob fidelium pietatem erga martyres, qui solis in templis recondebantur, quae quidem templa in eorum honorem saepenumero extruebantur: ejusmodi enim pietatem erga fidei heroes talem fuisse, ut fideles optarent quammaxime prope eorum memorias post mortem jacere; et quoniam intra templorum ambitum recondi non possent, ad externos basilicarum parietes fuisse reconditos, juxta tradita *can. 15. caus. 13. q. 2.* concilii Varensis, ubi legitur: *Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in artrio aut porticu aut in exedris ecclesiae.*

Permissum tamen id fuisse Episcopis aliisque dignitatibus vel singularis sanctitatis personis juxta tradita *ibid. can. 18.* ex concilio Magotiensi: *Nullus mortuus intra ecclesias sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates aut digni presbyteri vel fideles laici.*

Sed desiderium habendi locum dormitionis in templis magis magisque in fidelibus in dies succrevisse atque consuetudinem invaluisse eosdem ibidem sepeliendi ut ex *cap. 3. 5. et 6. de sepult.* quod in jus commune transiit. Neque id sine gravi causa, quam jamdiu tradiderat *can. 17. caus. 13. q. 2.* his verbis: »*Prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quia eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt suorumque sepulturam aspiciunt, recordantur et pro eis Domino preces fundunt.*

Invalescente itaque ejusdem consuetudine lege deinde firmata mirum haud esse, si novae legi sepeliendi fideles in publicis coemeteriis extra urbes ratione publicae valetudinis difficultates occurrant ob rerum statum quem vetus consuetudo posuerat: ideoque in constituendis publicis coemeteriis res ita esse temperandas, ut, salva manente publica valetudine, funerum jura, quanto minus fieri possint, laedantur.

Animadversum est ex adverso a lege coemeterii exemptum esse delegatum pontificium qui in civili regimine repraesentat principatum romani Pontificis et Vicarium generalem, qui in administratione dioecesis repraesentat Episcopum: at vero non esse incongruum, ut excipiantur quoque Canonici, qui non solum repraesentant sed constituunt realem Episcopi Senatum*) quique reputandi sunt digniores quam ceteri qui sepulcro gaudent gentilitio. Eo magis, quod jure receptum sit, Canonicos, qui habeant sepulcrum in Cathedrali et simul sepulcrum gentilitium, sepeliri debere in Cathedrali, non autem in gentilitio sepulcro, ut declaratum est, in Tyburtina die 12. Maji 1618: proposito enim dubio: »An idem Canonicus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in ecclesia cathedrali tamquam sua parochia, an potius in sepulcro majorum suorum?« responsum prodiit: *In Cathedrali si in ea adsit proprium Canonicorum, sin minus in sepulcro majorum.*

Si ergo in propositis regulis serventur sepulcra gentilitia, majore ratione servanda esse sepulcra Canonicorum, quae sepulcris gentilitiis ex ipso jure praeferenda essent.

Item aequum videri a lege communis coemeterii eximere qui sepeliri velint in supradicta capella, quae in ipsa Cathedrali exstabat, ob allegatas a Canonicis causas, quin

*) Vd. *p. 417. n. 35.*

periculum adesset, eandem capellam commune quodammodo coemeterium fore evasurum, quum taxa scutatorum decem sacristiae rependenda multos retraheret ab ea sepultura eligenda.

At praeterea propositas de quibus agimus regulas vehementius laedere videri jura ecclesiarum tumulantium: propterea quod auferrent iisdem ecclesiis jus funerandi contra ipsum edictum a s. Consultatione editum anno 1817, in quo statutum fuerat, ut salva manerent emolumenta parocialia quae sint vel dispositionis vel legitimae consuetudinis quae quidem dispositio ex paritate rationis applicanda quoque esset ecclesiis tumulantibus quemadmodum applicavit S. C. C. in causa *Ariminen. Juris tumulandi* die 14. Maji 1825, in cujus causae expositione animadversum fuerat: »Coemeteria vero causa publicae valetudinis subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae jus habebat tumulandi in propriis sepulcris, nunc jus istud exercet in publico coemeterio ideoque non sublatum jus sepeliendi fuit, sed variatus locus, quod profecto non impedit emolumentorum perceptionem et jus peragendi exequias.« Eandemque doctrinam in hujusmodi quaestionibus passim allegari: eoque magis in themate, in quo agitur de ecclesiis, in quibus in propositis regulis jus sepeliendi servaretur. Verum quidem esse per constitutionem publici coemeterii parochos amittere emolumenta tumulationis; sed praetermissa animadversione ejusmodi detrimentum et alias ecclesias quae tumulare potuissent perferre; hanc emolumentorum amissionem posse alia aequa ratione compensari, non autem privatione jurium quibus alii fruantur.

Sed in quaestionem praeterea posse revocari utrum expediat conservare sepulcra gentilitia et familiaria. Ejusmodi conservationem prohibitam fuisse in lege edictali s. Consultationis anni 1817 per verba: »*Resti espressamente vietato a chichesia ancorchè privilegiato, o avente sepolcri gentilizi di far sepellire i cadaveri nelle chiese e parrocchie:*« quae latine sonant: »Interdictum omnino cuivis sit, licet privilegiatus vel sepulcro gentilitio gaudeat, cadaver sepelire in ecclesiis et paroeciis.« Quam quidem legem eadem s. Consultatio licet paulisper temperaverit die 15. Maji 1825 quoad substantiam tamen firmam retinuit.

Neque esse praetereundum, in expositis regulis nullam mentionem de regularibus fieri. Revera s. Consultationem anno 1817 neque regulares excepisse a communis coemeterii lege: nihilominus Leonem XII. fel. rec. ex Motu Proprio diei 28. Februarii 1824 art. 1. statuisse: »Regulares utriusque sexus sepeliantur in suis ecclesiis vel in coemeteriis intra clausurae ambitum.«

Quum insuper inceptum esset Romae coemeterium in agro Verano Emum Card. Urbis Vicarium per encyclicas literas diei 19. Junii 1837 oraculum Gregorii XVI. fel. rec. patefecisse his verbis latine conversis: »Art. 6. ex praesenti principali dispositione exempti sunt dumtaxat Summus Pontifex, Imperantes, Principes ex regio sanguine, Cardinales, Episcopi, Praesules qui appellantur *di fiocchetto*, et ii omnes qui jam possideant capellam cum sepulcro gentilitio vel familiari.« Sed quum querelae motae essent apud S. C. Episc. et Reg. a regularibus Perusiae degentibus, qui a lege communis coemeterii Perusiae exempti non fuerant ob novas dispositiones interim emissas, rogatum de hac re tum fuisse Emum Card. Urbis Vicarium, qui die 23. Novembris respondit: »Regulares utriusque sexus, qui habeant in suis ecclesiis, coenobiis adnexis, sepulturam pro religiosa familia exempti sunt a tumulatione facienda in publico coemeterio, idque virtute articuli 6. dictae dispositionis ... Haec exemptio regularium confirmata quoque est usu et consuetudine constanti ab emanatione dictae dispositionis.« In agitanda ea Perusina causa fuisse quoque relata documenta, quae ostenderent, in praecipuis pontificiae Ditionis urbibus hanc regularium exemptionem servari. Proposito itaque coram s. Congregatione ad id specialiter a SSmo deputata dubio: »An et quomodo admittendae sint reclamationes religiosorum Perusiae utriusque sexus et nominatim monialium a s. Aguete adversus novas dispositiones de tumulatione in casu?« S. Congregatio die 3. Junii 1851 respondere censuit: *Affirmative et servanda esse privilegia regularium utriusque sexus.*

E converso pro regulis adprobandis animadversum est, exceptionem factam pro generali Vicario a lege communis coemeterii videri conformem legi a s. Consultatione editae anno 1817 et subsequentibus declarationibus per peculiarem Congregationem publicae sanitati deputatam; propterea quod in

his statuatur, omnes humandos esse in communi coemeterio, *excepto Ordinario*. Eo magis quod Vicarius generalis Urbis N. de quo agimus soleat esse Episcopus suffraganeus qui ex communi consuetudine exemptus est a communi coemeterio.

Item sepulcra gentilitia servanda esse ex expositis literis encyclicis Emi Urbis Vicarii, quarum literarum dispositiones applicatae a Congregatione sanitatis essent etiam provinciis pontificiae Ditionis. Nec immerito: namque licet adsint doctores, qui juxta Glossam *in cap. unic. de jure patr. in 6° et in cap. Qui sentit. de reg. jur. in 6°* affirment, jus sepulturae in honorifica patronorum jura esse connumerandum, alii e converso id negent, uti Lambertin. *de jure patr. l. 1. p. 1. q. 11. art. 13*, Lotter. *de benef. l. 2. q. 4. n. 22.*, Ventrigl. *prax. for. annot 1. de jurep. §. 4. n. 13.*, Rota *dec. 162. n. 17. cor. Bichio* et alibi: certum tamen esse, patronum ex consensu Episcopi sibi reservari posse ejusmodi jus in *limine fundationis*, quemadmodum S. C. C. resolvit in *Seguntina* 24. Januarii 1602 *lib. 10. decret. pag. 21.*

Ideoque sepulcra gentilitia derivare ex patronatu vel ex aliqua peculiari concessione; in priori casu jus sepulcri solere conjungi cum facto fundationis vel dotationis; in altero vero solere conjungi cum aliqua elargitione vel donatione ecclesiae facta ob quam sepulcri privilegium concessum fuerit: in utroque autem casu jus sepulcri supponere titulum quodammodo onerosum, in cujus compensationem jus illud sit concessum: ideoque, nisi boni publici necessitas omnino urgeat, aequum non esse, ut ejusmodi jura abrogentur. Eo magis quod ejusmodi sepulturae jus quum secumferat onus restaurandi capellas etc. in detrimentum quoque ecclesiae abrogaretur.

Haec autem repeti non posse si de sepulcro Canonicorum proprio agatur; quum Canonici ejusmodi titulos onerosos, in quorum compensationem concessum sit sepulcrum, afferre non possint, ideoque in themate neque posse invocari legem de praelatione sepulcri canonicalis sepulcro familiari vel gentilitio: quae quidem lex praelationis non solum respiceret Canonicos sed universum clerum, si pro clero universo sepultura constituta existeret, ceu tradit Nicolius *tom. 1. lucubr. civil. l. 4. tit. 15. num. 23. vers. ult.* Clericus non sepelitur in sepulcro majorum, quando in Cathedrali vel matrice adest proprium clericorum a laicalibus separatum. Item Monacell. *tom. 4. supplem. ad tom. 1. n. 176.*; Pax Jordan. *tom. 3. l. 14. tit. 30. n. 45.*; Ferraris *biblioth. can.* verbo *Canonicus art. 8. n. 11.*

Neque eximendam videri capellam Deiparae sacram, quam Canonici exemptam voluissent; nam praeterquam quod omne privilegium a communi lege sit odiosum, ipsum in themate vanam redderet legem, quippe quod, quum nostrates saepenumero abhorrere soleant a coemeteriis publicis extra urbes constitutis, facile capella illa in coemeterium commune quodammodo converteretur, nulla habita quantitatis taxae ratione, quum mortis periculo pecuniae cupiditas cesset aut saltem mitescat praevaleatque religionis sensus.

Praeter haec alia sunt animadversa circa jus funerandi, in quo jure regulae illae fere congruebant cum regulis statuti romani cleri juxta celebrem causam in s. Rota agitatam, de quo jure tamen adnotatum est non videri in urbe N., vigere ea rerum adjuncta, quae Romae vigent, ut ejusmodi dispositiones locum ibidem haberent: caeterum hac in re parochos urbis N. non sese ostendisse alienos ad jus commune prosequendum: ideoque difficultatem cessare. Alteram quoque cessare difficultatem quoad regulares quum expositae literae encyclicae Emi Urbis Vicarii, quae aptatae sunt etiam ceteris provinciis pontificiae Ditionis, ita fuerint intellectae, ut regulares censerentur comprehensi inter eos qui familiari sepulcro gaudeant.

D u b i u m:

An et quomodo expediat propositas regulas adprobare in casu?

S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 6. Maji 1870 causa cognita respondere censuit: *Emus Episcopus utatur jure suo ordinario in constituendis vel adprobandis regulis pro usu coemeterii.*

Ex quibus colliges:

I. Sanctam Sedem non solere auctoritatem suam exserere pro adprobandis legibus, quas Episcopi jure suo facere debeant in administrationem dioecesis. *)

*) Si sacrae Congregationes consulantur in peculiaribus casibus, qui aliqua penitiore disquisitione indigeant, quae auctoritati episcopali definiri non possit, tum re in accuratum examen revocata, dirimunt, sed legibus sive pro universa dioecesi edendis sive pro aliquo peculiari dioecesis instituto, quae ut adprobentur, afferantur, suam auctoritatem s. Sedes adjicere non solet, quum ad ordinariam Episcopi auctoritatem id pertineat.

Cum his tamen non sunt confundenda acta provincialium Synodorum: quamquam et harum adprobatio non sit vera adprobatio, sed simplex revisio in qua revisione facienda praecipue animadversiones consultorum dari solent, in iis quae forte abhorrere reperiantur ab ecclesiasticis legibus: eademque synodalia acta ex hac authentica revisione nullum peculiarem valorem acquirunt: manent enim leges episcopales seu provinciales, quarum aliquod caput, si in formale judicium ex aliqua causa forte deinde deducatur, potest etiam detegi atque judicari tamquam illegitimum, injustum, aut erroneum; quamquam post revisionem dictam difficile admodum contingat ob diligens examen quo acta expenduntur, de qua re conferri potest cl. Angelus Lucidi in opere de VV. SS. LL. *tom. I. pag. 194.*

Vera legum adprobatio intervenit, quando agitur de transactionibus jurium ecclesiarum, quae aliquo modo jus commune laedant vel attingant successorum jura: hae transactionum leges ut firmae maneant Apostolica plerumque indigent auctoritate.

Item vera Apostolica adprobatio intervenit in constitutionibus regularium, (quae est actus mirifice ostendens primatum Romani Pontificis in universam ecclesiam, quum per eum subtrahuntur illae communitates a jurisdictione Episcoporum ad normam ss. canonum) eaedemque constitutiones leges pontificiae evadunt, in quibus Episcopi ingerere se non possunt. Quod imitatione quadam plus minusve contingit in reliquis ecclesiasticis communitatibus, quae a s. Sede approbationem constitutionum quaerant; quae quidem adprobatio per gradus rebus expertis conceditur.

Exceptis his similibusque peculiaribus legibus s. Sedes sese immiscere non solet in legibus conficiendis pro dioecesium administratione.

*) Vera causa, cur publica coemeteria in compluribus orbis catholici regionibus auctoritate civili sunt constituta, non est judicio nostro publica salus, cui jam prospectum consultumque fuerat in casibus epidemici morbi; sed altera paullo profundior, quae sua sponte derivat ex principiis quibus nunc regitur et gubernatur praesens civilis societas. Sed, quidquid sit de hujus rei origine et causa, in comperto est, de re agi quae in se est indifferens;

II. Semel constituto publico fidelium coemeterio ad Episcopum pertinere eas aptare leges ecclesiasticas novae huic rerum mutationi regulasque facere pro juribus moderandis quae usum coemeterii respiciunt.

III. Quum ex publica profana sanitatis causa publica coemeteria dicantur inducta, ita se gerere debere ecclesiasticum legislatorem in aptandis ecclesiasticis legibus moderandisque juribus, ut minus quam fieri possit, ecclesiastica fidelium et ecclesiarum jura pereant aut impedita maneant. *)

IV. In condendis regulis, quamvis utile sit prae oculis habere, quid Romae*) vel in

disputari siquidem tantum posset quid sit fidelibus pro locorum varietate magis utile. Quum de re in se indifferente agatur, ecclesia quae non hostiliter insectatur ejusmodi novas institutiones, facile suas leges attemperat et Romae etiam publicum coemeterium conspicimus munificentissime constructum.

At in ejusmodi attemperandis legibus alia prorsus ratione se gerit quam se gerant demagogi in innovando. Hi enim repentini homines omnia subvertunt et aliquid omnino novum facere intendunt, omnibus deletis, quae vetera dicunt. Contra vero ecclesia, in re disciplinali rite statuta atque mutanda ob extrinsecam aliquam causam, tantum mutat, quantum necessitas mutandi cogat atque omnia retinet, quae retineri possint; saltem rerum mutandarum memoriam. Quod innumeris exemplis ostendere possemus, quae neque in his foliis desunt.

Eo magis, quod de rebus mutandis in praesentia agitur, quae in pristinum statum pedetentim facile videntur rediturae. Ejusmodi enim publica coemeteria eum exitum sunt sortitura, quem sortita sunt in primis ecclesiae saeculis, dummodo vigente fidelium pietate religio catholica apud Gubernia civilia denuo dominetur. Sensim enim sine sensu, quaerentibus fidelibus ex indelebili sensu pietatis in templis vel prope templa, quae praediligant sepeliri, coemeteria extra urbes illis manebunt, qui quaerunt publicam sanitatem. Dixi ex indelebili sensu pietatis, quem sic praeclare expressit quoad suum sepulcrum s. Ambrosius in epist. 55: »*Succedant victimae triumphales in locum ubi Christus hostia est, sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum praedestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste martyribus debebatur.*

*) Ex magna aestimatione, qua Romam catholici orbis caput et magistram omnes profitemur, aliquos non raro audivimus inquirentes, quomodo, quibusnam legibus res ecclesiastica in ipsa Urbe quoad unum alterumve disciplinae caput administretur; idque ex ea ratione, ut eadem in propriis dioecesibus decernere possint.

Sed hac in re irrepere potest magna aequivocatio: namque ideo quia Urbs est caput et ecclesiarum magistra quibusdam legibus saepe contingit gubernari, quae aliis dioecesibus aptari non possent. In Urbe enim existit supremus ecclesiae legislator cum sua curia ad expedienda totius Orbis negotia. Curiae autem splendor omnia propemodum tegit quae Romae competunt quatenus dioecesis est: inde abundantia cleri, inde multa cleri centra, praesertim per Patriarchales aliasque Basilicas, quibus, qui praesunt Cardinales, jurisdictionem quasi episcopalem exercent. Existunt omnes fere religiosae regularium vel aliarum communitatum familiae, inde innumera templa, etc. Quaerere quidem potes in unaquaque dioecesi quibus ecclesiasticis personis confletur; illico enim deprehendes Episcopum, Canonicos, Parochos et reliquos cleros: sed ejusmodi elementa non eadem facile ratione Romae distingues, quatenus dioecesis est. Parochi ex. gr. qui

aliis dioecesibus factum constitutumque fuerit, tamen peculiarem legislatorem eosdem oculos figere debere in statum propriae dioecesis, in ejus consuetudines, in indolem ejusdem populi, in ea quae ibidem derivare possint ex novis dispositionibus, ut lex, intra limites juris edita, congrua experiatur, et si forte in judicium deducatur sapiens judicetur.

4) Reaedificatio a Communitate.

Firmana.

Coemeterium in porta s. Georgii sive Porta di Fermo quamquam extractum fiet 1768. jubente Archiepiscopo clar. mem. Cardinali Paracciano sumptibus ejusdem communitatis, attamen cum esset cadaveribus refertum de anno 1800 paene fatiscebat. Frustra tum actum est de illo ampliando vel novo aedificando inter communitatem dicti Portus et communitatem civitatis Firmi quarum altera in alteram onus extructionis rejiciebat Interea novis illatis cadaveribus malus odor exhalavit per ecclesiam et ipsum oppidum, ita ut ad emendandam faetorem cadavera aqua et calce conspersa fuerint quo citius consumpta pessimam valetudini expirationem emittere desinerent. Sed fermentata calce cadavera combusta faetidiorem fecerunt aerem et parietes coemeterii detrimentum coeperunt. Res delata est s. Tribunali Consultae quod tuendae publicae sanitati advigilat. Primum itaque severe animadvertit in parochum Vincentium Veneranda qui author immissae calcis damnique inde sequuti accusabatur, instaurato enim processu confiscationis poena ei indicta est. Verum cum parochus strenue crimen dilluisset absolutus fuit rescripto: Aboleto praecepto quoad confiscationem ulterius non molestetur, ex quo parochus restitutionem rerum confiscatarum impetravit.

Ubi parochus periculum hujusmodi evasit iterum apud s. Consultam institit et impetravit ut communitas Portus Firmi ad extructionem novi coemeterii adigeretur. At communitas putans se immunem esse debere ab expensis pro extructione necessariis ad scuta 1247. 20. juxta ac peritus intulit, idcirco ad s. hanc Congregationem preces obtulit, ut hoc aedificationis onus in parochum Veneranda rejiceret.

Archiepiscopus Firmanus (ex cujus informatione narrata excerpsimus), audito parocho, qui jura sua inferius recensenda inscriptis transmisit, ita votum suum concludit: Negari certe non potest quin per ejusdem calcis et aquae immissionem ita fermentatio exarserit, ut muri coemeterii aliquod detrimentum tulerint. Sed hanc ob causam nimine locus esse videtur disputationi utrum scilicet id parochi culpae tribuendum sit et utrum praeterea ad damni emandationem teneatur. Etenim non agitur de veteris coemeterii restauratione sed de novo conficiendo, cujus aedificium tametsi casus non evenisset erat ex integro excitandum, quandoquidem illud quod nunc extat utpote cadaveribus in statu suo relinquebatur. Ergo eo reddit simplex quaestio, cui scilicet sit onus inspecto jure canonico novi coemeterii constituendi. Si parochus ex jure teneretur certum est nequaquam impendio occurrere posse cum fructibus suae parochialis ecclesiae prout per indubia documenta ostendit parochus in ejus foliis.

Parochiani quidem praecipue ex facto instant ut parochus Veneranda ad expensas aedificiandi coemeterii compellatur. Facto enim suo evenisse ajunt ruinam veteris coemeterii scilicet eo quod calcem aquae miscens combustionem cadaverum excitavit indeque muri detrimentum capiebant. Reque vera Archiepiscopus in sua informatione quamquam putet parochum culpae in sortem nihilomi nus affirmat quod per ejusdem calcis immissionem ita fermentatio exarsit ut muri coemeterri aliquod detrimentum tulerint. Quare si ipse damni autor est ad emendationem esse damnandum concludunt cum nil exploratius quam quod damnum suum tenet autorem ex *text. integ. 64. ff. de regul. jur.* Contra parochus se omni culpa vacuum affirmat. Nam si calcem immisit ad emendandum faetorem fecit id quod Vicarius generalis per epistolam praescripsit; si vero aquam cum calce miscuit, id sane necessarium erat, ut cadavera consumerentur quemadmodum testantur ii qui curandae publicae sanitati praesunt. Ex quibus cum a s. Consulta liberatus sit ab impacto crimine concludit se prorsus a culpa fuisse alienum.

in aliis dioecesibus aliquid sunt penes fideles populos, Romae e converso fere disparent. In hoc rerum dioecesis romanae statu non potest indiscriminatim quaeri, quomodo una vel altera res administretur, ut eadem administratio repeti possit in alia dioecesi: sed quaeri debet quaenam sunt leges ecclesiasticae generales, quas Roma edidit ad easdem res administrandas.

Verum ut apposite observat Archiepiscopus non quaeritur nunc de restaurando veteri coemeterio ita ut statuendum sit num parochus ruinae causam dederit.

Quamquam enim coemeterium staret attamen esset inutile quippe quod cadaveribus refertum et novum construere esset omnino necessarium. Redit itaque quaestio omnis ad hoc utrum parochus vel parochiani ad extructionem coemeterii teneantur. Nullo quidem juris canonici loco cavetur num ad unum potius vel ad alios expensae hujusmodi pertineant. Canonistae vero in diversam abeunt sententiam. Alii putant quod haec controversia dirimi debeat ex decreto Concilii Trid. *sess. 21. cap. 7. de reform.*, quo decernitur ut ecclesia reparatur primum sumptibus ipsius ecclesiae seu rectoris et beneficiatorum, deinde patroni et tandem in subsidium expensis parochianorum sive communitatis. Cum vero haec Trid. dispositio extendatur etiam ad reparationem aedium parochialium ita quoque porrigi debeat ad extructionem coemeterii, quod sive remotum sit sive adjacens ecclesiae semper tamquam ejusdem accessorium consideratur ex *text. in cap. Unic. de concecrand. eccles.*, *Barbosa de jure eccles. univers. lib. 2. cap. 9. n. 7.* Quare si parochiani non tenentur nisi in subsidium quoad principale ita quoque in subsidium cogendi sunt ad extructionem coemeterii quod est accessorium, ut censet *Reclusio de re parochial. part. I. tit. 9. n. 100.*

Alii vero quorum frequentior opinio est putant expensas hujusmodi extructionis coemeterii pertinere praecipue ad parochianos, licet parochus dives sit. Nam coemeterium respicit parochianorum commodum et utilitatem, ut defuncti componantur et sit eis sepulchrum, ut tenent *Solor. de visit. cap. 25. per tot.*, *Crispin. de visit. part. 2. § 13. n. 6.*, *Sperell. dec. 68. n. 8.*, *Pannimoll. decis. 8. ad not. 8.* n. 31. decis. 15. annot. 1. n. 44., *Monacell. Formul. part. 2. tit. 13. n. 95.*

S. Congregatio in *Tusculana Reparationis ecclesiae* proposita die 14. Decb. 1737. et resoluta die 11. Jan. 1738. interrogata ad III. dub.:

An reparatio et expurgatio respective 4 sepulturarum existentium in ecclesia inservien. pro laicis adultis fieri debeat sumptibus dictae communitatis seu potius dicti capituli?

respondit: Affirmative ad I. partem, negative ad II.

Observandum tamen est ex foliis in eadem causa editis, quod praecipue decidendi ratio fuit consuetudo, unde constabat communitatem semper propriis sumptibus reparasse ecclesiam et hoc onus comprobatum fuisse ex decretis s. Visitationis. Videant EE. PP. num haec convenire possint praesenti quaestioni, in qua communitas Portus s. Georgii 1768. mandante cl. mem. Card. Paracciani tum Archiepiscopo Firmano aere proprio in ampliorem formam coemeterium extruxit. Caeterum parochus Veneranda si ex jure teneretur ad extructionem coemeterii negat se habere unde expensas suppleat. Revera Archiepiscopus testatur, quod parochiae fructus etiamsi incerta uniantur, cuicumque impendio pro re de qua agitur detractis oneribus impares omnino sunt prout per indubia documenta ostendit parochus. Nam exhibet censum parochialem unde constat quod detractis oneribus pro parocho supersunt scuta 93. 10. in annos singulos. Inde deducit quod licet parochiani ad has impensas teneantur, in subsidium attamen cum parochus idoneus non sit qui faciat hoc sumptum, illi constructionem coemeterii perficere deberent.

Ex his dirimendum proponitur dubium:

An constructio coemeterii fieri debeat sumptibus communitatis seu potius parochi in casu?

S. C. resp.:

In casu de quo agitur affirmative sumptibus communitatis.

Die 15. Jan. 1803.

C.

Pag.

Cadaver.
1. Exhumatio non licet gubernio laico e loco immuni et sacro 1
2. Exhumatio et sepultura in proprio electo sepulchro 3
Caducitas.
1. Beneficii 6
2. Causae excusationis 6
3. Constat 6
4. Non constat 9
Caeremoniarius. (Distributiones, Victus.) . 12
Camaldulenses. (Ordinis S. Benedicti.) . 28
Camera Apostolica.
1. Confirmatio Statutorum etc. 28
2. Jurisdictio Episcopi in ejus Officiales . 28
Camerarius Apostolicus 29
Cancellaria.
1. Apostolica 29
2. Episcopalis 29
3. Pro singulis dioecesibus 29
Cancellarius Episcopalis. (Munus.) . . 34
Canes Clericorum 41
Canon. (Reductio non concessa.) . . . 41
Canones.
1. Dispensatio et observatio 45
2. In eorum interpretatione magis Canonistis quam Moralistis etc. deferendum . . 45
3. Observatio 45
4. Qui sunt? 47
Canonia 47
Canonicatus.
1. Aetas adipiscendi 48
2. Applicatio bonorum 62
a) In usum valetudinarii cohortis . . 62
b) In usum collegii puerorum 63
3. Beneficium est 63
4. Collatio 64
a) Alternativa inter Capitulum et Episcopum 64
b) Ab apostolica Sede 66
c) Per concursum pro cura anim. exercenda 66
d) Juxta conventionem ab apost. Sede et ab Episcopo 77
e) Ab Episcopo 84
I. In mensibus Pontificis ex apostol. facultate 84
II. Jure devoluto 85
III. Modus et forma conferendi . . 85
f) Jus 86
I. Civibus est 86
II. Civibus exclusivum non est . . 90
III. In consuetudine consistens . . 95
IV. Quibus personis non est danda? . 100
5. Compatibilis est cum Dignitate et officio theologi et poenitentiarii . . . 100

Pag.

6. Dignitas estne? 103
7. Electio ad Canonicatum 103
a) A Canonicis peragenda 103
b) Inter Canonicos et Episcopum jus dubium 104
c) Per compromissum factum inter Canonicos et Episcopum 115
d) Jus quando est Dignitatibus? . . . 124
e) Jus Episcopi cum Canonicis eligendi . 124
f) Jus ex privilegio vel consuetudine derivans postea per conventiones estne sublatum? 124
g) Modus 124
h) A Patronis appositis conditionibus . 128
i) A Patronis mutato uno electore . . 139
k) Simoniaca quando est? 145
l) Per sortem 145
m) Substitutio alterius eligentis pro jus habente 150
n) Suffragia 150
I. Consanguineorum 150
II. Dignitatum 151
III. Mutatio 151
IV. Vicarii generalis 151
8. Erectio 151
I. Ex beneficiis 151
II. Ex capellania 154
III. Causae 156
IV. Concessa composita lite de legato . 156
V. Non concessa ob redditus incertos . 166
VI. Consensus Capituli 170
VII. Ab Episcopo 173
VIII. Formula 173
IX. Ex mansionaria 174
X. Mutatio non concessa 174
9. Fructus 174
I. Anni primi vacantis cui debentur? . 174
II. In distributiones et in qua summa suntne vertendi? 177
III. Perceptionis jus et dies, a quo . 183
IV. Percipiendi ex facultate apostolica a Canonico qui in Episcopum promotus est 188
V. Percipiendi tempore absentiae . 191
a) Propter aegritudinem 191
b) Propter assistentiam Episcopo praestandam 191
c) Propter bellum aliaque tempora infausta 194
d) Caecitatis causa 197
e) Propter confessiones audiendas . . 197
f) A Canonico, qui professionem fidei non vel non rite emisit 199
g) Legendi causa 199

Pag.

h) Propter munus Vicarii generalis et rectoris seminarii gerendum . . . 200
i) Propter deportationem sine culpa peractam 202
k) Litis causa 203
l) Negotiorum Episcopi causa . . . 204
m) Studiorum causa 205
VI. Percipiendi a Canonico jubilato . 207
VII. A Canonico ordine Canonicatui adnexo non insignito percipiendi . 209
VIII. Percipiendi tempore feriarum . . 211
IX. Privationem monitio antecedere debet 212
X. Quales debent esse? 212
XI. Restitutio 212
a) Ad Canonicum aegrotum vel coecum . 212
b) A die appellationis 218
c) Suspensione injusta sublata . . . 222
XII. Vacantium perpetuo canonicatuum cui competuunt? 230
10. Incompatibilitas 234
a) Cum beneficio non est 234
b) Cum dignitate et officio theologi et poenitentiarii non est 234
c) Cum Parochia 234
d) Cum Prioratu 237
e) Cum Religione 237
f) Cum vicariis temporalibus quando adest? 238
11. Jura 249
12. Juspatronatus passivum quoad cives estne in Cathedralibus antea Collegiatis? . 249
13. Mutatio 254
I. In beneficium 254
II. In coadjutoriam non concessa . 254
III. Onerum 257
IV. In poenitentiariam in Collegiata non concessa 261
14. Nominatio 263
a) Civium 263
b) Suspensio concessa 263
I. In commodum pauperum clericorum 263
II. In commodum pauperum patronorum 272
III. In dimissionem aeris alieni . . 274
IV. Pro reparatione ecclesiae et turris . 276
V. Ob tenuitatem reddituum . . 279
c) Suspensio non concessa in favorem patroni 279
d) Suspensio prorogata propter imminutos redditus praebendarum 287
15. Poenitentialis 288
16. Possessio 288
a) Formula et modus 288
b) Jus admittendi 289
17. Praebenda 289
18. Privatio 289
a) Concessa propter mores inhonestos . 289
b) Non concessa propter absentiam et turbines excitatas in regimen saeculare intrusum 292
19. Qualitas possessoris 296
a) Recusanda 296
b) Requisita in genere 296
c) Requisita ex fundatione 296
I. Qualitas originaria 296
II. Qualitas sacerdotalis 300
20. Reductio totalis concessa ob tenuitat. redditum 322

Pag.

21. Resignatio non concessa in favor. clerici non laudabilis 328
22. Saecularis 329
a) Regulares saecularizati num possidere possunt? 329
b) Regularis canonicatum saec. adipisci non potest 329
23. Suppressio 332
I. In dotem paroechiae et erectionem praeb. theologalis concessa . . 333
II. Ob tenuitatem praebendarum dilata 339
24. Suspensio 341
a) Diuturna juri adversa est . . . 341
b) Nominationis 341
c) In reaedificationem ecclesiae Colleg. . 342
25. Theologalis 342
26. Unio 342
I. Concessa 342
a) Propter tenuitatem reddituum canonicatuum 342
b) Cum beneficio 346
II. Non concessa 346
III. Consensus capituli 350
IV. Consensus patronorum . . . 350
27. Vacatio 350

Canonicus.

I. Adjunctus 354
II. Aetas 354
III. Cathedralis 354
1. Absentia a choro 354
a) Absens studiorum causa non dispens., si servitium ecclesiae detrimentum patiatur 354
b) Absens revocari potest ad servitium chori 356
c) Licentia Episcopi 356
2. Assistens 356
a) Episcopo in muneribus secretis . . 356
b) In Ordinatione 356
3. Beneficiatus qui simul est . . . 356
4. Canonicatum presbyteralem obtinens sed nondum presbyteratu insignitus . . 356
5. Canonicus qui vere est? 357
6. Cantum discere debet 363
7. Celebrandi Ordo 363
8. Celebrans missam conventualem . . 365
9. Celebrant non omnes Canonici ex consuetudine missam convent. 377
10. Celebrans tempore quo Episcopus celebrat. 379
11. Chorus 379
a) Dispensatio 379
b) Servitium praestare potest coadjutoria non obstante 379
c) Servitium personale 379
d) Servitium gratis per tempus praestans. 380
12. Clericus qui tantum est 380
13. Consiliarius natus Episcopi . . . 382
14. Curam animarum exercens. . . . 383
15. Diaconus et subdiaconus 383
16. Doctor esse debet 383
17. Domos canonicales Canonici inhabitantes 385
18. Erectionis secundae vel novae . . 385
19. Feriae 405
20. Fructus sede episcop. vacante provenientes percipere num possent Canonici? . . 405
21. Fructus qui et quando percipiendi a Canonicis? 405
22. Fundationes privatas canonicatui adnexas adimplere debet 405

Pag.

23. Jubilatus 405
24. Jura 405
25. Jura, privilegia etc. Canonic. Cathedralium unitarum 405
26. Missam conventual. celebrans . . . 409
27. Missam privatam celebrans tempore quo Episcopus sol celebrat etc. 409
28 Optio 409
29. Ordinatio 410
a) Intra quod tempus suscipi debet? . 410
b) Ordinatus qui non est intra tempus praescript. ex sua culpa 410
c) Ordinatus qui non est intra temp. praescript. non ex sua culpa . . . 412
30. Ordinum distinctio inter eos . . . 413
31. Presbyteratus ordinem assumere debet quantocius 413
32. Obligatio fundationes privatas canonicatui adnexas implendi 415
33. Professio fidei 415
34. Qualitas 415
35. Senatum Episcopi in quantum constituunt Canonici? 416
36. Sepultura 416
37. Substituere quando debet alium pro chori servitio et legendis missis conventual.? . 416
38. Suffragium ferendum 416
39 Synodo interesse debet 416
40. Theologus 416
41. In visitatione Episcopi 416
42. Vocari potestne ab Episcopo? . . . 416
43. Vox in Capitulo 416
a) Canonicorum erectionis secundae . 416
b) Consanguineorum Canonicorum . . 416
c) Jus estne Canonico pro collatione praebendae ad quam cum aliis concurrat? . 419
d) Jus Canonici theologi et poenitentiarii . 423
e) Jus quibus est? 423
f) Jus quibus non est? 431
g) Per literas dare non potest absens . 434
h) Quot voces 434
i) Substitutio 434
IV. Collegiatae 434
1. Num confessarius esse debeat fundatione silente? 434
2. Curam animarum exercens 435
3. Doctor esse debetne? 435
4. Electio a capitulo 435
5. Functiones eccles. independenter a parocho celebr. possunt Canonici 437
6. Missam convent. cantare debet . . 437
7. Obedientia praestanda Episcopo . . 440
8. Vox in Capitulo 449
a) Jus quibus non est? 449
b) Jus beneficiatorum et mansionariorum Colleg. quando est? 450
V. Concathedralium 454
VI. Concionator 454
VII. Confessarius 454
VIII. Curatus 457
1. Quando praesens in choro reputatur? . 457
2. Congrua praebenda 457
IX. Deportatus ob recusatum juramentum illicitum ex lege regnantis Pontificis fructus praebendae percipit . . 462
X. Doctor esse debetne? 462
XI. S. Georgii in Alga Venet. . . . 462

Pag.

XII. Honorarius 462
1. Canonicus non est proprie 462
2. Institutio 463
a) Ab apostol. Sede 463
b) Causae 463
c) Consensus capituli 463
d) Ab Episcopo 464
3. Jura et obligationes 469
4. Officiis suis quando satisfacit in qualitate beneficiali? 470
5. Participatio massae communis . . . 470
6. Praesentia in comitiis de punctaturis . 472
7. Quis et qualis? 474
8. Num substitutus esse possit Canonici praebendati? 481
9. Vox in capitulo 482
XIII. Infirmus 482
XIV. Jubilatus 482
1 Chori servitium 482
2. Distributiones, Emolumenta etc. quae ei debentur? 483
3. In hora certa pro populi commodo num celebrare debet? 483
4. Fallentiae num ei debentur? 483
5. Missas anniversarias etc. capituli legere non debet 483
6. Missam conventualem canere non debet . 484
7. Stipendij restitutio pro lecta missa conv. 492
8. Stipendium persolvere non debet pro missa conv. legenda 492
9. Substitutus esse potestne? 492
XV. Lateranensis 492
XVI. Parochus 493
1. In choro praesens quando est habendus? 493
2. Curam animar. exercens. 496
3. Qui parochus factus est dimisso canonicatu et postea vult reintegrari in canonicatum 497
XVII. Poenitentiarius 503
a) In Cathedrali 503
b) In Collegiata 503
XVIII. Puer non est eligendus 504
XIX. Quot sufficiant pro chori servitio? . 504
XX. Regularis 504
1. Num Regulares canonicatum adipisci possunt? 504
2. Lateranens. et ss. Salvatoris . . . 504
XXI. Reintegratio 504
XXII. Sacerdotio nondum insignitus . 504
XXIII. Scholasticus (Inspector scholar.) . 515
XXIV. Substitutus 520
XXV. Supranumerarius 520
1 Discrimen inter Canonicum honorarium et supranumer. 520
2. Electio et consensus a parte capituli . 520
3. Electio, approbatio et consensus Episcopi 520
4. Expectativa 520
5. Genus duplex 520
6. Institutio, jus etc. 520
7. Praecedentia 522
8. Vox in capitulo 522
XXVI. Theologus 522
a) Concio 522
b) Diaconi etc. munus exercere debetne? 522
c) Differentia inter Canon. theolog. et alios Canonicos 522
d) Fructus, distributiones, jura, praeeminentiae 522

Pag.

e) Vox in capitulo 530
XXVII. Titularis 530
Cantores Capellarum Pontificum . . 530
Cantus.
1. In associatione cadaveris . . . 530
2. In choro 530
Capella.
1. Carcerum 530
2. Confraternitatum Laicorum Ordinario in quibus rebus subest? 530
3. Pontificiae capellae Romae . . . 531
4. Restauratio 531
Capellania.
1. Adjicere quid potest fundator? . . 531
2. Aetas adipiscendi 531
3. Amovibilis 534
4. In beneficium commutata . . . 538
5. Cum beneficiis quod habet commune? . 538
6. Choralis 538
a) Beneficium estne? 538
b) Distributiones, fructus etc. . . . 545
7. Clericalis quae est? 556
8. Collatio in filios presbyterorum . . 556
9. Collativa 556
10. Non collativa quae est? 557
11. Compatibilis 558
12. Concursus ad capell. adipiscendam . 558
13. Differentia inter capellaniam et anniversarium 562
14. Differentia inter capellaniam laical. et ecclesiast. 563
15. Ecclesiastica 569
a) Beneficio aequiparatur 569
b) Differentia inter capellan. eccles. et laicalem 570
c) Laicus possidere potestne? . . . 570
d) Quae est? 570
16. Erectio suppresso monasterio . . . 581
17. Erectio ex aliis fundationibus . . . 585
18. Erectio ab Episcopo 587
19. Gentilitia seu jurispatronatus . . . 587
20. Genus triplex 587
21. Laicalis 587
a) Beneficium verum non est neque titulus ordinationis 587
b) Differentia inter capellan. laical. et ecclesiast. 587
c) Differentia inter capellan. laicales . 587
d) Episcopi jus 588
e) S. Ordines non requirit 588
f) Possessor 589
I. Clericus possessor est . . . 589
II. Laicus 597
III. Sacerdos 609
IV. Sacerdos regularis saecularizatus . 611
g) Quae est? 613
22. Manualis 630
23. Mercenaria 631
a) Quae est? 631
b) Ut titulus ordinationis 631
24. Nominatio 631
a) Apostolica irrita propter violatum jus-patronatus 631
b) Nulla est et iteranda 636
c) Suspensio concessa 639
I. Propter familiae angustias . . 639
II. In reparat. altaris et ecclesiae . 645

Pag.

III. Propter imminutos redditus . . 645
IV. Iterata 647
25. Reindegratio 652
26. Sacerdotalis quae est? 654
27. Suspensio concessa et prerogata in sustentationem familiae 656
28. Titulus ordinationis 665
29. Translatio 665
a) Quando concedenda? 665
b) Quando non concedenda? 666
30. Unio concessa 666
Capellanus.
1. Absentia 669
2. Amovibilis 669
3. Amotio a laicis inconsulto Episcopo non licet 671
4. Assistens in functionib. etc. . . . 671
5 Assistens matrimoniis 671
6. Aulicus major 671
7. Cathedralis 672
a) Collegii jura 672
8. A celebrando quando se abstinere potest? 682
9. Choralis 682
10. Collegiatae ecclesiae 683
11 Confraternitatis 683
a) Amotio 683
b) Approb. Episcopi et electio a confraternitate 683
12. Curatus 687
a) De applicatione missae pro populo . 687
b) Institutio 687
c) Jurisdictio 691
13. Domus religiosae 694
14. Infirmorum in nosocomio 695
15. Infirmus 695
16. Jubilatus 696
17. Militaris 696
a) Approbatio ab Ordinario 696
b) Facultas 698
c) Major 700
I. Facultates 700
d) Quoad matrimonia militum . . . 713
18. Missam et onera quando per se ipsum implere debet? 728
19. Monialium 728
a) Administr. ss. Sacramentorum . . 728
b) Aetas 728
c) Amovibilis 729
d) Approb. et Deputatio 729
e) Conditiones et munia 729
f) Qualitas 729
g) Regularis num esse possit? . . . 729
20. Oratorii publici 729
21. Ordinari intra quod tempus debet si capellania est sacerdotalis? 732
22. Parochi 732
a) Amovibilitas 732
b) Sumptibus parochi estne instituendus? 732
23. Pontificis romani 735
24. Remotio non concessa ut capellani parochia dimissa 735
25. Non sacerdos 738
26. Substitutus 739
Capitulum.
1. Cathedralis ecclesiae 740
a) Administratio bonorum ecclesiae Cathedralis 740

Pag.

b) Beneficia quae confert? 740
c) Capitulum qui constituunt? . . . 740
d) Quoad concursum parochialem . . 742
e) Consensus et modus rite agendi . . 742
f) Convocatio 743
I. Archidiaconus convocare potestne? 743
II. Archipresbyter quando convocat? . 743
III. Certioratio Episcopi de eo habendo 744
IV. Coadjutor Dignitatis convocare potestne? 744
V. Decanus vel aliae Dignitates convocare quando possunt? . . 748
VI. Licentia Episcopi 754
VII. Materiae propositio 754
VIII. Modus Convocationis 754
IX. Tempus convocationis 757
X. Vicarius generalis convocare quando potest? 757
XI. Vocandi qui sunt? 758
g) Definitio 763
h) Duo in una ecclesia 763
i) Emolumenta sede vacante episcopali competuntne Capitulo? 763
k) Exemptum quando est a jurisdictione Episcopi? 769
l) Extinctio 779
m) Jura quoad Episcopum 780
n) Jura etc. capitulorum Concathedralium 780
o) Jurisdictio Episcopi erga capitulum sine vel cum adjunctis 780
p) Lis inter Capitulares 780
q) Origo 780
r) Resignationes quas accipere potest? . 780
s) Senatus Episcopi 780
t) Suffragia 780
u) Titulus 780
2. Collegiatae ecclesiae 780
3. Metropoliticum 782
4. Monialium 783
5. Regularium 783
a) Alternativa in vocando 783
b) Generale 785
Capuccini.
1. Confessarius eorum 790
2. Denominatio 790
3. Fratres minor. ord. s. Francisci . . 790
4. Incapaces juris exercendi officium Executorum ultimae voluntatis et nominandi ad capellanias 791
5. Incapaces juris possidendi sed capaces praestationis temporaneae . . . 791
6. Ordo ecclesiasticus 792
7. Transitus ad alium ordinem quando licet? 792
Carbonarii, Massonii aliaeque Sectae occultae.
1. Clerici asseclae 793
2. Damnatio et excommunicatio . . . 798
Cardinalis.
1. Abdicatio 810
2. Absentia ab Urbe 817
3. Aetas 825
4. Beneficiorum collatio 825
5. Dignitas Cardinalis 825
6. Electio, numerus, qualitas etc. . . 825
7. Electio SS. Pontificis per Cardinales . 825
8. Excommunicatio persecutorum Cardinalium 827
9. Fides in eum 827

Pag.

10. Habitus, privileg., visitatio etc. . . 827
11. Juramentum praestandum 830
12. Praecedentia 831
a) Super omnes Ecclesiasticos . . . 831
b) Inter sese 831
13. Privatio cardinalatus 832
14. Privilegia per vim abductorum Cardinalium manent. 832
15. Religiosus 832
16. Residentia 833
17. Restitutio in dignitatem cardinalatus . 834
18. Supellectilia 834
19. Titulus 835
Carentiae Annus.
1. Origo 835
2. Privilegia et gratiae 836
Caro.
1. Esus in Sabbatho 837
2. Esus Inservientibus Hospitalis concessus 839
Carthusiani 841
Casinenses 841
Casus.
1. Conscientiae 841
2. Reservatus 841
a) Absolutionis facultas in articulo mortis 841
b) Absolutio a Praelatis regul. quoad subditos 841
c) Absolutio per confessarios regul. a casib. reserv. a Sede apost. vel ab Episcopo 841
d) Absolutio per confessarios Urbis a casib. reservatis ab Episcopo . . . 841
e) Absolutio per Poenitentiarium . . 842
f) Absolutio per Vicarium general. . 844
g) Absolutio per Episcopum a casibus reservatis Papae 844
Cathechesis.
1. Indulgentiae docentium 844
2. Intra Missam habenda 844
3. Obligatio Parochi 845
4 Obligatio parochi Cathedralis . . 848
5. Oblig. parochi, etiamsi concionatores speciales ab Episcopo missi praedicant . 848
6. Obligatio parochorum duorum in una parochia cum separatis ecclesiis . . . 849
7. Obligatio estne Regularium? . . . 852
8. Omissio 858
9. Poena in contravenientes. 858
Cathechismus Romanus 859
Cathechumeni 861
Cathedralis 861
Cathedraticum.
1. Augeri potestne? 861
2. Beneficiis, non personis, inhaeret . . 861
3. A Beneficiis in pia legata mutatis . 865
4. A Beneficiis minorum reddituum solvendum 865
5. A Beneficiis unitis massae capitulari vel singulis praebendis solvendum . . 867
6. A Canonicis solvendum 870
7. A Canonico parocho nil solvendum extra quod solvitur a capitulo 871
8. A Canonicis Colleg. solv. 873
9. A capellaniis et confraternit. quando solvendum? 873
10. Causae solvendi 876
11. Consuetudines circa illud 876
12. Detrahenda quae sunt prius? . . . 877
13. Dies a quo solvendum? 877

Pag.

14. Ab Ecclesia abbatiali comendatitia non solvendum 877
15. Ab Ecclesiis regularibus quando solvendum? 877
16. Jus Episcopi 878
17. A Monasterio non solvendum . . 880
18. A Parochis solvendum 886
19. Quod et quantum? 887
20. Remitti non potest in totum . . 893
21. Tempus solvendi 893

Causa.
1. Differentia inter causam, litem et quaestionem 893
2. Finalis 893
3. Matrimonialis 893

Censurae.
1. Absolutio 894
2. Aetas incurrendi 894
3. Appellatio 894
4. Causa excusans ab incurrenda censura . 894
5. Causae infligendi 894
6. Limitatio per constit. »Apostolicae Sedis« 894

Census.
1. Dispositio ecclesiastica 941
2. Qualitas et Reductio 946

Character indelebilis 952
Charitativum 952
Chimia 953
Chiromantia 953
Chirurgi 953

Choreae.
1. Clericorum 953
2. Publicae 958

Chorus.
I. Absentia 958
1. Adjuncti 958
2. Canonici theologi 958
3. Causae excusantes 958
a) Aer insalubris 958
b) Caecitas 959
c) Cantoris, organistae etc. officium . 964
d) Celebratio missae intra chori servitium 965
e) Confessiones audiendae . . . 975
f) Cura animarum 981
g) Episcopi Servitium 987
h) Examinatorum officium . . . 991
i) Exilium 991
k) Feriae 992
l) Infirmitas 992
m) Jubilatio 1008
n) Legendi officium ex parte theologi . 1008
o) Metus et vis saccularis potestatis . 1022
p) Munera temporalia et spiritualia . 1025
r) Studia 1036
4. Causae non excusantes 1037
a) Consuetudo 1037
b) Feriae beneficiatorum 1040
c) Infirmitas 1042
d) Organistae officium 1044
e) Parentum et sororum cura . . 1048
f) Studia 1050
5. Coadjutoris Canonici 1051
6. Indultorum norma 1051
7. Poenae absentium 1051
8. Poenitentiarii 1059
9. Tempus infra quod? 1059
II. Alternativa (per turnum) concessa . 1061
III. Alternativa non extensa . . . 1105
IV. Canonici quot sufficiunt ad servitium chori? 1110
V. Confabulantium poenae 1110
VI. Consuetudo per tempus gratis chorum frequentandi 1111
VII. Consuetudo non quotidie chorum frequentandi 1131
VIII. Consuetudo non integre et non ab omnibus chorum frequentandi . 1132
IX. Consuetudo multiplex circa chori servitium 1133
X. In ecclesia propria 1140
XI. Habitus 1141
XII. Locus 1141
XIII. Obligatio 1141
a) Ampliatio 1141
b) Archipresbyteri 1143
c) Beneficiatorum ex fundatione . 1149
d) Canonici honorarii estne? . . . 1151
e) Canonici novae erectionis quando est? 1151
f) In diebus festis tantum . . . 1151
g) In festis suppressis 1156
h) Prioris 1159
i) Quotidiana 1163
k) Reductio 1166
1. Causae 1166
2. Concessa 1167
3. Non concessa 1185
XIV. Onus personale est 1202
XV. Regimen penes capitulum est . 1203
XVI. Substitutio 1203
XVII. Vacatio a choro 1203

Cistercienses.
1. Belgii et Galliae 1203
2. Transgressus in aliam religionem . . 1203

Citatio.
1. Ante privationem beneficii facienda . 1203
2. Ab ea incipit Judicium 1203

Civis.
1. Beneficium quando ei conferendum? . 1204
2. Quis est? 1204

S. Clara.
1. De Clausura et sororibus servientibus ord. s. Clarae 1204
2. Regulae a s. Francisco s. Clarae traditae 1204

Claudus 1205
Claustrum 1205

Clausura.
1. Ambitus 1205
2. Episcopalis 1209
3. Juris ecclesiastici 1209
4. Monachorum 1209
a) Egrediendi licentia et causae . . 1209
b) Egressus Novitiorum 1215
c) Excommunicatio in violantes . . 1215
d) Ingressus licitus 1215
e) Ingressus vetitus Mulieribus . . 1215
5. Monialium 1224
a) Absolutio a Violatione clausurae . 1224
b) Clavis Clausurae 1224
c) Egressus causae 1225
I. Aeris insalubritas et recreatio . 1226
II. Ecclesiae externae visitatio . . 1227
III. Ecclesiae externae decoratio . 1228
IV. Propter directorium super aliud monasterium 1229

Pag.

V. Inquies capitis 1229
VI. Propter juramentum ab Abbatissa Domino saeculari praestandum . 1230
VII. Morbus 1231
VIII. Propter observantiam stabiliendam 1235
IX. Quaestuatio 1235
X. Usus balnei 1238
d) Egressus poenae 1238
e) Episcopi facultas circa clausuram . 1238
f) Quoad erectionem monasterii monialium 1239
g) Excommunicatio violantium . . 1239
h) Inductionis causae et facultas . . 1239
i) Ingrediendi licentiam quis concedat? . 1255
k) Ingressus 1257
I. Capellani 1257
II. Clericorum 1257
III. Confessarii 1257
IV. Consensus Monialium . . . 1259
V. Episcopi 1260
VI. Famularum et famulorum . . 1265
VII. Medici 1267
VIII. Mulieribus licitus 1267
IX. Mulieribus vetitus 1269
X. Superiorum et fratrum regularium 1272
XI. Superiorum Praelatorum saecularium 1275
l) Regressus 1276
m) Scholas dirigentium monialium . . 1278
n) Visitatio 1278
a) Ab Episcopo facienda . . . 1278
b) A P. Provinciale facienda . . 1281
c) A Vicario generali 1281
6. Papalis 1281
7. Quae est? 1282
8. Sequela est voti solemnis . . . 1282
9. Tertiariarum 1282
10. Ad votum solemne emittendum in quantum requiritur? 1282

Clavis.
1. Capellae 1282
2. Pro clausura 1285

Clavus Crucis Christi 1285

Clericus.
1. Advocatus 1287
2. Agros colere potest 1287
3. Amovibilitas clericorum in certis ecclesiis constitutorum 1287
4. Arma deferens 1287
5. Aromatariam exercens 1287
6. Beneficiatus olim nominabatur . . 1287
7. Beneficium adipisci potestne, qui habitum clericalem dimisit? 1287
8. Caecus 1287
9. Choreae, ludi 1289
10. Clericus factus vi per parentes illata . 1289
11. Cohabitans cum muliere 1289
12. Concubinarius 1293
13. Curator 1299
14. Deputatus communitatis 1299
15. Dioecesi divisa quos Episcopus novus potest revocare? 1299
16. Educatio 1308
17. Excommunicatio matrimonium contrahentis 1308
18. Excommunicatio clericum ad tribunal laicale trahentium 1308
19. Excommunicatio clericum percutientium 1308
20. Fructus et subsidia percipiendi facultas apostolica a gubernio laicali bona ecclesiast. arripiente 1308
21. Habitus clericalis 1309
a) Delationis obligatio 1309
b) Delatio necessaria ad »privilegium fori« lucrandum 1314
c) Depositio ab Ordinario decreta sed ab apostolica Sede non confirmata . . 1314
d) Dimissio 1323
e) Qualis 1323
f) Reassumptio 1323
22. Haereticus 1326
23. Homicida 1327
24. Honestas et Modestia in publico . . 1327
25. Negotiator 1328
26. Parochianus est ecclesiae, cui deservit . 1351
27. Patrinus in baptismo 1351
28. Pecunias investiendi facultas . . . 1351
29. Percussio et vis illatio 1353
a) Excommunicatio adest . . . 1353
b) Excommunicatio non adest . . 1355
c) Excommunicat. et Irregularitas . . 1358
d) Quae est juxta sensum decretorum . 1360
30. Privilegia clericalia 1360
31. Qualitates 1364
32. Regularis 1364
33. Saecularis 1364
a) Ingressus in Ordinem regul. . . 1364
b) Vitam communem cum aliis degens . 1370
34. Ad tribunalia laicalia recurrens. . . 1385
35. Ante tribunalia laicalia attract. . . 1385
36. Usurarius 1385

Clerus Cathedralis 1385
Coactio causativa 1386

Coadjutor.
1. Canonici 1386
a) Aetas 1386
b) Canonicus vere non est . . . 1386
c) Celebrans 1387
d) Differentia inter Coadj. Canonici et Dignitatis 1387
e) Distributiones 1387
f) Domicilium 1387
g) Emolumenta reficere tenetur Coadjuto 1387
h) Excommunicati Canonici . . . 1392
i) Fructus quos percipit? 1392
k) Honores et Privilegia 1392
l) Institutio 1393
I. Causae 1393
II. Consensus Capituli 1393
III. Consensus Episcopi 1393
m) Jubilatio non conceditur . . . 1394
n) Jus quod acquirit? 1394
o) Jus succedendi 1394
p) Ordinari potestne aliquis in titulum coadjutoriae canonicatus? 1395
q) Possessio capienda post mortem coadjuti 1395
r) In quam praebendam coadjuti, in dimissam vel optatam sequitur? . . 1395
s) Praecedentia post Canon. honor. vel supranumerarios 1402
t) Professio fidei 1402
u) Quae lucratur Coadjuto? 1402
v) Qualitas requisita 1402
w) Substitutus ejus 1402
x) Vox in capitulo 1402

Pag.

2. Dignitatum 1405
   a) Celebrans 1405
   b) Differentia inter Coadjutorem Canonici et Dignitatis 1405
   c) Domicilium 1405
   d) Ordinari potestne aliquis in titulum coadjutoriae dignitatis? 1405
3. Episcopi 1405
4. Parochi 1406
   a) Amovibilitas 1406
   b) Emolumenta 1406
   c) Instituendus estne sumptibus parochi? 1407
   d) Jurisdictio et fructus 1407
5. Parochi Canonici 1410
6. Vicarius 1412

Coadjutoria.

1. Cum canonicatu non conjungenda fundatione vel collatione silente . . . 1412

Pag.

2. Curata incompatibilis cum canonicatu alterius ecclesiae 1415
3. Erectio 1417
   a) Erectio ex suppressa parochia non concessa 1417
   b) Erectio coadjutoriae vicariae amovibilis suppressis parochiis concessa . . 1421

Coelibatus 1432

Coemeterium.

1. An defuncti ex vetere in nov. Coem. transferendi sint? 1433
2. Pollutio 1433
3. Publicum 1433
   a) Jus sepeliendi non alteratur quod sepultura fit in coemet. publico . . 1433
   b) Jura et leges ecclesiast. de eo . . 1444
4. Resedificatio a Communitate . . 1450